This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



Digitized by Google

MENTEM ALIT ET EXCOLIT



K.K. HOFBIBLIOTHEK
ÖSTERR. NATIONALBIBLIOTHEK

56.N.1

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Maurer Pedin.

Girolamo Frezza scul. Roma con lic de s...

Digitized by Google

K.K. HOFBIBLIOTHEK WIEN

Digitized by Google

RERUM ITALICARUM
SCRIPTORES

TOMUS DECIMUS.

Digitized by Google

KAISERLICHE KÖNIGLICHE HOFBIBLIOTHEK
WIEN

Digitized by Google

RERUM ITALICARUM SCRIPTORES

AB ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ QUINGENTESIMO
AD MILLESIMUMQUINGENTESIMUM,

QUORUM POTISSIMA PARS NUNC PRIMUM IN LUCEM PRODIT

EX AMBROSIANÆ, ESTENSIS,
ALIARUMQUE INSIGNIUM
BIBLIOTHECARUM CODICIBUS.

LUDOVICUS ANTONIUS
MURATORIUS
SERENISSIMI DUCIS MUTINÆ BIBLIOTHECÆ PRÆFECTUS

Collegit, ordinavit, & Præfationibus auxit,

NONNULLOS IPSE, ALIOS VERO

MEDIOLANENSES PALATINI SOCII

Ad MStorum Codicum fidem exactos, summoque labore, ac diligentia castigatos, variis Lectionibus, & Notis tam editis veterum Eruditorum, quàm novissimis auxere.

ADDITIS

Ad plenius Operis, & universæ Italicæ Historiæ ornamentum, novis Tabulis Geographicis, & variis Langobardorum Regum, Imperatorum, aliorumque Principum Diplomatibus, quæ ab ipsis autographis describere licuit, vel nunc primùm vulgatis, vel emendatis, necnon antiquo Characterum specimine, & Figuris Æneis.

CUM INDICE LOCUPLETISSIMO.

TOMUS DECIMUS.

MEDIOLANI, MDCCXXVII.

EX TYPOGRAPHIA SOCIETATIS PALATINÆ
IN REGIA CURIA.
SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

WIEN

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

REGIAE. CELSITUDINI.

LEOPOLDI. I.

LOTHARINGIAE. BARRI.
CAROLOPOLIS.
DUCIS.
MUSSIPONTIS. NOMENI. MARCHIONIS.
PROVINCIAE. VALDIMONTIS. ALBIMONTIS.
ZUTPHANIAE. SARWERDEN. SALM.
FALKENSTEIN. COMITIS.
&c. &c. &c.

ATAVORUM. REGUM. GLORIA.
PROPRIISQUE. VIRTUTIBUS. CLARISSIMI.
QUOD.
INTER. FAMILIARES. BELLICAS. ARTES.
GRAVESQUE. LATISSIMAE. DOMINATIONIS. CURAS.
FOVENDIS. LITERARUM. STUDIIS.
PATERNO. INCUMBENS. AMORE.
UBICUMQUE. GENTIUM. NOMEN. AUXERIT.
MEDIOLANENSES. PALATINI. SOCI.
PUBLICUM. OBSEQUI. TESTIMONIUM.
D. D. D.

Digitized by Google

Digitized by Google



B. B. f.

REGIÆ CELSITUDINI
LEOPOLDI I.
LOTHARINGIÆ DUCIS

&c. &c. &c.

PHILIPPUS ARGELATUS BONONIENSIS
S. P. D.

A est virorum Principum dignitas & majestas, ut sicuti privatorum omnium fortunas & conditionem præcellit, ita communem etiam officiorum modum excedat, & veluti Superis æquata, simplici atque humili precatione delectetur; neque intersit, cogniti ne, an incogniti nominis homo supplex accedat: confirmatur itaque mihi animus dum REGIÆ CELSITUDINI TUÆ

Me-

Digitized by Google

Mediolanensium Palatinorum Sociorum nomine X. Collectionis hujus Tomum humiliter sisto, eamque in præsidium & decus laboribus nostris imploro. Nec ad excusandam ambitionem, seu temeritatem voti quidquam aliud præferimus, quàm honestatem studiorum nostrorum in servandis Italiæ vetustis monumentis, quæ cæteris etiam Nationibus per typos nostros communicata, utilitati atque ornamento quandoque sint futura. Præterea Tomus hic donum continet Principe non indignum: imaginem scilicet Imperantis olim Italiæ, squallidæ ac laceræ post violatam à Barbaris majestatem, nova Tabula Geographica, diligentique commentario efformatam. Aspectum sanè miserandum, sed opus maximè curiosum, ne dicam necessarium ad Historias intelligendas. Seriem inde nostratium rerum à vulgatis antea Tomis deductam liber prosequitur: argumentum, quod Principem deceat, & LOTHARINGICO *Tibi fortasse placeat, ob memoriam rerum, quæ à Majoribus Tuis in Italia gestæ sunt, & veterum affinitatum, per quas communicata nobis gloria* Godefridi, & Balduini *Hierosolymitanorum Regum, aliorumque centum Heroum Christiani nominis illustrium propagatorum, ad quos bellicis artibus instituendos, non parum fortasse profuit apud nostrates militare tyrocinium, ac ferme incolatus; qua de causa effusæ ab Italorum ingeniis in Sanctissimos Principes laudes. Contra verò gloria non vulgaris accessit ad Tuos ex*

unius

Digitized by Google

unius Italicæ fœminæ Mathildæ *Comitis cum* Godefrido *priore altero nuptiis, queis insitus propemodum Regiæ Familiæ versùs Romanam Ecclesiam amor, per quem nutantibus ejusdem rebus* LOTHARINGICI *Principes perpetuò facti sunt Romanis Pontificibus propugnaculum, & assertores justitiæ. Hæc summatim, & à primis Regiæ Gentis conditoribus de pluribus, quæ passim in Historiis nostris continentur ad* LOTHARINGICOS *Principes cum Italis pertinentia, quæque* REGIÆ CELSITUDINI TUÆ *per Scriptores nostros nullo vel amoris, vel odii præjudicio infectos narrata, jucundum erit lectione percurrere, qua Tu Te cum prioribus Principibus compares, & ex conscientia laborum, quos exantlasti, gaudeas avitam virtutem cum Regia dominatione tot jam sæcula in Familia servatam adversùs sævientis Fortunæ impetum, quem præ cæteris fortasse sensisti, constanti adeò, invictoque animo, ut iram viceris, eamque meliora imposterum spondentem mortales omnes plausu accipiant, apud quos commendata militaris virtus* REGIÆ CELSITUDINIS TUÆ *à puerilibus propemodum annis, cùm adversùs communem hostem exercitatione laboris tyronem egisti, ex qua cum ætate adolevit & gloria: commendata etiam civilis prudentia, per quam difficillimis temporibus, sollicitantibus undique Nationibus variis, ac maria montesque promittentibus, nova pericula declinasti, quòd adversæ Fortunæ torvum aspectum sustinueris, & Spei fallacem*

Digitized by Google

lacem cognoveris. Sed hæc Historicis ævi hujus ac futuri nobile sint argumentum; Nobis unus precum est conatus, ut donum, licèt exiguum, grato, ut soles, animo accipias, meque ac Palatinos Socios Literarum utilium Studiis incumbentes in tuam clientelam benignè accipias; id enim anxiè poscimus & optamus, quo sciant posteri Lotharingico Principi, qui cunctis placet, & nostra placuisse. D. O. M. REGIAM CELSITUDINEM TUAM *diu servet, eique prospera cuncta succedant.*

Dabam Mediolani Kalendis Decembris MDCCXXVII.

Digitized by Google

ELENCHUS
TOMI DECIMI.

DE ITALIA MEDII ÆVI *Dissertatio Chorographica* pro usu Tabulæ Italiæ Græco-Langobardico-Francicæ, ut à Græcis & Langobardis ad Carolum M. translatæ, medii ævi nominibus Regionum, Urbium, Fluminum, & Montium opportunè appositis, atque illustratis; *Isagoge* ad Geographiam universalem ejusdem ævi, antiquioribus originibus intermixtis. Auctore *Anonymo Mediolanensi* Regio Ticini Lectore, Societate Palatina curante, cum duplici *Indice Locorum*, & *Materiarum* ad calcem.

ALBERTINI MUSSATI Paduani Historiographi & Tragœdi de gestis Heinrici VII. Cæsaris *Historia Augusta* XVI. Libris comprehensa, à *Felice Osio* jam edita, nunc recusa Notis ejusdem *Osii*, *Pignorii*, & *Villani*, suis Locis appositis; additis variantibus Lectionibus Manuscriptorum Codicum *Bibliothecæ Estensis*, & *Ambrosianæ*. pag. 1

EJUSDEM *Albertini Mussati* Historici Patavini de gestis Italicorum post mortem Henrici VII. Cæsaris *Historia* à *Felice Osio* jam edita; nunc castigatior, & auctior recusa ope MStorum Codicum *Bibliothecæ Estensis*, & *Ambrosianæ*. 561

CHRONICON SICILIÆ Auctore *Anonymo* conscriptum, ab Anno circiter DCCCXX. usque ad Annum MCCCXXVIII. antea editum in Thesauro Anecdotorum à RR. PP. *D. Edmundo Martene*, & *D. Ursino Durand* Monachis Benedictinis è Congregatione S. Mauri. 801

NICOLAI SPECIALIS *Historia Sicula* in VIII. Libros distributa ab Anno MCCLXXXII. usque ad Annum MCCCXXXVII. antea edita in *Appendice Marcæ Hispanicæ* cura & studio Clarissimi Viri *Stephani Baluzii*. 913

INDEX Rerum, & Nominum. 1093

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DE ITALIA
MEDII ÆVI
DISSERTATIO CHOROGRAPHICA

PRO USU TABULÆ ITALIÆ

GRÆCO-LANGOBARDICO-FRANCICÆ,

Ut à Græcis & Langobardis ad Carolum M. translatæ,

Medii ævi nominibus Regionum, Urbium, Fluminum, & Montium, opportunè appositis, atque illustratis;

I S A G O G E

AD GEOGRAPHIAM UNIVERSALEM EJUSDEM ÆVI, ANTIQUIORIBUS ORIGINIBUS INTERMIXTIS.

AUCTORE

ANONYMO MEDIOLANENSI

REGIO TICINI LECTORE,

SOCIETATE PALATINA CURANTE,

CUM DUPLICI INDICE

LOCORUM, ET MATERIARUM

AD CALCEM.

Digitized by Google

MONITUM
LUDOVICI ANTONII MURATORII.

Historiae Italicae, simul & Chronologiae medii ut ajunt aevi, quae ego hactenus potui praesidia ac lumina contuli, tot congestis ac editis veterum monumentis; aliisque identidem evulgandis rem, Deo dante, absolvam. At Socii Palatini, *qui hanc meam quibus possunt modis Collectionem exornandam, & nitida editione posteris etiam commendandam suscepere: probe rati, non parum lucis Historiae quoque accedere e Geographia, tabulam huic Tomo addendam instruxere, per quam qualis Italiae facies foret, praesertim sub Regibus Langobardis & Francis, uno ictu oculi dignosceretur. Nam etsi non alia fuerit sub barbaris regnantibus Italiae tellus, ac sub Romanis: attamen discisso Romanorum Imperio, ipsa ut novum regimen, ita & novos Provinciarum ac Urbium fines accepit; exciderunt etiam nonnulla ex antiquis Castellis, Oppidis, ac Urbibus; aliaque rursus in eorum locum successere. Et quidem hanc eamdem tabulam illustrare mihi votum & propositum fuisset. Sed quum praeter alias meas curas praesentis Operis moles, non tempus tantum, sed memet interdum mihi eripiat: satius visum est ejusmodi onus in alterius humeros rejicere, qui neque labore deterreretur, neque opportuno careret otio. En ergo quid in subsequenti Dissertatione praestiterit unus e praecipuis Amicis meis, vir non minus antiqua Eruditione, quam Judicio Critico summe commendandus, summe accuratus, & cui bene sanguis calet in venis. Vix me compescere possum, quin ejus nomen prodam; sed mihi timeo, & praestat obtemperare homini famam spernenti, unumque in ista lucubratione quaerenti, hoc est ut argumento sibi tradito satisfaciat, & Literariae Reipublicae prosit.*

Protestationem Auctoris, quæ hic imprimi debuisset, ad calcem remisimus, ut illius menti obsecundaremus, qui postremo loco in suo Sectionum Elencho eandem recensuit. Ipsam prorsus vide Col. CCCXIV. num. 148.

Digitized by Google

ARGUMENTA SECTIONUM.

PROLEGOMENA.

SECTIO I.

(1) Chorographia Italiæ medii ævi adhuc intacta. (2) Finium regundorum naturalium, & civilium binæ regulæ ex Geodæsia petitæ: Fines utriusque Imperii quinam sæculo IV.

SECTIO II.

(3) *Anonymi Ravennatis* nomen, & ætas detegitur: Hæc non recte demonstrata ex *QQ. Pseudo-athanasii*, quas laudat: An Johannes Antiochenus harum auctor: Latini omnes a Græcis Franci vocati. (4) Codex Porcheronianus non germanus, nec integer, sed mutilus, & corruptus, & in epitomen ab imperito redactus. (5) De eodem Viri docti judicium, hic nunc adauctum: & quis ille. (6) Ob Chorographos inconsultos, vicosque pro Urbibus captos adhuc infelix Anonymi Italia, infeliciterque notata: Urbs veteribus quæ.

SECTIO III.

(7) Italiæ Chorographia prodita à *Paulo* Diacono non Langobardica, sed eadem ac vetus Romana. (8) Cur, quando, & a quo Provincia Apennini instituta: Dominii Gothorum in Italia, & extra amplitudo. Cur ab Imperatoribus multiplicatæ Provinciæ. (9) Alpium Cottiarum, & Liguriæ fines ante Justiniani bellum Italico-gothicum: & qui post: itemque Provinciæ Apennini. (10) Verona in Apennino ad Metaurum flumen quæsita: Strabo, & Procopius de Venetiæ limite observati: Dextera, & læva fluminum quæ. (11) Sigonii Italiæ medii ævi ordinatio exhibetur.

SECTIO IV.

(12) *Cellarius Geographiæ* medii ævi promissor tantùm: Pro ea sæculi V. scribenda quam copiosa supellex. (13) Illius prodroma Italiæ tabula medio ævo prorsus incongruens: Ibi Latium Suburbicarium confictum. (14) Cur Suburbicariæ Regiones contractæ: Pristinæ suæ amplitudini noviter restitutæ.

SECTIO V.

(15) Συνεκδημος Geographicus *Hieroclis Grammatici* (cujus ætas hucusque ignota) a quibus editus: Genuinus quidem, sed non integer: verè medio ævo, Imperio Justiniani ineunte, scriptus: Notitia Ecclesiastica non est, sed Civilis. (16) Urbes Justinianeæ XIX. unius (quæ ætatis Hieroclis exploratrix) situs, & vetus nomen inquiritur: Synecdimi Magistratus a Justiniano immutati. (17) Quæ Provinciæ ab eo suppressæ, contractæ, vel auctæ: An ejus Novellæ omnes inventæ. (18) Provincia, & Urbes *Theodoriades* ubi, & quot: *Irenopoles* unde dictæ: Inter Geographiam Sacram, & Civilem discrimen: Hæc a Provincialibus concinnanda ad normam *Germaniæ JuncKeri*.

SECTIO VI.

(19) Quibus ex fontibus Chorographia Italiæ haurienda: Quæ à Langobardis innovata: Desiderii Edictum, etsi Viro docto probatum, cur adhuc suspectum? (20) Ludovici Pii Tabula varie accepta: cur non rejicienda: An Anastasius, & Leo Ostiensis interpolati. (21) Patrimonia in ea Tabula pro Regionibus enunciata: Eadem sæculo IX. X. & ultra ignota: Ottonis III. Constitutio contra Ecclesiam supposita. (22) Quando illa Tabula edita, & cur: Regressus bonorum Mathildis ad Ecclesiam vera restitutio, non donatio: Codex Carolinus Chorographiæ huic perutilis: Jurisdictiones medii ævi post Langobardos adhuc obscuræ.

SECTIO VII.

(23) Clarior Langobardorum ævo, & duplex, Græcorum nempe, & Langobardorum: Horum alia *Regalis*, alia *Ducalis*: Duces vel *Provinciales*, vel *Urbani*: Utrique unde orti, ubi, & quot. (24) Etiam Gastaldi, sicut Duces Urbani, Urbibus præfecti: Horum tamen discrimen difficile cognitu. Eorundem auctoritas, & potentia quanta: Quid Regibus contribuerent: Rarò Comitum mentio sub Langobardis: Urbium Rectores & ipsi: Sub Francis ubique præpositi.

SECTIO VIII.

(25) Regni Langobardici cis Tiberim partes IV. *Austria*, & *Neustria* imaginariæ, *Tuscia*, & *Æmilia*: illarum etyma, nominaque a quibus, & quando profecta: Extensio. (26) *Austriam*, & *Histriam*: item Austriam, & Ducatum Beneventanum confundentes Viri doctissimi, evincuntur: *Patriæ* nomen an Austriæ speciali tributum: Aquilejensium, & Patavinorum rationes inanes: Patria, & Θεμα nomina eadem, appellativa, non propria. (27) Non recte Viro docto idem Neustria, & Tuscia: Hæc tripartita: Æmilia in Neustria: hæc protracta, illa decurtata.

SECTIO IX.

(28) Quæ Langobardica servata a Francis, quæ non: *Exarchatui*, & *Neustriæ* cur, & quando *Romaniæ*, & *Langobardiæ* facta nomina ab illis: quomodo id nomen scribendum. (29) Ejus fines statuti: ab ortu in Æmilia quæruntur: Binæ viæ Æmiliæ: *Costuma via* quæ. (30) *Ravenna* Urbs Æmilia in recto, quia Tripolis: Termini S. Petri ultra Mutinam: Charta Caroli Magni ejusque Codicis Epistolæ observatæ. (31) Viæ Æmiliæ a Placentia ad fines Regni Italici nomen *Claudiæ* restitutum a Francis. (32) De hac V. docti conjectura: & obscurum vestigium in Itinerario Antonini: Quando hoc scriptum: *Via Claudia* a quo dicta: Cur Carolo M. auctor ignotus. (33) Antiquorum finium Langobardiæ inquisitio resumitur: Lepida Diœcesium Mutinæ, & Bononiæ divisio: utriusque agri fines quinam sub Romanis, Langobardis, & Francis: De reliquis Italiæ Regionibus in *Chorographia*.

SECTIO X.

(34) Divisio Italiæ ævo Francico in Ducatus, Comitatus, & Marchas: Omnium origo stricte recolitur: An Duces Urbani apud antiquos Francos, ut apud Langobardos: Francorum res sæculi VI. Blondello ignotæ: Ipsorum Ducibus quot Urbes tributæ. (35) Divisio Honoriana Galliarum mere civilis: Ecclesiastica ab ea diversa: Galliæ quomodo medio ævo divisæ: Austriæ Regnum quale, & quid eidem adjectum. (36) Cur Italiæ Urbibus non Duces præpositi; sed Comites? Horum triplex ordo: Non omnes præpositi ex Francis, ut censet V. doctus: Vicarii, & Centenarii sub illis: Quinam Comites Fortiores, Mediocres, & Minores. (37) Nulla Marcha Langobardico ævo in Italia: Ejus etymon, & origo: Inter Ducem, Marchionem, Comitemque discrimen: Quomodo idem Comes, Marchio, Dux: Coronæ Ducalis quis auctor: Horum nemo ab initio perpetuus.

SECTIO XI.

(38) Iterùm quomodo idem Comes, Marchio, Dux: Marchæ Italiæ quæ: Forojuliensis vicissitudines sub Francis: An hujus Marchio Berengarii Pater. (39) *Histria* serò sub Langobardis: *Forojuliensi* Marchæ à Francis adjecta: An Marcha ab his dicta. (40) Eadem Marchæ Tarvisinæ conditio: Antiquiori ævo *Veronensis* vocata: An omnes hæ Marchæ sub Venetia contentæ ad Italicum Regnum spectarent. (41) Marcha *Mediolani* restituta sæculo XII. sed forte antiquior: Gesta ab Ænobarbo Veronæ chronologicè vindicata: Marcha *Genuæ* ab ævo Francorum (42) Marcha *M. ferrati* ante Ottones instituta: ejus Marchionum origo à fabulis expurgata: Otto II. non bigamus: nulla Adeleis nupta Aledramo. (43) Marchæ hujus fines sæculo XV. ignoti: X. quam ampli: Marchæ minores Langarum, & oræ maritimæ beneficia M. ferrati: De Marchis Secusii, Firmi, Anconæ, Spoleti &c. in Chorographia. (44) An Marcha *Eporediæ* Tridentinæ contermina, ut sentit V. doctus: Insubrum, Orobiorum, & Cenomanorum fines ad boream Romano, & medio ævo usque ad Alpes: Illius Marchæ fines qui? (45) An eidem Angleriæ Comitatus adjectus: Ejus origo, & progressus: Unde Marchionum suorum po-

Digitized by Google

potentia : Iidem Marchiones in Italia, non Italiæ. (46) Guido, & Bernardus fictitii : Desiderii nullus filius præter Adalgisum : ejus vera genesis, & patria. Testamentum Attonis (ex quo Stemma Desiderianum Im-hof) undique falsum : maximè ex arcano primò nunc revelato.

SECTIO XII.

(47) Alpes Italiam ambientes quæ : Cur nihil trans ipsas, & in ipsis notatum : An Regnum Liutprandi usque Arelate prolatum, juxta Erchempertum : Pauli D. locus de Bajoariis expensus. (48) Neque Duces Langobardi, stante Interregno, Provinciam occuparunt : Quinam Flavii Reges Galliam Narbonensem possederint : Acta S. Ægidii vindicata : *Zellia* Regiuncula ubi, & cur absit à tabula nostra. (49) Patrimonium S. Petri à Langobardis restitutum, ubi locatum : Cujus esset naturæ : Patrimonia Ecclesiæ ubiq; gentium ab ævo Constantini Magni. Quid Curtes : (50) Patrimonium Imperatorũ res privata : In quo consisteret : quomodo auctum, & Ecclesiæ donatum : Cottianum à quo ereptum : Verè restitutum, non donatum ab Ariperto : Sed à Constantino M. (51) Octo monita pro coronide. I. De Septimania, Gothia, Saboja, & Rhausio in tabula scriptis. II. De Sardinia, & Corsica vacuis. III. De nominibus locorum deperditis. IV. De clararum Urbium mentione. V. De Monasteriis medio ævo constructis. VI. De Villis Regiis, & Palatiis. VII. De charactere locis apposito. VIII. De præmonitis aliàs recolendis.

CHOROGRAPHIA.

SECTIO XIII.

(52) *Italiæ* nomen, & fines : Ii quando, & quare ad Alpes protracti. Cur medio ævo à Græcis, & Barbaris non immutati : Quæ Provinciæ ab Exarcho, & Langobardis in ea designatæ : omnes XXII. majores inter, & minores. (53) Limes inter Neustriam, & Austriam consulte statutus : *Neustria* quando Langobardia vocata remissive : Cur *major* dicta. (54) *Liguriæ* prænotio : amplitudo, contractio : fines præsertim ab occasu : Cur Nicæa Provinciæ attributa. (55) Agrorum Liguriæ ænea tabula, quando efformata : locorum oræ Ligusticæ indiculus : *Caira* in ejus limite ad boream, an spectet ad Liguriam. (56) *Fraxineti Saracenorum* notitia : Ejus situs obscurissimus definitur : aliorum sententiæ variæ expenduntur. (57) *Ducatus Taurinensis*, & Marchæ *Secusii* quinam fines, ab occasu præsertim : Monasterium Novalicii in cujus ditione conditum : sub quo Principe, & à quo dotatum. (58) Ducatus ejusdem loca recensentur : *Clusæ* quid, ubi. (59) Plinii locus de Gabienis corruptus : Augusta Vagiennorum quæ medio ævo. Plures Viri docti in locis Padanis hallucinati. (60) *Eporediensis* Ducatus res, alibi dispersè jam scriptæ, summatim hic repetuntur : fines & loca indicantur. (61) An Marchæ Eporediensis fines usque ad Lacum Verbanum protensi, juxta Chronicam quandam Aronensem : Chronicæ ejusdem examen. (62) Ottoniana item tabula expensa : Scripp. de Rebus Aronensibus conciliati : Epitaphii tempus ex stylo indicatur.

SECTIO XIV.

(63) *Neustriæ*, post Langobardiæ, Cispadanæ à Tanaro ad Trebiam Urbes, & loca obscura *Rigomagus* : *Roveretum* : *Camodium* : *Urbs silva* : Arx *Genesina* declarantur : *Custodia*, & *Lellia* emendantur. (64) Viæ Æmiliæ Langobardicæ, post Claudiæ, Urbes & loca : *Velia* : *Vivania* : Mons *Bardonis* : *Chrysopolis* : *Regium* an esset : Recens *Mutina* an ubi vetus. (65) Viæ Æmiliæ loca lateralia, à læva *Brixellum* : *Guardistallum* : *Luzzaria* : Vicus *Aricoli* : *Ansa Regina* : *Nonantula* : Cluverius in aliis locis observatus : *Neveola* : *Spinum Lamberti* : *Saxoliciaum* : Flumina Neustriæ Cispadanæ. (66) Neustriæ Transpadanæ Urbes, & loca inter Duriam majorem, sive Balteam, & Ticinum recensentur : minus obvia *Plombia* : *Gaumellum* : *Oxilla* : *Omula* : *Bremetum* : (ad *Medias* obiter) declarantur. (67) Inter Ticinum, & Adduam Urbes, & loca obscuriora : *Quadrata* : *Desiderianum* : *Calventianum*, ubi Boethius occisus. *Mediolanum* unde : Cur non Regia Langobardorum : *Scozula* : *Angleria* quid supremo, medio, & infimo ævo. (68) Ad Lacus Verbanum, & Larium *Bontia* : *Cariada* : *Neonfortis* : *Incinum* non Licini forum : Urbs *Cancrina* quæ & à quo dicta : *Christopolis* : *Campus Coronatæ* : *Pliniana* : Stagnum *Corejum* : *Magesale* : *Bellenica* : *Vulturina* ubi. (69) Inter Adduam & Ollium *Mesaucum* : Insula *Fulcheria* : *Briniates* Livii ubi : *Parasium* cur, & quando deletum : *Acerculæ* : *Tollegata* : *Leuceris*, &c. Transpadanæ flumina.

SECTIO XV.

(70) *Austriæ*, sive *Venetiæ* divisio Romana : primi populi unde profecti : Communis error nova opinione reprehenditur : Illius divisio, Regionesque sub Langobardis, & fines. (71) Ducatus *Tridentini* fines speciales : obscuriorum locorum nomina adhuc corrupta apud Paulum Diaconum indicantur : *Verrucæ* situs inquiritur. (72) Ducatus *Forojuliensis* fines, ab occasu præsertim per flumina definiuntur : An iidem ac veterum Carnorum : Quando producti : *Julium Carnicum* aliud à Foro Julii. (73) Cætera illius loca à Paulo prodita quæ, & ubi : Vetus *Noreja* an recens Goritia : *Norica*, & *Noreja* non idem : neque Noreja Julium Carnicum. (74) *Histriæ* vetus nomen : Commenta rejecta : Fines, Urbes, & Castra. (75) *Justinopolis* à quo Justino appellata : Ejus inscriptionis examen : quis auctor : Quo jure Theodorico obventa Italia. (76) De reliquis Austriæ, sive Venetiæ Urbibus mediterraneis : Quid *Lagare* : *Verona* dicta Berna, & Verna : *Mantuæ*, fabulis rejectis, etymon : *Liniacum* non Leonicum : *Prosilia* : Lapis Bassani : *Susonia* quæ. (77) *Marianum* legendum, non Maranum : *Celina* : Portus *Naonis*, aliaque loca explicata. (78) Periplus *Venetiæ* : Hujus Regiæ Metropolis origo citra fabulas : *Metamaucum* meta Francorum : Illius conditio : Urbes eversæ, & Coloniæ ex illis deductæ : Flumina.

SECTIO XVI.

(79) Ab Exarchi nomine appellativo *Exarchatus* dictus : Præfecti Italiæ prius Patricii tantùm : Præfecti Prætorio Italiæ medio ævo servati : Exacta Exarchorum chronotaxis desideratur. (80) Exarchatus ortus, & interitus : Exarchorum numerus suppletus : Hos inter *Opilio* recte ne à Viro doctiss. locatus? non omnes Exarchi Patricii, nec è contra : *Gregorius* Agnelli alter à *Gregorio Pauli* Diaconi. (81) Exarchatus latè, & strictè sumptus : fines præsertim ab occasu, & ab ortu statuti : De *Romaniæ* nomine illi facto opiniones oppositæ. (82) Illius Urbes : Quid *Exarchus* in lapide Mediolani illustrato : *Bobium* in Exarchatu : *Ferrariæ* origo, & mutationes : non Forum Alieni : Errores circa *Gabellum*. (83) Loca obscura ad dexteram Æmiliæ in Exarchatu explicata : Eadem ad sinistram : *Oecubaria*, *Vicobabentia*, *Argenta*, *Adrianopolis* &c.

SECTIO XVII.

(84) *Pentapolis* etymon : fines : cur sic dicta, etsi Urbes supra quinque : duplex *maritima*, & *mediterranea* : Urbes non rectè assignatæ : Quæ verè. (85) Utraque Pentapolis, Urbes plus plusque X. complectens, recte ne dicta *Decapolis*? *Annonaria Pentapolensis* Anonymi Rav. quæ : Quando, & à quo Marchæ Anconæ nomen ei factum (quod obscurum) inquiritur. (86) Ecclesiæ juribus à sæculo XI. læsis, huic Marchæ Teutoni solùm Marchiones sæculo XII. & ultra, præfecti, & quinam : *Marcham Anconæ* Firmanam prius dictam fuisse, nondum probatur. (87) Maritimæ Pentapolis Urbes, an hujus caput *Ariminum*; Liutprando fatale : *Concha* : *Catholica* cur, & quando sic dicta : Reliquæ : *Sextia* : Flumina, quæ in Adriaticum evolvuntur. (88) *Titanus* mons : *Acerragio* pro S. Marino : Codices omnes Anastasii multifariam corrupti emendantur, Scriptoribus notatis. (89) *M. Feretri*. *M. Licari* : *Macerata M.* Feretri ex Pitino : *Massa Trabaria* : Ubi *Aleria* conficta, ibi Verona corruptè : *Luceoli*, & reliqua Loca.

SECTIO XVIII.

(90) *Tuscia* fabularum mater culpa Impostorum vocata : Eædem exteris olim, & nunc acceptæ : Viriliter impugnantur : nec ipsis carent Exprobratores. (91) Tusciæ nomina antiquiora : Umbrorum divisio : prima sedes : origo : etymon : ampliatio : Tusciæ pars occupata à Pelasgis : ubi *Regia Malæoti*. (92) Tusci non ex Tyro, sive Phœnice : Unde : non Autochthones : Dionysius singillatim expensus : Cur dicti Pelasgi : Eorum Lingua immutata : Lydi ostenduntur. (93) Tuscorum in Italiam adventus qua ætate ante Trojam captam evenit : Harum anni definiuntur : Oxoniense Marmor collatum cum Attica historia : (94) Regni Tuscorum initium, progressus, diuturnitas, amplitudo, declinatio, & interitus. (95) Tuscorum Urbes XII. aliæ Originariæ, aliæ Principes, aliquæ incertæ : An plures Tusciæ veteribus : Et si plures, earum regimen quale? (96) Appendix, in qua Recentioris cujusdam opiniones novæ circa proximè prædicta expenduntur.

SE-

Digitized by Google

SECTIO XIX.

(97) *Tuſcia* medio ævo ab Alboino occupata : Cur is, & cæteri Reges Romanos exoſi : Ea triplex *Regalis*, *Ducalis*, & *Romana* : Duces Urbani ſæpe Provinciales putati. (98) *Tuſcia Langobardorum* Ducalis, non Regalis : In hac Major-Domus Langobardicus: ſerò Regalis in Marchæ formam redacta : Primus Marchio quis : Marca Tuſcana corruptè ſcripta : Tucbaldi Tuſciæ Ducis fabula exploſa : Angelberga Auguſta vindicata. (99) Tuſciæ Regalis Urbes quæ : Fines : An *Luna* à Normannis everſa : Quandiu permanſit : *Sarzana* non ex illius ruinis primò excitata. (100) Locorum continuatio, & deſcriptio : *Florentia* medio ævo non exciſa, non reſarta: *Feſulæ* quando everſæ : *Radacomalum* ubi : *S. Geminianus*: *Sena*, & Senæ, medio ævo non libera. *Cluſium* duplex. (101) *Tuſciæ Ducalis* Urbes : Fines : illarum deſcriptio : *Vetulonia* : *Maſſa* : *Orbetelli* origo : Inſulæ Tuſciæ, *Helba*, *Mons Chriſti &c.* medio ævo. (102) Tuſciæ ejuſdem mediterranea : *Caſtellum Felicitatis* ubi, & quomodo in Tuſcia : *Tuſci* Villa Plinii ubi, & qualis. (103) Reliqua Tuſciæ Mediterranea : *Manliana* triplex : Error in occurſu Caroli M. Iterum *Cluſium* duplex : *Longula* Tuſca : *Viterbium* à fabulis expurgatum : *Balneum Regis* quodnam : Tuſciæ flumina. (104) *Ducatus Peruſiæ* cur ſepoſitus : ejus facies ævo medio : Quando juris Langobardorum, & Græcorum : Fines : Cur ejus Lacus *Clitorius* dictus à Paulo: Ejus Dux aliquando ne Provincialis ?

SECTIO XX.

(105) *Romani Ducatus*, & Urbis effigies ſub Exarcho Longino : An Præfectus Urbi abrogatus : An tunc Conſulatus: Senatus nomine tenus : quando reſtitutus. (106) Pars Ducatus in Tuſcia : Hujus fines, & Urbes : De *Centumcellis* error exploſus : *Leopolis* ubi : Hac deſerta Civitatis veteris nomen illis factum : Priſci *Tarquinii* obſervari. (107) Reliquæ Urbes Tuſciæ Romanæ Tiberi adjacentes : *Horta* : *Caſtellum Galleſii* : An *Falari*, & Faliſci diverſi : Civitas *Colorum*, & Civitas *Sertiniana* quæruntur. (108) *Vaticanum*, ſive pars Urbis in Tuſcia : Ibi Urbs *Leonina* : Pars *Ducatus Romani* trans Tiberim in Campania, hujus fines. (109) *Campaniæ Romanæ* Urbes, & loca : *Oſtia Gregoriopolis* dicta : *Horrea* quæ & ubi : *Patricum* Ludovicianæ ibi : *Albana Rura* medio ævo quæ : Charta Bobienſis, in qua feudi mentio, expenſa : Subauguſta olim ubi. (110) Ducatus ejuſdem pars in Sabinia : Hujus fines : *Fidena* an gemina : Exigua pars Umbriæ eidem Ducatui attributa : hujus fines : Flumina Ducatus Romani trans Tiberim.

SECTIO XXI.

(111) *Spoletani Ducatus* inſtitutio (non ſatis comperta Viris doctis) decernitur : Ejuſdem hiſtoria per ſuos Duces ævi Langobardici expoſita : Index Farfenſis, & Viri docti, ſuppletus, & correctus. (112) Ejuſdem hiſtoriæ ſub Francis continuatio : Sico Dux Beneventi Civis Spoleti, non Dux : Vidonis diploma ſpurium etſi Viris doctis probatum. (113) Eorumdem Ducum ſæculi X. ſeries hiſtorica : An hos inter Berengarius II. enumerandus : Is Spoletanorum vindex, & cur. (114) An Pandulphus Caputferreus Beneventi Princeps fuerit, & Spoleti Dux : In S. Petri Damiani, & Ottonis III. Epiſtolas animadverſiones. (115) Dubia ex eiſdem Epiſtolis emergentia : Quo jure Duces Lotharingiæ dicti Duces Spoleti : Item quo jure & Comitiſſa Mathildis. (116) Ejuſdem Aſcendentium jura : Quando ipſius ditiones diſtrahi cœperunt : Marchiones Teutoni Spoleto præpoſiti : Quis jura Eccleſiæ reſtituit. (117) Ducum Spoleti ditiones quam amplæ : dividuntur : *Sabiniæ Spoletanæ* extenſio, & fines : Hos intra Valeriæ Provincia. (118) Ditionis ejuſdem Urbes, & loca : Ibi *Farfa* : *Mons Aliperti* : *Marſica* dicta Valeria : *Caſauria &c.* *Valva* an Urbs, vel Regio : An vetus Corſinium. (119) Ducatus Spoleti proprie dicti in *Umbria* fines : Urbes, & loca : De *Tadino* plura : An *Nuceria*, & *Camellianum* idem : Lexicographi obſervati : *Foſſati* origo. (120) Ducatus Spoletanus in *Piceno* : An Camerini, vel Firmi obſeſſa Agiltrudis ab Arnulfo : *Provincia Caſtellorum* Anonymi Ravennatis quæ : V. docti opinio rejecta. (121) *Marcha Firmana* ante Ottones inſtituta : An ſæculo IX. à Ludovico II. Chronographus Farfenſis notatus: Suppo I. Marchio quis. (122) Ejuſdem Marchæ Urbes & loca : *Camerini Marcha* nomine tenus diſtincta à *Firmana* : Reliquæ Urbes : *Aprutii* Civitatis origo : Veſtinorum Urbes aliquæ : Piceni Spoletani flumina.

SECTIO XXII.

(123) *Ducatus Beneventani* argumentum quam amplum, & cur : ejus conſpectus : Inſtitutio remiſſive : Extenſio : Diviſio : Deque finibus monita. (124) *Gaſtaldatus Capuæ* cur ſic vocatus : & cur univerſim in Italia Tranſtiberina Gaſtaldi : Quis Comitis nomen reſumpſit : Ambitus ejuſdem, & fines. (125) Urbes minus obviæ : *Garilianum* : *Eulogimenopolis* quando, & cur conditæ : *Eraclea* : *Calenum*, & Calvum an idem. (126) *Berealis*, *Sicopolis*, & novæ *Capuæ* hiſtoria, & chronologia expenſæ, & reformatæ : *Triſiſcus* M. : Porphyrogenitus obſervatus : Reliquæ Urbes. (127) *Gaſtaldatus Alczeci* Bulgari hiſtoria, tempus, fines, & Urbes cognitæ, & quæ conjecturales, ibique Urbs *Samnium*. (128) *Gaſtaldatus Teatenſis* fines ſedulò expenſi : protenſi à Normannis : Ex Gaſtaldatu Marcha ſub Francis : Beneventanis adempta, & Spoletanis tributa : Cur, quando, & an tunc ampliata ? (129) Ejus Urbes : *Teate*, cujus ager quam amplus : *Anxanum* duplex ignotum Viro docto, non Anxa : Civitas *Tazze* perquiritur : *Draconariæ* ſitus varius : *C. de M. Metulo* : *Barregium* : *Decula* ubi : *Arenula* Viris doctis ignota : *Civitas* medio ævo quæ : Flumina hujus tractus. (130) *Principatus Salerni* cur, quando, & à quo inſtitutus : quare difficile ejus fines decernere. (131) Ejus Urbes juxta Capitulare Radelchiſi : minus notæ *Latinianum*: *Lucania*: *Rota*: *Metelliana*. *Salernum* quomodo opus Langobardorum: *Cimiterium*: *Furculum* quid? (132) *Ducatus Beneventanus* ſeorſim ſumptus ubi diffuſus : Cur à Carolo M. præteritus : Vectigalis tamen: Ejus Urbes in veteri Samnio, & Campania : Beneventi conditio : *Averſa* opus Normannorum : *Æculanum*, Eclanum, & medio ævo *Quintodecimum* idem : Flumina. (133) Idem in veteri Lucania : hujus fines : Quando, & à quo *Baſilicatæ* nomen ei factum ex hiſtoria X. ſæculi. (134) Ibi Beneventanorum Urbes: *Coſilinum* Caſſiodori ubi : Isleus cum priſcis Geographis obſervatus : *Velia* quæ ? *Opinum*.

SECTIO XXIII.

(135) *Apuliæ* nomen barbarum, ſed perenne : Urbes conditæ dictæ, quæ ſolum refectæ : Apulia pro Italia trans Tiberim : Abeſt à tabula Peregrinii : Medio tamen ævo ſcribenda. (136) Apuliæ occiduæ fines : Cur, quando, & an rectè *Catapanata* dicta : Viri docti obſervati, Leo Oſtienſis defenſus. (137) Illius Urbes : *Ecana*, quæ Troja : *Ulurium* ignotum quid : *Teanum* Apulum medio ævo *Civitas* : *Melphia* an opus Normannorum. (138) Apulia Orientalis medio ævo producta : Græcis *Langobardia minor* dicta : Id nomen ad ditionem Beneventanam extenſum, & ultra uſque Romam : A quo primo ſcriptum : Græcis nomina mutare ſolemne. (139) Apuliæ hujus Urbes Langobardicæ, & Græcæ ditionis quomodo ſecernendæ : Quænam inter Apenninum, & Adriaticum Brunduſium uſque : Item inter Bradanum amnem, & Apenninum : Tabulæ obſervatæ. (140) Peninſulæ extremæ Italiæ vetera nomina : quodnam illi ævo medio ſervatum : Iſthmus Langobardos à Græcis ibi ſejungens : ejus Urbes inter Apenninum, & Adriaticum : *Fratuertii* ſitus ignotus : Reliquæ trans Apenninum : *Soletum* ubi, gratis in Isleana geminatum: *Callipolis* : Lectio Plinii quomodo corrigenda : reliquæ.

SECTIO XXIV.

(141) Inferi maris oræ cur facilè ſervatæ à Græcis: Ibi ipſorum ditio quadripartita : *Ducatus Neapolitani* in Liburia fines : Id nomen quando primò auditum : Cur Regionis unius, & Urbis nomen ad alias translatum. (142) *Decennovius* putatus amnis unde dictus : Græcorum Urbes inter ipſum & Lirim : Item in Liburia : *Neapolis* medio ævo conditio : *Bajæ* quid : Reliquæ: Inſulæ adjacentes : *Acropolis*.

SECTIO XXV.

(143) Nova *Calabria* an dicta ævo Juſtiniani : Scriptorum abuſus obſervatus : Quomodo translatum illius nomen, ſub quo Imperatore, & circa quem annum, Viris doctis ignotum, primò nunc aperitur : Cur id factum : Calabria dicta etiam ora Campaniæ. (144) Calabria univerſa nunquam fuit Langobardorum, aliter Viro docto ſentiente : medio ævo diviſa in *Superiorem*, hoc eſt Citeriorem, & in *Inferiorem*, ſive Ulteriorem : Ubi per Iſthmum conjuncta Lucaniæ: Linea utranque ſejungens. (145) *Calabriæ ſuperioris* Urbes, & flumina: ſitus controverſi *Blanda* : *Interamnium* : *Sybaris*, & Thurium idem : *Regina* non Regium : *Paternum* : *Strongulum*. (146) *Calabriæ inferioris* Græcorum Urbes ad ortum, & flumina : *S. Severina* medii ævi Scriptoribus, non ſoli vulgo imperito, ut ait V. doctus : *Taberna* nova Triſchene : *Cocina* an Cocinthum : *Stilum* quid : *Fanum S. Cyriacæ* ubi, & quid. (147) Ejuſdem Græcorum Urbes, & flumina ad occaſum : *Amantea* : *Æſis* amnis quid: *Bibona*: *Tropeja* an ad Trophæa, non Medama : *Columna Autbaris* fabuloſa, quid verè: *Regium*: (148) Proteſtatio Auctoris.

Digitized by Google

DE TABULA CHOROGRAPHICA MEDII ÆVI PROLEGOMENA.

SECTIO PRIMA.

(1) Chorographia Italiæ medii ævi adhuc intacta; (2) Finium regundorum naturalium, & Civilium binæ regulæ ex Geodæsia petitæ: Fines utriusque Imperii quinam sæculo IV.

(1) PArum hucusq; actum fuisset, si Italicorum Scriptorum in primis duobus tomis, cæterisque eorum partibus medii ævi tradita Historia, congrua eidem tempori Chorographia deficeret: sine qua cæcam mutilamque illam esse, Eruditi omnes agnoscunt. Igitur data *Collectionis hujus tomo* 1. (C. H. t. ita posthac notabitur) Italiæ Tabula I. Romani Imperii sub aspectu, expediebat, ut tunc tibi promissum fuit, illius Tabulam II. adjicere: altera tamen sub forma omnino diversa. Quomodo, nedum inclinante, verùm abscisso quoque majori ex parte Græco-romano Imperio in Italia (sicut in universo penè Occidente, ejus super rudera tot Regnis elatis) & quam fœdè fuerit infelix illa deformata, ac eversa: quot, & crebras pertulerit mutationes, de quibus satis in Præfatione dicto tomo 1. monitus es, ut præfata jam necesse non sit adhuc adducere, optime calles. Non oppidò difficile fuisse fatemur, Tabulam I. describere, priscis, & novis Geographis, qui veterem Geographiam illustrant, abundè adjuvantibus. Facile erit quoque, speramus, III. exhibere sub aspectu sæculi XV. ad quod usque Collectio hæc Scriptorum rerum Italicarum pervenire debet, nec ultra, ubi tamen non paucos communes errores removere curabimus. At juxta commune effatum: *in medio stat virtus*, hoc est, hac in media Tabula illud arduum, quod in sublimi gradu conatus omnes expostulat. Monebis Lector & nos ex Cicerone *epist. 6. lib. 4. Att.* σπαρταν ἔλαχες ταυταν κόσμει (*spartam sortitus es, hanc orna*) sed duo Servi in Plautino *Pœnulo act. 4. v. 54.* præsto sunt, ut respondeant: Milphio: *adde opem si cupis*: & v. 55. Syaceratus: *sine pennis volare haud facile est*: *meæ alæ pennas non habent*. Verumtamen quis nobis pennas suppeditabit? Nullum temporis vere medii, hoc est, Langobardico-francici, imò nec infimi, Geographum nacti. neque Paulum Diaconum, ut infra, quorsum tendemus unquam? Nihilominus quod expedit, quod promisimus, recte, aut perperam re ipsa præstare est necesse. Quoniam autem nos primi (si pauca excerpta ex *Regno Italiæ* Sigonii, ejusque in indice Bononiensi congesta, excipiamus, ut num. 11. dicemus) arduum opus attentare, tabulæ præsertim, non veremur: ne quis credat temere id factum, operæ pretium erit tria præmittere (veluti prolegomena, XII. in Sectiones divisa à numero sequenti marginali ad 50. Tædio capti num. 51. adire poterunt) unum, demonstrando, neminem Geographiam medii ævi, etsi tunc scribentem scripsisse, vel promissam præstasse: alterum documenta nonnulla, quibus in subsidium historiæ uti cogimur, ad trutinam expendendo: & tertium, ne diu in Chorographia exponenda in ambiguis versemur, quæ obscuriora videntur, nec, juxta phrasim Petronianam, *communis saporis*, explanando. Quibus peractis, ad Tabulæ nostræ explicationem faciliori negotio accedemus: addita in calce, si expediet, Provinciarum Oeconomia, sive epitome cum locis obscurioribus cuique attributis, ac numeris illa indicantibus: fundamenta jaciamus.

(2) Primi lapidis loco sint binæ Regulæ finium regundorum in Provinciis, ex Geodæsia petitæ: juxta quarum præscripta fines, limitesque Regionum (de quibus quam proximè, & frequentissimè occurret sermo) sicut agrorum, solet ratio statuere. Respicit una fines naturales Regionum, ex iis deducta, quæ Siculus Flaccus *de Agror. dimens. & constit. limit. p. 29.* præscribit hoc pacto: „ Territoria inter Civitates, „ idest, inter Municipia, & Colonias, & Præfecturas „ alia *fluminibus*, alia summis *montium jugis*, ac di„ vertigiis aquarum, ac etiam *lapidibus positis* præsi„ gnantibus, qui a privatorum terminorum forma dif„ ferunt. Alia etiam inter binas Colonias limitibus „ perpetuis diriguntur: de quibus, idest, territoriis, „ si quando quæstio movetur, respiciuntur leges civi„ les datæ, idest, Coloniis, Municipiisque, & Præ„ fecturis (ut in utroque *Cod. finium regundor.*) Nam „ invenimus sæpe in publicis instrumentis significanter „ descripta territoria: *vocabulis enim aliquorum loco*„ *rum comprehensis incipiunt ambire territoria*. „ Ita & natura, & Geodæsia ducibus Geographi, & Historici Provincias (ut quæ in illis gesta sunt clarius innotescant) primò describentes, eadem prorsus fluminum, montiumque *naturali* regula: lapidum, & locorum *civili* non secùs utuntur. Siquidem, ut ex innumeris aliqua exempla afferamus de majoribus æquè ac minoribus partibus terrarum Orbis præstò est quo *ad flumina* Dionysius Periegeta, vulgo Afer, v. 21. versionis Prisc.

Europen Asiæ Tanais disjungit ab oris

ita & Arrianus *Peripli p.* 11. & alii. Cæsar scribere aggrediens suum *bellum Gallicum*, exorditur: *Gallos ab Aquitanis Garumna flumen: à Belgis Matrona, & Sequana dividit*. Simile in *Germaniæ* suæ ingressu est Taciti initium: *Germania omnis à Galliis, Rhætiisque, & Pannoniis, Rheno, & Danubio fluminibus ..... separatur*. Diffidium inter Egestanos, & Selinuntios in Sicilia describens Diodorus Sicul. *l.* 12. prope fin. præmittit: *Fluvio Amphisbete limo Urbis utriusque contendentis agrum, finesve discernente* &c. satis. Alibi montes limitanei noscuntur, ut apud Philostorgium *Hist. Eccles. l.* 3. *c.* 24. *Juliæ Alpes Gallias, & Italiam dividunt*: & dum subdit: *Succiæ verò inter Daciam, & Thraciam sunt*, sic ab Ammiano Marcell. *l.* 21. *c.* 10. descriptæ: *consertæ celsorum montium summitates Æmi, & Rhodopes ..... in angustias tumidosis collibus desinentes, Illyrios interscindunt, & Thracas*, notat Jac. Gothofredus ad Philostorgium *l. l.* quod „ Succiæ Alpes hæ, & angustiæ tribus „ his terminis Illyrici, Daciæ, & Thraciæ conclude„ bantur: hicque etiam *Imperii Orientalis, & Occiden*„ *talis* hoc tempore (sæculo IV.) *terminus erat*: Orien„ talis, inquit, quod Constantio in Imperii divisione „ cum fratribus cesserat. Occidentalis, sive Arctoarum „ Provinciarum, quæ uni Constanti, cæso fratre Con„ stantino, parebant „. En quam opportuni etiam pro divisione Imperiorum naturæ limites! *Aquitanos, & Celtas ..... Pyrenæ monti adjacentes Cemmenus mons disterminat* juxta Strabonem 4. 354. *Montes siquidem Pyrenæi hanc Galliæ partem ab occasu terminare dicuntur*. De marmoribus, quæ ex Italia effodiuntur Plinius l. 36. in procemio loquens: *evehimus ea*, inquit, *quæ separandis gentibus pro terminis constituta erant*: & Tacitus *l. l.* prosequitur: *à Sarmatis, Dacisque mutuo metu, aut montibus separatur* (Germania). Altera Regula ad fines civiles spectare videtur, quæ est *lapidibus positis*, ut innuit Flaccus: itaut quemadmodum pro limitibus agrorum ponuntur lapides, ita pro Regionum fossæ, Castra, Arces, concædes, stipites, muri, ex observatione Casauboni in Spartiani *Adrianum c.* 12. *n.* 6. Prodit enim Historicus, *quod frequenter in plurimis locis, in quibus Barbari non fluminibus, sed limitibus dividuntur, stipitibus magnis in modum sepis funditus jactis, atque connexis, Barbaros separavit*. Et hic plura ad rem laudatus Commentator suppeditat. At quoniam hujus generis limites, oppidò mutabiles, decursu temporum variantur, necnon interdum flumina, ac montes pro agrorum finibus desunt, certior videtur regula postremis verbis tradita à Flacco *locorum*: ut quemadmodum ex locis in territorio comprehensis, ambitus territorii cognoscitur: ita ex Urbibus, & Oppidis in Regione contentis, & per Historicos enunciatis, limites innotescant: observato nimirum quænam illorum inter se magis dissita. Recenti exemplo in domo nostra, quod antiquitus fuerit, potest significari. Ex X. Urbibus Regioni huic Insubrum (vulgo Ducatui Mediolanensi) attributis, ante notam sectionem, Alexandria, & Cremona sunt remotiores. Hæ igitur ab occasu ad ortum, ejus fines, illarum tamen territoriis comprehensis. Nam sinè territorio distantia solùm est 75. m. pass. At cum territorium Alexandrinum per 18. m. pass. in occasum protendatur usque ad Oppidum Annoni, & Cremonense per 24. in ortum usque ad Casale majus, fit longitudinem Regionis esse 117. m. passuum. Cumque territoria non semper fluminibus possint definiri, vel montibus, ubi desunt: deficientibus adhuc publicis instrumentis, in quibus territoria describuntur, ut inquit Flaccus, satis erit, si Geographus, veterem ta-

Digitized by Google

tabulam delineaturus, observata locorum distantia, illisque congruo territorio assignato, Regionis limites ex conjectura constituat. Certum enim est, Regionem suas Urbes, Urbesque territoria tenere; Nam termini Urbis non intelliguntur mœnia, sed agri territorii suburbani, quod *l. Pupillus de V. S.* definitur *universitas agrorum intra fines cujuscumque Civitatis*. Attamen in congruenti distantia, montem, flumen, vel divertigium aquarum inveniens, omnino, si aliud certè non obstat, naturales hos limites observare tenetur. His neglectis, unde scire quis potest, cis flumen fuisse contractius, vel ultra territorium alicujus Urbis protractius mille retro ab hinc annis? Liquet ergo, Geographiam, & Historiam præcepta mutuari debere à Geodæsia, cujus sæpe *ignari Historiographi* (inquit Vossius *de scient. Mathem. c. 27. §. 6.*) *falluntur in magnitudine Regionum, Insularum &c. describendo*. Nemo nos ideo jure perstringet, si quandoque in finibus decernendis, auctore destituti, traditis Geodæsiæ regulis innitemur, monentes tandem, „ quod ita subtiliter designari, atque attingi vix possunt Regionum limites, quin aliquando in proximas excurrere necesse sit, „ ut in præfatione sua præmonet etiam Placidus Porcheronus ad suum Anonymum Ravennatem, de quo mox. Sed id parum. Observamus, plerumque Geographos, & in delineandis tabulis, & in descriptionibus suis quidem fines distinguere, supponere, at non probare, ac si essent mathematicæ theses, ut ideo plures errare agnoscamus. Nos tanquam propositiones nondum actu demonstratas demonstrare curabimus. Geographos medii ævi expendamus.

SECTIO II.

(3) *Anonymi Ravennatis* nomen, & ætas detegitur: Hæc non rectè demonstrata ex *QQ. Pseudo-athanasii*, quas laudat: An Johannes Antiochenus harum auctor: Latini omnes à Græcis Franci vocati. (4) Codex Porcheronianus non germanus, nec integer, sed mutilus, & corruptus, & in epitomen ab imperito redactus. (5) De eodem Viri docti judicium, hic nunc adauctum: & quis ille. (6) Ob Chorographos inconsultos, vicosque pro Urbibus captos adhuc infelix Anonymi Italia, infeliciterque notata: Urbs veteribus quæ.

(3) EXistimavit Placidus Porcheronus sui Anonymi Ravennatis *Geographiam* sæculo VII. scriptam proferre; quod & nimis facilè credidit oculatissimus Pagius sub A. 534. n. 4. Cellarius *Notit. Orb. antiqui* sparsim, omnesque alii, ex quo prodiit in lucem. At ille primo in limine lapsus, certissimè nomen, & fortè adhuc tempus nescivit Geographi. Enimverò is Anonymus, *Guido Presbyter Ravennas* est Fl. Blondo *Ital. ill.* in principio, Gabrieli Barrio *de Antiquit. Calabriæ l. 2.* post initium, & Antonio Galateo emunctæ naris Viro, qui floruit 1480. & cui Hermolaus Barbarus dicat suam Paraphrasim Themistianam octo librorum φυσικῆς ἀκροάσεως. Is ergo in Libello *de situ Japygiæ*, & in Epistola *Loysio Palatino* in calce, *Guidonem* hunc *Anonymum* vocat, ac sæpè castigat, ut infra. Eundem Guidonem scripsisse Historiam Pontificum, & belli Gothici, produnt Volaterranus *Comment. l. 22.* ineunte: Bucelinus *Nuclei hist. t. 2. p. 448.* sub A. 880. Vossius *de HH. ll. 2. 38.* & alii proximè laudandi. Non ergo *Anonymus*, sed *Guido* ei nomen. Post etiam sæculum VII. & VIII. vixisse est perspicuum, cum *pag. 14. n. 6.* prolixum recitet locum de situ Paradisi Terrestris, desumptum *ex Quæstionibus* sub nomine *Athanasii ad Antiochum Principem*, quas S. Doctori abjudicant Viri eruditi Bellarminus *de Scripp. Eccles. in Athanasio*: Sixtus Senens. *Biblioth. l. 4.* Joh. Doujat *Prænot. Canon. lib. 2. c. 49. n. 4.* Du-pinius *Biblioth. Eccles. sæc. 4. in Athanas.* Casim. Oudin *de Scripp. Eccles.* & de scriptis Sancti Athanasii *c. 4. n. 17.* quidquid Turrianus, & Malvenda apud Doujat conclament: quibus accedunt Monachi editores operum S. Athanasii *tom. 3.* in Monito præmisso *ad QQ. §. 5. p. 251.* ubi tamen nihil de harum auctore. Hi QQ. has dividunt in IV. classes (expedit id præmittere, ut ætas Pseudo-athanasii innotescat): I. à pag. 268. continet QQ. 137. de rebus in Scriptura controversis: II. à pag. 306. QQ. 36. in Evangelia: III. à pag. 311. QQ. 130. hoc est dicta, & interpretationes parabolarum Evangelii: IV. à pag. 335. QQ. 20. *Cæterum nemo erit* (inquiunt Monachi in Monito pag. 335.) *qui Athanasium tantarum nugarum patrem esse suspicetur*. Blandior Du-pinius *l. l.* eas dicit jucundiores, quam utiles, ac ab Athanasii stylo remotas. Sed Athanasii non esse omnes consentiunt, dum in illis expressè laudantur Pseudo-dionysius, Cyrillus Alexandrinus, Gregorius Nyssenus, Epiphanius, Isidorus Pelusiota, Chrysostomus, Maximus, Climacus, & speciatim observandus *S. Nicephorus*, non Callistus, & si qui alii, omnes S. Athanasio juniores, imo & ipse verus Athanasius, à quo Pseudo-athanasius dissentit. Et quis Auctor? Certissimè Græcus quidam: etenim collectiones persimiles texere, Patribusque imponere, fuit recentibus Græcis solemne. Non sibi constans Oudin *d. c. 4. n. 17. tom. 1.* hæc scribit: *accedunt istæ* (QQ.) *maximè methodo Anastasii Sinaitæ, & Antiochensis Archiepiscopi, quem IV. hujus nominis diximus, sub sæculi XI. initium celebrem*. Notat Lambecium *Biblioth. Cæs. l. 3. p. 97.* has QQ. alteri Athanasio juniori sæculi VIII. adscribentem. Sed ipse notandus, dum ille Athanasius sub Justiniano, & Justino jun. sedit inter Patriarchas Antiochenos LIX. & Justiniano promulganti Incorruptibilium errorem obsistens, fuit in exilium ejectus. Equidem si Sinaita auctor esset QQ. Anonymus, uti posterior, illas allegare potuisset: sed obstat S. Nicephorus productus in QQ. qui Patriarcha Constantinopolitanus sedit ab A. 806. ad 15. & in exilio vita functus propter sacras Imagines A. 828. Hac ratione neque alter Athanasius probatur Auctor. Ex noviter fortè observatis, idem Oudin *tom. 2. col. 847.* deserto Sinaita, Johannem Patriarcham Antiochenum ab A. 1090. ad 1100. Auctorem QQ. appellat: & dum illas laudat Anonymus, deducit *tom. eod. col. 1136.* Anonymum scripsisse sæculo XII. circa A. 1130. Dupliciter assumptum probare conatur ex QQ. ipsis; etenim d. col. 847. loquens de QQ. III. Classis ita scribit: „ Si conjecturis agere licet, ob allatas supra rationes, ob similitudinem farraginis, & methodi „ spectant ad *Johannem Antiochenum*, qui A. 1096. floruit. Hoc confirmatur ex Q. 76. (III. Classis p. 323.) „ qua prodit se *posteriorem A. 1096. ac prima Francorum expeditione* in Palæstinam, seu Terram Sanctam, „ quos *crucifixisse Christum*, inquit, dubioprocul ob „ mala, quæ illic in Palæstina agebant. Cum enim „ Franci ex Occidentalibus Palæstinam occupantibus, „ essent numero, & impietate scelerum potiores, odio „ erant Patriarchæ Antiocheno, quem perpetuis torquebant exactionibus, & injuriis. Unde in his QQ. „ sub Athanasii nomine scriptis, illos, eorumque scelera sugillans, scribit, *Francos Christum crucifixisse*, „ qui solos tanti sceleris fuisse idoneos in toto Terrarum Orbe credidit. „ Sed diversimodè omnino hanc Q. 76. interpretatur Du-pinius *l. l.* 00. hoc discursu: „ l'Auteur de ces questions appelle les Occidentaux „ du nom de Francs: & dit, que les Romains sont „ une nation de Francs: ἔθνη τῶν Ρωμαίων ἤγουν τῶν φραγγῶν τὸ γένος (natio Romanorum, scilicet, Francorum genus) Ce qui fait voir, qu' elles ont estè composées par les nouveaux Grecs, de puis que l'Empire „ d'Occident avoit estè aux Francois: „ quando inquit Romani effecti sunt juris Francorum sæculo nempe IX. Quamquam id verosimilius, quo ad tempus Pseudo-Athanasii, utriusque tamen conjecturæ violentæ nimis videntur, clarissimè de Latino-romanis loquente textu hic adducto sub *Quæstione 76.* Classis III. p. 323. „ Quidnam est: *quare fremuerunt Gentes, & Populi meditati sunt inania?* Resp. *Gentes dicit Romanorum*, (*Francorum videlicet genus*) qui Christum „ crucifixerunt: *Populum* verò dicit caput Judæorum: „ *astiterunt Reges terræ*, & Pilatus, & Herodes; *Principes* verò Annas, & Caiphas. „ Quis non videt hanc quæstiunculam esse brevem paraphrasim Davidici Psalmi 2. exscriptam ex *Actib. Apostolor. 4. 27.* ibi sic Deum laudantium, & Christum confitentium: *Convenerunt enim verò in Civitate ista adversùs Sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti: Herodes, & Pontius Pilatus cum Gentibus* &c. & ita omnes PP. Psalmorum Paraphrastes. Jocatur itaque Oudin, perperamque conjicit, hæc scripta à Johanne Antiocheno, vel ab alio, de Francis, qui ab A. 1095. bellum sacrum inierunt in Palæstina, sed primò in Syria, capta Antiochia 3. Junii 1098. post obsidionem 10. mensium. Bellum hoc non fuit in Græcos, sed contra Turcas, Arabes, Saracenos, Persas, aliosque infideles enumeratos à Chronographo Malleacensi sub A. 1098. Turcæ verò jam ab A. 1084. Antiochiam Græcis ademerant, testibus Orderico Vitali *l. 13. c. 914.* & G. Tyrio *l. 5. c. 11.* asserentibus, jam Turcas per annos 14. antequam à Francis caperetur, obtinuisse. Quid mali unquam fecere Franci Antiochenis? Nihil, ut constat ex Epistola Stephani Carnotensis Comitis ad Adelam uxorem hoc anno scriptam, quæ cum aliis ejusdem argumenti exstat apud L. Dacherium *Spicileg. t. 4. p. 257.* Fusè admodum captæ Antiochiæ historiam prodit Mabillonius *Musei Ital. tom. 1. part. 2. à p. 159.* cui Belli Sacri Historia Anonymi Synchroni, & in eo militantis, inseritur. Fusiùs adhuc Bernardus Thesaurarius (C. H. t. 7.) à c. 27. col. 687. ubi totius obsidionis incipit Historia. *Cassianus in ea Urbe principatum, qui fuerat de familia Belsit Soldani Persarum*, ut ex c. 30. Ea capta, ex omnibus Scriptoribus Principatum Antiochiæ *omnes unanimiter Domino Boamundo concesserunt*, scribit Gulielmus Tyrius lib. 6. c. 28.

c. 23., & Johannes Patriarcha Vir egregius in sua dignitate remansit, sed intra biennium, videns, *quod non satis utiliter præesset Græcus Latinis, Urbe cedens, Constantinopolim abiit*. Unde hausit Oudin, Francos scelera, exactiones, & injurias intulisse Antiochenis, ut Francos *crucifixisse Christum* justè scribere, ac odio in illos concepto, ita enormiter sugillare potuerit ipse doceat; sicut & quis is *Princeps Antiochus*, cui QQ. inscripsit. Nos hunc Principem, longè ante hoc bellum sacrum, Antiochiæ, vel alibi imperasse, & Græcum fuisse, censemus. Si tot scelera patrassent Franci, tantoque odio apud Johannem illi fuissent, non ita ambiguè, & obscurè lamentatus esset Johannes. Eos laudare potius virum probum decebat, dum à Turcarum jugo Syriam, & Palæstinam Franci exsolvebant. Cæterùm & Oudin, & Du-pinius æquè scire poterant, solemne fuisse Græcis, præsertim medio ævo, veteres Latinos, sive Romanos, Francos appellare, cum Græci se tantùm Romanos, & Romanorum Imperatores, non Græcorum esse contenderent: ne amisso Imperio Occidentis, & nomen dimitterent: teste præ cæteris Liutprando Ticinensi in æquè lamentabili, ac lepida legatione ad Nicephorum (C. H. t. 2. p. 483.) ubi & ipse, unus *ex Francis* ad ridiculam Imperatoris mensam sedentibus, prodit hoc *nomine tum Latinos, quam Teutones comprehendi* (idem testante Urspergensi pag. 247.) & infra p. 486. refert convicia Græcorum in Nuncios Pontificis literas deferentes *ad Nicephorum Imperatorem Græcorum*, intusque pronunciantes Ottonem *Romanorum Imperatorem*. *Quæ vox, quæ inscriptio secundum Græcos peccatrix, & temeraria, quomodo Latorem non occiderit ..... Objurgabant Græci mare, imprecabantur æquori, plus justo mirantes, cur peccatum illud portare potuerit, cur fretum debiscens navem non absorbuerit. Imperatorem, inquiunt, universalem Romanorum Augustum, magnum, solum Nicephorum, scripsisse Græcorum. Hominem quemdam barbarum, pauperem Romanorum non piguit: o cœlum, o terra, o mare!* &c. Et paulo post etiam Christophorus Patricius Liutprandum alloquens, queritur, quod Papa Romanus Nicephorum Græcorum, non Romanorum dicat Imperatorem, convicia in Sanctissimum Pontificem egerens. O stulti, & vecordes! Si ergo in sensu Græcorum ipsi soli Romani, & occidentales omnes, adhuc Latini verique Romani Franci dicuntur, Pseudo-athanasius per Francos non nisi Romanos milites, hoc est, Pilati cohortes crucifixisse Christum omninò intellexit. Quod non vidit Oudin. Rem ejus conjecturæ magis favorabilem dissimulare nolumus, videlicet Q. 44. I. classis in qua habetur: *etiam si Palæstinam sæpe Barbari occupaverint, non permisit Christus, sua loca tradi hæreticis. Quod si id ad breve tempus tentaverunt, citò rursus Catholica Ecclesia ipsos abegit, non secus ac porcos à Sanctis Christi Dei nostri ædibus, & locis*. Videtur per hæc verba rectè probari, Francos loca sancta à Barbaris, hæreticisque occupata dicto bello sacro recepisse. Sed præsto est Baronius, ostendens, id pluries antiquitùs contigisse, ut sub AA. 410. n. 57. 530. n. 19. & alibi: Sed præsertim A. 812. n. 16. cum Arabes Hierosolymam ingressi cuncta profanarunt, ut ex Historia Theophanis Abbatis, ubi dicitur, quod „ multi Christianorum ex Pa„ læstina à Syria in Cyprum venere, fugientes immen„ sam Arabum afflictionem. Cum enim sine generali „ Principatu Syria esset, & Ægyptus, & Africa: & „ in omni principatu qui sub ipsis est, homicidia, ra„ pinæ, adulteria, & omnes Deo odibiles actiones in „ Civitatibus, ac Villis à divinitus peritura gente per„ petrabantur: *inque alma Dei nostri Civitate colenda „ loca Sanctæ Dei Genitricis, & Resurrectionis, ac Cal„ varia, seu reliqua profanata sunt*. „ Pergit Theophanes cætera horribilia, martyrioque tunc affectos narrando: Et huc referuntur à Pseudo-athanasio prolata d. Q. 44. quæ fortè ætate sua contigerant.

(4) Cum ergo non constet, Johannem Antiochenum esse hunc Pseudo-athanasium, sive auctorem QQ. quas laudat Anonymus, hoc est, *Guido* Ravennas, neque Guidonem illo posteriorem affirmare debemus, ut infra num. 5. exeunte, sed potiùs priorem, & sæculo IX. scripsisse, cum Blondus, Volaterranus, & alii Itali, 600. enumerent annos ab illius ætate ad sua tempora. His adstipulatur Vossius de *HH. II.* 2. 38. scribens, quod „ cum Carolus Crassus Imperii potiretur, puta A. 886. „ ingenii monumentis nomen suum diffundebat *Guido „ Ravennas Presbyter*: Cujus historia extat *de Bello Go„ thorum*: Eundem *Vitas Pontificum* tradidisse Volaterra„ nus est auctor initio *l. 22. Urban. Comment.* atque ad„ dit vixisse ante annos 600. floruit autem Volaterra„ nus A. 1490. „ Seniorem Blondum poterat Vossius laudare. Negat Oudin *t. 2. col.* 1138. Guidonem historiam *Belli Gothici* scripsisse: bene verò *de Rebus Trojanis*: Id inverisimile: nos utraque latet. Item negat *Vitas Pontificum* esse Guidonis, sed Landulphi de Columna, de quo Vossius 2. 64. qui licèt cum Volaterrano id affirmet, non ideo negandum & Ravennatem easdem scribere potuisse. Quid prohibet, si *Amalricus Augerii*, qui similiter *Chronicon Pontificale* composuit, fatetur in Præfatione apud eundem Vossium 3. 1. in fin. *opus suum compilasse ex 209. Scriptoribus, qui gesta Pontificum tradidere* usque ad A. 1362. quo Amalricus scribebat. Cur non inter tantos, & Guido Ravennas? Sed hujus jam inspiciamus Geographiam, mirantes tam diu ignotam fuisse Vossio, ut eam noverit solùm in suis notis ad Melam: quando jam à sæculo XV. erat vulgata, & notata à supra laudato Galateo. Neminem pigeat docti Viri audire judicium, cui & debile nostrum immiscebimus: pluraque ignota suo Commentatori percipere, ut quisque pro illius usu quanti ea sit, probe sciat. En itaque excerpta nonnulla ex Epistola Galatei ad Loysium Palatinum. *Guido Ravennas, quem recentiores Scriptores in plerisque testem habent, & quem ego nuper legi* (vulgata ergo jam erat sæculo XV. ejus Geographia) *nec recens est, nec vetus auctor* (non recens, quia sæculi IX. non vetus, hoc est, Melæ, Straboni, Plinio, Ptolemæo, aliisque exæquandus.) *Illius temporibus quo in statu res nostræ essent* (idest Japygiæ) *ex ipsius verbis, quæ tibi mitto, intelliges: leges multa, quæ intelligere operæ pretium est. In quibus deliquit, ea tempori imputanda sunt: in his venia, in illis laude dignus est. Nam si illa, qualiacunque sint, non scripsisset, nec hæc quidem, quæ ad te scribo, nosceremus. Tu verò ita illum legas, ut tibi ipsi fidus sit testis. Illius judicio ita utere, ut à tuo minimè discedas: meamque sententiam tamdiu probes, quandiu veriorem non invenies. Non enim facilè est, quæ ab hominum memoria abolita sunt, recensere*. Et hic nedum suspicamur, sed certissimè credimus, Codicem hunc Porcheronianum Parisiis editum A. 1688. non esse germanum, nec integrum, sed mutilum, sive in epitomen redactum, & omnino diversum ab eo, qui sæculo XV. circumferebatur, & ad Galatei manus pervenerat, itaut Codex perfectus, nondum editus, adhuc desideretur. Manifestè id colligimus ex illis, quæ in *descriptione* Japygiæ Galateus prodit, excerpta ex Guidonis Geographia, & ad *Loysium* transmittit, ita scribens p. 37. *Hic* (Guido) *de Tarento hæc scripsit: Tarentum inclyta, & regalis Urbs, & omni copiarum genere opulentissima, in qua Q. Ennius Poeta antiquissimus exortus Romæ floruit*. Galateus subdit: „ Q. Ennius testimonio Scriptorum Rhudias, ut dice„ mus, non Tarentinus est. „ Ubi hoc scriptum in Cod. Porcherianoʔ nusquam. Ter nomen Tarenti nudum profert sinè ullo addito, nec verbum quidem de Ennio, ut pagg. 207. 221. 228. Pergit Galateus, & p. 57. notat. „ Quæ de hac Urbe Guido scripsit, hæc sunt: „ *Hydruntum Minervium, in quo Templum Minervæ, ubi Anchises pater Æneæ primò omen equos pascentes Italiam advectus prospexit, ut inquit Virgilius, & idem aptum mercimoniis* &c. Neque hoc in Cod. Porcheroniano invenitur. Vix simplex nomen indicatur pagg. 34. 207. 252. Neque duo loca *Ydrontum*: *Minervium*, ut legit Porcheronus p. 207. quasi *Castrum Minervæ* aliud ab *Ydronto*. Nequaquam: unica Civitas ex lectione Galatei, ut mox supra. Progreditur p. 86. „ Quo in statu res Lupiensis „ erat tempore Guidonis Ravennatis, illius verba ostendunt: *Deinc, hoc est, post Brundusium Urbs Licea Idomenei Regis, de qua Virgilius* (*Æneid.* 3. *v.* 400.)

Et Salentinos obsedit milite campos
Lyctus Idomeneus . . . . .

Theatrum tantummodo, cæteris mœnibus solo æquatis, olim solemni studio conditum habet: in cujus jam incolæ parvum penè lapsum Municipium sibi met, quod nomen antiqui reservat fecere culmine, quod figuram magis Urbis, quam eandem Urbem exprimit. In hujus suburbanis monumenta antiquorum innumera sub divo exposita, solido sculpta cernuntur lapide, cui conjuncta Civitas Rugæ (Galateus notat: „ Rhudiæ non Rugæ scribuntur: sed „ Guido vulgari incolarum sermone deceptus est.) „ *Ab hac usque ad Hydrontum, quæ in litore, & portu ejusdem Liceæ sita est, 30. fere milliaria supputantur*. Hæc collata cum Cod. Porcheroniano quam sanè diversa, quamque contorta! Ubi *Brundusium*? *Brendesum* p. 207. *Brindice* in Periplo maris l. 5. p. 252. *Lupia* p. 207. *Lupias* in Periplo p. 252. *Ruge*, vel Rhudiæ nusquam. Cæterorum nihil penitus. Hæc tria testimonia sufficiunt ad ostendendum Guidonis Geographiam deperditam, vel adhuc latitantem: proh dolor! Si viveret Porcheronus, mœrore conficeretur: ac omni conatu satageret, ut saltem apud hæredes Grotii, & Vossii, quibus innotuisse suum Anonymum in Præfatione cognoscit, inquireretur. Quis forte nos arguet de errore in persona, ut alter sit *Guido* Galatei, alter *Anonymus* Porcheroni; & sanè lectio est ita diversa, ut non sit levis suspicio. Nihilominus prævalet conjectura, Codicem Porcheroni epitomen tantùm esse Codicis Galatei. Iste vulgatus

Digitized by Google

gatus erat, ipsumque *recentiores Scriptores*, inquit, *in plerisque testem habent*, sæculo XV. Ex Scriptoribus hujus sæculi fuit clari nominis Blondus, qui initio suæ Italiæ ita scribit: *Iginius, qui de Urbibus Italiæ scripsit, & eum secutus Guido Presbyter Ravennas, prodidere, septingentas fuisse Civitates*: Eadem verba transcribit Leand. Albertus in fine discursus procemialis suæ *Italiæ p. 8.*, & ita Anonymus suam Italiæ Chorographiam l. 4. n. 30. p. 201. exorditur. *Nobilissimam Italiam quidam Philosophi* (sic Geographos vocat) *amplius quam septingentas Civitates habuisse dixerunt*. Bis laudat Anonymus *Liginium* pagg. 12. & 21. quem sibi ignotum Porcheronus fatetur: sed *Iginium* esse ex Blondo clarescit. Codex ergo Blondi circumlatus eadem ferè ætate Galatei concordat cum Codice Porcheroni. Cur non idem auctor, etsi epitomator diversus? Nonne idem Trogus Pompejus, licèt abbreviator Justinus? Reliqua proxime; Galatei prosequamur judicium, quo assumptum nostrum robur magis acquiret.

(5) Monet ergo V. doctus p. 37. quod *Guidoni nonnisi, quæ ipse vidit, credendum est*. (Censoria nimis hæc nota; parum ergo ei credendum, cum parum videre potuerit, comparatè ad universum Orbem, quem Geographum agens, describit. Par ratio esset de omnibus Geographis, quod absurdum. Certe quid aliud innuere hic vult Galateus. In Codice Porcheroni vix Urbium nuda nomina, ad instar indicis, recensentur, nulla de illis addita singularitate. Hinc cum in Codice Galateano fuerint singularitates adjunctæ, Urbibus præsertim Italiæ: nec rectè ubique de illis Guido loquatur, monet, ei *nonnisi, quæ ipse vidit, credendum*. Amplior ergo Codex Galatei Porcheroniano. Sed epitomator, forte interpolatorem etiam agens, non vidit, quæ Guidoni esse ignota, ut proxima sibi, non poterant. Planè enorme, exemp. gr. illud mendum p. 223. *Luca, quæ confinatur territorio Civitatis, quam Sinogaliense, juxta mare positum, quod dicitur Jonico, quod & Adriatico*: quod inexcusabile omnino, præterit Porcheronus. Dixisset saltem & solum Civitati Senæ: ambabus non longè inter se, & ab infero mari distantibus. Cæci vident quam dissitæ Luca, & Senogallia, quot Urbes interponuntur). Subdit Galateus: *& si in multis erraverit, tamen non habemus meliorem illius temporis auctorem* (quia medii ævi Geographis omnino caremus: ipso tamen parcissimè, & vix in subsidium utemur) *Ipse videtur non satis Græcis literis instructus*. (Et hic altera vehemens præsumptio pro nobis: Codex enim Porcheroni à capite ad pedem nec ἰωτα unum habet. In hoc quidem laudantur Basilius, Epiphanius, Pseudo-Athanasius: item Porphyrius, Libanius, aliique Græci, sed nullum eorum verbum Græcum profertur. Si ergo Galateus in suo Codice novit literas Græcas, & in ipsis parum instructum Guidonem, perspicuum est, Codicem Porcheronianum Græcis textibus destitutum, esse illius epitomen, & epitomatorem Græcitatis ignarum Græca verba omisisse.) Concludit tandem V. doctus, Geographos *medii temporis concupiscimus*, & quidem bellissime: etenim Guido sæculo VII. scripserit, IX. vel XII. quod parum nunc refert, medii ævi Geographus non est sanè dicendus, cum neque juxta Exarchorum dispositionem, neque Langobardico-francicam oeconomiam Italiam nostram descripserit: quidquid sit de aliis Mundi partibus, extra nostram, quam hic suscipimus, spartam. An Galateus Guidonem examine justo libraverit, qui illius opera legit, dijudicet. Cum hæc Vossius 3. 8. recenset, sic loquitur: „ erat Philosophus, „ Medicus, atque idem Poeta, & *Cosmographus cujus* „ *tabulas* à se visas laudat *Rassanus*, & ex eo Leander „ in *Italia sua*. Sanè quantus vir fuerit scire possumus „ ex hendecasyllabis illis, quibus eum celebrat Jovianus Pontanus: item ex eo quod Summus Vir Hermolaus Barbarus „ ..... ut supra. Videatur & ejus Elogium 119. apud P. Jovium *de Doctis Viris*, ubi: *extant præter ..... Japygia Chorographice descripta, quæ meo judicio cum antiquis comparanda videtur*. Non ergo contemnendum ejus de Guidone judicium. Quod si postea, germano, integroque Codice viso, ita sensit, quid, si Codicem Porcheroni mutilum, spurium, & ubique ab epitomatore depravatum vidisset? Ex fragmentis porrò à Galateo productis videmus Guidonem non ita barbarum, incultum, mancum, & sterilem, ut in Porcheroni Codice apparet. Et sanè Porcheronianus Anonymus plerumque, & plus nimio Gothis usus Scriptoribus (forte in Hispania, & in Gallia VI. & VII. sæculo commorantibus) ut ex præmisso Auctorum indice, & observatione, parum Italicæ, quæ huc spectat, Chorographiæ peritis, nullis Geographiæ servatis legibus, huc, illucque saltans, incedit; ulla sinè distinctionis nota inter Urbes, & flumina, adhuc vicos, stationes, vel mansiones pro Urbibus sæpissimè capit: hinc tot & tot loca, & flumina adhuc Porcherono latentia. Itaque Italiam, ex qua pedem efferre provincia nostra non sinit, in XVIII. Provincias velle dividere dicit p. 199. n. 29. & tamen XV enumerat solum, trium Insularum oblitus: nihil ad nos. Multùm quidem interest, quod ex illis XV. omissis X. satis notis ex veteri notitia Imperii, ut infra n. 7. V. videlicet *Annonaria Pentapolensis*: *Provincia Castellorum*: *Provincia Spolitium Sacensis*: *Calabria Brindicensis*: & *Pritas Rigiensis*, neque à Porcherono explicatæ, interpretem adhuc expectant. Aderit, Deo dante, suis locis. Utinam & loca divinare possemus, quorum innumera Porcheronus inter incognita rejicere non extimuit. Cæterum, cum hic de Provinciis sit sermo, non levem conjecturam, quæ ab Oudino allatas elidit, liceat adhuc subjicere. Inter Provincias illas XV. decimo loco p 200. ita scribit: *est Provincia inter Adriaticum mare, & Gallicum* (hoc est inferum) *media, quæ ab antiquis dicitur: Campania, quæ nunc Beneventanorum dicitur Patria*, hoc est, Regio. Per quæ verba innuere videtur illud tempus Langobardorum, & Francorum, & ad summum quoad steterit Ducatus Beneventanus. At sæculo XII. inversa jam Regionum Italiæ occonomia, finibusque ipsarum confusis, non amplius Provincia, & Ducatus Beneventanus valebat; præsertim cum priori sæculo XI. ea Regio esset dissecta, & proscissa propter invasiones Roberti Guiscardi, & Rogerii fratrum Nortmannorum: illiusque Caput abscissum ob cessionem Beneventi factam ab Henrico III. Nigro Leoni IX. An. 1053. ut apud Ostiensem 2. 46. & 84. jamque Principes Beneventani defecerant in Landulfo VI. ut narrat etiam Peregrinius in Præfatione ad Falconem Beneventanum.

(6) Tribus ex capitibus tamen locorum tantam obscuritatem Porcherono enatam deprehendimus. Et primò culpa epitomatoris, & amanuensium, quia nomina ferè cuncta vitiata, & corrupta exscripserunt. Secundò quia Porcheronus non observavit Chorographiam medii temporis, quo plura nomina noviter exorta, & variata invenimus. Ea tantùm V. doctus explanat, quæ à Mela, Strabone, Plinio, Ptolemæo, Itinerariis, Tabula Theodosiana Peutingeri, aliisque veteribus, Duce Cluverio plerunque, expressè, vel per quandam vocum affinitatem, potuit explorare: Chorographis, & Historicis Municipalibus, ex quibus plura innotescunt, omninò neglectis, & inconsultis. Hi quantum illi profuissent, ex aliquot exemplis, è Regione nostra petitis, liceat breviter hic adnotare: Produntur ab Anonymo hæc loca *Stationa*: *Magesale*: *Bontia*: *Bellenica*, & *Omula*: & notat V. doctus, quod omnes *alpium jugis occultata, cæterorum scriptorum diligentiam effugerunt*. Equidem cuncta hæc nomina depravata, & contorta, minimè tamen ea loca in alpibus occultata, neque à nostratibus præterita. Recte legendum est *Stationa*, quæ nunc Angleria adeò nota, ut ex documentis, & Scriptoribus n. 67. constabit. *Magesale* Magainum, sive Magadinum Macaneo *de Lacu Verbano*, & suo Commentatori n. 1. & 42. superiori in ripa Orientali ejusdem Lacus ab Arona 38. m. pass. in boream. *Bontia*: Bozula ad ostium amnis homonymi, qui supra Angleriam Verbanum inflat, ut in Magini tabula II. Ducat. Med. *Bellenica* Bellenia, al. Breunia: Macaneo n. 97. Bregnana, à qua vulgo Vallis Bregni: & ita Flamma, Simlerus, Tschudus, & alii à Commentatore laudati. *Omula*: Omegna Italis: Eumenia politioribus: Omagnum Macaneo n. 69., à Basilica Petri *in Novar. Sac.* p. 190. Nec de his ambigendum, cum Anonymus Insubrum borealium hic loca recenseat. Et dum subdit *ad partem inferioris Italiæ sunt Civitates, idest, Plubia, quæ confinatur ex prædicto terrore Staurinensis: item Vercellis, Novaria, Sibrium, Comum, Mediulanum* &c. Heu, heu quanta barbaries! De *Plubia* Porcheronus *hæc accensenda incognitis: ab omnibus siquidem siletur*. Non: Plumbia est Calcho nostro p. 117. in fin. Pombia à Carolo à Basilica Petri p. 68. locatur prope Varallum ad lævam Sessitis, & bene confinis territorio Taurinensi: *De Sibrio* item *nullus scriptor meminit illius loci*: sed centum Subrii, idest Castri Seprii, quod notissimum. De aliis alibi. De fluminibus idem sæpe contingit. Casu occurrunt p. 225. *Parma*: *Entiamus*. Primum cum hac nota: *hunc vero ne unus quidem inter veteres memorat*. Quid ergo? Norunt jam omnes, esse flumen per homonymam Urbem se evolvens: secundum cum hac altera; *Nullum certe flumen nomine, vel modicum huic affine illis in partibus invenio*. Italos consulere oportebat Chorographos, in quorum tabulis *Lenzia*, Nicia Plinio 3. 16. *Tarum*, *Nicia Gabellum*: Ducatus Parmensem, & Mutinensem disterminans suæ integritati nomen restituatur *Lentia*, sive *Entia amnis*, & affinitas apparebit. Tertium denique obscuritatis caput & supra tetigimus, & exemplis allatis ostendimus, vicos, scilicet, Turres, aliaque id genus obscura loca, pro Urbibus accipi. Quo pacto septingentas Urbes Anonymus cum Iginio, & aliis tribuit Italiæ. Sed major adhuc hyperbole illorum, qui apud Ælian. V. H. 9. 16. *ajunt veterum memoria MCIIIC. Urbibus Italiam præditam, atque ornatam fuisse*. Crescit in immensum veterum Ægyptiorum jactatio apud Diodorum *l. 2. c. 3.* Notatur ideo a Strabone 3. 326. *Polybius*

Digitized by Google

bius (qui) *CCC. Urbes illorum* (Celtiberorum) *à Tiberio Gracchо subversas esse*, *memoriæ prodidit* : *quod ritu comico in Tib. Gracchi gratiam dictum est ab eo*, *qui Turres Urbes appellat*..... *Cum etiam qui Urbes Hispanorum supra mille fuisse prædicant*, *huc deduci mihi videantur*, *ut ingentes vici Oppida nominentur*. Et sanè is enormis abusus, quo non modicum tenebris offunditur Geographia : quando, quæ verè à veteribus Urbs diceretur, clarè docet Pausanias *l.10.p.476.* dum *Panopeum* Urbem affirmare non audens : *Urbs est Phocensium*, inquit, *si modò Urbem eam appellare par fuerit*, *in qua Cives non Prætorium*, *non Gymnasium*, *non Theatrum*, *non Forum ullum habent*. Cum igitur Anonymus plures Urbibus vicos immisceat, & à Scriptoribus prætermissos, utpotè obscuri nominis, & decursu temporum aliter appellatos, Porcheronus tot loca nactus ignota dolore se levet. De reliquo non est sua laude fraudandus, si tot inter tenebras arduum opus aggressus, perficere cuncta non potuit ea, quam optamus felicitate. Ex quibus tria præcipuè statuimus : unum, Auctorem Geographiæ, juxta Codices sæculo XV. vulgatos, esse Guidonem Presbyterum Ravennatem, probabiliùs sæculo IX. scribentem, non VII. Si nobis otium nunc esset, plura loca indicaremus ab hoc Anonymo scripta, quæ certè nondum sæculo VII. existebant, vel omnino jacebant ut de Mutina dicemus sub num. 64. in fine. Nolumus extra Italiam vagari. Alterum, Codicem Porcheroni esse illius tantùm epitomen ab imperitissimo Anonymo incerti ævi coactam : ideoque in hac laudanda Anonymi nomine, sive voce, utemur : & tertio Italiæ Chorographiam, in eadem contentam, ad Langobardico-francicam spectare nequaquam.

SECTIO III.

(7) Italiæ Chorographia prodita à *Paulo* Diacono non Langobardica, sed eadem ac vetus Romana. (8) Cur, quando, & à quo Provincia *Apennini* instituta : Dominii Gothorum in Italia, & extra amplitudo. Cur ab Imperatoribus multiplicatæ Provinciæ. (9) *Alpium Cottiarum*, & Liguriæ fines ante Justiniani bellum Italico-gothicum, & qui post : itemque Provinciæ Apennini. (10) *Verona* in Apennino ad Metaurum flumen quæsita : Strabo, & Procopius de Venetiæ limite observati : Dextera, & læva fluminum quæ. (11) Sigonii Italiæ medii ævi ordinatio exhibetur.

(7) Equis à Paulo Varnefridi Diacono, natione, & Historico Langobardico, sæculi VIII. Scriptore Chorographiam Italiæ juxta suæ gentis oeconomiam non expectasset? & tamen rem aliter se habere cognoscimus : divisa ab eo Italia *lib. 2. Hist. Langobardorum* ne dum sicut erat ante ipsorum adventum, Justiniano, & Justino nepote imperantibus, verum etiam ut antiquitus fuerat sæculo V.IV. & ut ante Constantinum, quod probare possemus, si prolixè hic liceret differere de divisione Italiæ, vulgo Adriano tributa, sed falsò, quia auctor non ille, non solus alter, sed plures. Conferatur itaque Pauli divisio cum illa antiquiori, prout exstat in *libello Provinciarum Romanarum* in principio pluries edito ab Ant. Schonhovio, sed mendoso, correcto ab And. Schotto A. 1600. P. Bertio *t. 2. Geograph. vet.* quem Theodosii M. ætate compositum censent Viri docti cum Em. Norisio *Epoch. Syromaced. p. 302.* Florentiæ. Conferatur item cum altera prodita in *Notitia Imper. Occid.* illustrata à G. Pancirolo : equidem ordo diversus in singulis, quod nihil refert, sed nomen, sed numerus Provinciarum in uno tantùm dissentiunt. Utraque notitia habet Provincias XVII. Paulina XVIII. addita à Paulo 2. 18. *Nona Provincia in Apennini Alpibus sita* : cur, infra dicemus. Ibidem 2. 19. unum tantùm *Picenum* : in notitia Imperii duplex, scilicet *Suburbicarium*, quod idem ac Picenum Pauli, & *Annonarium*, sed Flaminiæ conjunctum. Habent Paulina, & notitia Imperii *Provinciam Valeriæ*. Abest à notitia Schonhoviana, in qua decimaseptima *Alpes Grajæ* Italiæ ademptæ ab Honorio. In reliquis trans, & cis Tiberim, in Æmilia præsertim, Liguria, Alpibus Cottiis, & duabus Rhetiis notitiæ, & Paulus conveniunt : ut liqueat Pauli divisionem veterem, & Romanam esse, non Langobardicam, ita ut Paulus neque noverit, antiquum nomen Calabriæ à supero ad inferum mare translatum, saltem labente sæculo VII. à Græcis, ut suo loco dicetur. Inquit enim 2. 21. *XV. Provincia est Apulia*, *consociata sibi Calabria*, idest, veteri, ut ex Urbibus in utraque enunciatis agnoscimus. Verùm nedum Paulus (inobservata Langobardorum Oeconomia) veterem Chorographiam est secutus, sed huic quoque medii, & infimi ævi Scriptores, quotiescunque Provincias, vel loca in iisdem sita ex occasione indicare debuere, omninò se conformarunt. Quod factum quoque observamus usque ad sæculum XIV. cujus sub medio Nic. Rossellius Card. Aragonius *in libro Pontificali* MS. in Ambrosiana, f. D. 320., & inscripto *Gesta Pontificum*, describens p. 77. Italiam, Pauli divisionem transcribit : ut sequiori sæculo tantùm Blondus, Galateus, Volaterranus, Albertus, Barrius, & tot alii Italiam sui temporis, & statui, nova antiquis miscendo, conformem scribere, & describere incœperint. Verum quamquam Paulus Italiam minime juxta Græcam, & Langobardicam formam descripserit, attamen quia ex ejus Chorographia plura innotescunt pro intelligentia Scriptorum medii ævi, qui eadem utuntur, hanc aliquibus animadversionibus explicare, non erit inutile : præsertim cum hactenus, qui Paulum summa eruditione illustrarunt, intactam Chorographiam, ne notas longius producerent, opportunius relinquere judicaverint. Declaraturi aliquando nos quoque, cur nudis Alpibus Italiam hanc circumscribimus : cur Patrimonium S. Petri ab Ariperto II. Langobardorum Rege restitutum Ecclesiæ in Alpibus Cottiis esse dicatur : & ibidem Cœnobium S. Columbani, Genua, Aquæ, Dertona, & aliæ non in Liguria locentur : ubi situs Fraxineti Saracenorum adeò celebris in historiis IX. & X. sæculi, aliaque nonnulla, commodius hic, & nunc præmittere censemus, quod tunc longis digressionibus declarare oporteret. Et quoniam diximus, Paulum vix in una Provincia ab antiquis notitiis Romanorum differre : cur, quando, & à quo, quibusque finibus fuerit hæc constituta primò explicabimus. Exinde quare, & quomodo sæculo VI. Provinciæ Alpium Cottiarum, & Liguria passæ sint mutationes.

(8) Quod primò quærimus, nemo nos docet; quinimo nec ullus Geographus ante Paulum, vel post, quod sciamus, *Provinciæ Apennini* mentionem facit. Dispositio Langobardica hæc ne? haudquaquam? Ariolari fas sit. In laudatis notitiis Provinciarum Romanarum, & juxta Paulum tres ad rem præsentem enumerantur, scilicet, Alpes Cottiæ, Rhætia I. & II. à tribus Romanis Præsidibus administratæ. Verùm à Gothis, sæculo V. præcipue, Italia occupata, eisdem & illæ cessere. Patet de Rhætiis ex formula *Ducatus Rhætiarum* apud Cassiodorum *Var. l.7.c.4.* ubi dicuntur *munimina Italiæ*, *& claustra Provinciæ*, hoc est, Liguriæ conterminæ, cujus nomen ab oris maris Tyrrheni, & Ligustici ad Transpadanos etiam fuerat ante protensum, ut infra. Sequenti sæculo VI. cum bellum Italico-gothicum magis ferveret, *Franci*, *arrepta belli*, *quo Romani*, *Gothique erant impliciti*, *opportunitate* (sunt verba Procopii *B. Goth. 4. 24.*) *sine discrimine ditionem suam iis locis auxerunt*, scilicet, ut paulò supra innuit *Liguriæ*, *Alpium Cottiarum Venetiæ*, *& Rhætiarum* : adeout etiam *Venetorum*, subdit, *pauca Oppida Gothis supererant*, *nam Romani maritima*, *Franci cætera occuparunt*..... *Colloquio Gothos inter & Francos instituto*, *convenerant*, *ut quæ haberent*, *utrique his quiete potirentur*, *nec se invicem armis lacesserent*. Eadem recolit in *Hist. arcana* p. 81. Nic. Alemanni, scribens, quod *ante bellum Italicum Gothorum imperium ex Gallorum agro ad usque Daciæ fines protendebatur*. *Cæterum cum Romanorum copiæ erant in Italia Gallicani*, *& Venetici agri magnam partem Germani occupabant*. Sed non satis Procopius ipsorum imperium, cum in Italia regnarent, expressit. Expedit hoc declarare, ut liqueat, post idem bellum dumtaxat, Justinianum (Italia recepta, tamen sine Rhætiis, & Cottiis, aliisque Alpibus) Provincias Cottiarum, & Apennini constituisse. Itaque longe amplius fuit Gothorum imperium (puta Theodorici Amali, Athalarici cum Amalasuntha, Theodhadi &c.) quam Langobardorum, & Francorum : cum non solum universam Italiam à Freto Siculo, neque exclusa Sicilia, ut ex Cassiodori *Epp.49. lib. 3.* Item 10. 11. *&* 14. *lib. 9.* usque ad Histriam, Alpesque Julias tenuerint, cum Dalmatia ex *Ep. 4. l. 8.* adjectis adhuc vi Totilæ Sardinia, & Corsica, ut apud Procopium *B.Goth. 4. 24.* Quotiescunque autem prædicti Reges Italiæ etiam trans Alpes in Gallia, Rhætiis, Svavia (nunc Svevia) Norico, & Pannonia imperium habuerint, necessario sequitur, quod & Alpes fere omnes intermedias, Italiamque ambientes (exceptis Grajis, & Penninis, juris Regum Burgundiæ) possederint; fuerintque exinde ad Francos vel armis, fervente bello, vel pactis inito fœdere, à Gothis translatæ, ut ex Procopio cognovimus. Enumeratas porrò transalpinas Provincias saltem ex parte Italiæ Gothis paruisse, adeò est certum, ac notum, ut ex laudato Cassiodoro cursim, breviterque indicare id sufficiat, Gothicam ergo ditionem in Galliis innuunt *Epistolæ 17. 40. & 42. lib. 3.* Provincialibus in Gallia datæ : & speciatim Arelatensibus *ep. 44. lib. 3.* Massiliensibus *ep. 26. lib. 4.* & Liberio Præposito Galliarum *ep. 6. lib. 8.* Hinc & in ejusdem Chronico *Venantio*, *& Celere Cos.* (hoc est A. 508.) *contra Francos à D. N. destinatur exercitus*, *qui Gallias Francorum deprædatione confusas*, *victis hostibus*, *ac fugatis suo adquisivit imperio*. In Rhætiis *ep. 11. lib. 1.* & laudata

for-

Digitized by Google

formula Ducatus Rhætiarum 4. *lib.* 7. In Svavia *ep.*49. *lib.*4. *&* *ep.*15. *lib.*5. Ita & Ennodius in *Panegyr.* Theoderico Regi dicto p. 311. edit. Sirmundi: *Quid quod à te Alemanniæ generalitas intra Italiæ terminos sine detrimento Romanæ possessionis inclusa est?* In Norico *ep.* 50. *lib.* 3. data Provincialibus Noricis: & in Pannonia *epp.*22. *&* 24.*lib.*3. ut in Chronico, *Cetbæo Cos.* (A.504.) *Virtute D. N. Regis Theoderici victis Bulgaribus, Syrmium recepit Italia.* Si ergo Gothi Provinciarum cis, & trans Alpes domini, eccur non Alpium? Poterant hæ quidem, ut præruptissimæ, transitum retardare, at non dominium distinere: quod significare videtur Ennodius laud. *Panegyr.* his verbis p. 293. *Si Alpium juga connexis poli sublimitate sociata, cursibus tuis attulere tarditatem; nescierunt resistere, quos devictis locorum munitionibus invenisti.* Imperio Gothorum sic stante, nullum Scriptorem coævum habemus, qui novæ Provinciæ Cottiarum cis Alpes, neque Apennini meminerit. E contra, cum extent Cassiodori *epp.* 8. *lib.*12. Consulari Provinciæ Liguriæ more Romano: & 15. *l.* 11. Liguribus, in qua *Asta* Liguriæ Civitas dicitur, perspicuum est, nondum sub Gothis factas Provincias Cottiarum, & Apennini, quando ex post *Asta*, cum vicinis Urbibus, Cottiis tribuitur, ut num seq. videbimus. Igitur ante bellum Gothicum OEconomia Provinciarum Italiæ eadem omnino fuit ac sæculo V. sub Imperatoribus Romanis; idque firmatur ex tempore, quo Cassiodorus suas *Varias* absolvit, & redegit in ordinem, scilicet cum Præfecti Prætorio munere fungeretur, ab A. 534. extremo Athalarici, ut ex hujus *ep.*25. *lib.* 9. data indict. 12. usque saltem ad A. 538. ex *ep.*22. *lib.* 12. data indict. 1. Provincialibus Histriæ. Quid exinde contigerit, inquiramus. Absoluto tandem bello cum Gothis, eorumque Regno cum Teja deleto A.553. Italiam quidem recepere Romani. sed non Rhætias, nec Alpes Cottias proprie dictas. Hinc causa, & origo mutationis in Provinciis Alpium Cottiarum, & Liguriæ, cum adjectione Provinciæ Apennini hoc pacto. Ademptis Italiæ Rhætiis, & Cottiis, ne forte numerus septenarius Præsidum, & XVII. Provinciarum nimis decresceret, translatum fuit nomen Cottiatum ad partem unam Liguriæ, & per alteram, adjecta portione Æmiliæ alpestris, constituta fuit nova Provincia in Apenninis Alpibus, juxta phrasim Pauli 2. 18. Cur id factum jam diximus. Mos enim fuit Imperatorum præsertim Græcorum, nedum amissa una Provincia, alibi illius nomen transferre, ut paulo supra n. 7. tetigimus de Calabria à supero ad inferum mare translata, sed etiam Provincias dividere, ut plures in Provinciarum Magistratibus locare possent: quod etiam animadvertit laud. Em. Notisius *Epoch. Syromaced. d. p.* 302. ita scribens: *Provinciarum divisio facta fuit ab Arcadio, cui Imperium Orientis obtigerat, Honorio fratre in Occidente imperante. Nam quo plures de se optime meritos Provinciarum administratione decoraret, easdem in Orientali præsertim Diœcesi multiplicavit*: scitissimè suo more. Et plane nemo Arcadio in Oriente, & Justiniano magis eas multiplicavit. Arithmeticè tamen id intelligendum, nam divisio Provinciarum in superiorem, & inferiorem est antiquior: & magis adhuc in citeriorem, & ulteriorem. Arcadius porrò imitatus est Valentem, & Valentinianum, dum iste Rhætiam in I. & II. ille Cappadociam in I & II. dissecuit, testibus duobus Gregoriis, Nazianzeno *Or.* 20. *de laud. Basilii*: & Presbytero suppari in illius vita operibus præfixa. Nunc intellecto, cur Provincia Apennini instituta, ut amissarum, scilicet, suppleretur defectus (qua ratione quoque fuit mutilata Liguria, ne periret nomen Cottiarum) liquet id factum post bellum Gothicum, recuperata à Justiniano, virtute Narsetis, Italia: non verò à Justino juniori. Is enim vix per triennium ab A. 565. ad 8. pacificè eam tenuit: nullumque de Justino habemus inditium ex Scriptoribus Græcis, quod Provincias reformaverit, sicut habemus abunde de Justiniano, qui plures, & plures proinde, vel in unam coegit, vel subsecuit, vel etiam abolevit, ut ex ejus Novellis Constitutionibus cognoscimus, & notavit etiam Pagius A. 528. à nu. 9., quod & nos infra à num. 17. amplius illustrare meditamur, ut Geographiæ medii ævi certiorem exhibeamus ideam. Hic nunc superesset fines Provinciæ Apennini statuere: sed quia illorum cognitio pendet à notitia Provinciarum confinium, hoc est, Alpium Cottiarum, & Liguriæ, expedit harum mutationes rimari.

(9) Utraque sub duplici statu, scilicet, ante, & post Justinianum, sive hujus ætate, debet considerari. Itaque tractus Alpium Cottiarum, olim Regnum Cottii, ex quo in Provinciæ formam fuit redactus A. æræ vulgaris 66. à Nerone usque ad ætatem Justiniani, & ut Provincia à Præside administrata, summitates, juga, & declivitates montium complectebatur, ulla sine extensione cis Alpes. Ejus Urbes, quæ innotescunt, *Segusium*, à quo incipiebant Alpes Cottiæ juxta Ammianum 15. 10. *Novalicium*: *Ferraria*: Annæburgum quas ibi notat Valesius: *Brigantium*: *Scingomagum*: *Ocelum*, *ubi terra Cottii finem habet* juxta Strabonem 4. 358. Addit Plinius 3. 20. *Latio donati incolæ, ut Octodurenses, & finitimi Ceutrones Cottianæ Civitates.* Harum nulla cis Alpes. Cætera loca, ut ex utroque Itinerario vulgo Antonini, & Burdegalensi, vel mansiones militares, vel mutationes cursus publici. Provinciæ longitudo brevis ab Ocelo Segusium: latitudo major à Segusio ad Centrones. Consulantur tabulæ antiquæ Ptolemæi, Ortelii, Islei, Cellarii &c. In montibus adhuc conclusam hanc Provinciam Regum Gothorum ævo cognoscimus ex synchroni Ennodii *ep.* 38. *lib.* 6. ubi suum innuit *regressum de Alpibus Cottiis*, iter arrepturus Ravennam, *quod describit in Itinerario Brigantionis* p. 555. ubi inalpinarum viarum asperitatem, hyemis, niviumque vim queritur. Videatur Sirmundus in notis præmissis, pagg. 31. & 80. quibus prædicta num. 8. firmantur. Hic præterire nec volumus, quod contra prædicta de XII. Civitatibus cogitavit Honorat. Bouche, laudatus, & approbatus ab Harduino in Plinium *lib.* 3. *p.* 177. *num.* 2. hoc monito: „ Civitatum nomine cave, Oppida intelligas, quæ hodierno usu Civitatis appellatione censentur: sed Communitates quasdam, quæ Pagos multos continerent. Ita Cæsar (*Bell. Gall.*) lib. 1. *omnis Civitas Helvetiæ in quatuor Pagos divisa est.* Has Civitates *recte* conjicit *Honoratus Bouche Hist. Provinciæ lib.* 3. *p.* 110. esse Populos, qui Valles has Alpium tenuerunt, quibus hæc hodie nomina: Val de *Grana*: Val de *Uraite*: Val de *Gilde*: Val d'*Isase*: Val de *Pau*: Val d'*Angrogne*: Val de *Pragelas*, & de *Luserne*: Val de *Perouse*: Val de *Suze*: Val de *Lans*: Val de *Melon*: Val de *Pont*. „ Hæc illi: Diu nolumus immorari in hujus vaticinii disquisitione. An Plinius in sensu Cæsaris accipiendus: an Cæsar semper intelligendus, & ubique, sicut de Helvetia non credimus, cum extent exempla plura in contrarium. Attamen videant alii: nos videmus in tabulis plures valles ex illis cis Alpes, non inter: pergamus. Liguria quoque ante Justinianum quidquid ab Alpibus maritimis, Cottiis, & Grajis (de quibus suo loco initio Chorographiæ nostræ) usque Placentiam, ubi initium Æmiliæ veteris, & Abduam, quæ limites Venetiæ, comprehendebat. Hos fines ab ortu designat Paulus *l.* 2. *capp.* 14. 15. *&* 18. ab occasu verò Procopius 1. 12. ubi partes aliquas Mundi describens, habet: *sequitur Gallia, quam vocant, usque ad Liguriæ fines*: & infra: *Galliam omnem ad Alpes usque, quibus Galliarum, & Ligurum fines terminantur, Visigothi tenuerunt.* A Septentrione postea fuisse Alpes Penninas discimus ex Cassiodoro 11. 14. dicente *Comum murum planæ Liguriæ*, quæ ideò tum dividi debebat in *alpestrem*, seu inalpinam (ut observat etiam Holstenius *in Cluverium p.* 1. & *in Ortelium* p. 105.) & *in planam*, in qua *Mediolanum*, ut ex Libello Schonhoviano, & apud Paulum 2. 15. *in qua Mediolanum est, & Ticinus nunc Papia.* Ab austro tandem mare interum fuisse nemo ignorat: hinc ora Ligustica Plinio 3. 5. Circumscriptis hoc pacto Alpibus Cottiis, & Liguria, ut se habebant ante bellum Gothicum, clarius innotescet mutatio facta in ambabus post idem bellum, & ex quo à Gothis primò, mox à Francis fuerunt illæ occupatæ, ut supra num. 8. ex Procopio 4. 24. observavimus. Placuit itaque Justiniano novam Provinciam sub eodem nomine Alpium Cottiarum constituere in Subalpina Regione, hoc est, in recenti Pedemontio, Monteferrato, &c. ne Provinciæ nomen cum Magistratu in oblivionem abiret. Hujus fines naturales, & civiles esse conjicimus: ab occasu radices Alpium Cottiarum: à Septentrione Padum: ab ortu Æmiliam, sive agrum Placentinum in planitie: in montana verò, sive in Apennino fontem Scultennæ, ut proxime explicabimus: & ab austro oram Ligusticam. Quamobrem nova Provincia Cottiarum fuit constituta partim ex Liguria, partim ex Apennino Æmiliæ, cui quoque usque ad fontem Scultennæ nomen Alpium Cottiarum fuit inditum. Hinc recte intelligimus, quomodo Patrimonium S. Petri, & Cœnobium S. Columbani, licèt proprie in Apennino sita, à Scriptoribus medii ævi in Alpibus Cottiis esse dicantur: & hac in eadem Provincia Genua, Aquæ, Dertona &c. ut apud Paulum 2. 16. & Liutprandum Hist. 4. 2. ubi scribit, *in Januensi Urbe, quæ est in Alpibus Cottiis*, sanguinis fontem fluxisse. Nihil porrò nova hæc Cottiarum Provincia veteris inalpinæ complectebatur, præter Secusium, ejusque Vallem, ubi initium capiebat. Quod si argumentari licet à Provincia Ecclesiastica ad civilem, Urbes X. Episcopales in Alpium Cottiarum Provincia existebant, juxta descriptionem Caroli à S. Paulo *Geograph. sac.* p. 61. edit. 1704. videlicet *Augustæ Taurinorum*: *Asta*: *Dertona*: *Alba Pompeja*: *Aquæ Statiellæ*: *Albingaunum*: *Vigintimilium*: *Bobium*: *Genua*: *Savona*. Errat tamen in *Bobio* Carolus, nec advertit Hol-

Holstenius errorem, dum ille notat, *Laurentium* Episcopum subscripsisse Synodo Romanæ V. sub Symmacho (A. 503.) quando is *Laurentius* fuit Episcopus *Bobii in Romandiola* prope Sarsinam: Et Episcopi Bobii 28. m. p. à Placentia in austrum vix cœpere *in Attone* A. 1014. ut apud Ughellum *tom.* 4. *col.* 925. edit. 2. Quare nova Provincia Cottiarum constituta, & Liguria hoc pacto ita in arctum coacta, ac mutilata, etiam fines mutavit, ut ab occasu solùm à radicibus Grajarum Alpium inciperet, & ab Austro concluderetur à Pado: finibus tamen à borea Penninis Alpibus,& Addua ab ortu manentibus. Ita juxta formam Imperii. Nam expost,ora Ligustica à Rothari Rege Langobardorũ Græco-romano Imperio adempta A. 638. fuit Liguria pristinæ formæ, & prisco nomini restituta, ut loco proprio dicemus. Interea, cum adhuc non modicæ parti Apennini (qui propriè maritimis *ab Alpibus*, *quà ab infero mari recedunt*, *oriundus*, ut rectè Blondus *Ital. l.* 1. *initio*) attributum fuerit nomen Alpium Cottiarum ex dictis, idemque protractum usque ad fontem Scultennæ, apparet, Provinciam Apennini à Scultenna, ubi per montes devolvitur, initium habuisse, & saltem usque ad fontem Isauri, si non ultra, fuisse prolatam. Auctorem suum Paulum 2. 18. audiamus. *Nona Provincia in Apenninis Alpibus nuncupatur: quæ inde originem capiunt, ubi Cottiarum Alpes finiuntur*. Idem ergo limes Alpium Cottiarum ab ortu, qui Apenninarum ab occasu: hic porrò ad fontem Scultennæ statuitur, quia ibi *sunt Civitates Ferronianus*, *& Montepellium*. *Ferronianum* nunc Frignano, caput Regiunculæ homonymæ in Ducatu Mutinæ, ubi Zardagna fl. in Scultennam brevi cursu se exonerat. *Montepellium* Monsbellius in antiquis documentis apud Gasp. Sillingardum *de Epp. Mutinens.* ut infra num. 65. Monsbellus peritissimo conterraneo Sigonio A. 727. *Monvi* hodie sic vocatus, 16. m. p. circiter a Feroniano. *Bobium* in exarchatu, sive Romania, alias Bojum, ut suo loco, *& Urbinum*, quod prope fontem Isauri amnis, al. Pisauri, hodie Foglia, qui ex Apennino descendens, juxta Urbem Pisaurum in mare decurrit.

(10) Hucusque limitem Orientalem Provinciæ Apennini cognoscimus: fuisse tamen ultra prolatum, vel obliquatum, innuere videtur Paulus, dum post Urbinum subnectit *necnon Oppidum*, *quod Verona appellatur*. Certissimè hic mendum, cum nullam Veronam, aut Betonam, aut Petonam apud Anonymum Ravenn. p. 214. vel quid aliud huic nomini affine circumcirca videamus. Plane Vetona, Vettona *Vettionenses* Plinio 3. 14. *Patrono*, *& Curatori R. P. Vettonensium* Grutero 487. 2. nec juxta Plinium valde distantes ab Urbinatibus, *Metaurensibus* tantùm interpositis: Ibi: *Urbinates*, *cognomine Metaurenses*: *& alii Hortenses*: *Vettionenses* &c. Scimus duplex *Urbinum* esse: unum *Hortense*, quod est superius indicatum ad fontes Isauri, sedes olim suorum Ducum: *aliud Metaurense* 8. m. pass. ab illo distans in austrum, Metauro fl. (nunc Metro) impositum. Non nos allicimur, utrisque proximos hic describi Vettonenses: solemne enim vitium est Plinii & hic, & alibi, gentes, & Urbes describere non ordine Geographico, sed Alfabetico. Accedit, in Tabula Peutingeri segm. 3. Vetonam longè ab utroque Urbino, & Apennino Perugiam inter & Tuder trans Tiberim scribi, & ita in Tabula Isleana Italiæ, & ab Anonymo *l.l.* Attamen nec illa suis erroribus caret, quinimo abundat. Ubi ergo hanc Veronam invenire poterimus? Ut ut sit de nomine depravato, vel Tifernum Metaurense, vel Urbinum ad Metaurum Veronæ nomine, vel altero simili, fuisse medio ævo donatum, conjicimus. Etenim si Tiferno Tiberino (nunc *Città di Castello*) medio ævo fuit inditum nomen omninò à veteri, & recenti diversum, ut videbimus suo loco: cur non pariter idem Tiferno Metaurensi (nunc *S. Angelo in Vado*) illo ævo usuvenit? Urbino Metaurensi factum nomen *Castri durantis* produnt Bodrandus Lex. *in Urbania*, & Cellarius p. 743. Verum id serò, nempe, à Gulielmo Durante, Speculatore dicto à Speculo juris, cum Legatum ageret pro Martino IV. in Romandiola. Et medio ævo quo nomine vocabatur? cur non illo, quod quærimus? Quod si Blondus *Ital. Reg.* 5. p. 336. quem transcribunt Sabellicus *Geograph. l.* 7., & Albertus p. 288. b. prodidit, quod *Guil. Durandi* Oppidum illud *à fundamentis ædificavit*, *& à suo nomine Castrum Durantis appellavit* (Urbaniam post dictum ab Urbano VIII. ut apud Bodrandum *in Tiferno Metaur.*) vel significare voluit, ædificatum ex ruderibus proximi Urbini Metaurensis, vel non. Si non, contra Bodrandum, & Cellarium, vestigia ostendantur. Si primum, rudera illa, ex quibus Castrum, sunt Urbini, cui medio ævo novum Veronæ nomen, vel simile aliud impositum affirmamus: concludendo, vel Tifernum, vel Urbinum utrunque, ad Metaurum, Veronam fuisse ætate Pauli vocatum. Si neutrum divinamus, eruditi divinent, & doceant. Nos interim hic in limite orientali Provinciæ Apennini, hinc, nempe, ad Metaurum, illinc ad Isaurum sistentes, quia diximus supra, Apenninum proprie sumptum incipere ab Alpibus maritimis, monemus, Strabonem, quando dixit 4. 404. quod *Apenninus à Genua*, *Alpes vero à Sabatiis initium capiunt*, esse intelligendum, incipere Apenninum, non ubi Urbs Genua est locata, sed à locis Genuensi tractui ab occasu imminentibus, quod probatur etiam Alberto p. 11. Et quoniam etiam montes *Vadis Sabatiis* (nunc Vado, Finarium inter & Savonam) impendentes, ac in æstivum vergentes occasum Alpibus maritimis, & Cottiis continua serie conjungi videntur, ideo inquit Strabo, quod *Alpes à Sabatiis initium capiunt*: idemque Brutus, fugientem Antonium sequens, scribebat Ciceroni *Ep.* 13. *fam. l.* 11. de illo: *ad Vada venit*, *quem locum volo tibi esse notum*: *jacet inter Apenninum*, *& Alpes impeditissimus ad iter faciendum*, propter valles, paludesque, à quibus *Vadorum* nomen. Hæc sunt, quæ in Pauli Chorographiam Italiæ animadvertenda, pro aliquando dicendis, duximus esse opportunum. Plura alia, quoties se dabit occasio, observabimus: quoniam, etsi juxta Langobardorum dispositionem illam non scripserit, tamen ab eo illic, & alibi exprompta ad rem facient. Unum superest hic addendum, quod fines Liguriæ, & à Paulo, & à nobis statutos pervertit. Etenim quamvis post bellum Gothicum fuerit Liguria contracta, quia Alpium Cottiarum Provincia prolata, hujus limitem tamen Placentiam in planitie, & illius Abduam fuisse affirmavimus. Aliter Procopius *l.* 1. *c.* 15. exeunte, dum Italiam hic cursim describit, ordine inverso ab ortu ad occasum, Ligures locat hoc modo: *ultra Ravennam*, *à parte Læva fluminis Padi*, *degunt Ligures*: *& ad eorum latus aquilonare Albani in perbona Regione*, *quam Langivillam vocant*: *ad occasum Galli*, *ac deinde Hispani*: *à parte dextera habet Padus Æmiliam*. Undique hæc verba nos torquere, fatemur. Quid enim significant *ultra Ravennam à læva Padi Ligures*? Ultra Ravennam à læva Padi (ergo in boream) prius Veneti usque ad Alpes, & in occasum ad Abduam: & supra illos sunt Ligures. *Ultra Ravennam* ad austrum Æmilia, Apenninus, & Umbria: Ligures nisi supra Æmiliam, Ravennæ occiduam ante Gothicum bellum: post hoc Cottiani: Qui *Albani*, & ubi *Langivilla* ad latus aquilonare Ligurum? ἀλβανοὶ, καὶ λαγγάβιλλα leguntur in binis Codd. Græcis Davidis Hoschelii p. 190. linea 19. & 20. f. August. Vindel. 1607. & Græco-latino *Hist. Byzant. tom.* 2. *l.l.* Nomina hæc nusquam gentium reperta: corrupta certissime. Ad boream Ligurum, sive tractus Metropolis, hoc est, Mediolani, *Verbani*, accolæ, scilicet, Verbani lacus, vulgo Majoris. Sic corrigi *Albanos* posse censemus. Cum Nostratibus prodit Bonav. Castillionæus *de Gallor. Insubr. antiq. sedib.* p. 110. I. edit. *in tractu* (Verbano) *fuisse equorum stabula*, *vel Insubrum Principum*, *aut Romanorum Cæsarum*, *unde Stabio adhuc nomen est Oppido*. *Vallis ipsa aperta satis est*, *& herbidam habet planitiem ad equorum greges alendos*. *Hic ferme tractus*, *qui memoria nostra Insubribus parebat* (sub ultimo Duce Francisco II.) *circum Alpes*, *omnis*, *Principum negligentia*, *Helvetiis paret*. *Plurima in Stabio antiquaria visuntur* &c. Etenim Larvatus Cotta ad Macaneum de *lacu Verbano pag.* 26. *num.* 24. notat, ad Verbanum depasci *illustrium Bonromeorum equilia*: quia ibi, *& planities non exigua*, *nec infœcunda ex sabulo congestitio aggregato*, *& vi fluminum Atbosonis*, *& Stronæ protruso*, *quod Laci angulum videtur repleviſse*, *ac solidasse*..... *distantque ab Arona milliaribus* 12. Unum ex his tractibus *Langivillam*, vel alio saniori nomine fuisse vocatum ætate Procopii est probabile, sed quo certe, obscurum penitus: cum ex tot vallibus Verbano adjacentibus nullam, cui nomen *Langivillæ* confine, agnoscamus. Recte tantum hic dixit Procopius, *Æmiliam à parte dextera Padi*, idest, respectu navigantium. Etenim apud Geographos fluminum dextera, & læva dicuntur, facie ad ostium illorum, humeris verò versis ad fontem. Hinc navigantibus Padum Placentia Ravennam, ad lævam Insubres, Cenomani, Veneti: ad dexteram Æmilia, Urbesque ripariæ Placentia, Brixellum, Ferraria, & ad lævam Cremona, Mantua, licèt non riparia, Hostilia, & si quæ aliæ: quod à pluribus inobservatum, & neglectum videmus.

(11) Hucusque dedimus, quæ de Italia medii ævi notatu digna censuimus. Nunc etiam quæ Neotericus unus, immortalis ille nempe Sigonius collegit (non ut illius laudes æquare, minus superare, vel invadere audeamus: sed ne quis nobis plagii crimen objiciat) fideliter, & ex integro exscribere volumus; præsertim cum in nulla editione ejus *Regni Italici* Veneta, vel Germanica exstet *Epitoma* (index dicta) quam ad calcem solius editionis Bononiensis 1580. cujus sunt rara exemplaria, pluribus etiam in locis adauctæ, Auctor ipse, cum Bononiæ doceret, adjecit. Ibi sub titulo

Ita-

Digitized by Google

Italia, *& Provinciæ ejus* hæc prodidit: „ Secunda or-
„ dinatio Italiæ fuit Longobardorum, à quibus Italia
„ magna ex parte in Regni formulam redacta est, hoc
„ modo. *Venetia* erepta Imperatori ab Alboino Rege
„ Longobardorum, & pars ejus in *Ducatum. Forojulien-*
„ *sem* redacta A. 570. *Liguria* erepta Imperatori
„ ab Alboino Rege, & Regno attributa A. 570. *Um-*
„ *bria* erepta Imperatori ab Alboino Rege, & in *Du-*
„ *catum Spoletanum* redacta A. 571. *Tuscia* erepta Im-
„ peratori ab Alboino, pars in *Ducatum Tuscum* redi-
„ gitur, pars *Regno* attribuitur. Reliqua, quæ *Du-*
„ *catu Romano* continebatur, in potestate remanet Im-
„ peratoris unà cum Roma A. 571. *Samnium* Provin-
„ cia erepta ab Authari Rege Imperatori in *Ducatum*
„ *Beneventanum* redigitur A. 589. *Alpes Cottiæ* Provin-
„ cia erepta à Rothari Rege Imperatori Regno Ita-
„ liæ adjungitur A. 637. *Instituta Regni* Longobardo-
„ rum sunt in *Alboino*, *Autbari*, & *Agilulpho* Regi-
„ bus *Flaminia*, & *Picenum*, quod Longobardorum
„ tempore fere *Pentapolis* dicebatur, *Ducatus Roma-*
„ *nus*, cujus pars erat in *Etruria*, pars in *Campania*.
„ *Apulia*, & *Calabria* remanserunt in potestate Im-
„ peratoris, irrumpentibus in Italiam Longobardis.
„ *Tertia ordinatio* à Francis illata est, hoc modo. *Du-*
„ *catus Romanus* pervenit ad Gregorium II. Pontificem,
„ cum Romani defecissent ab Imperatore Leone Isauro
„ propter hæresim, sacramento à Pontifice liberati, &
„ post à Carolo Magno victore confirmatus est. *Flami-*
„ *nia*, quæ etiam Exarchatus appellari post adventum
„ Longobardorum cœpta est, erepta ab Aistulfo Rege
„ Imperatori, & Pontifici Romano tradita victoria Pip-
„ pini Regis Francorum, & confirmata à Carolo M. &
„ Ludovico Pio, eadem *Romania* vocari cœpta *Pentapo-*
„ *lis* erepta Imperatori ab Aistulfo Rege, & recuperata
„ à Pippino Rege Francorum, & tradita Pontifici 817.
„ 861. *Ducatus Spoletanus* à Carolo M. partus Pontifici,
„ ad quem defecerat, firmatus est: *Venetia*: *Liguria*:
„ *Alpes Cottiæ*: *Æmilia*, *& pars Tusciæ*, quæ Regno
„ Longobardorum continebantur, eædem victoria Ca-
„ roli M. Regno Italiæ conservatæ. 774. 781. 802.
„ 1173. atque uno nomine *Longobardia*, aut *Lombardia*
„ nuncupata.„ Hæc ad rem præsentem eximius Sigo-
nius, qui primus, & solus, quod sciamus, oeconomiam,
& ordinationem Italiæ medii ævi tali modo exhibuit.
An hæc sufficiat, deficiat, cunctisque probetur, Viri
docti, Italia nostra lustrata, adiaphori judices erunt.

SECTIO IV.

(12) *Cellarius Geographiæ* medii ævi promissor tan-
rùm: Pro ea sæculi V. scribenda quam copiosa supellex.
(13) Illius prodroma Italiæ tabula medio ævo prorsus
incongruens: Ibi *Latium Suburbicarium* confictum. (14)
Cur Suburbicariæ Regiones contractæ: Pristinæ suæ am-
plitudini noviter restitutæ.

(12) MEdii ævi porrò Geographiam pluries pollici-
tus est Christoph. Cellarius in *Notitia Orb.*
antiqui, sed nondum promissum implevit,
neque amplius hanc speramus, cum exposit totalia Opus-
cula Grammaticalia, Oratoria, Historica, imo & Geo-
graphiam novam ad recentes historias accommodatam
Jenæ 1707. ediderit: non desideratam, non promissam,
quod sciamus. Vix palmarem conceptæ Italiæ suæ tabu-
lam vidimus apud unum ex Sociis Palatinis (C.
D. S.) Verùm si juxta hunc Italiæ typum Cellarius me-
ditabatur Chorographiam, non medii ævi, sed posterio-
ris Romani IV. & V. sæculi, scilicet Constantini M.,
Theodosii, Arcadii, & Honorii futuram fuisse arbitra-
mur, nobis inopportunam, nec qualem optamus. Ete-
nim pro Geographia posterioris ævi peragenda satis co-
piosam supellectilem præbent Notitia utriusque Impe-
rii, Itineraria, vulgò Antonini cum Simlero, & Suri-
ta, Burdegalense P. Pithæi, Rutilii Claudii, Æthici
Cosmographia, Tabulæ Theodosianæ à Conrado Celte
repertæ, à Peutingeris servatæ, à M. Velsero primò edi-
tæ, & explicatæ, & iterum ab Ortelio in suo *Theatro*
Orb. terrar. edit. 1624. Antuerp. in VIII. bipalmaria
segmenta divisæ: tot denique notitiæ Græcæ, & Latinæ
ab Eman. à Schelstrate collectæ in appendice tomi 2. *An-*
tiq. Ecclesiæ. Quis tot subsidiis adjutus, dicti posterio-
ris ævi Romani Geographiam facilè non concinnaret,
aptèque componeret cum altera prioris ævi, nondum
priscis Regionum, Urbium, & Fluminum nominibus
immutatis? Variatio vix cœpit in Occidente post me-
dium sæculi V. & maximè Valentiniano III. imperante,
cum Barbari Romanas Provincias sunt ingressi, Vanda-
li, nempe, in Africam, Gothi in Hispanias, & Gallias,
Anglosaxones in Britanniam, ut post è finibus suis æquè
pullis Romanis, & Barbaris, Reges ex gente sua, ut ab
initio, sibi delegerint, quod feliciter Germanis, & Gal-
lis, præ cæteris, legimus evenisse. At in Oriente quam
serius Geographia immutata, & tunc solum cum Sarace-
ni, Arabes, & Turcæ paulatim Græcorum adhuc Impe-
rium occupare cœperunt. Tot ob vicissitudines, veteri
Geographia exturbata, non pauca Barbara, Græca, &
Romana Regionum, Urbium, Oppidorum, Fluminum,
& Montium ignoramus vocabula, ut antiqua cum novis
conciliare non valeamus. Id quisque experitur, cum
unam, vel alteram Urbem nunc eandem esse contendit,
quæ alias alio nomine appellabatur; undique enim bar-
baries elegantibus Romanorum nominibus tenebras, ac
noctem offudit. Hinc tot quæstiones de nomine apud
Nigrum, Castaldum, Lilium, Villanovanum, Munste-
rum, Bertium, Brietium *in Parallelis Geographicis*, &
alios. Sed præcipuè de Italia nostra nondum satis scrip-
tum, ut liquet ex L. Holstenii *adnotationibus in Italiam*
Cluverii, *& Thesaurum Geographicum Ortelii*. Neque ea
satis, quæ certior videtur, est ratio dimensionum, &
graduum sub quibus loca præsertim vetera constituun-
tur, puta, à Ptolemæo, cui præ omnibus mensuras per
gradus explorare est solemne; quis enim scit certè, ejus
positiones ubique fore accuratas? Nam „ plurima ma-
„ gno Auctori scripta esse ab auditu, & ex aliorum fide
„ (ut animadvertit, & loquitur Paulus Merula *in Præf.*
„ *ad suam Geograph.*) eamque ob causam ipsius *Geogra-*
„ *phica* ex alieno concinnata relatu, malèque, & ine-
„ mendate scripta, innumeris deformata esse erroribus:
„ multa sequiorem nacta esse stationem, & extra verum
„ locata situm.„ Præterquam quod historiæ nos docent,
quod quando ex unius Urbis ruinis altera, etsi homony-
ma emergit, nunquam in eodem situ locatur. Sed ad
meditatæ Italiæ Cellarii tabulam revertamur.

(13) Parum certè, aut nihil ea nobis ipse profuisset,
si Chorographiam prodere cogitasset IV. & V. sæculi
dumtaxat Italiæ, ut suspicamur. Nam quoad tenuerunt
hanc Gothi, quibusdam locis quidem eversis, aliisque
excitatis, Romana nomina servare voluerunt, nec non
politiam, Leges, Magistratus, & dignitates, ut ex Cas-
siodoro, ejusque formulis *var. lib.6. & 7.* est perspicuum.
Nec incongruam horum rationem, etsi castigandam, in-
nuit Blondus *Ital. ill. Reg. 9.* post initium, hoc pacto.
„ Ostrogothi æquè ac Cives Romani latinis delectati li-
„ teris, nullam in illis barbariem effuderunt. Nam
„ Theodoricus Rex I. *Latinè*, *& Græcè doctus*: Amala-
„ suntha ejus filia doctior: Theodatus Rex III. & primi
„ nepos doctissimus fuere, quod Longobardorum Re-
„ gum, vel Principum virorum nemini contigit. Nul-
„ lam verò aliam ab Ostrogothis factam fuisse mutatio-
„ nem hinc maximè credimus constare, quod Theodori-
„ cus, & cum imitati Reges cæteri Ostrogothorum cusi
„ sua imagine nummi, ambitione abstinentes, aurum,
„ æs, argentum prisco cudi Romanorum signo volue-
„ runt„. Eidem testatur Anonymus Valesianus Theo-
derici coævus ad calcem Ammiani Marcellini Adr. Va-
lesii, ex quo obiter corrigendus Blondus, scribente Ano-
nymo p. 669. quod Theodericus *inliteratus erat*, *& sic*
obruto (bruto) *sensu*, *ut in decem annos Regni sui qua-*
tuor literas subscriptionis edicti sui discere nullatenus po-
tuisset. *De qua re laminam auream jussit interrasilem fieri*
quatuor literas Regis habentem Theod. *ut si subscribere*
voluisset, *posita lamina super chartam*, *per eam penna du-*
ceret, *& subscriptio ejus tantùm videretur*. En Theode-
ricus *Latinè*, *& Græcè doctus*: à lineis excidere nefas.
Cæterum de eodem supra p. 667. *Ambulavit Romam*, *&*
occurrit B. Petro devotissimus, *ac si Catholicus* ..... *Ve-*
niens ad Senatum, *& ad Palmam* (Palma aurea locus pro-
pe Curiam forte Domus Palmata Cassiod. 4. 30.) *populo*
adlocutus, *se omnia*, *Deo juvante*, *quod retro Princi-*
pes Romani ordinaverunt inviolabiliter servaturum pro-
mittit. Cum hæc ita sint, non sub Gothis, sed sub
Langobardis, sæculo VI. inclinante pessum abiit ve-
tus Italiæ OEconomia, & Chorographia. Quomodo?
Id est quod quærimus, quod optamus: nec Cellarius
desiderio nostro indulsisset, si ejus Italia laudatæ suæ
tabulæ fuisset conformis. Ibi enim dividit ex. gr. *Tu-*
sciam in *Urbicariam* à Tiberi ad Umbronem, quo ad
longitudinem (si recte nunc meminimus) & in *An-*
nonariam, ab Umbrone ad Macram. Quo ad latitudi-
nem verò Tusciam *Urbicariam* inter *Picenum Urbica-*
rium, & mare inferum claudit, & *Annonariam* inter
hoc idem mare à meridie, & Apenninum à borea.
Picenum Urbicarium circumscribit Tiberi ab occasu,
& a meridie: à borea Apennini radicibus: ab ortu
Aniene, cum parte Valeriæ: *Annonarium* postea à bo-
rea, & occasu Flaminia, & mari supero: ab ortu A-
terno flumine: à meridie Apennino. Quisque videt hoc
Cellarii heterodoxi systema idem esse ac commentum
Gothofredi, & Salmasii ab Alcandro Seniori, & a Sir-
mundo felicissimè reprobatum. Is porrò inter cætera
ex locorum distantiis ab Antonini Itinerario petitis,
definitos hic fines ad evidentiam evertit in *Propemptico*
1. 5. & seqq. ostendens, integrum *Picenum* extra cen-
tesimum Urbis locatum, ut intra centesimum nequeant
ar-

Digitized by Google

arctari Urbicariæ, & nihilominus est *Suburbicarium*. Umbria è contra est intra centesimum, & *Suburbicaria* non est: etsi *Annonariam* admittat, sed perperam, Jac. Gutherius in libello inscripto: *Specula contra observationem Jac. Leschasserii*. Quo tandem epichermate circumventus Salmasius, quicquam in contrarium referre doctissimo Viro nescivit; ignoramus enim, an post redditum Sirmundo pro *Adventoria* à Salmasio *Eucharisticon*, contumax aliud addiderit. Absurdè adhuc magis in tabula eadem describitur *Latium Suburbicarium* inter Tiberim ab occasu: Valeriam à borea: Campaniam, Vulturnumque flum. ab ortu, & inferum mare à meridie. Cur hic dicat *Latium Suburbicarium*, & alibi Tusciam, & Picenum *Urbicarium* tantùm, divinare nescimus: nisi forte cum Gutherio in laudata *Specula* contra Leschasserium distinguere velit & ipse Regiones in *Urbicas* (sub quo nomine venire contendit quidquid recti assurgebat unà cum exspatiantibus, juxta phrasim Plinianam) *in Urbicarias*, quæ Sociorum fines attingerent, & in quorum limitibus fierent sacra *Ambarvalia* (cum rustici pro frugibus hostiam circa arva ducebant) & in *Suburbicarias*, quæ agro, & limitibus Sociorum, & Ambarvalium adjectæ, Romani agri partem effecere, ut ager Reatinus, & Picenus. Etsi hæc omnia gratis dicta facile repudiari possint, attamen in hac hypothesi potius *Urbicarium* dici *Latium* deberet, quam *Suburbicarium*, cum angustos inter limites, ut supra, illud occludat, & remotiùs ab Urbe *Suburbicarii* nomen intelligat. Potius Cellario faverent Hieronymus Alcander *de Suburbicar. Regionib. lib.* 1. *cap.* 3. & Christianus Lupus *de Appellationib. cap.* 9. *pag.* 73. dum ille observat, quandoque distingui Urbicarias à Suburbicariis: ut essent hæ propiùs Urbem locatæ, & intra centesimum ab Urbe lapidem, quoties de administratione Præfecti Urbis ageretur: illæ verò remotius, & extra centesimum: X. illæ nimirum Vicario Urbis obnoxiæ. Ita & Lupus *l. l.* Hoc pacto *Latium*, uti Urbem propiùs situm, rectè Cellario *Suburbicarium* diceretur. At præterquam quod præfata distinctio non arridet Sirmundo, cum non sit de re, sed de nomine, imò neque Salmasio in *Eucharist. c.* 3. *p.* 99. illud potissimùm obstat Cellario, quod dum in tabula sua *medii ævi* scribit *Latium Suburbicarium*, subjectum destruit adjectum. Ubi enim *Latium* medio ævo? Si hoc *Latium Suburbicarium* unquam fuisset, eidem correspondere, & *Annonarium* debuisset, sed utrunque inauditum, & simplex Latii nomen suppressum, & deletum post Constantini M. ævum, ut in Campaniæ nomen concesserit, & absit omnino cum à Codice Theodosiano, & à notitia Imperii, tum à cæteris notitiis post Constantinum scriptis, quod & pluries advertit Sirmundus præsertim in laudato *Propemptico c.* 8. *p.* 114. Si ergo corruit subjectum, hoc est, *Latium*, & consequenter adjectum, hoc est, *Suburbicarium* magis deesse par est. Antiquato, inquimus, nomine Latii, quoniam pars hujus una saltem *Campaniæ* cessit (nam altera Valeriæ, & Samnio altera cessisse videtur) quidem minus malè scripsisset: *Campania Suburbicaria*: licèt & sic errorem errore emendasset. Quod si, universim loquendo, Suburbicarias, & Annonarias Regiones adhuc ævo Justiniani in rebus Italiæ, & Gothorum memoratas nanciscimur, ut apud Marcellinum Comitem in *Auctario indict.* 1. Vitigis per *Tusciam annonariam* iter scribentem, hæc ad Geographiam posterioris ævi Romani, non medii certissimè spectant.

(14) Miramur ergo, Cellarium, alias doctissimum, & in rebus præsertim Geographicis facilè principem, Tabulam Italiæ, quæ certis debet inniti legibus, concinnasse, nedum incongruam ævo, sed etiam erroneis descriptam finibus: cum ex plurium annorum conflictu veritas tandem meridiana luce clarior emersérit, & vicerit, indubiumque nunc sit, Regiones Suburbicarias fuisse eas X. quæ Vicario Urbis (hoc est Vicario Præfecti Prætorio Italiæ in Urbe sedenti) parebant, non autem Præfecto Urbis, qui vix Romæ ejusque Territorio sinè Diœcesi, aut Provincia præerat, quod affirmare, & ostendere non dubitavit Du-pinius de *Antiq. Eccles. discip. diss.* 1. §. *ult.* Non alia postea de causa Cellarium in sententiam oppositam abiisse censemus, nisi ut sectariorum suorum tueretur sistema; Suburbicarias enim intra centesimum arctare conantur, ut quemadmodum inter hos terminos Præfecti Urbani continebatur potestas, ita & Romani Pontificis jurisdictio contracta dicatur. Planè institutum nostrum non finit, justam hanc causam agere, eoque minus post Sirmundi, aliorumque pietate, & doctrina illustrium Scriptorum victorias. Attamen cum ad Geographiam sacram, cui associatur civilis, spectare videatur, unum tantummodo, intactum adhuc, sed invictum subjicere liceat, heterodoxorum sophismata ad evidentiam historiæ subversurum, præmissa, claritatis ergo, illorum cantilenæ summa ut apud Salmasium *Eucharist. c.* 1. Inquit: „ Provincia Metropolitana Episcopi Urbis Romæ etiam Romana appellata est, & iisdemque limitibus continebatur, „ quibus Romana Regio, cujus finibus jurisdictio Præfecti Urbis limitata fuit. Et certe certissimum est, „ Metropolitanam Provinciam Episcopi Romani, vel „ ab ipsis nascentis Ecclesiæ incunabulis ad formam, ac „ typum administrationis civilis fuisse constitutam. „ Quod etsi in omnibus non obtinuit, in plerisque tamen hoc servatum est, ut Ecclesiasticæ Provinciæ ad „ normam civilium exigerentur, & constituerentur. „ In Provincia verò Metropolitana Episcopi Romani, „ quia ad eum modum fuit formata, nemini dubium „ potest esse, nisi qui Solem meridie non lucere, jurare „ sit paratus. Episcopus igitur Urbis, eandem quam „ Præfectus Urbis, & iisdem cancellis terminatam sub „ se Regionem habuit, sive Provinciam. Utraque Provincia Romana, & Regio Romana dicta est: utraque „ easdem Suburbicarias Regiones, & Ecclesias ambitu „ suo complexa est. „ Ideoque & Cellarius *Latium Suburbicarium* commentus est. Verum is videre & expendere potuit, veterem, licèt communem, nunc labare sententiam, scilicet, primitivam Ecclesiam ævo Apostolico ad formam politiæ civilis fuisse efformatam, quod primò Literariæ Reipublicæ aperuit Cl. Abbas Bacchinus *diss. de Hierarchiæ Eccles. Origin.* edita 1703. ut heterodoxis naufragii sui tabulam, Orthodoxis probatam, & in conformitate utriusque jurisdictionis positam, adhuc eriperet: licèt citra necessitatem civiles etiam illo ævo Metropoles inficietur: quo medio & alii abutuntur. Cæterum grandis, immensaque disparitas est inter simplicem Episcopum, vel Metropolitam, ut ait Salmasius, & Summum Pontificem, qui (velint, nolint illum Osores) totam Ecclesiasticam Hierarchiam virtute, & eminenter, ut Scholæ loquuntur, potestatem, ac dominium complectitur. Est enim Episcopus Romæ; Metropolita, vel Exarchus Italiæ: Thronus, sive Patriarcha Occidentis, & Pontifex Orbis universi. Ita ejus Exarchatum definit Socrates l. 4. c. 11. dum illum vocat Episcopum Italiæ, seu XVII. Provinciarum. De cæteris Carolus à S.P. in *Geograph. sac.* à *p.* 16. & Schelstratensis *Antiq. Eccles. t.* 2. *diss.* 6. *c.* 6. *n.* 3. Sed nostrum jam prodeat argumentum, quo efficacius adversarii urgeantur. Quando, & à quo fuerint Metropolitæ instituti, nil refert inquirere. Satis de hac re quotquot de Ecclesiæ disciplina scripserunt. Solum, ut certum supponimus, illorum inter jura potissimùm fuisse Ordinationem Episcoporum Provinciæ, ut abunde ex Conciliis, ipsaque veteri praxi est perspicuum. Insuper primis sæculis non tot fuisse Episcopos, præsertim in Italia, ut sequioribus, sicut apud Ughellum, & ex tabulis Ecclesiarum, quibus sero dati Pastores. His præmissis, quomodo fieri potuit, plures Romanos Pontifices, qui per breve tempus in Pontificatu vixere, tot Episcopos ordinasse, quinimo plures interdum Episcopos, quam Presbyteros, & Diaconos, si solius Urbis, & Regionis Romanæ Præfecti Urbani ad instar, fuisset Pontifex tantum Episcopus, Metropolita, sive Exarchus, sive Primas (ne de nominibus contendamus) & una simul Thronus, hoc est, Patriarcha? Nam Heterodoxi hæc attributa illi detrahere, juraque adnexa, nesciunt, & nequeunt. Nisi pluribus Provinciis ab origine & semper præfuisset eadem potestate, & solicitudine compos, tot ordinare non potuisset Episcopos, numero sæpe plures, ac essent Urbes Episcopali Sede in Romana Regione donatæ. Modo: ex Libro Pontificali vulgo Anastasii Pontificum aliquorum vitæ observentur, præsertim à sæculo IV. quando pace reddita Ecclesiæ, æque naturaliter & ipsi, & Episcopi in pace quiescebant. Quo etiam sæculo circa A. 359. Suburbicariarum nomen primò cœpit audiri. Ibi argumenti nostri summa comprehenditur, ut in sequenti laterculo, in quo notantur hoc ordine Pontifices, præmisso suæ creationis anno: Anni, & Menses: non dies, eorum Sedis: post quot Episcopi eo tempore ordinati. Quisque dignoscet impossibile, tot ordinationes factas in sola Regione Romana.

A.	309.	Eusebius	A.	2.	M.	1.	Epp.	8.
	311.	Miltiades		3.		7.		12.
	314.	Silvester		23.		10.		65.
	336.	Marcus		2.		8.		27.
	355.	Felix II.		1.		2.		19.
	367.	Damasus		18.		2.		62.
	402.	Innocentius		15.		2.		54.
	419.	Bonifacius		3.		4.		36.
	423.	Cœlestinus		9.		1.		46.
	432.	Xistus III.		8.		0.		52.
	440.	Leo		21.		1.		185.
	461.	Hilarius		6.		3.		22.
	482.	Gelasius		4.		8.		67.
	497.	Anastasius II.		1.		11.		16.
	498.	Symmachus		15.		8.		107.

Satis, quia prosequi tædet, sed idem omnino fuisse, quin etiam sequioribus sæculis, Lectori patebit, cum solus Adria-

Digitized by Google

Adrianus ab A. 772. ad 95. Episcopos 185. ordinaverit. Notabile quoque Sisinium, qui vix dies 20. sedit, Episcopum Corsicæ ordinasse. Forte tunc fuerit Corsica ex IV. Regionibus Suburbicariis prope Romam ut asserunt Heterodoxi. Tabula Cellarii affectata huc nos traxit. A via defleximus, ignoscatur.

SECTIO V.

(15) Συνεκδημος Geographicus *Hieroclis Grammatici* (cujus ætas hucusque ignota) a quibus editus: Genuinus quidem, sed non integer: verè medio ævo, Imperio Justiniani ineunte, scriptus: Notitia Ecclesiastica non est, sed Civilis. (16) Urbes Justinianeæ XIX. unius (quæ ætatis Hieroclis exploratrix) situs, & vetus nomen inquiritur: Synecdimi Magistratus a Justiniano immutati. (17) Quæ Provinciæ ab eo suppressæ, contractæ, vel auctæ: An ejus Novellæ omnes inventæ. (18) Provincia, & Urbes *Theodoriades* ubi, & quot: *Irenopoles* unde dictæ: Inter Geographiam Sacram, & Civilem discrimen: Hæc a Provincialibus concinnanda ad normam *Germaniæ JuncKeri*.

(15) ETiam spe nobis facta à Cellario destituti, optare tantùm nunc superest, enixeque rogare Viros Geographiæ amatores, ut ad rem hanc adeo præclaram calamum suum adjicere velint, egregiumque opus suscipere nedum Reipublicæ Literariæ opportunum, verum & maxime necessarium: quo tamdem aliquando & Geographia universalis medii ævi adhuc intacta innotescet, & Chorographia perficietur Italiæ: hæcque nostra plane informis corrigetur, amplificabitur. Quisquis aggressurus id opus monitum modò, nostrum non temnat, malitque benigne nos audire, dum Geographiam certissime medio ævo conscriptam, qua saltem pro Imperii Orientalis descriptione sibi viam sternere poterit, ei suggerimus, scilicet, *Hieroclis Grammatici Notitiam*, cui titulus, Συνεκδημος, sive *Comes peregrinationis*. Non ut novum id opus nunciamus, cum primùm illud ediderit Carolus à S. Paulo, suppresso tamen suo nomine in *Geographiæ Sacræ* notitiis antiquis subjectis, Parisiis 1641. sed 14. postremis Provinciis mutilum. Recusum Amstelædami habemus 1704. à pag. 18. & in calce, Editoris sui nunc nomine apposito. Ante MS. extabat apud Sirmundum, visum ab Adr. Valesio, & laudatum in sui Ammiani *l.* 3. *c.* 11. *p.* 641. a. Cum primam editionem anonymam forte non viderit Cl. Ansel. Bandurus primum editorem Synecdimi hujus in Præf. ad suum *Imperium orientale* p. 2. & 3. eximium L. Holstenium asseruit, qui ex Cod. MS. Vaticanæ, & aliis Altempsiano, Farnesianisque correctum dedit, & Latina interpretatione exclaratum: sed Historiæ Byzantinæ corpori, ut spoponderat, non potuit, fato præventus, inserere, ut in apparatu ad eandem p. 13. monet Labbeus. Exinde doctiss. Emmanuel a Schelstrate *in Append. tom.* 2. *Antiq. Eccl.* cum tot aliis notitiis utilibus prodidit: Et novissime Cl. Bandurus d. *Imper. Oriental. t.* 1. collato exemplari suo cum aliis Codd. variisque Lectionibus illustrato. Continet ergo is Synecdimus Provincias 64. & Urbes 935. (vel continere deberet) Imperatori CP. subjectas. Schelstratensem incusant Joh. Albert. Fabricius *Biblioth. Græc. t.* 6. *p.* 569. & Bandurus in laud. *Præf.* quia dixerit Synecdimum hunc genuinum non esse, neque ad nos integrum pervenisse. Genuinum esse, prout extat, confirmamus, integrum vero nequaquam: non tamen quia, ut contendit Schelstratensis, Provincias contineat solùm 51. & Urbes 761. beneficio enim Codicum Farnesiani, & Barberini Provinciarũ numerus 64. completus apparet, sed non ita Urbium 935. Mutilus dupliciter est, quod non observarunt Viri illi doctissimi, non enim tantum Provinciæ 64. sed 65. esse debent, quia Hierocles sub num. XXVII. notat Pamphyliam II. cum Urbibus 47. & ubi I. notatur? Deficit, vel error irrepsit, quod probabilius, ut mox infra ex Porphyrogenito, & cum de Arduini sententia. Neque Urbes 935. numerantur. Cuique Provinciæ Urbium numerus præfigitur, sed dum enumerantur, sæpe numerus deficit, & interdum abundat. Sub Provincia *Rhodope* num. II. ex. gr. Urbes 7. designantur, & nominantur vix 5. sic sub dicta *Pamphylia* Urbs 47. & 3. desunt: sic & alibi: E contra sub *nova Epiro* num. XIII. Urbes 9. dicuntur, & 10. sunt. Quomodo integer? Certissimè neque sunt omnes 935. nec certè potest numerus definiri, cum quandoque distingui nequeat, an nomen sit unum, vel duplex, ut sub d. *Pamphylia* in Cod. Farnesiano sejunguntur *Thermesus*, & *Eudocia*, in aliis conjunguntur. Item sub *Illyrica* I. num. VII. notatur *Antagnia Geminidi*: Urbs ne duplex, vel una? Ut ut sit, nomina obscura. Fortè Viris doctis videbitur, nos perperam Synecdimum hunc medio ævo scriptum dixisse, cum & novissime solers Bandurus in laud. *Præf. ad Imper.* Hieroclis ævum *incertum omnino esse* protulerit. Scriptum Synecdimum sæculo saltem IX. & Fabricius, & Schelstratensis laudatis locis dixere: quoniam Constantinus Porphyrogenitus Imp. ab A. 912. *de Thematib. l.* 2. *c.* 1. Hieroclem laudat his verbis: „ Prima „ Natio (Thraciæ) Dolonchorum nominatur. Te„ stis hujus assertionis est Hierocles Grammaticus, qui „ scripsit Commentarium *Peregrinationis Comitem*. . . „ . . . . . cum ita loquitur: „ *sunt omnes Præfecturæ, & Urbes, quæ ab Imperatore Romanorum Constantinopolim regente administrantur. Præfecturæ quidem* 64. (non ergo *duplex Pamphylia* ut supra) *Urbes* 835. (corr. 935.) Hæc quidem Porphyrogenito Hieroclem seniorem demonstrant, sed quanto tempore, nondum satis apparet. Quatuor tamen sæculis antiquiorem esse Hieroclem, & vere medio ævo vixisse, definire non dubitamus: nec non integro sæculo post Notitiam utriusque Imperii (proditam A. 8. circiter Theodosii, jun.) hoc est, Imperio Justiniani ineunte à Kal. Apr. 527. Synecdimum fuisse scriptum ex ejusdem visceribus clare colligimus. Etenim inter 26. Urbes Provinciæ Consulari Pisidiæ attributas sub num. XXIV. hæ ad rem nostram enumerantur *Themisonius*: *Justinianopolis*: *Mallus*: *Odada*: *Zorzilo*, & nonne hæc *Justinianopolis* ætatis Hieroclis fida exploratrix? Certissimè namque à solo Justiniano nomen hoc illa obtinuit. Si ergo *Justinianopolim* Hierocles novit, & nomenclationis auctorem novisse est necesse. Non diu tamen; cum enim tot aliis Urbibus suum idem nomen indiderit Imperator: itemque Magistratus in Provinciis innovaverit, Provinciasque secuerit, vel contraxerit: nec Hierocles hæc, ut par erat, adnotaverit, intempestivè præmortuum ipsum fuisse cognoscimus, & annum 9. Justiniani non vidisse num. seq. ostendemus. De Justiniano Procopius *Arcanæ Hist. p.* 49. Lugd. ita scribit: *Statis Magistratuum formis, legumque, ac militarium ordinum abrogatis, alias invexit, non jure, non publico commodo adductus, sed ut omnia nova, & de suo nomine dicerentur*. Mutationes has pro bono Geographiæ, & Synecdimo ad normam Justinianeam reformando, sequenti numero observabimus. Hic modò, ne misceantur sacra profanis, refert ostendere, Notitiam Hieroclis merè civilem, *non Ecclesiasticam* esse, ut Joh. Harduinus *in Antirrhetico p.* 93. dixit, nulla tamen adducta ratione. Et primò, si Ecclesiastica foret, perperam inscriberetur *Synecdimus*, idest, Comes peregrinationis. Omninò Hierarchica nota destitutam ipsam videmus. Ibi nulli Throni, Metropolitæ, Autocephali, Urbes Episcopales, ut expressè habentur in aliis notitiis verè Ecclesiasticis, & distinguuntur: conferantur. In Synecdimo nominantur Urbes expressè Magistratui Romano subjectæ. Provincia dicitur nunc sub Consulari, vel Proconsule: nunc sub Præside, vel Correctore: *Ægyptus* num. LVII. sub *Augustali*: *Thebais* num. LXII. sub *Duca* &c. Undenam Hierarchicæ notæ? Numerentur Urbes à Hierocle Provinciis attributæ: & item in Notitiis Ecclesiæ Metropolitis obnoxiæ, ubique ferme varius est numerus. Quid Notitiæ omnes huc afferendæ? Ut observavimus nos, observentur: unumque exemplum pro tot aliis sufficiat, scilicet, *Mesopotamiæ*. Sub hac Hierocles num. L. vix unam Urbem *Amidam* notat: Metropolitæ Amidensi in solo tantùm Romano subjiciuntur Urbes 8. in notitiis, præter extra Romanum solum trans Tigrim, adhuc sæculo VI. Hieroclis. Forte Harduinus, visa in notitia Hieroclis Pamphylia II., ut in notitiis Ecclesiæ apud Carolum à S. Paulo videtur *Pamphylia*, & *Pamphylia altera*, illam Ecclesiasticam censuit. Sed iterum, & ubi I. in Hierocle? Et si esset, non ergo Provinciæ 64. ut & Porphyrogenitus asserit, sed 65. Numerantur præ cæteris in Pamphylia, ut sic, seu I. apud à S. Paulo *Erymne*, quæ juxta Holstenium ibi *Hierocli Orymna*: item *Carallus* Hierocli *Caralia*: Similiterque *Cotana*: & tamen *Orymna*, *Caralia*, & *Cotana* notantur omnes sub Pamphylia dicta II. Sed tertiò quærimus, ubi I. in Hierocle? Quò magis hanc exquirimus, eò minus comperimus.

(16) Synecdimum nunc, pro usu Geographiæ reformandum, observaturi, ut ævo vere medio Justiniani Provinciarum Oeconomia innotescat, nos prius a Justinianopoli, vicinisque Urbibus prænominatis, ne frustra commemoratæ dicantur, expedire debemus. Illarum namque situm, nomenque inquirendo, quædam adhuc, nec incongruens Synecdimi ejusdem apparebit idea, dum illum nemo, & si pluries editum, adnotationibus, ut expediret, illustrare curavit. Quò clariùs porrò Hieroclis ætatem Justinianopolis explicavit, ubi hujus locus, & quodnam nomen primævum, eò obscurius. *Justinianas* Urbes VIII. *Justinianopoles* XI. dictas a Justiniano collegit, & prodidit Nic. Alemannus in notis historicis ad laudata verba Procopii pag. 49. Quibus XI. tamen addendæ ex *Ordine Præsidentiæ* in in Schelstratensis Append. 17. ad *Antiq. Eccles. p.* 684. ubi *Justinianopolis*, sive *Conto* Thebaidis II. & Justinianopolis, sive *Pisinus*, al. & *Pessinus* (*untis* in obliquo)

Digitized by Google

quo) Galatiæ Metropolis : nisi forte hæc idem ac *Spalæa* in Galatia ignota priscis, & novis Geographis. Has inter nullam in *Pisidia*, utique unam profert in Pamphylia ex *Provinciali Eccles. Orient.* quam tamen eandem esse censemus. Cum enim *Pisidia* habeat ab austro confinem *Pamphyliam* contra Cyprum extensam, facile à Geographis, & Historicis unius Provinciæ Urbs alteri conterminæ adscribitur. Ita (ne à Pisidia abeamus) *Milyas*, quia in *Pisidiæ* limite sita, *Pamphyliæ*, sive *Carbaliæ* suæ Ptolemæus 5. 5. attribuit. Præterquamquod potuit esse, ut uni ex duobus Metropolitis Pamphyliæ Sidensi, scilicet, vel Pergensi Justinianopolitanus Antistes subesset: licèt Urbs geographicè, & civiliter ad Consularem Pisidiæ spectaret. Media inter *Thermisonium*, & *Mallum* locatur à Hierocle *Justinianopolis*. *Themisonius* corruptè (nisi alius sit à *Termesso* inter Urbes Pamphyliæ II. etiam Hierocli, quod non videtur) *Termessus* erit Strabonis lib. 13. exeunte, & alibi, Urbs quidem Pisidiæ. Item Τερμισσός πόλις Πισιδίας Stephano, suffragantibus nummis Termessensium apud Holstenium in *Ortel. p.* 189. & in *Steph.* 320. *a*. Et *Mallus*? Μαλλός πόλις Κιλικίας eidem Stephano, prope Tarsum ad ortum, & ad mare, sed procul nimis ab eo, quem quærimus in Pisidia, cujus mentio extat ante Hieroclem, juxta Holstenium in *Steph. p.* 197. *b.* scribentem, quod *fuit aliud hoc nomine* (Mallus) *Oppidum in Pisidia, quod in Hieroclis, aliorumque notitiis occurrit : nisi id potius* Μαλὸς *unico* λ *scribendum sit, ut in veteri notitia Episcopatuum scriptum exstat: forte & gentili differebat. Nam Attalus* Μαλλωῶν *Episcopus hinc dicitur* tomo I. Concilior. Græcor. p. 190. *qui in Epistolis Concilio Chalcedonensi subjunctis* (An. 451. ideo ante Hieroclem) *Malinopoleos, sive* Μαλλωοπόλεως *dicitur*. NB, nullum *Mallum* in duabus Ciliciis Hieroclem adnotare, quando certissimè *Mallus* apud Tarsum, ut supra. Esset ergo ne Mallus Pisidiæ *Milyas*? Si Milyas non est, quomodo hæc Urbs tam celebris apud Herodotum *l.* 1. *n.* 31. *p.* 70. & alibi: Strabonem *l. l.* Arrianum *de Exped. Alexand. p.* 24. Ptolemæum *l. l.* & Stephanum, præterita à Hierocle? At *Justinianopolis* ex laud. *Provinc. Eccles. Orient.* juxta Alemannum dicitur *Myloma* in Pamphylia, quæ vox *Milyadi* affinis. Cum tot & tot corrupta nomina Græca in Synecdimo, nondum à Viris doctis correcta, offendantur, divinare nescimus. Corrupta ex prænominatis etiam *Odada*, quæ in notitiis Episcoporum Αδαδων legitur. *Zorzila* transit: sed corruptè apud Ptolemæum *l. l. Dyrzela* dicitur. Præterit omnino Hierocles *Sandalium* situm *Termessum* inter, & *Milyadem*. Nisi *Sandalio*, vel *Milyadi* factum fuit nomen *Justianopolis* nomen Urbem conditam ab Imperatore necesse est asserere. Eruditi dijudicent; sufficit enim pro præsenti negotio ex *Justinianopoli* ætatem Hieroclis detegisse. Quemadmodum ex innovatione Magistratuum in pluribus Provinciis facta ab Imperatore, illi invisa, & ideo in Synecdimo non indicata, neque unà diu vixisse cognoscimus. Quin imo nec vidisse A. 9. Justiniani (Christi 535.) conjicimus. Etenim cum ex illius *Novella* 8. appareat, plures mutationes in Magistratibus fuisse factas, de quibus nihil apud Hieroclem: cumque ea Novella data sit in textu Græco post. cap. 14. *XVII. Kal. Maji Constantinopoli Bilis. V. C. Cons.* licet in versione latina scribatur *Belisario Præfecto*, qui vere A. 535. Cos. fuit in Oriente, sine Collega in Occidente (ut ideo Acta Concilii I. Arvernensis notentur *Post Consulatum Paulini jun.* qui Cos. A. 534. in Occidente) necessario sequitur, Hieroclem ad Consulatum Belisarii non pervenisse. Hujus Consulatus alibi quoque notatur ad rem, ut infra. Ab eo postea Magistratus adhuc scribi sicut in antiquiori Notitia utriusque Imperii scribuntur, ulla sine mentione *Prætorum*, prædiximus sub num. 15. At Justinianus pluribus Consularibus abrogatis, hos maluit in posterum appellari *Prætores*. Hinc dum Hierocles Provinciam num. XXIV. *Pisidiæ sub Consulari* constituit, Imperator *Novella* 24. sic jubet: *qui Pisidiæ Præses erit is Prætor Justinianæus esto*. Ideoque apud Julianum *Const.* 17. conceptus est hic titulus *de Off. Prætoris Justinianæi Pisidiæ.* Cur ita disponat, innuit seq. *Nov.* 25. dum *Lycaoniæ Consularem* (Hierocli Prov. XXV.) esse appellandum *Prætorem*, decernit: *est enim* (ait Imp.) *hoc nomen, quasi jure patrio, Romani Imperatoris proprium, & ante ipsos etiam Consules in ampla Romanorum Republica usui habitum. Nam veteres Romani suos Imperatores Prætores appellabant: simulque illis præbebant, ut militaribus præirent copiis, & descriptis ab illis parebant Legibus*. Cohærenter ad hæc idem etiam statuit in Provincia *Thraciæ*, quæ scribente Hierocle num. I. *Consularis* tantùm erat, & ab Imp. *Nov.* 26. *cap.* 1. Prætoria fit hac sanctione: ,, Quemadmodum Pisidiæ Rector, ,, & summus Lycaoniæ Magistratus a nobis nominatus, ,, institutusque est, ita & hic *Prætor* nominabitur, assumpto pietatis nostræ cognomine ,, (Justiniani) nam *cap.* 2. subnectit: ,, ideoque hujus etiam Provin- ,, ciæ officia copulantur ,, (idest civilia, & militaria) *Prætor hic Justinianæus Thraciæ nuncupator*. Sic Provinciæ Phrygiæ *Pacatianæ* num. XXII. (corruptè *Capatianæ* Schelstratensi: & *Cæpatianæ* Banduro) quæ Consularis est Hierocli, præficitur *Nov.* 8. *cap.* 2. *Comes Phrygiæ Pacatianæ*; in hac tantùm Provincia jurisdictionem habiturus, & non in universum tractum Asianum, ut ante. Addeque cum Hierocles scribat num. XXXI. Provinciam *Ponticæ Bithyniæ*, & num. XXXII. *Galatiam I.* sub Consularibus, Vicario Ponticæ sublato, *Comes Galatiæ I.* tantùm constituitur, ulla sine potestate in Pontico tractu, ut ex eadem *Nov.* 8. *cap.* 3. licèt iterum *Edicto* 8. Justiniani Vicarius Ponticæ restituatur A. 547. Dicitur num. XXXIII. *Paphlagonia sub Correctore*: & *Nov.* 29. *cap.* 2. statuitur, quod *is Prætor nuncupetur*. Data est hæc Novella *Belisario Cos.* Provincia *Isauriæ* num. VL. sub *Præside* Hierocli: sub *Comite* ex *Nov.* 27. Item *Phœnicia Libania num. LII. sub Præside*: sed ex *Edicto* 4. sub *Moderatore*. Provincia Palæstinæ I. num. LIII. ex Consulari fit Proconsularis per *Nov.* 103. Belisario Cos. Eodem quoque anno *Arabiæ Consularis* nu. LVI. *Moderator* est pronunciatus *Nov.* 102.

(17) Alios Magistratus Justinianum variasse cognoscimus, dum & Provincias nonnullas suppressit, contraxit, vel auxit. Occurrit primò in Synecdimo Provincia *Honoriadis sub Præside* num. XXXII., olim constituta ab Honorio, tribus ademptis Urbibus Paphlagoniæ, totidemque Bithyniæ, ut ex *Nov.* 29. innuit P. de Marca *de Concord. Sacerd. & Imp.* 2. 9. §. 3. Sed Imperator in integrum Paphlagonia restituta, & Honoriade suppressa, hujus sex Urbes illi adjungit, & Prætorem imponit, his verbis: *Is Prætor* (Paphlagoniæ) *nuncupetur* ..... *Sex prædictæ Urbes in Honoriade prius existentes erunt jam nunc & ipsæ pars Paphlagoniæ*. Ita cap. 1. subjungens cap. 2. *Appelletur autem tota Provincia, quemadmodum & ante, Paphlagonia*, & hæc *Belisario Cos.* gesta. Sequuntur in Synecdimo numm. XXXVI. & VII. *Cappadocia* I. & II. quibus *Consulares* duo præsunt. At Cappadocia una tantum efficitur seq. *Nov.* 30. eique præficitur Proconsul Cappadociæ, inquit enim Imp. cap. 1. *Universam verò Proconsularem fieri, appellarique volumus*. Licèt Novellæ huic desit dies, & Consul, tamen *Belisario Cos.* innovatam quoque Cappadociam satis novimus ex *Nov.* 20. *c.* 2. ubi dicitur *primæ Cappadociæ Præses* (non Consularis ut Hierocli) ..... *nunc autem in spectabilis Proconsulis figuram mutatus est*. Magis adhuc, eodem *Belisario Cos.* commutatæ Provinciæ *Helenopolis* (corruptè) *Consularis* in Synecdimo num. XXXVIII. & *Ponti Polemoniaci sub Præside* num. XXXIX. Duplex enim erat *Pontus*, scilicet *Heleno-pontus* ab Helena Constantini matre dictus, ut mox, Urbes 8. complectens, quarum caput *Amasia*: & *Polemoniacus* à prisco Rege Polemone vocatus, 5. vix habens Urbes, quarum caput *Neocæsarea*, ut in *Præf. Nov.* 28. ubi Imp. utrumque cogens in unum, ita loquitur *cap.* 2. ,, Ambos illos *Pontos*, 13. comprehensos Urbibus, iterum nunc in ,, *unam Provinciam* contrahimus, assignamusque ipsis ,, tam veterem unitionem, quam modernam appella- ,, tionem. Namque ab omnibus *Heleno-pontus nuncu-* ,, *patur*, quod illi nomen à pientissimo Principe Con- ,, stantino impositum est, occasione honestissimæ suæ ,, matris, Helenæ scilicet pientissimæ mulieris, quæ ,, nobis etiam sacrum Christianorum signum invenit. ,, Vetus enim illud nomen *Polemonis*, quo plerique in ,, *Ponto* tyranni usi fuerunt, *debinc quiescito*. Pri- ,, mùm quia Tyranni extitit: secundo quia Urbem de ,, suo nomine appellatam habet, scilicet *Polemonium*: ,, tum etiam quia pulchrius fuerit Regiones Christia- ,, norum, & Regum nominibus designare, quam his, ,, quæ *polemi*, hoc est belli, & tumultus præ se no- ,, tionem ferunt. ,, Subnectit ideo cap. 3. *Moderator Justinianæus Helenoponti nominator*. Excessu econtra Imperator exaugere voluit *Armenias*: quarum antiquitus una *major*, quæque orientalior ad Caspium, *minor* altera occidentalior illa. Non modò Hierocli numm. XL. & XLI. *Armenia I. sub Consulari*; *II. sub Præside* verum, & ita dictæ initio Imperii Justiniani, ut ex ejus *l.* 5. *C. de Off. Magist. Milit.* ubi Imperator *magnam Armeniam*, & *secundam*, Comite sublato, uni Magistro Militum *Zetæ* cum Ponto Polemoniaco, aliisque Regionibus, administrandas committit. Sed *post Consulatum Belisarii* A. 536. datur *Novella* 31. qua Armeniæ I. & II. conduplicantur. ,, *Quatuor Armenias* ,, *fecimus*, Imp. ait, unicuique finibus, Urbibus, Me- ,, tropolibus, Rectoribusque assignatis. I. sub *Procon-* ,, *sule*, ejusque Metropolis *Justinianæa*, olim *Bazanis*, ,, sive *Leontopolis*. II. sub *Correctore*: olim erat I. & ,, *Sebastea* ejus caput. III. sub *Comite Justinianæo*: an- ,, tea vocabatur II. Quod Comes *Melitenæ resideat*, ut ,, in Metropoli jubetur cap. 1. in fine. IV. sub *Con-*

su-

Digitized by Google

„ *sulari* variis ex Regionibus barbaris acervata, quarum caput *Martyropolis*, olim Mesopotamiæ. „ De cæteris cunctarum Urbibus, & ex quibus etiam recens Armenia I. congesta, plenè in *d. Nov.* 31. Æquè à Synecdimo, Novellis, & Edictis, quæ exstant abest Provincia *Theodoriadis*, ut hanc quàm serò institutam fuisse credamus: Nisi forte de illa in Novellis adhuc desideratis. Nam licèt Codicibus usualioribus (ne tædium aliqui subeant, eo prætextu, non omnes auctoritate valere) magna ex parte adimantur: & post Gregorium Haloandrum, Henr. Agilæum, Henr. Scrimgerum, & Jac. Cujacium Novellarum auctificos Dionys. Gothofredus Novellas 168. novissimè ediderit, dubitari potest, an omnes. Quoniam Julianus, Justiniano defuncto, in illarum Epitome testatur, Novellæ ultimæ hoc fuisse initium: *Quam jam videor conscripsisse &c.* quæ nondum reperta. Et Matthæus Blasteres Monachus Græcus in *Præf. Collect. Constitut. Eccles. Græc.* monet, Justinianum, Constitutiones 170. condidisse: sed nec forte omnes is viderit, cum serò ipse vixerit, sæculo nempe XIII. ut conjici potest ex titulo cujusdam Codicis MS. in Bibliotheca Patriarchæ Constantinopolitani, *de legibus*, cum explicationibus trium Doctorum Zonaræ, Balsamonis, *postremò Matthæi Blastarii*, de quo Ant. Augustinus in *Præf. ad Antiq. Decretal. Collect.* qui sentit, Matthæum Ivone, & Gratiano non fuisse antiquiorem. Codicem Constantinopolitanum laudat Gerh. Vonmastricht *Hist. Jur. Eccles. num.* 289. *p.* 321. Equidem inverisimile videtur, Justinianum innovandarum rerum tam cupidum, Prætorumque saltem Magistratus restituendi adeò solicitum, ut ex laud. *Nov.* 25. & alibi præsertim *Nov.* 13. *de Prætorib. Pop.* vix IV. Prætores Pisidiæ, Thraciæ, Lycaoniæ, & Paphlagoniæ dixisse. Certissimè confecto bello Vandalico, & Africa virtute Belisarii recepta A. 534. Justinianus, illius adhuc consilio, in reformandis Provinciis totum se posuit, exorsus quidem ab Africa, ut liquet ex ejus *Cod. tit.* 27. *lib.* 1. *de Off. Præf. Præt. Afr.* quamquam de his rebus pauca scripta supersint, ob deperditos rerum Justiniani tot coævos Scriptores, quos Alemannus in *Præf.* sive *Judicio de Procopio*, & *Hist. Arcan.* recenset. Itaque omnino credimus plures, & plures Justiniani Constitutiones, maximè ad ejus novam politiam spectantes, interiisse: quod credibilius, si verum esset, ut aliqui opinantur, Novellas 168. quæ exstant, non omnes auctorem Justinianum habere, ut apud Struvium *Hist. jur. cap.* 3. §. 9. *à p.* 320.

(18) Ut ut sit, ulla certò non extat *de Theodoriade* constitutio, quam Provinciam conjugis Theodoræ Augustæ in honorem, licèt pessimæ fœminæ, & damnandæ memoriæ, Justinianus instituit. Provinciam hanc descriptam habemus in Schelstratensi Appendice *t.* 2. *Antiq. Eccl.* sub tit. *Ordo Præsidentiæ Patriarcharum*, ibique p. 686. a. dicitur: *Provincia Theodoriadis*: *Laodicea Metropolis*: *Paltus*: *Balanea*: *Gabala*. Ergo Provincia contenta inter mare Syrum ab occasu: Orontem flumen à borea, & ab ortu, ac Eleutherum flumen ab austro: non tamen hos fines attingit, cum parvus sit tractus latior, quam longus, omnesque illæ Urbes, de quibus in Lexico, ad dictum mare locentur. A Syria I. eas Urbes avulsas monet Harduinus in *Antirrhetico p.* 109. quod clarum, excepta tamen *Balanea*, quæ in Synecdimo n. XLVII. Syriæ II. accensetur. Nec modò Provinciam hanc à Theodora dici voluit Imperator, verum ab eadem etiam nominari constituit *Theodoriades* Urbes, & Oppida, quæ numero IX. ex Procopio *de Ædific. Justin.* aliisque scriptis recensentur à laudato Alemanno *in notis histor. p.* 51. nullius meminit Hierocles; apud quem si quis leget duas Urbes *Irenopoles* dictas, unam n. XLIII. *in Cilicia II.* alteram n. XLV. *in Isauria*, quas fortè ab aliqua *Irene Augusta* appellatas putabit, non ideò de ætate Hieroclis ambigat: nec dicat, nullam *Irenem Augustam* inveniri antiquiorem prima uxore Constantini V. Copronymi Imp. ab A. 741. hoc nomine donata in baptismate, cum illa filia Cagani Scytharum Regis ex gentili effecta est Christiana: ideoque serò *Irenopoles* dictas, seriusque à Hierocle scriptas, & non sæculo VI. & reapse *Irenopoleon* apud antiquos Geographos nulla mentio. Utique, & antecedentia vera, sed falsa prorsus illatio. Non enim ab aliqua *Irene* dictæ *Irenopoles*, sed vel ab aliqua pace, sive fœdere in illis Urbibus semel inito, vel quia inibi Irenarcha demoraretur. Constat enim ex *l. un. C. de Irenarchis*, non ut in Cod. Theodos. *de Hirenarchis* (cum ab omnibus Græcis, & Lexicographis vox per diphthongum scribatur) Præfectos fuisse militares in Oriente, *qui ad Provinciarum tutelam quietis, ac pacis per singula territoria faciunt stare concordiam: à Decurionibus, judicio Præsidum Provinciarum idonei nominentur*. Hinc Irenarcha idem ac Princeps pacis, vox enim composita est ex εἰρήνη pax, & ἀρχός Princeps. Sed de horum munere uterque Gothofredus. Nec obstat, Geographos veteres nullius meminisse Irenopolis, nam Ecclesiasticæ Historiæ Scriptores sæculi V. illius, quæ fuit in Cilicia saltem, dictaque *Neronias*, meminere, ut Theodoritus 1. 7. ubi *Neronias Urbs Ciliciæ II. est, quam nunc Irenopolim vocamus*. Ita & Socrates 2. 26. & Sozomenus 3. 10. & Gelasius Cyzicenus *Act. Concil. Nic.* 2. 7. & alii. Hæc sunt, quæ obiter, & perleviter suggerere voluimus, si ad universalem Geographiam scribendam accedere quis unquam meditaretur, ut monuimus sectionis hujus initio. Etenim ex Hieroclis Synecdimo per Novellas reformato Imperii saltem Græci Imperatoris in Asia, Africa, & Europa juxta formam sæculi VI. & verè medii ævi Geographiam tutò poterit concinnare: non sinè tamen multo labore, fatemur, ob loca quamplurima, & corrupta, & obscura. Subsidiariam quidem manum Geographia Sacra, & Notitiæ Ecclesiasticæ à Schelstratensi abunde, utiliterque collectæ, præstare poterunt, cautè tamen Vir studiosus illis uti debebit: non enim de utraque par ratio. Nam non omnes Urbes uni Metropolitæ subjectæ in Provincia Ecclesiastica æqualiter Magistratui Civili ejusdem Provinciæ parebant. Quod discrimen inter Geographiam Sacram, & civilem est advertendum, ut pluries monet Imperator, quando in Provinciarum unione, sectione, vel ampliatione nihil quo ad Sacerdotia immutare se velle protestatur. Quare cum per *Nov.* 28. utrumque *Pontum* cogit in unum, c. 2. inquit „ omnes autem illæ tredecim Urbes unius sunto Provinciæ: ut tamen neque alterutri in iis Metropoli, *Amasiæ*, scilicet, (Helenoponti), & *Neocæsareæ* (Polemoniaci) Metropolis nomen detrahatur ..... *Nihil enim circa Sacerdotium illarum innovamus* „. Similiter, dum *Nov.* 29. ut *Paphlagoniam* restituat, *Honoriadem* supprimit, hujusque Civitates novo illius Prætori supponit, non ideo Metropolitæ *Claudiopolitano* in VI. Urbes Honoriadis jus suum adimitur, licèt Paphlagoniæ uniantur, repetitis verbis Sacerdotii non innovandi, ut quamvis una sit Provincia civilis, *plures habens Metropoles* Sacras, *Honorias* tamen Ecclesiastica firma consistat. Vidimus supra *Nov.* 30. ex duabus *Cappadociis* unam effectam: videmus in Geographia Sacra *Cappadocias* tres, in civili inauditas. Majus adhuc discrimen agnoscitur ex *Nov.* 31. in IV. *Armeniis* ex Urbibus, & barbaris gentibus constitutis. Ubi in Geographia Sacra *duæ* tantùm Armeniæ cum duabus Metropolibus *Sebastea* & *Melitene* observatæ, ut antiquitus; ea semper ratione, innovationibus Provinciarum civilium Ecclesias non esse adstringendas: *volumus* (inquit c. 2.) *in pristina manere formæ* ....., *ut quantum ad ipsa* (Sacerdotia) *nihil penitus innovetur*. Hinc deprehendimus, aliam esse divisionem Provinciarum Ecclesiæ, aliam Reipublicæ: & alias Metropolitarum Sedes, aliasque Præsidum in Provinciis. Discriminibus ergo ita quam attentè observatis, sacrarum notitiarum auxilio, quæ civili Synecdimo desunt, suppleri poterunt. Desunt autem præ nimis Occidentales præsertim Provinciæ, quæ à declinatione Imperii fuere paulatim à Barbaris Imperio præreptæ, ut Italia, Alpes, Rhætiæ, Noricum, Dalmatia, Hispaniæ, Galliæ, Britanniæ, & si quæ aliæ, quarum tamen omnium facilius, tutius, celeriterque descriptio perfici poterit, si Provinciales in Provincia sua peritiores egregiam hanc operam, Scriptoribus medii ævi, vel circa, & Diplomatis consultis, navare studebunt. Desideratum opus, prælata face jam cœpit Christianus JuncKerus Dresdensis Saxonum Ducum Historiographus, & Regis Prussiæ Bibliothecarius Geographia sua medii ævi vulgata 4. Jenæ 1712. sed idiomate, & charactere Germanico. Ibi universalibus præmissis hoc titulo: *Anleitung zu der Geographie* (Introductio ad Geographiam) procedit ad solam *Geographiam medii ævi Teutschlandes* Germaniæ, quam diserte pertractat: &, ut monebamus, ostendit, Provinciales extraneis melius semper Provincialia perpendere, dum quivis habet domi abundantiùs unde discat, & doceat. Nedum JuncKerum in exemplum adduximus, ut hunc alii imitentur, verùm etiam ne quis deceptus existimet, universam Geographiam medii ævi edidisse, ut olim & nos putabamus, lecta solum in Catalogis Librorum, qui venales prostant apud Bibliopolas, & ubique mittuntur, *JuncKeri Geographia medii ævi*, suppresso, quod exprimendum, *Germaniæ* nomine. Nunc, quid ea sit, quisque cognoscat, nec Italiam quasi ab eo actam hic agere nos arbitretur. Si hujus adhuc defectum nos ferimus, æquo animo ferto & tu Lector, si deficiente, qui lucem præferat, tibi factum non erit satis. *Quis tam Lyncæus, qui in tantis tenebris nihil offendat, nusquam incurrat?* (Cic. *Ep.* 2. *l.* 9. *fam.*) unicuique hinc licebit & errata corrigere, & hæc primò ex Sociorum imperio scribentem docere, qui potius inobedire, adhuc citra peccatum, quam malè parere elegisset.

SE-

Digitized by Google

SECTIO VI.

(19) Quibus ex fontibus Chorographia Italiæ haurienda: Quæ à Langobardis innovata: Desiderii Edictum, etsi Viro docto probatum, cur adhuc suspectum? (20) Ludovici Pii Tabula varie accepta: cur non rejicienda: An Anastasius, & Leo Ostiensis interpolati. (21) Patrimonia in ea Tabula pro Regionibus enunciata: Eadem sæculo IX. X. & ultra ignota: Ottonis III. Constitutio contra Ecclesiam supposita. (22) Quando illa Tabula edita, & cur: Regressus bonorum Mathildis ad Ecclesiam vera restitutio, non donatio: Codex Carolinus Chorographiæ huic perutilis: Jurisdictiones medii ævi post Langobardos adhuc obscuræ.

(19) Sed jam de Geographis medii temporis uno expedito, ad alterum de fontibus, ex quibus Italiæ nostræ Chorographiam exhaurire oportet, nunc pergimus. Fontes erunt vetera Langobardorum, & Carolingorum Diplomata, Leges, Capitularia, Epistolæ Codicis Carolini, aliaque illorum temporum monumenta syncera, vel spuria: in subsidium adhuc vocatis (cum ea sterilia invenerimus) Geographis, non quidem coævis, minus tamen remotis de Italia loquentibus: pro quorum usu nonnulla præmonere est necesse. Er primò in Diplomatis vicos, villas, & prædia, aliaque id genus humilia loca, Ecclesiis præsertim donata, potius innui observamus, quam Urbes. Hinc cum illorum obscura plerumque, & valde immutata sint nomina (ut ad Topographiam, non ad Chorographiam ea spectent) pauca venari potuimus. Liquet tamen ex nonnullis amplioribus: quæ infra observabimus, Langobardos, & Carolum M. variasse quidem formam Provinciarum, & nomina, non autem singularum Urbium, cum innumeræ antiquas appellationes Barbaras, vel Romanas adhuc hodie retineant. Utique nova quædam nomina, Oppidorum præsertim, & Urbium Langobardico ævo (imò & Gothico) emersere, quorum aliqua indaginis sanè difficilis, exponemus. Verum in Urbibus ingens illa variatio non contigit, quam adeò in cæteris amplificat Blondus *Ital. ill. Reg. 9. p.* 374. his verbis: „ Longobardi omnium, qui Italiam invaserint, exter„ norum superbissimi Romani Imperii, & Italiæ digni„ tatem eversere, ac omnino delere conati, leges no„ vas, quæ alicubi in Italia extant (sæculo XV.) con„ didere. Mores, ritus Gentium, & rerum vocabula im„ mutavere: ut affirmare audeamus locutionis Romanæ „ latinis verbis, quà nedum Italia, sed Romano quo„ que Imperio subjecti plerique Populi utebantur, mu„ tationem factam in vulgarem Italicam nunc appella„ tam per Longobardorum tempora inchoasse. Idque „ incognitum nobis, quando opus *de Locutione Romana* „ ad Leonardum Aretinum dedimus: postea didicimus, „ visis Longobardorum legibus, in quibus de mutatio„ ne facta multarum rerum vocabula, tituli, tractatus„ que sunt positi. Quin etiam publicæ administrationis, „ & privatim vivendi instituta accuratissimè ab eisdem „ sunt mutata Et eousque ipsius Gentis processit insa„ nia, ut Romanorum charactere literarum penitus „ postposito, novas ipsi, & sua ineptia, Gentis barba„ riem indicantes, cifras pro literis adinvenerunt „. Quibus ex verbis liquet, plurima quidem, & formam politiæ Langobardos immutasse, sed non Urbium, nec fluminum saltem insigniorum priscas appellationes, ut solemne fuit Barbaris, qui sua, uxorum, amasiarumque nomina multis indebant Urbibus, ut argumenti sunt tot Alexandriæ, Antiochiæ, Philadelphiæ, Seleuciæ, Arsinoes, Berenices Græcis quoque, ac Romanis tot Augustæ Poles præmisso nomine Imperatorum, præsertim tot Justinianopoles &c. Quo ad locutionem, sive Italicæ Linguæ originem non rectè omnino sentit Blondus, sed nihil ad nos. Cur exinde Carolus M. imitari maluit Gothos, quam Langobardos, ex eodem Blondo num. 28. constabit. Nunc secundò præmonere est necesse, qua ratione documenta adhuc spuria instituto nostro sint congrua, ut prædiximus. Utemur, cum moderamine tamen, illo celebri, vulgatoque *Desiderii Regis Edicto*, quod ut germanum recitant Sigonius *R. I.* sub A. 772. Albertus *Reg. 2. p. 76.* & amplectuntur Ferrarius, & Bodrandus *in Lexico*. Fœtum Annianum illud esse Viri docti contendunt, sed quare non innuunt. Quia extat Viterbi licet ne suspicari? Non est ratio sufficiens. Suspicionem omnem illi eximit doctiss. Holstenius hac sua annotatione *in Cluverium* p. 68. Inquit: *De hujus Edicti veritate nihil omnino dubitandum: nam literæ veræ, καὶ γνησίως* (& legitimæ) *sunt Longobardicæ, & planè tales, quales in optimis, & antiquissimis Longobardicis Codicibus MSS. visuntur. Et in Viterbiensium Archivio ejus Edicti memoria extat* 300. *ante natum Annium: neque illud humi effossum, ut cætera Annii fragmenta, sed turri majoris Ecclesiæ per aliquot sæcula insertum fuit, atque inde in Curiam translatum*. Neque quis credat, causam Annii, vel Viterbiensium velle Holstenium hic agere, nam & horum nimiam credulitatem, & æquè illius figmenta reprehendit, non dissimulans infra p. 76. quod *legitur in Curia Viterbiensi inscriptio Græca ab Annio reperta* (NB) *vel potius conficta, ubi fabula de Jasio, & Dardano Coritbi filiis, eorumque adventu in ista Italiæ loca, adeò insulsè, & barbarè refertur, ut Timoni alicui risum excuteret: impudens sane hominis commentum*. Fides ne ergo adhibenda dictis Holstenii de Edicto? Etiam ne dubitandum de tam Viri docti oculato testimonio, & incorrupto judicio? Utique, nam nondum satis per solos characteres monumentorum probatur antiquitas, cum primum impostorum studium illud sit imitari, & effingere veterem scripturam, & infuscare membranas. Eadem techa effinguntur marmora, & nummi: quis id ignorat? Quidam hac in arte adeo præstant, ut viri adhuc rei lapidariæ, & nummariæ periti, nisi quam attentè singulas antiquitatis notas, & maxime Chronicas, observent, ac quidquid scriptum complectitur, decipiantur. Famosi fuere post Annium, sive Guilielmum Mantuanum, Curtius Inghiramus (auctor sit, sive inventor) *Etbruscarum Antiquitatum*, quibus nihil ineptius, ut Leo Allatius Romæ 1642. demonstravit *suis Animadversionibus*, & item D. Senjoreus *Biblioth. Critc. t. 1. c. 5.* Hæc iterum exprobranda num. 90. ubi vindiciæ Italorum. Notissimus est quoque Alph. Ciccarellus ob confictos Codices ultimo supplicio addictus; & ætate nostra in hac Metropoli Carolus Gallutius ille ..... quem satis pingit Cl. Muratorius *Antiq. Estens. p.* 37. Sed introspiciamus *Edictum*. Equidem qui illud effinxit, antiquitati præcipuè Viterbii consulere cogitavit: unaque simul refragari Blondo ante medium sæculi XV. probè scribenti *Ital. Reg. 2. p.* 311. *Viterbium Civitas parum vetusta, cujus primum nomen parvo in Castello ad annum nunc sexcentesimum erat Viturvium*. Hinc ut novitati impostor occurreret, *Edicto* curavit inserere, *ut sub uno muro cingant tria Oppida Longulam, Vetuloniam, Tirrenam Volturnam, dictam Etruriam, totamque Urbem nostra adjectione Viterbum pronuncient*. Vidit hoc Edictum Volaterranus *Comment. Urb. l. 5. p.* 104. & observat *Longulam*, & *Vetuloniam* ex Ptolemæo adeo distantes: ut unum *Viterbium* constituere non potuerint. Quid si *Tirrena*, recte Tyrrhenia esset Cortona? Etenim *Croton* & *Thyrrhenia* certissimè idem, juxta Dionysium alicarnass. *l. 1. p.* 41. distatque à *Viterbio* 50. millibus passuum. Amplius: quid si *Vetulonia* 100. m. p. à *Viterbio*? Nam nunc Viri docti in tabulis, cum quibus & nos in I. tabula *Vetuloniam* supra Populonium locant, 10. m. p. in boream. Si ergo Viterbium loca adeò dissita intercepit, Babylon, Ninus, Thebæ Ægyptiæ, aliæque ingentes Urbes cum Viterbio collatæ, etsi centum portis præ amplitudine celebres, exigui vici censendæ, & *de Edicti veritate nihil omnino dubitandum!* Nonne idem V. doctus *in Ortelium* p. 204. ubi is ex Platina scribit *Viterbum Vetuloniam dictam* annotat *falsò*? Cur *falsò*, si Edictum approbat? Ibidem dicitur Viterbium comprehendisse *Volturnam dictam Etruriam*. Utique *Voltumnæ Fanum* situm circa Viterbium, & forte id ipsum, ut nonnulli conjiciunt. At dictum fuisse *Etruriam*, nemo fide dignus nos docet. *In Etruria* scribit Livius *l. 4. c.* 12. Edit. Patav. *Cum duæ Civitates, Legatis circa XII. Populos missis, impetrassent, ut ad Voltumnæ Fanum indiceretur omni Etruriæ Concilium* &c. & cap. seq. 13. *Consilia ..... in Etruria ad Fanum Voltumnæ agitata*. Item cap. 34. *Cum Etruscorum Consilium ad Fanum Voltumnæ frequenter habitum esset* &c. Nihilominus Albertus p. 80. b. differens de Urbe *Etruria*, & in omnibus coalumno suo Annio adhærens, cum eodem *in Pseudocatonis* Commentario, & alibi, *Viterbium* esse *Etruriam* confirmat. Stomachum movent, quæ de Viterbio à p. 76. refert ex Annio, tanta affectatione loquente, ut ejusdem *Edicti* se ipsum clarè prodat auctorem. Cætera opportunius de Viterbio in Chorographia num. 103. Jubet Desiderius reparari *Dardanum*. Et ubi? Paulo supra Holstenius deridet Dardani fabulam, & de Edicto non ambigit? Indigitat illud Albertus p. 79. scribens, „ in tractu Vi„ terbiensi conspici super montes diruta quædam Oppi„ da, idest, *Dardanum*, Montem Italicum &c. „ Addere debebat *Dardanum* ab Annio conditum. Plane de Dardano, & Dardania sæpissime Virgilius, sed hæc ad Troadem semper spectant in Asia, Ortelio tamen *in Thesauro Geograph. b. v.* ex Lycophrone *Dardanus Italiæ Urbs*. Holstenio probatur Edictum, non *Dardanus*, dum ad hunc locum *in Annotationib. p.* 65. notat, quod *Lycophron sine dubio Garganum intellexit, & ex monte* (Apuliæ notissimo) *Civitatem fecit*. Testatur etiam Desiderius, *Radacophanum* à fundamentis excitasse, sed refragatur Holstenius, dum *in Cluverium* p. 79. ex Abb. Urspergensi notat: *& in vico, quem Castrum S. Petri vuncupant, permansit, Radicophino à Frederico Prima* ex-

Digitized by Google

extructum. Et quidem primò, nam Urspergensis sub A. 1168. p. 307. subdit, quod *in Monte Radicophino eminentissimum Castrum ipse primus* (hoc est conditor Fridericus Ænobarbus) *construxit*. Idem de *Petra sancta* Desiderius affirmat. At si quæ fides Volaterrano *l. l. p.* 91. *Petra sancta Lucensium est ædificium, quo tempore de finibus illi cum Genuensibus litigabant: appellaruntque ex cognomine Viri Mediolanensis, qui ab Imperatore arbiter eò Missus, locum illum Lucensibus adjudicavit*. Hæc, ut fabulosa, inficiatur Albertus p. 38. Et quare? Petitione principii, Regem Langobardum, ejusque *Editum* appellat. Hæc sufficiant, ut inter spuria rejiciatur: missis adhuc tot aliis, quæ facillime, si otium esset, opponi possent. Attamen Desiderium, ut se ab Adriani accusationibus tueretur, Apologeticon (vulgo Manifestum) edidisse credimus: quod repertum ab Annio, corruptum, & interpolatum favore Civium suorum, vulgatum exinde fuit, ut extat. Cum autem quid veri, quod antiquitatem præsefert, illud contineat (non enim cuncta loca, ne fraus magis pateret, impostor effinxit) in descriptione Tusciæ eo utemur.

(20) Eadem, imo & potiori ratione nobis usus erit quam celebris illa Tabula incipiens *Ego Ludovicus*, qua is Pius Imperator A. 817. dicitur confirmasse Paschali I. donationes Pippini, & Caroli M. quam *Ludovicianam* inposterum appellabimus, locaque in ea contenta *Donationes*: salvo jure *restitutionis* dicendæ, ut opportunius num. 22. De illius antiquitate ambigi nequit, cum vulgata jam esset sæculo XI. quo illam memorat Leo Ost. 1. 16. eodemque præcipite Ivo Carnotensis Decreti *part.* 5. *cap.* 51. & sequenti sæculo, mutilam tamen, Gratianus *dist.* 63. *cap.* 30 Recitatur ex veteri antigrapho, sed contracta, à Volaterr. *lib.* 3. *p.* 41. longè amplior, & clausulis æquè Ecclesiæ molestis, quod mirum, ac inter se pugnantibus, à Sigonio *R. I.* A. 817. & varia lectione à Baronio A. eod. num. 11. cujus exemplar, ut majoris fidei, sequemur. In discrimen vocata, defenditur à Jac. Gretsero *Apolog. pro Baron.* c. 8. Probatur, sed inobservata, Natali Alexandro *t.* 5. *p.* 654. b. edit. 1714. ut Francorum magis largitas efferatur. Nec alia ratione. Saltem dixisset, quod nemo ex visis à nobis animadvertit, quod ex Francorum annalibus opportunè refert Annalista Bertinianus sub A. 817. quod „ *Paschalis* electus, post completam solemniter ordi- „ nationem suam, & munera, & excusationem Impe- „ ratori misit *Epistolam*, in qua sibi non solum nolen- „ ti, sed etiam renitenti, Pontificatus honorem asse- „ verat. Missa tamen legatione alia, *pactum*, *quod* „ *cum prædecessoribus suis factum erat*, *etiam secum* „ *fieri*, *& firmari rogavit*. Hanc legationem Theodo- „ rus Nomenclator ei detulit, *& ea*, *quæ petierat*, „ *impetravit*. „ Verum quid pactum, quid firmatum, quid impetravit? Quare apertè impugnatur à quamplurimis apud Steph. Baluzium *Capitular. t.* 2. *col.* 1104. relata ad *pag. tomi* 1. 591. Eisdem accedunt Pagius sen. Crit. A. 817. num. 7. & alibi: item jun. *in Brev. Pontific. in Paschal. I.* Anonymus Auctor Italicæ *Plenæ Expositionis pro jurib. Imp. & Dom. Estens. p.* 42. edit. 2. Mitiùs interpolatam, & ab autographo, si unquam extitit, longè diversam eam censet Dn. Le Blanc *Diss. hist. p.* 30. in calce Gallici *Tractat. de Monetis*. Videantur. Variis non obstantibus opinionibus, & tot in illam objectis, non eam rejicere, sed libenter, ut opportunam, & utilem, amplecti debet Geographus. Nos itaque nihil de in illa contentis soliciti, neque hactenus objecta curantes, ut fontes dumtaxat Chorographiæ nostræ, lutosi forte, expurgentur, & ne nos censoria nota Adversantes inurant, quæ certa videntur, seligere, & ab incertis secernere volumus; & quidem ad normam, & juxta regulas, quibus vetera diplomata, & instrumenta cribranda omninò esse, & severiori discutienda judicio, jubet, & docet doctissimus ille Pontifex, & tot Sac. Canonum conditor Innocentius III. *c. Inter dilectos*, *de fide instrum.* ut κριτικοὶ omnibus placeat, neminique sit odiosa. Loca igitur in *Ludoviciana* enunciata, & tempus, quo ea scribi potuerit, nostra refert tantùm expendere: ex quibus satis eam valde prodesse, nihilumque obesse, patebit. Nunc primò quo ad loca, certissimè Urbes, & Oppida enunciata verè sub illis nominibus, illoque sæculo IX. extabant, cum nullam rationem, ex tot adductis ab Adversariis, contrariam locis inveniamus. Quinimo eisdem fidem adjungunt nedum Pontificum Epistolæ, præsertim Adriani I. sæculo VIII. scriptæ, opportunè ex *Codice Carolino* laudandæ, verùm & bina diplomata (nisi & hæc in discrimen vocentur) Ottonis I. apud Baronium A. 962. num. 3. & Henrici I. sive II. certè Sancti, ibidem A. 1014. n. 7. propugnata à Pagio sub eisdem AA. n. 2. adversùs Goldastum, qui vix observat in *Henriciano* nomen Ludovici *esse addititium*. Cæterum in utroque eadem nomina, nondum sæculo X. & XI. immutata, exprimuntur. Hæc certa, & in Chorographia innotescent. Verùm quo ad Regiones non satis intelligimus, quomodo Pagius tanto conatu *Ludovicianam* impugnet: è contra Confirmationes Ottonis, & Henrici propugnet. In his observare saltem debebat, dici a Pippino promissas, & à Carolo datas Urbes *Parmam*, *Regium*, *Mantuam*, *à Lunis* (al. corruptè *Almus*) hoc est, Tusciam ab Urbe Lunensi incipientem: *Venetiam*, *Histriam &c.* quæ omnia absunt à Ludoviciana, ut hac quoque ratione spuria hæc ab Adversariis dicatur. Sed non vidit Pagius has Regiones, & Urbes ad Italicum Regnum spectasse. Id vidit Sigonius sub num. 11. laudatus. En ejus verba *Venetia*, *Liguria*, *Alpes Cottiæ* (sumptæ ut supra n. 9.) *Æmilia* (cis Bononiam) *& pars Tusciæ*, *quæ Regno Langobardorum continebantur* (à Lunis incipiens) *eædem victoria Caroli M. Regno Italiæ conservatæ*. Et sanè his Regno ademptis, ubi Regnum Italicum? Minus longè, & angustius Ducatibus Provincialibus illud fuisset. Solius Venetiæ, & Histriæ longissimus tractus, ab Abdua, vel saltem à Mincio, ad Illyricum protensus, Regnum Italicum in amplitudine superasset: & ampliores Spoleti, Beneventi, aliique Ducatus. Equidem Anastasius *in Adriano*, sive hujus vitæ auctor testatur, has Urbes, & Regiones fuisse Ecclesiæ tributas, & consequenter ad Regnum non spectasse. Verum si suspicari licet de tempore Ludovicianæ, & diplomatum, ut num. seq. videbimus, eadem quoque ratione suspicari licebit, *Vitam Adriani* interpolatam, aliasque nonnullas, Bollandistis quoque clamantibus 17. Jul. t. 4. *in Leone IV.* p. 304. n. 11. *Fateamur*, *necesse est*, *Anastasii codices in multis adeò interpolatos*, *& luxatos esse*, *ut ex iis opposita nonnunquam educantur*, non ab Anastasio tamen, ut perperam sensit David Blondellus *in Præfat. Apologiæ p.* 26 nam longè post Anastasium id contigisse est necesse, ut infra. An, in hypothesi, ab alio, videant eruditi, quibus onus incumbit conciliandi, si fieri potest, *Ludovicianam*, & bina diplomata cum charta divisionis Caroli M. A. 806. adeo celebrata ab Annalista Fuldensi, aliisque X. Chronographis, ut in editione Struvii: item cum divisione Lotharii apud Sigebertum sub A. 844. & Marianum Scotum sub A. 842. cum Constitutione Ludovici II. *Promotionis exercitus* Ignoti Casinens. *Hist. Langobard.* inserta n. 6. & Baluzii *Capitular. t.* 2. *tit.* 4. §. 3. *col.* 359. & cum tot aliis documentis apud Erchempertum, aliosque Chronographos rerum Langobardicarum in Italia Transtiberina gestarum, editos à Caracciolo, & Peregrinio. Ex quibus rectè consideratis dignoscitur, quid complecteretur Regnum Italicum, & quomodo cæteri Principes omnes, Duces, sive Marchiones in Regno, & extra, cis, & trans Tiberim fuerint dumtaxat Imperatorum beneficiarii; ipsorumque Dynastiæ non ab alio, quam ab Imperatoribus fuerint feudali jure profectæ. Hypothesim repetentes, interpolatum quoque Leonem Ostiens. quod durum videtur, fateri oporteret: nam quæ in Vita Adriani notantur, in Ostiensi 1. 8. quodammodo transcribuntur, si non è contra Leo Anastasium interpolavit. Quid ergo? Et hic item Viri docti dijudicent. Alibi interpolatum Leonem Ost. nisi errore teneamur, utique novimus. Certissimè Leo, quæ longè post ejus mortem evenerant, non potuit scribere: nec consultò Interpolator *lib.* 3. *cap.* 23. inter acta Desiderii Abbatis Casinensis intexere debebat expeditionem illam XII. Monachorum in Sardiniam, ibi *Baresone* regnante. Etenim is Bareso solum A. 1164. ex Judice Rex Sardiniæ fuit dictus à Friderico Ænobarbo, ut synchronus Morena, Albericus, Sigonius, Calchus noster, aliique antiquiores, & conterranei mox laudandi, sub dicto A. 1164. concordìter produnt. At Interpolator *Baresonem*, & expeditionem illam consignat A. quinto Desiderii, qui tamen Abbas fuit ab A. 1058. ad 1086. quo Pontifex electus, dictusque Victor III. Leo verò ad summum vidit A. 1115. teste Commentatore Angelo à Nuce sub num. 455. (qui anachronismum non observavit) scripsitque suum Chronicon ex mandato Oderisii Abbatis, cui est nuncupatum, ut initio Prologi. Oderisius verò est suffectus Desiderio A. 1087. ut Leo ipse 3. 73. testatur. Hoc porrò sæculo XI. ex quo Joh. XVIII. (al. XIX.) circa A. 1004. occupantium dixerat Sardiniam, & Corsicam, hanc Genuenses, illam Pisani tenuere, Musacto Saraceno Rege ab utraque depulso A. 1015. ut adhuc ætate Desiderii Baresone nondum nato, nullus fuerit Rex in Sardinia, quæ tunc à Pisanis quadripartita, IV. Judicibus Caralitano, Arborensi, Turritano, & Galuritano administranda fuit tradita, quoad Ænobarbus Arborensem *Baresonem* Regem instituit. Hæc nedum ex laudatis Scriptoribus, sed etiam luculentissimè ex Chronicis variis Pisanorum editis à Clar. Muratorio (C. H. t. 6.) ex quibus, præsertim ex Breviario *Hist. Pisan. à col.* 164. novimus, dicto sæculo XI. semper vel Pisanos, & Genuenses de Sardinia contendere, vel fœderatos à Sardinia Saracenos expellere: & apposite sub A. 1050. Mu-

Digitized by Google

Mugetum Balearium Insularum Regem Sardiniæ invasorem à Pisanis felicissimè captum. Hinc omnis evanescit suspicio, alium Regem seniorem nomine *Paressonem*, vel *Baresonem* regnare potuisse in Sardinia ab A. 1058. ad 86. ut falsò scribit Interpolator Leonis: hujus enim Regis nullibi vestigium ullum apparet. Ex adverso cum ex dictis Chronicis, tum ex *Annalibus Caffari*, nuper & primò editis à Clar. Muratorio, dicto t. 6. sub A. 1164. à col. 293. annuente Friderico de Fridericis *Epist. ad Scioppium* sub eodem anno, integrum negotium, & quæ de Baresone prænarravimus syncerè, & fusè intelligimus. Unicum verbum denuo de Anastasio, qui non talis, qualis desideratur à Baronio, dum queritur illius nimis crassum silentium in rebus maximis, quasi ac erubescat, enarrare violentias ab hostibus libertati Ecclesiasticæ illatas. Hæc habet Historiæ Ecclesiæ Parens, A. 526. num. 22. & seqq. *Fatale (si ita liceret Christiano) quodammodo videri potuit, ut quem* (Pontificem) *delegit Constantius Arianus Imperator, & quem Arianus pariter Princeps* (Theodericus) *ad tantam dignitatem assumpsit, Felix uterque appellaretur*, & hìc subjecta hujus *Ep.* 15. *lib.* 8. apud Cassiodorum, ac vi tyrannica detestata subnectit: *Hæc cum tam grandia sint, tamen ab Anastasio omnino sepulta silentio relicta sunt*. Ludovicianæ redeat nunc sermo, unde aberraverat, ne semel dictum esset indictum.

(21) Statuto itaque, enunciatis in ea locis nihil obstare, difficultas tantùm occurrit circa tempus, quod nemo Adversariorum satis deprehendit, & quo detecto, clarè dignoscitur, Ludovicianam esse Carolinam donationem, sæculo XI. fortè interpolatam, & Ludovico exinde tributam. Pluribus ex capitibus id quidem conjicimus: sed ne ex multitudine oriatur confusio, ex uno cætera dignosci poterunt. Tenore Ludovicianæ *Sicilia sub integritate* Ecclesia donatur, quando, inquiunt, nec Caroli, nec Ludovici juris erat, & rectè. Hic interpolatoris apparet error, qui non *Siciliæ sub integritate*, sed *Siciliæ Patrimonium*, sive *Patrimonia* scribere debebat, ut emendatè scribitur in Chartis laudatis Ottonis, & Henrici, adhuc cum clausula *si Deus nostris illud tradiderit manibus*, quia tunc tenebatur à Mauris ab A 820. vel 827., ut ex Chronicis Siculis. (*C. H. t.* 1. *part.* 2.) Planè, cum in Diplomatis, & à Scriptoribus medii temporis (quos bona fide sequuntur neoterici) non semper distinguantur Patrimonia à Regionibus, Ecclesiæ Patrimonia adhuc in Regno Italico, & in Ducatibus Provincialibus constituta, persæpe cum Regionibus confundantur, quo potissimùm documenta redduntur suspecta: & hisce technis exinde vulgantur, occultatis autographis, corrupta, & interpolata transumpta, quæ adhuc valde inter se diversa produntur à Scriptoribus, ut de Ludoviciana prædiximus. Sed de hujus tempore nunc semel sit sermo, nam de Patrimoniis erit alibi à num. 49. Non igitur sæculo IX. Carolingorum, quo Anastasium latuit, illa emanavit. Is recitat in Stephano III. Urbes, vel Oppida XXIII. à Pippino sen. Ecclesiæ donata, & à Carolo in *Adriano* (si additicia non sunt) *à Lunis* ..... *Parmam*, *Regium*, *Mantuam*, *Venetias*, *Histriam* &c. ut Pippinus promiserat. Cur & *in Paschali* non subjicit tot alia, quæ in *Ludoviciana* dantur, vel confirmantur? Eundem Anastasium in prædecessore *Stephano V.* in Galliam profecto A. 816. non piguit notare, quod Ludovicus *Curtem de suo proprio fisco B. Petro Apostolo perpetuali usu per præceptionis paginam concessit*, & adeo resonantem paginam *Ludovicianam* in successore *Paschali*, proximo sequenti A. 817. obtusè dissimulat? Possibile ne adhuc, Ludovicum gesta Patris, & Avi nescire, aut silere? Etenim si Pippinus *Stephano*, & Carolus *Adriano* concesserant prædictas Regiones Tusciam *à Lunis*, *Corsicam*, *Venetiam*, *Histriam*, &c. id ignorare non potuit Ludovicus, neque præterire in sua tabula, à qua nihilominus illæ Regiones, & Urbes, ut apud Anastasium, & Leonem, penitus absunt. Planè paradoxum hæc undique sapiunt. Quomodo? Regiones illæ, & Urbes conceduntur sæculo VIII. à Carolo, testibus Anastasio, & Leone: non conceduntur, quia sæculo IX. nihil de illis Ludovicus Paschali. Rursùm Anastasius scribit eas concessas à Carolo: ergo ante Ludovicum concessas. Concessiones confirmat Ludovicus: non confirmat, sed præterit notas Regiones, & Urbes. Post Ludovicum superstes scribit Anastasius: Confirmationem Ludovicianam non scribit, ignorat. Adhuc: Concessiones enunciant Otto, & Henricus, Carolus ergo eas dedit: silentur à Ludovico, non ergo dedit eas Carolus. Nihilominus Ludoviciana adeo recepta, adeo celebris, ut testetur Volaterranus *l.* 3. *p.* 41. quod *nullum hodie* (ineunte sæculo XVI.) *potius testimonium habemus*, minimè tamen scriptum, vel interpolatum ævo Anastasii usque ad A. 882. Opportunè quidem scribi potuerit post emanatam illam Constitutionem Ottonis III. A. 998. *de jure*, *& potestate Imperii* inter Goldasti *Statuta*, *& Rescripta Imperii p.* 40. per quam ad V. vix Urbes Marchæ Anconitanæ amplum Ecclesiæ dominium injuriè restringitur. Plura tamen hujus fidem elevant, etsi asservata in Archivo Vaticano, & post editionem Goldasti etiam prodierit ex Bibliotheca Papirii Massonis, edita Paris. 1611. sub titulo *Decreti electionis Silvestri II.* (antea Geberti A-episcopi Ravennæ) ad calcem Epistolarum ejusdem Geberti: inter quas extat ejusdem Ottonis *Epistola* 158. *Decreto*, sive Constitutioni consentanea: cum solo discrimine, quod in exemplari Goldasti V. vix Urbes, & in *Decreto*, sicut & in *Epistola* octo distinguuntur, & enumerantur, quod non leve suppositionis inditium. Ignoranter postea a Goldasto consignatur A. 998. quando Silvester fuit Pontifex à die 2. Aprilis 999. Inspicientes ulterius, nulla de causa Ottonem edere voluisse constitutionem adeò infensam Gregorio V. Pontifici ex Ducibus Francorum sibi sanguine conjuncto, summeque grato, pro cujus tuitione iter Italicum susceperat, ut Crescentium præpotentem Urbis Senatorem, sive Consulem, & Johannem (non Græcum sed ex M. Græcia ortum) ex Episcopo Placentino, hujus nominis IV. Crescentii potentia fretum, Apostolicæ Sedis sacrilegum invasorem, compesceret, ut captos compescuit, huic manibus præcisis, oculisque effossis: illo securi percusso, & excelsa trabe suspenso, ut narrat Glaber Rodulphus *l.* 1. *c.* 4. fusiusque Ditmarus *l.* 4. *à p.* 353. Auctor Vitæ Meinvverci Paderbornen. Episcopi c. 10. apud Leibnitium *t.* 1. *p.* 520. Chonographus Saxo. A. 996. Leo Ost. 2. 18. & alii. Gregorio ita restituto, verisimile non est, Ottonem exinde Ecclesiæ jurisdictionem, juraque adeò inconcussa ademisse; ut sit de jurisdictionis natura (& illorum temporum more) sed certissimè eadem in omnibus à Pippino, & Carolo juxta historicam, & diplomaticam fidem Ecclesiæ collatis. Similia cogitasse censemus Auctorem *Plenæ Expositionis*, dum in præfixa Tabula Chronologica sub A. 999. rectè judicat, hoc *Ottonis Diploma confictum*, sed cur, saltem speciatim, ibi non innuit. Sed satis Pagius A. 999. num. 3. undique pravis erroribus illud scatere demonstrat, pluraque subjicit. Cessante itaque ratione obsistendi Constitutioni Ottonis, aggere Ludovicianæ illi opposito, cessat, & ratio dubitandi Ludovicianam hac occasione edi potuisse. Ignotam demum usque ad hæc tempora, & ultra eam fuisse, suadent non modò præteritio Henrici (reclamante Pagio, in Baronium, *Ludovici* nomen adjungentem in Henriciana, adhuc aliunde suspecta) verum & silentium Burchardi V Vormatiensis Episcopi ab A. 996. ad 1205. qui suæ Collectioni Canonum illam, si fuisset edita, certè vel *lib.* 1. *De potestate*, *& Primatu Apostolicæ Sedis*: vel 3. *De Divinarum domorum institutione*, *decimis*, *oblationibus*, *& justitiis* &c. vel 15. *De Imperatoribus*, *Principibus* &c. quibus locis fuisset congrua, inseruisset, nec inseruit: quando gratiosas id genus paginas Canonum Collectores referre satagunt, ut constat de Ivone, & Gratiano laudatis.

(22) Superest ergo, ut dicamus, Ludovicianam fuisse ex Carolina contextam circa idem tempus, quo eam primò vulgarunt Leo Ost. & Ivo Carnotensis, hoc est, ætate S. Gregorii VII. & Mathildis Comitissæ Italiæ, ut validior hujus donatio, ut vocant, & conformior donationibus Pippini, & Caroli appareret. Quibus stantibus licet quoque conjicere, Diplomata Ottonis A. 962. & Henrici 1014. fuisse eadem de causa aliquandiu interpolata (causas adducit Mabillonius *de Re Diplom. l.* 1. *c.* 7. num. 8. & 9.) ut una simul Ludoviciana corrigeretur, & bona hæreditaria Mathildis, longe prius Ecclesiæ, & aliis ab Imperatoribus concessa, distinguerentur. Etenim in Charta donationis (in qua *Dono*, *& Offero* dicitur) refecta Canusiæ A. 1102. apud Leibnitium *Scripp. Rer. Brunsv. t.* 1. *p.* 687. (C. H. t. 5. p. 384.) bona tantùm in genere enunciantur, non designantur: ibi dicente Mathilde, donationem iterare, *quia Chartula nusquam apparet* (ea scilicet, quam prius confecerat A. 1077. juxta Leonem Ost. 3. 49.) *& timeo ne donatio, & oblatio mea in dubium revocetur*. Ut ut sit, si Diplomata, sive donationes Pippini, Caroli, Ludovici, Ottonis, & Henrici enunciatæ sunt legitimæ, certò sequitur vigore harum donationum Imperialium, Regiones, & Urbes, quas Mathildis possedit prius fuisse juris Ecclesiæ, ut ex illis invicem collatis manifestissimè apparet. Ideoque suppositis donationibus illorum Imperatorum *omnem alienationem prohibentium*, nequit dici, propriè loquendo, donationem fecisse Mathildem, sed justam restitutionem, adeout ea decedente sine hæredibus, ut decessit, ejus bona de jure, sine alia legitima dispositione, in Ecclesiam devolverentur. Etenim bona Mathildis, ejusque Ascendentium vel ab Imperatoribus provenerant, vel ab Ecclesia. Si ab Ecclesia ad Ecclesiam redire debebant jure devolutionis, & restitutionis, non donationis, ut non recte dictum *dono*, *donatio mea*, neque more illius temporis. Si ab Imperatoribus, arguant desides, cum necessaria sit illatio. Equidem post mor-

Digitized by Google

mortem Mathildis, cum Henricus IV. & successores donationi ab ea factæ jura Imperii statim obduxerint, & *Fridericus I. Cæsar Dux Sveviæ VVelphoni seniori* (VI.) *ut pio avunculo suo Marchiam Tusciæ, Ducatum Spoleti, Principatum Sardiniæ, & Dominium Mechtildis Comitissæ* tradiderit, ut cum tot aliis Scriptoribus refert Ladislaus Sundheimius *de famil. VVelfonum*, apud Leibnitium t. 1. p. 801. sequitur, suspitione ductos hos Cæsares rata non habuisse Prædecessorum laudata Diplomata. Sed cur: plus sapere ad rem nostram non spectat. Sufficit nobis de veritate locorum, quæ in præfatis Diplomatis enunciantur dubitare non posse. Ea porro esse vera non ficta nos tutos faciunt cum Scriptores, Anastasius præsertim, tum *Codicis Carolini* Epistolæ Carolo Martello, Pippino, Carolo M. & Pippino jun. à coævis Pontificibus datæ ante A. 791. tunc Caroli jussu collectæ, ac à Jac. Gretsero A. 1613. Ingloftadii editæ: exinde à Fr. Duchesnio inter *Hist. Franc. Scripp.* t. 3. à p. 703. in quibus crebra mentio Regionum, & Urbium habetur sub eisdem nominibus, ut in Diplomatis, nec quicquam opponi potest. Monet quidem ex Lambecio Pagius A. 767. n. 2. amanuensem Gretseri nonnulla immutasse, dum ex Bibliothecæ Cesareę exemplari authenico transcripsit Codicem. Nomina propria Regionum, & Urbium non immutasse speramus. Cæterum & nos plura observamus (præsertim in Epistolis Adriani) historicæ, & geneologicæ veritati omninò adversantia, quæ sane non ab imperito amanuensi immutari potuere, sed sanè fuerunt ab eodem Gretsero adjecta, ut Ludovicianam, aliaque suspecta documenta fulciret. Queritur Baronius A. 767. ineunte, vix argumenta, (non Epistolas Pontificum, à Vaticana Bibliotheca furto, vel alio aliquo modo inde sublatas) invenisse. Et nos conquerimus, nondum redditas illorum Regum Epistolas, nondum & Diplomata è tenebris emersisse, à quibus quoque argumentum nostrum non modicam lucem acciperet, paucis huc, illucque sparsim apud varios exceptis. Laudatur ab Holstenio *in Ortelium p. 166. Donatio quædam Caroli M. in Archivio S. Petri* à se visa. Hanc, & alias desideramus; quibus deficientibus, quod meditabamur, ommittimus, scilicet, Clavium, & Aquilæ signis, ut assolent Geographi, Ecclesiæ & Imperii jurisdictiones distinguere, adhuc enim sumus in obscuris. Testatur enim Pagius A. 755. n. 6. quod *quid donatio Pippiniana contineret, & quas Civitates complecteretur, inter Scriptores non convenit*; hoc est, nondum satis constat, an Regiones, & Urbes promissæ fuerint cunctæ actu traditæ; etsi traditæ, quo jure, an plenissimo, sine dependentia, ut dicitur, stantibus clausulis in donationibus appositis adhuc in exemplaribus Baronianis: *salva super eosdem Ducatus nostra* (Regali, scilicet, vel Imperiali) *in omnibus dominatione, & illorum ad nostram partem* (al. ditionem) *subjectione*, aliisque restrictioribus, ut in exemplari Sigoniano: vigente more Urbium, æque B. Petro, ac Imperatori se sacramento adstringendi, ut ex Adriani *Ep. 69.* Cod. Carol. scribentis, *Capuanos in confessione Protectoris vestri B. Petri Apostolorum Principis jurare fecimus in fide ejusdem Dei Apostoli, & nostra, atque vestræ regalis potentiæ*, & manente semper jure eodem, quod Missi Imperatorum ubique locorum Ecclesiæ *jus dicerent, justitiam facerent*, quæ omnia propterea in adversum nos trahunt; nullius jura lædere volentes, consultius à prima cogitatione abstinere maluimus, quam subire periculum non recte reddendi, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Moniti adhuc ab Agathone apud Athenæum *lib. 5. cap. 10.* in fine.

Εἰ μὲν φράσω τ' ἀληθὲς, οὐχὶ σ' εὐφρανῶ:
Εἰ δ' εὐφρανῶ τι σ' οὐχὶ τἀληθὲς φράσω.

Rationem innuit Pindarus in Nemeis Ode 5. post initium, nam

Οὐ τοι ἅπασα κερδίων
Φαίνοισα πρόσωπον ἀληθὲς ἀτρεκὲς
Καὶ τὸ σιγᾶν πολλάκις ἐστὶ σοφώτατον
ἀνθρώπων νοῆσαι.

SECTIO VII.

(23) Clarior Jurisdictio Langobardorũ ævo, & duplex, Græcorum nempe, & Langobardorum: Horum alia *Regalis*, alia *Ducalis*: Duces vel *Provinciales*, vel *Urbani*: Utrique unde orti, ubi, & quot. (24) Etiam Gastaldi, sicut Duces Urbani, Urbibus præfecti: Horum tamen discrimen difficile cognitu. Eorundem auctoritas, & potentia quanta: Quid Regibus contribuerent: Rarò Comitum mentio sub Langobardis: Urbium Rectores & ipsi: Sub Francis ubique præpositi.

(23) ET altero de fontibus Chorographiæ nostræ ad finem perducto, ad tertium venimus, quod quidem Chorographiam propiùs attingit, nondum tamen ordinatim, & juxta Geographicas leges, exponendam. Hic igitur tantùm Italiæ jurisdictiones, veluti politiam, ejusque partes remotiores, & universales explicare proponimus: nec non alia, haud omnibus obvia, plura & ambigua, potissimum hodie in discrimen vocata. Hæc enim, si Chorographiæ intermiscerentur, vel nimiam parerent confusionem, vel saltem ad prolixas digressiones nos cogerent. Ita procedere velle, sumus protestati ab initio. Notum igitur satis est, Italiam (declinato Romano Imperio in Occidente, Regnoque Gothico everso) tenuisse, duabus distinctis jurisdictionibus, *Exarchum* pro Græco Imperio, & *Langobardos Reges* ab A. 568. Illius tamen jurisdictio imminui cœpit præcipue quando A. 754. Romani excusso penitus impii Constantini V. Copronymi dominatu, Rempublicam instituere cogitarunt, Pontifice pro Rectore, & Pippino Defensore selectis: ut contra Cointium, & Marcam ostendit Pagius sub A. 796. à n. 11. contendentibus illis, usque ad dictum annum Romanos Græco Cæsari paruisse. Græcus detrimentum majus accepit adhuc, quando idem Pippinus exarchatu, ab Aistulfo occupato, ab illoque recepto, Ecclesiam donavit. Integra prius tamen vigente utraque jurisdictione, una erat *Exarchatus*, & *Pentapolis*, cum parte *Tusciæ* Ducatum Romanum integrante, & *Liguria* maritima (seu Alpes Cottiæ) usque ad Rotharis Regis ætatem, qui Imperatori eandem eripuit: & hæc jurisdictio Græca cis Tiberim, nam de Italia Transtiberina alibi, distinctiusque erit sermo. Altera erat Langobardorum cis Tiberim, item reliquam complectens Italiam. Sed horum jurisdictio duplicis erat naturæ, scilicet *Regalis*, seu Regni, & *Ducalis*, seu Provinciæ. Hæc erat illorum Ducum, qui administrandam Provinciam, plures Urbes, vel Oppida insignia complectentem, sortiebantur, ut Duces, *Forojuliensis*, *Taurinensis*, &c. cis Tiberim: trans vero *Spoletanus*, & *Beneventanus*, quorum ditio amplissima, ut videbimus, & quibus alii minores Duces unius Urbis parebant. Regalis erat Regis, quæ propriè *Regnum* dicebatur, & cui immediatè suberant Urbes, & Duces Urbani à jurisdictione Ducum Provincialium immunes, ut infra. Distinctionem jurisdictionis Regalis, & Ducalis, qua uti sæpe oportebit, hac brevi formula exprimemus, dicendo Regiones, vel Urbes Regi immediatè subjectas: *In Regno, & de Regno*: Cæteras Duci Provinciali obnoxias: *in Regno, non de Regno*. Horum porrò institutio sic cœpit. Revocato à Justino jun. Narsete ex Italia, eique, novo Exarchi titulo, suffecto Longino circa A. 567. Urbes, maximè Transpadanæ sub Langobardorum adventu erant præsidio, & Magistratibus destitutæ, ut observat Blondus *Hist. l. 1. dec. 8.* sub initio. Forojuliensem Regionem ingressi, huic statim Gisulfum Ducem primum præposuerunt ex Paulo Diac. 2. 9. Eodem modo, prout Regiones occupabant, Urbibus & Duces præficiebant, ut successu temporis IV. præcipuè constituerint Ducatus prædictos Provinciales, & Urbanos. An hæc politia esset de more veteri Langobardorum, vel Exarchum imitari voluerint, non est omninò certum. Equidem Longinus & ipse, ut prodit Blondus *l. l.* „ primus servavit morem, ut non Provinciæ, aut „ Regioni præesset Præses, sive quispiam Magistratus, „ sed singulæ Urbes, singula Oppida a singulis custodi- „ rentur, regerenturque Magistratibus, quos appella- „ vit *Duces*. Parem itaque faciens Urbem Romam aliis „ Italiæ, vel Urbibus, vel Oppidis, hac una in re illam „ honoravit, quod impositum tunc Magistratum *Præsi- „ dem* appellavit: sed qui successerunt sunt appellati *Du- „ ces*, ut postea per multos annos sic Romanus appella- „ retur Ducatus, sicut Narniensis, Spoletanusq; est dictus. Hoc idem factum in Langobardica Italia cognoscimus. Nam præter dictos IV. Duces Provinciales, etiam alios ejusdem ordinis invenimus. Fallitur Blondus *l. l. p. 112.* scribens quod sub Rege Agilulfo *Hariulfus* Dux Hetruriæ Provinciam omnem teneret: siquidem is non Dux Tusciæ, sed Spoleti ex Paulo 4. 17. idemque ac *Arnulphus*, de quo adeo queritur S. Gregorius *Ep. 31. l. 4.* & alibi, ut num. 111. dicemus. Utique sub Arioaldo Rege Fredegarius *in Chron.* sub AA. 628. & 630. memorat Ducem Tasonem, *cum ageret Tuscanam*, adversùs suum Regem rebellasse: Regemque misisse Legatos ad Hisacium Exarchum, *ut Tasonem Ducem Provinciæ Tuscanæ interficeret*. Totius item Tusciæ Dux erat Desiderius, quando creatus Rex, ex Anastasio *in Stephano III.* Recentiores, ut Cosmus de Rena in serie Ducum Tusciæ Langobardicæ XI. prodit, sed hunc Scriptorem nondum vidimus. Attamen penes alios novimus, non omnes fuisse Duces Tusciæ, sive Provinciales, quos præsertim enumerat Francorum ævo, ut sub n. 97. demonstrabimus. *Liguria* similiter Ducem Provincialem habuit, ut ex lapide apud Scriptores Ticinenses, & Cl. Muratorium *Antiq. Estens. p. 47.* in quo legitur quod *sub Regibus Liguriæ Ducatum tenuit* ..... *Audoald*, &c. quem Ducatum protensum à Macra usque ad Varum saltem intelligimus sub Rege Rothari ex Paulo 4. 47. dum is Rex *Roma-*

Digitized by Google

manorum Civitates ab Urbe Tusciæ Lunense universas, quæ in litore maris usque ad Francorum fines cepit. Ducem Provincialem fuisse, & *Taurinensem* conjicimus ex pluribus Urbibus illi subjectis, & recensendis sub n. 57. Post Autharim Regem, & Conjugem Theudelindæ, hæc ex Paulo 3. 36. *Agilulfum Ducem Taurinatium, & sibi Virum, & Langobardorum genti Regem elegit*. Etiam in Gregorii Turonensis Appendice sive *lib.* 11. *c.* 50. *Charoaldum* (idest Arioaldum) *Ducem Taurinensem* invenimus. Dubitari potest de Ducibus Eporediæ, quorum exigua fama æque Langobardorũ ævo, & Carolingorum, quamquam rumor multus, sed inanis, ut à n. 44. 57. & 59. patebit. *Tunnonem Ducem Eburiæ Regiæ*, vel *Eburgias* memorat Anastasius *in Adriano I.* (C.H. 3. t. p. 180. a.) non è contra ambigendum de Duce *Tridenti*, quin fuerit Provincialis, sive spectetur potentia Ducis Evin, cum Francos superat, & compescit, ut prodit Paulus 3. 9. & 4. 1. & item Alachis, qui in Reges ipsos Bertaridum, & Cunibertum armà committit, ex eodem 5. 36. & seq. sive observetur Provinciæ amplitudo, in qua non una tantùm Urbs, nec Oppida pauca contenta, ut de ea num. 71. Hi omnes in Regno, non de Regno. Si qui alii fuerint, ex Paulo, vel alio prisco Scriptore non novimus. Tot neque fuisse tradiderunt Blondus, Sigonius, nec alii, qui vix tres, vel quatuor, utpotè majores, observarunt, cæteros, distinctione posthabita, Duces singularium tantùm Urbium existimantes. Planè Provinciales noverunt, sed cum defectu, Chorographia neglecta. Urbium igitur Duces, quos Urbanos vocamus, in Regno, & de Regno, totque fuisse, quod Urbes, nonnullis Gastaldis, & Comitibus exceptis, passim offendimus. Post Alboinum, & Clephem, sive Clephonem democratia (rectius oligarchia) à Langobardis instructa, Duces XXXV. totidem Urbibus præfectos prodit Paulus 2. 32. quinque tamen vix indicat Paulus, quos inter Evin Tridenti, & Gisulfum Fori-julii, quos Provinciales prædiximus, utpotè ab Alboino in primo ingressu constitutos. Valde numerum minuit Fredegarius c. 45. scribens quod Duces *Legationem ad Mauritium Imperatorem dirigunt*: (NB) *bi XII. Duces singulos Legatarios destinant, pacem, & patrocinium Imperii petentes*. Ita & ad Guntchramnum Gallorum Regem. Fortè XII. tantum Ducibus (sicut XII. Lucomonibus primorum Tuscorum) erat summa rerum commissa. Nec notata hæc rectè videntur in *Chronico* sub A. 613. quo, Ducum democratia soluta, Agilulfus regnabat ab A. 590. ad 616. sicut & Mauritius ab 583. ad 602. Interregnum autem fuit tantum decenne, ut ex Paulo 3. 16. Regno expost restituto, Duces partim alteri Provinciali erant addicti, partim Regno accensebantur. Utinam hos ab illis secernere saltem possemus, quod pro definiendis Regionum limitibus non modicum lumen afferret. Paucos & obscurè cognoscimus, quos propter opportunè dicenda, regerere lubet. Produntur igitur plerumque Regi immediatè subjecti, idest in Regno, & de Regno, & ideò præstantiores, Alboinus *Mediolani* ex Paulo 2. 32. juxta variam Lectionem Lindenbrogii. Zaban *Ticini* ibidem. *Bergami* Vaillari ibid. & post Gaidulfus 4. 3. qui tertiò rebellis, jussu Agilulfi Regis necatur 4. 14. *Brixiæ* Alachis 2. 32. & Gaidoaldus 6. 50. *Veronæ* Giselbertus 2. 28. & Zangrulfus 4. 14. *Vincentiæ* Perideus 6. 54. *Tarvisii* Ulfari 4. 3. *Cenetæ* Ursus 6. 24. *Insulæ S. Julii* Minulfus 4. 3. *Populonii* Gummarith ex S. Gregorio Dial. . . . apud Cl. Blancum in notis Pauli l. 2. n. 191. Ducatus *Firmani*, *Auximani*, *Anconitani*, & de *Castello Felicitatis*, aliorumque meminit Anastasius in *Adriano I.* pag. 180. a. (C. H.)

(24) Æque porrò Regionibus interdum, ac Urbibus *Gastaldi*, seu Gastaldiones, præponebantur, à Ducibus tamen nomine tenus diversi, ut facilè noscitur ex fusè cumulatis, & adductis per Dufren. *Gloss. lat. in Gastaldus*: vox Saxonico-Langobardica juxta Spelmannum ab eo laudatum, per quam aptè *Custos hominum* significatur. Gastaldorum, & Ducum, quamvis Urbanorum, dignitas innotescit ex Regis Liutprandi legatione ad Zachariam Pontificem: *ei ipse Rex misit in ejus obsequium* (scribit Anastasius p. 162. C, H. t. 3.) *Agiprandum Ducem Clusinum Nepotem suum, seu Tacipertum Castaldium in ejus obsequium, & Raningum Castaldum Tuscanensem, atque Grimoaldum, qui eidem S. Viro usque ad prædictas Civitates* (à Liutprando captas) *obsequium facerent: easdemque Civitates cum suis habitatoribus traderent, quod & factum est*: Tanto munere functi, & socii Ducis Nepotis Regis Gastaldi, illi planè fuerint æquali dignitate præstantes. Ex quibus verbis evidenter elicitur, *Castaldum Tuscanensem* illum non fuisse Præfectum toti Tusciæ Langobardorum, ut sentit Dufrenius, sed soli Tuscanæ, sive Tuscaniæ Urbi, cujus nomen gentile *Tuscanienses* Plinio 3. 5. inter omnes Maternum, & Martam in Tabula Peutingeriana *seg.* 3. ad dexteram Martæ in Magini tab. 41. Patrim. S. Petri. Favet nobis Sigonius A. 742. à quo *Tacpertus & Raningus*, & *Grimoaldus Etruriæ Gastaldei* dicuntur, qui comites Agiprandi, & Legati ad Zachariam. Omnes autem totius Etruriæ Gastaldi esse non poterant. Frequentiùs ideo in Etruriæ Urbibus observamus, quam alibi, Gastaldos, fortè ut Rectores Urbium Provincialium, Duci Provinciæ subjecti, magis distinguerentur hoc nomine à cæteris Ducibus, qui alteri Duci non parebant, sed Regi, Regnoque accensebantur. Sic conjiciebamus, adæque observando, Rectores Urbium amplissimi Ducatus Beneventani (ut n. 124. dicemus) identidem Gastaldos dictos, non Duces. Neque in Ducatu Spoletano Urbani Duces occurrunt: at in Tuscia Gastaldi immediatè Regi subjecti, ut cognoscimus ex charta Varnefridi An. 731. pro Rege Liutprando, in qua: *Ego Magnificus VVarnefred Castaldius Civitatis Senense*, ut in Bullar. Cas. *t.* 2. *Const.* 5. Et sane ad Regnum, non ad Tusciam Langobardorum, hoc est Ducatum, Senæ spectabant, ut cum de Tuscia erit sermo, patebit. Legimus mox supra *Agiprandum Ducem Clusinum*, & Clusium ad Regnum spectasse videtur, cum inter Urbes Tusciæ Langobardorum *in Ludoviciana* enunciatas minimè enumeretur. Intelligendum est tamen, *Clusium novum* non procul à fontibus Tiberis, quoniam *Clusium vetus*, ad paludem *Clanem* ubi amnis cognominis exit, inhabitabile in Ducatu extitisse dicemus, cum de Urbibus Tusciæ Ducalis num. 103. Promiscuè igitur in Regno, ac in Provinciis Duces, & Gastaldi, ut sanè, nobis saltem difficile sit discriminis hujus assignare rationem, præsertim cum ex Gastaldis Duces evaderent, ut ex Epistola 60. Adriani Carolo hæc scribentis: „ Dirigimus de perfido illo . . . „ . . . . æmulo *Raginaldo* dudum in *Castello Felicitatis* „ *Castaldio*, qui nunc *in Clusina Civitate Dux* esse vide- „ tur . . . . . Per se metipsum *cum exercitu* in eandem „ Civitatem nostram *Castelli Felicitatis* properans, eos- „ dem Castellanos abstulit: & nequaquam credimus „ benignissime fili, & Christianissime Rex, quod pro „ prædicti Raginaldi Ducis exaltatione mutationem fe- „ cisset vestra à Deo corroborata Regalitas. „ Et hic obiter, de conspiratione cum Græcis, aliisque Ducibus in Carolum, idem Adrianus præcedenti *Ep.* 59. accusaverat Raginaldum. Sed ad rem, is ex Gastaldo Castelli Felicitatis (quod hactenus ignotum, & limes orientalis Tusciæ Langobardorum) Clusii fit Dux. Revera tamen tum is Raginaldus, tum *Gundibrandus* dictus ab eodem Adriano Ep. 74. Dux Florentiæ, Duces impropriè dicuntur more Langobardico. Comites erant Urbani. Adriano enim scribente, jam capta Tuscia, ejusque Ducatu Ecclesiæ tributo, Carolus in Urbibus sibi reservatis, quos locabat, Comites dici voluit, ex dictis, & dicendis. Duces erant tantum qui Provinciæ præerant, dicti quoque Marchiones a Marcha, & Comites ab Urbe, in qua sedebant, & à Comitiis, quibus intererant, ut fusè à n. 36. Ex recitata tamen Epistola liquet, quanta horum Ducum, adhuc Urbanorum esset auctoritas, & potentia, cujus argumento sunt quoque plurima alia exempla apud Paulum, dum exercitus parabant, bella indicebant, Regique imo sæpe reluctabantur, quæ signa non modici imperii, potentiæ, & divitiarum. Præsto est illud Mauritii Ducis Arimini (juris tunc Langobardorum) quod recitat Anastasius *in Stephano IV.* p. 177. (C. H. t. 3.) ubi „ defuncto „ Sergio Archiepiscopo Ravennate, Michaelius Scri- „ niarius ipsius Ecclesiæ, qui nullo Sacerdotali funge- „ batur honore, profectus Arimino, ad Mauricium Du- „ cem Ariminensem, & congregans isdem nefandis- „ simus Mauricius exercitum, unà cum consilio Desi- „ derii Longobardorum Regis properavit, atque in- „ gressus est Ravennam, & brachio forti elegit prædi- „ ctum Michaelium. „ Hinc non mirum, si filii, & nepotes ipsorum Regum Duces Urbanos solùm esse, minimè dedignabantur. Potentiæ necessario adnectebantur divitiæ, sine quibus illa enervatur. Nec aliunde provenire hæ poterant, quam ex opulentis vectigalibus, & hæc ex amplitudine territorii, & subditorum multitudine: quæ adhuc dimidiari debebant, ut Regi penderetur tributum, juxta conventa, & prodita à Paulo 3. 16. Nam Duces, restituto Regno in Authari Clephonis filio, post decenne Interregnum, *omnem substantiarum suarum medietatem regalibus usibus tribuunt, ut esse possit, unde Rex ipse, sive qui ei adhærent, ejusque obsequiis per diversa officia dediti, alerentur*. Utrum esset eadem contributio imposita Ducibus Provincialibus, & Urbanis cum Regni, tum Provinciæ, definire nescimus. Comites, adeò rarò occurrentes, quasi oblivisebamur: incerti adhuc, an Langobardico ævo Comites (quorum mentio in Diplomatis: *Nullus Dux*, *Comes*, *Gastaldius* &c. fuerint Judices, vel Urbium Rectores, etsi per eam clausulam nequeat dubium resolvi, illud exsolvit Paulus 3. 9. dum narrans, quomodo Francis *Castrum Anagnis* Ducatus Tridentini se tradiderat, subdit, *quam ob causam Comes Langobardorum de Lagare*

(hæc

Digitized by Google

(hæc ejus Præfectura, ut num. 76.) *Ragilo nomine, Anagnis veniens, deprædatus est*, exinde cum præda revertens occisus à Francorum Duce Chramnichis. Idem 4. 53. memorat *Trasemundum Comitem Capuanum*, ob merita exinde Spoleti Ducem, hujus nominis I. sub A. 691. ut ex indice Spoletanorum Ducum, apud Mabillonium *Musei Ital. t. 1. part. 2. p. 63.* ex Codicibus Farfensibus excerpto, sed acephalo, quem forte exhibebimus, de illo Ducatu acturi suo loco. Infra eidem Paulo 5. 9. *Mittola Capuanus Comes*. In diplomate Aistulfi inter acta S. Anselmi Nonantulani *Comes, aut Minister publicus*. Item *Comes, aut Castaldus*, & iterùm *Dux, Comes Gastaldus*. Præ inopia edictum Desiderianum (valeat quantum valere potest) Grimoaldo *Viterbii Comiti* denunciatur. Omnem eximit dubitationem Gregorii M. epistola Sabiniano data, apud Paulum 4. 30. ut Mauritio Augusto hæc referret. *Si ego servus eorum in mortem Longobardorum me miscere voluissem, hodie Longobardorum gens nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet*. Comitum porrò Vicarios (de quibus infra num. 36.) Vicecomites dictos jam seculo VI. discimus ex ejusdem *Ep.* 18. (aliàs 20.) *lib. 8. col.* 909. ubi: *Scripsimus autem & Mauro Vicecomiti* &c. & ibi in notis b. „ Vicecomes est, qui in „ Civitate jurisdictionem Comitis loco exercet: nam „ (ut observatum supra) Duces Provinciis, Civitati- „ bus Comites erant præfecti. „ Utique in Galliis, sed in Italia & Civitatibus Duces, ut supra. At si non ita frequenter Comites in Langobardico Regno, frequentissimi facti sunt in Italico-francico, itaut qui prius Duces erant Urbani, Comites exinde fuerint appellati, ut passim in legibus Pippinianis pro Italia promulgatis invenimus: eorumque Vicarii Vicecomites dicti, ortis ex munere, sive officio, familiis, ut jam nunc, fabulosis genealogiis detectis, & rejectis in confesso est apud omnes. Itaque Carolus M. servatis titulis Ducum Fori-julii, Tusciæ, & Spoleti, Beneventanos Duces in posterum Principes nuncupari constituit, etsi id promiscuè usitatum: qui omnes per sæcula sequiora durarunt, ut suis locis dicetur: ratione reddenda sub num. 36. cur Carolus titulum Ducis Urbani aboleverit. Nec omnino abrogatos Gastaldos videmus, & in diplomatica clausula consueta appositos, ubi de more *nullus Episcopus, Dux, Marchio, Comes, Sculdascius, Castaldius*, &c. Et in Epistola, sive Præfatiuncula edita à Clar. Muratorio (C. H. t. 1. part. 2. p. 113.) cujus initium: *Carolus ..... omnibus Ducibus, Comitibus, Castaldiis, sive cunctis Reipublicæ per Provinciam Italiæ à nostra mansuetudine præpositis*. A. 801. Quod noviter ab eo inductum in Italico Regno, fuit Marchæ nomen, & Marchionis dignitas, & officium. Sed de his differendi (cum plures diversimodè senserint) locus hic opportunus non est: etenim Italiæ partes saltem universaliores considerare prius oportet, ut ubi fuerint illæ constitutæ, innotescat: recta adhuc methodo, ac tempore postulantibus, ut semper præmittantur Langobardica, & Francica subsequantur.

SECTIO VIII.

(25) Regni Langobardici cis Tiberim partes IV. *Austria*, & *Neustria* imaginariæ, *Tuscia*, & *Æmilia*: illarum etyma, nominaque à quibus, & quando profecta: Extensio. (26) *Austriam*, & *Histriam*: item Austriam, & Ducatum Beneventanum confundentes Viri doctissimi, refelluntur: *Patriæ* nomen an Austriæ speciali tributum: Aquilejensium, & Patavinorum rationes inanes: Patria, & Θεμα nomina eadem, appellativa, non propria. (27) Non rectè Viro docto idem Neustria, & Tuscia: Hæc tripartita: Æmilia in Neustria: hæc protracta, illa decurtata.

(25) Breviter, crasseque tradita forma, qua Langobardorum regebantur ditiones, ad divisionem Langobardici Regni cis Tiberim in partes universaliores procedimus. Hæ autem IV. esse noscuntur *Austria, Neustria, Tuscia*, & *Æmilia*, ut ex Edictis, & Diplomatis ipsorum Regum, mox infra producendis, clarissimè fit manifestum, *Austria*, & *Neustria* partes sunt relativæ, & imaginariæ, eo modo quo Astronomi, ac Geographi imaginantur, & fingunt in cœlesti Regione circulos majores, minores, meridianum, lineas, figuras, & gradus in sphæra artificiali, seu armillari, & in mappis descriptas. Extranea ea nomina esse, & in origine Francica, sive Teotisca nos docent Bollandistæ 1. Febr. *Comment. in V. S. Sigeberti*: etenim cum *Ooster* orientem: *VVester* occidentem, & *Riich* Regnum significent: ex illis compositum *Oosterriich* Regnum orientale, & *VVestorriich* occidentale, ex quibus *Austrasia*, & *Neustrasia*: contractius exinde per syncopen *Austria*, & *Neustria*. Voces ergo invectæ à Francis Transrhenanis, quando Belgicam, Celticam, & Aquitaniam, pulsis Gothis, occupare cœperunt. Hinc apud Monachum S. Dionysii *in Gest. Dagoberti cap.* 32. legitur, quod *Dagobertus Rex* (I. ab A. 628.) *Metas Urbem veniens, Sigebertum filium suum in Regno Austriæ sublimavit, sedemque Metis habere permisit*. Sæculo tamen præcedenti jam ea nomina fuisse indita Regnis, ne plura hic congeramus, testatur P. de Marca, *Marca Hispan. lib.* 3. *cap.* 25. §. 3. rem totam sic explicans, dum loquitur de divisione Regnorum inter filios Ludovici Pii. „ *Orientalem* Regni Francici *partem Austriam*, „ *Austrasiam*, *Australem partem*, *& Auster* vocare so- „ lent non solum Fredegarius, & alii veteres Anna- „ lium Scriptores, sed etiam ipse Gregorius Turonen- „ sis, qui Austrasiæ, & Austrasiorum sæpe meminit eo „ sensu, licèt pars quoque ejus Regni *specialiter Au-* „ *stria*, & *Austrasia* dicatur. Reliqua pars Franciæ „ *Neustria* dicta, sive *Neuster*, *idest occidentalis*, à di- „ ctione *Ovest*, qua significatur occidens, quamvis *Neu-* „ *stria* specialiter dictus sit tractus ille, qui à Mosa ad „ Sequanam per Oceanum interjacet usque ad Civita- „ tem Parisiorum, in qua sunt limites *Neustriæ*, & „ Burgundiæ apud Flodoardum in Historia Ecclesiæ „ Remensis. „ Hæc porrò divisio Regni in partes sic vocatas facile potuit primò contingere circa A. 511. quando, ut prodit Aimoinus *Hist. lib.* 2. ineunte *quatuor filii Clodovei Theodoricus, Chlodomirus, Childebertus, atque Chlotarius Regnum inter se æqua lance dividunt: & Theodoricus quidem sedem Regni sortitus est Metis: Chlodomirus Aurelianis: Chlotarius Suessionis: Childebertus Parisiis*. Francos itaque imitati Langobardi, *Austriam* specialiter vocarunt Provinciam *Forojuliensem*, ut orientaliorem, & primo ingressu occupatam ab Alboino A. 568. nomine postea protracto ad reliquam *Venetiam* usque ad Athesim saltem, vel ad Mincium, & Lacum Benacum. Tractum verò complectentem Cenomanos, Insubres, Ligures, & Cispadanos (respectu nostro, non more Romano) usque ad Alpes Cottias, & Grajas: & trans Padum (sive cis, more Romano) à Scultenna usque ad Alpes Maritimas *Neustriam*, ut partem occidentalem, dixerunt. Horum omnium testes sunt locupletissimi Langobardorum *Edicta* Liutprandi scilicet, apud Sigonium sub A. 713. & Bernardum Saccum *Rer. Italicar. lib.* 10. *cap.* 5. novissimè, & emendatè edita, & illustrata à Clar. Muratorio (C. H. t. 1. part. 2. pagg. 52. & 85.) ubi & Rachisii sub A. 746. ambobus in Procemio exprimentibus eas partes sub hac forma: *De Austriæ, & Neustriæ partibus, & de Tusciæ finibus cum reliquis fidelibus meis Langobardis*. Ita & loquuntur Adelgisius Rex ejusque mater Ansa *Const.* 12. *Bullar. Cas. t.* 2. Desiderius *Const.* 20. Iterum Adelgisius solus *Const.* 20. Nec ipsorum eversо Regno penitus obliterata ea nomina, ne rudiores Langobardi ignorarent, quibus Regionibus, & Populis leges præsertim indicebantur: ideoque Legislatores adhuc Langobardica nomina persæpe pro communi captu usurpabant: etsi iidem Franci Regionum, & tractuum antiquatis nominibus Langobardicis, aliter illas vocari decreverint, ut dicemus. Quare Pippinus jun. Rex datus Italiæ à Carolo patre in quidam sua lege prodita à Sigonio sub A. 781. quo Rex dictus, & à Lindenbrogio in Legib. Langobard. *lib.* 1. *tit.* 25. *c.* 73. variante à Sigonio, eadem nomina retinuit, dicens: *hoc damus in mandatis, ut tam in Austria, quam in Neustria, quam in Æmilia, & Tuscia, & litore maris per omnia loca perquirantur suprascripti fugaces*: cui Lectioni astipulatur Clar. Muratorius *l. t. p.* 120. §. 10. brevi nota approbans hucusque dicta, & dicenda. Infimo quoque tempore nondum omnino suppressum Neustriæ nomen observamus, dum Card. Aragonius inter *Gesta Pontif.* MSS. p. 77. Italiæ Provincias describens, exorditur: *Prima Neustria nuncupatur*, hoc est Langobardia. Quidquid enim hoc nomine veniebat ævo Francico, Neustria erat Langobardico. *Austriæ* itaque Italicæ, ut orientali parti correspondebat occidentalis, hoc est *Neustria*, in qua nedum Liguria continebatur, verum & Æmilia, licet distincta appareat in mox laudata lege Pippiniana. Sed de hac attentiùs num. 29. 30., & 31.

(26) Nunc, quod magis interest, Austriam Italicam expedit, & stabilire, & distinguere. Etenim quibus, vel nova Austriæ Italicæ appellatio pervenit, vel non probatur, ubi legitur *Austria*, visum est *Histriam* substituere: miramur non parum oculatissimum Tillemontium *Hist. Impp. t.* 1. *p.* 1038. Acta S. Hermagoræ (mox laudanda) notantem, hæc scribere: *Aquilée y est appellé tout d'abord* Austriæ Provinciæ Urbs. *Je ne scay pas quand le pays d'Aquilée a porté ce nom. Il est certain, que ce n'a point esté du temps de Neron*. Utique, nec acta illa tunc scripta, ut falsò contenditur) *Ni de plusieurs siecles apres*. (Sed ævo Langobardico) *Mais c'est peut-estre* (non) *une faute de copiste, qui aura mis Austriæ pour Istriæ*. Et iterum non, nam

Digitized by Google

Austrio Italica, & *Histria* Regiones sunt distinctæ: claræque has distinguunt tum Paulus 2. 14. scribens, quod *Venetiæ etiam Histria connectitur*: & 5. 39. loquens de Forojulianis bis habet *Austria*: tum Liutprandus in suis Legibus *lib.* 2. *tit.* 21. §. 24. Codicis Lindenbrogiani, ubi: *& si per dies XXX. pignora ipsa, aut debitor, aut fidejussor recolligere neglexerit, si in Austria, aut in Histria fuerit* &c. Equidem Blondus *Ital. ill. Reg.* 10. in fn. item & Albertus *Reg.* 18. exeunte *Austriam* in Italia olfecere: verùm unde hoc nomen, & quando emerserit ambo ignorant, nugas, & fabulas comminiscuntur, quas referre & refellere otium esset tenere. Minimè est dubitandum, quin Austria, & Histria distinguerentur, illoque nomine Forojuliensis Provincia specialiter appellaretur, ut confirmant mox enunciata *Acta S. Hermagoræ*, & apud Mombritium *tom.* 2. *p.* 1. (ideo medio ævo conscripta) in quibus Aquileja dicitur *Austriæ Provinciæ Urbs*: & apud Clar. Muratorium *Anecd. tom.* 4. *p.* 237. *de Vit. Patriarch. Aquilejæ*, ubi de Paulo Antistite habetur: *Et dicti Langobardi primò Forum-julii intrantes, Civitatem Austriam, quæ tunc Castrum Forliviense dicebatur, depopulati sunt*. Ita & in antiquo hymno S. Hermagore, quem (dum Venetiis essemus) legimus in veteri Breviario Ecclesiæ Aquilejensis, Venetiis edito A. 1496. per And. Torrisanum de Asula

Sublimet Aquilegiam
Urbem, fovendo Austriam.

ut rectè exinde Joh. Candidus, qui primus typis Aquilejam illustravit A. 1514. *Comment. Aquilej. lib.* 1. *p.* 3. scripserit de Foro-julio: *Julium Castrum modo est Civitas Austriæ*. Docto conterraneo est credendum. Tot testes evincunt etiam doctissimum Sigonium, qui Austria Italica in laudatis edictis, & legibus rectè perspecta, hanc postea minus rectè aliò transtulit, ut in Indice Bononiensi, seu Epitome laudata num. 11. sub *tit.* 22. *Urbes & Castra*: *lit.* A. scribit *Austria Regio, & Neustria in legibus Longobardorum significant orientalem partem Italiæ* (NB) *ut Ducatum Beneventanum, & Occidentalem, ut Tusciam*. Nedum, inquimus, supra allegata satis clarè demonstrant, Austriam strictè, & specialiter sumptam fuisse Regionem Forojuliensem, late verò reliquam comprehendisse Venetiam, ut conjicere licet, cum neque Venetiæ Langobardica Edicta, nec leges mentionem faciant: verum ex nullo documento, vel Scriptore hactenus viso, vel à Sigonio laudato, colligitur, Beneventanum Ducatum, quamquam orientaliorem, Austriam fuisse appellatum. Si res ita esset, quemadmodum dictus & ipse olim fuit *Langobardia* in diplomatis, & à Scriptoribus, ut opportunè constabit: ita & saltem aliquando ab eisdem Austria fuisset vocatus. Neque Tusciam in tractu Neustriæ fuisse contentam concedimus, ut num. seq. expeditis hic, quæ ad Austriam spectare videntur. Igitur eidem Austriæ, sive Regioni Foro-juliensi nomen *Patriæ* Scriptores Veneti attribuunt, consentiente Magino, qui Tabulam 29. *Patriam* inscribit. Verùm cum non conveniant in tempore, an & medio ævo, & propriè sic fuerit dicta, oppidò ambigimus. Antiquius nomen Patriæ, quam Austriæ fuisse prodit Henr. Palladius *Rer. Foro-juliens. p.* 176. his verbis. „ Veneti in suæ originis recordationem *Forum-julium* ab eo „ tempore *Patriam* dixere: quod nomen adhuc retinet „ Regio, & eo tamquam nobilissimo factorum suorum „ Privilegio utitur. Hinc crebra *Patriæ* usurpatio apud „ Candidum, & Sabellicum „. Loquitur hic Palladius de origine inclytæ Urbis Venetæ, scilicet de tempore, quo propter incursiones Barbarorum post sæculi V. initium, Honorio, & Arcadio imperantibus, Insulæ frequentari cœperunt. Nullum Synchronum, supparem, nec ante sæculum XIV. Scriptorem in testem producit Palladius. E' contra Sabellicus primus videtur traditionis hujus Scriptor, dum initio librorum *de vetustate Aquilejæ*, huic nomen Patriæ adscribit, dicens *hodie Patria vulgo, quod nomen libentius usurpabo*. Nomen ergo Patriæ nuper inditum, & non antiquitùs, vel antiquius illo Austriæ. Neque novi Veneti solius Aquilejæ Coloni, nam ex tota Venetia, & Illyrico populos ad æstuaria confugisse produnt Rerum Venetarum melioris notæ Scriptores, quos inter Gaspar Card. Contarenus *de Magist. & Rep. Venet. l.* 1. *p.* 3. Exteri quoque Constantinus Porphyr. *de Adm. Imper. c.* 28. Joh. Pontan. *de Bell. Neap. l.* 1. Jul. Pacius *de Domin. maris Hadr. p.* 14. totque alii, ut hac ratione nequeat Aquilejensium Regio *Patria* dici. Quin imo non ad Insulas, ubi Venetiæ novæ conditæ, sed ad Insulam *Gradum*, & adjacentes litori Aquilejensi, Foro-julienses, & Aquilejenses confluxisse, argumento illud est, quod in Synodo Gradi habita A. 581. ex Danduli Chronico exscripta a Sert. Urlato in Italica *Hist. Patav. p.* 148. & expensa ab Em. Norisio *de Synodo V. Oecum. c.* 9. . 4. Elias, vulgo Patriarcha, Pelagio II. & Episcopis suis omnibus annuentibus, hæc pronunciat: *Si vestræ placeat sanctitati, hanc Civitatem Gradensem nostram perpetuò confirmare Metropolim, novamque vocare Aquilejam*, quod infra repetit, recitatis calamitatibus, & molestiis ab Attila, Gothis, & Langobardis Urbi, & Provinciæ sævissimè illatis. Cum ergo Gradus Aquilejensium maximè fuerit deducta, & coacta Colonia, nova Aquileja, & Provinciæ caput indicitur. Igitur hæc Provincia *Patria* ed summum respectu Gradensium, non recentium Venetorum, ut Palladius contendit. Patavium quoque sibi *Patriæ* decus arrogare, saltem olim, debuisset, quando scriptum fuit, A. Christi 421. ultimo Innocentii I. Papæ patria Aponensis, Consules Regni Patavini, memores ingressus Alarici in Italiam A. 413. ad æstuaria profectos, Rivo alto (Rialto) insedisse, & magnificæ Urbis fundamenta jecisse. Hæc summa (levi conatu hic agitur) Chronici cujusdam *Bonitendii* Scribæ, quod (antequam ederetur typis Plinii Petrasanctæ A. 1557.) ex antigrapho MS. Patavini archivi refert Sabellicus *Rer. Venet. dec.* 1. *l.* 1. *à p.* 1090. & sequuntur Albertus, Janottius, Goldionus, & alii, & (quod miramur) antiquitatum peritissimus laud. Ursatus p. 124. cum Scardeone *l.* 3. *class.* 13. magis adhuc Auctor *Examinis libertatis Venetæ*, qui cœco calamo, criticum agens, fallax suum judicium a Consulibus Patavinis orditur, nec vidit quot verba, tot amentis ineptias, putidumque infimi ævi, non sæculi V. esse fœtum, inobservatum relinquens Sabellicum & *l. l.* & *t.* 4. *de Venet. Magistrat.* §. *de Coss. col.* 281. in fide Chronici Patavini vacillantem, etsi perfunctoriè: despiciens doctiss. Nic. Crassum *in notis ad Janottium, & Contarenum*, excandescentem in Coss. Patavinos; Tribuni enim ab initio Rempublicam administrabant, ut satis notum. Cubitalia Chronici sphalmata quis non videt? Æra Christi notatur nedum ante Carolum M. sed & ante Dionysium exiguum. Annus 421. dicitur ultimus Innocentii, vita functi A. 417. *Aponiensis*. Ubi Aponus? Utique fons in agro Patavino, sed ipse Albanensis. Nomina, & familiæ Coss. posteriori ævo Romano, Albertus, Thomas, Candianus, Martinus, Hugo, Andreas Ægidius Fontana &c. risum movent. Tunc nobiles quatuor nominibus donati, a postremo, ut proprio vocabantur: ita ex gr. Lucius Cæcilius Lactantius *Firmianus*: Marcus Aurelius Cassiodorus *Senator* &c. Alaricus Italiam ingreditur A. 403. moritur Consentiæ 411. Quod pulcrius, sed risu dignius est Regnum Patavii. St. Nulla itaque peculiaris gens, sed tota Venetia inclytæ, Regiæque Urbis fuit mater. De reliquo *Patria* non nomen proprium, sed appellativum genericè Regionem significans, ita centies, & semper ab Anonymo Ravennate usurpatum, ut observavit & Pagius A. 534. n. 4. Item à Paulo persæpe, cum ex. gr. 2. 5. *Suaviam Alemanorum Patriam* vocat: vox igitur homonyma, & en ratio cur quoque Regio Foro-juliensis *Patria* dicta: & licet medio ævo usitatior, antiquioribus adhuc in more fuisse docet Dufrenius *V. Patria*, Arnobii, Augustini, aliorumque verbis adductis. Quare idem *Patria* Latinis, non tamen puioribus, quod Θεμα Græcis, rectius Græco-barbaris, ut notat Joh. Meursius *Glossar. Græco-barbar*, *in* Θεμα p. 230. scribens quod, Θεμα primitus pro legione accipiebatur, „ ut ex Porphyrogenito *Thema orient.* 1. postea hoc no„ men ad significandam Provinciam translatum „. Idem paulo ante adnotaverat Bonav. Vulcanius in Porphyrogen. *de Themat. nota* 1. vertens *Legiones*. Sed apud eundem Hier. V Volphius *in Zonara*, & Edmund. Bonfidius *in jus orientale* interpretantur *Regiones*: & ita Porphyrogenitus binos libros Geographiæ suæ *de Thematibus* inscripsit. Eadem Græca voce quidam Latino-barbari utuntur, ut Liutprandus Ticin. *in Legatione* (C.H.t.2.). Chorographica Austriæ dabimus n.70. & Neustriæ n.53.

(27) Superest hic videndum tantummodò, an *Neustria* in Edictis Langobardorum *Tusciam* significaret, ut sentit Sigonius *l. l.* n.26. & postea an *Æmilia* pars *Neustriæ*. Quo ad primum, sicut *Austriam* non significare Ducatum Beneventanum ostendimus, (adhuc quia si is Ducatus fuisset *Austria*, necessario cum Venetia, & Ducatus Foro-juliensis fuisset *Neustria*, nec esse potuit *Neustria*, cum *Austria* dictus fuerit, ex adductis d. n.26. Non ergo Ducatus Beneventanus Austria esse potuit) ita neque *Neustriam* posse significare *Tusciam* asserimus. Ratio peculiaris ea est, quia in laudatis Edictis non ideo enunciantur *Austria*, *Neustria*, & *Tuscia*, quia Reges partes Regni universim & singulas designare ibi velint, sed solùm, ut moneant, condere, & edicere suas Leges cum consilio suorum Judicum, quos ut JCtos ex partibus præcipuis Regni evocaverant: quoniam *Austria*, *Neustria*, & *Tuscia* erant in Regno, & maxima ex parte de Regno, & Regiæ Urbi Ticino quodammodo proximæ: ubi Ducatus Spoletanus, & Beneventanus erant remotiores, & quidem in Regno, sed non de Regno. Exprimuntur ergo *Austria*, *Neustria*, & *Tuscia* tanquam tres tractus, sive Provinciæ finibus diversis discretæ. Ita loquitur Rex Liutprandus in Prologis libri 1. & 2.

Le-

Digitized by Google

Legum pagg. 51. & 52. (C. H. t. 1. part. 2.) Ita Rachis p. 85. Ita & alii Reges in Diplomatis mox laudandis. Sed rursus Liutprandum in Prologo libri 3. p. 54. loquentem audiamus, litemque definientem *cum illustribus viris Optimatibus meis Neustriæ, & Tusciæ partibus, vel universis nobilibus Langobardis* &c. Quid clarius! Si Neustria, & Tuscia idem, ad quid hæc distinctio *Neustria*, & *Tuscia*? Infimi legulei vim copulativæ *&* non ignorant. Si idem, est repetitio vitiosa, & superflua: sunt voces, ut Dialectici loquuntur, identicæ, non quo ad characteres, sed quo ad significationem. Ibi porrò *Austria* non meminit, quia ex ea Judices non evocaverit. Certissimè tandem *Neustria* fuit ille tractus ævo Langobardico, qui exinde Francico *Langobardia* fuit dictus, Tuscia autem nunquam *Langobardia* fuit dicta, neque sub *Langobardia* comprehensa, consequenter neque priùs sub tractu Neustriæ, quæ, sicut Langobardia, hinc ab Alpibus maritimis ad agrum Bononiensem, non ultra, inde à Cottiis, & Grajis ad Mincium protendebatur, ut numm. 33. & 53. videbitur: & item n. 97. Chorographia Tusciæ, ubi dividenda in tres partes, quarum una in Regno, & de Regno Regi immediatè subjecta: altera in Regno, sed non de Regno sub Duce proprio, dicta *Tuscia Langobardorum*: & tertia *Tuscia Romana* ad Ducatum Græco-romanum cis Tiberim spectans. Cunctis suæ Urbes assignabuntur. Quare ex hoc quoque capite Tuscia nequit dici *Neustria*, aliter & pars Ducatus Romani fuisset in *Neustria*, quod absurdum, præsertim cum Tuscia Romana sit orientalior Tuscia Regia. Neque V. doctus has partes distinguit, sed absolutè dicit, quod *Neustria significat partem Occidentalem, ut Tusciam*. Quod secundò expendendum occurrit est, an & *Æmilia* veluti altera pars Regni cis Tiberim à Neustria sit secernenda. Et planè rationes adductæ, ut Tusciam distingueremus à Neustria, eædem & Æmiliam nos distinguere cogerent; æque enim in Langobardorum Regum Diplomatis *Neustriam*, & *Æmiliam* distinctas legimus. Sic inter *Acta SS.* edita à Mabillonio, extat initio sæculi IV. (& C. H. t. 1. part. 2. à p. 175.) Aistulfi Regis donatio facta *Anselmo* Giseltrudæ Reginæ fratri, & ex Duce Foro-juliensi militi Christi, *in finibus Æmiliæ loci Nonantulæ*, ubi Cœnobium ab eo conditum. Sed clarius Adelgisius laud. *Const.* 20. Bullar. Cas. t. 2. memorat *loca in finibus Spoletinis, Tusciæ, Æmiliæ, Neustriæ* &c. ut sui juris, & ita alibi, ex prænotatis sub n. 25. Sed hæc minimè distinctionem probant, cum ibi exprimantur solummodò Patrimonia, & prædia Regalia huc, illucque locata. Cum enim tractus Neustriæ esset amplus, ut speciatim eorum situs indicarentur, mentio fit etiam Æmiliæ, cujus pars una à Placentia ad agrum Bononiensem, ut juris Langobardorum, in Neustria continebatur, & altera in Exarchatu usque Ariminum. Observandum ideo in Edictis Liutprandi, & Grimoaldi mentionem, quidem fieri trium partium *Austriæ*, *Neustriæ*, & *Tusciæ*, non autem *Æmiliæ*, cum ibi de Legibus, non de Patrimoniis sit sermo. Quod si emergeret documentum aliquod, ex quo distinctio appareret, nonnisi post A. 14. Regni Liutprandi scriptum cognosceretur: & ratio tunc esse posset ob turbatos fines Æmiliæ inter Neustriam, & Exarchatum. Etenim ante illud tempus ager Mutinensis (qui Exarchatui confinis) vix usque ad Scultennam extendebatur. At quando Liutprandus A. 727. bellum suscepit in Romanos, &, ut scribit Paulus 6. 49. *Castra Æmiliæ*, *Feronianum*, *Montem Bellium Buxeta*, *& Persiceta* (NB hæc loca inter Panarum, & Samogiam) *Bononiam*, *& Pentapolim*, *Auximumque invasit. Pari quoque modo tunc & Sutrium pervasit*, tunc protracti fines ultra Panarum agri Mutinensis. Nam etsi Sutrium *post aliquot dies redditum*, non cætera, & Bononia frustra à Romanis post triennium obsessa, non ideo recepta, ut ex eodem 6. 54. Virtute solùm Pippini, & Caroli M. Aistulfo, & Desiderio perdomitis, captoque Exarchatu cum reliquis, & Bononia accessit Ecclesiæ, exceptis locis inter amnes, ut supra. Tunc constituti fines Regni Italico-francici, tunc Æmilia decurtata. Sed quia hæc, Chorographiæ nostræ convenientia nimis, exponi nequeunt, nisi Francicæ ordinationes, quamvis obviæ, recolantur, satis pro nunc de Langobardicis, illas adimus.

SECTIO IX.

(28) Quæ Langobardica servata a Francis, quæ non: *Exarchatus*, & *Neustriæ* cur, & quando *Romaniæ*, & *Langobardiæ* facta nomina ab illis: quomodo id nomen scribendum. (29) Ejus fines statuti: ab ortu in Æmilia quæruntur: Binæ viæ Æmiliæ: *Costuma via* quæ. (30) *Ravenna* Urbs Æmilia in recto, quia Tripolis: Termini S. Petri ultra Mutinam: Charta Caroli Magni ejusque Codicis Epistolæ observatæ. (31) Viæ Æmiliæ a Placentia ad fines Regni Italici nomen *Claudiæ* restitutum a Francis. (32) De hac V. docti conjectura: & obscurum vestigium in Itinerario Antonini: Quando hoc scriptum: *Via Claudia* a quo dicta: Cur Carolo M. auctor ignotus. (33) Antiquorum finium Langobardiæ inquisitio resumitur: Lepida Diœcesium Mutinæ, & Bononiæ divisio: utriusque agri fines quinam sub Romanis, Langobardis, & Francis: De reliquis Italiæ Regionibus in *Chorographia*.

(28) LAngobardorum diruto Regno, juris Francorum, & Ecclesiæ facta est Italia, duabus Regionibus trans Tiberim, maritimisque Urbibus juris Græcorum exceptis, de quibus cum de Italia Transtiberina. Regnum Langobardicum tantùm, non ritus, non gentem evertit Carolus A. 774. imitatus, ut supra retigimus n. 19. potius Gothos, quam Langobardos, ob rationes, quas prodit Blondus *Hist. dec.* 2. *l.* 1. *p.* 163. hisce verbis. „ Quare cum gentem tam multis „ Italiæ populis affinitatibus, ac sanguinitate conjun- „ ctam, nec ejicere tutum, nec delere humanum vi- „ deretur Pontifex, Imperatorque (NB nondum, sed „ Rex) constituerunt, ubi sedem diu, & status sui „ fundamenta habuerat, genti Longobardæ nomen, „ & solum patrium conservare: utque propinquior, „ conjunctiorque nominis Romani memoria fines illis „ faceret certiores, haberentque illi probatæ erga Ro- „ manos fidelitatis vicinos, quibus esset cura, aut mo- „ tus eorum compescendi, aut Magistratus renuncian- „ di, quidquid Exarchatus Ravennatis fines comple- „ ctuntur Romandiolam placuit appellare. „ His moti rationibus Adrianus, & Carolus opportunum duxere, Langobardorum politiam, Regnique formam servare: Magistratus, & Rectores in Provinciis, ac Urbibus illorum more retinere, nullaque loca (quod non assolent victores barbari) evertere. Quod si quæ facta mutatio, non injuria, sed jure in nominibus tantùm evenit. Et primo ex postremis Blondi verbis intelligimus, cur, & quomodo *Exarchatui* nomen *Romaniæ* fuit inditum, quando à Patre Pippinus jun. A. 781. Rex Italiæ fuit dictus, ut colligimus ex lege Pippiniana 40. (C.H. t. 1. part. 2. p. 123.) ibi: „ De fugacibus, qui „ in partibus Beneventi, & Spoleti, *sive Romaniæ*, vel „ Pentapoli confugium faciunt „ &c. Nec refert, sequiori adhuc tempore nomina Exarchatus, Pentapolis, aliaque obsoleta non semel apud Scriptores, & in diplomatis inveniri: nam & hodie iidem priscis, antiquatisque nominibus Latii, Campaniæ, Galliæ Cisalpinæ similibusque utuntur. Adhuc *Neustriæ* universim eodem tempore *Langobardiæ* nomen fuisse datum ita est certum, sicut inauditum, quoad stetit Langobardicum Regnum. Utique inauditum, cum non leges, non Paulus, non diplomata, aliaque documenta Langobardica illius unquam meminerint, quod sciamus. Si unum excipiamus Continuatorem Fredegarii, qui potius naturæ ductu vel futurum prædixit, vel Regnum Langobardorum eversum vidit, etsi usque ad illud tempus non scripserit, ut in exitu hujus numeri mox dicemus. Ideo recte Blondus *Ital. ill. Reg.* 7. in princip. *Quando Carolus M. & Hadrianus I. Pontifex Romanus nomen, ut diximus, Romandiolæ indiderunt, hanc quoque partem Italiæ aliquando dictam prius Galliam Cisalpinam* (post Neustriam) *voluerunt censeri nomine Lombardiæ*. Quare valde miramur, quomodo tantus vir immemor sui optimè dicti, non longe post *Region.* 8. *p.* 370. pessimè scripserit, quod A. 14. post dirutum à Rothari Opitergium (hoc est circa A. 652.) *fœdere inter Longobardos Regem, & Duces, ac Venetiarum Civitatem, ictu declaratum est, ut tota terrestris Venetia ab Abdua ad aquas salsas* (maris) *Lombardia, & quicquid in ipsis esset salsis aquis Venetiæ appellarentur*. Utrumque sane falsum, ut patebit. Quod prius scripserat, retinemus. Et reapse apud Eginhartum in Annal. Francor. A. 786. invenimus de Carolo quod „ Rex, pace undique parta statuit Romam „ proficisci, & partem Italiæ, in qua Beneventum si- „ tum est, aggredi: conveniens esse arbitratus, ut il- „ lius Regni residuam portionem suæ potestati subjice- „ ret, cujus Caput (Ticinum) capto Desiderio Rege, „ majoremque partem in *Longobardia* jam subacta tene- „ bat. „ In cujus etiam concessione apud Sigonium A. 804. hæc leguntur: *Concedit Carolus Augustus Fortunato Patriarchæ Gradi, ut ipse, Sacerdotes, Servi, & Coloni ejus in terra sua, in Istria, Romaniola, & Langobardia, ut ubicunque quiete degant*. Quædam adhuc inter Capitularia Caroli M. relata a M. Velsero *Rer. Boicar. l.* 5. *p.* 335. & promulgata A. 788. Rex inquit, *similiter direximus Missos in Aquitaniam & Longobardiam*. Ut autem Langobardiæ nomine quandoque Regnum Italiæ venire demonstret Angelus à Nuce *in Leon. Ost.* 1. 61. n. 4. notat, quod „ Italiæ Regnum quandoque Langobar- „ dia appellatum reperitur in divisione Caroli M. „ *Italiam verò, quæ & Langobardia dicitur* &c. *Pippino dilecto filio nostro*. Hæc Charta extat *C. H. t.* 1. *part.* 2. *p.* 115. & recitata verba *Cap.* 2. in exemplari verò Baronia-

Digitized by Google

niano sub d. A. 806. n. 25. ex quibus satis apparet, variata nomina fuisse Exarchatus, & Neustriæ Pippino regnante. Id tamen ubique non contigit, nam Liguria, Tuscia, Histria, & si quæ aliæ semper antiquum nomen servarunt. Monemus hic non *Longobardiam*, minus *Lombardiam* nos scribere, sed *Langobardiam* (intactis de cætero relictis verbis aliter scribentium) quia sic habent correctiores Codices Pauli, cui *Langobardi*: & ita autographa antiqua semper, nusquam *Longobardia*, teste Mabillonio de *Re diplom. l. 2. c. 3. n. 11.* quod verum donec nulla fuit distinctio apud quosdam inter *Lombardos*, & *Longobardos*, ita scribentes: quæ à Græcis invecta, fuit à Latinis recepta, ut secernerentur gentes Langobardiæ hujus majoris, sive occidentalis, ab illis Langobardiæ minoris, sive orientalis, ut primò fuit observatum in *nota* 104. *ad Morenas* (C. H. t. 6. col. 1129.) & recolendum occurret, cum de Italia Transtiberina num. 138. erit sermo. Modò quod de Continuatore Fredegarii supra dicebamus, dissimulare non convenit. Is est parte IV. adjectus Operibus S. Gregorii Turon. & Fredegario à Ruinart, qui *col. 689. cap.* 120. describens expeditionem primam Pippini sen. in Aistulfum A. 754. habet: *Francorum agmina ad partes Langobardiæ cum omni multitudine per Lugdunum Galliæ, & Viennam pergentes, usque Mauriennam pervenerunt* &c. Et utique nondum eversum tunc Langobardicum Regnum: nondum consultum de rebus Italiæ reformandis Adrianum inter, & Carolum, & tamen jam *Langobardia* nomen emersum contra prædicta. Idem replicamus, hunc scilicet Anonymum continuatorem vel vaticinatum esse naturali ratione, vel posterius tempus vidisse. Vel primum: quid enim naturalius quam ditionem Langobardicam *Langobardiam* vocare? Jam à sæculis voce *Langobardi* vulgata, & *Langobardia* potius vox naturæ, quàm voluntatis esse videtur, ut rectè, & appositè, licèt casu, è Scriptoris calamo exciderit. Cæterùm Langobardiæ nomen factum *legaliter*, ut dicitur, & jam usu receptum post Regnum eversum dumtaxat contendimus. Vel secundum: cur enim is Anonymus tempus, quo Langobardiæ nomen enatum videre non potuit? modicum fuit. Scripsit mortem Pippini; novit ejus filios Carolum, & Carolomannum: Desiderium postremum Regem *&c.* Quot Scriptores suis scriptis superstites? Quòd semper decedant quando scribere desinunt quidem est conjectura, non argumentum indubium. Primum tamen magis arridet: eo modo, quo etiam Italiæ nomen nondum ad Alpes lege triumvirali protractum toti Cisalpinæ Galliæ à Græcis, & Latinis Scriptoribus legimus attributum, ut sub num. 52. patebit.

(29) Antequam aliò migremus, præstat fines Langobardiæ (qui iidem, ac Italici Regni) in Cispadano maximè tractu ab oriente observare: ibi enim fines tutò secernere res non est ita facilis, ut à cæteris partibus, nam inter Apenninum ab austro, Alpesque Galliæ ab occasu, & Germaniæ à septentrione fuisse interclusam, clarè innuit Carolus M. in laudata Charta divisionis A. 806. cap. 1. dum tribus suis filiis Ludovico, Pippino, & Carolo Regnorum suorum partes assignans, Provincias conterminas Italiæ, sive Langobardiæ, ad Ludovicum spectantes, decernit, nimirum *Sabojam*, *Moriennam*, *Tarentasiam*, *Montem Cinisium*, *vallem Segusianam usque ad Clusas*, *& inde per terminos Italicorum montium usque ad mare . . . . . & Provinciam*, *ac Septimaniam vel Gothiam*, *Ludovico* &c. & hi fines occidui Italiæ, & Langobardiæ. Subjicit enim cap. 2. *Italiam verò*, *quæ & Langobardia dicitur* &c. ubi Germanicas Alpes, & quidquid Germania ad meridiem respicit, cum Ducatu Curiensi, fines Regni Italici fuisse demonstrat. Posteriori adhuc ævo ab Alpibus Langobardiam cœpisse, & Marcham comprehendisse Eporediæ, cum valle Augustana discimus ex Eadmero (al. Edinero) Cantore Cantuariæ in Anglia *in Vita* S. Anselmi Augustæ Prætoriæ orti, edita à Seldeno, & Bollandistis 21. Apr. nec non opera Monachorum illius Scriptis præfixa, in qua „ Pater ejus Gundulphus: Mater Ermerberga vocabatur: „ utrique juxta sæculi dignitatem nobiliter nati: nobiliter sunt *in Augusta Civitate* conversati: quæ Civitas *confinis Burgundiæ*, *& Longobardiæ* Ermerbergam „ in se edidit: Gundulphum in *Longobardia* natum Civem suum ex advena fecit. „ Quibus & obiter notantur quidam Scriptores Pedemontani, qui suam Regionem in Langobardia dici, ægrè ferunt. Difficultas nunc tota consistit in limite orientali inter Padum, & Apenninum: nam dum Carolus *Cap.* 4 definit, & disponit, quod præmoriente Pippino, „ ab ingressu Italiæ per Augustam Civitatem *accipiat Karolus* Eborejam, Vercellas, Papiam, & inde per Padum fluvium termino currente usque *ad fines Regensium*, *& ipsam Regiam*, *& Civitatem novam*, *atque Mutinam* „ usque *ad terminos S. Petri*, „ hos terminos indefinitos relinquit. Quoniam verò aliter efferunt Ludoviciana, Ottoniana, & Henriciana diplomata, & cum ipsis Anastasius, & Leo Ost. de quibus omnibus supra à n. 20. Viris doctis nunc contendentibus, Æmiliæ partem cis Bononiam ad Italicum Regnum non spectasse, ne amplius res hæc in ambiguo remaneat, & ut fines Langobardiæ, ac Italici Regni in Chorographica tabula nostra certò constituantur, quod de Æmilia sentimus, hic operæ pretium est interponere, & mutationes in eo post Langobardicum Regnum innuere. Nisi hæc præmittantur, nunquam difficultatis nodus poterit, à nobis saltem, exsolvi. Vetera recolentes, Æmiliæ binæ viæ Romanorum: una *Scauri*, de qua Strabo 5. p. 435. *Hic ille Scaurus est*, *qui per Pisas*, *& Lunam usque Sabatios viam stravit Æmiliam*, *& hinc per Dertbonam*. Et Dertona Placentiam? non Æmilia. Eruditi divinent. Nemo antiquorum, nec Nic. Bergerius *de Milit. Imp. R. viis*, nec Adnotator Henninus eam noverunt. Olim Nob. Marchio Passalacqua Dertonensis Patritius, & antiquitatum peritus nos docuit, & testatus fuit, vidisse lapidem ex pontis Scripiæ ruderibus effossum, in quo characteribus Romanis *Via Costuma Placentiam* erat scriptum. Et ne fides tantum sit apud illum jam vita functum, & nos, Cl. Faciolatus in suo Supplemento ad Calepinum Patavii 1708. *in V. Posthumia via*, de qua Tacitus, subdit: *item Via Liguria Via Costuma*, *iter Genuam*, *& Dertonam*, *per Runcum*, *Volam*, *Arquatam*, *Seravallem*, *& Novas ducens*. Ex quo fonte id hauserit V. doctus, non innuit, sed relato lapidi fidem adjungit, ut credamus, eandem *Costumam* Placentiam usque duxisse, donec aliter doceamur. Altera Æmilia *Lepidi*, de qua Strabo subnectit: *alia verò est Æmilia*, *quæ Flaminiam excipit*. De hac clarius Livius *l. 39. c. 1. exeunte* sub A. 563. *Pacatis Liguribus in agrum Gallicum exercitum duxit* (M. Æmilius Lepidus Cos.) *viamque à Placentia*, *ut Flaminiæ committeret*, *Ariminum perduxit*. Et hic notatu dignus est dissensus Strabonis, hanc viam contrahentis, à Livio, nam ille *l. l.* ab Arimino, ubi desinebat *Flaminia*, vix usque Bononiam, non Placentiam, perducit *Æmiliam*, & Aquilejam versus eandem profert: inquit de Flaminio: *hic quidem Flaminiam è Roma per Thusciam*, *& Umbriam usque Ariminum*. De Æmilio: *alter reliquam* (Æmiliam) *porrò usque Bononiam*, *& ex ea in Aquilejam*. An Livio, vel Straboni adhæreat Plinius 2. 83. non satis intelligimus, dum narrat, quod è via Æmilia, quasi è longinquo flammæ, fumusque spectarentur, eruptæ ex concursu duorum montium in agro Mutinensi. Ut ut sit, Livii prævaleat auctoritas, præsertim cum Æmilia ex via facta Provincia, ut in *Notitia Imper. Occid. c. 59.* (eique præfectis Consularibus, ex quibus A. 369. noster SS. Ambrosius) à Placentia, sive à Liguria inciperet, juxta Paulum 2. 18. Eadem invariata permansit Langobardico ævo ut ex laudatis Actis S. Anselmi n. 27. ubi territorium Mutinense, in quo Nonantula, dicitur ab Aistulfo *in finibus Æmiliæ* consistere, & item à Stephano III. in Bulla p. 6. editionis Mabillonii. Equidem ager Mutinensis ab ætate Liutprandi productus, sed nunquam stante Langobardico Regno Æmiliæ fines variati. Exinde quid?

(30) Utique Regno Langobardorum exacto contracta, & decurtata fuit Æmilia, quod parum hactenus observatum: & ideo de illius finibus, & Urbibus tot contentiones inter VV. doctos exortæ. In Francorum igitur documentis, sive concessionibus duplex Æmilia alia Civitas, alia Regio: Si Civitas, non alia quam Ravenna, vel pars: Si Regio non alia quam tractus ab agro Bononiensi ab occasu ad Ariminum. Ostenditur primùm ex textu Ludovicianæ repetito in Ottonis, & Henrici confirmationibus sæpe laudatis, in quibus dicitur Pippinum, & Carolum in Exarchatu restituisse *Ravennam*, *& Æmiliam*, *& Bobium*, *Cæsenam* &c. aliis IX. Urbibus enumeratis, inter quas nulla Urbs cis Bononiam, saltem in *Ludoviciana*. Quomodo plures in aliis duobus diplomatis Ottonis, & Henrici satis dictum supra num. 22. Dant Reges *Exarchatum Ravennatem sub integritate*, *hoc est*, *Civitatem Ravennam*, *& Æmiliam*, *& Bobium*, &c. cur exprimere *Æmiliam*, si ut Regio contenta intelligitur in Exarchatu? Cur ab Exarchatu distinguere? Repetitio hæc inanis. Si dicatur id exprimi, id distingui, ut intelligatur etiam Æmilia Langobardica cis Bononiam, cur sicut enumerantur XIII. Urbes ultra Bononiam, etiam non enumerantur illæ IV. citra Bononiam, hoc est, *Mutina*, *Regium*, *Parma*, *Placentia*? Certissimè igitur ibi *Æmilia* Urbs, & nonnisi Ravenna vel pars. Nec inane ratiocinium censeatur hoc nostrum. Provocamus VV. doctos, ut nos doceant, quid significent ea verba *Libri Pontificalis* Præsulum Ravennatum scripti ab Agnello ejusdem sæculi IX. in Vita *Felicis cap.* 3. ubi *bis Ravennenses*, *qui & Melisenses*. Et infra in *Jobanne Sexto capite secundo*. *Melisenses*, *idest*, *Ravenniani*. Inobservata hæc verba reliquit Cl. Abbas Bacchinus Agnelli illustrator. Equidem *Melisenses* vox corrupta: nam quid *Melisenses*. Planè gentile à *Melise*. Et ubi? *Melise*, vel *Melese* in Le-

Digitized by Google

Lexico Urbs, vel Oppidum Calabriæ citerioris, ex Ovidio, & Barrio. Sed longè distamus. Vultis *Melistam? Melisopetrium?* Hoc in Armenia apud Curopalatem, illam in Phrygia apud Athenæum 13. 12. quærite: exorbitamus. Nos Ravennæ *Æmilienses* (ita corrigendum) invenimus; nam etiam Gobelinus Persona Bilefeldensis, Scriptor non contemnendus, qui floruit sæculo XV. ineunte *Cosmodromii ætat.* 1. *c.* 5. *p.* 70. inter Scripp. Meibomii, clarè docet, quod *Ravenna dicitur aliquando Æmilia Civitas* (NB. in recto) *& Ecclesia Ravennensis Æmiliensis*, & sanè ex bono, non vitiato fonte id hauserit. Miramini? Adite Cl. Muratorium in Domnizonem *lib.* 2. *cap.* 7. *n.* 107. (C. H. t. 5. p. 372.) qui ex suo Auctore, & ex Bulla A. 1092. inscios docet, dictam *Æmiliam* etiam Urbem Regii Lepidi: adite. Quod si quis nos nostris eisdem verbis supra num. 27. reconveniat, retorquendo, *si Ravenna, & Æmilia idem, ad quid hæc distinctio? si idem, repetitio vitiosa, & superflua, sunt voces identicæ* &c. Optimè, sed quid non semel diximus? *Si Civitas, non alia quam Ravenna* (NB.) *vel pars*. Non ne Ravenna Tripolis? Præsto est Jordanes *de Getar. Orig. c.* 29. in fin. *Trigemina positione exultat, idest prima Ravenna, ultima Classis, Cæsarea inter Urbem, & mare*. Quæ harum partium Æmilia dicta, alii investigent, si possunt: inscitiam nostram ingenuè malumus confiteri, quam ineptè aliquid sine teste proferre. Modò Æmiliam ut Regionem expendamus. Hæc, & iterum, non alia, ex quo Pippinus jun. Rex dictus, quam tractus ab agro Bononiensi ad Ariminensem. Incipere sanè debebat *à terminis S. Petri*: hi porrò termini ex Caroli Charta supra n. 29. laudata constituuntur ultra *Regium, & Mutinam*. Consentit *Ludoviciana*, in qua (si Æmilia sumitur pro Regione) IV. Urbium citra Bononiam mentio nulla: Anastasius, Otto, Henricus, & Leo *Parmam, Regium*, & *Mantuam* adjiciunt: Eccur non etiam *Placentiam*, & *Mutinam* æquè in veteri Æmilia? Unde illæ tres? Non ab alio, quàm à Carolo peti possunt. At quomodo petuntur, si *Ludoviciana* (in qua cuncta data, vel reddita à Pippino sen., & Carolo referuntur) nullam de illis mentionem facit? Certiora adeamus. Extant in Cod. Carolino Epistolæ Adriani 51. 52. 53. & 54. ad rem, in quibus iterum, iterumque solertissimus Pontifex enumerat Civitates Exarchatus, & Æmiliæ, semper à Bononia incipiens, nunquam vel unam ex IV. Urbibus citra Bononiam enumerans. Equidem *Ep.* 54. queritur S. Pontifex usurpationes Urbium Æmiliæ factas S. Petro à Ravennatibus Archiepiscopis Sergio, & Leone, qui illo iniquior, sub falso titulo quod ipsi Exarchatum dederit Carolus, Urbes invaserat. Hinc dici potest, ideo inter has non recenseri IV. Urbes cis Bononiam, quia Exarchatum tantummodo sibi Leo vindicabat, non Æmiliam, licèt in Exarchatu majori ex parte contentam. Utique, sed observandum hæc contigisse ante A. 781. quo nondum Pippinus jun. Rex dictus: nondum Adrianus fuerat missus in possessionem Exarchatus, & consequenter nondum detruncata, decurtata Æmilia. S. Pontifex ita queritur: „ Quid vo„ bis profuit, quod Langobardorum gens est abolita, „ & Regno Francorum subjugata? *Et ecce jam nihil de „ bis, quæ promissa sunt, adimpletum est*: insuper & „ & ea, quæ antea B. Petro concessa sunt à S. Recor„ dationis D. Pippino Rege, nunc ablata esse noscun„ tur: „ à Leone scilicet, Sergii prædecessoris ad exemplum. Liquet, hæc referi ad tempus, quo nondum ordinata fuit à Carolo Italia, & ideo mentio fit tantum de Urbibus Æmiliæ in Exarchatu contentis. Accedit, quod licèt illæ IV. Urbes ad Æmiliam civiliter, ævo adhuc Langobardorum, spectarent (solùm enim regnante Pippino, & ex Exarchatu tradito Ecclesiæ fines Æmiliæ mutatos novimus) jure tamen Ecclesiastico Metropolitæ Ravennati supponebantur, ut ex Caroli à S. P. *Geograph. sac. p.* 63. Cur igitur Leo Archiepiscopus hoc jure suffultus non etiam IV. illas Urbes sibi vindicavit? Sibi à Carolo concessam Æmiliam jactabat. Si ergo in Æmilia tunc erant illæ Urbes, nec eas Leo ausus est occupare, evidenter sequitur Carolum jam cogitasse, & ad Regnum suum spectare debere, & Æmiliam alio nomine, & limite circumscribere. Sed percipi nequit, quomodo in tot Epistolis Pontificum illarum IV. Urbium, si promissæ, vel datæ, mentio nunquam occurrat. Mirum! Exarchatus, Pentapolis, partis Tusciæ, & Urbium huc, illucque, ubique frequens mentio, & nullibi unquam illarum! Adhuc obscurum, & incertum, si quod dicitur ante promissum, re ipsa post præstitum. Cur non in ordinatione Italiæ mutata consilia? Supponitur, quidquid in Exarchatu, in Tuscia, & alibi, omninò abdicatum à Carolo, hæc ita credamus: at, quid sibi vult ejus dispositio in laudata charta *cap.* 4.? Si Pippinus præmorietur suis fratribus, *quidquid inde Romam pergenti* (ultra Mutinam) *ad lævam respicit, de Regno quod Pippinus* (frater) *habuit unà cum Ducatu Spoletano, hanc portionem, sicut prædiximus accipiat Karolus. Quid autem à prædictis Civitatibus* (Regio, & Mutina) *vel Comitatibus; Romam eunti ad dexteram jacet, unà cum Ducatu Tuscano usque ad mare australe, & usque ad Provinciam, Ludovicus ad augmentum sui Regni sortiatur*. NB. *τὸ Romam eunti* per viam Æmiliam. Charta hæc divisionis (probata *Baronio* A. 806. num. 23. Annalistis apud Duchesf. *H. Franc. tom.* 2. *pagg.* 11. 43. 61. 82. 88. & Pagio num. 4. aliis laudatis, cum Baluzio, & ab inani suspicione falsi contra Pithœum num. 6. vindicata) nos docet, Carolum post Regnum Pippino collatum aliter disposuisse de rebus Italiæ, licet de hac dispositione altum silentium apud Anastasium, & Leonem Ost. Si Baluzius *Capitular. tom.* 1. *p.* 686. integram potuisset exhibere secundam chartam divisionis Ludovici Pii inter ejus tres filios Pippinum, Ludovicum, & Carolum, plura, adhuc latentia, innotescerent circa dispositionem Italiæ, ejusque fines. Cum manca sit, aliò vertimur, ut clàrius demonstremus eosdem fines, & præsertim, ut tetigimus, decurtatam fuisse Æmiliam, eique aliud nomen impositum. Igitur.

(31) Non novum est, neque ignotum, quamquam ab aliquibus Viris doctis hodie dissimulatum, ævo Francorum *Viæ Æmiliæ*, & Regioni cognomini à Placentia ad agrum Bononiensem, sive ad *Samogiam* amnem (olim Madiam: Genam fortè medio ævo) ademptum fuisse vetus nomen Æmiliæ, inditumque illud *Claudiæ*. Si contracta non fuisset, neque nomen mutasset: idque cogitatum conjicimus, ut clarius fines Ecclesiæ, & Italici Regni innotescerent; factumque *Claudiæ* ei nomen, ne remaneret anonyma, nec amplius vocaretur Æmilia. Notabile sanè, quod documenta ad Claudiam spectantia solùm à sæculo IX. sunt scripta; solùmque à Placentia ad agrum Mutinensem inter Panarum, & Samogiam Viæ Claudiæ mentionem faciunt. Si quæ alia sunt vel ante Francicum ævum scripta, vel quæ illam producant, nondum visa, desideramus. A Placentia igitur cœpisse (ut olim Æmilia, juxta Livium) primò cognoscimus ex *Historia SS. Liberatæ, & Faustinæ* contenta in antiquissimo Codice apud Bened. Jovium, Pauli fratrem, & Magistrum (ut is ipse in *elog. Doctor. Viror.* n. 106. fatetur) *Hist. Patriæ p.* 189. hæc scribentem, sive exscribentem ex Codice: *Locus est in Alpibus Cottiis, qui olim Genesina Curia appellabatur* (scilicet sæculo VI.) *Padum fluvium habens à Septentrione: à meridie verò Alpes ipsas* (hoc est Apeninnum) *quo quidem Mercatores è Galliis in Italiam Via Claudia commeantes divertebant* &c. apud Ferrarium *Catal. SS. Italiæ* 18. *Jan.* Petrum Mariam Campum *Hist. Placen.* sub A. 570. p. 161. b. qui laudat Joh. Petr. Glussianum Scriptorem Vitæ ipsarum SS. & Fr. Ballarinum *Chron. Comi part.* 3. *p.* 184. cujus versionem Italicam Latio reddidere Bollandistæ 18. Jan. p. 197. testantes, eandem Historiam laudari ab Augustino Valerio Episcopo Veronensi. Conveniunt prædicti omnes cum Jovio, quo ad *Viam Claudiam*, qui tamen pro suo instituto, sicut & nos, illud tantum fragmentum exhibet, quod illi, & nobis est satis. Subdit vel ipse, vel interpolator, quod *Hæ Alpes Cottiæ non sunt illæ, quarum meminit Strabo, ad Galliam transalpinam pertinentes, sed ubi Bobium Oppidum situm est, in Apennino, qui montes Placentiæ modo nuncupantur, ut habet Historia Pauli Longobardi, cui Merula quoque astipulatur*. Cæterum miramur, doctissimos Bollandistas hanc *Viam Claudiam* in Langobardia ignorasse, & pro Lucensi Romam ferente, ut mox, sumpsisse, dum in calce historiæ SS. notant: *non ita prope à Placentia est Via Claudia, quæ Roma Lucam ducit*. Cuique obvius est Ortelii *Thesaurus Geograph.* in quo legitur *Julia Crysopolis in Via Claudia, ex Actis* &c. Cum porrò Holstenius in ipsum p. 100. notat, quod *malè interpretatur acta*: Utique, si Ortelius intelligit, passum S. Domninum *Juliæ Chrysopolis*, hoc est, Parmæ: secus verò, si tantum significare vult, *Chrysopolim* sitam in *Via Claudia* juxta modum loquendi eo tempore, quo acta fuere conscripta. De Curia Genesina in Chorographia nostra n. 63. erit sermo. Progrediamur Fidentiam, sive Juliam versus (quæ *Burgus S. Domnini* dicta ab A. 830. ex judicato apud Campum laudatum *H. Placent. t.* 1. *p.* 456.) & ibi *Viam Claudiam* invenimus, certissimè ab ætate Caroli M. teste coævo Usuardo, qui ejusdem jussu suum concinnavit Martyrologium: ibique 9. Octob. scripsit *Apud Juliam Via Claudia S. Domnini* &c. minimè refragantibus, sed confirmantibus Galesino, Baronio, & Molano. Non ita in Martyrologio Bedæ, qui planè S. Domninum commemorat, nulla *Claudiæ* mentione facta, quod valde notabile, quia illius tempore nondum Claudiæ nomen emersum, vel restitutum. Rabanus quidem Martyrium memorat, sed non locum. Notkerus utrumque præterit. Nihil refert. At ne scrupulus oriatur circa nomen *Juliæ*, quo tot aliæ Urbes, & Loca in Italia, & extra donantur, nutantem non pigeat *Acta S. Domnini*, & Sociorum hic accipere, & lustrare, ut apud Mombritium *tom.* 1. *à p.* 137. *a.*

Digitized by Google

scripta sæculo IX. vel circiter, ut stylus, & loca in illis expressa demonstrant. Ibi prænarrata persecutione Maximiani, & fuga Militum Christianorum pergit Historicus his verbis. „ Quadam autem nocte arripientes „ iter, in primis quidem per avia loca fugientes, ne ab „ iniqui Imperatoris insecutoribus caperentur, provi- „ do consilio liberati sunt. Tandem festino reditu in „ Italiam venientes, cum jam se tutos à persecutione „ inimici esse putarent, alii per Flaminiam, alii per „ *Claudiam* Romam tendere decreverunt: *quæ utique* „ *publicæ viæ ad utilitatem commeantium quondam sub* „ *Consulibus Claudio, & Flaminio* mira operis conti- „ nuatione, & firmitate constructæ ab ipsis nomen ac- „ cepisse noscuntur. (An id rectè dictum infra) Bea- „ tissimus verò Domninus *in Claudia* pergere destina- „ vit. Inter hæc Maximianus, cognito, quod B. Dom- „ ninus, qui domesticus ejus esse videbatur, obfugis- „ set, contemptui se haberi ab eo, quod & verum erat, „ existimans, majore in eum ira furoris, quam in ca- „ teros exardescens, sparsis undique terrarum parti- „ bus militum turbis, omnibus in commune præcepit, „ ut ubicumque eum invenissent, contemptum sui, & „ Deorum injuriam capitis amputatione persolverent. „ Hi jussa complentes, quanta poterant velocitate eum „ insecuti sunt. Cùmque B. Domninus futuræ cladis „ suæ nescius, Placentiam transiens, cœptum iter per- „ ageret, ad hoc tantùm animo paratus, ut si oporte- „ ret, pro Christo animam poneret. Missi ejusdem pro- „ phani Imperatoris consecuti sunt in eadem *Via Clau-* „ *dia* in loco fluvio *Sisteroni* pene contiguo (Sestro: „ Stirone Italis, ut in Lex.,) qui à via *Grisopoli* (Par- „ ma, ut infra num. 64.) 15. millibus distat. Quem „ confestim cognitum comprehendentes, in eadem via „ publica, nulla admissa audientia, decollaverunt. „ Hæc eadem, tamen detruncata, & variata lectione refert Surius *t. 5. p. 744.* sub die 9. Oct. Verùm fideliter retinet *in Via Claudia* prope eundem fluvium Sisteronis: & ex perantiquo MS. Cod. hæc acta transcripsisse, & arctasse quemdam Jac. Mosander testatur. Eandem *Viam Claudiam*, alias Æmiliam, scribunt ulla sinè hæsitatione Baronius sub A. 303. num. 122. *Tunc & apud Juliam Via Claudia in Parmensi territorio Domninus Martyrio insignis occubuit*. Ita & P. de Natal. 9. 42. Ferrarius *Catal. SS. Ital.* 9. Oct. Vita S. Domnini impressa Cremonæ 1578. Officium in ejus Festo Romæ approbatum, & Parmæ typis excusum 1607. laud. Campus *H. Placent. tom. 1. p. 49. b.* Inter Regium, & Mutinam eandem Viam Claudiam ex antiquis documentis indicat Leand. Albertus *p. 356. b.* Ejus Italica verba damus (deficiente versione latina Guilel. Xylandri Coloniæ 1567.) Scribit „ secondo il riporto delle Chroniche di „ essa (Modena) che così narrano. Scacciati i Longo- „ bardi d'Italia per Carlo M..... havendo *costitui-* „ *to Re d'Italia Pipino* suo figliuolo, raunandosi insie- „ me quei figliuoli dei Cittadini di Modena, ch'erano „ fuggiti ai luoghi sicuri, essendo roinata la Città, „ come è detto, fecero consiglio, se dovevano risto- „ rare la roinata Patria, o farne un' altra maggiore, „ ed altrove. E ciò fecero nella *Chiesa di S. Gemi-* „ *niano, posta nella Via Clauda*. „ Alibi tamen Albertus more veteri, & Ecclesiasticò *Claudiam*, ullo sinè discrimine Æmiliam appellat. Ultra Mutinam adhuc *Viam Claudiam* indigitat Charta Benedicti Episcopi Mutinensis A. 1098. apud Gasparem Sillingardum Episcopum Mutinensem *de Episcopis Mutinens. p. 71.* in qua *à meridie Strata Claudia* dicitur terminus petiæ terræ ab eodem Benedicto Monasterio Nonantulano tributæ. Longius tandem, nec procul à Samogia, *Viam Claudiam* nanciscimur in quodam opere MS. Abbatis Bacchini (cujus fama, & eruditio satis nota) *pro juribus S. Cæsarei* in agro Mutinensi, de quo Sigonius A. 1135. & sæpe laud. Sillingardus in documentis. Inseritur eidem operi tabella topographica, in qua delineata conspicitur via publica, Mutina Bononiam ducens, cum epigraphe usque ad Samogiam *Via Claudia* adjecta Charta genuina Comitissæ Mathildis 8. Maji 1112. ind. 5. in qua similiter *Via Claudia* enunciatur. Et ne fides penes nos tantum remaneat, eadem Charta Mathildis videri potest in collectione documentorum ad calcem ejusdem Abb. Bacchini Italicæ *Historiæ S. Benedicti* in agro Mantuano, editæ Mutinæ 1696. Ibi in collectione dicta p. 94. fines *Curtis S. Cæsarei* ita describuntur: „ à mane aqua, quæ dicitur Muza, & Capitanei, & „ via, quæ dicitur Caxola: à meridie Curtis de Ba- „ zano, & Savignano (ad lævam Samogliæ) à sero „ aqua, quæ dicitur Nizola, sicut decurrit, & fluit „ in fluvium Sculteunam, &c. à septentrione *Via* „ *Claudia*, & Ecclesia de Zena &c. „ Ulterius tandem usque ad Labinum amnem pervenisse eandem viam, novit & Gaspar Sardius *Hist. Ferrar. lib. 1. p. 33.* scribens: *Esce il Lavino dal M. Tortore nel Modenese, e fatta quell' Isola, dove ragionarono insieme M. Antonio, & Ottaviano, & tra se, e con M. Lepido partirono l'Imperio Romano: poi dividendo la Via Claudia, corre nel Po a Porotto*. En Viæ Claudiæ patens iter à Placentia ad agrum Bononiensem ab ingenuis, senioribusque Viris significatum.

(32) Hæc, & alia Linceo vidit oculo etiam Clar. Muratorius in antiquis chartis Urbis suæ Mutinensis, ut testatur, & notat *in Donizonem* (C. H. tom. 5. p. 361. num. 203.) Cum itaque & tanti Viri auctoritas omnibus valeat de Via Claudia dubitationem eximere, doceri avemus, quando ante barbara tempora via Æmilia dicta fuerit Claudia, sive à quo Claudio Romano Cive refecta. Nemo veterum, quod sciamus, vel recentiorum de viis militaribus, publicisque Romanorum, scribentium, Viæ Claudiæ, de qua loquimur, meminit; neque Nic. Bergerius, vel ejus Commentator H. Chr. Henninius (*t. 10. Antiq. Rom.*) Etenim ille *l. 3. sect. 22. §. 8.* de Claudia, quæ ex Itinerario Ant. Luca per Pistorium, Florentiam, Aretium &c. ferebat Romam, tantùm hæc prodit: *Tertius Flaminiæ ramus est Via Claudia, de qua Naso* de Ponto (l. 1. à v. 9. ad 43.) *Hæc in Itinerario describitur non Roma Lucam, quæ ejus termini sunt, sed Luca Romam hac forma &c.* ut supra; quare termini Viæ Claudiæ non citra Lucam. Quid ergo de Claudia Langobardica, sive Francigena hariolandum? Conjicit Clar. Muratorius *l. l. à Claudio quodam restauratam fuisse Viam Æmiliam, ideoque antiquum perdidisse nomen; quemadmodum Tiberius Imp. apud Reinesium* (Class. 3. num. 80. Inscript.) *Viam Valeriam à se restitutam*, Claudiam *appellandam curavit. Quidni hoc idem Æmiliæ Viæ contigerit?* Optimè, innumeraque sunt exempla Urbium, Ædium, & Monumentorum, quibus primi conditoris nomen detractum, & instauratoris appositum. Ita intelligendus est Scriptor Actorum S. Domnini, qui inscitè sumpsit unum pro alio. Attamen nondum quiescimus. Possibile! Et nullum erit vestigium Francigenæ Claudiæ apud Veteres? Quomodo posterius nomen *Claudiæ* exinde obsoletum, & anterius restitutum *Æmiliæ* Et denuò hoc deleto, illud Francorum ævo revocatum? In tanta obscuritate fermè suspicabamur, quod nunquam *Æmilia* Romanis temporibus dicta fuisset *Claudia*, sed potius, quod Carolus M. huic Viæ in Regno suo Claudiæ nomen fecisset, ut à finibus Regni Italici, & Langobardici ad dexteram flecteret, & per Apenninum duceret Lucam, & in Tusciam Langobardorum, ibique conjungeretur cum veteri Via Claudia, de qua Bergerius, ideoque & Viam Claudiam in Langobardia vocari decreverit. Et sanè non sinè ratione id cogitatum: quando suspicionem depellere nos coegit idem Antoninus, apud quem vestigium licèt obscurum, & depravatum *Romanæ Viæ Claudiæ*, adhuc cis Bononiam, adinvenimus. Igitur in illius Itinerario, cujus IV. exempla præsto nobis sunt, præsertim Josiæ Simleri A. 1575. p. 154. sic legimus: *item à Perme luca * m. p. C. via Clodia*, & ibi Simlerus *in Schol.* p. 267. ait, *legendum arbitror à Parma Lucam m. p. C.* Ita quoque Sigonius in sua Epitome supra n. 11. ubi partem hujus Itinerarii pro Italia exhibet. Depravatum locum relinquit à Schelstrate *in Append.* p. 598. a. Quid sentiat Surita, nescimus, nam hujus Codicem Amico benevolo, qui nobis ipsum commodabat, nuper perfida manus eripuit. Planè, cum non aliter sanari valeat locus corruptus, quid *à Parma Lucam*, si viæ Clodiæ termini sunt, ut supra Luca, & Roma? Hinc in Itinerario statim subjicitur: item à *Luca Romam per Clodiam m. p.* 238., & hic X. loca enumerantur, per quæ Lucam Romam fertur Viator. Ex his cognoscimus ætate Auctoris Itinerarii, sive Auctifici, jam inditum nomen *Claudiæ* veteri Æmiliæ: & mirum in hoc Itinerario Æmiliæ nomen non legi, saltem in nostris Codicibus. De reliquo, cum incertus sit & auctor primus, & continuator, ita incerta etiam ætas; nam, prout extat, nec Cæsaris, nec ullius ex Antoninis ævo, vel jussu fuisse compositum, arbitramur: licèt Surita (ut olim observavimus) in Præfatione p. 173. contendat, *Antonini Bassiani* (Caracalli) *Septimii Severi Imperatoris F. imperio compositum fuisse*. At nomina illo tempore adhuc incomperta *Constantinopolis, Maximianopolis, Diocletianopolis, Constantiæ, Curiæ* &c. in eo scripta contrarium evincunt. Nec mirum, Suritam non novisse Itinerarii auctorem, cum neque alterum *Notitiæ Dignitatum Imperii* ipse noverit, dum Mariano Scoto Scriptori sæculi XI. (deceptus à Cujacio) *Notitiam* illam attribuit *in notis pagg. 239.* & 534. Ultra tempora Arcadii, & Honorii, & citra Justiniani, sive antequam Occidentale Imperium deficeret, scriptam fuisse non est ambigendum. Quo ad Itinerarium parum & nostrà refert auctorem, vel auctificum novisse. Sit Julius Orator, sit Æthicus Ister: sint hi duo, sint unus, certum est semper, IV. inclinante sæculo fuisse absolutum. Id enim in itinere Rhætiæ pagg. 152. & 3. Simleri *Curia* descripta, ut exploratrix, nos mo-

Digitized by Google

monet, si rectè ratiocinatur ex Ammiano Marcellino conterraneus Ægid Tscudus in sua *Rhætia cap. 15. per tot.* Curiæ ortum consignans ætati Constantii, qui ab A. 351. ad 60. defunctis fratribus Constantino jun. & Constante, etiam Occidentis Imperium obivit, bellum gessit in Rhætiis, Castraque in planitie est metatus, ubi Curiæ incunabula, & incrementa videntur: recenseatur. Eadem quoque ætate *à Parma Lucam via Clodia* (cum prima hujus mentio in Itinerario eodem occurrat) veteri Æmilia tunc refecta, potuit ab instauratore appellari, Lucam usque produci, & antiquiori Claudiæ conjungi, ut paulò supra de Carolo M. cogitabamus. At quis instaurator? Hoc opus, hic labor. Eruditorum sanè risum movebimus si *Julianum Apostatam* facilè fuisse, dicemus. Observamus, nullum, quod nobis constet, Scriptorem hujus viæ Claudiæ ante Julianum meminisse. Primus coævus, vel suppar est auctor Itinerarii, ex prædictis. Julianum, occiso ejus fratre Gallo Cæsare, ex Græcia accitum Constantius Cæsarem dixit, Galliisque præfecit A. 355., ut ex Ammiano Marcell. *lib. 15. cap. 8. à pag. 92.* Valesii, quoniam inquit, *Constantium exagitabant assidui nuncii, deploratas jam Gallias indicantes, nullo renitente ad internecionem Barbaris vastantibus universa: æstuansque diu, qua vi propulsaret ærumnas, ipse in Italia residens, ut cupiebat: & Julianum patruelem fratrem, haud ita dudum, ab Achaico tractu accitum, etiam tum palliatum, in societatem Imperii adsciscere cogitabat* &c. De Juliani gestis in Galliis, & Germaniis per sexennium, quoad Cæsar fuit, idem fusissimè *Libb.* 16. 17. & 18. Sed ad rem. Juliano in Gallias profecturo se comitem præbere voluit Constantius. Julianus, ut pag. 95. *Kal. Decembribus egressus est: deductusque ab Augusto ad usque locum duabus columnis insignem, qui Laumellum interjacet & Ticinum* &c. NB iter hoc susceptum summa, & aquosa hyeme, qua viæ semper, vel plerumque cœnosæ, & ruinosæ, Æmilia tunc præsertim causa nuperi belli Constantini M. in Æmilia, quo si dirutæ Urbes, eo magis viæ militares abruptæ. Hæc innuit S. Ambrosius testis de visu, cum *Ep. 8. ad Faustinum* scribit, vidisse *de Bononiensi veniens Urbe . . . . . tot semirutarum Urbium* (Claternæ, Bononiæ, Mutinæ, Regii, Brixilli, Placentiæ) *cadavera, terrarumque sub eodem conspectu exposita funera*, hoc est, Urbes has valde attritas, & nondum refectas; nèscimus enim, an Nazarius *in Panegyrico* Constantini *cap.* 27. adulatoriè diceret: *Prætereo te Aquileja, te Mutina, cæterasque Regiones, quibus propter insecutas incredibilium bonorum commoditates gratissima fuit ipsius oppugnationis injuria.* Hæc tot post annos non vidit S. Ambrosius, qui tamen viam refectam tantùm invenerit, ob mox dicenda. A Constantino dicimus dirutas Æmiliæ Urbes, quia adhæserant Maxentio electo Imp. Romæ à Prætorianis, electionem Constantini ignorantibus: *Neque* enim *aliud ferme bellum proditum memoriæ est, quo dirui ante Barbarorum in Italiam impetum potuisse, videantur*, ut & rectè animadvertit Sigonius *de Imper. Occid.* A. 312. Nescimus, cur Baronius A. 388. n. 59. (nec observatus à Pagio h. A. num. 6.) scribat, Urbes Æmiliæ vastatas à Maximo Tyranno (dicto Magno, & Clemente apud Pagium *l. l.*) Theodosio M. imperante. Quotquot enim de ambobus scribunt, præcipuè Pacatus *in Panegyr.* Theodosii, Sex. Aurel. Victor., Philostorgius 10. 8. Zosimus l. 4. capp. 42. & 46. Orosius 7. 35. Paulus ad *Eutrop. in Theodos.*, & alii, omnes conveniunt, Maximum ex Pannonia post pugnam Siscienſem, Aquilejam profectum, ibique captum, & à Theodosio interemptum. Et quando Æmiliam invasit? S. Ambrosius scribit, quæ vidit: viditque A. 369. quando Roma Mediolanum à Probo Consularis fuit missus. Nec quando Sirmium, vel Legatus ad Maximum profectus est, per Æmiliam transivit. His expositis, nimiùm decebat, quod via Æmilia ob Augusti itum, & reditum aptè reficeretur. Id factum adhuc pro itineribus magnorum Principum sæpissime novimus: & ita jussu, vel occasione horum Principum, & in Juliani novi Cæsaris honorem Æmiliæ viæ *Claudiæ* fuisse impositum nomen, conjicimus, quod Juliani gentilitium; Etenim *Flavius Claudius* Julianus passim in nummis & in fastis inscribitur, quod satis obvium. Deridentes opponant, & meliora suppeditent. Et sanè quis dicet, adeò viarum solicitos fuisse Romanos, Curatoribus undique pro illarum refectione delectis, ut tot leges Romanæ, lapides produnt, & nummi, & præsertim Æmiliæ, cui præfectus *Pertinax*, post Imperator, apud Capitolinum c. 2. ut, hinc assiduè viis instauratis, nulla fuisset ea occasione, bello Constantiniano adhuc dato, Æmiliæ reficiendæ necessitas. Verum id nimis probat: Nam si assiduè reficiebantur, ulli numquam mutatum fuisset nomen, quod falsum, cum ex prænotatis à Cl. Muratorio de *Via Valeria*, tum ex aliis viis, putà *Aurelia*, quæ à Vitellio quodam *Vitellia* dicta, ut ap. Svetonium in *Vitellio cap.* 1. Et Henninium ad Bergerium *l.* 3. *Sect.* 27. §. 5. item *Appia* dicta *Trajana* ab instauratore Trajano, ex Georg. Fabricio *Descrip. U. Romæ cap.* 5. & Pancirolo *eod. tit. p.* 386. (in Thes. Antiq. Rom. t. 3.) qui idem dicit *de Aurelia*. Satis; altero rectius, ut imaginamur, exprobrante, quod nos, Christianissimum Carolum nefandissimi Apostatæ (cui *Idoliani* nomen factum, teste Nazianzen. *Or.* 2. *contra Gentil.*) abominabile nomen excitasse, dicamus. Utique hoc turpe videtur: at sui temporis ignorantia eum excusat, quam jam à sæculo VII. adeò deplorat S. Pontifex Agatho binis *Epp.* ad Constantinum IV. Pogonatum, sive Barbatum *coll.* 634. & 681. (Labbei t. 6. Concil.). Nonnihil eliminari vix cœpit Caroli ætate, non ineunte, sed progrediente, nam *ante ipsum etiam Domnum Regem Carolum in Gallia nullum studium fuerat liberalium artium*, teste Monacho Engolismensi apud *Duches. t. 2. p. 76.* A. 787. Audiverit hanc viam dictam olim *Claudiam* vel *Clodiam*, sed à quo Claudio ignoraverit, aliumque è Gente Claudia (Imperatoribus, Ducibus, Consulibus, &c. referta, ut in Fastis, & apud Matthiam Lud. Glandorpium *Onomast. Rom. p.* 222. aliosque) putaverit, nec Julianum tot inter Claudios discreverit. Hinc Exarchatu *Romania* dicto, etiam Æmiliam in suo Regno, ut placeret Romanis, vocari Claudiam edixit. Itinerarii Lectio tandem obstare videtur, scilicet *à Parma Lucam M. p. C.* cum in tabulis 70. plus minus circino metiamur. Utique, sed aliud in tabulis, aliud in viis, hic præsertim per montem Apennini, & per anfractus. Viatores dijudicent. Item alia vetera milliaria Romana, alia Italica nostra: & tandem si voces corruptæ in *à Perme laca*, cur non & numerus milliarium corruptus?

(33) De Æmilia, & Claudia differentes, Regni Italici, sive Langobardiæ fines ad ortum cis Padum, more Romano, quos sub n. 29. quærebamus, nondum perfectè statuimus, licèt eadem Via Claudia duce, facilius modò valeat dignosci. In confesso est apud omnes, Regnum Italicum, sive Langobardicum, sive Francicum ab ætate Liutprandi usque ad agrum Bononiensem fuisse protractum, non ultra, etsi idem Rex Bononiam, & Exarchatum A. 727. occupaverit. Sed quinam certi limites utriusque agri Mutinensis, & Bononiensis, non ita est perspicuum. Ignorantiam suam fatetur Blondus *Hist. dec.* 3. *p.* 395. verba hæc faciens: *Lombardiæ qui sunt fines, nec ausim affirmare, nec quempiam legisse, aut scire opinor.* Et planè locum hic non habent Regulæ finium regundorum à nobis ex Siculo Flacco supra num. 2. productæ, quoniam fluvii plures utrosque agros intersecant. Neque illa altera desumpta ex conformitate jurisdictionis Civilis, sive Comitatus, cum Ecclesiastica Episcopatus juxta dispositionem Synodi Chalcedonensis A. 451. *can.* 17. (apud Labbeum t. 4. col. 774.) ubi: *si qua verò Civitas potestate Imperiali novata est, aut si in posterum innovetur, civiles dispositiones, & publicos Ecclesiasticarum quoque Parochiarum ordines subsequantur.* Reliqua ad hanc regulam spectantia dabimus infra num. 51. inter monita pro recto usu tabulæ nostræ tradenda. Interim synodicam hanc regulam non fuisse servatam inter fines Diœcesium Bononiæ, & Mutinæ, sed aliam & fortuitam, & valde lepidam, prodit Sigonius *de Episcopis Bononiens.* p. 37. A. 744. innominato Episcopo N. . . . . his verbis: *Facta inter utrumque Episcopum sponsione, singuli utrinque delecti juvenes sunt, viribus corporis, & pedum pernicitate æquales, quorum unus Bononia, alter Mutina, eodem die, boraque profecti, cursum quam velocissimè intenderunt: atque ubi inter se obvii fuerunt, ibi communes terminos utriusque Ecclesiæ posuerunt.* Et subdit, quod documentum hoc *extat in actis Civitatis* (Bononiæ) *neque est aliud illo vetustius, sub Rachiso Rege* (nonne antiquius illud Theodosii junioris? Æqualem fidem merentur.) Et revera nutare videtur doctus Sillingardus *de Episcop. Mutinens. in Job. I. p.* 17. qui verba Sigonii recitans, modestè ita exorditur: *Si Sigonio credimus, Diœcesis Mutinensis à Bononiensi hac ratione divisa fuit* &c. Si hæc vera, verum adhuc, *pedes imperare non caput*, contra tritum Severi Imp. dictum apud Spartianum cap. 18. *Caput imperare, non pedes.* Et hic obiter implenda lacuna Sigonii cum *Barbato* Langobardo, & Episcopo Bononiæ ab A. 744. ad 58. ex Italicis *Animadversionibus* C. Val. Zani inter C. Caroli Cæs. Malvasiæ *Marmora Felsinea à p.* 182. quibus illustratur inscriptio Langobardica, in vase marmoreo sculpta, ætate Liutprandi, & Hildebrandi, sub quibus adhuc fuit *Barbatus* Episcopus ante A. 744. quo ineunte obiit Liutprandus. At nondum ex his utriusque jurisdictionis terminos intelligimus. Immemor Blondus eorum, quæ in Historia prius scripserat ut supra, exposit *in Ital. ill. Reg. 7. Lombardiæ in princip.* non ampliùs ignorans, sed sciens, hujus definit terminos, dicens, quod *sunt Lombardiæ fines Scultenna, & Padus amnes: Apenninus,*

Digitized by Google

sinus, *& Alpes citra Padum*: *& ultra eum quidquid intra Alpes*, *Benacumque Lacum*, *& amnem ipso clauditur Pado.* Ita fortè suo tempore sæculo XV. At quid præcedentibus sæculis Romano, Langobardico, & Francico, præsertim ab ortu? Non quidem Scultenna, saltem ab ætate Liutprandi. Qui jure illi fuerint ab ævo Romano: qui expost, à Principum, vel Gentium conventis, & pactis, sunt indubiè petendi. Ut hæc clarè exponamus, quoniam, ut diximus, Viam Æmiliam à Mutina Bononiam plures amnes intersecant (missis scrobibus, sive fossis) amnes notabiles quinque sunt *Scultenna*, *Mutia*, *Madia*, *Labinus*, *& Rhenus*, quorum tres medio ævo aliter vocatos invenimus, scilicet in Diplomatis Aistulfi inter Acta S. Anselmi (C. H. t. 1. part. 2.) & variis in chartis apud laudatum Episcopum Sillingardum. Invariatis nominibus *Mutiæ*, & Rheni, certissimè *Scultenna* ab illo ævo *Panarus* fuit dicta, & si non malè conjicimus, *Madia*, nunc Samogia, tunc *Gena*, & *Zena*: *Labinus*, *Lius*, sive *Lio* vocati. Docti Mutinenses nos corrigant. His præmissis, non sinè ratione primò conjicimus, fines agri Mutinensis fuisse *Labinum*, itaut ripa læva, & occidua ad Mutinam, dextera vero, & orientalis ad Bononiam spectaret. Labinus, dum parallelus Rheno decurrit, influitque in Samogiam, & hæc in Rhenum, efformat Insulam, quæ æquè Labini, & Rheni vocari potest; & hæc probabiliter illa est *Insula*, de qua Appianus Alex. *B. Civil. l.* 4. ineunte locum designans, ubi (occiso Cæsare A. U. C. 711.) Triumviri M. Antonius, M. Lepidus, & Octavianus Cæsar summæ potestatis societatem inierant, scribit: *Cæsar*, *post resartam amicitiam cum Antonio*, *congressus est circa Mutinam in parva quadam*, *& plana Insula fluvii Labinii*, *uterque secum habens Legiones quinque* &c. Conjecturam hanc adjuvat, quod Labinus proximior est Bononiæ, quam Mutinæ, ut dicere debuisset Appianus *circa Bononiam*: ideo, cum potius dixerit *circa Mutinam*, sequitur, hucusque agrum Mutinensem tunc pervenisse. Equidem Appiano refragari videntur tres gravissimi testes Plutarchus *in Cicerone* p. 367. b. scribens, quod Triumviri *collocuti sunt*, *remotis arbitris*, *tres dies juxta Urbem Bononiam*: quod verbis Svetonii in *Augusto c.* 96. confirmatur, *contractis ad Bononiam Triumvirorum copiis*: utrique fidem adjungente Dione Cassio l. 46. prope finem, & declarante, quod *congressi sunt ad colloquium in Insula parva quadam ejus fluvii*, *qui præter Bononiam labitur*, *cum æquo numero militum*, *nemine præterea præsente* &c. Sed jam binis animadversionibus satis hæc præoccupavimus. Inquiunt, Dio *in Insula* (Rheni) *fluvii*, *qui præter Bononiam labitur*, quia hanc Insulam etiam Rhenus ab ortu, sicut Labinus ab occasu circumscribunt, & finiunt: & quia Rhenus grandior, à Rheno Insula denominatur. Plutarchus verò, & Svetonius *juxta Bononiam*, quia proximiores Bononiæ & amnes, & Insula. Cæterum nemo ipsorum Labinum excludit, nec ad agrum Mutinensem impertinentem affirmat. Neque argui potest Labinum, ut proximiorem Bononiæ, ipsi accessisse adhuc quo ad ripam occiduam, sive lævam: quæ enim necessitas, terminum dividentem æque ab Urbe distare? Inconcussa remanet ergo Appiani auctoritas, quam nondum satis, vel argumentum saltem nostrum enervat lapis inter Com. Malvasiæ *Marmora Felsinea p.* 146. ex Panvinii libris *Romanor. Principum p.* 18. relatus, in quo *III. Vir. R. P. C.* dicitur initus, *in Agro Bononiensi*: Utique mancus, nec verba *Augustus se ipse creavit* plenè nobis arrident. Sed hunc exscribamus: tædebat: *Divus. Augustus. Pater* &c. quid hoc? *III. Vir. R. P. C.* (Reipublicæ Constituendæ) *cum M. Antonio*, *& M. Lepido se ipse creavit V. Cal. Decembris eodem anno in Agro Bononiensi*. Expendatur. Ad rem nostram, optime potuit Insula ad Agrum Bononiensem spectare, dictamque ripam Labini ad Mutinensem ævo illo Romano: Etenim si nihil Labini ad Mutinenses spectasset, Mutinæ nec meminisset Appianus. Cæterum Panvinius *l. l.* marmor, sive inscriptionem non recitat: vix laudat *Fastos Colatianos*: & Malvasia non fastos, sed *ex ædibus Collatianis* marmor suum prodit. An postea rectè in marmore scribatur, *Augustus se ipse creavit*, nondum satis percipimus. Utique A. U. C. 711. *Pansæ*, & *Hirtio* Cofs. ordinariis suffecti *Octavianus* (tunc nondum Augustus) & *Q. Pedius* Collega, sed à *Senatu*, non propria auctoritate, non in Insula, non in Agro Bononiensi, sed Romæ, ut ex antiquis Scriptoribus æquè demonstrant *in Apparatibus* suis & Baronius num. 104. & Pagius num. 71. Sed iterùm estò *in Agro Bononiensi*: Bononiensium fuerit Insula, efformata tamen à Rheno, & Labino confluentibus, ut confirmat alterum marmor Bononiense recitatum, & expensum à Thoma Reinesio *Classe* 2. 67. quod Comes Malvasia dissimulat, fortè prudenter, quia recens, & antiquitatem affectans; sed adhuc ridiculè incipit *Hæc Insula*, *quam amnis Lavinus adlatrat* pro alluit: cætera apud Rainesium: & ita finis Mutinensium illo tempore juxta Appianum, & rectè. Quid in posterum Romani, quid Gothi, quidque Longinus, constituto Exarchatu, immutaverit, ignoramus. Langobardos usque ad Liutprandi ætatem non excessisse Scultennam argumentamur ex Paulo 6. 49. cum ille Rex primò, captis inter eundem amnem, & Samogiam *Feroniano*, *M. Bellio*, *Persiceta*, *Buxeta* (de quibus infra n. 65.) nunquam restitutis, usque ad Samogiam, agrum Mutinensem protulerit: & ita quodammodo antiquis Mutinensium juribus vindicatis, illa Oppida, aliaque minora loca Urbi illorum subjecerit; minimè attendentes, quod longius idem Rex suum imperium promoverit, juxta narrationem Pauli *l. l.* & expressionem Anastasii in *Zacharia* (C. H. t. 3. p. 163. a) cujus Legati ad Liutprandum dicuntur *ingressi in finibus Langobardorum in Civitatem*, *quæ vocatur Imola* &c. Eosdem fines permansisse sub Francis, nedum probat Via Claudia ad Samogiam saltem usque producta, verum & sequiorum temporum gesta, quando scilicet Urbes ab Ottone M. quadam libertatis specie donatæ, bellorum ideo inter ipsas exorta peste, de finibus adhuc altercari cœperunt. Itaque ex locis Mutinensis agri occasione bellorum in scenam adductis, & illius fines clarius nobis, quam in privatis membranis, & chartis apparent. Missis, qui ab austro usque trans Apenninum protendebantur, & à borea sæculo XI. usque ad *Bondenum* 9. m. p. à Ferraria, ubi Scultenna in Padum influit, vix diffitum (nam ex veteri documento A. 1115. (C.H. t. 6. col. 93.) *Obiit* Comitissa Mathildis *in Comitatn Mutinensi in loco*, *qui vocatur Bondenum*, comprehensis adhuc plaudibus inferioribus, juxta *Chron. Ferrariens.* (C. H t. 8. col. 478.) fines tantùm ad ortum pro instituto nostro observare sufficiet. Et primò quidem ultra Scultennam agrum fuisse Mutinensium cognoscimus ex Sigonio A. 1131. quando scilicet Hildebrando Abbate auctore Nonantulani Bononiensibus se dedidere. Quapropter acre bellum exortum, & protractum usque ad A. 1136. renovatumque A. 1142. ut apud eundem Sigonium, donec singula in integrum restituta fuerunt. Ab opposito latere dextero videmus toties memoratum *Castrum S. Cæsarei*, de quo Chronicon Cremonense (C. H. t. 7. col. 642.) ubi sub A. 1229. dicitur, quod Ugo Marchio Lupus Potestas Mutinæ ,, contra Bononienses, Romagnolos, & Lombardos societatis, & conjurationis, qui *Castrum S. Cæsarei Mutinensis* obsidebant in campestri prœlio dimicavit, & ,, usque ad Civitatem Bononiæ eos fugavit ,,. Prudenter hic monet Cl. Muratorius, hæc scripta charactere diverso: aliter enim prodit Auctor *Memorialis Potestatum Regiens.* sub eodem A. (C. H. t. 8. col. 1107.) scribens, etsi confusè, quod Bononienses Castrum *ceperunt*, *videntibus Mutinensibus*, *Parmensibus*, *& Cremonensibus*, *qui ibi erant cum exercitibus suis*: *& fuit maximum prœlium quadam nocte inter eos*, *& Bononienses*, *& fugerunt de Campo*. (Hi ne, vel illi? Non Bononienses, si Castrum ceperant. Nihilominus subditur) *& fuit maxima mortalitas hominum*, *peditum*, *& militum ex parte Bononiensium*. (Et ex parte Mutinensium? Siletur, & sequitur) *& habebant manganellas* (fustes) *in plaustris*, *& manganabant* (fustibus cædebant) *eas per Carrocium Parmæ*, *& homines illius partis*. Utut sit, illud certum est, Castrum sive captum, sive non, Mutinensium fuisse, sicut *Castrum Leonis* ex eodem *Memorial.* A. 1237. ubi *Castrum Francum* videtur Bononiensium: an jure, vel vi, non distinguitur. Sed Bononienses tunc *Plumacium*, & *Crevacorum* tenebant. Ibid. A. 1239. Attamen remotiora Castra *Bazanum*, M. *Bellius*, sive *Bellus*, *Savignanum* &c. sinistræ ripæ Samogiæ insidentia Mutinensium erant, ex laud. *Manuali* AA. 1228. & 1281. *Chronicon Cremonens. col.* 641. ,, Cremonenses in servitio ,, Mutinensium hostiliter corruerunt contra Bononien- ,, ses, & obsederunt *Bazanum Castrum Mutinensium*, & ,, Castrum Bononiensium *Plumatium* nomine ceperunt, ,, & destruxerunt, & terram Bononiæ usque ad flumen ,, Rheni incendio concremaverunt. ,, Corradinus de Savignano Civis Mutinæ dicitur in *Manuali* A. 1281. M. Bellus medius inter Savignanum & Bazanum. Singula perstringendo, ne nimis prolixi simus, in jam decretis perstamus, semper pœnitere parati, si perperam cogitavimus, veteres agri Mutinensis fines fuisse Samogiam, & consequenter hunc amnem Langobardiæ, Regnique Italici limitem ab ortu cis Padum, more Romano. De aliis Langobardiæ finibus verbum jam fecimus supra num. 26. exeunte, iterumque, & completè fiet in Chorographia infra n. 53. sicut de cæteris Provinciis, & Ducatibus omnibus indagine longè minori indigentibus. Superest unum valde involutum de finibus Marchæ Eporediæ explicandum, quæ & ipsa Langobardiæ pars est, sed cum minimè ad ordinationem Langobardicam spectet, & è contra ad Francicam aliqui Scriptores eam tribuere velint, quam citò, locuturis de Francorum Marchis, & de illa Eporediæ opportunè num. 44. erit sermo.

SE-

Digitized by Google

SECTIO X.

(34) Divisio Italiæ ævo Francico in Ducatus, Comitatus, & Marchas: Omnium origo stricte recolitur: An Duces Urbani apud antiquos Francos, ut apud Langobardos: Francorum res sæculi VI. Blondello ignotæ: Ipsorum Ducibus quot Urbes tributæ. (35) Divisio Honoriana Galliarum mere civilis: Ecclesiastica ab ea diversa: Galliæ quomodo medio ævo divisæ: Austriæ Regnum quale, & quid eidem adjectum. (36) Cur Italiæ Urbibus non Duces præpositi, sed Comites? Horum triplex ordo: Non omnes præpositi ex Francis, ut censet V. doctus: Vicarii, & Centenarii sub illis: Quinam Comites Fortiores, Mediocres, & Minores. (37) Nulla Marcha Langobardico ævo in Italia: Ejus etymon, & origo: Inter Ducem, Marchionem, Comitemque discrimen: Quomodo idem Comes, Marchio, Dux: Coronæ Ducalis quis auctor: Horum nemo ab initio perpetuus.

(34) CUrsim, leviterque tantùm numero 24. exeunte tetigimus, quæ Carolus M. nova in Italiæ ordinatione constituerat: relicto tunc (cum aliò nos distraherent res Langobardicæ ad Chorographiam spectantes, quæ magis urgebant) interrupto argumento. Nunc idem resumere, fidemque nostram liberare, hic opportunum tandem censemus. Illic itaque dicebamus, Carolum paucis Ducum Provincialium servatis titulis, cæteros Duces Urbanos Comites vocari tantùm sanxisse. Cur, & quomodo id factum, præmitti debet: maximè ut discrimen appareat inter Comitatus, & Marchas ab eodem Carolo primò in Italia constitutas: quod ad Chorographiam ævi Francici perquam conferre videtur, ut dicto num. 24. item attigimus. In Ducatus, Marchas, & Comitatus distributam fuisse Italiam à Carolo tot sunt testimonia, quot diplomata, & præcepta Regum, & Cæsarum Francorum, Italicorum, & Germanorum, in quibus Ducum, Marchionum, Comitum, &c. creberrima mentio. Horum tamen omnium nomina adeò variè usurpata, & sæpe de eadem persona promiscuè dicta, ut ipsorum distinctio non ita facilè dignoscatur. *Ducum* institutio antiquissima à Consularibus sæculis apud Romanos, quibus Imperator Dux dictus: eodem titulo triumphantibus, mox Cæsaribus arrogato. Duces item dicti exercituum Ductores, cum Barbari, relictis suis sedibus, alienas quærebant. Antiqua etiam ea *Comitum*, sed posterioris tantùm ævi Romani, ut ex Codice Theodosiano, & Notitia utriusque Imperii: nam prioris ævi Comites, ut illi Adriani apud Spartianum cap. 18. Amici tantùm erant, & Socii Imperatorum, ut ex saxis, præsertim illo Mediolani, huc adducto à Salmasio *l. l.* in notis *C. Sentio Severo Quadrato, & Cos.* (certè suffecto, non ordinario, cum abfit à fastis) *Amico, & Com-iti Aug.* Ævi quoque Romani *Marchiones*, si officium limitis custodiendi, ut in dicta Notitia, spectemus: secus verò quo ad nomen Marchæ, sive Marchiæ, & Marchionis, ante Carolum M. certè inauditum, & à solis Germanis profectum, ut mox patebit. Ducum, & Comitum dignitates à Romanis ad Gothos, ut ex formulis Cassiodori, à Gothis ad Langobardos, & Francos exinde traductas produnt Scriptores, ut in Collectaneis Dufrenii in *Glossario V. Dux, & Comes*. Item omnes eædem dignitates ab ortu, & in progressu officiales: paulatim exinde feudales, & hæreditariæ: demum nimis adauctæ, vix honorariæ. Summatim hæc generica damus, quia satis obvia, & certa, ut probatione non egeant. Speciatim postea, quia Langobardico ævo omnes Rectores Provinciarum, & Urbium Duces appellabantur, paucis exceptis Comitibus, & Gastaldis, de quibus locuti sumus supra numm. 23. & 24. E contra, quia ævo Francico in Italia pauci Duces, qui & Marchiones dicti ab Officio, sed permulti Comites, nonnulla hic subjicere oportet, & quidem ad normam Francorum, à quibus fuere tot tituli in Italia multiplicati. At si ita procedendum, uti ratio postulat, & ut quid in Italia iidem fuerint percipiamus, cur non & Duces Urbani in Italia servati, si iidem quoque apud Francos medio ævo fuisse videntur, Dav. Blondello præsertim, *Genealog. Franc. tom. 2. p. 141.*? Liceat ejus mentem expendere, dum ipse Joh. Jac. Chiffletium perpetuò insectatur. Sed pluries lapsum esse, Francorum plura ignorasse, nos Blondellum cognoscimus. Quia Chiffletius dixerat, *Ecclesiasticam jurisdictionem à laica normam accepisse: Archiepiscopum uti Ducem multis præfuisse Civitatibus* &c. Censor ita ipsum arguit, & notat: *Si XVII. solùm Archiepiscopi in tota Gallia erant, XX. verò Duces habuit in sua ditione* (Childebertus II.) *quomodo pares possunt Archiepiscopis fieri Duces*? Mox supra præmiserat, quod *nulli Duci tot Civitates, & pagi tribui solebant, quot ab antiquo Archiepiscopis suberant*. Exemplum affert de Childeberto Rege, *cui triens tantum Galliarum obvenerat*, & ideo miratur, quod scribat Gregorius Turonensis *Hist. Franc. lib. 10. cap. 3.* ex subditis suis *XX. Duces ad Longobardorum gentem debellandam direxisse*: nec error in numero Romano, quoniam characteribus id confirmat Paulus 3. 32. verba Gregorii transcribens: *Childebertus confestim iterato in Italiam exercitum Francorum cum viginti Ducibus ad debellandam Langobardorum gentem direxit*. NB pro dicendis, expeditionem hanc Francicam susceptam contra Regem Autharim, in finibus Tridentinorum cœptam, A. 590. quoniam Gregorius *l. l.* refert eodem tempore Autharis mortem, eique suffectum *Paulum* Regem: *venerunt alii, qui mortuum Aptacharium Regem nunciantes, Paulumque in loco ejus substitutum* (hoc est *Agilulphum*, dictum etiam *Agonem*). Mens itaque Blondelli est, Childebertum, non habuisse sub se XX. Duces Provinciales ex duplici ratione: prima, quia *triens Galliarum* ei tantùm obvenerat, ac si ejus ditio adeò fuerit exigua, ut in ea esse non potuerint XX. Duces: altera, quia in Gallia erant tantum antiquitus XVII. Archiepiscopi, totidem Provinciæ, & consequenter XVII. Duces, non amplius. Hinc ex ejus ratiocinio necessario sequitur, ex XX. illis Ducibus, plerosque fuisse Urbanos: non enim verisimile est, omnes omnino Duces Provinciales in illa expeditione tunc in Italiam profectos. Si ergo Duces Urbani in Galliis, cur non & servati in Italia? Sed præterquam quod mens Chiffletii non est, statuere in Galliis tot Duces, quot Archiepiscopos, sed solum Duces cum Archiepiscopis indeterminatè conferre, itaut sicut Archiepiscopis plures suberant Civitates, ita & Ducibus (quod verum apud veteres Francos, aliasque gentes), tribus in capitibus Blondellum falli observamus. Et primò cum asserit, quod *nulli Duci tot Civitates, & pagi tribui solebant, quot ab antiquo Archiepiscopis suberant*. Ipsi refragatur apertè Continuator Aimoini *lib. 4. cap. 6.* testis, quod *Pippinus Grifonem, more Ducum duodecim Comitatibus donavit*. Sensus tamen Scriptoris hujus non est, quod ex more, ut ex lege, XII. semper Urbes cuique Duci tribui deberent, sed tantùm quod plures, etiam ad Regis arbitrium, tribui solerent, quod certissimum: nam apud Ditmarum *lib. 4. p. 354.* uni Duci XV. usque Comites paruisse: è contra nulli Duci quosdam Comites obnoxios fuisse legimus apud eundem Ditmarum *lib. 7. p. 407.* & Fredegarium *cap. 78.* Nec mirum, si Pippinus Grifoni, ut fratri suo tot Comitatus tribuerit: sed iterum non id de more, ut censet Pithœus *Adversarior. lib. 1. cap. 8.* exeunte, nam Annalista Fuldensis A. 750. cum Rheginone, & Sigeberto A. 748. scribit, quod *Pippinus Grypboni in partibus Neustriæ XII. Comitatus* dedit, *ut more Ducum* omisso. Hinc Greg. Turonens. 8. 18. Ducatum *Nicetii* in Regno Childeberti, de quo loquimur, tribus vix Urbibus constitutum ostendit, scribendo, *quod in Urbe Arverna, Rutbena, atque Ucetica Dux ordinatus est*. Et infra 9. 7. *Ennodius cum Ducatum Urbium Turonicæ, atque Pictavæ ministraret, adhuc & Vici Juliensis, atque Benarnæ Urbium Principatum accepit*. Et hic NB quod harum Urbium *Comites* tantùm dicuntur, obnoxii uni Duci: subdit enim, *eunibus Comitibus Turonicæ, atque Pictavæ Urbis ad Regem Childebertum, obtinuerunt eum* (Ennodium) *à se removeri*. Quamobrem asserto mori XII. Urbium Viri docti adversantur. Hæc Turonensis allata verba, ut prægravia iterum oportebit expendere. Adhuc peccat Blondellus in eodem suo asserto, nam si *Pippinus Grifonem XII. Civitatibus donavit*, quomodo *nulli Duci tot Civitates tribui solebant, quot ab antiquo Archiepiscopis*? Equidem Urbanus II. scripsit, apud P. de Marca *Concord. Imper. & Sacerd. lib. 5. cap. 40. §. 6.* cum Episcopatum Atrebatensem restitueret: *liquet SS. Canonum institutis integram esse Provinciam, & Metropolitanum proprium debere sortiri, quæ duodecim constat Episcopis*, sed quemadmodum hodie in Galliis, & alibi ob multitudinem Metropoleon aliter est, ita sæculo VI. in Galliis aliter fuit, ob paucitatem Urbium Episcopalium; præsertim, si Censor sequi vult, ut videtur, veterem divisionem, & notitiam XVII Provinciarum Galliæ, in qua (ne à Childeberti finibus egrediamur) notantur dumtaxat quatuor Urbes in Germania I. totidem in Belgica I. & vix duæ in Germania II. Verum tamen est, ordinationem, sive notitiam hanc scriptam ætate *Honorii Imp.* prorsus sæculo VI. obsolevisse in Galliis, rebus aliter Ecclesiasticè, & civiliter ordinatis.

(35) Non parùm ideo miramur secundò, firmiter adeò *XVII. Archiepiscopos in Galliis* supponere, ut ideo XX. Duces non potuerint esse in Childeberti ditione. Insubidè credidit ergo, vel *Honorianam* Notitiam esse Ecclesiasticam, vel *Galliam* Ecclesiasticam omninò convenire cum illa. Neutrum est verum. *Ho-*

toriana est omninò civilis, & quando hæc scripta fuit, nondum in Galliis in eum numerum Provinciæ Ecclesiasticæ excreverant. Vulgata ea satis est à Simlero A. 1575. à Schotto cum Itinerario Suritæ Col. Agrippinæ A. 1600. (nec intelligimus, cur dixerit oculatissimus Pagius, eam exscribens A. 374. num. 11. quod hanc *primùm Sirmundus cum Conciliis Gallicanis in lucem emisit*, scilicet A. 1629.) exinde illustrata ab Hadr. Valesio 1675. quam desideramus: & novissimè à Schelstratensi in Append. num. IX. post *Antiq. Eccles.* Conferatur *ex abundanti* cum Caroli à S. P. *Geograph. sac. p.* 23. Ibi Provinciæ quidem XVI. sed cum *Honoriana* non conveniunt. Absunt ab illa sacra Viennensis III. Aquitania III. Lugdunensis V. quia Germaniæ I. & II. uniuntur Belgicæ I. & additur Maxima Sequanorum, ubi Vesuntio Metropolis. Etiam in Urbibus Suffraganeis præsertim duarum Germanicarum p. 56. non modica variatio videtur. Longè adhuc major est diversitas inter *Honorianam*, & notitiam Ecclesiasticam Galliarum proditam à Schelstratensi in Append. num. VIII. p. 642. antiquiorem Provinciali Romano, & Tractatu Nili, de quibus mox. Dicitur enim sumpta ex Codice 700. annorum. Nonnulla alia discrimina observat quoque Pagius A. 401. à num. 44. contra P. de Marca, quibus confirmatur, *Honorianam* divisionem esse merè civilem. Hæc, diximus, *ex abundanti*, quoniam Gallia Ecclesiastica, prout extat in Geographia sacra, eadem non est, ac sæculo VI. sub Regibus primæ Stirpis. Etenim Geographia hæc contexta est ad normam *Provincialis Romani*, quod primò editum Romæ An. 1593. post Lutetiæ, Lugduni: à Rebuffo cum Praxi beneficiali, & à Miræo emendatius 1610. sed concinnatum jam à sæculo fortè XII. postquam Nilus Doxopatrius A. 1043. Tractatum *de V. Thronis Patriarchalibus* scripsit, & ad Rogerium Siciliæ Regem direxit. Extat in opere L. Allatii *de consensu Eccles. Orient. & Occid.* ex quo Schelstratensis. Sufficiat nescientibus hæc indicasse; nimis enim ab instituto nostro de Ducibus, & Comitibus removemur, & aliud onus nunc nobis incumbit. Verum quia diximus, aliter sæculo VI. fuisse constitutam Galliam Ecclesiasticam, ac sæculis sequioribus, adeatur Joh. Doujat, qui in Appendice *Prænotion. Canonicar. pagg.* 9. *& seqq.* exhibet typum Diœcesis Galliarum tempore S. Gregorii M. quo ferè tota Gallia sub Francis, in qua sub IV. Primatibus Arelatensi, Lugdunensi, Treverensi, & Bituricensi XIV. tantum continebantur Provinciæ, & Metropoles, una vel altera ex pluribus civilibus constituta, non XVII. ut perperam sensit Blondellus. Tertiò demum, ne fidem fallamus, Censor decipitur, & quidem, in quo magis firmatur, scilicet, *Trientem* tantum Galliarum Childeberto obvenisse: ideoque XX. Duces illi non fuisse subjectos. Cœco casu id protulisse opinamur, minime observato, Childeberti portionem cæteris duabus fuisse ampliorem, ut plusquam XX. Duces constituere in illa potuerit. Quam Galliarum divisionem respexerit, ignoramus. Tres celebres hoc sæculo VI. factas cognoscimus. Contigit harum I. post mortem Clodovei M. anno 511. qui universæ Galliæ Francorum Monarcha fuit, inter ipsius quatuor filios (ut prodit Fredegarius *in Epitome Greg. c.* 30.) statuta sede, *Theuderici* Mettis: *Chlodomeri* Aurelianis: *Childeberti* I. Parisiis, & *Clotarii* I. Svessione. Exigua tunc quidem Regna, saltem cis Rhenum in Galliis. Nondum enim Francis accesserat Burgundia, solum ab ipsis occupata A. 525. ex Greg. Turon. 3. 11. Nondum Provincia, seu Gothia Italiæ adjacens sub Theoderico Amalo, ut ex dictis supra num. 8. Et licèt Clodoveus A. 502. Britones (ex Anglo-saxonibus Britanniæ majoris invasoribus, à quibus minor Britannia dicta) subegerit, testibus Sidonio *Ep.* 7. *l.* 1, cum Sirmundo: Jornande *de Reb. Get. c.* 45. G. Turon. 1. 15. & 2. 18. attamen possessores reliquit *beneficiario jure*, sive *more*, juxta phrasim Scriptorum medii ævi apud Dufren. *in Beneficium*, hoc est in feudum. Solùm suos Dominos non Reges, sed Comites dici decrevit. Aquitanias quidem recepit A. 507. Alarico Visigothorum Rege Eurici filio devicto, & occiso ex G. Turon. 2. 37. Quid singulis obvenerit, collegit Pagius A. 514. n. 11. Et hic NB pro infra dicendis, Theuderico, qui natu major, etiam tributas *Provincias trans Rhenum*, licèt has non distinguat. II. divisio defuncto Clotario I. A. 561. inter suos quatuor item filios *Charibertum*, *Guntramnum*, *Chilpericum*, & *Sigebertum* fuit facta: ampliatis tunc Galliis accessione Narbonensis, Burgundiæ, & Gothiæ Gallicæ, cedentibus Gothis & laudato *num.* 8. Neutra harum divisionum est tamen attendenda, dum agimus cum Blondello. Utique III. cum, mortuo *Chariberto* A. 572. tritariam divisa fuit, ut sub hoc A. num. 3. Pagius ex Cointio A. 567. n. 41. observat, scribens quod, mortuo *Chariberto*, Francia „ in tria Regna dividi cœpit, in *Austriam*, videlicet, „ ad orientem sitam: *Neustriam* ad occidentem, & *Burgundiam*. Sigiberti ditio *Austria*: Chilperici *Neustria*: „ Guntramni Burgundia nuncupata est „. Porrò occiso Sigeberto A. 575. Regni sui A. 14. ut apud Turonensem l. 4. c. 51. (sive ultimo, error enim est hic à cap. 41. ad 47. in editione Parisiensi de la Barre) *regnavit Childebertus* (II.) *filius ejus pro eo*: eique Austriæ Regnum obvenit, *vix lustro ætatis suæ jam peracto*, ut idem subdit 5. 1. Primo igitur Childebertus *Austriam* obtinuit. Quæ hæc fuerit, innuit Aimoinus *l.* 1. *c.* 4. hoc pacto: *illam Regionem, quæ septentrionem versùs tenditur, & inter Mosam, & Rhenum est* Austriam: *illam autem, quæ à Mosa ad Ligerim usque pertingit*, Neustriam *vocaverunt*. Itaque finis Austriæ ab occasu Ligeris: à borea oceanus: ab ortu Rhenus, quidem ab ostio ad fontes, nam itinere adverso ripam Rheni tenendo Childebertus usque in Helvetios se contulit, armis ad Athesim, & in agrum Tridentinum contra Autharim delatis, ut supra n. 34. innuimus. Sed ubi Austria à meridie confinis erat Burgundiæ non adeò protendebatur, sed tantum usque ad fontes Araris (vulgo Saone) & Mosellæ, ubi & Montes Vogesus, & Romaricus naturales Regionum limites ex datis in antecessum n. 2. Et parvus hic tractus? Amplius adhuc porrigebarur ditio Childeberti ad occasum in *Neustria* trans Mosam, & Ligerim: in *Aquitania* trans Garumnam usque ad Pyrenæos, in *Narbonensi* usque ad Rhodanum, præter adhuc Provincias Trans-rhenanas, quarũ nec hilum olfecit famosus ille Blondellus, qui sanè hæc novisset, si Gregorium Turonensem Francicæ Historiæ Parentem attentiùs lustrasset. Et primò nonne trans Mosam *Svessiones*? (Soisons) Morabatur ibi Childebertus, cum Brunechilde famosa ejus matre, & tutrice, quando Fredegundis uxor Chilperici Svessiones misit armatos clericos, ut utrunque perimerent, sicut narrat ipse Turonensis 8. 29. Sed plura ad rem idem 9. 20. suppeditat in sui ipsius Legatione pro Childeberto ad Guntramnum hujus Patruum, pro componendis rebus super hæreditate Chariberti, quæ Sigeberto Patri ejusdem obvenerat, ut fusè ibi narratur. Quare tunc asse diviso, & parte Guntramni statuta, portionem, quam nactus est Childebertus, declarat hoc pacto. *Pari conditione Civitates Meldonenses* (Meldæ: Meaux, 10. leucis à Parisiis in occasum) *& duas portiones de Salvanectis* (Silvanectum: Augustomagus: Senlis, 10. leucis à Parisiis in boream) *Turonos*, *Pictavos* (illos ad Ligerim Touraine, & Tours: istos Poictou, Poictieres in Aquitania) *Abrincatas* (Abrinca: Avranches ultra Parisios in Normandia ad Oceanum) *Vicum Julienſem cum Sorannis* (Loudun in Aquitania, 10 leucis à Pictavio in boream) *Lapurdo* (Lourde, ad Pyrenæi radices in Bearnia, parte veteris Aquitaniæ) *& Albige* (Alba Helviorum, Viviers ad dexteram Rhodani in Occitania: Languedoc.) *Dominus Childebertus Rex cum terminis à præsenti die suæ vindicet potestati*, & infra: *Cadurcam Civitatem cum terminis, & cuncto populo suo*, ut inter dotalia Brunechildis matris (Chaors in Aquitania). Huc modo revocetur ex præcedenti numero Nicetii Ducatus *in Urbe Arverna, & Ruthena* (quæ Claromons, & Rodez in Aquitania) *atque Ucetica* (Uzez in Narbonensi non procul à Rhodano supra Nemausum). Cùmque idem *Nicetius* dicatur *Anno* 12. *Childeberti Regis* (587.) *Massiliensis Provinciæ, & reliquarum Urbium, quæ in illis partibus ad Regnum Regis ipsius* (Childeberti) *pertinebant, ordinatus*: etiam cis Rhodanum in Provincia ejus ditio protendebatur. Item recolendus ex d. num. 34. Ennodii Principatus *Vici Julienſis, & Benarnæ*, quæ Urbs, & Regio ad radices Pyrenæi. Porrò ad Austriæ Regnum Regiones Trans-rhenanæ spectabant, ut supra tetigimus, & clarè cognoscimus ex Turonensi, dum circa finem libri 4. (confusa enim sunt capita, nec editionem Ruinart habemus modò sub manu) agit de bellis civilibus excitatis à Sigeberto contra fratres suos Chilpericum, & Guntramnum, quorum occasione scribit c. 49, quod *Sigebertus Rex gentes, quæ ultra Rhenum habentur, commovet, & bellum civile ordiens* &c. Sed quænam eæ fuerint, quis nos docet? Ripuarios fuisse conjicimus, cum Francis, & Gallis essent Leges Ripuariæ adeò solemnes. Et rursum quinam Ripuarii? Varias inter opiniones, eam Nic. Cisneri apud Gotthelffium Struvium *Hist. German. Diss.* 5. §. 8. * libenter amplectimur, dum sentit, eos esse, *qui ripas Mæni, & Rheni* (dexteram intellige) *accolunt, quas olim Franci tenuerunt*. Et rectè, nam Francia vetus trans Rhenum, ut discimus ex G. Turonens. 2. 9. scribente ex traditione, *Francos de Pannonia fuisse digressos, & primum quidem litora Rheni amnis incoluisse: dehinc transacto Rheno, Tongriam transmeasse* &c. Subdit Cisnerus: *nam inde eos Ripuarios dictos argumenti est Lex Ripuaria iis scripta, ut Francis Saliis Lex Salica*. Igitur & Franci Salii Regno Austriæ addicti. Non tamen respectu antiquæ eorum sedis ad fluvium Salam Franconiæ, ubi oriens in Albim, infra Desiaviam, excurrit. Sed ubi pulsi à finitimis Saxonibus se recepere, ut prodit Zosimus l. 3. c. 6. *In Romani*

juris

Digitized by Google

juris solum contenderunt : & adpulsis ad Bataviam navibus, quam divisus Rhenus Insulam efficit, quamvis Insula fluminea majorem Saliorum nationem, Francorum à parte profectam, & vi Saxonum in hanc Insulam rejectam, expulerunt, Alamannis quoque, & Bajoariis imperasse Childebertum intelligimus *ex Prologo* Legum Bajoariorum, quas in Cod. legum antiquarum edidit Frid. Lindenbrogius, in quo dicitur primo Theodoricum Clodovei M. filium, post Childebertum, deinde Dagobertum Christianas Leges illis edixisse, ac Francis. Et idem ex tit. 2. c. 9. De Alamannis priùs à Clodoveo subactis testes sunt Turonensis 2. 30. Aimoinus 2. 15. Cassiodorus 41. 2. De Thuringiis adhuc primum idem Turonens. 2. 27. Sigebertus A. 495. &c. Et en gentes Austriæ obnoxiæ, ut conterminæ, quas Sigebertus commovit. Et ejus filius Childebertus II. tot cumulatus Provinciis, XX. Duces, & amplius habere non poterat? Si naso conspicilia apposuisset Blondellus, melius trientem Galliarum vidisset.

(36) Stat igitur, morem fuisse Francorum, Duces pluribus Urbibus præficere, ut supra num. 34. de Grifone, Nicetio, & Ennodio, aliisque probant exempla: Comites è contra uni tantùm, ut ibidem de Comitibus Turonicæ, & Pictavæ, ac cæteris, qui in Historia Gregorii Turonensis, nec non in Appendice, ac in Libris *de Gloria Martyrum*, & *Confessorum* passim occurrunt. Eundem servasse morem in Hispania centies ostendit P. de Marca *in Marca Hispanica* à Steph. Baluzio illustrata, ac edita Parisiis 1688. Quare Franci à veteri suo instituto minimè recedentes, eodem modo Italiam ordinare voluerunt. Et quidem laudabiliter, cum eorum primi Rectores, seu Principes non Reges, sed Duces appellarentur, ut ex eodem Turonensi 2. c. 9. à quo Francorum exorditur historiam specialem. Unde Ducis titulum, ut eminentiorem, Præfectis solum pluribus Urbibus, quæ quodammodo Provinciæ speciem præferebant, tribuere dignum existimarunt: idque ad exemplum fortè Gothorum, qui in Galliis, & in Italia eandem distinctionem servarunt; & ut etiam inter majores, & minores Præfectos esset quoque discrimen, absurdum censentes, quod omnes promiscuè æquali titulo, ac dignitate pollerent. Sicut postea apud Francos in Galliis triplex Comitum ordo, ut mox, ita & in Italia. Et hic iterum claudicat Blondellus *Geneolog. Franc. t. 2. p. 43.* scribens, quod *veteribus eos, quibus Ducatus commendabantur, Comites vocare: imò Ducis, & Comitis titulos concatenare, aliosque aliis cumulare solemne fuit*. Horum rationes subdit: „ Primò quia nonnisi ex Comitatu sacro seligebantur „ Palatii, Civitatum, Limitum, Regionum, Pago- „ rum Præfecti. Secundo quia ferè semper ad tempus „ Ducalis, & Comitiva dignitas, quanta quanta ea „ fuit, non *patrimonium* ad posteros hæreditario jure „ transmittendum (ut nunc fieri amat) sed officium, „ quandocunque Princeps sententiam mutaret, depo- „ nendum designavit „. Sed quid pro *Veteribus* ipse intelligit? Utique Francos, & quidem sub prima Regum prosapia. At id falsum: nam *quibus Ducatus commendabantur Comites vocare solemne* non *fuit*, ut satis superque supra n. 34. ex Turonensi 7. 9. probatum, eodem denuò 10. 5. occurrente, quod *directis Rex literis ad Comitem Urbis* Turonicæ, quam Chuppa olim Comestabuli, ingressus, deprædatus fuerat, ut vinctum ad eum dirigeret. Alia quamplurima exempla produci potuissent, si etiam per Regna Neustriæ, & Burgundiæ vagari, se obtulisset occasio. Ubique enim idem fuit mos Francorum, saltem sub prima stirpe, ut etiam testatur de Marca laudato opere *l. 3. c. 7. §. 1.* Gratis exinde asserit, ex Comitibus Sacri Palatii selectos Duces, & Comites omnes. Cætera transeant. Comitum ideò triplex ordo, nam alii *Sacri Palatii*, sive *Palatini*: alii *Urbani*: alii *Vicani*. Missis ævi Romani antiquioribus Comitibus *Sacri Palatii*, sive Palatinis, de quibus in *Cod. Justinianeo lib. 1. titt. 32. & 34.* hi medio ævo quid essent habetur ex Marculfi *Formularum veter. l. 1. c. 21.* ubi *petiit, ut illustris vir ille* (Comes) *omnes causas suas in vice ipsius tam in pago, quàm in Palatio nostro ad mallandum, prosequendumque recipere deberet*. De eisdem quoque capp. 37. & 38. Sed in formulis Marculfo subjectis clarius eorum officium exprimitur cap. 9. *Admallare debeas per mallos, vicos, Castella, Oppida, & Civitates: nec non etiam (si necessitas incubuerit) in Palatio ante Vicarios, Comites, Missos Dominicos, Comites Palatii* ex quibus postremis verbis cognoscimus, quod ad Comites Palatii deferebantur omnes contentiones legales, quæ alibi ortæ propter æquitatis judicium superiorem cognitionem exigebant. Et ideo d. cap: 37. Marculfi inquit Rex, *dum & illustris vir ille Comes Palatii testimoniavit* &c. An unicus esset Comes Sacri Palatii, vel plures dubitari potest ex eo, quod Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus *Epist.* ad Proceres Regni *cap. 16.* data A. 880. hæc dixerit: „ *Sacrum Palatium* per hos ministros disponebatur, „ per Camerarium, videlicet, & *Comitem Palatii* „ in minori numero. Ita opinatus est Hermannus Conrigius in *Censura p. 127.* adversùs Hier. Bigonium, qui Marculfi *Formulas* cum notis edidit A. 1613. sed Censorem facilè evincit Mabillon. *de Re Diplom. l. 2. c. 12. n. 14.* ei ostendens ex ejusdem Regis placitis eodem anno datis, plures fuisse Palatii Comites, quin imò plures in eodem placito subscriptos: & IX. quandoque fuisse ostendit infra *lib. 4.* ubi de Francorum Regum Palatiis *n. 54. p. 281.* Obiter, quid Camerarius Dufrenius docet *in Camerarius*, qui & Thesaurarius; etiam Capellanus in Sacro Palatio sedebat, causas Ecclesiasticas cognoscens, dictus aliquando *Sacri Palatii Archiepiscopus*, de quo idem *V. eod.* Ex his omnibus itaque constitutum fuisse rerum judicandarum summum Magistratum, sive Tribunal (Sacri nostri Insubrum Senatus ad instar, ut dicitur ejus in Historia MS.) constat etiam ex Charta Pippini Majoris Domus inter *Antiquitates S. Dionysii p. 692.* ubi: *sicut Proceres nostri, seu Comites Palatii nostri, vel reliqui leges Doctores judicaverunt* &c. Hinc aptissime Poeta Saxo *de Gestis Caroli M.* sub A. 775. Indict. 12. apud Leibnitium *Scripp. Rer. German. t. 1. p. 124.* Cœtum hunc vocat Senatum, dum canit

Rex hiemis tempus ducens in Carisiaco
Nomine, quo quædam regalis villa vocatur:
Illuc Francorum Proceres totumque Senatum
Convocat . . . . . .

Et hic ex hactenus adductis inexcusabilis fit dicti Censoris cœcitas, cum pag. 195. contendit, Comites Sacri Palatii non fuisse dictos ante Fridericum Ænobarbum sæculo XII. Quis enim ignorat, Marculfum vixisse A. 660. & Hincmarum sæculo IX. adhuc sub Carolo Crasso? Sicut postea Comites Sacri Palatii in Galliis, & in Germania, ita & Francorum ævo in Italia. Testimonia abundant apud Dufrenium in *V. Comites*, specialiter in *Comes Palatii Ticinensis*, quod præcipuum in Langobardia, sicut sub Regibus Langobardicis, *qui felicissimum, & Sacrum Palatium* suum appellabant in Diplomatum clausulis, ut apud Ughellum *t. 8. coll. 569. 581.* & seqq. ex Chartario S. Sophiæ Beneventi: & ex Chartario Casauriensi noscitur *Heribaldus Comes Sacri Palatii*, sub Ludovico II. apud Mabillonium supra *l. l. n. 13.*, & apud Annalistam Bertinianum *Adbalardus* ex Comite Palatii Dux Spoleti sub A. 824. Cum tanta porrò esset horum Comitum dignitas, quisque judicet, an rectè Blondellus dixerit, quod *nonnisi ex Comitatu sacro seligebantur* &c. etiam *Pagorum Præfecti*: Ergo ex Sacerdote Clericus, ut lepidè dicitur. Accedunt secundi ordinis Comites, quos *Urbanos* dicimus, sicut Duces Langobardos, ab Urbibus, quibus præficiebantur. Quoniam verò Urbes, earumque agri *Comitatus* dicebantur, à Comitatu Comites fuere dicti. Ad Chorographiam universim hi spectant, speciatim ad Topographiam, nullatenus tamen Comites Palatii: quorum ideo meminimus, ut Comitum medii ævi triplex ordo noscatur. Cæterum horum nil notius, & enunciantur in Auctario formularum Marculfi *cap. 15.* ubi „ Domnis „ Sanctis, & Apostolicis, ac Venerandis in Christo „ Patribus, Regibus, *Comitibus*, Episcopis, Abbati- „ bus, Sacerdotibus, Clericis, vel omni Populo Chri- „ stiano, qui *in Romanorum*, *vel Langobardorum* Pro- „ vinciis Deo serviunt, tam in Monasteriis, quàm in „ Civitate, seu per Pagos, vel per vicos „. Singulis itaque Urbibus dare cœpit Carolus M suos Comites; nam in Annalium Francorum fragmento Henr. Canisii *Antiquar. Lectionum* t. 3. inserto p. 202 sub A. 776. legitur, quod „ Carolus Rex Italiam ingressus est, per „ partes Fori-Julii, iter peragens, *Ruodgandus* occisus „ est: & Dominus Carolus Rex apud Tarvisium Civi- „ tatem Pascha celebravit, & captis Civitate Foro- „ Julii, & Tarvisio cum reliquis Civitatibus, *quæ re-* „ *bellarant*, disposuit eas omnes *per Francos*. Ita & Annales Metenses, ac Bertiniani sub A. 776. (C. H. t. 2. p. 498. b.) Fusius Poeta Saxo *l. l.* A. 776. Indict. 13. p. 126. qui præfectos Urbibus appellat Comites

. . . . . *Italiam properans, meritoquè Tyrannum*
Interitu plectens, Urbes servare receptas
Francorum Comites, quos ipse locabat in illis
Jussit . . . . .

Dum P. de Marca laudatæ *Marcæ Hisp. 3. 7. §. 1.* ex Annalibus Eginharti A. 776. transcribit, quod „ Carolus „ *Rotgaudo*, qui Regnum affectabat, interfecto, Ci- „ vitatibus quoque, quæ ad eum defecerant, sine di- „ latione receptis, & in eis *Francorum Comitibus con-* „ *stitutis*, eadem, qua venerat, velocitate reversus „ est, „ violenter nimis, & universim concludit, & infert, quod *id unum prudens Caroli solertia addidit, ut firmando novo Imperio Comites ex gente Francorum passim præponeret. Quod regnandi arcanum non tacuit Eginhartus*, ut supra. Etenim id factum non ab initio, sed triennio post, Rotgaudi rebellis intuitu, ut omnes Annalistæ scri-

Digitized by Google

scribunt. Nonne Rotgaudus natione Langobardus, Dux ante Carolum constitutus à Desiderio, & à Carolo confirmatus? Arcanum fuisset, & solertia, si, Italia acquisita, statim Duces Francos Ducatibus præfecisset. Sed adhuc Hildebrandum Spoleti, Aragisum Beneventi Langobardos æque reliquit. Tusciæ tandem ex quo Marchiones dare cœperunt Caroli M. Nepotes, & illos Lege Langobardica vivere profitentes legimus pretiosis in chartis, quarum firmissima basi *Estenses Antiquitates* molitus est adeò miranda, ac imitabili methodo Cl. Muratorius. Quare si Ducatus, & Marchas rei longe majoris Langobardis Principibus Carolus ab initio commisit, cur non minoris momenti etiam Urbes? Certè Tarvisio Langobardum reliquit, ut prodit Annalista Petavianus apud Pagium A. 776. num. 1. ibi: *occiso Hrotgaudo, qui illi rebello extiterat, obsederuntque Stabilinium Socerum suum* (Rotgaudi) *Taravisio Civitate. Eo capto* &c. Reliqua num. 40. infra, ubi videndum, an Marcha Tarvisii ad Italicum Regnum spectaret. Tertii tandem ordinis erant *Comites Vicani*, sive Pagorum, quorum mentio apud Marculfum *lib.* 1. *capp.* 8. 28. 40. & in *Auctario capp.* 4. 22. 29. 32. 40. Vicanos, non Paganos eos dicimus, quoniam aliud *Pagi*, aliud *Vici*, & apud veteres Scriptores Romanos, ex Vossio *Etymol. in Vicus*, & apud sequiores medii ævi, præsertim Greg. Turonensem, qui *Vicum* pro Burgo, vel Oppido capit: *Pagum* verò pro agro integro Urbi attributo; puta, Pagum Turonicum, Tholosanum, Cadurcinum, Lemovicinum *&c.* Integro Pago præerant Comes, ejusque Vicarius: Vico, Burgo, vel Oppido insigni Comes Vicanus. Comites Urbani suos habebant *Vicarios*, etiam Vicecomites dictos, qui æque Pagum, sive agrum judiciaria potestate regebant. Alii speciales Comites Vicarii Vico, vel Oppido præficiebantur, nomine tenus à Comite Vicano distincti, indito Vicariæ, sive Vicariatus, nomine Vico, & territorio, ac villis sub ipso contentis. *Centenarii* hi quoque vocabantur, de quibus, deque eorum limitata potestate loquuntur Leges Langobardicæ Caroli, Pippini, Ludovici *&c.* nuper editæ, & à Cl. Muratorio illustratæ (C. H. t. 1. part. 2.) Quærantur in indice *V. Centenarii & Vicarii*, & adeatur Dufren. in eisdem verbis. Perbelle VValfrid. Strabo *de Reb. Eccles. c.* 31. eorum jurisdictionem ita declarat: *Centenarii* (*qui & Centenariones*) *vel Vicarii, qui per pagos statuti sunt, Presbyteris plebium* (*qui Baptismales Ecclesias tenent, & minoribus Presbyteris præsunt*) *conferri queunt*. Ex his intelligimus quinam essent Comites *Fortiores*, *Mediocres*, *& Minores* adhuc à Dufrenio prætermissi. Horum mentio habetur in quadam *Decretali precum Episcoporum* Galliæ apud Sirmundum *Concil. Gallic. t.* 2. *p.* 160. in qua decernitur quantam eleemosynam quælibet persona cujuscunque status, gradus, & dignitatis erogare debeat: & ad rem, „ *Fortiores Comites* uncias tres: *Mediocres* unicam, & dimidiam: „ *Minores* denarios triginta: & hæc eroganda pro Domno Rege, & exercitu Francorum, & præsente tribulatione. „ Nam peste, fame, & bello Francia sævissime vexabatur circa A. 791. *Fortiores* itaque erant Comites I. ordinis, hoc est, Sacri Palatii: *Mediocres* II. Urbani: *Minores* III. Vicani. Ita olim cogitabamus, quando exposit sic etiam cogitasse invenimus Blondellum *d. tom.* 2. *p.* 139.

(37) Quæ hactenus exposuimus, constituit Carolus ad normam veteris Francorum suorum regiminis, & Gothorum, qui idem prius in Gallias à se occupatas invexerant. Quod noviter ab eo inductum in Italico Regno fuit Marchæ nomen, & Marchionis officium, & dignitas. Quare nemo sinat, se à Blondo perduci, dum scribit *Ital. ill. Region.* 9. sub initio, Marchionatus nomen *à Langobardis* inditum fuisse tractibus Anconitano, & Tarvisino, ut discriminarentur à IV. Ducatibus Beneventano, Spoletano, Taurinensi, & Forojuliensi, *in quibus nullum successionis jus filiis, & nepotibus competebat*, secus in Marchis: nomenque Marchionatus significare *perpetuum Magistratum in Longobarda barbarie*. Paucioribus verbis idem sensit, & confirmavit Volaterranus *Commentar. Urban. l.* 4. *p.* 71. scribens, quod *Longobardi Italia potiti eam partim Ducibus partim Marchionibus commiserunt, qui lingua eorum perpetuum Magistratum, & hæreditarium significant, cum Duces non ex successione fuissent*. Utrique adhæret Albertus p. 268. b. cum pluribus recentioribus. Sed quot unquam essent hic reponenda! Inopes nos facit copia rerum, quas jam abundè, eruditè semper, aptèque suggessit Cl. Muratorius in Italica *Historia Estensi*, in qua si quot capita, tot gemmæ, profectò capita 5. & 6. adeò scitè, & ingenuè exarata, Indici, qui pretiosiores, possunt dici adamantes: quorum nova, & purissima luce tot cœci, & nugatores, ut præconceptos deponant errores, illuminantur. Si quid addere licèt pro re Geographica, & tempore (ne laudatos Viros doctos insubidè huc adduxisse, & notare videamur) primò JCti etymon illud lib. 2. Feudor. *Quis dicatur Dux, Marchio, Comes* &c. *tit.* 10. omninò detrectent, cum *dicitur Marchia, quia Marcha ut & plurimum juxta mare sit posita*. Marchio enim nomen est, non Latinum, sed Germanicum, in sua origine, & propria dictione ex *March*, & *Gravione* compositum, ut de hoc, & similibus notat Dionys. Gothofredus in textum, ibi: „ idem Gravio, & Graphio (ex Paulo 5. 36. *cum Comite Bajoariorùm quem illi Gravionem dicunt*) Inde „ *Lant-Gravii*, Provinciæ. *March. Gravii*, limitis: „ *Psalz-Gravii*, Palatii; *Bur-Gravii*: Arcis; præsidiique „ Judices: Inde *Cent-Gravii*: *Go-gravii*: *Din-Gravii*, „ Judices pedanei „. Significatio porrò nominis, & expressio muneris est certè à Romanis petenda. Etenim priori ævo Duces erant Imperii limites custodientes, ut apud Lampridium in *Alex. Severo* c. 58. qui *quæ de hostibus capta sunt limitaneis Ducibus, & militibus donavit*. Hinc limitaneæ arces, & Urbes, Græcis πόλεις ἐφορεαις, vel ἐφορίας apud Lexicographos Græcos, ex Aristide, & Zosimo. Designantur expressius in *Notitia Imper. Orient. c.* 139. *& Occid.* 70. juxta formulam Cassiodori 7. 4. ubi Princeps Ducem ita alloquitur: *Ducatum tibi credimus, ut milites & in pace regas, & cum eis fines nostros solemni alacritate circumeas*. Pausaniæ etymon mittimus satis rejectum à Vito Amerpachio in notis ad Capitularia Caroli M. c. 4. fixè tenentes cum Sirmundo in notis ad Capitularia Caroli Calvi *c.* 40. *p.* 96. quod *Marca, & Marcha limes, sive fines cujuscunq; Regionis, & Marchio Comes Marcæ præpositus*: quod centum documentis sacro-profanis ostendit. Ex his, & tot aliis à Dufrenio cumulatis in *Marcha, & Marchio*, nullibi colligitur, hæc nomina vel Langobardica esse, vel à Langobardis indita tractibus, ut à Ducatibus distinguerentur: nam in ipsorum legibus, & historiis nullum vestigium, altumque silentium. Deficiente hoc supposito, ruit & illud, quod Marchionatus significaret Magistratum perpetuum; nam apud Langobardos, minusque apud Francos, saltem sub Carolo M. perpetuus Magistratus certè nunquam probabitur. Sanè Langobardos faciliores Francis in transmittendo Ducatu à patre in filios invenimus in Paulo, vel ob merita patris, vel ad decus personæ, sæpe Regibus affinitatis nexu conjunctæ: sed jure sanguinis, & hæreditatis, nondum nobis probatur. Frequentissimè quidem Duces nunc exautoratos, unoque à Ducatu nunc translatos ad alium nancisciмur. Idem evenisset de Marchionibus si extitissent. Sed iterum non Langobardis, utique Carolo primò institutio debetur, saltem in Italia: etenim in Francia Marchæ nomen antiquius ab ævo Regis Dagoberti A. 630. apud Baluzium *Capitular. Reg. Francor. t.* 1. *col.* 45. §. 5. *& col.* 50. §. 70. In Italia verò mentionem non habemus (nos saltem) antiquiorem ea *Annal. Fuldens. A.* 788. ubi *Avares in Marcha Bajoariæ, atque Italiæ à Regis exercitibus victi, & fugati sunt*. In laudatis Capitularibus pluries, sed non ante illum annum: & inter ea incerti temporis col. 529. Marchiones memorantur Sciendum tamen non esse secernendos Marchiones à Comitibus, „ quia tum „ eorum discrimen pendebat à situ locorum, in qui„ bus utrique constituti erant, non autem à signifi„ catione nominis, quod cum dignitate conjunctum „ erat; limitis enim alicujus, sive Marcæ Comites di„ cebantur Marchiones: sed postea pro variis Regio„ num, & temporum rationibus positum est discrimen „ inter eas dignitates, ut Marchionibus primus ho„ noris gradus sæpe tributus super Comites „. Hæc P. de Marca *Marca Hisp. l.* 3. *c.* 9. §. 1. Nec dispar ratio de Ducibus, docente etiam Pagio A. 1093. n. 2. & consentiente Cl. Muratorio laud. *Antiq.* p. 25. quod antiquitus *voces Marchionis, Comitis, & Ducis ad idem significandum* usurpabantur. Qua ratione Marchiones Tusciæ Comites, & Duces promiscuè dictos ostendit; itemque pag. 27. Ex Joh. VIII. epistola 21. Berengarium Fori-Julii, & Lambertum Spoleti Duces modò Comites, modò Marchiones appellatos. Quod si in diplomatis Ducum, Marchionum, & Comitum is præcedentiæ ordo servatur, id evenit, quia omnis Marchio Comes Urbi, vel Urbibus præfectus: non è contra omnis Comes Marchio, cum unus Comes uni tantum Urbi præpositus, sine munere limitis custodiendi, esse potuerit. Si ergo Comitis limitanea erat dictio, ob hanc circumstantiam Marchio quoque erat dictus. Dux denique idem appellatus ex duplice capite: primò quia Provinciæ erat præpositus, ut more Francorum Dux vocaretur, sicut sub Langobardis Dux Provincialis. Secundò quia successu annorum, intra tamen sæculum IX. quædam insignia Ducalia, & Corona Ducibus conferri cœpit, ut optimè Cl. Muratorius p. 28. moderatè nimis nihil definiendo, conjecit, leviterque tetigit, sed aptissimè. Nam Carolus Calvus, defuncta A. 874. ejus prima uxore Hirmintrude, deductaque Richilde Arduennæ Comitis filia, hujus fratrem Bosonem Cognatum suum coronavit, ut sub A. 876. produnt Annales Ber-

Digitized by Google

Bertiniani (C. H. t. 2.) ubi ,, Carolus nonas Januarii Roma exiens Papiam rediit : ubi & placitum suum ,, habuit : *& Bosone uxoris suæ fratre Duce ipsius terræ* ,, (hoc est Langobardiæ) *constituto , & Corona Ducali* ,, *ornato , & collegis ejus , quos idem Dux expetiit in* ,, *eodem Regno relictis* , per montem Jovis ,, in Gallias reversus est . Sequentia verba , quibus Caroli describitur iter opportuna erunt sub num 45. Hic tantùm Bosonis collegæ inquirendi : cumque veteri teste careamus , Sigonio sub A. 876. p.239. cui innotuerint, supplemus , scribente , quod Carolus ,, Bosonem Bu- ,, vini filium , Richildis uxoris suæ fratrem Ducem de- ,, claravit , & *Vidonem* Lamberti , & *Berengarium* Efe- ,, rardi (corr. Eberardi) filios , illum *Spoleti* , & hunc ,, *Fori-Julii* confirmavit ,, . Si ergo Sigonio hac in re non levis fides habenda , Bosonis Vido , & Berengarius collegæ fuerint , ejusque opera à Carolo Duces & ipsi dicti . Plane Sigonio circumstantiæ fidem adjungunt. Annales Bertinianos ipse non vidit , utique Aimoinum , ejusque Continuatorem : utrumque recenset in syllabo Scriptorum , quibus usus est . Continuator , & Annalista Bertinianus conveniunt in collegis Bosonis . Is sub dicto A. subjungit , quod Boso *Berengarii* (*Everardi filii*) *factione filiam Hludovvici* (II.) *Imperatoris Hirmengardem* (viduam relictam à Constantino Basilii I. Armeni F.) *quæ apud eum morabatur* (Berengarium nempe) *iniquo conludio in matrimonium sumpsit* . Si Berengarius hanc operam pro Bosone navavit , plane Collegæ . Cur non & tertius Vido , cujus necessitudo summa cum Berengario , antequam ambo de Regno Italiæ contendere cœperint? Videatur Liutprandus l. 1. c. 6. His ex præmissis fas est elicere primò , ad tempus Caroli Calvi , & Bosonis Coronæ Ducalis inventum tutò posse referri , cum Continuatore Aimoini, ex quo sumpsit Annalista Bertinianus , antiquiorem Dufrenius , & Cl. Muratorius non adinvenerint . Miramur Sigonium , qui Continuatorem novit , Bosonis coronationem reticuisse . Secundò dum legimus Berengarium, & Vidonem ad petitionem Bosonis in Regno (idest in Ducatibus in Regno , non de Regno) relictos , cognoscimus quidem filios Patri in Ducatibus substitutos sæculo IX. nondum tamen jure hæreditario : stante enim hoc jure frustra id Boso impetrasset . Berengarii Eberardum Patrem Fori-Julii Ducem , & Vidonis Lambertum Spoleti asseverat Hadr. Valesius *in Panegyr. de laud. Bereng. capp.* 1. & 2. (C. H. t. 2.) quod ignotum fuit Sigonio , aliter scribente sub AA. 776. 796. & 800. ut dicemus , cum sermo erit de hoc Ducatu in Chorographia nostra n. 72. Novit è contra etiam ipse Ducem Spoleti Lambertum seniorem præfati Vidonis Patrem ; neque hic ultra progredimur , nam à n. 111. dabimus Ducum Spoletanorum Laterculum , quod primò exhibitum à Mabillonio *Musæi Ital. t.* 1. *part.* 2. *p.* 62. inobservato, acephalum esse, & desistens ab A. 836. ad 931. quod supplere conabimur , quoniam eodem defectu laborat, quod exhibetur tomi 2. part. 2. p. 295. Hic tantum nonnullos pro præsenti argumento anticipamus ex Annal. Bertinianis in exemplum , ut pateat , eodem sæculo IX institutos Duces mero jure beneficiario , non hæreditario , filiis neque vocatis . Sic A. 822. *Suppo* ex Comite Brixiæ : A. 824. ex Comite Palatii *Adbalardus* : *Moringus* item ex Comite Brixiæ : *Guido* senior apud Erchempertum *Hist. n.* 17. & alii Spoleti Duces creantur . Non quid improles , vel sine propinquis hi omnes ? Quare , etsi Cl. Muratorius *Antiq. Estens.* in I. Stemmate Genealogico consignet annis 811. & 829. Bonifacios : 847. & 875. Adalbertum I. Tusciæ Duces per successionem sanguinis , ut infra à p. 106. ostendit , nondum satis cognoscimus , nisi producantur Imperiales Concessiones , quo jure filius dignitatem patris adierit: neque hac in re quicquam aliud potest tutò decerni , sed tantum concludi, ut concludit P. de Marca *Marcha Hisp.* 3. 7. §. 6. quod hæc *munera initio per tempus administrata, & possessa beneficio Principum : tandem generali constitutione in filios : demum in reliquos hæredes transivere* . Quod facile credimus contingere potuisse in Italia declinante sæculo IX. & frequentius X. observatis Italiæ præsertim in Langobardia Subalpina Principatuũ exordiis Eporediæ , Segusii , Salutiarum , Montisferrati , Sabaudiæ *&c.* seclusis tamen fabulis , quibus Scriptores non pauci ficto lenocinio dumtaxat (quia antiquis testibus , & documentis destituti) Principes suos palpare cœperunt . Fortè hac in re aliquid dicendum proximè occurret .

SECTIO XI.

(38) Iterùm quomodo idem Comes , Marchio , Dux : Marchæ Italiæ quæ : Forojuliensis vicissitudines sub Francis : An hujus Marchio Berengarii Pater . (39) *Histria* serò sub Langobardis : *Forojuliensi* Marchæ a Francis adjecta : An Marcha ab his dicta . (40) Eadem Marchæ Tarvisinæ conditio : Antiquiori ævo *Veronensis* vocata : An omnes hæ Marchæ sub Venetia contentæ ad Italicum Regnum spectarent. (41) Marcha *Mediolani* restituta sæculo XII. sed forte antiquior : Gesta ab Ænobarbo Veronæ chronologicè vindicata : Marcha *Genuæ* ab ævo Francorum (42) Marcha *M. ferrati* ante Ottones instituta : ejus Marchionum origo à fabulis expurgata : Otto II. non bigamus : nulla Adeleis nupta Aledramo . (43) Marchæ hujus fines sæculo XV. ignoti : X. quam ampli : Marchæ minores Langarum , & oræ maritimæ beneficia M. ferrati : De Marchis Secusii , Firmi , Anconæ,Spoleti &c. in Chorographia . (44) An Marcha *Eporediæ* Tridentinæ contermina , ut sentit V. doctus : Insubrum , Orobiorum, & Cenomanorum fines ad boream Romano , & medio ævo usque ad Alpes : Illius Marchæ fines qui ? (45) An eidem Angleriæ Comitatus adjectus : Ejus origo , & progressus : Unde Marchionum suorum potentia : Iidem Marchiones in Italia , non Italiæ . (46) Guido , & Bernardus fictitii : Desiderii nullus filius præter Adalgisum : ejus vera genesis , & patria . Testamentum Attonis (ex quo Stemma Desiderianum Im-hof) undiq; falsum : maximè ex arcano primò nunc revelato .

(38) INterim semel statuto , eandem personam adhuc triplici dignitate Comitis Ducis , & Marchionis respectu diversorum fuisse cumulatam : scilicet *Comitis* respectu Urbis primariæ , & suæ sedis , cui præerat , exemp. gr. Comitis *Lucæ* , quæ tunc Tusciæ primaria : *Ducis* respectu Provinciæ, & Urbium *Tusciæ*, quas per alios Comites Urbanos regebat : & *Marchionis*, cum Tuscia ei credita esset limitanea , præsertim maritima , Saracenorum aggressionibus tunc obnoxia , Chorographia postulat , ut Marchæ à Carolo in Italia institutæ , & ubi , indicentur . Unum tantùm prædictis adjicere præstat , Comitis titulum quodam peculiari jure politico Marchiones , Ducesque assumere consuevisse , quoties iidem tanquam Consiliarii Comitiis Imperatorum intererant , dimisso quolibet altero , quod dixit Matth. Afflictus de *probibita feud. alienat. n.* 5. & rectè , ut apparet ex subscriptis Comitibus in Comitiis , sive in *Concilio Ticin.* Caroli Calvi A. 876. quod vulgavit , illustravitque Cl. Saxius (C. H. t. 2. part. 2. à p. 145.) Ad rem in Capitulari Caroli M. A. 779. *Congregatis in unum Synodali Concilio Episcopis , Abbatibus , virisque inlustribus Comitibus :* ad Marchas . Ex priscis Scriptoribus recitat Cl. Muratorius in laudatis Antiquitatibus p. 34. Marchas *Tusciæ* , *Spoleti* , *Mediolani* , *Genuæ* , *Eporediæ* , *Montis-ferrati* , *Tarvisii* , *Veronæ* , *Tridenti* , *Fori-Julii* , *Firmi* , *Anconæ* , *Camerini* , *Martesii* &c. Certum est , non omnes à Carolo dictas Marchas , neque ab eo institutas , sed aliquas sæculo IX. præcipite , & aliquas X. & XI. emersas : ut exinde declinare cœperint à primæva sua institutione , significatione , & dignitate : non amplius Marcha sumpta pro Regione limitanea , ab hoste vicino custodienda , sed in quocunque meditullio locata, nedum ferè cunctis Cisthiberinæ Italiæ Regionibus Marchæ nomen accessit , verum & uni Urbi , unicuique vico , adhuc villæ , ut successu temporum Marchiarum nomine adaucto , nec amplius à Marcha Marchio , sed potius , ordine inverso , a Marchione Marcha appellaretur. De abusu queritur Cl. Vir Latius ipse vagando , nedum Marchas ævi Francici , verum & posteriores pro argumento suo dinumerans . Nos è contra quas Franci constituerunt , novisse tantùm debemus , cum in ipsis potissimùm nonnullæ difficultates occurrant . Illas tamen in Tabula scribere omisimus , quoniam præcipuis non fuit Ducatus nomen detractum : ideoque ordine nullo servato, certis solum præmissis , dubia aperire curabimus . Ducatum itaque Forojuliensem Marcham fuisse est certissimum . Et ratio Regionis , quæ Limitanea , Pannoniæque , & Slaviæ contermina , id probat , & Aimoini auctoritas firmat , ævi enim Francici est Scriptor , & *Marchæ Forojuliensis* , meminit *l.* 4 *c.* 80. , & vocat cap. 106. *Cadolachum Comitem* , *& Marchæ Forojuliensis Præfectum* adhuc sub Ludovico Pio : quem tamen à Carolo M. datum sub A. 800. prodit Sigonius , ex quo vicissitudines hujus Marchæ sub Carolo , & Ludovico nimis expedit observare : cum ex his pendeat solutio arduæ difficultatis historicæ , & diplomaticæ , an Ducatus Forojuliensis , Histria , & Marcha Tarvisina , sive Veronensis ad Regnum Italicum spectarent , vel ne : id enim negant gravissimi Scriptores, & Imperatores, quod an alii observaverint , ignoramus : sed de hac re infra num. 39. exeunte . Sigonius itaque sub A. 776. narrata rebellione , & morte Rotgaudi Ducis , de quibus nos supra num. 36. subdit ,, : Civitates , quæ defecerant , ,, cum se dederent , facile veniam impetrarunt. Tar- ,, visium inde ad Pascha celebrandum profectus (Ca- ,, rolus) *Ducatum Forojuliensem Regno attribuit* , ac ,, Comitibus singulas Civitates administrandas dedit . Hic tamen non leviter suspicamur post A. 776. alterum Ducem Forojuliensibus datum a Carolo, *Marcarium* nomine , cujus meminit Adrianus *Ep.* 57. *Cod. Carol.* ad Pippinum Jun. quam recitabimus infra num. 39. nisi tamen *Marcarius* solius Fori-Julii fuerit Dux , sive Marchio ,

Digitized by Google

chio, ut nobis videtur, dum expresè in ea Epistola dicitur *Forojuliensis Dux*. Infra sub A. 796. prodit Sigonius, „ quod prioribus annis Carolus Forumjulium *ex* „ *Provincia ad formulam Ducatus* redegerat, ac remo- „ tis Comitibus, *Henricum Ducem* constituerat: credo, „ ut Hunnos, qui adhuc in armis erant, aut repri- „ meret insultantes, aut quiescentes fatigaret. Hic „ igitur cum Pippini Regis jussu bellum Pannoniæ in- „ tulisset, „ &c. De Henrici hujus exitu subjicit A. 799. quod „ post res multas adversùs Hunnos prosperè „ gestas apud Tarsaticam (de qua Lexicon) Liburniæ „ Urbem insidiis exceptus oppidanorum, occisus est. (Eadem de Henrico Annalista Bertinianus sub AA. 796. & 799.) Et paulo infra sub A. proximo 800. prosequitur, narrans quomodo Carolus, auditis defectione Grimoaldi, cæde Henrici, & violatione Leonis III. „ Al- „ pes cum Pippino Rege trajecit, atque in Italiam di- „ gressus, recto itinere in Liburniam properavit: ibi „ nex (nece) Henrici, merito sumpto de Tarsaticensi- „ bus supplicio, vindicata. Cadolachus Dux Forojuliensibus datus „ de duo supra Aimoinus. Hoc tempore Pippinus Rex, ut Provinciæ Venetiæ Dominus, regalem habebat sedem Veronæ, teste coævo Scriptore Rythmicæ descriptionis Veronæ apud Mabillon. *Analector. tom. 1. p. 375.* sic Urbem hanc alloquente: *Magnus habitat in te Rex Pippinus piissimus, non oblitus pietatem, aut rectum judicium* &c. Post annos 20. (pergit Sigonius sub A. 819.) „ Cadolachus repentè morbo „ absumptus, *Baldericum* successorem accepit „ (Baldricus dicitur ab Annalista Fuldensi sub A. 826. & suffectus Cadolacho A. 819. à Bertiniano). Hic mittimus gesta Cadolachi, & Balderici in Pannonia, ubi acre bellum exarsit: quo tempore, nempe A. 820. *Carniolenses, qui circa Savum fluvium habitabant, & Foro-juliensibus finitimi erant, Balderico se dediderunt, quos imitati Carantani in fidem redierunt*. Ex quibus intelligimus cur solerent Imperatores committere eidem Duci Carinthiæ Marcham Veronensem, ut ex Ditmaro l. 5. & aliis documentis MSS. docet Cl. Muratorius pagg. 34. & 87. Cum Sigonio pergamus, qui sub A. 828. concludit, quod *Baldericus Dux Foro-juliensis, quod superioris Pannoniæ fines ignavia sua uri à Bulgaris esset passus, Ducatus honore privatus est, Marchia ipsa XII. Comitibus iterum distributa: qua in re Lotharius insignem se accepisse à Patre* (Ludovico) *injuriam, est arbitratus*. Non XII. Comitibus, sed *Marca quam solus tenebat* (Baldricus) *inter quatuor Comites divisa est*, juxta Annal. Bertinianum A. 828. sed id expendemus infra n. 40. Comitum hoc regimen continuasse per Annos 48. supponit V. doctus, dum nullius amplius Ducis Foro-juliensis mentionem habet usque ad A. 876. quo Berengarium Bosonis Ducis ad preces in hoc Ducatu Carolum Calvum confirmasse scribit, ut & nos superiori numero diximus. Fortè V. doctus documentis destitutus Berengarium non novit saltem decennio ante, & amplius Ducem jam constitutum. Etenim inter Historias Langobardorum à Camillo Peregrinio editas Neap. 1643. extat à p. 97. *Historiola Ignoti Monachi* Cassinensis, ibique inserta num. 6. *Constitutio promotionis exercitus* Ludovici II. pro bello Sarracenis inferendo: data indict. 15. hoc est A. 866. de qua etiam Leo Ost. 1. 36. & ex qua cognoscimus partes præcipuas Italici Regni. Eandem recitant Balutius *in Capitular. Reg. Franc. t. 2. tit. 4. §. 3. col. 359.* & Cl. Muratorius prælaud. *Antiq. cap. 6.* ineunte: iterumque ex integro dedit (C. H. t. 2. p. 265. a.) Sed NB, quod licèt nota Chronica indictionis 15. convenire videatur A. 867. tamen concurrit cum 866. post Septembrem, a quo incipiebat, ut satis notum: vulgata tunc Constitutione, ut moveretur exercitus. Ideoque Annalista Bertinianus sub A. 866. scribit: *Ludoicus Italiæ Imperator unà cum uxore sua Ingelberga in Beneventum contra Sarracenos movit*. Videatur adhuc judicium præmissum à Peregrinio g. In fine scribitur *Luceria* 8. *Kal. Apr.* non pro nota Chronica, sed ut pro ea die illuc esset exercitus. Cur minima hæc adnotemus, mox paulò. Eandem, ut ad plura facientem, & nos transcribimus. *A fluvio Pado, usque Trebia sit missus Lotselmus. Inter Padum & Ticinum Eriulfus. Inter Ticinum & Adda Erembertus. Inter Adda, & Addiza* (Athesim) *Landebertus. Ab Addiza usque ad Forum-julii* (idest ad Ducatus limitem) *Theobaldus. Petrus & Arthemius Episcopi, junctis secum missis Episcoporum, & Comitum, Pisa, Luca, Pistoris* (Pistorium), *& Lunis Theutmundus. Florentia, Volterra, & Aristio* (Aretium) *Rodselmus. Ulusid.* (Vulsinium) *& Sena Andreas*. In Ministerio VVitonis (Vidonis Ducis Spoleti) *Rimmo & Joannes Episcopus de Forcona. In Ministerio Verengarii Hiselmundus Episcopus* (hoc est Berengarii, & Ducatus Foro-juliensis). *In litore Italico* (maris superi, & inferi) *Ermefridus, Macedo, & Vulferius*. En penultimo loco Berengarius Dux A. 866. nunc demus, continuasse Comitum regimen (Marchione, vel Duce remoto) quoadvixit Ludovicus Pius, planè Lotharius, qui id ægrè ferebat, post A. 840. Ducatum restituere voluerit. Si, quæ congessit Valesius in *Berengar. Panegyr. c. 2.* satis probarent, ut crederemus Eberardum Berengarii Patrem Ducem Foro-juliensem, nihil obstaret, quod Lotharius (ut concludit) Eberardum ipsum creasset, eidemque defuncto Berengarius fuerit suffectus. Sed obstant, quæ Valesius vidit, & non vidit. Errorem vidit Aub. Miræi, & Sanctamarthanorum. Adeatur. (C.H. t 2. p. 378.) Non vidit, quod Miræus adhuc *in Fastis Belgicis 16.* Xbr. tertiò repetit Everardi mortem contigisse in Italia, consequenter in suo Ducatu, quod stare non potest cum Anno 24. Imperii Ludovici Pii, qui est A. Chr. 837. nondum enim mortuus Ludovicus, qui Ducatum Foro-juliensem supprefferat. Ex alio capite vidit, testamentum Eberardi perperam alligatum cum A. 24. Imperii Ludovici Pii. Idem vidit Jac. VVilhel. Im-hof *H. Geneolog. t. 1. Exegeſ. c. 7.* Ambo nituntur errorem corrigere, cogitantes, A. 24. *Ludovici Aug.* sub quo datur testamentum Eberardi, esse debere 867. scilicet Ludovici jun. nepotis, non Avi Ludovici Pii. At si sequuntur epocham Imperii socialis Ludovici II. A. 849. & coronationis ab A. 850. ut sub hoc A. Annalista Bertinianus, additis 24. consurgit A. 874. De epocha Imperii solitarii ab A. 855. nec somniandum, cum Annos 20. tantum vixerit. Superest epocha Regni Italici ab A. 844. quo Sergius II. ipsum *Regem Langobardis præfecit*, ut scribit Anastasius t. 3. p. 228. b., ita Lothario Patre mandante. Utique hoc pacto conficitur A. 867. At cur Testamentum signatum anno Regni Italici, non Imperii, ut decebat? An fortè quia Eberardus tunc in Regno Italico Dux Foro-juliensis, illud etiam in Italia condiderit? Hac ratione dicitur etiam *amplissima prædia possedisse in Langobardia, & præcipuè in Comitatu Tarvisino*, ut apud Miræum, Valesium, & Im-hof laudatis locis. Hæc sanè suadere possunt, Eberardum Foro-juliensem fuisse Ducem. Sed hæ conjecturæ, aliæque (semel posito, ejus testamentum fuisse conditum A. 24. Regni Italici Ludovici II.) difficultates patiuntur, quia A. 867. Eberardus Dux amplius non erat. Id manifestè constat ex prælaudata Constitutione Ludovici A. 866. modo explicato, in qua *Berengarius*, non *Eberardus* dicitur Dux Foro-juliensis: *in Ministerio Verengarii* &c. Nihilominus Eberardus, etsi Dux non esset, vivus tamen esse debebat, si A. 867. (hoc est A. 24. Regni Ludovici II.) condidit testamentum. Ut hæc faciliùs concilientur, quæ certa sunt, præmittamus. Et quidem primò Eberardum Patrem Berengarii fuisse Ducem Foro-juliensem (quod non satis probant Miræus, Valesius, & Im-hof, sed supponunt) clarè prodit Annalista Metensis apud Fr. Duchesf. *t. 3. p. 323.* sub A. 888. hisce verbis: *Quædam pars Italici populi* (post mortem Caroli Crassi) *Berengarium filium Everbardi, qui Ducatum Foro-julianum tenebat, Regem sibi statuunt*. Licèt porrò relativum *qui* respicere possit etiam Berengarium, respicit tamen Eberardum, qui verè Dux fuit; nam & apud Dacherium, ut mox p. 496. in subjecto Carmine de S. Everardo

Dicitur Italiæ quondam tenuisse Ducatum.

Id secundò liquet ex ejus testamento relato à Miræo, post à Dacherio *Spicileg. t. 12. p. 490.* & novissimè a Joh. Georg. Eccardo post Historiam Geneologicam (ubi adhuc Stemma Desiderianum Im-hof rejicitur) p. 38. in notis ad Vitam Hathumodæ primæ Abbatissæ Gandersheimensis filiæ Ludolphi Ducis Saxoniæ. Quod testamentum est *actum in Comitatu Tarvisiano, in Corte nostra Musestro, imperante D. Ludovico Aug. A. Regni ejus, Christo propitio*, 24. Ergo A. 867. Regnum namque est Italicum, sive Langobardicum ab A. 844. cum non dicat Imperii, cujus aliæ tres fuerunt epochæ, ex prædictis. Nunc quia Im-hof more suo etiam claudicat in genesi Eberardi, & Berengarii inserta suo *Stemmati Desideriano* (de quo num. 46. erit sermo) & ut prodita à Valesio suppleantur, placet subjicere tertiò, quæ Bollandistæ t. 2. Januar. p. 971. n. 1. referunt in *Actis S. Arnulphi*, scilicet, quod S. Everardus fuerit Ludovici Pii Gener, & Gislæ Conjux, quæ filia Ludovici: idque ratum habet etiam Eccardus *l. l. p.* 40. qui ejus Genesim ita attexit. *Hunoricus*, seu *Unricus* Pater Eberardi, qui sanè Francus. Hunorici filii V. fuere. I. *Eberardus*, sive *Everardus* Dux & Marchio Foro-juliensis, cui uxor *Gisela* F. Ludovici Pii II. *Berengarius* natu minor Dux Septimaniæ A. 835. III. *Henricus* Comes A. 839. IV. *Adalardus* Abbas S. Bertini A. 844. qui obiit A. 864. V. *Albigarius* Comes: hi omnes Eberardi fratres. At hujus filii, & filiæ ex Gisla cuncti bis, terque in Testamento vocati I. *Unrocb* Comes. II. *Berengarius* Dux, Rex, & Imperator. III. *Adalardus*. IV. *Rudolfus* Abbas, & filiæ tres *Engeltrudis*: *Judit*: & *Heilvvicb*, sive *Hadvigis* uxor Ottonis Saxoniæ Ducis, ex quo Henricus Rex Germaniæ, & ex Henrico Otto Magnus. Hæc ex Eccardo, ut ceteri suppleantur, & emendentur. Nunc quomodo Eberardus vivus A. 867. & A. 866. jam Dux Berengarius nemo explicat, quia nemo observavit, quando Berengarius Dux fuit dictus, & si quis observavit, non rectè. Sed dicendum necessariò, Eberardum

Vi-

Digitized by Google

Virum sanctum circa A. 866. abdicasse Ducatum, favore Imperatoris in filium Berengarium translatum, & in curtem Musiestro agri Tarvisini dilapsum, ut totus sibi consuleret, ibique condito testamento, sanctè in Domino obiisse.

(39) Usque dum in extrema Venetia versamur, opportunum est, Marcham Histriæ observare, quærendo an instituta à Carolo, & Duci diverso à Forojuliensi commissa. De Histria in Chorographia num. 74. Hic necessariò præmittendum (pro difficili quæstione enodanda, an pars esset Italici Regni) Histriam serò potuisse Græcis Langobardos eripere, scribente Paulo 3. 28. (C. H. 3. 26.) quod *Autharis* (Rex III.) *ad Histriam exercitum misit, cui exercitui Evin Tridentinus præfuit. Qui post prædas, & incendia, facta pace in annum unum, magnam pecuniam Regi detulerunt*. Nondum captam hanc intelligimus ex Epistola Romani Exarchi Ravennæ sub Mauritio Imp. data Childeberto II. Francorum Regi A. 590. & extat *num.* 5. inter Epp. ad calcem operum Gregorii Turon. Ruinart à col. 1364. Ibi Exarchus, post receptam Æmiliam, hæc scribit: „ Ravennam remeantes, in *Histriam* Provinciam contra „ hostem *Grasoulfum* deliberavimus ambulare: quam „ Provinciam venientes *Grisoulfus* (NB *Gra*..... „ & *Gri*.....) Vir magnificus Dux filius *Grasoulfi* in „ juvenili ætate meliorem se patre cupiens demon„ strare, occurrit nobis, ut cum omni devotione san„ ctæ Reipublicæ secum suis prioribus, & integro suo „ exercitu, sicut fuit, subderet. Nam se, & gloriosus „ Patricius cum Dominorum nostrorum gratia in Ita„ liam veniens, omnes suos homines ad serviendum „ Serenissimis nostris Dominis recollegit, diversasque „ Civitates cum *Ossone* Viro glorioso, & Romano exer„ citu nostro cum consilio reparavit. „ Neque post sub Agilulpho Histria capta, sed iterum vastata à Langobardis, Avaribus, & Sclavis, de qua re idem Paulus *lib.* 4. *cap.* 25. Certè tamen Liutprandi ætate juris Langobardorum erat, eo disponente in quadam sua lege de debitore, & fidejussore, *si in Austria, aut in Histria fuerit* &c. ut supra num. 26. Et ipsam in ditionem Caroli exinde migrasse testantur eisdem prorsus verbis Eginhartus in *V. Caroli cap.* 15. ac Abb. Urspergensis p. 177. qui inter nationes, quas sibi Carolus fecit obnoxias, recensent *oppositam in altera Danubii ripa Daciam, Histriam quoque, & Liburniam, atque Dalmatiam, exceptis maritimis Civitatibus, quas ob amicitiam, & junctum cum eo fœdus Constantinopolitanum Imperatorem habere permisit*. Id certius [illegible] certum, Venetiam, & Histriam Ecclesiæ fuisse tributas à Carolo, ut Anastasius, Leo Ost. & diplomata toties laudata, & laudanda testantur. Modò, an à Carolo Marcha fuerit constituta, meritò dubitamus, nescientes, an quidam *Marcarius* æquè Foro-Julii, & Histriæ, vel illi soli præfuerit. Recitare juvat ad rem Adriani *Ep.* 57. ad Pippinum jun. scribentis: „ Credimus, quod jam ad „ vestræ à Deo protectæ Excellentiæ aures pervenit „ de Episcopo *Mauritio* Histriensi, qualiter dum cum „ fidelem B Petri, & nostrum cognovissent nefandis„ simi Græci, qui in prædicto ibidem territorio resi„ debant Histriensi: & dum per Ex. V. dispositus fuit „ prænominatus *Mauritius* Episcopus, *ut pensiones B. Petri*, quæ in superiùs nominato territorio jacebant, „ exigeret, & eas nobis dirigere deberet, zelo ducti „ tam prædicti Græci, quam ipsi Histrienses, ejus ocu„ los eruerint, proponentes ei, ut quasi ipsum terri„ torium Histriense V. sublimi Excellentiæ tradere „ debuisset: propterea petimus à Deo protectam Ex„ cell. V. (Fili, & magne Rex) ut jubeas dirigere „ *Marcario Duci* præcipiendum, ut jam fatum *Mau*„ *ritium* Episcopum..... in suo Episcopió reverti „ faciatis, eo quod ipse jam dictus Episcopus ad nos „ properavit; & nos eum iterum direximus ad *Mar*„ *carium Ducem Forojuliensem*. „ Data est hæc Epistola post A. 781. ex quo Rex Italiæ Pippinus. Mirabitur quis, nos huc in dubium vocare, quod patet expressè, nam Adrianus postremis verbis *Marcarium Ducem Forojuliensem* appellat. Verum id nos non evincit, nam alibi observamus, Adrianum more Langobardico simplices Comites Urbanos vocare etiam Duces. Sic *Epp.* 60. *Raginaldus* bis dicitur *Dux Civitatis Clusinæ*: & 69. ejusdem Civitatis Dux *Regnibaldus*. Item 74. *Gundibrandus Dux Civitatis Florentinæ*. Varius tamen *Ep.* 52. scribit *Comitem constituimus in quandam brevissimam Civitatem Gabelensem* &c. Hæremus adhuc, dum hæc non conveniunt cum traditis supra num. 38. ex Sigonio, scilicet, post Rotgaudum rebellem, Urbibus Regno, Comitibusque attributis, sublatam fuisse Marchæ formam, & Ducem. Nihilominus hæc conciliari possunt, dicendo, Annalistas quidem num. 36. prælaudatos scribere, datos Urbibus Comites ex Francis, cum ante Langobardi fortè essent omnes: non autem sublatam Marchæ formam, & Ducem. Sed hoc etiam dato, quemadmodum post annos fuit restituta *in Henrico*, & cur non prius *in Marcario*, quem perspectum nondum habuit Sigonius? Neque satis advertit, optimè cum forma Ducatus, vel Marchæ stetisse Comites; quin imò hæc propria erat forma, ut in Ducatu, sive Marcha plures essent Urbes, quarum uni præesset Dux, sive Marchio, habens sub se Comites cæterarum Rectores, ut & hodie in Provinciis videmus. Ex recitata ergo Epistola discimus, nedum Marcham Forojuliensem sub Carolo, adhuc post Ratgaudum rebellem, Ducem suum habuisse, verum & ipsi Histriam fuisse subjectam, non ideò tamen Marcham fuisse appellatam, ut eidem Duci subjectam. Ad quid enim multiplicare titulum sine re? Utique expost fuit Marcha à Forojuliensi discreta, sed quando, ignoramus: vix enim sæculo XII. Marchionem Histriæ invenimus *Bertoldum*, quem subscriptum legimus in Constitutione Friderici Ænobarbi A. 1180. apud Goldastum *Constitut. Imperial. tom.* 1. *p.* 285. Et iterum A. 1183. in altero ejusdem diplomate pro Ecclesia Lunensi apud Ughellum *tom.* 1. *col.* 914. edit. 1. erat is Bertoldus ex Ducibus Meraniæ, quæ Castrum Meranum dicitur à Bodrando in Lexico, & Mara à Magino tab. 31. Trident. territor. prope Tirolum Castrum, ad lævam Athesis superioris.

(40) De *Marcha Tarvisina*, Forojuliensi contermina, duplex similiter potest quæstio moveri, & an fuerit, sicut Histria, Forojuliensi Marchioni obnoxia, & an à Carolo M. instituta. Langobardico ævo Ducem Provincialem Austriæ, sive Venetiæ, præfuisse nullibi legimus; potius ideo, Forojuliensi excepto Ducatu, Regno omnes Venetas Urbes contributas fuisse censemus. Qua ratione fermè cunctos ipsarum Urbanos Duces, ut honestiores, commemorat Paulus, ut supra num. 23. exeunte. Aliter Carolum disposuisse sentimus cum Pagio A. 776. num. 1. scribente, quod *spatiosa erat Rotgaudi Ducis Præfectura, Ducatum enim Forojuliensem, & Marchiam Tarvisinam complectebatur*. Tarvisium porrò inter Urbes rebelles expressè novimus ex laudato Annalista Petaviano, Urbemque claram, & munitiorem fuisse liquet, cum illi Rotgaudus *Stabilinium socerum suum* præfecerit, eandemque is propugnaverit. Si porrò XII. fuere Urbes rebelles, ut Sigonio videtur, paucæque in Forojuliensi Ducatu essent Urbes, propriè dictæ, sed arces plures, & Oppida, reliqua ex Venetia plerasque Rotgaudo accessisse, est necesse. Sic una quæstione soluta, & altera ex consequenti resolvitur, sicut de Histria prædiximus. Nam quò duplex Marcha, si Marchio, sive Dux unus? Equidem sequiori ævo plures Marchæ uni soli Duci commissæ, sed ab initio non sic; nisi utraque Regio esset limes, qualis non fuit tractus is Venetus, cui confinis à borea imminebat Marcha Tridenti. Ubi Scriptores ævi Francici, qui Marchæ Tarvisinæ meminerint? Utique Provinciæ Venetiæ. Longè seriùs, & sanè frequentissimè ævo Friderici Ænobarbi apud ejus rerum Scriptores (C. H. t. 6.) nomen Marchæ Tarvisinæ intelligimus. Quin imo *Marchæ Veronensis* nomen prius auditum (quæ eadem tamen, ut rectè sentit Clar. Muratorius p. 34. & alibi, ac Tarvisina) ut ideo hujus, non illius hucusque stet nomen, juxta vulgatam Regulam juris *posteriora derogant prioribus*. Sed eadem ratione, qua Carolus Marcham Tarvisinam non dixit, neque Veronensem dixisse arbitramur. Vix quando, more prædecessorum, etiam *Forojuliensi, & Veronensi ditioni Berengarius præerat*, ut ait Sigonius A. 887. & Veronæ sibi complacebat morari, potuit Marcha à Marchione, non à limite, appellari. Quod nomen exinde magis invaluit, ex quo alteri Marchioni à Forojuliensi, & fortè Carentano Duci cœpit committi Venetia. Quando postea Marchioni visum fuit sedere Tarvisii, Marchæ Tarvisinæ nomen inductum conjicimus. Certè sub Italiæ Regibus post Carolingos, & sub Ottonibus Marchæ Veronensis nomen usu receptum comperimus. His expositis juxta à Scriptoribus prodita, mentem nostram aperire, & hic volumus, scilicet, totam Venetiam à Ludovico Pio in IV. Marchas fuisse divisam, *Histriæ* nempe, & *Fori-Julii*, juxta veteres fines Langobardorum, de quibus erit sermo numm. 70. & 74. Item *Tarvisii* inter Tilaventum, & Medoacum, sive Brintam: & *Veronæ* inter Medoacum, & Mincium, ac lacum Benacum. Annalistæ Bertiniani auctoritate nitimur, dum, ut supra num. 38. attigimus, scribit sub A. 828., quod *Baldricus Dux Forojuliensis, cum propter ejus ignaviam Bulgarorum exercitus terminos Pannoniæ superioris impunè vastassent, honoribus, quos habebat, privatus, & Marca, quam solus tenebat*, (NB) *inter quatuor Comites divisa est*: Ita & Continuator Aimoini *lib.* 5. *cap.* 11. *& inter quatuor Comitatus est ejusdem potestas dissecta*. Aimoinum recitat etiam P. Pithœus *Adverf. lib.* 1. *cap.* 8. in fine, & subdit „ legendum distinctè *inter quatuor*, idest, XII. „ Quid ideo significare ibi velit, nescimus, nisi quod

Ve-

Digitized by Google

Venetia in IV. Marchas divisa, XII. Comitibus fuerit tradita juxta Sigonium A. 776. Ambabus antiquior à Forojuliensi soluta *Marcha Tridentina*, cujus sanè Carolus auctor: hæc enim illa, de qua Annales Fuldenses sub A. 788. & in quam Avares dicuntur fugati. Ibi: *Avares in Marchia Bajoariæ, atque Italiæ..... fugati sunt*. Italiæ dicitur, quia hujus in limite posita, & media inter Bajoariam, & Venetiam juxta expressionem Liutprandi H. 3. 14. ubi *Arnoldus Bajoariorum, & Carentanorum Dux ..... cum non multum ab Italia longè distaret ..... Tridentinam ea ex parte primam Italiæ Marchiam pertransiens, Veronam usque pervenit*. Reliqua nos docent, hanc Arnoldi incursionem contigisse A. 934. vel 5. non 932. ut notat Sigebertus, Hugone regnante, Ratherio Veronæ Episcopo, & *Amilone* ibi *Comite* tantùm dicto, & nondum Carentano Duce Veronensi Marchione, ut Verona Marcha propriè dici potuerit. Sed hæc Ratherii scriptis apud Dacherium *Spicil. tom.* 2. dilucidari postulant. Et hic satis de Marchis Venetiæ, olim Austriæ. Antequam tamen ad illas Langobardiæ, alias Neustriæ, migremus, opportunum est solvere dubium, non semel attactum, an ad Regnum Italicum tres prædictæ Regiones, *Venetiæ* contentæ sub tractu, attinerent, quod hactenus tantùm pro historiæ consensu, non pro sententia, neque pro certo, posuimus. Dum medii ævi Scriptores modò *Venetiam*, modò ambiguè, & promiscuè scribunt *Venetias*, plerumque tamen de Provincia loquuntur, quæ olim duplex, ut in Chorographia num. 70. dicemus. Nam tunc inclyta illa, ac perennanda Respublica maritimam tantùm ditionem complectens, terrestrique nondum adaucta, etsi majestate, & prudentia jam esset ab ortu provecta, tamen sinè Provincia, à qua Regia Urbs appellata, ut Provincialium Colonia, & asylum, adhuc in imperio pubebat. Igitur de ditione maritima loquuntur Annalista Bertinianus A. 810. post Eginhartum, & alii. De Provincia terrestri Nummus Lotharii, fortè Fori-Julii, quod tunc Caput Venetiæ, signatus cum epigraphe *Venetia*, ut apud Dn. Le Blanc *Tract. de Monetis Franc. p.* 113. *num.* 8. nisi is tribuendus *Venetiæ* Britanniæ minoris: Item Annal. Fuldens. A. 826. ubi *Gregorius quidam Presbyter de Venetia cum Baldrico Comite Forojuliense veniens* &c. Ante etiam Eginhartus A. eodem Monachus S. Galli V. Caroli M. 2. 10. & alii. Quæ Venetia non diversa, sed eadem ac *Provincia Venetiarum, & Histria*, quas Otto M. & Henricus Sanctus in suis diplomatis apud Baronium sub eorum AA. 962. num. 4. & 1014. num. 7. S. Ecclesiæ confirmant, juxta concessiones Pippini, & Caroli, ut scripserant ante Auctor V. Adriani I. p. 186. b. (C. H. tom. 3.) & Leo Ost. 1. 8. post ipsos, ni fortè ante omnes, ut novit à Nuce, dum in hunc locum num. 557. notat quandam schedulam observatione dignam, cum magnæ hujus rei videatur unica basis. Et en sinè sensu, & quasi fortuitò, magna quæstio paucis soluta. His ergo positis, Venetia, & Histria minimè ad Regnum spectabant. Verum si hæc in libræ justæ una lance, & in altera historica series Venetiæ, & Histriæ ex Annalistis ingenuis, ac ipsa Adriani ex Epistola, ut supra, contexta, ex qua apparet *Pensiones* tantum B. Petro fuisse attributas, & quomodo eodem tempore Carolus, Pippinus, Ludovicus, Lotharius &c. totius Venetiæ, ac Histriæ pleno jure, & monarchicè, Ducibus Francis, & Comitibus ubique constitutis, omnique promissione neglecta, imperium tenuerint, quænam lanx elevabitur, quæ deprimetur, & quæ tandem conclusio? Sit Eruditorum solicitudo antilogica conciliare, ut falsitatis, vel interpolationis saltem ab adductis hinc inde quævis removeatur suspitio, orta ex præmissis num. 20.

(41) Ex Venetia in Langobardiam transeuntes, primo ingressu historiæ arcanum offendimus, nuper à Cl. Muratorio laud. *Antiq. p.* 35. *& seqq.* feliciter detectum, scilicet Mediolanum quoque in Marchæ formam olim redactum, & in ipsa à Friderico Ænobarbo A. 1184. Veronæ degente *Obizonem de Hest* iterum institutum. Quod rectè observandum, ne quis credat, id noviter factum, vel non æquè, ut contrarium conventis in recenti pace Constantiæ 25. Junii 1183. & concessis speciatim Mediolanensibus 9. Februarii 1185. ut infra. Etenim Imperator, nihil innovando, *investit Marchionem Obizonem de Hest de Marchia Genuæ, & de Marchia Mediolani, & de omni eo, quod Marchio Azzo habuit, & tenuit ab Imperio ..... & illud totum, quod ad Imperium spectat* &c. Igitur Imperator vetera tantum restituens, intacta reliquit jura Mediolanensium, minimè læsa eorum libertate, ut Magistratibus suis, legibusque uterentur, neque arctata ditione *totius tractus sui à Ticino ad Adduam cum statione Leucensi, & Transadduanis Oppidis ad Ollium pertinentibus*, ut prodit Calchus noster sub AA. 1185. & sequenti, quo Imperator „ jurisdictionem Mediolanensium *ampliavit*, integra auctoritate concessa *Oppidorum omnium*, quæ ab Addua ad Ollium pertinent „ & ut fusius in dicta concessione 1185. Ex quibus liquet, Marchiones feudi titulum, & honorem percepisse tantùm, ut sæculo præcedenti perceperant. Hinc fides præstanda testibus cum nostratibus, tum exteris à Cl. V. huc adductis. Nec contemnenda sunt prorsus, quæ prodit Gaspar Sardius in Italica *Hist. Ferrar. p.* 70. Sed emendanda dum scribit, *Hugonem Estensem* Marchis Mediolani, & Genuæ fuisse ab Ottone I. donatum, explicans adhuc quod jus Marchæ tribueret honorem scilicet potius, quam jurisdictionem. Licèt porrò Hier. Bissius in Collectione documentorum sub titulo *Gloriosa Nobilitas ill. Fam. Vicecomitum* quamplurima spuria, & Galluciana intermisceat, genuina sunt tamen bina Judicata AA. 1028. & 1033. acta in Palatio *habitationis D. Azonis Marchionis, & Comitis hujus Civitatis* &c. laudata à Cl. Muratorio p. 37. quoniam alterum simile extat apud nos, sincerum, & incorruptum A. 1045. Mensis Novembris, cujus initium: *Dum in Dei nomine in Civitate Mediolani in Laubia solario propria habitationis Arioaldi Judex per ejus data licentia in judicio adesset D. Azo Marchio, & Comes istius Civitatis* &c. Is porrò Azzo non alter quam Albertus Azzo II. filius I. ejusdem nominis, de quibus fusè Cl. V. & Patruus, sive Avus Obizonis, cui Fridericus Marcham Mediolani restituit. Quæ cum ita se habeant, Mediolanum Marcham factam Ottonum ævo conjicimus, non ante, ut scribit Peregrinus Priscianus Ferrariensis Historicus à Cl. V. p. 37. laudatus. Quæ enim ratio id suadet, imò potius contrarium, cum tractus Mediolanensis limitaneus non esset, ut Marcha dici debuisset eo tempore, quo tantum Marchiones pro custodiendis limitibus instituebantur, ut toties prædiximus. Neque quis dubitet unquam, an Imperator Veronam venerit A. 1184., ibique (ad rem nostram) permanserit usque ad mensem Novembris, ut Octobri in possessionem hujus Marchæ miserit verè Obizonem, juxta Chronicam notam Diplomatis. Utique nonnulli Chronographi vel Friderici sextum iter Italicum in annum sequentem differunt, ut Baronius A. 1185. ineunte, Continuatorem Helmoldi *Hist. Slavor.* Arnoldum Lubecensem secutus *lib.* 3. *capp.* 9. & 10. vel etiam in A. 1186 præteritis omnino gestis Veronæ, inter Fridericum, & Lucium III. & præsertim *Concilio* ibi tunc celebrato, seu *mutuo dumtaxat Conventu*, ut mavult Baronius *l. l.* Inexcusabilis est, ut vivens, & præsens Sicardus Cremonensis (C. H. t. 7. col. 603.) scribens A. 1184. *Papa Lucius Veronam venit, qui me anno præcedenti Subdiaconum ordinaverat, & pro hoc adventu ad Imperatorem direxerat: A. vero* 1185. *Imperator in Italiam rediens, Cremam in odium Cremonensium reædificavit*. Peccato omissionis cæteris peccat enormius Continuator utriusque Frisingensis Otto de S. Blasio, sæpe in notandis annis infelix, dum *cap.* 28. (C. H. t. 6.) sub A. 1186. sic scribit: *Sexta vice cum maxima Principum frequentia Italiam ingressus, rogantibus Mediolanensibus, ut in signum Imperialis gratiæ nuptias filii apud Mediolanum celebraret* &c. Equidem *sexta vice*, sed anticipandus est *ingressus*, nec omittendum priùs actum. Etenim petitio Mediolanensium, pluraque alia posteriora fuere, jam Friderico Italiam ingresso d. A. 1184. ut rectè sub hoc A. & ordinatè prodit Sigonius, dum Lucii iter per Langobardiam describens, ejusque adventum Veronam, sic pergit: „ Nec multo post Fridericus quoque, rebus Germaniæ per conventum in Pentecoste habitum, constitutis, pridie Kal. Augusti accessit (Veronam) *Concilio* convocato, cui raro exemplo *Pontifex, & Imperator intererant*, de iis potissimùm rebus, quæ Christianam ea tempestate premebant Ecclesiam est relatum, nempe de contumacia Romanorum, bello Sarracenorum, & Romanæ Ecclesiæ ditione. „ Decreta his subnectit, mox prosequitur: „ Lucius Romanos aversatus, Veronæ sibi subsistendum putavit (ibique obiit.) Fridericus 3. *Nonas Novembris* adhuc in Villa S. Zenonis *prope Veronam* fuit (& ibi datum Octobri Diploma Obizonis) Verona inde digressus, Mediolanum accessit „ &c. Adhuc Panvinius brevi nota in Platinæ *Lucium III.* eidem anno Pontificis, & Imperatoris congressum Veronæ consignat. Et ne ambo dicantur neoterici, priscis, synchronisque non præferendi accedunt pro Sigonio Anonymus Casinensis (C. H. t. 5. p. 70.) sub A. 1184. scribens: *Lucius Papa, dimisso Comite Bertoldo ad defensionem Campaniæ, per Vallem Oberti Veronam accessit ad colloquium cum Imperatore*; & huic anno adventum Imperatoris Veronam illigare quoq; *Chronographum Aquicinctinum* testatur Pagius A. 1184. num. 2. & ex *Radulpho de Diceto* Conventum Veronensem continuasse adhuc ineunte Novembri ostendit sub A. 1185. n. 4. supraque n. 1. necessario esse corrigendum Arnoldum Lubecensem cum Krantzio, docet. Undique hoc modo vallato diplomate, de veritate quis temerè suspicaretur, etsi nullum in eo signum Impera-

Digitized by Google

peratoris : nullus testis ex tot Curiam Imperialem tunc constituentibus, nullus Cancellarius vice Archicancellarii, vel Aulæ Protonotarius, quos omnes cum aliis solemnitatibus novimus in diplomate quatuor nondum post menses Mediolanensibus dato, quo vulnera nostra medetur, ut apud Puricellum *Basil. Ambr.* sub A. 1185. à p. 1028. Etsi nulla in hoc de Marcha, vel Marchione Mediolani domino, ut decuisset, facta sit mentio. Sed mentio sufficiens est expressio: *ab hac concessione Regalium excipimus omnia feuda, & beneficia antiqua ab Antecessoribus nostris de Regalibus concessa Ecclesiis, vel quibuscumque personis, vel etiam* ..... (& fortè hic attritum nomen Obizonis) *à nobis concessa sunt de Regalibus, de quibus possessor manifestam habet possessionem*. Qua exceptione occurritur cui altera suspicio oriretur, quod *Azo*, de quo supra in judicatis, fuisset quidem Mediolani Comes, & Rector more antiquo, sed Marchio alio titulo. De reliquo memorati defectus non obstant, natura quippe posterioris diplomatis, propter in eo contenta, requirebat, quæ non illud *Obizonis*, ut quisque concessionum peritus ex se facillimè noverit. Marcha item Genuæ eundem Obizonem ex eodem diplomate donatum cognoscimus: nec in hoc nulla difficultas, quin imò ratio potior occurrit, cum limitanea esset Liguria, Saracenorum aggressionibus, sicut Corsica, & Sardinia, quotidiè exposita, maximè ab ævo Caroli M. Quamobrem ab eodem datum Genuæ, & Liguriæ custodem Comitem prodit Annalista Bertinianus A. 806. scribens; quod hoc anno *in Corsicam Insulam contra Mauros, qui eam vastabant classis de Italia à Pippino missa est, quorum adventum Mauri non expectantes abscederunt; unus tamen nostrorum Audamarus Comes Civitatis Genuæ imprudenter contra eos dimicans occisus est*. Et hic obiter sciendum, Corsicam quoque, & Sardiniam sub ditione Caroli fuisse, ut clarè constat ex eodem Annalista sub A. 807. sed ob creberrimas Saracenorum vastationes tandem desertas, ut apud Baronium sub A.852. n.13.

(42) Quamquam Montisferrati Marcha ad neutrum tempus, de quo agimus, spectet, quia tamen Genuensi, & Mediolanensi est contermina, istaque vetustior, nec Cl. Muratorius in ea immoratur, nonnulla subjicere liceat: etiam ut ejus antiquos limites cognoscamus, ex quibus pendent fines Marcharum Secusii, & Eporediæ, utideo, Marcha Montisferrati instituta, variari debuerint. At hujus verisimile initium præfigi nequit, nisi primos ejus Marchiones, quorum extat memoria, cognoscamus. Verum & Montisferrati Principum, sicut cæterorum qui à sæculo IX. & X. in Subalpina Langobardia præsertim dominari cœperunt, vera, & genuina origo nos adhuc latet, ut valeat dici *eò clarior, quò obscurior*, quia perantiqua, ut temporum memorias excedat. Duo tamen maximè tenebras posteris peperere: unum quod tunc Præfecti Urbibus, vel Regionibus dari, cum non essent perpetui, & quandoque obscuri nominis, ut neque Chronographis eorum pater constaret, eisdem fuerunt ignoti. Hinc factum, ut quidam Præfectis suam adhuc dignitatem detraxerint, Officiales tantùm eos, non Comites, indecore nimis scribentes, ut fecit Auctor tabularum Monasterii Altæcumbæ in Sabaudia apud Alph. del Bene *de Regno Burgund. Transjuranæ pag.* 98. qui ideo eas tabulas commentis, erroribusque refertas ostendit. Alterum ortum ex illo est, tunc scribentium adhuc incuria, vel ignorantia: quamvis enim res gestas notaverint, ut sinè eorum scriptis cœci nunc omnes essemus, tamen non Urbium, sed solitudinum incolæ, minimè peragrantes, de re geneologica fuere parum soliciti, vel si quid adnotarunt, vulgaria sequentes, minus comperta, & commentitia scripsere. Hoc pacto cum Marchionum Montisferrati obscura quoque veteribus origo fuerit, facilè potuit alter parvus Annius, non Viterbiensis, sed Aquensis F. Jacobus in suo Chronico fabulas de *Aledramo* componere, aliisque venditare scriptoribus, dignas profecto, ut etiam *in Rosalinda* Morandi intexerentur, quod nempe ad furtivum Ottonianæ Virginis Adeleidis admissus concubitum, cum prole ex ea suscepta, in Albingauni montibus carbonariam factitaverit, cum reliquis nugis, & anachronismis ex integro recitatis a Benvenuto Sangeorgio sub initio sui Italici *Chronici Montisferrati*. f. Casali per Fran. Piazzanum 1639. quod putarunt ineditum And. Rossottus adhuc A. 1667. *in Syllabo Scripp. Pedemont.* p. 113. & Auctor *Diarii Italici Literator. t.* 10. *p.* 239. & ideo perrarum. Is ipse Sangeorgius commenta F. Jacobi retellit a p.7. sed non satis ubique; sicut neque Scipio Agnellus Maffejus in Ital. *Annalib. Mantuæ* à p.370. ambobus Ottonianæ Adeleidis propugnatoribus, ut ex Saxonia, veluti ex altera Troja, horum Marchionum derivent originem, sed parum feliciter. Etenim juxta documenta dicto Chronico inserta ambo fateri coguntur, Marcham hanc, & Marchiones A. 935. (correctis temporariis notis, ut infra) fuisse jam institutos. Ante Chronicon edidit Sangeorgius aliud opusculum, cui titulus: *Montisferrati Marchionum, & Principum regiæ propaginis, successionumque Series* 4. Astæ 1519. per Fr. de Silva. Hac serie æque rara, quia latinè, breviùsque est conscripta, velut prodromus, & epitoma Chronici, ac commodior, utemur. Sub hujus initio (paginarum numerus deest) primus ex cognitis Comes, sive Marchio dicitur *Guido*; de cujus majoribus scribit: „ eorum tamen nomina hactenus mihi sunt incomperta, præter „ id, quod Theutonicus, sive Germanus quidam scriptor Guidonem Gulielmi Patrem, qui Theutonica sua „ (Saxonica fortè) lingua VVittigindus appellabatur: „ VValperti, qui fuit Albis, qui fuit VViperti: & qui „ tunc primùm Christianam Fidem agnoverant filium „ fuisse tradidit. „ Et quis is Anonymus? Cujus ævi, & quo utitur teste? & his datis, quid cum Adeleide? Quæ VVitichindi prolis? Eccardus *in Historia Geneologica c.* 4. *col.* 26. *n.* 3. in Stemmate VVidichindi Magni arguit, quod *nec veri ullam speciem habet, quod Montisferrati Marchiones ab eo descendant, ut is VVidichindus improlis obierit*. Quare insubidè nimis Agnellus Maffejus *l. l. p.* 370. *n.* 109. Marci Hier. Henningii refert tabulam Geneologicam horum Marchionum, in qua dicitur „ Alramus (al. Aleramus) filius VideKindi: nepos „ VValberti: pronepos Vigiberti: abnepos VideKindi „ magni. Regis Saxonum. „ Et hic, ut supra, eadem quærimus: & insuper eadem ne nomina Guido, & Gulielmus? Id alii, quibus est otium, expendant. Pergit Sangeorgius: „ *Guidone* vita functo ..... ex *Aychisa*, „ sive Aycha, conjuge *Aledramum* ejus nominis primum, Montisferrati Marchionem, protulit, cui sub „ Comitis titulo *Ugo, & Lotharius* Italiæ Reges, *Guidone* ipsius *Aledrami* Patre adhuc in humanis agente „ A. 938. quandam Cortem (quæ tunc Forum nuncupabatur, nunc verò Villa focaria &c.) largiti sunt. „ Extat integrum diploma *in Chronico p.* 10. sub his notis 8. *id. Februarii A. VCCCCXXXVIII. Regni Hugonis* 9. *Lotharii* 4. *indict.* 8. *actum Papiæ*. Ergo A. 935. (abundat III.) cum quo concurrunt A. Regni Hugonis ab A. 926. & indictio 8. sed non A. Regni Lotharii, qui 5. non 4. scilicet ab A. 930. ut testantur tot alia eorum diplomata. Hinc rectè Sigonius de Regno Hugonis sub A. 926. non de Lotharii, cujus inaugurationem nimis differt in A. 932. In reliquis nil aliud huic chartæ obstare percipimus. Nam si inscribitur *Aledramo Comiti*, non Marchioni, respondet Sangeorgius in *Serie*, quod „ nondum Aledramus, eo quod Pater (Gulielmus) vivebat, adhuc „ Marchionis titulo fungebatur, *sed Aquosanæ Comitis* „ denominationem obtinebat: qui quidem mos nostra „ etiam ætate in primogenitis observatur. „ Et reapse, Gulielmo extincto, *Marchio* scribitur in instrumento A. 951. (sed 961.) in quo plura tribuit prædia Monasterio Grazani (Gratiani, & Grassani, quod est Oppidum inter Astam, & Casale S. Evasii, de quo Ughellus *t.* 4. *col.* 1062. & Lubin. p.164.) Extat exemplum hujus chartæ *in Chronico* p.11 ibique hæc leguntur: *Nos Aleramus Marchio, filius Gulielmi Comitis, & Girberta filia D. Berengarii* (II.) *Regis*: & infra: *Aleramus Marchio, & Gilberga viventes lege Salica* &c. Et hic NB, Girbergam uxorem Aledrami viventem adhuc An. 961. filiam fuisse Berengarii. An post hanc Aleramus aliam duxerit, filiam Ottonis I. vel juxta communiorem, Ottonis II. videbimus: prius corrigendus est annus. Etenim & in *Serie*, & in *Chronico* dicta pag. 11. male scribitur A. VCCCCLI. Deficit X. ut designant cæteræ notæ sic rectè expressæ: *Berengarius, & Aldebertus filius, A. Regni eorum XI.* (scilicet ab A. 950.) *mense Augusti, Indictione* 4. Verè enim annus Regni, & Indictio concurrunt cum A. 961. ut bene notavit etiam Ughellus, non autem 951. Jam incipiunt mysteria, dum utroque loco subdit Sangeorgius, Agnello, aliisque annuentibus, quod *ex Aledramo, & Adbelysia* (sive Alasia) *Ottonis II. & Theophaniæ Nicephori Imperatoris filia, mares gemini Bonifacius, videlicet, & Gulielmus in lucem sunt editi*. Hic immoremur. Quomodo hæc Adeleis Ottonis II. filia, si Sigonius A. 967. *Almaranum* M. ferrati Marchionem Ottonis I. *Generum* vocat? Nutant adhuc Viri docti apud Gotthelffium Struvium *Hist. German. diss.* 12. *sub* §. 31. ****. an Otto I. ex Adeleide Augusta Lotharii Regis vidua Adeleidem filiam susceperit. Affirmantes, adhuc demonstrant Abbatissam fuisse, non nuptam: negantes Ottoni II. potius filiam eam faciunt, sed semper innuptam, ut infra. Neque Theophania Nicephori filia dicenda: utique *Privigna ipsius Nicephori, filia scilicet, Romani* (I.) ut prodit Continuator Rheginonis A. 967. Ottoni tradita a Johanne Zemisce Patruo ex Sigeberto A. 971. corrigendo. Pejùs adhuc Sangeorgius subjicit, quod *nono deinc anno* 986., *quo ambo maritale jugum subierant, exacto, Aledramus ipse mortales deseruit: cujus depositum in Abbatia Gratiani SS. Salvatoris, Victoris, & Coronæ adhuc conspicitur*. Hæc in *Serie*, fusius in Chronico p. 20. repetita, ubi palinodiam cantare debebat. Sed quot unquam absurda? Igi-

Digitized by Google

Igitur defuncta prima uxore *Gilberga*, anno 986. *Adeleidem* duxit, filiam Ottonis II. nonne? & novem post annos ipse quoque Aledramus occubuit. Nunc observemus etiam hanc juniorem Adeleidem Ottonis II. filiam ex Theophania. Hæc *filium habuit unicum* (ait Monachus Hamorslebiensis ap. Leibnit. *Scripp. rer. Germ. t. 1. p. 709.*) *& tres filias, Sophiam Abbatissam in Gandersem*: (NB) *Albeydim in Quedalingborch* (Abbatissam) *Juttam, quam abduxit Dux Bohemiæ in uxorem de Monasterio Reginberch*. Illa ergo *Albeys* fuit Abbatissa, sicut soror Sophia, quod confirmat Ditmarus *lib. 4. p. 349.* de Theophania scribens: *de fructu ventris sui decimas Domino obtulit filias suas ad Quidilingeburg Adeleidam nomine: alteram* &c. Quartam filiam Mathildim *Ezoni* Comiti nuptam prodit Idem Ditmarus *lib. eod. p. 360.* Cum igitur Adeleis ex Theophania sanctimonialis, & virgo fuerit, uxor non potuit esse Aledrami. Si aliam imaginamur, nobis calamum admiratio intercludit, dum tot neotericos Scriptores, etiam Germanos offendimus, qui Ottoni II. nedum alias filias ex Theophania satas attribuunt, verùm etiam, quod enormius, secundam uxorem ex Marchionibus Austriæ, ex qua solum altera Adeleis prodire potuit. Et quis confectaria non videt? Vel ergo Otto II. dederit Theophaniæ repudium: vel bigamus eodem tempore fuerit. Theophania namque, superstes Ottoni suo, fatis concessit Noviomagi 15. Junii A. 991. ut tradunt tot Scriptores apud Pagium, sub A. 989. n. 3. monentem ex Calvisio, corrigendum esse Ditmarum, qui *lib. 4. p. 350.* fortè ex errore amanuensis, consignare videtur mortem Theophaniæ A. 990. Verum exeunte *lib. 3.* is ipse scripserat præmortuum Ottonem II. 7. Decembris Romæ A. 983. ut notissimum ex omnibus Chronographis, Saxone, Lamberto Schafnaburgensi, Sigeberto, Ottone Frisingensi, & tot aliis laudatis à Pagio A. 983. n. 5. Igitur Adeleis etiam Ottoniano-austriaca solius cogitationis est filia: & si extra mentem ea fuerit, & nupta A. 986. ut ait Sangeorgius, quomodo puella tradita tunc Aledramo septuagenario? Juvenis saltem esse debuerit A. 935. dum pronunciatur Comes in Hugonis, & Lotharii diplomate, ut supra. Sed nec aliquos pudùit, longè turpius cogitare, puellam raptam prius, quam nuptam, viri decrepiti amasiam. Largius hæc hausit nugalia Hennigius apud Agnellum *l. l. p. 371. n. 112.* ubi: *Adeleidis* (*& Aloysia, & Altesia, Alasia* &c. ab Italis nominatur) *filia Ottonis II. Imperatoris rapta, & postea matrimonio copulata*. Oh Geneographis intestatis modò credatur? Id credidit Agnellus, ut Adeleiden Ottonianam hac etiam via tueretur. Quid si prædicta novisset? Vel spuriam, vel apostatam eam fateri deberet, quod superest tandem dicendum. Bonifacium paternæ ditionis hæredem scribit idem Sangeorgius: & fragmentum Arnulphi nostri *lib. 1. c. 8.* (C. H. t. 4.) recitans, nihilque hæsitans, firmat, Bonifacium hunc Aledrami filium, eum esse, de quo Arnulphus. Sed Bonifacium Tusciæ ibi n. 12. notat inclytus, & doctissimus Anonymus Arnulphi nostri illustrator. Res anceps videtur. Etenim *proponit Chuonradus Burgundiam invadere . . . . . Langobardorum jubet properare militiam . . . . . è vicino Italiæ electi Duces . . . . . Præsul Heribertus, & Marchio Bonifacius* &c. Bonifacius M. ferrati sanè vicinior Burgundiæ appetendæ, & accessus explorandi peritior. Attamen *ipse dixit*, quod est *de natura Deorum*. Dubitandum tamen non est, Monferratensem non fuisse illum Bonifacium, cujus miseram mortem narrat, & dolet idem Arnulphus 3. 3. dum Sangeorgius eisdem verbis transcriptis, adjungit: „ Igitur Bonifacius venenata „ hasta insidiosè, & proditoriè petitus, A. 1053. ætatis suæ 67. nulla prole relicta, mortem obiit. Post „ quem Gulielmus frater dominatum suscepit, & Helenam Glocestri Ducis, & Ricardi Regis Angliæ fratris, filiam duxit uxorem. „ &c. Profecto Dominionem latuit is Bonifacius Monferratensis, dum plura disparata confundit: ut rectè animadvertit Cl. Muratorius p. 261. *Antiquit. Estens.* certior nunc factus a Sangeorgio Bonifacium occisum Monferratensem esse, non Tuscum. Et hæc institutio Marchæ M. ferrati, ejusque Marchionum origo, brevissimè quoad fieri potuit (non finè indulgentia, & humanitate) à fabulis expurgata.

(43) Ex hac porrò Marcha, ut ex matrice, alias Marchas minores in Apennino, & ora occidua maris Ligustici, ubi Saona, & Finarium, exortas cognoscimus. Postgenitis fratribus pro eorum portione, & dignitate tribui solebant: exinde Langarum nov-antiquo sub nomine comprehensæ, & vocatæ, ad M. ferratum spectabant, ut adhuc hodie in tabulis Chorographicis *Langhe M ferrati* in Apennino scribantur. De his quoque nonnulla adjicere oportet, & ut plenè fines M. ferrati innotescant, ac quadantenùs sæculo X. extenderentur: & etiam quia de his Marchis Cl. Muratorius paulò supra p. 260. plura quærendo non levia, adhuc plura desiderat. Semel tamen Marchæ M. ferrati antiquis detectis finibus, quæ videntur obscura, inclarescent. Hos planè Geographi sæculi XV. nequaquam noverunt, ut Blondus *Ital. Region. 7. p. 359.* Georg. Merula *Antiquit. Vicecom. l. 6. à pag. 137.* Volaterranus *l. 4. p. 62.* Albertus *p. 378.* Alph. del Bene *de Regno Burgund. Transjur. p. 120.* & Sigonius A. 967. qui omnes minus exactè illius fines scripserunt. Consentiunt quidem, quod à dextera, sive *ab ortu* Tanarus: à sinistra, hoc est *à borea* Padus Marcham hanc intercluderent. Variant *ab occasu*, nam del Bene Alpes assignat usque ad fontes Padi in Vesulo monte, qui pars Cottiarum. Merula è contra *dici ferè spatio ab Alpibus divisum* M. ferratum scribit: & inter dicta flumina ita conclusum, ut Mesopotamiam eundem appellet. Revera Padus semicirculum ibi, nunc saltem, efformat, ut etiam ab occasu limes esse videatur. Errant omnes ab *austro*, imò & ab ortu. Ab austro, dum Apenninum pro limite figunt, quando mare Ligusticum fuisse intelligimus ex diplomate apud Sangeorg. *in Chronico p. 13.* nempe Ottonis I. *X. Kal. Apr. A. 967. Imperii 6. Indictione 10. acto Ravennæ*, ubi verè erat cum Johanne XIII. præsertim S. die Paschatis, eo anno 31. Martii occurrente: ibique Synodo coacta, ut prodit Continuator Rheginonis, etiam Ecclesiæ ab Italiæ Regibus erepta restituit. Nihil ejus tenori, vel Chronicis notis opponendum occurrit. Igitur eo diplomate conceduntur *Aledramo Comiti* Oppida, & Villæ in Regno Italico, sed præsertim in Comitatibus Aquensi, & Saonensi *à flumine Tanari usque ad flumen Urbam, & ad litus maris*: & infra similiter Oppida *in Comitatu Aquensi, Saonensi, nec non Astensi, & Monferratensi* &c. Fontes porro Urbæ septingentis vix passibus distant à mari: & dum in boream excurrit, major est tractus inter ipsam, & Tanarum, quam inter Tanarum, & Padum, in quo tractu sunt plures Urbes, & Oppida, ut Aquæ Statyellæ, Ceba, Mons Vici, Nicæa, Clarascum *&c.* Non ergo sæculo X. inter Tanarum, & Padum Marcha M. ferrati conclusa. Neque inter Padum & Apenninum ab austro, ubi *usque ad litus maris* protendebatur. In hoc itaque montano, ac maritimo latere quamplurima Oppida erant ditionis Marchionum M. ferrati, ut apud Sangeorg. *Chron.* pag. 98. legitur in *Catalogo* satis amplo omnium locorum, quæ Marcha M. ferrati complectebatur: in quo loca omnia Langarum, & Marchionum Carrectensium scribuntur, mandante Theodoro Paleologo 16. Septembris 1306. Hæc omnia novit, & scripsit Corius ad calcem Historiæ *in Vitis Impp. p. 553.* edit. Venetæ 1554. ubi agit de Ottone. Extant in eodem *Chronico* pag. 381. pacta fœderis initi inter Franciscum I. Sfortiam, & Gulielmum Marchionem M. ferrati A. 1448. inter quæ illud, quo Franciscus promittit, quod „ numquam se „ implicabit, nec immiscebit rebus feudorum Gentis „ Scaramporum, Carrectensium, Malespinorum, Mar„ chionum Incisæ &c. qui ab antiquo adhærent, & feu„ da à Marchionibus M. ferrati sunt consecuti „. Hinc ibidem apparent acta sacramenti fidelitatis præstiti ab eisdem Marchionibus, ut pag. 395. sub A. 1392. à Carrectensibus Finarii Marchioni M. ferrati, & alibi ab aliis etiam à Marchionibus Salutiarum ut pag. 310. tenore instrumenti 13. Januarii 1397. ob loca in vim feudi recepta. Quid plura? Excitatis olim, & sæpe litibus inter illos Marchiones de jure successionum, coram Sacro nostro Insubrum Senatu, Cæsarum, maximè Caroli V. ex mandato, sincera documenta actores, vel rei conventi Marchiones illi produxere, quibus se ex Marchionibus M. ferrati prognatos certissimè demonstrarunt. Extant adhuc apud aliquos Amplissimos nostros Senatores amplæ scripturæ (documentis, quæ vidimus, adnexis) quondam, nec semel vulgatæ: & apud generosum Equitem Mediolanensem reperitur membranacius Codex MS. cujus auctor Franciscus Filelfus, in quo de Marchionibus Carrectensibus Finarii, aliisque Langarum fusè ipse loquitur. Hunc Codicem certè vidit Corius *l. l.* eoque usus est, dum de his rebus & ipse scribit. Hæc extra institutum nostrum, utpotè remota à sæculis Langobardico, & Francico, indicasse sufficiat, ut præcipuè cognoscantur Marchæ M. ferrati antiqui fines: ne quando agemus de finibus Ducatus Taurinensis Langobardorum, & de Marcha Secusii Francorum plura facere verba adigamur: expost etiam pro captu earum rerum, quas Cl. Muratorius laudatis *pagg. 260. & 61. Antiq. Estens.* ut obscuras proponit, & inquirit, declarandasque desiderat. Nam ea pauca, quæ tumultuariè, & in transcursu hic attigimus, satis demonstrant minores illas Marchas in Langhis, ac in ora maritima Saonensi, & Finariensi institutas, minimè ad Marcham Genuæ, sed ad solam M. Ferrati spectasse: necnon jure beneficiario, sive feudali fuisse per tempora à Marchionibus M. Ferrati suis Postgenitis, propinquis, ac etiam extraneis benemerentibus quandoque collatas, ut olim legisse meminimus: ita nobiscum sentiente Hier. Ghilino in Italico *Tractatu num. 24.* de concursu Terrarum in constructione Alexand. ad calcem suorum *Annal. Alexand.*

Ra-

Digitized by Google

Ratio, & ordo nunc poscerent, quod de Marchis Secusii, Firmi, Anconæ, &c. sermo haberetur: sed cum ista in ordinatione Græcorum ad Pentapolim, & illæ ad Ducatus Taurinensem, & Spoletanum Langobardicos attinerent, de his locuturi suis locis in Chorographia, & de reliquis opportunè loquemur, præsertim de Marcha Anconitana num. 85. qua nihil obscurius, saltem nobis, invenimus. Verum hic nullatenus de Marcha Eporediæ (licèt & ipsa fuerit Langobardorum Ducatus) sermonem præterire possumus, vel differre. Nimis enim nos urget rerum Eporediensium quidam Scriptor, & amplificator enormis, qui ab Eporedia ad Marcham Tridentinam, sive ad Athesim usque, Marcham Eporediensem producens, fines nostros in Chorographia constituendos omnino pervertit; imaginaria quadam, & conficta Eporediæ Marchionum origine nisus: celeriori ideo gressu ad hanc Marcham accedere cogimur, ne in Chorographiæ cursu diutius, quam par sit, difficultatibus præpediti, immoremur.

(44) Hujus igitur rei summa, totaque causa consistit in quærendis Marchæ Eporediensis limitibus, maximè ad ortum. Etenim Valerianus Castillionæus amplis annotationibus Emmanuelis Thesauri *Regnum Italiæ*, rhetoricè potius, quam historicè scriptum, exornans, primus, & solus, quod sciamus, usque ad Athesim, quin imo ab Alpibus Cottiis ad Julias, Marcham hanc producere studuit, his præsertim ductus rationibus: quod natura hujus Marchæ ad Italiæ tutelam jam à Langobardis Regibus institutæ, sic poscerèt: quod ejus Marchiones ex regio sanguine Desiderii prognati, essent etiam Angleriæ Comites, ut ad ipsos latè patens ille tractus hæreditario jure spectaret. Major his in rebus est labor, silere posse, quam scribere, audiatur. Constanter, & ulla fine hæsitatione, *annot. in Regnum Ill.* 227. definit, „ Marcham hanc, à Valle Augusta„ na *Tridentum usque* protensam, comprehendisse la„ cus *Lucanum*, *Verbanum*, *Larium*, & *Benacum*, & „ quidquid illis adjacet infra, & supra, usque ad Al„ pes. „ Prolixiori *annotatione* sequenti 228. loquens de quatuor Marchionibus Secusii, Eporediæ, Tarvisii, & Fori-Julii, præsidio datis Italiæ, repetit, quod is *secundus Eporediæ* tractum tuebatur *à Valle Augustana usque ad Tirolum*: & cum nullum testem sibi adhibere sciat, *ibidem* post medium adjungit, quod „ huic Mar„ chæ imminentibus Francis, Rhætis, & Vindelicis, „ efferis, ac indomitis gentibus, decebat ejus Mar„ chionem amplissima ditio *ab Alpibus Cottiis ad Ju„ lias*. „ At non videt V. doctus, quam enormiter hic loca, & tempora invertit? Aliud enim est dicere usque *ad Tridentum*: usque *ad Tirolum* (etsi utrumque falsum) & aliud usque *ad Alpes Julias* in orientali, & boreali Italiæ latere sitas, & à fontibus fluvii frigidi ad fontes Formionis, Forojuliensem Regionem ab Histria disterminantis, extensas: qua propter *Pannonicas* etiam easdem appellat Tacitus *Hist. lib. 2. & 3.* Quid item *ab Alpibus Cottiis*, si bis dixit *à Valle Augustana*? Hæc enim inter Grajas, & Penninas arctatur, & illæ à M. Vesulo ad Cenisium porriguntur. Quis hæc ignorat? Utique juxta Castillionæi sententiam hæc Marcha integrum Transpadanum tractum, saltem sub Alpibus, ad Histriam usque occupasset. Tempora adæque confundit: nam quando *Franci*, *Rhæti*, & *Vindelici* poterant sub Langobardis Italiam vexare, tunc non erant Marchiones, nec Marchæ in Italia, ut supra num. 37. ostendimus: hinc perperam V. doctus, cum aliis, Marchas à Langobardis institutas, & Marchiones jure successionis perpetuos fuisse, supponit. E contra quando per Francos institutæ sunt Marchæ, non poterant illæ gentes, tunc sub dominio Francorum (ut ostendit Tschudus *Alpinæ Rhætiæ cap.* 20.) Italiæ illam partem invadere; & si quæ remotiores gentes huc pervenire attentassent, satis Marchiones Tridenti, & Fori-Julii, cui tota ferè Venetia supposita, ut supra à num. 38. prædiximus, hostium vim repellere poterant. Quod si quæratur, cui Marchioni tractus ille circa, & supra lacus Verbanum, Larium, & Benacum esset suppositus, nemini, respondemus, sed ut in Regno, & de Regno, datus Novariæ, Mediolano, Bergomo, & Brixiæ, cum suis Comitatibus usque ad Alpes prolatis, soli Regi parebat. Utique, nedum medio, & infimo ævo ita protendebantur in boream, sed etiam ex quo Augustus Alpinas gentes subegit, teste Plinio sen. 3. 20. qui illis enumeratis, adjungit, *Camuni, compluresque similes finitimis contributi Municipiis*. Et infra: *non sunt adjectæ Cottianæ Civitates XII. quæ non fuerunt hostiles, sed item attributæ Municipiis Lege Pompeja*, hoc est Cn. Pompeji Strabonis, juxta Sigonium *de Antiq. jur. Ital.* 3. 2. qui Cos. A. U.C. 691. exemplum dederat Augusto. Sic, natura suadente, iidem per plura sæcula stabiles permanserunt, & alicubi permanent, permanerentque ubique, ni Principes Helvetiis, Rhætisque non pauca loca cessissent, ut testatur, & queritur Gaud. Merula *de Gallor. Cisalp. orig.* 2. 12 Etenim Valles Lepontiorum, vulgo Leventinam, Mesochi, Breuniam, Vulturenam, vulgo Tellinam, & alias, quæ ab Alpium radicibus incipiunt, & sæpe in ipsarum fauces intruduntur (quas partim Macaneus *de lacu Verbano* lib. 2. cap. 2. cum Commentatore suo Cotta, & laud. Merula *lib.* 2. *à cap.* 5. describunt) ad Insubres olim spectasse, easdem describentes, affirmant Calchus noster *in Residuis pagg.* 110. & 11. & Bonav. Castillionæus *de Gallor. Insubr. Sedibus* à p. 93. clarè demonstrant. Sed Vulturenam, sive Tellinam perpetuò vindicant Comensibus suis Benedict. Jovius *Hist. Patriæ pagg.* 2. 166. & alibi: Paul. Jovius *in Descrip. lacus Larii*: Robert Rusca in Ital. *Descriptione Elimontis p.* 20. & in *Descript. Territ. Comensis*, cui titulus *il Rusco*, in principio, cæteri demum conterranei Scriptores. Ad vallis ejusdem orientale latus pertigit, & adhuc pertingit Bergomatum ager, cujus fines *à septentrione Rhætorum Alpes*, ut ait M. Ant. Michael *Descrip. Urb. & agri Bergom. p.* 1. quod idem ac *à Valle Tellina ad Butanum Casale*, ut explicat Fr. Bellafinus *de Orig. Bergom. p.* 23. numeranda, relatis Imperatorum diplomatis, eadem repetente Cœlestino Bergomate Ital. *Historiæ Berg. lib.* 10. *cap.* 51. De agro suo Brixiensi, ex veterum Imperatorum confirmationibus, scribit quoque Elias Capreolus *Chron. Brixiæ lib.* 5. prope finem extensum in latitudine fuisse *à Moso* (15. m. pass. à Mantua) *olim ad ripas fermè Ollii* 12. *m. pass. prope Mantuam* ..... *cum ejus territorio inclusivè, incipiendo* ..... *usque Dalengum* (in Valle Camonica, ubi prisci Camuni) *& per totum ejus territorium, & à Dalengo, & Limono Pocelongum usque* &c. Fusiùs Octav. Rubeus *in Memoriis Brixiensib. à p.* 187. edit. 1693. ubi dicitur Vallis Camonica una ex quinque partibus agri Brixiensis, ab Alpibus septa. Non ultra progredimur, cum agro Veronensi Tridentinus immineat. Interim probatum remanet, Subalpinos, nisi Alpinos, Municipiis fuisse contributos, ut dixit Plinius. Ex quibus potest naturaliter elici, dictas Urbes, quippe tam amplo territorio donatas, ditissima fuisse beneficia, non Marchionalis collationis, sed Regiæ: & consequenter ad Marcham Eporediæ nequaquam, hac etiam ratione, spectasse. Superest ergo dicendum, Marcham Eporediæ eosdem habuisse fines, quos habuit ævo Langobardico, imo & superiori Romano, ut paulo infra dicemus: hoc est Alpes ab *occasu*, & à *borea*, quia nihil in Alpibus possedisse Langobardos à num. 47. patebit: *ab austro* Ducatum Taurinensem, & Padum: *ab ortu* verò (ubi major difficultas) partes trium Ducatuum, sive Comitatuum, scilicet *Mediolanensis* a summo, ubi circa, & supra lacum Verbanum is porrigitur: infra, & in medio *Novariensis*, ubi lacus Hortæ, & Insula S. Julii, cui præerat sub Langobardis Minulfus Dux, de quo Paulus 4. 3. territorium enim suum habebat, ut ostendit Carolus à Basilicap. in sua *Novaria* à p. 174. demonstrans ad Comitatum Novariensem etiam ante Ottones, vetera confirmantes, pertinuisse: & *Vercellensis* tandem in imo, qui antiquitus amplior, quam nunc, sicut & ejus Diœcesis. Et sanè certior, usitatior via, & rarò fallax secernendi veterum jurisdictionum civilium fines, ea Viris doctis videtur, utpote conformior decretis Synodi Chalcedonensis (de qua supra num. 34.) quæ saltem medio ævo, si non modò, custodiebantur, ea, dicimus, explorandi Ecclesiasticas Diœceses videtur, dum olim Urbium Comitatibus cohærebant. Hac igitur via etiam cognoscere possumus, quantus fuisset Comitatus Vercellensis, dum de Diœcesi monet Ughellus *tom.* 4. *à col.* 746. edit. 2. quod quidem „ nunc habet tantùm milliaria 40. in longi„ tudine, & 35. in latitudine: olim tamen erat am„ plior, cum ad ipsam pertineret Castrum Verruchæ, „ quod Henricus Rex Alberto Episcopo restituit: item „ Feudum & Civitatem Tridini, & quidquid ab eo „ detruncatum a Sixto IV. ut Episcopatum Casalen„ sem erigeret. „ E contra valde angustam, & parvam fuisse Diœcesim Eporediæ, ex Epistola Innocentii III. apud eundem Ughellum *tom.* 4. *col.* 1070. cognoscimus, dum Pontifex Petro eximio Episcopo Eporediæ, qui Episcopatum abdicaverat, hæc scribit: *neque causeris, nos te ad hanc Ecclesiam pauperculam, & parvam Diœcesim, destinasse, cum intentionis nostræ non fuerit, illi per te tantummodò providere, sed totius potius Lombardiæ* &c. Neque excessisse Canavensem tractum (cujus limes ab austro Padus, ubi Clavasium Oppidum) idem Ughellus col. 1066. demonstrat: Etenim loquens de erectione Monasterii Fructuariæ A. 1003. profert chartam Henrici Episcopi Eporediæ, in qua is dicit: *Fructuariense Cœnobium, quod situm est in ultimis finibus Diœceseos nostri Episcopatus* &c. Quamobrem & Marcham Eporediensem comprehendisse hanc Diœcesim, & Augustanam cum interpositis,

Digitized by Google

& circumpositis locis, præsertim tractus Canavensis, jure solùm censemus. Cum autem Fr. August. ab Ecclesia *in Hist. Chronolog. Dignit. Ecclesiast. Pedemont. cap.* 43. *p.* 325. prodit, quod Augusta Prætoria *in exordio Regni Burgundorum bis Regibus obediebat, & Civitas cum Valle Archiepiscopo Mediolanensi*, minimè distinguens tempora, intelligendus non est de exordio Regni *Bosonis*, qui Rex dici voluit in Concilio Mantalæ in Sabaudia, ut apud Sirmundum *Concilior. Gall. tom.* 3. *p.* 496. & ut scribit Annalista Bertinianus circa finem A. 879. tunc enim & Augusta ad Marcham spectabat, & longè ante Archiepiscopo nostro parebat: sed intelligendus de exordio Regni *Gundiaci*, & *Chilperici* fratrum, de quibus Jornandes *Rer. Getic. cap.* 44. qui deleto Romano nomine in Gallia Celtica Regni Burgundici fundamenta jecerunt A. 456. quia *Varano, & Johanne Coss.* sub quibus inquit Marius Aventicensis *Burgundiones partem Galliæ occupaverunt*, simulque Alpes Grajas, & Penninas, atque Augustam, ex quo tempore cœpit obedire Archiepiscopo nostro, dum illius Episcopi subscripti videntur in Conciliis coactis ab Eusebio sæculo V. & à Mansueto sæculo VII. Similiter Augustam accessisse Regno Burgundiæ, regnante Guntramno, probabimus sub num. 57. Hæc sanè fuit ditio Marchionum Eporediæ ab origine sua, nec amplior unquam probabitur. Eandem fuisse supremo ævo Romano innuit Strabo *lib.* 4. *p.* 410. Salassorum Regionem describens, annuente Plinio 3. 17. ubi *Salassorum Augusta Prætoria juxta geminas Alpium fores, Grajasque, atque Penninas*. Quanta adhuc fuerit eadem Marcha argui potest ex eo, quod facta juris Comitis Sabaudiæ, vix Augustam, & Eporediam, non ingentem illum tractum usque Tridentum, ut fingit Castillionæus, sibi adjunxit. Ex vestigiis sæculi XIV. hoc idem cognoscitur, scilicet ex descriptione Canavensis tractus facta à Petro Azario *de Bello Canapiciano*, cujus ipse spectator fuit A. 1382. quodque editum habemus *in Pinacotheca Minervæ t.* 2. exeunte. Potior sanè pars hujus Marchæ fuit ille tractus, conclusus tamen inter amnes Orcum, & Duriam majorem, & divisus sæculo XI. plures inter Magnates, Comites Valpergæ, Mazadii, S. Martini &c. quando Arduinus ibi Marchio, & Rex Italiæ, fortunæ cessit adversæ. Plus, minusve denique quid complecteretur hæc Marcha percipimus ex charta, quam refert Castillionæus *annot.* 480. qua Otto Gulielmus Monasterio Fructuariæ A. 1019. multa prædia, in cunctis hujus Marchæ partibus sita, concedit: ibi: „ quid„ quid mihi secundùm parentum successionem, seu „ donationis traditionem, seu chartalem conscriptio„ nem, jus proprietatis contingere decernitur, *infra* „ *Alpes Pinninarum, & flumen Padum* (NB fines à „ borea ad meridiem) *& flumen Duriæ Bauticæ* (& „ hic ab ortu, parùm plus ultra) *quod juxta Evore*„ *jam currit* „ &c. Quid clarius?

(45) His prestus rationibus, quas fortè non ignoravit V. doctus, satis occurrisse crediderit, fingendo Eporediæ Marchiones etiam Angleriæ Comites. Eheu!

. . . . . *Major rerum mihi nascitur ordo:*
Majus opus . . . . . *Æneid.* 7. *v.*44.

movet Castillionæus. Equidem cum fabularum Angleriæ non Scriptores, sed Gerrones, olim, animi causa, lustrabamus, Mediolani Reges per longam seriem à Venere, & Anchise parentibus Æneæ, ex quo Ascanius, hujusque filium Anglum Angleriæ Regem I. unde Vicecomites &c. cum risu recepimus. Sed amplissimi tractus usque Tridentum fuisse dominos, nec Daniel in Chronico, neque Flamma, Campanus, Filelfus, Merula, Gallucius &c. unquam somniarunt. Modò naturali ratiocinio ex Castillionæi verbis ad hominem. Dixerat laudata *annotatione* 228. quod Carolus M. quatuor Marchiones in Langobardia, & Venetia constituerat, *Secusii*, & *Eporediæ*: *Tarvisii*, & *Fori Julii*: præter alios tres *Anconæ*, *Tusciæ*, & *Genuæ* pro custodiendo utroque mari supero, & infero. Eporediensi postea custodiendum attribuisse tractum à Valle Augustana Tridentum usque, eundem Carolum, ter repetit V. doctus: adjungens in fine, quod *Ludovicus Pius* Marcham Eporediæ, & Comitatum Angleriæ contulerit *Bernardo Asprando filio Desiderii* Regis, cui debebantur, *tanquam duæ veteres, & hæreditariæ ditiones majorum suorum*. Nam quando Carolus A. 774. misit Desiderium cum uxore, & filiis Leodium Eburnum exilii causa, inter filios captivos aderat & is *Bernardus* infans, qui, quoad vixit Carolus, in captivitate remanserat. Sed defuncto Carolo A. 814. fuit & libertate, & binis ditionibus Marchæ Eporediæ, & Comitatus Angleriæ à Ludovico donatus. Hæc est fabella, de qua infra: Et hic observandum à captivitate Bernardi ad mortem Caroli 40. integros fluxisse annos. Eccquis hoc spatio temporis Marchio Eporediæ? Vel Carolus hunc instituit, vel non. Si instituit, tunc hæc Marcha non potuit usque Tridentum produci: quia ideo producta propter Comitatum Angleriæ, at Comes Angleriæ tunc aberat, quia adhuc captivus Bernardus. Rursum, si instituit, gaudere & ipse debebat supposito privilegio, quod Marchiones essent perpetui jure successionis. Non ergo poterat Marchio institutus à Carolo removeri à Ludovico, ut sufficeretur Bernardus; præsertim quia (inquit *l. l.* Vir doctus) „ Marchiones, adhuc extincta linea, poterant de Mar„ cha disponere, casu rebellionis excepto. Hinc per„ petuitas Marchionem Imperatori exæquabat, ut sicut „ is in Imperio, ita Marchio in sua Marcha. „ Jasonem laudat *in l.* 5. *ff. de Verb. Obl. Marchiones perpetui æquiparantur Imperatori in suo Marchionatu*: „ quoniam, „ subdit cum Baldo *Cons.* 359. *lib.*3. Marchionibus Im„ perator non committit dominium, sed transmittit. Non poterat ergo, juxta V. docti sententiam, Ludovicus Marchioni instituto à Carolo Marcham adimere. Sed ademit, & cur? Quia, respondet, jure sanguinis Bernardum innocentem debebat in integrum restituere. Hac ratione? Eadem omnino & integrum Langobardicum Regnum Bernardo reddere tenebatur. Si postea Carolus Marcham hanc non instituit, vento verba sua V. doctus, adhuc sibi contrarius, effudit. Cur adeò solicitum de institutione septem Marchionum, & potissimum Eporediæ Carolum demonstrare contendit? Sed hactenus ambo aerea castra, ille asserendo, nos indulgendo, condidimus. Fabulæ procul recedant, stirpitùs evellantur. Revera Eporediæ Marcham non Carolus, neuter Ludovicus, neque Lotharius instituit. Veterum Scriptorum omnium altum silentium id suadet. Quis Marchionum Eporediæ meminit ante Liutprandum? Quæ necessitas instituendi hanc Marcham? Dati quidem fuerint Augustæ, & Eporediæ, sicut cæteris Urbibus, sui Comites juri dicundo, sed non limitanei, cum nullus hostis ævo Francorum tractui Augustano conterminus, facta jam juris Francorum Transjurana Burgundia, quæ etiam Sabaudiam, Helvetios, Rhætosque complectebatur, ex quo Carolus Martellus A. 736. virtute sua Regno Neustriæ illam adjecit, ut ex Continuatore Fredegarii ostendit Pagius sub d. A. n. 7. & sub A. 888. n. 6. Sed distinctius, enumeratis Regionibus, Annalista Bertinianus A. 839. (C. H. t. 2.) Et si periculum fuisset invasionis hostilis, occurrere poterat Marchio Secusii finitimus, qui ideo Marchio, quia Provinciam proximam, Alpes Maritimas, & Subalpinos facilè invadere poterant Saraceni, ut sæpe contigit ætate Caroli M. sed maximè, & truculentiùs labente sæculo IX. capto Fraxineto, ut dicemus in Chorographia n. 56. Nec improbabile, sub Carolo M. Ludovico &c. Marchæ Secusii fuisse Augustam, & Eporediam adjectas. Silentium scriptorum, dicimus, sic nos conjicere cogit: quippe primus omnium Eporediæ Marchionum cognitus, est *Anscarius*, cujus meminit solus Liutprandus ex Historicis medii ævi, & Lambertus Rex in quadam charta citata à Castillionæo *adnot.* 238. licèt Historicus vix Anscarium educat è latebris, in quibus se abdiderat, transeunte per Eporediam Arnulfo Imperatore, post infectam Firmanæ Urbis obsidionem, & in Germaniam revertente A. 898. vel circa, Anscarium tamen interpretamur Marchionem fuisse Eporediæ adhuc A. 987. sub quo Sigonius *lib.* 6. ineunte sic scribit: „ Præstabant hoc tempore opibus citeriore in Italia duo „ Duces Foro-juliensis, ac Spoletanus: & duo Marchio„ nes Lucensis (Tusciæ) *& Eporediensis* (suppresso no„ mine) *Francorum omnes Regum beneficio* ad honores „ illos evecti. „ Et Anscarius non jure sanguinis juxta Castillionæum, sed beneficio etiam Caroli Calvi A. 876., ut ex pluribus fas est conjicere. Recolantur dicta n. 37. de Bosone, *& Collegis ejus*, quos inter *Berengarius*, qui filiam suam *Gisilam* Adalberto Anscarii filio matrimonio copulaverat, ut apud Liutprandum 2. 10. Quare Boso Langobardiæ Dux, & arbiter, petente Berengario collega, facilè à Carolo impetrare potuerit, ut Anscarius illius affinis Marchio Eporediæ institueretur. Cum porrò Carolus Calvus suffragiis Principum Italiæ Langobardicum Regnum obtinuerit, adhuc in grati animi signum Anscario, & Adalberto filio Berengarii Genero Marchæ beneficium confirmare voluerit: & fortè occasione sui transitus per Eporediam, quando juxta *Annal. Bertinianos* A. 876. reversus est in Germaniam *per Montem Jovis, & per Monasterium Sancti Mauritii* in Sabaudia. Vicissitudines postea, & ærumnæ, quæ ineunte sæculo X. miserrimè Germaniam, Franciam, & Italiam exagitarunt, optimè profuerunt Marchionibus Eporediæ, aliisque Principibus Italiæ, ut potentiores, & firmiores in beneficiis acceptis se tuerentur. Etenim Germania post mortem Arnulfi A. 899. vel 900. (variant enim prisci Scriptores) ejus filius Ludovicus IV. puer quomodo Italiæ rebus consulere valebat, si neque Germaniæ suæ, impunè ab Hungaris dilaniatæ, non poterat? Cum eo, sine prole, linea Carolingorum apud Germanos extincta: Conrado I. & Henrico Aucupe de Italiæ rebus parum, vel nihil solicitis, hæ magis pes-

Digitized by Google

pessum ivere. Nec minus Francia, ob nimiam Caroli Simplicis simplicitatem subacta infortuniis: &, ut Pontus Heuterus Delfius *Rer. Burgundicar. p.* 5. ad rem nostram animadvertit, eo *regnante Præfecti aliquot ingenii ejus imbecillitate abutentes* (*unde cognomen est sortitus*) *repetito veteri exemplo Præfecturas singuli suas occupavere: præcipuè verò Francia variis tumultibus, seditionibusque ambitiosorum hominum audacia est agitata*. Cum porrò eadem contigisse in Provincia, Burgundia, & Sabaudia, Italiæ conterminis, prosequendo demonstret, præsertim pagg. 8. & 9. etiam proximi Eporediæ Marchiones Italici schismatis opportunam nacti occasionem, Francos imitati, res suas meliorem vertere in partem, ac roborare non neglexere: eorum semper in dies adaucta potentia, quoad potuerint, ut Berengarius II. & Harduinus, Italicum sibi Regnum parare, nec non propriæ Marchæ fines producere, Taurinis, Asta, Vercellis, aliisque Urbibus captis juxta Philiber. Pingonium in sua *Augusta Taurinor.* sub AA. 950. & 1015. Neque hic nos quis reconveniat de potentia, quam confitemur, Eporediæ Marchionum, quasi ac amplissima usque Tridentum ditione fruerentur, ut numerosas inde militum copias conscribere ex ea potuerint. Neutrum probatur: non potentia ex ditione, vel è contra, optimè occurrente laudato ab Ecclesia *Hist. Chronolog. Dignitat. cap.* 6. *p.* 81. dum sentit, quod *antiqui ejus Reguli* (hoc est Marchiones) *opportunitate* (rerum, ut præmisimus) *& natura loci audaciores effecti, extinctis Regibus, qui ad Carolum M. originem suam referebant, Italiæ Regnum invaserunt*. Verba planè adeò cordata, ut eadem prorsus transcribere non piguerit Ughellum *de Episcopis Eporediæ t.* 4. *col.* 1064. Neque copiarum multitudine ex sua ditione: nam sicut ulla sine ditione in Italia hujus Regnum iniere Ludovicus Bosonis filius Provinciæ Comes: Hugo, & Lotharius Arelatenses, Italis illos vocantibus, ac eorundem potentia freti, exercitibusque stipati: ita & Eporediæ Marchiones Berengarius, & Harduinus. Quare nescimus, an rectè Castillionæus *d. annot.* 228. circa medium inter Marchiones Italiæ Eporediensis recensere potuerit, præsertim in sua hypothesi, quod à Francis fuerint instituti, minimè distinguens Marchiones *Italiæ, & in Italia*, ut distinguit Alph. del Bene *de Reg. Burgund. p.* 122. scribens, quod *aliud est Marchio in Italia, aliud Marchio Italiæ: illud multis Marchionibus, qui intra fines aliquo Marchionatu potiuntur, commune est: hoc verò iis tantum, qui Italiæ limitibus præsunt, & in confinio Regiones sitas habent, cujusmodi sunt Comites Maurianæ*, de quorum uno pag. præcedenti 121. chartam refert, in qua legitur: *Ego Humbertus Comes Maurianensis, & Marchio Italiæ pro remedio Animarum Patris* &c. rursumque p. 122. illius Marcham ab ortu protendit usque ad Padum, & usque ad Duriam à borea, per quam ab Eporedia dividitur. Quare cum Comes Maurianæ limiti huic præesset non potuit ille Eporediæ dici Marchio Italiæ: eoque minus in supradicta hypothesi, limitis deficiente ratione.

(46) Ne postea dicatur, insubidè, ac perperam nos ad Anscarium Marchæ hujus originem retulisse, expedit nescientibus nunc ostendere, sicut promisimus, nec Guidonem Patrem, nec Bernardum Avum fuisse Anscarii, neque Eporediæ Marchiones, ut cum Auctore suo, & aliis Castillionæus in annotationibus in utrumque omninò, & impigrè scripsit. Nemo veterum, vel recentiorum emunctæ naris Anscarii Patrem Guidonem dixit. Sæpe Liutprandus Anscarii meminit, at Patris nunquam. *Hominem Francum* vocant Adelbertum Anscarii filium, Berengarii Generum, Valesius in hujus *Panegyr. cap.* 1. & Pagius A. 950. num. 2. non ergo ex Nepotibus Desiderii, qui Langobardus. Ludovicus ab Ecclesia in *Historia Pedemontii*, & in laterculo Marchionum Eporediæ ad calcem: itemque Philib. Pingonius non obscuri nominis Scriptor in *Augusta Taurin.* AA. 950. & 1015. breve laterculum Marchionum Eporediæ texentes, & gradatim ascendentes ab Arduino Rege per Dodonem, Berengarium, & Adelbertum ad Anscarium, hic sistunt, nec audent *Guidonem* scribere, vel *Bernardum*. Viderint & ipsi, quos vidit, & laudat pro *Guidone* Castillionæus *annotat.* 234. nempe *Chronicon Salutiense* (Italicè scriptum, ideo recens, non *vetus*, ut ait) Jacob. Philippum Bergomatem (de Foresti) Corium, Campanum &c. Hos attentiùs vidit Pingonius, omnes posteriores esse VI. sæculis, hinc siluit Guidonem. Si quis unquam Marchionum Eporediæ stirpem prodere debebat, sanè Samuel Guichenonius in *Hist. Genealog. Ducum Sabaudiæ*, quibus Augusta, & Eporedia cessere. Trium voluminum lustratis locis, ubi de illis loqui aptè poterat, nisi oculum lectio fugit, nihil invenimus, nec ipse sæculo XV. scripta ignoravit. Observamus hic tamen, Virum doctum ex conscientia motum fateri *annot.* 235. suo Guidoni (dum adeò strenuè, diuque decertasse dicitur in Saracenos) tempus, historiam, & acta non convenire. Utique sub Nicolao I. & Ludovico II. esse potuerit, quando AA. 865. & 6. in Saracenos acre adeo bellum commovit, ut supra num. 38. post medium innuimus. Verùm tunc nullus Guido celebris præter Spoletanum: nec Eporediensis dici potuit tunc Marchio, nam ejus Pater Bernardus 100. & ampliùs annos vixisse dicitur à Castillionæo *annot.* 229. & alibi, usque ad Carolum Calvum, & ultra. Hoc autem tempore jam Anscarius Marcham regebat, ex dictis. Præter quam quod, cum ex sex filiis Bernardi, quos V. doctus exhibet in typo Geneologico, *& annotat.* 233. Guido is dicatur natu minimus, omnesque ejus fratres adhuc viverent, cur ipse præ cæteris, & solus Marchio Eporediæ dicendus? Et si de illo nulla mentio apud priscos, cur *annotat.* 235. in fine celebratur Marchio Cisalpinus, ex Insubrum gente, exercituum ductor, & cognomine *Magnus*? Et ubi hæ sunt historiæ, quæ cunctæ his in rebus *omninò conveniunt*, ut inquit? Quare è Stemmate Desideriano Im-hof (*Hist. Geneolog. t.* 1. in princip.) omnino delendus est ille *VVido Comes illustris, cujus uxor Rodelinda* (al. Falenda) Sed potiore ratione *Bernardus Ansprandus* Desiderii Filius, & Everardus dictus, quem Itali Scriptores (ait Im-hof in seq. *Exegesi c.* 7.) in locum *Hunrochi Comitis* incompertæ originis surrogant. Dum autem *Hunrochum* incompertæ originis dicit, hæc subdit: „ quo, equidem satum à Virgine „ Regia ad concubitum furtivum admissum fuisse, qui „ dixerit, honori ejus magis velificabitur, quam Va„ lesius de agenealogo tale quid suspicatus. „ Videatur in *Panegyr. cap.* 3. ubi de Hunrocho. Alterius junioris Hunrochi meminit Continuator Annal. Fuldens. A. 887. editionis Struvii 1717. ubi quidam *Liutvvardus* ex infimo genere exaltatus à Carolo Crasso, inter cætera ejus nefandissima crimina Monasterium Puellarum Brixiæ invasit, *& per quosdam amicos suos filiam Unruochi Comitis propinquam Imperatoris, vi rapere tentavit, ut suo nepoti in conjugium daret*, quod Deo ordinante per hujus mortem infectum remansit. Et quis iste *Unrochus*, qui filiam in Langobardia locaverat? Is sanè non alter esse potest temporis, & loci ratione nisi filius *Eberardi* Forojuliensis Ducis, & frater Berengarii, de quibus supra num. 38. circa finem. At quæ affinitas tunc inter Hunrochum Eberardi, & filios, sive Nepotes Desiderianos? Ubique tenebræ, in quas incidunt, qui Anscarii Majores conantur inquirere. Sed longè densiores offendunt, quin imo gerras, & fabulas, qui gentem aliquam ad Desiderium Regem referre contendunt. Quæ de Guidone filio prædiximus, de Bernardo Patre huc recurrunt. Quis veterum memoravit unquam, præter Adalgisum, *Bernardum Ansprandum*? Nondum ipsius recentiores patroni conveniunt, an unus binominis, ut tuetur Castillionæus *annot.* 238. an duo, ut apud Im-hof *l. l. in Stemmat.* tribuentem Desiderio tres filios *Adalotsium* Regni paterni consortem, qui improlis obiit A. 788. *Everardum* (sive Bernardum) *Comitem*: & *Ansprandum* Abbatem S. Vincentii Mediolani, & fœminas quatuor: cui opinioni minimè favet Joh. Ant. Castillionæus in suis *Mediolanensib. Antiquit.* dum fusè loquens de Basilica Vincentiana a p. 158. cujus conditorem, & benefactorem asserit Desiderium, nec verbum quidem facit de hoc Ansprando Abbate ejus filio: quando extra rem suam memorat ejusdem filiam *Ansilbergam* Monialem in S. Juliæ Brixiæ. Nec merè silet Ansprandum, sed hunc prorsus ignorat, dum recitat verba Flammæ *in Chron. minor. tit.* 10. scribentis, quod Desiderius est *natus ex Comitibus Angleriæ, & genuit Bernardum, Aldechisium, & Ghislam*. Nunc, an verè Desiderius alterum saltem filium, præter Adalgisum ex Ansa susceperit, examinandum: nam de spuriis, quis novit? Affirmantium duo sunt genera: alios sponte, ac libenter, ut adularentur: & alios unius antiqui Scriptoris, non observato textu corrupto, ut mox, sua fefellit opinio. Primi generis sunt Galvaneus Flamma, qui fortè antiquior, Corius, aliique nostrates, qui primordia Vicecomitum augustiora facere studuerunt. Ex Pedemontanis *Chronicon Salutiense*, ab Ecclesia, Orengianus, & cæteri à Castillionæo in suis Annotationibus laudati, cum celebri *Fanusio* Campano, Crescentio &c. En veteres testes Desiderianæ sobolis tot sæculis posteriores. Secundi verò generis S. Antoninus *Chron. part.* 2. *tit.* 14. *cap.* 1. §. 6. ubi *Desiderius cum uxore, & filiis comprehenditur*. Paulus Æmilius *Hist. Franc. lib.* 2. & ipse scribens, quod *Longobardus* (Desiderius) *cum uxore, parvisque liberis Leodium Eburonum exilii causa missus, & dissimulanter custodiri jussus*. Sigonius quoque correctioris editionis Bonon. 1580. circa finem lib. 3. firmat, quod Desiderius *se, uxorem, liberos, regiamque in Caroli potestatem permisit*. Etsi hos, aliosque citet adhuc Castillio-

lionæus, non ideò supervacuè eorum hic verba damus, ut cum sint venerandi, & excusandi, non despiciendi, erroris radix innotescat, & evellatur. Radix itaque non alia esse potest, quam locus Anastasii *in Adriano I.* quem sub his verbis recitat V. doctus *Annot.* 13. in fine: *se, uxorem, liberosque Hostis arbitrio committit*. At vera lectio hæc: *Præfatum verò Desiderium Longobardorum Regem, & ejus conjugem secum in Franciam deportavit*. Ita textus noster (C. H. tom. 3. p. 187. A.) in quatuor antiquis Codicibus, invariata lectione, scriptus. Eadem prorsus lectio editionis Parisiensis 1649. pag. 108. ex Codd. Vaticano, Regio-Parisiensi, Thuano, Freheriano, Mazariniano, & Velseriano, in quibus nullibi *τὸ liberosque*. Consentiunt æquales, & viciniores, quorum modò meminimus, Chronographi Franci Continuator Pauli Diac. A. 774. (C. H. tom. 1. part. 2. p. 183.) ubi: *Præfatum verò Desiderium, & ejus conjugem ad Franciam misit*. Eginhardus in V. Caroli cap. 6. sub finem: *Rex Desiderius perpetuò exilio deportatus, & filius ejus Adalgisus Italia pulsus*. Ado Vienn. *Æt. 6. p.* 505. *Papiam cepit cum Rege Desiderio, uxorem* (NB) *ac filiam ejus, thesaurumque illius sibi, suisque tulit*. Chronographus certissimè æqualis Carolo M. scribens ab An. 741. ad 814. quo usus est Regino, apud Henr. Canisium *Antiq. lection. tom. 3. p.* 190. *Revertente D. Carolo Rege à Roma, & iterum ad Papiam pervenit: ipsam Civitatem cepit, & Desiderium Regem cum uxore* (NB) *& filia, & cum omni thesauro palatii ejus*. Is idem, qui editus à Duchesnio *tom. 2. p.* 24. etsi incipiat in recto: *Revertens verò D. Carolus Rex* &c. ut supra. Annalista Fuldensis A. 774. Carolus *in Franciam regreditur, ducens secum Desiderium cum conjuge ejus*. Et ibi laudati in margine a Struvio: quibus addendus Monachus Egolismensis A. 774. Annalista Metensis: *trusoque in exilium Desiderio Rege, uxore* (NB) *& filia*. Item Bertinianus noster (C. H. tom. 2.) *& ipsam Civitatem cepit cum Desiderio Rege, & uxore* (NB) *& filia*. Anselmus Leodiensis Canonicus A. 1050. *de Gest. Pontif. Traject. & Leodiens. cap.* 23. „ Præfatum Regem, „ & ejus conjugem secum in Franciam deportavit .... „ apud Leodium misit. „ Monachus S. Eparchii *Vitæ Caroli M. p.* 48. *Papiam obsedit, & fortiter cepit, & Desiderium Regem cum uxore* (NB) *& filia, & cum omnibus thesauris palatii ejus accepit*. Sigebertus A. 774. *Desiderius Rex, cum uxore* (NB) *& filia, & cunctis Principibus capitur, & perpetuo exilio ad Gallias à Gilfredo Leodicensium Episcopo dirigitur*. Martinus Polonus sub A. 780. (corrig. 774.) *Cepit Desiderium Regem, & uxorem ejus, quos captivos duxit in Franciam*. Et en harmonicus octonis vocibus Scriptorum concentus, qui omnes in filio, altero ab Adalgiso, pausantes: *Filium* plerique cantant, non *filium*. Clamorem tantum Castillionæus audire debebat, cum ferè omnes ætate sua (A. 1653. quo editum Italiæ Regnum Thesauri) essent vulgati, & ab ipso in Annotationibus suis creberrimè laudentur. Se ipsum prodit, dissimulare nescius *Annot.* 24. ex Annal. Francor. tom. 2. quod *Rex Desiderius, & Ansa uxor ejus pariter exiliati sunt*: (& ubi liberi?) *& Desiderius in vigiliis, & jejuniis, & multis bonis operibus permansit usque ad diem obitus sui*. Et hic, etsi obiter, notabile est, quod Chronographus Novaliciensis *lib. 3. cap.* 14. scribit, quod *erat Desiderius valde humilis, & bonus* (ante captivitatem) *Tradunt verò nonnulli, quod cum idem Desiderius quotidie media nocte surrexisset, & veniret ad Ecclesiam S. Michaelis* (Papiæ) *vel S. Syri, seu per cæteras Basilicas aperiebantur statim Regiæ* (idest Portæ, ut apud Dufren. *in Regiæ*) *divinitus ante suum conspectum*. Fides sit apud ipsum, cum sæpissimè scribat ineptias, ut etiam sunt, quæ subnectit de filia Desiderii. Redeat V. doctus, qui surdum egit cum Livio nostro Calcho, qui scribit p. 96. ductum *Desiderium cum uxore* (NB) *filia, & thesauris captivum in Gallias*. E contra libenter audivit, post Flammam, Merulam *Antiq. Vicecom. p.* 15. qui pro re sua dixit, quod *Desiderius cum uxore, & filiis in Gallias relegatur*. Qui citra voluntatem a vero aberrarunt, hallucinati sunt, vel conspiciendo corruptum Anastasii locum, vel sumendo pro filiis Desiderii Nepotes, Carolimanni filios ex Berta, æquè captos Veronæ, cum Matre, & in Galliam relegatos. Miramur, Castillionæum adeo solicitum de confecta Desiderii sobole, incuriosum neglexisse ejus *Patrem, & Fratres*, ut ejus privatam tegeret conditionem, & avitum è contra Principatum jactaret. Ejus itaque Pater *Verissimus*, ejusque filii, & Desiderii fratres *Arichis* Clericus, & *Domnolo*, dum hos Avunculos suos, & illum Avum suum bis appellat Adelgisius in sua charta pro Monialibus Benedictinis S. Juliæ Brixiæ A. 766. in Bullar. Casin. *t. 2. const. 12. p.* 10. quam chartam facilè Castillionæus ejusdem ordinis alumnus novisse poterat adhuc ante Bullarii editionem. Ex eadem charta prænominatos, & Desiderium Cives Brixienses fuisse non temerè conjicimus, quoniam illuc eorum patrimonium cognoscimus positum. Neque, fuisse Lucensem, satis probat Fr. M. Florentinus *Memoriar. Matbildis* l. 3. p. 11. potuit enim esse Dux Tusciæ, Lucæ sedens, & Brixiæ natus, & argumentum de crucibus facilè exsolvitur. Ex Cive privato Comes Stabuli Aistulfi Regis evasit A. 750. ex Aimoino *l. 4. c. 63.* exeunte: & ab eodem Aistulfo Dux Tusciæ dictus ex Anastasio *in Stephano III.* A. 755. nam A. 754. Dux Tusciæ erat *Alpertus* ex charta visa, & relata à laud. Florentino dicta p. 11. Tandem Rex dictus A. 756. annuentibus eodem Pontifice, & Pippino Rege ex Continuatore Fredegarii *cap. 122. col.* 692. etsi Florentinus *l. l.* solum dicat, *favore Langobardorum Tuscorum*. De filiis, cum iidem prisci Scriptores inter suppositos filios Desiderii nunquam dixerint *Bernardum*, sive *Ansprandum* filium, minus à Ludovico Pio libertate donatum, centum & amplius annos vixisse, sex filios hactenus incompertos, habuisse, quos inter *Guidonem*, & hunc *Anscarii* Patrem, nostratium sunt figmenta, Thesauri, & Castillionæi fimo lætificata, dum Tuscis, & Viterbiensibus similes, super basi adeo infirma, & fallaci, Marchiones Eporediæ, & Angleriæ Comites moliri, & ad ipsos Gentis cæterùm inclytæ, & Insubrum imperio præclaræ, quod satis, originem tanto conatu referre attentarunt. Displicet nobis tandem, quod ætate nostra, excitatis his Eporediæ commentis, ansam impostores acceperint, novas Desiderianæ propaginis fabulas comminiscendi. Hier. Biffius in collectione diplomatum *Familiæ Vicecomitum* A. 1671. & Abbas Aresius 1674. post *Seriem Abbat. S. Ambrosii*, ambo bona fide, vulgarunt *Testamentum Attonis* Episcopi Vercellensis, contentum in quadam Synodo celebrata sub Arderico Archiepiscopo A. 945. meritò, sed parcè, à Cl. Muratorio *Anecd. t. 1. Append. c. ult.* rejecta: æquo plus, ideo infeliciter, propugnata à P. Eustachio à S. Ubaldo *de Metropoli Mediol. à n.* 257. Cum uterque tantùm hic agat de veteri subjectione unius Episcopi Metropolitæ nostro, Cl. Saxius vindicans *Possess. SS. Gerv. & Prot.* dum ejusdem meminit sub *num.* 30. neutralem se prodit. Sed infra pluries, & in *Appendice* quid de Attonis testamento sit judicandum, doctissimè fabulas Comitum Angleriæ demoliens, indirectè nos docet. Missis tot aliis absurdis contra Historiam, & Chronologiam, præter jam notata, nos solum in illo ad rem præsentem pauca hæc verba apud Biffium p. 30. & Aresium p. 38. observamus, dum instituit legata pro animabus *D. Desiderii Regis, ac Ducis Ermenulfi ejus Patris: & Asprandi, & Eberardi ejus fratris Avavi mei*, & infra: *Vidonis Comitis, qui fuit Patruus meus, & Attonis* (*qui & Anscarius*) *qui fuit Marchio, ejus filii ..... & Aldigerii, alias Ermenulfi Patris mei* &c. Post plures lineas: *Comitissæ Felindæ Aviæ meæ ..... Rotelindæ Proaviæ meæ* &c. sequuntur legata relicta *Abbatissæ Monasterii S. Mariæ Majoris ..... Bertradæ Fratruæ suæ*. Ex his personis contexuit bonus Im-hof suum *Stemma Desiderianum*. Sanè pulcrum Historiæ suæ Geneologicæ exordium. *Ab ungue leonem*. Hæc nomina ferè omnia, sed præsertim fœminea, fuisse excogitata, partim desumpta ex Thesauro, & Annotatore Castillionæo, & dolosa interpolatione inserta dicto Testamento post dimidium sæculi elapsi, pro certo sciant, qui ignorant: ac notionem præsentem, nondum, quod sciamus, vulgatam non dedignentur accipere. Dum Cl. Muratorius laudato loco Synodum illam expungit, cujus in sinu Testamentum extat, pluribus rectè oppositis, profert, quod *ea sunt, quæ Puricellum monuere, ne inter Ambrosianæ Basilicæ monumenta præclarissimum istud* (*si verum foret*) *documentum referret*. Equidem præclarissimum, si verum foret, nam ad evidentiam comprobaret Stemma Desiderianum quam certissimum. Constaret, hunc Attonem *de Vicecomitibus*, quando Ferrerius, Corbellinus, Cusanus de eo *in Episcop. Vercell.* de *Advocatis* Vercellensibus illum nominant, & ita Rossottus in *Syllabo Scripp.* p. 86. *Atbo Avogadrus*. Sed neuter, cognominibus tunc nondum inductis. Schismaticus dicitur à Corbellino. Constaret, Angleriæ fuisse Condominum, dum ait: *Lego Palatium meum Stazonæ cum annexis D. Archiepiscopo* &c. & patrimonium habuisse in Marcha Eporediæ *in Valle Augustæ*, aliasque possedisse amplas valles de quibus disponit. Hæc transeant, nam verbis verba oporteret reponere. Respondet Cl. Muratorio P. Eustachius *l. l. n.* 267. Puricellum non vidisse omnia documenta Cisterciensis archivi, nec cuncta producere in lucem intendisse. Quod si Puricellus hujus non meminit, meminere Aresius, & longè ante ipsum Calchus. Calchum non semel supra appellavit. Accedat Calchus. Is revera p. 115. refert hoc Testamentum his verbis: *A. 15. Imperii Lotharii Augusti* 941. *& regnante utique Hugone Patre*. (Transeat Lotharius Augustus, simplices enim Reges assentatoriè sic dictos non ignoramus ex Flamma ap. Puricell. *Basil. Ambr. n.* 162. Sed in exem-

plo

Digitized by Google

plo Arefii, quo utitur P. Euftachius habetur: *Regnantibus D. Hugone, & D.Hlotbario Regibus* 20. 15. *A.* 945.) *Atto Epifcopus Vercellenfis prædia alia Ecclefiæ fuæ Mediolanenfi autem duas valles Leventinam, & Blenniam* (in exemplo Arefii: *quatuor valles Belleniam, Leventinam, Biafcam, & Intrafcam*) *Eugenium Pontificem, & Lotbarium Imperatorem præfentes rogat*, ut &c. (in Arefii dicitur *Marinus* Papa.) Subfcripfere huic tabulæ 24. Epifcopi, & *Berengarius Marchio, & Guido Comes Palatii* (in Arefii nec quidem hæc nomina: fed horum loco *Rogerius* Legatus Marini Papæ: & *Hugo Comes* Legatus Regum.) Hæc fumma Verborum Calchi, & Tabulæ, feu Teftamenti Attonis, contrapofita lectione, ut in exemplo Arefii. Sed P. Euftachius diffimulat, quæ fubjicit Calchus, quo licèt probetur ætate fua extitiffe hoc Teftamentum, probatur adhuc, Calcho fuiffe fufpectum, fubnectit enim: *Qua ex re duo rurfus, fcribentium difcordiæ opponenda, colligimus*: (Si exemplum Arefii vidiffet, non duo, fed centum oppofuiffet.) *Primum* (inquit) *quindecim annos Imperio Lotbarii attributos, cui quidam* 8. *tantum alii* 12. *ad fummum adfcribunt.* (Pace Doctiffimi Viri, 20. ab A. 930. ad 50.) *Alterum, quod fub hoc Lotbario Hugonis filio memoratur Eugenius Pontifex, quem illi in Lotbarium Ludovici* (Pii) *referunt*. (Planè Hugone, & Lothario regnantibus nullus *Eugenius*: fed neque Lothario imperante, nam Eugenius II. fuit fub Ludovico Pio ab A. 824. ad 27.) *Cæterùm rem in curte Marenca actam traditur*. (Et in exemplo Arefii: *Actum in Bafilica S. Ambrofii* &c.) Calchum, exemplaque bina Biffii, ac Arefii vidit P. Euftachius, ut fatetur fub numm. 259. & 60. & tantam diverfitatem minimè putat, culpam in amanuenfem retorquet, hæretem Calchum, etfi non exactè diffimulat? Aperiatur arcanum, actaque Puricelli, cui non fuit ignotum, ut cenfet, teftamentum hoc, revelentur. Adiiffe Bibliothecam Ambrofianam, indagaffe fi quid in ea, quod potuiffet huic teftamento fidem augere, nil reperiffe narrat idem P. Euftachius d. n.259. Ejus & omnium oculos, & diligentiam effugit *Codex* ibi exiftens *fol. lit.S.*89. cui infertum exemplum hujus teftamenti, in quo nihil penitus de Defiderio, cæterifque ejus defcendentibus prænominatis mafculis, vel fœminis: nihil de Monafterio, vel Abbatiffa S. Mariæ Majoris, quæ certiffimè dolosè adjecta fuere in exemplis Biffii, & Arefii. Magna etiam diverfitas in cæteris, præfertim in Epifcoporum nominibus, & in notis initialibus. Abeft ille *Epifcopus*, de quo laudati Viri differebant. Adhuc exempla Biffii, & Arefii auctiora dimidio plus in verbis Ambrofiano. Hoc porrò Ambrofianum exemplum tranfumptum eft ex vetuftiori exemplo membranaceo affervato in archivo Metropolitanæ, quod cum noviffet Puricellus die 5. Februarii A. 1644. fibi fociis adjunctis Philippo Maria Vicecomite Metropolitanæ Ordinario, & Defendente Laudenfi rerum antiquarum fuæ Patriæ docto Scriptore, utrumque exemplar Metropolitanæ, & Ambrofianæ contulit; & fua manu nonnullis in Metropolitanæ exemplo annotatis, & emendatis, etiam expoft eadem annotavit, fubjecto fuo, & focii Laudenfis judicio. Vidit ergo Puricellus extra Ciftercienfe archivum hoc teftamentum: vidit abfurda, *quæ ipfum monuere, ne inter Ambrofianæ Bafilicæ monumenta* (edita poftériori Anno 1645.) *referret*. Non vidit illud, quo ufi funt Biffius, & Arefius, planè autographum, quia ex veteri à Calcho relato, & ex fabulis à Thefauro, & Caftillionæo inftauratis, fœdiffimè compactum, & contra fidem Hiftoricam, Chronicam, & Geneologicam hæretibus refertum: pluribus fanè de caufis, fed maximè, ut Comitum Angleriæ confirmarentur fabulæ à fæculo XIV.primò adinventæ, ideft, medio tempore inter Stephanardum de Vicomercato, & Galvaneum Flammam, quo antiquior, quod fciamus, non extat, etfi antiquiora documenta, ut Chronica Danielis, fingantur. Conjectare fic licet, quia Stephanardus obiit fæculo XIII. inclinante, ut monet Cl. Muratorius *Anecd. t.* 3. in præmiffis. Sui Poematis Heros eft Archiepifcopus Otto Vicecomes, de cujus Comitatu Angleriæ nil canit. Laudis argumentum à Liguribus fumit *lib.* 2. *v.* 36.

..... *Ligures hæc quam tenuere Coloni*
Urbs antiqua fuit . . . . . .

non aliud. Cur non ab ejus Comitibus, faltem dicendo:

..... *Comites hæc quam tenuere priores?*

Imo ejus ætate non Angleria, fed Arona fedes erat Præfecti oris Verbani jufdicentis, ut fupra v. 28. de Arona.

..... *Ceu fedes illis quæ præminet oris.*

De utraque in Chorographia. Scribente Flamma circa A. 1330. Anguis Angleriæ enatus & altus: jus, ratio, fas, rectum poftulant, ut apud Infubres etiam mactetur, & corruat.

SECTIO XII.

(47) Alpes Italiam ambientes quæ: Cur nihil trans ipfas, & in ipfis notatum: An Regnum Liutprandi ufque Arelate prolatum, juxta Erchempertum: Pauli D. locus de Bajoariis expenfus. (48) Neque Duces Langobardi, ftante Interregno, Provinciam occuparunt: Quinam Flavii Reges Galliam Narbonenfem poffederint: Acta S. Ægidii vindicata: *Zellia* Regiuncula ubi, & cur abfit à tabula noftra. (49) Patrimonium S. Petri à Langobardis reftitutum, ubi locatum: Cujus effet naturæ: Patrimonia Ecclefiæ ubiq; gentium ab ævo Conftantini Magni. Quid Curtes: (50) Patrimonium Imperatorũ res privata: In quo confifteret: quomodo auctum, & Ecclefiæ donatum: Cottianum à quo ereptum: Verè reftitutum, non donatum ab Ariperto: Sed à Conftantino M. (51) Octo monita pro coronide. I. De Septimania, Gothia, Saboja, & Rhaufio in tabula fcriptis. II. De Sardinia, & Corfica vacuis. III. De nominibus locorum deperditis. IV. De clararum Urbium mentione. V. De Monafteriis medio ævo conftructis. VI. De Villis Regiis, & Palatiis. VII. De charactere locis appofito. VIII. De præmonitis alias recolendis.

(47) Sit ὦmega, & alpha hæc XII. fectio, in qua prolegomena abfolvenda, & Chorographia inchoanda: inficiali tamen modo, quippe non quæ dicenda funt, fed quæ omittenda, & quare, hic oportet expromere. Mos eft Geographorum, etfi tabulas Chorographicas tantùm efforment, confinium Regionum partem faltim apponere, ut Italiæ partem Galliæ, Helvetiæ, & Germaniæ. Nunc contra morem à nobis Alpes dumtaxat in occiduis, & borealibus Italiæ noftræ finibus delineantur, nudatæ adhuc, omnique loco prorfus expertes: *Maritimæ* fcilicet, à mari ad M. Vefulum: *Cottiæ* (Coctianæ Tacito *Hift.* 4. p.559.) à M. Vefulo ad Cenifium: *Grajæ*, quafi Græcæ, à M. Cenifio ad Penninas (five M. Jovis: magnus S. Bernardus) *Penninæ* inter fummum Penninum, & Adulam (M.S.Gothardi) unde Rhodanus, Rhenus, Ticinus, & Arula flumina egrediuntur: *Rhæticæ* (al. Trident.) à M.Adula ad fontem Dravi fluminis: *Noricæ* (fi diftinguendæ à Rhæticis) à fonte Dravi fluminis ad fontem Natifonis: *Carnicæ* à fonte Natifonis ad fontes Nauporti, Formionis, five ad M. Ocram: *Juliæ* tandem à fontibus Formionis, & Nauporti ad fontem amnis Frigidi: à Cæfare *Juliæ* dictæ, qui per eas iter habuit, viamque cœpit, & Auguftus abfolvit: *Pannonicæ* Tacito *Hift.* 3. ineunte eædem ac Juliæ: nemo hæc ignorat, raptim ideo de his, & quàm parcè, fed fatis, ut intelligamus ineptam Alpium defcriptionem Anonymi Rav. p. 226. num. 27. Inquit: „ Completur autem prædicta Italia habens fines ab ipfo „ latere excellos montes, quos quidam *Titanos* dicunt, „ qui pertingunt mare Gallicum non longe à prædicta „ Civitate *Vigintimillia*. Qui montes dividunt inter „ Provinciam, & Italiam: inter *Janos*, & Italiam: „ inter *Ranicos*, quæ modò ab *Aunariis* dominatur, & „ Italiam: inter *Carontanos*, & Italiam: inter patriam „ Carnium, & Italiam: quæ juga *Carnium* ab antiquitus „ Alpis Julia. Qui montes finientes ipfam Italiam de„ fcendunt ex parte ad mare Adriaticum, non longe à „ Civitate Tarfatico Provinciæ Liburniæ, in loco, qui „ dicitur *Phanas*. „ Nil refert hic interpretari corruptiffima nomina adhuc Porcherono ignota *Janos*: *Ranicos*: *Aunarios*, & *Phanas*. Ab occafu itaque, & borea noftram circumfepiunt Italiam Alpes omnes, ipfam à Gallia, & Germania difterminantes. Cur illas poftea nudas ita fcribamus, ea eft ratio, quod nihil Langobardos in illis, minus adhuc trans illas poffediffe, cognovimus: excepto parvo tractu in Pannonia trans Savum amnem, ut numero 48. exeunte, explicabimus. Alibi, fi quas occupaffent, illas maximè viciniores Italiæ, & huic quondam tributas, hoc eft Alpes Cottias, & Rhætias. Sed hæ jam Imperio à Gothis ereptæ, Francis exinde fæculo VI. finè regreffu cefferant: cum earum potiri vel neglexerint, vel non potuerint Langobardi, ut prædiximus *num.* 8. Non (iterum hic dicimus) trans Alpes Maritimas, & Cottias, puta in Provincia, Sabaudia, vel Burgundia conterminis, tenuerunt unquam imperium Nec nos terret fumma *Erchemperti* auctoritas, five *Romani Pontificalis*, ex quo defcriptionem de poftremis quinque Regibus Erchempertum excerpfiffe, fuæque hiftoriæ præfixiffe Peregrinius affirmat (C. H. t. 5. p. 15.) Sic ergo etiam juxta Caracciolum fuam exorditur hiftoriam Erchempertus: „ Luitprandus Rex XVI. cum per „ 32. annos feliciter regnaret in Italia, inter cætera, „ quæ geffit magnifica, etiam omnes Urbes, & Oppida „ juxta maris ora Tyrrheni fita a Tufcia, *& ufque ad* „ *Arelatenfem Urbem prœliis cepit, & fuo Regno copu*„ *lavit*. „ Verùm vel hoc exordium non eft Erchemperti, vel Regum Langobardorum res ignoravit, ficut

&

Digitized by Google

& infra decipitur in annis Regni Rachisii. Nullibi in Pontificali Romano extat quod scribit. Non Liutprandus, sed Rotharis Liguriæ est potitus, ut infra. Modò de Arelate, & Provincia. Innumera possemus Erchemperto opponere, hinc profundum Scriptorum omnium sæculi VIII. silentium: inde ex adverso ipsorum consensum, dum scribunt Romanis ereptam Narbonensem, & Provinciam à Gothis: Gothos verò, etiam Italiæ, eam diu tenuisse, ut nec Magnus Clodoveus A. 510. (aliis A. 508.) Arelatem expugnare potuerit, quod constat ex Theodorici Amali apud Cassiodorum *Epp.* 32. *&* 44. *l.* 3. & præsertim ex *l.* 8. *ep.* 10. Athalarici, in qua Arelatensis obsidio Francorum recolitur. Sed rebus Gothorum inclinantibus, A. 549. *Gothi tota Galliæ parte sibi subdita Germanis cesserant* (ait Procopius 3. 33.) *illis, ac Romanis resistere se simul non posse, rati. Quod, ue fieret, adeò non impedire Romani non potuerunt, ut Justinianus Augustus id confirmaverit, ne ab his Barbaris, si hostiles animos induerent, turbaretur. Nec verò Franci Galliarum possessionem sibi certam, ac stabilem fore putabant, nisi illam Imperator suis literis comprobavisset.* Pergit Procopius, ostendendo præsertim Massiliam, & Arelate factas juris Francorum. Hanc expost Francis ereptam nondum legimus. Et utique sæculo VII. ad Regnum Neustriæ spectabat, cum ex Beda *Hist. Eccles.* 4. 1. colligatur, Arelatem A. 668. obnoxiam fuisse nutibus *Ebroini Majoris Domus Regiæ*: & ut ex Dufren. in *Serie Majorum Domus Neustriæ* sub Chlotario Chlodovei filio. Sæculo VIII quo Liutprandus regnavit, Saraceni, Hispania occupata, non semel in Narbonensem irruperant, ut narrat præ cæteris Anastasius *in Gregorio II.* Urbes cepere, præsertim Narbonam, non Arelatem, vastato tamen ejus agro. Impetum ipsorum quidem repressit celeberrima illa clades, in qua occisi 375000. ut prodit Paulus Diac. 6. 46. eodem Anastasio annuente, sed nondum satis, dum audaciores etiam Arelatem obsidere sunt ausi, A. 739. Non Langobardorum, sed Francorum juris tunc fuisse Arelatem testatur Continuator Fredegarii in I. *Appendice n.* 109. *p.* 677. *A.* 733. qui postquam dixerat Carolum Martellum movisse suum exercitum Burgundiam versus; & varios Præfectos suum in obsequium adegisse, subnectit, quod *usque Massiliensem Urbem, vel Arelatum suis judicibus constituit.* Audiatur modò Paulus Diac. 6. 54. testis de visu, qui minima quæque sui Liutprandi describens, certissimè, si usque ad Rhodanum protulisset Liutprandus imperium, non siluisset, nec ita scripsisset: „ Iteratò Sarraceni Gallorum fines ingressi usque ad Provinciam venerunt, *& capta Arelate* omnia circumquaque demoliti sunt: *Tunc Karolus* (Martellus) „ *Legatos cum muneribus ad Liudprandum* Regem mittens, *ab eo contra Sarracenos* auxilium poposcit. *Qui* „ nihil moratus cum omni Langobardorum exercitu *in* „ *ejus adjutorium* properavit: quo comperto gens Sarracenorum mox ab illis Regionibus aufugit. Liudprandus verò cum omni suo exercitu ad Italiam rediit. „ Egregium hoc facinus cælatum legitur in ejus Epitaphio apud Scripp. Ticin. Baronium, Sigonium A. 743. & alios, vers. 7.

. . . . . *Deinceps tremuere feroces*
Usque Saraceni, quos dispulit impiger, ipso,
Cum premerent Gallos, Carolo poscente juvari.

Res adeò est perspicua, quod superfluum foret quid addere; satis enim liquet, Erchempertum, loco & tempore à Liutprando remotum, fines ejus Regni ignorasse. Sed quid respondendum Paulo 6. 58. in fine scribenti, quod Liutprandus *initio Regni sui Bajoariorum plurima castra cepit?* Sanè primo sub aspectu vel Paulum mentiri, vel acharistiæ crimine Regem suum insimulare: utrumque periculosum, & arduum. Nam ipse Paulus 6. 21. refert, Ansprandum ejus Patrem (quem Aripertus insectabatur) exulem, & profugum se recepisse *apud Theudebertum Bojoariorum Ducem*, & apud hunc stetisse per 9. annos; Liutprandum item (ex *cap.* 22.) è custodia egressum, *ad Patrem suum in Bajoariam profectum*: donec Ansprandus (ut cap. 35.) cum *exercitu Bajoariorum venit in Italiam, & pugnavit cum Ariperto: Regnum obtinuit* (NB obiter titulum c. 35., & textum inter se pugnare.) Tandem c. 43. Liutprandus *Guntrudam filiam Bajoariorum Ducis, apud quem exularat, in matrimonium duxit.* Quomodo hæc? Tot post accepta beneficia à Bajoariis, castra eorum capit? Ita ingratus Liutprandus, vel mendax Paulus? Neutrum: & ut id ostendamus, quod valde nos torquet, quatuor, ut lumen prodeat à lumine, omninò præmittere est necesse: I. *Bajoariam* medio ævo (quia occupata à Bojis) nunc *Bavariam*, antiquitùs *Vindeliciam* fuisse vocatam. Hanc Italiæ Gothi sub Theoderico tenuerunt: post transiit ad Francos A. 549. ut dictum fuit n. 8. & mox supra repetitum. Tunc accesserat Regno Austrasiæ descripto n. 35. & in Ducatum erecta A. 556. eique præfecto primo Duce Garibaldo, ut ostendit Pagius sub hoc A. à num. 15. valde eruditè suo more; silere tamen non debebat, quod ubi omnes Francorum Duces, Comites, & Præfecti Regum ad nutum tantùm erant beneficiarii, non perpetui, ut n. 37 prædiximus Bajoariæ Duces dumtaxat ex speciali privilegio erant hæreditarii ex gente Agiolofingica, ut ex *lege Baivar.* in Codice Lindenbrogiano *tit.* 2. *c.* 20. *n.* 3. ubi dicitur, quod *Dux qui præest in populo, ille semper de genere Agilolfingorum fuit, & debet esse: quia sic Reges antecessores nostri concesserunt eis, ut qui de genere illorum fidelis Regi erat, & prudens, ipsum constituerent Ducem* (ideo perperam Regem dictum) *ad regendum populum illum.* II. sicut antiquitus promiscuæ erant res Vindelicorum, & Rhætorum, ita & posteriori tempore, ut post Tschudum *de Rhætia cap.* 9. breviùs dixit & Cellarius *Orb. antiq.* p. 517. Lipsiæ, scribens, quod cum *Vindelica non fuerit Provincia singularis, sed cum Rhætia semper conjuncta, factum est, ut omnis tractus, qui inter lacum Brigantinum, Danubium, Ænum, Carnos, Venetos, & Insubres est, sæpe numero Rhætia diceretur, ut tamen in ipsa Provincia populi separati, & Rhæti, & Vindelici manerent.* III. Cum Vindelici, & Rhæti ab austro Italiam respicerent, ut satis clarum ex tabulis, & præsertim ex Strabone *lib.* 4. *p.* 412. ubi: *universa deinceps montana pars in orientem, & in austrum vergens à Rhætis, Vindelicisque tenetur*, sive juxta versionem Cellarii p. 516. Vindelici *subalpina & exteriora Alpium possident*, nil facilius quod iidem Vindelici, sive Bajoarii in Insubribus, & in Venetia aliqua loca tenerent medio ævo cis Alpes, sive ad ipsarum radices, sicut tenent adhuc hodie Helvetii, & Rhæti, qui ætate Strabonis l. l. *ad Italiam usque pertinent, quæ supra Veronam, & Comum est*: & infra lib. 7. p. 585. *Rhæti, verò & Norici* (qui partem Bavariæ complectuntur) *usque ad Alpium summa tenent, & Italiam versus inclinant, hinc Insubribus, inde Cranis propinqui, & Aquilejæ tractui.* Adhuc sub Langobardorum ævo Bajoariam conterminam fuisse Italiæ, clarè docet Paulus 3. 31. ita scribens: *Noricorum siquidem Provincia, quam Bajoariorum populus inhabitabat, habet ab oriente Pannoniam: ab occidente Suviam, à meridie Italiam: ab aquilonis verò parte Danubii fluenta.* IV. Decennio ante inaugurationem Liutprandi Dux Bajoariæ erat. *Thodo* II. jam senex, qui A. 702. amplum Ducatum divisit in quatuor partes, quarum una sibi retenta, alias tres tribus filiis *Theodeberto* natu maiori, *Theudebaldo*, & *Grimoaldo* assignavit, ut prodit Pagius sub d. A. n. 8. ex Aribone Episcopo Frisingensi in V.S. Corbiniani prædecessoris sui: ubi notandum, *Theodeberto* obvenisse portionem remotiorem ab Italia ad Danubium, ubi Ænum recipit, ut probat laudatus Pagius. Cui obvenerit portio Italiæ proximior, non innuit. Obscurissima res nunc clarescit. Dux Bajoariæ beneficus in Ansprandum, & Liutprandum fuit *Theodebertus*, cujus castra nec cepit, nec capere potuisset Liutprandus, quia illius portio remotior, illius Gener, & beneficiarius. Non ergo ingratus Liutprandus, ut suspicabamur. Si verò alteri Duci (cum essent quatuor) tenenti loca cis Alpes ad Italiam spectantia Liutprandus illa ademit, ut fert jus Imperii, ipse viderit. Porrò Paulus non dicit ea loca sita fuisse in Bajoaria, sed fuisse *Bajoariorum*, quorum esse poterant adhuc extra fines Bajoariæ, ut prænotavimus: sicut modo Helvetii, & Rhæti loca tenent cis Alpes extra fines Helvetiæ, & Rhætiæ, prout propriò dicuntur. Certum est partem Bajoariæ proximam, & conterminam fuisse Marchæ Tridentinæ, ex Annalista Fuldensi A. 788. bis supra laudato, ubi dicit *Avares in Marcha Bajoariæ, & Italiæ*, hoc est, Tridenti, fuisse fugatos. Hinc Dux hujus portionis Bajoariæ, vel ejus prædecessores loca spectantia ad hunc Ducatum fortè occupaverint, eaque Liutprandus receperit. Paulus loca non indicat, mendax ideo nequit dici, neque systemati nostro contrarius.

(48) Minus obstant, quas narrant, Greg. Turonensis *Hist. lib.* 4. *capp.* 36. 7. & 9. & Paulus *l.* 3. *à c.* 1. ad 8. crebræ irruptiones Ducum Langobardorum, stante Interregno, in Provinciam; licèt enim Gallias invaserint, Urbes obsederint, agrosque diripuerint, vastaverint, nulla tamen arce capta, vel munita, sedem nunquam illuc locasse legimus, sed illos semper cum prædis in Italiam reversos. Quamobrem absit omninò à mente cujusvis etiam indocti cogitatio quævis adhuc levissima, vel illos primos Duces, vel restitutos ipsorum Reges, quid possedisse in Galliis, quia legimus in Vita Johannis VIII. p. 269. a. (C. H. t. 3.) quod in Galliam se contulerit pro juribus S. Petri vindicandis: dum *in finibus Gothiæ* (idest Septimaniæ, sive Narbonensis) *in Valle Flaviana, quam Vallem Flavius quidam Rex B. Ægidio donavit: & S. Ægidius exinde donationem integraliter Romanæ Ecclesiæ, & Domno Papæ Benedicto* (I.) *fecerat*, Hinc, cum hæc certissima sint, licèt Mabillonio (*Annal. O. S. B. t.* 1. *p.* 99. *A.* 542.) Acta Sancti Ægidii, præsertim in hac parte, su-

Digitized by Google

subleſtæ fidei videantur: inde indubitabile quoque ſit, nullum unquam Francorum Regem nomine, vel prænomine *Flavium* fuiſſe appellatum: utique Reges Langobardos, ſcribente Paulo 3. 16. quod Duces Langobardi Autharim Regno reſtitutum *ob dignitatem* Flavium *appellaverunt: quo prænomine omnes, qui poſtea fuerunt Langobardorum Reges feliciter uſi ſunt*: nemo tamen, iterum monemus, Langobardos in Galliis imperium habuiſſe unquam, temerè putet. Indubitatum igitur eſt, Monaſterium S. Ægidii in Valle Flaviana fuiſſe conditum, cum utriuſque conjunctim mentio habeatur in Notitia Aquiſgranenſi Ludovici Pii A. 817. apud Duchesn. *t.* 3. *p.* 324. ubi *in Septimania Monaſterium S. Ægidii in Valle Flaviana*, & apud Dacherium *Spicil. t. 6. à p.* 19. extet donatio terræ S. Ægidii *in Valle Flaviana* facta à Raimundo Comite Toloſano A. 1096. & p. 21. confirmatio Urbani II. ex qua cognoſcitur, hanc Abbatiam fuiſſe S. Rom. Eccleſiæ immediatè ſubjectam. Situm hujus Vallis non indicatum à Mabillonio, ſi mea memoria non fallit, indicat P. de Marca *Marca Hiſpan. l.* 1. *c.* 16. §. 7. dum ibi recitans laudatam notitiam Aquiſgranenſem, ſubjicit *Monaſterium Valle Aſperii*, cujus ſitum innuerat ſupra *c.* 2. §. 4. ut credamus utramque Vallem eſſe in agro Perpiniani (quod nunc caput Comitatus Ruſcinonenſis in Narbonenſi) in latere auſtrali ad radices montium, qui in tabulis Chorographicis Hiſpaniæ, & Galliæ deſcribuntur. Vallem porrò fuiſſe dictam ab aliquo Rege prænomine *Flavio* non obſtat: non tamen à Rege Flavio Langobardico, quoniam hi Reges, ex Paulo, vocari cœperunt ab Autharis inauguratione poſt Ducalem Oligarchiam A. 585. quo tempore jam ſecuta donatio, & jam ad Cœlos migraverat S. Ægidius, qui ſub Clodoveo M. & S. Cæſareo Epiſcopo Arelatenſi vivebat, ut apud Baronium *in notis Martyr.* 27. Aug. & 1. Sept. & hæc quantum par eſt pro re noſtra. Ne tamen reliqua obſcura remaneant, obiter ſubjicimus, Regem Flavium, de quo in actis, fuiſſe Gothum, Gothos autem & poſſediſſe Narbonenſem Galliam jam vidimus, & *Flavios* fuiſſe dictos cognoſcimus, ex Legibus Gothico-hiſpanicis in Cod. Lindenbrogii, ubi inter Leges VViſigothorum *lib.* 4. *tit.* 5. *c.* 6. initialiter legitur *Flavius glorioſus VVamba Rex*. Denuo cap. ſeq. *Flavius glorioſus Gamba Rex*. Item *lib.* 6. *tit.* 3. *c.* 2. *Flavius glorioſus VVitiza Rex*. Sic & alibi, ſed non ſemper, plures enim prænomine Flavii deſtitutos adhuc legimus. Gothos porrò imitati ſunt Langobardi, & non *Flavium Veſpaſianum*, ut putant Scripp. Ticinenſes. His fidem adjungens Mabillonius *l. l. n.* 27. ſed in parte nutans, hæc ſcribit: „ A Flavii Gothorum Regis venatoribus (S. Ægidius) deprehenſus fuit. Idemque poſtea Flavio „ auctor fuit condendi Cœnobii, quod ipſe rexit. Di„ cebantur quidem *Flavii omnes Gothorum Reges*: ſed „ cum omnes Arianæ Sectæ addicti fuerint, quis putet, „ *Amalaricum*, qui tempore Cæſarei *Septimaniam* obti„ nuit, aut quemvis alium de condendo Monaſterio co„ gitaſſe? ..... ex his colligitur, *quam intricata ſint*, „ *& nullius penè momenti hæc acta*. „ At pace Viri maximi hæc ratio nobis non tanta videtur, ut ideò infirmari poſſint hæc acta. Etenim non pauca ſunt exempla Arianorum, qui, Deo ſic diſponente, Eccleſiis beneficia contulere, & Catholicis Præſulibus exhibuerunt obſequia. Arianus Ricimer apud Baronium A. 472. n. 10. Eccleſiam S. Agathæ ad radices Quirinalis ornavit *Catholico more: etenim ejus abſidem marmorum cruſtis, & imaginibus ſacris Salvatoris, ac XII. Apoſtolorum ex muſivo egregiè nobilitavit*: de qua re ſubjicit monumentum marmoreum, quod incipit *Fl. Ricimer V. I.* ..... explicit: *Pro voto ſuo adornavit*. Non ſinit idem Vir ſummus A. 507. n. 2. commendare Alarici cultum, quo proſequebatur Orthodoxos Epiſcopos: qui *quantumlibet Arianus eſſet, tamen SS. Antiſtites Catholicæ communionis coluit, & frequentavit officiis*: ibique quidam Vir nobilis, ſed Arianus S. Remigio Rhemenſi Epiſcopo, qui ejus filiam à Dæmone liberaverat, Villam Eccleſiæ Rhemenſi dono dedit. Quis in Regni exordio obſequentior Theoderico? *Ambulavit Rex Theodericus Romam* (ſcribit Anonymus Valeſianus coævus p. 667.) *& occurrit B. Petro devotiſſimus, ac ſi Catholicus*. Alboinus in ingreſſu Italiæ Felici Tarviſii Epiſcopo *omnes ſuæ Eccleſiæ facultates poſtulanti conceſſit: & per ſuum pragmaticum poſtulata firmavit*, teſte Paulo 2. 12. Et parum videbitur tot Eccleſias, tot Monaſteria utriuſque ſexus in Arianorum Principum ditione ubique condita ipſis minimè adverſantibus? Satis, cum reliqua diluere oporteat, ex eodem Paulo, nos ab occaſu ad extremum Venetiæ angulum evocante. Opponit 4. 40. quod Taſo, & Cacco, Giſulfi Ducis Foro-julienſis filii, qui & ipſi Duces, *Sclavorum Regionem, quæ Zellia appellatur, uſque ad locum, qui Medaria dicitur poſſederunt*. Priùs id innuerat quando *lib.* 2. *c.* 9. limites hac in parte deſcribens, dixerat, quod *ab Orientali parte, qua Pannoniæ conjungitur, & largius patentem, & planiſſimum habet ingreſſum*. Quæ fuerit hæc Regio, videamus. Henr. Palladius *de Reb. Foro-jul. p.* 5. ita Zelliam deſcribit: *Zellia prima eſt Noricarum ſive Vallis, ſive Regio, quæ Carnis adhæret: nomen invexit flumen Zellia, quæ proximis montibus effuſa, Villicum uſque procurrit*. Parca quidem deſcriptio ex qua nihil in *Zellia* memoria dignum fuiſſe deducimus. Plura ideo, ne parvum hunc tractum deſcriberemus, obfuere. Et primò, cum Zellia trans Alpes Julias ad boream vergat in ortum, tabulam noſtram in ampliori folio excudere oportuiſſet, quod non erat pro re tam modica expediens: etenim tabula ubique ad polum, præter hanc partem, apparuiſſet inops, & orba. Inſuper, quis nos tutos facit, cuncta interpoſita loca fuiſſe ditioni Langobardicæ adjecta? Et demum adhuc bella in ea parte cum Slavis confinibus efficiebant, ut quæ una die Slavi amittebant, altera, vario Marte, reciperent. Reapſe ſubdit Paulus *d. cap.* 40. *unde uſque ad tempora Ratchis Ducis iidem Sclavi penſionem Foro-julianis Ducibus perſolverunt*. Is Ratchis Rachiſius eſt, à Liutprando Foro-julienſis Dux A. 738. conſtitutus, bellaque geſſit cum Slavis, ut apud Sigonium ſub d. A. Liutprando, & Hildeprando ſuffectus in Regno A. 744. quod notiſſimum ad rem. Si uſque ad tempus Ducis Rachiſii Slavi *penſionem perſolverunt*, ſequitur, in poſterum non perſolviſſe, & conſequenter Slavos recuperaſſe ſuam Zelliam: ideoque hanc Regiunculam, ſive Vallem, non videtur ad Ducatum Foro-julienſem propriè ſpectaſſe; præſertim cum Paulus ſupra 2. 9. dicat ſuo tempore, quod Ducatus Foro-julienſis *ab Orientali parte, qua Pannoniæ conjungitur* (NB, non Zelliam ſibi adjunctam) *largiùs patentem, & planiſſimum habet ingreſſum*, dumtaxat in Pannoniam, hinc ex commodo ſemper in promtu occaſio bellorum. Præterquam, quod ſolutio penſionis, vel tributi non ſemper indicat ſubjectionem, ut num 75. obſervabimus. Utut ſit, defectum tabulæ brevis hæc Zelliæ notitia ſupplebit. *Zellia*: *Celia* Ptolemæo 2. 14. *Celeja* Plinio 3. 24. in limite Norici: nunc *Comtè de Cilley* in Stiria, ad lævam *Savi* fluminis, non longè ab oſtio *Sbanæ* amnis influentis in Savum: 10. leucis Germanicis, ſive 40. m. paſs. à Laubaco in ortum, ut in tabula Germaniæ Sanſonis.

(49) Quod prorſus difficilè creditu, quia id nemo fortè obſervavit, ſupereſt nunc enodandum. Hæreſis planè primo ſub aſpectu videbitur, negare, quod Langobardi Gallicanas ſaltem Alpes poſſederint, cum certiſſimè in Alpibus Cottiis S. Petri Patrimonium invaſerint, ut teſtatur Beda auctoritate Venerabilis, & coævus, ita ſub A. M. 4659. *in Chronico de temporibus* ſcribens: *Hereberctus* (Aripertus II.) *Rex Langobardorum multas cohortes, & patrimonia Alpium Cottiarum, quæ quondam ad jus pertinebant Apoſtolicæ Sedis, ſed à Longobardis multo tempore fuerant ablata, reſtituit juri ejuſdem Sedis: & hanc donationem aureis ſcriptam literis Romam direxit*. Nec S. Doctori opponi poteſt exceptio, quod teſtis ſit tantum de auditu, cum nunquam, etſi vocatus, fuerit Romæ, ut oſtendit Pagius A. 701. n. 2. Etenim Paulus Langobardus noſter 6. 28. id confirmat: & iterum 6. 43. de Liutprando. Utrumque ex antiquis ſequuntur Anaſtaſius *in Johanne VII.* Ado Viennenſ. *in Chron. ſub A.* 705. Bedæ verba tranſcribens: Hermann. Contract. A. 707. *Hoc tempore Haribertus Rex Longobardorum poſſeſſionem Alpium Cottiarum dudum à Longobardis captam, atque detentam, per privilegium aureis literis ſcriptum, S. Petro, Johanniique Papæ reddidit*. Si ergo Langobardi Patrimonium S. Petri *in Alpibus Cottiis* occupaverant, diuque tentum Eccleſiæ reddiderunt, cur non ſaltem Alpes illæ cum Urbibus, & locis ibi locatis Langobardico Regno accenſendæ: & non in illis *Patrimonium S. Petri* ſcribendum? Rem hanc adeò celebrem, & magnificam (quoniam ab omnibus, ut prædiximus, præſertim à Baronio, vix Paulum recitante, inobſervatam videmus) hujuſque Patrimonii ſitum, naturam, invaſorem, veram reſtitutionem, non donationem indicando, ſummatim exponere oportet. Et primò ſitus clarè dignoſcitur ex dictis num. 9. ubi oſtendimus, quænam fuerit Provincia *Alpium Cottiarum* ante, & poſt bellum Gothicum ætate Juſtiniani. Quare hæc Provincia bifariam debet accipi: *ſtrictè*, & propriè ante illud bellum: *lateque*, & impropriè poſt idem. *Strictè* ſignificat juga tantum montium, hoc eſt, Regnum Cottii in Provinciæ formam à Nerone redactum, cum finibus, & Urbibus d. num. 9. ſtatutis, & juxta acceptionem Plinii 3. 20. *Non ſunt adjectæ Cottianæ Civitates XII. quæ non fuerunt hoſtiles*. Certiſſimè poſtea hanc Provinciam non occuparunt Langobardi, cum ipſis regnantibus etiam hanc Provinciam tenerent Franci, ut toties fuit demonſtratum. Idemque eſt dicendum de proximis Alpibus Grajis, & Penninis, ut omnis removeatur ſcrupulus, quæ ad Regnum Burgundiæ ſpectabant. Nam ex quo Burgundiones pulſi fuerunt à Burgis Romanorum, ut apud Liutprandum

Digitized by Google

Hist. 3. 12. in Gallias irruperant, sæculo V. ineunte, jactisque Regni fundamentis A. 413. eoque Provinciis adaucto A. 525. teste Greg. Turonensi *Hist.* 3.11. à Francis Regibus Clotario, & Childeberto subjugantur, & iterum à Carolo Martello, ut apud Continuatorem Fredegarii A. 736. Quæ cohærent prædictis n. 47. Utique etiam Ecclesia Romana potuerit curias, & prædia in dictis Alpibus possidere, sicut & longiùs in Gallia Narbonensi patrimonium S. Ægidii, & in universo penè Orbe Christiano, ut patebit infra, possedit: at non ibi fuit locatum Patrimonium S. Petri ereptum à Langobardis, & ab eisdem exinde restitutum, ut loquuntur laudati Scriptores. Provincia porrò Alpium Cottiarum *latè* sumpta nihil Alpium, præter Secusium, complectebatur: totaque ab ipsarum radicibus usque ad Æmiliam in planitie, & per Apenninum usque ad fontes Sculteunæ protendebatur, sicut prædiximus sub *laud. num.* 9. Et ecce *Patrimonium* S. Petri in Provincia Cottiarum, sed propriè in Apennino situm inter Alpes maritimas, & Genuam, vel circa. Neque id ignoravit Blondus *Hist. dec.* 1. *l.*10. *p.*137. sic, dum Romæ degebat, scribens: *Aritbpertus Longobardorum Rex ..... Alpes Coccias, in quibus Genua, Urbs nunc præclara, & quidquid ast ab ea ad Alpes usque Galliarum fines censebatur, B. Petro donavit*. Igitur in sensu Blondi Urbes, & Oppida Patrimonium hoc continebat: Etenim paulò supra dixerat, quod *babuerunt Jobannis istius Pontificis* (VI. Blondo, sed VII.) *tempora futuræ amplitudinis Romanæ Ecclesiæ initia, atque arras, quod Aritbpertus* &c. Quia postea hac in re variant Scriptores, quia Beda dicit *multas Cohortes*: item utitur verbo *restituit*, sicut etiam Contractus: Blondus è contra, *donavit*: Paulus 2. 28. utrumque confundit, utrumque expendamus, & primùm *Patrimonii* naturam. Profectò, si in sensu Blondi Urbes, & Oppida Patrimonium complectebatur, hæc *tempora, futura amplitudinis initia*: secus verò si tantum *Curtes, & prædia*. Pro decisione adeamus S. Pontificem Adrianum, ex cujus *Ep.* 49. *Cod. Carol.* facilè erit, certum elicere scribit Carolo: „ Et sicut temporibus B. Silvestri „ Romani Pontificis à S.recordationis piissimo Constantino M. Imp. per ejus largitatem S. Dei Catholica, & „ Apostolica Romana Ecclesia elevata, atque exaltata „ est: & potestatem in his Hesperiæ partibus largiri dignatus est: ita &c. sed & cuncta alia,quæ per diversos „ Imperatores, Patritios etiam, & alios Deum timentes pro eorum animæ mercede, & venia delictorum „ in partibus Tusciæ, Spoleto, seu Benevento, atque „ Corsica simul, & Savinensi Patrimonio B. Petro .... „ concessa sunt: & per nefandam gentem Langobardorum per annorum spatia abstracta, atque ablata „ sunt, vestris temporibus restituantur. Unde & plures donationes in sacro nostro scrinio Lateranensi „ reconditas habemus. „ Hactenus S. Pontifex de patrimoniis tantùm in Hesperia, hoc est, in Italia Ecclesiæ collatis. Sed de aliis ubique gentium fusissimè Anastasius *in Sylvestro I.* & Liutprandus *legat. p.* 481. (C. H. tom. 2.) Nicephorum Phocam sic alloquitur: „ Constantinus Imper. Aug. qui hanc ex suo nomine „ condidit Civitatem (Constantinopolim) S. Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, ut erat Kosmocrator (mundi Dominus) multa donaria contulit, non in Italia solum, sed in omnibus penè Occidentalibus Regnis: necnon de Orientalibus, atque Meridianis, „ Græcia, scilicet, Judæa, Perside, Mesopotamia, Babylonia, Ægypto, Lybia, ut ipsius testantur privilegia, quæ penès nos sunt. Sanè quidquid in Italia, sed in Saxonia, Bajoaria, omnibus Domini mei „ Regis (Ottonis M.) est, quod ad Apostolorum Beatorum Ecclesiam respicit, & Sanctissimorum Apostolorum Vicario contulit. „ Ex his quidem clarè intelligimus, ubique terrarum Ecclesiam à Constantini tempore in utriusque Imperii partibus patrimonia possedisse, sed nondum scimus, an ea Regiones, Urbes, & Oppida complecterentur. Equidem Beda *cohortes* tantum, & patrimonia enunciat, ita & Anastasius *l.l.* Quid *Cohortes*, nos pluribus docent Dutrenius *in Curtes*, & Struvius in Glossar. ad calcem *t.* 1. *Rer. German. Scripp.* eod. verb. nullum exemplum facit ad rem. Ampliat significationem Clar. Muratorius *Antiq. Estens. cap.* 11. *p.* 82. dicens, quod licèt *Curtis, Curia, vel Massa* significent mansorum, & prædiorum multitudinem: attamen curtes sæpe etiam mansos cum suis Oppidis, vel pagum cum territorio demonstrant: at neque ipse ad Regiones, Urbes, vel Loca celebria vocem curtis extendit. Latius fimbrias dilatant Neoterici quidam Scriptores, Curtes, & patrimonia cum Regionibus, & Urbibus confundentes. Accedit, easdem nec satis distingui in diplomatis, ut supra num. 21. tetigimus, & planè non sinè suspicione alicujus diversitatis inter autographa, & antigrapha, amanuensium fortè imperitia. Quare pro illorum recto intellectu, & ut innotescat, quid Patrimonium Alpium Cottiarum, & generatim quid cætera patrimonia continerent, ne sub num. 21. promissa fallamus, expedit hic declarare; quod tamen plenè præstare nequimus, nisi quid essent patrimonia Imperatorum, à quorum præcipuè munifica manu ad Ecclesiam (Adriano Sanctissimo, & Liutprando integerrimo testibus) derivarunt repetamus, summatim tamen, ab ovo.

(50) Et sanè patrimonia ad Imperatores spectantia privatæ res solùm erant, sejunctæ prorsus à rebus Reipublicæ, sive Populi Romani, hujusque fisci. Res hæ publicæ ad Principem ut Principem, & Caput Reipublicæ pertinebant: illæ è contra (dictæ privatæ, & dominicæ) illius, uti proprietarii, inserviebant usui; hinc res erant jure diverso discretæ, ut fusè explicat Gutherus *de Off. Dom. Aug. lib.* 3. *cap.* 27. „ Et illustris Comes Privatarum divinæ Domus (hoc est, Divi Imperatoris) universum patrimonium Principis, „ præsertim *agros* in Asia Pontica, Cappadocia, Mesopotamia, Osrohena, & per totum tractum Orientis, alibique existentes curabant „ (ut speciatim exprimunt *ll.* 6. 8. 13. & aliæ *C. de fundis patrimonial. & saltuens. & emphyt.*) „ Cum verò bonis, in „ diversis Regionibus sitis, sufficere Comes solus non „ posset, plures in Provinciis constituebat *Rationales*, „ & *Procuratores* rei dominicæ, vel privatæ, dictos, „ qui *reditus* prædiorum, & alia ad suam arcam pertinentia exigebant. „ Hæc excerpta ex Pancirolo *ad Notit. Imper. Orient. cap.* 87. Cùmque & in Occidente amplius adhuc esset patrimonium, *duo Comites* rerum privatarum: XI. *Rationales*, totidem *Procuratores*, & duo Præpositi illud administrabant, divisi per Italiam, Africam, Hispaniam, Galliam, Germaniam I. Britanniam, Dalmatiam, Illyricum &c. ut ex indiculo *Notit. Occid. sub cap.* 41. Plura quidem Principis patrimonium conflabant, ut prædia, quæ alendis militibus non erant addicta, quæque ejus Procurator vendebat, locabat, aut in emphyteusim dabat, ut ex *l.* 1. *& seq. C. de fund. rei priv.* Sed quod opulentius ipsum ditabat, augebatque erant bona prius templis Gentilium adscripta, ut ex *l.* 8. *C. Th. de jur. fisci.* (Gothofr. t. 3. p. 384.) qua Valentiniano, & Valenti templorum prædia incorporata jam patrimonio à Constantino M. & Constantio, & à Juliano Apostata Gentilibus redita, *iterùm Patrimonio, quod privatum nostrum est* (inquiunt Impp.) *placuit adgregari*. Patrimonio huic porrò, licèt ditissimo, nullibi legimus unquam adscriptas fuisse Regiones, vel Urbes, sed solum (ut colligimus ex toto *tit.* 64. *C. de collatione fundor. patrimon. lib.* 11. & ex duobus seqq. *de fund. rei priv. & saltib. divinæ Domus*: item *de fundis, & salt. rei dominicæ*) agros, saltus, emphyteutica prædia, colonos, & greges, armenta, aliaque id genus mobilia, & immobilia, quæ omnia res privatæ dicuntur. Quare si patrimonium Principis patrimonium ex largitate ipsorum efficiebatur Ecclesiæ, non nisi prædiis, & latifundiis hæc donabatur. Quinimo cum bona veræ Christi Ecclesiæ Apostolicæ Romanæ collata potissimùm essent ex illis, quæ sacris Gentilium superstitionibus, templisque fuere detracta, & prius rei privatæ Principis associata, sequitur, solum agros, sive prædia, aliaque, ut supra fuisse eidem Ecclesiæ attributa, non autem Regiones, non Urbes, vel Oppida, nunquam patrimonio Principis, minusque Templis Gentilium attributas. Id partim exprimitur in *l.omnia loca.* 5. *C.ne Christianum mancipium* &c. Sed quia hæc Rex in Cod. Justinianæo est mutila, integram, & clariorem hanc exhibemus ex *l. Sacerdotales* 20. *C. Th. de Pagan. sacrific. & templ.* ubi ad rem edocemur, „ Omnia *etiam loca*, quæ sacris error veterum deputavit, secundum Divi Gratiani constituta, *nostræ* „ *rei jubemus sociari*; itaut ex eo tempore, quo inhibitus est publicus sumptus superstitioni deterrimæ „ exhiberi, *fructus ab incubatoribus* (excubitoribus) „ exigantur ..... *Ea autem, quæ multiplicibus* „ *constitutis ad venerabilem Ecclesiam volumus pertinere, Christiana sibi merito Religio vindicavit*: sicut „ omnis expensa illius temporis ad superstitionem „ pertinens, quæ jure damnata est, omniaque loca, „ quæ Frediani, quæ Dendrophori (de quibus in commentario Gothofredi subjecto) quæ singula quoque „ nomina, & professiones Gentilitiæ tenuerunt, Epholis (hoc est Epulis) vel sumptibus deputata fas est, „ hoc errore submoto, compendia nostræ Domus sublevare „ &c. Nunc, quemadmodum plurima profana templa fuerunt soli, & vero Deo exinde dicata, ut ex *l. ult. tit. eod. de Pagan.* ita & eorum bona uni, veræque Ecclesiæ fuere juremerito addicta. Et sicut illa eadem bona sumptibus templorum, ludorum, sacrorumque certaminum ab oneribus erant soluta, ex *l.* 14. *tit. eod.* eodemque modo (cum rei privatæ, usibusque Principis constituebantur) erant immunia ab extraordinariis muneribus, ex *ll.* 2. 9. 12. *&* 14. *C. Th.*

Digitized by Google

Th. de extraord. sive sord. muner. ita æterno Regi D. N. oblata eadem debebant immunitate gaudere. Hinc & jure humano non obscura Ecclesiasticæ immunitatis origo. Et hic satis nos probasse censemus, patrimonia Ecclesiæ fuisse, ante donationes Pippinianas, & Carolinas, prædia, & latifundia dumtaxat, non Regiones, non Urbes, non Oppida, sicut nec aliud erat patrimonium Imperatorum in Ecclesiam translatum. Perspicuum est itaque, Patrimonium S. Petri in Alpibus Cottiis latè sumptis fuisse tantùm prædia, & latifundia, non Regiones, non Urbes, non Oppida in ipsa Cottiarum Provincia, ut rectè, & prudenter Sigonius sub A. 638. de Rege *Rothari* loquens, Urbesque à patrimonio distinguens, scripsit, quod *Cottias Alpes cum infesto exercitu iniit, ac primo adventu Genuam, Albigaunum, & Lunam Oppida capta, direptaque incendit. Quo facto, non solum Provinciam Imperatori* (NB, non Ecclesiæ) *eripuit* (hoc est Urbes) *Sed etiam Pontificem, quod ibi antiquitus possidebat, Patrimonio exuit*. En Patrimonium distinctum à Provincia, & ab Urbibus. En invasor, & direptor Patrimonii S. Petri *Rotbaris*, scribente Paulo 4. 47. quod *Rotbari Rex* (ab A. 636. ad 52. completum) NB, *Romanorum Civitates ab Urbe Tusciæ Lunense, universas, quæ in litore maris sitæ sunt, usque ad Francorum fines cepit*. Speciatim loca direpta enumeraverat Fredegarius Ruinart *col.* 645. post Turonensem, sub A. 630. Ibi *Chrotbarius* (Ch abundat) *cum exercitu Genuam maritimam, Albinganum, Varicottim* (de quo infra num. 55.) *Ubitergium* (in Venetia) *& Lunam Civitates litoris maris de Imperio auferens, vastat, rumpit, incendio cremans, populum diripit, spoliat, & captivitate condemnat, murosque earum usque ad fundamentum destruens, vicos has Civitates nominare præcepit*. Cum porrò Liguriam, sive reliquum Provinciæ, tunc Alpium Cottiarum, sui juris Rotharis fecerit, etiam Patrimonium Ecclesiæ situm ibi occupavit. Quare assentiri non possumus docto critico Eccardo, qui dum in *Hist. Geneolog. à col.* 582. Guichenonium refellit, & explicat, cur S. Petrus Damiani (*ep.* 16. *lib.* 7.) vocat Adelaidem Ducissam, & Marchionissam *Alpium Cottiarum*, rectè quidem ait propter *ditionem illius in duorum Regnorum Italiæ, & Burgundiæ* confiniis porrectam. At non rectè subdit, quod *bona ibi Ecclesia Romana habebat, quæ Patrimonium Alpium Cottiarum vocabantur*, juxta Paulum, & Herman. Contractum, quos laudat: hi namque, cæterique medii ævi Scriptores non Alpes Sabaudiæ pro Cottiis accipiunt, sed Apenninum modo explicato numm. 9. & 49. quod neque observavit Eccardus. Quando demum hoc idem Patrimonium S. Petri Ecclesiæ tradidit Aripertus II. *non donatio* ea fuit, sed *justissima restitutio*. Ex adverso quando Pippinus senior, & Carolus tradidere Exarchatum, Pentapolim, &c. Ecclesiæ, vera fuit *restitutio*, quo ad Patrimonia in illis contenta Regionibus: secùs vero quo ad Regiones ipsas, & Urbes, nunquam à Græco-romanis Imperatoribus abdicatas; Etenim quæ illi nunquam habuerunt in suo, vel de suo patrimonio, neque tradere potuerunt Ecclesiæ, ex prædictis. Quare Exarchatus, Pentapolis &c. Urbesque in illis contentæ, verè fuere donata, more tamen illius temporis. Et hæc *futuræ amplitudinis Romanæ Ecclesiæ initia*, ut Blondi repetamus verba; & utinam magis semper in dies augeantur, adhuc ad terrorem S. Ecclesiæ inimicorum, spiritualem gladium minimè pertimescentium, & quorum classibus obnoxia est semper Italia, quæ, expugnatis litoribus Romanis, summo in discrimine versaretur. Cæterum Blondus non accuratè satis scripsit; nam vel loquitur de Regione, & Urbibus Liguriæ, sive Cottiarum, & has nec Ecclesiæ eripuit Rotharis, nec eidem Aripertus restituit, sed à Græca ditione ad Langobardicam, exinde & ad Francicam transiere certissimè. Vel loquitur de Patrimonio in prædiis, & latifundiis consistente, & non hæc *amplitudinis Ecclesiæ initia*, cum ex prædictis hæc fuerint ab ætate B. Silvestri, & Constantini. Ecquis de falso nos arguet, si dixerimus, Patrimonium Cottiarum (Liguriæ scilicet tunc) à Constantino M. fuisse Ecclesiæ impertitum? Nam pium Imperatorem patrimonium possedisse in Liguria, indicat laud. *lib.* 2. *C. Th. de extraord.* ab eo data ad Ulpium Flavianum Consularem Æmiliæ, & Liguriæ, ut *ab extraordinariis omnibus fundi patrimoniales, adque emphyteuticarii ..... habeantur immunes*. Cur non hi fundi Liguriæ iidem à Rothari prærepti, & ab Ariperto restituti? Ita censemus, donec aliter Vaticana Archiva nos doceant.

(51) Expletis prolegomenis, cum eorũ, quæ in tabula nostra omittẽda censuimus, prævia declaratione, breviter pro coronide monita nonnulla subjicimus. Et I. quia ab ejusdem tabulæ latere occiduo trans Alpes Gallicanas scriptum videtur, infra *Gothiæ sive Septimaniæ pars*: & supra *Saboja*, monemus, id scriptum ad ornatum dumtaxat, non ut doceremus, nec quia aliqua ratio sic scribere nos coegerit: protestati enim sumus, nihil trans Alpes annotare nos velle, ob dicta n. 47. Cæterum ne quis imperitus nos arguat, dicendo, partem Galliæ proximiorem Italiæ fuisse *Provinciam*, sic antonomasticè dictam (imò *Provinciam Romanam*: & *nostram*: ut apud Cæsarem *Bell. Gall.* 1. 1.) quia trans Alpes primogenita Romanis accessit: quin & medii ævi Scriptores *Provinciam* quoque dixere. Sed an cum hac limitatione rectè censor opponeret, ignoramus. Claritatis ergo, & ex usu nos sæpe Provinciæ nomine, ut videre est, usi sumus; nemo tamen poterit jure damnare quod scripsimus, si novit, integrum tractum ab Alpibus Italico-gallicis ad Pyrenæum fuisse & nomine Provinciæ Romanæ, & prius Galliæ Narbonensis promiscuè vocatum; Narbonensem postea *Septimaniam*, & *Gothiam*, sive Gothiæ partem (quia trans Pyrenæum longius, capta à Gothis Hispania, protendebatur) dictam medio ævo sæpissime legimus apud Rer. Hispanicarum Scriptores, & Francorum. Provinciam in Narbonensi contentam, & Narbonensem usque ad dictas Alpes, & Varum amnem extensam, testatur Plinius 3. 4. ubi *Narbonensis Provincia pars Galliarum ..... amne Varo ab Italia discreta*. Narbonensem porrò (pars cujus Provincia) & Septimaniam, & Gothiam dictam fuisse promiscuè, ne rei notissimæ testes ad nauseam exhibeamus, pro cunctis unus sufficiat P. de Marca, *Marca Hisp. l.* 1. *c.* 16. §. 5. originem adhuc nominum significans hoc modo: *Primus omnium* (Septimaniæ nomine) *usus est Sidonius* (*Ep.* 1. *l.* 3.), *ut partem septem Provinciarum à Gothis usurpatam significaret ..... VVallia Regis Gothorum liberi fœdere reputo limitum leges violarunt invasis Provinciis ferè integris Aquitanica I. Narbonensi I. & parte Viennensis, captis Arelate, & Massilia* (in Provincia) *Dominatus autem, quo potiebantur in Galliis aliquo veteri Provinciarum nomine cum designari non posset: Sidonius ingenii sui solertia usus, novam, & aptam appellationem invenit ..... & eleganter Septimaniam dixit portionem septem Provinciarum, quam Gothi tenebant*: usque ad Varum, & Alpes. Et infra §. 6. in fine: *Non nego quin Gothiæ nomen etiam Septimaniæ tributum fuerit à quibusdam Scriptoribus, sed latior est ejus significatio: quippe quæ* (Gothia, ut tetigimus) *limitem integrum Hispanicum complectebatur usque Barcinonem*, quo usque non protendebatur Septimania. Hinc in hoc non erravit Epitomator *Anonymus* Ravennatis Guidonis, qui p. 196. & seq. inter *Septimaniæ* Urbes locat *Antipolim, Forum D. Julii, Teloni, Maxilium, Arelaton* &c. quæ omnes in Provincia cis Rhodanum: & p. 200. Provinciam *Lunensem* (hoc est Liguriam *confinalem* dicit cum Septimania. Sic & alibi. At licèt etymon Septimaniæ probetur Scaligero *Ausoniar. lect. l.* 1. *c.* 24. Pagio A. 401. à num. 47. aliisque Doctis, non arridet Harduino in Plinium *l.* 3. *p.* 147. *n.* 5. ubi *Beterræ Septimanorum*, cui nomen, inquit, *à Septima legione*. Nil obstat, cum à legionibus tot Urbes, & Oppida prisci Scriptores, & Lexicographi *in legiones* nomen sumpsisse demonstrent. Sed cur non etiam, & fortè probabilius sic dictæ, quod *Colonia septima* eò deducta fuerit, ut arguit Cellarius? p. 227. Cum postea subdit V. doctus, quod à Biterris Septimanorum adhuc circumposita Regio Septimania appellatur: *mox Septimaniæ nomen à Gothis ad universum Languedocium translatum*, de hac re testes desideramus. Utique Ortelius *in Septumani* hos dicit Galliæ Narbonensis Populos, & cum Massonio laudato à *Septima legione* vocatos: sed pro nomine Septimaniæ citat Sidonium, Eginarthum, Aimoinum, quando (si à tempore Plinii Septimania dicebatur) prodere Harduinus debebat testes saltem antiquiores Honorio Imperatore, & ante Regni Gothico-gallici exordium. Septimaniæ porrò nomen longo jam usu receptum, & scriptum à Greg. Turon. l. 8. cc. 28. 30. 35. antequam ad Occitaniam (nunc Languedocium, ubi Biterræ) se extenderet. Etenim in *Notitia Galliar.* Biterræ Viennensi II. accensentur: nec Viennensis II. est inter VII. Provincias, à quibus *Septimania* fuit dicta, & hic miramur oculatissimum Sirmundum non rectè docuisse Harduinum, dum & ille apud Pagium l. l. sensit à Septumanis Septimaniam vocatam, quando idem Sirmundus VII. Provincias apud de Marca *l. l.* §. 3. fuisse designat *Viennensem I. Aquitaniam I. & II. Novempopulanam: Narbonensem I. & II. Alpes maritimas*: Ubi Viennensis II. in qua Septumani? Vera ergo sententia, *Septimaniam* à VII. Provinciis, non à Septumanis vocatam; aliter, cum in *Notitia Imp. Occid.* post c. 37. p. 135. b. essent etiam in Italia cohortes, sive numeri, & ordines dicti *Septimani juniores*: & infra in Hispania *Septimani seniores*, cuncta sanè Regiones, & loca, in quibus stativa hi habuerint, *Septimania* vocari debuissent. Dum tandem quærit laud. de Marca 3. 14. §. 6. quinam tractui *Hostolensi* in Hispania *Gothiæ* nomen indiderit, respondent inter cætera, *quod*

esset

Digitized by Google

esset pars Regni Gothici: & speciatim (ex Isidoro, & Ardone citatis) Narbonensi dicta fuit Gothica, quod pars esset Regni Gothici, imò Gothia simpliciter. Et nonne Provinciæ par ratio? Quod si Theodericus *Gothis in Gallia* scribebat, non in Gothia id pompa, non usu. *Sapaudia* quoque medii ævi nomen, ut ap. Ennodium in *V. S. Epiphanii* p. 408. Sirmundi, ibi *per singulas Urbes Sapaudiæ*. Item Prosper in Chron. hic in notis Sirmundi, & Ammianus Marcellin. 15. 11. *Sapaudiam* prænominarunt. *Sapojam* scribimus, sequentes Carolum M. in charta divisionis A. 806. *cap.* 1. Adhuc *Rhausium* trans superum mare notamus juxta Lectionem Curopalatis p. 40. *Agareni ad Metropolim quoque totius gentis, quæ Rhausium dicitur, accessere*. Consentiunt Cedrenus, & Zonaras apud Ortelium *Thesaur. Geograph. b. verb.* cui Dalmatiæ Metropolis. II. monemus, Sardiniam, & Corsicam nos vacuas relinquere, quoniam classibus destituti, ad eas animum fortè non adjecerunt Langobardi. Carolus quidem juxta Annalistam Fuldensem A. 806. & Ludovicus juxta Aimoinum 4. 116. Duces cum classibus in utramque miserunt contra Saracenos, adhuc prospero eventu: sed Franci demum tædio, ob assiduas depopulationes, affecti, quin etiam indigenæ, eas deserere utilius cogitarunt. III. Quamplurima loca enunciata in diplomatis Langobardorum, & Francorum Regum Italiæ, necnon in Bullis Pontificum, & in chartis privatis, omittere fuit necesse, quia sæpè, ut videre est, spatium defuit. Plerumque etiam eorum nomina sunt hoc nostro tempore ignota, quia neque fuere tunc clari nominis. Accedit quod incolæ, aliquem Divum tutelarem cum præcipuo quodam cultu, ac pietate venerarentur, suis adhuc in Templis sacra illius Lipsana colentes, Urbi, Oppido, vel loco ejusdem Sancti nomen, deserto veteri, indiderint; hinc innumera loca ab aliquo Sancto appellata, quorum nomen antiquum in annosis membranis latitare est certo certius. IV. E contra non rarò Urbes, aliàs clarissimi nominis, semper ab antiquis ad hæc nostra tempora eodem modo appellatas, illustramus. Neque id superfluum dicatur, nam qualis medio tempore fuerit illarum conditio innotescet. Potest enim Urbs aliqua florere uno tempore, jacere altero, & exinde resurgere. *Ita Carthago, & Corinthus, quæ Urbes prius uno tempore* (A. U. C. 605.) *deletæ fuerant, tunc simul* (A. U. C. 710.) *quasi revivisceré cœperunt: olim claræ, rursus futuræ*, ut observat Dio Cass. *lib.* 42. prope finem. Mediolanum nostrum sæculo XII. id confirmat. Et hic monemus nos frequentissimè laudare, & loca nostra revocare ad Ferrarii, & Bodrandi *Lexicon* Geographicum, & sanè quodam peculiari studio, ut Librum omnibus obvium exhibeamus; etenim plura nomina, quæ primo intuitu obscura videntur, lumine illius clarescunt. Fortè quid in eo notandum occurret. Verùm cum fuerit pluries Parisiis, & Patavii illud editum, nec in utraque editione sit eadem lectio, utraque enim abundat vel deficit, hinc si quid quærendum contigerit, quod ex illo accipimus, in alterutra editione invenitur. V. Etiam spatii defectu quamplurima alia Monasteria, à Langobardis, & Francis in Italia constructa, non annotavimus, etsi id facere meditaremur, ut promissum fuit in Præfatione tabulæ I. præfixa: quod alias facillimum, nulliusque fuisset laboris, copiosam suppellectilem hac pro re suppeditantibus Ughelli *Italia sacra*: Lubini *Abbatiarum Italiæ Notitia*: Mabillonii *Annalibus O. S. B.* & tot aliis Historiis Monasticis. VI. Eadem in Præfatione legitur, Villas quoque Regias, & Palatia notare, ea ratione, qua tam doctè Mabillonius *de Re Diplomatica lib.* 4. per totum indicavit, Italiæ tamen Villis, & Palatiis neglectis, quæ non desunt, Curtes quippe Regiæ dantur Gastaldis administrandæ ex Lotharii lege 73. (C. H. t. 2. p. 2.), exempli gratia, Palatium indicatum in diplomatis apud nos Lotharii I. A. 841. quod actum *Gandulfi Villa Palatio Regio*: Ludovici II. 846. *Actum Orba Palatio Regio*: Ejusdem 872. *Actum Marinco Curte Imperiali* 875. Actum Olonna Curte Imperiali: Carolomanni 879. *Actum ad Otingas Curte Regia* &c. Et sanè (ut scribit doctissimus Vir d. Libro ineunte §. 3.) „ multùm interest ad historiam hæc locorum notatio: „ tum quia inde eruitur notitia loci, ubi Princeps tum „ erat, cum aliquod diploma daret: tum quia itinerum, „ quæ pro rei publicæ usu Reges obibant, ratio hinc „ colligi potest, indeque certa itinerarii Principum se„ ries confici: quod utrumque Vir Cl. Jacob. Gotho„ fredus ad Codicem Theodosianum de legibus animad„ vertit. „ At non sine rubore promissum fallere oportuit: nec excusationem nostram improbabunt, qui noverint, id præstari non posse sine diplomatis, ex quibus Curtes Dominicæ, seu Regiæ, & Palatia colligi possint. Codex porrò diplomaticus Regũ Italiæ, quem meditatur Cl. Muratorius, nondũ est concinnatus. Dabitur, si series diplomatum per singulos Reges saltem Francos, & Germanos contexi poterit, nam per Langobardos paucis, & posterioribus exceptis, spem jam abjecimus. Nunc, sed serò penè impossibile tunc promisisse animadvertimus. Ampliorem sindone tabulam, si omnia notare vellemus, efformare oporteret. Qui nostros emendabunt errores, tabulam hanc recudendo, horum omnium, si poterunt, defectus locorum supplebunt. VII. Characterem sive signum ⊙ apponimus illis locis, de quibus sacra ex Geographia non constat esse, vel fuisse quondam Episcopali sede insignita, vel à Principibus jure Civitatis donata. Non enim omnia loca Civitates dicta a Scriptoribus ea sede honestabantur, vel jure. Perspicuum est, Civitates plerumque dictas fuisse illas Communitates, quæ quamvis sitæ intra fines, in agro alicujus Urbis, erant tamen sui juris, & à Civitate, sive Urbe sejunctæ, dictæque vulgo *Terræ separatæ*. Videatur Dufren. *in Castrum*, & *Commune*. VIII. tandem cuncta quæ præmonuimus in dicta Præfatione, recolantur, præsertim quæ spectant ad dimensiones, locorumque distantias: & cur in I. tabula tunc, sicut nunc in hac altera millenariæ mensuræ scala omissa, cujus vicem adhuc supplent laterales longitudinis, vel latitudinis gradus, ut cuique tyroni est notum. Profectò in distantiis attentiores esse curavimus: quippe non rectè constituto in suo situ uno loco, cætera male locare contingit. Utique Historia, Chronologia, & Geographia tres sunt sorores germanæ, quarum una subsidium fert alteri; at non singulæ eadem prærogativa donantur. Hoc privilegio Chronologiam donavit Dionysius Halicarnass. *l.* 7. *p.* 494. cum dixit: *ferendum erat, si quis paucis annis falleretur in supputatione temporum, præsertim in prisca, & multorum annorum Historia*. Tali jure gaudere Geographia non debet: ex eo namque & loci tertii turbaretur recta positio. Recolantur quoque Regulæ finium regundorum traditæ sub initium num. 2. In describendis postea locis non ordinem alphabeticum, sed legem geographicam, quo ad fieri poterit, observabimus, quando in Regione Urbs adsit præcipua, ut eam circumvertendo, possint & loca commodè circumponi: incipiendo ab occasu, ascendendo ad boream, declinando ad ortum, & desinendo in meridie.

EXPLICIUNT PROLEGOMENA.

CHO-

Digitized by Google

CHOROGRAPHIA.

SECTIO XIII.

(52) *Italiæ* nomen, & fines: Ii quando, & quare ad Alpes protracti. Cur medio ævo à Græcis, & Barbaris non immutati: Quæ Provinciæ ab Exarcho, & Langobardis in ea designatæ: omnes XXII. majores inter, & minores. (53) Limes inter Neustriam, & Austriam consulte statutus: *Neustria* quando Langobardia vocata remissive: Cur *major* dicta. (54) *Liguriæ* prænotio: amplitudo, contractio: fines præsertim ab occasu: Cur Nicæa Provinciæ attributa. (55) Agrorum Liguriæ ænea tabula, quando efformata: locorum oræ Ligusticæ indiculus: *Caira* in ejus limite ad boream, an spectet ad Liguriam. (56) *Fraxineti Saracenorum* notitia: Ejus situs obscurissimus definitur: aliorum sententiæ variæ expenduntur. (57) *Ducatus Taurinensis*, & Marchæ *Secusii* quinam fines, ab occasu præsertim: Monasterium Novalicii in cujus ditione conditum: sub quo Principe, & à quo dotatum. (58) Ducatus ejusdem loca recensentur: *Clusæ* quid, ubi. (59) Plinii locus de Gabienis corruptus: Augusta Vagiennorum quæ medio ævo. Plures Viri docti in locis Padanis hallucinati. (60) *Eporediensis* Ducatus res, alibi dispersè jam scriptæ, summatim hic repetuntur: fines & loca indicantur. (61) An Marchæ Eporediensis fines usque ad Lacum Verbanum protensi, juxta Chronicam quandam Aronensem: Chronicæ ejusdem examen. (62) Ottoniana item tabula expensa: Scripp. de Rebus Aronensibus conciliati: Epitaphii tempus ex stylo indicatur.

(52) ITaliam itaque pro viribus nunc descripturi, & quidquid hujus argumenti, medii temporis scripta pervolvendo (non, ut par fuisset, ex commodo, sed tumultuariè) collegimus, de illius nomine, & finibus nullus propemodùm, ne centies actum agamus, erit sermo. Quo ad nomen, qui ab ἴταλος, (hoc est à bove) fabulis Herculis, & Geryonis innixi, eam dixere, deridentur ab Aristotele *Politicor.* 7. 10. & à Marone *Æneid.* 1. *v.* 264. canente, quod eam

. . . . . *Hesperiam Graji cognomine dicunt*
. . . . . .
Oenotrii coluere viri: nunc fama minores
Italiam dixisse Ducis de nomine gentem.

Quo ad fines, fuere idem semper (si detractas Alpes Cottias, & Rhæticas excipimus) *ex quo Romani*, ait Strabo lib. 5. ineunte, *in Regni societatem, & in Civitatem Italos vocare decretum est, & Gallis Cisalpinis, & Venetis idem honoris impartire, universosque Italos Romanos vocare*. Italiæ enim nomen tunc tractus *assumpsit etiam ab ora Ligustica Vari fluminis confinia, marisque proximi à Thusciæ finibus, Istriæque usque Polam*, ut paulò supra idem dixerat: & hæc propriè Italiæ longitudo, cum hoc modo ab occasu, hoc est à Varo extendatur ad ortum, ubi Pola: etsi diversimodè doceat Plinius his verbis 3. 5. *Patet longitudine ab Alpino fine Prætoriæ Augustæ per Urbem, Capuamque cursu meante Rhegium Oppidum*. Latitudine verò boream versus usque ad *Oppidum Nesactium: & nunc finis Italiæ fluvius Arsia* (Histriæ). At latitudo videtur ab Alpibus Rhæticis, usquequo *in duos excurrit vertices*, sive cornua, *hinc quidem in Siculum fretum, hinc autem ad Japygiam*, ut Strabo p. 422. subnectit. Sic enim à borea in austrum excurrit, ut ipse geometricè ostendit. Porrò extensionem hanc usque ad Alpium radices quando sortita sit Italia innuit, licèt subobscurè, idem Strabo *lib.* 7. *p.* 628. dum scribit, quod *usque ad Polam Civitatem Istriæ hujus temporis Imperatores Italiæ terminos extendere*. Id ergo decretum fatali illa die 27. Novembris A. U. C. 711. (al. 710.) certè Octavio Cæsare, & Q. Pedio Coss. suffectis mense Sextili, post Augusti, Vibio Pansæ, & A. Hirtio in bello Mutinensi interfectis, inter Bononiam, & Mutinam in Triumvirali Conventu, de quo loqui oportuit supra num. 33. Interpretationem nostram confirmat, & cur id factum significat Dio *l.* 48. *p.* 366. sub A. 713. paulò post initum illum Conventum: inquit, quod *ex Gallia etiam Togata, quæ tum Italiæ legibus, ac institutis formata fuerat, ne in Cisalpina Regione ejus gubernandæ causa exercitus essent alendi, pecunia ipsis* (Triumviris instituto bello contra L. Antonium, & Fulviam) *militesque adducebantur*. Prolata ergo fuit usque ad Alpes Italia, ne Proconsul ullus cum exercitu intra Alpes esset, ut etiam sentit Panvinius *Imperii Romani p.* 30. Hos fines medio ævo nec Græci Cæsares, nec Gothi, nec Langobardi ausi sunt immutare: cunctis naturæ ductu agnoscentibus, congruum omnino fore, Italiam Alpibus definiri. Etenim natura ipsa providè Alpes sic posuit, ut per ipsas Italia ab ulteriori Gallia, & Germania æque dividere-tur. Quare Scriptores antequam produceretur Italia, quod erat necessario futurum quasi vaticinantes, Galliam hanc citeriorem, & Liguriam Italiam appellarunt, ut frequentissimè Livius, & ante ipsum Polybius *l.* 2. *p.* 124. qui tribus lateribus Italiæ, ut triangulari, assignatis, tertium latus infimum, sive basim, occasum versus, & boream in Alpibus ponit. Aliter tamen Italiæ Regionibus primò per Augustum, exinde per Cæsares posteriores, usque ad Justinianum, post bellum Gothicum, ordinatis, Græcus Exarchus Longinus, & Langobardi novam ordinationem fecere, juxta jam tradita à num. 23. Hanc exponere, & declarare, sicut in tabula apparet, intendimus: eo præsertim sub aspectu, quo regnante Liutprando fuisse cognoscimus. Tunc enim res Langobardicæ summum culmen, veluti sub Trajano Langobardorum, attigerant. Regiones divisuri, ab universalioribus, & proximioribus, juxta leges, exordimur, Italiam primò dividendo *geographicè* in duas partes, nempe in *cis*, *& trans Tiberim*, ad normam Peregrinii, qui Ducatus Beneventani describens fines, Italiam Cistiberinam (cum scriberet Neapoli) illum appellat. *Politicè* verò eadem dividebatur in duas Ditiones *Græcam*, & *Langobardicam*: exinde in tres *Francicam*, *Ecclesiasticam*, & Græcam, valde imminutam, portioni Græcæ detractis Exarchatu, & Pentapoli, beneficio Francorum ad Ecclesiam translatis. Sub hoc itaque aspectu Italia medii ævi considerata, dividendas fore Regiones ejus, sive Provincias, Ducatus nomine Langobardico more vocatas, opportunum esse duximus, ut sit

I. *Neustria*: dicta exinde sub Francis *Langobardia*: & à Græcis per comparationem *Major*. Continebantur sub ea.
II. *Ducatus Liguriæ*: quæ Marcha sub Francis.
III. *Ducatus Taurinensis*: qui Marcha sub Francis.
IV. *Ducatus Eporediensis*, extra quos erant Ducatus Urbani, qui tot quot Urbes ad Regnum spectantes.
V. *Austria*, *sive Venetia*, sub qua
VI. *Ducatus Tridentinus*: Marcha sub Francis.
VII. *Ducatus Forojuliensis*: sive *Austria propria*: Marcha sub Francis.
VIII. *Histria*: sub Francis Ducatui Foro-juliensi conjuncta.
IX. *Exarchatus* Græcorum: expost *Romania*.
X. *Pentapolis*, quæ duplex, *Maritima*, & *Mediterranea*: dicta ideo Decapolis, & serò *Marcha Anconitana*.
XI. *Tuscia*, cujus partes tres: una dicta *Tuscia Langobardorum* sub Ducatus titulo: altera *Tuscia Regni*: & tertia *Tuscia Romana*, quia pars Ducatus Romani cis Tiberim.
XII. *Ducatus Perusiæ* à Romano sejunctus.
XIII. *Ducatus Romanus* cis Tiberim in Tuscia, & trans Tiberim, dictus *Campania*, sed ultra prolatus.
XIV. *Ducatus Spoletanus* duplex cis, & trans Apenninum: Cisapenninus inter montes & Adriaticum: serò dictus *Marcha Firmana*, & ibi *Provincia Castellorum*.
XV. *Ducatus Beneventanus* sub quo
XVI. *Gastaldatus Capuæ*
XVII. *Gastaldatus Alcezeci*.
XVIII. *Gastaldatus Teatensis*: Marcha sub Francis
XIX. *Principatus Salerni*.
XX. *Apulia*, quæ Græcis *Langobardia minor*
XXI. *Campania* maritima, & *Liburia*, sive ditiones Græcorum ad mare inferum.
XXII. *Calabria* recens sæculi VII., quæ duplex, *Superior* Langobardorum: & *Inferior* Græcorum. Sunt omnes num. XXII. quarum XII. ad Italiam Cistiberinam spectant, & X. ad Transtiberinam, quo ad nos. Non tamen omnes æquales, sed aliæ majores, quæ continent minores, & quæ continentur sub illis. Hunc ordinem, qui magis geographiæ legibus, & formæ politiæ civilis accedere nobis videtur, in Chorographia hac nostra sequemur, posthabita prorsus serie Pauli Diaconi; nescientes, qua lege perrexerit, dum *l.* 2. *c.* 9. exorditur scribendo: Forojuliana Venetiæ *prima est Italiæ Provincia*, quamquam orientalior: & id fortè, quia prima à Langobardis capta. *Secunda Liguria*

Digitized by Google

ria, quia tunc proximior Venetiæ. Pergit: *Rhætia I. & II.* & hic, sicut infra, captarum Regionum cœptum deserit ordinem, nec meliorem assumit. Confusius adhuc, & obscurius procedit Anonymus Ravennas *lib.* 4. *cap.* 29. nec felicius Card. Aragonius inter *Gesta Pontif.* MSS. p. 77. Italiam describens, ut posteriores omittamus Gobelinum *Cosmodr. æt.* 1. *cap.* 5. *p.* 68. Paulum secutum, aliosque *&c.* sæculi XV. Non ideo huic nostræ ordinationi adesse ultimam limam præsumimus: Neustriam ingrediamur.

(53) Huc primò revectis, quæ de Austria, & Neustria præmisimus à num. 25. satis erit hic breviter, & iterum Neustriæ fines decernere. Et quia hæc eadem Neustria, Regno Langobardico exacto, Langobardia fuit dicta, eosdem omninò habuisse fines Neustriam, quos habuit exinde Langobardia, censemus. Claritatis ergo postea Neustriam distinguere lubet in Cispadanam, Transpadanam, & Transapenninam, ut comprehendamus Liguriam. Eccur non pars Neustriæ Liguria, si hæc occidentalis, & latus occidentale Neustria significat? Cis, & trans Padum dicimus more Romano, & quia assuefacti huic sumus, & quia eundem retinent adhuc temporis medii Scriptores. Indistinctè tamen Neustria sumpta, certi sunt ejus fines *Alpes* ab *occasu*, & *borea*: item ab *ortu* cis Padum *Gena* amnis, nunc Samogia, ut probavimus num. 33. Trans Padum aliquam difficultatem offendimus in statuendo *Mincio*, & Lacu Benaco. Planè quod, dum Paulus 2. 14. scribit, terminum Venetiæ fuisse *à Pannoniæ finibus usque ad Abduam* etiam per Abduam Liguria (quæ Langobardiæ partem complectebatur) debebat à Venetia sejungi: & tunc non Mincius, non Benacus, sed Abdua erat limes occiduus Austriæ, sive Venetiæ, & orientalis Neustriæ, sive Langobardiæ, & Liguriæ Paulo. Is sibi fidem facit, addendo legisse Bergamum, & Lacum Benacum, *de quo Mintius fluit*, ad Venetias spectasse. An rectè id dixerit Ptolemæus 3. 1. Venetiæ tribuens Cenomanos: & an satis id innuat Plinius 3. 18. & 19. (silentibus Mela, Strabone, & Solino) nolumus hic longo sermone, ut oporteret, disquirere. Ut ut sit, tempora distinguamus, & gentes. Certè Paulus geographiam, & Romanam ordinationem in sua Italiæ Chorographia est secutus, ut ex nostra Sectione III. liquet: nec attendit, illam ac Romanæ politiæ formam fuisse à Langobardis turbatam, deletis Romanorum nominibus, ut Alpium Cottiarum Justiniani, Liguriæ Circumpadanæ, Umbriæ, Piceni, aliarumque trans Tiberim, Provinciarum. Sic antiquatis nominibus, rectè, adhuc fines Regionum fuisse immutatos, conjicimus. Quamobrem naturale non est, Langobardos suam Austriam protulisse usque ad Abduam, dum triplo longior fuisset sua Neustria, contra significationem nominis Austriæ, quæ orientalem plagam ostendit. Ad Regnum Brixiam spectasse ævo Langobardorum, sejunctam à Ducatu Tridentino, cui est confinis, clarè demonstrat Paulus 5. 36. ubi Cunibertus factus à Bertarido Patre socius Regni, venia Alachi Tridentino Duci rebelli impetrata, *nec destitit apud Patrem obtinere, quin etiam ei Ducatum Brixiæ contribueret: reclamante sæpius Patre, quod in suam hoc Cunibertus perniciem faceret, qui hosti suo ad regnandum vires præberet*. Quis non videt, id vix semel, & temporariè concessum? Accedit, quod & Fredegarius p. 643. num. 70. edit. Ruinart sub A. 630. scribit de Gundeberga Regina, quæ Rotharim *unum ex Ducibus de Territorio* (hoc est de Regno, & in Regno) *Brixiæ ad se venire præcepit, eumque compellens, ut uxorem, quam habebat, relinqueret, & eam matrimonio acciperet*. Sanè, facto Langobardiæ nomine à Francis, hanc extra Bergamum, & Brixiam fuisse, hactenus nobis non constat. Si licet, deficientibus antiquis documentis, minus remotos Scriptores consulere, Blondum adeamus *Reg.* 9. *p.* 375. quem sequitur Albertus *Reg.* 17. *p.* 459. Ambo describentes Provinciam Venetiæ sub nomine Marchæ Tarvisinæ, hujus terminos definiunt ab Alpibus Rhætiæ, & Germaniæ ad Padum in latitudine: & à *lacu Benaco, ac Mincio* usque ad Alsam, nunc Liminum, in longitudine. Adhuc Volaterranus *lib.* 4. *pag.* 64. *in Transpadana* Langobardia, quam à *Venetia* sejungit, Bergomum scribit, & Brixiam sicut Papiam, & Mediolanum: & p. 75. Venetiam, ut à Transpadana disjunctam, describens, vix *Athesim* statuit pro Venetiæ limite occiduo, Bergamo, & Brixia seclusis. Etsi Scriptores hi pro re præsenti videantur recentes, fuit tamen hæc Regionum discretio ipsis longè vetustior: nam Mediolanum suum Comitatum extendebat trans Abduam, ut & hodie, usque ad Ollium, sicut prænotavimus sub num. 41. ex Calcho nostro, & ex diplomate Friderici Ænobarbi A. 1185. apud Puricellum *Basil. Ambros. à p.* 1028. ubi NB, Imperatorem ibi non nova concedere, sed vetera confirmare. Si ergo usque ad dexteram Ollii superioris protendebatur Comitatus Mediolanensis, ut ab ejusdem sinistra initium caperet Brixiensis, congruum non videtur, Mediolanenses pervasisse Venetiam, sed potius intra Langobardiæ fines mansisse. Accedit quod, cum ævo Francorum totam Venetiam administraret Dux, sive Marchio Forojuliensis, hunc modò Tarvisium, modò Veronam pervenisse legimus, Brixiam & Bergamum, non reminiscimur. Recolantur tradita sub numm. 38. & 40. Legisse quidem meminimus in *Codice juris gentium diplomatico tom.* 1. *num.* 4. diploma Friderici I. datum Venetiis A. 1177. Episcopo Torcellensi, in quo circa medium mentio fit de fossato, *quo statutus est terminus tempore Caroli inter Venetos, & Longobardos*. Ita ex nostris Miscellaneis, dum Codex nunc præsto nobis non est. Nolumus dissimulare quod prodit Continuator Annalistæ Fuldensis sub A 895. scribens de Berengario Rege hisce verbis: „ Post mortem VValtfredi Forojulii Mar„ chensis, qui multum fideliter ad Imperatorem Ve„ ronam contendendo retinuit, illicò Perngarius Re„ gnum Italicum invasit, & *usque ad flumen Abduam* „ *quasi hæreditario jure* contra Lantbertum in parti„ cipatione recepit. „ Quibus ex verbis apparet, Ducatum Forojuliensem, cui Venetia videtur adjecta, ad Abduam usque fuisse prolatum. Verùm evincens non est argumentum: etenim quo ad jus hæreditarium, hoc referri debet ad Regnum, quod sibi, Caroli ex sanguine orto, debitum contendebat. Cum exinde Arnulfus hoc tempore Imperator ex Italia in Germaniam revertisset, *Peringarius, & Lampertus* (Vidonis f.) *diviso inter se Regno, Italiæ tyrannidem exercuere*, ut scribit Herm. Contractus sub seq. A. 896. & quidem in partitione Regni Abdua limes opportunè esse potuit: at non spectata lege geographica, quod usque ad Abduam Venetia, vel ditio Forojuliensis se extenderet: utique ex lege politica, cum hoc flumen haud facilè superabile, pro utriusque Regni securitate, terminus magis proprius videretur. Et planè historiæ nos docent, & ineunte hoc sæculo adhuc vidimus, semper agros circumpositos Abduæ illorum ex genere fuisse, quos ex Varrone Hugo Grotius *de Jur. bell. & pac. lib.* 2. *cap.* 3. §. 7. Arcifinios appellat, ea ratione, *quod fines habeat arcendis hostibus idoneos, idest naturales, ut sunt flumina, & montes*. Remanentibus itaque in suo robore adductis pro limite inter Neustriam, & Austriam ad Mincium statuto, superest & infimum ab austro decernere, qui dubio procul antequam Rotharis Liguriam caperet, fuit Apenninus. Ea capta inferum mare, sive Ligusticum, cum eadem sub Neustria comprehenderetur. Et huc modò revocentur prædicta nu. 28. nempe, Neustriam in Langobardiæ nomen migrasse, quando A. 781. Pippinus Caroli filius Rex Italiæ fuit dictus. Francos postea imitati sunt Græci etiam Italiam Transtiberinam *Langobardiam* vocantes, majori tamen ostentatione, quam consilio. Ostentatione dicimus, quippe quod eorum Protospatarii, Stratigi, Antipati, sive Præfecti, inter Provincias, quibus præesse, vel præfuisse gloriabantur, etiam *Langobardiam* initialibus suis in titulis enumerabant, ut innotesceret, Græcos Langobardis quoque imperare, ut ex dictis nota 104. *in Morenas* (C. H. t. 6.) ubi de distinctione inter Lombardos, & Langobardos ibi primò observata. Qui primus ex Historicis Italiæ Transtiberinæ partem appellare cœpit Langobardiam fuit Theophanes Gregorius Constantinopolitanus Abbas in exilio vita functus A. 818. de quo Curopalates, & Cedrenus in Historiarum suarum proœmiis. Ab eo dicimus hanc nostram Langobardiam *Majorem* scribere per comparationem ad *Minorem* trans Tiberim: & licèt testem non habeamus, tamen si hæc nostra *Major*, ergo illa *Minor*. Insertum Duchesnii *tomo* 2. *p.* 199. fragmentum extat *de Rebus Caroli M. cum Imperatore CP* ex Theophanis *Chronographia* tenoris hujus: *Interea Heirene misit Johannem Sacellarium, & Logothetam in Longobardiam* (minorem) *una cum Theodoro* (idest Adalgiso, ut in Miscella p. 167.) *dudum Rege Majoris Langobardiæ ad ultionem inferendam, si fieri posset, in Karolum, & quosdam subducendos ab illo. Descenderunt ergo cum Theodoro Patricio, & Prætore Siciliæ: initoque bello, tentus à Francis amare peremptus est* (Theodorus, sive Adalgisus) Extant de hac expeditione Græca in minorem Langobardiam binæ Epistolæ 88. & 90. Adriani in Cod. Carolino, datæ A. 787. quo commissum hoc prœlium. Theophanem interpretatus est Anastasius; attamen in Chronico Theophanis Historiæ Byzantinæ inserto fragmentum hoc non invenimus. De Neustria satis pro nunc: de Langobardia etiam majori, & minori iterum recurret sermo num. 138. suo loco, & tempore. Descriptis Ducatibus Provincialibus sub ea contentis, cum suis locis, reliquos Ducatus Urbanos, hoc est Urbes, Regi immediatè subjectos enumera-

Digitized by Google

merabimus, locaque obscuriora declarabimus, hac methodo in posterum progressuri usque ad finem.

(54) Ab Italiæ dextero latere magis occiduo capit initium *Liguria*, cujus nomen quò in origine obscurius, diuturnitate eò clarius: nam etsi huc, illucque extra suam sedem à Justiniano quondam evectum, nunquam tamen interiit. Etymon illius quærentes frustra laborant, *nam hactenus incomperta origo ejus gentis*, ait Dionysius *lib.* 1. *p.* 24. Cuncta sunt vana commenta delenda, non repetenda ab Oldoino in *Athenæi Ligustici* præfat. de Phæthonte, Cygno, Ligusto, sive Ligysto, à quibus Ligures (& quotquot intra eorum antiquos fines existunt) ortum suum ducere jactant. Jam semel fabulas suas oblivisci deberent, moniti & à Diodoro *lib.* 4. *p.* 210. Hannoviæ 1604. & à Pausania in *Atticis p.* 120. & à Sidonio *Epist.* 5. *lib.* 1. & aliis, dum is eas deridet, & illi, licèt fabularum amici, penitus execrantur. Si nominum similitudinem quærunt, prognatos suos à fontibus, ripisque *Ligeris* petant, à quibus profecti, trajecto Rhodano, in Provincia primò sedisse agnoscuntur: ibique decem & ampliùs Ligurum genera, priscis collecta ex Scriptoribus, scribuntur & in I. Tabula nostra. Celtæ (sicut cæteri Transpadani omnes) sunt Ligures, ore proprio clamantes apud Plutarchum *in Mario p.* 203. b. & *nomen suum intonantes identidem Ambrones* esse, hoc est origine Gallos, juxta Eutropium *lib.* 5. in princip. & alios. Vetustiora hæc sinamus. Græco-romanis usque ad medium ævum Liguria paruit, asylumque Archiepiscopo nostro Honorato, & aliis præbuit Genua, teste Paulo 2. 25. quando in Italiam Langobardi irruperunt: quibus tamen post annos 70. & ipsa cedere, Rothari regnante, est adacta, ex prædictis sub n. 50. dimissaque tunc Alpium Cottiarum Justinianæa appellatione, vetus Liguriæ nomen resumpsit, Ducatus titulo insignita, ex lapide Ticinensi enunciato sub num. 23. Hanc Langobardis cum integro Regno ademit Carolus, ut patet ex Comite ab eo Liguriæ præposito, cujus custodiæ, & tutelæ commissæ quoque fuere Corsica, & Sardinia, ut colligitur ex Annalista Fuldensi A. 806. Quandoque tamen, præsertim sub Ludovico Pio, eas tuebatur Comes Tusciæ, ut cognoscimus ex Aimoino 4. 116. scribente quod „ Bonifacius Comes, „ *cui tutela Corsicæ Insulæ tunc* (A. 826.) *erat commissa*, assumpto secum fratre Berchario, necnon & „ aliis quibusdam Comitibus *de Tuscia*, Corsicam, atque Sardiniam parva classe circumvectus, cum nullum in mari piratam invenisset, in Aphricam tra„ jecit. „ An Ludovicus II Liguria cum Tuscia quendam *Tuebaldum*, ejusque hæredes donaverit, ut apud Epitomatorem Casinensem, videbimus infra num. 98. Modò Liguriæ terminos definimus (rectius Ligurum effusionem): nedum admodum ampli illi fuere posteriori ævo Romano, quando Liguriæ nomen recenti Langobardiæ fuit inditum (Liguria divisa ævo Gothico in *Planam*, & *Montanam*, ut ex Cassiodori *Ep.* 14. *lib.* 11. observat Holstenius *in Cluverium pag.* 1.), sed longè ampliores antequam à Romanis in Provinciæ formam redigeretur. Etenim præter Ligurum diffusionem ab occasu inter Varum, & Rhodanum, ut mox supra, adhuc ab ortu *Aretium usque* in Tuscia proferebantur: nisi corruptus sit textus Græcus Polybii *l.* 2. p. 126. ἕως τῆς Ἀρητίνων χώρας, ut suspicatur laud. Holstenius p. 3. At leviter, nam & Dionysius Halicar. *lib.* 1. *p.* 24. refert, quosdam putasse, Aborigines *Ligurum Colonos* ..... *Umbris confinium*. Hinc si Ligures Umbris erant confines, planè usque ad agrum Aretinum sub Apennino, ubi initium Tiberis, propagabantur in mediterraneis, & *juxta mare Pisam usque*, ut superiori linea ait Polybius. Verùm suos inter naturales limites cum nominis restitutione Liguria sub Langobardis contracta, formam recepit, quam sub Romanis ante Constantinum habebat, hinc Apennino *à borea*, marique *ab austro* in latitudine, quantumvis parva: inde Varo *ab occasu*, & Macra *ab ortu* concludebatur, juxta Plinium 3. 5. *ab amne Varo* ..... *Macra Liguriæ finis*. Nil nostra refert, quod aliqui Lunam trans Macram Liguriæ attribuant. Multum quidem interest pro dicendis sequenti numero, occiduum finem ad Varum intimius expendere, nam videtur quod medio ævo cis Varum, & Nicæam ille fuerit, dum Paulus 3. 1. & Anonymus Ravennas ter pagg. 196. 227. & 255. Septimaniæ hoc est Galliæ, sive Provinciæ, itemque Annalista Bertinianus A. 813. Narbonensi Nicæam adscribunt. At ad Provinciam, hoc est ad Massiliam, spectasse Nicæam adhuc ætate Strabonis ex ipso cognoscimus, & nihilominus Italiæ Urbem semper fuisse, idem Strabo *l.* 4. *p.* 369. testatur, si cum ipso distinguamus *Geographicè* in Italia, *Politicè* verò in Provincia extitisse. Et quomodo? Strabo sic explicat: „ Cæterum Varus inter Antipolim, & Ni„ cæam medius est: hic quidem 20. stadiis inde verò „ 60. distans: adeò *ut Nicæa* secundum hujus tempo„ ris terminum designatum *ad Italiam pertineat* (Geo„ graphicè) *licèt in Massiliensium jure sit* „ (Politi„ cè) Et cur? Quia, subnectit, *Massilienses hæc adversùs instantes Barbaros ædificarunt Oppida* paulo supra enumerata, cis, & trans Varum *Turoentium*, & *Olbiam* (Toulon, & Hyeres) *Antipolin*, & *Nicæam*: & *Navale Cæsaris Augusti*, *quod Forum-Julii vocant* (Frejuls). Eadem distinctione, & ratione *Antipolis*, licèt trans Varum, & in Provincia *Geographicè*, attamen dicitur in Italia *Politicè*, quia ut subjicit, *cum Antipolis in Narbonensibus jacet partibus*, & *Nicæa in Italicis*, *Nicæa quidem in Massiliensium jure permanet*, & *Provinciæ nimirum existit*: *Antipolis verò inter Italicas annumeratur*, *cum Massiliensibus judicio contendens*, *ab eorum mandatis libera facta est*. Quæ planè & jure naturæ firmantur, quo *Massiliæ Matri*, & Metropoli *filia* ut Colonia *Nicæa* subjicitur, & jure gentium, ut apud Thucydidem *lib.* 1. *à pag.* 14. Corcyræi in Conventu Athenienſium contra Corinthios fatentur, & Corinthii adversa oratione Corcyræis objiciunt. Quod idem Asiæ Urbibus de Primatu contendentibus ostendit Aristides *Orat. de Concordia tom.* 2. & tot alii in quodam Opere MS. de jure Metropoleon apud nos. In Massiliensium porrò jure civili, & perantiquo Ecclesia Gallicana communicare etiam voluit, dum Narbonensi Metropolitæ Episcopos Cemelensem, & Nicæensem fecit obnoxios, eisdem Episcopis ad Gallicana Concilia vocatis, ut liquet ex Geographia Sacra, Sirmundo, & Holstenio *l. l. p.* 4. Reliqua de Nicæa, mox.

(55) Finibus Liguriæ statutis, ejus loca obscuriora declarare, potius quam in singulis cuique notis, & à Lexicographis, & Geographis abundè explicatis, immorari, præstabit: nulla de illorum positione, & distantia mentione facta, quoniam utraque in Tabula cognosci poterit, nec verba sunt citra necessitatem multiplicanda: quod pro dicendis & hic, & alibi universim monemus. Modò circa loca Liguriæ speciatim observamus, ejus tot Urbes, una vel altera excepta, ut infra, magnæ antiquitatis non esse, cum absint ab ea pretiosa ænea Tabula agrorum Liguriæ A. 1506. reperta in agro Genuensi à quodam agricola, & cælata *L. Cæcilio Q. F. & Q. Muucio Q. F. Coss. eidib. Decemb.* quam primùm edidit Augustin. Justinianus Ital. *Annal. Genuæ lib.* 1. *p.* 23. post Stunica, ex quo Ortelius in *Theatr. Orbis* f. 25. transcripsit, scriptamque cognoscimus A. U. C. 637. quo Coss. sociantur in fastis Labbeanis *L. Cæcilius Metellus Diadematus*, & *Q. Mucius Scævola Augur*. Verum quidem est, agi in ea Tabula de agris solum controversis inter Genuenses, & Velturios, candemque esse mutilam, ut & vidit Ortelius. Ibidem prout extat, præter amnes, & montes plerumque ignotos, sequentia loca, seu gentes scribuntur, quæ aliquam habent convenientiam cum Urbibus medii temporis, vel nunc existentibus. Sunt autem *Veiturii*, sive *Vituries*. (Lex. in *Velturii*: Voltagio, sive Ottagio: al. Voltri.) *Via Postuma*, cujus meminimus sub n. 29. *Langenses*, sive *Langates* (Lex. in *Langienses*: Langasco nunc, & Lagnasco in Tabulis) hinc le Langhe. Apenninus cum simplici n. *Ager Poplicus* (Lex. in *Pollupice*, nunc Finale.) *Genua*, ut infra. *Immanicellum*: al. in Manicella. (Lex. in *Immanicellum*.) Cætera, *ut Castellum quei vocatus Alianus*: *Odiates*: *Dectunines*: *Cavaturinei*, *seu Cavatuines*, *Mentonines* &c. fortè & ignota Scriptoribus Liguriæ, & à priscis Geographis præterita, præterimus & nos. Nihilominus hac tabula in sermone locorum nos uti fortè continget. Aliunde observamus, paucas Urbes, verè Urbes, in Ligustico tractu, adhuc posteriori ævo Romano, ut Blondus *Italiæ Reg.* 1. *p.* 297. exclamaverit: *Mirari soleo, nec Genuam, nec alium quempiam in Ligustinis locum pro Colonia captum fuisse* (excipere debebat Albingaunum, & Albintemilium) *quod à situs sterilitate*, *quam milites horruerint*, *crediderim processisse*. Cum igitur plures Urbes, nobiliaque loca in Liguria, alibique nunc extent, quorum & nomina silent antiqui, & origines ignoramus, opera, ut plurimum Gothorum, & Langobardorum ea fuisse, prudentes credere possumus, ut nemo miretur, si eadem loca nomine parum à recenti diverso scribantur, neque documentorum testimonio vallentur. Hoc defectu speciatim laborant illæ Regiones in quibus ob diuturnam pacem vel defuit occasio ea commemorandi scriptoribus, vel horum scripta de suis rebus medii ævi adhuc latent. Præsto est Liguria, cujus Annales vix à sæculo XII. incipientes habemus. Accedit paucos Episcopatus Liguriæ, ac Cœnobia, quæ nomen quoque in loca effundebant, medio ævo floruisse, ut apud Ughellum t. 4. Lubinum, & Mabillonium, ut inde nec Principes chartas, in quibus loca concessa pro dote innuuntur, ediderint. Nihilominus antiquis destituti, ope scriptorum, medio ævo viciniorum, ut in opere simus, pro viribus cunctis agemus. A Varo itaque incipientes, ut a limite Italiæ

Digitized by Google

liæ ex prædictis, primò NICIA occurrit, Galliæ adhuc medio, & infimo ævo attributa, & Nicia Provinciæ dicta, tum ut à tot aliis discriminaretur, tum quia Arelatēsium Regibus, Comitibusque Provinciæ fuit obnoxia. Utique apud Scriptores medii ævi *Nicæa* quoque sinè diphtongo scripta invenitur, ut apud Gregor. Turon. *Hist.* 4. 37. *&* 6. 6. item *de Glor. Conf. c.* 97. Usuardum 21. Maji de S. Hospitio, ac Anonymum Rav. p. 227. Sed *Niciam* conterranei malunt, ut ex actis S. Syagrii, quem colunt Nicienses, teste Baronio in notis ad Martyr. 23. Maji. Antiquos hymnos, quos recitare solent Monachi S. Pontii Niciæ, ab amico acceptos, ac transcriptos ex Petri Joffredi *Nicæa illustrata* p. 116. habemus: quorum vespertinus sic incipit

Siacrio Episcopo
Nicensium Domino &c. & infra:
Cum quo Niciam petiit &c.

Sic in reliquis ter, quaterque *Nicia* repetitur. Niciam quoque notavit Cluverius, in quem Holstenius p. 4. testatur medio ævo Niciam scriptam inveniri: at exempla, quæ profert: *Innocentius Diaconus ex portu Nicaensi: Nicaense Castellum* nec sunt medii ævi, nec probant Niciam, cujus gentile Niciense. Non ita tamen Nicia barbarè dicta, quin & legatur in Itinerario maritimo, & portuum, *ab Olivula Nicia plagia m.p.* 5. *à Nicia Antipoli portus m. p.* 16. Supra Niciam extitit CEMELA. Quot modis unquam veteres, & neoterici hanc scribunt? Sequimur Usuardum 14. Maji: *in Civitate Cemela S. Pontii M.* cujus vestigium nunc *Cimiez*, de qua Sirmundus in *Præfat. homiliar.* Valeriani Episcopi Cemeliensis. Niciæ Cemela præfertur in Epistola Hilarii PP. apud eundem *Concil. Gall. t.* 1. *p.* 136. qui exequi mandat *quæ super Ecclesiis Cemeliensis Civitatis, vel Castelli Nicæensis S. memoriæ decessoris mei* (Leonis I.) *definivit auctoritas*, hoc est unionem utriusque Episcopatus. Hinc in V. Concilio Aurelian. A. 549. subscribitur *Magnus Episcopus Ecclesiæ Cemelensis, & Nicaensis*. Utramque vastarunt Langobardi Duces Gallias ingressi per Niciam, ut apud Paulum 3. 2. *& seq.* qui transcribit Gregorium Turon. 6. 6. Refectas à Carolo M. iterum everterunt Sarraceni A. 849. ex Annalista Bertiniano. FRAXINETUM SARRACENORUM, de quo num. seq. MONACHUM, olim *Monœci portus*: nec rectè hunc Ptolemæus 3. 1. distinguit ab Herculis portu, *post Vari ostium ad Ligusticum mare Massiliensium sunt Nicæa: Herculis portus: Trophæa Augusti: Monœci portus*, qui Monachum: & etiam *Herculis Monœci portus* dicitur in Itinerario maritimo, & *Statio* à Lucano *Pharsal. l.* 1. *v.* 408.

. . . . . *& tuta probibet Statione Monœci.*

Non ergo is alter ab *Herculis portu* inter Niciam, & *Trophæa Augusti* (quæ Viris doctis esse *Torbia* videntur) sed idem omnino *Herculis portus*, ac *Herculis Monœci portus*, ut cum Cluverio sentit Cellarius p. 654 & ita in Isleana notatur. Qui cum Blondo p. 296. & Alberto p. 10. *Herculis portum* distinguunt à *Portu Monœci*, & hunc Monachum, & illum *Villam francam* esse contendunt, sciant Villam francam esse antiquum *Olivulæ portum*, ut in d Itinerario, & patebit num. 56. exeunte. Cæterum hæc, aliaque loca ab Herculis peculiari cultu, templisque Gentilitas dixit: fabulæ enim sunt illius transitus, stationes, sive bella ubique peracta, ut universum Orbem subigere, & peragrare potuerit. Monachum tantùm à Christianis medii ævi dici cœpisse conjicimus, ideo in *Annalib. Genuens.* mox laudandis *col.* 408. scribitur: *Fulco de Castello cum pluribus nobilibus Civibus ivit cum galeis tribus, & aliis lignis portantibus lignamen, & calcinam, & ferramenta multa ad Podium Monachi: & decimo die Junii Castrum ædificare cœperunt* (quia à Langobardis, vel à Sarracenis, quod probabilius destructum) *& antequam redirent ad propria, ædificaverunt turres quatuor, & muros in circuitu altitudine palmorum triginta septem*. VINTIMILIUM, quod *Intemelium* Tacito *H. l.* 2. *cap.* 13. & *Albintemelium* aliis. *Johannes Episcopus S. Ecclesiæ Vintimiliensis*, subscribitur in VI. Synodo sub Agathone A. 680. act. 4. Varius est Anonymus Rav. cui pag. 200. *Vigintimilium*, & *Vigintimillia* infra pagg. 226. & 7. *Vigintimilium* adhuc antiquitus in Itinerario maritimo, imò & Varroni *de Re Rust. l.* 3. si fideliter laudatur ab Ortelio in *Albinimilium*. Hæremus, cum absit à Codice nostro Scaligeriano. Caffaro *col.* 271. & Continuatoribus *Annal. Genuens.* (C. H. t. 6.) semper Vigintimilium. TABIA prætermissa à Lexicographis, & ab Ortelio: *Taggia* modò 5. m. pass. a S. Romulo (al. S. Remigio, vulgo S. Remo) ut scribunt semper Annalistæ Genuenses, ubi & Tabia col. 387. Fuit patria S. Benedicti Episcopi Albingauni, qui floruit sæculo IX. ut ex lapide apud Ferrarium *Catal. SS. Italiæ* 12. Febr. p. 92. Ughell. *t.* 4. *col.* 1264. Bolland. eadem die. Lubin *Notitiæ Abb. p.* 144. Obiit Sanctus Vir A. 900. Tabia ergo ævi medii. UNELIA juxta *Annal. Genuens. col.* 388. & alibi. ALBINGAUNUM, nam in laudata VI. Synodo subscribitur quoque *Bonus Episcopus S. Ecclesiæ Albingaunensis*, in cujus chartis antiquissimis apud Ughell. *t.* 4. *à col.* 1269. Clerici omnes *Albingaunenses* se subscribunt: *Albinganis* Anonymo Rav. p. 212. *Albinga* in Chronicis Pisanis coll. 177. 183. & alibi. (C. H. t. 6.) sed *Albingana* Annalistis Genuens. col. 410. & alibi. GALLINARIA Insula: S. Martinus Mediolano pulsus ab Auxentio Ariano, *ad Insulam Gallinariam nomine secessit*, &c. ut scribit Sulpitius Severus in ejus *vita cap.* 6. edit. Joh. Clerici *tom.* 1. & post Sozomenus *l.* 3. *c.* 14. Gallinaria & antiquitus apud Varronem *de Re Rustica l.* 3. *c.* 9. & Columellam *l.* 8. *c.* 2. Gallinaria & hodie, sive Insula Albingæ. PETRA ex ædificiis perantiquis barbaricum opus apparet: *Castellum de Petra* Obertus II. Episcopus Albingaunensis emit ab Henrico Savonæ Marchione ex actis apud Ughell. *t.* 4. *col.* 1269. FINARIUM & *Finale* in Annal. *Gen. col.* 387. *Poplicus* in tabula ænea: Lex. in *Pollupice*. VARICOTTIS meminit Fredegarius p. 645. inter loca capta à Rothari Rege. Locus ignotus Ruinart in subjecta nota, sed notissimus in Tabulis Magini 7. Liguriæ occiduæ, Chafrjon Hispani, Ceruti in cursu Padi &c. situs inter Finarium, & Naulum: quondam celebris portus, cujus supersunt vestigia: nunc ibi piscatio thynnorum. Neque nomen corruptum, ut censet Ruinart, saltem in Codice vulgato: utique in Colbertino, ubi *Albingam*, *Novariam*, *Cotisam*, *Omavibitergio*. Deleatur *Novaria* hic extra rem, tunc Langobardorum. Prima syllaba *No* conjungatur cum *Albinga*: sequentes *Varia* præponantur *Coti*, & fit *Varicottis*: *sam Oma* jungantur, & legatur *Saona*: *Vibitergio* est Opitergium. Sic emendandi alii Codices relati à Ruinart, quem piguit consulere tabulas. NAULUM Annalistis Genuensib. col. 405. quod & supra col. 264. Caffaro *Castrum Nabolense*. Conditum à Genuensibus, & Savonensibus non malè dicitur ab Alberto p. 12. cum de illo nullum signum apud veteres: nunc Noli. VADUM, olim ut fertur, *Vada Sabatia* corruptè suo more Anonymo Rav. p. 212. *Batis Sabatis*: Chronographis Pisanis col. 108. *Castrum Vadense*. SAVONA, an Savo veterum dubitant Viri docti apud Cellarium p. 656. In tabula ænea nulla mentio Savonis, etsi ad alterutrum ex contendentibus, ratione finium ultra Finarium, spectare debuisset. Fortè nondum Savo tunc conditus. CAIRA supra Savonam Ducatui Liguriæ ne, vel Astensi medio ævo accensenda? Savonensi Episcopo confirmatur Castrum Cairi in chartis Ottonis I. & III. sub AA. 967. & 996. apud Ughell. *t.* 4. *à col.* 1004. E contra ex Ottone Frising. *de Gest. Frid. l.* 2. 16. ditionis Astensis fuisse cognoscimus, dum scribit *Cairam maximam, & munitissimam Villam destruximus, & Civitatem Astam incendio vastavimus*. Clarius ex Gunthero *Ligurini l.* 2. *v.* 348. Metrocomiam fuisse Langarum intelligimus, eo canente:

Urbs erat, antiquo quam nomine dixerat Astum
Usus: habens propriis in finibus Oppida lata,
Ac populosa nimis: Rairam *gens illa vocabat.*

Rairam (corr. Cairam) sed magis corrigendus Commentator Spiegellius, duplici errore scribens, Cairam eam esse, *quæ in Subalpinis ad ripam ferè exorientis Padi Iria Ptolomæo dicta est*: utique exorientis *Bormiæ*. Pejus Iriam interpretatur, ut infra n. 63. Posteriori ævo hoc est A. 1213. ad Marchiones Carrecti spectasse docent *Annales Genues. col.* 408. dum *venit Otto de Carretto Marchio Januam, & dedit Communi Januæ Castrum Cayri cum sua Castellania, & pertinentiis Vigerolia videlicet cum medietate Carcari . . . . . & prædicti Consules ei in feudum reddiderunt: & ipse in publico parlamento fidelitatem Communi Januæ inde juravit, & prædictum feudum in eum investierunt*. Serò igitur Genuenses Cairam obtinuere, nec refert, antiquitùs ad Savonæ Ecclesiam spectasse, cum bona Ecclesiis adhuc extra Diœcesim, & Comitatum conferri solerent. Observamus ex Paulo 4. 47. Rotharim cepisse *Romanorum Civitates ab Urbe Tusciæ Lunensi universas, quæ in litore maris sitæ sunt*, captis jam per decessores Reges montanis locis, Astensi Ducatui fortè tunc attributis, ut ideo extra fines Ducatus Liguriæ fuisse Cairam definire fas sit. GENUA Liguriæ princeps: gentile Genuenses, vel Genuates, ut in tabula ænea. Sanè solemne scriptoribus medii ævi, & hodie Januam scribere, utique barbarè semper, & malè: sed pejus, si à Jano petatur, quod commenta Anniana sapit, & putidiora Inghirami, ut ideo Genuam scribamus. Ineptum adhuc etymon Volaterrani *l.* 3. *p.* 59. qui cum aliis affirmat, Transalpinæ *Genuæ* hanc esse Coloniam, hoc est, ut p. 27. *Genevæ*, laudatque Cæsarem, sed perperam: is enim *Bell. Gall. l.* 1. *c.* 2. *Genevam* bis habet. An in Orbe universo altera Genua extet, ambigimus. Affirmant Lexicographi in *Urso* in Hispania nunc *Ossuna*: ac fortè non Genua, sed *Gemina Urbanorum*, quod legendum conjicit doctus Ant. Augustinus apud Harduinum in Plinii emendationib. *l.* 3. *sect.* 13. *p.* 183. „ deductis eò Colonis militaribus ex aliqua earum Legio-

„ gio-

Digitized by Google

„ gionum, quibus Geminæ, aut Gemellæ cognomen „ fuit, quales erant VII. X. & XIV. quod ex duabus „ factæ singulæ erant, quæ justum legionum numerum „ non explerent, „ ex Cæsare, & Dione. Hæc obiter: quo ad nostra tempora, ex adventu Langobardorum in Italiam Genua crevit: non enim tunc Imperatoribus erepta, Archiepiscopus noster Honoratus, ejusque successores per annos 70. ac Neustriæ nobiles illic sibi asylum constituere. Cessit demum & ipsa, ut mox supra, & sub numm. 50. & 54. prædiximus. RECINETUM, sive Recina, nunc *Recco* 12. m. pass. à Genua in ortum, ut corrigit Holstenius Cluverium p. 10. DELPHINI PORTUS adhuc ex *Chronicis Pisan. col.* 108. & juxta Annal. Genuens. col. 432. *Castrum Delphini* nunc *Porto fino*. CLAVARUM olim *Burgus longus*, ut prodit Bodrandus *in Cluverium* ex ore docti conterranei. LAVANIA, quæ Lexicographis Lebonia, & Libarnia, *Lavania* à medio ævo ex eisdem Annalibus col. 258. SEGESTRUM quod vetus *Segesta Tiguliorum*, & hæc alia à *Tigulia*: hæc intus in ruderibus jacet: illa, nunc Sestri di Levante, in litore viget, & *Castrum Segestri* est Cassaro *col.* 261. MONELIA, quæ in tabula Theodosiana seg. 2. *ad Monilia*. Supra in Apennino BRUMIADUM, non ad Varum, ut scribit Ughellus *tom.* 4. *col.* 1363. nisi sit error Typographi, sed ad Varam (al. Varram) quæ in Macram influit. Ibi olim celebre Monasterium opus Liutprandi, cultum à Rachisio (qui & Ridulphus) & Desiderio, quorum Regum mentio in binis chartis Caroli Crassi AA. 881. & 2. item Ottonis III. A. 996. nunc *Brunetum*. Suppresso Monasterio Innocentius II. A. 1133. Episcopatum instituit. Hæc ex Ughello *d. t.* 4. *à col.* 1004. In Isleana hic scribuntur *Briniates*, qui *Brinium* Cluverio p. 72. *Brignate* August. Justiniano apud Holstenium *in Cluver. p.* 11. sed fortè Briniates trans Abduam, ut dicemus num. 69. PORTUS VENERIS invariati semper nominis, ut ex binis Epistolis S. Gregorii 16. Venantio, & 17. Constantino Episcopis *lib.* 4. edit. vet. Ita *in Chronicis Pisanis col.* 183. & alibi, ac centies *in Annal.* Genuensium. Quod dictus fuerit à reliquiis S. Venerii huc allatis, fabula est, veteribus reluctantibus, ut & observat Albertus p. 21. b. SPEDIA, de qua visu deceptus Volaterranus *lib.* 3 *p.* 59. in Liguria scribit: *Spedia item Ptolemæo, quamvis corrupto vocabulo Speciem vocent*. Et ubi Spediam dixit unquam Ptolemæus? Sua ætate Blondus *Regione* 1. exeunte scripsit, quod *Spedia est novum Oppidum circa annos* 60. *muro circumdatum, secus quam inspecta descriptione, ac pictura, à majoribus facta, Tiguliam fuisse conjector*. Distat 20. m. pass. & ampliùs. Planè Spedia Lexicographis sinus, sed Livio lib. 34. cap. 3. & Straboni 5. p. 444. portus semper fuit celebris, ut omni prorsus Castro, quod tueretur portum, fuisse destitutum prorsus sit improbabile: at quodnam illud fuerit, nondum comperimus, ut ideo nomine fortè recenti uti adigamur. Non obstat tamen, quod solum sæculo XIV. Spedia mœnibus fuerit septa, quod confirmat Albertus p. 21. b. Antiquior esse potuit, sed diruta à Saracenis, sicut tot aliis locis evenit, ex dicendis cum sermo erit de Tuscia. ERIX, hoc est *Eritis portus* Ptolemæo 3. 1. quem locum, & proxima feliciter parum interpretatur Molerius; nec felicior Cluverius, ut ideo is idem vapulet Holstenii notis à pag. 26.

(56) Periegesi absoluta Liguriæ Ducatus, sepositum à cæteris locis FRAXINETUM SARACENORUM (quia hujus situs difficilioris indaginis) in calce Regionis repetimus. Sic in posterum procedendum fore monemus, quoties de aliquo incertæ positionis loco, ne cursum abrumpamus, sive alia de re dubia prolixioribus verbis differendum occurret. Nullum itaque hucusque in tabulis Fraxineti vestigium apparet. Quinimo Scriptores vel non satis situm determinatum indigitant, vel varii à vero prorsus aberrant. Postquam & nos sententiam nostram, licèt infirmam, dixerimus, aliorum etiam considerabimus; cæterùm maximè dolemus, carere Petri Joffredi *Nicæa illustrata*, nos monente Rossotto ad calcem *Syllabi Scripp. Pedemont.* in Indice topographico sub verbo *Fraxineti*, Joffredum ibi de Fraxineto differere: Rossottus inquit: „ *Fraxinetum* Oppidum est, à quo Beroldus Sabaudici sanguinis Princeps Sarracenos per multos annos tyrannidem ibi exercentes, magna sui nominis gloria ejecit. Sunt qui putent esse illud Oppidum, *quod extat prope Casalem S. Evasii: at Joffredus in sua Nicia vult intelligi arcem S. Hospitii*. „ Porrò cum hujus loci notitia valde conferat ad Chorographiam, & ad intelligentiam historiæ Saracenorum, qui & Langobardiam sæculo IX. & X. sævissimè exagitarunt, non inopportunus de Fraxineto erit sermo. Is ergo locus alias fortè obscurus, & humilis, celebris, quamquam nefastus, sæculo IX. esse cœpit, cum Saraceni, eo capto per AA. circiter 82. hoc est ab A. 890. ad 972. Langobardos, præsertim Subalpinos, æquè ac Provinciales vexaverint: & cum ipsis (quod magis horrorem incutit) Hugo Rex Italiæ nefandum fœdus percusserit: itemque Adalbertus Rex, Berengarii II. filius, ut se ab Ottone descendente in Italiam A. 961. tueretur, auxilium ab illis petierit, ut apud Sigonium h. A. Virtute demum Villelmi I. Provinciæ Comitis, infami Oppido capto, & tunc fortè deleto, tota gens illa periit, ut ex Glabro Rodulpho suppari, aliisque proximioribus prodit Pagius sub A. 972. à num. 4. In Alpium Cottiarum Provincia (more Justinianæo) Fraxinetum locat Sigonius A. 891. Id quidem satis, ut intelligamus fuisse cis Varum contra aliorum sententiam, ut infra. At pro Chorographia nimis incerta hæc positio. Maritimum fuisse locum cognoscimus, cum dictus Rex Hugo A. 940. ut Saracenos terra, marique circumdaret, ac evelleret, classem cum Græco igne à Constantino VII. Aug. impetraverat. Jam eorum naves incenderat, Oppidumque expugnaverat, quando Berengarii adversantis formidans adventum, pessimo usus consilio, cum illis maluit fœdus inire, quam gloriosum opus cœptum perficere, ut exactè narrat Liutprandus *lib.* 5. *capp.* 4. *&* 7. Non rectè ideo in Vita S. Bobonis apud Ferrarium *Catal. SS. Ital.* 22. Maji Fraxinetum Insula dicitur, cujus expugnationi Vir Sanctus interfuit. Extitit in promontorio, Pagio *l. l. num.* 6. annuente, & favente Liutprando, qui in exordio Historiæ suæ de primo Saracenorum illuc accessu scribit, quod Oppidum *mari uno ex latere cingitur, & in cæteris densissima spinarum sylva munitur ..... montemque Maurum villulæ cohærentem contra vicinas gentes refugium parant* (Saraceni). Itaque in ora occidua maris Ligustici Nicæam inter & Monachum non veremur *Fraxinetum* locare, in illo scilicet promontorio, in cujus latere occiduo apparet sinus, & portus nunc Villæfrancæ. Hoc porrò promontorium adhuc montem complectens, verè, ut subnectit Liutprandus *l. l. in Italicorum Provincialiumque confinio stare manifestum est*, juxta tradita supra num. 54. de limite occiduo Liguriæ. An mons postea *Maurus* diceretur antiquitus, vel solum eo tempore, ab accessu Maurorum, in quem ascendebant, quoties à Christianis urgebantur, quod probabilius videtur, nolumus definire. Doctus conterraneus ad nos scribit, nunc vocari *Monbron*. Certissimè ex eo loco facillimè & Provinciam, & Langobardiam populabantur, diripiebant, & vastabant. Promontorium cum monte, præ cæteris tabulis Galliæ, & Italiæ, in Magini tab. 7. oræ occiduæ Liguriæ satis exprimitur. Sed clarius in ampla 6. foliorum tabula Liguriæ Joseph Chafrjon Hispani An. 1685. Mediolani, in qua Arx S. Hospitii, nunc diruta notatur in latere orientali sinus Villæfrancæ prope ostium, ibique turris erat, in qua S. Abbas morabatur ex Paulo 3 2. Quare cum huic promontorio Villæfrancæ adjacenti cuncta signa adaptentur, in re valde obscura non temerè ibi scripsimus *Fraxinetum*. Nobis astipulatur Placidus Puccinellus *in Hist.* sive *Vita* Hugonis Principis Tusciæ p. 3. licèt nec ipse satis, dum vix Fraxinetum dicit ubi *mons Maurus in agro Nicæensi*. Miramur ideo non parum, Chronographum Novaliciensem, apud Duchesn. *tom.* 3. *p.* 635. qui præ cæteris Canum illorum stabulum, à quibus eversum suum Monasterium, novisse debebat, perperam scripsisse, quod fuerit Fraxineti *locus situs super ora maris in Provincia* (NB) *prope Arelatem*. Quomodo prope? Ab ostio Vari ad ostium Rhodani sunt Leucæ communes Gallicæ 46. idest m. pass. 115. Ibi ad lævam Insulæ Martegues, & plures aliæ, cum Oppidis Astromela in ora, Berra, Juncaria, & Ferreria, ut in eo tractu difficillimè illæ belluæ versari potuerint. Clarissimè Sigebertus An. 891. scribit: *In Italia Sarraceni Castrum quoddam Fraxinetum occupantes magno exitio Italiæ esse cœperunt*. Nec satis collimavit Alph. del Bene *de Reg. Burgund. Transjur. p.* 50. vix scribens: *in Alpibus maritimis, Provinciam versùs arx quædam nomine Fraxinetum ..... huic mons Maurus excelsus adjacet*. Locum loci nondum ex ipso sciremus; sed audiamus Lexicographos. Ferrarius edit. Patav. 1697. notat tantùm *Fraxinetum* ad Padum, malè tamen in margine citatur Liutprandus, qui de Ligustico loquitur, ut supra, non de Padano. Bodrandus è contra de Ligustico sic scribit: „ *Fraxinetum* Castrum præmunitum „ *Galliæ in Provincia* a Sarracenis occupatum, teste „ Liuthprando, nunc excisum jacens ab aliquot sæculis: & ejus rudera hodie *Frainet* dicta visuntur „ in *Provincia prope Grimaldum* Oppidum, & vicum „ *la Garde Frainet* dictum: vix 2. leucis ab ora maris mediterranei, ut *Honoratus Bouche* probare nititur. „ Nomen quidem *Frainet* a Fraxineto parum abludit, sed reliqua sunt prorsus incongrua. Si in Provincia fuisset, ergo trans Varum, & non *in Ita-*

Digitized by Google

Italicorum, *Provincialiumque confinio*, ut ait Liutprandus, qui dum laudatur, perlegi debebat, & magis ubi dicit *mari uno ex latere cingitur*. Hinc quomodo *duabus leucis ab ora maris* diffitum? Numquid mare recesserit? Oppositum liquet, nam æquè debuisset recedere à Fano S. Eutropii (S. Tropez) eadem in ora ab occasu, & à Forojulii (Frejuls) ab ortu, Grimault in medio locato. At Forum Julii in litore nunc, sicut antiquitus ætate Strabonis 4. p. 369. scribentis *Navale Cæsaris Aug. Forum Julii*: ideo in ora maris fuit semper. Post scripta Amicus ad nos schedulam mittit, in qua quidquid Joffredus in sua *Nicæa c.* 13. *num.* 5. *p.* 32. *scripsit*, libentissimè legimus. Et ipse excursionibus Saracenorum ex Sigeberto, Sigonio, & Ludov. ab Ecclesia, gestisque Hugonis enarratis, inviso Liutprando, concludit: *Ubi nam verò hæc Arx sita fuerit nondum assequor: verosimile est, Mauros prope portum Herculeum, nunc Villamfrancam consedisse, quod admittunt recentiores Historici*. Et infra cap. 15. num. 5. p. 37. ut dicebat Rossottus, de Arce S. Hospitii subjicit: „ Commemoranda insuper *S. Hospitii Arx inter Herculis portum, & Olivulam* in Peninsula excitata . . . . . Non ita pridem à Serenis. immortalis memoriæ Victore Amedeo Duce constructa, atque à *D. Hospitii incolatu, & templo* nomen sortita &c. „ Adeatur Paulus 3. 1. Nomina porrò Villæfrancæ, & Olivolæ recentia, ut ex Itinerario Gregorii XI. apud Massonium pag. 310. ostendit Holstenius *in Cluver. p.* 5. recitans S. Pontificis Avenione Romam A. 1375. redeuntis hæc verba: *cum hilaritate nimia Villamfrancam, seu portum Olivæ intravimus*. Villafranca postea, sive Villalibera dicta fuit ab A. 1295. ex mandato Caroli utriusque Siciliæ Regis, & Provinciæ Comitis, ut prodit Honoratus Pastorellus *in Hist. S. Claræ Nicææ* laudatus à Joffredo p. 37. estque Olivi portus in Itinerario maritimo. Et hæc de Fraxinero, & Liguria satis.

(57) Hujus ad lævam *Ducatus Taurinensis* conspicitur, de quo pauca prodit Langobardica historia. Illustrem tamen fuisse ex suis Ducibus cognitis sub num. 23. satis colligimus. Post Langobardos fuit à Carolo in Marchæ formam redactus, sic limite exigente, ut à Saracenis, Gallicas, & Italicas oras infestantibus, eundem limitem tuerentur Marchiones: qui tamen Secusii, non Taurini, dicebantur, ac Secusii sedebant, opportunitate inspecta hujus loci, qui maris oræ proximior. Horum Marchionum seriem prodit ex Guichenonio Cl. Muratorius *Antiq. Estens. p.* 103. & *p.* 105. eamque reformat. Quid novissimè in eundem Guichenonium sentiat Joh. Georg. Eccardus de posterioribus Ducibus sæculi X. videatur in ejus *Hist. Genealog. de Orig. Ducum Sabaud. à col.* 582. Hujus postea Ducatus fines necessariò, ex Regulis num. 2. præmissis, dupliciter sunt considerandi, & ut naturales, & ut civiles. Naturales *ab occasu* facillimè decernuntur: iidem enim omnino sunt ac fines Italiæ, Neustriæ, sive Langobardiæ, hoc est, Alpes maritimæ ex parte, & Cottiæ: nec diversi fuerunt initio Regni Langobardici sub Alboino, & Clephone, imo & durante Interregno ab A. circiter 575. ad 585. At hoc declinante Secusium cum sua valle Regno Burgundiæ accessit, ut non ampliùs *ab occasu* ex hac saltem parte Alpes Cottiæ, neque *à borea* superior pars Orci fluminis fuerint limites civiles hujus Ducatus: quod, fortè hactenus inobservatum, cognoscimus ex Fredegario *cap.* 45. licèt hic narrata non rectè A. 613. alligentur. Etenim scribit, quod Duces Langobardorum *in Regnum Francorum proruperunt: pro ea prosumptione, in compositione Augustam, & Secusium Civitates cum integro illorum territorio, & populo partibus Guntcbramni tradiderunt . . . . . Vallem cognomento Ametegis partibus Guntcbramni cassantes*. Si igitur Duces Langobardi Galliicæ irruptionis in pœnam coacti sunt cedere Guntramno Augustam, & Secusium, immutati fuere fines: nec id potuit contingere A. 613. quo, jam exacto Interregno, post Autharim regnabat ab Anno 590. Agilulfus. Imò Guntramnus (albo Sanctorum adscriptus) ad Cœlos jam evolaverat An. 589. ut ex eodem Fredegario colligitur, scribente cap. 14. *Anno* 33. *Regni Guntramni* (ab An. 565.) *Eo Anno* 5. *Kalend. April. ipse Rex moritur*, quod confirmat Aimoinus *lib.* 3. *cap.* 80. Nec exinde, adhuc regnante Liutprando amplificandi Regni adeò solicito, prædictas Civitates Langobardis novimus restitutas, quod planè mirum videtur: res tamen ita se habet. Etenim quando ejus, & Caroli Martelli ætate post initium sæculi VIII. *Abbo* inter Francos Magnas ditissimus celebre Monasterium Novaliciense fundavit *in Valle Sigusina*, tunc juris adhuc Francorum, Burgundiæ adjacens, erat hæc Vallis, & in Diœcesi Maurianensi ab ævo Guntramni, non in Taurinensi, ut nunc. Id, etsi non omnibus clarè, apparet ex ejusdem *Abbonis testamento* scripto A. 739. &, post Cointium, a Mabillonio vulgato inter documenta *Rei Diplom. lib.* 6. *num.* 62. ex Chartario Gratianopolitano, cujus Chronici characteres initiales hi sunt: *tertio Nonas Majas A. XXI. gubernante inlustrissimo nostro Karolo Regna Francorum Indictione VII.* hoc est *Carolo* Martello (*qui illustris* dicitur in Præcepto Theoderici Calensis apud eundem Mabillonium *l. l. nu.* 36. & in aliis suis chartis inscribitur) non Carolo Magno, qui numquam se illustrem, vel illustrissimum dixit; titulus enim is tribuebatur illo ævo Majoribus Domus Regiæ. Hinc & Pippinus in suis Placitis, ut Major Domus, *inluster* inscribitur *l. l. numm.* 37. & 38. etsi n. 40. jam Rex adhuc *inlustrem* se dicat. Quare minimè pro re nostra possumus assentiri Viro doctissimo, & sanè polyhistori, dum in subjecta annotatione ad calcem *testamenti* scribit, quod *certè Abbonis testamentum conditum est anno XXI. Regni Caroli Magni*, fortè quia vidit esse ab eo confirmatum *Frodino Abbati* A. 805. Id explicare est necesse, ne nostrum de limite occiduo hujus Ducatus infirmetur assumptum. Igitur certè character A. XXI. si ad Carolum M. spectaret, vel esset Regni Francici, vel Langobardici, vel Imperii: at nequit esse Imperii, quod adhuc notabitur, quia imperavit solùm annos 14. Non Regni Langobardici, quia alligari deberet cum A. 795. & Indictione 3. ab A. 774. & hujus Regni nulla mentio, nec demum Francici, qui concurreret cum A. 789. ab A. 768. & Indictione 13. à Septembri. Plures adhuc personæ, Episcopi, & eventus in hoc testamento memorantur, quæ omnia sæculo VIII. ineunti conveniunt, & non præcipiti: eaque mittimus & brevitatis gratia, & quia abundè ex epocha Caroli Martelli probatur ad ipsum characterem illum referri, non ad Carolum M. nondum tunc natum. Duplex ergo illius est epocha: I. ab A. 715. quando mense Aprilis è carcere, in qua jussu Plectrudis novercæ custodiebatur, se abduxit, ut apud Continuatorem Fredegarii *cap.* 104. & hanc epocham sequuntur Annalistæ tum Fuldensis A. 741. quo obiit, scribens, tenuisse *Regnum Francorum annis* 27. (non completis tamen), tum Metensis, rexisse *Populum Francorum annis* 16. *mensibus* 6. II. à die 21. Martii A. 717. qua utitur idem Continuator cap. 106. dicens, quod *rexit utraque Regna* (Austriæ, Neustriæ, & Burgundiæ) *annos* 25. cœptos à dicto anno 717. & memorabili die, qua Chilpericum Regem Neustriæ, & Rangefredum ejus Majorem Domus superavit ad Vinciacum in pago Cameracensi. Liquet ergo & laudatum Continuatorem, & Abbonem Caroli Martelli coævos rectius hanc ejus epocham gloriosiorem esse secutos: ideoque optimè conjunguntur A. XXI. Majoratus Caroli Martelli, & Indictio 7. in testamento Abbonis cum A. 739. quando Carolus M. est natus A. 742. & fortè serius, ut aliqui censent. De cætero, circumstantiis attentis, cur Abbo Francus, patrimonia amplissima possidens in Burgundia, aliisque in partibus Franciæ, ut in testamento, annos Principis Franci, quem suum appellat, designans, condere debebat Monasterium *in Valle Sigusina*, ut inquit, si hæc in Francia ditione non fuisset? Quid plura? Adhuc postremis sub Regibus Aistulfo, & Desiderio Francos tenuisse eandem Vallem, & Urbem ex eo arguimus, quod Pippinus Rex expeditionem in Aistulfum suscipiens præmittit *exercituales viros ad custodiendum* (NB) *proprias Francorum Clusas*, ut scribit Anastasius *in Stephano* III. *p.* 169. *b.* & infra idem repetit. Nihilominus naturales fines præferendo civilibus, liceat firmare limites Ducatus hujus *occiduum* ad Alpes, & à *borea* ad Orcum: nam saltem instituta à Carolo M. ut prædiximus, Marcha Secusii, hoc caput Marchæ, & Marchionum indubitatè erat sedes. Fortè adhuc Comitatus Augustæ, & Eporediæ fuerint eidem Marchæ attributi, ob dicta sub n. 45. nisi obstet charta divisionis Caroli M. ordinantis *c.* 4. quod *ab ingressu Italiæ per Augustam Civitatem accipiat Carolus* (filius) *Eborejam*, *Vercellas*, *Papiam* &c. ex qua dispositione non obscurè apparet, has Urbes (nulla Marcha Eporediæ instituta usque ad Carolum Calvum, ut sub d. num. 45. probavimus, maximè deficientibus Marchionibus ante Anscarium) ad Regnum æquali jure spectasse. A borea vergentes *ad ortum*, nihil obstare videtur, quin Tanarus usque ad confluentem limes fuerit. Equidem Fr. August. ab Ecclesia *Hist. Chron. Pedem. cap.* 10. dicit quod Episcopo Vercellensi olim suberat etiam *temporalis jurisdictio Civitatis* (Vercellarum) *& Civitas Casalensis*, sed quomodo, & quando non docet. Ævo potius Ottonum (M. ferrati Marchionum ditione magis adhuc ad occidentem prolata, ut sub num. 43. scripsimus) ea Marchionum Secusii contrahi necessariò debuit ad Tanarum. Denique *ad austrum* providè pro limite Apenninum ipsa natura locavit.

(58) Limitibus definitis, loca nunc lustraturi, ab occasu, & a Clusarum situ exordimur. Frequentissimum est profectò id nomen ibi, & alibi, quod ideo non proprium, sed appellativum, per quod non tantum significan-

Digitized by Google

ficantur *angusti montium aditus*, ut docet Struvius *in Glossar. h. v.* pluribus laudatis, cum Rheginone A. 753. qui Clusas vocat *Thermopilas*, sed etiam quæcunque loca difficilis accessus propugnaculis munita, ut colligit P. Pithœus *Adversar.* 1. 14. dicens quod *Impp. Romani habuerunt in limitibus τὰ ὀχυρώματα, quæ ipsi Clusuras appellant*. Plura subjicit Dionys. Gothofredus *in l.* 2. §. *in Sardinia C. de Off. P. P. Africæ*: & fusius *in l.* 4. *C. de Off. Mag. Off.* Sed speciatim de Clusis Cottiarum loquuntur Annal Fuldenses A. 773. & Aimoinus *l.*4. *c.* 105. & Continuator l. 5. capp. 15. & 37. ubi *Boso ducit Carolomannum in Italiam per Claustra M. Cenisii* (in margine *per Clusas*) ideoque ad hujus radices CLUSAS locamus; plures tamen esse *valles, & aditus Italiæ, per quos de Gallia ad Italiam transiri potest*, quos muris, & turribus, juxta consilium Magnatum Regni, Desiderius obstruere jussit *de monte Porcariano usque ad vicum Cabrium*, prodit Chronographus Novaliciens. *l.* 2. *c.* 9. non paucas infra subnectens ineptias de exploratore Caroli M. ad risum moventes. Porcarianum montem indicat Fr. Aug. ab Ecclesia *Hist. Chron. Pedem. cap.* 18. *p.* 207. scribens: „ In *Picheriani* montis acumine, à *Cinisio* 12. „ *m. pass.* (ubi olim Carolo M. à Galliis in Italiam per „ Secusinam vallem descendenti, longissimo pariete iter „ occlusit Desiderius) *conspicitur S. Michaelis Clusini* „ *Monasterium*. Extat ad lævam Duriæ minoris in Magini tab. 2. & 3. *la Chiusa*: *S. Michael*. Scribuntur exinde VILLA OTIATIS ex eod. Chronographo *lib.* 2. *cap.* 19. Gallis nunc *Ours*: Italis *Orso*, ut in tabulis 2. & 3. Magini. Ludovicus ab Ecclesia *Hist. Pedemont. p.* 17. testatur veteres Notarios Ours *Ulcium* scribere. GADAONE. Lex. Paris. h. v. ibi testante Bodrando, nunc appellari *Sezane*, & si aliqui *Exilles* esse contendant, sed malè. In Itinerario Burdegalensi, sive Jerosolymitano ex recensione And. Schotti p. 141. legimus: *Gesdaone mutatio*. CASTRUM FLORUM. Lex. Paris. *in Forum Vibii*. Ad lævam Sangonis amnis *Giaveno* ut in tabulis novis, quod est VICUS GAVENSIS eidem Chronographo 2. 14. OCELUM, quod Anonymo Ravenn. *Occellio*, omnibus nunc *Exiles*. Alph. del Bene p. 53. Lex. h. v. Id firmat laudato loco ab Ecclesia, & addit, eosdem veteres Notarios illud, appellare *Icilium*. De situ Oceli extat Epistola Bonav. Castillionæi ad calcem libelli *de Gallor. Insubr. antiq. sedib.* ad Joh. Bap. Specianum Cæsareum Senatorem nostrum, in qua ejurans priorem sententiam *Ocelum* esse *Offellam* (Domo d'ossula) æque infeliciter esse *Ours* cogitavit. SEUSIUM Fredegario cap. 45. cui & VALLIS SEUSANA ibidem. NOVALITIUM ubi celebre Monasterium, de quo num. superiori, cum de testamento Abbonis, quod memorat idem Chronographus *l.* 2. *cap.* 18. plura hic tamen scribens mendacia, quam verba. Nam *Abbo Patritius* ibi scriptus est Romanus, junior 50. saltem annis, certissimè alter ab Abbone Franco, sive, ut conjicimus, Maurianensi, conditore Monasterii, & testatore. Neque *Theodericus* in testamento rectè memoratus dicitur hic *Rex Gothorum*; is enim in inferis jam sepultus jacebat ab A. 526. Est ergo *Theodericus* IV. Rex Francorum ab A. 720. cognomine *Calensis*, quia in Monasterio *Calensi* pagi Parisiensis educatus. Equidem demùm Carolus M. testamentum *Abbonis* Franci *Frodino* Abbati confirmavit illis verbis, quæ præmittuntur testamento in Mabilloniano exemplari, non ut in ineptissimo, quod extat ad calcem laudatæ *Hist. Chronol. Pedem.* Fr. Aug. ab Ecclesia, cujus exordium: *Ego Carlo Magno*: Oh pulcrum! & pro subscriptione *Signum Caroli Magni*: satis hæc. Itinerarium prosequamur. AVILIANA occurrit, cujus mentio habetur in antiquis documentis citatis à Pingonio *August. Taurin.* sub A. 966. TAURINUM: *Staurinis* Anonymo Rav. p. 101. olim sedes Præsidis Provinciæ Alpium Cottiarum, propriè dictæ, si quæ fides in hoc eidem Pingonio sub A. 67. p. 13. nunc Regia Celsissimi Regis Sardiniæ *&c.* PULCHERATA Oppidum ad dexteram Padi infra Taurinum, ubi nunc Abbatia S. Mauri, ut docet ab Ecclesia *l. l. cap.* 16. *p.* 198. Et infra cap. 22. p. 246. ex charta antiquæ erectionis Abbatiæ S. Justi. QUADRATA MUMUM Anonymo Rav. ad distinctionem *Quadratæ Padæ* ibidem notatæ. Quid modo? Verruca ne recens? Parum saltem distat, & utraque ad dexteram Padi. Huc non spectat Castrum Bardinum, quod idem ac *Bardum*, ut infra num. 60 in Ducatu Eporediæ. SEDULA ex charta Liutprandi A. 743. apud Ughell. *tom.* 4. *col.* 336. *edit.* 2. quam undique falsam idem, gravioribus absurdis, quibus redundat, neglectis, in levioribus tueri, sed frustra, conatur. Nil tamen refert, cum ibidem in binis aliis genuinis Ottonis I. col. 347. & 348. *Sedula* legatur & *Senedula*, quæ nunc Casale S. Evasii Episcopi Astensis nominis hujus II. An *Bodincomagus* prius fuerit dicta, videbimus ad calcem num. 59. Prope FRAXINETUM antiquum ex traditione, & ruderibus, quæ visuntur. FORUM FULVII, quod Plinio 3. 5. *Valentinum*, ideo & nunc Valentia. Flectendo ad austrum trans Tanarum inveniuntur ASTA planè perantiqua. Dubitavimus semper an ad Ducatum Taurinensem spectaret: cum enim *Gundualdus Theudelindæ germanus* Dux hic esset, ut scribit Paulus 4. 42. videtur ob dignitatem personæ spectasse ad Regnum, amplamque habuisse ditionem, saltem cis Tanarum. POLLENTIA de qua prisci Scriptores, & Poetæ, inclinante medio ævo destructa. CLARASCUM Lex. in *Carrea* Plinio 3. 5. Potentia. M. VICI vetus ex traditione, ut notant Lexicographi. SALUTIÆ, de qua mox, cum res sit implicata non parum. SAVILIANUM, cujus mentio in charta erectionis Abbatiæ Sancti Petri ejusdem loci, conditoribus Abellonio, & Amaltruda conjugibus A. 1028. apud ab Ecclesia *l. l. cap.* 21. *p.* 232. & Lubin *Notit. Abbatiar. Ital. p.* 357. *a.* ex Ughello. PYRGHI, de quo Pingonius sub A. 966. *Pyrghiana Civitas* 12. *m. pass. ab Alpibus, ubi Ecclesia S. Michaelis ad M. Carpasium* citatis antiquis documentis: Pirchurianæ, & *M. Carpasii* mentio in actis S. Johannis *in Spicileg. Ravenn. Hist. p.* 565. (C. H. t. 1. p. 2.) ibique de Templo S. Michaelis. Plura miranda: cuncta tamen sub præmissa censoria nota 43. *Peras* prope S. Michaelem scribitur in Magini tabula 3. PEDONA Civitas Cassiodoro *ep.* 36. *lib.* 1., & ex actis S. Dalmatii apud Ferrarium *Catal. SS. Ital.* 5. Decemb. ideo Burgus S. Dalmatii dicta, ut & in *Annal. Genuens. col.* 418. In novis tabulis, præsertim Magini 7. *Burgus* tantùm. Paulò infra AURIATUM ex laudatis actis, nunc *Roccavione*. Burgum S. Dalmatii innuit ab Ecclesia *Corona Real.* 2. *part. p.* 389. sed ignorat originem, laudatque pro eo chartam Henrici III. Nigri A. 1043.

(59) Circulo absoluto, redeant SALUTIÆ, quæ & *Salusa* medio ævo, juxta Fr. Aug. ab Ecclesia *Hist. Chronol. Pedem. c.* 9. ex Annal. Metens. quos laudat: item *Salucia*, & *Saluciæ*: attamen perperam a Lexicographis confunduntur cum *Salinis*, & cum Civitate *Sollinensium*: pejus distinguuntur a veteri *Augusta Vagiennorum*: pessimè demum hæc *Augusta*, & altera *Augusta Bateno-rum* pro una tantum accipiuntur. Tria hæc operæ pretium est declarare. Et primò Lexicographi Geographiæ *in Salinæ* rectè quidem dicunt Augustam Vagiennorum esse *Salutias* (Saluzzo) sed malè *Salinas*, decepti a nominum affinitate. *Salinæ* ergo & *Civitas Sollinensium* idem sunt trans Varum, ubi *Salinæ* inter *Ligures Svetros*, non cis Varum, ubi *Salutiæ*. Etiam in tabula Isleana duplicantur, at non bene. Erravit, & causa aliis errandi fuit Ptolemæus 3. 1. scribens cis Varum *Suetriorum in Litoreis Alpibus Salinas*, cum nota Moletii, *Marchia Salubii* (*Saluzo.*) Certissimè in *Notitia Galliarum* sub Provincia Viennensi IV. scribitur quarto loco *Civ. Sollinensium*, quæ eadem ac *Salinæ*, ubi Svetri in Isleana tabula trans Varum; non ergo repetenda *Civ. Sollinensium* cis Varum ad dexteram Padi, ubi *Veneni*, & infra *Vagienni*. De Civ. Sollinensium loquens Holstenius in *Ortelium* p. 180. ita scribit: „ Pro certissimo „ habeo, eandem Civitatem esse cum *Salinis Svetriorum* „ Ptolemæi, quam vulgo *Saluzzo* interpretantur, *haud* „ *levi errore*; nam cum Ptolemæus inter Vintium, & „ Sanitium *Salinas* illas in *Svetris* ponat, non dubito „ quin eædem sint cum hac *Sollinensium Civitate*, quam „ ex Svetrorum situ à Cluverio rectè assignato, omnino „ existimo, locum illum esse, qui nunc *Seillans* voca- „ tur inter Sanitium, & Antipolim „: ut jam supra dixerat p. 166. in *V. Salinæ*: astipulantibus Adriano Valesio, & Cellario p. 239. Lipsiæ, referente ex Sponio antiquas inscriptiones *Salinensium*, quæ omnino evincunt. Non ergo Salutiæ idem ac Salinæ, ac Civ. Sollinensium, ut in tabula Isleana. II. idem omnino sunt *Salutiæ* à medio ævo ac *Augusta Vagiennorum*. Blondus *Ital. ill. p.* 360. Merula *Antiq. Vicecom. p.* 138. in descrip. Montisferrati: Albertus p. 381. quos sequuntur Lexicographi *in Gabieni*: omnes unanimiter ex Plinio firmant *Gabienos* esse, ubi *Gabianum*, sive Gabiana. Adhuc in tabulis novis ad dexteram Padi inter Verrucam ab occasu, & Casale S. Evasii ab ortu scribitur *Gabiana*: locus sanè medii ævi, dum Chronographus Novaliciensis *lib.* 3. *cap.* 14. refert, Carolum M. dedisse Frondino Abbati *Cortem magnam nomine Gabianam*. Porrò Plinii verba recitata à Merula sinè loco, more veteri, hæc sunt: „ Padus è gremio Vesuli montis celsissimum in cacumen „ Alpium elati, *finibus Ligurum Gabienorum*, visendo „ fonte, ruens &c. „ Locus est *lib.* 3. *cap.* 16. At tribus in nostris Codd. præsertim in Aldino 1559. non *Gabienorum* legitur, sed *Vagiennorum*: hæc eadem lectio est apud Cellarium p. 647. & alios; quæ lectio consentit cum superiori *l.* 3. *c.* 5. ante medium, ubi legitur *Augusta Vagiennorum*, & inferior *l.* 3. *c.* 20. ubi *ex Caturigibus orti Vagienni Ligures*: at nullibi *Gabieni*, saltem in Plinio emendato, vel apud alium antiquum Geographum. Hinc fit, laudatum locum 3. 16. in editionibus vulgatis ante saeculi XVI. dimidium esse corruptum, nec unquam ex-

Digitized by Google

extitisse Ligures *Gabienos*, sed tantum *Vagiennos*: & hi non ad Padum ubi Gabianum, sed supra non procul à fontibus Padi, ubi in tabulis antiquis rectè notantur, sicut & in Isleana, *Augusta Vagiennorum*, tum Vagienni, & in novis *Salutiæ* (Saluzzo) utrisque locatis sub gradu 44. & 2. tertiis, plus minus latitudinis, & 25. longitudinis, in qua tamen ferè omnes tabulæ variant, ob variam primi meridiani positionem. Facillimè tamen potest cognosci error, & loci Pliniani 3. 16. corruptio: unaque simul in eodem situ fuisse Gabienos, sive Vagiennos juxta nostros codd. ter memoratos tribus in locis à Plinio, & præcipuè 3. 16. Etenim ibi loquitur de fonte Padi, ergo de gente huic proxima, quæ quasi possit brevi itinere ad illum videndum se conferre, ideo eleganter scribit *visendo fonte*, quod non difficilè Vagiennis, sive Salutiensibus, qui 25. m. pass. ab eo fonte distare videntur; è contra operosum, & arduum Gabienis locatis, ubi Gabianum inter Verrucam, & Casale 60. saltem passuum millibus distans à fonte Padi. Non ergo distinguendæ Salutiæ ab Augusta Vagiennorum rectè notata in Isleana prope fontes Padi, ubi Salutiæ modò, sed ibi delenda *Civitas Sollinienſium*. At ubi benè Cluverius p. 87. & Holstenius *l. l.* situm hujus Civitatis, & Salinarum novere, veremur ne noverint illum Augustæ Vagiennorum. Cluverius hanc dicit sitam versus *Ligures Montanos*, & rectè, quia Plinius 3. 20. habet: *Vagienni Ligures, qui & Montani vocantur*, & non *circa Carmaniolam*, ut censet, quia Carmaniola in planitie magis recedit à montibus, unde Montani Ligures. Longius adhuc fuisset juxta Holstenium dicta *p. 12. in Cluver.* existimantē, quod fuerit illa *Colonia Julia Augusta*, cujus meminit Hygenus *de Constit.* limit. p. 202. locata inter Astam, & Pollentiam. III. distinguendæ omnino sunt Augusta Vagiennorum, & *Augusta Batianorum*. Hinc malè Cellarius putat Ptolemæi 3. 1. locum corruptum in Αυγοῦςα Βατιεννῶν, quæ certissimè est *Bassignana*, ut ostendunt Merula *Antiq. Vicec.* p. 138. & Gaud. Merula *de Gallor. antiq. l. 2. c. 1. parùm detortis literis*, ut primus ait. Rectè locatur ad Tanari, & Padi confluentes 4. m. pass. à Valentia in ortum. Non ergo locus Ptolomæi corruptus, sed locus Cellario ignotus. Sed pejus ante Cellarium Ortelius in tabula 2. Italiæ Gallicæ fol. 25. ubi nunc *Bassignana* locat Augustam Vagiennorum, quando scribere debebat *Batienorum*, ut scribit Merula Georgius *l. l.* non rectè intellectus, ut cognoscimus ex ejus Thesauro Geograph. *in Augusta Vagiennorum*. Miramur Holstenium annuentem p. 24. id non observasse, sed potiùs confirmasse cum Ligorio, quem laudat. Alia ergo Augusta Vagiennorum, quæ ubi Salutiæ: alia Augusta Batienorum, quæ Bassignana. Aliud denique *Bodincomagum*, aliud *Casale S. Evasii* (quod Sedula, ut supra n. 58.) juxta Ferrarium in Lex. *V. Bodincomagum*, scribentem hoc esse *Odolencum*, ut mox. Opponunt Bodrandus, & Isleus in Tabula, Bodincomagum in situ Casalis collocantes: ducti fortè ex verbis *Metrodori Scepsii* apud Plinium 3. 16. exeunte, observatu dignis, quia nominis rationem reddit: &, ut observamus, nomen est Barbarum, & compositum ex Ligustico *Bodinco*, & Gallico *Magum*, centum enim Urbes in Germania, Gallia, & Italia in *Magum* desinunt, sicut in Burgum, Castrum significans: Quid Bodincum, uterque Merula laudatis libris, Gaudentius 1. 2. Georgius p. 139. arguens Blondum, juxta Metrodorum demonstrant. Cellarius p. 661. in hac lite Holstenium appellat: Holstenius Albertum. Is p. 378. b. in descriptione Montisferrati recitat inscriptionem hanc Odolenci repertam: *T. Lollius T. Lollii* (F.) *Masculus IV. Vir Bodincomagensis &c.* de qua Holstenius: *Tum vero locus, ubi extat, ab omni suspitione eam inscriptionem eximit*. Si nomen, & Magistratus Lollii scribitur more Romano, cur etiam locus Romano nomine *Industriæ* non scribitur, si Bondicomagum, & Industria idem? Quare, si inscriptio verè est reperta Odolenci, nec aliunde illuc translata, ratio, & jus retinendæ possessionis stat pro hoc loco, qui vix 6. m. pass. distat à Pado in Magini binis tabulis 3. & 5. imò vix 3. in *Cursu Padi* Augustini Cerruti Romæ recusi A. 1703. post consimilem Cursum cusum Parisiis eodem A. à Duser Regio Geographo. Sed in typo Romano non bene locatur Odolencum, recedens nimis à Stura minori, ad cujus dexteram rectè Maginus in suis tabulis illud ponit. Imò in tabula 2. Odolencum distinguit, unum *superius* ad dexteram, & alterum inferius ad lævam. Neque in dicto Cursu Padi Sturæ minori vera origo, nec cursus congruus tribuitur. Stura major trans Padum ab Alpibus in Padum defertur. Nihilominus in hac re judicium suspendimus.

(60) A Ducatu Taurinensi ad Eporediensem describendum, cum sint confines, transimus. Pauca tamen de hoc dicenda supersunt, quæ enim discussione indigebant, alibi satis prædiximus. Igitur res Eporediensium jam scriptas huc revocare, unumque sub aspectum congerere, reminiscendi tantùm causa, sufficiet. Cur nunc Ducatus Augustæ vocetur, & non olim, ratio ea est, quia sub Langobardis non fuit Ducatus Provincialis, ut modò, sed tantum Urbanus, coactis Ducibus, decurrente decennio Interregni, Burgundionibus Augustam, & Secusium dimittere, ut sub n. 57. ex Fredegario: nec ullam aliam Urbem in hoc tractu, præter Eporediam, extitisse cognoscimus, Francos ibi Marcham instituere, deficiente ratione limitis custodiendi, non fuit necesse, ut sub n. 45. Ex charta item divisionis Caroli M. A. 806. *cap.* 4. conjicimus, Augustam, & Eporediam non Duci, sed Regno, & Comitibus fuisse attributas. Quod magis adhuc probatur ex confessione Thesauri, suique Annotatoris Castillionæi, qui seriem Ducum Eporediæ à Bernardo Ansprando ordiuntur, fingentes, hunc semper fuisse captivum sub Carolo M. & tantùm à Ludovico Pio libertate donatum, Marchionem Eporediæ institutum, nec non Angleriæ Comitem, ut sub n. 45. Igitur ab A. 774. captivitatis Bernardi usque ad A. 814. Caroli M. emortualem, hanc Marcham Marchione vacuam per Annos 40. mansisse necessariò consequitur. At cum ille Bernardus, ejusque filius Guido, nisi æquiori ratione Probentur, sint omninò fictitii, ut ex num. 46. & vix circa tempora Caroli Calvi primum Eporediæ Marchionem Anscarium inveniamus, certissimè hanc Marcham solùm declinante Italico Regno Francorum fuisse institutam, asserere non dubitamus. Et quia æquè est erroneum, huic Marchæ adjectum fuisse jure hæreditario Comitatum etiam Angleriæ, ratione cujus, Tridentum usque protendebatur, ut sub n. 44. (ubi Subalpinum tractum borealem ad Municipia attinuisse probavimus) Marcham Eporediensem juxta suum tractum, suosque fines, & loca hos inter contenta, nec ultra hic satis erit describere, comprehensa adhuc Augusta, ejusque Valle: quia licet Langobardico tempore diutissimè Burgundionum juris ea fuerit, nil obstat, quin Alboinus, vel Clepho Ducatui huic Urbem utramque attribuerint. Accedit, quod ineunte sæculo XI. Augustam Langobardiæ Urbem vocat Eadmerus *in V. S. Anselmi*, sub num. 29. laudatus. Sed post Langobardos fuit à Francis certissimè restituta, ut jam sub n. 29. fuit dictum. Itaque juxta præmissa n. 44. post medium, hujus Ducatus, & Marchæ quoque fuere fines *ab occasu* Alpes Grajæ: à *borea* Penninæ: *ab ortu* montes ad lævam Duriæ majoris Padum versus tendentes, usque ad Lacum Viveronis, linea ducta hìc ad Padum inter ostium Duriæ majoris, sive Balteæ, & Crescentinum, quod ad agrum Vercellensem spectasse credimus ex Petro Azario *de Bello Canapiciano*: sicut superiora loca, boream versus ad Novariensis, & Mediolanenses Comitatus attinebant. Denique *ab austro* Orcus fluvius ab Alpibus in Padum decurrens, qui *Morgus* Plinio 3. 16. sed fortassis corruptè, nam Ennodii in *Carmine I. p.* 556. v. 39. legitur:

„ Duria nam Sessis, torrens vel Stura, vel *Orgus*.

Orgo quoque Anonymo Ravenn. p. 224. & *Orsus* in Tab. Peutingeri Segment. 2. Per hunc ergo fluvium is Ducatus à Taurinensi dispescebatur. Non Eporediensis, sed EBOREJENSIS scribitur ab *Eboreja*, ut mox. Augustana VALLIS AMETEGIS tunc vocabatur, ut apud Fredegarium cap. 45. *Vallem cognomento Ametegis partibus Guntchramni cassantes*. Urbes porrò & loca hujus Ducatus hæc sunt. CURIA MAJOR abest à Lexico nostro Patav. In Parisiensi Bodrandus h. v. *Cour majeur, cujus fit mentio in actis mediæ ætatis, ad radices Alpium*. AUGUSTA, cui detractum à Scriptoribus medii ævi Romanum *Prætoriæ* cognomen, ut apud Fredegarium *d. cap.* 45. & tot alios, de quo cognomine satis prisci loquuntur. Supra Augustam ad boream EUDRACIUM, sed juxta tabulam Peutingeri *l. l. Eudracinum*. Infra Augustam BITRICIUM juxta Anonym. Rav. p. 201. *Vitricium* Antonino in Itinerario: *Utricio* in Peutingeriana. Ad dexteram Duriæ majoris BARDUM, quod Arnulphus *l. 2. c.* 8. titulo *inexpugnabilis Oppidi* laudat. Fortè ratione situs eo tempore; adeo enim arte munitum non fuerit, quando juxta Chronographum Novaliciensem Ludovicus Pius *auxit Vallem Bardoniscam cum Castro Bardino*, juris ejus Cœnobii, ut scribit *l.* 3. *c.* 7. præmemorata eadem *Valle Bardonisca l. 2. c. 2.* EBOREJA, ut in charta divisionis Caroli M. *cap.* 4. & apud Aimoinum *lib.* 4. *cap.* 90. qui sub A. 801. scribit, quod Carolo „ nunciatur, Legatos Aaron Regis Persa- „ rum portum Pisarum intrasse, quibus obviam mittens „ inter Vercellas, & *Eborejam*, eos sibi fecit præsentari. Anonymo Ravenn. p. 201. *Eporea*, & *Eporeja*. De hac Plinius 3. 17. & ibi Harduinus *p.* 174. *n.* 12. *nunc Lamporeggio*. Si quis Scriptor Pedemontanus nondum inventus, sive conterraneus adsenserit, ei credemus. *Oppidum Eporediam Sybillinis libris à Pop. Rom. condi jussum* (in quibus libris suorum Marchionum historiam Castillionæus invenit) *Eporedicas Galli bonos equorum domatores vocant*: & ideo Equum Trojanum, ut ex ipso Eporediensis egrederentur Heroes, huc idem adduxit. CLAVASIUM ad confluentem Orci, & Padi, cujus sæpe me-

Digitized by Google

meminit Petrus Azarius *de Bello Canapicio*, eratque adhuc suo tempore Oppidum antiquum, & probè munitum. Ut autem magis pateat fines hujus Ducatus ad ortum non excessisse montes ad lævam Duriæ majoris, sive Balteæ, observandum est, sicut suppressa post Harduinum Eporediæ Marcha, in plures Comitatus, hunc fuisse divisum, pluribusque Comitibus, quos Azarius describendi belli occasione commemorat, attributum, quoniam ex antiquis Eporediæ Marchionibus suam ducebant originem, ut Castillionæus *annot.* 228. hic ingenuus confirmat. Horum Comitum porrò nemo extra fines antiquæ Marchæ, præsertim ab ortu, sæculis infimis post Harduinum, ditionem obtinuit, quod sciamus.

(61) Unus adhuc remanet hìc amovendus scrupulus, fortè non levis, ex quo unum ex duobus deduci debet, scilicet, vel Marchiones Eporediæ suam ditionem usque ad Lacum Verbanum protulisse, ubi Angleria, & Arona: vel saltem Angleriæ Comites extitisse sæculo X. Ottonum ævo. Etenim æque Marcha potuit ab ortu dictis montibus agrum Vercellensem respicientibus definiri, sed supra, boream versus, ratione Comitatus Angleriæ usque ad Lacum Verbanum protendi, sicut Castillionæus dicebat. Ratio dubitandi ea est, quod A. 963. conditum fuit Templum cum Cœnobio in loco Aronæ a quodam Comite Obizone Angleriæ, & Castri Seprii Domino, ut in illo reconderentur Corpora *SS. Gratiniani*, & *Felini* ab ipso Perusia Aronam transvecta. Extat de hac translatione antiqua *Chronica* MS. in Cœnobii illius archivo, & nuper è barbaro latino in vulgi sermonem ad verbum conversa, ac Mediolani edita A. 1720., cui Italicus titulus *De Martyrio, & translationibus SS. Gratiniani, & Felini &c.* De dicto Templo, in quo condita Sancta Corpora A. 963. & de Conditore Comite Obizone, ut ex Vicecomitibus Angleriæ, antiqua Chronica innixi, quamplurimi scribunt, ex quibus minus remoti, & fortè primus Flamma in *Politia novella cap.* 57. sub tit. *Instauratio Angleriæ*: & *in Manipulo florum cap.* 132. sub tit. *de depositione Job.* PP. Benvenut. de Rambaldis *tract. de Civitatib. Mundi*, ubi de Urbe Mediolani agit. Corius p. 23. edit. Venetæ 1554 ubi Stemma Desiderianum texit, in quo *Obizo Falchi filius*. Leander Albertus p. 446. & 7. Corium transcribit, sed incredulus. Morigius *in Sanctuario* sub tit. *de Corporibus Sanctis Aronæ repositis*: & iterum in *Descrip. Verbani Lacus cap.* 17. p. 168. Missis tot aliis recentioribus, Carolus a Basilicapetri *in Novaria* à p. 75. omninò videndus, colligit quidquid omnes prælaudati scripsere, marmoreis inscriptionibus recitatis. Sed quæ scribuntur ab illis, & in *Chronica* sa iè mille indissolubilibus difficultatibus sunt adhuc obnoxia, licèt *Chronicæ Interpres* Anonymus eas componere satagat, sed, ejus pace, infeliciter, cum nimis historia chronologiæ adversetur. Retinendum tamen est, translationem minimè fieri potuisse (rigorosè loquendo) A. 963. juxta *Chronicam*, & Scriptores: neque 979. ut Interpres emendare conatur, aliter translationis tota corruit historia. Nam si Obizo translator Sacrorum Corporum Templum ædificavit pro ipsorum cultu, ad gravem culpam purgandam, quod porticum S. Pauli Romæ incendisset, tunc contracta in pœnam debilitate manus, & brachii, id certè contingere vix potuit labente A. 964. non Anno præterito, minus 979. Nam ipso A. 964. Otto I. (cujus exercitus ductor Obizo dicitur in Chronica, & à Scriptoribus) obsedit, cepitque Romam occasione schismatis inter Benedictum V. à Romanis electum, & Lonem VIII. favore Ottonis creatum: ut fusè, & veridicè narrat Continuator Rheginonis contemporaneus sub hoc A. 964. Tunc in illis tumultibus incensa porticus S. Pauli ab Obizone, (si huic expeditioni ille interfuit) verum exiguum solius anni est discrimen. Longè majus est, dum Interpres Chronicæ ad A. 979. hæc referre conatur. Videns enim non posse Anno 963. alligari characteres Chronicos notatos in Chronica (hoc est Ottonis I. A. Regni 18. Imperii 12. Indict. 7.) definit, translationem secutam sub Ottone II. A. 979. cui rectè conveniunt dicti Anni Regni 18. Imper. 12. Indict. 7. Verum non observavit historiam Romani tumultus, nec quod ab incendio porticus Paulinæ (cujus causa pœnam luit Obizo) Anni 16. effluxerint: neque tandem, Ottonem II. expeditionem nullam suscepisse in Romanos, ut Obizo sub Ottone II. Paulinam incenderit. Et tamen in Obizonis Epitaphio, sub nomine *Adæ* dicitur Romam timuisse ejus arma:

„ Membra sub hoc tumulo requiescunt *Principis Adæ*
„ Qui quoque dum vixit, clarus in orbe fuit.
„ Bellator fortes fortis perterruit hostes:
„ *Mœnia Roma tua arma timere sua.*

non sub Ottone II. sed sub I. & quidem A. 964. Sed recurrit factum ratiocinium, nempe fluxisse Annos 16. ab illo Anno ad translationem A. 979. ut prorsus incongruum videatur Obizonem distulisse translationem, æque enim ipsum urgebant & conscientiæ stimulus, & infirmitas manus, & promissio facta Episcopo Perusino in traditione Corporum SS. de Episcopo gratiæ Imperatoris, à qua deciderat, restituendo, ut in Chronica. Plura alia non observavit satis doctus Interpres, quæ ut ab instituto, & assumpto nostro aliena, silemus. Nostra enim est tantum ostendere, Obizonem Ottoniano ævo ditionem non obtinuisse circa Lacum Verbanum, sive is ex Eporediæ Marchionibus, sive ex Angleriæ Comitibus ipse dicatur. Arduum planè est assumptum, & res adeò implicata, ut Viri doctissimi ab illo declinare, & Monasterium Aronense præterire, quam scribere incompossibilia, maluerint. Mabillonium non latuit hoc Monasterium, in quo fuit, scribens in suo *Itinere Italico p.* 21. *Aronæ olim conditum est Monasterium nostri Ordinis sub titulo SS. Gratiniani, & Felini, quod S. Carolus tum loci Abbas PP. Societatis Jesu attribuit*; ibique recognovit antiquum, & pretiosum Codicem MS. *de Imitatione Christi* a Monachis S. Mauri suo auctori Johanni Gerseni Abbati Vercellensi adserto, & vindicato, ut ex libello edito Paris. 1674. De Monasterio non aliud subjicit; sed, quod mirum est, nec hactenus in *Annalium O. S. B.* quinque tomis jam editis, & usque ad A. 1116. perductis vel ipse, vel Continuator de eodem verbum ullum fecere, ac si non esset. Planè si Mabillonio arrisissent prænarrata de Obizone sub Ottonibus, de illo disseruisset *tomo* 3. in quo agit de Monasteriis conditis ab A. 850. ad 980. at ibi, nec alibi, de illo disseruit, non ergo illi prænarrata probantur. Quid cogitent Continuatores, videbimus. Aug. Lubin in *Notitia Abbatiarum Italiæ pagg.* 30. *a.* & 164. *a.* nihil plus Mabillonio cautè notavit. Etsi plerique nostratium, præsertim antiquorum, referant translationem, ac Templi, Cœnobiique Aronensis structuram ad tempora Ottonum, auctore Obizone, sunt tamen qui aliter sentiunt, quorum primus, quod sciamus, Bonaventura Castillionæus, qui *Gallor. Insubr. antiq. sed.* p. 49. ita scribit: *Habuimus quingentis ferè exactis Annis* (ab A. 1541.) *Thealdum Mediolanensem Pontificem, hoc ex Oppido* (Castilliono), & *eadem familia natum. Hic Cœnobium Monachorum in Alona Oppido* (*quod Gaud. Merula Aronam, quasi Oronam vocat*) ..... *trans Verbanum è regione Angleriæ, suis sumptibus ædificavit, quo in loco & tumulari se voluit.* Agnatus est Scriptor: loquitur sinè teste: an rectè, ex sequentibus. Sectatorem habuit Ant. Beffam Negrinum *in Elogiis Historic. Viror. illust. ex Gente Castillionæa*, Mantuæ 1606. p. 44. Hic duo necessario præmittenda pro captu: unum scilicet, hunc *Thealdum* Pseudo-archiepiscopum fuisse, post *Guidonem* decessorem suum, ab A. 1075. ad 1084. lacrymabili illo tempore, quo Clerus noster totus simoniæ, & incontinentiæ effundebatur in vitiis, ut ideo SS. Pontifex Gregorius VII. (cui adhuc reluctabatur Henricus IV. juxta Germanos) tertiò Thealdum anathemate perculerit A. 1076. ut ex Arnulpho *l.* 5. *c.* 7 hic ad saniorem mentem reverso: & ex Baronio h. A n 34. Et iterum A. 1078. ex Concilio Romano h. A. atque iterum A. 1080. ex Concilio consimili. Videatur Arnulphus præsertim *libb.* 4. & 5. (C.H. t. 4.) Alterum est, nedum sæculo XII. verum & XI. juris Archiepiscoporum nostrorum, adhuc civilis, fuisse *Aronam*, & cætera, quæ ad rem præsentem non faciunt; sed cum jam Cl. Saxius *in Appendice ad Vindicias &c. numm.* 29. & 30. nobis elaboraverit: hoc demonstrato, præsertim ex Actis S. Martyris Arialdi ab Andrea hujus discipulo, & jun. Landulpho a S. Paulo suppari scriptis, nec non à Puricello vulgatis) superfluum est quidquam addere. Solum Typographi errorem pag. 74. lin. 18. ubi *post novem mensium sedem decessisse Aronæ* Thealdum, corrigimus *post novem annorum &c.* Ita in Catalogo mox laudando, & apud Guiffredum de Bussero MS. in Bibliotheca Metropolitana *de Vitis SS.* ubi sub tit. *Memoria SS. XL. Martyr.* num. 346. legitur: A. Dom. 1077. *erat tertius annus, quo Mediolani sedebat Archiepiscopus Thebaldus de Castillione.* Redeamus ad Beffam. Is nedùm confirmat scripta à Bonav. Castillionæo, sed & subjicit, Thealdum condidisse, & dotasse Cœnobium, hujusque in Templo fuisse sepultum (NB) „ neque objisse ex-
„ communicatum, ut alicui scribunt, sed pœnitentia
„ ductum, & ab anathemate liberatum: cujus in bene-
„ ficii memoriam Templum cum Cœnobio condere vo-
„ luit. „ Rem hanc sanè grandem, cujus apud veteres nulla mentio, vix nominibus Calchi, Gallesini, Syrleti, & Bugatti pronunciatis, celebrat Beffa. Sed apud Calchum hæc tantum legimus p. 144 *Thealdus quoque Castillionæus dum malè suspti Sacerdotii ærumnas circa Verbani latebras, & diversoria solatur, Aronæ decessit, atque ibidem est sepultus.* Nil plus Sigonius A. 1035. *Circa Verbanum Lacum oberrans, prope exul est mortuus.* Syrletus *in successoribus S. Barnabæ* p. 48. n. 76. *A Gregorio VII. Pontifice sacris Ordinibus interdictus, exul Aronæ moritur, & ibi sepelitur.* Gallesinus nihil in notis Martyrologii sui 1. Junii. In Tabula Archiepiscoporum, quæ ipsi tribuitur, & præfixa habetur *Actorum Eccles. Mediol. part.* 6. *pag.* 978. *n.* 76. legitur: „ Theal-
„ dus

Digitized by Google

„ dus Castillionius Mediolanensis Enrici Imp. opibus „ suffultus Ecclesiam Mediolanensem invasit. Quam „ ob causam ad Synodum à Gregorio VII. Pontif. vo- „ catus, cum venire recusasset, *primò sacris ordinibus* „ *interdictus*, *deinde ac tertiò publicè in Synodis Romanis* „ *gravis excommunicationis vinculo irretitus est*. Obiit 7. „ Cal. Julii. Sepultus *Aronæ*. „ Hactenus nihil de pœnitentia, ut ideo Cœnobium condiderit. Vix ergo unus adhuc vivens A. 1587. Gaspar Bugattus *Hist. l. 3. p.206.* brevi linea, & sine teste, Thealdum „ pœnituisse scri- „ bit, qui post à censuris absolutus, non diu superstes, „ obiit, tumulatus Aronæ. „ De Monasterio nihil. Sepultus ne in Templo? Id quærere pro conclusione est necesse. Ita, juxta Boscam *in Martyr. 1. Junii* testantem, quod *ejus cadaver paucis ab hinc annis* (1695) *effossum est*, *cum fundamenta cujusdam propugnaculi jacerentur ad mœnium tutelam*. Ibi enim conditum fuerit antiquum Templum, quod vetustate corruens IV. post sæcula, ubi nunc videtur, translatum A. 1489. ut scribit Interpres p.79. Magni ponderis est annotatio *in Catalogo Archiepp.* p. 143. (C. H. t. 4.) Thealdus (*Tedaldus*) „ sedit AA. 9. M. 7. D. 28. Obiit 8. Kal. Jul. *sepultus est* „ *ad Monasterium Aronæ*, „ quod tunc ubi Thealdi cadaver exinde repertum in fundamento propugnaculi. Equidem, *si ad Monasterium*, hoc est in hujus Templo sepultum cadaver, Monasterium jam conditum, quando obiit Thealdus, A. 1084. vel 5.

(62) Sed à quo? Concludamus, & vaticinemur. Non ab illo Obizone sub Ottonibus: tueri enim debemus, quo ad fieri potest, sepulcralem inscriptionem, in qua *Adam* dicitur conditor, non *Obizo*. At inquit Interpres potuit esse binomius: potuit etiam non esse. Dissimulare nolumus pro Interprete Calchum p. 118. sub A. 968. hæc scribentem: Otto II. *dum Cassiani moratur*, *concedit Arduino inclyto Marchioni*, *& Adam*, *& Amicho*, *& Manfredo*, *& Odoni possessionem legitimam earum rerum*, *atque Urbium*, *quas jam in Italia obtinebant*, *cujus rei archetypam tabulam in Ticinensi Bibliotheca vidimus*. Quid obstat, quin is *Adam* sit Obizo juxta Chronicam, & Scriptores? Favet tempus, favet associatio nominis *Adæ* (ut in inscriptione) cum *Arduino* tunc Marchione Eporediæ, cæterisque Principibus fortè ejus fratribus. Quid obstat? Obstat primo, quod Calchus noster sanè Vir maximus, sed & ipse homo, & *omnis homo mendax* potest hallucinari. Præcedentia ejus verba hæc sunt: *Digressus Italia Otho Viennæ A.* (NB) *nongentesimo sexagesimo octavo moritur*. Filius verò *hujus nominis* II. . . . . *proximo vero* (A. 969.) *ad Italos venit*, *& dum Cassiani moratur* &c. ut supra. Si hæc omnia falsa, cur non sequentia? Otto I. erat in Italia A. 967. parans expeditionem in Græcos pro recuperanda Apulia, & Calabria, ut ex ejusdem Epistola apud Vitichindum, recitatam à Baronio A. 968. n. 1. Moritur is Otto 973. non Viennæ, sed Mimeliebæ (Mileuu Vitichindo l. 3. apud Baronium h. A. n. 3.) in Saxonia. Otto II. accersitus à Patre venerat in Italiam A. præcedenti 967., & in Natali Domini coronatus Imperator Romæ à Johanne XIII. ut satis notum. Quomodo ergo potuit in suo primo ingressu in Italiam puer 14. vix annorum nondum Imperator, & adhuc vivente Patre, concedere Arduino, & prænominatis res, & Urbes? Quis iste porrò Arduinus? Sanè qui fuit Rex. Nam' Arduini Regis Pater semper à Castillionæo dicitur *Dodo* Berengarii II. filius, & rectè, ut ex diplomate apud Guichenonium *in Bibliotheca Sebusiana cap.* 10. dato A. 1011. Kal. Apr. Indict. 9. Bobii, quo pro anima Patris sui *Doddonis* Rex Arduinus donationem quamdam facit Ecclesiæ S. Syri Papiæ. Attamen Dodonis hujus nulla mentio apud Liutprandum, sive alium veterem Scriptorem, sed tantum apud aliquem neotericum Pedemontanum. Phil. Pingonius *August. Taurin.* sub AA. 950. & 1002. *Dodonem* nominat etiam *Arduinum* I. hujusque filium dicit Arduinum II. qui fuit Rex Italiæ. At tempore Ottonis I. & II. Marchio Eporediæ erat *Dodo*, sive *Arduinus* I. non II. qui Rex, ut ex Thesauro, & Castillionæo *annot.* 502. Dodoni, (hoc est Arduino I.) factam fuisse concessionem Ottonianam erit ergo dicendum? & quinam cæteri in ea memorati *Adam*, *Amicbus*, *Manfredus*, *& Odo*? Profectò vel Patrui Arduini I. vel fratres, vel filii esse debuissent: at non Patrui, quia fratres fuissent Adalberti II. & filii Berengarii II. juxta hanc seriem Marchionum Eporediæ ab A. 876.

1. Anscarius cujus Pater ignotus
2. Adalbertus I. filius Anscarii
3. Berengarius, ut Rex, II. & Nepos I. Berengarii
4. Adalbertus II. Rex, cum Patre, filius Berengarii.
5. Dodo, sive Arduinus I. frater Adalberti
6. Arduinus II. qui Rex, filius Dodonis.

Berengarius fratrem habuit alterum *Anscarium* Spoleti Ducem, ex Liutprando *l. 4. c. 4. & l. 5. c. 2.* & Adalbertus II. ejus filius filium habuit *Ottonem Gulielmum* ex Glabro Rodulpho *l. 3. cap. 2.* qui captis Patre, & Avo in Burgundiam apud Henricum Ducem se recepit. Sed cum A. 951. Otto I. victum in prœlio cepisset Berengarium „ tres ejus filii *Adalbertus*, qui supra, *Guido*, & *Con-* „ *radus* diversa exilia petiere „ ut scribit Calchus p. 117. ex veteri tabula, quam laudat. Et ecce qui Patrui Dodonis, sive Arduini I. inter quos nemo nemo ex IV. prænominatis. Neque hi IV. Arduini I. sive Dodonis fratres, quia fuissent filii Berengarii II. At hujus filii IV. Adalbertus, Dodo, Guido, & Conradus ut supra. De filiis Adalberti Calchus *l. l.* hæc subjicit: *Ex Adalberto autem progeniti liberi* (scilicet Otto Gulielmus, qui paternam Marcham non obtinuit), & *Nepotes mediocres opes in Liguribus Circumpadanis sortiti*, *ut aliquo titulo claritudinem suam*, *& regiam progeniem* (Berengarii & Adalberti) *se esse ostenderent*, *à nomine Avi Berengarios se nuncuparunt*. Docet his verbis nos Calchus Adalberti filios, sive Berengarii nepotes, opes sortitos esse, etiam mediocres, non ad lacum Verbanum, ubi Arona, & Angleria, sed in tractu Circumpadano, hoc est Canavensi, in quo diffusi, & propagati post fuere, tractu eodem Canavensi plures in Comitatus diviso, ut supra num. 60. exeunte retigimus. Quare *Adam* ille, quem quærimus (qui dicitur etiam *Obizo* juxta Interpretem) non est inter IV. prænominatos in concessione Ottonis quærendus, nequit enim ille appellari *Obizo* sive filius, sive frater Arduini dicatur. Constanter omnes cum Flamma in laud. *Politia novella c.* 57. & Corio p. 23. *Obizonem* translatorem SS. Corporum Perusia Aronam, & conditorem Templi faciunt *Filium Falchi Angleriæ Comitis*, non Berengarii, non Adalberti, ut dici deberet, si esset Adam concessionis Ottonianæ. Hinc non levis ponderis est difficultas, ut putat Interpres p.66. conciliandi nominis *Obizonis Comitis*, ut in Chronica, cum nomine *Principis Adæ*, ut in inscriptione, & cum *Adamo* ut in dicta concessione Ottoniana. Etenim si unus & idem Obizo & Adam: unus & idem Comes Angleriæ, sive Stazzonæ: unus & idem Dux exercitus Ottoniani: Ergo unus & idem ex nepotibus Berengarii: Ergo unus & idem cum Adamo in Concessione Ottonis II. Verum non est credibile, unum ex nepotibus Berengarii fuisse Ducem Ottonis: Ergo neque credibile, quod unus & idem sit Obizo, & Adam. Præmissæ sunt expressæ in Chronica, & apud Flammam, ac Corium. Superest ostendere, nullum ex illis, uti nepotibus Berengarii, fuisse Ottonis Ducem. Fuisset enim eodem tempore, scilicet A. 964. quo certè contigit expeditio Romana Ottonis I. & non Ottonis II. cujus nullam in Romanos legimus expeditionem. Credibile ne erit, Ottonem commisisse imperium exercitus sui, Nepoti illius Berengarii, quem eodem tempore in M. S. Leonis (juxta Continuatorem Rheginonis) obsessum, & captum cum uxore VVilla in Bajoariam exulem amandaverat? Cujus filium Adalbertum, seditiones in Ottonem assiduè molientem, ab Italia relegaverat? Imprudenter Otto gessisset, adhuc si tantum in albo Ducum suorum Obizonem scripsisset. Æqualiter sanguinarios Ottonem Primum, & Secundum vocat Castillionæus *annotat.* 502. Hunc ob narrata à Sigonio sub A. 981. quando Romæ crudele supplicium de rebellibus Italis horrido, & inaudito sumpsit exemplo: illum, quia nepotes Berengarii perdere studuit: ut ideo Dodo, *vivens tunc quasi mortuus*, à cunctis curis remotus, tacitus, & immotus, Patris, fratris, aliorumque suorum pericula, & infortunia evadere vix potuerit. Non ergo credibile, Ottonem Obizonis fidei arma sua credere voluisse. Itaque fide omnino carent. I. *Chronica Aronensis*, Flamma, Corius, aliique scribentes, Obizonem *Stazzonæ* (hoc est Angleriæ) fuisse Comitem, & insuper Ducem Ottonis, & expiandi piaculi causa Cœnobium condidisse Aronense, adversante Chronologia, ut Interpres fatetur, si hæc alligantur A. 963. At si juxta ipsum transferuntur in A. 979. adversatur historia. II. falsum est, Thealdum Archiepiscopum, pseudo rectius, ab anathemate fuisse absolutum, ideoque condidisse Cœnobium. Obstant historia Translationis SS. Corporum: adducta à Puricello *lib. 4. c. 70.* de SS. Martyrib. Arialdo *&c.* & lapis sepulcralis *Principis Adæ*. III. Improbabile omnino est, hunc *Adamum* esse illum Adamum ex Nepotibus Berengarii: ut in concessione Ottonis II. de qua Calchus p. 118. & improbabile magis esse Obizonem binomium. Hæc satis, superque probavimus. At quia cum Cicerone 1. de Nat. Deor. *Non sumus ii*, *quibus nihil verum esse videatur*, *sed ii*, *qui omnibus veris* (in humanis) *falsa quædam adjuncta esse dicamus* &c. modò quæ ut vera retinenda, quæque, duce historia, probabiliora videntur, subjicimus. *Utinam tam facile vera invenire possem* (dicebat idem Cicero *l. l. p. 23. b*) *quam falsa convincere*. Igitur I. vera, & certa est SS. Corporum è Perusia Aronam translatio facta ab Egregio Milite excessus militaris in Ecclesiam expurgandi causa, juxta Chronicam, & proximiores Scriptores. II. Huic Militi Italo, vel

Digitized by Google

vel Germano *Adam* fuit nomen, ut ex lapide *Principis Ada*, in quo clarè *à vers.* 8.

Hos Perusina Sanctos adduxit ab Urbe
Et statuit Templum hoc in honore Dei
Fecit Cœnobium regulari tramite dignum:
Sufficiens victum Fratribus esse dedit.

Hactenus lapis, Chronica, & Scriptores prisci conveniunt. III. Difficultas est in decernendo tempore (cujus nulla nota Chronica in lapide) & in cujus Imperatoris exercitu *Adam* ille Dux fuerit: Romam invaserit: porticum S. Pauli (vel S. Petri: hic enim errat Chronica) incenderit. Quoties hæ circumstantiæ simul historicè congerantur, prudenter reliqua, ut mox, conjici possunt. En cuncta congesta in Henrico IV. ex cujus gestis ab A. 1081. contra Gregorium VII. habemus, ter Romam invasisse, cepisse, & per triennium, odio implacabili in S. Pontificem, & inclytam Mathildem, cladibus, incendiis, stragibusque vastasse, ut ex rerum Henrici Scriptoribus apud Baronium, & Pagium abundè legitur sub AA. 1081. 2. & 3. Ad rem Leo Ost. 3. 50. *Henricus Imp. alio anno* (1082.) *exercitum congregans, Romam advenit, & Porticum S. Petri per vim cepit, & ex magna parte destruxit*. Amplius Bertholdus Constantiensis Presbyter contemporaneus, sicut Leo sub eodem A. *Ignem quoque in domum S. Petri per quemdam traditorem immittere voluit, sed Dei misericordia protegente non potuit. Cogitavit enim ut die improviso portas irrumperet, si Romani derelictis propugnaculis ad incendium restinguendum concurrerent, unde ignem domibus quibusdam S. Petro contiguis immitti fecerunt*. Liquet, Henricum, ut immanius in Romanos sæviret, armis ubique incendia adjunxisse; quare vel Chronicæ Aronensis Scriptor facilè pro *S. Petro* S. Paulum posuit, vel etiam hujus Porticum jussit comburi Imperator, Adamo exequente. Ut culpam lueret, prudenter modo conjicimus, quod cum impetratis corporibus SS. Martyrum, Aronam apud Thealdum, ut Imperatoris sui amicum, se receperit: cogitans, quod ejus consilio, & auxilio facilius votum suum implere potuerit. Hinc quia Aronæ tunc degebat Thealdus, ex cujus fortè bonis elargitis, vel venditis Adamo, dotatum fuit Cœnobium, hujus conditorem Thedaldum recentiores scripsere. Quid obstat? Vix à sæculo X. ad XI. translatis rebus, summa rerum omnium, conciliatis Chronica, Scriptoribus utriusque partis, & sepulcrali inscriptione, sarta tecta servatur, & quidem sine improprietate Historiæ, vel Chronologiæ. Quin imo inscriptio lapidis, quæ est præcipuè attendenda, stylum sæculi XI. potius quam X. sapit. Etenim versus illi Leonini, sive rhythmici, ut:

Mœnia Roma tua arma timere sua.
Hic tibi quod voluit, fecit, & indoluit.
Hic Regem dira multis placavit ab ira.

& quidam alter, licet non perfectè Leoninus, in Italia saltem sæculo X. inauditi. Quos prodit Ughellus *tom. 4. col.* 86. edit. 1. de Theodelinda serò positos judicamus; Etenim Elias Putschius XXXIII. priscos Grammaticos edidit Hannoviæ 1605. quorum plurimi de variis Metrorum generibus agunt, de Rhythmicis nihil: nec Beda sæculo VIII. de *Metrica ratione* In Italia igitur vix post adventum Nortmannorum in Regno Neapolitano componi cœperunt. Tot inter carmina à Peregrinio collecta in *Hist. Langobard.* adhuc sæculi X. nullum sanè Leoninum habetur. In Germania cœpisse autumamus, quia plura refert Meibomius junior inter *Rer. Germanicar. Scripp.* ineunte sæculo XI. & apud Henr. Canisium *Antiq. lect. tom. 2. p.* 191. extat Panegyricus VViponis ad Henricum III. Leoninis versibus scriptus. Hinc hos perfecisse in Gallia sæculo XII. Leonium, sive Leoninum Monachum, non invenisse rectè sentiunt Zacharias Sylvius cap. 4. Præfationis ad *Scholam Salernitanam*, cujus auctor Johannes à Mediolano Medicus Salernitanus circa A. 1100. & Papebrochius *t.* 7. Maji *p.* 71. *num.* 81. qui epitaphium quoddam Romanum sæculi X., cui insertus versus Leoninus, observans, serò compositum judicat, & exempla desiderat. Doctus adæquè criticus Eccardus *Hist. Geneol. col.* 606. Epitaphium Tassilionis Ducis Bajoariæ, (qui in Monasterium tonsus est injectus) refutat, quia Leoninum A. 788.

Conditur hac fovea, quem pie Christe bea
Tessilo Dux primum, post Rex Monachus sed ad imum.

Potuit ergo facilè Epitaphium Adami esse sæculi XI. difficilè X. Si quæratur quis ipse Adamus, respondeat qui omnes antiquos milites novit. Nos certissimè scimus, Comitem Angleriæ non fuisse. Sic eum vocare, qui horum Comitum fabulas commentus est, Auctori, vel Interpolatori Chronicæ Aronensis, Flammæ, Corio, aliisque suggessit. Sed nullum Comitem Angleriæ, & Aronæ illo tempore fuisse, præter Archiepiscopos, satis Viri docti noverunt. Sic solutum remanet utrunque dubium de fine Marchæ Eporediæ propositum initio precedentis num. 61. Non negamus tamen, hos Marchiones Feuda, Curtes, & Allodia alibi extra Marchæ suæ limites possedisse, ut ex Chronographo Novalicensi novimus, & dicemus cum de *Bremeto* erit sermo sub num. 66. Facilè quis contendere posset (mirantes Thesauri Annotatorem Castillionæum non contendisse jam) Marcham Eporediæ, & fuisse institutam sæculo IX. & usque ad lacum saltem Verbanum extensam. Nam in quadam Charta Lotharii I. Eporedienses usque ad Insubres protensi dicuntur, sive Insubriæ confines. Insubres porrò usque ad Verbanum processisse, nec ultra, ex se patet. Extat Charta Lotharii in Bullar. Cass. *tom. 2. Const.* 38. *p.* 23., ubi inter loca Monasterio Brixiensi S. Juliæ confirmata ad rem enunciantur *Barbada*, *Melarius*, *quæ sunt Eporediense, seu & Insubriæ* &c. Data est Charta juxta præfixam notam compilatoris Margarini A. 836. quo imperabat Ludovicus Pius, qui in sensu Castillionæi è carcere eduxit *Bernardum Ansprandum* filium Desiderii Regis, Marcha Eporediæ, & Angleriæ Comitatu donatum, ut ex relatis num. 45. Sanè si quid veri in hac Charta continetur, est, Eporediensium, & Insubrum fines fuisse communes. Attamen quia Insubres ab occasu ultra lacum Verbanum, & fermè ad Duriam majorem suos fines protenderent (ut ex Polybio, Livio, Tabula Theodosiana &c. facillimè potest ostendi) & non quia Eporedienses è contra ad lacum Verbanum se extenderent. Si Charta Lotharii esset sincera, id nunc probaremus: quia falsa, ad quid tempus insumere? Neutri parti prodesset. Quæ continet, missis, signa, & notæ satis eam condemnant. Sic ad calcem vallatur: *Signum* ✠ *Hlotharii gloriosissimi Augusti: Signum* ✠ *Hludovici gloriosissimi Augusti*. Dat. 18. Kalend. Janu. A. Christo propitio Imperii *D. Hlotharii Pii Imp. XVIII. Indict.* 14. *Actum Maringo Palatio Regio*. Si datur A. Imperii Lotharii 18. ergo Christi 834. ab A. 817. quo socius Imperii, & Imperator dictus à Patre Ludovico Pio, & tunc erat in cursu indictio 13. si cœpta à Septembri, vel 12. adhuc si a Januario. Post *Lotharium* signatur *Ludovicus Augustus*: quis iste? Non frater Ludovicus II. quia tunc non Augustus, non Rex Italiæ, Bajoariæ Rex tantùm. Non *Ludovicus* Pater, nam quomodo post filium Lotharium signatur? Cur siletur ejus annus Imperii 21. ejusdemque cognomen *Pius*, & contra morem Lothario tribuitur? Unde eo tempore illi Imperatores in Italia, *in Maringo Palatio* ad Tanarum, quando omnes in Germania, & in Patrem Lotharius seditiones iterum commovebat? Quis hæc ignorat? Nugæ, nugæ, & id satis.

SECTIO XIV.

(63) *Neustriæ*, post Langobardiæ, Cispadanæ à Tanaro ad Trebiam Urbes, & loca obscura *Rigomagus*: *Roveretum*: *Camodium*: *Urbs silva*: Arx *Genesina* declarantur: *Custodia*, & *Lellia* emendantur. (64) Viæ Æmiliæ Langobardicæ, post Claudiæ, Urbes & loca: *Velia*: *Vivania*: Mons *Bardonis*: *Chrysopolis*: *Regium* an esset: Recens *Mutina* an ubi vetus. (65) Viæ Æmiliæ loca lateralia, à læva *Brixellum*: *Guardistallum*: *Luzzaria*: Vicus *Aricoli*: *Ansa Regina*: *Nonantula*: Cluverius in aliis locis observatus: *Neveola*: *Spinum Lamberti*: *Saxolicianum*: Flumina Neustriæ Cispadanæ. (66) Neustriæ Transpadanæ Urbes, & loca inter Duriam majorem, sive Balteam, & Ticinum recensentur: minus obvia *Plombia*: *Gaumellum*: *Oxilla*: *Omula*: *Bremetum*: (ad *Medias* obiter) declarantur. (67) Inter Ticinum, & Abduam Urbes, & loca obscuriora: *Quadrata*: *Desiderianum*: *Calventianum*, ubi Boetius occisus. *Mediolanum* unde: Cur non Regia Langobardorum: *Scozula*: *Angleria* quid supremo, medio, & infimo ævo. (68) Ad Lacus Verbanum, & Larium *Bontia*: *Cariada*: *Neonfortis*: *Incinum* non Licini forum: Urbs *Cancrina* quæ & a quo dicta: *Christopolis*: *Campus Coronatæ*: *Pliniana*: Stagnum *Coresium*: *Magesale*: *Bellenica*: *Vulturina* ubi. (69) Inter Abduam & Ollium *Mesauccum*: Insula *Fulcheria*: *Briniates* Livii ubi: *Parasium* cur, & quando deletum: *Acerculæ*: *Tollegata*: *Leuceris*; &c. Transpadanæ flumina.

(63) Ducatibus Neustriæ descriptis, reliquæ Neustriæ partes ad Regnum spectantes modo describuri, illam dividimus primò in *Cispadanam*, & *Transpadanam*, more Romano: Cispadanam exinde in duos tractus, quorum unus clauditur inter *Tanarum* limitaneum Ducatus Taurinensis, & *Trebiam* amnem, ubi initium Viæ Æmiliæ, & alter inter Trebiam, & Samogiam juxta eandem Viam, *Claudiam* vocatam ævo Francorum. Quoniam verò in illo tractu inter Tanarum, & Trebiam *Dertona* quasi in meditullio esse videtur, hanc circumvertendo ab occasu ad meridiem, loca in illo sita hæc sunt. CEBA: ita & Plinio *lib.* 11. *cap.* 42. dum laudat *Cebanum* caseum

Digitized by Google

ſeum Liguriæ. ALBA detracto *Pompejæ* nomine, inter leges Lotharii I. tit. *de Epiſcop. cauſis cap.* 6. & in Chronico Novalicienſi *lib.*3. *cap.* 8. AQUÆ ibidem, & Liutprando *Hiſt.* 2. 11. ſuppreſſo Statiellenſis Populi nomine. Ad calcem hujus numeri de his arcanum aperietur. RIGOMAGUS Anonymo Rav. p.201. Non rectè cum Cluverio ſentit Holſtenius in Ortelium p. 163. quod Rigomagus ſit Tridinum, quod trans Padum conſpicitur, de quo num. 66. Lexicographi *in Rigomagus* non diſtinguunt, an cis, vel trans Padum, ſed eſſe *Rincum* ſignificant, & rectè: Rincus enim eſt cis Padum 9. m. paſs. ab *Aſta* in boream, ut in Magini tabb. 5. & 10. Falluntur fortè quotquot Rigomagum ponunt trans Padum, non bene obſervato Itinerario Antonini, qui in hoc non errat, & ſi erret in aliqua diſtantia. Ibi ſic iter deſcribitur.

Ticinum	m. p. 22.	al. 13.
Laumellum	m. p. 22.	
Cottiæ	m. p. 23.	
Carcantiæ	m. p. 12.	al. 22.
Rigomago	m. p. 12.	al. 22.
Quadratis	m. p. 15.	al. 25.
Taurinis	m. p. 23.	

Certè Laumellum 10. vix millibus paſſuum diſtat à Cottiis. Neque hic locum habet monitum Holſtenii *in Cluver. p.* 242. *hodierna milliaria antiquis non reſpondere*, quia hodierna antiquis ſunt productiora, hic enim duplo major eſt diſtantia. Id tranſeat. Videntes Viri docti, Rigomagum, adhuc in Tabula Isleana, locatum inter Ticinum, & Taurinum, illum cenſent trans Padum, quia reapſe utrunque extremum trans Padum. At iter trans Padum, quia longius, hodie neque conficitur. Nam poſt Cottias, ſeſſite fluvio trajecto, via flectit ad auſtrum, & ad Padum, qui quoque trajicitur. Evidenter id patet, quia ducit in Itinerario *Quadratas*, quæ cis Padum locantur, ut in Tabula Isleana; hinc & Rigomagus locari debet cis Padum (ut quo ad ſignum o locatus videtur, ſed non quo ad nomen) qui iterum ſub mœnibus Taurini trajicitur, perque pontem, & januam Padi viator Taurinum ingreditur: pergamus. Ubi nunc *Alexandria* ponitur ROVERETUM, quoniam illa vix ſæculo XII. fuit condita a Mediolanenſibus, ex Morena, & Ottone de S. Blaſio *cap.* 22. In ſitu porrò Alexandriæ ſitum fuiſſe Roveretum optimè probat diligens Scriptor Hier. Ghilinus in tractatu num. 21. ad calcem *Annal. Alexand.* conſentiente Alberto p. 381. Circa Tanarum erat CAMODIUM: *Gamundium* Ghilino *l.l.* & in Annal. A. 1168. ſed *Camodium* Morenæ p. 65. quod Metrocomia plurium Oppidorum: ab Alexandria 4.m paſs. diſtans in auſtrum, ubi nunc *Caſtellatium*. Ibidem BOSCUM, de quo idem Ghilinus in *tractatu num.* 24. Oppidum perantiquum poſteriorum Marchionum ſedes. Hæc & alia loca, ut *Marincum*, ſive Maringum, quod fuit Villa & Curtis Regia, Ovilia, & &c. deſignat Maginus tab. 13. URBS SILVA, non tamen Civitas, ſed ſilva, de qua Paulus Diac. 5. 37. *Venatum in ſilvam, quam Urbem appellant perrexit* (Rex Cunipertus) Ita & Sigonius A. 692. & iterum Paulus 6. 58. *Cum in Urbem ſilvam venatum eſſet*. Ita & alibi, ut 5. 39. Hinc malè ſcribunt aliqui *Urbam* & *Orbam ſilvam*. Urbs enim fluvius eſt in hoc tractu ex Apennino fluens, & in Tanarum 2. milliaribus ab Alexandria ſe exonerans. Lex. *in Urbs*: ubi etiam *Urbs* fluviolus Aſtæ mœnia lambens, ſed is *Borbus* incolis. Ortelius in tabula Italiæ Gallicæ f. 25. ad lævam *Urbis* fluvii ſaltum deſignat inſcriptum *Urbs ſilva*: ſed in Magini tab. 13. & aliorum, ac ex Hiſtoricis ad dexteram deſcriptum habemus ſaltum, & Oppidum Boſcum, ubi celebre Cœnobium Dominicanorum. Cæterùm Claudianus circa finem *Belli Getici* miratur, quod amnis Urbs vocetur, canens de Stilicone

..... *Ligurum Regione ſuprema*
Pervenit ad fluvium miri cognominis Urbem.

Huc ergo ſpectat Urbs ſilva Pauli, ex quo 6. 58. Liutprandus reapſe ad Tanarum perrexit, ubi bonus Vir Baodolinus degebat, *in loco, cui Forum nomen eſt juxta fluvium Tanarum*. In tractus hujus meditullio TARTONA juxta Annaliſtam Bertinianum A. 833. Dertona, & Terdona aliis. Caſſiodor. *Ep.* 17. *lib.* 1. Ibi ad boream SALA RODERADI ex charta venditionis A. 1029. apud Clar. Muratorium *Antiq. Eſtenſ. p.* 90. de ea Caffari Continuator Ogerius Panis lib. 4. col. 405. ubi dicitur optima villa. CASTRUM NOVUM Opus Gothorum ex Caſſiodoro *Ep.* 17. *lib.* 1. ubi Theodericus Dertonenſibus *Caſtrum juxta vos poſitum præcipimus communiri*. VICUS IRIÆ, de quo Georg. Merula *Antiq. Vicecom. p.* 142. hæc habet: *Vicberia, quæ in antiquis monumentis Vicus Iriæ appellatur*. Vetus ne Antilia, ſive Antira, vel Iria? Scribit Gaud. Merula *de Gallor. Ciſalp. antiq. lib.* 2. *cap.* 1. „ Sita autem erat Antilia ſecundum ripam fluvii, qui Iria „ à veteribus eſt dictus, nunc Scrivia nominatur.... Non abſurdum eſſet putare pro ea reparatum fuiſſe Municipium, quod nunc *Vicberiam*, quaſi *Vicem Iriæ* præſtans: eadem reperit. *cap.* 18. Videatur Ortelius *in Iria*, & ejus *Parergon* in tabulis 20. & 21. Dertonæ ab ortu CLASTIDIUM vetuſtiſſimum ſuum nomen adhuc ſervans. Similiter & RETURBIUM Livio *Litubium*: de utroque idem Livius apud Cellarium p. 663. BLANDENONA: *Broni*: Lex. h. V. Ex loco corrupto Strabonis erravit Ferrarius. *Iellam* dicens, cum Bodrando, *Stratellam*. Mox infra emendabitur, & Stratella indicabitur: Blandenonæ meminit Cicero apud Bodrandum. ARX GENESINA, de qua huc revocanda jam dicta num. 31. ineunte. Fr. Ballarinus in *Chron. Comi part.* 3. *p.* 184. (quem ſequuntur Bollandiſtæ ejus verborum interpretes, 18. Jan. tom. 2. p. 197.) ſic locum deſcribit: „ SS. Virgines Liberata, & Fauſtina Patrem habuerunt Johannem virum nobiliſſimum Dominum *Arcis*, & „ *Oppidi Geneſini* in Cottiis Alpibus (more Juſtinianæo) ſiti, cui ad meridiem earundem Alpium juga „ imminent: circumlatè patentem agrum à ſeptentrione Padus irrigat: qua jam tum commeare per „ Viam Claudiam è Gallia in Italiam negotiatores „ ſolebant „ &c. Ferrarius *in Catal. SS.* 18. Januar. p. 36 & Tattus *Annal. Comenſ. tom.* 1. A. 570. a pag. 570. cui Curia Geneſina *Rocca d'Algeſio o d'Arzeſe* Comitum Vermienſium Placentiæ: *Rocca del Zeſe* Magino tabul. 17. Ducatus Placentini, in monticulo Tidonis amnis ad dexteram. Ad Trebiam jacet EBOVIUM, ut in antiquis chartis illius Cœnobii Regum Langobardorum paſſim legitur: qui locus Paulo 4. 43. dicitur in Alpibus Cottiis more Juſtinianæo: ſed propriè jacet in Apennino, & omnino diverſus ab altero Bobio in Romandiola prope Sarſinam, de quo ſub n. 82. differere oportebit. Corrigit Albertus p. 375. b. Blondum ſcribentem *Reg.* 7. *p.* 359. fuiſſe à S. Gallo conditum S. Columbani Cœnobium illuc poſitum: quod ſua præſentia honoravit Theodelinda Regina montem *Pennice* Bobio imminentem aſcenſa, ut ex charta Adaloaldi ejus filii in Bull. Caſ. *t.* 2. *Conſt.* 3. Negat Albertus *l. l.* duplex Bobium: at mera quæſtio eſt de nomine, non rectè percepta ab Ortelio *in Bobium*, ut dicto num. 82. patebit. Tandem ad auſtrum ARCUATUM, nunc *Arquà*, quod vel vetus *Libarna*, vel ex hujus ruderibus excitatum. Libarnam Inciſam eſſe contendit p. 141. Lex. *in Libarna*. Huc ſpectare deberent alia duo loca planè obſcuriſſima, & quia nomina valde corrupta, & quia earum ſitus eſt omnino incompertus. Ea prodit Gaud. Merula *l. l. lib.* 2. *c.* 1. his verbis: „ in ipſa via „ Æmilia erant *Cuſtodia*, & *Lellia*, Municipia olim „ florentiſſima, quorum veſtigia hac ætate ne inſpiciuntur quidem. „ Unde id didicerit, ignoramus, neminem enim laudat. Si auctor eſt Strabo, non adeò hæc loca magnificat. Equidem ipſe *lib.* 5. *p. m.* 434. ex verſione Guarini Veronenſis, loquens de Derthone ſita inter Placentiam, & Genuam ait: *hac in via eſt Cuſtodia*, & *Lellia*, nec diſtinguit, an infra, vel ſupra Dertonam, nec hic meminit Viæ Æmiliæ. Attamen ex ordine literæ infra potius, quam ſupra illæ fuerint. Verum aliter legitur in textu Græco Strabonis Varior. p. 332. margin. 217. ibi: Διακουιζα, καὶ Ιελλαια (Diacuiſta, & Lellia) & ibi Xylander n. 10. *quid ſint, neſcio* (inquit). *Inter Genuam quidem, & Placentiam adhuc nihil tale reperi*. At Caſaubonus n. 11. ſubdit: „ Obſerva literarum ductus: facilè, ut puto, mihi „ aſſentieris legenti: Καὶ αἱ ἀκουαιζατυελλαι. Nam ex αι „ fecerunt δι, quod poſtea conjunxerunt cum ſequenti voce & factum eſt Δια: præterea τὸ καὶ inſertum eſt, „ ut malè cohærentem locum fulcirent: putabant enim „ eſſe duorum locorum nomina. His obſervatis in „ promptu erit vera lectio. Quare me auctore pellatur monſtroſiſſima & ineptiſſima lectio. „ Hæc Caſaubonus, & ultra non pergit. Poterat ſubdere tamen, quod ſunt duo nomina, ſi non duo loca: exinde ea ſic dividere Ακαι ζατυελλαι, nimirum quod ſint *Aquæ Statyellæ*, nunc *Acqui* Urbs notiſſima ad lævam Bormidæ amnis. Sed errat Strabo, nam Aquæ minus rectè dicuntur in via, quæ ducit Genua, Dertonam, & Placentiam: longè ad lævam, & ab occaſu diſtant à via: & hoc erat arcanum aperiendum ex Caſaubono. Ex his apparet error Ferrarii in *Iella* enormiter detruncata: præponi enim debet *Stat*-yella, ut ſupra. Amanuenſis libido fuit Iellam ſcribere. Cæterùm *Stratellam* infimo ævo (quia ibi ſtrata, hoc eſt via, anguſtior) *Camillomagum*, ut in Itinerario Antonini, eſſe ex diſtantia, cognoſcimus.

(64) Alter Neuſtriæ tractus eſt *Via Æmilia* à Trebia ad Samogiam protenſa. Planè Langobardico ævo, ſicut Romano, Æmilia fuit dicta: at Francico Via Claudia, ut probatum fuit numm. 31. & 32. ideoque ſimplici linea viali hanc deſignamus. Loca ab occaſu ad ortum, &

Digitized by Google

& à lateribus describere opportunius hic judicamus, quia tractus longior, quam latus. Primo igitur occurrit PLACENTIA, cujus nomen idem semper ab ortu suo; quippe cuncta sunt fabulosa, quæ personatus ille T. Omusius Tinea, sæculi, & sectæ Annianæ, Civibus suis sub specie antiquitatum imposuit. RONCALIÆ, quarum mentio in charta Hermingardis filiæ Ludovici II. Imperatoris A. 890. apud Campum in *calce Hist. Placent. t. 1. num. 29.* Increvere sæculo sequenti, cum Imperatores Germani ibi Comitia Langobardica celebrare cœperunt. Antiquiora coactis ab Ottone II. non novimus. Nam Ottonem I. Conventus Romæ, Ravennæ, & Veronæ tantùm celebrasse prodit Sigonius sub A. 967. At Otto II. *Conventum habuit Roncaliis*, ut sub A. 978. scribit Lambertus Schafnaburgensis, idque ignoravit Campus, qui *l. l. p. 276. a.* vix novit indictum A. 980. In eodem tractu in Isleana scribuntur *Vicumniæ* è regione Cremonæ ad Padum. Sed ibi in tabulis nostris nominis hujus vestigium nullum, neque apud Campum, nomina namque in tabulis scripta, omnia nova, & Sanctorum. De Vicumniis prope Placentiam scribit Livius l. 21. apud Cluverium p. 268. *Paucorum inde dierum quietè sumpta Annibal. ad Vicumnias ire pergit &c.* Is ne earum situs? Placentiæ ad dexteram notatur in tabula Isleana VELIA fortè quia Plinius 7. 49. scribit; *Circa Placentiam in collibus Oppidum est Vellejacium*, quod aliud esse nequit quam *Vianum*, vel huic proximum *Villò*, 15. m. pass. circiter à Placentia in austrum, & in collibus, ut in Magini tab. 17. & apud laudatum Campum in tab. Topographica ad calcem t. 1. Viam rectam relegentes, occurrit FLORENTIOLA, ut scribitur à Liutprando *Hist.* 2. 17. & ut in charta Rachisii A. 746. apud Ughell. *t. 3. col.* 249. nomine sumpto à *S. Florentio*, cujus ibi vetus Basilica cum Cœnobio, ut infra in Burgo S. Domnini: FLORENTIOLA olim *Fidentiola* erat dicta. A dextris in Apennino MONS BARDONIS, cujus meminit Anastasius in *Adriano I.* p. 186. cum Leon. Ost. 1. 8. Parcè, & obscurè Sigonius A. 896. scribens de Lamberto, *cum in Etruriam transgressus, Montem Bardonis ascenderet*: in Liguriæ Apennino, & in Comitatu Parmensi locandus, ad lævam amnis Cœni in Tarum excurrentis, ut in tabulis Italiæ, & Lex. *in Bardum*. Rex Liutprandus *in summa quoque Bardonis Alpe Monasterium, quod* BERCETUM *dicitur, ædificavit*, ut scribit Paulus 6. 58. *Vercetum* est Anastasio, & Ostiensi *l. l.* De eo Ughell. *t. 3. col.* 195. edit. 1. & Lubin in *notitia Abb.* p. 48. qui non rectè Bardum, & Bercetum locat ad orientem Parmæ. In via. BURGUS S. DOMNINI, qui ab ipso nomen accepit, saltem medio ævo, ut ex judicato Missorum Ludovici Pii A. 830. apud Campum *Hist. Placentiæ t. 1. p. 456.* lite vertente inter Abbatem S. Florentii, ut supra in *Florentiola*, & Ursonem Presbyterum B. S. Domnini. Antiquitus dictus fuit *Julia*, ut in Martyrologiis 9. Octob. cum additamento *Fidentia* apud Profanos, hic Colonia fuit Julii auspiciis. PARMA, cujus Dux Godescalcus captus ab Exarcho cum uxore filia Agilulfi Regis, ut apud Paulum 4. 21. & 29. *Julia* CHRYSOPOLIS *Parma* Anonymo Ravennati p. 213. & ibi Porcheronus: „ hoc loco suspecta Albertutii fides stabi„ litur: ille enim ex veteri inscriptione, quam asserebat à se visam *Juliæ Chrysopolis* nomen aliquando „ Parmæ impositum fuisse propugnabat. Albertus, alii„ que credere recusabant, suppositionis lapidem postu„ lantes: „ nec perperam, nec stabilitur Albertutii fides. Equidem in lapide *Julia*, at non *Chrysopolis*. Refert inscriptionem Bonav. de Angelis *Hist. Parmæ lib.* 8. *p.* 747. ibi: *Patr.*ono *Col.*oniæ *Jul.*iæ *Parm.*ensis &c. Non ergo Juliæ Chrysopolis, sed tantùm Parmensis. Chrysopolis medio ævo, sed non ob eas rationes prorsus confictas apud eundem de Angelis *p. 6.* de Chryso Gallo, sive Trojano. Nomen hoc ei inditum à Græcis, ut recte Domnizo in V. Mathildis *l. 1. c. 10. v. 4.* (C. H. t. 5.) dixerit

Chrysopolis dudum Græcorum dicitur usu.

& quid *dudum*, nisi medio ævo? Tempore scilicet Justiniani, & belli Gothici ab A. 534. ad 553. nulla enim mentio ante hanc ætatem apud priscos. Fortè igitur sic vocata tunc Parma, quia repositorium auri facta, hoc est pecuniæ pro belli sumptibus, militumque stipendio, ibi, ut vulgo dicitur, arca belli. *Chrysopolis* nedum medio ævo, ac eadem ratione vocabatur *Vesontio* (Besanzon) in Comitatu Burgundiæ, ut in Conciliis Galliæ legimus, & in Joh. VIII. Ep. 245. verum & antiquius, ut in *Notitia Galliar.*, ubi Provinciæ Lugdunensis V. *Metr. Civ. Crispolinorum* hoc est Vesontionum. *Chrysopolis* etiam in Bithynia prope Chalcedonem ea ratione fuit dicta; scribente Xenophonte *lib.* 1. *Helladicor.* apud Cassiodorum *Tripartitæ* 12. 2. de Chrysopoli, *eam muravit Alcibiades, & in ea constituit, ut qui navigabant de Ponto decimas ibi præberent*. *Aureæ* ideo Epitomatori ex Cl. Muratorii nota in illud carmen n. 108. etsi malit, dictam auream ab artibus liberalibus: an tunc florerent, ambigimus. Plura scitu digna V. Cl. docet. TANNETUM Paulo 2. 2. Tanetus in Lex. & Magino tab. 17. trans Niciam amnem, in via, ubi nunc S. Hilarius, de eo prisci Scriptores. REGIUM *Lepidi*, vocatum quoque *Æmilia*, ut supra num. 30. ex eodem V. Cl. in *Domnizonem*: Et planè à nomine, sive Gente ipsius Lepidi; fortuitò tamen, cum tot sint Lepidi Æmilii, variisque prænominibus scripti inter fastos, & extra, ut labor foret inanis id quærere. Blondus mox laudandus M. Lepidum unum ex Triumviris Regium ædificasse contendit: quo auctore, & cur Regium dixerit, ignoramus. Certè medio ævo Regium appellabatur, ut apud Paulum 2. 18. & in charta Adelgisii Regis A. 774. in Bullar. Cas. *t. 2. Const.* 20. ibi *Radoaldus Castaldius Civitatis nostræ Regensis*. Claudicat tamen hæc charta data Brixiæ dicto Anno, 11. Novembris, dum capto jam Desiderio mense Maji, *Adalgisus filius Desiderii* (statim) fugiens, navem intravit, & per mare Constantinopolim usque pervenit, ut scribit sub hoc A. Annalista Metensis. Sinamus Sanctimoniales in pace bona fide quiescere. Paulus satis revincit Blondum *Region. 7. p. 357.* scribentem, quod *nomen ejus in nullis Gothorum, aut Longobardorum historiis reperitur*. Paulo supra idem dixerat de Mutina, de qua mox. Prius enim describitur CIVITAS GEMINIANA ad dexteram Gabelli amnis (Siclæ nunc) quæ 4. m. pass. cis Mutinam notatur in Magini tabula 16. Ducatus Mutinæ: ejusque sub nomine *Civitatis novæ* meminit Carolus M. in charta divisionis A. 806. *cap.* 4. ubi: „ usque „ ad fines Regensium, & ipsam Regiam (nempe Re„ gium) & *Civitatem novam*, atque Mutinam „ &c. Sigonius rerum suarum peritissimus loquens sub A. 1055. de constructione recentis Mutinæ, sic de veteri, & de hac Civitate Geminiana scribit: Mutinam *à Barbaris inde deletam Cives deseruere, ac proximos vicos, & Castra insedere: præcipuè autem locum quatuor millibus passuum ab Urbe distantem communiverunt, quam Civitatem Geminianam, ac Civitatem novam dixerunt*. Extat item ad occasum Mutinæ cis Siclam in via *Ruberia*, medio ævo dicta HERBERIA, ut ex Manuali Potestatum Regensium sub A. 1202. (C. H. t. 8.) & ex antiquioribus chartis apud Cl. Muratorium. Nunc MUTINA recens se præbet. An in eodem situ, ubi Mutina vetus, est valde probabile. Etenim vetus destructa fuit sub Constantino M. & ab eodem restituta, ut dicimus sub num. 32. ex S. Ambrosio, & Sigonio *de Imper. Occid.* A Barbaris (hoc est Gothis) denuo vastatam credere oportet, si Mutinenses Civitatem Geminianam condere sunt coacti ex superioribus verbis Sigonii. At quia item supra diximus n. 31. ex Chronicis ab Alberto laudatis conditam fuisse Mutinam post Langobardos, & reapse Mutinæ meminit idem Carolus, ut supra (quamvis de hoc tempore nihil Sigonius) necessariò sequitur, veterem Mutinam renovari cœpisse, nondum tamen fossis, mœnibusque constructis. Quod effectum prodit Sigonius declinante sæculo IX. Inquit enim sub d. A. 1055. quod „ Vido Im„ perator cum Episcopo *loca*, *in quibus Urbs vetus con„ structa fuerat*, concessisset, adjunxit etiam, ut *fossas „ purgare*, *portas erigere*, pontes instituere, *locumque „ supra mille passus* in circuitu munire &c. posset. Hactenus renovatam adhuc Urbem veterem videmus. De eadem mox subdit, quod Henricus III. hoc tempore (circa A. 1055.) concessit Hereberto Episcopo *antiquissimam Urbem Mutinam prope desertam reædificare, munire, atque augere*: hæc Imperator, in sinu suæ concessionis. Ex quibus colligimus, recentem Mutinam esse in eodem situ, in quo erat antiqua, quamvis ex adductis dubitari possit, quod post Langobardos alio in loco, tamen proximo, ædificia moliri cœpissent, adjuncta successu temporum antiquæ Regioni altera nova, de qua loquitur Imperator, ut nunc dici possit Mutina nov-antiqua. Quod laudatus Blondus d. p. 357. dixerat de Regio, etiam de Mutina paulo supra prædixerat. Et sanè de Mutina non errasse credimus dicendo, nomen ejus in historiis Gothorum, vel Langobardorum reperiri. Planè nec nos illud nacti sumus hucusque. Recitat Paulus 2. 18. Urbes Æmiliæ, & Mutinam præterit, quia ex prædictis jacebat, vice illius Geminiana constructa. Gaspar Sillingardus *de Episcop. Mutinens.* in Joh. I. A. 743. p. 17. refert ex Sigonio chartam, Rachisio regnante, scriptam, in qua mentio *Mutinæ*, sed lepidiorem, quam veram eam esse prænotavimus sub num. 33. Anonymus Ravennas p. 213. utique Mutinam scribit, sed id probat, ipsum non scripsisse sæculo VII. quo Urbs jacebat, ut prædiximus sub n. 6. exeunte. Nihilominus & Episcopus adhuc Geminianæ sedens non Geminianus, sed Mutinensis Langobardico ævo appellabatur: similiter & ager Mutinensis, ut ex Bulla Stephani II. & charta Aistulfi pro Monasterio Nonantulano inter Acta Sancti Anselmi (C. H. tom. 1. part. 2.) Attamen posse dari chartam sinceram, in qua Mutinæ mentio fiat, non inficiamus: plura enim etsi perierint, memorantur. *Montena* pro Mutina extat in Ep. Romani Exarchi ut n. seq.

Digitized by Google

(65) Loca nonnulla agris Regensi, & Mutinensi proxima, Viæque Æmiliæ hinc inde circumposita, quæ nunc obscuri nominis, expedit declarare; adhuc quia pluries in historiis occurrunt, ut tetigimus sub num. 33. Mutinensis agri limites statuendo. Igitur hujus Viæ ad sinistram, & ad Padum BRIXELLUM conspicitur, quod occupatum à Langobardis: proditum Romanis, scilicet Smaragdo Exarcho à Droctrulfo Duce: receptum ab Authari, mœnibusque nudatum tradunt Paulus 3. 18. & Sigonius AA. 583. & 585. GUARDISTALLUM primò novimus in diplomate Ludovici II. A. 865. apud Campum *Hist. Placentiæ t. 1. p. 459.* ubi scribitur *Vvardistalla*, sed *Guardastalla* in charta Berengarii II. A. 950. apud Sigonium. Utitur his documentis Joh. Bapt. Benamatus Italicæ *Hist. Vastallæ p. 3.* in antiquitatis ejus argumentum. Revera tamen Ludovicus hanc vocat *Curtem*, de cujus significatione verbi sermo fuit supra num. 49. adhuc juxta extensionem Cl. Muratorii, ut etiam Oppidum esse potuerit, in cujus territorio Curtis, sive prædium existeret. Cum posteriori ævo Urbis speciem ostendat, celebratis in eo binis Conciliis sub Urbano II. & Paschali II. AA. 1094. & 1106. cumque *in bello Mediolanensi in Comenses* A. 1118. dicatur, v. 214. (C. H. t. 5. p. 418.) quod cum aliis Urbibus

Venit & illa simul, quæ Guardastalla vocatur

argui potest saltem sæculo IX. Oppidum non incelebre fuisse. Videatur Cl. Muratorii in Donizonem nota 170. cum quo nos infra num. 76. de Gardæ nomine locuturi (quod sanè Francicum) aliud dabimus argumentum pro antiquitate hujus loci. Infra ad Padum quoque LUZZARIA dubio procul *Neuceria* illa, quæ in Gallia Togata cum Brixello, Regio, & Mutina locatur à Ptolemæo 3. 1. Romani Equitis *Lucii Ara* dicitur, nomine non aoludente, Janello apud Agnellum Maffejum *Annal. Mant. p. 80.* VICUS ARICOLI, qui nunc dicitur *Ficarolus* juxta Peregrinum Priscianum Ferrariensem Historicum apud Albertum p. 351. b. Lex. in *Variamus* habet Vicum Aurelii, sed *Aricoli* est propriè medii ævi, teste Prisciano. Is ipse apud eundem Albertum p. 358. indicat Urbem, cui nomen ANSA REGINA, cujus auctrix dubio procul Desideri uxor Ansa (Ansa la Regina) in Bondeni territorio sita, ubi vestigia ædificiorum visuntur. Et ne quis credat, opus esse Mathildis, testatur Priscianus, vidisse chartam A. 1222. & hæc in eadem legisse: *eodem die illi homines de Finali addiderunt terræ Bononiensium Curtem Tresentulam à robore S Henrigi, quæ vadit ad Palazolum: à Palazolo vadit ad Civitatem Ansa la Regina: à Civitate prædicta* &c. Igitur prope Centum Oppidum hæc Civitas sita, & fortè *Centum* ex ejus ruderibus excitatum. In tabula Magini 16. Palatium prope Finarium, & Centum describitur. Mutinam versus tendendo, trans Panarum ad levam Viæ Æmiliæ NONANTULA existit, cujus illustre Cœnobium Aistulfus erexit, ut ex actis S. Anselmi (C. H. t. 1. part. 2.) & Lubin *Notit. Abbat.* pluribus in locis. Hic quatuor loca, quorum duo adhuc ad lævam Æmiliæ, capta à Liutprando innuit Paulus 6. 49. scribens quod „ Castra Æmiliæ: *Foronianum: Montem Bellium: Buxeta*, & *Persiceta*, Bononiam, & Pentapolim, Auximiumque invasit. „ Feliciter parum, historia inobservata, Cluverius laudatus in nota 199. legit, & interpretatur hæc loca, certissimè singula Mutinam inter & Bononiam. Audiatur Sigonius A. 727. cui magis standum, quia conterraneus, & peritissimus rerum suarum. Scribit, quod *erant inter Imolam, & Mutinam nonnulla ex Regione Æmiliæ loca, nondum à Langobardis aut armis tentata, aut certè oppressa. His Luitprandus . . . . . bellum intulit, & levi certamine Feronianum, Montem Bellum, Buxetum, & Persiceta . . . . . Demum Bononiam occupavit.* Si ergo Liutprandus hæc loca est aggressus, planè erant inter Mutinam, & Bononiam, etenim Mutina, Regium, Parma, Placentia, & circumposita loca longè ante Liutprandum Langobardis parebant. Cluverius è contra ferè singula nedum cis Mutinam, sed quoque cis Parmam ea locat. *Foronianum* legit, & censet vel *Fulinianum* ad Nuram, vel *Forum novum* ad Tarum amnes Neutrum: sed FERONIANUM in Apennino Mutinensi, ut ex eodem Paulo 2. 12. ubi *Ferronianus*, & ex tabulis ad Scultennæ, & Lardaniolæ (nunc Dardagnæ) confluentem. *Haud procul à Bazano, atque Saviniano Oppidis* (verba sunt Cluverii sumpta ex Alberto p. 338.) *est Castrum M. Pellius, vulgo nunc Monte Veglio, & Vejo adpellatum.* At à nobis juxta meliorem lectionem scribitur MONS BELLIUS: *Monte belli* legimus apud Anastasium *in Greg. II. p. 156. b.* Domnizo quoque scribit, quod Henricus *obsedit Castrum M. Belli.* Ita *lib. 7. cap. 7. v. 18.* & ibi nota 101. Cl. Muratorius *olim agri Mutinensis, nunc Bononiensis, ut & M. Morellus, M. Alfredi.* Similiter in charta Ludovici Pii apud Sillingardum *in Deodato p. 21.* legitur *M. Belliensis.* Omnes ergo per B. non per P. etsi Paulus 2. 18. corruptè habeat *Montepellium.* Modò corruptius *Mons Via* Magino tab. 16. *Mon-vi* Cantello ad lævam *Genæ* medio ævo (antiquitus Madiæ) nunc Samogiæ, 12. m. pass. à Mutina totidem à Feroniano in ortum: 4. à Vineola, & 8. à Via Æmilia, sive Romana, verè inter Bazanum, & Savinianum. BUXETA in majori numero. (*Buxo* Anastasio *l. l.*) Cluverio est *Bussetum*, & subdit *prope Padum, & circa Cremonam.* Utique & in statu Pallavicino, ut in Magini tab. 17. sed longè citra Mutinam; in agro Mutinensi, vel Bononiensi juxta Paulum, & Sigonium locus est quærendus. De hoc nihil apud Sigonium, ut & ipse situm ejus ignoraverit nondum *Buxeta*, nec sub alio affini nomine, in tabulis nostris reperimus: altero fortè alicujus Sancti illis indito nomine. Verùm pro Cluverio quis potest nos urgere, utique *Buxeta* esse Bussetum ad Padum Placentinum, quamquam hic ordinem pervertant Paulus, & Sigonius. Nam licet Alboinus ceperit totam Æmiliam usque ad agrum Bononiensem, attamen Ravennatem Exarchum III. nomine *Romanum* sub Mauritio Aug. eandem feliciter recepisse legimus in ejus *Epistola 5.* data *Childeberto* II. Francorum Regi A. 590. (extat num. 5. inter Epistolas in Appendice ad Opera Gregorii Turonensis Ruinart à col. 1364.) ubi mentio de *Montena* (Mutina) *Altino, atque Mantua* receptis: pergitque dicens quod *dum ad obsidendam Parmam, vel Rhegium, atque Placentiam Civitates proficisceremur, Duces Langobardorum ibidem constituti, in Mantuana Civitate nobis cum omni festinatione ad subdendum se Sanctæ Reipublicæ occurrerunt*: Regemque Francum exorat, ut juxta promissa Mauritio bellum Langobardis indicat. Exinde *Epistola 7.* ejusdem argumenti Franco scribit Romanus deditionem Langobardorum *Mantuæ, Parmæ, Regii, Placentiæ*, & quod *Deus Mutinensem Civitatem nos pugnando ingredi fecit.* Cum hæc ita sint certo certius & *Buxeta* (Bussetum) recepta, quæ iterum à Liutprando subacta, juxta Paulum. Et quid ad hæc? Impigre reponimus ante Liutprandum, Æmiliam usque ad agrum Bononiensem à Langobardis recuperatam. Certissimè namque Placentia, & Parma, & consequenter adjacentia Padana juris erant Langobardorum, ut ex germanissima, & pretiosa charta *Pertbariti*, sive Bertariti Regis A. 689. apud Campum *Hist. Placent. t. 1. p. 177. b.* in qua Rex ibi judicat de finibus in controversiam vocatis inter *Dagilbertum Gastaldum* Placentiæ & . . . . . *Gastaldum* Parmæ, delegatis pro inspectione locorum *Autbechi Spatario* Regis, & *Ausone* Notario: cumque ibi enuncietur, motam fuisse, & finitam eandem litem sub Rege *Arioldo* (Arioaldo ab A. 624.) dubitari nequit, hoc tempore Placentia, & Bussetum quin fuerint Langobardorum, Æmilia ab Agilulfo Rege bellicosissimo capta. Quod si Græci circa Mutinam quid adhuc tenuerint, certe Rhotaris ante Liutprandum cuncta occupaverit, quando *cum Ravennatibus, & Romanis bellum gessit ad fluvium Æmiliæ, qui Scultenna dicitur: in quo bello à parte Romanorum, reliquis terga dantibus, octo millia ceciderunt.* Hæc Paulus 4. 47. Si ergo non potuit Liutprandus Bussetum capere jam olim captum, aliud Bussetum, aliud Buxeta est credendum. PERSICETA tandem, & hic sumus cum Cluverio sic notante: „ Oppidum, sive Castrum memoriam anti„ qui nominis servat: vulgo nunc *S. Gio. in Persiceto* „ dictum: ab eodem Viæ Æmiliæ latere (lævo) 9. „ circiter millia à Mutina. Meminit ejus etiam *Chron.* „ *Cas. l. 1. c. 57.* his verbis: *in Comitatu Mutinensi fun*„ *do, qui Persiceta dicitur.* „ Hæc ex Cluverio. Quinque alia loca in hoc tractu ad dexteram Viæ in Apennino, & collibus inferioribus, designantur, quorum in historiis frequens memoria. Infra M. Bellium BAZANUM. Prope, & infra Feronianū FANANUM, ubi celebre alterum Monasterium Domino Salvatori dicatum à S. Anselmo, ut ex hujus laudatis Actis, de quo Ughell. *t. 3. columnis* 101. & 106. Lubin *in Notitia pagg. 127. a. & 435. a.* NEVEOLA Liutprando *Hist. 5. 12.* nunc *Vineola* interprete Cl. Muratorio, Vignola celebris à sæculo X. quia Rex Hugo eam *viriliter, sed inutiliter oppugnavit*: quia natale solum Virorum illustrium Barroccii, Cantelli *&c.* ut ex emendationibus Liutprandi Historiæ adjectis ab eodem V. Cl. (C. H. t. 2. post pag. 476.) At nunquam celebrior quam nunc, quippe et Patria est Cl. Muratorii: qui in Italia nostra literarum indefessus promotor, post tot sui uberrimi ingenii cultissimos fœtus, quibus Polyhistorem verè se prodit, Societatem Palatinam, unà cum Cl. Saxio Bibliothecę huic Præfecto, beneficiis exornat, & auget. Infra Neveolam SPINUM LAMBERTI quod nunc vulgo dicitur *Spilimbertum.* Inter monumenta collecta à Mabillonio *Musæi Ital.* part. altera à p. 38. extat *Vita*, & textus Epistolarum *Adriani I.* in qua p. 41. de ipso: „ cum ad Regem Caro„ lum pergeret, ut veterum pandit memoria, in lo„ cum qui *Spinum-Lamberti* vocatur vitam finivit 8. „ Idus Julii, & ad Ecclesiam, Monasteriumque Beati „ Silvestri, quod Nonantula dicitur perductus, hono„ ri-

Digitized by Google

„ rificè sepultus est, ubi etiam usque hodie miraculis „ coruscare dicitur. Cujus morte Carolus Francorum „ Rex audita nimium condoluit, diuque se in lamen„ tis dedit „ &c. Se legisse hanc vitam in Nonantula narrat Albertus p. 361. b. Neveolæ ab occasu SAXOLICIANUM, quod etsi Romanam sapiat phrasim, id tamen medio ævo erat nomen, ut legitur in charta Aistulfi inter Acta S. Anselmi sæpe laudata. Nunc est *Sassuolo* Atestinorum Principum deliciæ. Et hic finis Neustriæ Cispadanæ, sive Langobardiæ Francicæ. Flumina in ea contenta eadem ferè nomina habebant, ac nunc, ut videre est apud Anonymum Ravennatem p. 224. qui ea sic enumerat: *ingrediuntur in ipsum Padum Alubra* (ordine literæ, ut ex sequentibus est *Iria* sive Scrivia omninò ignota Porcherono) *Tidone*: *Trebias*: *Nure*: *Clena*: (Clavena) *Taron*: *Parma*: *Entiamus*: (Entia, sive Lentia, Nicia, amnis). In hac parte ultra non progreditur. Addi debent *Sicla* olim Gabellus: *Panarus* olim Scultenna: *Lardaniola*, nunc Dardagna. *Gena*, & *Zena* medio ævo, nunc Samogia: *Lio* nunc Lavinus, sive Labinus, ut conjici potest ex laudata charta Aistulfi.

(66) Cispadana Neustria lustrata, et Transpadanæ loca explorare ordo postulat. Hanc quoque in duos tractus dividimus, quorum unus à Duria majori, sive à montibus, qui ejus ripæ sinistræ insident, ad Ticinum protenditur, & alter à Ticino ad Mincium. Celebriora loca in illo contenta sunt Urbes: VERCELLÆ, quæ non magni nominis medio ævo. Cum enim Sanctus Hieronymus *Ep.* 17. ad Innocentium (alias 49.) ita scribat: *Vercellæ Ligurum Civitas baud procul à radicibus Alpium sita, olim potens, nunc raro est habitatore semiruta: hanc cum ex more Consularis invisere*t, oblata est ei adultera &c. nondum legimus hanc Urbem à Gothis, vel Langobardis refectam. Et sanè nihil medii temporis dignum memoria produnt suorum Episcoporum Scriptores Ferrerius, Corbellinus, Cusanus, rerumque Civilium Fr. Aug. ab Ecclesia *Corona Regal. Sabaud. part.* 1. à p. 197. fabulas quidem non paucas de illius origine colligens. Nihilominus *Vercellæ* speciatim Italico Regno Pippini accensentur in Charta Caroli M. A. 806. NOVARIA à proximo amne (nunc *Agonia*: Gogna) *Novaria* olim nomine sumpto; quod hactenus Scriptores sui ignorarunt, non observata Tabula Theodosiana Peutingeri, ubi amnis *Novaria segm.* 2. & ideo nomina fabulosa *Nova ara*: *Libya*: *Leonina*: *Herculea* &c. fuerunt ab illis excogitata. Captam ab Alboino: exposit attritam, ac traditam Duci Codoco olim legimus, vivente amico nostro Cotta in quibusdam schedis membranaceis, quas ipse prodidit in *Diss. de Fylacrio* in calce sui *Musæi Novariensis*. In majori numero Novarias scribit Paulus 6. 18. narrans conflictum *apud Novarias* inter Ragunbertum Ducem Taurinensem, & Ansprandum Ducemque Bergomensem Rotharit, utroque extincto in eo prœlio. Loca porrò Urbes has circumposita ab occasu ad boream ascendendo sunt VIVERO ad parvum lacum cognominem, *Libero* antiquitus, ut in I. tabula nostra. BUJELLÆ fortè ex veteris fani Apollinis ruderibus excitatæ. Imo si *Gaumellum* est diversum à Laumello, & Caumello, ut prope finem hujus numeri demonstrabimus, Bujellæ possunt esse Gaumellum, quod Ptolemæus 3. 1. attribuit Salasiis, & Moletius Biellam interpretatur. In Charta Carassi Lituardo Episcopo Vercellensi data A. 882. scribitur *Bujella*, & *Bujellense districtum*, teste Fr. Aug. ab Ecclesia *Corona Real. part.* 1. *p.* 243. hinc & nos *Bujellam* scribimus. Mutilat hanc Chartam Ughell. *tom.* 4. *col.* 767. edit. 2. VICTIMULA Anonymo Ravennati p. 202. Meminit Plinius 33. 4. *Istumulorum aurifodinæ* in agro Vercellensi. Hic inter Vercellas, & Novariam BLANDERATE, de cujus priscis Comitibus nonnulla *nota* 41. *in Morenam col.* 1053. (C. H. t. 6.) Antiquitatis loci argumento sunt S. Gregorii M. *Epp.* 109. *lib.* 7. *&* 9. *l.* 9. datæ *Sereno* Episcopo Massiliensi, qui Romam profectus, & exinde in patriam regrediens, Blanderate decessit, sepultus in S. Columbani hujus Oppidi Ecclesia perantiqua, ut probant S. Episcopi acta, picturæ, & carmina apud à Basilicap. *Novariæ p.* 94. *& seq.* & apud Ferrarium *Catal. SS. Ital.* 2. *Aug.* Paulo infra SILVA: de qua crassissimè Godefridus Viterbiensis (C. H. tom. 7. col. 407.)

Campus apud Ligures Mortaria ritè vocatur,
Rex ubi congreditur, Ligurum pars victa fugatur,
Sic Desiderii copia terga dedit.
Dicitur illorum Mortaria nomen agrorum
Quæ peregrinorum stat modo grande forum.

Utique fama est, hunc locum, cui vetus nomen *Silva bella*, Mortariam vocatum à cæde Langobardorum in prœlio ibi à Carolo cum Desiderio commisso. Famam secuti sunt Albertus p. 442. juxta prodita à Corio p. 21. b. edit. 1554. Ortelius *in Thesaur.* cum Lexicographis in *Mortaria*. At recte Sigonius A. 773. reclamat; quoniam *Anastasius*, *& Annonius* (Aimoinus) *quibus credidisse malis*, *Desiderium ab Alpibus sinè ullo prœlio Papiam esse regressum* (scribunt) *Desiderius igitur summi prœlii devitare discrimen volens*, *se Papiæ muris inclusit*: *quam*, *proximo Aistulfi casu admonitus*, *variis operibus*, *munitionibusque firmaverat*. Unde Godefridus, & Corius primò apud Vercellas, exinde bis Silvæ bellæ certatum fuisse collegerint, ignoramus. Laudat Ortelius Lupoldum Babenbergium, qui junior Godefrido. Mortariæ ergo nomen est aliunde petendum, & fortè ex cæsis in prœlio, quod contigit An. 1061. in loco ex eo tempore dicto *Campo morto*, ut notatum legimus, etsi jejune nimis in Kalendario historico (C. H. t. 1. part. 2. p. 225. a.) ubi sub d. A. *fuit bellum in Campo mortuo* post *Mortaria*. Supra Blanderate *lacus Hortanus*, & ibi INSULA S. JULII, sic medio ævo adhuc dicta à Paulo 4. 3. scribente, quod *Agilulfus Rex occidit Minulfum Ducem de Insula Sancti Julii*, eo quod se Francis tradiderat. Eleganter eandem describit à Basilicap. à p. 172. ubi et *Hortæ* nomen inquirit: ex varietate opinionum antiquitas loci dignoscitur. Prope Hortam, & ad ripam Verbani lacus *Arona* præteritur, cum hujus nomen nullibi medio tempore appareat, sicut neque Angleriæ, ut infra. Trans lacum Hortanum, & Sessitis amnis ad lævam PLOMBIA, Anonymo Ravenn. p. 202. *Plubia*, illustratori suo ignota. *Plumbia* Calcho nostro p. 117. in fine: *Pombia* à Basilicap. p. 68. in cujus Diœcesi sita, ejusque Castri, adhuc olim civilis ditionis Episcopi, ruinæ visuntur. OXILLA eidem Anonymo ibidem. Οσκελλα Ptolemæo, ut in nota Porcheroni *Ossula* à Basilicap. p. 201. Describitur à Macaneo *de lacu Verbano p.* 63. *num.* 103. & pluribus laudatis illustratur à Cotta: ab Ægid. Tschudo *de prisca Rhætia p.* 89. vulgo dicitur *Domo d'Ossola*. Ad ostium Atisonis amnis, ubi caput Hortani lacus sita est OMULA sic ab Anonymo *l. l.* vocata, ideo Annotatori suo ignota: sed certo certius est OMAGNUM Macaneo *p.* 69. num. 120. & à Basilicap. p. 190. vulgo *Omegna*: illustratur à Cotta CANOBIUM ex *Chron. Novalic. lib.* 3. *cap.* 8. *col.* 737. de quo laudati Macaneus, & fusè Cotta n. 9. à p. 18. Supra fontes Atisonis amnis notantur CAMPI CANINI celebres in historiis: sic quoque medio ævo vocati à Gregorio Turonensi *Hist. Francor. lib.* 10. *cap.* 3. dum prœlium inter Francos, & Langobardos ibi prœliatum describit. Ibi Ticinus amnis in Verbanum excurrens nos progredi vetat. Dum autem quæ in latere orientali Verbani locantur sint veluti citra Ticinum, ad austrum, & Padum descendimus. Non procul à Duria, & Pado *Crescentinum* conspicitur, quod planè non est *Cestia*, vel ex hujus ruderibus excitatum, ut ex situ, collatis tabulis antiquis cum novis, cognosci potest. In Isleana notantur *Cestiæ* cis Padum etsi nomen trans scriptum. Adæquè in Magini tabula 5. M. ferrati extat *M. Cestinus* inter Verrucam ad occasum, & Gabianum ad ortum. Non ergo M. Cestinus, sive Cestia potest esse Crescentium, in cujus situ nullus locus in Isleana notatur. Bodrandus *in Quadrata* esse Crescentinum definit. At quomodo si Crescentinum trans Padum, & Quadrata cis Padum, ut in tabula Isleana, & rectè? In lexico Ferrarii Quadrata dicitur *Quarta*, 4. m. pass. ab Asta, Casale versus, & in Magini tab. 2. *Quarto*. Nomen non abludit, sed idem obstat, nam adhuc *Quarta* est cis Padum, & Crescentinum ultra: neque Cestiæ situi accedit: Nobile Oppidum Blondo p. 368. & Alberto p. 453. sed recens opus Guelphorum, ut fatetur ab Ecclesia *Corona Real. part.* 1. *p.* 266. Sequitur ortum versus TRIDINUM. Miramur, Holstenium *in Ortelium p.* 163. putare Tridinum esse veterem Rigomagum, & in hoc assentiri Cluverio, dicendo, quod recte Rigomagum locat inter Taurinum, & Ticinum. Cur id factum, & malè, declaravimus supra num. 63. iterumque id firmamus, nempe Rigomagum cis Padum esse, & Tridinum trans Padum. Delineatur quidem in Tabula Isleana via, quæ Ticino ducit Cutias, Rigomagum, Taurinum: verùm, hæc via magis declinare debet Astam versus, prope quam *Rincus*, qui Rigomagus, juxta Lexicographos, & Geographos nostrates horum locorum peritiores Gallis. Ferrarius erat Alexandrinus ferè conterraneus, ideo ei magis credendum, quam cæteris. Is & in Lexico, & in *Epitome Geographico* ex veteri traditione, & Annalibus antiquum notat *Tridinum*. CARBANTIA Antonino in Itinerario p. 168. à Mediolano Arelate *Carcantiæ*: in Itinerario Burdegalensi p. 141. *ad Medias* inter Rigomagum, & Cottias. Ita & Isleus in sua tabula, qui juxta Burdegalense hic ad Padum nomina locorum scribit. Verum an recte cis Padum *ad Medias* locet, dubitamus: Bodrandus enim, ex Guichenono laudato, in *ad Medias*, & in *Carbantia* hanc collocat supra Sessitis confluentes in Padum, dicendo nunc vocari *la Grangia*. Reapse hæc in Magini

Digitized by Google

gini tab. 4. scribitur trans Padum, 2. m. pass. cum dimidio à Casali S. Evasii in ortum æstivum. Neutrum Itinerarium distinguit, an cis, vel trans Padum, ideo Bodrandum, & Maginum sequimur. Patet, falsò sentire Ticinenses, *ad Medias*, esse *Medam* cis Sessitem in suo Principatu. Sessite amne trajecto occurrit BREMETUM vetus Oppidum, & ibi Cœnobium, Colonia Novaliciensium Monachorum conditum, & dotatum ab Adalberto I. Marchione Eporediæ in Diœcesi Papiensi, ex quo à Saracenis circa A. 892. fuit Novalicium eversum, ut colligitur ex Chronographo Novaliciensi, qui & pluries Bremiti meminit, varia tamen scriptione modò sic, modò *Breme*, ut et nunc appellatur. Ex hujus Cœnobii historia cognoscimus, Marchiones Eporediæ in Diœcesi Papiensi allodia, & curtes possedisse, ut dicebamus num. 62. exeunte. Etenim eadem bona à dicto Adalberto illi collata sibi vindicavit exposs Harduinus Glabrio Secusii, sive Taurini Marchio, surrepto hinc præcepto à Lothario Rege, vel ejus Patre Hugone (hic enim Chronographus *lib. 5. cap. 3. & seq.* res valde confundit, & nefanda enarrat) ut Monachi Ottone imperante, contra Harduinum fuerint coacti Johannem XIII. appellare tam pro bonis Abbatiæ Bremetensis, quàm Novaliciensis, utraque enim Harduinus usurpaverat. Videatur Epistola Belegrimi Abbatis ad dictum Pontificem (C. H. t. 2. p. 2. col. 757.) Inter Sessitem, & Agoniam CUTIÆ: corruptè *Costias* scribit Anonymus p. 201. *Cutiæ* in Tabula Peutingeri. Et in Itinerario *Cottiæ*. Paulo infra ad ortum LAUMELLUM, ita scribit Paulus 3. 36. *Caumellum* Fredegario *cap.* 51. A. 632. qui narrans ibi Theodelindam nupsisse Agilulfo, & Gundebergam ejus filiam, & uxorem Rodoaldi Regis fuisse carceri mancipatam, certos nos facit idem esse Laumellum, & Caumellum, etsi aliqui in Lex. V. *Gaumellum* velint Gaumellum esse Bujellam, & ita Ptolemæum 3. 1. non rectè interpretatur Moletius, imo errat Ptolemæus Salasiis tribuens Gaumellum, si idem ac Laumellum Pauli, & Caumellum Fredegarii, secus si alterum. Recolantur prædicta. Supra est ADURNUM: Rectè Durnum juxta Saccum *Hist. Ticin.* 4. 3. Lex. *in Dursi*. Julianus Apostata à Constantio apud Ammianum Marcellinum *lib.* 15. *cap.* 8. *p.* 95. dum in Gallias proficiscitur deductus est „ ad usque locum *Duabus Columnis* „ insignem, qui Laumellum interjacet, & Ticinum „ quique certissimè Durnum ex vestigiis columnarum, quæ apparent. In Itinerario Burdegalensi p. 141. *Duriis*: absunt ab Antoniniano. Inter Flumina hujus tractus jam enunciata est *Agonia*, sive Aconia, dicta in origine *Novaria*, ut in Peutingeri tab. *segm.* 2. à qua Urbs, quam præter labitur, appellata, ut num. superiori.

(67) Trajecto non longè Ticino, Regiam ingredimur Langobardorum, à quibus PAPIÆ nomen primò inditum, ut nullibi scriptum (quidquid dicant Scriptores Ticinenses) ante Adaloaldum Agilulfi filium inveniatur. Nunquam tamen vetus Ticini nomen sicut nec hodie, deletum. Hic opportunum videtur ab austro, & Pado ab boream ascendere, loca recensendo, quæ inter Ticinum, Verbanum, Abduam, & Larium sunt sita, ut venti ad Alpes, Abdua transgressa, eiusdem redeamus ad ostium. Ita: CURTIS OLONNA ad ortum Papiæ extat, quæ Curtis Regia & deliciæ Liutprandi, nam (Paulo 6. 58. teste) *in Olonna nihilominus suo probastio* (Viridario hoc loco juxta Papiam Grammaticum) *miro opere in honorem S. Anastasii Martyris Christo domicilium statuit, in quo & Monasterium fecit*. Plura extant diplomata ab Italiæ Regibus Olonnæ data, ejusque meminit Continuator Annal. Fuldens. A. 886. QUADRATA Anonymo Ravennati p. 201. qui addit *Padam*, ut distinguatur à superiori *Quadrata mumum*: prope ostium Lambri fuisse vix nunc cognoscimus ex eodem, & ex Tabula Isleana juxta Tabulam Theodosianam. Nullum vetus vestigium hodie apparet, quoniam proximus Padus, cursu suo immutato, fundamenta etiam absorbuit; *Domus rubea* esse potuit, vel prope, verum & hæc paucis ab hinc annis à Pado vorata. Supra Papiam media via Mediolanum ducente BINÆ ex Gaud. Merula *de Gallorum antiq. sedib. lib.* 1. *cap.* 6. nunc *Binascum*. Paulo supra ad lævam DESIDERIANUM, ut ex antiquis Chartis prodit idem Merula ibidem, à Desiderio Rege dictum: nunc *Sedrianum*. CURIA PICTA, de qua Bonav. Castillion. *Gallor. Insubr. antiq. sedib. pag.* 30. hæc prodit: „ Veteres *Pictam Curiam*, Corbettam nostrates appellant: Oppidum dubio procul vetustissimum, *Longobardorum* symmetria constructum habens Templum, cujus ruina, quæ facta est annis superioribus multas SS. Reliquias, quæ ignorabantur, & cum eis memoriolam, in qua mentio habetur, & qui eas Reliquias illuc locorum portari curarit, & nominis ejus Oppidi, quod in hanc „ usque diem desiderabatur, aperuit. „ *Corbettam* sæculo XII. scribunt Morenæ col. 1157. Ad dexteram inter Lambrum & Abduam LAUDA antiquitùs à Lauda nova 4. m. pass. dissita. Vetus Pompeji Strabonis opus, vel saltem Colonia deducta, ideo *laus Pompeja* dicta, de qua Defendens Laudensis *Ital. discurs.* 1. Cur, quando, & quibus eversa Morenæ docent cum suo Annotatore *col.* 1009. *n.* 4. (C. H. t. 6.) MELIGNANUM, olim *ad Nonum*, ut in Itinerario Burdegalensi, ubi desinit, & in Tabula Isleana. Paulo infra ad dexteram CALVENTIANUM locus planè memorabilis, quoniam Roma, vel Ticino huc Boethius Severinus fuit deportatus, in carcerem detrusus, & occisus, ut narrat Anonymus Valesianus, cujus excerpta edidit H. Valesius ad calcem sui Ammiani Marcellini editi Paris. 1681. Ibi p. 670. „ Tunc Albinus, & Boethius ducti in custodia ad „ Baptisterium Ecclesiæ. Rex verò vocavit *Eusebium* „ *Præfectum Urbis Ticini*, & inaudito Boethio, protulit „ in eum sententiam. Qui mox in agro *Calventiano*, „ ubi in custodia habebatur misit Rex, & fecit occidi: „ qui, *accepta corda, in fronte diutissimè tortus, itaut* „ *oculi ejus creparent*: sic sub tormenta ad ultimum „ *cum fuste occiditur* „ subit Valesius hanc notam: „ Justino Augusto II. & Opilione Coss. occisus est Boethius in *Territorio Mediolanense*, ut scribit Marius in „ Chronico „ Anonymi hujus Synchroni, & testis, ac Boethii, historiam fusè tractant, & expendunt Bollandistæ, hoc est Papebrochius, 26. Maji t. 6. A. 526. *in V. S. Job. PP. capp.* 2. & 3. Modo videant Scriptores Ticinenses, & exteri, præsertim Martianus Rota, & Petrus Bertius, qui cæteris fusiores res Boethii scripsere in fronte, & in calce ejus operis *de Consolatione* Amstelodami 1668. cunctis ab Anonymo, & à veritate alienis. MEDIOLANUM pervenimus, sed tempore, quo adhuc munimentis exutum, solo æquatum, civibus vacuum, prorsus denique desolatum jacebat, ab A. 4. belli Gothici, æræ vulgaris 539. ex Procopio 2. 21. & aliis: ut ideo Regis sedem ibi locare inopportunum Langobardi censuerint. Cæterà *Mediolanum Liguriæ Metropolim & quondam Regiam Urbem*, ut ait Jornandes *cap.* 42. imò & specialis Italiæ Caput, ex quo fuit pro sede Præfecti Prætorio, Vicarii, & Consularis Liguriæ constitutum, & ideo tantùm *amplitudine, frequentia, opibus Romæ cedens, Occidentis Urbes cæteras superabat*, teste Procopio *B. Goth.* 2. 7. & amplius 2. 21. hinc altera Roma. Paulatim tamen Urbe nostra convalescente sub Alboino Duce, cui obtigerat, ex Paulo 2. 32. variæ Lectionis, ibi voluit Agilulfus Rex confirmari, ut ex eodem 3. 36. & Adoloaldum filium suum in circo coronari ex 4. 31. ibique & Bertaridus, Regno diviso cum fratre Godeberto, sedem suam locavit, & ex 4. 53. Nullo tempore huic Urbi primævum barbarum nomen *Meiland*, emollitum à Latinis, productum à Græcis Μεδιολανιον, ademptum: hinc cætera *Peucetiæ*, *Herculeæ*, *Albæ* conficta prorsus nomina asseveramus, nullo probato Scriptore hæc testante, horumque errorum origine satis nobis perspecta. Adæque rejicienda sunt etyma: poeticum Claudiani à *sue lanata*, etsi Sidonio probetur: puerile ab *inter amnes*, ubi enim tunc hæ voces Latii? & Annianum à *Medo*, & *Olano* Ducibus. Etsi summatim hæc quasi ex tripode pronunciemus, longo tamen labore, scriptisque nostris, aliquando vulgandis, expendimus, ut nostratium, & exterorum tot preconcepti errores amoveantur. Supra Mediolanum MODICIA juxta lectionem Pauli 4. 22. & 5. 6. stylumque diplomatum: nunc *Monza*. Ad occasum, & lacum Verbanum vergentes, ubi exit Ticinus, SCOZZULA, nunc *Sextum*, sive *Sextium Calendarum* ex documentis IX. sæculi relatis ab Innocentio III. *C. inter dilectos de fid. instrument.* a Basilicap. *Novar.* p. 70. & aliis apud Boscam *Martyr. Mediol.* 1. Novemb. p. 363. Supra STATIONA: Anonymo Rav. p. 202. *Scationa*, & suo Annotatori ignota, *Alpium jugis occultata*, ait, quando sub Angleriæ nomine adeò reboante theatrum est fabularum neque cœcis occultum. Sed quid Angleria, supremo, medio, & infimo ævo, dicamus. Supremo, hoc est Romano usque ad Justinianum, *Licinj Forum* Plinii 3. 17. ea fuit. Etenim nullum efficacius argumentum alicujus loci inquirendi, quam ab antiquitatum vestigiis, ruderibusque deductum, quo identidem Viri docti, præsertim Cluverius, & felicius Holstenius in annotationibus in ipsum, & in Ortelium, utuntur. Quare ut assumptum nostrum probemus, ab antiquitatum vestigiis est omnino ratio petenda. Nostrates de Angleriæ situ loquentes conveniunt omnes cum Gaud. Merula *lib.* 1. *c.* 5. testante, quod *in eo passim cernere est vetusta monumenta, elaboratos tumulos, urnas, templa, cryptas, porticus, columnas, idq; genus & venustatis & vetustatis*. Eadé repetit *l.* 2. *c.* 15. exeunte, cum suis oculis ea vetera monumenta à Philippo Archinto devecta Mediolanum viderit, quibus adhuc hodie Nepotum inclyta Domus exornata conspicitur. Tot porrò monumenta non Gothica, non Lan-

go-

Digitized by Google

gobardica sunt, sed Romana. Igitur in eo situ Urbem, sive Forum fuisse Romanum consequitur. Et cujus nominis? Nemo ex priscis Geographis, vel Historicis Angleriæ unquam meminit. Si Urbs hæc Angleria fuisset dicta, Plinius quasi conterraneus non siluisset. Sed nec est verisimile, reliquisse eandem anonymam: eam ergo Licinj Forum vocavit. Planè tot antiquitatibus, & monumentis Incini, Barlassinæ, vel Leuci loca ditata nunquam legimus, ut horum aliquis meritò vetus Licinj Forum dici possit, ut hactenus Nostrates, & exteri variè senserunt. Licinj Forum eversum conjicimus vel à Gothis, bello Justinianæo fervente, vel à Francis, qui quartò sub Authari in Langobardos irruperunt A. 590. ad Verbanum, & Mediolanum usque progressi, ut apud Paulum 3. 32. (C. H. 30.) Sed rectius apud Turonensem 10. 3. Foro jacente, non alii quam Langobardi illud quodammodo reficere potuerunt, ibi constituto navali in Verbani ripa, & à Statione navium *Stationæ* illi nomine facto. Nugæ sunt, quæ de Angerona, & de Anglis somniant Nostrates. Unde colligunt Anglos huc accessisse cum Langobardis, & loco Angleriæ nomen fecisse? Utiq; Saxones in Italiam venere cum Langobardis, sive ex Saxonia accersiti, sive jam Pannoniam accolerent. Sanè perparùm in Italia morati, post Gallicam irruptionem in Germaniam repedarunt, ut prodit Paulus *l. 3. c. 5. & seqq.* Hæc pauca pace Alciati apud Merulam 1. 8. de Anglis inaniter cogitantis. Sed dicunt cum Alciato Albertus p. 446. Paulus Merula, *Cosmogr. pb. p.* 929. & alii, *Anglo-Saxones* in Italiam venisse. Unde hoc? Iidem ne? Ergo quia Angli, & Saxones socii in occupanda Britannia, socii quoque in Italia? demonstrent. Joculare est adhuc commentum Ambrosii Mazentii, etsi cum plausu receptum ab à Basilicap. *Novariæ* p. 80. ab *Angeronæ* Deæ diviso nomine sic *Ange-Angeram*, & *Rona-Aronam* vocatas, quia Dea *voluptatis* præses locis amœnis, puta Verbani. Heus? totus mundus, Angeronæ hodie libans, foret Angleria. Certè ne idem *Angerona*, & *Volupia*? Audiatur P. Manutius in Adagiis col. 1134. *Prisci Romani duas divas coluerunt Angeroniam, atque Voluptam, alteram ab angoribus dictam alteram à Voluptate, & Angeroniæ quidem Pontifices in sacello Voluptæ sacrum faciunt, significantes dolores, ac voluptates in vita hominum invicem mixtas esse. Addunt Angeroniæ simulacrum in ara Voluptæ fuisse collocatum quod dolor comes sit voluptati, & voluptas dolori* (NB) *ac figura ut os habeat obligatum, atque signatum.* Quare scribenda ne certè Angerona? Non, sed *Angenora*, ut contendit Joseph Scaliger *Conjectan. in Varron.* p. 78., textus 48 quia *cohibet os*, ex ibi laudato Sophocle. Et hoc etymo in fumum sic resoluto, nondumque Angleriæ nomine medii ævi probato, firmatur illud *Stationæ*, ut præter allegata à Cl. Saxio in Append. pro *SS. Gervas. & Protas à n.* 30. docemur ex Actis S. Julii Hortensis apud Mombritium, & Bollandistas 31. Januar. ex MSS. Gothofredi de Bussero laudato num. 61. sæculi XI. Item ex Judicato Algisii *in Palatio Stationæ* A. 1181. & ex diplomate Ænobarbi A. 1185. apud Puricell. *Basilic. Ambros. numm.* 577. & 587. Non est in re adeò clara plura subjicere, maximè cum nisi sæculo XII. quod sciamus, nomen Angleriæ fuerit primò auditum apud nos suspectos Scriptores, ut Landulphum à S. Paulo, qui usque ad A. 1136. scribens primus fortè in V. S. Arialdi *cap.* 30. ejus passionem sic exorditur: „ Cum autem ductus esset *Angleriam*, per „ alios magis fidos milites *Aronam ducitur* &c. Nondum tamen id nomen novum usu omninò receptum, quia in laudato Ænobarbi diplomate adhuc fit mentio Stationæ, & in archivo Aronensi Judicatum asservatur A. 1192. actum *in Castro Stationæ*, in causa Abbatis Aronensis, & Rectorum Mercuragi, teste Interprete *Chronici Aronens.* p. 67. Sensim igitur à sæculo XII. Angleriæ nomen invaluit: & quidem ortum ex mero modo loquendi conterranei vulgi, quod dicere cœpit ex. gr. *eamus à Gera*, idest ad Verbani Glaream: sicut tractus inter Abduam, & Serium amnes dicitur *Glarea Adduæ* (Gera d'Adda) & ita optimè sensit Bonav. Castillionæus *Gallor. Insubr. ant. sed. p.* 41. qui rejectis vulgatis fabulis, à palponibus inaniter excogitatis, *ut*, & ipse ait, *principum aures demulcerent, quam veritate adducti*, subdit: *dictamque crediderim potius Angleriam quasi ad glaream Verbani sitam, non autem ab Anglo, vel ab Anglis populis conditam, ut multi volunt.* Igitur de Angleriæ nomine est philosophandum, sicut de consuetudine. Quemadmodum enim hæc oritur ex usitato agendi more, auctore incerto: sic illud inductum ex usitato loquendi more, auctore vulgo: ut minimè dubitemus concludere, idem omninò fuisse priori ævo Licinj Forum, medio Stationam, & infimo Angleriam.

(68) Sermone, Angleriæ causa, producto, ab altero numero iter nostrum repetimus. Supra Stationam BONTIA videtur, juxta lectionem Anonymi p. 202. qui ad Verbanum eam indigitat, sed Annotatori suo est occulta: *Bozula* ea est ad ostium amnis homonymi, quia supra Angleriam Verbanum inflat, ut in Magini tab. 11. Paulò supra LEGIUNUM, sive Legiodunum à legione dictum, antiquitatibus refertum, quarum testes Bonav. Castillionæus à p. 86. & Cotta *in Macaneum n.* 61. p. 41. Ughell. *t.* 4. *col.* 50. edit. 1. situm demonstrat Maginus tab. 11. ad ripam orientalem Verbani. Lexicographi *in Legiodunum*, nunc *Legion.* SEPRIUM, quod *Sibrium* eidem ibidem: & sanè *nullus Scriptor meminit illius loci*, ait Porcheronus, sed quisque illud novit, & fortè *Sibrium* ad primævam dialectum magis accedit quam Septrium. Id namque nomen sanè compositum ex *Brica*, vel *Briga* ab antiquis Germanis impositum Urbibus, ut ex Elencho 34. Urbium (nec omnium) & ex observatione Ortelii in calce sui *Thesauri Geograph.* Antuerpiæ 1596. Quod pro origine Insubrum obscurissima fusè ex antiquis Scriptoribus, Græcis præsertim, & nos demonstramus in MSS. nostris, aliquando, Deo dante, edendis. Prope est CARIADA vetus Monasterium ex charta Manigundæ Monialis Langobardicæ scripta Regni Liutprandi A. 23. indict. 5. apud Mabillonium *Annal.* O. S. B. *t.* 2. *p.* 704. sed error est vel in A. qui esset 735. vel in indictione, quæ non 5. sed 3. Corrigendus itaque Castillionæus supra laudatus p. 16. qui ex eadem charta scribit *Subrium*, (ut verè esset scribendum) quando in ea extat vicus Seprius de *Vico Seprio*, & *Cariada* non Cairate. Neque rectè *Mangundam* Reginam vocat: monialis erat, & tunc Regina uxor Liutprandi *Guntruda*, ex Paulo 6. 43. GALLIANUM Canturio proximum, ut in Canturium migraverit, quod ideo de plebe Galliana adhuc dicitur. Gallianum autem vix in paucis agrestibus casis modò consistit. NEONFORTIS: Ex Petri Ant. Crispi codice, cui tit. *Insubria* MS. hæc pluribus ab hinc annis exscripsimus: *Prope Varisium adhuc videre est grandis Urbis vestigia, quæ Neonfortis (melius Monfortis) Ruiazanave dicebatur. Eo loco extructa erat, ubi Sciannium, Morazzonum, vicusque Gazzate situs est, à quo non longè abest locus, qui etsi in satis amplum agrum conversus est, Luci tamen appellationem, ac nomen retinet: siquidem ibi gentilitio more Lucum fuisse credendum est, quo ad sacra facienda ejus Urbis incolæ exibant. Ejus Urbis nomen retinet locus, qui ab Oppido Varisio paulo plus uno milliario distat, & vocabulo corrupto Neonfontanum appellatur.* Hæc eadem verba retulit quoque Cotta *in Macaneum p.* 71. *nu.* 125. addens, de eadem Urbe mentionem habere Flammam in *Politica Novell. c.* 50. Planè nomina Neonfortis, & magis Ruiazanove sunt barbara. ALBITIATUM: locum hunc sic vocatum medio ævo fuisse est necesse, quoniam Romano *Montunates* hic degebant, ex lapide ibi reperto, quem refert Gaud. Merula *lib.* 1. *cap.* 6. in quo *J. O. M.* (Jovi Optimo Maximo) *Montunates Vicani Jovanius* V. S. L. M. (Votum Solvit Libens Merito). Aliter eundem lapidem exscribit Bonav. Castillionæus p. 34. conferatur. INCINUM: & Calchus noster p. 5. ex illis est, qui sentiunt fuisse Licinj Forum, inquit: *Licinii quidem Forum ex loci, verbique affinitate haud incongruè conjicimus fuisse, quod posteriores Incinum dixere: quod diu celebre Oppidum fuisse ruinæ docent*: at non satis, ut amplum Romanorum Forum ostendant. Nec congruenter sub mœnibus ferè Novocomi fuisset constitutum, quando in proxima Urbe indici poterat. Opportunior ideo Locus pro Foro vetus Angleria, ad quam Inalpini facilè se conferebant, sicut quando Vicecomitis Magistratus ibid m sedebat, ut Comitis Mediolani Vicarius. Remanet porrò semper Viris doctis, & ingenuis onus docendi, seclusis fabulis, quænam Urbs esset vetus Angleria; & quomodo a Romanis appellaretur, juxta supra quæsita. COMUM, sed *Cumum*, & *Cuma* in chartis antiquis, & diplomatis, ut abunde ad calcem Annalium Comensium Tatti, monente etiam B. Jovio *Hist. Patriæ p.* 2. *Cumum*, & *Cumensem in veteribus membranis non semel* adnotasse: quod non intelligentes Viri doctissimi, castigantur à Clar. Muratorio *Antiq. Estens. p.* 135. Comum scribit Anonymus Rav. p. 202. Adhuc *Urbs Cancrina* fuit dictum, quia ad similitudinem cancri fuit ædificatum, ut docet idem Bened. Jovius *Hist. Patriæ p.* 204. ex pervetusto hymno S. Eutychii, ubi *Urbs Cancrinæ branchia læva hunc Sanctum protulit* &c. Verùm juxta Calchum *in Residuis p.* 110. potiùs à figura Lacus, quam Urbis, sic Comum appellatum videtur dum inquit, „ Larii longitudo can- „ cri formæ persimilis; in Alpes cauda versa desinit ad „ vicum Mezolam, duas ostendentem valles, S. Jacobi, „ & qua Clavenam itur. Ubi eadem cauda incipit, „ corrivat Tellina vallis..... Hinc paulatim in ven- „ trem laxatos duos sinus veluti chelas, & brachia, „ emittit, dextero Comum, altero Leucum petens. „ Igitur lacus Larius, cui Comum adjacet in duo cornua scinditur. Occiduum saltem à Langobardis LACUS COMACINUS fuit dictus, ut apud Paulum 5. 39. & in hoc cornu INSULA COMACINA ex eodem 4. 3. &

Digitized by Google

& 6.21. Dicta fuit hæc Insula, cum teneretur à Romanis A. 600. CHRISTOPOLIS, in eaq; fuisse Cœnobium *Romanum* nomine, ut ex Scripp. Francor. t. 1. p. 852. produnt Holstenius *in Ortel. p.* 51. & Lubin *p.* 347. *b.* Sic inter Epistolas Francor. Duchesn. t. 1. Nicetio Archiepiscopo (*Epist.* 6.) scribit Florianus Monachus: *suppliciter quæso, ut Domino filio vestro gloriosissimo Regi Theodebaldo Insulam Lariensem, quæ Christopolis dicitur plurimum commendetis, ut Romanis servis ejus sacramenta, quæ data sunt, omnimodis conserventur.* CAMPUS CORONATÆ, de quo ter Paulus *l.* 5. *capp.* 39. *&* 40. *l.* 6. *c.* 17. non prope Papiam, ut perperam tradunt Scriptores Ticinenses, sed ad Abduam, ut rectè Sigonius A. 692. & de Cœnobio ibi condito à Cuniberto Langobardorum Rege Lubin *Notit. Abbat. p.* 75. Nunc rustica dialecto *Cornà*, ut in Magini tab. 12. Inter cornua Larii lacus, sive Comacini PLINIANA: Magino tab. 11. *Plinianum*: in tabula Isleana Fons Plinii, de quo ipsemet Plinius senior *lib.* 2. *cap.* 103. *In Comensi juxta Larium lacum fons largus, horis singulis semper intumescit, ac residet.* At Plinius junior *Ep.* 30. *lib.* 4. Licinio Surræ, habet tantum *ter in die ..... crescit, decrescitque.* Fusè ipsum describit, & ibi longa Joh. M. Catanei expositio. Calchus noster in *Residuis p.* 110. Bened. Jovius *Hist. Patriæ p.* 110. aliique de eo differunt. Medius inter utrumque lacum Verbanum, & Larium est alter minor nunc ab Oppido proximo *lacus Lucanus* dictus, sed medio ævo STAGNUM CORESIUM vocabatur à Gregor. Turonens. *Hist.* 10. 3. de quo Merula 2. 16. Bonav. Castillion. p. 116. & Macaneus cum Cotta, ab eoque laudati, numm. 106. & 110. Ingeniosè potiùs suo more, quam verè notat Harduinus in Plinium *cap.* 20. *p.* 176. *num.* 19. quod *caput Euganearum gentium fuisse videtur Oppidum nobile, quod adhuc vetustum retinet nomen Lugano.* Ubi vetustum? Porrò tractus is semper fuit Insubrum, nec cis Abduam Euganei unquam prolati. Si consulere dignatus esset nostrates, præcipuè Bonav. Castillionæum non tam enormiter à verò aberrasset. A Luco sive Silva, ut etiam leviter innuit Alciatus *Hist. Patriæ lib.* 3. *p.* 156. & lacum, & locum nomen duxisse putamus. Ascendendo, ad Verbani ripam MAGESALE Anonymo Rav. p. 202. ignotum Annotatori: *Magainum*, sive Magadinum est Macaneo *numm.* 1. *&* 42. & ibi plura subjicit Cotta. Paulo supra ad lævam Ticini nondum in Verbanum ingressi BELLITIONA Anonymo ibidem. *Bilitio* Gregor. Turonens. 10. 3. & Paulo 3. 32. Supra est BELLENICA eidem Anonymo ibidem: *Belenia* aliis: *Breunia* Macaneo num. 97. à qua vulgo *Valle di Bregno*. Plures ibi laudat Cotta illustrator, Lex. in *Breuni item* &c. Ad ripam occiduam Larii prope initium GRABADONA, ut scribit Aimoinus *lib.* 4. *cap.* 111. narrans, quod „ in territorio „ Comensi Italiæ Civitatis *in vico Grabadona* in Ec„ clesia S. Joh. Baptistæ imago S. Mariæ Puerum Je„ sum suo gremio continens, ac Magorum munera „ offerentium in absida ejusdem Ecclesiæ depicta, & „ ob nimiam vetustatem jam penè abolita, tanta cla„ ritate per duorum dierum spatia effulsit, ut omnem „ splendorem novæ picturæ suæ venustatis pulchritu„ dinem cernentes penitus vincere videretur: Mago„ rum tamen imagines præter munera, quæ offere„ bant, minimè claritas illa irradiavit. „ Eadem prodit Annalista Fuldensis A. 823. exinde secutæ maximæ grandines, decisi lapides, pestilentia contigit. In Larii capite SUMMOLICUM, qui *Summus lacus* politioribus: mentio habetur hujus loci in Actis SS. Fidelis, Exanti, Carpophori &c. apud Mombritium t. 1. ad diem 28. Octobris, ibi: „ tunc ipsi persecutores „ pervenerunt ad lacum Comensem, & ingredientes „ naviculam perrexerunt post S. Fidelem, perveniensque *ad vicum Summolacanum* invenerunt S. Fi„ delem &c. „ Meminit & Tschudus *in prisca Rhætia cap.* 29. Supra VULTURINA juxta lectionem Pauli 4. 29. scribit enim quod Agilulfo Regi, Cremona, Mantua, & Brexillo captis, & eversis, *se tradidit Castrum quod Vulturina vocatur*. Fidenter nimis Cluverius (cujus verba recitantur à Cl. Blanco *nota* 104. in hunc Pauli locum) contra Blondum, & copiam Scriptorum Comensium, negat Vulturinam supra Larium, & in ingressu Vallis, vulgo, Tellinæ, contendens, vicum esse *inter Cremonam, & Brixellum sinistræ Padi ripæ è regione Caneti* adpositum: vulgari vocabulo *Valdoria*. Eccur? Quia Paulus memorans loca capta ad Padum, una simul Vulturinæ meminit deditionis. Cur non poterat Agilulfus, dum ad Padum per unam Langobardorum manum gerebat bellum, & gerere supra Larium per aliam? Audiatur laud. Bened. Jovius p. 8. „ Agilulfus Langobardorum „ Rex prolatando Regno intentus Civitates Imperato„ riæ factionis permultas obtinuit. Præstabat & tum „ in Imperii fide *Vulturena*, *Castrum Holonium* postea „ dictum. Id erat in summo ferè Lario situm ad in„ troitum ejusdem nominis Vallis, quæ nunc corru„ ptè (ut ante dictum est *pagina* 2.) Tellina nuncu„ patur: cui sententiæ Blondus *in Hist.* astipulatur. „ Eò copias Agilulfus misit. Vulturnates cum obsi„ dionem diutius perferre non possent, & expectata „ à Ravenna auxilia minimè mitterentur, Langobar„ dis Castrum dedere. „ Urbis fusè situm describit Tattus *Annal. Com. t.* 1. *à p.* 152. scilicet in plano Terræ Sorici sine ullo monte, prope Fortalitium Fuentis (Forte de Fuente) Ita & novissimè Petrus Angelus Lavizarius in Italicis *Memor. historic. Vallis Tellinæ pagg.* 25. *&* 26. &c. Ex exteris Albertus p. 420. P. Messia *in Phoca*. Tschudus in *Rhætia cap.* 34. *p.* 97. Corrigenda & Tabula Isleana, in qua *Vulturia* ad Padum, si pro Vulturina notatur: neque hactenus in tabulis nostris *Valdoriam* comperimus, Vitalianam quidem de qua infra. Supra Larium CLAVENNA *Clevene* Anonymo *l. l.* Clavenna Paulo 6. 21. Lex. h. v PLURIUM Lex. h. v. TARVESEDE, Tschudus *in Rhætia cap.* 30. ex Antonino. Lex. h. v. Ad dexteram Abduæ TELIUM Tatto *Annal. t.* 1. *p.* 435. Ballarino *Chron. p.* 314. aliisque Comensibus *Thejo* Oppidum Tellinæ Vallis antiquissimum, refectum, & auctum A. 1270. Non rectè in Lex. Patav. laudatur Plinius, nullibi Telium scribens, sed *Telini*, & *Tellenæ* l. 3. c. 5. post medium, utrique trans Tiberim, ut non Telini, sed *Telesini* legendum putemus, à Telesia Colonia prope Beneventum.

(69) Abdua trajecta, ac ubi Larium ingreditur MESAUCUM, de quo idem Tschudus cap. 34. hæc scribit: *Misauci* &c. *Vetustiores literæ, quæ inveniuntur in Curiensi Cathedrali Ecclesia vocant memoratum locum Masox, Mesaucum, & vallem ipsam Mesaucam*. Juxta lacus ripam descendendo, LEUCUM, corruptè Leccum. Hoc etiam Licini Forum non nulli fuisse conjectant, ut scribit laudat. Jovius in Historiæ principio. Sed supra notata adhuc Leuco adversantur. Opinio antiquitatem loci suadet, etsi nemo veterum illius meminerit. Nomen Leuci sanè antiquum à Græcis speciatim inditum locis quandam albedinis, & nuditatis speciem exhibentibus, ut aliquando, cum de Leuca Apuliæ, & Leucopetra Calabriæ, erit sermo, dicemus. Infra Leucum CLIVATE Oppidum cum Cœnobio condito à Desiderio A. 770. ex chartis ejusdem Regis, Caroli M. & Adriani I. ibi asservatis. De quo Lubin p. 704. b. Tractus inter Abduam, & Serium amnem INSULA FULCHERIA fuit dictus, Calcho p. 374. scribente: „ Marchio Abduam versus ..... *trajecto* „ *flumine*, faventibus Trivilienfibus universa ea ter„ rarum pars recuperata est, quæ *Serio* Bergomatum „ amne terminata, *usitato tunc vocabulo Fulcheria In*„ *sula* nuncupabatur „ & quidem ab ævo Langobardico juxta Sigonium A. 672. Ita & Gaud. Merula 2. 16. nunc Glarea Abduæ Hac in Insula BERGOMUM: in Itinerario Burdegalensi p. 142. *Vergomo*, Scriptoribus Bergomatibus, & medii ævi *Pergamum*, ita & Anonymo Rav. p. 202. ac Paulo Diacono: ut ideo Donat. Calvus *in Scena Liter. Scripp. Berg. p.* 178. Galenum Medicum locaverit, ac si idem sint Pergamum Fulcheriæ, ac Asiaticum Mysiæ. Cæterum Bergami celebres Duces Langobardi apud Paulum 2. 32. VVaillari: 4. 3. & 14. Gaidulfus: 6. 20. Rotharit: & sæculo IX. Ambrosius suspensus jussu Arnulfi Imp. quod Vidoni contra Berengarium adhæsisset, ex Panegyr. Berengarii *l.* 2. *v.* 83. (C. H. tom. 2. p. 397. b.) PONS AUREOLI, de quo Calchus *Hist. p.* 21. & Gaud. Merula 1. 6. Ab hoc ponte locus etiam ab Aureolo dictus *Pons*, sed corruptissimè Pontirolus non procul à Mediolano historiis celebratissimus ultra Abduam, ut Merula monet. Historia porrò notissima ex Trebellio Pollione de XXX. Tyrann. num. 10. *in Aureolo*. In eadem Insula BRINIANUM sanè antiquissimum, Livius enim *l.* 41. *cap.* 18. scribit, quod *trans Apenninum Briniates fuerant*, sed quid, nequit intelligi, cum caput sit mutilum. In tabula Isleana *Briniates* scribuntur in Liguria, trans Apenninum, & ad dexteram Macræ amnis, ut notavimus sub num. 55. verùm de hac positione valde dubitamus: quippe quod Livio est trans Apenninum, nobis est cis Apenninum: ideò Livium loqui de Briniatibus Adduanis potius est judicandum. Neque *Brigiani* Plinii 3. 20. huc spectare possunt, cum inter Alpinos enumerentur. Si credendum Dominico Macro in Append. *ad Lex. Geograph. b. v.* Urbs fuit Episcopalis, planè perantiquitus, cum absit à sacra Geographia. Infra PARASIUM, & ipsum Urbs olim Episcopalis. Forum Diuguntorum fuisse existimat Ortelius h. v. Videatur nota 22. *in Morenam col.* 1027. & corrigatur locus Leand. Alberti, qui de illo loquitur, non p. 393. sed 408. Fuit à fundamentis deletum ob varias hæreses, præsertim illam Anthropomorphitarum. Aliter Sigonius A. 1047., scribens Parasium deletum à

Me-

Digitized by Google

Mediolanensibus, quia Cives Papiensibus auxilium tulerant. Eversionis auctorem Besutius *in Hist. Pontif. Med. p.* 116. facit Alamanum, secutus Morigium in *Metropolitana cap.* 22. An. 951. At Ferrarius in Lex. h. V. Henricum IV., quod omnino improbabile, ejus enim acta eum adeo religiosum non probant. Medio ævo certissimè conditum, vel immutato nomine Parasium dictum, quia illius nemo veterum meminit. Ad dexteram Serii CREMA sæculi VI., ut ex Sigonio in *d. nota* 22. in Morenam. Infra ad lævam Abduæ ACERCULÆ Anonymo Ravenn. pag. 202. Acerræ veterum Gallorum, de quibus Polybius *lib.* 2. *p.* 146. cujus *Urbis olim florentissimæ inter Insubres vestigia ne visuntur quidem, aut quo in loco fuerit*, inquit Gaudentius Merula 1. 8. recitans adhuc fragmentum Alciati, qui notat Polybium, quia dixerit Acerras *inter Padum, & Alpes*, contendens esse *Agerolam* in agro Dertonensi ad Padum. Concludit Merula, quod *in agro Mediolanensi non procul à Liviano vicus est, cui Acerræ adhuc nomen est. Facilè adducor* (ait) *ut putem ibi Civitatem Acerrarum extitisse, & adhuc Acerranus tractus ultro Rescardinam dicitur*. Alii alia loca imaginantur, ut in Lex. h. v. Optimè in auctario *V. Acherræ* hodie est *Ghierra* ad confluentes Serii in Abduam, 2. mill. à Piceleone. Sed hactenus nemo fontem, sive auctorem prodit. Is est descriptor Tabulæ Theodosianæ, sive Peutingeri *Segmento* 2. ubi *Mediolanum* 16. *Laude Pompeja* 22. Acerras 13. (Ibi Abdua, trans) *Cremona*. In Isleana tamen non ad confluentem, sed 10. m. pass. infra Acerræ locantur. In via, quæ ducit Bergomo Brixiam notavimus ex Isleana TOLLEGATA, quæ tamen simplex est mutatio in Itinerario Burdegal. p. 142. In Magini tab. 20. scribitur *Talgato*. In eo tamen Itinerario deest LEUCERIS, quem locum Isleus tantùm cognoscere potuit ex Tabula Peutingeri *Segment.* 2. Leuceris habet adhuc Anonymus p. 202. sed quomodo in ea Peutingeri 20. milliar. à Bergomo, & 35. à Brixia, data adhuc differentia milliarium, non intelligimus: Holstenius *in Cluver.* p. 14. scribit quod *intervallum incidit in Chiari*, sed quomodo si *Chiari* vicinior Brixiæ, quam Bergomo? BRIXIA occurrit: in Burdegalensi *Brixa*: Paulo 5. 36. *Brexia*, qui honorem ei tribuit nulli alteri unquam impertitum, scilicet quod *magnam semper nobilium Langobardorum multitudinem habuit, quorum auxilio metuebat Bertaridus Alachis* (cui Cunibertus eam cedere orabat) *potentiorem fore*. Celebres suos Duces, virosque pios, ut Petronacem restauratorem Cœnobii Casinensis, Monasteria à Desiderio, & Ansa illuc condita satis produnt historiæ, & diplomata. Infra Brixiam CANETUM putatum vetus *Bebriacum*: Brediacum Anonymo p. 202. clari nominis ob prœlia Othonis, Vitellii, & Vespasiani. Lex. *in Bebriacum*. Ad Padum redivimus, ubi CREMONA sic ab origine semper vocata; quæ enim ante Romana tempora de illa dicuntur, Annii, & Inghirami impudentissima sunt stultiloquia. Alboini primos evasit impetus, sed non Agilulfi, qui illam evertit, ut apud Paulum 4. 29. vindex ideò Langobardos in Reges declamavit Vida, bonus Grammaticus, sed parum historiæ peritus: *Orat. in Papiens.* Ad Ortum Cremonæ VITELLIANUM nomine à Vitellio deducto, *Videliana* in Comitatu Brixiensi, hoc est Brixiæ, dicitur in charta Henrici IV. A. 1077. apud Cl. Muratorium *Antiq. Estens. p.* 40. nunc *Viadana*: de qua Blondus *Ital. p.* 362. Albertus p. 404. b. Lex. *in Vitelliana*. Transpadanam Neustriam absolvimus. Ejus flumina, partim commemorata jam, sunt ex Anonymo Rav. p. 224. *Duria* major sive Baltea: minor sive Riparia: *Orgo*: *Amalune* (Malone) *Sisido* (Sessites) *Agunia*: (etiam medio ævo, antiquitus Novaria.) *Ticinus*: *Olonna*: *Lambrum*: *Adua*: *Sarius* (Serius) *Olius*: *Milla* (Mela) *Clesus* (Clesius.)

SECTIO XV.

(70) *Austriæ*, sive *Venetiæ* divisio Romana: primi populi unde profecti: Communis error nova opinione reprehenditur: Illius divisio, Regionesque sub Langobardis, & fines. (71) Ducatus *Tridentini* fines speciales: obscuriorum locorum nomina adhuc corrupta apud Paulum Diaconum indicantur: *Verrucæ* situs inquiritur. (72) Ducatus *Forojuliensis* fines, ab occasu præsertim per flumina definiuntur: An iidem ac veterum Carnorum: Quando producti: *Julium Carnicum* aliud a Foro Julii. (73) Cætera illius loca a Paulo prodita quæ, & ubi: Vetus *Noreja* an recens Goritia: *Norica*, & *Noreja* non idem: neque Noreja Julium Carnicum. (74) *Histriæ* vetus nomen: Commenta rejecta: Fines, Urbes, & Castra. (75) *Justinopolis* à quo Justino appellata: Ejus inscriptionis examen: quis auctor: Quo jure Theodorico obventa Italia. (76) De reliquis Austriæ, sive Venetiæ Urbibus mediterraneis: Quid *Lagare*: *Verona* dicta Berna, & Verna: *Mantuæ*, fabulis rejectis, etymon: *Liniacum* non Leonicum: *Profilia*: Lapis Bassani: *Susonnia* quæ. (77) *Marianum* legendum, non Maranum: *Celina*: Portus *Naonis*, aliaque loca explicata. (78) Periplus *Venetiæ*: Hujus Regiæ Metropolis origo citra fabulas: *Metamaucum* meta Francorum: Illius conditio: Urbes eversæ, & Coloniæ ex illis deductæ: Flumina.

(70) REbus Neustriæ expeditis, ad Austriam progredimur, quæ orientalior Regni Italici tractus, primoque impetu ab Alboino subacta, ideo Paulo 2. 9. *Prima est Italiæ Provincia*. Quamquam porrò Langobardis solemne fuerit, in edictis præsertim, & legibus, Austriam appellare, ut n. 26. ostendimus, nunquam tamen Venetiæ obliti sunt nomen ævi medii Scriptores, ut Paulus *l. l.* cujus ratio ea potissimum fuit, quod Urbs nova in æstuariis sub Venetiarum nomine V. sæculo condita, medio ævo exinde semper magis inclaruit. Quamobrem in tabula nostra scribitur AUSTRIA, sive VENETIA, nec aliter posteriori Francorum ævo nominabatur, ut ex nummis, & testibus adductis sub num. 40. Ita & ævo Romano, ut in *Notitia utriusque Imp.* quamvis nonnunquam *Venetiæ* in majori numero scriptæ inveniantur, & quidem utroque tempore, ut duplex fuerit hæc Provincia, *Superior* nempe & *Inferior*, cujus in Notitia Sconhoviana fit mentio: hinc *utramque Venetiam* inhabitandam petebat ab Honorio Alaricus apud Zosimum *l.* 5. *c.* 48. & videntur innuere Collector *Spicilegii Ravenn. Hist. p.* 577. ubi sub A. 578. (corr. 568.) *Venetiæ à Langobardis sunt captæ*. Item Otto A. 962. & Henricus Sanctus 1014. (si non interpolator) in eorum diplomatis *Provincia Venetiarum*: nummus Ludovici Pii in quo *Venetias*, apud Dn. le Blanc. *Tract. de monet. Franc. p.* 108. *n.* 18. Quomodo porrò divisæ, nos nemo docet. Attamen ex more Romano conjicimus, partes superiorem, & inferiorem referri debere ad Padum, ut *superior* esset occidentalior a finibus Liguriæ Transpadanæ, puta ab Abdua, ad Athesim, boream versus, sive à dextris: a sinistris vero usque ad Mincium: *inferiorem* à dextris ab Athesi ad Formionem: à sinistris usque ad mare. Eodem prorsus modo Romanorum duplex Germania ad Rhenum, & Mœsia ad Danubium relatæ distinguebantur, ut in antiquis tabulis. Ita censemus, præter hæc certi ex *Notitia Imp. Occ. p.* 179. *in Provincia Venetia inferiori*, fuisse *Aquilejam*; nil penitus reputantes ineptam divisionem illam scriptam in Vitis Patriarchar. Aquilejens. inter Cl. Muratorii *Anecdota t.* 4. *p* 237. ubi dicitur: *Venetiæ duæ sunt: prima est illa, quæ in antiquis historiis continetur, quæ à Pannoniæ termino usque ad flumen Danubii extenditur*. (Abduæ scribi debebat) *cujus Aquileja, olim Civitas maxima, caput est*. (Si hujus Venetiæ nulla distinctio, non ergo superior, & inferior.) *Secunda est Venetia, quæ apud Insulas maris Adriatici ex collectione populorum propter rabiem Attilæ, deinde Longobardorum infra aquas & paludes maris fundata est*. Duobus verbis dici poterat sinè distinctione *Venetia Regio*: *Venetia Civitas*. Altiora petamus. Originarium quippe nomen Venetiæ non integro tractui ab Histria ad Abduam, juxta Romanos, statim fuisse prolatum discimus ex Livio *l.* 5. *c.* 19. edit. Patav. qui Tuscos *trans Padum omnia loca* occupasse scribens, subdit *excepto Venetorum Angulo*, hoc est, Regione Foro-juliensi. Venetiæ inde nomen in proximos agros, hodie Cadorini dictos, secundò migravit: ut paulatim postea se effuderit in confines populos, Euganeos appellatos, qui *inter mare, Alpesque incolebant*, juxta eundem Livium 1. 1. etsi non rectè scribat, pulsos à Trojanis Euganeos. Sed non miramur, cum Græci, & Latini Transpadanorum nomina, & origines penitus ignoraverint, adhuc conterranei Cato, amboque Plinii. Historicus enim *Euganeos* epitheton, sive nomen appositum credidit ex Græco deductum, non proprium, & barbarum, ac antiquissimum Germanorum, sive Celtarum. Hinc 3. 20. inventa omologia hujus vocis εὐγένεοι cum εὐγενεῖα, hoc est cum generis nobilitate, *præstantes genere Euganeos* dixit: sed generis hujus originem desideramus. Et ἐνετοί? Cum nondum Græci Venetos Gallos intellexissent, illos Paphlagoniæ putarunt. Agnitis exinde à Cæsare, occasione belli Gallici, Venetis, dubitari cœpit de Paphlagonibus, ut ideo Strabo *l.* 4. *p.* 390. protulerit: *bos ego Venetos esse opinor, à quibus Veneti sinum colentes Adriaticum, in Coloniam deducti sunt*, quidquid dixerit Livius initio suæ Historiæ, veteres Græcos secutus. Sed suorum honori, inclytisque Venetis justius, & gloriosius consuluisset, si illorum genus ab invictis tunc Galliæ Venetis, non a Trojanis, turpiter devictis, duxisset, ut rectè animadvertit Conanus *lib.* 2. *jur. civ. cap.* 9. Parum sane obfuerint Trojanis Græcorum ignes, & tela, si per decennium exagitati, tot ex illis Coloniæ in Thraciam, Germaniam, Britanniam, Galliam, Siciliam, Latium, Campaniam, & Adriaticum in sinum, & in Dalmatiam deductæ fuerunt, ut Scriptores harum gentium ostentant, etsi in dedecus

suum

Digitized by Google

ſuum id inobſervatum vertatur : nec veriſimile ſit, infirmis, fractiſque armis veteres incolas propriis è ſedibus potuiſſe adeò feliciter exturbari. Abſit, quod unquam id de illuſtri gente credamus : minuſque Paphlagonum ex genere cam ortam, quamquam id plures exiſtimaverint apud laudatum Strabonem *libb.* 12. *&* 13. Audiatur Conſtant. Porphyrogenitus *Them.* 7. *lib.* 1. ,, Quod vero ,, Paphlagonum thema dicitur, ſtolidiſſima, & con- ,, temptiſſima gens eſt, impudentia, & nequitia famo- ,, ſa : cujus etiam Homerus in Catalogo navium memi- ,, nit, quod auxiliares copias ad Ilium Priami Urbem duxerint

Paphlagones duxit pectus Pylæmonis hirtum
Ex Enetis arvis aptum genus unde mularum.

,, Quo circa mularum genus inde primum ortum dicit, ,, manifeſtum pravitatis eorum, atque nequitiæ argu- ,, mentum. Hæc quidem Homerus de Paphlagonibus. ,, Et infra : ,, ſunt autem Paphlagones Egyptii genere, à ,, Phinæo, qui primus Paphlagoniam habitavit, qui qui- ,, dem filium habuit Paphlagonem, à quo etiam Regio ,, appellationem accepit : ſunt enim τομπη, ideſt ludi- ,, brium, probrum, ac rejectaculum generis humani. Et Veneti Paphlagones ? Abſit. Illorum ideo ſplendorem aſpergit maculis Tribonianus, dum Præfationem *in Novellam* 29. ſic exorditur *Paphlagonum gens & antiqua, neque ignobilis* (mentitur) *olim extitit : in tantum quidem, ut & magnas Colonias deduxerit, & ſedes in Venetiis Italorum fixerit*. Sed neque Venetos ex remoto oceano huc profectos cenſemus, utique ex Germania contermina, rectè opinante Aventino *Annal. Bojor. l.* 1. *p.* 43. idem fuiſſe Venetos, ac Venedos, dum ſcribit, quod circa tempora Joſeph Jacobi filii (qui natus A. M. 2259., ante Chriſtum 1741.) Venedi in Germania proditi, ex quatuor Germanorum generibus fuere (ſupra indicatis p. 34.) qui Venedi, ut p. 39. *Dalmatiam, Liburniamque incolunt, quæ gentes omnes genere Germani ſunt*, & *lib.* 3. *p.* 262. ,, Venedi Chariones propriè dicti eam Norici ,, portionem, quæ infra Taurum montem Orientem ,, ſpectat, inter fontes Muræ, Dravi, Savi includi- ,, tur, uſque Aquilejenſem agrum occuparunt. ,, Annuit Cluverius *Germaniæ l.* 3. *c.* 44. ſolum negans fuiſſe Germanos, potius, inquit, *Sarmatas*, quos poſteri Slavos dixere : fatetur tamen, Venedos ſemper in Venetiam irrupiſſe. At Slavos adhuc in Germania fuiſſe ex Helmodii *Hiſt. cap.* 1. abundè intelligimus : concludentes cum laudato Conſtant. Porphyrog. *de Adminiſt. Imper. cap.* 28. quod *qui nunc Veneti appellantur, Franci erant ab Aquileja, & cæteris Franciæ locis, & inhabitabant terram, quæ è regione Venetiarum eſt*. Erant ſuo tempore, & fuere in ea parte primi habitatores, ſolum tamen quatuor poſt ſæcula, ex quo, diviſis per Orbem gentibus, frequentata fuit Germania, à qua Tranſpadani omnes huc conceſſere. Quotquot enim populi ex Aſia, & Græcia in veterem Italiam Tranſtiberinam, & ad infernum mare advenere, ut Aborigines, Siculi Auſones, Pelaſgi, Arcades Oenotrii *&c.* unde, & quando illuc acceſſerint, & quouſque pervenerint, meminere Græci Poetæ, & Hiſtorici : Nullus ex illis populis Padum, quod ſciamus, trajecit, nec fortè eum vidit. Hanc itaque Regionem ſub Auſtriæ nomine deſcribere nunc aggredimur ordine eodem, quo iter per Neuſtriam obivimus : agendo prius, ſive repetendo jam dicta, de ejus finibus, mox de tribus ejuſdem Provinciis in Regno, non de Regno, hoc eſt, de duobus Ducatibus Tridentino, Forojulienſi, & de Hiſtria : exinde de reliqua Auſtria Regni, ſive Venetia. Dupliciter tamen ſumi ea debet, *latè* nimirum pro tota Venetia, à finibus Neuſtriæ uſque ad Hiſtriam : *ſtricte* verò pro ſolo Forojulienſi Ducatu, qui Auſtria propria fuit dictus ſub Langobardis. Quomodo exinde ſub Francis, ob rebellionem Rotgaudi Ducis, in Comitatus fuerit diviſa, ſatis expendimus ſub numm. 38. & 40. Primo modo ergo ſumpta fines habuit *ab occaſu* Mincium amnem, & lacum Benacum, ut probavimus, cum de limite orientali Neuſtriæ fuit ſermo num. 53. *à borea* Alpes ſuo loco diſtinctas : *ab ortu* Alpes Julias declinantes Maris Adriatici partem, & Formionem ab Hiſtria diſterminantem : & *ab auſtro* Padum, ducta tamen linea imaginaria infra Hoſtillium à Pado ad Atheſim quoniam nonnulla loca inter ea flumina ad Exarchatum ſpectabant è Regione Ferrariæ. Hinc & Atheſis limes erat auſtralis. Et hæc Auſtriæ latè ſumptæ latitudo à Pado, & Atheſi ad Alpes, longitudo verò à Mincio ad Formionem.

(71) Auſtria porrò ſic latè accepta, continebat, ut diximus, Ducatum Tridentinum cum ſuis Ducibus ſanè potentibus, & bellicoſis, dum cum Francis ſæpe colluctari accidebat. Evini illuſtria geſta celebrat Paulus 3. 9. & 28. & Alachis facinora lib. 5. *capp.* 36. 38. 40. & 41. In S. Corbiniani actis ſcriptis ab Aribone apud Surium 8. Sept. legitur cap. 12. quod *ad Tridentum Caſtrum Vir Dei pervenit, ubi* tunc (A. 716. juxta M. Velſerum *Rer.* Boic. l. 4. p. 236.) *à Longobardorum Rege* (Liutprando) *Comes nuper erat poſitus nomine Huſingus : & iterum c.* 17. *Comes Huſingus* &c. Francorum ævo Marcha fuit conſtituta, ut ex dictis num. 40. Ducatum his ſeptum finibus fuiſſe conjicimus, *ab occaſu* nempe agro Brixienſi, & Valle Tellina ex parte, nec non ſupra *Noſio* amne, quod colligi poteſt ex Paulo 2. 2. in fine ubi Leutharius Dux Francorum in Germaniam revertens *inter Veronam, & Tridentum* juxta lacum Benacum propria morte defunctus eſt veluti extra fines Tridenti. Inter eas Urbes poſtea prope Ripam Benaci (quæ olim Veronenſium) loca Ducatus Tridentini fuiſſe, mox in deſcriptione patebit. Sed clarius *l.* 5. *cap.* 36. dum Cunipertus Bertaridum Patrem exorat, ut Alachi Tridentino Duci etiam Ducatum Brixienſem contribuat, dignoſcitur hunc Ducatum ab illo fuiſſe ſejunctum, & conterminum ab occaſu. *A borea* Tridentum ipſum Tridentinas Alpes denominat. *Ab ortu* Ducatum hunc à Forojulienſi agri Bellunenſis, Feltrinus & Vicentinus diſpeſcunt. *Ab auſtro* tandem protendebantur uſque ad agrum Veronenſem, hoc eſt Brentonicum ad dexteram Atheſis : & ad lævam uſque ad amnem anonymum in Magini tab. 22. in Atheſim excurrentem prope *Pullicelam*, & *Allam*. Hanc enim ſuſpicamur, poſſe eſſe Villam Aſianam, de qua lis exorta inter Epiſcopos Adelchiſium Tridenti, & Adelardum Veronæ, ut ex binis Epp. 266. & 7. Johannis VIII. In meditullio porrò Ducatus eminet antiqua, & invariati nominis Urbs TRIDENTUM à Francis captum A. 577. ſed à Duce ſuo Evino paulò poſt receptum, ut narrat Paulus 3. 9. Quæ noſcuntur loca circumpoſita, ſunt : ab occaſu, non quidem locus, ſed planities dicta CAMPUS ROTALIANUS : Cluverio p. 110. *Rotalinus* inter Anaunium, & Tridentum ſitus, ubi Noſius fluvius (Noce) in Atheſim confluit : nunc *Val di Rol* : in quo Ragilonem Comitem Langobardum à Chramnichis Francorum Duce peremptum prodit idem Paulus *l. l.* Et ibi ANAGNIS Caſtrum quod, quia Francis ſe dederat, Ragilo vaſtaverat : *Naunes* Plinio 3. 20. *Naunum* Jano Pyrro *de Vitis Pontif. Tridentinor. lib.* 6. ineunte. Uſuardus 29. Maji *ex Anauniæ partibus* SS. Martyres Siſinium, Martyrium, & Alexandrum Mediolanum profectos, auctore S. Paulino, ſcribit & S. Maximo Epiſcopo Taurinate *Ser.* 1. *de S. Alexandro* inter *Anecdota* Cl. Muratorii *t.* 4. *p.* 74. ibi *in Anauniæ Regione*. Minimè ergo dubitandum, quin ſit Anagnis *Caſtel Nan* ad dexteram Noſii, ut in Magini tab. 31. Supra trans Noſium MALETUM Paulo 3. 32. *Male* trans Noſium in Magini tab. 31. Aſcendentes ad boream, & ad radices Alpium Rhæticarum prope Atheſim TERIOLUM ſanè antiquum, etſi de eo nihil apud priſcos Geographos. Lex. h. v. laudat antiquas notitias, hoc eſt *Imperii occid.* ubi ſub Duce Rhætiarum *Præfectus legionis III. Italicæ tranſvectioni ſpecierum deputatæ Teriolis*, & infra : *Tribunus gentis per Rhætias deputatæ Teriolis*. BRIXINA : Plinio 3. 20. *Brixentes*. TESANA Paulo 3. 32. ex dirutis à Francis, ad lævam amnis cognominis : *Teſinum* in Magini tab. 31. & ad Occaſum Feltriæ, non æſtivum, ſed brumalem. SEMIANA & ipſa inter vaſtata ab eiſdem ex Paulo *l. l.* nunc *Mean* Cellario p. 532. BAUZANUM Paulo 5. 36. veteres *Endidæ* juxta Cellarium p. 532. nunc *Bolzano*. Is locus acceſſiſſe Duci Bajoariæ Deſiderio regnante, videtur : ex veteri charta ab Aventino inſpecta, ut refert Joh. Georg. Eccardus *Hiſt. Geneolog. col.* 609. in qua *Taſſilio rediens ex Italia magnum agri modum Attoni Abbati S. Petri Bauzani donavit* : in calce ejuſdem chartæ : *Signum manus meæ propriæ Taſſilonis donante, atque confirmante : actum in Baulano, rediente de Italia A. Ducatus ejus* 22. ideſt 769. SALURNUM Paulo 3. 9. ubi Evinus Chramnichim cum ſuis occidit, ad lævam Atheſis infra Bauzanum. APPIANUM Paulo 3. 32. & ipſum ex vaſtatis : *Albianum* Cellario *l. l.* Ab ortu Tridenti ALSUCA Paulo 3. 32. ubi *& duo in Alſuca* Franci diruerunt Caſtra : *Auſugum* in Isleana, & in Itinerario Antonini apud Cellarium p. 531. *Auſum* corruptè. VITIANUM Paulo 3. 32. & ita ſcribit Janus Pyrrus *l. l.* cui, ut peritiori magis credendum ; etſi Cellarius p. 532. dicat *Vitianum vitiosè ſcriptum, lege Vivianum*, ſecutus Cluverium, & Maginum tab. 31. Tridenti ad meridiem CLUSÆ ævo Langobardico ad hunc Ducatum non ſpectabant, cum Rolandinus *in Chronico lib.* 4. *cap.* 13. ſcribat, fuiſſe *in diſtinctu Veronæ*. Id præmittimus, ut clarius innoteſcat *Verrucæ* ſitus mox inquirendus, quæ licèt auctoritate Cluverii ſcripta ſit infra Tridentum paulò ſupra tamen ſcribendam eſſe cēſemus ut infra. Monemus adhuc ad hanc rem infra Tridentum 8. circiter milliaribus ad lævam Atheſis exiſtere *Caſtrum Petræ*, ut videre eſt in ferè omnibus recentibus tabulis agrum Tridentinum diſtinctius continentibus, ſicut & in Magini 31. Item Ceruti in *Curſu Padi* &c. Igitur VERRUCA, ſive ſimplicir. ſic deſcribitur a Caſſiodoro *Ep.* 48. *l.* 3. *à poſitione ſui congruum nomen accepit*. (tuberculi, hoc eſt verrucæ ad inſtar) *eſt enim in mediis campis tumulus ſaxeus in rotu-*

Digitized by Google

tunditate consurgens, qui proceris lateribus, silvis erasus, totus mons quasi una turris efficitur, cujus ima graciliora sunt quam cacumina, & in mollissimi fungi modo superius extenditur, cum inferiori parte tenuetur ..... Hunc Athesis praetefluit ..... Castrum penè in mundo singulare tenens claustra Provinciæ. Quod ideo probatur magis esse, quia feris gentibus constat objectum. De hoc Castro Epitome Liviana 68. fusiusque Agellius ex Catone 3. 7. ex quibus fuisse in Alpium faucibus prima facie videtur. At Cluverius p. 121. Verrucam locat *supra Roboretum*, & *Castellum Petræ* vocat, de quo supra, concludens quod hoc Castellum Petræ *antiquum illud haud dubiè est Verruca Castellum*. Non videmus Castello Petræ convenire, quæ laudati Scriptores Verrucæ tribuunt. Nobis enim refertur à quibusdam Tridentinis, Castrum Petræ circumpositos campos non habere, nec erigi, sicut à Cassiodoro Verruca describitur. Attamen Albertus p. 469. testatur inter Petram, & Athesim planitiem extendi, in qua pugnatum inter Germanos, & Venetos, his cæsis, & occiso Roberto de S. Severino: quæ fusè narrat Corius sub A. 1487. p. 445. b. qui tamen non ad Petram pugnam commissam scribit, sed in Regione Tridenti, & ferè sub mœnibus, dum Robertus, & Veneti Urbem hanc obsidere cogitabant. Porrò si hæc infra, seu inter Tridentum, & Roboretum sita, non in faucibus Alpium, non claustrum Provinciæ, hoc est Veneriæ: nequeunt enim Tridentum, & superiora loca tueri, quæ Theoderici juris tunc erant ex Cassiodori *Ep. 9. l. 5.* qua Feltrinis onus injungitur construendi mœnia Tridenti. Nec tandem feris gentibus objecta, sed Tridentinis. Accedit, Cluverium censere, Verrucam esse *Ferruge* Pauli 3. 32. ibi: *Pro Ferruge verò Castro* (ne everteretur) *intercedentibus Episcopis Ingenuino de Savione, & Agnello de Tridentino* &c. Ex quibus verbis suspicari possemus, *Ferrugæ* (quæ Verruca) positam inter Veronam & Sabionem (situm supra Bolzanum) ut utriusque Episcopi interesset captivorum illius loci redemptio: *data*, subdit, *est redemptio pro capite uniuscujusque viri solidi sexcenti*. Hinc & in Diœcesi Sabionensi Ferruge, quæ in Tridentina fuisset, si infra Tridentum existeret. Cluverium corrigant alii, non nos, illum secutos: Doctissimus Eques Marchio Maffejus sero monet, *Verrucam* fuisse ubi rupes dicta nunc *Dostrento*, 80. passibus distans à Tridento extra portam S. Laurentii, nec aliud docet. Hæc Porta scribitur ad occasum in typo Tridenti, quem exhibet Fr. Scottus in suo *Italiæ Itinerario* ineunte. At nondum scimus, an ad ripam Athesis dexteram, & infra Urbem, vel ad lævam, & supra (ut probabilius) pro illius custodia, nondum mœnibus septæ: certam Verrucæ positionem nondum scientes, certiora ponamus. ENNEMASE Paulo 3. 30. (al. 32.) & ipsa à Francis eversa: al. *Mase*: Magino tab. 31. & in Cursu Padi *Malsesena* in ripa orientali lacus Benaci, qui agrum Veronensem finiebat, & ideo ad Veronenses, non ad Tridentinos spectasse censemus. ROBORETUM: Lex. *in Roboreum* citat Plinium, apud quem nondum illud invenimus. BRENTONICUM Paulo *l. l.* & ipsum sanè Diœcesis Veronensis etiam nunc: an & Comitatus, doceant conterranei. Ibi CAMPUS SARDIS in quo Theodelindæ sponsæ Rex Autharis occurrit, ex eodem Paulo *l. 3. c. 31.* VOLENES: in Magini tab. 31. scribitur *Volanum* ad lævam Athesis, inter Castrum Petræ, & Roboretum, & is locus vastatus à Francis ex Paulo 3. 32. qui idem scribit de *Fagitana*, & *Cimbra*, quas prætermittimus, incertæ positionis causa: supra Tridentum tantùm fuisse conjicimus. Non hæc tantùm, sed quamplurima alia loca adhuc insignia is Ducatus complectitur, ut videre est in ejus descriptione, præter tabulas, apud laudatum Janum Pyrrum Mantuanum tum de *Vitis Pontif. Tridenti*, tum *de Gestis Ducum* suorum, necnon apud Albertum à pag. 468. & quamquam conjici possit esse plerumque Langobardorum opera, silentibus illis antiquitatem, & scribentibus juxta sua tempora, de illa sine teste quid proferre nos possumus?

(72) Quod primò occuparunt Langobardi in Italia, Regio fuit Forojuliensis, statim ab Alboino in Ducatus formam redacta, suoque nepoti Gisulfo tradita, ut narrat Paulus 2. 9. Largior quam in cæteris suorum Ducum seriem, gestaque scribit; lectitetur (C. H. t. 1.) à Cl. Blanco summa eruditione Græco-latina illustratus. Verùm illiberalis fines Ducatus non indicat, ut ideo difficile sit illos saltem ab occasu statuere. Obiter non semel diximus, agros Bellunensem, Feltrinum, & Vicentinum inter Ducatus Tridenti, & Fori Julii interpositos, sed nondum satis, cum de illorum extensione non constet. Hinc exactiùs limes occiduus hujus Ducatus a fluminibus est petendus. At etiam hac via implicata res est, quippe quod in fluminum positione, ac in nominibus variant prisci, & recentiores Geographi. Nos prope, & ultra Bellunum, & Feltriam *Plavim* notamus. Lexicographi Ortelium secuti in binis Italiæ tabulis *Plavim*, & *Anassum* Plinii 3. 18. idem faciunt. Ita & Joh. Pierius Valerianus *Antiquit. Bellun. Serm.* 3. per tot. quem sequitur Georg. Pilonus *Hist. Bellun. p. 78. b.* qui hic jocatur, dicendo, *Anaxo* Græcis esse flumen aqua adversa ob rapiditatem innavigabile: ἀναζω abstergo: ἀναζος fruges Cereris Budæo, & Henr. Stephano, non aliud. In Isleana, ubique Plavis suppresso nomine (quia hujus Plinius non meminit) scribitur ejus loco *Tilavemptus major*, & Anassus ultra *Liquentiam*, & *Romatinum* decurrit. Sed Isleum evidenter evincit Venantius Fortunatus conterraneos suos IV. libro *Vitæ S. Martini* (quibus iter ex Gallia in Italiam præscribit) sic alloquens

Inde Foro, Juli de nomine Principis, exi
Per rupes, Osope, *tuas, qua* lambitur *undis*,
Et super instat aquis Revunia Tiliamenti.

Ita in edit. 2. Moguntina 1617. *lib. 2. p. 335.* apud Illustriss. & doctiss. Dn. Fontaninum Præsulem Ancyræ in *Commentario S. Columbæ cap. 1. p 3.* Corrigenda ideo editio Veneta 1570. *lib. 4. p. 318.* ubi Jac. Salv. Solanus ignarus locorum *Osopi*, *Reuniæ*, & *Tilaventi* fl. corruptissimè scripsit

Per rupes gelidisque *tuas qua lambitur undis*,
Et superinstat aquis renuta telia mentis

Quid hæ voces? Nihil *Osope* non intellecto suffecit *gelidisque*. Igitur *Reunia* & *Osopum* ad lævam Tilamenti juxta Venantium, id flumen ideo rectè à nobis signatum, & malè in Isleana. Rectè quoque Cellarius cum Cluverio distinguit Plavim ab Anasso contra Ortelium, & Tilaventum à Plavi contra Isleanam. Sumus cum Cellario, his nostris adducti rationibus, una quia in Theodosiana *segm.* 3. observamus, *Tilaventum* ultra *Liquentiam*, & Urbem Concordiam signatum, non citra, ut in Isleana (NB. corruptè in Theodosiana Liquentiam scribi *Licennam*, & Tilaventum *Tiliabutte*). Altera quia Plinius lege geographica ab occasu ad ortum Liquentiam scribit, post Concordiam Urbem, Portum Romatium, Tillaventum, Anassum, & si primò siluit Plavim, hanc memorant Paulus 2. 12. Berengarius A. 923. & Otto A. 963. in suis chartis, teste laud. Pilono d. p. 78. b. & Anonymus p. 225. habet *Plave*, & *Taliamentum*, prætereaque distinguit Plave ad Anasso, quem corruptè suo more *Astago* vocat. His necessariò præcognitis, *Tilaventum* limitem occiduum affirmare non dubitamus, etsi nemo id ante nos dixerit: silent enim & Paulus, & Blondus de hac *Regione* 10. *Fori Julii* à p. 384. fusè loquens. Confusè non parum Albertus p. 485. non alios fines decernit, quam undique Alpes, & mare; & Sabellicus de *Vetustate Aquilejæ* in princip. Liquentiam fuisse limitem asserit, sed non probat. Sicut neque Henr. Palladius *Rerum Forojuliens. p. 3.* qui cum illo consentit. Jure quis postulabit, quondam ergo flumen *Anassus*? Respondet idem Palladius p. 17. *Anassum fuisse, sive Tiliaventum minus* ut & alii opinantur. At viro docto adversatur Plinius 3. 18. cui tria sunt flumina distincta *Tillamentum majus, minusque, Anassum, quo Varramus defluit*. Difficile sanè hæc duo decernere flumina, cum XV. & amplius in Tilaventum decurrant. Pluribus collatis inter se tabulis, singulisque expensis, conjicimus *Anassum* facile esse *Fellam* amnem a Julio Carnico incipientem, defluentemque in Tilaventum, & Varramum *Rescam* amnem decurrentem in *Fellam*. Videatur Magini tab. 29. Quo postea ad finem occiduum, si cui nec sententia nostra probabitur (quippe quod ampliorem tractum Ducatus is postulaverit, ut majoribus viribus potuissent sui Duces hostibus circumpositis, præsertim Avaribus, aliisque Slavis, obsistere) quod scripsimus, modò sic comprobamus, observando, quæ fuerit hæc Regio ævo Romano, & quæ Langobardico in initio, & progressu. Sub Romanis igitur, etsi in Venetia latè sumpta comprehenderetur, quodammodo tamen sejunctam Geographi veteres eam considerabant, ita ut Straboni 5. p. 429. *extra Venetiæ quidem fines Aquileja* sit, cum Aquileja esset in Regione dicta tunc *Carni*, quæ post Forojuliensis, & ideo idem infra p. 432. inquit *super Venetos Carni*, quorum Regio sic describitur a Plinio 3. 18. „ *Carnorum* hæc Regio junctaque Japidum amnis „ *Timavus*: Castellum nobile vino *Pucinum*: Tergestinus sinus: Colonia: *Tergeste* ..... *Aquileja* ..... *Formio amnis*. Et cap. seq. *Julienses Carnorum*. Adhuc Mela hos distinguit, dum *l. 2. c. 2.* ait *Carni*, & *Veneti colunt Togatam Galliam*. Cum porrò Carnorum hæc flumina, & loca sita sint omnia ultra Tilaventum, utique hoc idem flumen finis fuit occiduus Carnorum, ut rectè in Isleana notatur, quamquam Anasso vice Tilaventi, quod minimè nobis probatur, ut præmisimus. Eadem prorsus ratione sub Langobardis, quando primò institutus fuit Ducatus ab Alboino, finis hujus occiduus Tilaventum non excessit, quoniam Opitergium cis Tilaventum usque ad Rotharim, ut mox dicemus, aliaque loca Græco Imperatori parebant, & cuncta loca, à Paulo 4. 38. & a Blondo *l. l.* enumerata, trans Tilamentum esse sita noscuntur. Idem ergo finis Forojuliensis Regionis, ac vetus Carnorum. Verum in tem-

Digitized by Google

porum progressu, urgente necessitate majorum virium pro arcendis hostibus, assiduè Ducatum infestantibus (adhuc capto ab Avaribus ipso Foro Julii, etsi proditione *Romildæ* viduæ Gisulfi, ut fusè narrat Paulus dicto l. 4. c. 38.) oportuit fines Ducatus ab occasu protrahere, ubi Regio plana locis, & populo multo referta. Productionem hanc factam censemus 70. post annos vel circiter, quando scilicet Rex Rotharis expugnavit *Opitergium* (Oderzo) quod adhuc stabat pro Romanis. Etenim Paulus 4. 40. prodit, quomodo mortuo Gisulfo Duce circa A. 615. eique in Ducatu suffectis Tasone, & Caccone filiis, *hos duos fratres Gregorius Patricius Romanorum in Civitate Opitergio dolosa fraude peremit*, &c. Cepit exinde hanc Civitatem Rotharis circa A. 638. post captam Liguriam maritimam, ut apud Paulum 4. 47. Tunc potuit finis occiduus produci usque ad *Liquentiam*, ut sentit Sabellicus *l. l.* & amplius cis Liquentiam, prope Plavim usque ad agros Bellunensem, & Feltrinum, ut pluries prædiximus, licet hos agros definire nesciamus: sed Opitergium inter Liquentiam, & Plavim Ducatui adjectum fuisse à Rothari non dubitamus. Nos igitur juxta primam Ducatus institutionem terminum ad Tilamentum statuimus, qui idem ac Carnorum juxta Strabonem, & Plinium: etsi Ptolemæus 3. 1. (quem sequuntur Lexicographi *in Concordia*) inter Carnos *Concordiam* cis Tilamentum ad Romatinum sitam enumeret, quod non placet. Definito sic limite occiduo cæteros statuere est facile. Nam ad *boream*, rectius ad eorum, Alpes sunt Noricæ, & ibi *Julium Carnicum*, non confundendum, ut aliqui faciunt, cum *Foro Julii*. Quoniam autem in tabula nostra deest is locus, & limes Alpium, defectu chartæ, monitum doctissimi Phil. à Tuere de Colonia Forojuliensi inter *Monumenta vet. Antii p.* 326. hisce suis verbis exscribimus: „ Monitum „ Lectorem cupio, Oppidum aliud in Carnis à Cæsare „ conditum, & *Julium Carnicum* dictum, malè cum „ *Forojulio* à quibusdam confundi. Nam idem Paulus „ utrumque manifestè distinguit. (*l. 6. c.* 51.) illud- „ que in montanis ejus Regionis, quam hodie quo- „ que *Carniam* appellamus, Plinio, Antonino in Iti- „ nerario, & Ptolemæo, qui Noricis tribuit, memo- „ ratum; hoc ad montium radices in planitie situm est. „ Nunc etiam illius vestigia vetustatis aliquot monu- „ mentis insignita, apparent, nomenque *Zulii* ma- „ net, priori tantummodo litera immutata: non Thus- „ ca prolatione, ut scribit Palladius, *Annium* fabu- „ latorem sequutus, sed ex more vernaculi idiomatis. Fines ad *ortum* clarè apparent ex declivitate Alpium Julianarum, & ex Formione, nunc *Risano*, in sinum Tergestinum cadente. Et huc revocentur, quæ diximus sub num. 48. de limite orientali hujus Ducatus, juxta tradita à Paulo 2. 9. ubi dicitur Pannoniæ conjunctus. Tandem *ad austrum* mare Adriaticum, cum Insulis proximis Ducatum terminat. Hos fuisse hujus fines sub Langobardis non inconsultò affirmamus. Variatos fuisse sub Francis, quando in Marchæ formam fuit jure redactus, (quia Regio hæc limitanea præ cæteris) civiliter saltem non ambigimus: adjectis illi ad occasum aliis Venetiæ Urbibus cis Plavim, nec non Histria ad Ortum, ut abundè ostendimus sub num. 38. & seqq. ubi sermo fuit de Marchis in Venetiæ Provincia institutis. Loca nunc intra illius fines contenta expedit meliori modo, quo poterimus, explorare.

(73) At cum ea Cluverius parum feliciter designaverit, & nominata à Paulo, ut obscura nimis, Cellarius p. 707. declarare neglexerit, quæ Paulus sparsim memorat, nos potissimùm cum Magino tab. 29. Palladio &c. Civitati Austriæ, & Utino, veluti centro, circumponemus. Igitur CIVITAS AUSTRIÆ Forum Julii medio ævo fuit dictum, ut probavimus num. 26. quod notum & Blondo p. 384. Paulus tamen Fori Julii nomen retinet, de qua Civitate plures Scriptores veteres, & medii ævi loquuntur, & gentile *Forojuliani*, eodem Paulo sic scribente 6. 51. ubi de Episcopatus translatione. Inter Julium Carnicum, & Forum Julii ponitur in Isleana, & Cellariana NOREJA: at quia hæc videtur duplex, & aliquibus est *Goritia*, de illa in calce erit sermo. UTINUM, quod à pluribus apud Albertum p. 487. b. & seq. dicitur ab Attila conditum, Palladio annuente. Verùm apud Albertum corruptus est locus Plinii 35. 12. ubi *Mutina* rectè legitur, & non *Utina*, de qua nemo ex antiquis, sicut nec medio ævo, cum nullus Episcopus Utinensis subscriptus appareat in Synodo Gradensi sub Elia Episcopo A. 581. etsi in Vitis Patriarch Aquil. inter *Anecd. tom. 4. p.* 235. *Castrum Utini* conditum dicatur, ut supra, ab Attila, 130. annos ante Synodum. Neque Utinum fuisse *Julium Carnicum*, vel Forum Julii contra Palladium demonstrat Em. Norisius *de Synod. V. c.* 9. §. 4. *p.* 98. An apud Plinium 3. 19. legendum *Vedinates*, *Venidates*, vel *Nedinates* quærant alii, & quid postea? Castra VII. communita à Langobardis recitat Paulus 4. 38. quorum I. CORMONES, quod Albertus p. 494. ponit in Alpibus, secutus Blondum p. 386. scribentem, *supra Montem Falconem, celsiore item sub Alpibus loco Cremona est Oppidum*. Utrique nescienti situm M. Falconis, vix 4. m. pass. distantis à litore maris, etiam adversatur conjectura nostra ex Paulo 6. 51. testante, quod *superiores Patriarchæ* (idest in exordio Regni) *quia in Aquileja propter Romanorum incursionem habitare minimè poterant* (eversa enim erat) *sedem non Foro Julii* (non muniti) *sed in Cormones habebant* (ut in Oppido munitiori, & in colle sito.) Verisimile porrò non est, Patriarchas in remotis Alpibus sedere potuisse, vel debuisse. *Cormons* itaque à Magino 29. locatur 15. m. pass. supra Aquilejam in tumulo, non in Alpibus, ut ait Palladius, etsi non satis situm designet, proximum tamen facit *Cormon* notissimo alteri Oppido, quod *Rosacium* dicitur adhuc celebre ob vetus Cœnobium, de quo Ughellus apud Lubin p. 348. a. Pergit Paulus, cui II. NOMASO, quod idem ac *Nemas* lib. 5. cap. 22. ibi: *apud Nemas Castrum, quod non longè à Foro Julii distat* &c. extinctus est VVarnefridus, qui *fugit ad Sclavorum gentem ..... in Carantanum* (hoc est in Carinthiam ab boream) & *cum Sclavis adveniens, quasi Ducatum eorum viribus resumpturus, apud Nemas* &c. A borea ergo redibat, & quidem recta ad Forum Julii, prope quod est occisus. His retentis Cluverius recitatus conjicit *Nemas vicum esse, qui ad Fellam fluvium haud ita procul. à Tilavempti confluente, & Ventione Oppido, vulgo nunc dicitur Mazo*. At quam à *Nemas* abludat *Mazo* ecquis non audit? Fella Tilamentum ingreditur 20. m. & ampliòs passuum à Foro Julii, & hæc via nimis à recta Carantanorum declinat. Quare *Nemas* potiùs esse videtur *Ninis* inter Turrum, & Cornu amnes, vix 9. m pass. à Foro Julii in occasum æstivum. III. OSOPO ad lævam Tilaventi designatur à Magino, & describitur à Palladio p. 18. IV. ARTENIA ad ortum æstivum Osopi, nec procul eisdem ibidem. V. REUNIA ab utroque præteritur. Alibi Paulus 6. 3. *Ansfrit de Castro Reunia Ducatum ejus* (Rodoaldi) *pervasit*: imo & rebellis, Cuniberti Regnum invadere voluit. Potens ergo in Reunia Ansfrines fuerit, & fortè proximis Castris dominabatur; *Reumam* vocat Albertus p. 486. ipsamque locat ad lævam Tillaventi è regione *Pinciani* ad dexteram positi, quod firmat Palladius p. 10. de *Pinzano*. Cluverio Reunia infra *Osopum*. Singulis expensis, extat, vel extitit, ubi in Magini tabula scribitur *Ragogna*, prope S. Danielem. Infra Reuniam QUADRUVIUM perantiquum, ut conterranei contendunt. Abest à Paulo: attamen *Quadrivium* Palladio p. 18. à quatuor viis planè dictum, *in quod*, inquit, *desinebat via militaris*, modo *via alta*. Abest & à Magino; sub loco S. Danielis fuisse docet Palladius. VI. GLEMONA supra Osopum ampliori mole depicta, & veluti Metrocomia tractus inter Tilaventum, & Turrum amnem excellit, in Magini tabula: eamque ita describit Palladius p. 9. *Glemona montium dorso præfixa pulcherrimum inferioris Provinciæ prospectum usurpat. Multa ibi antiquitatis vestigia. Sed specula admirabilis, quæ vivo silice, eoque altissimo ad hostiles explorandos impetus insculpta: nunc nisi volucribus adeunda relinquitur*. VII. tandem juxta Pauli ordinem *in Ibligine*, cujus rectus IBLIGIS, sed alia lectione *I* postponitur, & scribitur *Biligis*. Cur non *Bilirs* ad dexteram Turri, 6. m. pass. ab Osopo in ortum? Ita in Magini tabula, & in Ducatus hujus latere occiduo. In orientali fermè nulla loca memorat Paulus, occasione fortè remota. Vix *lib. 5. cap.* 23. narrat Slavos venisse, & Castra esse metatos *in loco, qui Broxas dicitur non longè à Forojulii*. Paulo post locum Broxas indigitat *ad pontem Natisonis, qui ibidem est ubi Sclavi residebant*. Natisonem in tabula Magini excipit Turrus, & Turrum Sontius. Cluverius *pontem Natisonis fuisse apud vicum Tertium* notat p. 185. Is vicus abest à tabula nostra. Utique *Broxas* non abludit à loco dicto *Brisgis* ad lævam Natisonis cum ponte, supra Forum Julii, & 8. circiter m. pass. disito ad ortum æstivum, quæ omnia cum Paulo conveniunt. Verùm tamen est, quod in Magini tabula pons Natisonis (præter illum, qui ducit in Forum Julii) notatur duobus milliaribus infra Urbem, ut facilè potiùs de hoc ponte in loco *Ferman* dicto, Paulus loquatur: Nusquam descripta videmus loca, quorum uni nomen *Fluvius* (al. *Flovius*) Paulo 5. 19. alteri *Lauriana* 6. 45. (al. *Laurina*) etsi pro hac non incongruè occurrant *Landri* ad dexteram Natisonis: & pro illo *Tulminus*, ubi fons *Cornu* amnis, sed habeantur hæc pro non dictis, cum in sola ratione frequentis itineris Slavorum per has vias nitamur. Probabilius CASTELLUM PONTIUM, de quo Paulus 6. 51. fuerit, ubi *Porto Ponzano* in ora, scriptus in tabula Magini, nam Castellum illud supra mare situm est, ex

quo

Digitized by Google

quo Pemmo Dux Califtum Patriarcham illò ductum *in mare precipitare voluit*. Cur, videatur Paulus. AQUILEJA æquè celebris, ac nota, vivida tamen Langobardos minimè vidit: quæ fuerit, Herodianus *lib.* 8. Jornand. *cap.* 42. ostendunt. Similiter GRADUS, de quo sermo fuit supra num. 26. & iterum, cum de Venetia Maritima num. 78. Paulus pluries ejus meminit, cum de Patriarchis Aquilejensibus; Gradum Metropolim Venetiæ Johannes VIII. Papa *Epist.* 25. suffectam Aquilejæ, & novam Aquilejam Leo IX. *Ep.* 2. appellant apud Holstenium *in Ortel. p.* 88. Plura congerunt Palladius p. 193. Sertor. Ursatus *Hist. Paduæ p.* 148. & alii. Sontii amnis ad lævam, & ab ora maritima 4. vel 5. m. pass. VERRUCA. Blondus *Region.* 10. *p.* 384. non distinguens Natisonem à Sontio, quia huic ille miscetur, sicut & in Isleana, habet: *Natisoni sinistrorsum est propinquum Mons Falco* (qui in tabulis recentibus notatur, ubi Verruca) *Oppidum Regionis egregium, arduo in monte situm, quod Theodoricus Rex Ostrogothorum primus adificavit*. Verrucam tamen M. Falconi adjectam prodit Palladius p. 14. & iterum *de Oppugnatione Gradiscana p.* 8. ibi: „ Oppidum M. Falconis, quod muro, & propugnaculis viam sepit, „ & de industria vitatum: & Verruca Oppido impo„ sita silentio præterita: *Opus hoc Theodorici Gottorum „ Regis, victo ad Sontium Odoacre, ante annos* 1100. „ *excitatum* (Verrucæ Tridentinæ ad instar, nam di„ xerat d. p. 14. *Verrucam adjecit inter vicinas rupes*) Ad ortum Verrucæ PUCINUM, & TERGESTUM, quæ Plinius 3. 18. & Scriptores passim commemorant, præsertim Palladius laudatis locis. Pucinum Lexicographis nunc *Prosecho*, & rectè, ut conterranei affirmant, non *Castel Duino*, ut notat Harduinus in Plinium p. 175. num. 9. Etenim *Pucinum inter Duinum, & Tergeste* scribitur à Palladio p. 13. & ita clarissimè in Magini tab. 30. Extremo loco notatur GORITIA, quo ad nomen utique nova, an & quo ad locum mox patebit. Etenim Gregorius Amaseus apud Albertum p. 499. testatur plura antiquitatum vestigia Goritiæ conspici, utroque affirmante, hanc veterem esse *Norejam*: quibus Lexicographi h. v. astipulari videntur. Consentit Palladius *Rer. Forojul. p.* 14. & iterum p. 57. hisce verbis, loquens de irruptione Cimbrorum, capto jam Foro Julii: *in planitiem irruentes* (Cimbros) *Noreja, & Sontius detinuit aliquandiu, sed brevior cura circa Norejam, quam illicò captam penitus devastant*. Norejam supponit V. doctus infra Forum Julii ad Sontium, ubi Goritia; at fidenter nimis Cimbrorum irruptionem in Carnos sinè teste imaginatur, quam nunquam legisse apud Epitomatorem Livii l. 67. Vellejum 2. Eutropium 3. Plutarchum *in Mario*, Florum 3. 3. cæteris fusiores, aliosque meminimus. Vix Strabo lib. 5. 429. prodit hæc: *Extra Venetiæ quidem fines Aquileja est, quæ flumine ab Alpibus descendente disterminatur; per quod sursum navigatur stadiis* 1200. *ad Urbem usque Norejam, ubi Cn. Carbo collatis adversus Cimbros signis, re infecta discessit*, quia aliò se verterant, sed quorsum, huc non spectat inquirere, lite inter eruditos pendente. Strabonem legit V. doctus, sed non observavit, Norejam ab Ostio fluminis (sit id Tilaventum, ut in tabula nostra, sit Anassus, ut in Isleana) dissitam stadiis 1200. (ita tres Codices nostri habent) hoc est 150. milliariis, quando Goritiam à Sontii Ostio vix 20. m. passuum, hoc est, stadiis 160. distare videmus. Norejam adhuc locat ad flumen dispescens Carnos à Venetis, quod certissimè non est Natiso, vel Sontius ad cujus lævam extat Goritia. Verùm tamen est, irrepsisse, ut suspicamur, errorem in numero stadiorum Strabonis, dum latitudo totius Regionis ab ora maris ad Alpes non excedit 70. milliaria. Nec Xylander nota 7. nec alter variorum in notis p. 328. margin. 214. hunc errorem advertit. Demus, flumen propter curvitates per 100. & ampliùs decurrere, difficilè sanè per 150. & difficilius navigari sursum ubique, ut Strabo ait. Ex his tamen rectè percipimus, Norejam si non in Alpibus, saltem ad elatiores radices stetisse veluti ad claustra, sive clusas Regionis custodiendæ à Carbone. Longius ideo à Foro Julii, ac in Isleana notetur, eam distasse conjicimus: eoque præsertim cum à Plinio 3. 19. *Tauriscis Noreja* adscribatur. Tauristi porrò altissimi, ut *in Noricis* à Strabone p. 413. *Tauristi* locentur. Neque hi sibi adversantur Geographi, quamvis Plinius Norejam *Carnis*, Strabo *Noricis* tribuant; nam ille 3. 20. quomodo id eveniat, nos docet, dicendo, *Carnos quondam Tauristi appellati, nunc Norici*. Ex quo apparet, Carnos boreales, usque ad summas Alpes, & ultra fortè protensos. Non hic solum, verùm & alibi oritur plerumque finium, locorumque confusio, ut & de Provinciis Asiæ observat Strabo *tom.* 2. *p.* 337. *lib.* 13. monendo, quod *Phrygiæ, & Lydiæ, & Cariæ, & Mysiæ loca ægrè distingui possunt, quod inter se coeant*. Hic idem contingit, dum olim Pannonia Carnos, & Carni Pannoniam pervadebant. Etenim Plinius 3. 19. enumerans loca, quæ interiere, scribit: *Carnis Segeste, & Ocra*. Ocra Norici mons Ptolemæo 3. 1. (& ab eo locus denominatus Ocra) *Ocra verò* Straboni 4. 415. *humillima prorsus Alpium pars est, ubi Carnis adjungitur*. Id parum. Magis Carnorum amplos fines à borea ostendit *Segesta*, nedum trans Alpes locata, verum & ultra ad Savi fluminis lævam è regione *Sisciæ* ad dexteram, ubi Savus excipiens *Colapim* amnem efformat Insulam, cui Segesta dat nomen, ut discimus ex Plinio 3. 25. *Colapis in Saum influens juxta Sisciam, gemino alveo insulam ibi efficit, quæ Segestica adpellatur*. Quare aliud Siscia, aliud Segesta, & non ut Lexicographi notant h. v. *Segesta, seu Siscia Urbs fuit Pannoniæ Saviæ* &c. Elisa sic remanet antequam nata suspicio Cellarii p. 543. de duplici *Noreja*, una *Carnorum* juxta Amaseum, & Palladium, ad Sontium, ubi Goritia, altera *Norici*, de qua Strabo, & Plinius. Utique in Theodosiana *Segm.* 3. bis scribitur *Noreja* 13. *Noreja* 13. ferè in eodem situ, longè supra Histriam, & in Norici meditullio. At scriptura certè hic corrupta, nam aliud *Noreja*, aliud *Norica*, loca tamen valde proxima. Norica porrò ignota Cellario, & Lexicographis, sed clarissimè ostensa à Cæsare *Bell. Gall. l* 1. *c.* 2. *p.* 2. ibi: „ Bojosque, qui trans Rhenum „ incoluerant, & in agrum Noricum transierant, *Nori„ camque* oppugnaverant. „ Non ergo gemina *Noreja*, sed corrigenda scriptura Theodosianæ. Recitat Cæsarem etiam Cellarius d. p. 543. sed & corruptus ejus Codex, dum legit *Norejamque oppugnarant*: fatetur tamen, legere Recentiores *Noricamque*. Ita habent Codices nostri, & præsertim editionis Lugdunensis 1574. cum notis Eruditorum Hotomani, qui legit *Noriciam*: Ursini, Manutii, & aliorum, qui *Noricam* retinent. Sed Cellarius nondum quiescens subdit, *nec vero credibile eandem Plinii Norejam esse* illam, de qua Cæsar. Sed data ex abundanti lectione Cellarii, certissimè est eadem etenim usque ad Noricum protensi fuere olim Carni, & in Carnos vicissim descendisse Noricos docent nos idem Plinius *l. l.* & Strabo 4. p. 413. *sinum Adriaticum ad Aquilejam nonnulli Norici, Carnique tenent*. Nihilominus ex conscientia est dicendum, *Noricam* locum fuisse, alterum à Noreja, ut in Theodosiana, in qua potuit quidem facilè incisor errare, *Norejam* bis scribendo pro *Norica*, at non geminare locum, ut videre est in Tabula Antuerpiensi 1624. Tabulis Ortelianis adjecta, quæ longè politior, Aldina M. Velseri, Veneta 1591. Certissimè igitur Noreja non est Goritia, quæ si antiqua, ut vestigia testantur, vetus nomen ejus est omnino deperditum. Neque Goritia dici debet *Julium Carnicum*, ut opinatur Moletius, qui perperam Norejam Ptolemæi 3. 1. in fine, interpretatur. Quis enim Julium Carnicum vix 12. millariis (ubi Goritia) distasse ab Aquileja credere potest? Non alia planè ratione notarunt Geographi veteres locum ad *Trigesimum*, ut in Itinerario Antonini, inter Julium, & Aquilejam, nisi quia in medio ille positus æque ab Aquileja, & à Julio 30. m. passuum distabat. Utinam Norejæ situm æque facilè nosse possemus, dum Strabonem, Theodosianam, & Isleanam oppidò inter se variantes conciliare nescimus.

(74) Histria Foro-juliensi Ducatui confinis & ipsa ut sejuncta a Venetia consideratur. Quomodo, & quando accessit Italiæ, prodidimus sub num. 52. Histriæ porrò nomen obscurius, quam vetus: non enim primævum, cum antequam Græci ab Istro ipsam vocarent, Illyrici fuisse partem, dictamque *Japydiam* discimus ex Strabone l. 4. prope finem, Plinio 3. 19. Ptolemæo 2. 17. & aliis. Observandum tamen, non confundendam esse, propter affinitatem nominum, *Japydiam*, cum *Japygia*: hæc enim ea est, quam apud Strabonem 6. 562. *Messapiam, & Japygiam, & Calabriam, & Salentinam complures communi appellatione nuncupant &c.* ex quo Japydiæ inditum Histriæ fuit nomen, usque in hanc diem permansit, idemque medio adhuc tempore fuit ex allegatis num. 39. Plura commenta Græcorum de hoc nomine refert Albertus *Region.* 19. *à p.* 499 *b.* sed fabulas fabulis Annianis refellit. Colchos hanc ad oram accessisse, Polamque condidisse Plinius 3. 19. credulus nimis asseruit. Item & Mela 2. 3. sed cautiùs, apposito: *ut ferunt*: ita & Justinus 32. 3. *Fama est*. Verùm inexcusabilis Strabo, dum 11. p. 107. de fluminibus Colchidis scribens, quod *Barbari perforatis tabulis, ac lanosis pellibus* (aurum) *excipiunt, unde aurati velleris* (NB) *fabula conficta est* (quæ cæterarum origo, fugæ scilicet Jasonis, & Medeæ, eorum accessus ad Istri fluminis ostium navisque super humeros per montes evectæ, & in Adriaticum deportatæ: ut exinde missi ab Æeta Rege Colchorum, Regifugas persequentes, nec invenientes, metu, sive tœdio ibi consederint, & ab Istro fuerint Istri appellati) immemor Strabo non respuit l. 5. p. 432. ubi dixerat Polam *Colchorum ædificium, qui adversus Medeam im-*

Digitized by Google

immissi fuerant, recitans Callimachi versus. Eò inexcusabilior adhuc, cum *l.1. à p.99.* Jasonis, Medeæ, & Argonautarum expendat errores, fatendo, quod Callimachus, servato more suo, & communi, fabulas immiscet. Sic varius, & inconstans fabulas novit, & approbat, quod minimè dignum Strabone. Quare ingeniosè magis quam verè Ortelius quoque in suo *Theatro Orbis* fol. 42. Edit. Antuerp. *Argonautica* pingit, & describit, Poetarum, Scriptorumque turba utriusque linguæ congesta. Omnes evincit Arriani Epistola Adriano Cæsari data in *Periplo Pontis Euxini pag.5.* in descriptione Phasidis. Testatur igitur suo Principi, ut sibi visum est, quod *nullum præterea ibi eorum, quæ de Jasone fictis fabulis fuerunt* dicta reperisse: cum paulo supra scripserit, quod *ancbora quoque navis Argus ibidem ostenditur ..... tamen videtur esse recentior*. Et ibi Interpres Guil. Stukius p. 184. ostendit, falsam opinionem illorum, qui credidere Danubium se exonerare in Adriaticum, perperam scribente Plinio 3.23. *à tergo Carnorum, & Japidum, qua se offert magnus Ister*. Etiam Diodorus Siculus l. 4. c. 3. etsi facilè fabulas amplectatur, hic veterum scripta fusissimè regerens, tandem scribentes ad Adriaticum pervenisse Argonautas redarguit. Pauca hæc perfunctoriè quia satis obvia, monere voluimus, quoniam Neotenici de Histria adhuc hodie scribentes, fabulas, priscis Scriptoribus innixi, venditant pro Historia: inscriptionemque confixere, ineunte sæculo XVI. vel paulo ante, quam num.75. referre, & observare debemus. Posthabitis ergo quibuscunque commentis, Istrique adhuc alveo, ex Coloniis ab Istri ripis huc deductis (præsertim ex eo tractu, quem Strabo l. 7. p. 578. sic describit: *spectantes quidem in Septentrionem Istri partes, sunt trans Rhenum Regiones, & Galliæ, quæ sunt Gallicæ gentes, & Germanicæ*) exortum Histriæ nomen conjicimus: nisi cum Ptolemæo 3. 10. ab Istropoli post Istri Sacrum Ostium, ubi Scythæ, huc Istros evocare malimus. Id satis: certiora nostræ tabulæ ad ævum spectantia ex Langobardicis Legibus, Francisque Scriptoribus, repetantur, ex dictis abundè sub num. 39. dum hic quantum spectat ad Regionis fines, & loca subjicere tantùm occurrit. Cum porrò Peninsula sit, facili negotio ejus firmantur fines: ab occasu, scilicet, mare: à *borea* Formion amnis, Alpesque Juliæ: ab *ortu* Arsia flumen per quam a Liburnia sejungitur, & infra, ac ab austro item mare. Maritimæ quoque sunt ejus Urbes, quarum nomina ferè eadem supremo, medio, & infimo ævo. ut ex Anonymo Ravennate, quem sequemur, agnoscimus. Nobilior præ cæteris est JUSTINOPOLIS. Plinio 3.19. *Ægida*: Anonymo p. 204. & 212. *Capris*, sanè quia in Insula Capraria (dicta etiam à Blondo, ut num. seq. sed non rectè, Pullaria) est locata. Justinopolim tamen scribimus, quia id nomen verè medio ævo illi factum, sed à quo Justino, an I. sive Thrace, vel II. Curopalate: ne modò a recensione Urbium nimis digrediamur, num. sequenti definiemus: nec injucunda erit quæstio hactenus intacta, occasione cujus Viros doctissimos adulterinam pecuniam (hoc est falsam inscriptionem) non cognovisse, patebit: pergamus. PIRANUM, quod Albertus p. 501. post Attilæ vastationem conditum scribit. Sanè nemo veterum hujus meminit: *Piranon* Anonymo Rav. p. 204. non dedignatur Porcheronus Albertum laudare hoc loco, utinam crebrius id fecisset. SIPAR, quod solus Anonymus d. p. 204. memorat; nec enim *Siparuntum* esse credimus, quod id Liburnia, sive Dalmatia ponunt antiqui: Lex. h. v. Sipar tamen, & si absit à Lexicis, non abest à Magino tab 30. extatque prope Umagum. UMAGO, sive Humago, ita & nunc. NEAPOLIS: hodie *Civitas nova* ab antiquis etiam omissa, *post deletam Æmoniam Urbs hæc condita, Civitas quæ nova dicta*, ex Alberto: sic Porcheronus notat extat prope ostium Nauporti amnis nunc Quieto. PARENTIUM & REVIGNUM & medio ævo ex Anonymo, & nunc, & Magini tabula. Infra SYLVA, sive *Vistrum* ex Pontificali Agnelli in *V. S. Maximini* Episcopi XXVI. cap. 3. Est *Silbio* Anonymo p. 104. in Theodosiana *Segm.* 3. notatur prope Polam, & POLA notissima, quam, juxta Callimachum apud Strabonem libb. 1. & 5. pagg. 100. & 432. *Colchorum sermone Polam appellavere* Græci, hoc est exules: de hac fabula satis supra. NESACTIUM: Anonymo *Nesatio*, & ibi Porcheronus notat, *Nesactium* scribi ab antiquis, nec rectè locari in promontorio ab Alberto (pag. 502.) quod Cisanum dicitur, quia *id minimè patitur situs inter Polam, & Arsiam fluvium, qui constanter ei ubique assignatur*. Verum Albertus rectè scripsit *punta di mare detta Cisana*, verè enim ita scribitur & in Magini tabula *P. della Cesana* 8. m. pass. à Revigno in austrum. Nesactium tamen non ibi, sed ad Arsiæ ostium locant Lexicographi, Nigrum secuti, inter Polam, & Albonam, & *Castrum novum* appellant. Videatur Lex. in *Nesactium*. Nos conformati sumus Plinio 3. 19. ubi *Oppidum Nesactium, & nunc finis Italiæ fluvius Arsia*. Porrò amnis hujus ad dexteram ARSIA Civitas Anonymo p. 204. quam prætereunt Strabo, Plinius, & Lexicographi, non tamen Ptolemæus 2. 17. in sensu Moletii; sed quia & is perperam interpretatur, & sumit *Tarsaticam* pro *Arsia*, nec Ptolemæus Arsiæ meminit, antiquis utique ignota. Sed quid hodie? Porcheronus juxta tabulas suas vocat *Arsenam*, sive *Arsevam*, cujus nulla mentio in nostris, in quibus vix habemus *S. Georgium* ad dexteram Arsiæ amnis. Trans Arsiam postea ALBONA: FLANONA: & TARSATICUM, sed cunctæ in Liburnia, & juxta Anonymum *lib.* 5. (qui Periplus) p. 271. ubi distinctè *Tbarsaticum*, *Albona*, *Arsia* contra interpretationem Moletii scribuntur. Plinio 3. 21. sunt *Alvona*: *Flavona*: *Tarsatica*, hæc Germanis Scriptoribus *Terzacz*, Italis *Fiume*: illæ nunc *Albona*, & *Fianona*. Pauca alia, non tamen clari nominis, in mediterraneis loca relinquimus.

(75) Exorsam de Justinopoli quæstionem nunc disceptemus, an scilicet vetus Ægida refecta, dictaque fuerit à Justino I. vel II. ex antiquis nemo, quod sciamus, id scripsit. Satis nobis esset, aliquem invenire, ut Procopium, Agathiam, Paulum, vel alium, qui bella Gothica, & Francica sæculo VI. in Italia gesta describens, Justinopolis meminisset: sed hunc nondum nacti, certa ratione, vel teste destituti, quid possumus definire? Neotericos consulamus, & primo Blondum. Is in *Hist. dec.* 1. *l.* 7. *p.* 93. hæc scribit: „ Theodebaldi Regis Me„ tensium Duces ..... prædandis, quæ circa Padum „ sunt, non Justiniani magis, quam Gothorum jurisdi„ ctionis vacaverunt ..... Violavitque utraque bar„ baries prima fœdera, quæ *Sisualdus cum Narsete*, *Bu„ celinusque*, *Amingus*, *& Lotharius cum Teja* Rege so„ lemniter constituerant. Partiti verò sunt inter se „ universam Transpadanæ Italiæ Regionem ..... „ Sicque *Bucelinus* Paduam, Tarvisium, Aquilejam, & „ omnem pervagatus Liburniam ..... demum *ad Ca„ prariam* delatus Insulam, *Oppidum in ea conditum di„ ripuit*, atque incendit; in ea namque Insula *Justinus „ Senior*, à quo Justinianum nepotem ostendimus Impe„ ratorem creatum fuisse, *Optimates Histriæ locavit*, „ Barbarorum impetum declinantes: *& Oppidum ex suo „ nomine Justinopolim appellavit*. „ Nedum V. doctus Justinum I. hic clarè promit, verum & tempus signat, quo jam ab eo Justinopolis vocabatur. Etenim Teja Gothorum Rex, Narses, Ducesque Franci Bucellinus, Amingus, & Leutharius appellant A. 552. circiter, bello Gothico penè confecto, & in cujus exitu bellum Francicum (jam ab A. 540. cœptum, juxta Gregor. Turon. *l.* 3. *c.* 32. languidè tamen vel prosecutum, vel à Procopio descriptum) invaluit sub dictis Ducibus, quodque non à Procopio, sed ab ejus continuatore Agathia *lib.* 2. & à Paulo Diac. 2. 2. cum Francorum excidio narratur. Nihilominus Lexicographi in *Ægida* impigrè scribunt, quod hæc *à Justino filio Justiniani Imp. reparata de suo nomine Justinopolis dicta fuit*; quod ante ipsos dixere Sabellicus *l.* 2. *Ennead.* 8. Volaterranus *l.* 4. *p.* 85. Albertus *de Histria p.* 501. Cluverius *l.* 1. *c.* 21. *p.* 210. & alii: omnes tamen (id obiter) Justinum II. Justiniani *filium* vocantes, quem *Nepotem* ex sorore *Vigilantia* contra Occonem, Panvinium, & alios, ex Corippo, & Victore Tunnensi sæculi VI. Scriptoribus, ostendit Nic. Alemannus in Procopii *Arcanam hist. pagg.* 11. 89. & alibi: ad rem. Utique & nos à Justino II. dictam Justinopolim credimus. At cur? Volaterranus, & Albertus *l. l.* nullo teste adducto, nulla ratione, vel conjectura suffulti, inscriptionem hanc, in qua sola nituntur, exscribunt: *D. N. Cæsar Justinus P. Sal. Pius. Felix. Victor. ac triumphator semper Aug. Pont. Max. Franc. Max. Goth. Max. Vandalic. Max. Cos. IV. Trib. VII. Imp. V. Conspicuam hanc Ægidis Insulam intima Adriatici maris commodiss. interjectam venerandæ Palladis sacrarium quondam, & Colchidum Argonautarum persecutorum quietem ob gloriam propagandam Imp. S. C. Q. in Urbem sui nominis excellentiss. nuncupandam: Honestiss. P. P. P. designavit, fundavit C. R. P. Q. & gente honestiss. refertam*. Scire vellemus hic primò (salvis juribus, ut infra) cur hæc inscriptio potius ad Justinum II. quam I. attineat? & reapse in Justinum I. eam transferunt & exscribunt ex Grutero p. 164. n. 5. Ughell. *t.* 5. *col.* 397. *edit.* 2. Ant. Van-Dalen *Dissert. de Oracul. p.* 153. & Pagius A. 312. n. 23. occasione celebris controversiæ *an Imperatores Christiani fuerint Pontifices*, ut apud Baronium A. 312. n. 93. & in Martyrol. 22. Aug. Pagium *l. l.* Joh. And. Bosium *de Pontificatu Max. Impp. Rom. à cap.* 3. *ad* 8. in Thesauro Antiq. RR. t. 5. à col. 269. Quoniam ergo in dicta inscriptione dicitur *Justinus Pontifex Maximus*, Van-Dalen pro affirmativa illa utens, & oculeus Harduinus in Plinium *l.* 3. *p.* 175. *n.* 22. cum Cluverio laudato liberum, amplumque transitum eidem faciunt. Pagius, eandem non reprobando, declarat, dicendo, quod *cum in ea Palladis mentio fiat, non dubium quin à quodam Gentili posita fuerit*: consentiens hanc, & alias *citatas nempe inscriptiones*,

non

Digitized by Google

non à Christianis, sed à Gentilibus, qui Imperatores juxta antiquum ritum Pontifices Maximos vocabant, dedicatas esse. Miramur Viros doctissimos se suis vincire manibus, &c, ut se expediant, inaniter laborare. Ut quid tot verba saltem pro hac inscriptione? Et quia in ea *Palladis mentio*, à Gentili ideo posita? Cogitatio minimè Viro inter doctos sanè Principe digna. Juvenilis fœtus hæc est Viri Christiani, & notissimi *Petri Pauli Vergerii* Justinopolitani, Emm. Chrysoloræ discipuli, sæculo XV. inclinante, alias doctissimi pro suo ævo, de quo Bibliographi, & Jovius *in Elog. Doctor. VV. n.* 111. Is senior dici debet, & fortè Avunculus Petri Pauli Vergerii junioris Episcopi Justinopolitani, & Joh. B. Polensis Episcopi fratris, de quo Ughell. *t.* 5. *col.* 391. edit. 2. & Hofmann. *Lex. t.* 4. *in Vergerio*, qui varium in Religione ipsum pingunt. Ut senior patriam illustraret, inscriptionem marmoream confinxit, fabulas Argonautarum excitavit, & Palladis sacrarium, pro scuto dixit, *quod propriè Ægis dicebatur*, juxta Cluveriū *l.l.* vel quia, ut ait Apollodorus *de Deor. orig. l.* 1. *p.* 20. *a.* Jason. *Minervæ consilio navim remorum quinquaginta constituit, eamque à fabri nomine Argo appellavit*. At si melius expendisset Vergerius, quæ de Argonautis hic prosequitur Apollodorus: quæ poeticè tantùm Callimachus cecinit, ut ex præmissis supra n. 54. novisset, non Ægidam suam, sed Polam appulisse Argonautas, fabulasq; misisset. Vergerium postea auctorem inscriptionis asserimus, & quia universim ejus sæculo solemne fuit Scriptoribus municipalibus res patrias fabulis refertas conscribere, ut legentibus constat: & quia speciatim solum Vergerii ætate fuit talis inscriptio vulgata à Volaterrano, quod sciamus, etsi fortè prius Blondo innotuerit. Cur enim is in historiis constantissimè dicit, Justinopolim à Justino I. appellatam, & in Chorographia *Reg.* 11. *p.* 387. præmisso elogio elegantissimo in Vergerii laudem, subjicit: *prima Istriæ Urbs est Justinopolis, quam Justinus Justiniani I. Imperatoris filius* (Nepos) *atque Imperii successor in Insula tunc Capraria, sed prius Pullaria appellata* (non, hæc, altera) *ædificavit. Causam autem condendæ ejus Urbis in historiis ostendimus*. Ubi dixerat Justinum I. Quomodo ergo hic se ipsum retexit? Nonnisi consilio Vergerii, qui lapidem commentus est. Utique veteres inscriptiones studuit imitari, & propemodum illas exscripsit Valentiniani, Valentis, & Gratiani, quas Baronius utrobique recitavit, sed non advertit quod Justinus II. *Francicus* dici nequit, cum neuter rem ullam cum Francis habuerit: utique Justinianus. Neque idem Justinus. *Cos. IV.* cum semel vix fuerit A. 540. sinè Collega, suppresso exinde Consulatu adhuc in Oriente A. seq. 541. in Basilio jun. sicut desierat in Occidente A. 530. notatis exinde Postconsulatibus usque ad A. 566. Nec refert, quod anno sequenti idem Justinus Imperator electus dicatur Cos. juxta fastos Byzantinos, & modum loquendi Marii Aventicensis apud Pagium *Diss. Hypatica de Coss. p.* 331. & in *Critic. AA.* 567. & 568. n. 1. Consul enim dicitur, quia ipse auctor Consulatus perpetui in solis Augustis sequentibus, & semper sinè Collega. Revera tamen non Consulatus, sed Proconsulatus erat. Quare cum Justinus II. Consulatum perpetuum instituerit, nec ipse, nec successores Consulatum II. inire potuerunt. Hæc docens peritissimus Pagius *l. l.* & sub A. 312. n. 23. observans Justini Consulatum III. (ita in Grutero, non IV.) monet, legendum II. & ad Justinum I. inscriptionem refert, qui reapse Cos. fuit A. 519. cum Eutharico Amalo, & iterum A. 524. cum Opilione, nec amplius, ut Almelovenius in fastis, Petrus Relandus, Pagius, & alii demonstrant, & ut quoque nos observamus, verè Consulatus II. Justini sen. consentit cum Tribunitiæ Potestatis VII. ab A. 518. quo iniit Imperium. En quam implexus est nodus, si Justinopolitanam inscriptionem admittere volumus, ut hucusque citati omnes admittunt. Ibi posteriores doctissimi Justinum I. citra hæsitationem intelligunt: & tamen Justino I. aptari non potest, quia Justinopolim ipse non dixit. Antiquiores è contra eandem Justino II. attribuunt, sed pugnant Consulatus, Tribunitia Potestas, aliaque absurda. Quid ergo? Facili negotio dissolvitur, & obvia quidem ratione, licet inobservata. Notissimum quippe est ex Jornande *de Reb. Get. c.* 57. & ex Anonymo Valesiano p. 664. ad calcem Marcellini Valesii, sicut, occupata ab Odoacre universa Italia, & à Zenone Constantinopolim accersito Theodorico Amalo Gothorum Rege, summisque honoribus cumulato, impetravit is adhuc Italiam, si ab hac Odoacrem pellere potuisset, quod factum tandem hujus deditione, & interitu. Quo jure Italiam obtinuit, Continuator Eutropii Paulus noster enarrat, cum de rebus Zenonis, & Theoderici loquitur *in Odoacre* p. 25. quæ desunt in Historia Miscella, etsi ex Paulo contexta. Ibi Theodoricus „ ad Augustum „ Zenonem confestim accedit, questus insuper, penu„ riamque suorum exponit, *Italiam sibi dari postulat*, „ *absolutionem efflagitat*: adjiciens, quod si superare „ Odoacrem possit, Italiamque obtinere, ad ejus redun„ daret gloriam, a quo directus fuisset, si bello supera„ tus foret, nihilominus luci accresceret, quandoqui„ dem quotidianorum stipendiorum exactoribus care„ ret. Talia Zeno audiens contristatus quidem est, eo „ quod eum nollet dimittere, (NB & non causa dimittendæ Italiæ) „ Attamen *deliberato consilio, Reipu„ blicæ utilitati prospiciens, ejus petitionibus annuit, „ Italiamque ei per pragmaticum tribuens, sacri etiam „ velaminis* dono confirmavit; Senatumque illi, Popu„ lumque Romanum commendans, abire permisit. En quam solemniter cum Imperiali rescripto, & omnium consensu, quam honorificè cum traditione veli Augustalis, quo Imperatores Majestatis ergo occulabantur, quam liberè sine censu, sine pactis dimissa Theodorico est Italia. Equidem Theodorico favit, profuitque sua pro parte Zeno, quandoquidem is, Italia jam perdita, hanc fœderato Regi Patricio, & Consuli, quam invasori maluit dimittere. Favor tamen, non beneficium, hoc est feudum, non fuit. Tale non fuisset, si Odoacer vicisset, eccur tale Theodorico victore? Hujus obsequia in Zenonem, & Anastasium, nummi cusi in illorum honorem, editique nuper à Joh. Georg. Eccardo Hannoviæ 1720. & si quæ alia, fuere grati animi, fœderis, & amicitiæ signa, non subjectionis. Et reapse denato Zenone A. 491. *Gothi sibi confirmaverunt Theodoricum Regem, non expectantes jussionem novi Principis* (Anastasii) ait Anonymus Valesianus p. 665. dissidiaque præcessisse inter ipsos indicat subsecuta pax, quam innuunt idem Anonymus p. 667. & Cassiodorus Ep. 1. At Rex iterum in Justinum minas intendit, armaque parat, Senatum despicit, Pontificem, Consulares occidit, quæ notissima. Quid hæc nisi plenum Regis dominium saltem œconomicum? Quod Zeno fecit cum Theodorico, post gessit cum Clodoveo Francorum Rege Anastasius, qui Consulem (honorarium) codicillis, balteo, chlamyde, ac diademate ei missis, *Augustum* adhuc edixit, ut apud Gregor. Turon. 2. 38. & Aimoinum 1. 22. quasi Occidentis Imperatorem, sed saltem *Franciæ Romanæ* (juxta posteriorem phrasim Liutprandi 1. 7.) jam à Gothis, aliisque Barbaris Imperio ademptæ, & à Clodoveo receptæ. Numquid ideo Clodoveus Anastasii beneficiarius? Neque semper tributa beneficii sunt argumenta. Hæc Alarico Honorius apud Zosimum *l.* 5. *cc.* 29. in fin. 36. 48. „ Attilas, vastata Italia ad sua se retrahit, & „ Romanorum Imperatoribus in Oriente bellum, & „ vastitatem denunciavit, propterea *quod tributum sibi „ à Theodosio constitutum non solvebatur*, „ ut in excerptis, quæ supersunt, deperdita Historia, ait Priscus Rhetor *Hist. Byzant. p.* 34. *t.* 1. Ibidem *part.* 4. *p.* 147. prodit Theophylactus Simocatta *l.* 6. *c.* 3. quod Abarum Rex *Chaganus item pacta tributa* (80. mill. aureorum, ut ex *l.* 1. *c.* 3.) *augeri à Cæsare* (Mauritio, aliis 20. mill.) *contendebat*. A. 593. Langobardis Græci pendebant ex Fredegario c. 69. A. 630. ubi cum Arioaldus perosus esset Tasonem Ducem Tusciæ rebellem, ut Isacius Exarchus eum occideret, tertiam partem tributi, quod erat trium centenariorum auri, remittit. Græci ne quoque beneficiarii Langobardorum? Redeat nunc Justinopolis. Si itaque dominus universæ Italiæ (& extra, ut ostendimus n. 8. & etiam Histriæ, ut ex Cassiodori *Ep.* 22. *l.* 12. *Provincialibus Istriæ*) fuit Theodoricus, imperante Justino I. quem Italiæ rebus se immiscuisse, nisi officiosè pro Romanis, non legimus, quid ad Justinum I. de Ægida? Ad Theodoricum spectasset eam reficere, & tunc non Justinopolis, sed Theodoricopolis fuisset vocata. Cur Justinus is *Francicus*, ut in inscriptione? Utique potius Theodoricus, scribente eodem Paulo *in Justino* p. 29. a. *His diebus extincto à Francis Alarico VVisigothorum Rege* (à Chlodoveo) *Theodoricus per Ippam suum Comitem plusquam* 30. *m. Francorum cædens &c.* Pervertit hic tamen tempora Paulus, quoniam Alaricus occisus est, Anastasio imperante A. 507. non sub Justino, ut colligitur ex Greg. Turon. 2. 37. & ex anticipatis *Epp.* 2. 3. *lib.* 3. Theodorici apud Cassiodorum. Igitur nec Justinus I. Ægidam reparavit, nec ad ipsum referri potest inscriptio Justinopolitana, quod non adverterunt laudati Viri docti. Ex adverso deletis Gothis, eorumque Regno in Italia, itemque Francis per Narsetam ejectis, & hoc modo reversa ad Justinianum Italia, potuit solus ejus successor, & Nepos Justinus II. Ægidam reficere, & à suo nomine Justinopolim appellare.

(76) Reliquas Austriæ, sive Venetiæ nunc Urbes, & loca de Regno superest, ut describamus. Quæ igitur ad occasum remanent inter Lacum Benacum, & Athesim (Ennemase, & Brentonico, Comitatui Veronæ attributis ut num. 71.) sunt GARDA in Lacus cognominis Orientali ripa (non Occidentali, ut scribit Bodrandus in *Benacum*) situs. Nomen utique Langobardicum, nam *Garda* etiam Anonymo Rav. p. 203. nec abludens à voce Francica *VVarda* quæ *Custodiam* significat, ut annotat Cl. Muratorius in Donizon. p. 378. num. 170. & reapse

Digitized by Google

Gardam Berengarius II. Adelaidem Lotharii Regis relictam, misit custodiendam, teste eodem Donizone de ea *l.1. v.52.* scribente quod

Propterea capta super arcem denique Garda
Misit eam . . . .

Censet Cluverius p. 107. esse *Lagare* Pauli 3. 9. ubi *Comes Langobardorum de Lagare, Ragilo nomine, Anagnis veniens, deprædatus est*. E contra Porcheronus in notis contra Cluverium *Gardam, & Legarem diversas esse Urbes* existimat. Neuter arridet. Dictio omnino in Paulo est manca. Equidem duplex dictio, sed locus idem. Sic ergo legendum *de Lacu Gardæ veniens*. ARDELICA planè antiqua, etsi neglecta à veteribus. Eidem penè dirutæ *Piscariæ* nomen cum arce munitissima indidere Scaligeri, ut scribit Albertus p.396. Piscariam tamen dictam medio ævo invenimus in Charta Carolimanni (Martelli F.) A.743. apud Ughell.t.5.c.699. edit.2. si tamen sincera obRegnum Italicum ibi notatum, sed iterum Piscaria infra in Charta Lotharii. Egregiè Piscariam describit Blondus *Hist. dec. 4. l.11. p.575.* Effluit ibi Mincius de Lacu. SIRMIO adhuc medio ævoAnonymo p.203. in peninsula Lacus Gardæ ad austrum. Uetus prædium Catulli, ut ex hujus *carmine* 32. sive Ep.28. Guarini, qui reprobat hic asserentes, esse ejus Patriam. Nunc Castrum, vetus servans nomen, ut in Magini tab. 20. & in aliis: *Sermio* scribitur in laudata Charta Carolimanni. RIPA in ora boreali Lacus dicitur *Curtis Regia, & in Comitatu Veronensi* in Charta Ottonis II. A. 983. apud Ughell. *l. l. col. 746.* VILLA ASIANA ad lævam Athesis ex laudatis Johannis VIII. Epp. 266. & 7. si *Alla* est Magini tab. 22. & ut in Lex. h. v. VERONA secatur ab Athesi, celebris semper, sed medio ævo celebrior, ob tragicos æquè, lætosque eventus. Ibi ab uxore Alboinus, ab amico Flamberto Berengarius I. occisi: profugus huc, ut in munitiorem Langobardorum Urbem, se Adelgisus recepit: Perjucundè ex adverso selecta pro nuptiis Theodelindæ, & Autharis: pro Regia à Pippino, & Berengario. Caput Marchæ Veronensis jam dicta ævo Ottoniano, & contributa Carentanorum, sive Carintiæ Duci, ut ex Charta Ottonis III. A. 988. qua ad preces *Henrici Karentani* confirmat Ecclesiæ S. Zenonis ejus bona, ut apud Ughell. *t.5. col.745.* edit.2. Sed hæc, pluraque alia obvia cuique satis. Non ita, Veronam si non medio eodem ævo certè saltem Ottone II. imperante fuisse dictam adhuc *Vernam*, & *Bernam*; quod & obscurum fatetur Cl. Muratorius, explicaturus in sua Præfatione (C. H. t. 6. p. 97.) quid *Laurentius Veronensis*, sive *Vernensis*, ibi metricè res Majoricenses &c. describens. Veronensis ergo, & *Vernensis* à *Verna* idem gentile, idque intelligitur ex Constitutione Lotharii I. *Si quis feudorum lib.1. tit.19.* perperam à Cujacio Lothario II. attributæ ut constanter asseverat Dionys. Gothofredus, Corporis juris recensor, & illustrator *l. l.* (an rectè, mox) ibi „ Sapientum Mediolani, Papiæ, seu Cremonæ, „ atque Mantuæ, *Veronæ, quæ vulgo Berna vocatur*. In Codice Gothofrediano additur *quæ Bernus* (*aliàs Hybernus*) Cætera in textu observentur, dum observamus & nos, Constitutionis hujus tenorem propriè neque esse Lotharii I. sed fortè Friderici II. certè tamen Compilatoris, qui tantùm provocat ad Constitutionem Lotharii habitam Romæ cum Eugenio II. Anno 824. non cum Eugenio III. juxta Cujacium, quam post Sigonium, Baronium, & Holstenium integram cum animadversionibus edidit etiam Pagius sub d. A. num. 3. Igitur Constitutio: *Si quis feudorum* juxta vulgatos codices, vel *Si quis ex militum*, ut in codice Gothofrediano, propriè non est Lotharii I. cum in ipsa, prout extat, mentio fiat *Sapientum Mediolani*, aliarumque Urbium, *Capitaneorum*, & *Valvasorum majorum*, sed etiam vocis *Feudum*, quæ vocabula, & munera nondum inducta sæculo IX. ut ideo Freherus, Seldenus, aliique docti apud Struvium *Hist. juris cap.* 8. §. 1. *p.678.* confictam fateantur Constitutionem Caroli Crassi *de Expeditione Romana*, quia ibi mentio fit *feudi* tempore, quo non feudum, sed Beneficium dicebatur. Sed de voce *feudi*, quid aliud observabimus num. 109. ubi de quadam charta Lotharii data in Castello Gandulfi Abbati Bobiensi, erit sermo. Cum ergo ea vocabula infimi fuerint ævi, nobis solum constat paulo ante millesimum vocem *Berna* pro Verona fuisse in usu, quoniam id nomen prima vice nos bis invenimus apud *Ditmarum* restitutum à Leibnitio *tom. 1. pagg.* 347. & 358. cum ab Ottone II. *indicitur in Berna Civitate Conventus*. Utique à Germanis derivasse cognoscimus ex Ortelio *Thesaur. Geograph. in Verona*, ubi inquit: *Germani Dietrichs Bern appellant . . . . . Rhætorum Urbs Plinio, quam hodie Bern dici autumo*. Supra Veronam CLUSÆ, de quibus satis num. 71. & de omnibus in genere num. 58. Infra Veronam ad austrum MANTUA: Anonymo p. 202. *Mantoa*, una ex illis, quæ etsi Alboino non cessit ex Paulo 2. 14. infra tamen 4. 29. Agilulfo, mœnibus ejus eversis, cedere exinde est coacta. Eidem semper idem nomen, non tamen à Mantone Tiresiæ Thebani filia, & Ocni matre, ut Interpretes *Æneid. lib.* 10. *à v.* 198. quotquot vidimus (nec fusissimo de la Cerda excepto) item Lexicographi, & Mantuani Scriptores nimis facilè credunt, minimè distinguentes Poetæ fabulam ab historia, & metaphora. Videant de Tiresia, & Mantone (quibus omnino invisa, semperque incognita Italia) quod scribunt Apollodorus *Biblioth. l. 3. pagg. 62. & 64.* Diodorus *l. 4. c. 6.* Strabo *l. 9. p.* 813. Pausanias *in Bæoticis p.* 438. aliique, ubi nec jota unum de illorum adventu in Italiam. Neque à *Mantia*, hoc est divinatione, qua Tusci pollebant, ut ex Epistola Leonardi Aretini apud Marium Equicolam *Hist. Mantuæ pag. 5.* quid enim vox Græca μαντία à verbo μαίνομαι insanio, à quo μάντις cum lingua Tusca? Igitur à Plutone, idest ab hujus Tusco nomine Mantuæ petendum est etymon. Præmittendum, jam ante Samuelem Bochartum *Geogr. Sac. 2. p. l. 4. c. 17.* ex priscis, probatisque Scriptoribus collegisse Paulum Merulam *Cosmogr. 2. p. l. 4. c.* 18. quædam Deorum nomina Græca, & Etrusca. Ibi inter cætera, qui *Dis Pater* Latinis, *Pluto* Græcis, *Manto* Tuscis dicebatur ex Servio. Hoc vix intellecto etymi statim Mantuæ ideam effinximus. Exinde nacti Danielem Classenium *Theolog. Gentilium l. 2. c. 5. §. 3.* (extat *Thesaur. antiq. Græcar. t. 7.* ineunte) gavisi sumus, ideamque præconceptam inter claras historiæ, distinctasque locavimus. Audiatur V. doctus. *Etrusci igitur Mantum nuncupabant* (Plutonem) *teste Servio* l. 10. Æneid. *Mantuam autem ideo nominatam, quod Etrusca lingua Mantum Ditem Patrem appellant, cui etiam cum cæteris Urbibus, & hanc consecravit*. Minimè ab his recedendo, potuisset Aretinus cogitatum suum quadam saltem specie tueri, dicendo cum Isidoro *Origin. l. 15. c. 1.* Mantuam à *Manibus* dictam, qui Dii inferi, & affinitate conjuncti famulantur Plutoni, qui & Orcus, ut apud Mythologos, Gutherium *de Jur. Manium l. 2. c.14.* & tot alios. Hæc pauca Mantuæ Scriptorum gratia, & Virgilii, quos hactenus vidimus, Interpretum, quibus nondum cognitum v. 202. *Gens illi triplex, populi sub gente quaterni*. Minus quis *Ocnus*. Si pauca verba sufficerent, Tuscos illos, Umbros, Euganeos, & Insubres: hunc omninò confictum fuisse, facillimè demonstraretur: quamquam hujus ortum, educationem, progressum, virtutes, bella, & facinora ita vivo tenus effingat Agnellus Maffejus *Annal. Mant. à p.* 37. quod Principis sui coævi a se visi imaginem rectius non potuisset exprimere. Ohe cerebrosa pictura! Non procul à Mantua ad ostium Mincii GUBERNULUM Castrum sanè antiquius charta Mathildis An. 1096. in Bullar. Cas. *tom. 2. Const.* 123. ubi; „ Ab Aquilone contra currente aqua eundo, usque „ ad illam viam, quæ *antiquitus* per Sacam ibat *Gu-* „ *bernulum*. „ Ad Padum HOSTILIA rectè & Anonymo p. 203. *Hostiliam vicum Veronensem* faciunt, & Tacitus *Hist. lib.* 3. *p.* 646. Lipsii, & Sigonius A.1198. & Rolandinus *lib.* 5. *cap.* 12. Mantuanorum conatus narrantes. A Pado ad Athesim ascendentes LINIACUM, sive *Leniacum*, ut pluries Chronographo Veronensi col. 637. (C. H. t. 8.) Alberto p. 459. b. & aliis, vulgo *Legnago*. Quomodo unquam Bodrandus in *Liniacum*, addit sive *Leonicum*, quod omnino diversum? De Leonico mox. Medio ævo floruisse testatur charta Vidonis apud Sigonium A. 891. qua Imperator, *cum esset Lignaci*, Leudoino Episcopo Mutinensi vetera novis cumulavit beneficiis. Athesi tantùm à Liniaco divisum est Oppidum *Portus* illi conjunctum, non recens tamen, nam ex Gerardi Maurisii *Histor. col.* 32. (C. H. t. 8.) Paduani, Vicentini, & Mantuani contra Eccelinum *expugnaverunt Portum, & Lignagum*. Trans Athesim COLONIA in Chronico Veronensi *l. l. Cologna*, ut nunc: titulus satis antiquitatem ostenderet, nisi quoque Catullus *Epigr.* 17. eandem testaretur illam alloquens:

O Colonia, quem cupis ponte lædere longo

ludere mavult Jos. Scaliger. Non pudet Ant. Parthenium fateri *Coloniam quondam locum* sibi incognitum. Cur non legit Guarinum conterraneum, & priorem interpretem? Intellexisset ab eo hæc verba: *mihi autem Colonia nomen proprium cujusdam Oppiduli, non longè ab agro Veronensi distantis, videtur, quod hodie, corrupto tamen vocabulo, vulgo Cologna appellatur. Et præsertim quia Verona illuc iter habentibus paludes latissimæ occurrunt, quæ in loco quodam coarctantur, ubi ponte Ligneo satis longo transitus patet, qui nunc pons Zerbanus vocatur*: quibus verbis sensus epigrammatis in exordio aperitur. Supra LEONICUM vulgò *Lunico*, & *Lonico* Alberto p. 470. & in tabulis. Neque duplex Leonicum, ut Bodrando videtur, qui non rectè contendit, à quibusdam *Liniacum* (Legnago) impropriè dici. Iterum ideo *Liniacum* ad dexteram Athesis: *Leonicum* ad lævam fluminis novi, quod scribitur

Digitized by Google

bitur etiam la *Gua*, ut in Magini geminis tabulis 22. & 23. Parcat V. doctus hic & alibi. De antiquitate loci docet inscriptio Leonici reperta ætate Hermolaj Barbari, ut ipse prodit in correctionibus Plinianis apud Albertum p. 472. qui eam mendosam exscribit. Emendatius damus exemplum ex Sert. Ursati Hist. Paduæ p. 30. *Sextus. Attilius. M. F. Serra*.nus *Proc. inter. Atestinos. & Veicentinos. ex. Senat. Cons. fines. terminosq. statuit*. Leonicum itaque limes utriusque agri. ATESTE, Anonymo p. 205. *Adestum*, de quo nihil nobis medii ævi Scriptores nostri suppeditant, minus adhuc Hier. Atestinus *in Chron. Estensi* etsi nugax: *à cap.* 14. ubi Rex Paduæ Janus vincit Attilam, salvat ad Eccelini tempora *seq. cap.* 15. ut ideo ex quo illud Attila evertit, jacuisse diu credamus: donec paulatim convalescens, Principibus Velphonibus nomen suum cum imperio contribuit, ut apud Sigonium A. 996. & Cl. Muratorium *Antiq. Estens. à p.* 282. & tot alios Geneologos. MONS SILICIS, qui si vim Alboini Regis evasit, ut ex Paulo 2. 14. non sic Agilulfi A. 601. ex eodem 4. 26. Unde hauserit Corius noster p. 188. edit. 1554. hoc Oppidum *Monte Divite* dictum fuisse, nescimus. Mons Silicis adhuc Anonymo p. 205. Ex antiquis nemo hujus meminit. PROSILIA memoratur ab Anonymo Rav. inter M. Silicis, & Adestum. Est cunctis ignota, *Pratalea* ne? Hæc juxta Lubinum *Not. Abb. p.* 308. b. *Urbs est sita in montibus Euganeis* 6. m. p. à Patavio in austrum. Et ibi ad radices horum collium celebre S Mariæ Cœnobium Benedictinorum, de quo Ursatus *Hist. Pad. p.* 251. & alibi, denominatum *de Pratalea*, conditum A. 1080. non 1123. ut ait Lubin. Reapse in Euganeis his collibus hujus Cœnobii bona, & feuda locantur, pro quibus Lanfrancus Abbas fidelitatem jurat Friderico II. ut ex Bullar. Cas. *tom.* 2. *Const.* 252. Videatur & Abb. Bacchinus Histor. S. Benedicti pag. 164. VINCENTIA, de cujus modo scribendi, quid ad nos. Sequimur Paulum 2. 14. ubi ab Alboino eam captam prodit. Ejus Civem Vectarim à Grimoaldo Rege Ducem Forojuliensem creatum meritò laudat 5. 23. Ducemque Perideum viriliter pugnantem in Venetos Exarcho adhuc subjectos, celebrat 6. 54. PATAVIUM ab armis Alboini primò quidem immune, sed non à flammis, sævisque cladibus Agilulfi, Felice III. Episcopo se Metamaucum recepto, ut apud Paulum 4. 24. Sigonium A. 601. & Ursatum *Hist. Pad. à p.* 151. cujus exordium de inclytæ Civitatis hujus origine, & progressu viro antiquitatum peritissimo minimè dignum putamus: cur, prolixior esset sermo, quam operosus. CUSTODIA supra ad dexteram, versa facie ad austrum, vulgò *Costozza*, de qua Blondus *Reg.* 9. *p.* 379. & Albertus p. 471. æquè testantur in Oppidi montoso suburbio fodinas esse, per quas longo tractu in subterranea penetratur, in quibus antiquo tempore criminum rei custodiri consueverunt, hinc Oppidum dictum Custodia. Antiquiores tamen fodinæ, ac caveæ, cum huc spectet lapis albus, de quo Plinius 36. 22. „ in Liguria quoque, & *Venetia* „ lapis albus dentata serra secatur „ teste Joh. Georgio Tressino Vincentino in Epistola, quam exscribit Albertus *l. l.* in qua fodinæ, natura lapidis, & ars describuntur. BASSANUM, quod in fœderibus, bellisque Marchæ Tarvisinæ potentiæ, & auctoritatis æqualem alteri cuicumque Civitati speciem ostendit, præsertim sub Eccelinis ibi Curiam, & palatium habentibus, ut fusè apud Scriptores rerum illius Marchæ, quæ indicantur in *V. Baxianum* (C. H. t. 8.) certissima sanè longè majoris antiquitatis argumenta; accedente antiqua S. Fortunati de Bassano Abbatia, de qua Lubin in *Notitia p.* 43. b. olim dicta SS. Felicis, & Fortunati de Aymonis, ut in Bullar. Cas. *tom.* 1. *Const.* 50. Sed Oppidum jam insigne fuisse sub Ottonibus, ex documentis certis docet Jacob. Cavacius *H. Cœnobii S. Justinæ p.* 82. edit. 2. his verbis de Eccelino Honario Tyranno: „ Genus illius haud vetus in„ ter Italos, nam Proavus item hujus nominis pro„ ditur cum Othone III. primus in Italiam descen„ disse, ab eodem donatus *insigni Castro Bassani*, *&* „ *Honariæ*, *quod familiæ nomen dedit*. „ Reliqua Gentis hujus prosequitur, de qua etiam supra laudatus Mauisius a col. 9. In ædibus Bassanorum Patavii (quæ vulgo creduntur T. Livii, ut apud Ursatum *Monum. Patav. p.* 49.) lapis extat *Bassanum* fingens opus Antenoris: qui, dum à Reinesio *Class.* 2. *num.* 35. refertur, nedum ævum semibarbarum redolet, ut annotat, sed & novissimum, quo Nob. Alexandri junioris antiquitatum collectoris (ut ait Ursatus *l. l.*) genio nugivendus quidam A. 1652. indulsit. En exemplum: *D. M. Bassanum à Bassa dictum. Ab Hanthenore Troyano constructum*. Videatur Reinesius. ACELUM Plinio 3. 19. non *M. Silicis*, ut Albertus p. 470. b. neque *Cenetia*, ut Moletius putarunt. Variè Paulus scribit: etenim in Historia 3. 27. inter Episcopos, quos ipse dicit à schismate defendentium III. Capitula alienos enumeratur *Agnellus de Acilio*, & in continuatione *ad Eutropium p.* 40. b. *Agellus de Acedo* juxta Ptolemæum 3. 1. sed mendosè, nam codd. correctiores habent Ἄκελον, quod *Asolo*. TARVISIUM, de quo antiquiores silent. Vix apud Plinium 3. 18. *Silis ex montibus Tarvisanis*, hinc mendosa lectio *Taurisanis*. Silentium supplere possunt bini lapides, in quorum uno *Mun. Tar.* in altero *Decurion.* Utrunque fragmentum inibi prostat. Abundè Scriptores medii ævi Gothor. Cassiodorus *epist.* 27. *lib.* 10. inter horrea Venetiæ memorat *Tarvisinum*. Procopius *B. Goth.* 3. 1. Belisarium *Tarbision* cepisse scribit. Eadem dialecto *Tarbision* habet Anonymus Rav. p. 203. Paulo nostro 2. 12. *Ecclesia Tarvisiana*: & Tarvisium 4. 3. & 47. Plavim ascendendo FELTRIA ab antiquis, & in inscriptionibus celebrata: diruta ab Alboino, & refecta à Duce ei ab eodem præposito, arce à borea condita, & imposita, ut prodit Georg. Pilonus in Italica *Hist. Beluni p.* 50. b. *Fontejus Feltrinus* inter Episcopos impugnantes dicta tria Capitula juxta Paulum utroque *l. l.* SUSONNIA, ita Anonymo p. 203. *Civitates Filtrio* (Feltria) *Susonnia*, Porcherono, cunctisque ignota: eccur non *Zusoi*, quæ abest à Feltria vix 13. m. pass. in cœciam, hoc est ortum æstivum, ut in tabula 27. Magini? Supra BELUNUM: in tabula Isleana notatur *Beruaforte Belunum*: non, si Berna, & Bernenses idem, dum Plinius 3. 19. *Belunum* & *Bernenses* (qui al. Berunenses) expressè distinguit. Nil hæsitando Harduinus in hunc locum dissimulat p. 175. n. 31. *Belunum*, & p. seq. n. 1. definit suo more Berunenses (Bervenses) *hodie Belluno*, paulo supra à Plinio jam scriptum. *Laurentius Belunensis* à schismate amotus, ut supra ex Paulo *l. l.* licèt hujus negotii de tribus capitulis (respicientibus damnationem *Theodori* Episcopi Mopsuestiæ prohibitionem librorum *Theodorici* contra S. Cyrilli XII. capitula: & rejectionem Epistolæ *Ibæ* ad Marim Persam) parum instructus, verè schismaticos Episcopos alienos à schismate Paulus d. *cap.* 27. (al. 26.) perperam scribat, ut fusè demonstrat Eminent. Norisius *Diss. de Synodo V. & Schismate Aquilejensi cap.* 9. §. 4. *à p.* 97. His tamen, cum ad institutum nostrum nihil omninò pertineant, posthabitis, loca dumtaxat ad Chorographiam spectantia juxta illius ævi nomina considerantes, quid ad nos Paulum in historia, in nominibus, in numero Episcoporum deficere? Id pro dictis, & mox dicendis præmittimus, & hic Plavim amnem trajicimus.

(77) Properè partem superiorem Celinæ fluminis adeuntes, hujus ad lævam en MARIANUM, quod diu nos torsit, & torquet. Secuti sumus Paulum Lindenbrogii c. 27. scribentem: „ post hæc facta est Synodus „ X. Episcoporum *in Mariano*, ubi receperunt Severum „ Patriarcham Aquilejensem, dantem libellum erroris „ sui, quia trium capitulorum damnatoribus commu„ nicarat Ravennæ. „ In *Mariano*, eademque verba repetit ad Eutropium, cujus continuatio à Miscella sejuncta, & omninò diversa edit. Paris. A. 1531. apud nos extat. Et *Marianum* habet Scriptor anonymus in Vitis Patriarcharum Aquilejensium inter Cl. Muratorii *Anecd. t.* 4. *p.* 238. & *Marianum* recenset inter Urbes Provinciæ Aquilejensis Ecclesiasticæ Paulus à S. C. *Geograph. Sac. p.* 64. annuente Holstenio hac nota (Paulus Diac. l. 3. c. 27. ad sinistram Zelinæ fl.) Et *Marianum* codices omnes adhibiti, & collati in editione Pauli (C. H. t. 1.) solùm in Modoccensi dicitur in *Mauriano*. Id sanè medii ævi nomen; antiquitùs *Cælina* Plinio 3. 19. *in hoc situ interiere . . . . . ex Venetis Atina*, *& Cælina* &c. quas cum aliis Harduinus dissimulat. Inscriptio sanè pulcherrima proditur ab H. Palladio *Rer. Forojul. p.* 49. dignaque, ut exscribatur: *C. Hostilius*, *& L. Egnatius Veitor XV. Legionis Tribuni pro S. P. Q. R. cum Barbaris dimicantes pariter occisi heic pariter jacent. Singulare posteris exemplum & charitatis*, *& fortitudinis CELINENSES XXL. dies atrati luxerunt*. Quid modò, & ubi Celina? Respondent Lexicographi „ in ejus ruinis „ inest vicus *Maniacus* (popularibus *Maniago*) prope „ Oppidulum *M. Regalis* ad fluvium *Celinæ* etiam di„ ctum, 8. milliaribus ab *Aviano* in septemtrionem: „ ita & in Magini tab. 29. & ita in veteri Isleana. Cuncta sunt rata Palladio laudato p. 11. *Maniacum*, inquit, *Celina Plinii*, *cujus memoriam saxa ibi effossa diutius retinuere*. *Infra Maniacum M. Regalis* &c. Igitur Mariani olim Celinæ, nunc Maniaci Conciliabulum Schismaticorum coactum. At varia lectione ductus doctissimus Cardinalis laudatus contra Paulum asseverat p. 103. sub finem quod *indicta fuit Synodus Marani*, *quod munitissimum modo Venetorum Oppidum est stagnis Adriatici maris ferè circumdatum in Forojuliensi litore ad Celinam amnem situm*. Hic jota unum bellum nobis indicit, sed adducta nos assentiri non sinunt. Utique Maranum ad mare 11. m. pass. ab Aquileja in occasum brumalem, & ideo in

Iti-

Digitized by Google

Itinerario Burdegalensi p. 142. edit. Schotti scribitur *ad undecimum*. Verum nec ibi, neque in Magini tabula, neque in aliis hucusque defertur amnis Celina, quæ occidentalior cis Romatinum, & Liquentiam, ubi Maranum orientalius, & trans utrunque hunc amnem; quin imo, si tabulæ nos non fallunt, *Celina* in *Medunam*, Meduna in *Liquentiam*, Liquentia in mare illabuntur. Annuit Cellarius p. 700. *Celina ad amnem cognominem, qui Liquentiam defertur*. Duos inter rivulos tantùm *Musonellam* ab occasu, & *Nujarum* ad ortum in stagnum influventes situm Maranum conspicimus. Nobis quidem obstare videtur, quod in subscriptionibus Episcoporum in præcedenti Synodo sub Elia A. 579. adest *Clarissimus Episcopus Ecclesiæ Celicanæ*, idest *Celinanæ*, ut legendum esse rectè contendit Emin. Vir p. 99. & hic exinde observamus deesse subscripitionem Episcopi Marianensis: Nullum ergo Marianum, vel non loco Celinæ suffectum. At si nullum Marianum, quomodo inter Suffraganeos Patriarchæ Aquilejensis, ut supra ex Geographia sacra? Imò deficiente Marianensi Episcopo sequitur, hunc eundem fuisse ac Celinanum, cum Urbs sæculo VI. Celina, & VIII. quo Paulus scribebat, vulgò Marianum appellaretur. Addito jota in *Marano* codex Em. Norisii emendatur. Infra Marianum PORTUS NAONIS, cui amnis *Naon* dat nomen, juxta Palladium p. 21. popularibus, Chorographis Italiæ recentibus, & Alberto p. 433. b. qui locum describit, dicitur *Pordonono*. Inter donationes factas Patriarchis Aquilejensibus ab Impp. Carolo M. Ludovico, Lothario *&c.* quas innuunt pluries Anonymus in *Vitis Patriarch. Aquilejens.* laudatis, Candidus *de rebus Aquilejen. lib.* 4. ineunte, & Ughell. t. 5. in princip. sed mutilatas, Portus Naonis recensebitur ob loci hujus tot vicissitudines. Etenim Patriarchis ademptus per Duces Carinthiæ transiit jure emptionis, vel hæreditatis ad Ottocarum III. & Præmislaum ejus filium Boemiæ Reges, mox ad Austriacos Imperatores, ut ideo & nunc se Dominos Portus Naonis appellent: exinde post varios casus ad Venetos, quæ omnia in epitome ex probatis Scriptoribus produntur ab Hofmanno Lex. t. 3. *in Ottocaro III.* & in *Portus Naonis*, hocque sub nomine Bodrandus, ex Nob. Baptista Nanio. Infra & ad africum CASTRUM CENETENSE, cujus meminit Paulus 2. 13. Venantii describendi occasione sibi facta, ita ingrediens: *Fortunatus natus quidem in loco, qui Duplavilis dicitur, fuit, qui locus haud longe à Cenitense Castro, vel Tarvisana distat Civitate* &c. Anonymo p. 203. ut & nunc *Ceneda*, antiquioribus *Ceneta*, & aliquibus *Acedum* ut apud Ortelium & in Lexicis. CONELLIANUM vetus ne locus? Utique si hic *Cogienses* Plinii 3. 19. ut legit Albertus p. 483. b. cum doctis Cinthio Cenetensi, & Flaminio Imolensi laudatis; at alii codices habent *Togienses* prorsus ignotos: ita & Harduinus legit, sed jejunus pergit, evadit, ut in tot aliis locis: Conegiano, & *Conegliano* in Magini tab. 26. OPITERGIUM constanter supremi, & medii ævi Scriptoribus, Anonymo p. 203. & Paulo 4. 40. Nondum A. 616. eo capto à Langobardis, Gregorius Patricius Romanorum (non Exarchus, ut num. 80. patebit) Tasonem, & Caconem juvenes fratres Fori Julii Duces sub honoris specie huc allectos *dolosa fraude peremit*. Serò in vindictam Rhotaris *Opitergium expugnavit, & diruit* ex eodem Paulo 4. 47. non tamen omninò inclementer, quoniam expost Grimoaldus ea de causa Romanos perosus sævissimè *Opitergium, ubi ipsi extincti sunt, funditùs, destruxit, eorumque, qui ibi aderant, fines Forojulianis, Tarvisinisque, & Cenetensibus divisit* ex eodem 5. 27. Condiderunt Heracleam superstites, ut infra: ejus ruinæ *Oderzo* dicuntur.

(78) Ambitu terrestri absoluto, maritimum nunc consecuti, si non ordo geographicus, dignitas planè postulat, ut inclyta ab Urbe Venetiarum periplum instituamus: exinde antiquiora loca lustrando, migrationes ab illis ad alia breviter explicemus. VENETIÆ igitur necessitatis, artisque prodigium in æstuariis suspiciuntur. Provinciales Alarico æquales, vel suppares, ejus gestis auditis in opposita Græcia, in Italia, Romæ, alibique, imminentibus proximis jam armis Attilæ Aquilejam A. 452. obsidentis, consulere sibi coacti, Urbis fundamenta jecere, & sanè non ante, puta A. 421. hucque revocentur prædicta num. 26. præsertim de putrido *Chronico Bonintendii* Scribæ Patavini, cujus fabulas tot exscripsere, & adhuc exscribunt non pauci, quando jam à duobus hinc sæculis Sabellicus *Rer. Venet. dec.* 1. *l.* 1. *col.* 1087. ibi de primis Urbis fundamentis A. 421. jactis, pertractans testatur, quod *reclamant alii in hanc opinionem tanquam ineptam, audentque affirmare, sub ipso Aquilejæ, ac reliquæ Venetiæ excidium Urbem ipsam primò fundari cœpisse*. Justè reclamant, non temerè *audent*, verbum quod male sonat? Cur Prosper id non dixit in Chronico sub A. 421. quod sub 453. adjecit Palmerius? Ante ipsum Albertus Stadensis de Venetiis agens sub A. 1175. prodidit: *Rex Atila Aquilejam obsidens, inhabitatores ejus fugavit, qui ad locum, ubi nunc est Venetia* (& Gradus) *venientes, ibidem Insulam congesserunt* (ineptiam subdit) *& eam à venalitate, vel venatione Venetiam vocarunt*: quibus in verbis notabile illud *Insulam congesserunt*, dum mox supra clarius dixerat: „ est autem Venetia Civitas in mari Adriatico Insu„ la quædam *non natura, sed arte facta*; „ ut ideo Examinator *libertatis Venetæ* p. 5. versionis Gallicæ Insulam hanc præextitisse ex Strabone (p. m. 425.) mirandæ molis æstimationem minuere, & alienum fundum perperam fuisse contendat. At ipsi Strabo minimè favet, nam si rectè observentur tabulæ Geographicæ veteres Ptolemæi, aliorum, & novæ quot Insulæ ad fauces fluminum Padi, Athesis, gemini Medoaci *&c.* extant 40. saltem, licèt quamplures anonymæ saltem in tabulis: & antequam mare flumina ingrediantur quot valles, paludes, & aggeres, præsertim ubi Clodia fossa, eccur non hæc Strabonis tempore culta? Item infra Venetias tot aliæ Insulæ Forojuliensi Regioni adjacentes ad Ostia Tilaventi, & Sontii *&c.* circa, & supra Gradum, ut in Magini tab. 29. non arte factæ ut Venetiæ, omnes cultæ ab antiquissimo tempore, de his Strabo, quas centum & ampliùs in quadam tabula topographica Venetiarum esse cognoscimus. Licet tamen Venetiæ sub Attilæ tempus ædificari cœperint, ut (rejectis fabulis Chronici Patavini, & Consulum) affirmant melioris notæ Scriptores inter Venetos quidem sæculo XV. ineunte Cardinalis Gaspar Contarenus *de Magistratib. & Rep. Venet. lib.* 1. *p.* 3. *b.* ex exteris Benedict. Jovius *Hist. Novocom. p.* 5. Steph. Forcatulus Gallus *de Gallor. Imper. l.* 3. *p.* 424. Michael Ritius *de Regib. Ungar. l.* 1, *p.* 68. Blondus *dec.* 1. *l.* 3. *pagg.* 31. 41. & 42. Naucler. *Chron. Generat.* 16. p. 677. centumque alii, serò tamen Venetiarum nomen in majori numero Insulis *Rivi alti*, & *Olivolæ*, sive *Castelli*, factum ex publica Magistratuum suorum auctoritate prodit Sigonius sub A. 810. bello Pippiniano absoluto: tunc enim solùm Metamauco Rivum altum Magistratum sedes fuit translata: ut ideo quamplurima Provinciæ Venetiæ, & Provincialibus convenientia Examinator *libertatis Venetæ* de Rivo alto, & Olivola perperam interpretari conetur. Verum si res ita se habet, quomodo nondum post Ducum diplomata A. 819. Abbati S. Servuli (apud Ughell. *t.* 5. *col* 1265. ex Danduli Ducis Chronico) & A. 982. Joh. Abbati Mauroceno Sancti Georgii (ibid. *col.* 1272. edit. 1.) non Venetiis, sed *Rivo alto* sunt data. Rectè ideò scripsit Blondus *de Gest. Venet. p.* 275. „ Veneti publico Insularum Consilio „ sedem ad Methamaucum translatam, & in Rivo„ alto manere, & quod *Rivusaltus esset Civitatis no„ men constituerunt*. „ Satis pro re nostra de Regiæ Urbis origine, & nomine. GRADUS quoque antiquitate, ac dignitate præire debet: etenim Aquileja capta, & eversa, cives huc se deduxere. Sub adventum similiter Langobardorum *Paulus Patriarcha* (Paulinus al.) *timore dictorum Longobardorum ductus cum thesauro, & reliquiis Ecclesiæ ad Gradensem Insulam se contulit, quam novam Aquilejam appellavit*, ex ejus Vita *Anecd. t.* 4. *p.* 237. Ei donato successit Probinus, huic Elias, qui A. 579. annuente Pelagio II. *Gradum* Ecclesiasticam Venetiæ Metropolim dixit in Synodo apud Ursatum *Hist. Paduæ* p. 148. & Emin. Norisium *de Synodo V.* p. 99. Eliam excepit Severus, post quem Aquilejensis Clerus Johannem, Gradensis Candianum, Bonifacio III. approbante, elegerunt A. 606. Ex eo tempore cœperunt esse duo Patriarchæ, ut apud Paulum 4. 34. & ad *Eutropium in Phoca* p. 41. item *in Vitis Patriarch.* p. 238. Aquilejensi Reges, & Duces Langobardi, Gradensi Veneta Respublica favebant, & huic Insularum, ac Histriæ Episcopi parebant, illi verò Venetiæ terrestris. Rem hanc illustrat Sigonius sub A. superiori 605. quo tamen non Bonifacius, sed Sabinianus erat Pontifex. Fusius sub eodem A. Baronius à num. 2. non rectè num. 10. huic anno 605. illius mortem consignans. Ob prædicta nova Aquileja fuit Urbs Gradensis vocata; & Metropolis totius Venetiæ A. 967. exinde decrevit ex quo Venetias Patriarcha translatus A. 1451. Castelli, sive Olivolæ Episcopo adæque suppresso. Quantum à continenti Gradus distaret antiquitus cognosci potest ex Paulo 5. 17. HERACLEA quoque dignitate prominuit, nam per Rotharim circa A. 638. everso *Opitergio*, ut diximus, in honorem Heraclii Imperatoris illius cives condidere Heracleam, testibus Blondo *Region.* 8. *p.* 370. Sabellio *de situ Urb. Venet. l.* 3. *col.* 278. &c. Sed dignior, & honoratior, ex quo sedes effecta supremi Magistratus *Tribunorum*, ut in origine (non *Consulum*, ut tot ex Chronico Patavino scripsere, in quos meritò excandescit Nic. Crassus in notis ad Janottium, & Cardinalem Contarenum) exinde Ducum, nam Dux I. ibi creatus Paulus Lucius Anafestus Heracleanus A. 697. ut probabilius censetur. Floruit usque ad A. 737. quo, in civili tumultu inter Heracleenses, & Equilienses exor-

Digitized by Google

exorto, Ursus Dux III. occubuit: relicta ideo à Tribunis; tunc Metamaucum petentibus; neque in posterum Dux, sed hujus loco Militum magister creatus usque ad A. 742. Miseriùs adhuc circa A. 805. cum Johannes Patriarcha Gradensis (Johanne Duce VIII. mandante, ejusque filio, & collega Mauritio exequente) è turre fuit præcipitatus, tunc Obelerius Dux IX. & Patriarchæ nepos insontem Urbem illorum patriam delevit, Civibus patriciis Metamaucum, alibique migrantibus. Post bellum Pippinianum sub Angelo Particiaco Duce X. fuit refecta, sed angustior, dictaque *Civitas nova*: ab Ungaris tandem sequenti sæculo excisa, adhuc jacet. EQUILIUM Heracleæ coævum condiderunt Opitergini præsertim agrestes, quos recipere Heraclea non potuit ex Blondo *Reg.* 8. *p.* 370. & Sigonio A. 638. Auctum nova clade Grimoaldi, desertum adveniente Pippino, & destructum ab Ungaris, sed exinde refectum ex Alberto à p. 482. b. METAMAUCUM itaque (*Portus Medoacus* Straboni l. 5. p. 427.) ob Heracleæ, & Equilii diffidia, quorum causa Dux Ursus perierat, ut supra, Reipublicæ Tribuni migrarunt, & steterunt usque ad A. 810. *Rivumaltum* tunc retrocedere Pippini classe coacti. Sed hic meta Pippinianæ victoriæ, versæ demum in luctum, dum classis progredi pertentavit, quod fatentur cum Constantino Porphyrogenito *de Administ. Imper. cap.* 28. tot Scriptores nec Veneti, nec Venetorum fautores, etsi à primo exemplo Eginharti, Francicæ gloriæ percupidi, aliter suppares Annalistæ tanquam Librarii illum transcribendo, prodiderint. Sanè hac in re non despiciendi Blondus *de Gest. Venet. p.* 275. & Sigonius A. 810. quibus usus Raph. à Turre in *Examine Examinis*, & fortè quoque Theodor. Gransvinchelius invisus, nec Pagius sub eodem A. à n. 4. despexit. Et hic obiter observandum, orasse pro domo sua Porphyrogenitum *l. l.* cum Venetos Pippino compellanti *subditi mei estis* respondisse scribit *Romanorum Imperatori subesse volumus, non tibi*. Ad summum fervente pugna estatici vel furentes protulerint *malumus*, ab ipso Imperatore Nicephoro auxilia expectantes, fatente eodem Pagio n. 6. post Joh. Cuspinianum, & Jac. de Strada *in Nicephoro* quod *erat Venetia Provincia liberi juris*, etsi, ut Gallus, subjiciat, *eum subacta est à Pippino Italiæ Rege*: hoc est Venetia maritima, nam mediterranea Francorum juris jam erat. Utique ratio politica Venetos medii ævi Græco potius Imperatori adhærere, quam Italiæ Regi docebat: sic res eorum maritimæ, commercia, eventus, sanæque aliæ inspectiones petebant, ut ideo à Græcis formas Magistratuum, militares titulos, mutuarentur, & mores: qua prudentia præditi proximos Langobardos nunquam extimuerunt, quinimo oblata occasione ipsis viriliter obstiterе. Argumento sunt eorum gesta, & in divisione Patriarchatus, ut supra, & in defensione Pauli Exarchi Heracleæ recepti, capta Ravenna cum reliquis à Liutprando, ut ex literis Gregorii II. ad Ducem Ursum apud Sigonium A. 725. Ex quibus liquet, adhuc duobus sæculis Langobardicis & iterùm libertatem suam Venetos legitimè præscripsisse, ampliusque firmasse. Quid unquam Alphonsus de Queva, quid Ludovicus Elian in Gallica oratione habita Augustæ in Comitiis A. 1510. pro Græcis, pro Langobardis in Venetos atro adeò viro evomere potuerunt? Nihil. Si ergo Carolus M. deletis Langobardis nihil Græcis reddere debuit, cur ipsis reddere Venetos *Nicephoro Venetiam reddidit*? Nugæ. Videmus apud Ughellum *t.* 5. *col.* 1265. laudatum diploma Abbati S. Servuli A. 819. cujus initialis inscriptio: *Nos quidem Angelus, & Justinianus per Divinam gratiam Venetæ Provinciæ Duces &c.* stylo, formulis, clausulis liberi Principis conceptum, non minus ac Imperatoris, vel Regis, eccur non ibi mentio Leonis tunc Imperatoris Græcorum, vel Ludovici Pii? A Regno Italico omninò sejungitur Ducatus Venetus per chartam pactorum inter Ottonem II. & Ducem Venetum, ut in Append. *ad Plenam expositionem jur. Imp. & Estens.* p. 359. b. & potentissimus Basilius II. qui potuit Apuliam, & Calabriam recipere, silet, nec pro juribus suis reclamat? Johannes Igneus *Gallus* (Pancirolo *de Cl. ll. Interpret. ignotus*) ex Professore Aurelianensi, & Ticinensi, hic regnante Ludovico XII. Senatus Rhotomagensis V-Præses *in* §. *non alias l. necessarios ff. de S. C. Silanianum num.* 685. quærit, an Veneti adversus Impetium potuerint præscribere, textibus, & DD. præsertim Baldo, & Jasone annuentibus, affirmat. Videatur. Huc nos extulit verbum casu è calamo excisum: *Metamaucum meta Pippinianæ victoriæ*. Ab instituto discessimus, ignoscatur. OLIVOLA sub Attilæ tempus à Patavinis cœpit primò habitari, ut produnt Scriptores Veneti apud Urlatum *Hist. Pad. p.* 127. sed amplius Patavio prorsus per Agilulfum deleto *Patavini secunda transmigratione in stagna Venetiarum confugientes Rivum altum impleverunt, & Olivolense Castrum, ubi nunc Castellanum est Episcopium, condidere*: verba sunt Blondi *Region.* 8. *p.* 369. Insulas, quæ alicujus momenti videntur, & Olivolæ adjacent, vetere dimisso nomine, memorat Sigonius A. 774. exeunte hoc pacto: „ Veneti, qui æstuaria tenebant, cum uni adhuc tantùm Episcopo Metamaucensi paruissent, novum Episcopum in Insula, quæ *Olivola*, aut *Castellum* dicebatur, Hadriani Pontificis auctoritate instituere, atque ei proximas Insulas *Geminum*, *Rivo-altum*, *Luprum*, *& Dorsum durum* subdidere. „ ALTINUM Silis amnis ad ostium Attila evertit, cujus ruinæ vetustum retinent nomen. TORCELLUM Altinates se recepere, at, ut videtur, non omnes; nam solùm quando sub Annum 638. Rotharis Opitergium evertit, Paulus Altinas Episcopus, veteri sede relicta, huc accessit, ex qua tarda migratione conjicitur, Attilam non omnino Altinum delesse, vel aliquantum fuisse refectum. Torcellum interim adeo creverat, quippe quod „ Altinates, sicut Urbem suam „ in sex portas divisam habebant: *sex quoque in stagnorum Insulis Oppida* condiderunt *Torcellum*, *Majorbum*, *Burianum*, *Amoriacum*, *Constantiacum*, & *Aimanum* „ ut prodit Blondus *l. l.* quorum nonnulla nomina adhuc permanent, ut *Majorbi*, & *Burani* in Magini tabula 26. hinc dignè potuit Torcellum Episcopi sedes transferri Severino PP. & Primigenio Gradensi Patriarcha annuentibus ex Sigonio A. 638. Dum Blondus *l. l. p.* 370. de *Constantiaco* narrat, quod A. 650. (literaliter) *Constantius Imperator Eraclii filius Torcellum veniens, ut Romam accederet, vicum, qui est in Torcello primarius Constantiacum de suo nomine voluit appellari*, corrigatur: etenim Constantinus III. is est, utique cum Patre Imperator ab A. 613. qui tamen non vidit A. 650. utroque defuncto eodem A. 641. Heraclio 11. Februarii, Constantino 25. Maji. CONCORDIA, cujus Cives Aquilejæ obsidione durante jam Patriæ prævidebant excidium. CAPRULÆ locus refugii illis fuit, ibique & Aquilejæ halosim, & Concordiam suam mox audierunt eversam ex Blondo *l. l. p.* 369. Mira & Præsulum Concordiensium constantia, qui rudera per sesquisæculum tenuere: Johannes enim Episcopus solum A. 605. Langobardorum metu ea reliquit, Caprulasque (nunc *Caorle*) migravit ex Sigonio h. A. CLODIÆ PORTUS: Plinio 3. 16. *Edronis*, dum inquit, quod etiam efficiunt Portum *Edronem Medoaci duo*, *ac fossa Clodia*, hoc est Medoacus *major*, qui *Brinta vetus* (est enim & Brinta nova) & Medoacus *minor*, qui dicitur *Bachillio*, confluente quoque antiqua *fossa Clodia*, ut explicat doctus Hermolaus Barbarus apud Albertum p. 474. b. & ideo Straboni *l.* 5. *p.* 427. dicitur *Portus Medoacus*: & in tabula Theodosiana *Segm.* 3. scribitur *Ebronis portus*, nunc *Portus Clugiæ*, Chioza. Si Harduinus in Plinium *l.* 3. *p.* 173. *n.* 30. dignatus esset consulere Chorographos Italos, præsertim conterraneos, ut Magini Patavini tabb. 23. & 24. Ursati Patavini antiquam tabulam Agri Patavini præfixam Historiæ suæ Patriæ, & ibi à p. 107. cum aliis, & alibi, Albertum p. 474. b. quos non despexere Lexicographi, & Ortelius *in Medoacus*, non esset interpretatus *τὸ Medoaci duo Brenta*, *& Brentella*: novisset enim ex omnibus, Medoacos esse Brintam, & Bachillionem, non *Brintellam*, quæ flumen naturale non est, sed incile, sive fossa manu facta, 7. circiter milliarium, recta in Bachillionem deferens aquam ex Brinta, de cujus nomine mox. Quoniam autem de fluminibus in sermonem incidimus, Chorographiam Austriæ, sive Venetiæ, pauca addendo de cæteris, conficiemus. Hæc alia sunt, quæ vetus semper nomen servarunt, ut *Mincius*, *Ollius*, *Athesis*, *Silis*, *Liquentia*, *Tilaventum*, *Sontius &c.* parùm variata dialecto, ut in *Retron* Anonymi p. 225. qui *Eratenus* Lexicographis, incolis *Rerone*: & *Timavus*, in quo decipitur Blondus *Region.* 9. *p.* 379. & 80. existimans, Brintam, & Timavum idem esse flumen. Sed ejus rationibus satis occurrit Albertus à p. 473. b. nimiamque Poetarum licentiam, dum *Antenoreum*, hoc est Patavinum, *Timavum* dicunt, meritò notat Cellarius p. 635. Alia sunt flumina, quibus novum, & barbarum inditum nomen, ut *Plavis* veteri Anasso juxta Lexicographos: *Limini* antiquo Romatino, *Risani* limitaneo Formiani &c. Barbara hæc utique nomina, & ideo plerumque medio tempore inducta, non infimo, ut plures credunt, quorum gratia potius veterrima, quam barbara nomina interdum scripsimus. Verum falluntur, cum ex. gr. *Risanus* nomen sit medii ævi, Anonymo Rav. p 225. scribente *Rusano*: ubi etiam *Brinta*, quo nomine adhuc citius utitur sæculo VI. Venantius Fortunatus *in Vita S. Martini lib.* 4. laudatus etiam a Lexicographis in *Medoacus*, & in *Brinta*. Quinimo de Antenore loquens Messalla Corvinus in libello *de Progenie Augusti* post initium, scribit quod ille „ *relicto* æquore adverso flumine, *quod Brentesia dicitur* sursum contendens, terra potitus, sedem sibi, suisque elegit. „ At præter alia, *Brentesiæ* adhuc vox exploratrix est, hunc libellum esse suppositicium, mediique ævi fœtum, ut Vossius de *HH. LL. l.* 1. *c.* 18. cum Barthio rectè autumat, non veri Messallæ synchroni, & laudatoris Augusti,

Digitized by Google

gusti, de quo tot præconia antiquorum collecta per Martinum HanKium de *Roman. Rer. Scripp. part.* 1. *cap.* 7. Hinc sanè non alia ratione adeo obscura nominum adhuc usitatorum sunt etyma, nisi quia medii ævi barbaries tenebras illis offudit. Exemplo sit eadem Brinta, cujus nominis originem quærit Ursatus à p. 107. verum quot sententiæ Ongarelli, Scaligeri, Pignorii, & Portenarii, tot ingeniosa commenta, ut consideranti patebit.

SECTIO XVI.

(79) Ab Exarchi nomine appellativo *Exarchatus* dictus: Præfecti Italiæ prius Patricii tantùm: Præfecti Prætorio Italiæ medio ævo servati: Exacta Exarchorum chronotaxis desideratur. (80) Exarchatus ortus, & interitus: Exarchorum numerus suppletus: Hos inter *Opilio* recte ne à Viro doctiss. locatus? non omnes Exarchi Patricii, nec è contra: *Gregorius* Agnelli alter à *Gregorio Pauli* Diaconi. (81) Exarchatus latè, & strictè sumptus: fines præsertim ab occasu, & ab ortu statuti: De *Romaniæ* nomine illi facto opiniones oppositæ. (82) Illius Urbes: Quid *Exarchus* in lapide Mediolani illustrato: *Bobium* in Exarchatu: *Ferraria* origo, & mutationes: non Forum Alieni: Errores circa *Gabellum*. (83) Loca obscura ad dexteram Æmiliæ in Exarchatu explicata: Eadem ad sinistram: *Oecubaria*, *Vicobabentia*, *Argenta*, *Adrianopolis* &c.

(79) DE Exarchatu, quia Venetiæ à meridie est conjunctus, & totus cis Apenninum, nunc sermonem habere & ordo, & ratio æque postulant. Ejus nomen Imperatoris Græci ditionem in Italia, cui præficiebatur Magistratus, ab eo dictus Exarchus, significat. Exarchi nomen compositum ab ἐξ & ἄρχος: *ex* tamen hìc haud denotat privationem, ut sæpe apud Latinos, sed propriè, & ad rem positum nobis videtur pro ἔξω, hoc est, ἄρχος Princeps *extra* missus, ut apud Lexicographos Græcos in ἐξ & ἐξω. Ita vocabatur Rector & Africæ, ut ex S. Gregorii *Epp.* 59. *&* 72. *lib.* 1. & alibi datis Gennadio Patricio, & Exarcho Africæ. Item Comes Thematis Obsequii in Asia apud Porphyrogenitum *Tb.*4.*l.*1. ex formula Epistolæ, seu superscriptionis *ad Comitem Imperialis Obsequii*, ut ex Diurno Romano *c.*1. *n.*4. refert Dufrenius Gloss. in *Comes Obsequii* ex quibus liquet nomen *Exarchus* esse appellativum: & sanè in Africa idem significabat ac Præfectum Prætorio juxta Cod. Justinian. *De Off. P.P. Africæ*. Sic itaque primò *Longinus Patricius successor ei* (Narseti) *à Justino datus inauditum Italis Exarchi nomen sumpsit*, ut scribit Papirius Massonus *l.*1. *Annal.* in Clothario II. p. 54. & rectè, nullibi namque legimus ante Longinum Italiæ Rectori, sive Magistratui titulum Exarchi attributum. Utique à declinante Imperio ad Longinum ipsos Imperatores *Patricium* appellasse Rectorem a se missum, quinimo & Reges Italiæ potitos advertimus. Occurrit primo Odoacer, pro quo Augustulus Orestis filius (& in quo Occidentale Imperium occidit) orat Zenonem Imperatorem, ut prodit Malchus Rhetor coævus p. 93. (*Hist. Byzant. t.* 1.) testans, quod Odoacer „ ille & scientia Reipublicæ „ administrandæ, & rei militaris peritia præstat. Itaque orare, *ut illum Zeno Patriciatus dignitate ornet*, „ & Italicam Diœcesim regendam committat. Profecti „ sunt igitur ex Senatu veteris Romæ Viri, qui hos sermones Byzantium deferrent. „ Respondit Zeno id „ *rectè, & justè facturum, si à* Nepote Imperatore Odoacer *Patriciatus dignitatem* susciperet. Eam illi missurum, nisi Nepos prævenerit. Hortari simul atque „ eam adeptus fuerit, ut cultum Romanis convenientem assumat, & usurpet. Se quoque confidere fore, „ ut Imperatorem, qui illum hoc honore affecerit, si „ quidem justa facere voluerit, observet, & colat. Sed „ tamen in Literis Regiis, quibus Odoacro eam dignitatem mittere renuit, *eum Patricium* nominavit. „ NB, Odoacrum *Patricium* Italiæ dictum ab Imperatore Julio Nepote, & à Zenone, cum nondum Regnum Italiæ arripuerit, & quietè quasi obtinuerit, sublatis ab Imperio Nepote, & Augustulo, nec non Oreste Ticini capto, & occiso A. 475. Etenim Nepos Orestì Præfecturam exercitus demandaverat, & Patricium dixerat, Paulus enim ad Eutropium in *Augustulo* p. 23. b. prodit quod, *cum Rege Vvandalorum Genserico fœdus initum est ab Oreste Patricio*. Sic nomine Occidentalis Imperii per Odoacrum, & Theodericum extincto, belloque Gothico à Justiniano excitato, ac demum Italia recepta, Belisarius, & Narses ab eo missi, non Exarchi, sed Patricii tantum dicuntur in Justiniani Epistola data *Narseti Patricio in Italia*, in qua mentio fit *etiam Belisarii Patricii*. Extat apud Cujacium, qui illam primo vulgavit *Observ. l.* 10. *cap.* 12. eandemque transcripsit Gutherus *de Offic. Dom. Augustæ l.* 2. *cap.* 19. ubi plura de Patriciis, ipsorumque discrimine. Neque per Patriciorum horum missionem abrogatus unquam fuit Præfecti Prætorio Italiæ, ejusque Vicarii Magistratus Romæ & Mediolani, qui adhuc perseveravit sub Regno Gothorum. Etenim *Liberium Præfectum Prætorii, quem fecerat* (Theodericus) *in initio Regni sui fecit Patricium, & dedit ei successorem in administratione Præfecturæ*, ut scribit Anonymus Valesianus in excerptis p. 667. Quod & comprobatur ex formulis Cassiodori *lib.* 6 qui & ipse fuit eadem dignitate insignitus. Missis adhuc Exarchis Langobardorum ævo (qui fermè omnes Patricii) non defecit idem Præfecti Prætorio Italiæ Magistratus, licet ejus Vicarius Italiæ Mediolani sedere solitus (ut abundè ex Codice Theodos. & ex Ammian. Marcell. *l.* 27. *c.* 7. *p.* 491. Valesii probatur) sedem mutare debuerit. Id satis cognoscitur ex S. Gregorii *Ep.* 34. *l.* 7. (edit. nuperæ 35. 9.) data A. 599. Constantio Archiepiscopo nostro Genuæ degenti, *cui Johannem Præfecturæ vices* (idest Vicariam) agentem commendat, ejusque antecessorem *Vigilium* commemorat. Genuam itaque cum Archiepiscopo nostro in Langobardorum adventu, Mediolano relicto, Vicarius Italiæ migraverat, quod & fecisset Præfectus Prætorio, si tunc Mediolani degisset, ut degebat antiquitus usque ad A. 539. quo per Gothos Urbs nostra destructa: tunc enim Gothi *cum Præfectum Prætorio Reparatum ibi* (Mediolani) *offendissent, conciderunt in frusta, ejusque carnes canibus projecerunt*, teste Procopio *Bell. Goth. l.* 2. *c.* 21. exeunte. Quamvis porrò eodem tempore duo Patricii Narses, & Belisarius in Italia degerent, non ideo Præfecto Prætorio adempta erat ordinaria potestas, nam penes Patricios erat *Imperium Proconsulare*, & penes Præfectum Prætorio *Consularis Potestas*. Hæc tribuebat posse civilem exercere jurisdictionem in Provincia, sed sine Legionibus: illud verò importabat plenam facultatem belli gerendi, reique militaris administrandæ, qua semper pollebant Proconsules, stante Republica. Quamobrem rectè Steph. Forcatulus *de Gallor. Imperio l.* 4. *p.* 606. cum Proconsulari Imperio missum Longinum scribit, adjuncta potestate Consulari saltem in Exarchatu strictè sumpto, ut num. sequenti explicabimus, at non alibi, aliter Præfecti Prætorio, vel Vicarii inanis fuisset jurisdictio. Sed intermissum Exarchi nomen repetamus. Igitur posthabitis opinionibus variorum, & plerumque erroneis apud Theseum Fr. à Cornu in sua *Ravenna dominante pag.* 106. in dicto persistimus, Exarchi nomen significare *Principem extra missum* ad regendam Provinciam, ut Italiam. Nec obstat adhuc in Ecclesiastica Hierarchia Exarchos fuisse vocatos Patriarchas, Primates, quandoque etiam Metropolitas, & Abbates ex passim adductis exemplis per Scriptores Ecclesiasticæ Politiæ. Utique tunc ἐξ *extra* significare non congruebat. At ἐξ index est quoque præeminentiæ, & excellentiæ, ut in voce ἐξοχὴ ab ἐξέχω, emineo, excello. Fuit quoque Exarchus Officium militare, quod non omnibus in specie perspicuum. Id num. 82. cum de Ravenna, explicabitur. Provinciæ porrò ab Exarchis inditum fuisse nomen ecquis non videt? Utinam æque clara essent cætera: etenim ipsorum Historiam, & Chronologicam seriem exactiorem desideramus, sed non speramus ob Græcorum silentium, & Ravennatum documentorum jacturam. Plura sanè Exarchorum cognoscimus ex Anastasio, quam ex Græcis, sed nec ipse omni expers errore, ut infra. Septem libros de *Exarchatu* scripsisse præ cæteris Joh. Petrum Ferretum prodit Hier. Rubeus *Hist. Ravennæ l.* 9. *p.* 514. at illos non semel notat. Plura adhuc prius sparsim collegit Blondus in Historiis. Chronologiam texuit & Rubeus *à lib.* 4. Laterculum exhibent Albertus p. 309. Gerard. Mercator *in Geographia*, Paulus Merula *Cosmograph. part.* 2. *l.* 4. *cap.* 19. Erycius Puteanus *Hist. Insubr. l.* 2. *p.* 110. Ricciolus *Chron. refor. t.* 2. *Catalogo* 31. *p.* 63. b. Variant inter se omnes, neque *Theodorum* II. noverunt *nec Platonem*, minus Gregorium, ut mox. Sine annis plures relinquit Hofmannus. Hos adjicit Morerius, sed claudicat. Scaligerum *in Canonibus Isagogicis* post suum Eusebium *l.* 3. *p.* 169. cæteris infeliciorem videmus, cum neque *Eutychium* postremum Exarchum cognoverit. Adhuc sæpe decipitur in annis Regum Langobardorum. Exarchatus Historiam scripsisse scimus Ægidium Strauchium, sed non vidimus. Novissimè, & ex professo laudatus à Cornu Patricius Ravennas *in d. Ravenna dominante* Historiam Chronologicam Italicè scribere aggressus est: num juxta indigentiam, videant, qui pervident. Nos videmus & ipsum non exactè eorum annos annotasse, plerumque omisisse, eique, sicut cæteris dictum *Platonem* ignotum. Baronius A. 643. n. 6. & 645. n. 19. rectè ex Ep. 16. Martini I. demonstrat, *Isacio*, non *Calliopam* fuisse suffectum, sed *Platonem*, & errasse Anastasium in *Theodoro*: quod bis approbat Pagius AA. 648. n. 16. & 649. n. 7.

(80) Non minor adhuc varietas est inter Auctores, qui à sæculo XV. de Exarchatus ortu, & interitu scribere cœperunt, quibus tamen hodie vacare, vel oculos adjicere

Digitized by Google

cere superfluum omninò censemus, dum de utroque extremo certos nos faciunt Viri doctissimi. Cœpisse in Longino A. 567. probè demonstrat Pagius h. A. à n. 4. ratione irrefragabili adhuc adducta vocationis Langobardorum per Narsetem exautoratum (presso invictè Baronio hanc negante) & ipsorum adventus A. sequenti 568. At dum doctissimus, & oculatissimus Vir (tribus distinctis Narsetibus) subjicit num. 7. *Cæterùm, an Narses Eunuchus Longobardos in Italiam accersiverit, ab Auctoribus Græcis discere non possumus, ex quibus nec Theophanes, nec Cedrenus, nec Zonaras, ne quidem irruptionis Longobardorum in Italiam mentionem faciunt*, oblitus est Constantini Porphyrogeniti, qui, antiquior Zonara, & Cedreno *de Administrando Imperio* Romanum filium erudiens, peculiare *caput* 27. juxta editionem Meursii *de Longobardiæ Themate, ejusque Principatibus, & Ducatibus* instituit: ibique Narsetis contemptum, vindictam, Langobardorum vocationem, & adventum, ac Regiones ab ipsis occupatas describit, longe fusius Isidoro Hispalensi, & Mellito Hispano, quorum ætate hæc gesta. Errat tamen hic Constantinus in nomine Augustæ uxoris Justini II. Sophiæ, quam perperam vocat Irenem. Oblitus est itaque Pagius hunc Græcum, quia & ipse homo: cui tamen nedum notissimæ sunt Porphyrogeniti res cunctæ, Imperium, doctrina, libri ab eo editi, de quibus opportunè, & abundè disserit, verum & liber *de Administrando Imperio*, ex cujus cap. 26. verba recitat de Hugone, & Lothario Italiæ Regibus, sub A. 838. n. 8. & iterum A. 948. n. 3. Verum tamen est, hunc Græcum nec rectè historiam Italicam callere, & ubique anachronismos committere, cautè ideo eo utimur. Defecisse similiter Exarchatum *in Eutychio* (quod non clarè quo ad annum definit idem Pagius, & procrastinat P. de Marca æque in principio, ac in fine de *Concord. Sacerd. & Imp.* 3. 10. §. 4.) egregiè ostendit Abbas Bacchinus *in Agnellum part.* 2. *pag.* 395. ex Aistulfi charta *data Ravennæ in Palatio, quarto die mensis Julii felicissimi Regni nostri tertio per indictionem IV.* subjiciens, quod *indictio IV. currebat Julio A.* 751. *Ante Julium itaque ejus Anni Aistulphus Ravennam occupaverat, & ante Julium A.* 749. *regnare cœperat*. Sequitur ergo (Ravenna capta d. A. 751. & Eutychio statim in Græciam profecto) Exarchatus periodum fuisse annorum circiter 184. eumque fuisse administratum per XVIII. Exarchos, sive XIX. reperito *Smaragdo*, non *Theodoro I. Calliopa*, qui Exarchus fuit semel: rejecto quodam *Opilione*, ut mox & suppleto XII. loco inter Calliopam, & Theodorum II. *Gregorio* hactenus cunctis ignoto, & serò detecto per doctissimum Bacchinum *l. l. pag.* 288. ex Privilegio quodam Constantini (corr. Constantis II.) A. Imperii ejus 25. (hoc est 666.) dato Ravennati Pseudoantistiti perfidissimo Mauro, ubi *præcipimus per nostram piam jussionem Gregorio Exarcho nostro* &c. Et opportunè sanè is Gregorius (quem A. 658. Theodoro Calliopæ suffectum autumat laudatus Bacchinus p. 289.) item & Theodorus II. qui diu latuit, sed post mortem Constantis A. 668. Gregorio successit, ingens explent spatium 36. annorum, qui à Calliopa A. 650. ad Johannem Platonem A. 686. excurrebant, nullo alio Exarcho, non sine admiratione interposito. His diebus alium Exarchum *Opilionem* supplere censet Ill. Præsul Ancyranus in Præf. *ad Commentarium S. Columbæ p.* XXII. sic definiens: *il nostro Opilione Patrizio de' Romani fu certamente Esarco di Ravenna sotto Constantino Copronimo, e dovrà collocarsi tra* Paolo, *ed* Eutichio, *il quale fu l'ultimo Esarco*. Num rectè nos doceat, expendamus. Misso sermone de duobus Opilionibus Cofs. uno Collega *Vincomali* An. 453. de quo Cavatius *Hist. S. Justinæ* à p. 16. recitans documenta suspecta: & altero *Justini I.* A. 524. nondum satis certi sumus de hoc tertio *Opilione*, qui bonorum largitor illi Cœnobio A. 733. *non aderendo agli editti eretical de' suoi Principi Iconoclasti, pensasse all' anima sua, e dotando la Badia di S. Giustina si ritirasse in Padoa, e quì se ne morisse*. Hæc p. XXI. subdens, Gregorium IV. in Epistola ad *Milonem* Abbatem S. Justinæ scribere, quod Opilio *prædicti Monasterii Ecclesiam fundavit*, & quod *ibi ejus corpusculum in pace requiescit*. Et ubi hæc Gregorii IV. Epistola? Utique ignota Labbeo *Concil. tom.* 7. *à col.* 1559. Et Ancyranus adeò citationibus affluens Epistolæ locum non indicat? Adæquè Cavatio *Milo* Abbas ignotus, quando p. 36. de IX. sæculi initio inquit: *ad pacata tempora evasimus, ut jam Urbis, & Cœnobii historias prosecuturi abundemus Monumentis, quorum auxiliis minus in posterum desudandum sit*. De Rosio Episcopo Patavino hæc habet p. 37. de eodem Cœnobio: *Coloniam Monachorum deduxit, & Presbyterum nomine Christianum Abbatem præfecit*. Is illi primus Abbas, sed jam transacta ætate hujus Gregorii, qui sedit ab A. 827. ad 844. Rosium autem primi Abbatis institutorem sedisse ab A. 849. ad 871. ex charta Lotharii, & Ludovici Impp. probat Serter. Urlatus *Hist. Paduæ p.* 177. & 8. corrigens Cavacium, & Ughellum sedem Rosii differentes in A. 860. vel 61. & illius testamentum in 870. Optimus orator Cavatius, sed infelix Chronographus: & confricta monumenta illius Cœnobii, sive Templi idem Ursatus ostendit à p. 136. Si ergo Christianus primus Abbas institutus, jam Gregorio defuncto, suspecta est ejus Epistola ad Milonem Abbatem S. Justinæ, si tamen extat. Labante hoc fundamento, cætera nugæ. Nugæ charta donationis An. 733. Incipit: *Imperante piissimo Augusto Constantino à Deo coronato* &c. ut p. XIX. A. XV. Mittamus esse A. XIV. qui concurrit cum A. 733. Quomodo notatur Imperium filii Copronymi, & non Leonis III. Isauri Patris, qui adhuc imperabat? Num quid is filio deterior, ut fileatur? Ab *impiissimi* Copronymi *impietate* declinat Opilio Catholicus, & Patavium se recipit, & *Piissimum Augustum* vocat Copronymum? Scimus, Principibus improbis sanctos Viros *Pii* titulum attribuisse, ac pietatem. Sic Justinus Martyr Apologiam I. scribit ad *Antoninum Pium*: ibique p. 71. *sacrum Senatum* vocat licèt ethnicum: adæquè in II. *Imperatorem Pium* legimus. Cassiodorus, & Ennodius Theoderici Ariani pietatem passim commendant. Justinianus *Nov.* 29. in Proœm. & c. 1. meminit *piæ, & divæ memoriæ* Anastasii hæretici; cujus *adorare* venisse vestigia *vestræ pietatis*, inquit Sanctus Sabbas Anastasium alloquens apud Cyrillum Scythopolitanum in ejus Vita c. 72. & in Epist. ad eumdem c. 81. relatis à Surio 5. Xbr. t. 6. præter tot alia exempla. At tunc sic prudentia, utilitas religionis, accessus, præsentia, ac consimilia ferebant. Nulla contra horum ratio, vel altera Opilionem, ut impium pium diceret, solicitabat. Quia manca est ejus charta, quid donet, nescimus, nec cur vir Græcus, Constantinopolim reversurus, latifundia in Italia acquirere cogitaverit, ut immobilia donasse non censeamus. Sed quod vir Christianus, & privatus, Deo, ejusque Sanctis, vota sua humiliter reddens, subscribatur *Ego Opilio gloriosus Imperialis Patricius Romanorum*, difficilè creditu. Hæc lævia. Et quia *Patricius*, ergo Exarchus? Misera dialectica? Fortè nec omnes Exarchi Patricii: nec certissimè Patricii omnes Exarchi. Unde primò probatur *Olympius* v. g. sub Constante Patricio? Quinquies ipsum nominat Cubicularium, & Exarchum Anastasius *in Martino I.* nunquam Patricium. Unde *Gregorius* in laudata charta Constantis Patricius? Neque Patricios novit Abbas à Cornu *Job. Platonem*, nec *Scholasticum*, nec alter *Callinicum*, sed fuisse, ex Anastasio fatemur: imo & Olympium, & Gregorium Patricios ex præsumptione concedimus: at non secundò Patricios Exarchos, aliter mille fuissent Exarchi. Adeat Præsul Ancyræ Anastasium *in Martino*, & inveniet *Olympium* Exarchum in Italiam profecturum, & *Platonem Gloriosum Patricium* in Urbe degentem. Item *in Constantino* leguntur *Theodorus Patricius extraticus* Siciliæ: & infra *Theophilus Patricius extraticus* Caravisianorum: idest *Strategi*, quia hoc officio erant functi: & Tiberius Imperator degebat septimo ab Urbe lapide *cum Patriciis*, & omnibus inclytis: In *Gregorio* III. *Sergius Patricius*. Adeat S. Nicephorum Petavii, in cujus *Breviario historico* p. 25. legitur, quod Heraclius Gregoriam filiam *Nicetæ Patricio* despondit: idem Imperator p. 45. *Bonum Patricium* contra Chosroem mittit: p. 65. Heraclius Nicetæ filium *ad Patriciatum* promovet: p. 98. Constantinus IV. Pogonatus *Johannem Petzigaudium Patricium* mittit, qui pacem cum Saraceno constitueret: p. 114. Justinianus II. *Leontium Patricium*, qui orientalibus copiis prætuerat, Græciæ præposuit: p. 137. Idem *Stephanum Asimictum Patricium* Chersonæ, & Bosphoro præficit, ut populos omnes gladiis conficeret: p. 141. *Gregorium Patricium* Stephano adjungit: p. 142. & *Maurus Patricius* mittitur, ut Chersonam funditus deleat, sed rebellis Bardanum Imperatorem proclamat: p. 150. mentio *Theodori Patricii* habetur, & *Danielis Patricii* Urbi Præfecti. Sub A. 716. (corr. 17.) *Leo III. Patricius* Imperator efficitur. A. 718. p. 169. *Sergius Patricius Siciliæ Dux*, cui sufficitur *Paulus Patricius*, & Sergius ad Langobardos confugit: p. 173. Nicetas Xylintes scribit ad *Josen Patricium* Regii Obsequii Præfectum: p. 174. *Sisinnius Patricius*: p. 185. *Visenes Patricius*. Puerilem hanc cantilenam non sinè rubore fundimus, ut assumptum ampla inductione sole clarius appareat. Videatur S. Gregorius M. tot Patriciis, & Patriciabus Epistolas scribens: itemque Zonaras, alios Patricios memorans tempore Exarchatus, quo prædicti omnes Patricii scribuntur. Porrò quotquot Exarchos Anastasius dicit Patricios, nullum Patricium *Romanum*, vel *Romanorum* appellat, sicut neque Nicephorus: ut ideo futilis sit observatio, & inanis distinctio Præsulis Ancyrani p. XXIII. quod „ la formola, e il titolo di *Patricius Romanorum* espresso nella sua carta (Opilionis) in senso molto diverso da quello di *Patri-*

„ *cius*

,, *cius Romanus*, che si suppone nel marmo di S. Giu-
,, stina dinota la prefettura de' Popoli dell' Esarcato
,, allora suggetti all' Impero Greco, appellato in quel
,, tempo *Romania*, ,, quod falsum ex dictis num. 28. & dicendis infra num. 81. Interim *Romani* & *Romanorum* (cujus generis se Græci omnes jactabant ex prænotatis num. 3.) discrimen desideramus, quod sanè ignotum adhuc Jul. Cæs. Bulengero *de Imper. Rom. l.* 3. *c.* 1. & Jac. Gutherio *de Off. Dom. Aug. l.* 2. *c.* 19. de Patriciis speciatim agentibus à Constantino excogitatis juxta Zosimum 2. 40. vice Patrum Imperatoris, ut canit Claudianus *Prolog. l.* 2. *in Eutropium v.* 50. *Non aliter poteras Principis esse Pater*. Senatores quoque Patricios legimus apud Svidam in Πατρίκιος col. 736. ibi: *mittit legatos Senatorii Ordinis Principes viros, erant enim Patricii*: & ad Patriciatum promovendos Zeno *l.* 3. *C de Consulib. lib.* 12. decernit hoc pacto: *Nemini ad sublimem Patriciatus honorem, qui cæteris omnibus anteponitur* (major Consulatu non gradu, sed duratione, quia perpetuus: Gothofred.) *ascendere liceat, nisi prius aut Consulatus honore potiatur, aut Præfecturæ Prætorio, vel Illyrici, vel Urbis administrationem, aut Magistri militum, aut Magistri Officiorum in actu videlicet positus gessisse noscatur*. Amplius Justinianus *Novell.* 62. in Epitome Juliani *indulsit illustribus viris Patriciatus codicillos accipere, quamvis neque Consules essent, neque Præfectorii*. Universim denique is *honor defertur iis apud Romanos, qui plurimum laborarint*, teste Malcho *in Byzantiis* apud Bulenger. *l. l.* En quot Patricii esse poterant una simul in Græco-romano Imperio, missis adhuc Regibus, Ducibusque Barbaris, quibus idem honor deferri solebat (pluribus enumeratis, nec omnibus, à Joh. Georg. Eccardo *Hist. Genealog. col.* 598.) ut omnino absurdum sit consequens Ancyrani *Patricius ergo Exarchus*. Ea propter si extitit *Opilio* ille sæculo VIII. nobis nondum probatus, fueritque *Patricius Romanorum*, utique Exarchum fuisse numquam ratio suadebit. Monachis itaque Justinianis adeò spectatis, & doctis meliora suppeditet, ut æquiori jure, quas exigit, valeant ei gratias referre: inclytique Cœnobii originem emunctiori nare disquirat, Cavacio, & Lubino non satis compertam, ut ideo & Monfoconus in *Diario p.* 78. silere, & Mabillonius *in Itiner. Ital. p.* 28. & in *Annal. tom.* 3. *A.* 870. *num.* 21. nil definire, maluerint; quam incerta producere; ægrè ferimus tantum Virum *Scardeonii* verba referre, quæ sonant *Opilionem Picarium* laudatis Consulibus longè antiquiorem erexisse Justinianum Templum sæculo I. non IV. Valentiniani, cum dicitur *à S. Prosdocimo Episcopo* (sæculi I. ut creditur) *postea consecratum*, etsi id cum clausula dubitationis exscribat. Insubidè quoque idem Præsul p. XXIII. Abbati Bacchino inventi gloriam, & Estensi archivo pretium adimere nititur, contendens ab eo suppletum *Gregorium Exarchum* ex Angello Ravennate eundem esse *Gregorium Patricium Romanorum*, de quo Paulus Diac. *lib.* 4. *cap.* 40. Clausis oculis hic Ancyranus errorem ebibit Hadriani Valesii *in Berengarium* (C. H. t. 2. p. 407.) & exscriptum in nota 198. apposita Paulo nostro *t.* 1. *p.* 468. ubi Taso *Gregorium Patricium*, *& Exarchum Ravennæ in eam rem* (barbæ incidendæ) *elegerat*. At neuter observavit à Gregorio Pauli ad Gregorium Agnelli annos saltem 50. fluxisse. Is Agnelli erat Exarchus A. 666. sub Constante: ille Pauli minimè Exarchus A. 615. nondum defuncto Agilulpho Rege, & Heraclio imperante, quo tempore *Exarchus* erat Ravennæ, vel Joh. *Lemigius* ibi occisus A. 615. vel *Eleutherius* illi suffectus, ut ex eodem Paulo 4. 35. sed clarius ex Anastasio *in Deusdedit*. Taso porrò, & Cacco secundi Duces Forojuliense filii erant Gisulfi Ducis I. quem Alboinus avunculus ibi instituerat ab A. 568. ex eodem Paulo 2. 9. ad A. 615. quo à Cacano Avaro fuit occisus, eodem teste 4. 38. Paulò post Gregorius in Præsidio Opitergii sedens pro Heraclio prædictos fratres Opitergium allectos dolo peremit. Tunc pars Venetiæ juris adhuc erat Græcorum, eidemque Gregorius is præerat non Exarchus, sed Patricius tantum, & Præfectus præsidio: eo modo quo, exempli gratia, sub Philippico apud S. Nicephorum p. 150. A. 712. *Georgius Buraphus Patricius*, *& Obsequianis copiis Præfectus* (de Themate Obsequii Porphyrogenitus *l.* 1. *Th.* 4.) *per illud tempus in Thracia erat, Præsidii causa, quo eam Provinciam à Bulgarorum incursione defenderet*: ita eadem de causa erat in Venetia Gregorius, ut hanc à Langobardis tueretur. Ubi autem Præsidium, ibi plerumque Patricius, ut ex inscriptione apud Sirmundum *ad Sidonium ep.* 9. *l.* 1. *Fl. Celeritus V. D. Scriniarius int. Patriciæ sedis* &c. quam Gutherius *l. l. p.* 364. exscribit, & explicat, annotans quod *sedes illa pro statione militum usurpatur, quibus Patricius imperabat. Sedes enim pro statione militum usurpatur à Vegetio l.* 3. *c.* 4. &c. pluribus aliis testibus huc adductis. Et ille Scriniarius (*Vir doctus, vel devotus*) serviebat Magistro militum, cùm Magistris militum, & Præfectis Magistris militum sæpissimè Patriciatus tribueretur, ut ostendit idem Gutherius p. 388.

(81) Plura de Exarchis subjicere supervacaneum censemus, cum de ipsorum dignitate, Patriciatu, Comitatu, insigniis *&c.* quæ obvia sunt satis, tum de eorundem numero, & tempore; quisque enim proposita sibi vulgata eorum serie, itemque retentis, quæ præmisimus de Exarchatus initiò, & fine, numeroque supplento, facile ex se poterit proditas hucusque series corrigere, & meliorem contexere, Imperatorum præsertim, à quibus mittebantur, nova, & solitaria inauguratione observata, pro regula, quam idem Abbas Bacchinus *l. l.* docet his verbis: *Novum Exarchum post Constantis obitum* (A. 668.) *missum illud facit, ut credam, quod, ut plurimum, Augusti cum soli imperare cœperunt, revocato, qui sub Prædecessore administraverat, alterum in Provinciam mittebant. Ita à Mauritio Smaragdus, à Phoca Smaragdus iterum, ab Heraclio Johannes Demiges, seu Remiges, & à Constante Theodorus Calliopas missi sunt*. Superest ergo, quod Exarchi jurisdictionem, hoc est Provincias illi creditas, ut cujuscunque fines, locaque in illis contenta possimus certò statuere, cognoscamus. Plures enim, ut videbitur, Regiones, & tempora confundentes, facile nimis unum capiunt pro alio. Quamobrem jurisdictio Exarchi sive Exarchatus duobus modis accipi debet, *latè* nimirum, & *strictè*. Capitur primo modo pro universa Exarchi jurisdictione, quam tenebat sub initium Langobardici Regni, quomodo complectebatur veteris *Æmiliæ* partem orientalem, Flaminiam, & veteris item Piceni partem occiduam, nam orientalis ad Spoletanum Ducatum spectabat: sicut pars Æmiliæ a Placentia Bononiam pertinebat ad Regnum; nondum enim Ticini obsidionem Alboinus absolverat, quod Placentiam, Parmam, Regium, Mutinamque subegerat, ut in confesso est apud omnes, ex Langobardorum diplomatis enunciatis n. 25. in quibus Æmiliæ fit mentio. Nec est hic attendenda Chorographia Pauli *l.* 2. *cc.* 18. *&* 19. de his tribus Provinciis, quas, ut præmonuimus num. 7. describit more Romano. Insuper Exarcho parebant pars Tusciæ, quæ Romana vocabatur, sive pars Ducatus Romani cis Tiberim, altera parte transposita, ubi Campania: & demum quicquid Romanis nondum eripere potuerant Langobardi, ut in ora maritima Liguriæ, in Venetia, vel alibi, vel ereptum poterat Exarchus recipere. Hæc componebant Exarchatum latè sumptum, de quibus omnibus opportunè erit sermo: & hùc sanè respexit Constantinus Porphyr. *de Admin. Imp. c.* 27. cum scripsit, indigestè licèt, & crasse, quod *ex eo tempore missi sunt ab Imperatore Constantinopolis Patricii duo, quorum unus Siciliæ, Calabriæ, Neapoli, & Amalphæ præerat: alter verò Benevento, Capuæ, Papiæ* (NB Græcis etiam Παπίαν) *cum reliquis, & tributa quot annis fisco Imperatoris pendebant, omnesque hæ, quas dixi, Regiones habitabantur à Romanis*. Sumitur postea Exarchatus altero modo, & strictè, ut à cæteris Provinciis secretus, in quo sensu partem Æmiliæ, & Flaminiam tantùm complectebatur juxta certos fines mox ipsi cōstituendos. Nusquam clarius decernuntur hi fines, quam in *Ludoviciana*, hoc est in tabula, sive confirmatione Ludovici Pii A. 817. de qua locuti sumus num. 20. ad hanc rem. Ibi dicitur comprehendisse *Exarchatum Ravennatem Ravennam, & Æmiliam, & Bobium, Cæsenam, Forum Popilii, Forum Livii, Faventiam, Imolam, Bononiam, Ferrariam, Comaclum, & Adriam, & Gabellum*. Cum igitur has inter Urbes occidentalior sit *Bononia*, perspicuum est, quod ab *Occasu* limes Exarchatus hic fuit, ubi nempe finit ejus ager, & incipit Mutinensis juxta prædefinita num. 33. de Labino flumine. Quod si quis noviter hic excitare unquam vellet quæstionem de *Æmilia* inter Ravennam, & Bobium descriptam, iterum & nos hic reponimus, quæ sub num. 30. jam scripsimus, scilicet, vel unam ex Civitatibus, sive partibus esse, quæ constituebant Ravennam, vel Regionem, sed non ultra Bononiam ab occasu prolatam. Quæ omnia tamen officii causa, & plus æquo indulgemus, dum Viri docti, & ingenui satis pondus similium documentorum novere. Utique majoris ponderis sunt Adriani Pontificis Epistolæ, quibus assidue cum Carolo Magno conqueritur de rapina Leonis Archiepiscopi Ravennatis; & in Embolo Epistolæ 51. p. 196. Cod. Carolini, dum ab eo Urbes Æmiliæ Regionis, & Exarchatus a Leone occupatæ hæ dinumerantur *Imola, Bononia, Faventia, Ferraria, Comiado, Forum Livii, Forum Populi, Cæsena, Bobio, seu Tribunatu decimo*, nulla de Urbibus cis Bononiam fit mentio, quod optimè probat, occiduum limitem Æmiliæ, & Exarchatus fuisse Bononiam. Etenim, cum aliunde Mutina, Regium, Parma, & Placentia tunc spectarent ad Exarchatum sacrum Ravennæ, hoc est ad illius Provinciam Ecclesiasticam: & nihilominus

Leo

Digitized by Google

Leo non est ausus illas attingere, necessariò consequitur, ad Exarchatum civilem minimè pertinuisse, sed semper ad Regnum Italicum, & sub Langobardis, & sub Francis, à quibus non ampliùs is tractus Æmilia, sed Via Claudia fuit dictus, ex prænotatis sub numm. 31. & 32. Quare dissimulare nec possumus, Rubeum *Hist. Raven. lib.* 4. *p.* 194., qui Æmiliam, à Foro Cornelii Placentiam usque deducens, partem fuisse Exarchatus impigrè scribit (annuente à Cornu *Ravenn. domin. p.* 114.) perperam confundere Exarchatum Sacrum cum civili. Utrumque quidem, & alios præivit Blondus *Ital. Reg.* 6. *p.* 342. cum Exarchatui Flaminiam, & Æmiliam attribuens, subdit, quod *habuerint fines Flaminia ab Isauro ad Vaternum Fori Cornelii* (*nunc Imolæ*) *amnem*: *& Æmilia inde ad Trebiam Placentiæ Urbis fluvium*. At non advertit V. doctus, quod ab ortu tribuit Exarchatui civilis Pentapolis partem, contentam inter Isaurum (nunc Foglia) & Ariminum amnem (nunc Marecchia) & ab occasu Exarchatum Sacrum, ut nolens confitetur, cum subdit: *quam longitudinem* (Exarchatus) *& nunc habet Ravennatis Ecclesiæ Exarchatus Provincia, cujus tota id Romandiolæ nomen olim obtinuit*. Si ergo Exarchatus civilis Romandiolæ nomen obtinuit, quod verum est, nec unquam id nomen fuit ad Murinam usque, minusque ad Placentiam prolatum, evidens fit tractum inter Mutinam, & Placentiam ad Exarchatum quidem sacrum, non ad civilem spectasse. Nec rectè Blondum, & Rubeum protulisse ab ortu Exarchatum mox infra patebit. Hic secundò statuere placet, ut solemus, fines *à borea*, qui dubio procul usque ad Athesis dexteram protendebantur. Etenim ex recitata Ludoviciana constat *Adriam*, & *Gabellum*, Urbes inter Tartarum amnem, & Athesim sitas ad Exarchatum pariter attinuisse: nec aliam Urbem, sive Locum ad Athesis lævam ad ipsum spectasse comperimus. Quid postea Gabellum, num. sequenti dicemus. Ex ejusdem Ludovicianæ tenore clarè quoque cognoscimus, ejus fines *ab ortu* fuisse dictum amnem *Ariminum* (Marecchia) sive Ariminensem agrum, cujus Civitas Ariminum inter Urbes Exarchatus minimè recenseretur, sed è contra inter illas Pentapolis primo loco describitur, cum affirmat fuisse concessam *simul & Pentapolim*, *videlicet Ariminum*, *Pisaurum* &c. & in laudata Adriani *Epist.* 51. habetur *de reliquis Civitatibus utranque Pentapoleos ab Arimino usque Eugubium omnes* &c. Constat ergo Blondum, & Rubeum laudatis locis non rectè Exarchatum ab ortu protulisse trans Ariminum usque ad Isaurum (Foglia), ubi Pisaurum. Nec refert, Agnellum *Pontif. Rav.* 2. *part. p.* 430. scripsisse *in Sergio*, quod *judicavit iste à finibus Perticæ totam Pentapolim*, *& usque ad Tusciam*, *& usque ad mensam VValani veluti Exarchus*: *sic omnia disponebat*, *ut soliti sunt modò Romani facere*. Nam præter quam quod id serò contigit, jam Exarchatu per Aistulfum sublato, per Pippinum recepto, & ab eodem cum Pentapoli Ecclesiæ collato, liquet Sergium fuisse usurpatorem, & Leonem ejus Successorem malæ fidei possessorem, semper ideo reclamante Adriano, ut ex ejus Epistolis ad Carolum M. ideoque hæc ad rem finium nihil omninò conferunt, nec suffragantur Scriptoribus Exarchatum protrahentibus usque ad Isaurum. Si ratio hæc valeret, longiùs adhuc deberet produci usque ad Senam, vel Sennam amnem (nunc Cesano) ad cujus lævam sita est *Pertica* (Pertia: Pergola) 12. m. pass. à Foro Sempronii in meridiem, ut in Magini tabulis 37. & 46. Ducatus Urbini. Ex adverso contraherentur fines ad boream, ubi *mensa VValani*, „ idest, ditio ad men„ sam, sive jus spectans, Ravennatis Ecclesiæ, VVa„ lani, ubi nunc Portus, quem Volanæ dicunt, „ ut explicat Abbas Bacchinus in hunc locum, *in observationib. p.* 438. qui Portus cis Padi ostia videtur. Fines denique ab *austro* ulla sinè difficultate Apenninus, scilicet *in Alpe*, *quæ dicitur Platalea*, *juxta rivum nomine Bidentem ad radicem montis nomine Acuti*, *qui dividit Tusciam*, *& Romaniam*, ut inquit Otto III. in charta A. 1002. data Paterni 3. id. Jan. non 6. ut apud Pagium h. A. num. 3. extat charta integra in Puccinelli *Cronica Abb. Florentiæ p.* 208. ex tabulario Camaldulensi. Ex quo postea Exarchatui fuit novum *Romaniæ* nomen inditum, sive posteriori tempore, facilè potuere ejus fines variari juxta statum, in quo describuntur à Blondo dicta *Region.* 6. *p.* 342. An verò fuerit *Romania* à Pontifice, & Rege appellata *ea maximè ex causa*, ut ibidem inquit, *quod toto Longobardorum tempore Ravenna cum propinquis aliquot Civitatibus*, *& Oppidis Romano Populo fidem constantissimè servavit*, non parum hæremus, etsi Volaterranus *lib.* 4. *p.* 86. idem affirmet. Etenim Rubeus *lib.* 5. *pag.* 202. & 3. (à Cornu p. 113. adstipulante) contrariam omnino rationem adducit, scribendo, „ Ravennatem Exar„ chatum *Romanam Provinciam* appellari, quam modò „ corrupta voce Romagnam vocamus..... *ut quibus odiosum nomen Romanum fuerat*, *iis vicinum*, „ *ac familiare efficeretur*: atque ut justè repetitæ Pro„ vinciæ, ex ea Cæsarum Byzantinorum, qui non modò „ sua ignavia totam Italiam amiserant, sed eam justa „ damnatione, quod impii, atque hæretici, & in Ec„ clesiam Romanam, & Pontifices Maximos injuriosi „ fuissent, perdiderant: deleto Imperio, & nomine „ veteris dominatus, Romani, Pontificiique vocabu„ lum imponeretur.„ Breviori verbo dicamus *Romaniam* dictam, quia Romano Pontifici tribuebatur: & quidem primò ex Francorum Regum largitate, & non, ut somniavit idem Rubeus *lib.* 4. *p.* 185. venditando, quod „ *Paulus Diaconus scribit*, *Aritpertum*, quem „ Aisprandus superavit A. 704. religione commotum, „ *Exarchatum Ravennatem*, & Alpes Coctias, in qui„ bus est Genua, quæ multis jam sæculis ab Ecclesia „ Romana, cujus juris erant, distracta fuerant, & „ ablata, restituisse. „ Et ubi unquam de Exarchatu hæc scripsit Paulus? Dormitabat vir doctus quando Paulum 6. 28. legebat.

(82) Urbes modò Exarchatus opus esset, de more, illustrare: verùm id jam peractum videtur, cunctis ferè enunciatis, & eo quidem nomine, quo medio ævo appellabantur. Nihilominus aliqua dicemus, repetitis prius jam proditis, exinde quas nostra refert tabula eodem ævo extitisse, ostendendo. A RAVENNA dominante exordimur: & omissis, quæ Paulus Diac. & Agnellus *in lib. Pontif.* sparsim de ea prodiderunt, omnibus obvia: hucque revocatis, quæ jam scripsimus num. 30. *dominantem* cum Scriptore suo à Cornu vocamus, quia sedes perpetua Exarchorum ea fuit. An & antiquitus *dominans*, ut Vir doctus contendit, nil nostra refert inquirere. Hoc unum certissimè scimus, Proconsulem moderatorem Galliæ Cisalpinæ universæ ante Constantinum Mediolani sedisse, & imperasse: sicut deinde Prætectum Prætorio Italiæ, quando res exigebant, sed assiduè ejusdem Vicarium VII. Provinciarum Italiæ specialis, cui obnoxii Consulares Æmiliæ, Flaminiæ, & Piceni annonarii, quamquam hi Ravennæ sedere quandoque potuerint: Satis. Sedes ergo Exarchorum Ravenna, ut dementia id negare, aut probare æquè foret. Ideo justissimè Albertus *p.* 427. *b.* & 8. & Rubeus *lib.* 4. post initium, nostrum Georg. Merulam carpunt, qui *Antiq. Vicecomitum l.* 1. *p.* 10. omni studio conatur ostendere, aliquando Mediolani Exarchum sedisse, cum hæc ibi reperiatur inscriptio posita *Aurelio Januario Signif. ex numero Dalmat. Fort.* & *Aurelio Valentiniano Exarcho posuit Aurelius Pater* &c. Pluribus Merulæ refragantur laudati Scriptores, & rectè: sed dum ab eò dictum Exarchum quasi sex is præfuerit, aut Magistratum fuisse conjiciunt, non acquiescimus. Dignitas militaris videtur Dufrenio *in Exarchus* ex hac inscriptione apud Gruterum 528. 7. at quænam? Docet Jul. Cæs. Bulengerius *de Dignit. utriusq. Imper. l.* 8. *c.* 84. quod „ Exarchon „ Tribunus est Excubitorum, *ex Chorograph. Constan„ tini*, qui Exarchon vocat eum, *qui præesset Coborti „ Excubitorum*. Ex Glossa Basilicorum *Excubatores* „ postea dicuntur, qui servant exitus Palatii „ ut prius dixerat idem Bulengerius *lib.* 3. *cap.* 39. & superius *cap.* 36. „ *Stipatores* passim dicuntur *Excubatores* „ ex Simocatta (Theophylacto) lib. 3. cap 11. (de „ Gestis Mauritii Imp.) & Evagrio *lib.* 4. *cap.* 2. „ Isidorus quoque l. 9. c. 3. *Excubatores dicuntur pro eo, quod Excubias semper agunt. Sunt enim ex numero militum, qui in porticibus excubant propter regalem custodiam*. Cohortes habebant in vestibulo Palatii ad majorem sui securitatem Imperatores Græci ex adductis, quorum Dux, *Exarchus* vocabatur à Græcis, & à Romanis *Tribunus*, ut apud Svetonium *in Claudio cap.* 42. de quo: *quoties quidem hostem*, *vel insidiatorem ultus esset excubitori Tribuno*, *signum de more poscenti non temerè aliud dedit*, quam Ἀνδρ' ἐπαμυνάσθαι, ὅστις φόρος χαλεπαίνει (*Virum ulciscì*, *quando prior ille injuriam intulerat*) sumptum ex Odyssea lib. 16. apud Casaubonum *l. l.* Exarchus in nostra inscriptione Tribunus erat Excubitorum, qui Gallis *Garde du Corps*. Conspicuum quidem officium, & longè majus Signifero, etsi is præponatur Exarcho, ut inaniter observat Albertus. Verum quidem est, quod Dalmatici militum ordines in exercitu cæteris excellebant: etenim *in his ordinibus* (ut scribit Zosimus 5. 45.) *erant hominum sex millia*, *qui tum audacia*, *tum robore corporum exercitus Romani velut ipse vertex erant*: & ideo in inscriptione dicitur *Dalmatarum fortium*. Mediolani degisse hos milites Aurelios, ibique decessisse credimus ante Exarchorum Ravennatum missionem, Italia à Justiniano recepta. Mediolano enim capto à Langobardis illicò Græcos ipsum deseruisse, illud facit, ut credamus, quod etiam tot Cives nostri ne dum Genuam cum Archiepiscopo, & Vicario Italiæ, ve-

Digitized by Google

verum etiam Ravennam catervatim se recepere, ut colligimus ex Agnello *in Felice part. 2. cap. 3. p. 362.* ubi prænarrata Ravennæ celebri clade, Justiniano II. mandante, inter turmas, seu *bandos* pro Urbis defensione constitutos à Georgio Johannicis filio, & Ravennate Duce, enumerantur quoque *Mediolanenses*: ibi: *divisit populum Civitatis in XI. partes ..... unusquisque miles secundum suam militiam ..... Bandus Constantinopolitanus, Mediolanensis, Veronensis, Classensis*, &c. Utique & illi Ravennam sub adventum Langobardorum migraverint, licèt hæc Urbis Ravennatis halosis contigerit longè post, A. nimirum 703. juxta Rubeum *lib. 4. pag. 183. & seq.* ubi ex Agnello Civibus suis infandum renovat dolorem. Post Ravennam in Ludoviciana sequitur ÆMILIA: & hic iterum Viros doctos enixè precamur, ut nos doceant, quid sibi velint in Agnelli laudato cap. 3. ineunte hæc verba: *Interea Ravennenses, qui & Melisenses*: itemque cap. eod. exeunte *Viri religiosi Melisenses*, & alibi, ut prænotavimus sub num. 30. Equidem prudenter possumus suspicari, hæc ansam dedisse Ludovicianæ Notario, & tot aliis Æmiliam fingendi. Revelatorem expectamus arcani. BOBIUM occurrit in origine *Bojum* juxta Lexicographos, & alios, ut mox. Dimicandum ne adhuc de illius situ non procul à *Sarsina* in Exarchatu, de quo Paulus 2. 18.? Quidam J. F. diebus nostris, de more veritatem exosus, Bobium hoc capit pro altero, de quo idem Paulus 4. 43. quod situm est in Langobardiæ Apennino ad Trebiam, Genuam inter & Placentiam, ut nos supra num. 63. innuimus ex Paulo 4. 43. Diximus ibi, Albertum p. 375. b. duplex Bobium negare, sicut & dixit Ortelius, sed quæstionem esse de nomine. En Alberti verba: „ Aliqui „ duplex esse Bobium contendunt, unum in Alpibus „ Cottiis, alterum inter Genuam, & Placentiam in „ Apennino. At falluntur, non enim aliud Bobium „ reperitur, quam istud in Apennino, de quo scribo. „ Causa erroris ea est, quia aliqui in Cottiis, alii in „ Apennino illud locant: utrique rectè, nam positum „ est in Apennino Cottiis conjuncto, quæ hucusque „ extenduntur. „ Hæc Albertus. Sed hic falsa veris miscentur. Utique unum tantùm Bobium verè in Apennino, cui Cottiarum à Justiniano factum fuit nomen, ex prædictis num. 9. non tamen quia Cottiæ hucusque se extenderent. Verum est item, Apenninum Cottiis conjungi, at non ibi, sed supra Genuam, sicque quæstio de nomine montium exsolvitur. Altera est de nomine loci, dum Albertus Bojum, sive *Boibum* in Exarchatu cognovit, sed veterum documentorum ignarus, *Bobium* adhuc appellari nescivit. Quare de Sarsina supra locutus *in Romandiola pag.* 304. scripserat: „ Sarsenæ Episcopatui XX. Castra subduntur, & ap„ pellatur hæc Regiuncula cum Urbe *Boibum*, quasi „ *Bojum*, quia Regio *Bojorum*. „ Sumpsit hæc Albertus ex Blondo *Hist. dec. 2. l. 1. p. 152.* ubi: *fuerunt quoque Oppida Boibi numero ad viginti à Bois olim dicta, quorum Sarsina (Plauti Patria) est caput*. Inter hæc J. F. se implicasse conjicimus, cum Bobium Ludovicianæ esse Bobium in Apennino Langobardiæ arbitratur. Equidem Bobium in Exarchatu variè scriptum offendimus, nempe *Bobrum* apud Anastasium *in Steph. III. p. 171.* b. & etiam *Bojanum*, dum in Synodo III. Romana sub Symmacho *Laurentius Bojanensis* subscribitur; qui planè idem *Laurentius Bobiensis Episcopus iterum subscriptus in* Synodis V. & VI. Romanis eodem sub Pontifice coactis A. 503. Etiam *Apollinaris Bobii* Episcopus interfuit Synodo Romanæ sub Nicolao I. A. 861. quæ extat in Appendice *ad Agnellum à p.* 80. (sive C. H. t. 2. p. 206. a.). Nil sanè opportunius, nil certius his testibus pro Bobio in Exarchatu. Non videt hic J. F. Episcopos Bobii à sæculo VI. nisi fortè antiquiores? Quærat modò quando cœpere Episcopi Bobii Langobardiæ, & apud Ughellum (adhuc edit. 2.) *t. 4. col.* 925. inveniet cœpisse vix sæculo XI. *in Attone* A. 1014. anticipandus tamen est annus saltem juxta chartam Ardoini Regis apud Samuel. Guichenonium *in Bibliotb. Sebusiana c.* 10. datam pro Ecclesia Papiensi S. Syri A. 1011. Kal. Apr. indict. 9. *Bobii in Episcopali Palatio*. Interibi supplendus est defectus Geographiæ Sacræ in Provincia Flaminiæ, ubi Carolus à S. P. p. 62. & seq. oblitus est Bobii, cujus Holstenius nec meminit, nisi fortè Bobium, & Sarsinam pro uno, eodemque loco ipsi capiant, ut contendit Ughellus, de quo mox. E contra est removendus excessus, dum Geographus sacer in Provincia Cottiarum p. 61. rectè quidem scribit *Bobium*, sed malè (quod neque advertit Holstenius) hic adjungit, *subscripsisse Laurentium Episcopum Synodo Romanæ V. sub Symmacho*, quem Episcopum Bobii Flaminiæ mox vidimus. Licèt porrò in origine *Bojum* (Boibo) ut in Lexicis (ubi inaniter laudatur Strabo, cui l. 9. p. 846. Bojum Urbs Græca) idem ante medium ævum Bobium dici debuit, si verè, ut refert Ortellius, *Bobiani Oppidi meminit lib. limitum*. Ecquis? Flacci, Frontini, Aggeni, Hygini? Silet. Ut ut sit certissimè medio tempore *Bobium* in Exarchatu vocatum in Charta Caroli M. apud Rubeum l. 5. p. 205. qui inter Episcopatus Ravennæ subjectos conjunctim & illos enumerat *Sarsinæ*, *Bobii*, *Cæsenatensem* &c. in Adriani Epp. 51. & 54. Bobium prope Cæsenam semper in Æmilia ad Exarchatum spectante in diplomatis Ottonis A. 962. & Henrici Pii A. 1014. Baronianis: in antiquis Codicibus Bobium legit Sigonius A. 755. & alibi: Cointius A. 715. 40. & tot alii, si libros vellemus evolvere: ad quid? sumus in claris, saltem quo ad locum, & nomen, ut minimè suffragari possint J. F. quæ Ughellus opponit *t. 2. col.* 703. contendens, Sarsinam, & Bobium idem omninò esse, laudansque Philippum Antoninum *de Antiquitatib. Sassinæ*, nondum à nobis repertum. Prodit ex Ferretto fragmentum Chronici, & ibi acta S. Vicinii Liguris Episcopi Bobii ævo S. Silvestri PP. de quo Ferrarius *Catal. SS.* 28. Aug. sed Martyrologia silent. Dicitur in illo, quod venerit *ad Urbem Sassinatem vulgo Bobium vocatam*, hinc J. F. undique evincitur. Sistimus, donec viso Antonino, ejusdem expendamus rationes; sed fortè cuncta non viderit Antoninus, præ cæteris Chartam Caroli M. (dummodo spuria non sit), in qua clarè Sarsina, & Bobium distinguuntur. Sentit itaque Ughellus, Episcopum eundem modò Bobii, modò Sarsinæ fuisse vocatum. Fatetur tamen, quamplurimos loca distinguere, & juxta nonnullos Bobium fuisse, ubi nunc *Abbatia S. Hilarii de Galeata*, quam Lubin p. 156. b. collocat in Diœcesi Fori Popilii supra montem excelsum, 11. m. pass. à Bertinoro in meridiem. Verùm in Magini tab. 36. scribitur *Galeata* ad lævam *Bedesis* amnis (nunc Ronco) qui prope Forum Livii decurrit, & sub ejusdem meridiano: a quo diffita 14. m. pass. in austrum. Quare si verè Bobium fuit ubi Galeata, poni deberet magis ad occasum totidem milliaribus. Verum cum Galeatæ Cœnobium distet à Sarsina 13. m. pass. in occasum, quomodo idem Bobium, Galeata, & Sarsina? Neque igitur Bobium ubi Galeata. Sequitur in Ludoviciana CÆSENA capta à Liutprando A. 743. apud Anastasium *in Zacharia p.* 162. b. & Exarcho restituta, S. Pontifice, profecto Ticinum, petente, ibid. p. 163. b. FORUM POPILLII (& Popilii) eversum à Grimoaldo, quia ejus Cives sæpe Regios missos vexaverant, ex Paulo 5. 27. FORUM LIVII: rectè ne Anonymo p. 213. *Forum Julii*? Hæret incertus Porcheronus, quia & ita in Itinerario Antonini legitur: secus tamen, ut fatetur in editione Suritæ. Retinenda ideo communis Lectio Fori Livii. FAVENTIA recepta à Stephano III. in inauguratione Regis Desiderii, cui faverat A. 756. sed ingratè ab eodem sub Adriano A. 772. Ecclesiæ direpta: hoc prodit Anastasius p. 180. b. illud 172. b. IMOLA olim *Forum Cornelii*, *cujus Castrum Imolas appellatur*, ut scribit Paulus 2. 18. quod si opus Clephonis Regis juxta Sigonium A. 575. qui eidem hoc nomen indidit, Clepho igitur Exarcho illud præripuit. BONONIA primò Græcis adempta à Liutprando Anno 727. apud Paulum 6. 49. frustra triennio post ab Exarcho oppugnata ex eodem 6. 54. in fine. FERRARIA, de cujus nomine, situ, & tempore quam unquam diversimodè scriptum! Quot de nomine fabulæ apud Gasparem Sardum *Hist. Ferrar. lib.* 1. per totum! Quot apud Albertum p. 345. deque illius origine! Tædet adhuc eas legere. Plaudit cum Blondo Rubeus *l. 1. p. 71.* quibus placet, Ferrariam dictam à ferro, (sicut *Argenteam* ab argento, & ab auro *Aureolum*) Ecclesiæ Ravennati quot annis in tributum delato. At in Padanis paludibus ubi fodinæ? Verisimile ad summum apparet ex diminuto nomine loci *Ferrariolæ* auctum recens Ferrariæ. Neque de Ferrariolæ loco fidem nobis facit frivolum Theodosii II. decretum *A. ab Incarnatione Christi* 425. &c. in quo nititur Albertus p. 346. potiùs *Chronica Ferrariensis col.* 478. hodie primum edita à Cl. Muratorio (C. H. t. 8.) ubi quoque de situ ter mutato, ut infra n. 83. quod si verum, labat Cluverii, aliorumque eruditorum sententia apud Cellarium pag. 699. Ferrariam *Fori Alieni* nomen ante tulisse. Planè id non probatur ex Tacito, qui solus illius meminit *H. lib. 3. p.* 648. Lipsii, & scribit: *Inde Patavium, & Ateste partibus adjunxere* (Flavianæ legiones). *Illic cognitum, tris Vitellianas cohortes ..... ad Forum Alieni, ponte juncto consedisse. Placuit occasio invadendi incuriosos* &c. Et quodnam flumen hic *ponte juncto*? Nonne inter Ateste, & Ferrariam, quæ in situ Fori Alieni dicitur, interpositi Athesis, Tartarus, Padus duplex, præter tot alios amnes, & fossas? Quare ignoto flumine, adhuc situs Fori Alieni ignoratur, quod longè à paludibus esse debuit, sicut Romanum Forum decebat. Qui Ferrariam esse Forum Alieni dixit fortè Bocacius fuit primus, lib. *de Fluminibus V. Padus*, quem tamen castigat Albertus p. 343. Inter Athesim itaquè & Padum, non cis, ubi Ferraria, Forum Alieni fuisse conjicimus: cum quia de transitu unius vix fluminis, & pontis loquitur Tacitus & in

Digitized by Google

in sequentibus: tum quia trans Padum, non cis theatrum prœlii ineundi tunc fuit. Ex casis igitur, massis, & vicis (sicut omnes Urbes in origine cœpere) ineunte sæculo VII. concretam Ferrariam, mœnibusque septam, in Castri formam redegit A. 606. Smaragdus Exarchus iterum, non Joh. Plato ut scribit Sardus *l. l.* p. 44. tum novæ Urbi Episcopum jam dedisset Vitalianus PP. ante Platonem. COMACLUM, ut & in Joh. VIII. *Ep.* 167. *Concil. t.* 9. (al. Comacula) Priscis ignotum, ideo medio ævo ex undis emersum, cum undis Adria cœpit immergi. Obscurum ab origine semper, & tunc solùm illustre, ex quo in controversiam deductum, Advocati Augustalis doctum calamum occupavit. Scripta à Sigonio de Comaclo A. 881. enodantur *in Pleniori* ejusdem *Expositione* pag. 114. ADRIA ex antiquioribus Italiæ Urbibus, ideo veteres de illa creberrimè: secus medii ævi Scriptores. Plura de Adria, sed expurganda, prodit And. Nicolius *de Orig. Rhodigii à p.* 23. GABELLUM quid? Volaterranus p. 41. Ludovicianam recitans Gabellum mittit, & *Cerviam* addit: hinc Petrus Messias *in Ludovico Pio* Gabellum idem ac Cerviam esse arbitratur. Albertus p. 307. & Baronius A. 756. n. 6. aliter Gabellum interpretantur: is *Castrum Tiberiacum*: ille Gabeum, sive Bagnacavallum; Baronium sequuntur Lexicographi *in Tiberiacum* quibus Gabeum, *ad Caballos*, & Bagnacavallum idem. Causa errandi fuit fortè locus corruptus Anastasii in exitu vitæ *Steph. III.* p. 172. b. nam ubi legitur *Faventiam cum Castro Tiberiaco, seu Gabellum*, legendum est *seu Caballo*, ut rectè in varia Lectione num. 101. Omnes evincit Lubin *Notit. Abb. p.* 160. *a.* cujus verba, ut depellantur tot errores, integra ferè exscribemus. „ Abbatia tit. S. Mariæ de *Gavello*, „ alias Govello, Ord. S. Benedicti, *Diœc. Adriensis* in „ Provincia Ravennatensi: ita *Codex taxar. Cam. Apost.* „ Cui Abbatiæ omnes territorii decimas A. 992. concessit Astulphus Adriensis Episcopus (Ughell. *t.* 3. *col.* „ 397.) *Gavellus vicus, sive terra in Polesino di Rovigo, & in foresto d'Adria*: 9. circiter m. pass. ab Adria excisa, occidentem hyemalem versus. In veteri Codice taxæ cameralis adscribitur Diœcesi Ferrariensi: in eodem de Gavello in Diœcesi Adriensi. Gabellum igitur Gavellum, quod sæculo VIII. Civitatem fuisse testatur Adrianus *Ep.* 52. *Cod. Carol.* ubi, *Comitem constituimus in quendam brevissimam Civitatem Gabellensem, præceptum ejusdem Civitatis illi tribuentes* &c. Ditionis Ferrariensis quandoque fuisse probant Gasp. Sardus *Hist. Ferr. p.* 33. sed antiquitùs Rhodiginorum laudatus Nicolius p. 48. Nec diligentiam fugit Magini, qui in tab. 33. Duc. Ferrar. Gavellum inter Adriam, & Ferrariam scribit: & prius in tabula 25. Peninsulæ Rhodigii 10. m. pass. à Rhodigio in ortum brumalem.

(83) Locis Ludovicianæ in Exarchatu descriptis, alia nonnulla in eodem contenta, quæque absunt ab illa, supplenda sunt modò, scilicet, a Bononia usque Ariminum Civitatem, & amnem: & primò à dextris inter viam Æmiliam, & Apenninum: exinde à sinistris ab eadem via usque ad Athesim, juxta longitudinem, & latitudinem Exarchatus propriè dicti. A dextris igitur fuit BRINTUM, de quo Agnellus *p.* 67. *b.* (C. H. t 2.) loquens de Episcopatibus Exarchatus Ecclesiastici hæc habet: *una verò Episcopalis Cathedra Civitas destructa est, cujus vocabulum Brintum dicitur, non longè à Bononiense Urbe*. Vestigia remanent scripta in Magini tab. 35. ad lævam Savenæ amnis, 12. m. pass. à Bononia in austrum. De hoc loco Albertus pag. 324. & de Abbatia ejusdem loci Lubin p. 61. a. Scribitur *Brictum* ex Italico Castel de Britti. MUTILUM Blondo *Reg.* 6. *pagg.* 345. & 348. *Mutilana*, & vetustissimum Oppidum, ita, nam Livius ejus meminit *l.* 31. *c.* 3. *& l.* 33. *c.* 13. edit. Patav. Infra SUSSUBIUM, sive Castrum Sussubium apud Anastasium in Steph. III. p. 171. b. ubi variæ lectiones. Est dubio procul *Salsubium* nunc *Castrocarum* Blondo *Reg.* 6. *p.* 346. Alberto p. 314. Lexicographis in *Salsubium*, & Magino tab. 36. CIVITAS SOLIS, quæ vetus *Solonium*, & Solona Cluverio p. 291. & Cellario p. 674. ex satis laudatis. Alterum Solonium est in Latio veteri, de quo idem Cluverius p. 939. PETRA HONORII Lexicographis *Bertinorum* a Foro Popilii in austrum 1500. pass. & 8. mill. à Cæsena in occasum. Ipsum nomen est antiquitatis index: eoque magis si esset *Forum Brentanorum* Plinii 3. 14. ubi *Forobrentani*, non Forum *Truentinorum*, ut legit Volaterranus p. 87. cui adhæret Albertus 306. b. quæ lectio omnino abest a tribus codicibus nostris. Exactè describit hunc locum Petræ Procopius *B. Goth. l.* 2. *cap.* 11. sub finem. Memorat supra idem Plinius c. 13. *Truentum cum amne*, sed hoc ad mare in Pentapoli, ut dicemus. Est quidem altera *Petra* in Magini tab. 36. inter Mutilum (Modigliana) & Civitatem Solis, sed ea nullius nominis, ut absit à pluribus tabulis, nec de ea cogitavimus. SARSINA (interdum *Sassina*). An etiam *Farsina*, *sic enim repertum in antiquis marmoribus in eo loco, non Sarsina*, ut scribit Volaterranus *lib.* 6. *p.* 133. videant Viri docti. Aliter marmora, Geographi, & Poetæ, apud Cellarium p. 741. & 42. scribentes semper, ut supra. An idem ac Bobium, satis supra exploratum. SERRA apud Anastasium in *Stephano III. p.* 171. b. ad fontem Aprusæ, quæ *Luso* flumen in Magini tabula 36. Romandiolæ, & ibi *Serra* adhuc hodie. CAPRÆ in Apennino ad fontem Arimini, de quibus Lexicographi. *Id loco nomen* (A. 552. ut ait Procopius *B. Goth.* 4. 32.) *ubi intermissa fuga* (Gothi) *curarunt vulnus Totilæ, quem paulo post mortuum, inibi comites mandarunt humo, & abscesserunt*. Bononiam, unde discessimus, regredientes, & reliqua ad sinistram Æmiliæ viæ loca nunc observemus. Non procul ab ea OECUBARIA, cujus meminit Zosimus 5. 37. Sic Alarici Romam pergentis A. 403. iter describens: *Quumque flumen* (Padum, ubi Cremona) *transjecisset velut in festa quadam celebritate, hoste nullo prorsus occurrente, quoddam ad Castellum Bononiæ venit, quod Oecubariam vocant: hinc Æmilia tota peragrata, relictaque Ravenna, Ariminum accessit Urbem Flaminiæ magnam*. Solus Ortelius, quod sciamus, hoc Oppidum observavit *in Thesauro Geogr.* & in Theatro t. 25. locat ad lævam Rheni, 6. m. pass. à Bononia. Nullum ejus vestigium in tabulis nostris nov-antiquis apparet. BUTRIUM, de quo Veteres Geographi, nomen servat antiquum. VICOHABENTIA describitur in loco, quem innuunt Lexicographi, scilicet 16. milliaribus à Ferraria Comaclum versus; an rectè, fidejubere nolumus. Est Vicoventia Alberto p. 343. Abest à Magini tabula 33. *Duc. Ferrar.* Attamen conjicimus posse esse locum, qui in eadem tabula dicitur *Sandalus*, reapse 16. m. pass. à Ferraria Comaclum versus. Sandalus quoque est Alberto alter, & minor alveus Padi tres in amnes divisi, ad cujus dexteram extat Ferraria à Smaragdo mœnibus primò cincta: ter enim mutasse situm affirmat etiam Chronographus Ferrariensis in principio *Chronicæ*, sic scribens: *Prima sedes Ferrariæ fuit apud Vicum Aventinum, ubi nunc est Plebs Vicoventiæ*. Igitur 16. m. pass. distans a situ recenti. Exinde propiùs accessit boream versus, ideo *secunda in capite Insulæ, sive Pollicini S. Georgii*: sed ibi exagitata à Ravennatibus, superius ascendit, & trajecto Padi alveo minori, ad hujus dexteram resedit immobilis *tertio in loco proximo, ubi nunc Civitas visitur*. Paulo fusius eaidem tres migrationes infra *col.* 478. declarat, cum inquit: *Episcopalis sedes primò fuit in Vico Aventino, qui nunc dicitur Vicoventia*. (Et hac ratione in Caroli a S. P. *Geograph. Sac. Prov. Ravenn. p.* 63. non Ferraria recensetur, sed *Vicohabentia*, Vogenza, ex Petri Chrysologi *ser.* 175. jam à sæculo V.) Pergit Chronographus: *secus quam* (Vicoventiam) *olim fluvius Sandalus defluebat de Pado antiquo in Padum, qui labitur præter Argentam*. Adhuc hodie Padus Primari Argentam adlambit. *Sandalum* dixit Albertus, brachium Padi esse, nec auctorem habemus, qui aliter illum explicet. Sequitur: *Secundò fuit apud Ecclesiam S. Georgii in capite Insulæ, ubi & Cives habitabant, & is locus Ferrariola dicebatur à nomine partis Padi, quæ nunc dicitur Fossa*. (Recentes adhuc tabulæ exhibent Polysinum S. Georgii, ejusque Ecclesiam in capite, è regione Ferrariæ, sed Urbe ad lævam, & Ecclesia ad dexteram sita, Pado interposito.) *Cum Cives Ferrariæ tunc molesti, & invisi essent Ravennatibus, & viribus impares, consilio publico deliberatum est, inde migrare cum omni re familiari, & ædificiorum materia, & sedem ultra flumen ponere eo loco, quo nunc Civitas visitur*. (En causa recedendi adhuc a loco Ferrariolæ, sive à dextera Padi ad lævam: ut flumen majus præsidium esset, & Ravennatibus obex.) *Nomen quoque Civitati novæ dederunt, quod est Ferraria à prisco nomine Ferrariola*, ubi secundò ex Vico Aventino, sive Vicohabentia confederant. Ex his seriò collatis Scriptores harum rerum non modicum lumen accipient, dum non satis has migrationes distinguunt, scribentes, Vicohabentiam esse Ferrariam: vel Ferrariolam idem cum Ferraria, quæ sic prolata, sunt falsa. ARGENTA, cujus conditor communiter creditur (ut apud Rubeum *l.* 2. *p.* 71.) Exuperantius Præsul Ravennas, qui exitum sæculi IV. & initium V. æque vidit. Ansam dedit errori Agnellus de eo scribens (C. H. t. 2. p. 62.) quod *& Civitatem Argenteam in processu construxit natalis ipsius Martyris* (Agnetis) *& usque nostris temporibus perduravit*. At in sensum adversum verba hæc trahit Abb. Bacchinus, observans, non rectè Civitatem vocari, cum alibi *Rus* eam appellet: non Exuperantii opus esse, sed antiquius: nec demùm de loco Agnellum esse intelligendum, sed re mobili, jamque consumpta. Videatur; etenim nobis horum nihil obsistit. Non primum, quia solemne medii ævi Scriptoribus, præsertim Anonymo Ravennati, Castra, Vicos, Villasque Civitates vocare; non secundum, nam sufficit nobis, Argentam medio ævo extitisse, ut & nunc extat: nec tertium hanc ob eandem rationem. Verum quidem est, quod, si Argen-

ta

Digitized by Google

ta *Rus* tantum erat ætate Agnelli, fallitur Blondus *Reg. 6. p.* 353. cum scribit, mœnibus fuisse cinctam (sicut Ferrariam) ab Exarcho Smaragdo. Ut ut sit, nostra interest scire, an antiquitùs adhæserit ripæ sinistræ Padi, qui *Primarj* dicitur, ut hodie in tabulis scribitur, vel potius ab ea Padus distaverit. Affirmare distantiam duorum milliarium non veremur, Chronographo Ferrariensi scribente *col.* 475. de eodem Padi alveo, ni fallimur, quod *eminus per duo millia passuum sinistra Castellum Argentæ relinquens, per territorium Ravennæ Adriaticum sinum petens, longè ab Argenta per* 22. *m. passuum*. Nec obstant, quin potius id confirmant sequentia verba *col.* 478. de Sandalo supra relata, nempe quod Padus *labitur præter Argentam*. Sanè *præter* hìc sonat contra, vel ante, quod verum, ut ideo Argentam à sinistra Padi ripa 2. m. pass. distantem scribamus. Antequam Exarchatus extrema maritima loca adeamus, RHODIGE ad boream Tartarum inter, & Athesim est observandum. Locus medio ævo obscuri nominis, in quo Castrum condidit Paulus Episcopus Adriensis, ut ex Charta Johannis PP. X. Indict. 8. Mens. Maji (A. 920.) apud Nicolium *de Orig. Rhodigii p.* 56. Ibi *Curtem Bonevico, quæ vocatur Rhodige..... ut liceat tibi in dicto loco Rhodige Castrum constituere &c.* Difficile nobis videtur, Anonymum Ravennatem in hoc tractu omisisse antiquissimam *Adriam*. Post *Adestum* (A teste) sequitur p. 205. *Adrianopolis*, quam Porcheronus interpretatur esse *Arianum*. Utique hoc Oppidum extat ab Adria 9. m. pass. in meridiem, & ad lævam brachii, quod Padus emittit in loco *delle Papozze*, ibique in novis tabulis scribitur *Polesino di Ariano*. Verum id esse *Adrianopolim* Anonymi, nulla ratio, ut credamus, nos movet. Putat adhuc, Arianum esse Oppidum *Radriani* mendosè scriptum in tabula Theodosiana *Segm.* 3. sed mendum est in R. pro aspiratione H. ideo legendum *Hadriani*, quod Adrianopolis Anonymi, hoc est Adria. Igitur (præterquam quod Anonymus ignorare, nec omittere potuit Adriam à sua Patria haud diffitam) non advertit Porcheronus *Radriani* in Theodosiana scriptum secus mare, ubi verè Adria, *Arianum* verò esse remotum à mari, & ab Adria, ut supra. Demum adhuc Arianum πόλις ubi legitur? Tripolim Ravennam revertamur. CLASSIS dicta à classe olim ibi ab Augusto pro tutela superi maris locata, ex Vegetio 4. 3. ter armis Langobardorum, ut narrat Paulus, succubuit, scilicet A. 578. quo *Faroald. I. Spoletanorum Dux cum Langobardorum exercitu Classem invadens, opulentam Urbem cunctis divitiis nudam reliquit* (3. 13.) A. 587. recepta à Smaragdo (3. 18.) quievit. Sed A. 712. vel paulò post, *Feroaldus II. Spoletanorum Ductor Classem invasit, sed jussu Regis Liudprandi eadem Romanis reddita est.* (6. 44.) Demum A 725. *Liudprandus Ravennam obsedit, Classem invasit, atque destruxit.* (6. 49.) *Cæsarea* media inter Ravennam & Classem, utrique *conjuncta erat, ut una cum illis Civitas videretur*, ut ait Rubeus *l.* 4. *p.* 157. Plura de ambabus & ipse, & Blondus *Dec.* 1 *lib.* 8. ineunte, fusiusque Albertus p. 306. à conterraneis peritis edoctus. FICOCLE Urbs Exarchatus extrema: sic scribitur ab Annalista Bertiniano A. 863. (al. Phycocle: & Phicode) nunc *Cervia*, quo nomine etiam vocatur medio ævo ab Agnello in *V. Felicis cap.* 3. Singularia de ea prodit Albertus p. 302. ex quo sumpsit Ortelius in *Phycocle*.

SECTIO XVII.

(84) *Pentapolis* etymon: fines: cur sic dicta, etsi Urbes supra quinque: duplex *maritima*, & *mediterranea*: Urbes non rectè assignatæ: Quæ verè. (85) Utraque Pentapolis, Urbes plus plusquam X. complectens, rectè ne dicta *Decapolis*? *Annonaria Pentapolensis* Anonymi Rav. quæ: Quando, & à quo Marchæ Anconæ nomen ei factum (quod obscurum) inquiritur. (86) Ecclesiæ juribus à sæculo XI. læsis, huic Marchæ Teutoni solùm Marchiones sæculo XII. & ultra, præfecti, & quinam: *Marcham Anconæ* Firmanam prius dictam fuisse, nondum probatur. (87) Maritimæ Pentapolis Urbes, an hujus caput *Ariminum*; Liutprando fatale: *Concha*: *Catholica* cur, & quando sic dicta: Reliquæ: *Sextia*: Flumina, quæ in Adriaticum evolvuntur. (88) *Titanus* mons: *Acerragio* pro S. Marino: Codices omnes Anastasii multifariam corrupti emendantur, Scriptoribus notatis. (89) *M. Feretri*. *M. Lucari*: *Macerata* M. Feretri ex Pitino: *Massa Trabaria*: Ubi *Aleria* conficta, ibi Verona corruptè: *Luceoli*, & reliqua Loca.

(84) POst Exarchatum sequitur ab ortu Pentapolis, eadem Ludoviciana duce, nunc describenda. A quinque Urbibus dici debuit; vulgata namque res est, à πέντε quinque, & πόλις Civitas Pentapoles appellari, quarum plures in Palæstina, Cyrenaica, Doride minoris Asiæ &c. ut apud Geographos. Sed cur hæc Regio partem Flaminiæ, & Piceni complectens, Urbesque numero super quinque, quinimo & super decem Pentapolis nuncupetur, facilè non est explicare: quod ut assequamur Pentapolis fines prænovisse est necesse. Parum feliciter Blondus posteros docere cœpit jurisdictiones Græcam, & Langobardicam, nusquam distinctas in ora litorea Adriatici à Ravenna in Sipontum, ut patet ex ab eo traditis *Hist. dec.* 1. *l.* 8. exeunte p. 116. quæ opportunè observabimus, modò incipiendo à Pentapoli, quam cum Exarchatu confundit. Etenim agens de rebus Aistulfi *Hist. dec.* 2. *l.* 1. *p.* 152. hæc prodit: *Quod autem Pentapolis complexa fuerit V. Civitates, verbi proprietas arguit, easque Ravennam, Cæsaream, Classem, Forum Livii, & Forum Popilii fuisse constat*. Eadem verba transcripsere Rubeus *Hist. Rav. l.* 4. *p.* 194. & alii: sed qua ratione, divinare nescimus, eadem namque occurrit ratio in contrarium, præter alias, scilicet in hoc tractu Urbes fuisse numero plures. Utique Paulus 2. 19. in Chorographia sua dicit, quod „ undecima Pro„ vinciarum est Flaminia, quæ inter Apenninas Alpes, „ & mare est Adriaticum posita, in qua nobilissima Ur„ bium Ravenna, *& quinque aliæ Civitates consistunt*, „ *Græco vocabulo Pentapolis dictæ*. „ Ex his tamen verbis neque argui potest, Ravennam fuisse in Pentapoli, neque cæteras V. eas esse, quas Blondus enumerat. Ex Urbibus in Ludoviciana recensitis forsan & V. Urbes Pauli, & facilè fines Pentapolis dignoscemus. Dum igitur Ludoviciana enunciat *Pentapolim*, has quoque Urbes in ea contentas recenset, *Ariminum*, *Pisaurum*, *Fanum*, *Senogalliam*, *Anconam*, *Auximum*, *Numanam*, *Æsium*, *Forum Sempronii*, *Montem Feretri*, *Urbinum*, *& territorium Balnense*, *Calles*, *Luceolos*, *Eugubium*. Ab Anastasio *in Steph. III. p.* 171. *b.* (cum & ipse enumerat Urbes traditas Ecclesiæ à Pippino, permiscendo simul eas Exarchatus cum Pentapolitanis) adjunguntur *Acerragio*, *M. Lucari*, *Serra*, *& Castellum S. Mariani* (al. S. Marini) septem alia loca inter Pentapolis fines & nos addidimus, ex quibus omnibus in suo proprio situ consideratis apparet, *Ariminum* esse Urbem occidentaliorem, & infra non procul *Montem Feretri*, ut ideo statuamus, limitem Pentapolis *ab occasu* Ariminum Urbem, & amnem esse debere, eoque præsertim cum idem limes orientalis fuerit Exarchatus ex prædictis num. 81. Nulla est difficultas *à borea*, Adriaticum enim totam maritimam oram adlambit. Limes *ab ortu* circa mare certè est amnis *Misee* (al. Musio: & Musone) in quem cadit *Aspis*. Et hìc NB, ne oriatur confusio, trans Miseonem esse *Potentiam* amnem, & exinde alium amnem *Miseum* olim dictum, nunc *Asino*, ut in Magini tab. 37. prope Civitatem novam, hinc aliud *Miseo*, aliud *Misium*. Ratio, cur Miseonem statuamus Pentapolis finem semper eadem est, qoia nempe ex enumeratis Urbibus *Numana*, sive Humana est orientalior, & proxima Miseoni, qui illius agrum abluerit. At circa Apenninum est amnis *Æsis* (Esino, & Fiumesino) ad cujus lævam in declivitate Apennini extat *Luceolum*, quo nullus alter locus orientalior, ut in Ludoviciana. Tandem *ab austro* idem Apenninus: sed ubi *Calles* (sive Callium) à recta deflectere oportet. Apenninum ascendere, & Eugubium petere in ipsius declivitate australi locatum, quoniam Eugubium Pentapoli in Ludoviciana accensetur, distatque à Callio 16. m. pass. in meridiem. Verum tamen est, Eugubium politicè potius quam geographicè ad Pentapolim pertinuisse, cum trans Apenninum, & in Umbria propriè dicta illud fuerit: ubi cæteræ Pentapolis Urbes in Piceno erant locatæ. Nunc quomodo hæc Regio tot Urbibus, Oppidisque referta potuit unquam dici tantùm Pentapolis? Res nova non est, nomen terræ alicui attributum, in proximos paulatim agros, mox & in remotiores migrasse: ut supra num. 70. de Venetia. *Nec dubium est* (ut exemplo, & verbis Octaviani Ferrarii de *Orig. Romanor.* sub initium utamur) *quin Italiæ nomen à Bruttiis ad proximos Lucanos transierit, & ab iis ad Picentinos, tum ad Campanos, inde item ad Latinos, ubi tanquam domi suæ, aliis sedibus relictis, remanserit*. At non: ad Tuscos, ad Rubiconem, ad Alpes denique fuit translatum. Nonne nomen Latii opposito motu ab agro Romano fuit ad Campanos, & ultra prolatum? Et sequiori ævo Campania Latii nomen è contra delevit? Quid simile & Pentapoli evenit. Quinque maritimas Urbes, mox designandas, id nomen tantum comprehendebat ab initio, quando nempe Longinus Italiæ novam constituit œconomiam. Exinde ad universum tractum, hinc ad Apenninum, inde ad Picenum Spoletanorum (quem Græci à Langobardis tueri potuere) se extendit. Attamen, ut quoddam esset discrimen veterem inter, & novam, sive adauctam Pentapolim, bifariam fuit divisa, scilicet in MARITIMAM, quæ vetus, & in MEDITERRANEAM, sive Montanam, quæ nova. Id nondum fortè ab ullo observatum cognoscimus ex Adriani *Epistola* 51. *in Embolo p.* 196. ubi conquestus usurpatas à Leone Pseudopræsule Ravennate Ci-

Digitized by Google

Civitates Æmiliæ, queritur item *de reliquis Civitatibus utranque Pentapoleos ab Arimino usque Eugubium, omnes &c.* Eleganter ideò Gregorius II. post captam à Liutprando hanc *utranque Pentapolim*, scribens A. 726. ad Leonem Isaurum, *Decapolim* dixerat, ut legitur in ejus Epistola I. *Concilior. t.7.col.19.* ubi hæc verba facit: *Langobardi, & Sarmatæ, cæterique, qui ad Septentrionem habitant, miseram Decapolim incursionibus infestarunt, ipsamque Metropolim Ravennam occuparunt, & ejectis Magistratibus tuis, proprios constituere Magistratus.* Cognita ex prælaudatis Epistola Adriani, & Ludoviciana extensione Pentapolis *ab Arimino usque Eugubium*, perspicuum est, nullam ex V. Urbibus à Blondo, & Rubeo enumeratis constituisse Pentapolim: namque illas omnes extra hujus fines ritè probatos evidenter percipimus. Quænam itaque fuerint, non aliunde colligere scimus, nisi ex subscriptionibus Episcoporum in calce *actionis 4. Synodi VI.* Constantinopolitanæ sub Agathone A. 681. (Tom. 6. Labbei col. 705.) ubi sex Episcopi *Arimini*, *Pisauri*, *Fani*, *Numanæ*, *Auximi*, & *Anconæ* dicuntur Episcopi *Provinciæ Pentapolis*. E contra finè hac expressione se subscribunt Episcopi *Ravennas*, *Cornelienſis*, & *Liviensis*. Ex quibus clarè videtur, quod V. Civitates Pentapolis Pauli 2. 19. minimè fuerunt illæ, quas Blondus, & Rubeus affirmant. Nec obstat, Paulum nominare *Ravennam*, hanc enim nominat, ut sedem Magistratus, cui suberat Pentapolis, non quia in Pentapoli existeret, quin imò à Pentapoli Ravennam excludit: sicut & Collector *H. Miscellæ p.* 138. *b.* (C. H. t. 1.) ubi unus ex filiis Orbati Bulgariæ Principis *ab Urbe Ravenna in Pentapolim* venit. Eaidem sex Urbes Pentapolis eodem ex fonte Synodi VI. recenset etiam Holstenius *in Ortelium p.* 147. Quo confirmatur, Pentapolim ab initio maritimam tantùm fuisse. At quis dicet, & rectè, si Pentapolis est, quomodo sex contra nominis proprietatem? Et si maritima, cur non inter illas enumeranda *Concha* inter Ariminum, & Pisaurum: vel saltem *Senogallia* Urbs antiqua, & Episcopalis, saltem ab A. 562. si non à sæculo I. ut dicitur apud Ughellum *t. 2. à col.* 956. de Christi Discipulo Sabiniano, & successore Justo? Eccur potius præ illis *Auximum* 15. m. pass. à litore distans? Appositè quidem *Auximi* adjectio, & è contra *Concha* (nunquam Episcopalis) & Senogalliæ defectus faciunt, ut credamus, tempore VI. Synodi Pentapolis nomen ad universum tractum inter Adriaticum, & Apenninum jam fuisse prolatum, dum Episcopus Auximi Synodo interfuit, *& Provinciæ Pentapolis* se subscribit. Absuit ille Senogalliæ, sicut cæteri Urbini, Fori Sempronii, & Callii, quæ Urbes jam Episcopales eo tempore, ut ex Geographia Sacra *in Piceno Annonario p.* 54. cum Holstenio, & ex Ughello *tom.* 2. suis locis. Sciendum tamen, medio ævo plures Ecclesias diu suis orbatas Pastoribus inveniri, etsi priori ævo ipsos habuerint: sed an defectu electionis, sive diptycorum, nescimus.

(85) Tria ex prædictis emergunt dubia pro pleniori notitia Pentapolis exsolvenda. Unum oritur ex phrasi Gregorii II. qua in laudata Epistola ad Leonem Isaurum Provinciam hanc *Decapolim* vocat, quando supra X. Urbes (id enim significat Decapolis) continet, ut cognosci facilè potest, enumeratis, quæ in Ludoviciana enunciantur, aliisque adjectis *in Geographia Sacra* p. 54. & à nobis in tabula, præter Oppida insignia. Nihilominus S. Pontifex rectè dixit *Decapolim*, quia erant sua ætate XI. tantum in Provincia Pentapolis Urbes Episcopales: nec propter excessum unius impropria voce usus est, cum denarius, sive decas, utpotè numerus perfectus, & harmonicus, sæpissimè pro numero majori usurpetur. Minus propriè *Undenopolim* semigræcam, barbaram, ac insuetam vocem adhibuisset. Fortè nondum Eugubium tunc accensebatur Pentapoli, ut trans Apenninum, quod adhuc accensum putamus politicè potius, quam Geographicè, cum esset sejunctum, ut paulo supra monuimus. En illo tempore Urbes, quas Pentapolis complectebatur *Æsis*, *Ancona*, *Ariminum*, *Auximum*, *Callium*, *Eugubium*, *Fanum*, *Forum Sempronii*, *Numana*, *Pisaurum*, *Urbinum*. Episcopales sæculo VIII. omnes fuisse, & longè ante percipimus cum ex Geographia Sacra p. 54. *in Piceno Annonario*, tum ex Ughello *tom.* 1. *&* 2. in singulis hisce locis. Fortè & Urbes tunc fuerint, sed honorariæ tantum, & nondum Episcopales *Mons Feretri*, sive S Leo, cujus I. Episcopus *Agatho* A. 826. apud Ughell. *t.* 2. *col.* 932. (Abest à Geograph.Sac.) *Macerata* ab A. 1323. & *Tifernum Metaurense* quod novissimè *Urbania* à Summo Pontifice Urbano VIII. Episcopo condecorata. Alterum dubium emergit ex Anonymo Ravennate p. 199. à quo inter Provincias Italiæ adeo inordinatè, & crassè dispositas, enumeratur *Annonaria Pentapolensis*, ibi annotante Porcherono, *nunquam hactenus audita*. Utique inaudita, quia vox ex veteri Romano, novoque nomine Græco barbarè complexa. Sed facili negotio explicare eam poterat, dicendo, esse partem *Piceni Annonarii*, cui exinde Pentapolis nomen accessit, & Urbes nonnullæ supra recitatæ Pentapolis, sive Decapolis, accensebantur, excepto Auximo, quod Piceno Suburbicario, saltem in Geographia Sacra p. 55. tribuebatur. *Provinciam* quoque *Annonariam* nedum ex Urbibus Pentapolis, sed etiam ex aliis Umbriæ, Tusciæ, Latii &c. conflatam habemus in Leonis Sapientis Notitia 17. apud Schelstratensem, in Append. ad *Antiquit. Eccl. p.* 682. cui nulla *Suburbicaria* correspondet, dum Annonaria adhuc Urbes Suburbicariæ complectitur. De reliquo adhuc præcedentia Anonymi verba clarè demonstrant, mediam inter Exarchatum, & Ducatum Spoletanum, sive Picenum Suburbicarium Annonariam Pentapolensem fuisse positam, inquit enim: *ad mare magnum Adriaticum est Provincia Flaminia Ravennatis* (en Exarchatus.) *Item Annonaria Pentapolensis* (infra ad ortum) *est super ipsam Pentapolim* (Annonariam, sed ordine inverso, rectè adhuc infra) *Provincia Castellorum, quæ ab antiquis* .... verba desunt, certissimè ita supplenda *Picenum fuit dicta*, ut num. 120. cum de Ducatu Spoletano cis Apenninum erit sermo, sive da Marcha Firmana num. 121. Quod tertiò in dubium venit, ut valde nobis obscurum, est de tempore, quo Pentapolis, Græco dimisso nomine, in Marchæ formam redacta, cœpit Marcha Anconitana vocari: quod examinare spopondimus num. 43. Attamen hac de re, auctore, præsertim Pompejo Compagnono, qui satis nobis faciat, destituti, cupimus edoceri. Nihil discimus ex Blondo, qui *Reg. 5.* ineunte p. 335. vix scribit, quod *Marchia Anconitana aliquando prius fuerit appellata Marchia Firmana*: quod probare censet ex gestis Gregorii VII. in quibus *legimus, Robertum Guiscardum, quia Marchiam occupasset Firmanam fuisse excommunicatum*. Nondum percipimus quod quærimus, neque id facile, vel finè prævio examine citò credendum, etsi tot alii sentiant cum Blondo. Utique Robertus fuit anathemate perculsus A. 1074. ut prodit etiam Leo Ost. 3. 45. (alias 44.) quia Beneventum obsederat: iterato eodem fulmine, auctore Baronio A. 1075. n. 8. quia bona Ecclesiæ invadere non desistebat. Verùm his rationibus vix probatur sæculo XI. Marchæ Firmanæ nomen inductum, non Anconitanæ, neque Pentapoli, extra quam Firmum erat, Marchæ nomen invectum. Adhuc ante dictum S. Pontificem Marchæ Firmanæ nomen legimus in libello dotis Miczæ filiæ Johannis apud Baluzium in Appendice *Capitular. t. 2. col.* 1550. A. 1044. in quo legitur *infra territorium Pinnense, in loco, qui nominatur S. Iojano, aut infra istam Marchiam Firmanam, aut infra totum Regnum Longobardorum*: & ad hoc Regnum spectasse Marcham Firmanam adhuc sæculo XI ex hac expressione conjicimus, quicquid dicat Sigonius A. 973. Antiquiorem quoque mentionem habemus Marchæ Firmanæ sæculo X. hoc est ætate Benedicti VII & Ottonis II. nam laudatus Leo 2. 6. bona recensens, quibus Gisulfus Salerni Princeps Cœnobium Casinense donaverat, innuit *& in Marchia Firmana*. Nondum his sæculis nacti Marcham Anconitanam, seriùs fuisse institutam conjicimus: quamquam Sigonius inter Regiones, & Marchas, in quas erat Italia divisa d. A. 973. Anconitanam enumeret, Firmana suppressa. Unde id hauserit, ignoramus. Sigonio sanè obstat Constitutio Ottonis III. A. 999. de qua fuit sermo supra n. 21. dum ibi Pentapolis in VIII. Comitatus partitur, nulla Marchæ mentione facta: quin imò Ancona Comitatus dicitur, ut infra n. 86. Nos quidem scimus, ex quo fuit Pippino Italia tradita à Carolo Patre, Exarchatum propriè dictum in Romaniæ quidem concessisse nomen, Pentapolim verò sæculis VIII. IX. X. & ultra id nomen Græcum servasse, sicut probant *Lex* 40. Pippini (C. H. tom. 1. p.2. p.123.) ubi ,, de fug. cibus, qui in partibus ,, Beneventi, & Spoleti, sive *Romaniæ*, vel *Pentapoli* ,, confugium faciunt, ,, *&c.* Sequenti sæculo IX. Sanctus Nicephorus Constantinopolitanus Patriarcha *in Brev. historico p.* 23. edit. Regiæ memorat *Ravennatem Pentapolim*: eodemque sæculo Johannes VIII. *Epist.* 293. (apud Labbeum t. 9.) scribit ad Carolum Crassum A. 882. *Nobis in Pentapoli, hoc est in Urbe Fano consistentibus* &c. Item in Chronico Casaurien. p. 811. sub A. 875. *Per totam Pentapolim*. Et sæculo X. ejusdem mentio habetur in præcepto Berengarii I. Chronico Casauriensi inserto apud Dacherium *Spicil. t. 5. p.* 399. sicut in altero Ottonis ibidem p. 406. missis alias memoratis chartis Ottonis, & Henrici Pii apud Baronium AA. 962. & 1014. quæ exemplaria sunt Ludovicianæ adauctæ. Hæc ante tempora nondum Marchæ Anconitanæ nomen nobis innotuit, itaut mera sint somnia, quæ Albertus, loquens de hac sua *Regione* 13. *à p.* 276. b. adeò firmiter scribit, & iteratò repetit, *Langobardos etiam duos instituisse Marchiones, unum Tarvisii, alterum Anconæ, à quo Marcha Anconitana, perpetuos & Ducibus adhuc Provincialibus superiores*. Cuncta prorsus erronea ex jam generatim adductis num. 37. Speciatim verò perspicuus est error ex eo, quod Exarchatus latè sumpti pars erat

Digitized by Google

Pentapolis: etsi Liutprandus eam ceperit, nunquam tamen probabitur, tunc Marcham fuisse factam, quia id nomen Langobardis ignotum. Hujus Marchæ notitiam antiquiorem non habemus ex priscis documentis (nos saltem) illa, quam haurimus, adhuc anonymam, ex Epistola Gregorii VII. ad Desiderium Abbatem Casinensem, & Cardinalem, apud Sigonium A. 1081. & Baronium n. 12. ubi hæc ad rem nostram: „ Volumus, „ te scire, Henricum (IV.) qui dicitur Rex, in *suburbanis Ravennæ* versari, eo animo, ut ad Pentecosten ad Urbem accedat. Habet ex Transalpinis, & „ Lombardis manum exiguam. Verùm sunt, qui dicant, eum ex Ravennatibus, & *Marchianis* supplementum esse scripturum . . . . . Comitissa Mathildis ad me scripsit, se comperisse, Henricum cum Roberto Duce pepigisse, ut filius Regis „ filiam Ducis sibi despondeat, & Rex Duci *Marchiam* „ tribuat: „ Marchiam scilicet, à qua Marchiani supra memorati, qui, uti proximi Ravennæ, credi possent Anconitani. Nullum tamen Anconæ Marchionem hac ætate expressè scriptum cognoscimus, ut perinde non omnis dubitatio sublata, quin etiam esse possit Marcha Firmana, adimenda ab Henrico Gregorio VII. vel Duci Spoletano. Quis enim hujus Marchæ tunc dominus? Utique ævo Langobardico, ac Francico Ducatus Spoletani pars erat, ut num. 117. constabit. Similiter sæculo X. usque ad Berengarium II. pulsum ab Ottone M. à quo Ducatus Pontifici dimissus, ut dicitur à Sigonio A. 973. utrumque tamen incertum, imò falsum item esse patebit num. 113. Utique sæculo XI. Gregorius VII. in Synodo Romana coacta A. 7. ejus Pontificatus, juxta Cardinalem de Aragonia in ejus vita *p.* 310. *e.* (C. H. t. 3.) interdicit quemquam Normannorum qui *terras S. Petri, videlicet illam partem Firmanæ Marchiæ, quæ nondum pervasa est, & Ducatum Spoletanum* &c. *invadere, vel deprædari præsumpserit*. Hæc definita A. 1080. quo terræ S. Petri dicuntur, propter oblationem tamen ipsarum Ecclesiæ factam A. 1077. à Mathilde, juxta Leon. Ost. 3. 49. cui accesserant tenore dictæ donationis post mortem eodem anno Godifredi Gibbosi sponsi Mathildis ex Ducibus Lotharingiæ: & Beatricis Matris Mathildis

Anno milleno, bis terno, septuageno,

ut notat Donizo *l.* 1. *cap.* 20. *v.* 6. Porrò Spoleti Duces fuisse Mathildem, & Beatricem, harumque Conjuges, jure tamen uxorio, itemque Bonifacium Patrem Mathildis, & Thedaldum ejus Avum demonstrare spondemus, cum de Ducatu Spoleti *numm.* 115. & 116. erit sermo. Verum quidem est, quod neque ex Scriptoribus, neque ex documentis hactenus visis ullus expressè apparet Dux Spoleti ab ævo Ottonis III. ad Henricum IV. sub quo Martinus Polonus Scriptor sæculi XIII. ad A. 1072. loquens de Normannis qui Apuliam occupaverant hæc habet: *quos Dux Spoletanus Godefridus in Comitissa devota filia S. Petri Mathildis expulerunt*. Sed non rectè rem exprimit Martinus. Is Godefridus erat Beatricis alter Maritus, post Bonifacium, ductus ex Germania à Leone IX. pro quo militavit, sed non A. 1072., obierat enim A. 1070. & *Barbatus* cognominabatur. Conjux Mathildis *Godifredus Gibbosus* erat dictus ejus filius qui aliquando hostis fuit Gregorii VII. ut dicemus. Is quidem ut sponsus Mathildis dicitur Dux Spoleti, à Scriptore Anonymo prosaicæ *Vitæ Mathildis cap.* 7. qui laudat Martinum, & Landulfum a S. Paulo antiquiorem, ut in Præfatione Cl. Præfecti Saxii Annotatoris (H. C. t. 5.) Nemo horum tamen ad rem nostram memorat Marcham Firmanam, minus Anconitanam, ut ideo dubitemus, an Gregorius in laudata Epistola ad Desiderium de Marchianis, & de Marcha Anconitana loquatur, vel de Firmana. De hac tamen, non de illa loqui posse conjicimus, dum Cl. Muratorius in *Doniz. l.* 2. *nota* 192. ex Pompeji Compagnoni *Regia Picena* nos monet, quod „ tempore Mathildis *VVarnerius Dux & Marchio* „ Regioni illi dominatus fuisse videtur. „ Addit Dinus *de Antiq. Umbror. cap.* 10. *p.* 79. ex eodem Compagnono, quod „ in Historia Picena (lib. 2. f. 613. 70. „ 99.) ex vetustis instrumentis (habetur) *A.* 1063. *Guarnerius Marchio imperium totius Provinciæ Anconitanæ accepit*. Hæc ne expressa verba in instrumentis? legitimè ne, an intrusus contra jura Mathildis? Sine auctore cæcutimus. Sed cæcutit & Dinus, dum his luminibus affectus, paulò supra hæc putida admittit: „ certam Italiæ Regionem *hodie* dictam Picenum *nunc* „ Marchia Anconitana, quo nomine cœpit vocari *Lon*„ *gobardis in Italia vigentibus*. „ Quodnam discrimen inter *hodie*, & *nunc*? Et Marcha tempore Langobardorum? Si postea ille Guarnerius A. 1063. imperium totius Provinciæ Anconitanæ accepit, falsum erit, quod eadem accenseretur ditionibus Mathildis, ut nonnulli opinantur apud Cl. Muratorium *l. l.* Sed nos demonstrabimus ex S. Petro Damiani quod Marcha Anconitana spectabat ad ditionem Mathildis, etsi fortè quis alter illam occupaverit. Id dabimus sub num. 115. Rigorosè, & exactè tamen loquendo A. 1063. Mathildis non dominabatur: vix agebat A. 17. vivebant ejus Vitricus *Godifredus* Barbatus, *Beatrix* Mater, *Godifredus* Gibbosus sponsus, etsi absens. Hos omnes fuisse Anconæ Marchiones sentiunt nonnulli Scriptores, ut mox jure tamen uxorio. Etenim Lambertus Schafnaburgensi. A. 1053. prodit, *quod Marchio Italorum Bonifacius obiit: cujus viduam Beatricem Dux Godefridus* (senior) *accipiens, Marchiam, & cæteras ejus possessiones conjugii prætextu sibi vindicavit*. Quæ verba ansam fortè dedere Fr. Rosieres in *Stemmat. Lotharingiæ t.* 4. *pag.* 217. *n.* 65. scribendi, quod & Godifredus junior *conjugem habuit Mathildem, vel Mechtildem, Bonifacii Anconæ, Pisarum, Hetruriæ, ac Mantuæ Marchionis filiam*. Verum hæc non cohærent Chartæ hujus Godifredi, quam præmiserat idem Rosieres in diplomatum exemplis *p. XIV. b. n.* 50. in qua inscribitur *Ego Godefridus, seu Gozelo dictus Struma parvus, ac Gibbosus* &c. & ibi post titulos Belgicos dicitur *Marquio Anconæ, & Pisæ*: silet Tusciæ, silet Spoleti, eccur? Probabile ne, naturæ sua vitia in charta detegere? Quisquiliæ cum tot aliis rejiciendæ. Nihilominus, ut dicebamus, primo nobis occurrit Cypriani Manentis Italica Historia, in qua p. 28. A. 1075. legimus quod *Comitissa Mathildis, & Godifredus erant Anconæ armata manu, ut Ecclesiam tuerentur*: & A. 1103. *Mathildem refecisse Abbatiam Claravallensem Anconæ*. Astipulari videtur Fr. M. Florentinus *Hist. Mathild. l.* 2. *p.* 334. scribens Italicè, quod *si Mathildis verè Marcham Anconæ possedit (cum hanc, vivente Bonifacio ejus Patre, alii possederint) dicere oportet, Mathildem cum conjuge fuisse in hanc Marcham inductam post Bonifacii mortem beneficio Pontificum, qui Nicolao II. successerant*. At neque V. doctus plenè satisfacit; nam si Mathildis verè Marcham Anconæ possedit, non beneficio successorum Nicolai II. sed jure paterno, ut ex Epp. S. Petri Damiani 15. *l.* 7. Bonifacio ejus Patri, expendenda num. 115. & scripta ante Nicolaum II. & 7. *l.* 1. de qua num. seq. ex quibus conjicimus, Bonifacium Marcham Anconæ tenuisse, & solum post ejus mortem alios Imperatorum beneficio occupasse circa tempus adhuc Nicolai II. Quare VVolph. Lazius de *Migrat. Gent. l.* 12. *pag.* 824. scribit inter Duces Spoleti num. 21. *Bonifacium Marchionem Spoleti, Anconæ* &c. constitutum ab Henrico III. Sed redeundo ad Marcham Firmanam, certum est aliam fuisse à Marcha Anconitana, quæ serius hoc nomen tulit, cum in prima institutione dicta fuerit *Marcha Guarnerii*, ut præfata demonstrant, & produnt Scriptores, ut mox. Ille porrò *Guarnerius* vel Pater fuit, vel Avus alterius *Guarnerii*, qui contra Mediolanenses apud Ænobarbum stipendia merebat A. 1158. cujus meminerunt & Radevicus *l.* 2. *capp.* 34. & 40. & Otto de S. Blasio c. 11. speciatim hæc scribens: *quadam eruptione cum Cæsarianis, ubi Italicis militibus obsidebantur, congressi VVernberum Italicum Marchionem præstantissimum cum multis aliis occiderunt de cujus nomine dicitur VVernberi Marchia*. Ergo adhuc Ottone IV. imperante ab A. 1208. vigebat hoc nomen, & si eodem tempore etiam *Anconæ Marcha* vocaretur, ut vocatur ab eodem Sanblasiano infra c. 20. sub A. 1166. Verùm tamen est, quod juxta laudata documenta Compagnoni, non ab hoc Guarnerio juniori, sed à seniori A. 1063. sic vocari debuerit. Hunc porrò Guarnerium seniorem eundem esse censemus (si tamen filius potius non est) quem memorat sub A. 1106. Chronographus Halberstadensis apud Leibnitium *tom.* 2. *pag.* 130. hisce verbis: „ *VVernerus quidam, qui ex parte Henrici* (IV.) Im„ peratoris Italiam procurabat, collectis undique co„ piis, corruptis quoque multa pecunia nonnullis Ro„ manorum Papa Paschale (II.) apud Beneventum „ moram faciente, quemdam Abbatem de Pharfarra „ Cathedræ S. Petri imposuit, mutato vocabulo ipsius „ Silvestrum appellans. „ Errat is Chronographus in persona Antipapæ, qui non fuit Abbas Farfensis, cum eo tempore esset *Berardus* III. ut in Indice Farfensi pag. 298. ab A. 1099. ad 1119. sed fuit *Maginulfus*, ut scribit Pandulfus Pisanus (falsò Petrus Papebrochio *in Conatu Chron. Hist.*) *in Paschali II.* p. 355. b. (C. H. t. 3.) Nec Abbas Maginulfus, sed Archipresbyter, dictus Silvester IV. ex Sigeberto, non vulgato, sed Miræi A. 1105. ubi habetur excerptum Epistolæ directæ Henrico Imp. *à Guarnerio Principe Anconitano*. Ibidem subjicitur, quod Maginulfus fugerat, ne fieret Papa. Sed „ Berto caput, & Rector Romanæ militiæ, quasi „ causa audiendi verbi vitæ, ad eum accedens, cum „ expeditione Cleri, & Populi, eum inde extraxit, „ & *ad VVernerum Principem Anconæ in Tiburtinam* „ *Urbem* adduxit, & sic electus 4. Non. Novembris „ in Sedem Apostolicam promotus, & Silvester IV. „ appellatus est. „ Guarnerius is ergo fortè fuit vel I. vel II. Anconæ Marchio: cujus adhuc *in Chron. Farfensi* p. 663. extant literæ contra invasores illius Monasterii,

Digitized by Google

sterii, præmisso supplici libello, in quo horribilia exponuntur. Eundem Guarnerium, & alios contra jura Mathildis intrusos non veremur asserere. Post hunc Anconitanos se in libertatem vindicasse conjicimus: quoniam usque ad Ænobarbum alter nobis non occurrit Marchio præter dictum Guarnerium occisum in prœlio Mediolanensi, quem adhuc Marcham non obtinuisse cognoscimus. Etenim Ænobarbus AA. 1167. & 1172. Anconam quidem obsedit, sed irrito semper conatu, ut ex ejus gestis (C. H. t. 6.). Fuisse tamen Ducem Spoleti cognoscimus ex charta *Guarnerii Marchionis Ducatus Spoletanorum* data A. 1145. apud Ughellum *t.* 3. *col.* 597. sed de hac ad num. 116. Quia fuerit etiam Dux Spoleti, & Camerini, dicendum ne ideo, quod adhuc possederit Marcham Anconæ dicto A. 1145. sub Conrado III. vel beneficio Lotharii II. prædecessoris? Ita, conjecturæ favente Ostiensis Continuatore Petro Diac. & scribente *l.* 4. *c.* 106. quod *Lotharius Imperator eo tempore* (A. 1136.) *Ravennam egrediens, Umbriam, Æmiliam, Flaminiam, Picenumque Provincias* (ubi Ancona) *sub suo jure redegit, Civitates obedientes sub Romani Imperii jura redegit: contradicentes ad solum usque prostravit*. Verùm duo & Chronographo licèt synchrono, & conjecturæ nostræ adversantur. Unum, & quidem validum, est, vix percipi posse, Lotharium ab Innocentio II. in Italiam vocatum, ipsiusque æquè justum, ac acerrimum defensorem, ab eodem dono terrarum Comitissæ Mathildis remuneratum, ut apud Baronium A. 1133. p. 225. edit. Rom. *redegisse sub jure suo, & Imperii*, quæ in Æmilia, Flaminia, & Piceno juris erant Ecclesiæ. Alterum est, & valde implicatum, minimè Lotharium Anconam expugnasse, etsi Abb. Urspergensis p. 291. scribat, quod *Anconam, Spoletum* &c. *in deditionem accepit*. Sed oppositum jactat Senex ille cœcus suos alloquens Cives, & ad constantiam adhortans in obsidione Christiani Maguntini A. 1172. apud Boncompagnum de *Obsid. Anconæ c.* 10. (C. H. t. 6.) hæc inter cætera enarrans: *Fui eo tempore* (A. 1136.) *vir Consularis* (Consul in Patria) *quo Rex Lotharius in manu valida nos obsedit, credens Civitatem servituti perpetuæ subjugare. Recessit tandem spe propria frustratus, & oneratus proprio labore*. Mendaciis ne poterat tunc Senex Orator Civibus suis illudere? Non: fallitur ergo Urspergensis. Non est is primus Germanorum scriptorum error: & ad hanc rem duplex error est temporis, & facti Alberti Stadensis, qui scribit sub A. 1075. (en temporis) quod *Christianus Archiepiscopus Anconam destruxit, & naves piraticas* 300. *suo usui deputavit: & eodem tempore Veneti cum Imperatore discordabant*, quando tunc ii in obsidione erant socii. En facti: sequitur ergo, quod ille Guarnerius neque sub Lothario, neque sub Conrado successore Anconam, sive Marcham obtinuerit.

(86) In tanta rerum varietate quis non videt, quam difficilè sit, certum Marchæ Anconitanæ systema statuere? Ne tamen prorsus in medio remaneat, quod explicare suscepimus, expedit, recolligendo prædicta, certa ab incertis secernere, & quæ minus dubia, seligere. Itaque plusquam certum est primò, Langobardorum ævo nullam Marcham Anconæ, nec alibi fuisse institutam, nullumque Marchionem in Italia, ut perperam cum Alberto *l. l.* scripsere quamplures. Æquè certum est II. Pentapolis usque ad ævum Ottonum mentionem haberi: Marchæ Anconitanæ a nobis desiderari, ut prædiximus. III. non satis perspectum habemus, an sub medium sæculi XI. Marchæ Anconæ nomen enatum: Marchæ quidem fit mentio, at cujus? Firmi ne, vel Anconæ? Utique IV. etiam Marchæ Anconæ creberrima mentio XII. sæculo, ut ex laudatis locis, ex diplomate Ænobarbi dato Cremonensibus apud Sigonium sub A. 1162. destructionis Mediolani, & ex Boncompagno *c.* 2. aliisque, qui in progressu infra appositè occurrent: item non infrequens suorum Marchionum commemoratio, ex quibus apparet (dum quotquot novimus Teutonici fuere) hanc Marcham Imperatores sibi arrogasse, juraque Mathildis, & Ecclesiæ prorsus labefactata hisce sæculis, maximè Henricis IV. V. & VI. hujusque Patre Ænobarbo, imperantibus. Ita: Anconitanos Ecclesiæ rebelles suggestu *Tyranni cujusdam* sub Henrico IV. & ideò excommunicatos, intelligimus ex Epistola S. Petri Damiani apud Baronium A. 1060. num. 6. pro quibus, ut à vinculo exsolvantur, Nicolaum II. Vir sanctus sua *Epistola* 7. *lib.* 1. exorat. Rebus sic stantibus conjici potest, Guarnerium illum A. 1063. esse Tyrannum illum, quem suppresso nomine memorat S. Petrus Damiani. Notabile est, eosdem Anconitanos armis Ænobarbi impetitos, libertatem, & fidem erga Emmanuelem Græcum Imperatorem semper in corde, ac in ore revolvisse, at Ecclesiæ legitima jura, vel majestatem non unquam. Tanta in ipsos auctoritate pollebat, ut eorum Urbem in feudum Guilielmo de Marchesella Capitaneo Ferrariensium, qui Urbem, eodem Imperatore mandante, ab obsidione liberaverat, in præmium tribuerit, ut ex Ricobaldo prodit Cl. Muratorius *in præfat.* ad Boncompagnum. Ita & Græcus Imperator uti suo jure in Italia censebat. Traditio tamen infecta remansit: causam nondum intelleximus: fortè pro libertate tuenda. Verùm certo certius est, Marchiam Anconitanam opus esse Teutonorum, sive Germanorum Cæsarum, (Puta Henrici III. Bonifacio Patri Mathildis, & Henrici IV. Marchioni Guarnerio tributam, ipsius eidem indito nomine) ex quo iidem Ecclesiæ infensi, Pentapolim adhuc sibi usurparunt, & sanè iniquissimè, summaque injuria, ut fateri coguntur, qui ratam habent Constitutionem Ottonis III. A. 999. indicatam supra num 21. qua *concedimus* (inquit Imperator) *Pisaurium, Fanum, Senogalliam, Anconam, Fossabrum, Gallibesi, & Auximum, ut nullus unquam ei, & S. Petro audeat aliquam inquietudinem facere, aut cum aliquo ingenio fatigare*. Has autem Urbes *octo Comitatus* vocat, dicens quos *pro amore magistri nostri D. Silvestri Papæ S. Petro offerimus, & donamus, ut ad honorem Dei, & S. Petri cum sua, & nostra salute habeat, & teneat, & ad incrementum sui Apostolatus, nostrique Imperii, ordinet* &c. Nihilominus prænominati Cæsares Pippini, Caroli, & Ottonis statuta temnentes, in Pentapoli primò Marcham Anconitanam constituerunt (ut nomen Marchæ, & Marchionum à solis Germanis profectum satis superque ex se probat) eique viros Germanos, quos scimus, præfecerunt, fortè tamen non toti Pentapoli inter Apenninum, & mare, ab Arimino ad Misenonem, sed in origine tantùm Anconæ, ejusque agro, ut paulatim ad proximas Urbes, & exinde ad remotiores Marchæ nomen migraverit, quod & in aliis Regionibus evenisse observavimus num. 84. Tandem sequenti sæculo XIII. ineunte sub Ottone IV. Pentapolis adhuc fines transgressum, ad partem Marchæ Firmanæ se extendit, *Firmum, Sentinum* (nunc Saxumferratum) *Asculum* &c. complectens, Marcha Anconitana sub hac amplitudine Azzoni VI. Estensi à dicto Ottone tributa, ut ex hujus concessione A. 1210. apud Cl. Muratorium *Antiq. Estens. p.* 392. qua corrigendi Sardus *Hist. Ferrar. p.* 90. & Vincent. M. Cimarellus *Hist. Gallor. Senonum lib.* 2. *cap.* 2. dum iste Pisaurum scribit traditum ab Innocentio III. Aldobrandino Estensi Azzonis IV. Patri, cum Azzonis VI. esset filius: & ille Marchionem Anconæ vocat Azzonem IV. filium Obizonis, cum fuerit Azzo VI. Obizonis non filius, sed nepos. Nullum Italum Principem Marchionem Anconæ cum consensu Pontificis, legitimi Pentapolis Domini, ab Henrico IV. & successoribus institutum ante Estenses cognoscimus: neque alium antiquiorem Bonifacio Patre Mathildis, & Garnero, sive VVernhero juxta modum scribendi Sanblasiani *cap.* 11. quem Germanum, ut nomen ostendit, affirmare non dubitamus. Non tamen asserere audemus, quod is fuerit ille *VVernerus de Veltheim, qui genuit Albertum de Asterburg, & reliquam prolem*, quique inseritur his verbis genealogiæ familiæ Stadensis ab Alberto Abbate Stadensi p. 164. b. sub A. 1144. quo tempore certo certius vivebat VVernherus Ænobarbi miles, & Marchio Anconæ in bello Mediolanensi occisus circa A. 1158. ut prædiximus. Post hujus mortem idem Ænobarbus *Marchiam Anconæ, & Principatum Ravennæ Cunrado de Luzelinbat contulit, quem Italici Muscam in cerebro nominabant, eo quod plerumque quasi demens videretur*, ut scribit Abb. Urspergensis sub A. 1168. p. 308. non tamen possessionem inisse credimus, cum de isto Conrado Boncompagnus sileat omnino: nec quadriennio post Urbs fuisset obsessa, si huic Marchio ab Ænobarbo datus præfuisset. Nihilominus ab A. 1168. ad 1195. diu titulum hujus Marchæ tulisse Conradum, certos nos facit Richardus de Sancto Germano, cujus verba mox dabimus. Interim *eo tempore Imperator* (Henricus VI.) *Marquardum de Anninvvilit dapiferum, & ministerialem suum libertate donavit, & Ducatum Ravennæ cum Romania, Marchiam quoque Anconæ sibi concessit*, ut scribit Abb. Urspergensis sub A. 1195. p. 317. Utique tunc nomen Marchæ Anconitanæ ad universæ Pentapolis fines protractum, cum longius arma sua in Normannos is Imperator protulerit, *præfectis sibi Ducibus Marquardo dapifero de Annevvil, & Bertoldo de Cunisberch*, ex Sanblasiano cap. 38. Mortuo Henrico A. 1197. parum favit Marquardo vidua Imperatrix Constantia, quæ, ut prodit dictus Richardus de S. Germano *in Chronico col.* 977. (C. H. t. 7.) „ *Marculdum* Imperii Senes-
„ calcum cum Theutonicis omnibus de Regno (Si-
„ ciliæ, ubi degebat mortuo Mestanæ Henrico) ex-
„ clusit: ipsumque ne amodò Regnum ingredi absque
„ suo jussu, præsumeret, neve remaneret in Regno,
„ coegit. Qui ipsius cum Imperatricis literis, & du-
„ catu, ad Comitatum Molisii veniens, qui tunc Mar-
„ chia vocabatur, & sibi favebat, cum illum sibi,

„ Mu-

Digitized by Google

„ *Muscancervello mortuo* concesserit Imperator..... „ *relictis in ipso Molisii Comitatu Castellanis suis*, *&* „ *Bajulis*, *ad Anconæ Marchiam suo proprietario do-* „ *minio subditam se contulit*, ubi cum suis sequaci- „ bus innumera mala commisit. „ Adjuvat is Chronographus conjecturam nostram, cum diximus, Conradum *Muscam in cerebro* fortè non potuisse Anconam adire, ut ideo fuerit compensatus Comitatu Molesii, qui Marcha ideo effectus, *Musca* defuncto, cum Marcha Anconitana exinde fuit Marquardo ab Henrico tributus. Idem adhuc Richardus Marchæ Anconitanæ nomen eodem XII. sæculo jam prolatum usque ad Æsim, limitem orientalem Pentapolis, prope demonstrat per hæc sequentia verba: „ Imperatrix filium „ suum *in Marchia apud Hesim Civitatem* relictum „ sub ducatu dicti Cœlani Comitis, & Berardi Lau- „ reti Comitis, & Cupersani, ad se duci jubet in „ Regnum, & de Apulia in Siciliam transmeare. „ Clarius ex laudata Ottonis charta id percipimus, & amplius adjectas huic Marchæ adhuc Urbes Firmum, Asculum, Saxumferratum &c. alias ad Marcham Firmanam spectantes, nedum modò Azzoni tributas, sed & prius Marquardo, ut verba Ottonis sonare videntur, dum inquit, *Concedimus totam Marchiam Anchonæ sicut Marchio Marquardus habuit*, *& tenuit eam tempore Serenissimi Antecessoris nostri Henrici* &c. Pergit Richardus, describendo Marquardi flagitiosa facinora, ut Innocentius III. anathemate ipsum perculerit: non parùm tamen miramur nec Richardum, nec Ottonem unquam meminisse, Pontificem ejusdem Marchæ feudum, sive investituram Azzoni arrogasse, quod quam certissimum præsertim ex binis literis proditis à Cl. Muratorio *l. l. pagg.* 409. *&* 10. Aldobrandino Estensi ab Innocentio datis. Quinimo ipse Marquardus eandem investituram à Pontifice petebat, sicut disertè narrat Card. de Aragonia *in Innocentio III. p.* 487. b. Qui quamvis toto nisu, summaque prudentia jura Ecclesiæ in hac Marcha præsertim vindicare studuerit, dum per ipsum *reducta est tota Marchia præter Asculum ad dominium*, *& fidelitatem Ecclesiæ*, ut laudatus Cardinalis testatur: attamen eodem Innocentio regnante Cœlani Comes, & alii post ipsum frequenter Ecclesiam etiam in hac parte vexare non destitere, ut adhuc novissimis temporibus fecit Fr. Sfortia, quod fusè produnt Nostrates Joh. Simonetta de ejus *Gestis lib.* 6. post medium, Corius, Bugatus &c. Illuc, unde cœpimus revertendo, Synopsi huic finem imponimus, ingenuè testantes, nullum Scriptorem antiquum ex tot laudatis invenisse asserentem cum Blondo laudato loco *Regionis* 5. in principio, quod *Marchia Anconitana aliquando prius fuerit appellata Marchia Firmana*, ut modò fert communis opinio; at sanè adhuc contra rationem, à nemine, quod sciamus, Marchæ hujus origine expensa. Quam quidem scrutari, & docere debebat præ cæteris Vincentius Maria Cimarellus, cum Italicè *Gallorum Senonum* Historiam ex instituto scribere est aggressus. Romana tempora (antiquioribus cum Annio fœdatis) exinde novissima tangit, &, quæ desiderantur, barbara sive media relinquit. An Cimarelli defectus Compagnonus supplerit, ignoramus. Nondum ergo nobis probatur, quod vulgò dicitur, nam certissimè *Firmum*, à quo Marcha Firmana ad Ducatum Spoletanum sub Langobardis, Francis, & Italicis Regibus spectasse semper cognoscimus. Marchæ Firmanæ sub Ottonibus saltem mentionem habemus, quo tempore nondum Marchæ Anconitanæ nomen emerserat. Item Marchæ Firmanæ institutio utique antiquior, sed huic Anconam accessisse, vel aliam Urbem Pentapolis cis Miseonem, & Æsim, stabili saltem forma, & legaliter, hucusque non legimus. Potius è contra Marchæ Anconitanæ Urbes Firmanæ (ut & nunc) Firmum, Asculum, Sentinum, expost Camerinum, &c. ex Ottonis charta, & Cardinalis de Aragonia ex scriptis cognoscimus, sed inclinante sæculo XII. Itaque Blondi, aliorumque communis error tandem aliquando expungatur.

(87) Urbes nunc lustraturi utriusque Pentapolis, soliciti non admodum erimus, singulas (satis jam ex documentis antiquis hactenus in hac sectione, proprio medii ævi nomine, numeratas) recolere, cum à Barbarorum in Italiam ingressu fuerit ferè omnium sors eadem, dum medio ævo præsertim, bello Gothico recrudescente sub Totila, fuerunt Pentapolis quamplures Urbes eversæ, & à Belisario refectæ, ut passim refert Procopius: adæque quando Langobardi Exarchatum, Pentapolim, & Romanum Ducatum Agilulfus præsertim, Liutprandus, & Aistulfus sunt adorti. Hinc ubi si quid involutum, sive pro medio ævo notabile occurret menti, annotare tantùm curabimus. ARIMINUM itaque primò in Pentapoli maritima, a qua incipimus, conspicitur ab occasu. Ab eo dictam Pentapolim prodit Raphael Adimarus *Sito Riminese pagg.* 5. *&* 19. cum dato a Damaso Papa ab A. 367. Episcopo huic Urbi, is fuit exinde dictus Episcopus Pentapolis, quia aliæ IV. Urbes ei suberant. Testem desideramus, vel exemplum ex historia saltem Ecclesiæ petitum; utroque caret. Pentapolim in Italia ante Exarchos nondum legimus. Adimarum loqui de Episcopo tunc primùm dato non credimus, cum ante Damasum sex Episcopos Ariminenses prodat Ughellus *t.* 2. *col.* 409. *edit.* 2. quos inter S. Gaudentius, ut infra *in Catholica*. Quomodo etiam ex Ecclesiastica dispositione in civili politia Pentapolis dicta? Et errore summo tenetur laud. Cimarellus *l.* 2. *c.* 1. transcribens ex Cæs. Clementini Historia Arimini hanc Urbem à morte Clephonis Langobardi Regis II. fuisse semper obnoxiam, (rectius scripsisset) Liutprando fatalem, qui *semper victor extitit* (Paulo 6. 44. testante) *præter quod semel in Arimino, eo absente ejus exercitus cæsus est: & alia vice cum apud Vicum Pilleum Rege in Pentapoli demorante &c.* Ortum versus, & ad mare CONCHA: abest à Ludoviciana. Codex quidam Anastasii *in Stephano III.* habet *Consanum*, sed legendum *Concha*: *Fanum*, ut ibidem ex aliis Codd. Pingitur in Magini tab. 36. Romandiolæ velut Insula in mari, nam, ut Bodrandus in *Concha* scribit, fuit aquis ab aliquot sæculis obruta: fortè tamen non ante XIV. cujus sub medium Cardinalis Aragonius vivens, *in Descrip. Italiæ* MS. p. 78. habet *Pesarum*, *Concha*, *Fanum &c.* Notabile est, sæculo X. fines Romaniæ ultra Ariminum, ex Charta Ottonis I. A. 969. *Act. in Romania prope Castellum, quod dicitur Concha super fluvium Cosona in Silva de Cella*, ut apud Ughell. *t.* 4. *col.* 348. edit. 2. Itaque finis tunc amnis *Isaurus*, nunc Foglia, de qua infra, super quam pons lapideus in limine Romaniæ, & Pentapolis, quod monet Albertus p. 293. sed ævo Francico *Ariminus*, nunc Marecchia, erat limes occiduus, ut ex Ludoviciana. Sequitur CATHOLICA, de qua hæc Baronius A. 359. n. 45. „ Est locus inter Ariminum, atque Pisaurum, „ idemque Vicus, cui *Catholica* nomen est ad litus ma- „ ris positus: cujus nominis ratio illa redditur, ex tra- „ ditione à majoribus ad posteros propagata, quod post „ naufragium, quod passa est fides Catholica in *Ari-* „ *minensi Conventu* (hoc A.) perpauci Orthodoxi Epi- „ scopi simul convenientes illic seorsum ab Arianis sa- „ cra facerent, & Catholica communicatione Catholi- „ cis impertirent. Quod igitur illuc pergentes, se ire „ *ad Catholicam*, usitato more veteri loquendi, dice- „ rent: inde factum, ut semper idem nomen retinue- „ rit locus ille, ut *Catholica* diceretur. Cæterum haud „ diu id facere concessum fuit, persecutione sæviente. Tunc S. Gaudentius Ariminensis Episcopus pro vera fide ab Arianis necatus. Annuunt Gaspar Sillingardus *de Episcop. Mutinæ in Antonio* p. 4. & Holstenius in Cluverium p. 82. neutro tamen laudante Baronium. PISAURUM Anonymo *Pesaurum* p. 205. & *Pesaro* eidem *in Periplo l.* 5. p. 251. (al. Pensaurum) de quo ex Procopio Blondus *Reg.* 5. p. 336. quod eversum à Totila Belisarius instauravit. Posteriora addunt Albertus p. 292. & Cimarellus 2. 2. ex Chronico Pisauti Gabutii. FANUM æqualem sortem VI. sæculo expertum, IX. illustrare nititur Cimarellus *l.* 2. *c.* 3. quod ibi edicto Ludovici Pii institutus fuerit Magistratus, qui cæteris Pentapolis Urbibus jus redderet, proinde caput constitutum Regionis. Unde hoc? SENO-GALLIA Paulo 2. 22. *Senegalia* Anonymo p. 205. ANCONA cujus Marchiones à Langobardis institutos explodunt Viri docti, ex prædictis numm. 85. & 86. De ea fusè Albertus à p. 284. fœdè inter cæteras scribens p. 285. quod „ subjecta fue- „ rit Langobardis, ibi sede locata Marchionum, qui „ Regionem (Pentapolim) moderabantur. „ HUMANA: Plinio 3. 13. *Numana*, & sic etiam medio ævo juxta Anonymum p. 205. & in *Periplo* p. 251. Hanc indigitat Blondus *Reg.* 5. *p.* 339. his verbis: *Post Cimericum promontorium est amnis Mussio* (& Miseo) *quem ad ostia Aspidum vocant*, *tertioque ab eo amne milliario*, *& paulo supra mare vetustissima* (à Siculis condita) *interiit Urbs Humana*, *& parvo ab inde spatio adhæret mari ipsa in promontorio Sirolum Oppidum*. Ita & in Magini tab. 37. & hic Pentapolis maritimæ limes. Defectu spatii relicta est SEXTIA Anonymi *l. l.* inter Senogalliam, & Anconam, scripta in sola Theodosiana seg. 3. *Sestias*. Is idem Anonymus p. 226. prodit flumina, & quidem ab occasu in ortum, quæ in Adriaticum evolvuntur, nimirum *Sapis*, qui tamen in Exarchatu Cæsenam abluit. *Maricla* olim Ariminus, nunc Marecchia. *Folia*, & nunc, olim Isaurus ad cujus ostium Pisaurum. *Metauron*, nunc Metro ultra Fanum. *Svasnon* olim Seno, aut Sena, nunc Cesano. *Binon* ignotus Annotatori, sed ordo docet esse *Nigolam*, sive *Missam*, quæ ad dexteram Senogalliæ in mare defertur. Hæc perspicua in Magini tabula 37. Marchiæ Anconitanæ. Cætera absunt ab Anonymo, quæ sunt *Æsis*, Fiumesino, & *Miseo*, qui limes Pentapolis. In supra laudata charta Ottonis enunciatur fluvius *Cosona*, hanc esse *Concham* amnem non dubitamus, ad cujus ostium

Digitized by Google

ostium olim Oppidum submersum. Torquet Lucani interpretes Sulpitium Verulanum, & Omnibonum Vincentinum ejusdem carmen 406. *l.* 2. *Pharsal.* in descriptione Piceni

Crustumiumque rapax, & junctus Sapis Isauro.

Primus *Missam*, alter *Sapim* esse Cæsenæ contendunt. Albertus p.293. flumen Maceratæ quod est *Usens* (Chienro nunc) Sapim Lucani interpretatur. At horum nullum intrat Isaurum, & ab eo longe feruntur, ut videre est in tabulis. Utique vulgati codices Lucani *Sapis* habent. In nostro ex emendatione Grotii Amsteledami 1627. legimus *& junctus Isapis Isauro*. Aliud ne *Sapis*, aliud *Isapis*? Non hoc discrimen. Adhuc Sapis Cæsenæ *Isapis* Straboni 5. p. 423. ibi *Sina* (Cæsena) *Isapi fluvio propinqua*. Quæratur aliubi. Amnis est oriens ex monte, Urbinum prope, boream versus excurrens, & Isaurum ingrediens, ut in tabulis, præsertim Magini 46. Ducat. Urbini. Anonymus est cur non is antiquitus Sapis dictus, vel Isapis? Non alium amnem memoria dignum, qui Isaurum ineat, nunc invenimus.

(88) Quæ inter agros maritimarum Urbium, & Apenninum loca scribuntur, mediterraneam Pentapolim esse jam diximus. Itaque ad limitem occiduum regredientes, agro Ariminensi confinis videtur esse ACERRAGIO, ut legitur in vulgata editione Anastasii *in Stephano III.* p. 171. b. (C. H. t. 3.) sicut in Codice D. licèt Codex A. habeat *Agio monte*, & B. *Acerram*, *Agiomontem*. Item in tabula nostra scribitur TITAN M. seu FANUM S. MARINI ut in Codd. A. & B. sed in vulgato, & in D. *S. Mariani*. Singula oportet, ne confusio oriatur, distinguere, & expost Lexicographos audiemus. Patebit mox, quanti sit nota variæ lectionis. *Titanus* Mons indicatur in antiquissima Epistola Eugippii Abbatis Lucullanensis defuncti A. 578. ad Paschasium Diaconum de *S. Severino* Monacho, cujus vitam Eugippius ejusdem discipulus scripserat, ut apud Baronium A. 496. n. 39. qui Paschasii responsum quidem profert num. 40. sed non Eugippii Epistolam, quam primùm habemus inter Henr. Canisii *Antiquas lect. t. 6. p.* 455. hujusque in exordio legimus, eidem Eugippio oblatam fuisse ad legendum *Vitam Basilici Monachi, qui quondam in Monasterio Montis, cui vocabulum est* Titas, *super Ariminum commoratus, post in Lucaniæ Regione defunctus est*. Ex his certè cognoscimus, solitarios degisse in hoc Monte, eundemque *Titani* nomen tulisse, ut ideo in actis S. Marini, cujus nomen expost ei factum, rectè pluries scribatur *Mons Titanus*: quamquam in cæteris hæc acta prodita à Petro de Natalibus *l.* 8. *c.* 36. desiderentur correctiora à Ferrario *Catal. SS.* 3. Sept. nulliusque fidei sint Tillemontio *Hist. Eccles. t. 6. p.* 874. In hoc porrò monte degisse S Marinum non est ambigendum, etsi Papiæ eum locet Galesinius 3. Septemb. & Arimini Baronius 4. Septemb. Unde enim factum monti huic nomen S. Marini, ut in Codicibus Anastasianis, si non ibi Vir Sanctus degisset? Difficultas est tantùm in nomine *Acerragio*, vel *Agio monte*. Quod Anastasius hunc montem à S. Marino distinguat, non refert, quoniam *acer*, vel *agio* tribui potuit monti: & fano, vel Oppido nomen *S. Marini*. Montis etymon, vel, etyma quærimus, & nemo nos docet. Non Blondus *Reg. 6. p.* 343. vix dicens: *In excesi montis cacumine Sanmarinum Oppidum, olim Acer-mons dictum, perpetuæ libertatis gloria clarum*. Hæc declarat Albertus p. 300. b. „ ex „ Apennino fluit in mare prope Ariminum amnis Ma„ recchia: in summitate unde amnis is oritur, *San„ marinum*: *Acer mons* Blondo. „ Non ibi Apenninus, neque fons Marecchiæ longe superior, ut in Magini tabula 43. ditionis Florentinæ. Bodrandus edit. Paris. 1681. *in Titanus* fusè scribit de S. Marino, dicens de hac parva Republica *nihil hucusque scriptum, aut parva admodum*. Ad rem nostram prodit, quod S. Marinus *inibi solitariam vitam duxit, tempore Diocletiani Imperatoris*. Pergit, recensendo ejus statum, & Castra, quæ Cæsarum beneficentia ei accesserunt per tempora, semper libertate servata, ejusque situm indigitat 10. m. pass. ab Arimino in austrum: *diciturque aliter Acer*, sed cur, & ipse silet: errat cum Alberto in fonte Marecchiæ *in Acer*. Turpiùs adhuc decipitur Ortelius in Thesauro *V. Marinum*; nec ipsum Holstenius castigat: hæc profert. *Marinum μάρινον Umbriæ Urbs apud Strabonem 5. quæ hodie S. Marini vocatur*. (Numquid S. Marinus eo tempore? absit.) *Quo loco interpretes non sine errore Camarinum fecere, ut docet Cas. Orlandius in Senæ antiquitatibus* (sed male, quia Codices nostri adhuc Græci, & Cellarii p. 746. habent Καμάρινον: & *Camerinum* constanter Ciceroni *Ep.* 12. *l.* 8. *Att.* Cæsari *B. civ.* 1. 15. *& Paulo* 4. 17. à Cellario laudatis). *Hoc Marinum puto Marianum nominari à Diacono 3. Longobardicor. ubi Synodum habitam scribit*. (Pejus: Marianum ostendimus in Venetia num. 77. semperque pejora, quæ subjicit de Marliano in Campania) Abstrusa, & distorta perstabunt ne adhuc ea nomina? Ut semel pateant, & dirigantur, lectiones varias conciliare, & etyma expendere nobis primò fas sit. Supra scriptæ dictiones sunt cunctæ compositæ, sed corruptæ, & perversæ. Sunt ne merè Græcæ, ut *Acerragio* in vulgata editione? Abundat *r* una: in Codice D. *Aceragio*: scribatur ἀγρὸς-ἁγιος: legatur *agros-agios*, hoc est *ager sanctus*, sive villa sancta, sic dictus à Græcis, cum Pentapolim tenerent, ut profanum Titani nomen delerent; sciverint enim hunc montem pios, sanctosque viros incoluisse. Verum hanc interpretationem puerilem, & ineptam fatemur, & cogitatam in somno. Verè sunt dictiones merè latinæ, ut *agio-montem* in Codice B. & C. Deest M. in capite. Legendum *Magius mons*, quæ lectio verisimilior, nam mons S. Marini, & mons Magius sunt duo distincta, & in vulgata editione, & in omnibus Codicibus A. B. C. D. Cum Bodrandus *in Titanus* loca Reipublicæ hujus enumerat, inquit: *habet etiam Castra Montem Magium, Vallem, & Petram curvam* &c. Albertus p.298. *In agro M. feretri*, inquit, *apparent Mons Magius, Macerata, Petra* &c. & in Magini tab. 36. Romandiolæ *Mons Magius* inter S. Marinum, & S. Leonem, vix 2. m pass. à S. Marino in occasum brumalem distare videtur. Si porrò Anastasius recenset hic loca, licet confuse, Exarchatus, & Pentapolis à Pippino, & Carolo Ecclesiæ collata, eccur distinguit *Acerragio*, & S. Marinum, sive *Oppidum S. Marini*, si unus & idem locus? Liquet ergo, Blondum in antiquis Codicibus non advertisse voces corruptas: Leandrum Albertum, Bodrandum, & si quem alterum, secutos fuisse cœco casu Blondum, vel antiquiorem putantes, quod S. Marinus dictus quandoque fuerit *Acer mons*. Quid unquam *Acer*? Ab acere arbore ne, cujus copia in hoc monte? Quis auctor? Equidem acer pro acuto, pro forti accipitur, & alibi leguntur Mons acutus, Mons fortis: at ubi in hac significatione Mons acer? Fortasse durum cuidam videbitur, in quinque Codicibus Anastasii semper detractam esse literam M, ut Magius mons nunquam legatur; hinc probabile, *Agio-montem* in Codice B. dictionem partim Græcam, partim Latinam *sanctum montem* significare. An huic somnia prima probantur? Fallitur: etiam in eodem Codice B. Magii montis vestigium: ibi legitur *Acerram, Agiomontem*: dematur M ab *Acerram* (à præposita exuberat) jungatur agio-montem, fiet Magiomontem: pergamus.

(89) Altiùs ad austrum MONS FERETRI: Procopio *B. Goth.* 2. 15. *Monte Feretron*: & Continuatoribus Liutprandi *6. 6.* ac Reginonis A. 963. *Mons Feretratus, & S. Leo*. Iste de Ottone scribit, quod *Berengarium* (II.) *in Monte S. Leonis obsedit*; ille distinctiùs: *indeque progrediens* (Otto) *Montem Feretratum, quod Oppidum Sancti Leonis dicitur, in quo Berengarius, & VVilla* (uxor) *erat, obsedit*. Et quidem hoc anno ibi erat Otto, ut ex ejus Charta data Episcopo Lunensi A. 963. *in M. Feretri ad petram S. Leonis* apud Ughellum *tom.* 1. *col.* 897. ut ideò non rectè scribat Continuator Reginonis, quem nostrates aliqui sequuntur, quod *VVilla in lacu majori, in quadam Insula, quæ dicitur ad S. Julium se inclusit*. Post Acerragio memorat Anastasius *l. l.* MONTEM LUCARI (alia lectione *Montem Lucati*) 4. m. pass. à S. Marino in austrum: si tamen est idem ac Mons Lucianus in Magini tabula 36. ad lævam Conchæ amnis: nullum ordinem servat Anastasius, hinc suspicamur posse faciliùs esse *Monte Luro* inter amnes Tabulam, & Foliam 8. m. pass. a Pisauro in occasum æquinoctialem, ubi locatur. MACERATA, quæ duplex non observata a Lexicographis: una in Pentapoli inter S. Leonem, & Urbinum, ut in Magini tab. 36. rectèque distinguitur, & vocatur a Blondo *Reg. 6. p.* 342. post initium *Macerata Montis Feretri*, cui est proxima, annuente Alberto p. 297. a. De ista Holstenius *in Cluverium p.* 88. ita scribit: „ *Ma„ cerata* Oppidum haud dubiè crevit ex maceriis, & „ parietinis *Petini*: non tamen eodem planè loco sita „ est. Nam *Petini* vestigia in *Persenæ* montis levi fa„ stigio conspiciuntur, ex cujus ruinis *Macerata* ad „ vicini montis radices ædificata fuit. V. Vincentii „ M. Cimarelli *Hist. Gallor. Senon. lib.* 2. *c.* 1. „ Hæc Holstenius, cujus Petinum est *Pitinum* Ptolemæi 3. 1. & cæteris, quod Moletius ibi, & Ortelius *in Pitinum* interpretantur *Petra Molina*. Bodrandus item in *Pitinum* nil definit, sed nostris Italis est credendum, ut credunt Cluverius, & Isleus in sua Italia, scribens *Pitinum Pisauri* ad lævam Isauri, sive Foliæ amnis prope quam Macerata M. Feretri juxta phrasim Blondi. Altera est *Macerata* cuique notissima ex ruinis Helviæ Recinæ A. 410. extructa, de qua cum de Ducatu Spoletano superiori loquemur num. 122. URBINUM veluti in centro Pentapolis observamus ita simpliciter dictum medio ævo in Ludoviciana, & ab Anastasio, sed à Romanis antiquitus *Urbinum Hortense*, ad differentiam *Urbini Metaurensis*. Urbini ad ortum, hinc inde circa Metaurum amnem memorat Blondus *Reg. 5. pag.* 336. parvam „ *Regionem* a Federico Feretrano possessam,

Digitized by Google

„ quæ MASSA TRABARIA appellatur. Romanam „ Ecclesiam, cujus jurium est, sic vocasse constat, quia „ ex ipsis Apennini jugis immensæ magnitudinis abie- „ gnæ trabes Romam in ædium, Basilicarumque stru- „ cturam portari consueverant, prout etiam nunc por- „ tant. „ Hinc cum Apennini (Massæ Trabariæ imminentis) abietes laudatissimas dicat Plinius 16. 40. cùmque & suo tempore mos esset, Tiberim, non valde distantem, *si adjuvent imbres, trabibus verius, quam ratibus* navigari, ut idem prædixerat 3. 5. conjicimus, non infimo ævo, sed certè vel medio, vel ant iquiori Massæ Trabariæ nomen emersum. Inter tot Massas (quarum nomen jam usitatum à sæculo IV. ut apud Anastasium in *Silvestro I.*) ab Ortelio *in Massa* relatas, mentio *Trabariæ est*, inquit, *in instrumento publico Germanorum Principum, quod publicavit Bellarminus*; hæcque cuncta firmat Fr. Panfilus *de laud. Piceni lib.* 1. quod nimirum

Dicitur à multis trabibus Trabaria Massa,
Namque abies summo plurima colle viret.

apud Cimarellum *lib.* 2. *cap.* 2. *p.* 140. qui addit, hujus Massæ olim fuisse caput *Aleriam* ad lævam Candiani amnis, & nunc ita vocatam: à Barbaris destructam, refectam: iterum a Gibellinis Urbinatibus eversam: tandem à Gulielmo Durante reædificatam. Sed Holstenius *in Cluverium p.* 88. quidem testatur, quod *supra Castellum Durantis antiqui Opidi insignia extant vestigia*: at nescit, *quo auctore Aleriam appellatum tradunt, nisi fortè fanæ incerta traditione permoveantur, cum nulla ejus apud antiquos mentio extet*. Et nos subjicimus, neque in tabulis ullis Aleriæ nomen esse scriptum: quomodo, & ubi nunc ita vocata? Nihil Aleriæ ad lævam Candiani, ubi neque Castellum Durantis, quod ad dexteram Metauri amnis videmus in Magini tab. 46. Dum autem opinatur Holstenius, quod ubi supra Castrum Durantis (supra quia altius, sed infra quia ad austrum) antiqui Oppidi extant vestigia, fuerit Urbinum Metaurense, huc modò opportunè revocentur, quæ diximus num. 10. de Verona Pauli Diaconi in Apennino quæsita. Sumus cum Holstenio, ibi Urbinum Metaurense extitisse, quod ab Amanuensi corruptè scriptum *Verona*. Ideoque & VERONA scriptum in tabula nostra, donec errori, quem certè supponimus, quis nos eximere studeat. Ascendendo, CALLES ad Apennini radices occurrit: *Callis*, & *Callium* Anastasio, sic l geminata media ætate scriptum hoc nomen monent Ortelius in *Calles*, & Holstenius *in Cluv. p.* 86. observans, fuisse sæculo IV. Urbem Episcopalem, dum Synodo Ariminensi interfuit *Græcianus* Episcopus Calle hostis Arianorum acerrimus. LUCEOLI una ex captis ab Agilulfo, & receptis à Romano Exarcho, ut apud Paulum 4. 8. Et Eleutherius alter Exarchus, *dum à Ravenna Romam pergeret, in Castro Luceolis à militibus interfectus est, caputque ejus Constantinopolim Imperatori delatum est*, ex eodem 4. 35. Causam prodit Anastasius *in Bonifacio V.* SENTINUM ad fluvium cognominem, ex cujus *Urbis à Langobardis destructæ ruinis Saxumferratum à principio inchoatum*, ut docet Blondus *Reg.* 5. *p.* 337. & à Bartolo illustratum: *à ferro vocitatum est propter fodinas ferrarias, quas eo in loco multas fuisse, earumque reliquiæ ostendunt*, juxta Nic. Perottum hæc de patria sua scribentem *in Cornucopiæ col.* 31. Aldi 1513. Non tamen in Sentini situ positum Saxumferratum, hoc enim ad amnis lævam est, illudque ad dexteram erat, ut in Magini tab. 46. FABRIANUM ex eisdem Sentini ruinis excitatum produnt Blondus *l. l.* & Albertus p. 286. b. plura hic partim ridicula, partim genuina, sed recentia subjiciens. Harduinus in *cap.* 14. *p.* 171. *nu.* 14. facit Fabrianum vetus *Attidium*, unde *Attidiates* Plinii 3. 14. & in lapide apud Holstenium *in Cluv. p.* 83. *Curat. RP. Attidiat.* quos in agro Fabrianensi Harduinus locat ad fontes amnis Æsis: at hi non ibi: utique *Janus* amnis Fabrianum interfluit, hinc orta fabula Alberti *l. l.* EUGUBIUM ostendit Pentapolim in hoc australi angulo trans Apenninum usque protractam politicè saltem, ut cognoscimus ex Ludoviciana, & Adriani Epistola productis num. 84. A quo id observatum nescimus, cum quotquot visi, adhuc Sigonius in epitome, Spoletano Ducatui illud tribuant. Nomen sanè corruptum ex quo, Urbe veteri per Gothos excisa, novam condidere sui cives. Adhuc in Theodosiana *seg.* 3. corruptum *Agubio*, quando Cicero, Cæsar, Silius, Plinius, & saxa apud Cellarium p. 747. habent *Iguvium*; nihilominus Augustinus Steuchus *de nomine Urbis suæ* in calce ejus operum, in exordio inquit, *nomen Urbis meæ non est Eugubium ..... sed Iguium*, & ademptâ, quod binis amplis foliis, iisdem priscis laudatis, probare satagit. Sed quid sibi velit Anonymus Ravennas p. 214. cum scribit *Eugube, quæ dicitur Interbio, vel Constantiniana*, percipere, vel divinare Porcheronus hic nescit. Nedum voces corruptæ, sed plura verba deficiunt, suppletis aliis. Nullibi *Viterbium* memorat. Si non adeò distarent, facilè Anonymo *Interbio* pro Viterbio. Nisi nimis differrent *Constantiniana*, & *Costaciaria* Blondus Reg. 4. p. 328. scribit *Costaciarium Eugubini agri Oppidum*, ad ortum æstivum. Sensus Anonymi hujus imaginari cum fictione adhuc oportet. FORUM SEMPRONII (cis Apenninum redeundo) petimus, nunc *Fossombrone*: de eo veteres, & Lexicographi. Inter Forum Sempronii, & Callium INTERCISA, ut in Theodosiana segm. 3. hoc ordine: Foro Sempronii *ad Intercisa* 9. ad Calem 7. In Itinerario Burdegalensi ab Urbe Mediolanum pag. 159. Schotti ita: ad Cale m. 14. *ad Intercisa* m. 9. *Foro Sempronii* m. 9. Igitur Intercisa inter Calem ad austrum, & Forum Sempronii ad boream, & ad dexteram Metauri, ubi nunc *Furlo*, ut in Magini tab. 46., annuente Bodrando in *Intercisa*. Ad ortum CORINALTUM, quod adeò celebrat Cimarellus *lib.* 3. per totum, extructumque dicit ex ruinis *Svasæ* dirutæ à Gothis, duce Alarico A. 409. biennio post. Arguit ideo *lib.* 1. *p.* 4. Jac. Castaldum, & Sebast. Munsterum, suis in tabulis Corinaltum locantes, ubi vetus *Cupra*, laudatque è contra Ortelium, & Maginum illud rectè constituentes, quos sequimur, quia est credendum indigenæ. Magis item ad ortum, & ad amnem cognominem ÆSIUM: demumque OXIMUM non procul à Miseone, ubi Pentapolis fines, æquè celebre Romano, & Gothico ævo, dictumque *Auximum*, & Oximum apud Livium 41. 27. Patavii ubi Censores *Calatiæ, & Oximi muros faciendos locaverunt*: Osimo & nunc: faciliùs captum à Liutprando, ut apud Paulum 6. 49. quam prius à Belisario Gothis ereptum, ut apud Procopium 2. 23. & 27. Hactenus quotquot Pentapolis loca in Ludoviciana, & ab Anastasio *in Stephano* III. recensentur, aliisque nonnullis adjectis, declaravimus præter unum, quod est *Territorium Valvense* (al. Balnense) extra Pentapolim, & longè à Piceno, antiquitus in Pelignis, nunc in Aprutio citeriori, medio ævo *Valva*: diciturque *Territorium*, quia pro Regiuncula accipitur, ut constabit num. 118. Neque hic nostra methodus ultra progredi finit, dum tractus à Miseone ad Piscariam amnes inter Apenninum, & Adriaticum, ad Ducatum Spoletanum spectasse patebit; cum ergo de hoc Ducatu opportunè loquemur, ad eum tractum, unde modò aberramus, revertetur sermo intermissus.

SECTIO XVIII.

(90) *Tuscia* fabularum mater culpa Impostorum vocata: Eædem exteris olim, & nunc acceptæ: Viriliter impugnantur: nec ipsis carent Exprobratores. (91) Tusciæ nomina antiquiora: Umbrorum divisio: prima sedes: origo: etymon: ampliatio: Tusciæ pars occupata à Pelasgis: ubi *Regia Malæoti*. (92) Tusci non ex Tyro, sive Phœnice: Unde: non Autochthones: Dionysius singillatim expensus: Cur dicti Pelasgi: Eorum Lingua immutata: Lydi ostenduntur. (93) Tuscorum in Italiam adventus qua ætate ante Trojam captam evenit: Harum anni definiuntur: Oxoniense Marmor collatum cum Attica historia: (94) Regni Tuscorum initium, progressus, diuturnitas, amplitudo, declinatio, & interitus. (95) Tuscorum Urbes XII. aliæ Originariæ, aliæ Principes, aliquæ incertæ: An plures Tusciæ veteribus: Et si plures, earum regimen quale? (96) Appendix, in qua Recentioris cujusdam opiniones novæ circa proximè prædicta expenduntur.

(90) A Supero mari, rursùm trajecto Apennino, ad inferum TUSCIA Langobardico-francici Regni, postrema cis Tiberim pars, nos tandem accersit. Titulo *Matris fabularum* Dn. Senjoreus, mox laudandus, eam donat, & meritò: quot namque fabulis origines Latinorum Veteres in Saturno obumbrarunt, totidem Tusci Impostores historiam suam, & originem, cæteroquin notissimam, turpiter polluerunt in Jano. At quemadmodum id diffiteri non possumus, eorum saltem figmenta detestari fas sit. Ea præ cæteris Joh. Villanus sæculo XIV. vulgare cœpit in Chronico suo *lib.* 1. præsertim à *capp.* 6. & 44. Civitatum Tusciæ scribens origines, sanè ineptissimas, exemp. gr. Fæsularum, cum Urbem antiquiorem reliquis Europæ ab Atlante nepote Noemi conditam facit, *ab ungue Leonem*. Sæculo sequenti famosior Joh. Annius hodie nemini ignotus, Villano deterior, dum ne Tuscos tantum, sed omnes penè Italiæ Municipales Scriptores exitiali sua peste, sodalem suum Albertum in *Italiæ descriptione*, in originibus ideo ejurandum adhuc eximium Baronium illo *Pseudo-Philone*, totque alios extra Italiam (quos recitat Aubert. Miræus *de Scripp. Ecclesiasticis*) miserè infecit. Equidem Annii simiam egit Petrus Leo Casella, quia Tuscus: illius-

Digitized by Google

fiusque Achillem, sed ridiculum, personatus ille Didymus Ropaligerus Livianus, qui in Italica *Hist. Gothorum* Annio apologiam attexit: sed Batavi incautiorem fateantur suæ professionis Gulielmum Postellum de *Etruriæ Originibus* Annium exscribentem, tanto exterorum applausu, ut avidè conquisita, & consumpta *Antiquitatum* Annii editione Parisiensi 1512. iterum Antuerpiæ 1552. eodemque anno Lugduni: denuò Antuerpiæ 1599. Vvirtembergæ 1612. & fortè alibi, ejus antiquitatum amasii, excudi curaverint. Si igitur (quia Nostrates Annii, aliorumque fabulas suis in originibus sunt secuti) hodie Batavi nobis illudunt, cur non Antuerpienses, Gallos, Germanos, tam de Annio sollicitos, adæquè irrident? An ne quia *aliam ætatem alia decent*, ut fert adagium? Sed quare Batavi vitio nunc Italis vertunt, quæ ipsi hodie faciunt? Cur nuper, Italia depopulata, Scriptores nostros ad se attractos denuò typis excudunt? Dictis facta non congruunt. Italos nugarum insimulant, & nugas prælo recenter committunt? Nunc Urbes planè omnes Italiæ suis exutæ Scriptoribus inveniuntur: apud Librarios nullum ipsorum exemplum venale prostat, eccur? Quia plerumque nugaces in originibus saltem, & in antiquis, illos vel bis typis subjicere dignos non novimus. In officinis itaque expositos emerunt exteri, ex quibus modò sine delectu solertes Batavi pro collectione Scriptorum Italicorum, quam edunt, supellectilem sibi pararunt, sed infelicem. Nostratibus nos vix sui temporis rebus, patris, vel avi fidem præbemus, sed hæc recentia: hinc ab eo sæculo ubi definit præsens Collectio, ea Batavorum initium capit. Opus pulcherrimum! Impostorem alium cunctis nequissimum *Curtium Inghiramum*, summo rubore suffusi, adhuc fatemur, cujus *Antiquitatum Etruscarum fragmenta* putidissima ex inferorum, non Fæsularum, cloaca A. 1637. exhausta, ingemiscens Respublica literaria miratur. Quis unquam crederet, quomodo tam fidenter tempore adeò claro in periculum tantæ ignominiæ spontè ille venerit, *ut adeò imprudenter* (utimur verbis L. Allatii *in Animadversionib.* in ipsum n. 114.) *effrictaque fronte mendacia tam insulsa spargeret* Prosper ille Fæsulanus? Meritò igitur laudatus Senjoreus *Biblioth. criticæ t. 1. c. 5.* hic etiam in Impostorem hunc exardescens. *Tusciam matrem Fabularum* appellat. Videatur. Attamen Sycophantæ hujus pestis paucos pervasit, quoniam fortis Leo Allatius illi opportunè dictis *Animadversionibus* Parisiis A. 1640. & Romæ 1642. editis, fauces elisit. Ex integro namque nugacem, & corruptam historiam, chronologiam absurdissimam, voces, & nomina prorsus inaudita, res, ritusque novos à Judæis, & Christianis mutuatos, stylum omninò barbarum, pessimam orthographiam, puncta, & accentus inusitatos, chartam, atramentum, & characteres recentes, nihil demum quod sapiat Etruscam antiquitatem, Romanaque tempora, sed cuncta ibi contenta nugas esse, fraudeque ad captandos sciolos clarissimè Vir eximius demonstrat. Revera Annius Viterbiensis, & Postellus, cum excerpta aliqua ex probatis Scriptoribus habeant, quid verum falso permiscent: Varro apud Nonium in *Spicum* ex lege Mœnia dicebat, *neque in bona segete nullum est spicum nequam, neque in mala non aliquod bonum*: at in segete *Antiquitatum Etruscarum* nullum spicum, undique Lolium, quod terræ pestis dicitur. Et huc supra observata recurrunt. Puduit Italiam typis suis indignum opus vel semel excudere. Francofurtensem Chalcographum Inghiramus decepit. Exteros item fautores est nactus præsertim Joh. Aventinum olim Pseudi-berosi sequacem Edmundum DicKinsonum Anglum *Delphorum Phœnicizantium à p. 73.* & in *Diatriba de Noe in Italiam adventu* per tot. Oxonii 1655. & Francofurti 1670. edita, ejusdem Anniani *Berosi*, & Inghirami *Antiquitatum* auctoritate ubique suffultum: neque ab eo dissentiunt Gabriel Naudæus *Apologiæ pro suspectis de magia cap. 14. p. 248.* & Servatius Gallæus *in Lactantii l. 1. c. 13. p. 75.* Videantur, & judicetur, si nugas, & fabulas Itali soli sequuntur, ut dicunt Batavi. Sed quoniam error de adventu Noemi in Italiam, nedum in Tuscos, sed in tot alios irrepsit, nostrates maximè, liceat aurea verba Allatii in Inghiramum n. 94. hic subjicere, nempe „ non esse credibile, Virum (Noemum) jam ætate gravem, & tot „ laboribus fractum ad longissimas terræ partes pedem „ movisse. Quæ eum necessitas compulit? quæ ratio „ suasit? Prius viciniores partes implendæ erant, demum quæ longè aberant. Quare si terrestri itinere rem „ aggressus fuisset, prius Asiam majorem, & minorem, „ inde Europæ Scythicas partes, postmodum Italiam „ versus progrediendo, antequam illam attigisset, per „ Germaniæ potissimam partem, & tandem per Insu„ bres pervenisset in montem illum. Si velificio con„ tenderet, non potuit Italiæ viscera penetrare, nisi „ prius in Mediterranei maris Insulas eas potissimùm, „ quæ ante ipsam Italiam locum occuparunt: tum demũ „ in Latium, & agrum Romanum divertisset. Verumtamen cum Sacræ Literæ dispersionem illam gentium „ nonnisi post ædificatam turrim, & confusionem lin„ guarum factam, dicant, ante enim non potuerant, „ licèt à Deo moniti, & à patrio illo nido avelli: *& dixerunt venite faciamus nobis Civitatem &c.* Hinc se„ quitur, post ædificatam turrim, & confusionem lin„ guarum divisio illa, cum prius omnes una conveni„ rent, facta sit. Imò iisdem Sacris Literis apertissimè „ dicitur *cap.* 10. à generationibus filiorum Noe divisas „ fuisse Insulas gentium in Regionibus suis. „ Quamquam hìc nil efficacius in Impostores dici valeat, indocto, rudique pennicillo nostro Apellææ tabulæ Allatii quid apponere audemus. Postrema ejus verba subsumentes, utique non a Noemo, sed à filiis, & nepotibus divisas Regiones, & Insulas fuisse, certissimum: ergo Noemus non orbem peregrinatus est, sed quievit. Sexcentorum erat annorum Diluvii tempore. Septingentorum & unius quando natus est Phagel, circa cujus ortum secuta divisio. An ante, sacri Interpretes adhuc contendunt. Quidem vixit ad Annos 950. At divisionis tempore jam tripartitæ suæ ætatis duas partes transegerat: comparatè ergo jam senex, quievit. Quod iter terrestre ille habuerit, impossibile captu. Verùm cur non maritimum? *Quia nec terra olim* (juxta Tacitum *Germaniæ* in principio) *sed classibus advehebantur, qui mutare sedes quærebant.* Nonne Noemus constructa arca, Deo docente, condendarum navium, & navigationis artem callebat? Oras Ponti Euxini, vel Mæotidis tenens, cur non per Bosphorum Thracium, & Ægæum mare in mediterraneum ingredi potuisset, ut pronepotes, abnepotesque fecere? Hæc pro Impostoribus, sed contra: navium usum longè post Noemum fuisse adinventum Scriptores tradunt, ut Agatharchides *cap.* 2. apud Photium *Cod.* 250. *p.* 455. Schotti; itemque apud Salmasium *in Observationib. ad jus Atticum, & Romanum cap.* 28. Plinius 7. 56. Hyginus de *Fibulis cap. ult.* Apollodorus *Biblioth. l.* 2. & alii. Eo adhuc dato, quot Regiones, quot Insulæ prius replendæ? Sed nimis amplum hoc argumentum. Neque prolixiores, ut oporteret, esse volumus in ostendendo quis verè, & historicè Janus, quis Saturnus, neuter certissimè sacer ille Noemus. Videatur Anonymus putatus Sex. Aurel. Victor de *Orig. Gent. Rom. p.* 24. ubi de Creusa Ereithei Atheniensium Regis filia. Non Janus, sed *Jon* ejus nomen ab ortu, qui Xuthi filius Straboni 8. p. 759. & Pausaniæ *in Attica* p. 122. & *in Achaja* p. 94. Cum porrò alter Janus fuerit, alter Saturnus, quis & iste fuerit, docent Augustinus de *Civ. D.* 18. 15. Minucius Felix *in Octavio p.* 51. Jul. Firmicus de *errore profanar. Relig. p.* 40. & alii. Nec sanè difficile ex mysteriis, fabulisque Ethnicorum Jani, Saturni, aliorumque historiam venari, illos consulendo, qui primis Ecclesiæ sæculis idolatriam adorti, ut Cyprianus, Tertullianus, Justinus Martyr, mox laudati, & tot alii indicati à Baronio *t. 2. in V. Apologia*, ex Gentilium fabulis argumenta petentes, ostendunt Idola, Deosque homines fuisse mortales, & mille vitiis fœdatos. Hucusque casu Tuscorum nugæ, quas Italis objiciunt Batavi, nos traduxerunt. Verum neque se ipsos immunes credant, si meminerint sui *Hunibaldi*, quo, ut ait Vossius de *HH. LL. l. 2. c. 22. nihil ineptius, stultiusque: ferrei oris, plumbei cordis . . . . . quare Hunibaldus eo loco habendus, quo Berosus Annii, & similis farinæ nugatores*: hæc ille. Theodosiani temporis fingitur. Quæ etiam de Sicambris Circum-rhenanis, nunc Batavis, comminiscitur, respuit Hermannus Comes Nuenarii in docto libello *de Origin. & Sedib. Francor.* oblato Carolo V. Aug. Eundem improbat Burcard. Struvius *Diss. de doctis Impostorib.* §. 6. Eruditus Belga amicus noster nobis testatur, Gerardi Noviomagi *Historiam Batavicam* scatere fabulis. Perpetuam sanè fabulam testes de visu novimus *Origines Antuerpianas* Joh. Goropii Becani, sive Becæ in Brabantia, cujus pars Batavis subest: lusu, sed jure *Becesellana* à patria sua ipse met vocat, futuri probri sui præscius. Si nobis esset otium suos lustrare, nugas & nos ipsi fortasse reponeremus. Vidimus & nos quid de suis Anniis, & impostoribus sentiunt Cluverius in *German. antiq.* Leibnitius *Miscell. Berolin.* incunte: VVernherius Teschenmacherus in Annal. Juliæ, Cliviæ VVestphaliæ, Geldriæ, Zutphaniæ &c. suorum respuentes errores: vidimus: ad nostrates.

(91) Quod Impostores Tuscos judicio nostro magis deturpat est ignorantia sanè affectata, quando Tuscorum origines ex priscis Scriptoribus sunt adeo perspicuæ, ut utili studio, & minori conatu res suas ampliores facere, aprisque conjecturis illustrare potuissent. Tuscorum itaque nomen sanè antiquius quam Tusciæ, sicut Langobardorum quam Langobardiæ: frequenter enim Romani Scriptores ante Florum eo utuntur, non ita *Tusciæ* nomine, quod sciamus: mirantes ideo Cellarium p. 710. vocis hujus exempla petere ex Saxis, & ex Scriptoribus post Constantinum M. quando Florus certi-

Digitized by Google

tissimè 1. 5. *duodecim Tusciæ populos* memorat, ipseque vixerit, si non Trajano, & Adriano imperantibus, ut probat Martinus HanKius *de Rom. rer. Scripp. part.* 1. *c.* 15. utique II. sæculo: antiquioribus vero *Tyrrbeniæ* nomen, ut Græcis, & *Etruriæ*, ut Latinis sæpe aspiratione præposita solemne fuit: Etyma vocum Dionysius Halicar. *l.*1. *p.*39. declarat, & prodit, Umbriam, & Pelasgiam fuisse dictam, quando illam primum Umbri occuparunt: mox illius partem Pelasgi Umbris eripuerunt, ut infra. Accedit Plinius 3. 5. A Lydorum *Rege Tyrrbeni* (dicti) *mox à sacrifico ritu lingua Græcorum Tusci sunt cognominati*, sed Θυόσκοοι juxta textum Græcum Dionysii, & in versione Gelenii p. 43. Tusciam porrò propriè dictam, quæ modò inter Apenninum, inferumque mare intercluſa, à Macra ad Tiberim fertur, ab origine tenebant *Umbri*, apteque *Umbriam* Dionysius appellat, ut mox, interim p. 40. in sensu Herodoti inquit, Lydos pervenisse *in Regionem Italiæ, quæ Occidentem vergit* (idest cis Tiberim ad mare inferum) *tunc Umbrorum cultam populis*: priusque dixerat p. 24. *Ligurum colonos Umbris confinium*: & infra p. 39. *Crotonem Umbriæ Civitatem memorabilem* . . . . . quæ post *Cortona vocata, & facta Romanorum Colonia*. Liquet ergo Tusciam hanc, de qua loquimur, Umbriam primævo nomine fuisse vocatam, seriùs tamen, quam cis Apenninum, ubi primò nomen emersum: hinc Straboni 5. p. 434. *est Ariminum Umbrorum Colonia sicut & Ravenna*, & infra p. 454. indicat viam *Arimini per Umbriam*. Item Ptolemæus 3. 1. dividens Umbros in *Olumbros*, & *Vilumbros*, locaque utrisque, etsi non omnia, tribuens, *Olumbros* ubi recens Ducatus Urbini, & *Vilumbros*, ubi Ducatus Spoleti trans Apenninum, designat. Hinc non percipimus, quomodo Brietius *Parallel. Geograph. pagg.* 520. *&* 567. abeat à Ptolemæo, divisionis hujus auctore, modo contrario locando *Vilumbros* cis Apenninum, sive inter hunc, & Adriaticum, ubi Ariminum, *Olumbros* verò trans, ubi Spoletum. Olumbros fuisse, qui, Apennino trajecto, australem plagam frequentare cœperunt, & Umbriam nominare, conjicimus ex vulgatis verbis Solini c. 8. de Italia, ubi *Bocchus absolvit, Gallorum veterem propaginem Umbros esse*: etsi hic uterque vapulat à Cluverio p. 593. dum inquit, quod *illa Bocchi Mauritaniæ Regis satis absurda fuit opinio, cum nihil unquam similitudinis morum, sermonisve Gallos inter & Umbros ab antiquis Græcorum, Romanorumque adnotatum auctoribus*. Non absurda visa est Bocchi opinio Isidoro *Orig. l.* 9. *c.* 11. eadem repetenti. Si veteres postea mores novissent, & sermonem Germanorum (qui sub Gallorum nomine veniunt apud Bocchum) collatione facta, fortasse convenientiam annotassent, nec annotarunt, quia neutrius gentis noverunt originem, ut mox. Equidem Umbros non valde remotos à Germanis novit antiquissimus Herodotus *l.* 4. *n.* 106. *p.* 235. scribens, quod *ex Regione, quæ est supra Umbricos Carpis, & alius ad ventum aquilonem Alpis* (amnes) *in Istrum exeunt*: neque ignoravit, eosdem usque ad inferum mare protensos, dum de Lydis, hoc est Tyrrhenis, loquens *l.*4. *n.*18. *p.* 40. scivit quod cum *ad Umbros pervenissent* (*ibi*) *Civitatibus constructis ad hunc usque diem habitaverint*. Sicut ergo facillimè potuerunt Olumbri Apenninum trajicere, & plagam australem frequentare, ita & prius perantiqui Germani superare suas Alpes, & Piceni tractum incolere, ibi assumpto Umbrorum nomine hucusque cunctis obscuro. Cur non, si tot aliæ Germanorum manus Transpadanas oras, aliquando sanè vacuas, ubi Ligures, Insubres, Euganei, & Veneti, implere cœperunt, ut suis locis prædiximus? Et quemadmodum adhuc harum gentium ignota sunt nomina, & ridicula Græcorum etyma, ita & Umbrorum: *amant enim Græci verba extera sic transferre, atque immutare, ut Græcæ originis esse videantur*, ut rectè nunc dicit laud. DicKinsonus *de Druidum origine p.*34. subnectens, quod Strabo *negat in Barbarorum nominibus Græcas etymologias esse quærendas*. Et opportunè quidem futilis est illa Umbrorum ἀπὸ τοῦ ὄμβρος, ut inde Plinius 3. 14. dixerit, quod *Umbrios à Græcis putent dictos, quod inundatione terrarum imbribus superfuissent*, & idem ex M. Antonio Solinus c. 8. Meritò Cluverius in hanc opinionem invehitur p. 593. *ex similitudine tantum vocabuli depromptam*. Et sanè si similitudinem nominum tantùm quærimus, quæramus *Ombrones* in Sarmatia Europea Ptolemæi 3.5. & observetur *Ombronum* situs in ejusdem tabula 8. Verum dum Cluverius subnectit: *quid enim gens barbara Italiæ indigena è Græca Lingua nomen sibi mutuata fuerit* quid τὸ *indigena*? Id planè non decet Christianum Scriptorem, qui potius sibi ignotam fateri debet gentis originem, quam cum Ethnicis dissimulare ex Noemi progenie omnes advenas, & peregrinos in mundi plagas migrasse. Neque erronei etymi rejiciendi rationes deiunt, ex absurdis petitæ, ut quod omnes populi essent Umbri dicendi, quia ex familia, remotè quidem Noemica, quæ sola aquis diluvii superstes, aliter foret dicendum, non omnes homines, præter eam familiam, disperiisse. Neque pro Cluverio dicatur, Antonium, Plinium, Solinum &c. loqui de diluvio Deucalionis, non Noemi: etenim Vir doctus *German. antiq.* 1. 32. ex Luciano de *Dea Syria*, Solino c. 7. Taciti *Germania*, Plutarcho de *Solertia animalium*, Ovidio, aliisque laudatis probare nititur, diluvium Deucalionis, & Noemicum idem, quod falsum, nam hoc ex computo biblico A. ante æram vulgarem 2349 illud vero longè posterius ex melioris notæ Chronographis A. 1529. contigisse cognoscimus. Cum autem illud Deucalionis evenisse narretur in Græcia, fuissent igitur Umbri superstites Græci, non Germani, uti fuere, velit, nolit Cluverius, qui licet Germanus hoc minimè novit, Umbros dicens indigenas, Græcis αὐτόχθονας, & aborigines passim vocantibus illos, quorum originem ignorabant. Nec obstat, Bocchum Gallorum, non Germanorum progeniem Umbros vocare: veteribus enim solemne fuit, Celtas, Germanos, Gallos una confundere, sicut medii ævi Scriptoribus Francos omnes promiscuè nominare. Quis nescit Cimbros verè Germanos? Quos tamen Cicero *de Provinc. Consularib.* post medium C Marium illis objectum celebrans, Gallos appellat, cum *Italiæ Gallorum maximas copias repressit*. Item Florus 3. 3. Galliam dicit eorum Regionem, non rectè tamen. Exempla abundant apud Aventin. *Annal. Bojor. pagg.* 50. & 66. Forcatulum *de Gallor. Imper. l.* 1. p 112. Hier. Gebuilerium *libertatis Germaniæ c.* 12. rectè probantem Germanos Gallorum nomine olim comprehensos, præter tot alios de lingua Gallorum differentes. Gallorum ergo sub nomine Germanos Bocchum intellexisse pro certo habemus, nec ulla ratione Boccho quis unquam, nisi meliora suppeditet, refragari valebit, ut & diligens Theodor. RycKius de *prim. Ital. Colon. c.* 1. *n.* 29. fatetur. Si Postellus sanè audacissimus, mendax, & impius tantum dixisset *de Signis cœlestib. p.* 51. & in *Cosmograph. c.* 13. Umbros verè esse Gallos, non esset culpandus, ut est in cæteris, quæ ineptè subjicit ex Pseudoberoso. Umbrorum sede inter Apenninum, & Adriaticum sic constituta, ipsisque numero, & viribus per tempora adauctis, nedum ad ortum se diffudere, ubi *Siculi*, & *Liburni* plurima tenebant, nempe *Palmensem*, *Prætutianum*, *Adrianumque agrum*, juxta Plinium 3. 14. (inter *Truentum*, & *Aternum*, ut ex c. 13.) ex quibus *Umbri eos expulere*, verum adhuc trans Apenninum, ubi nunc Tuscia, sed Umbria tunc. Id quando evenerit sanè difficile est definire, dum à Plinio *l. l.* indefinitè *Umbrorum gens antiquissima Italiæ existimatur*, nec ampliùs, & ita Dionysius pag.33. Nullibi legimus, Umbris Tusciam ingressis quempiam obstitisse, nec si quæ gens illam incoleret: probabile tamen quod aliqui Siculi Tiberis dexteram saltem tenerent, nam pag 34. scribit, *Phalerium*, & *Phascenium* (hoc Gallese: illud Civ. Castellana) olim Siculorum fuisse. Res Umbrorum Dionysius à p. 32. narrare aggreditur, nempe à Pelasgorum adventu in Italiam, ibi scribente quomodo pulsi è Thessalia paulo post Deucalionis diluvium, Græcia, & Asia mox peragratis, demum *oraculo moniti navigare in Italiam* . . . . . *parata classe mare Jonium trajiciunt, cupientes oram Italiæ sibi proximam contingere, sed flante austro, & locorum ignari, provecti longius* (ad occasum) *tenuerunt unum è Padi ostiis nomine Spineticum*, & ibi tunc condita *Spina*. Infra pergit: *Qui mediterranea petierunt, superatis Italiæ montibus* (Apennino circa Asonis fontes) *pervenerunt in Umbriam* (in Vilumbros ubi Nuceria, Spoletum *&c.*) *finitimam Aboriginibus* (Nare flumine limitaneo). *Habitabant tunc Umbri, & alios multos agros Italiæ, eratque ea gens cum primis antiqua & ampla. Igitur initio Pelasgi occuparunt agros, in quibus primum sedes fixerant, potiti quibusdam Umbrorum Oppidis. Sed cum contra eos convenisset ingens exercitus* (Umbrorum) *territi hostium multitudine, contulerunt se in Regionem Aboriginum* (trajecto Nare); Sed Aborigines illos ut hostes excipientes, ipsis occurrunt armata manu. Verum *Pelasgi cum oleæ ramis inermes ac supplices*, expositisque suis casibus, & huc venisse Deorum monitu, *orant, ut recipiantur in amicitiam*, agrosque implorant. Pacantur Aboriginis, petitis annuunt, & fœdus feriunt. Ob paucos agros Pelasgis, ut Umbros aggrediantur, auxilium præstant. Crotonem capiunt, arcemque constituunt belli: *Cære, Pisas, Saturniam Alsum*: ad dexteram Tiberis *Phalerium*, & *Phascenium*, ut mox supra, aliaque loca in societatem occupant, vel noviter condunt. Et hæc summa rerum ex Dionysio in Umbria australi, post Tuscia, gestarum ante Tuscorum adventum, & ut clarè innotescant primæ illius gentes, & ut locus Plinii 3. 5. suppleat defectum 3. 14. hic enim dicit, quod *Umbros expulit Hetruria*, sed illuc prius *Umbros inde exegere antiquitus Pelasgi*: *hos Lydi* &c. Verum tamen est, Pelasgos partem tantùm hujus Umbriæ occupasse circa Tiberim, & mare usque Pisas, ut ex recitatis locis colligitur;

Digitized by Google

gitur; nec ab ostio Tiberis multum aberat Regni sedes, seu locus, *quem Regis villam vocant*, apud Strabonem 5. p. 452. quam *Malæoti Pelasgi Regiam fuisse scriptis mandatum est: quem cum finitimis Pelasgis in his locis, magna excellentem potentia inde digressum, Athenas petiisse*. Dicimus ab ostio Tiberis, & si longius locetur ab Ortelio inter Graviscas, & Cossam, putante *Regas* esse Antonini. Nutat etiam Simlerus in hunc locum corruptissimum. Potius prope *Pyrgos* nos fuisse conjicimus, quia hic Strabo subjicit *à Tauriscis ad Pyrgos* &c. Et statim *Cæretanorum est emporium, habetque Lucinæ templum Pelasgis constructum*, ut prope Regiam commodius esse debuerit: altera conjectura accedente, Pyrgos eosdem Pelasgorum Urbem fuisse primariam, ut fuisse dicitur Tuscorum, juxta Servium in illud Poetæ *Æneid.* 10. v. 184. *& Pyrgi veteres* &c. annotantem, quod *hoc Castellum nobilissimum fuit eo tempore, quo Tusci piraticam exercuerunt, nam illic Metropolis fuit*; & Navale Cæretanorum, ut notat etiam Farnabius: *Agylla* à Pelasgis conditoribus dictum, Plinio 3. 5. Dionysio, & Stephano testibus. Cætera de Pelasgis Umbriæ apud Dionysium, & ipsius illustratorem RycKium *l. l. c.* 3. ubi præsertim ratio illorum temporum examinatur. Nos, quæ intacta ille reliquit, ad Tusciam spectantia tetigimus tantum.

(92) Hactenus dicta de Umbris, & Pelasgis, & necessariò præmissa, dicendis modò lumen afferent. Etenim cum Umbriam hanc australem ab immemorabili tenuerint Umbri, ejusque partem exinde quoque Pelasgi per annos circiter 264. ab istorum ingressu, ut ex conjecturis RycKii *cap.* 3. & in Canone Chronico, ad amborum occupandas Regiones Tyrrheni advolarunt. Unde venerint, ab antiquissimo tempore variæ fuerunt opiniones. Seorsim prius ponamus novissimam Nic. Fullerii *Miscell. l.* 1. *c.* 11. opinantis, Tuscos à Phœniciis, & Tyriis processisse, cum inquit, quod *Religionum cognitio, literarum, artiumque peritia, Respublica florentissima, magnificus, & verè regius apparatus nonnisi à Tyriis initio proficisci potuit*. Sed potuisse aliunde satis ei demonstrat Samuel Bochartus *Geograph. sac. part.* 2. *l.* 1. *c.* 33. ejus argumenta dissolvens, præsertim ex diversitate linguæ, arguendo, & probando, nullam gentem in Italia Phœnicii fuisse generis. Quod si fuisset, Scriptores belli Punici optimè observassent: *neque id latuisset Annibalem, qui eo ipso argumento Italos, tamquam populares suos, ad defectionem solicitasset*: videatur. Argumentum è contra petitum ex convenientia vocum est persæpe violentum, & fallax, cum quodlibet idioma casu tantum alienas admittat, ut de singulis posset facile demonstrari. Veterum opiniones refert Dionysius *à p.* 39 *lib.* 1. ubi: *bos quidam ajunt indigenas esse Italiæ, quidam advenas*: Antiquior tamen, communior, & probabilior semper ea fuit, ex Lydia in Italiam venisse. Antiquior, quia Herodotus inter superstites item senior *l.* 1. *sub n.* 18. *à p.* 39. id prodit, ipsumque adhuc recitat Dionysius pag 40. Communior, quia ferme omnes Historici prisci, Geographi Græci, & Latini, Oratores, Poetæ, & Grammatici cum Herodoto sentiunt, ipsorumque testimonia refert Cluverius *l.* 2. *c.* 1. ferè per tot. alios adjicit RycKius *cap.* 6. Cluverius tamen à communi recedere voluit, ut partem debiliorem tutando, acrius suum ostentaret ingenium: sicut & alibi Æneæ in Italiam adventum pompa negavit. Probabilior denique, quia opposita omnino improbanda uti falsa, etsi Dionysius (pluribus oppositis) pag. 43. demum concludat, dubitative tamen dicendo: *vereor ne verisimilior sit eorum oratio, qui non advenam esse hanc gentem, sed indigenam asseverant*. Ergo in Tusco solo fungorum ad instar enatam? Et hæc verisimilior oratio, quam Ethnici quoque detestantur, abhorrent, si paucos excipiamus à Censorino de *die natal. c.* 2. relatos, & sentientes cum Epicureo Lucretio apud Lactantium 2. 11. quod

Crescebant uteri terræ radicibus apti?

Vellemus, quod stantes pro Dionysio (præter prædicta de Umbris in Cluverium ex sacris Literis) observarent apud Svidam in αυτοχθονες, hoc est indigenas dici, *sive quod terram ignavam primi coluerunt, sive quod non fuerunt advenæ*. Si advenæ Tusci non fuerunt, firmatur absurdum fungorum, quod est Dionysio probatum. Si mitiùs suam terram primi coluerunt, falsa ergo omnia, quæ idemmet Dionysius de Umbris, & Pelasgis prædixerat. En quam insubide Cluverius, & alii Autochthones proferunt. Ceterùm argumenta Dionysii Lydos a Tuscia amoventis non magni ponderis visa sunt RycKio *d. c.* 6. *à n.* 11. validiùs tamen potuisse retundi nobis videtur. Opponit I. loco p. 41. Silentium Xanthi Lydii, qui patriæ historiæ auctor nunquam Tyrrheni Principis, nunquam *Tyrrheniæ quasi Lydorum* Coloniæ meminit. Quid inde? Et unius silentium, forsan ex arte, centum testium sermone præpoterit, ipsorumque Lydorum confessionem superabit? Certantibus Asiaticis Urbibus apud Tacitum *Annal.* 4. *p.* 227. Lipsii in qua earum templum Tiberio statueretur, „ Sardiani decretum Etruriæ „ recitavere, ut consanguinei: „ *Nam Tyrrhenum, Lydumque Atye Rege genitos ob multitudinem divisisse gentem: Lydum patriis in terris resedisse: Tyrrheno datum novas ut conderet sedes, & Ducum è nominibus indita vocabula, illis per Asiam, his in Italia*. Addit RycKius aliam confessionem Lydorum. II. ex Hellanico Lesbio, qui *ait Tyrrhenos Pelasgos primum vocatos postquam Italiam habitare cœperunt, assumpsisse, quam nunc habent, appellationem* &c. Sed idem Dionysius Hellanico *Myrsilum* dissentientem opponit. Et præterquamquod id referatur ad tempus præcedens adventum Tuscorum, non probat Tyrrhenos fuisse Pelasgos, non Lydos, sed ad summum utriusque gentis societatem, & commixtionem, ut ipse Dionysius pagg. 42. & 43. fatetur. Rectè postea percipimus, Pelasgos dictos Tyrrhenos, & è contra, etsi diversi generis, tum ante ipsorum in Italiam adventum, tum post, ex Anticlide, apud Strabonem 5. 443. qui *scriptum reliquit primos eos* (Pelasgos) *Lemnum, Imbrumque condidisse, eorumque nonnullos cum Syrrheno Atys filio in Italiam comite annavigasse*. Sed Tyrrhenos Lemnum, & Imbrum habitasse cum Pelasgis produnt veteres Græci apud Cluverium, & Bochartum laudatis locis abundè. Plures alias rationes egregiè, & exempla confusionis nominum affert hic RycKius *num.* 8. III. ex diversitate linguarum Lydorum, & Tuscorum arguit Dionysius diversitatem gentis. Verum is canon incertus, præsertim cum diutinum nimis est tempus. Linguæ mutationem contingere sæpe ex aliis gentibus ostendit Arrianus *de expedit. Alexand. l.* 2. *p.* 26. dum ait: „ Sunt autem „ Siditæ Cumæi ex Cumis Æoliis oriundi, qui quidem „ de origine sua hujusmodi quippiam narrant: nimi- „ rum se primos, qui è Cumis profecti eò appulerunt, „ atque in eam Regionem habitandam descenderunt, „ *repente Græcanicæ linguæ oblitos fuisse, statimque bar-* „ *baros sonos emisisse, nec quidem illos cum Barbaris* „ *vicinis communes*, sed ipsis proprios, ac peculiares, „ qui antea in usu non fuissent, atque ex eo tempore „ Siditas. „ Sed quæ Regio processu temporis linguam non immutavit? Nulla, quia quælibet, exteris gentibus receptis suam vel corrupit, vel prorsus amisit. Gallia, ut ostendit Joh. Isacius Pontanus *Origin. Francor. l.* 6. *c.* 24. & *in Append. ad Itinerar.* Galliæ Narbonensis *part.* 2. Barbarorum influxu, & Francorum imperio & suam, & à Romanis acceptam perdidere linguam. Facile probari idem posset in Hispania Saracenorum accessu, in Britannia Saxonum, in nostra Italia Gothorum, Langobardorum *&c.* Et soli Lydi post deductas in Italiam Colonias subire coacti Heraclidarum (hoc est Herculis descendentium) Mermnadidarum sub Gige, Medorum, Persarum, Macedonum, & Romanorum imperium: item Tusci deducti admissis Umbris, Aboriginibus, Pelasgis, Trojanis Æneæ, Græcis, proximisque Italiæ gentibus, Liguribus, & Gallis, Romanisque tandem, penes quos Orbis nationes omnes, quia *Roma totius Orbis compendium* Athenæo 1. 15. intactas servare potuere primævas suas linguas, ut de utraque judicium ferret post XIII. sæcula Dionysius? Oportuisset, ipsum calluisse Lydiam linguam, quam loquebantur Lydi Atys ætate, & Tyrrheni filii, comparandam cum Tusca, Ciceronis, & Octaviani nondum Augusti, ætate, qua ipse Dionysius scribebat, sed hoc viribus hominis impar. Videmus enim Etruscæ linguæ ignorantiam, causa Barbarorum inductam, nondum vinci potuisse, etsi tot Viri docti linguarum orientalium adhuc antiquarum peritissimi laboraverint, nec adhuc in efformando alphabeto convenire potuerint. IV. tandem ubi Dionysius ex studiorum discrimine demonstrare conatur, Tuscos à Lydis, plusquam à Pelasgis differre, nobis è contra Tusci, & Lydi conformiores suis in studiis apparent, & in eo præsertim *Haruspicinæ*, cujus artem Tusci Italos primò docuere: quod argumentum, ut validius, nec ab ejus fautoribus observatum, præterire non possumus. Tuscos ex Asia profectos, mox speciatim ex Lydia probè demonstrat. Primum patet ex Cicerone *de Divinat. l.* 1. *p.* 113. Aldi 1560. ubi *Etruria autem de cœlo tacta scientissime animadvertit, eademque interpretatur quid, quibusque ostendatur monstris, atque portentis. Quo circa bene apud majores nostros Senatus tum, cum florebat imperium, decrevit, ut de principum filiis sex singulis Etruriæ populis in disciplinam traderentur, ne ars tanta, propter tenuitatem hominum, à religionis auctoritate abduceretur ad mercedem, atque quæstum*. Et en cur tot sæculorum fluxu nunquam (inferis foventibus) ars hæc deficere potuit. *Phryges autem, & Pisidæ, & Cilices, & Arabum natio avium significationibus plurimum obtemperant, quod idem factitatum in Umbria accepimus*. Et Lydi? Commodè. Paulo supra dixit: *Telmessus in Caria est, in qua Urbe excellit Haruspicum disciplina*, imò in tota Caria, ex Plinio 8. 56. testan-

cestante, adinventa *Auguria ex avibus Car, à quo Caria appellata*. Quam proximi porrò, loco, & animo Caribus Lydi, ut cuique notum, & ex eodem 5. 29. *Lydia ..... meridiana parte Cariam amplectens, Mæonia antea appellata*. Junctissimos animo, ut fratres, Cares, & Lydos prodit Strabo 14. p. 392. cum de Urbe Mylasa, & de templo *Jovis Carii* ibi positi ait: *Caribus omnibus commune, de quo etiam Lydi, ac Mysi tanquam fratres participant*. Et Carium non perceperint Haruspicinam fratres Lydi, non exercuerint, non ipsi in Italiam detulerint? Itaque certissimè ex Lydia Tusci, qui item ex Asia Romam alias traduxere artes, ut Plasticam ex Plinio 35. 12. vestes, decora, ornatus, Prætextam, Togam pictam, & palmatam, Paludamenta, Annulos, Phaleras, Fasces, Trabeas, Sellas curules, ludos, ornamenta triumphalia, centumque alia, quæ singillatim ex priscis Scriptoribus colliguntur: ipsorumque ad exemplum Romulus in Tribus, & Curias populum primo divisit, quæ omnibus obvia. Concludimus, servatos fuisse facilius ritus, & mores Tuscorum, quia Romani eosdem in se traduxerant, quam eorum Linguam, ipsis quidem acceptam, semper tamen extraneam.

(93) Nec casu diximus ab adventu Tuscorum ad Dionysium XIII. fluxisse sæcula, ut ideo tam longo tempore minimè Lydi in Italia suam linguam servare potuerint. Ut id consultè nos protulisse doceamus, & illorum adventum in Italiam (ut nonnulli emendentur) & interitum, ut vis prædictis accedat, expedit brevi indicare. Adventum innuit Jctus Fr. Dinus *de Antiquitatib. Umbror.* (quorum tamen originem, & res desideratas oblitus est) pag. 3. his verbis: *à Lydia Tuscos profectos esse annos circiter CCC. ante Trojanum excidium numerant Chronistæ, quo tempore Umbri depulsi*: eadem repetit p. 53. At quinam, & ubi hi Chronistæ saltem veteres, ut fidem faciant? Neminem laudat. Contendit maximè de situ Camertium cum Cluverio, & ipsum sequitur idem scribentem p. 533. deque Vejorum Urbe dicentem, quod *& ipsa cum reliquis principibus Etruriæ Urbibus* 300. *circiter ante bellum Trojanum annis, cum Pelasgi Tyrrheni hanc Regionem occupassent, constituta est*. Quid si Atys Tyrrheni Pater (Dinum alloquimur) esset Herculis filius juxta Strabonem? (5. p. 438.) essent ne anni 300. dum *Græci asserunt* (apud Diodorum Siculum *l.* 1. *p.* 31.) *Herculem paulo ante bellum Trojanum extitisse?* Imo juxta Lactantium l. 1. c. 9. *navigavit cum Argonautis, expugnavit Trojam*. Sed is fortè alter Hercules, & altera halòsis, nam quater Trojam captam produnt S. Augustinus *C. D.* 3. 7. & Meursius in notis ad Lycophronem *p.* 114. ex Polyæno *Stratag. l.* 3. Utut sit, plures enim Hercules fuere, constans, & communis veterum Scriptorum traditio est, Tuscos in Italiam venisse post Aborigenes, Ausones, Pelasgos, Arcades, Janum, & Saturnum, quos omnes ferè tamen prævenire debuissent in hypothesi Cluverii, & Dini: sed tempus definire est sanè difficile. Oculatissimus RycKius *d. cap.* 6. *num.* 14. verisimile censet, advenisse eo circiter tempore, quo Siculi ex Italia ab Aboriginibus, & Pelasgis fugere compulsi sunt *ætate tertia ante Trojam captam*: quod conjicit ex Dionysio *l.* 1. *p.* 36. de Sicilia hæc scribente: „ mutato nomine Insula vocari cœpit Sicilia, atque „ ita Siculum genus reliquit Italiam, ut Hellanicus „ Lesbius auctor est *ante bellum Trojanum ætate tertia*..... Philistus autem Syracusanus scribit, *tra-* „ *jecisse illos anno octuagesimo ante bellum Trojanum.* „ Si quæratur quot annos ætas contineat, & quo anno contigerit Trojanum bellum (ambo scitu necessaria, ut Cluverius, & Dinus evincantur, sed ut magis adhuc Tuscorum evertatur æternitas, ab Impostoribus decantata) respondemus, satis eruditos novisse, & quam variæ sint de ætate antiquorum opiniones, & quam parum sint sibi constantes Herodotus, & Dionysius frequentissimè cum Diodoro, & Pausania hac ætatis nota chronica utentes. Nec minus ancipites sunt prisci Scriptores in statuenda epocha Trojæ captæ. Verentes, ne nimiæ digressionis Lectorem tædeat, ipse adeat Censorinum *de Die Natal. c.* 5. opiniones varias referentem primò de ætatis periodo: arguat Herodotum *lib.* 2. *nu.* 64 *p.* 142. fabulis Sacerdotum Ægypti de ætate tot suorum Regum, Pontificumque se committentem; videat ejus inconstantiam in ætatibus Heraclidarum, Semiramidis comparatæ ad Nitocrem Babylonicam; neque constantiorem inveniet Dionysium; si rectè observabit in Proœmio ætates Regum Assyriorum: & *lib.* 2. *p.* 156. intervallum, quod statuit inter Numam, & Pythagoram, alibique: & his visis, ut probabiliorem amplecti prudenter debebit sententiam, quod veterum ætas annos XXX. comprehenderet, ut sensere Zeno apud Censorinum *l. l.* Diodorus Siculus *l.* 3. *c.* 13. *p.* 192., ubi *progenies* 30. *perficitur annis*: Strabo 2. *p.* 150., referens in Margiana, *Vinum ad tres hominis ætates, idest, nonagesimum annum perdurare*. Servius ad *Æn.* 8. *v.* 508.

Sed mihi tarda gelu, seclisque effœta senectus,

ubi Poeta *seclum* vocat ætatem, & explicat hanc per annos 30. dum ait: *Notandum, dicta secula etiam in uno homine secundum eos, qui dicunt, seculum* 30. *annos habere*. Ita & Hesychius in γενεὰ, & Svida eod. vers. col. 197. ubi *Nestorem Pyli sepultum volunt annos vixisse XC. unde ter senex dicitur*: quod repetit in τριγήρεον col. 942. *ter senex dicitur Nestor, quod tres hominum ætates vixerit, hoc est annos* 90. Non ergo ab hac sententia excedendum. Quo ad annum postea Trojæ captæ perplura forent adhuc dicenda, & quia hæc epocha (sacris relictis, quæ ignotæ gentilibus) sanè celebrior ante Olympiades, minusque incerta antiquiorum diluvii Ogygis, reditus Heraclidarum &c. & quia Veteres omnes eam definiunt, non ut in se, sed tantum per ordinem ad Urbem conditam, vel ad Olympiadem primam, cujus epocha, ut historici temporis, Trojanæ à Græcis fuit suffecta. Utriusque ordinis exemplo sunt Marcellini Comitis notæ in calce Chronici *à Trojæ excidio usque ad I. Olympiadem anni* 406. *à Trojæ excidio usque ad U. C. anni* 430. in duobus deficit, quia esse debent 432. Ita & rectissimè *Portius Cato* (apud Dionysium 1. p. 86.) *cum esset diligens collector antiquæ historiæ, dicit quadringentis-triginta-duobus annis posteriorem bello Iliaco* (Urbem conditam) *quod tempus dimensum juxta Eratosthenis Chronographias incidit in annum I. Olympiadis VII. Esse autem incorruptas regulas, quibus Eratosthenes usus est, & quomodo ad eas dirigenda sit Romana temporum ratio, alio tractatu, declaravimus*. Hæc Dionysius Eratostheni se subscribens, dum idem prædixerat p. 83. dicendo: *Anno quo Numitor suum Regnum auspicatus est, post Ilium captum CCCCXXXII. Albani, Romuli, & Remi ductu, Coloniam miserunt Romam anno primo, VII. Olympiadis, qua stadium vicit Daicles Mesenius, Archonte Athenis Charopo decennis ejus principatus anno primo*. Consentiunt Diodorus *lib.* 14. ineunte: Strabo *lib.* 5. *p.* 458. ubi de morte Æneæ: Censorinus *l. l. c.* 8. *de ann. Rom.* Solinus *capp.* 2. & 20. & alii, ad summum in uno, vel duobus discrepantes in annis. Ratiocinio tamen Lector utatur, cum non omnes in terminis id exponant. Quare quotquot ab Eratosthene abscedunt, si leviter, corrigendi, & emendandi (cum sæpe culpa amanuensium error irrepserit) ut Vellejus Paterculus *l.* 1. *p.* 8. ubi in annis CDXXXVII. abundat V. non VII. ut hoc loco Lipsius desiderat, conciliaturus Vellejum cum Tatiano, & Eusebio. Cedat V. doctus Julio Africano, quem præsto habet, scribenti 432. Enormis est error Appiani in *Bellis Mithridaticis p.* 137. edit. 1554. Basileæ, nisi ML. corrigatur MC. aliter essent tantum anni 382. Eutropii mendum *lib.* 1. post initium in CCCXCIV. emendatur nonnihil *in Miscella* (C. H. p. 2. 2A.) ubi *ante I. quoque Olympiadem annis* 406. nondum satis: rectius 408. addendo postea sex Olympiades, seu annos 24. consurgunt 432. Svidas errat item in Ὄμηρος col. 658. & seq. ubi *instituta autem prima Olympias fuit post Trojanum excidium annis* 400. *&* 60. sic in edit. Basileæ 1581. dempta à 60. nota o vulgo zero, Svidas item corrigatur ut supra. Posset & hic designari mensis, quo Troja capta, nempe *Thargelion*, sed quia etiam is variè interpretatur, brevitatis gratia supersedemus. Eratostheni, & si summæ auctoritatis apud veteres, & recentiores, bellum indicit celebre *Marmor Oxoniense* Chronographi Parii, in quo à Troja capta ad U. C. numerantur anni 457. cum discrimine annorum 25. An credunt illius Patroni sanè doctissimi Seldenus, Lidianus, Palmerius, Prideaux, Du-pinius, & novissimè Cl. Eques Marchio Scipio Maffejus *in Musæo Inscript. n.* 4. *p.* 148. illud omni labe carere. Habet sua menda & non pauca, ut novere Petavius, Marshamus, RycKius, & alii ab eo recedentes. Parcant Patroni, si proferre audemus, marmor hoc vel in se certius non esse cæteris Scriptoribus, & documentis, vel totam veterem Chronologiam Atticam enormiter esse mendacem. Ut quisque facilè id percipiat, Marmor observet, exinde illud conferat cum Italica versione Clar. Maffeji *l. l.* & cum serie Regum Atheniensium apud Joh. Meursium *t.* 4. *Antiquit. Græcar. à col.* 1017. & Archontum à col. 1141. Item apud Du-Pinium, qui exactè ad normam hujus Marmoris in calce *Biblioth. univ. Historicor.* à p. 850. texit seriem eorundem Regum, & à p. 903. Archontum. Ut ideo edoceamur, unum quid tantum, sed omnia complectens, petimus declarandum, nempe quomodo in fronte Marmoris dicatur, inscriptionem comprehendere spatium AA. 1318. quando ex ipsa, & ex tabulis Du-Pinii 1396. clarè consurgunt? Hoc uno explanato, non verebimur Eratostheni Marmor præferre. In V. periodos Atticam Chronologiam distinguamus, quarum I. sit XI. Regum a *Cecrope* ad *Menestheum*, cujus anno 22. Troja capta. Hæc periodus comprehendit AA. 373. qui cum reliquis 945. ut in Marmore, conficiunt

1318.

Digitized by Google

1318. Neque hic refert, quod dicatur marmor fractum, deficiens in medio, & in fine AA. 88. Hæc spatium immutare non possunt, quia Chronologus numerat à tempore quo scribit ad Cecropem AA. 1318. ascendendo, ut in fine tabulæ Dupinianæ p. 931. II. est VI. aliorum Regum post Trojam captam à *Demophoonte ad Codrum*, complectens AA. 193. III. exactis Regibus, est XIII. Archontum perpetuorum, quorum AA. 341. ut in Marmore, & in tabula Du-Pinii. IV. Archontum VII. decennalium, quibus tamen tribui nequeunt anni 70. completi, quia *Hippomenes* excidit à Magistratu ante tempus ob crudelitatem in Limonem filiam, quam propter stuprum equo vorandam tradidit, ut apud Heraclidem *de Polit. Athen.* §. 1. in calce Æliani *V. Hist.* Svidam *col.* 420. & alios. NB, quod primus horum Archontum apud Du-Pinium p. 904. est *Charops* Olympiadis VI. anno 3. ante Christum 754. qui primus Urbis conditæ. Igitur hæc periodus IV. quia incerta, conjungi debet cum V. Archontum annualium, & perduci usque ad A. ante Christum 265. qui est 489. Urbis C. quo *Diognetus* Archon, *sous le quel est la derniere epoque des Marbres d'Arundel*, ait Du-Pinius p. 431. Si porrò isti omnes anni XI. Regum 373. VI. reliquorum 193. Archontum perpetuorum 341. decennalium, & annalium usque ad *Diognetum* 489. summam efficiunt 1396. quomodo in fronte marmoris 1318. à *Diogneto* ad Cecropem? Unde annorum 78. excessus? Mittimus tot alia menda, præsertim in locis Archontum, & quod pejus est, recessum Marmoris à sacrorum Bibliorum, Mosis præsertim, Chronologia. Si injusta petimus, corrigamur: si justa, non ergo hæc inscriptio *Regina Græcarum*, non certior cæteris, non præferenda Eratosthenis, cujus sententia de epocha Trojæ captæ magis magisque firmatur.

(94) Resumendo nunc tempus adventus Tuscorum, id utique à RycKio c. 6. & in Canone alligatur anno fugæ Siculorum ætate tertia, hoc est 90. annis, plus minus, ante Trojam captam, nempe A. mundi 2830. & ante Urbem conditam A. 522. At non satis V. doctus alligationem suam probat: vix enim negativè hanc arguit, *quoniam*, inquit, *altum Tyrrhenorum usque ad illud tempus in Italiæ rebus silentium*. At ubi testis de illis loquens quando fugam arripuere Siculi? Nescimus quomodo tot Viros doctos fugerit Censorinus *cap.* 5. qui licèt remotissimus ab illo tempore (floruit enim Maximino, & Gordiano imperantibus A. 237.) ex Tuscorum tamen libris satis clarè prodit quod quærimus, ostendendo, Regnum Tuscorum in Italia X. dumtaxat sæcula, nec ultra, stetisse: V. ferè post Urbem conditam, & totidem ante, & quid plus, scilicet AA. 522. ut prænotavimus, qui reapse fluxerunt à fuga Siculorum ex Italia. Censorinum audiamus: „ In „ unaquaque Civitate quæ sint naturalia sæcula Ri„ tuales Etruscorum videntur dicere, in quibus scrip„ tum esse fertur initia sic poni sæculorum: quo die „ Urbes, atque Civitates constituerentur. „ (NB, nec prorsus obiter, Tuscos profectos ex Asia, ubi mos epochas Urbium notandi, ut apud Em. Norisium ex instituto *de Epochis Syromacedonum*) „ De iis, qui „ eo die nati essent: eum qui diutissimè vixisset *pri*„ *mi sæculi* modum finire: eoque die qui essent reli„ qui in Civitate: de his rursus ejus mortem, qui „ quam longissimam egisset ætatem finem esse *sæculi* „ *secundi*: sic deinceps tempus reliquorum terminari. „ His ex verbis, & sequentibus liquet, apud Tuscos duplex fuisse sæculum, aliud *naturale*, & indefinitum, quod humanæ vitæ spatio, seu vita, & morte alicujus metiebatur, ut explicat Panvinius *de Ludis sæcular.* p. 259. (Miscell. Italiæ t. 1.) nec in hoc sensu intelligenda sunt X. sæcula Regni Tuscorum, quæ fuere *Civilia*, & definita tot annis, etsi non in numero annorum æqualia. Subdit ideo Censorinus: *quare in Tuscis historiis (quæ octavo eorum sæculo scriptæ sunt, ut Varro testatur) & quot numero sæcula ei genti data sunt, & transactorum singula quanta fuerint, quibusve ostentis eorum exitus designati sunt, continetur. Itaque scriptum est, quatuor prima sæcula annorum fuisse CV. quintum CXXIII. sextum unum de viginti, & C. septimum totidem: octavum tum demum agi: nonum, & decimum superesse, quibus transactis finem fore nominis Etrusci*. Summa admiratione hic corripimur, quod ante duo sæcula quis vaticinari potuerit, illis *transactis finem fore nominis Etrusci*. Et revera ita contigit, nam Anno U. C. 470. juxta Sigonium in fastis h. A. Ælius Vulturrenus Tuscorum postremus Rex occubuit in prœlio inter Romanos (P. Cornelio Dolabella Cos.) & Tuscos, Lucanos, Brutios, Samnites, & Senones fœderatos omnes in Romanos ad Lacum Vadimonis non procul ab Horta. Tunc Tuscorum desiit Regnum, nec amplius alter Rex Tuscorum auditur in Historiis. Hinc rectè Anna Tanaquilli *in Chronolog. ad Florum* A. 469. notat *Regnum Tuscorum finitum*. Quare Turrenus, filius Ælii Vulturreni occisi, Romanis cessit quicquid ditionis suæ supererat, ut demum triennio post T. Coruncario Cos. subactis adhuc Vulsiniensibus, & Vulcientibus potentibus Tusciæ populis, ita Romano nomini fuerunt Tusci omnes addicti, quod in posterum Romanos inter, & Tuscos justum memoratur nullum secutum bellum. Deficiente hic Livio, hæc tradit Polybius lib. 2. eaque refert ad tempus belli Tarentini: inquit p. 131. *Erat, dum hæc gerebantur, tertius annus post trajectionem Pyrrhi in Italiam, & quintus post eam cladem, quam Galli apud Delphos passi fuere*. Intelligendus est tamen Polybius de tempore, quo cuncta fuere peracta, & pacata cum Tuscis, nam bella fervebant sub Dolabella A. 470. U. C. ut notat Casaubonus *Synop. Chronol. in Polyb.* h. A. Tertius porrò annus trajectionis Pyrrhi in Tarentinorum auxilium concurrit cum Consulatu P. Sulpitii Averii (al. Saverii) A. 474. post Consulatum Coruncarii. Et en epocha defectionis Regni Tuscorum sæculo V. post U. C. quod confirmant Eutropius *in Miscella l.* 2. ex illo Orosius *l.* 3. *cc.* 21. *&* 22. Florus 1. 13. &c. Totidem ergo sæcula ante U. C. cœpit, stetitque idem Regnum, ut X. expleantur sæcula juxta Varronem, & Censorinum: qui, si vaticinium fuisset falsum, advertissent errorem. Clarè quidem videmus annos horum X. sæculorum collectos dare plusquam M. annos. Sed cum trium posteriorum non indicentur anni, excessus fortè annorum 50. supra 1000. tolli poterit, vel à X. sæculo non completo, vel eos adimendo à tribus ultimis sæculis, vel adhuc potest oriri à discrimine inter annum Tuscum & Romanum. Idem fuisse mensem apud utrosque conjici potest ex Macrobio *Satur. l.* 1. *c.* 15. testante *idus*, & *nonas* derivasse à Tuscis. An annus quoque idem fuerit, fortè indicabit, quem desideramus, Henr. Lindenbrogius Censorini illustrator. De cætero ditionem Tuscorum ab initio valde amplam non fuisse (exemplo Regni Romanorum, aliorumque) verisimile est: non enim tanta multitudo Lydorum navibus huc potuit deferri, quæ primo impetu amplissimam Umbrorum, & Pelasgorum ditionem subigere potuerit, ut solum processu temporis *CCC. eorum Oppida Tusci debellasse reperiantur* apud Plinium 3. 14. quæ nec inter Apenninum, & inferum mare omnia fuisse sita est probabile, sed potius inter utrunque mare cis Apenninum, & trans, ut distinguit Livius *l.* 5. *c.* 19. ubique ipsis dominantibus. Serius adhuc cis Apenninum, ubi Romandiola nunc, Æmilia, vel Langobardia, migrasse est credendum circa Trojana tempora, sive sæculo post ab eorum accessu in Italiam. Difficile est namque, quod illi citius Barbaris Cispadanis bellum indicere, & terras eripere potuerint, Colonias deducere, & agros frequentare, quin prius creverint numerosiores, unius saltem sæculi spatio. Etenim præcipuas inter causas, ob quas juxta Senecam *de Consolat. c.* 6. E patrio solo prisci populi exibant, fuit & *nimia superfluentis populi frequentia ad exonerandas vires*, quæ nisi plurium annorum decursu haud effici potest. Eadem prorsus de causa cis Apenninum, & adhuc trans Padum ubique similiter *excepto Venetorum angulo*, & tardius migrasse, est pro certo tenendum. Imperio sic prolatato ad occasum, & boream, idem amplificare curarunt ad ortum trans Tiberim. Hyperbole tamen est Servii ad *lib.* 2. *Georg.* in fine, *Tuscos usque ad fretum Siculum omnia possedisse*, quod nimium. Sufficit, quod prodit Polybius *l.* 2. *p.* 570. ubi *Campos omnes, quos Apennino, atque Adriatico mari terminari diximus, olim habitavere Tyrrheni: quo tempore Phlegræos etiam Campos, qui circa Capuam & Nolam sunt, tenebant ..... Quapropter non oportet Historiographos potentiam Tyrrhenorum ad eam Regionem referre, in qua nunc* (sæculo VI. U. C. quo jam defecerant) *habitabant, sed ad prædictos Campos &c.* Per hæc posteriora verba satis indicantur Tuscorum fines ad ortum, & ad mare in Campania, ubi etiam Puteoli, & Cumæ, quarum agrum etiam *Phlegræum* vocat Diodorus Siculus *l.* 2. *c.* 17. Cæterum supra ad boream, & Apenninum versus, parum Tuscos protensos cognoscimus ex Romanorum bellis irrequietis, & cruentis in populos liberos Samnites, Sidicinos, Auruncos, Ausones, Lucanos, Apulos, Tarentinos, Marsos, aliosque ab A. 400. U. C. ut apud Romanæ Historiæ Scriptores, Livium præsertim *à lib.* 7. Priora verba Polybii significant Umbriam, ubi nunc Marcha Anconitana inter Apenninum, & Adriaticum. Tempora tamen distinguere oportet, nam Umbriam longe prius, Campaniam serius Tusci occuparunt post annos quingentos, & fortè circa illud tempus, quo ab ipsis conditæ Capua, & Nola, vix annis 47. ante Romam juxta ratiocinium Velleji p. 7. dum contra Catonem aliter sentientem numerat à se ipso ad Capuam conditam AA. 830. Hinc cum Vellejus scriberet M. Vinicio Quartino Cos. cui suam dicat Historiam, A. U. C. 783. qui Christi 30. ex Em. Norisii *Epistola Consulari p.*

Digitized by Google

22. additis AA. 47. ante U. C. conficiuntur AA. 830. Porrò circa idem tempus, quo Galli Insubres, Cenomani, Boji, Senones, aliique Transalpini Tuscos è Circumpadanis finibus, & ex Umbria excedere coegerunt, Romæ Tarquinio Prisco regnante, eosdem è Campania expulere Samnites, ut apud Strabonem 5. p. 485. cum de Campania hæc verba facit. *Cum Urbes XII. populosæ forent* (Tusci) *Capuam perinde ac illarum Caput nominarunt. Cum autem per voluptatem ad lautitiam emolliti se se convertissent, sicut ex Circumpadana fugati demigrarant, sic ex hoc agro cessere Samnitibus, quos ipsos ejecere Romani*. Ita in primævam suam Tusciam contracti, tandem post diutina bella Regni sui sæculo X. (ut ex supra observatis in Censorinum) jugo Romano servilem subdidere cervicem, ut apud Livium cæteris fusiorem & opportunè *Decade* 1. suis locis. Similiter & apud Dionysium innumeris locis.

(95) Quæ summatim hucusque prodidimus, ostendunt, nunquam Tuscorum res abditas fuisse & obscuras, ut inexcusabiles sint quotquot, ipsis neglectis, ineptissimas fabulas sequi voluere Impostorum: horumque nequitiam ad æternam infamiam fore addicendam. Ipsorum aliqui, ut Annius, & Postellus acri ingenio sanè præditi (inficiari id non potest) multam sibi gloriam facilè comparassent, si non modo Tuscorum res juxta periocham nostram illustrare suscepissent, verum & quæ adhuc latent detegere curassent, ut exempli gr. quænam fuerint illæ XII. Urbes in Tuscia propriè dicta adeo celebres tum *Originariæ*, tum *Principes*, quæ sanè distingui debent, nec, ut nonnulli faciunt, confundi. Eas dicimus Tuscas *Originarias* quæ conditæ verè fuerunt à Tarconte Præfecto, de quibus Herodotus *l.* 1. *n.* 18. *p.* 40. de Lydis in Italiam transvectis habet: *Civitatibus constructis, ad hanc usque diem habitaverint*: distinctiusque Strabo 5. *p.* 439. *Hanc ille* (Tyrrhenus) *tandem ingressus oram* (Italicam) *de suo vocavit nomine Tyrrheniam; cumque ædificandis Urbibus Tarcontem præfecisset, à quo Tarquinii cognomen accepit, Civitates XII. condidit*. Has primò quærimus, & quænam? *Principes* verò vocamus illas, quas *Præfecturas* Servius ad *Æneid.* 10. *v.* 202. *Gens illi triplex &c.* Dynastias Polybius 2. p. 105. ἡγεμονίας Dionysius appellant, quas sic vertit Gelenius *l.* 6. *p.* 473. *universam Hetruriam in XII. divisam Ducatus*. Neutras antiqui, quod sciamus, exactè indicarunt. Principes colligere cœpit Blondus *Italiæ Reg.* 2. prope initium. Sparsim innuit Volaterranus l. 4. Conjunctim Alex. ab Alexandro *l.* 3. *c.* 28. *p.* 313. Tiraquelli. Sigonius de *Antiq. jur. Ital.* 1. 9. dicit XII. Populos, seu *Principes Populi*, quorum consilium fuit ad fanum Volturnæ de rebus agendis: & ipse hos recenset. Cluverius item p. 453. apud Holstenium *in Annotat. p.* 25. qui ab eo Urbes enumeratas silentio probare videtur. Quia omnes in una, vel in pluribus dissentiunt, solusque Holstenius cum Cluverio consentit, ex illo in notis *ad Stephanum* in Περέσαιρον p. 251. b. illas prodimus, & sunt *Perusia*: *Cortona*: *Aretium*: *Clusium*: *Volaterra*: *Vetulonia*: *Volsinium*: *Rusellæ*: *Tarquinii*: *Cære*: *Veji*: *Falerii*. Novissimè & Em. Norisius *in Cenotaph. Pisan. p.* 5. ad Cluverium accedit. Sed has omnes verè fuisse quis potest ostendere, dum prælaudati plures ex Cluverianis excludunt, & unus vel alter *Lunam*: *Pisas*: *Populonium*: *Fæsulas*: *Corytum*; *Fidenas*, & *Mantuam* includit? Nemo *Bononiam*, quæ *Felsina vocitata*, *cum princeps Etruriæ esset*, ut ait Plinius 3. 15. Eccur? Sanè non omnes principes, nec originariæ esse potuerunt. Harum in gratiam cum Urbes Tusciæ medii ævi recensebimus, ne idem bis dicamus, Urbes principes, & originarias probare, & reprobare curabimus. Sed cur non Bononia? Quis responderet, non Bononia, quia, licet opus Tuscorum, & princeps, est extra Tusciam propriè dictam: sed ita est etiam *Mantua* ab Alexandro inclusa. Et ex hoc alterum non leve dubium emergit, an Tuscorum ævo aliæ fuerint Regiones nomine Tusciæ appellatæ, puta, an Æmilia ante Gallorum adventum Tuscia nova, vel Cispadana appellaretur. Item & an Campania quoad fuit juris Tuscorum Tuscia dicta, sive Etruria. De hac quæstionem solvit Servius *in Æn.* 10. *v.* 145.

Et Capys, hinc nomen Campanæ dicitur Urbi

ubi notat, etiam à *Capys dictam Campaniam*. *Sed Livius* (4. 19. in fin.) *vult à locis campestribus dictam, in quibus sita est*. (Sanè non rectè, nam hæ voces Latinæ) *sed constat eam à Tuscis conditam, viso falconis augurio, qui Tusca Lingua Capys dicitur, unde est nominata Campania*. Non ergo Etruria. De Cispadana contrarium affirmare videtur Plinius laudatis mox verbis. Sed hæc interpretari adhuc possunt, quod nempe Bononia *princeps Etruriæ esset*, quia propugnaculum ad arcendos Barbaros, ne ingrederentur Etruriam, & ideo *Felsina vocitata* scutum, & propugnaculum significans apud Malvasiam *in Marmorib. Felsin. p.* 43. ex Italica Epistola Joh. Bapt. Agucchii *de prisca orig. Bononiæ*. Accedit, quod si intellexisset vocare Æmiliam nomine Etruriæ, verbum addidisset à veteri novam discriminans. Si porrò dicta non erat Etruria, quomodo vocabatur? Utique Æmiliam, antequam hanc Tusci occuparent, tenebant, aliæ barbaræ gentes, ut intelligimus ex Strabone 5. p. 433. scribente, quod „ Tusci adversus *incolas Padi* „ (ad dexteram) Barbaros exercitum emittentibus, ac „ re bene gesta, cum non longe quidem post per quan- „ dam mollitiem rursus fusi effugissent, alteri *adversus* „ *ejectores* exercitum ductitarunt. Postea de locorum „ imperio per successionem quamdam propugnantes, „ multas Colonias partim Tuscorum, partim *Umbrorum* „ effecerunt: plures tamen *Umbrorum*, *nam hi propiores* „ *erant* „ & sanè cis Padum ubi Umbri, qui tamen non Æmilia, sed proximi. Si postea hi Barbari non Umbri fuerunt, quia huc acciti, & in Colonias deducti, non Ligures, quos Strabo novisset, & usque ad Trebiam tantum scimus fuisse in hac parte protensos: non Insubres, nec Euganei, Transpadani omnes, nec legimus hos quicquam possedisse cis Padum. Quinam ergo? Si qui Barbari Æmiliam tenuerunt ante Tuscos, sanè qui eidem Æmiliæ confines adhuc erant Tuscorum ævo, & ante adventum Gallorum, fluminum trajectu minimè impediti; hi porrò confines erant Ligures usque Placentiam protensi, & ante Tuscos ulterius ad ortum progressi. Nam sicut trans Apenninum, trajecta Macra ad Umbros usque accesserant, dum *captivam terram omnem subegerunt Umbris conterminam*, ait Lycophron apud Cluverium p. 436. & *confines Umbris* eos dicit Dionysius I. p. 24. cur non etiam cis Apenninum, & commodius, planitie, & camporum felicitate alliciente? Ecquisnam vetus Geographus, vel Historicus hanc partem Tusciam, sive Etruriam appellavit? Nec ratio sufficit, Tuscos hanc occupasse; nam (præter quam quod prius nomen suum habere debebat) Tusci etiam occuparunt Transpadanas Regiones, quibus tamen suum nomen Insubrum, & Euganeorum servatum nec illud Tusciæ unquam inditum. Numquid ergo Æmilia ante Tuscos anonyma? Id esse non potuit. Nihilominus Cluverius p. 433. & alibi sæpe *Circumpadanæ Etruriæ* meminit. Dinus de *Antiq. Umbriæ p.* 5. reclamat veterum innixus tantum silentio. Et sanè Sigonius *de jur. Ital. lib.* 1. *c.* 9. non aliam Tusciam quam veterem, sic divisam cognovit, scribens: *Etruriæ porrò partes tres ab antiquis factas accepimus, quarum unam maritimam appellarunt. Ciscimina omnem Regionem cis Ciminium montem* (vulgo Viterbii) *continet, quæ est inter Tiberim, Regionem maritimam, & Ciminia juga. Tertia Transciminia, ut est in Epitomis Rerum Italicarum antiquis à Ciminiis jugis ad Pistorium pertinuit*. Hinc si aliam Etruriam antiqui novissent cis, vel trans Tiberim, ubi Campania, & hanc indicassent, & politiam explicassent. Alterum namque est Tuscorum arcanum ab eruditis aperiendum, circa regimen Regionum, ubicunque dominabantur. Nil notius, quam quod XII. fuerint in Tuscia Lucumones, æquales in dignitate, qui XII. principibus Urbibus supra numeratis præficiebantur. Verum in ditione Tuscorum nedum in veteri Tuscia plusquam XII. erant, sed in Italia sui juris octodenæ, centum, & amplius. Audivimus Plinium 3. 14. quod *Umbrorum CCC. Oppida Tusci debellasse reperiuntur*. Nec debellasse significat delevisse, sed expugnasse. Ad homines non ad Oppida *debellasse* refertur. De Tuscorum amplitudine loquens Plutarchus *in Camillo* p. 70. b. scribit, quod *incolebant Urbibus octodenis, insignibus amplis . . . . . bas Galli ejectis Tuscis ipsi insidere*. Et in Campania nonne saltem duodecim? Vel ergo totidem Lucumones, vel unus pluribus præerat Urbibus. Utraque illatio nos torquet. Prima quidem quia nondum invenimus plusquam XII. Lucumones in tota Tuscia, quod non semel innuit Servius ad *Æneid.* 8. v. 475. *Sed tibi ego ingentes populos &c.* annotans, *nam Tuscia XII. Lucumones habuit, idest, Reges, quibus unus præerat; unde est Gens illi triplex*. Et clarius ad 10. v. 202. *Gens illi triplex*. & ibi „ Mantua „ tres habuit tribus, quæ in quaternas Curias divide- „ bantur, & singulis singuli Lucumones imperabant, „ *quos tota in Tuscia XII. fuisse manifestum est*, ex „ quibus unus omnibus præerat: Hi autem *totius Tusciæ* „ divisas habebant quasi Præfecturas „. Loquitur Servius de *tota Tuscia*, cujus amplitudinem non ignorabat, adhuc nimiam, ut prænotavimus num. 94. repetens ad Æneid. 10. v. 145. *Tuscos autem omnem penè Italiam subjugasse manifestum est*. Nihilominus semper sibi constans scribit, XII. tantum fuisse Lucumones. Quo innuere videtur, XII. fuisse ab initio, XII. in processu temporis, adeout novarum Regionum, Urbiumque accessione in Circumpadana, & Campania ipsorum non creverit numerus. Secunda illatio æque excruciat, quia si unus Lucumo pluribus præerat Urbibus, Urbs, quæ sedes Lucumonis, puta, *Cære*, *Veji*, *Cortona*, vel altera ex XII. alias debebat sub se Urbes habere, tanquam Caput, sive Metropolis. Quid enim propriè Metropolis & apud

Digitized by Google

apud priscos, & nunc, nisi sedes supremi Magistratus, ut ideo censeatur Caput cætetarum Urbium, quæ sunt Magistratui eidem obnoxiæ? Si postea dicatur, plures fuisse Tuscias *Circumpadanam* nempe, & *Campanam*, ut supra, magis magisque difficultas augetur. Etenim cum Tusci etiam cis Apenninum XII. condiderint Urbes, totidemque in Campania ex prænotatis, igitur si tres Tusciæ (& fortè adhuc IV. juxta Joh. Valcurionem *in Livii lib.* 1. *p.* 203.) adæque fuerint saltem XXXVI. Lucumones, XXXVI. eorum sedes, sive Metropoles, quibus Urbes aliæ subjectæ, quarum numerus ingens, ex Plinio, & Plutarcho laudatis. Nec dici potest, ex XII. Lucumonibus in principio constitutis; quatuor exinde tantum mansisse, & sedisse in Etruria veteri, quatuor in Circumpadana, cæterosque in Campania, omnes enim in veteri sedebant, & præsidebant XII. principibus Urbibus, ut præsto essent assiduis belli, pacisque conciliis, Regique proximi, & ita fuisse ex eorum Historia Dionysii, & Livii cognoscimus. Qui Bononiæ juxta Plinium sedebat, & qui Mantuæ, non erant ex illis veteris Tusciæ: & si Virgilius 10. v. 304. fingit Mantuæ Mezentium, non id quia ibi Lucumo, sed quia *Lar*, hoc est Rex supremus Tusciæ universæ, ut ex Livio 1. 2. ineunte: Regi namque fortè permissum sibi sedem eligere, sed tamen in veteri Tuscia. Poeta fingit, tempusque pervertit, quia Mezentii ætate, quæ & Æneæ, vix Troja capta, nondum Tusci Apenninum, minusque Padum trajecerant, ut ex præcedenti numero. Quid ergo dicendum? Lucumones ne plus XII. an non? Si non, quomodo tot Urbes Circumpadanæ adhuc, & Campanæ à Lucumonibus in veteri Tuscia manentibus regebantur? Egredi consuevisse quis docet? Si plures, quis auctor? Sanè Dionysius, Livius, Servius XII. tantum ubique produnt. *Universam* (NB) *universam Hetruriam in XII. divisam Ducatus, terra, marique potentem* clarè pronunciat Dionysius 6. 473. *Præfecturas*, *Dynastias* alii vocant. An etiam hi Ducatus plures complecterentur Urbes, more Ducatuum Provincialium apud Langobardos, vel unicam solum cum agro suo, aliquibusque subjectis Castellis, & Oppidis, ut Ducatus Urbani, aliisque Urbibus *Larti*, sive Regi subditis, vel alteri Magistratui, ut decebat, nec conjectura consequi, nos saltem, posse, fatemur. Perdidimus Sostrati *Rerum Etruscarum* Libros à Plutarcho in *Parallel. n.* 28. laudatos: Claudii Imp. Τυῤῥηνικῶν 20. à Svetonio num. 42. memoratos: Fabritium Tuscum, Cecinnam, Julium Aquilam de *Tuscorum disciplina*, Aristotelem *de Tyrrhenorum politia &c.* non mirum, si plura ignoramus.

(96) Post scripta Appendicem hanc facimus, dum cum voluptate intelleximus, Cl. Fontaninum, nunc Ancyræ Præsulem, olim hæc argumenta probè tractasse in suis *Antiquitatibus Hortæ Coloniæ Etruscorum*. Has anxiè quæsivimus, læti reperimus, avideque voravimus; sed mœrentes, cum vidimus, ab eo nos recessisse, & nihil, cum plura sperabamus, doceri. Igitur ordine, quo dubia mox supra excitavimus, quid doctissimus Præsul statuerit, audiamus. I. agens de XII. Urbibus principibus Tusciæ à p. 16. ut solùm omnia, & unicè à se decora in Hortanos derivarent (facillimè namque, & benignè genio ἐλευθέριον petentium indulget) ratam habens designationem Cluverii, & Holstenii, *Vejos* dumtaxat removet, & ipsorum in loco *Hortanos* accommodat. Hoc modo probatum remanet in sensu suo scriptum in fronte libri *Horta Colonia Etruscorum*, quando nec Romanorum donec rectius id doceat, ut dicemus num. 107. Sanè non origine Tusca, dum Græcam dicit p. 5. similitudine nominis Ὄρθη in Thessalia. Sufficit? Neque Princeps: tot gesta Tuscorum, tot bella inter Romanos, & Tusciæ Populos per duo sæcula regerunt Polybius, Dionysius, Livius, Florus, & alii, Hortanorum quis meminit? Vix unus, quod sciamus, Plinius 3. 5. & primus *Hortanum* prodit in lucem. Et ut in Principatum adducantur Hortani, Veji per vim abducuntur, & propemodum extra Tusciam pelluntur? *Tertium bellum gessit* (Romulus) *cum Vejis Hetruscorum tunc Urbe potentissima distante centesimo stadio: est autem Athenis non minor*. Expendit hæc verba Dionysii *l.* 2. *p.* 152. Cl. Fontaninus p. 78. sed referre noluit ut hypothesi suæ adversantia. Observet eundem *l.* 6. *p.* 673. *Hetruscorum*, inquit, *undecim Populi pacis expertes in communi concilio* (NB) *Vejentes accusabant, quod inconsultis cæteris* (XI.) *pacem cum Romanis fecerint &c.* Et quinam hic duodecimus Populus? Miser Grammatista hic novit. Sicut quænam *Hortinæ* classes *Æneid.* 7. *v.* 716.

Nursia, & Hortinæ classes, populique Latini.

quem V. Cl. recitat p. 8. pro antiquitate Hortæ suæ. Utique novit hoc loco Hortam, sive Hortenses Latii Plinii 3. 5. non Hortenses Tusciæ significari. Poeta namque in prioribus novem versibus, memorans auxiliares turmas ductas *per Latium* à Sabinorum Duce *Clauso* adversus Æneam pro Turno, loca tantum, amnesque recolit Sabinorum, & Latii trans Tiberim, nullumque Tusciæ. Non ergo *Hortinæ classes* Tusciæ, sed Latii, & corrigatur Farnabius. *Classes* etiam hic equitum turmæ, ut rectè Servius, non copiæ navales, ut V. Cl. autumat. Idem Grammatista memoriæ suggerit ex Prisciano *lib.* 3. §. 2. quod *ab adverbio prope, propior, proximus ..... ex hoc superlativo proximus quidam etiam comparativum proximius formaverunt*. Sic memoria refecta, inconsultè V. Cl. dicit p 18. quod Livius *Vejentes in Etruria non agnoverat*, quia is ait *lib.* 1. *c.* 30. (c. 12. Patavii) *Proximi Etruscorum Vejentes*. Manca sunt verba. Inquit: *Etruria erat vicina: proximi Etruscorum Vejentes*: idest *Etruria erat vicina* agro Romano, vel Sabino: *proximi Etruscorum*, scilicet ex Etruscis viciniores, imo vicinissimi erant Vejentes ex præmisso Prisciano. Numquid extra Tusciam Vejentes? Audiat Holstenium ad Livium in Cluv. p. 62. *Quare non potius Capenates, si eo fuerint situ ad Ripam Tiberis: Nisi fortè ob majorem potentiam Vejentes memoret, qui & Romanis propiores*. Quia Capenates viciniores, non ideo extra Tusciam Vejentes. Minus urget, quod, ut à Principatu illos arceat, paulo supra ei videtur, cum scribit: *Veji mihi ab eo numero* (XII. Urbium) *expungendi videntur, propterea quod Regnum proprium sibi constituerent, & ab Etruscorum Dynastia separatum*. Quid hic Dynastia in minori numero? Dynastiæ erant XII. veluti XII. membra unum corpus, unum Regnum constituentia. Quid *Regnum proprium sibi constituerent*? Duo Regna Vejentum, & Etruscorum? Ita, cum inquit: „ Hinc Livius l. 4. c. 17. sub A. U. C. „ 316. *Lartem Tolumnium Vejentum Regem* appellat. Pergat V. Cl. & inveniet cunctis *Legionibus Etruscis* illum præesse, & cum *Etruscis devictis*, per Cornelium Cossum hasta transfixum. Quod si Regnum Vejentum sejunctum à Regno Tuscorum, quia Tolumnius Rex Vejentum dicitur, eadem ergo ratione Regnum Cæretanorum sejunctum, quia Mezentius *Rex Cere* est Livio *l.* 1. *c.* 2. imò neque Rex Cære, quia ex Catonis originibus Macrobius *Satur.* 35. scribit, *Mezentium Rutulis imperasse*. Item sejunctum Regnum Clusinum, quia apud Dionysium 5. 351. *Lars Porsena* (al. Porsenna) *Clusionorum Rex in Hetruria*. Exinde opponit Livium 5. 1. scribentem, quod *Vejentes tædio annuæ ambitionis, quæ interdum discordiarum caussa erat, Regem creavere*, ut ostendat, ex se regnasse, Regnumque sibi constituisse ab Etruscis repositum. Sed Livii verba, etsi mutila contra opponentem militant. Nam quæ discordiarum hæc caussa? Quænam hæc annua ambitio nisi Candidatorum, qui Lucumonis annuum Magistratum ambibant? Regem creavere, non quia ex æquo ad Vejentes hic vice spectaret Regem habere: Tolumnius enim 34 ab hinc annos Vejis fuerat Rex, sed id factum extra ordinem auctoritate municipali, non suffragiis in communi concilio ad Fanum Voltumnæ. Ita Livius innuere videtur, præmittens, quod *Comitia utriusque Populi* (Romani, & Vejentis) *longè diversa ratione* (hoc est contra morem) *facta sunt*. Romani octo Tribunos militum Consulari potestate, *quot nunquam antea*: Vejentes *Regem creavere* per schisma; ideo subdit Livius, *offendit ea res populorum Etruriæ animos non majore odio Regni, quam ipsius Regis*. Qua in re, si juris sui erant Veji, & proprium Regnum, & Regem semper habebant, unde *offendit ea res Etruscos*? Hos offendit adhuc Vejens, pergit Livius, *quia solemnia Ludorum, quos intermitti nefas est, violenter* (Vejens) *diremisset, cum ob iram repulsæ, quod suffragio XII. populorum alius Sacerdos et prælatus esset*. Et ob alias caussas, propter quas concilium *auxilium Vejentibus* (tunc a Romano milite obsessis) *negandum, donec sub Rege essent, decrevit*. Ergo is Rex intrusus, nec juris sui Vejentes, non merè fœderati, sed unus ex XII. Tusciæ Populis. Et hæc sunt consectaria ex præmissis, Hortam, non Vejos, Principem Urbem fuisse Tusciæ, reclamante adhuc Plutarcho in *Camillo p.* 63. a. cum de Vejentibus obsessis hæc habet: *Urgebat verò præcipuè obsidio Vejorum. Hos quidam Venetanos* (fortè Vejentanos) *appellant. Caput hæc Urbs erat Hetruriæ, armorum copia, & militum numero Romæ nihilo inferior*. Interpretationem non patiuntur hæc verba. Pergit II. Vir Clariss. a pag. 20. ostendendo Plinium 3. 15. novisse etiam novam Tusciam Circumpadanam, ubi *Felsina Princeps Etruriæ*. Si alium non habet testem, cæterorum silentium satis Plinium interpretatur, ex dictis num. 95. Immerito tamen p. 22. arguit Agucchium, Tusciam in cis, & trans Padum discriminantem. Cur non? Absurdo uno dato, sequitur aliud. Transpadanam Italiam dixit etiam Augustus apud Plinium 3. 17. Subjicit, quod *tertia Etruria fuit in ea parte Italiæ, quam postea Campaniam dixerunt*. Cur postea, & à quibus? A solis Tuscis, & primò factum nomen Campaniæ, non Etruriæ, non Tyrrheniæ, ut prædiximus. Sic Etruriis multiplicatis, facile nimis III. loco Lucumones adhuc mul-

Digitized by Google

multiplicat. Nulla ex à nobis supra difficultatibus adductis ab eo prævisa, definit eadem p. 20. quod *Tusci in hac secunda Etruria trans Apenninum* (more Romano: cis nobis.) *XII. Urbes, totidem Lucumunum sedes condiderunt*. De hac re doceri expectamus, quia ex politia Tuscorum XII. tantum fuisse Lucumones, & ex doctis Scriptoribus huc usque novimus, quod disertè præ cæteris Lucius Joh. Scoppa *Collect. c.* 18. *p.* 917. (Thesauri Crit. t.1. observavit, & prodit his verbis: „ His „ in annuo Magistratu XII. Regibus, quos Lucumones „ vocabant unus sive XIII. perpetuus Rex, & Dictator „ præerat in Fano Volturnæ, ubi Dictaturæ, & suf„ fragiorum jus erat, ad quod, teste Livio, populis „ consilia indicabantur. Præsidentem Dictatorem, sive „ in Principatu maximum lingua Scythica *Arthem*, „ Etrusca *Lartem* vocabant, non solum quia cæteris „ præerat, sed etiam anniversariis cæteris duodecim „ revocatis, ipse per totam vitam perseverabat. „ Scoppæ astipulantur Jos. Scaliger *in Propert. Eleg.* 11. *l.* 4. Th. Reinesius ad lapidem Patavin. *Class.* 2. *p.* 278. *n.* 43. & tot alii. Cur nemo verbum unum facit de tot aliis Lucumonibus extra veterem Tusciam in sensu Cl. Viri? Quærimus, an & ipsi ad idem Fanum Voltumnæ convenirent, & an in cæteris, quæ illis erant communia, participarent. Denique tribus Tusciis tres Metropoles tribuit, *Vetuloniam* primæ, *Felsinam* secundæ, & *Capuam* tertiæ. Rectè quidem sub primo aspectu: sic namque veteres affirmare videntur saltem de Felsina, & Capua. Verùm Tuscorum politia observata, res hac adhuc in parte nobis videtur obscura. Pro Vetulonia V. Cl. recitat pag. 21. hæc carmina Silii *lib.* 7. sed juxta nostros codices Petri Marsi, & Danielis Heynsii lib. 8. v. 484. & seq.

Mœoniæque decus quondam Vetulonia gentis,
Bissenos hæc prima dedit præcedere fasces,
Et junxit totidem tacito terrore secures,
Hæc altas eboris decoravit honore curules,
Et Princeps Tyrio vestem prætexuit auro.

Poeta hic dicit, Vetuloniam etiam decus, hoc est Urbem ex XII principibus Mœoniæ gentis, Lydiæ nempe, ex qua Tusci, & à qua delata Romanis Consularia ea insignia, ut fusè Dionysius 3. p. 240. declarat. Enumerat, laudatque alias Urbes Tusciæ. Ventus ad hanc, à Lydis conditam adhuc innuit: cætera, vocesque synonymæ *Prima*, *Princeps* referuntur ad gentem Mœoniam, sicut & insignia, ut num. 106. cum de Tarquiniis erit sermo, patebit. De reliquo si quæ in Tuscia Metropolis, ut vulgo sumitur, utique *Veji*, ex Plutarcho *l. l.* Sed non hic nodus, recedamus à vulgo, & videamus, si apud Tuscos Metropoles fuerint more Romano, vel Barbaro. More Romano Metropoles civiles erant illæ, in quibus sedem Magistratus Romanus habebat (missis illis, quæ dicebantur sacræ, primæ vel Neocoriæ, quæ plures in eadem Provincia, ex qua ad Metropolim pro sacris certaminibus populi confluebant: item illis, quæ matres, ex quibus Coloniæ deductæ, quæque honorariæ tantum, ut passim in nummis.) Igitur more Romano, vel nulla Metropolis in Tuscia, vel omnes XII. principes Urbes, ut Lucumonum sedes, præsertim si plures aliæ Urbes his suberant. Si more Barbaro, ubi Rex, ubi Regia, ibi Metropolis. Ergo in Tuscia Metropolis vaga Cære, Clusum, Veji, *&c.* ubi Rex sedebat: Non Vetulonia, Felsina, vel Capua, ut V. Cl. citò nimis definit. Ampla est materia non in nucleum cogenda. Ab eo tanta eruditione referto, librorum, & documentorum locupletissimo discere optamus Tuscorum politiam, & Reges citra fabulas Impostorum. Veterum orientis Regum, & Latinorum occidentis tot extant latercula, & Tuscorum, qui per X. sæcula prope almam Urbem regnarunt, nec unum. Vix quatuor, vel quinque innotescunt, quos inter ille, de quo Pausanias in primo *Eliacor. p.* 568. extat *solium Arimni Etruscorum Regis, qui primus exterorum donum Olympio Jovi misit*. Utinam Sylburgius, vel Kuhnius in Pausaniam hujus saltem ætatem, & patriam notaverint: utroque destituti, nescimus.

SECTIO XIX.

(97) *Tuscia* medio ævo ab Alboino occupata: Cur is, & cæteri Reges Romanos exosi. Ea triplex *Regalis*, *Ducalis*, & *Romana*: Duces Urbani sæpe Provinciales putati. (98) *Tuscia Langobardorum* Ducalis, non Regalis: In hac Major-Domus Langobardicus: serò Regalis in Marchæ formam redacta: Primus Marchio quis: Marca Tuscana corruptè scripta: Tucbaldi Tusciæ Ducis fabula explosa: Angelberga Augusta vindicata. (99) Tusciæ Regalis Urbes quæ: Fines: An *Luna* à Normannis eversa: Quandiu permansit: *Sarzana* non ex illius ruinis primò excitata. (100) Locorum continuatio, & descriptio: *Florentia* medio ævo non excisa, non resarta: *Fæsulæ* quando eversæ; *Radacomalum* ubi; *S. Geminianus*: *Sena*, & Senæ, medio ævo non libera. *Clusium* duplex. (101) *Tusciæ Ducalis* Urbes: Fines: illarum descriptio: *Vetulonia*: *Massa*: *Orbetelli* origo: Insulæ Tusciæ, *Helba*, *Mons Christi &c.* medio ævo. (102) Tusciæ ejusdem mediterranea: *Castellum Felicitatis* ubi, & quomodo in Tuscia: *Tusci* Villa Plinii ubi, & qualis. (103) Reliqua Tusciæ Mediterranea: *Manliana* triplex: Error in occursu Caroli M. Iterum *Clusium* duplex: *Longula* Tusca: *Viterbium* à fabulis expurgatum: *Balneum Regis* quodnam: Tusciæ flumina. (104) *Ducatus Perusiæ* cur sepositus: ejus facies ævo medio: Quando juris Langobardorum, & Græcorum: Fines: Cur ejus Lacus *Clitorius* dictus à Paulo: Ejus Dux aliquando ne Provincialis?

(97) SI obscuræ Tuscorum res, saltem illæ, de quibus sub superioribus numeris 95. & 96. disseruimus, nec admodum claræ nobis videntur, quæ medium ævum (ad quod, juxta institutum nostrum, redit sermo intermissus) respiciunt. Dubitandum non est, primum Langobardorum Regem Tusciæ quoque majorem partem invasisse, & occupasse (non totam, ut infra n. 104.) quamquam Langobardici ævi Scriptores Tusciam non exprimant; quin imo Paulus 2. 26. hanc videtur excludere, ea particula *usque* apposita, cum inquit, quod durante triennali obsidione Papiæ, *interim Alboin ejectis militibus* (Imperatoris) *invasit omnia usque ad Tusciam, præter Romam, & Ravennam*. Plerumque quidem terminum localem, & exceptionem connotat *usque*: at & interdum includit terminum, & locum comprehendit: & ita significat apud Ciceronem in locis adductis à Carolo Stephano in illius *Thesauro*: *in Usque* p. 1576. *Appius profectus est Tharsum usque Laodiceam*: *Usque Puteolos venit*: *Trans Alpes usque transfertur*, &c. Ita intelligendus est Paulus, cujus interpres rectè esse potest Agnellus Paulo suppar in *V. Petri sen.* (C. H. t. 2. p. 123.) ubi *cap.* 2. scribit: *Anno V. Justini II. Imperatoris* (qui II. Alboini, & Christi 569.) . . . . . *depredata à Langobardis Tuscia, obsederunt Ticinum*. Id primò, quam illud. Et *cap.* 3. *Post hæc* (gesta Longini Exarchi) *verò exierunt Langobardi, & transierunt Tusciam usque ad Romam*. Usque hoc loco quidem Agnellus Romam excludit, sed fortè melius, si Roma Alboinum, ab honore saltem clavium, non exclusisset, quoniam, ut acutè animadvertit Orlandus Malavoltus Italicæ *Hist. Senæ* p. 60. potissima causa odii Langobardorum in Romanos ea fuit, hos nunquam ulli illorum Regum Urbis claves detulisse, quas prius Alarico, Odoacro, Theoderico, & Totilæ detulerant, ut ideo exosi Romanas leges, mores, nomina, linguam. Nec male addi posset, orthodoxos eos factos, adhuc Romam vexasse, non ut sedem Summi Pontificis, sed ut ditionem Cæsarum impiorum. Tuscia porrò vastata, non eam integram possedere, sed partem superiorem, & sinistram, inferiori verò & dextera, Tiberim inter & mare, servata Romanis, ut infra. Duplex itaque ditio Langobardica, & Romana in Tuscia, sed in finibus statuendis stat difficultas, quæ major adhuc, si Langobardica ditio subdividatur in binas, ut necessario subdividi debet. Quemadmodum enim in Neustria duplex erat ditio, una Regis administrata per Duces Urbanos, altera Ducum Provincialium, ut Taurini, & Liguriæ in Regno, sed non de Regno: & item in Austria Fori Julii, & Tridenti: ita & in Tuscia, ut ideo trifariam sit dividenda. Itaque pars una poterit vocari *Regalis*, quam fortè intelligere voluit Anastasius *in Zacharia pag.* 162. a. ubi Liutprandus ad nutum S. Pontificis reddidit, nedum IV. Urbes, quas biennio ante Romanis abstulerat, verum & *captivos omnes, quos detinebat ex diversis Provinciis Romanorum, missis literis suis tam* (NB) *in Tusciam suam, quam trans Padum* &c. & ut clarius infra. Altera *Ducalis*, complectens eas Urbes, quas Dux Provincialis moderabatur, & hanc fuisse Tusciam Langobardorum propriè dictam conjicimus. Tertia tandem erat *Tuscia Romana*, vulgo dicta, & semper ab Anastasio *l. l.* *Ducatus Romanus*, qui bipartitus in eis, & trans Tiberim, ut suo loco dicemus. In hac divisione nos præivit Sigonius in Epitome subjecta *Regno Italiæ* Bononiæ 1580. ubi sub §. *Duces, ac Marchiones Tusciæ* hæc habet. *Tusciæ ditiones tres fuere, una quæ Ducatu Romano continebatur: altera, quæ Ducatu Tusciæ Longobardorum; tertia quæ Regno Italiæ attributa est*. Pergit, in singulis Urbes enumerando, prout in *Ludoviciana* scribuntur. Nos ordine inverso, & geographico, incipiendo à *Regali*, quæ occidentalior, desinemus in *Romana*, quæ orientalior, adhuc ut huic parti Ducatus Romani cis Tiberim jungamus alteram partem ejusdem in Campania trans Tiberim. Observamus, non aliter exactè posse cognosci, quænam Urbes ævo Langobardorum constituerent eorundem ditionem Regalem, & Ducalem, nisi ex secuta divisione inter Ecclesiam, & Francos, Regno

Digitized by Google

gno illorum diverso. Tunc enim ex recitatis Urbibus, ut in *Ludoviciana*, Tusciæ Langobardorum, & Ducatus Romani, quas Carolus Ecclesiæ cesserat, ut dicitur in illa, inferri debet, cæteras omnes extra fines illarum pertinuisse ad *Tusciam Regalem* æque sub Langobardis, ac Francis. Extra fines dicimus, retenta namque regula nostra finium statuendorum ex positione, & distantia Urbium extremarum, certum est, adhuc Urbes, & loca intra fines contenta, etsi non memorata, ad eandem Tusciæ ditionem spectasse. Hinc quotquot in tabula nostra scribuntur loca intra fines Tusciæ Langobardorum, sive Ducalis, quamquam in Ludoviciana præterita, ad eandem attinuisse est perspicuum. Nescimus, an ullum extet vetus documentum, in quo recitentur ex integro loca Langobardici Regni, sive Tusciæ Regalis. Vix colligi possunt ex (semper sublestæ fidei) Decreto Desiderii, Codice Carolino, Constitutione Ludovici II. (C. H. t. 2. p. 265. a) chartis singularibus, & Scriptoribus. Hi quidem omnes conveniunt in divisione Tusciæ inter Ecclesiam, & Francos. Plerique Ducatum agnoscunt, sed quis distinguit fines, & Urbes Ducatus, & Regni? Ævo Francorum, quo Prætecti Regionibus Duces, & Urbibus Comites dici solebant facile Duces Tusciæ cognosci poterant. Si verè tamen hi probantur, ut mox, essentque Marchiones Marchæ Tusciæ præpositi; at ævo Langobardorum, quo omnes Duces appellabantur, sive Regioni, sive Urbi præsient, & Gastaldorum, deficientibus documentis non habeamus notitiam, non ita facile secernuntur: & ideo veremur, ne quis interdum unum capiat pro altero. Nec nos temerè, vel inconsultè dubitare censemus, dum aliqua exempla, & acta Ducum exempli gr. *Lucæ* ad hæsitandum nos movent. Quidam Dux *Allonisinus* inter Duces Tusciæ enumerantur à Cosmo de Arena in *Serie vet. Ducum Tusciæ p.* 3 Is sanè Dux erat Lucæ, dum apud Fr. Mariam Florentinum *Memor. Matbild. l.* 3. *p.* 8. consensum præstat, ut Decretum Regis Cuniberti A. 685. pro Abbatia S. Frigidiani Lucæ, à decimis Episcopi Felicis soluta, in aliud exemplum transferatur. At *Allonisinus* Dux ne Provincialis totius Tusciæ Ducalis, vel Urbanus solius Lucæ? Si Urbanus, ergo non totius Tusciæ: si Provincialis, quid ad illum de rebus Lucæ, quæ Tusciæ Regalis erat, ut ideo eandem Abbatiam, à S. Frigidiano Lucensi Episcopo fundatam circa tempora Langobardorum, ampliaverint Bertaridus, & Cunibertus Reges, ex scriptis apud Lubin p. 192. b. Idem quærimus de Duce *Valperto* sub Liutprando, qui Dux Tusciæ dicitur in laudata *Serie* Cosmi de Arena *l. l.* sed Lucæ tantùm illum dicunt sui Cives, dum iisdem præstat consensum condendæ Ecclesiæ S. Petri in vico Cassianæ, dicentibus apud Florentinum *p.* 11. *l. l. Petivimus licentiam Dn. Talesperiani Dei gratia Episcopi, & cum gratia Dn. Valperti Ducis nostri Civitatis nostræ Lucensis*. Eccur non Tusciæ? Utique Duces adhuc Provinciales vocabantur ab Urbe, in qua sedere solebant, ut Duces Fori Julii, Spoleti, Beneventi &c. Sed id dictum, quia Urbs eadem nomen suum faciebat toti Provinciæ, sive Ducatui: at dispar ratio de Tuscia, quæ Provincia Lucensis à Luca nunquam fuit dicta. Videmus etiam optimum criticum Eccardum *Histor. Chronolog. col.* 596. astipulari Florentino, admittendo Valpertum Ducem totius Tusciæ: itemque Desiderium verè talem Lucæ sedisse: pergunt exinde de Arena, & Florentinus, referendo *Agiprandum*, & *Alpertum* Duces, Rachisio, & Aistulfo regnantibus: item *Desiderium*, & eo promoto ad Regnum, *Adelgisium*: quo pariter in Regni partem assumpto, quendam *Totonem*, cui tandem *Tachipertum* sufficiunt: omnes quidem ævo Langobardico Tusciæ Duces, & Lucæ sedentes. Sed ad hæc alterutrum reponimus: vel laudati Duces non Tusciæ, sed solius Lucæ dici debent contra hypothesim horum Scriptorum, vel Luca non erat Urbs Tusciæ Regalis, sed Ducalis, & quidem hujus primaria. Quoniam verò ita affirmare coguntur, petimus, cur non transiit in ditionem Ecclesiæ, quando *Tuscia Langobardorum*, hoc est Ducatus, in Caroli divisione fuit Ecclesiæ tributa? Hæc igitur acephalum Ducatum accepit? Sanè Lucæ in vulgatis diplomatis Baronianis Ludovici 817. Ottonis 962. Henrici 1014. nulla mentio. Nihilominus Florentinus d. *l.* 3. *p.* 5. acriter contendit, Lucam fuisse in Tuscia Langobardorum, ut mox infra, ea præsertim ratione, ut subdit p. 11. quod Desiderius Dux Tusciæ fuerit, Lucensis esset, Lucæque sederet. Singulis jam occurrimus num. 46. Hic iterùm dicimus, dato, non concesso, quod Lucæ sederet, non ideo inferri fuisse Lucensem. Brixiensem d. num. 46. fuisse conjecimus. Non ne fatetur ipse Florentinus d. p. 11. se *de administratione Desiderii in Ducatus regimine peculiares memorias non reperisse, ut non audeat ipsum Lucensem certè affirmare?* Prodit *eod. l.* 3. *p.* 60. traditionem esse, Desiderium usum fuisse pro insigni Cruce alba, vel nigra, ut in pluribus Ecclesiis videtur, cujus ibi typum pingit. At unde constat, Ecclesias, vel pictas Cruces esse ævi Desiderii, & non temporis posterioris? Nedum Desiderius illa Cruce uti potuit, sed & quilibet posterior Comes, vel Dux, imo & privatus homo insigni destitutus, vel sigillo. Unde in diplomatis etiam frequentissimè occurrit ✠ hujus, vel alterius testis subscribentis: quod salutiferum signum etiam ædibus apponebatur, apponiturque ad fugandos Dæmones, sanè intentum non probat.

(98) In duobus ideo non satis exquisitè procedere illos harum rerum Scriptores, sed in uno deficere, & in altero abundare, observamus. Deficere nobis videntur cum Florentino, qui d. *l.* 3. *p.* 5. à Tuscia Ducali minimè Regalem distinguens, laudatis diplomatis fretus hæc scribit: *Eadem pars Tusciæ in divisione Caroli ob moram assiduam Principum Langobardorum, vocata fuit Tuscia Langobardorum*. Fatetur hic Tusciam à mora Ducum *Tusciam Langobardorum* dictam; hæc ergo eadem ac Ducatus Ecclesiæ tributus, cujus Urbes in Ludoviciana enunciantur. At cum Ecclesiæ non omnes Urbes Tusciæ arrogentur, quæ non nominantur, adhuc tacita Luca, Tusciam Regalem constituebant, & Regno Caroli accesserant. Subjicit ideo Florentinus p. 6. *Luca more Langobardicò vivens cum reliqua Tusciæ parte vocabatur Tuscia Langobardorum, & Langobardia*. Rectè Langobardia, quia suo Regno Langobardico hanc Carolus adjunxerat, se ideo Regem Langobardorum semper inscribens, nunquam Tusciæ, vel Ducem. At non rectè *Tuscia Langobardorum*. Quomodo? Tusciam partitur, & utrique parti idem nomen *Tusciæ Langobardorum* indit? Animadvertere saltem debebant iidem Scriptores, quod Reges suos Magistratus à Ducalibus distinctos habebant in quibusdam Tusciæ Urbibus, quæ in Ducatu non erant, ut *Senis*: quamobrem ævo Langobardorum alia quidem erat Tuscia Ducis, alia Regis. *Senis*, dicimus, pro Rege sedebat (hactenus fortè inobservatus) *Major domus* Langobardus, qui addi potest Glossario Dufreniano, non tamen Majoribus Domus Francorum comparandus. Is Langobardus tum in Palatio Regis commorans de controversiis etiam Ecclesiasticis, ut ferebant ea tempora, judicabat; extat enim Judicatum apud Ughellum *t.* 1. *col.* 457. in causa vertente inter Episcopos Lupertianum Aretinum, & Adeodatum Senensem coram *Ambrosio illustri Majordomo in partibus Tusciæ*: actum Senis in Curte Dn. Regis Luitprandi A. 3. indict. 11. Augusti. Quod Judicatum confirmat idem Liutprandus Ticini A. 3. indictione 13. Martii. Sed in alterutra indictione, error contingit, quoniam si Judicatum, & ejus confirmatio sunt ejusdem anni tertii, non possunt eidem anno correspondere indictiones 11. & 13. etiam incipiente altera indictione Martii à calendis Septembris: & cum indictio *decima tertia* literis exprimatur in charta Regis retinenda est cum A. 3. Regni, qui est Ch. 715. Liutprandus enim certè regnare cœpit A. 712. etsi mense incerto. Hinc indictio in charta Ambrosii esse debet 12. Hunc ergo videmus pro Rege sedisse Senis, ut in Urbe Regis, non Ducis; Duces namque Provinciales in sua ditione non habebant Magistratus Regios jure ordinario judicantes, ut ex more aliorum Ducatuum argui potest. Hujus rei occasione lubet alium Majorem Domus Langobardum indicare in Bullar. Cas. *t.* 2. *const.* 14. A. 769. in qua legitur: „ Ego Rotharit venerabilis Abbas Monastero Dn. Sal„ vatoris fundatum à bonæ memoriæ *VValcori Major* „ *Domui* sito super fluvio in Montecelli: „ hujusque conjux dicitur *Retruda*. Meminit hujus Monasterii Lubin *in notitia p.* 228. at locum Monticelli non rectè dicit esse territorii Cremonensis, quia Cremona est ad lævam Padi, & is locus ad dexteram, 5. m. pass. supra Cremonam, & ideo in territorio Placentino, nunc saltem, ut ex tabulis, & Campo in indice Topographico ad calcem *Hist. Placent. t.* 1. Provincialem porrò Magistratum fuisse Majorem Domus ex eo arguitur, quod Urbem regebat, ut Dux Urbanus Regius Gastaldus Varnefridus sub eodem Liutprando A. 731. ut ex ejus charta Bullar. Casin. *t.* 2. *Const.* 5. in qua *Ego Magnificus VVarnefred Castaldius Civitatis Senense* &c. E contra abundare eosdem Scriptores censemus, cum eversò Langobardico Regno, factaque Tuscia juris Caroli, sibi fingunt, illico eadem in Marchæ formam redacta, Tusciæ Duces, sive Marchiones instituisse, sive veteres Duces Langobardico more servasse. Hinc asseveranter Cosmus de Arena in *Serie Ducum Tusciæ p.* 77. scribit *Regnibaldum*, quem ex Gastaldo Castelli Felicitatis *Ducem Clusii* Adrianus *Ep.* 60. appellat, quam recitavimus sub num. 24. At quod ibi diximus, hic repetimus, Comitem Urbanum eum fuisse dumtaxat, Ducem impropriè tunc, & priori more Langobardico appellatum: adæquè Comitem Lucæ tantùm affirmamus *Allonem*, qui juxta Florentinum *l.* 3. *p.* 11. Lucæ A. 782.

quæ-

Digitized by Google

quædam Ecclesiæ bona permutat. Allonis hujus mentio fit in diplomate Lotharii, & Ludovici A. 841. Bullar. Cas. t. 2. *Const.* 31. ibi: *Sextuno Monasterium in Luca, quod Allo Dux ædificavit*, de quo Lubin p. 367. a. & b. Dux ibi dicitur, quia sic in veteri charta scribebatur, non quia verè Dux, sive Marchio is esset. Non id inficiatur Florentinus, dum *d. p.* 11. fatetur, eodem *Allone* Lucæ sedente A. 782. mutari in instrumentis Ducis nomen in *Comitem*, ut exinde *VVicheramus*, *Bonifacius*, & p. 16. *Aganus* non Duces, sed tantum Comites dicantur. Ecceur? Quia Pippinus A. præcedenti 781. Rex dictus, & etiam Tusciæ Dominus, abusu remoto, Ducis titulum reformaverit, & more Francico Rectores Urbanos ubique Comites vocandos esse ordinaverit. Prædixerat idem V. doctus p. 13. quod, misso Bonifacio Comite Lucæ ad tuitionem Corsicæ A. 822. Lucæ remanserat *Garipertus* Vice-comes jus dicens Lucensibus. Nec aliter quam Florentiæ solius Comes, non Tusciæ Dux fuit ille *Gundibrandus*, eodem more Langobardico Dux vocatus ab Adriano *ep.* 74. Comites sanè omnes, sive Duces in Tuscia, non Tusciæ. Ineluctabiliter quidem iidem probant Caroli supremum dominium in Tuscia, non tamen ab eo Tusciæ universæ Marchionem, sive Ducem creatum, ut sub Langobardis, vel Marcham Tusciæ tunc constitutam: quod neque sub Ludovico Pio, vel Lothario filio probari potest. Hinc rectissimè Sigonius in laudata Epitome sub §. *Tusciæ*, nonnullis enumeratis Urbibus juris regalis Caroli, subdit: *postquam diu Regibus paruit* (adhuc Francis per sæculum ferè) *demum in Ducatus, aut Marchæ formam redacta est: qui Marchiones Tusciæ, sive Lucæ dicti sunt: & hi fuerunt Adelbertus Tusciæ, sive Lucæ Marchio A.* 887. &c. Antiquiorem Marchionem Sigonius non novit, de quo loquitur *l.* 6. ineunte. Verùm ante hunc Adelbertum Sigonii alterum seniorem, & illius Patrem mox cognoscemus. Et hic opportunè adest Clar. Muratorius, qui *Antiq. Estens. à p.* 207. solita sua diligentia astipulatur Sigonio, & præter *Adalbertum I. Marchionem* propriè dictum non alium antiquiorem producit, etsi quosdam Florentinus, & de Arena Marchiones appellare non dubitent, sed sanè abusivè, minimè observato, quod ætate Caroli, & Ludovici saltem, nondum Marcha Tusciæ instituta, nec consequenter Marchiones cum ditione Provinciali, quod ultra fatetur Cl. Muratorius illis verbis: *nè in que' tempi s'era per anche ben introdotto in Italia il titolo di Marchese*, sed seriùs in Tuscia quam alibi, nam nemo ante Adelbertum I. Marchio probatur, quem vixisse, & fortè toti Tusciæ præfuisse ab A. 847. ad 886. idem V. Cl. conjicit p. 213. Utique Tusciæ Marchionem fuisse A. 879. demonstrat ex Joh. VIII. epist. 146. Tres tamen Lucæ Comites Adelbertum hunc præcessisse nos docet, an & Tusciæ Marchiones, hoc est probandum. Profertur ante A. 812. quidam *VVicheramus* Dux, vel Comes dictus apud Florentinum *l.* 3. *p.* 12. at non Marchio, imo, ut prænotavimus, hujus tempore jam reformatus fuit titulus a Pippino. Post hunc sequitur *Bonifacius I.* vulgo & ipse Dux dictus ab eodem Florentino *l. l.* & Marchio, at rectè ne? Id non probat. Ex charta Adalardi Abbatis talis non apparet. Vivebat is A. 813. Alter *Bonifacius II.* proditur ex charta Richildæ Abbatissæ A. 823. ejus sororis, quam laudat Cosmus de Arena p. 95. & in qua ipse *Comes* tantum subscribitur, *cui tutela Corsicæ Insulæ tunc* (A. 828.) *erat commissa. Assumpto secum fratre Berchario, necnon & aliis quibusdam* (NB) *Comitibus de Tuscia Corsicam, atque Sardiniam parva classe circumvectus, cum nullum in mari piratam* (Saracenum) *invenisset, in Africam trajecit* &c. Hæc Continuator Aimoini *l.* 4. *c.* 116. Et hunc eundem esse, de quo Annalista Bertinianus A. 834. conjicit V. Cl. nec hæsitans affirmat, Patrem fuisse *Adelberti I.* pluribus adductis p. 208. sed maximè illo pretioso documento fundationis Monasterii Sancti Caprasii Aulæ A. 884. cujus integrum exhibet exemplum p. 210. & in quo dicitur *Adelbertus Comes, & Marchio filius Bonifacii olim Comitis* (NB non Marchionis) *& Bertæ* &c. Subscribuntur idem *Bonifacius Comes, & Marchio*: ejusque duo filii *Adelbertus*, & Bonifacius: isque Adelbertus hujus nominis II. vere & ipse Marchio, re, & cognomine *Dives*, à quo Sigonius exorsus est suam seriem acephalam. Feliciter tamen pergit recensendo posteriores Tusciæ Marchiones *Vidonem*, *Lambertum* Divitis filios &c. Cæterùm asserere non veremur, prædecessores Adelberti I. minimè fuisse Marchiones Tusciæ, sed tantum Comites, licet more Langobardico Duces adhuc dictos, & ad honorem, dum revera Comites Lucæ, & amplitudine Comitatus usque ad mare, & ad Macram protensi, & quadam excellentia cæteris Comitibus Tusciæ antecelleret. Si porro laudatis Scriptoribus, & Cl. Muratorio placuit illos Comites etiam Marchiones appellare, indicet quis nobis pro illis aliquod Marchæ, vel Marchionis vestigium in Tuscia ætate Caroli, vel Ludovici. Si Marchio non fuit Bonifacius II. sanè neque alter illo prior: at is non fuit, nam si fuisset, Adelbertus Patrem suum ea dignitate & honore non privasset. Et ubi Marcha? Corrigantur Codices omnes Sigonii, qui transcribens *Ludovicianam* sub A. 817. & in Epitome semper dixit *Marcam*, vel *Marchiam Tuscanam*: quando omnes Codices Baroniani in Ludoviciana, Ottoniana, & Henriciana habent *Martam*: *Tuscanam*, quas adhuc interruptas in Henriciana sic legimus *Martam*: *Bledam*: *Tuscanam*. Martam nempe, quæ Oppidum est ad lacus Bolsenæ emissorium, dictum ab amne Marta, ut apud Blondum *Reg.* 2. *p.* 310., cum Lexicographis *in Martha*: & *Tuscanam* (aliis Tuscaniam) nunc *Toscanella*: *Tuscanienses* Plinio 3. 5. Oppidum inter Maternum, & Martam. Hæc eadem est *Civitas Tuscana*, cujus mentio in *Chron. Casauriense col.* 809. Concludimus igitur solum Adelbertum (annuente Florentino *l.* 3. *p.* 17.) fuisse I. Ducem, & Marchionem Tusciæ ab A. 853. ut ex documentis ad calcem à p. 112. in quibus *Marchio* dicitur, & ex unico nummo inscripto *Adalbertus Tusciæ Marchio*, quem vidisse Porcachium *de Gente Malaspina* (fabulas tamen scribentem) l. 4. testatur idem Florentinus in exitu *lib.* 3. *p.* 101. Et quia etiam vidimus per integrum sæculum IX. Comites Lucæ, ac ætate Ludovici II. Caroli Calvi *&c.* fuisse Tusciæ Marchiones Adelbertum I. II. Divitem, exinde Bonifacium hujus fratrem, nullam fidem meretur Epitomator *Chronicorum Casinensium* (C. H. t. 2.) dum scribit p. 370. b. quod *Imperator* (Ludovicus II.) *se se reum de perpetrato crimine sciens, cum Papa Benedicto* (III. ab A. 855. ad 58.) *fecit præceptum Tucbaldo filio interfecti Comitis, & ejus hæredibus in perpetuum de Ducatu Liguriæ & Tusciæ, ab Urbe Roma usque ad Mutinam, & per totum Camarinum, usque in Diviam: confirmans etiam Comitatum Constantiensem, & quicquid in Alemannia retinebant. Concessit autem eis in perpetuum Comitatum Mutinensem cum aliis octo Comitatibus*. Sed huic narrationi, & præcedenti quamplurima obstant; & primo, quod eo tempore Comes erat Lucæ Adelbertus I., & fortè Tusciæ Marchio jam pronunciatus ab A. 847. ad 86. ut sentit prælaudatus Cl. Muratorius *l. l.* Crimen Imperatoris est, quod Tucbaldum Patrem *inauditum vita privari præcepit*, quem falsò accusaverat *Angelberga* (al. Engelberga) Augusta de vi sibi ab eo illata, ut Epitomator prænarrat, quando contrarium evenerat, sed hæc omnia fabulosa censemus. Etenim contigisse hunc casum dicit, quando Ludovicus *defuncto nuper patre* (Lothario A. 855.) *solus regnabat comitante jam dicto Abbate* (Bassatio) *cum immenso exercitu Casinum pervenit, & Barum pergens multos Sarracenos morti addixit*. Uxor namque Ludovici Imperatoris in Tucbaldum Palatii Comitem (NB) *post Imperatoris discessum oculos injecit &c.* Sed hæc omnia pugnant cum tempore, & cum facto. Ludovicus enim Casinum perrexit & quidem cum Conjuge A. 866. ex Ignoto Monacho coævo (C. H. t. 2. p. 265. b.) item ex Annalista Bertiniano h. A. ubi *Imperator una cum uxore sua Ingelberga in Beneventum contra Sarracenos movit*: & fusius ex Ostiensi 1. 36. accessum etiam Imperatricis Casinum narrante. Quomodo ergo *post Imperatoris discessum*, quasi ea relicta? Quomodo *nuper defuncto Lothario*, & Benedicto PP. regnante, ad quem confugisse Tucbaldum putatum reum dicit Epitomator, & quo annuente Imperator *fecit præceptum Tucbaldo filio*, ut supra? Si porrò hæc evenerant Benedicto regnante, quomodo expost Ludovicus in charta pro Monasterio S. Sixti Placentiæ A. 865. apud Campum *Hist. Placent. p.* 459. *b.* concedit *dilectæ nobis conjugi, quam divinitus in adjutorium commissi nobis Imperii percipimus sociam &c.* & infra *Angilbergæ Serenissimæ Augustæ, & Imperatrici, atque desiderabilissimæ conjugi nostræ &c.* à qua adeò sensibiliter in honore læsus? Oh grandis clementia! Sed grandior fabula æque lædens Augustæ hujus pietatem ostensam in fundatione dicti Monasterii, & commendatam non semel à Johanne VIII. PP. *Ep.* 263. (Labbei t. 9. col. 189.) cum ingressam Monasterium S. Juliæ Brixiæ (ut apud Baronium A. 875. n. 4.) rogans Ludovicum, & Carolomannum Reges ut cum Carolo Imperatore consentiant, illam ad Urbem ire peroptat, vocatque filiam suam, & Deo devotam, sibique à Ludovico conjuge creditam, in cujus morte eandem solatur *Ep.* 43. Videantur & aliæ 86. 91. & 92. quibus Pontifex optime de ea sentit, ut nullatenus eo scelere adstricta præsumi unquam possit. Omnes itaque fabulæ.

(99) A rudi Tusciæ Historia ad Chorographiam progredientes, singularum ejus partium limites, & ipsarum Urbium positione dignoscendos, necessum est nunc decernere. A Tuscia Regali exordimur, quia occidentalior, ut diximus. Expertes nos tamen documentis medii ævi, ejus exhibentibus Urbes, ex quatuor fenibus Pon-

Digitized by Google

Pontificalis Historiæ scriptoribus eas colligere studebimus, ex quorum communi consensu ipsarum nomen innotescet, & numerus, uno defectum alterius supplente: quique magis firmabitur, recensendo illas Urbes, quæ ex priscis documentis Tusciæ Ducali, & Romanæ accensentur. Hos inter præsto est Sozomenus Presbyter Pistoriensis, cujus meminit Volaterranus *lib.* 22. ineunte (ubi & alios Scriptores Historiæ Pontificalis commemorat) & ex illo Vossius de *HH. LL.* 2. 64. Fusius adhuc Mabillonius Itineris Italici *part.* 1. *p.* 174. ubi de Bibliotheca Fæsulana loquitur. Sozomenus igitur, fortè in hac Collectione edendus, sub A. 818. hæc scribit. *Papa Pasqualis unam Epistolam scripsit, in qua Epistola distinguit terras Imperii à terris Ecclesiæ propter Regnum* (veremur, ne is Scriptor, cum quodam alio, capiat vulgatam Ludovicianam pro Paschalis Epistola, de qua non constat, nec ulla mentio apud Anastasium), pergit. *Tota enim Tuscia ad Ecclesiam pertinet præter has Civitates, quas Imperiales vocant, Castellanam* (in limine labitur, nam si hæc Civitas Castellana, vetus *Falisca*, quæ & *Falaris*, erat in Tuscia Romana: si Civitas Castelli olim *Tifernum Tiberinum*, in Umbria trans Tiberim, seu ad hujus lævam): *Aretinam: Senensem: Vulterranam, Clusinam* (hoc est Clusium novum non procul à fonte Tiberis: nam vetus ad emissarium Clanis in Tuscia Ducali erat, cessitque Ecclesiæ) *Florentinam: Pistoriensem: Lucanam*: in quibus deficit, mox. Ex Sozomeno (qui senior) Ptolemæus Lucensis, de quo laudati Volaterranus, & Vossius 2. 60. eadem fermè recitat in *Chron. MS. cap.* 24. ubi & ipse recolit Paschalis *Epistolam*, & rectè Castellana præterita, *Pisanam* subjicit, Blondus *Reg.* 2. *p.* 300. oblitus *Lucam*, retinet *Pisam*, & optime *Lunam* adjungit. Platina *in Paschali* perperam includit *Perusium*, & *Urbem veterem*, approbè in reliquis. Colligimus, ad Tusciam Regalem utroque ævo Urbes IX. spectasse, præter Oppida interposita, & tunc existentia, videlicet *Lunam: Pisam: Lucam: Volaterram: Senam: Pistorium: Florentiam: Aretium*, & *Clusium novum*. Consentit post laudatos Volaterranus *l.* 5. *p.* 91. scribens, quod *ejus Civitates Ludovicus Pius cum Paschali divisit* (tenore scilicet Ludovicianæ, non Epistolæ) ut *Aretium, Volaterræ*, & cæteræ, ut supra, & *Luna Imperio adjudicarentur, reliquæ Pontifici*. Quare nescimus, unde hauserit Holstenius in Cluverium p. 27. ut, nulla exceptione præhabita, scriberet, quod *quicquid ab Hetrusca Macræ ripa est, Imperator Ecclesiæ dedit*. Non sic indefinitè dixit Ostiensis 1. 8. qui à *Lunis*, trajecto non longè Apennino, in Æmiliam, Parmamque pergit. Non plus adjectum (fortè ab eodem) in Anastasii *Adriano* p. 186. b. & in Charta Ottoniana 962. bona, sanctaque credulitate recepta, & firmata à piissimo Henrico 1014. ut supponitur. Sed cur non ita in Ludoviciana, quæ chartarum omnium est basis, & qua labante omnia labant? Sed de his satis supra in Prolegomenis a n. 20. Retenta igitur illa innegabili divisione facilè est, fines Tusciæ Regalis statuere, ducta primùm linea ab ostio *Cecinæ* (sive Cecinnæ) amnis ad fontem *Macræ* supra Pontremulum velut trianguli basi, cujus latus dexterum, & australe altera erit linea ducta ab angulo Cecinæ usque ad Tiberim, ubi *Biturgia*, & latus sinistrum, sive boreale, Apenninus item circa Biturgiam, ubi cuspis trianguli, in cujus area continentur illæ IX. Urbes, cæteraque interposita loca, juxta eorum distantias. Interim hic, antequam Tusciam Ducalem adeamus, loca Regalis opportunum erit invisere: recolendo, quod Urbis unius, vel alterius antiquam originem, vel principatum inter Tuscos oportebit subjicere, quamquam id ordinario ab instituto nostro alienum. Semel enim digressione facta superiori Sectione de Tuscia primæva, eandem & quo ad Urbes convenit, ut promisimus, expedire. Primo itaque loco occurrit LUNA, quam in origine Tuscam affirmare videtur Lucanus *Pharf.* 1. *v.* 584.

Hæc propter placuit Tuscos de more vetusto
Acciri Vates, quorum qui maximus ævo
Aruns incoluit desertæ mœnia Lunæ.

An ideo quoque inter XII. principes rectè enumeretur à Blondo *Reg.* 2. *p.* 300. quem sequuntur Lexicographi, Albertus p. 25. b. Ughellus *t.* 1. *col.* 893. & alii, judicent Eruditi. Quænam ex statutis à Cluverio excludetur? Et si postea Luna deserta ætate Lucani, imperante Nerone, quis eam refecit? Fides ne præstanda Edicto Desiderii (de quo diximus n. 19.) qui se jactat *Sentinatibus* ædificasse *Lunam, Sergianum*? Cur Sentinatibus, qui in Umbria? Ut ut sit, aliquando fuerit necessario reparata: Etenim medio ævo adhuc florebat, & longè post, ut caput diceretur *Provinciæ Lunensis* Anonymo Ravennati p. 200. ubi *Provincia maritima Italorum, quæ dicitur Lunensis*, quam extendit usque ad Provinciam Galliæ per totam oram Ligusticam, *quæ Provincia confinalis existit de suprascripta Provincia Septimania*. Prælaudati Scriptores omnes excisam Lunam affirmant, sed quando, & a quo silent omnes. Utique A. 849. *Mauri*, *& Sarraceni Lunam Italiæ Civitatem adprædantes, nullo obsistente, maritima omnia usque ad Provinciam devastant*, inquit Annalista Bertinianus, sed non Lunam evertunt: & iterum quando eversa? Holstenius in Cluv. p. 25. scribit, quod *isthic ingentes visuntur ruinæ Civitatis Lunensis à Normannis deletæ*. Eadem repetit Harduinus in Plinium *l.* 3. *p.* 150. *n.* 19. sed ambo sinè teste, ut nos nunc primò id discamus, nescientes, Normannos Regno Neapolitano potitos, oras Ligusticam, Tuscamque vastasse, dum nempe ab Anno 1017. exiguis principiis paucorum hominum cœperit eorum dominium in eodem Regno Neapolitano paulatim adauctum; nec extra Regnum utriusque Siciliæ arma tulisse novimus, ut ex Ostiensi, aliisque Scriptoribus Collectionis hujus abundè percipitur; Utique Normanni longè ante expeditionem Neapolitanam, olim Rhodano insidentes, non longè post dictam Saracenorum vastationem quasdam Urbes maritimas Tusciæ vastarunt. Has inter & Luna potest quidem præsumi, sed non certo affirmari. Etenim in Chronico *de Gest. Normann.* in Francia apud And. Duchesn. *Hist. Franc. t.* 2. p. 526. A. 860. legimus, quod *illi* (Normanni) *qui morabantur in Rodano usque Valentiam Civitatem, devastando omnia, pervenerunt. Qua deprædata ad Insulam, in qua sedes posuerant, redeunt. Deinde Italiam petunt* (NB) *& Pisas Civitatem, aliasque capiunt, atque devastant*. Si etiam Lunam, hujus municipalia documenta æque nobis ignota, ac ab Holstenio, & Harduino suppressa, docebunt. Post Saracenos, ut supra A. 849. postque Normannos, ut dicitur, iterum Saraceni eandem capiunt, ut prodit Ditmarus p. 411. Leibnitii t. 1. ibi: *In Longobardia Saraceni navigio venientes Lunam Civitatem, fugato Pastore* (Gothofredo, vel Vidone A. 1016.) *invadunt. Et cum potentia, & securitate fines illius Regionis inhabitant &c.* obscœna. At nondum Lunam prorsus eversam percipimus, ut jacuerit in ruinis: sicut nunc jacet: nam adhuc sæculo XII. & ultra Luna florebat, & falsò communiter creditur apud Lexicographos, & Historicos, quod ex Lunæ ruderibus fuerit Sarzana excitata, auctore Volaterrano *l.* 5. *p.* 91. scribente: *ex Lunæ ruinis novum Oppidum, ac vicinum Sarazana excitatum: præestque utrique Præsul unus Nicolai V., qui inde fuit oriundus, providentia*, ex quo accepit Ughellus *t.* 1. *col.* 893. qui tamen ibidem paulo supra dicit, quod *Cathedram Ecclesiæ S. Basilii, ob aeris intemperiem è ruinis Lunensis Sarzanam transtulit ad Ecclesiam S. Andreæ Innocentius III. A.* 1204. quæ cohærere non videntur. Id certum in hac re, per tria saltem sæcula coextitisse Lunam, & Sarzanam, ut falsum sit hanc ex illa excitatam. Prodit idem Ughellus *col.* 914. Chartam Friderici I. qui A. 1185. Petro Episcopo *nominatim Civitatem Lunensem cum fossatis, & suburbiis, & suburbanis suis . . . . . & plateam, quæ est inter murum Civitatis, & mare: ædificium, quod Circulum vocatur, aut Arena &c.* Item *col* 904. profert instrumentum inter Andream Episcopum, & Marchiones Malaspinas A. 1224. ubi in præmissis Luna celebratur, & dicitur *gloriosa Civitas Luna multis dignitatibus decorata, atque super universam Tusciæ Marchiam caput ab exordio constituta &c.* En si deleta à Normannis, ut laudati Viri docti dixerunt. SERGIANUM itaque, longè antequam Luna deficeret, existebat, adhuc sub Sarzanæ nomine, ut mox: ut ideo dici quidem possit, ex Luna deserta, illucque translato Episcopio, crevisse, non autem ex ruinis Lunæ habuisse primordia. Misso namque laudato Desiderii Edicto, *Castrum de Sarzana* invenimus in Charta Ottonis I. A. 963. apud Ughellum *t.* 1. *col.* 897. neque præsumi debet nuper tunc conditum; ibique sæpe moram traxisse Castri dominos conjicimus ex charta Alberti Ruffi Marchionis A. 1085. acta *in Burgo Sarzana*, apud eundem *col.* 903. ejusdemque Burgi Ecclesiam S. Andreæ non mediocrem fuisse percipimus, dum *col.* 908. extat altera charta Gotifredi Episcopi acta *in Synodo habita in Ecclesia S. Andreæ de Sarzana* A. 1137. factamque Sarzanam juris etiam temporalis Episcopi, dum idem Gotifredus a Sarzanensibus juramentum accipit fidelitatis A. 1140. ut *col.* 909. Et Gualterus Episcopus A. 1200. constitutionem edit *pro bono regimine Oppidi Sarzanensis*, ex *col.* 918. ubi etiam Mazucchus, sive Marzinus Episcopus Gualtero suffectus A. 1213. contra Sarzanenses sibi rebelles A. 1214. viriliter se gerit: qua de re pro pace tractanda extat compromissio facta à Mazuccho, & *Consulibus Sarzanæ* in Badinum Judicem Pisanum A. 1219. Ex qua serie actorum perspicuum est, præextitisse Sarzanam, minimeque primo excitatam ex Lunæ ruderibus, ut communirer scribitur: progrediamur.

(100) Supra Sergianum AULA ab amne cognomine *Laula*, Macram instante, dicta, ut scribit Albertus p. 37. a. Magino in tab. 8. amnis *Ulella*, & locus *Ula* dicuntur. Ibi fundata celebris Abbatia S. Caprasii ab Adalberto I. Tusciæ Marchione, & Lucæ Comite A. 884. juxta documentum apud Cl. Muratorium *Antiq. Estens.*

Estens. p. 210. *Arula*, & Monachi S. Caprasii *Arelensis* vocantur ab Alexandro III. A. 1179. in Bulla data Petro Episcopo Lunensi, cui subjiciuntur: adæque in Bulla Honorii III. ejusdem argumenti, apud Ughellum *t.* 1. *col.* 911. Miramur hanc Abbatiam latuisse Lubinum. Altius adhuc PONTREMULUM, ut scribunt Blondus p.301. Volaterranus p.91. Sigonius A. 1167. &c. Italicè Alberto p. 37. a. *Ponte Remuli* Oppidum antiquum, nobile, & opulentum, consentientibus omnibus ibi olim fuisse celebrem Apuam, ut apud Lexicographos *in Apua*. Spectasse ad Comitatum Lunensem arguimus ex charta Henrici IV. A. 1077. apud Cl. Muratorium *l. l. p.* 40. in qua recensentur vetera immensa patrimonia Marchionum Estensium, inter quæ *in Comitatu Lunense Pontremulum* &c. De eo Albertus plura refert nov-antiqua p. 37. a. b. E regione Pontremuli ad ortum BANIO, ut in Magini tab. 8. Lexicographis est *Bondelia* Ptolemæi 3. 1. Blondo p. 301. *Torrens Bagnonus cum Oppido ejus nominis*, & ipse in Macram excurrit. *Plebis de Bagnone* fit mentio in Bulla Eugenii III. A. 1149. inter loca Diœcesis Lunensis, recitata ab Ughello *t.* 1. *col.* 910. & in altera Innocentii III. A. 1202. *col.* 917. item in charta pacis inter Andream Episcopum Lunensem, & Marchiones Malaspinas A. 1224. subscribitur testis nomine *Monachus de Bagnone*, ibidem col. 904. Descendentes ad austrum inter Macram, & Arnum extat PETRA SANCTA, de qua jam fuit sermo sub num. 19. exeunte, illic dicta huc revocentur. Ad Arni dexteram PISA sæpe quidem in minori numero medio ævo, at non semper, ut ex recitato *Chronico Nortmannor.* ubi hi *Pisas capiunt* A. 860. Origine Græcam, non Tuscam luculentissimè demonstrat, simulque illustrat Emin. Norisius in *Cenotaphiis Pisanis* sub initium. Neque inter XII. principes eam recenset: si fuisset, ipse non ignorasset, nec siluisset. Sanè sæculo XI. celebrior, quam barbaro ævo, ex quo nempe ejus Cives rem tractare navalem, rei militaris causa, contra prædones, & Saracenos cœpere, ut animadvertit Sigonius A. 1004. & liquet ex ipsorum Chronicis (C. H. t. 6.). LUCA invariati nominis, & quolibet ævo celebris, ut ex Romanis Scriptoribus apud Cluverium, & Cellarium. Celebrior adhuc medio ævo ex tot adductis per Fr. M. Florentinum in suis Italicis *Memoriis Mathildis*. Ibi, Tuscia in Marchiæ formam redacta, sedem habuere Marchiones ex prædictis n. 98. Recentiora Lucensium regerit Albertus à p. 39. infelix in antiquioribus: plura scitu digna prodit Mabillonius *in Itinere Ital.* à p. 188. MARLIA 5. m. pass. à Luca in boream cujus mentio in Charta Ottonis III. *Act. in Castello Marlia juxta Lucam*. Kal. Sept. A. 998. ut apud Florentin. *l. l.* 3. *p.* 102. inter documenta ad calcem. MONS CAROLUS 10. m. pass. à Luca in ortum, ut in Magini tab. 47. situs prope ripam borealem lacus, sive paludis Bentinæ: de illo Blondus *Reg.* 2. *p.* 303. *qua Lucensis ager vergit in Florentinum palus est Bentina in lacum* (nunc di Sesto) *à Florentinis conclusa, cui superest M. Carolus Oppidum*, quod valde celebrat Placidus Puccinellus Italic. *Memor. Pisciæ p.* 335. Sic vocatum in memoriam Caroli M ibi moratum incolæ affirmant: at si esset is unquam Castrum de *M. Cavoli*, cujus mentio in *Chronicis Pisanis col.* 188. sive *M. Carvulus* ibidem *col.* 193. traditio vacillat. Lexicographi silent. PISCIA Patria laudati Puccinelli, cujus memorias prodidit Mediolani A. 1662. De loci antiquitate differens a p. 326. Cluverium recitat scribentem p. 507. quod *locus iste ad Martis, sive fanum Martis ex itineris ductu, & intervallis deprehenditur esse nunc Oppidum, cui vulgare vocabulum Piscia*. Assumptum prosequitur, & p. 328. concludit, nomen Pisciæ ei factum ab amne cognomine Christiano ævo, profani nominis delendi causa. Ibi innumera documenta à Regno Liutprandi laudat de Piscia, antiquioribus deperditis. De eadem Blondus, Albertus &c. PISTORIA, quæ refecta dicitur à Desiderio in Edicto. Famosior infimo ævo, quam medio, *quia hæc Civitas mater seditionum totius Hetruriæ, ab ipsa namque Alborum, & Nigrorum factiones Florentiam deflexerunt*, teste Volaterano *l.* 5. *p.* 97. FLORENTIA, de qua hæc Montfaucon *Diarii Ital. p.* 22. *A Totilæ temporibus eversa, soloque æquata jacebat, donec ipse Imperator* (Carolus M.) *A.* 802. *instaurandam curavit: quare non potuit ille Capitaneus* (Paganus Petrasancta) *fuisse Florentinorum*. Vera conclusio, sed ex falso antecedente, obstante Procopio *B. Goth.* 3. 5. testante quidem eam obsessam à Totila, sed non captam. Astipulatur Agathias p. 384. b. (C. H. t. 1.) Produnt quoque Annales Francor. edit. Justi Roberti A. 786. quod *Carolus in Florentia Tuscorum Civitate Natalem Domini celebravit*: eidemque Urbi certè suus Comes, more Langobardico Dux dictus, præerat: Adrianus namque *Ep.* 74. Carolo significat *invasionem, quam Gundibrandus Dux Civitatis Florentiæ in eodem Monasterio* (S. Hilarii) *ingerit, in curte quadam Sasatina, territorio scilicet Florentino* (oratque) *emendare jubeatis*. Fortè V. doctissimus secutus est Sigonium A. 787. quoque scribentem, Florentiam à Totila eversam, & A. 802. resartam à Carolo, quod & Lexicographi *in Florentia* citò nimis credidere. Eam dirutam à Fæsulanis, aliisque Barbaris prodit Albertus ex Landino p. 44. sed non probat. FÆSULÆ, nam Græcis Φαισῦλαι, sed sinè diphthongo Latinis, Florentiæ imminent, de his sæpe Salustius *In Bello Catilinario*, aliique veteres. Miramur, Ang. Politianum *Ep.* 2. *lib.* 1. Petro Medici, Virum emunctæ naris, fabulis Joh. Villani adhæsisse, & sinè hæsitatione adhuc Edicto Desiderii, cum de Fæsulis scribit. Has stetisse usque ad A. 1010. prodit Sigonius, quo, inquit, *Florentini Fæsulas, quas aperta vi capere adhuc nunquam potuerant, in Festo S. Romuli per inducias occuparunt, atque Oppido eversо, Cives Florentiam traduxerunt, & junctis opibus, ex duabus Urbibus unam fecerunt: idque haud dubium Florentinæ, quæ postea floruit, initium potentiæ fuit*. Hæc ad A. 1024. protrahunt Nic. Machiavellus *Hist. Florent. l.* 2. & alii apud Albertum p. 49. b. Fæsulano descendentes è colle, Arno trajecto, ac ad mare accedentes, Arni ad ostium TRITURRITA conspicitur, *Turrida* Anonymo Rav. p. 211. & ibi Porcheronus notat, Triturritam Rutilio *metri fortè gratia*, quia Turrita scribitur in Peutingeriana. Metri necessitatem non videmus. Est nunc Cluverio p. 467. & Magino tab. 43. *Capanone*, sed Holstenio in *Cluv. p.* 28. *S. Piero in Grado*, & rectè, ut probat. Bodrando Triturita cum simplici r, sed etymon videtur esse à turribus. LIBURNI PORTUS, de quo Albertus p. 27. corrigens Volaterranum, Chronica Pisana col. 198. & Lexicographi. VADA ad ostium Cecinæ, *Badis Volatianis* Anonymo p. 211. hoc est Vada Volaterrana, quia olim Volaterranorum portus juxta Blondum pag. 301. Vada, & nunc. PISSINA, quæ Piscinis Anonymo *l. l.* VOLATERRA à Cive suo Raphaele illustratur *lib.* 5. *p.* 101. & seq., sed non juxta nostram indigentiam. Dum conjecturis, & ratiociniis ipsam, & origine Tuscam, & inter XII. enumerandam esse contendit, meliorem oblivisciturtestem Dionysium, à quo *lib.* 3. *p.* 233. inter Populos Latinorum auxiliares Volaterrani etiam enumerantur. Per tempora exinde res patriæ tangens, in Langobardicis jejunos nos omnino relinquit. Prudenter tamen silet, fuisse à Desiderio refectam, ampliatam, murisque cinctam, ut in ejus Edicto, quod infra p. 103. laudat, & probat. Neque Marius Joannellus in Italica *Chron-Historia* Volaterræ, quid ad rem nostram suppeditat: utique cum Annio nugatur scribendo p. 64. Volaterræ conditorem fuisse Janum. Nihil Blondus, nihil Albertus, etsi fusè de hac Urbe loquatur à p. 52. RADACOMALUM scribitur in eodem Desiderii Edicto post Volaterram, ut huic adjacens, & proximum. Illud prætereunt Albertus, & Lexicographi, quando alia Edicti loca adhuc ignota describunt. Abest & à Magino. Verùm, si extitit, non alibi, quam cis Cecinam amnem esse potuit, Volaterræ enim agrum usque ad mare, ubi Vada Volaterrana, Blondus, & Raphael *l. l.* producunt. S. GEMINIANUS in Edicto enunciatus, ibi: *Focensibus Sanctos Geminianum, & Miniatem* (ædificavimus à fundamentis, ut præmittit.) Sed quid *Focensibus*? De S. Geminiano Gasp. Sillingardus *de Epp. Mutinensibus p.* 9. *in Geminiano I.* ex antiquis documentis hæc scribit. *Castrum Sivium in Tuscia, dictum postea S. Geminiani tempore Attilæ in protectorem assumpti*: abest à Lexicis: GRACHIANUM „ nunc excisum prope Collem Ut„ bem agri Senensis, quæ crevit ex ejus ruinis. „ Verba sunt Bodrandi in edit. Paris. & laudat Ughellum. BONITIUM ex veteri inscriptione, quam vidisse testatur idem Bodrandus: hodie *Poggio Bonitii*, & popularibus *Poggibonzi*, ut apud Albertum pag. 51. b. Ejus posteriorem sortem scribit Blondus *Histor. dec.* 2. *l.* 8. *pag.* 316. sed à Pisanis reficitur, ut ex ipsorum Chronici col. 193. In documentis sæculi X. insertis Chronico Florentino Puccinelli à num. 33. & à p. 222. locus Bonitii appellatur nunc *Podium Marturi*, nunc Castellum *Marturi*. S. MINIATUS: quæratur in Lexicis *Miniatum Teutonis* Miniato *al Tedesco*, olim Urbs Episcopalis, juxta Bodrandum ex Alberto p. 51. b. qui ineptè subijcit ex suo Annio, sic dictum, quia conditum à Teutonis, Desiderio Regi subjectis; nec advertit ibi castrum extructum à Friderico II. quod ipse ex Collenutii Historia monet, ut ideo al *Tedesco* vocari potuerit, etiam si conditum circa tempora Ænobarbi, ut conjicit Ughellus *t.* 3. *col.* 344. Edictum Desiderii nihili ducens. Sed omnes falluntur, quia adhuc ante Ænobarbum mentio fit S. Miniatis in Chartis Bonifacii Marchionis A. 1038. & Mathildis A. 1074. inter documenta Florentini pagg. 118. & 154. de Castro tamen adjecto alia res est. SENA in minori numero medio ævo, ut ex innumeris exemplis; & ideo Holstenius *in Cluver. p.* 69. ex Cel-

Digitized by Google

Celso Cittadino docet, in majori tantùm dici cœpisse ab A. 1170. cum suburbia S. Martini, & Camuliæ pomærio includerentur. Verùm aliquod exemplum in contrarium adduci posset, ut locus Plinii 18. 7. ubi scribens de variis tritici generibus habet: *In Transpadana Italia scio vicenas quinas librat farris modios pendere, circa Clusium, & Senas*, & Charta, sive Judicatum Ambrosii Majoris Domus *actum Senis*, quod supra innuimus num. 98. Corruptus ne uterque locus? Appianus quoque *B. Civ. l. 1. p. 207. Pompejus Marcium devicit circa Senas, Urbem ipsam diripuit*. Ampliatio fortè hujus Urbis movit Blondum ut *Reg. 2. p. 307.* diceret, quod *inter novas numerari potest cum nullis in veterum monumentis reperiatur*: Verba Blondo non digna: Etenim fermè omnes veteres Geographi ejus meminere, Strabo 5. p. 474. dicit *Senam* in Tuscia: Plinius 3. 5. inter Colonias & Senensem enumerat: Ptolemæo item 3. 1. est *Sena*. Inter eruditos lis est de *Senia Colonia*, & *Senienſium* plebe apud Tacitum *Hist. 4. cap. 45.* an sit *Sena* Tusciæ, vel *Senia* Dalmatiæ, sed unde hæc Colonia, unde *Julia*, ut nostra dicitur in tab. Peutingeriana? Videatur Cellarius pag. 716. ubi de varia lectione Plinii, & Taciti pro Sena Tusca. Rectè dixisset Blondus, neminem meminisse Senæ ante Pompejum: sicut & Cellarius *l. l.* & non quod ante August. Cæsarem *nulla ejus antiquior memoria extat*. Utrumque fugit Appianus *Bell. Civ. l. 1. p. 207.* ubi *Pompejus Marcium devicit circa Senas, Urbemque ipsam devicit*, ut mox supra alia ratione retulimus. Jam ergo erat Sena ante Pompejum, si ipsam cepit licet nemo ejus meminerit. Falsum enim est, quod scribit Volaterranus *l. 5. p. 100.* scilicet, quod *Polybius ait, Senones pulsos à Romanis, aliam Coloniam ejus nomine Senæ, quam apud Adriaticum reliquerunt, condidisse*, in Tuscia nempe, Senogallia relicta. At Polybius nunquam id dixit. Et quia Volaterranus in eundem errorem traxit Albertum p. 57. b. qui laudat *Gothifredum*, & *Polycarpi* cujusdam Chronicon, en verba Polybii, versionis Perrotti, qua usus fuerit Volaterranus (nondum nato Casaubono) en Polybii verba l. 2. p. 130. edit. Lugd. 1554. Romani Senones *adgressi superant: magnam partem interficiunt: si qui superfuerant, sedibus fugant: Regione potiuntur* (hoc est Gallia Senonum ad Adriaticum) *Novam ipsi* (Romani) *in Urbem Coloniam, inducunt: eam veteri nomine, quod primò à Gallis habitata fuerat, Senam appellant*: idest Romani in Urbem Senonum captam novam ex suis Romanis Coloniam inducunt: Senam à Senonibus appellant (aliter enim à Senonibus fuerit vocata) nulla mentione facta novæ Urbis, sed tantum novæ Coloniæ. Amnem quoque ad lævam Senogalliæ in mare excurrentem Senam dixerunt juxta Silium *l. 8. v. 454.*

Et Clanis, & Rubico, & Senonum de nomine Senæ. At ne quis amplius pro Volaterrano arma sumat, en quoque Casaubonianam versionem Polybii pag. 108. Romani „ statim ducto in hostes exercitu, cum Gallis Se„ nonibus, obviam prodire ausis, manum conserunt. „ Quum Romanis secunda fortuna pugnæ fuisset, par„ tem maximam cæderunt: reliquos sedibus expulerunt. „ Ita potiti universa Senonum ditione, *primam in Gal„ liam Coloniam* (non in Tusciam) *eò mittunt*. „ Nunc de Sena Tusca male d. pag. 307. adhuc sentit Blondus de nominis etymo, cum subnectit ex veteri codice, Joh. XVIII. Pontifice m A. 1003. acceptis de sex Diœcesibus sex plebatibus, Civitatem hanc ædificasse, *quæ ab ipso sex plebatuum numero Sena fuerit appellata*: Sena ab origine, ut hodie, numero vix variato; honestata quidem sub Langobardis ibi posita Majoris Domus sede, ut ex num. 98. at non ævo Francico. Frustra ideo contendit Orlandus Malavoltus *Hist. Senæ pag. 73.* liberam dictam eam fuisse à Carolo M. quia in divisione non enumeratur inter Urbes Regni, neque Ecclesiæ. Verùm (præter quamquod in Ludoviciana, & aliis documentis Imperatorum enumerantur tantùm Urbes à Carolo ex Ducatu, sive Tuscia Langobardorum, & Romana Græcorum Ecclesiæ tributæ, non reliquæ Regno Italico adjectæ, aliter hæ omnes eadem ratione fuissent liberæ) habuit Sena, sicut cæteræ Urbes, suum Comitem Urbanum, & quidem Francum, quia legem Salicam profitebatur, ut clarè apparet ex binis documentis apud Puccinellum *Chronici Florent. pag. 202.* in quorum primo sic legitur: „ Ego *VVinigis Comes Senensè* filio quondam Rheginа„ ri, & conjux mea Richilda *&c.* donamus, atque tra„ dimus ad Basilica nostra, quam nos in honorem Do„ mini, & Salvatoris ædificavimus in loco nuncupatè „ Campi, & Fontebona super fluvio Cogia *pago Senen„ se* &c. Et infra: *secundùm legem nostram Saligam fir„ mamus per festucam &c.* facta in 17. A. Imperii Do„ mino Ludovici Imperatori filio Lothari quondam „ Aug. Mense Feb. indict. 15. (hoc est A. 867. non 872. ut notat Puccinellus.) Idem in altero legitur *Nos VVinigis Comes Senensè, & Richilda jugalibus* &c. *Confirmamus* &c. *secundùm nostram Salicam legem* &c. *Actum Sena: Datum A. primo Dn. Caroli* (Crassi) *Imp. Aug. Mense Aprili, indict. 14.* (881.) Non ergo Sena relicta libera CASTRUM GARGONZA 18. m. pass. à Sena in ortum cujus mentio in Charta Ottonis IV. A. 1208. in Bull. Cas. t. 1. *Const. 24.* & in Magini tab. 44. ARETIUM Græcis Ἀρέτιον, ideo & Latini plerumque *r* geminant. Quod nos scribimus est Aretium vetus Colonia, nam in tabulis antiquis aliud erat Aretium *Julium* ad boream, & aliud Aretium *Fidens* ad austrum: ita & in Isleana; hæc tamen distinctio non probatur Holstenio *in Cluv. pag. 72.* maximè verò Aretino, Barbaro, Harduino, ex lapidibus. Urbs cæterùm origine Tusca, & ex XII. principibus, ut ex Dionysio *l. 3. pag. 233.* & Livio *l. 9. c. 25. & l. 10. c. 26.* In Desiderii Edicto dicitur ab eo refectum, sed à quo prius vastatum nobis non constat. CLUSIUM: & quia hoc duplex, nempe vetus ad Clanem, & novum 15. m. pass. ab Aretio in boream, nec procul à Tiberis fonte, novum ad Regalem, vetus ad Ducalem Tusciam spectabant. In novo sedebat perfidus ille Raginaldus, de quo adeò cum Carolo queritur Adrianus *Ep. 60.* quod Ecclesiæ Castrum Felicitatis invaserit. Proxima sanè, & confinia esse debebant hæc loca. Non enim verisimile videtur, Raginaldum per agros aliarum Urbium adeò longe à Clusio veteri in Castellum Felicitatis protulisse arma sua. Nihilominus duplex Clusium Plinii 3. 5. sicuti triplex Aretium interpretatur Holstenius *in Cluv. p. 75.* sed ipsum adducta à Cellario *p. 723.* evincunt. BITURGIA, quam, cum varii variè sentiant apud Bodrandum h. V. nulla adducta ratione, & nos cum ipso sentimus esse *Citernam* inter Aretium, & Burgum S. Sepulchri, ut in Magini tab. 43. Sed cum Burgus sit trans Tiberim in Umbria, male sentiunt qui volunt cum Alberto p. 88. Biturgiam, & Burgum eundem esse locum, illa enim juxta Ptolemæum, qui solus ejus meminit *lib. 3. c. 1.*, in Tuscia fuit. Et ibi finem Tusciæ Regalis statuimus.

(101) Tusciæ modò Ducalis facilè est fines decernere postquam jam fines Regalis præscripsimus, nec non observata positione Urbium, quæ in Ludoviciana, binisque chartis Ottonis, & Henrici Pii enunciantur in *Tuscia Langobardorum*, & quidem ordine inverso ab ortu ad occasum: neque omnes, sed cum omnissæ interjaceant, dubitari nequit, quin ad eandem Ducalem Tusciam pertineant. Quæ igitur recitantur, hæ sunt: *Castellum Felicitatis: Urbivetum: Balneum Regis: Ferenti Castrum: Viterbium: Marta: Tuscania: Populonium: Soana: Rosellæ*: Longitudo est à Populonio (quod Urbs occidentalior) ultra ostium Cecinæ usque ad Castellum Felicitatis, quod ripæ dexteræ Tiberis insidere debuerat, ut probabimus, infra verò usque ad ripam orientalem Clanis paludis, & in infima parte fluvius Marta: etenim loca trans hos limites videmus Tusciæ Romanæ attributa: latitudo à linea dividente utranque Tusciam Regalem, & Ducalem, usque ad inferum mare. Igitur Tusciæ hujus Ducalis, sive Langobardorum fines ab *occasu* erit ripa sinistra Cecinæ, & mare: à *borea* dicta linea utranque Tusciam sejungens: ab *ortu* supra Tiberis, infra Clanis, & in infima parte Marta amnis: ab *austro* tandem mare. Loca porrò maritima, vel non valde procul à mari claritatis gratia primò enunciabimus: exinde Insulas Tusciæ Ducali adjacentes: tandemque loca mediterranea. Igitur ab occasu extabat antiquissimo tempore VETULONIA adeò celebris in sensu Cl. Fontanini, ut ipsam totius veteris Tusciæ Metropolim statuere non dubitaverit, ut supra n. 96. observavimus. Origine Tuscam, & ex XII. fuisse percipimus maximè ex Dionysio *l. 3. pag. 233.* ubi nominatis *Clusinis, Aretinis, Volaterranis, Rusellanis* ab ortu ad occasum, addit & supra illos *Vetuloniensis*. Hic situm adhuc Vetuloniæ cognoscimus ad occasum Rusellarum, & quidem prope mare, ut indicat Plinius 2. 103. *ad Vetulonios in Etruria non procul à mari, pisces*. Non parum refert, ubi Vetulonia cognoscere, ut fabula Viterbii in Desiderii Edicto explicetur. Periisse, vel saltem ejus nomen à sæculo IV. inobscuratum conjicimus, cum de illa nulla mentio in Itinerario Antonini, in Theodosiana, nec apud Anonymum Ravennatem. Nihilominus Bartolmæus Benevolentius, qui A. 1436. scribebat *de Orig. Senæ*, testatur *cap. 3.* quod ubi Vetulonium, Ptolemæo 3. 1. *Betulonium*, vicus extabat suo tempore *Betulla* nomine, sive *Betullæ*, abest tamen à tabulis nostris. Reliqua cum de Viterbio ineptè à pluribus Vetulonium putato, ut apud Volaterranum *l. 5. pag. 104.* & alios. MASSA dicitur ab Ughello *t. 3. col. 783.* creta ex Populonii ruinis; sed quomodo si sæculo IV., quo nondum Populonium eversum, erat Massa domicilium Principum? Id testatur Ammianus Marcellinus *l. 14. c. 11. p. 60.* scribens, quod *Gallus Cæsar natus apud Tuscos in Massa Veternensi*. At POPULONIA, sive Populonium (passim in utroque genere) *à Græcis, qui Oroboitæ vocantur deprædata est*, ut prodit Annalista Bertinianus sub A. 809. ex Annalibus Eginharti, cui standum, quia

Digitized by Google

is synchronus, & quidem ætate Pippini Regis Italiæ, non Bernardi, ut notarunt Blondus p. 302. Volaterranus 5. pag. 91. & Albertus p. 30. Rectè tamen is subdit Blondo *l. l.*, non modò Populoniam *deprædatam*, sed penitus eversam, & deletam, ut refici non amplius potuerit. Prius etiam sub Langobardis vexata, ut infra *in Helba* ex S. Gregorio. De ipsa Geographi veteres, Historici, & Poeta Rutilius apud Cluverium p. 470. & Cellarius p. 717. Hæc in origine Tusca Straboni 5. pag. 447. dum ait, *sola hæc Tuscis ex Urbibus antiquitus ad mare fundata mihi videtur*. An ex XII. ut Blondo pag. 300. placet, testem non habemus. Magnifica ejus vestigia refert Albertus pag. 30. b. ex relatu Zachariæ Zacchii Volaterrani antiquitatum periti. MALLIANUM, quod in Isleana scribitur *Manliana* 15. m. pass. à Populonio in ortum inter Massam Veternensem, & mare, & quidem cis Umbronem amnem, esse certè non potest *Magliano* quod in tabula Theodosiana *seg.* 3., & in Magini 44. scribitur trans Umbronem à Telamone 7. m. pass. in ortum æstivum, ut ait etiam Bodrandus in *Manliana* 2. loco. Igitur triplex Marliana, una cis Umbronem, de qua nunc, & variato genere ei apponimus nomen neutrum, altera trans Umbronem, ut mox infra. *Mallianum* cis Umbronem, & prope Massam memoratur à Blondo *Reg.* 2. *p.* 307. hoc ordine *Massa Civitas*, *Mallianum*, *Paganicum* &c. RUSELLÆ ad dexteram, & prope ostium, Umbronis, certè ex XII. ut apud Dionysium 3. p. 233. *Vestigia antiqua hujus Coloniæ* (Romanæ) *adeò clara supersunt, ut nomen quoque priscum servent*: Hæc Holstenius *in Cluv. p.* 39. Medio ævo extabat ex S. Gregorii *Ep.* 8. *l.* 1. commendantis Rosellano Episcopo visitationem Ecclesiæ Populoniensis: imo & sæculo XI. lite pendente ante Gregorium VII. inter Episcopos utriusque Ecclesiæ Rosellanæ, & Populonii apud Holstenium *l. l.* ex *lib.* 3. Epistolar. dicti S. Pontificis. Trajecto hic Umbrone en altera MALLIANA, sive Manliana ut apud Bodrandum, ex Ptolemæo, & Itinerario Antonini 7. m. pass. à Telamone in ortum. In Theodosiana sic scribitur *ad Mensulas* 18. *Manliana* 8. *ad Novas* 9. & ordine inverso apud Anonymum p. 222. *Ad Novas*, *Maliana*, *Mensulas*, *Umbro* amnis &c. Notatur in Magini tab. 44. *Magliano*. Verum an Manliana Theodosiana, & Anonymi eadem sit ac Manliana, quæ Bodrando est 7. m. pass. à Telamone, valde dubitamus, & disquiremus num. 103. ubi de tertia Manliana longè ab hac secunda, ad dexteram Clanis, & supra Clusium vetus locata. In hac eadem Tabula TELAMON vetus, & novum, sed in nostra vetus tantum scribitur, de quo antiqui Geographi, nomine eodem manente. Corrigatur Blondus p. 302. scribens *Telamonis est portus Telamotosa à Plinio appellata*: ubi unquam legit simile mendum? Omnes nostri codices habent 3. 5. *Telamon*, *Cossa Volcientium*, ex quibus corruptum compositum. ANSEDONA ex ruinis Cossæ veteris adaucta, medio ævo. In Desiderii Edicto *Ansdoniæ*, & item in Bulla Leonis III. A. 805. (Bullar. Cas. *tom.* 2. *Const.* 25.) In vicum non sero Ansedona est redacta, postquam fuit capta à Carolo M. ut prodit Volaterranus *l.* 5. *p.* 92. his verbis: „ De Ansidonia prodi„ gium fertur, quum à Carolo M. contra Longobardos „ difficilius cæteris expugnaretur, adducta S. Anastasii „ calvaria, castrisque prælata, statim in potestatem „ venisse. Qua propter hæc cum nonnullis etiam su„ pradictis litoribus dono ejus Cœnobio Romæ ab eo „ concessa, cujus rei monimentum in eodem templo „ marmorea tabula inscriptum legitur: „ A Carolo diruta dicitur Bodrando in *Cossa*. Ex hujus ruinis ORBETELLUM extructum facit idem Bodrandus h. V. Potius ex ruinis Ansedonæ dici deberet: Cossa namque jacebat sæculo IV. quo sub Theodosio M. Rutilius *Itinerarii l.* 1. *v.* 285. canebat

Cernimus antiquas nullo custode ruinas,
Et desolatæ mœnia fœda Cosæ.

An refecta, nescimus: ex Cossa excitata fuit Ansedona, cui deletæ, ut supra succedere cœpit sæculo IX. Orbetellum, ultra quod Misio, & Marta amnes, à qua incipit Tuscia Romana maritima. Insulæ nunc Tusciæ Ducali adjacentes sunt HELBA Græcis Αἰθάλιον, priscis Latinis *Ilva*, medio ab ævo *Helba* ex S. Gregorii *Dial. l.* 3. *c.* 11. ubi dicitur, S. Cerbonium Populonii Episcopum ob vastationem Langobardorum *ad Helbam Insulam* se contulisse. Adhuc *Elba* scribitur in *Breviar. Hist. Pisanæ col.* 178. Ibi *Cosinopolim* Porcachius, *in Insulario*, & Maginus tab. 45. commenti sunt: sed testis de visu Bodrandus *in Cosinopoli* hanc ibidem non reperit Urbem. PLANASIA, de qua satis Cellarius p. 948. nunc *Pianosa*. MONS CHRISTI Plinio 3. 6. *Oglasa* jam medio ævo dicta *M. Christi*, ut ex S. Gregorii *Ep.* 49. (nunc 51.) *lib.* 1. *ad Monachos in Christi monte Insula constitutos*. Notant hic Monachi, in cod. Vaticani legi *in Insula Gorgona*, sed hæc ex sequenti *Ep.* 52. alia videtur, hodieque la *Gorgona* inter oram Tusciæ, & Corsicam. Nec rectè Lubin *in Notitia Abbat. p.* 228. *a.* (ubi plura de hoc Cœnobio) sentit, hanc Insulam M. Christi esse Artemisiam, de qua mox. INSULA LILII est Igilium, quibusdam *Ægilium*, hodie *Giglio*. Et de hac plura Cellarius *p.* 948. & seq. INSULA JANUTI, & hæc sanè *Artemisia* Græcis ex Scriptoribus per laudatum Cellarium p. 949. huc adductis, nunc *Gianuto*, & ita in Magini tab. 44. omnino diversa à M. Christi, quidquid dixerit Lubin *l. l.* INSULA HERCULIS inter Janutum, & Herculis portum in eadem Magini tabula. Abest à Cellario, & à Lexico Patavino: sed Bodrandus in Parisiensi hanc ita describit: „ Herculis Insula „ parva admodum in mari Tyrrheno, & una ex Æo„ liis Insulis, cujus fit mentio in tabula itineraria, „ nunc, teste Cluverio, est *Basiluzzo*, Insula circui„ tus duorum milliarium, & 10. à Lipara distans in „ ortum, sed incolis vacua. „ Et hæ Insulæ Tusciæ Ducali adjacentes: ad ejusdem loca mediterranea modò accedimus.

(102) Ordinatè parùm describere hæc possumus, quoniam Ducatus Perusiæ, seorsim positus, ut in Ludoviciana attributus Tusciæ Romanæ, intercidit ordinem: Langobardi namque cum supra Perusiam usque ad Tiberim, tum infra ditionem suam Ducalem extendebant. Itaque à borea incipiendo, inclinandoque ad occasum, *Martam* versus, & per lineam ad Hortam tendentem, quasi semicirculum, cujus chorda Tiberis, conficiemus. Nunc juxta propositum ambitum nobis occurrit ad Tiberim CASTELLUM FELICITATIS, cujus crebra mentio in documentis ævi medii, pauci tamen quodnam esset explicare curarunt, & nisi incidenter. Primus omnium fuit Anonymus Ravennas qui p. 223. sobriè suo more vix dixit: *Tifernum*, *quæ & Felicissimum dicitur*. Cum porrò Tifernum hoc communiter omnes dicant nunc esse Città di Castello, Ortelius *in Thesauro V. Tifernum* ait quod Leander Albertus hoc vocat *Felicitatis Castrum*. Verùm loquitur quidem Albertus p. 88. a. Tifernum esse affirmat, non quod Castrum sit Felicitatis, saltem in nostris Codicibus, nec alibi id unquam invenimus. Fortè Guil. Xylander in sua versione Latina 1567. Coloniæ non visa, id addiderit. At si quis id negaret, quomodo probaretur? Nec deest ratio negandi, quoniam Castellum Felicitatis in Ludoviciana, aliisque documentis dicitur apertissimè *in partibus Tusciæ Langobardorum*, quæ finiebatur, & finitur Tiberi. Ergo si in Tuscia, ad dexteram Tiberis esse debebat, quando Tifernum est ad lævam, ideoque in Umbria locatur in omnibus tabulis. Nihilominus certè Castellum hoc erat Langobardorum: Anastasius enim *in Adriano* p. 185. a. refert, quod devicto Desiderio, *omnes habitatores tam Ducatus Firmani*, *Auximani*, *& Anconitani* (quos Desiderius subegerat) *simulque & de Castello Felicitatis . . . . . ad præfatum SS. Pontificem concurrentes ejus se ter Beatitudini tradiderunt*, *præstitoque sacramento in fide &c.* Item Castello eidem præerat Castaldus Langobardus exinde translatus ad Clusium novum, de quo ipse met Adrianus *Ep.* 60. Carolo, *dirigimus*, scribit, *de perfido illo . . . . æmulo Raginaldo dudum in Castello Felicitatis Castaldio*, *qui nunc in Clusina Civitate Dux esse videtur &c.* reliqua mox. Aliquid ex his præmittere oportet, nempe Castellum hoc ex Anonymo proximum fuisse Aretio, vix distanti 15. pass. millibus in occasum: item Clusio novo dissito 20. m. in occasum æstivum, quare propter vicinitatem Raginaldus, ut subdit S. Pontifex, facile *per se metipsum cum exercitu in eandem Civitatem nostram Castelli Felicitatis properans*, *eosdem Castellanos abstulit*. Non ergo dubitandum, quin hoc Castellum esse potuerit, ubi Tifernum, non enim alter locus, sive Civitas est assignabilis. Adhuc præmittimus medio ævo suppressum fuisse nomen Piceni, & Umbriæ, huic facto nomine Ducatus Spoletani à Langobardis, ut dicemus cum de hoc Ducatu: illi Pentapolis à Græcis, ut diximus. Quare aliqua loca, quæ verè erant in Umbria, sed extra ditionem Ducis Spoleti, quamquam trans Tiberim Tusciæ accensebantur tam more civili, quam Ecclesiastico. Civili quidem, nam *Ameria*, *Tudertum*, *Narnia*, & *Ocriculum* trans Tiberim, & partim in Umbria, in Ludoviciana dicuntur *in partibus Tusciæ*. Similiter more Ecclesiastico, quoniam in Synodo VI. Constantinopolitana *act.* 4. subscribuntur *Bonifacius* Episcopus Ecclesiæ *Tudertinæ* Provinciæ *Tusciæ*: *Theodorus* Ep. Eccl. *Amerinæ* Prov. *Tusciæ*: *Deusdedit* Ep. Eccl. *Narniensis* Prov. *Tusciæ*. Inferimus ergo quod sicut Urbes hæ, licèt trans Tiberim sitæ dicebantur *in Tusciæ partibus*, cum tamen hic verè non essent, ita & Castellum Felicitatis pari ratione dici potuit in Tuscia, & adhuc *Langobardorum*, quia ab his fuerit, Desiderio regnante, captum, & Tusciæ Cistiberinæ adjunctum: eo modo quo priores Reges facere consueverant, quando Ducatus Romani Urbes aliquas cis, vel trans Tiberim ca-

Digitized by Google

capiebant. Potuit quoque fuisse sæculo VI. hoc Castellum cœptum cis Tiberim, hujusque ad dexteram in Tuscia propriè dicta. Observamus sæculo V. ejus neminem meminisse: & quod uni Romanæ Synodo sub Symmacho (ab A. 496. ad 514.) interfuit *Innocentius* Episcopus *Tifernatium Tiberinorum*, & fortè alter *Marius*, ex Holstenio *in Geographiam sacrom p.* 8 & in *Ortelium p.* 193. Nondum tunc nomen Castelli Felicitatis auditum. At usque ad sæculum IX. & ultra frequens ejus mentio, ut liquet ex hactenus adductis, & ex Synodis VI. Romana sub Eugenio II. apud Baronium A. 826. num. 2. in qua subscribitur *Stabilis Castello Felicitatis*: & altera Romana Nicolai (I.) A. 4. Ludovici (II.) 11. die 18. Novembris indictione 10. juxta notas chronicas præmissas huic Synodo relatæ in *Agnello* Bacchiniano (C. H. t. 2. p. 204.) quibus notis correspondere deberet A. 861. sed aliqua egent emendatione, quam prætermisit Cl. V. Nolumus hic immorari. Huic igitur Synodo interfuit *Rodericus Castello Felicitatis*: cujus quoque mentio in charta donationis Ludovici II. qui possidebat patrimonium *in Castro Felicitatis* collatum Casaurienſi Cœnobio, ut ex hujus Chronico *in Spicileg.* Dacheriaris *t.* 5. *p.* 382. ubi etiam pag. 406. extat præceptum Ottonis I. in quo ejusdem Castri fit mentio. Et his præmissis, initium innuere videtur, obscurè licet, Ughellus in appendice ad *tom.* 1. *col.* 227. scribit, sed sine teste, quod confecto bello Gothico, cum Totila Tifernum evertisset, *Florius* Episcopus Tifernas *ex patria ruinis parvum excitavit Castellum, unde redivivæ postea Civitatis indidere nomen Castelli, antiquo suppresso* (Tiferni. Cur non hoc Castellum conditum è regione Tiferni diruti ad Tiberis dexteram in Tuscia propriè dicta, donec sæculorum decursu refecto veteri Tiferno, huc postea se cives nomine adhuc translato, receperint? Conjicimus, cum Ughellus nimis sobriè id scripserit, quia ignoraverit. Dum tamen & ipse in diptyca horum Episcoporum scribit octavo loco *Stabilem Castello Felicitatis*, non debebat *Felicitatis* etymon incuriosus committere. Omittemus & nos? Ineptias nostras post tot alias, prodemus. Si verè hoc Castellum in Tuscia fuit conditum, conjici potest ab agri fertilitate *felicissimum*, ut Anonymus dixerat, fuisse vocatum. Etenim Livius *l.* 22. *c.* 3. scribit, quod *Regio erat in primis Italiæ fertilis, Etrusci campi, qui Fesulas inter, Arretiumque jacent, frumenti, ac pecoris, & omnium copia rerum opulenti*, & ideo ab Ortelio *in Theatri* tabula Tusciæ *fol.* 26. notantur *Etrusci campi feracissimi*. Sed cur mi Livi usque Aretium tantùm, & non ultra usque ad Tiberim adeo vicinum? Erat antiquitus ad Tiberis dexteram prope Tifernum *Villa Plinii* junioris, quam *lib.* 5. *Ep.* 6. adeò celebrat, & vocat nomine *Tusci* in numero majori, ut dubitari nequeat, fuisse in Tuscia cis Tiberim, ubi locantur ab Ortelio in laudata tabula, & in Isleana. Hos *Tuscos* suos per membra describit dicta Epistola, qua nulla prolixior. Sed qua amplificatione, qua laude? Illis nullus ager fertilior, nullus hortus fructuosior, nullum viridarium amœnius, nulla denique tellus in toto Orbe excultior, & feracior suis Tuscis. Et non proximus ager Castelli Felicitatis æquè felicissimus? Si postea Castellum sæculi VI. trans Tiberim, soli illius naturam nescientes, fecimus. In eodem tractu cis Tiberim erat CORTONA, ut nunc, dicta à Dionysio 1. p 34. opus, & *Urbs Umbrorum*, Pelasgis ideò, Tuscisque præexistens: attamen ex XII. Tuscorum apud Livium *l.* 9. *c.* 25. *Croton* antiquitus, sed variè scripta à Græcis. Nihil de ea Historici nostri ævi medii. Hactenus trans Clanem paludem degimus, ubi infra Cortonam *Perusia*, sed hanc ommittentes, quia ad Ducatum Romanum spectabat, ut præmonuimus Clanem trajicimus.

(103) Cis Clanem itaque declinantes ad austrum occurrit MONS ILCINUS Lexicographis: Mons Alcinus Blondo p. 310. M. Alcinoi Volaterrano p. 103. & Alberto p. 57. b. nudum nomen proferentibus: nec de eo mentio apud veteres, hinc medii ævi opus, & Episcopo ei dato à Pio II. *Montalcino* nunc popularibus loco dicto *ad Mensulas* diruto fortè substitutus. MALLIANUM, sive Manliana, quæ tertia nominis hujus in Tuscia, ut prædiximus num. 101. Dubitare non possumus, quin hæc sit ea descripta in tabula Theodosiana inter Umbronem, & Clanem *ad Mensulas* 18. *Manliana* 8. *ad Novas* 9. Item apud Anonymum pag. 222. ordine inverso *ad Novas*, *Maliana*, *Mensulas*, *Umbro* amnis &c. Hæc tria loca clarè, & distinctè apparent in Isleana inter Clanem ad ortum, & Umbronem ad Occasum: distant a mari, & à Telamone ferè 50. m. passuum. Nunc quomodo scribit Bodrandus *Manliana* Oppidum Hetruriæ Ptolemæo, „ & ex Itinerario Antonini, nunc *Magliano* Castrum ..... in maritimo tractu, à Telamone 7. mill. pass. in ortum æstivum „ *t.* Sanè hæc Manliana Bodrandi nequit esse illa Ptolemæi, longè altior, scribitur enim hoc modo: „ 3. 1. Biturgia, *Manliana*, Sena. „ Est ergo eadem, quæ in Theodosiana, dissita à mari, & a Telamone 50. milliaribus circiter. Neque est ea Itinerarii pag. 156. Simleri, sive in itinere *Roma Arelatem per Tusciam*, ibi enim sic loca notantur „ ad lacum *Aprilem*, Salebrone, *Manliana*, Populonia &c. „ quæ tria loca, sunt cis Umbronem, sicut est lacus *Aprilis*, corruptè scriptus, rectè *Prilis*, sive *Prelius* ex Cicerone apud Cellarium p. 718. Ergo hæc Manliana est cis Umbronem prope Populoniam, à qua 15. m. pass. in ortum, ut rectè in Isleana. Igitur alia Manliana Ptolemæi, alia Itinerarii, hæc circa mare cis Umbronem: illa longè à mari trans Umbronem, & eadem Manliana Ptolemæi, Theodosianæ, Anonymi, & Isleanæ inter Mesulas, & Novas. Et hic notandum non omnino obiter, duo esse loca in Tuscia *ad Novas* vocata, ut Anastasii locus clarescat. Unus est is prope Mensulas, & *Manlianam*, sive ad dexteram Clanis, 100. & ampliùs milliariis distans ab Urbe. Alter est *Novas*, de quo Anastasius *in Adriano* I. p. 185. b. hæc habet: *Audiens Hadrianus Papa, quod sic repentè ipse Francorum advenisset Rex* (Carolus) *in magno stupore, & extasi ductus, direxit in ejus occursum universos Judices ad ferè 30. millia ab hac Romana Urbe in locum, qui vocatur Novas, ubi eum cum bandora susceperunt*. Lepidus est hic Blondus *Hist. dec.* 2. *l.* 1. *p.* 157. dum non intellecto Anastasio loquente de distantia loci ad 30. millia passuum, putat fuisse 30000. Judices. Stupet de errore, & Anastasium non errantem ipse errans excusare nititur, dicendo, invenire illa ætate *eo nomine* (Judicum) *appellatos fuisse omnes, qui à fabrilibus vilioris exercitii opificiis temperantes, sive Magistratibus administrandis, sive contrahentium adstipulandis conventionibus, sive ipsi dicendo, interpretandove juri erant dediti*, quod falsum universim, & nondum 30000. nec tot occurrere potuerunt tunc Carolo. Hæc observavit primò Sigonius A. 774. notans, quod *ridendus est Blondi, Sabellici, & Platinæ error, qui* 30000. *judicum obviam prodiisse falsò ex Anastasio retulerunt: ac Judices non pro Magistratibus, sed pro hominibus paullo honestioribus acceperunt*. Is ergo locus Novas alter ab illo, extatque 2. *m. pass. citra Bracianum*, ut demonstrat Holstenius *in Cluverium pagg.* 36. & 46. Ad exitum Clanis CLUSIUM vetus desertum adhuc medio ævo ob aeris intemperiem, imo & antiquitus, nam Clusinos novos memorat Plinius 3. 5. distinguendos a veteribus, quicquid dicat Holstenius p. 75. ipsumque evincit Harduinus *emend.* 36. ad calcem *lib.* 3. *Plinii p.* 184. scribens, quod „ in fragmento Itinerarii „ Antonini itinere Tiberino, sive Ciminio, legitur, „ *Clusio vetere, olim Comersolo: Clusio novo, à quo* „ *dictus Clusentinus transitus Hannibalis*. De vetere „ Livius *l.* 10. *p.* 179. *Clusium quod Camarsolum appellabant*. „ Cæterum Urbs Tusca ex XII. juxta Livium *l.* 2. *c.* 5. ibi Porsena, ut in sua Regia sedente, & apud Dionysium 3. p. 233. MONS IPO vetus *Eba* Ptolemæi 3. 1. juxta Cluverium, quem sequimur cum Bodrando *in Eba*, quam alii Pitilianum contiguum Suanæ, alii Montem Maranum prope Saturniam interpretantur. Videatur Magini tab. 44. CASTRUM SANCTI PETRI, cujus fit mentio in actis mediæ ætatis, ut inquit Bodrandus h. V. secundo loco. Nunc sæpius dicitur *Radacofanum* in arduo monte positum. Desiderius in suo Edicto conditorem se jactat, sed ei refragatur Urspergensis p. 307. A. 1168. ut annotavimus num. 19. ACULA Ptolemæi 3. 1. Lexicographis *Acquapendente*. SATURNIA antiquissima, de qua veteres cum Dionysio 1. p. 34. invariati nominis semper, ut in Magini tab. 44. ita & Anonymo p. 221. Orlandus Malvoltus *Hist. Senæ p.* 60. Saturniam dicit evertam ab Authari Rege Langobardorum: inter loca Diœcesis Suanensis enumeratur ab Ughello *t.* 3. *col.* 313. SUANA Ptolemæo 3. 1. Suanenses 3. 5. Plinio, & sic semper; ut ex actis S. Gregorii VII. cujus patria. Ibi ad ortum LACUS VULSINIUS: *Bulsinis* Anonymo pag. 222. lacus *Bulsinensis* Jornandi *de reb. Get. c.* 59. in fine & ita aliis medii ævi, teste Bodrando h. V. in eo duæ Insulæ minor ad occasum dicta a proximo Bisento *Bisentina*, ut in Magini tab. 41. altera major ad ortum *Martana* vocata, quia è regione Martæ Oppidi in ripa australi, & ad emissorium amnis cognominis, qui adhuc amarissimè lacrymatur Regiam Viraginem *Amalasuntham* ibi jussu Theodati ingratissimi in balneo necatam ex Jornande *l. l.* & Procopio 1. 4. exeunte: hinc bellum Gothicum, Gothorumque excidium, juxta Anastasium *in Agapeto*. In ripa boreali lacus VULSINIUM Anonymo p. 222. *Bulsinis* Urbs Tusca ex XII. Livio l. 10. c. 26. & de ea omnes veteres Geographi, & Historici: plura Albertus p. 70. nunc *Boisena*. Supra ad boream URBEVETUM ut scribitur in Ludoviciana, ex captis A. 606. regnante Agilulfo, scribente Paulo 4. 33. quod *Civitates quoque Tusciæ, hoc est Balneum Regis, & Urbs vetus à Longobar-*

Digitized by Google

gobardis invasæ sunt. Arguit meritò Blondum, & Leonardum Aretinum Albertus p. 62. quod dixerint, hujus Urbis non extare memoriam mille ab annis retro, originemque ducere à Florentinis. Nomen *Urbis veteris* VI. sæculo eos evincit: magis, magisque si est *Herbanum* Plinii 3. 5. ut Viri docti opinantur. Dicta etiam *Oropitum* ab Antonino, *Urbevetanum* à Procopio 2. 20. in veteri codice, sed in nostro (C. H. t. 1.) Urbs vetus ibi descripta, & dicit Procopius, quod *veteres Urbem condiderunt* in situ inexpugnabili. Nec hæc viderunt Blondus, & Aretinus, neque Albertus Paulum observavit: *Orbitum* in Desiderii Edicto, sed putidè: *Orvieto* nunc. FERRENTI CASTRUM in eadem Ludoviciana, quod Ferentia, & Ferentonum veteribus: nunc *vicus Ferenti*, de quo satis Lexicographi *in Ferentia*, eversa XI. sæculo propter hæresim à Viterbiensibus, ejus Episcopo donatis, ut notat etiam Carolus à S. P. *in Geograph. sac. p. 47.* Ad occasum Lacus Vulsinii VISENTIUM, nunc etiam *Bisento*, sed locus antiquus ex inscriptione edita ab And. Fulvio apud Ortelium, & Lexicographos h. V. Ejusdem in ripa MONS FALISCI, hoc est Faliscorum, vulgo *M. Fiascone*, de quo Lexicographi in *Mons Physcon*. Blondus infra, & nos iterum *in Faleria* n. 107. FORANUM ex Edicto Desiderii refertur ab Ortelio, nihil Holstenio annotante. Infra MARTA amnis, & Oppidum, ut mox supra, ex Itinerario Antonini: Marta & nunc Magino tab. 41. CASTRUM, de quo nemo antiqui, vel medii ævi scripsit, quod sciamus. Ubi nunc *il Piano di Volci* supra *Saturniam* erant *Volsci* Urbs excisa. Ughellus *t. 1. col.* 618. putat, quod ex illius ruinis fuerit Castrum excitatum, nam Episcopus Volsciæ Castrum migravit: & hunc fuisse *Bernardum* subscriptum in charta Ottonis I. 964. Volsciæ meminit etiam Holstenius *in Cluverium* p. 40. Nihil de Castro sentit: observat apud S. Gregorium *Dial. l. 3. c. 17.* Quadragesimum Subdiaconum Ecclesiæ Vulcentinæ (corruptè Buxentinæ.) Ex his conjicimus, longè ante Ottonem Volsciam excissam, nam cum abesset à mari ad ripam dexteram *Floræ* amnis prope *pontem Abbatæ*, ut notat Holstenius, & videmus in Magini tabula 44. non poterant Saraceni, vel alii Barbari ævo Ottoniano illuc usque commodè appellere, & Volsciam excidere. Quare sumus cum Cluverio, Cellario, & Lexicographis in *Castrum*, & in *Statonia*, recens *Castrum* (excisum A. 1649.) esse veterem *Statoniam*, in cujus ruinis conditum, vel refectum Castrum ad Olpitam fluviolum in Floram se deferentem. TUSCANIA ad dexteram *Martæ* amnis, nunc *Toscanella*, cum agro suo. Hinc ortus error in exemplo Sigoniano *Marchæ Tuscanæ*, ut monuimus num. 98. Hic *Tuscanienses* Plinii 3. 5. & in Theodosiana *seg.* 3. inter Maternum, & Martam. Ita apud Cellarium p. 721. Blondum p. 310. Albertum p. 70. b. & in Magini tab. 41. Ibi limes in hac parte Tusciæ Ducalis. Sed inter Lacum Vulsinium, & Tiberim aliæ tres Urbes notantur ejusdem Ducatus, scilicet *Balneum Regis*, *Viterbium*, ut in Ludoviciana, & *Longula*, ut in Edicto Desiderii. De hac primò, quia ad Viterbii originem spectat. Igitur LONGULA (ut expurgetur à fabulis Edicti Desideriani, & Annii apud Albertum pagg. 76. & 77.) duplex: alia Volscorum in Latio, de qua Dionysius *l. 6. p.* 487. & Livius *l. 2. capp.* 18. & 20. nec facit ad rem: alia in Tuscia ad radices Montis Ciminii, qui nunc Mons Viterbii: Et de hac scribit idem Livius *l. 9. c. 26.* Patavii, quod *Dictator* (Papirius Cursor) . . . . . *profectus cum legionibus, ad terrorem traducti, silvam Ciminiam* (nunc nemus Viterbii) *exercitus nuper scriptis, ad Longulam pervenit*, exinde pugnatum, ut seq. capite: nec alibi scriptam Longulam hanc invenimus, nam Longulani Plinii 3. 5. erant in Latio. Qui plura, fabulasque cupit, adeat Albertum *l. l.* eas propugnantem, nos enim pudet illas exscribere. Piget hic adhuc repetere VITERBIUM plura enim de eo jam diximus num. 19. huc necessariò revocanda. Ut quid hic addamus, recolantur ex dictis, primò rectè sensisse Blondum, Viterbium Urbem esse novam, nimirum Opus Langobardorum, & probabiliter Regis Desiderii, & quidem ex vicis in unum redactum, mœnibus septam, turribus aliisque ædificiis ornatam. Ex vicis tunc fuerit unus, ubi antiquitus erat *Fanum Voltumnæ*, (sive Volturnæ juxta Antoninum) quod ibidem ad radices Ciminii erat, ut ex fragmento Antonini, quod Itinerario vulgato addidit Simserus post sua Scholia pag. 295. num. 5. ibi *lacu Elbii* (hoc est lacus Ciminius: lacus Vici, ad radices montis) *& jugis Ciminiis*: *Fano Volturnæ* &c de quo Livius laudatus d. num. 19. Ferrarius in Lex. V. *Voltumnæ Fanum* affirmat cum Annio ibi fuisse, sed alios velle *Missam* esse in ditione Senensi. Quinam hi? Qua ratione? Utique Ptolemæus 3. 1. in illis vicinis posuit *Fanum Feroniæ*, sed non Voltumnæ. Et si alterum Fanum Voltumnæ alibi, quid inde? quemadmodum plura huc, illucque Fana Feroniæ, ubi *Petra sancta* juxta Volaterranum 5. p. 91., & *Capenate* in agro: & ad Terracinam, & alibi. Sed alibi fortè Fanum Voltumnæ non assignabitur. Quare notæ illæ F. A. V. L. quas Viterbienses scribunt in parma rotunda juxta pecuniam in Edicto Desiderii aliud significare nequeunt, quam F. A. Fanum V. L. Voltumnæ, ut rectè interpretatur Dominicus Macrus in Appendice ad Lexicon edit. Patavii 1697. *in Viterbium*. Nullatenus enim, & nisi ineptissimè explicari possunt illæ notæ, ut apud Albertum p. 76. a. *Fanum*: *Arbanum*: *Vetulonia*: *Longula*. Ubi enim *Arbanum* unquam in rerum natura? Quomodo Vetulonia hic 100. & amplius milliariis distans, ut vidimus num. 101? Et quia id cæci vident, præterire non possumus futilem geminationem Alberti p. 31. b. & clarius p. 76. b. genere variante *Vetulonii* scilicet ad mare supra Populonium, & *Vetuloniæ* hic ad radices Ciminii, ubi Viterbium. Quid ineptius sine teste, sine ratione, sine conjectura? Affirmanti incumbit probatio. De cætero Fanum Voltumnæ verè, ut subjicit laudatus Macrus „ erectum erat in illo colle, in quo hodie „ visitur Ecclesia Monialium S. Augustini, quæ antiqui- „ tus nuncupabatur S. Maria *in Balturna*, mutando V „ in B juxta morem illius sæculi: unde vallis subja- „ cens hodie vocatur *Faul*. „ Hinc ratione moris etiam Anonymus p. 222. scribit *Beterbon*. Longulam adhuc, de qua supra, aliosque viculos inter Viterbii mœnia fuisse conclusos minimè dubitamus, & hoc Viterbium expurgatum à fabulis. BALNEUM REGIS in Ludoviciana, in Edicto, & Anonymo p. 222. Nec dubitandum, ita fuisse vocatum ab aliquo Rege non Langobardico, non à Desiderio, ut falsò dicitur in ejus Edicto, sed Gothico, & probabilissimè à Theoderico, qui ibi Balneum ad suum usum condiderit. Id (quia sine ullo teste) conjicimus ex Paulo 4. 33. de Agilulfo scribente, quod ejus jussu A. 605. *Civitates quoque Tusciæ, hoc est Balneum Regis, & Urbs vetus à Langobardis invasæ sunt*. Et hic primo animadvertimus, jam tunc longè ante Desiderium vocatum *Balneum Regis*; si enim aliud nomen tunc habuisset, eo vocasset: præsertim cum in Edicto dicatur, quod prius appellaretur *Roda*, ut innuunt omnes sentientes cum Alberto p. 71. b. Secundo observamus has duas Urbes fuisse vicinas, ut ideo *Balneum Regis* idem sit ac BALNEAREA (Italicè Bagnarea, sive Bagnaregia) 6. m. pass. ab Urbe veteri in austrum, & 13. à Viterbio in boream, ut in Magini tab. 44. quod rectè prius noverat Blondus p. 310. scribens: *arduo in colle Mons Faliscorum, corruptè dictus Mons Flasconus* (6. m. pass. à Balnearea in austrum) *interiusque arduis item in collibus, Paliæ amni vicinis, Civitates sunt, hinc Balneum Regium* (& ibi Balnearea) *inde Urbs vetus*. Hinc malè Albertus p. 71. b. subdit, quod Balneum Regis sit Novem Pagi Plinii 3. 5. Pejus Volaterranus p. 104. scribens *Decem Pagi*: nec id putare debebant Ortelius *in Novem Pagi*, Ferrarius, & Bodrandus *in Balneo-Regium*: certum enim est Novem pagos fuisse ad superiorem partem *Minionis* amnis, trans Martam, ut rectè existimat Holstenius in *Cluv. p.* 47. & notatur in Isleana, & ubi nunc *Ortolum* de quo infra num. 106. Ita clarè colligitur ex ordine Plinii dum scribit *Novem Pagi Præfectura Claudia, Foro Clodii*, una simul, quia Præfectura Claudia dividebatur in IX. Pagos: neque Forum Claudii erat Municipium, vel Colonia, sed *Nomos* Græcis, & ut in Ægypto, quod satis notum. Igitur Balneoregium, & Balnearea idem omninò, & quæ major nominum affinitas? Explicare hæc oportuit, aliter semel concesso Balneum Regis esse Novem Pagos (quia hi trans Martam) exturbarentur fines Tusciæ Ducalis ab ortu jam ad Martam supra statuti. Ne, quando Tusciæ Romanæ, & Campaniæ continuandus erit sermo, Tusciæ fluminibus interloquamur, ea breviter hic subnectimus. Horum aliqua vetus servant nomen, ut *Macra*, *Cecina*, *Umbro*, *Marta*, non rectè *Ossa* Ortelio h. V. *Minio* (Mignone) aliqua à medio ævo illud immutarunt, ut AUSER dictus *Serchi* (Serchio hodie) in Charta Hugonis, & Lotharii Regum A. 932. apud Puccinell. *Chron. Florent. p.* 185. Ita & juxta Chronica Pisana col. 188. CORNIA abest à Lexicis, sed de illa Albertus p. 32. ALBANIA olim *Almiana* Bodrando h. V. nunc *Albegna*, non confundenda cum *Alma* fluviolo, qui in mare decurrit, ut in Isleana: è contra in Umbronem defertur juxta Bodrandum in *Alma*. MISIO cujus positio nos docet esse Floram, de qua Albertus p. 34. Maginus in Tabula 44. cui clarè astipulatur Holstenius p. 34. de Olpita amne scribens: *profluit Olpita ex Stationensi Lacu* (nunc di Mezzano) *& paulo infra Civitatem Castri* (olim Stationæ) *cum Flore confluit*. Bodrandus in Indice Italico V. *Fiore* vertit *Ossa*, sed in corpore deest, neque Ossa dici potest, qui ut in Lexico Ferrarii, adhuc malè dicitur *Fiore*; licet sequi laudatos, quia nemo ex antiquis, quod sciamus, meminit Ossæ. ERIS Plinio 3. 5. *Cæretanus*, ut rectè Albertus p. 35. b. scribit, Lexicographis annuentibus. ARO eisdem *Laros*, rectè *l'Arone*, nam & Holstenius in *Cluv.* p. 36. habet *Aronem*

Digitized by Google

nem profluentem ex Lacu Sabatino nunc di *Bracciano*.

(104) Seorsum hucusque PERUSIÆ DUCATUM reliquimus, tum quia conspicitur positus inter Urbes Tusciæ Ducalis, scilicet inter *Cortonam* à borea, & *Urbem veterem* ab austro, quas ad Tusciam Ducalem spectasse vidimus; tum quia in Ludoviciana enumeratur Perusia inter Urbes quidem Tusciæ, non *Langobardorum*, sed Romanæ, sive Ducatus Romani: Ludovicus enim tribuit, firmatque Paschali *in Tusciæ partibus* etiam *Perusium cum tribus Insulis suis, idest majorem, & minorem Pulvensem, & Lacum*. Hac ideo ratione inter jam descriptam Tusciam Langobardorum, & Romanam describendam, Ducatum Perusiæ locatum nunc describere aggredimur, juxta ævi medii ejus statum dumtaxat, & sanè infeliciter, quia penitus destituti Perusinis Scriptoribus, præsertim Pompejo *Pellinio* ejus Annalium auctore, & Historia Perusiæ adhuc fortè anecdota Joh. Bapt. *Lauri* Viri admodum docti, ut ejus ex Epistolis novimus. Missis igitur, quæ de Perusia produnt Historia Romana, maximè Livii, & Gothica Procopii *lib.* 3. *capp.* 12. 25. & 35. ubi legitur quomodo fuerit primò à Totila per Cyprianum frustra tentata, mox per 7. ferè annos durè obsessa, denique capta circa A. 547., ut etiam narrat S. Gregorius *Dialog. l.* 3. *c.* 13. in passione S. Herculani illius Episcopi tunc decorticati, reliquis afflictis Civibus, Urbe direpta, non tamen eversa. Nam sub Langobardorum adventum eam non legimus ab Alboino tentatam. Attamen non diu post in eorum ditionem invenimus redactam, at quando difficilè nobis est definire. Sigonius sub A. 579 Interregno durante (Cl. Fontanino *Antiquit. Hortæ p.* 275. annuente) censet captam Perusiam à Ducibus, qui statim Romam pergentes, & hanc obsederunt. Verum quia eodem anno dicit, occubuisse Benedictum I. qui sederat ab A. 575. ad 79. quod falsum, sedit enim ab 573. ad 77. non eo anno Urbs fuit obsessa, sed A. 577. si Pontifex mœrore obsidionis occubuit. Igitur & eodem A. 577. capta Perusia, & Roma obsessa. Hæc contigisse ante tempus statutum à Sigonio, collaudante Fontanino, testis coævus est Menander Protector Historicus Byzantinus, & continuator Agathiæ (de quo Suidas *in Menander* col. 583.) qui *Hist. Byzant. t.* 1. *p.* 124. ita scribit. *Circa quartum Imperii Tiberii Constantini annum* (ab A. 574. quo dictus Cæsar, & socius Justini) *Cæsar misit in Italiam magnam auri quantitatem, usque ad* 130. *pondo, quæ Pamphronius nomine, dignitate Patricius à seniori Roma ad Imperatorem attulerat. Is tunc ad Regiam venerat, ut precibus à Cæsare impetraret, ut Italiam à Langobardorum excursionibus oppressam in libertatem vindicaret. Cæsar verò, cui omnia præ bello Persico nullius momenti erant, quippe qui totus in illud incumberet, exercitum mittere non potuit, neque bellum in Oriente, & in Occidente simul sibi gerendum statuit. Sed pecunias dedit Pamphronio, quibus, si qua posset aliquos Langobardorum persuaderet ad Romanos transire, una cum eorum exercitu, & Italiam minimè turbare. Si Langobardi renuerent, ut verisimile erat, bellatum foris ire, Francorum Ducum aliquos mercede sibi socios adjungeret: & hac ratione Langobardorum potentiam labefactaret, & infringeret*. Hæc omnia negligit Paulus, qui *l.* 2. *c.* 10. vix dicit, quod Langobardi Italiam invaserunt: & turpiter hic sub eodem tempore conjungit mortem Clotarii (I.) Francorum Regis A. 561. divisionem Regni inter IV. ejus filios post quadriennium, & Benedicti inaugurationem d. A. 573. Pergit Alboini gesta narrando, quando tempore illius mortis, & divisionis nondum Italiam intraverat. Sumpsit ea Paulus ex Anastasio *in Benedicto* p. 133. b. (rectius ex Scriptore Vitæ Benedicti, antiquiore Paulo) confundens invasionem Italiæ per Duces, Benedicto sedente, cum illorum ingressu, sed neque rectè. Quamvis postea ex Anastasio *l. l.* Langobardicam invasionem vix in genere percipiamus, quia tamen hæc contigit Interregno durante & Benedicto sedente, conjici potest, tunc captam quoque Perusiam, vel sponte deditam, ut tot alia loca te, summa cogente fame, dediderant. Conjecturam auget non legi, Autharim quid in Tuscia gessisse. Non percepit Baronius S. Gregorii *Ep.* 32. *l.* 2. *indict.* 10. in qua memoratur quidam Dux Langobardus, nomine *Arnulphus*, quem Paulo Diac. prorsus ignotum, & Tusciæ præpositum existimat Vir Emin. A. 592. n. 1. ea fortè ratione, quod ille pergentes proximam Romam occidebat, eidemque Romæ semper erat intensus. Immorari hic oportet, explicando, *Arnulphum* hunc, qui a Baronio *d. Ep.* 32. dicitur *Dux Langobardorum in Tuscia, de quo altum silentium apud Paulum*, non esse Ducem Tusciæ, sed Ducem Spoleti in Tuscia bellum gerentem; eundemque illum de quo Paulus 4. 17. ita scribit: *Sequenti A.* (603.) *Ariulfus Dux, qui Faroaldo apud Spoletum successerat moritur*. Gentilis erat: Reliqua notatu digna legantur. Is idem, de quo idem Baronius A. 598. n. 3. hæc habet: *Verum non sicut Agilulfus Rex, juravit Arnulphus* (NB) *Dux Spoleti, sed dolosè visus est agere, qui ad pacem præstandam invitus accessit*: & ut expressius in *S. Gregorii Ep.* 102. *l.* 7. *indict.* 2. Idem ille, qui apud eundem Baronium A. 603. num. 28. parato exercitu Urbis molitur excidium, ut ex S. Greg. *Epp.* 21. & 22. *l.* 12. *indict.* 7. Sed quia occubuit, ut supra, facinus infectum remansit. Non rectè ergo distinxit Em. V. Arnulphum S. Gregorii ad Ariulfo Pauli. Sed quomodo is Arnulphus dicitur *d. Ep.* 32. *l.* 2. *exercitum Auctoritb, & Nordulphi habens &c.* (idest Autharis, ut notatur in margine) si indictione 10. jam defuncto Authari, & regnante Agilulfo necnon Exarcho *Romano*, ut in Epistola dicitur, Annus 592. verè currebat? Citra omne dubium Agilulfus Perusiam tenebat. Clarè ostendit hoc Paulus 4. 8. scribens, quod „ *Romanus* Patricius, & Exarchus Ravennæ Romam properavit. Qui „ dum Ravennam revertitur, „ *recepit* Civitates, quæ à Langobardis tenebantur, „ quarum ista sunt nomina Sutrium, Polimartium, „ Horta, Tudertum, Ameria, *Perusia*, Luceolis, & „ alias quasdam Civitates. Quod factum cum Regi „ Agilulfo nuntiatum esset, statim Ticino egressus cum „ valido exercitu *Civitatem Perusium* petiit, ibique per „ dies aliquot *Maurisionem Ducem Langobardorum*, qui „ se Romanorum partibus tradiderat, obsedit, & sine „ mora captum, vita privavit „: Et hæc A. 593. contigere. Post scripta editione Benedictinorum recognita (non enim hæc est apud nos) ibi quoque videmus *Ep.* 46. *l.* 2. scribi, & retineri *Authari*, annotantibus Monachis ita legi in Codd. MSS. non tamen Autharim Regem hunc esse superiori anno defunctum, sed Ducem stipendiarium, ut & *Nordulphum*. Utique rectè, verum Codd. editi, habent *Auctoritb*, & alii *Anctoritb*, ut in suo legit Campellus p. 332. & *KK. lib.* 11. Alterutra sanè est vera lectio, secus Authari: Perusiam revertamur. Recepta sic ergo à Langobardis Perusia, & quandiu in ipsorum potestate permansit? Per annos plus minus 134. juxta Sigonium, qui sub A. 727. scribit, Romam cum suo Ducatu, hujusque Urbibus Tusciæ, & Campaniæ Pontifici se dedidisse ob hæresim Leonis (III. Cononis) & Urbes enumerans, Perusiam etiam commemorat. Unde V. doctus id sumpserit ignoramus; quoniam & Paulus Leonis impietatem enarrans 6. 49., & *ad Eutropium* in fine, & Anastasius *in Gregorio* II. tumultum hinc exortum fusius exponens, deditionem Urbium prætereunt: quin imo S. Pontifex deditioni obstasse summa prudentia videtur. Verùm, ut ut sit de aliis, Perusiam ex deditiis tunc fuisse probare nec possumus, neque negare. Nihilominus certum est, aliquando Perusiam restitutam fuisse Romanis, & quidem, ut conjicimus à Liutprando, S. Pontifice Gregorio II. petente, quando Sutrium dudum captum Rex restitui mandavit A. 728. ut Paulus 6. 49. *de Sutrio* regessit. Quod si Pauli nobis opponatur silentium, quærimus & quandonam post Agilulfum Perusia restituta Romanis? Pax quidem inita fuit A. 598. ut supra vidimus ex Epistolis, & conatibus S. Gregorii. Hujus VII. Epistolæ extant ad eandem pacem spectantes: redditam fuisse Perusiam nullibi legimus, servatam quidem à Langobardis, ut *Ep.* 31. *l.* 4. A. 595. innuit. Contra conjecturam nostram sustinent restitutio Sutrii: obsidio Romæ cœpta à Liutprando, & nutu S. Gregorii II. deserta: regia munera ab illo S. Petro oblata, aliaque id genus obsequia S. Pontifici ab eo præstita, quæ prodit Anastasius p. 157. b. Verùm adhuc in hypothesi Sigonii dicendum est, quod A. 727. Perusia esset Romanorum, si à Leonis imperio se cum aliis Urbibus Tusciæ, & Campaniæ subtraxit, vel se subtrahere cogitavit. Si enim Liutprando tunc fuisset obnoxia, non poterat propter hæresim Leonis à Liutprando recedere. Igitur restituta ab alio Rege prædecessore, qui assignari non potest. Utique ergo probabile videtur, fuisse restitutam Gregorio II. sedente. At quomodo, si tunc potius in Leonem Rex indignatus, quamplurimas Urbes Æmiliæ cum Bononia, Pentapolim cum Auximo, Sutrium *&c.* Exarcho, ac Imperio subtraxit, ut narrat Paulus 6. 49.? Sed jam diximus restitutam paulò post cum Sutrio. Namque negari nequit, Perusiam, post captam Bononiam, fuisse juris Reipublicæ, etenim triennio post, circa A. 730. Romani *habentes in capite Agathonem Perusinorum Ducem*, ut ait Paulus 6. 54. in fine, *venerunt ut Bononiam comprehenderent*, sed infelici eventu. Neque legimus à Liutprando fuisse Romanis ereptam quoad ipse regnavit: quoniam quinquennio post illius mortem, hoc est A. 749. Rachisius illam obsederat, & cepisset, nisi Zacharias sua sanctitate & divina eloquentia animum Regis sedasset, ut produnt Scriptores omnes præ cæteris Continuator Pauli Diaconi in fragmento *Langobar. Hist. p.* 183. a. (C. H. t. 1. part. 2.) hæc scribens de Rachisio: „ Cum per plura Romanorum Oppida devastando decurreret, *Perusinam Civitatem* circumdans „ for-

Digitized by Google

„ fortiter expugnabat: atque SS. Zacharias Papa spe „ divina fretus ad eandem Civitatem perrexit, impen- „ sisque eidem Regi plurimis muneribus, opitulante „ Domino, ab oppressione ipsius Civitatis eum amo- „ vit. Quem & salutiferè prædicans, Deo auctore, „ valuit animum ejus spiritali studio inclinare. Post „ aliquantos verò dies isdem Ratchis Rex relinquens „ regalem dignitatem devotè cum Uxore, & filiis ad „ B. Petri Principis Apostolorum limina venit, accep- „ taque à præfato SS. Papa oratione, Clericusque effe- „ ctus, cum Uxore, & filiis monachico indutus est ha- „ bitu. „ Eadem & plura habet Anonymus, ex Pontificali Romano, hoc est Anastasio *in Zacharia* p. 164. b. præfixus *Historiæ Langobardor.* Camilli Peregrinii. Anonymus item Scriptor Vitæ Sancti Anselmi Nonantulani. Fusiùs Leo Ost. *in Chron.* 1.8. Sigebertus exactior in tempore A 749. in quo peccant recentiores alii cum Baronio A. 750. num. 2. Nec omnino improbandus est Sigonius, qui rectè obsidionem, & conversionem Regis A. 749. consignat, ejusque verò ad Casinum accessum cum Uxore *Tbæsia*, & filia *Ratruda* A. sequenti. Remansit itaque restituta à Liutprando Perusia Reipublicæ Romanæ quo ad fuit per Francos Reges perpetuò Ecclesiæ cum reliquis attributa. Hæc facies Perusiæ ævi medii, quam licèt satis develatam nihil perspectam habuerunt suo more Blondus, Volaterranus, Albertus, qui à p. 66. consuetas sibi cantat fabellas. Chorographicè exinde eadem expensa, quomodo Perusia juxta Paulum 2. 16. unquam in Umbria? Transeat Umbriæ nomen suppressum adhuc eo tempore; si Clusium novum, si Cortona cum agro suo Urbes magis ab boream, viciniores- que Apennino, in Tuscia, eccur non potiori ratione Perusia infra illas ad austrum locata? Cis Tiberim item semper in Tuscia: hinc & ut ipsam (sicut cæteras con- principes diximus) fuisse ex XII. ostendamus, præsto est Appianus *Bell. Civil. l. 5. p.* 408. qui narrata ejus ha- losi per Cæsarem, plenissimoque incendio per Cestium Civem ejus patrato, subnectit: *Hic finis fuit Perusiæ, Urbis antiquitate inclytæ: ajunt enim unam è XII. priscis Etruscorum Urbibus fuisse post recentem eorum adventum in Italiam conditis: quamobrem Etrusco more Junonem colebant. Tunc autem quotquot diviserunt inter se Urbis reliquias, Vulcanum vice Junonis tutelare numen sibi optaverunt.* Utique ex XII. quod prius dixerat Livius *l. 9. c. 25.* & *l. 10. c. 2.* sed an ex conditis etiam per Tuscos, incertum, scribente Justino *lib. 20 c. 1.* quod *Perusini quoque originem ab Achæis ducunt:* ideoque Appianus dicens *ajunt*, non omninò asseverat. Si præhabita ratiocinia nostra probantur, certum est, Ducatum Perusiæ Langobardorum potius fuisse, quam Romanorum, namque diutius ab Agilulfo ad Liutprandum fuit Regibus obnoxius, quam Exarcho. Remanet tandem ejusdem fines decernere, quos natura magis quam jus constituerit. Lexicographi in *Perusinus ager*, natura duce, ab *occasu* paludem Clanem, & supra agrum Cortonensem, ab *ortu* Tiberim statuunt: verùm à *borea* remotè nimis Umbriam scribunt, si enim proximior ager Cortonensis, qui in Tuscia, cur Umbria? Quare *Niconem* amnem, disterminantem agros Cortonensem, & Civitatis Castelli à Perusino, & in Tiberim excurrentem naturaliùs stabilimus. Ab austro dubitari nequit, quin fuerit, ut nunc, ager Urbeveranus. Sed an hi agri dividerentur antiquitus per *Nestorem* amnem, vel per *Fersenonem* fluviolum australiorem quis definire potest? Magino in sua tabula 38. *Ferseno* probatur, nobis Nestor, qui major. Alia Oppida hujus Ducatus non omnino obscura, & antiqua defectu spatii ommittimus. Vix LACUS TRASIMENUS pingi potuit adeò celebris Historicis, & Poetis apud Cellarium p. 724. In laudata Magini tabula pingitur clarè cum tribus Insulis in Ludoviciana enunciatis. Quærimus ab Eruditis Arcadibus cur is lacus dicatur *Clitorius* a Paulo 2. 16. Id nomen sanè Græcum Urbis, & fontis in Arcadia. *Clitor*, & *Pheneus* &c. Urbes dirutæ ætate Strabonis *l. 8. p. 770.* Vetruvius *l. 8. c. 3.* hæc scribit: *in Arcadia Civitas est non ignota Clitor, in cujus agro est spelunca profluens aquæ, quam qui biberint, sunt abstemii.* Idem Ovidius *Metamorph. l. 15. v.* 322. Plinio 9. 19. est Clitorius amnis: & 31. 11. annuit Vetruvio. Cur & à quo id nomen ad Perusinum lacum translatum? Neminem præter Paulum invenimus eo nomine utentem. Hactenus de Ducatu Perusiæ inter agri sui fines contento. At Ducis ne jurisdictio ultra hos fines aliquando protracta, ut non modo Dux Urbanus, verum & Provincialis cum imperio alias in Urbes adhuc fuerit? Cl. Fontaninus *Antiq. Hortæ p.* 275. Papebrochium insimulat, quia dixerit *tom. 2. Maji p.* 154. *num.* 4. usque Hortam terminos Ducatus hujus protensos. Eccur non? Quæ Fontaninus præmiserat non *falsum Papebrochium*, sed optimum conjectorem ostendunt. Præmisit cum Sigonio, Duces Langobardos A. 579. (rectius 577.) subegisse Perusiam, Hortam &c. Exarchum easdem recepisse A. 593. Igitur in potestate Langobardorum per AA. saltem 14. hæ fuerunt. Quid obstat quin Horta fuerit Perusiæ aggregata adhuc cum interpositis locis? Horta exinde ab Exarcho recepta: itemque Perusia ab Agilulfo iterum capta utique tunc non amplius Horta Perusiæ subjecta: sed an huic unita fuerit Urbs altera, incertum.

SECTIO XX.

(105) *Romani Ducatus*, & Urbis effigies sub Exarcho Longino: An Præfectus Urbi abrogatus: An tunc Consulatus: Senatus nomine tenus: quando restitutus. (106) Pars Ducatus in Tuscia: Hujus fines, & Urbes: De *Centumcellis* error explosus: *Leopolis* ubi: Hac deserta Civitatis veteris nomen illis factum: Prisci *Tarquinii* observati. (107) Reliquæ Urbes Tusciæ Romanæ Tiberi adjacentes: *Horta*: *Castellum Gallesii*: An *Falari*, & Falisci diversi: Civitas *Colorum*, & Civitas *Sertiniana* quæruntur. (108) *Vaticanum*, sive pars Urbis in Tuscia: Ibi Urbs *Leonina*: Pars *Ducatus Romani* trans Tiberim in Campania, hujus fines. (109) *Campaniæ Romanæ* Urbes, & loca: *Ostia Gregoriopolis* dicta: *Horrea* quæ & ubi: *Patricum* Ludovicianæ ibi: *Albanorum Oppidum*: Charta Bobiensis, in qua feudi mentio, expensa: Subaugusta olim ubi. (110) Ducatus ejusdem pars in Sabinia: Hujus fines: *Fidena* an gemina: Exigua pars Umbriæ eidem Ducatui attributa: hujus fines: Flumina Ducatus Romani trans Tiberim.

(105) TErtia pars Tusciæ Romana fuit dicta, quia ad Romanum cis Tiberim spectabat Ducatum, quem postea trans Tiberim partes aliæ Campaniæ, Sabiniæ, & Umbriæ integrabant, ut infra explicabimus. Almam Urbem à Barbaris V. & VI. sæculo oppressam, ac à primæva gloria, summoque culmine lapsam, Longinus Græcorum primus Exarchus, aliter Italia ordinata, in Ducatus formam redegit, ut Blondus *Hist. dec.* 1. *l.* 8. sub initium ostendit. Attamen ille nihil, nec ejus successores Urbis antiquo nomini consulere cogitarunt. Equidem speciali Dei providentia decreta Roma Christi Pontificum sedes, ut nedum semper esset veræ fidei petra inconcussa, verum & per eosdem instaurata (ut millies ex Anastasio, Blondo in *Roma instaurata* per totum, centumque aliis Scriptoribus) Urbs foret æterna. Nova itaque oeconomia, adhuc priscis Magistratuum nominibus per Longinum suppressis, nec non unicuique Urbi sub Ducis nomine Præfecto assignato, turpiter idem Dominam gentium, sedemque Summi Pastoris *parem faciens Urbem Romam aliis Italiæ vel Urbibus, vel Oppidis* (pergit Blondus *d. l.* 8. *p.* 102.) *hac una in re illam honoravit, quod impositum tunc Magistratum Præsidem appellavit: sed qui successerunt sunt appellati Duces, ut postea per multos annos sic Romanus appellaretur Ducatus sicut Narniensis, Spoletanusque est dictus. Neque post Basilium, qui cum Narsete Consul fuit, vel Consules Roma habuit, vel Senatum legitimè coactum, sed à Duce Græculo homine, quem Exarchus ex Ravenna mittebat, res Romana per multa tempora administrata est.* Hæc ævi medii quidem Urbis effigies, sed archetypo non undique similis. Etenim primò quod *impositum tunc Magistratum Præsidem appellavit* Blondus gratis affirmat, non enim Longinus Præfectum Urbi abrogavit, teste Paulo Diacono, ut dicitur in *V. S. Gregorii M.* sub initium (apud Henr. Canisium t. 6. à p. 461.) ubi dicitur, quod S. Pontifex *sub Prætoris Urbani habitu mundo, specie tenus, deserviret*, sexennio post Longini adventum, scilicet A. 573. ut & ipse de se testatur *Ep. 2. lib.* 3. idemque S. Gregorius in eadem Præfectura successorem habuit quemdam *Gratianum*, nam futurus Pontifex *cognovit suas literas* (hoc est Imperiale rescriptum Mauritii pro sua consecratione) *à Germano Præfecto Urbis interceptas fuisse*, ut subjicit Paulus p. 464. Scribit idem S. Pontifex *Ep.* 8. *l.* 8. Johanni Urbis Præfecto, & alibi aliis Expræfectis Quertino, Libertino, Maurilioni, & Gregorio. Dux ergo Urbi præpositus tantùm à principio pro regimine politico fuerit, & pro civili continuatus Præfectus Urbanus, cum jurisdictione in toto Ducatu, sicut antiquitus intra centesimum ab Urbe lapidem ab ævo Augusti, ut satis vulgatum. Ducem postea non *Exarchus ex Ravenna mittebat* Romam juxta Blondum, sed probabilius Imperator ab Urbe Regia, sive Constantinopoli, ut sentit Ant. Massa *de Orig. Faliscor. p.* 29. b. idque, ut censemus, ratione dignitatis personæ missæ, nam erat *Marinus Imperialis Spatharius* (σωματοφύλαξ Imperialis corporis custos) *qui Romanum Ducatum tenebat, à Regia missus Urbe*, sicut scribit Anastasius in *Gregorio II.* p. 156. a. qui item in *Zacharia* sub initium scribit Liutprandum Regem petere Trasimundum Spoleti Ducem rebellem suum, & profugum apud Romanos *à Stephano Patricio & Duce, vel*

ab

Digitized by Google

ab omni exercitu Romano, cui idem præerat. Cubicularius Imperatoris erat *Paulus* ille cognomento *Asiarta* à quo tot Cives Romani & relegati, & in carcerem conjecti jussu fortè Copronymi, sed ab Adriano statim electo liberati, ut apud Anastasium p. 179. b. Misimus antiquiores nullo charactere insignitos *Christophorum* Ducem Romæ sub Justiniano II. & *Petrum* illi suffectum à Philippico, sed à Romanis rejectum, quia eum miserat Cæsar hæreticus apud eundem in *Constantino p.* 153. b. Sanè tunc Consules Roma non habuit, non tamen inficiente Longino, sed Justiniano jam ab A. absoluto 534. quo ipse Cos. IV. cum *Fl. Decio Theodoro Paulino juniori* (juxta fastos Relandi) qui ultimus occidentalium Consulum fuit, impediente bello Gothico cœpto A. sequenti 535. Porrò *Fl. Basilius junior* Cos. quidem A. 541. ultimus quoque in Oriente ex privatis, sed sine Collega, non cum *Narsete*, qui nunquam Cos. in fastis apparet. Junior is dicitur respectu senioris *Basilii Importuni* Cos. A. 509. Senatum tandem rectius dixisset Blondus nomine tenus relictum, *non legitimè coactum*, viguit enim semper ejus nomen & sub Exarchis, & sub Francis. Sub illis apud Sanctum Gregorium *Ep.* 1. *lib.* 11. *ind.* 6. hoc est A. 603. narrat enim, quod *venit icona Focæ, & Leontiæ Augustorum* (Cpoli) *Romam* 7. *cal. Maji, & acclamatum est eis in Lateranis, in Basilica Julii ab omni Clero, Senatu: Exaudi Christe, Focæ Augusto, & Leontiæ Augustæ vita. Tunc jussit ipsam iconam Dominus Beatissimus, & Apostolicus Gregorius Papa reponi in Oratorio S. Cæsarei Martyris intra Palatium*. Cùm porrò esset de more deferri Augustorum imagines (Scripp. medii ævi *Icona*) Romam, quoties illæ delatæ toties acclamatio Senatus. Inscribitur Stephani III. *Ep.* 36. Cod. Carol. *Pippino* (seniori) *Regi Francorum omnis Senatus, atque universa Populi generalitas servatæ Romanæ Urbis*. Sub Francis *Senatus, Populusque Romanus* ingenti cum gaudio it obviam Leoni III. post tot ærumnas Romam regredienti apud Anastasium *pag.* 198. b. penès quem etiam in *Sergio II. p.* 229. a. peracta ab eo coronatione Italiæ Regis Ludovici II. A. 844. Senatus, Populusque Romanus veneratus est S. Pontificem. Nomine tenus tamen diximus Senatum, non re, non officio: Senatum namque cum potestate, ut ferebant tempora, Populum Romanum instaurasse invenimus A. 1143. Conrado III. imperante, ut scribit Otto Frisingensis æqualis *Chron. lib.* 7. *cap.* 27. ibi: „ Romanus Pontifex Innocentius (II.) qui jam per multum „ temporis Tiburtinos excommunicaverat, ac aliis mo„ dis presserat, coangustatos ad deditionem acceptis „ obsidibus, ac jure jurando interposito, coegit. Po„ pulus verò Romanus volens, ut eos per obsides, „ & sacramentum ad durissima præcepta, idest, ut „ muris ruptis, omnes Provincia cederent, cogeret; „ dum nobilissimus, ac liberalissimus Sacerdos tam ir„ rationabili, & inhumanæ petitioni annuere nollet, „ seditionem *iidem Romani* movent, ac in ipso im„ petu in Capitolio convenientes, *antiquam Urbis di„ gnitatem renovare* cupientes, *Ordinem Senatorum*, „ qui jam per multa curricula temporum (per AA. „ 576.) deperierat, *constituunt*: & rursum cum Ti„ burtinis bellum innovant. Causa verò tantæ imma„ nitatis fuit, quod in priori anno (1142.) dum cum „ Pontifice suo in obsidione præfatæ Civitatis mora„ rentur, civibus egressis, & cum ipsis manum con„ serentibus, multis amissis spoliis, turpiter in fugam „ conversi sunt. Idcirco nulla, nisi quam diximus, „ conventione usque hodie se posse placare asserunt. „ Verùm sapientissimus Antistes prævidens, ne fortè „ Ecclesia Dei, quæ per multos annos sæcularem Ur„ bis honorem à Constantino sibi traditum potentissi„ mè habuit, hac occasione quandoque perderet, „ multis modis tam minis, quam muneribus, ne ad „ effectum res procedat, impedire conatur. Sed in„ valescente populo, dum proficere non posset, lecto „ cubans, juxta quosdam, de futuris visione sibi mon„ strata, in pace quievit „ (d. A. 1143. & certissimè die 24. Septembris, aliis variantibus.) Ita & Cardinalis Aragonius in fine actorum ejusdem Innocentii pag. 436. b. *Circa finem verò sui Pontificatus Populus Romanus novitatis amator sub velamento utilitatis Reipublicæ contra ipsius voluntatem in Capitolium Senatum erexit..... Defunctus est Romæ* 8. *Kalend. Octobris*. Hic sistimus, quia nimis ab ævo medio exorbitavimus. Scire cupiens Senatus hujus formam, de qua nihil in actis nostris Summorum Pontificum, quibus is gravis fuit usque ad Innocentium III. adeat Dufrenium *Gloss. V. Senatus dignitas suprema*, ubi præcipuè Rogeri Hovedeni Annalistæ Angli hæc recitat: *Cives Romani elegerunt LVI. Senatores, & constituerunt eos super se. Prius enim habebant unum solum Senatorem, qui cognominatus est Benedictus, carus homo, qui regnavit super eos* 2. *annis: & deinde habuerunt alium Senatorem, qui vocatus est Joannes Capuche, qui similiter regnavit super eos aliis* 2. *annis: in quorum temporibus melius regebatur Roma, quam nunc temporibus LVI. Senatorum*. Ad hunc Benedictum referri putat inscriptio apud Gruterum p. 160. num. 5. *Benedictus almæ Urbis summus Senator restauravit hunc pontem* (Cestii) *ferè dirutum*. Et Gruterus, & Joh. Georg. Grævius, qui illius Inscriptiones cum suis annotationibus iterum 4. tomis edidit Amstelæd. 1707. d. *Benedicti* inscriptionem omni prorsus chronica nota destitutam relinquunt. Nobis videtur ab institutione A. 1143. Senatores fuisse LVI. licèt Hovedenus scribat, *prius enim habebant unum solum Senatorem* &c. Sic censemus, siquidem in *Innocentio III.* (C. H. t. 3. p. 487.) hæc habentur: *Et quoniam status Romanæ Ecclesiæ pessimus erat, pro eo quod à tempore Benedicti Cariscum* (quid hic Cariscum? *cari hominis* juxta Hovedenum, vel *Carissimi* juxta lectionem Dufrenii *l. l.* sed seq. pag.) *Senatum Urbis perdiderat, subtraxerat illi maritimam, & Sabiniam, suos Justiciarios in illis constituens*. Hac in re tempora conciliare nescimus: nam si Otto Frisingensis restaurationem Senatus tot circumstantiis vallatam ætate sua (hoc est A. 1143.) contigisse scribit, quomodo Hovedenus in A. 1194. eandem differt? Quamquam enim ex ejus verbis recitatis à Dufrenio tempus non innotescat, tamen proximè præcedentia pag. 746. (inter Scripp. Rer. Anglic.) electionem LVI. Senatorum collocat sub tempore, quo obiere Rogerus Tancredi senioris Rex Siciliæ, & Tancredus junior, cui successit VVillelmus III. hujus filius, & quo Henricus VI. Apuliam invadit, eversò Salerno. Quæ omnia clarius ex Anonymo Casin. quam ex Richardo de S. Germano tempora confundente (C. H. tomm. 5. & 7.) evenisse cognoscimus A. 1194. Quo etiam anno, & ultra vivebat Rogerus Hovedenus. Non prius ergo, sed post dictus Benedictus Senator cæteris potestatem ad se traductam abrogasse videtur. Senatores Romæ non observavit Dufrenius adhuc sæculo XI. ex S. Petri Damiani *Epp.* 4. & 5. *lib.* 8. ad Albericum *Senatorem*, & ad Petrum *Senatorem Urbis*: imo & sæculo X. Ottoniano. Dum eo Leo Ost. 2. 18. *Romanum Senatorem* appellat famosum illum *Crescentium Johannæ* Virum, Romæ tyrannum, captum, & decollatum jussu Ottonis III. ut Scripp. sæculi XI. scribunt. Solus tamen Leo hunc Senatorem dicit, cæteri restitutorem Consulatus, a quo Arx S. Angeli, Arx Crescentii vocabatur, & de quo fuit sermo num. 21. Non satis exinde percipimus, cur Ecclesiæ pessimus status, quia Senatum Urbis (quem exosi Pontifices) facto Benedicti perdiderat. Si hæc ad medium tempus spectarent, studiosius inquireremus, inquirant alii, quibus est otium. Ordinationem Longini etiam Erycius Puteanus *Hist. Insubr. l.* 2. *p.* 110. *num.* 2. paucis his verbis prodidit, de Longino loquens: *Sustulit Consulares, Correctores, Præsidesque, & singulis singulos Civitatibus Duces imposuit, variosque Judices assignavit. His temporibus cœperunt Præfecti Magistri militum vocari, Judices Scrinarii, Quæstores Chartularii*. Sed hæc Officia ante Longinum jam inducta, ut ex Cassiodoro, & Glossariis. Nec valde difficile classes, & nomina Judicum appellativa, tum Romæ tum in Municipiis Græcæ ditionis, ostendere eisdem ex fontibus, & S. Gregorii Epistolis: itemque apud Langobardos, & Francos medii ævi in Italia, ex ipsorum Legibus, & Diplomatis: sed dicta sufficiant.

(106) Romani porrò Ducatus limites in Tuscia cis Tiberim jam ex prædictis remanent definiti. Hæc quoque pars figuram exhibet triangularem, cujus basis *ab austro* litus maris, ab ostio Martæ ad ostium Tiberis. Latus dexterum *ab occasu* ea linea incipiens ab eodem ostio Martæ, & ad Tiberim tendens supra Hortam. Latus verò sinistrum *ab ortu* angulus Hortæ, & ibi Tiberis juxta suum cursum usque ad mare. In hoc ambitu rectè comprehenduntur X. illæ Urbes, quæ Ludovicianæ tenore in Græcorum *Tusciæ partibus* olim à Carolo, & Ludovico tribuuntur Ecclesiæ. videlicet *Portus: Centumcellæ: Cære: Bleda Maturanum: Sutrium: Nepet: Castellum Gallesii: Horta: Polimartium*. Etenim licèt verè in Tuscia adhuc esset hic enunciata *Perusia* cum tribus Insulis, attamen erat sejuncta, ut ex prænotatis num. 104. Reliquæ verò IV. Urbes *Ameria: Tudertum: Narnia*, & *Otriculi* hic impropriè Tusciæ attributæ, quia trans Tiberim, ad Sabiniam, & Umbriam spectantes, Ducatum Romanum cum aliis trans Tiberim constituebant, ut numero sequenti patebit. Nunc Urbes, locaque interposita lustraturi, à basi maritima opportunum erit incipere. Et primò ab occasu non procul a Mattæ ostio, sed trans Minionem amnem CENTUMCELLÆ occurrunt. Joh. M. Cataneus in Plinii *Ep.* 31. *l.* 6. Blondum reprobat, quia scripsit (*Reg.* 2. *p.* 302.) Plinium narrare, *Hadrianum Imperatorem centum ædificasse cellas, & centum Judici-*

Digitized by Google

bus audiendis se præsente causis publicè institutis deputatas. Utique Blondus errat quia Plinius sic exorditur Epistolam: *Evocatus in consilium à Cæsare nostro* (Trajano, non Adriano) *ad Centumcellas*. Secesserat ergo Trajanus ad Centumcellas, ubi consilii causa Plinium cum Senatoribus evocaverat. Ibi plures causæ actæ. Portus erat hic, & *habet nomen Auctoris*, inquit in exitu, hoc est, *Trajani*, sicut apud Ptolemæum 3. 1. Errorem Blondi exscripsere Volaterranus p. 92. & Egnatius apud Casaubonum in Lampridii *Commodum cap.* 1. *p.* 474. *a.* qui illum ideo Nugatorem dicit, & Plinii ignarum. Id verum Egnatius in annotationibus suis *in Commodum* pag. 888. edit. Froben. 1518. cæcè Blondum exscripsit, sed nec Blondum novit Censor, qui arguendo docere debebat, & silet. Certissimè hujus Portus auctor Trajanus, quoniam nemo ante Plinium ejus meminerit. A centum ædibus, quæ & cellæ dicuntur, sive mansionibus ob commodum nautarum, & navigantium vocari debuit, nec aliter conjici potest; ideoq; Rutilius in *Itinerario l.* 1. locum describens, inter cætera, v. 245. ædes etiã cõmendat

Interior medias sinus invitatus in ædes
Instabilem fixis aera nescit aquis:

Medio ævo *Urbem maritimam memorabilem*, *Centumcellas nomine* dicit Procopius *B. Gotb.* 2. 7. & Episcopalem fuisse docet Geographia sacra pag. 48. Civitatis Centumcellensis cum portu meminit Adrianus I. *Epist.* 65. *Cod. Carolin.* & ante ipsum S. Gregorius *Ep.* 13. *l.* 1. Captis à Comite Hermeingario octo navibus Maurorum, ut ex Aimoino *l.* 4. *cap.* 101. narrat Annalista Bertinianus A. 813. *hoc Mauri vindicare volentes*, *Centumcellas Tusciæ Civitatem*, *& Nicæam Provinciæ Narbonensis vastaverunt*. Cur postea dicta *Civitas vetus*, mox. His ideo semper obnoxia hac Urbe periculis, condita fuit à Leone IV. Urbs altera, cui ab eodem nomen LEOPOLIS inditum, ut fusè narrat ejus in actis Anastasius p. 245. a. *duodecimo à Centumcellensi Urbe milliario distans*, *cui ex nomine proprio Leopolim nomen suum imposuit* A. Pontificatus sui 8. indictione 2. ut inquit Baronius A. 854. ineunte; licèt illiberalis ad quam cæli plagam sita ea fuerit, non innuat. Verum non alibi, quam ad boream procul à mari extrui potuit. Nullum nunc ejus vestigium in tabulis nostris apparet. Non diu tamen permansit, deserta varia ob incommoda: ut ideo incolæ Centumcellas regredientes dicerent ad invicem *Civitatem veterem repetamus*, hinc factum usu nomen *Civita Vecchia*, ut rectè suo more animadvertit Holstenius *in Cluv. p.* 33. ubi corrigit etiam eundem, qui secutus Albertum (pag. 35.) Centumcellas confudit cum *Cincella*, quæ 7. m. & amplius passuum distat ab illis. Leopolis tandem ruinas in quodam colle conspici dicit. Verum si *Cincella* distat tantum à *Centumcellis* 7. m. pass. non potest esse *Leopolis*, quæ juxta Anastasium *l. l.* distabat 12. m. pass. Non ergo Holstenius hic omninò exquisitè scribit *in Geographiam sac. p* 7. quod „ *Cincellæ* vocatur nova „ illa Civitas à Leone IV. ædificata, qua paulò post de„ serta, incolæ ad veterem Centumcellarum Civita„ tem redierunt, cui comparatione novi illius Leoniani „ Oppidi Civitatis veteris appellatio hæsit: „ alteruter sanè fallitur: sed Anastasius testis de visu tunc scribebat. Igitur? Exinde *Civitas vetus* passim apud Scriptores, ut in *Chronicis Pisanis col.* 179. & alibi. NEOPYRGI, hoc est novi Pyrgi, quia *Pyrgi veteres* Virgilio *Æn.* 10 *v* 184. Testis de visu Bodrandus *in Pyrgi* scribit, se legisse in quadam turri *Neopyrgon*. Nunc probabilius creditur *S. Marinella* cis *Ericem* amnem. Cellario p. 735. est *S. Severa* trans *Ericem*: sed idem Bodrandus testatur, ibi ne quidem umbram portus inesse. CÆRE, ut & scribitur in Ludoviciana: popularibus nunc Cærvetri, hoc est Cære veteres. Utique ex XII. principibus juxta Dionysium *l.* 3. *p.* 238. Ibique sedes Mezentii Regis ex Livio *l.* 1. *c.* 2. Non tamen Tuscorum opus ex eodem Dionysio 1. 34. & Strabone 5. 441. scribente, quod *Lydis*, *quos mutato vocabulo Tyrrhenos nominabant*, *adversus Agylleos* (hoc est Cæretanos) *belligerantibus*, *murum subiens quidam*, *Urbis nomen percontabatur*: *cui è muro Thessalus quidam pro responso salutem enuncians*, *Cbere*, *idest salve*, *inquit*. *Tusci bonum hoc accipientes omen*, *captam Urbem mutato vocavere nomine*. Cære igitur in origine Pelasga, & *Agylla* prius dicta. PORTUS simpliciter medio ævo, & in Ludoviciana: antiquioribus *Portus Augusti*: & ob vicinitatem *Portus Ostiæ* &c. ut apud Cellarium p. 792. Ad dexterum latus sive ad occasum, & ad Martam regredientes CORNIETUM Lexicographis *Cornuetum* excitatum ex ruinis Graviscæ, sed maximè Tarquiniorum, huc ambobus translatis Episcopatibus, ut dicitur in Geographia sacra p. 48. TARQUINII in eadem Geographia: quorum rudera, & situm „ *la Tarquinia* vocant Curatores „ Xenodochii S. Spiritus in Urbe, ad quos ille locus „ nunc pertinet: atque ita Cornetani, cæterique ac„ colæ omnes, quamvis vulgus rusticorum *la Turchina* „ dicant: „ verba sunt Holstenii *in Cluv. pag.* 41. & seq. Tarquinios in recto scribit Anonymus Rav. p. 221. An ne Tarquinii ex XII. principibus? Etsi excludantur à Blondo, aliisque, affirmamus, freti errore Alex. ab Alexandro *Dier. Genial.* 3. 28. & fortè adhuc Cl. Fontanini *Antiq. Hortæ p.* 21. qui pro Vetulonia cum Alexandro affirmare videtur, laudatque Silium Italicum jam declaratum à nobis num. 96. Sed Alexander, sive Tiraquellus in notis laudat Myrsilum Lesbium (Annianum) & Dionysium. Neuter dicit, nec Silius, quod ipsi cogitant. Uterque prodit *Insignia Tusca* Tarquiniis, non Vetulonia delata Romam à Lydis, sive Mœoniis, id testante Strabone 5. p. 440. his verbis: *Memoriæ proditum est*, *ut triumphalia ornamenta*, *insigniaque Consularia*, *& simpliciter Magistratuum decora in Romanam Urbem à Tarquiniis* (non Vetulonia) *translata sunt*, *& virgæ*, *& secures*, *& tubæ*, *& sacrorum faciendorum ritus*, *ut auguria*, *& musica quam Romani ad res publicas usurpent*. Et non Tarquinii ex XII. principibus? En argumentum ab errore petitum: Ea Urbs princeps, & Metropolis juxta Cl. Fontaninum à qua Romam insignia delata: hæc delata Tarquiniis, non Vetulonia ex Strabone: ergo? Ergo etiam Tarquinii Mœonii, Lydi, Tusci in origine. Etsi Justinus 20. 1. dicat quod *Tarquinii à Thessalis originem ducunt*. Sanè Tarquinii Romanis sunt Τάρχωνιον Græcis apud Stephanum h. V. ἀπὸ Τελέφου παιδὸς Τάρχωνος. E contrario tamen legendum ex Lycophrone monet Holstenius p. 315. a. scilicet à Tarchonte nato Telephi, cujus filius etiam Tyrsenus: sed ordo præposterus non vitiat originem Tuscam Tarquiniorum. BARBARANUM idem quod *Maturanum* in Ludoviciana, ut sentit Holstenius *in Ortelium p.* 116., bis annuente Macro in *Append.* utroque verbo: sed non prope Viterbium, ut item bis dicit: distat saltem à Viterbio 15. m. pass. in austrum, ut in Magini tabula 41. *Maturanum* scribitur adhuc in Geographia sac. pag. 49. Eutychio „ Exarcho Romæ moranti (A. 728) venit „ in partibus Tusciæ *in Castrum Maturianense* quidem se„ ductor *Tiberius* nomine, cui cognomen erat *Petasius*, „ qui sibi Regnum Romani Imperii usurpare conaba„ tur. Leviores quoque decipiens, itaut *Maturianen„ ses*, *Lunenses*, atque *Bledani* ei sacramenta præsti„ tissent. „ Misso in eum Romano exercitu, captus est Petasius, necatus, ejusque caput abscissum, Constantinopolim missum, ut scribit Anastasius *in Gregorio II. p.* 157. b. BLEDA: in Geographia sac. p. 48. scribitur *Blera*: ita & Anonymo pag. 221. juxta lectionem Ptolemæi. 3. 1. una ex IV. captis à Liutprando, ex Anastasio *in Zacharia* sub initium pag. 161. a. VETRALLA Lexicographis vetus *Forum Cassii*, de quo Antoninus, & Anonymus p. 222. Blondus p. 312. Albertus p. 81. b. ORCHIANUM „ fortè *Orchia* Castellum, quod ta„ men in antiquis donationibus Monasterii Farfensis „ *Orclanum* dicebatur: sed hoc Castellum Longobar„ dicam structuram præfert. „ Hæc Holstenius in *Cluv. p.* 42. *Vitorchiano* in Magini tab. 41. & apud Macrum in Append. h. V. POLIMARTIUM captum à Langobardis, & receptum à Romano Exarcho, apud Paulum 4. 8. & à Liutprando ex Anastasio *in Zacharia l. l.* restitutumque cum aliis. Urbs Episcopalis olim, ut in Geographia sac. p. 48. nunc *Bonmarzo* in Magini tab. 41. Ferè in meditullio hujus tractus triangularis apparet lacus olim *Sabatinus*, nunc di Bracciano, ex quo amnis *Aro* profluit: inter quem, & Tarquinios ORIOLUM quod vetus *Forum Claudii* Lexicographis h. V. sive ut scribit Plinius 3. 5. *Præfectura Claudia Foroclodii*, cui obnoxii *Novem Pagi*, ut prænotavimus num. 103. Hic exscribimus verba Holstenii *in Cluv.* p. 46. ut locus magis innotescat: „ Forum Claudii fuit primis Eccle„ siæ temporibus Civitas Episcopalis „ (ut ex Geo„ graphia sac. p. 49.) „ Unde apud Optatum Afrum „ (floruit sub Valentiniano, & Valente) lib. 1. Do„ natianus à Foro Claudii recensetur inter Episcopos „ Italos, qui cum Miltiade PP. Judices sederunt in „ causa Donati. Novem illos Pagos fuisse existimo „ circa superiorem partem Minionis, ubi nunc *Viano*, „ *Ischia*, *Montirano*, *Bassano*. „ Infra Oriolum BRACENUM in ripa occidua lacus juxta Maginum tab. 41. vetus *Arcenum*, sive Arcennum Livii apud Bodrandum in *Arcenum* (nobis tamen nunquam occurrit). De eodem Albertus p. 78. & Ortelius eod. V. & in tabula Tusciæ, sed in ripa australi. Ejusdem Lacus ad boream NEPET, ut scribitur in Ludoviciana capta à Langobardis quoties captum *Sutrium*, ut intelligere est ex Paulo 4. 8. *& alias quasdam Civitates*, scilicet proximas. Ibi degebat insolens ille *Toto* Dux Nepesinus, qui A. 768. suadente Rege Desiderio, nondum defuncto, sed graviter ægrotante Paulo I. Pontifice armata manu violenter Urbem ingressus *Constantinum* fratrem suum adhuc laicum destinavit Pontificem, ut fusè scribunt Anastasius in *Stephano IV. p.* 174. a. & ex eo Sigonius A. 767. Tunc ergo Nepte vel capta à Desiderio, vel ejus Dux Toto ab eodem corruptus. Supra Nepe SUTRIUM

ex

Digitized by Google

ex captis à Langobardis, & receptis à Romano Exarcho A. 592. apud Paulum 4. 8. Et Liutprandus *Sutrium pervasit* (A. 728.) *sed post aliquos dies iterum Romanis redditum est*, ut idem prodit 6.49. Post 140. dies inquit Anastasius *in Gregorio II.* p. 157. a. ubi & rectè *per* 11. *indictionem*, idest XI. A. 728. non ut in subjecta lectione XV. hoc est A. 732. quo jam mortuus is Gregorius, atque A. 2. Gregorii III.

(107) Ad dexteram Tiberis Urbes, adjacentiaque loca invisere superest. Ibi obviam fit HORTA, quam num. 96. diximus vetus *Hortanum* Plinii 3. 5. & de quo quis ante Plinium mentionem facit? Quid Cl. Fontaninus in suis *Antiquitatibus Hortæ* suppeditat? Ubi Colonia Etruscorum, vel saltem certè Augusti? Inscriptio Q. Ninnii Pœti, quam prodit p. 25. ubi vulgata à Fabretto? Nondum in hujus celebri opere *Inscriptionum Antiquarum* f. Romæ 1702. eam invenire potuimus. Fabretti caput, paginam, numerum alibi indicat, hic nihil. Nisi jure possessionis gaudet Horta, quod inibi repertus sit lapis, ostendere oportet, cur potius ad Hortam Tusciæ quam Latii pertineat: secus certè Colonia affirmari non potest. Quo ad ejus principatum cuncta adducta, in Vejentes præsertim, esse inania jam diximus. Nil aliud in Historia Langobardica occurrit de Horta, nisi quod bis fuerit capta primò à Ducibus, & à Romano recepta: ilique post à Liutprando, & restituta, ex Anastasio *in Zacharia*. Sed quando primò fuit à Ducibus capta, & post annos ab Exarcho recepta ut apud Paulum 4. 8. huc recurrit eadem difficultas, nisi major, quam de Perusia loquentes n. 104. offendimus. Tunc Hortæ erat Episcopus *Blandus*, sed Ravennæ in captivitate ab Exarcho detentus, adhuc A. 591. nempe antequam Exarchus Hortam cum reliquis Civitatibus recuperaret, ut palam est ex S. Gregorii *Ep.* 32. (nunc 33.) *l.* 1. *indict.* 9. hoc est A. 591. qua S. Pontifex *Romanum Exarchum* solicitat, ut Blandum *longo jam tempore* Ravennæ captivum dimittat. Nunc quomodo *Blandus* captivus Ravennæ apud Exarchum, antequam is Hortam reciperet? Agit de Blando, ejusque captivitate Cl. Fontaninus *Antiq. Hortæ* p. 275. Blandi mortem innuit ex S. Gregorii *Ep.* 39. *l.* 3. (nunc 41. l. 4.) mense Augusto indict. 12. quam non considerat, hoc est A. 594. & quod majus est, non observat, quando ab ejus diligentia doceri sperabamus, cur Blandus, quomodo, & quando captivus *longo jam tempore* ante A. 591. ut S. Pontifex scribit, adhuc Horta Langobardis obnoxia. Sanè S. Pontifex non innuit, Blandum jure belli, vel astu captum. Potius suspitionem ingerit, illum saltem ut Civem fuisse Exarcho subjectum: scribit enim, *quia non credimus, quod cum Excellentia V. nisi pro aliqua probabilis excessus causa tenuerit, oportet, ut habita Synodo palàm fiat, si quod in eum crimen intenditur. Et si talis in eo culpa reperiatur, quæ usque ad degradationem Sacerdotii perducatur*. Causa fortè fuerit & S. Pontifici ignota. Sed quo jure ab Urbe Langobardica Episcopum potuit Exarchus ad se avocare? Doceri tandem optamus à Cl. Viro, cur in *indice Chronico* Episcoporum p. 509. Blandus fit Episcopus A. 590. si A. 591. dicitur *longo jam tempore* captivus. Si annus est longum tempus, nodus facilè solvitur, divinando hoc pacto. Mauricio Dux Langobardus pro Agilulfo Perusiam tenebat, sed ab Exarcho corruptus clam cum ipso sentiebat. Perusia opportunè prodita id probat. Mauricioni obnoxia erat *Horta*, nec contrarium contra Papebrochium probatur. Non defuerit ars Mauricioni, etsi nobis ignota, detinendi, mittendique Blandi Ravennam: Ars proditores non latet. Meliora alter suggerat. Cæterum V. Cl. labantem Hortam opportunè erudito suo calamo sustinet, impetumque propulsat Bodrandi, cui *Horta Urbecula, quæ deficit in dies*. Infra eandem FESCENNIA, sive CASTELLUM GALLESII, ut in Ludoviciana, quod utique nomen ævi medii. Cur non derivatum (licèt erronea eruditione) ab Halesio Argivo gentis Faliscæ, ut Antonius Massa de *Orig. Faliscorum p.* 17. *b.* contendit H. aspiratione in G. mutata? Attamen si quæ fides Solino *cap.* 8. *de Italia* ab eadem Gente Argiva, comite fortè Pelasgorum æque Faleria, & Fescennia conditæ, inquit enim: *à Phalero Argivo Phaliscam: à Phalerio Argivo Phalerios* (malè distinguit, ut mox) *Fescennium quoque ab Argivis*. Quo conjici potest ab eodem *Phalerio* fuisse & Fescenniam conditam. Sane ejusdem generis fuisse prius testatus est Dionysius 1. p. 34. ubi *Phalerium, & Phascenium etiam nostro tempore* (Augusti) ..... *parvas quasdam scintillas servant Pelasgici generis*. Hinc non rectè ab errore argumentatur in Massam Cl. Fontaninus *l. l. p.* 79. ea sublesta ratione, & auctoritate fretus Anonymi Ravennatis *Scriptoris omnium antiquissimi* (videat Sectionem nostram II.) cui non *Gallese* (*ut recenter nunc audit*) *sed Galenese*. Et nondum observavit V. doctus, Anonymum plus ultra barbariem omnia fermè nomina vitiare, distorquere, corrumpere? Vix in subsidium licet illo uti, non censuram agendo. *Gallesium* habent exemplaria Baronii, Sigonii, & quotquot ex integro recitant Ludovicianam. Nonne ipsemet p. 92. fatetur, quod hanc integram vulgavit Sigonius, Baronius *ex IV. Codicibus Vaticanis*, Goldastus, Baluzius *Cointius* (NB) apud quos ubique legitur *Castellum Gallesii*? Cur nunc sibi contrarius arguit Massam, & præfert vitiatam lectionem Anonymi tot Codicum lectioni uniformem? Sed *Galesus* amnis Oppidū hoc fermè adlambens sit æstimator, & Judex. Is licèt ignotus Ferrario, & Bodrando scribentibus tantum *Galesum* Lucaniæ, de quo Virgilius *Georg.* 4. *v.* 126.

Qua niger (al. piger) *humectat flaventia culta Galesus*

non tamen Ortelio ex Panv. h. v. Magino t. 41. nec Nic. Erythræo in *Indice Virgiliano V. Galesus ager*, scribens, quod *de hoc flumine accolæ narrant* (falsò putantes, ut suspicamur Virgilium scribere de suo, ut supra) *videlicet, eum leniter admodum labi, apud quem pagus incolitur Galasus nuncupatus, ubi Templum non incelebre Deiparæ Virgini dicatum, vulgo S. Maria de Galaso*: Eodem ergo auctore & amni, & loco inditum nomen *Galesi*, ut de tot aliis extant exempla: ideoque *Galenese* Anonymi est nomen corruptum. Subdit laudatus Massa *p.* 31. *a.* quod *antiquitus usque Gallesium Urbs Romana protendebatur, ibique ab Augusto Tiberi pontem impositum, quo facilius Urbs adiretur, teste Svetonio*, & ubi? Non cap. 29. de ejus operibus publicis: neque 30. ubi solùm de Tiberi *ad coercendas inundationes alveum Tiberis laxavit, ac repurgavit: completumque olim ruderibus, & ædificiorum prolapsionibus coarctatum*. Pontis hujus ichnographiam exhibet Cl. Fontaninus *l. l. p.* 32. Memorat *pilas Augusti* constructas, quando Horta Colonia deducta, si id probabitur, & vestigia pontis, nullumque testem contra morem suum allegat: hunc, qui fidem addat, optamus: etsi quoque doctissimus Holstenius *in Cluv.* p. 59. *Pontem Augusti* sub Oppido Galese appellet. Neque quod *usque Gallesium Urbs Romana protendebatur*, audivimus. Utique de nimis ampla Neronis domo quidam apud Svetonium *in Nerone cap.* 39. jocabatur, canendo

Roma domus fiet: Vejos migrate Quirites:
Si non, & Vejos occupat ista domus.

Gallesii locus ævo medio causa Spoleti Ducibus erat Tusciæ Romanæ sæpe invadendæ. Sed Gregorii III. ætate, sicut in hujus gestis prodit Anastasius p. 160. b. *Gallienssium Castrum recuperatum est, pro quo quotidie expugnabatur Ducatus Romanus à Ducatu Spoletino: dans pecunias non parvas Trasimundo Duci eorum, ut cessarent bella, & quæstiones &c.* Infra Gallesium FALERIA etiam medio ævo *Phalari*, & Falari apud Baronium in *Martyrol. not. g.* 13. Aug. ex Usuardo, & antiquis membranis. Item *Faleris* Anonymo p. 214. malè locata inter *Hortas & Galenese*. Faleriæ porrò varias inter dialectos, & nominis terminationes apud Scriptores, duo certa sunt hodie inter Eruditos: unum esse *Civitatem Castellanam*, bis refectam, ut explicat Holstenius *in Cluv. p.* 57. innuendo etiam Episcopos *Falernitanos* scriptos in Synodis sæculi VII. alterum veteres *Falerios*, & Faliscos sic tantum differre inter se, sicut differt Urbs ab ejus agro: Hinc *Faleria, Falerii, Falerium, Falari*, Urbis sanè nomina: *Faliscum* verò, rectius *Falisci* agri incolæ rustici; ut probè ex Livio, Zonara &c. ostendit Cellarius *pagg.* 726. & 27. Etsi Straboni 5. p. 452. *Falerii, Faliscum* duo Oppida distincta visa fuerint, sicut & Solino *l. l.* de Fescennia, relicto Plinio suo, cui 3. 5. est tantùm *Falisca Argis orta, ut auctor est Cato*, in Originibus deperditis: sed ibi Plinius Coloniam vocat quam alii cum Livio agrum dicunt. *Phalerium* habet quoque Dionysius p. 34. mox supra. Ex quo percipimus etiam, Falerios non esse in origine Tuscos, sed Pelasgos, & ab Argivo Haleso conditos, ut ex Ovidio *Fastor.* 4. & *Amor.* 3. ostendit Salmasius *Exercitat. Plinian. p.* 60. quod notavit & Servius in *Æneid. v.* 695. *l.* 7. Imo ex hujus versibus

Hi Fescennias acies æquosque Faliscos:
Hi Soractis habent arces, Flaviniaque arva
Et Cymini cum monte Lacum . . . . . .

colligi potest & Falerios ex XII. principibus: Etenim ampla ipsorum ditio, multa potentia, & distincta religio. Ditio hic non improbabiliter innuitur à Poeta, nempe ab occasu usque ad Lacum Ciminium (di Vico) quin imo usque ad Volsinium juxta opinantes M. Flasconem, esse M. Faliscorum: à borea saltem usque Fescenniam, & ab austro Soractem (nunc S. Oreste). Potentia arguitur ex crebris bellis cum Romanis apud Livium à *lib.* 5. Religio ob celebre templum Junonis Faliscæ apud ipsos, ut inibi solemnia ludorum celebrari debuerint, ut Vejis apud Livium *l.* 5. *c.* 1. Nihilominus ab Alexandro 3. 28. Falerii excluduntur, & sanè nullibi expressè enunciantur, sed pro assumpto argumento adducta sufficiunt, Plinio 3. 5. subjiciente *Falisca, quæ cognominatur Etruscorum*, non origine, ergo principatu. Aliter interpretatur Plinium Harduinus p. 151.

Digitized by Google

151. n. 3. *ut ab altera Falisca, quæ Æquorum dicitur, eo cognomine dirimatur*. Parcat V. Cl. animadvertat non *Æ*, sed *æquosque*, idest justos, quia, ut notat Servius annuente Farnabio, *Populus Romanus missis X. viris inde multa jura collegit, & nonnulla supplementa XII. tabularum accepit*: nam ab *Athenienfibus X. habuerunt tabulas*. Hoc quidem scimus ex Dionysio *l.* 10. *p.* 780. & Livio *l.* 3. *c.* 13. sub A. 300. U.C. At quod Romani leges acceperint à Falisciis nondum percepimus. Contendit Hofmannus Lex. *in Falisci* ex Strabone 5. p. nobis 453. aliam extitisse *Æquorum Faliscam*. Non videt, hanc dici *in Flaminia via positam inter Ocriculam & Romam*, ideoque esse eandem, de qua agimus? Nec Salmasius *l. l.* disentit. Nam etsi Urbs non sit in via *Flaminia*, sed ad dexteram euntibus ab Urbe Ocriculos, sed in *Amerina* discedente à via Flaminia, & Ameriam ducente, tamen ager sive Falisci verè sunt in via Flaminia: Et de his apertissimè loquitur Virgilius, hi æqui, epitheton adjectum, non nomen distinguens. Si Plinius aliam Faliscam cogitasset, & ipse *Umbrorum* dixisset: Etenim *lib.* 2. *cap.* 103. scribit *in Falisco omnis aqua potata candidos boves facit*. Faliscus hic ponitur pro amne *Clitumno* (cujus tres fontes, sive *Venæ* notantur in Magini tab. 40. non longè à Spoleto 5. m. pass. in occasum æstivum) de cujus aquis idem cantant fermè Poetæ omnes Latini, sed nemo (quod sciamus) meminit Urbis Falisci in Umbria, ubi *Clitumnus*, de quo Lexicographi h. V. *Falariæ* quidem, sed in Piceno: & dato adhuc *Falisco* in Umbria, nemo certissimè hanc dixerit *Æquorum*, quia *æqui Falisci* Virgilii scribuntur cum Fescennia, Soracte, Flavinia (fortè *Fiano*) Ciminiis, Monte, & Lacu, omnibus in Tuscia. ARINIANUM Magino tab. 41. *Arignano* 7. m. p. à Civitate Castellana, hoc est Faleria, in austrum, & 3. à Tiberi (de quo etiam Massa *de Orig. Falisc. p.* 3.) à Blondo *Reg.* 2. *p.* 311. dicitur conditum ævo S. Gregorii M. *Nam totus ille tractus ab* Arignano ad Civitatem Castellanam (inquit *Holstenius in Cluv. p.* 59.) *recens est, neque ullum habet vestigium antiquitatis* (Romanæ) In hoc tractu ab Ariniano ad fossam Varcam extractam è lacu Baccani: & à Nepet ad Tiberim, ut in tabula 41. Magini, suspicamur ævo medio fuisse *Civitatem Colorum*, & *Civitatem Stertinianam*, quarum mentio in Bullar. Cas. *tom.* 1. *Const.* 22. Innocentii III. *Const.* 25. Honorii III. & *Const.* 30. Gregorii IX. interque vetera patrimonia S. Pauli de Urbe regeruntur. Peritissimus & oculatissimus Holstenius *in Cluv.* à p. 59. ad 67. exactissimè de singulis tractus hujus locis agit: sed nec verbum quidem habet de his Civitatibus *Colorum*, & *Stertiniana*. Silet & Macrus in *Appendice*, etsi in V. *Rosolus mons* observet, hunc ita vocari *in Bulla Gregorii IX. in favorem Monasterii Sancti Pauli de Urbe*, quando & in hac Bulla fit mentio harum Civitatum. Suspicamur nos ergo fuisse in hoc tractu, quia scribuntur veluti cum propinquis locis *Nepe*, *Castro Bacchariciæ* (Baccanæ) *Castro Leprinianì*, *Morlupo*, *Flaginiano* (Fiano) &c. quæ omnia contenta in eo tractu. Prope Arinianum est *S. Orestes*, sub quo Oppido uno circiter milliario in planitie magna visuntur vestigia Feroniæ, ut testatur Holstenius p. 60. Ibi ne *Civitas Colorum*, deleto profano Feroniæ nomine? Vetera adæque vestigia visuntur inter Leprinianum, & Fianum, ut testatur nobis amicus, qui Romæ diu fuit: & hæc ne *Civitatis Stertinianæ*, ut is credit? Docti conterranei quærant, & doceant. Ubi olim Capenates, nunc Morlupum esse dixit, & approbat ex Ligorio idem Holstenius p. 62. Ex Schedis Julii Rosejì in Bibliotheca Barberina quid fortè innoteicet. Situm quærimus tantùm, non conditionem, scimus enim cum apud Veteres, tum apud medii ævi Scriptores nomen Civitatis nunc ampliori, nunc strictiori in significatione usurpatum, ut etiam sæpe Oppida, pagi, & villæ Civitates appellarentur, ut num. 6. præmonuimus. Potuerunt adhuc hæ Civitates esse in Sabinia, non enim in priscis documentis loca lege Geographica enumerantur. AQUAVIVA de qua Bodrandus h. V. & Cellarius p. 731. ex Holstenio in Ortelium p. 16. cujus hæc verba: *Civitas Episcopalis* (ut in Geographia Sacra p. 47.) *in via Flaminia haud procul Roma* (in Itinerario Burdegalensi 32. m. p.) *inter Arinianum, & Civitatem Castellanam sub monte Soracte paulo ultra diversorium Stabiæ, ubi nunc la Fontana d'Acquaviva, & Ecclesia B. V. de Aquaviva*. Cellarius in Tabula p. 709. hanc locat in ripa Tiberis. De eadem Holstenius *in Cluv. pagg.* 51. & 52. VEGENTUM. Ita medio ævo, & sæculo IV. scilicet Territorium *Vegentanum* & *Vegetanum* ut apud Anastasium in *Silvestro I.* p. 111. a. in *Innocentio I.* p. 116. a. in *Adriano I.* p. 188. b. Ibi antiqui *Veji*, seu *Vejentes*, ubi Insula, scribente Holstenio *in Cluv. p.* 55.

„ in colle prærupto, qui adjacet Farnesiorum Insulæ,
„ haud procul à divertigio Claudiæ, & Cassiæ viæ: nam
„ tabula Itineraria omninò eo loco ponit Vejos, ubi
„ nunc est divertorium *la Storta* vel paulo supra. Sed
„ nihil certius est, quam Vejos fuisse in colle undique
„ prærupto prope Insulam, vicum Farnesiorum „. Utique in Theodosiana, sive Peutingeriana Veji ad occasum æstivum 6. m. pass. *ad Sextum*, totidem ad *S. Petrum* scilicet ab Urbe *centesimo stadio* juxta Dionysium *l.* 2. *p.* 152. Hinc in Magini tab. 41. malè locatæ *la Storta* vix 5. milliaribus, & 8. *Insula* à meditullio Urbis. Veji capti à Camillo A. U. C. 369. non tamen eversi, ut dicitur, & ostendit Cellarius p. 731. deducta ex post eorum Urbe Colonia. Explent numerum XII. Populorum, sive Urbium Tusciæ principum, quas indicare promisimus num. 95. rationibus anticipatis jam pro Vejis num. 96. etsi illos excludat Cl. Fontaninus, ut Hortam includat SILVA CANDIDA, olim erat in via Aurelia (ab Urbis porta cognomine Pisas per Tusciam tendente) 10. m. pass. ab Urbe in occasum, ubi nunc *Casale S. Rufinæ*. Cœpit sæculo IV. vocari Silva Candida quia sub Diocletiano ibi passi SS. Marcellinus, & Petrus Exorcista. Prius *dicebatur Silva Nigra*, *quæ postea in honorem Sanctorum commutato nomine Silva Candida appellata est*, ut scribit Baronius *Martyr.* 2. Jun. & in notis a. Ut Episcopalis scribitur in Geographia Sacra p. 47. ab A. saltem 551. quo *Valentinus* ejus Episcopus legitur in Constituto Vigilii Papæ contra Theodorum Cæsariensem excommunicatum Constantinopoli, ut apud Holstenium in Annotationibus. Apparet & *Tiberius* Silvæ Candidæ subscriptus in adeò famoso, & adhuc controverso Sancti Gregorii M. Privilegio Abbati S. Medardi Svessionensis (NB) A. ab Incarnatione Dn. 593. inter Gregorianas Epistolas *Epist.* 38. *lib.* 3. & in edit. Basileensi 1564. in calce *lib.* 12. *col.* 1184. Et *Leo* Sylvæ Candidæ subscribitur in Synodo Romana sub Nicolao I. A. 861. jam indicata sub num. 102. De hac Urbe Holstenius in Ortel. p. 178. Bodrandus in *Silva Candida*. Desinemus in Urbe, quæ Caput Orbis? absit.

(108) Tiberis almam *Urbem* interfluens, sicut erat olim Plinio 3. 5. *Fidenatem*, *Latinumque à Vaticano dirimens*, ita & ævo medio Ducatum Romanum secans, Tusciam à Campania sejungebat. Urbis ejusdem pars occidua Tusciam finit, Orientalis verò Campaniam ingreditur. Et hæc ratio, cur nedum medio ævo à Paulo 2. 16. *Roma in Tuscia est constituta*, & Anonymo Rav. p. 200. *Provincia Romæ Tuscia*, verùm & cur antiquissimi Scriptores, teste Dionysio *l.* 1. *p.* 42. *Romam Tyrrhenicam opinati sunt*. Et ita in veteri *Notitia* Codicis Tuani p. 38. *In Provincia Etruria*, *sive Tyrrea Civitas Romensium*. Urbis porrò pars occidua cis Tiberim medii ævi (sive à sæculo IX.) Scriptoribus dicitur URBS LEONINA, quoniam Leo IV. Pontificatus sui A. 2. Christi 848. cœpit ædificare, mœnibusque munire Burgum Urbis, ubi *Vaticanus* mons, novamque Urbem hanc consecrationis suæ A. 6. complevit, & à suo nomine vocavit *Leoninam*, ut egregiè prodit Anastasius inter ejus gesta pag. 240. b. Quare omnino fallit Sigebertus scribens sub A. 836. quod *Gregorius Papa* (tunc IV.) *consumatam novæ Urbis fabricam solemniter dedicavit: eamque Urbem Leonianam appellavit, vel à Leone III. hujus nominis Papa, qui hujus operis fundamenta olim gesserat, vel à se ipso, quia & ipse Leo IV. dictus est*: quot verba, tot errores uno excepto, quod Leo III. verè Urbem novam *ædificare cœperat, & cujus multis jam in locis fundamenta posuerat*. (*Licèt post suum transitum à quibusdam ablata fuissent hominibus* (NB) *ita ut nec aditus appareret, ubi prius inchoationem præfatus habuerat murus*) *si vita comes adesset, desideratum opus, Christo solaciante, ad effectum posset perducere*. Hæc Anastasius in *Leone IV. p.* 240. a. Æquè turpiter erravit Martinus Polonus sub AA. 794. & 828. quibus nec Urbs condita, nec Leo Pontifex: laudatur à Florentino *Memor. Mathil.* l. 3. p. 25. Charta: *Regnante Carolo Manno Rex A. Regni in Italia* II. 15. Kal. Novembris indict. 13. act. *Civitate Leoninæ* Urbis Romæ B. Petri Apostoli. Et hic Tusciæ periegesi absoluta, Tiberi trajecto, cultaque Roma stupore, & silentio, ubi chiliades Scriptorum loquuntur, ad reliquas Ducatus Romani partes pergimus inquirendas; namque Paulus, & Anastasius, ex quibus Blondus, Sigonius, totque alii, abundè narrant quas, & quot Roma ab adventu Exarchorum passa est obsidiones, onera, ipsorumque, & suorum Ducum, & Constantis Imp. expilationes, & suorum Pontificum persecutiones, & Civium oppressiones usque ad Francorum liberatorum adventum. Igitur huic Ducatui trans Tiberim accensebantur inferiùs I. pars *Campaniæ* ubi magis extendebatur ortum versus, tangebatque *Castaldatum Capuæ* qui portio, sive membrum erat Ducatus Beneventani. II. in medio pars *Sabiniæ*, sed arctior, Sabinia magna ex parte occupata à Duce Spoletano. III. & superius pars *Umbriæ* paulusculum amplior, reliqua ad eundem Ducem spectante. Conformari hic studuimus & naturæ Regionum, & descriptioni Strabonis, qui *l.* 5. *pag.* 438. eodem modo eas distinguit, licet ordine inverso à borea ad austrum: inquit

Digitized by Google

quit enim: *Ad Apenninum verò Adriatico vicinum pelago se se habent primo quidem Umbri: post eos Sabini: postremo Latium habitantes*, hoc est Campaniam, obsoleto *Latii* nomine per divisionem Constantini M. ut demonstravimus *Sect.* 4. *n.* 13. Repetit paulò infra Strabo, quod *Sabinia inter Latinos, Umbrosque jacet*, earumque Regionum fines juxta sui temporis ordinationem decernit veterum populorum per nomina, jam tamen cum finibus medio ævo omninò immutata, & deleta, ut patebit cum de Ducatibus Spoletano, & Beneventano loquemur. Ducatus igitur Romanus trans Tiberim sanè extensior erat ab austro in boream (vel ab infero mari ad Apenninum, sive Apenninum versus, quoniam ad ipsum non pertingebat; quam ab occasu ad ortum, in Sabinia præsertim, quia *Farfa* vix 6. m.pass. distans à Tiberi ad Ducatum Spoletanum pertinebat, ut dicemus. Secus Tiberim ab hujus Ostia ascendendo usque quo *Nestor* amnis agri Perusini in Tiberim influit, sive Nestoris ostio è regione. Quamquam porrò non sit necesse distinguere more antiquo dictas tres Regiones pro ordinatione hujus Ducatus medii ævi: attamen ob decernendos ejus fines, præsertim ab ortu, & ad boream admodùm obscuros, afferet facilitatem distinctio, *cum omnes à flumine initium capiant*, ut inquit Strabo *l. l.* Sanè hac vice nos Ludoviciana perturbat, non docet: legimus primò *in Tusciæ partibus Ameriam*; *Tudertum* (sed hæ in Umbria trans Tiberim) *Narniam*: *Otriculos* (propriè in Sabinia, aliis in Umbria). Infra: *in partibus Campaniæ Signiam, Anagniam, Ferentinum, Alatrium, Patricum, Frusinonem, Tibur*. Et iterum infra: *in partibus Campaniæ Soram, Arces, Aquinum, Teanum*, & *Capuam*. En quam longè esset protrahendus Ducatus Romanus, sive Campania ad eundem Ducatum spectans, si semper medio ævo idem fuisset, & sanè usque *Vulturnum* flumen ubi Teanum, & Capua, quando ad Ducatum Beneventanum spectabat, ut ante Francos Capua constitueret proprium Castaldatum, qui Comitatus post divisionem fuit dictus, ut ex Chronicis peculiaribus Comitum Capuæ datis (C. H. t. 2.). Aliter ergo res se habebant ante adventum Francorum, & aliter postquam Franci Ecclesiæ Ducatum hunc tradidere. Eo modo quo & quædam loca maritima, licet in Campania, ut *Terracina*, & *Cajeta*, non Duci Romano, sed Patricio Siciliæ erant obnoxia: quæ expost à Carolo, vel Pippino Græcis erepta, Ducatui Romano fuere aggregata, & Ecclesiæ attributa, vel saltem promissa. Hæc nobis testatur Adriani *Ep.* 37. *Cod. Carol.* sic Carolo scribentis: „ Cognoscat à Deo protecta Ex. V. quia aliquantas *Civitates nostras Campaniæ* (Romæ) operantes æmuli „ vestri atque nostri nefandissimi Beneventani, ipsi nostro populo persuadentes subtrahere à nostra ditione „ decertant una cum habitatoribus *Castri Cajetani*, seu „ *Terracinensium* obligantes se validis sacramentis cum „ ipso *Patricio Siciliæ*, qui in prædicto *Castro Cajetano* „ *residet*, & decertant à potestate, & ditione B. Petri, „ & nostra eosdem *Campanos usurpare*, & Patricio Sicilliæ subjugare. „ Ex his novimus, Campaniam Romanam Latium vetus comprehendisse usque ad Circejos juxta Plinium 3. 5. ubi nunc *S. Felicitas*, quoniam Terracina, & Cajeta Patricio Siciliæ parebant, quamquam sequenti sæculo Pontifici accesserint ex Leone Ost. 1. 43. Quare Pontinas paludes limitem Orientalem hujus Ducatus, vel Lirim, describimus. Attamen supra procul a mari latiùs adhuc ad ortum se extendisse conjicimus, tum ex enunciatis Urbibus in Ludoviciana *Alatrii*, *Frusinonis*, &c. tum ex limite occiduo Ducatus Beneventani, qui idem ac Romani ad ortum. Etenim Peregrinius *Diss.* 4. de finibus Ducatus Benev. ad Occident. concludit in exitu, quod *censendum videtur hujus Dynastiæ* (Beneventanæ) *terminum cis Hoream* (trans nobis) *constitisse*, *quæ trans Soram certè fuit*. Cohærenter ad hæc dicendum est, Ducatus nostri terminum Orientalem trans *Hoream* constitisse: sed V. doctus illiberalis Horeæ situm non indicat; in antiquis tabulis nullum signum: in Magini 42. Latii nullibi Horea, *Morrea* quidem ad boream Soræ 10. milliaribus distans. Facilè potuit H in M permutari, verum quidem est Soram cis Lirim, *Morream* verò trans positas. Faciunt ad hanc rem verba Pauli 6. 27. *Gisulfus Beneventanorum Ductor* (An. 704. circiter) *Suram Romanorum Civitatem, Hirpinos* (Arpinum) *atque Arcom* (Arce) *pari modo Oppida cepit. Qui Gisulfus tempore Johannis Papæ* (VI.) *cum omni sua virtute Campaniam venit, incendia, & deprædationes faciens, multos captivorum cepit, & usque ad locum, qui Horrea dicitur castra metatus est*. Eadem repetit, sive transcripsit Anastasius in *Job. VI. p.* 151. *a.* De Horrea, num. seq. inter loca Campaniæ. Interim etiam ex Paulo alter innotescit in hoc latere limes Orientalis hujus Ducatus in Campania. Cum enim habeamus *Arce*, *Arpinum*, & *Horream* trans Lirim, sive Garilianum, & ultra hæc eadem loca alterum amnem *Melpim*, Straboni p. 474. licèt Anonymum in hac Magini tab. 42. *Mele* tamen clarè scriptum, & *Melfa* in tab. 51. & apud à Nuce *in Vitam S. Benedicti cap.* 16. quem torrentem dicit, ac excurrentem in Lirim, non temerè *Melpim*, lineamque *Horream* tendentem pro limite designamus. Difficultas esse potest in *Aquino*, an & ipsum ante Francos ad hunc Ducatum, sive potius ad Castaldatum Capuæ attineret. Silentium Pauli facit, ut conjiciamus, ad Castaldatum spectasse. Cum enim Gisulfus per Aquinum, vel circa exercitum duxerit, si illud Romanorum fuisset, idem captasset, & Paulus loca minora recolens Aquinum non reticuisset, quamobrem illud exclusum iri censemus. Accedit, Aquinum esse trans Garilianum, qui postquam Melpim recepit, finit Ducatum Romanum, ipsumque à Comitatu Capuæ disterminabat sæculo IX. ut dicemus num. 124. *Aniene*, (Teverone) tandem amne claudimus Campaniam, ut à Sabinia sejunctam, *à borea*. Sed nondum hic Ducatus Romani finis. Urbibus, fluminibusque Campaniæ recensitis, ad reliquas superiores partes progrediemur. Retinendum itaque, Campaniam ad hunc Ducatum spectantem conclusam fuisse inter Tiberim *ad occasum*, & mare inferum ab *austro* usque ad Circejos, ubi nunc S. Felicitas, finisque veteris Latii ex prædictis: nam Latium novum *Sinvessam* usque (sive ut placet Straboni 5. p. 484. a Sinvessa incipiens) fuit protractum: hinc & Plinius 3. 5. *Oppidum Sinvessa* (ultra Liris ostium) *extremum in adjecto Latio*. Latii suppresso nomine, Campania à Tiberi usque ad extremum Picentinorum agrum, hoc est ad Silarum amnem, excurrebat: hinc partem tantum Campaniæ ad hunc, diximus, spectasse Ducatum. Vergendo ad *ortum* Melpis amnis ultra Lirim, & ad *boream* denique Anien (Anio, & Tiburtinus fluvius) Campaniam Romanam finiebant, juxta canones Siculi Flacci, Strabonis, ut supra, ac speciatim medio ævo, ut scribit Johannes VIII. apud Holstenium in *Cluv. p.* 128.

(109) Cursum per Urbes ab ora maritima instituentes, OSTIA, quæ extat noviter medio ævo constructa fuit à Gregorio IV. Pontifice ab An. 827. ad 44. *quoniam ea, quæ priori tempore ædificata fuerat longo quassata senio nunc videretur esse diruta*. Ita Anastasius p. 226. a. qui pergit, constructa ibi ædificia narrando, & singulariter statuisse Pontificem „ ut ab omnibus sive Romanis, sive aliis nationibus à proprio, „ quod ei erat, nomine GREGORIOPOLIS vocaretur; & revera meritò hoc à conditoris sui nomine vocabulum sumpsit, quia quod nullum legimus „ fecisse Pontificem, iste Dei Omnipotentis auxilio, „ simulque virtute munitus pro populo, ac liberatione patriæ ante jam nominatum opus mirabili decore fabricæ construxit, atque compositum &c. „ Eodem sæculo IX. etiam Nicolaus I. eandem Urbem *in meliùs instauravit, portisque etiam, & turribus fortissimis muniens, promptos ad bella in ea homines collocavit*, teste eodem Anastasio *in Nicolao I.* pag. 260. a. Quid ergo scribunt Blondus p. 313. Volaterranus pag. 124. Albertus p. 128. b. quod Ostiam *eversam quondam à Saracenis Leo IV. restituit, Corsis colonis inductis?* Utique legimus in *Leone p.* 237. b. armata manu Ostiam properasse, ut auxilio maximè Neapolitanorum Saracenis obsisteret, non quod ibi quid construxerit: tunc etiam Corsos ibidem firmaverit, ut fecerat Gregorius, non aliud. LAVINIUM quò celebrius in Romanorum monumentis præsertim apud Dionysium *l.* 1. pluribus in locis, eò obscurius medio ævo. Malè confunditur cum Lanuvio: malè sejunguntur in Plinio 3. 5. *Ilionenses*: *Lavinii*, qui idem: vetera refert Albertus p. 130. *& seqq.* ARDEA correpta *e*, non diphthongo, ut Ortelio, & aliis: vetus Rutulorum Regia, sed medio ævo à mari abducta, & locata 7. m. pass. à litore, ut in Magini tab. 41. amnis Numici ad dexteram. Hæc nova *Ardea* unum ex antiquis patrimoniis Monasterii S. Pauli de Urbe, legimus enim in Bullar. Cas. t. 1. *Const.* 22. & 25. *Ardeam cum Rocca sua, & turre majori, & Ecclesiis suis, & aliis pertinentiis*. Videatur Lubin *Notit. Abbat. p.* 23. b. APHRODISIUM, hoc est Veneris templum, cujus pauca vestigia supersunt, ideo à Lexicographis prætermissum. ANTIUM *nunc esse nullum* (scribit suo tempore Blondus p. 314.) *sed in mari, in litore, in nemoribus mirandas extare ruinas videmus*, operum scilicet, quæ patriæ suæ Nero Cæsar addiderit, totque alia ab aliis Imperatoribus, ut apud Philippum à Turre *in Monument. vet. Antii c.* 1. ineunte, ex quibus nihil ad rem nostram. NEPTUNUM (pergit Blondus) *Oppidum in Antii vestigiorum angulo ædificatum*, duobus milliariis ab Antio in ortum, sed quando? ASTURA ab amne cognomine dicta, ex villa Ciceronis crevit in Oppidum, quod idem servat nomen. Inibi Cicero gladio Antonii occubuit, ut ex ejus tragœdia apud Plutarchum *in Vita*, quam illustrat Fr. Fabricius Marco-du-

Digitized by Google

duranus *in Hist. Ciceronis à p.* 253. Bodrandus *in Astura*: & hic finis oræ Romani Ducatus, reliquam namque ad Græcos spectasse prædiximus. Loca ad ortum prosequamur: supra *Asturam* scribitur REGETA auctore Bodrando scribente: *Regeta nunc* Ruglate *teste Blondo, ex antiqua traditione Castrum pagus Sabinorum ab Urbe Roma* 35. *m. pass.* fides sit penes ipsos; nam apud Blondum *in Regione* 3. *Latina*, vel in Sabinis, de quibus agit *Regione* 4. *Umbriæ* circa finem, nondum *Regetam*, neque in tabulis Magini 40. & 41. *Ruglate* invenire potuimus. Utimur Blondo editionis Basileæ Frobenii 1559. Trans Ufentem amnem ad Liris, sive Gariliani dexteram SORA: *Sura* Erchemperto num. 21. item Paulo 6. 27. *Sura*, ubi ad Ducatum Romanum spectasse dicitur. Verum Lothario imperante A. 842. erat membrum Comitatus Capuani; nam ex quatuor filiis Landulfi Comitis *Pando Marepabis Suram regebat*, ut prodit Erchempertus num. 21. Ita & Peregrinius *Diss.* 4. de finibus &c. exeunte. *Hildebrandus Comes de Sora* apud Leon. Ost. 2. 6. Trans Garilianum ARCUM: Paulo *l. l.* cui & HORREA: sed in Italia quoque Jaillot *Morrea*. Magino tab. 41. *Arce*, & *Morrea*, quæ 10. m. pass. à Sora in boream. PONS CURVUS ex Ignoto Cassinensi *num.* 26. & Leon. Ost. 1. 38. ubi veteres *Fregellæ*, non procul à loco, ubi Lyris Melpham excipit, ut ait à Nuce 15. m. p. infra Soram. FRUSINO: FERENTINUM: ANAGNIA: ALATRIUM, de quibus nil novi pro medio ævo, quo idem nomen, ut in Ludoviciana, sicut antiquis, & nunc. Solùm medio ævo ineunte *Frusino* vidit suum Civem Pontificem *S. Hormisdam* An. 514. de *Civitate Frisilone*, ut scribit Anastasius. Anagniæ ad occasum. Inter Alatrium, & Soram BEROLA asylum Ludovici Imperatoris II. Perfidus namque Adelchis Beneventi Princeps ipsum ibi bona fide morantem carceri mancipavit. Sed advenientibus justo Dei judicio Saracenis Imperator dimissus, ut narrat Leo Ost. 1. 34. *abiit Berolam, ibique per menses circiter XI. remoratus*, dum interim per suos Comites feliciter bellum in Saracenos gerebat: *Verulum* Lexicographis. SIGNIA æquè in Ludoviciana, ejusque Civis medio ævo Vitalianus Pontifex A. 655. Ad occasum brumalem Signiæ VELITRÆ, quæ *Belitre* Leandro soli p. 140. a. cæteris omnibus *Veletri*, de quibus nostri vetera tantum recolunt. hoc est res veterum Romanorum. Sed sacrum doctumque ornamentum hujus Urbis fuit sæculo IX. *Gaudericus* Episcopus, cujus rogatu Johannes Diaconus *Vitam S. Clementis* Papæ scribere cœperat, sed morte præventus non potuit perficere; quam postea absolvit idem Gaudericus, obtulitque Johanni VIII. Pontifici, ut ex ejus nuncupatoria *Præfatione* apud Mabillonium *Musæi Ital. t.* 1. *part.* 2. *p.* 78. CORA 5. m. pass. à Velitris in occasum brumalem cujus gentile *Corani*, ideo *Civitas Corana* dicitur Anastasio in *Felice II.* Ad Tiberim redimus, ibique non procul ab Ostia PATRICUM observamus in Ludoviciana scriptum, & in Magini tab. 42. ab Ostia 9. m. p. in ortum. Hic conferre est necesse Ortelium cum Holstenio. Namque rectè Ortelius scribit *Patricum Romani Ducatus in Latio Oppidum*: *Sigonius de R. I.* (ad A. 727.) *Maritimus locus circa Numicium fluvium est Ligorio*. Holstenius in hunc locum p. 145. hæc annotat: *Patricum habetur in donatione Ludovici Pii. Est autem Patrica, sive Pratica di Campagna, à quo diversus est locus ille ad Numicium*. At sumus cum Ortelio, & Magino: Patricum enim Ludovicianæ non est illud dictum *Patrica*, ubi Linternus in Terra laboris. Si in Latio, sive in Cumpania Romana Patricum habemus juxta Ludovicianam, cur illud petere à longinquo & extra Ducatum? De Patrica sermo erit num. 109. ALBANORUM OPPIDUM ex Albæ longæ ruderibus excitatum 14. m. pass. ab Urbe in ortum, cujus ordini, & plebi scribit S. Gregorius *Ep.* 11. *l.* 3. nov. edit. Ejus S. Pontificis decretis *col.* 1291. subscribitur *Homobonus* Episcopus Civitatis Albanensis, & Andreas Albanensis Privilegio famoso S. Medardi *col.* 1287. Non procul *Albana rura* quæ medio ævo erant Villa Gandulfi (nunc *Castellum Gandulfi*) vel Villæ, loca nempe pro amœno secessu Imperatorum (sicut modò Pontificum) quoties Romam pergebant. An id aliàs observatum, nescimus. Nihil enim innuit Holstenius in *Cluv. pagg.* 179. & 185. ubi solùm dicit inibi fuisse Regiam Albanorum, ex à se laudatis Veteribus. Sed clarè ostenditur ex diplomate Lotharii I. quod extat in Bull. Cas. *t.* 2. *Const.* 32. si tamen ab omni suspitione poterit vindicari, cum in pluribus claudicare videatur. Scribitur „ datum Hilduino Abbati Monasterii Ebobiensis Ar„ chicancellarii Imperialis dignitate insignito 15. Cal. „ Septembris A. ab Incarnatione Dn. 846. indictione 9. „ A. Christo propicio Hlotharii Imperatoris in Italia „ 28. & in Francia 17. Actum *Gandulfi Villa in Palatio* „ *Regio* „. Non dubitamus hanc fuisse inter *Albana rura*, ut supra, 16. m. pass. ab Urbe, in quarum ambitu dicta *Alba longa* tam celebris, à Tullo Hostilio eversa: & ibi recens *Albanum*: rura jucunda, deliciisque referta ob colles, & Lacum Albanum. Nusquam Villam Regiam Gandulfi, cum Palatio legimus in Franciis, ut videre est apud Mabillonium *de Re Diplom. lib.* 4. ubi de Francorum Regum Palatiis, Villis, & curtibus agit. Solum n. 27. notat, quod „ pagi Villarum Noviliaci, *& Gan*„ *dulfocurtis* meminit Vandemiris Optimas in amplissi„ ma bonorum suorum partitione testamento facta va„ riis Ecclesiis, assentiente Ercamberta uxore: quæ do„ natio est *acta Camiliaco vic publico A.* 17. *Theuderici* „ *Regis* „ sed hæc privata, & aliena à re nostra. Cæterùm Curtes Regias, Villas & Palatia habuisse Reges Italiæ, præsertim Francos (præter leviter tacta sub n. 51. *Monit. VI.*) liquet ex lege 73. Lotharii (C. H. t. 2. p. 2. pag. 146. a.) ubi Curtes Regiæ dantur Gastaldis administrandæ. Notæ Chronicæ postea in A. 846. cum indictione 9. conveniunt: non ita in annis Imperii, culpa fortè amanuensium, ut millies contingere solet: facilè tamen emendantur. Certum est, Lotharium usum fuisse duplici epocha, una, qua socius Imperii, & Imperator dictus à Patre Ludovico Pio ab A. 817. scribitur XXVIII. debet esse 29. deficit I. Altera Imperii à morte Ludovici Patris juxta quam scribi deberet in Francia VII. non XVII. abundat X. Verum tamen est, non omnino placere *in Italia, & in Francia*, quæ distinctio potius respicit Regnum, quam Imperium, etsi Mabillonius *de Re Diplom. l.* 2. *c.* 26. *n.* 14. exempla prodat de Imperio pro Regno. Proxime supra in eodem Bullario extat *Const.* 31. Lotharii, & Ludovici A. 841. similibus concepta expressionibus, sed undique falsa oculis nostris apparet. In hac postea 32. adhuc major est difficultas, an hoc Anno 846. Lotharius esset in Italia, & Romæ. Quis id docet? Anno superiori Italiæ quidem appropinquavit, nam Annalista Bertinianus scribit sub A. 845. quod *Lotharius Provinciam ingressus, Bretotiam* (corr. *ferè totam*) *suæ potestati recuperat*. De profectu in Italiam nihil. Observandum, A. 846. ex eodem, Saracenos mense Augusto Romam aggressos, Basilicam S. Petri diripuisse. Subdit: quod Saraceni, expost *quemdam montem* 100. *ab Urbe millibus munitissimum occupant*: *quos quidam dudum Hlotharii minus religiosè adorsi atque deleti sunt* . . . . . *Hlodoicus Hlotharii filius Rex Italiæ cum Sarucenis pugnans, victus vix Romam pervenit*. Utique Ludovicus post coronam Italiæ biennio ante à Sergio II. receptam ab Italia Transtiberina nondum hoc anno discesserat. At quomodò & illic Lotharius? Obscura sanè Bertiniani sunt verba: attamen indicant, & Lotharium in Transtiberina tunc fuisse, ut neque ex hoc capite rejici possit charta Bobiensis: quin imo declarat, quod innuit subobscurè Annalista. At si non videtur id satis, videatur apud Cel. Schilterum integrum Diploma Lotharii A. 846. subscriptum per Rothmundum Notarium *ad vicem Hildevini Archicancellarii*: *Actum publicè in Palatio Regio Argentoraco* (NB) *cum iremus in Italia feliciter*. Ita nobis testatur Jacobus VVencKerus *de Archiv. & Archicancell. Impp. p.* 236. in annot. & dum hunc contrectamus Auctorem, dubia proponantur, quòd cunctis facere satis studebimus. Si quis dicet Archicancellarios fuisse Episcopos, non Abbates, quis est laudatus Hildevinus? Abbas ille S. Dionysii Parisiensis, qui Areopagitica pro S. Dionysio scripsit, inde orta celebri controversia de duobus Dionysiis. Nec obstat, serò fuisse apud Episcopum Virduensem. Quin imò VVencKerus *l. l.* unicum hunc Archicancellarium Lotharii I. cognovit: demonstravit adhuc supra p. 92. Augustas habuisse suos Archicancellarios cum officii exercitio, fuisseque, ut plurimum Abbates, præsertim Fuldenses. Urgebit alter: Si Hilduinus Sandionysianus Archicancellarius, non ergo Bobiensis. Eccur non is etiam sinè exercitio ad honorem? Idem p. 229. laudat Fr. Lanovium in *Schediasmate de Cancellar.* qui novit duos Archicancellarios Caroli M. Episcopos Meticanenses, quibus titulum hunc *honoris causa delatum esse absque re, & functione* existimat. Utique VVencKerus se nescire fatetur *alia ejus rei exempla de Carolinis, reliquorumque Regum temporibus*: *eaque de causa parum verisimilitudinis habere videtur conjectura prædicta*. At si aliud non obstat, & is Abbas Bobiensis erit aliud exemplum. Refert hanc chartam Bobiensem ulla sinè suspitione, & fidenter nimis Ughellus t. 4. col. 960 edit. 2. ex qua sola Hilduinum enumerat septimo loco inter Abbates Bobienses. Dicitur in eadem charta, Lotharium *jure bonorabilis feudi* Abbatem per annulum investire. Conclamant hic Viri docti Du-Frene, Freherus, Seldenus, Ludevvio, Hornius, Thomasius apud Struvium *Hist. Jur. c.* 8. §. 1. *p.* 678. nolentes, *feudi* vocem jam dum sæculo IX. fuisse usitatam, non alia ratione, nisi nunquam inveniri, sed semper *beneficium*. At si non aliunde Bobiensis hæc charta suppositiria ostendatur, omnes evincit. Struvius tamen ex aliis chartis præsertim Ludovici Pii A. 824.

vocis

Digitized by Google

vocis usum concedit, sumpto feudo pro prædio rustico colonis concesso. At in Bobiensi est feudum nobile, & Regale. Si præsto nobis esset autographum, liberius loqueremur. SUBAUGUSTA, olim Urbs Episcopalis, cujus tres Episcopi recensentur in Geographia Sacra p. 52. & ibi Holstenius p. 11. notat *vestigia extant ad Turrim Pignatarum vulgò dictam, ubi Ecclesia fuit SS. Petri, & Marcellini: ibidemque condita fuit Helena Augusta Mater Constantini M.* Hæc sumpsit ex Baronii *Martyr.* 2. Jun. a. At quia non omnibus Turris Pignatarum innotescit, obque recentis loci, ac nominis vilitatem à tabulis nostris, abest inscriis situm indigitat Paulus Aringus *Romæ subterr. t. 2. l. 4. c. 9. n. 4.* hoc pacto: „ *Postquam Beatissima Helena Romam ad Filium rediit*, „ ibi plena dierum ultra 80. ætatis annum, expleto vi„ tæ suæ cursu, cum felici lætitia 6. id. Februarii, de„ posito carnis onere, cœlo reddidit spiritum, & sepul„ ta est honorificè cum aromatibus *Via Labicana, ubi* „ *dicitur inter duas Laurus milliario tertio ab Urbe*. Omnes ex fonte Anastasii in *Silvestro I.* p. 110. a. Via Labicana à porta Esquilina ad Oppidum *Labicum* nunc *Columnam* ducebat. TIBUR ad lævam Anienis, sive fluvii Tiberini, ut medio ævo, quo Tibur captum à Totila A. 545. proditione, & causa jurgii orti inter Isauros præsidiarios, & Cives, sævissimè cum Episcopo trucidatos, ut fusè narrat Procopius 3. 10. exeunte. Ab eo tempore silent Scriptores nostri de Tibure usque ad Ottonem III. qui illud A. 997. obsedit, quia & Crescentio Tyranno Cives faverant, & Matholinum Ducem suum occiderant, ut narrat S. Petrus Damiani in *V. S. Romualdi*, cujus rogatu Imperator illis ignovit, pacto, ut in Regis honorem partem murorum diruerent. Ad calcem Ducatus flumina Campaniæ, & reliqua dabimus.

(110) Ab Aniene Campania Romana à borea concluditur, non tamen Ducatus Romanus, cui pars Sabiniæ, & Umbriæ adhuc accensebatur. Creberrima mentio Comitatus Sabinensis habetur in documentis medii ævi, præsertim Spoleti Ducum, qui illius maximam partem occupabant ad ortum. Nec valde diversi fuere fines medio ævo ab eo quod essent ætate Strabonis, & Plinii. Etenim Strabo 5. p. 438. scribit: *Sabinia inter latinos, umbrosque jacet*, hos scilicet à *borea* habet (annuente Plinio 3. 12. juxta quem *Sabini Velinos accolunt Lacus*) illosque ab *austro*, Latium nempe, sive Campaniam. Ab *occasu* per Tiberim disterminatur à Tuscia. At *ab ortu* (pergit Strabo) *extenditur & ipsa ad Samnitum montes, propinquior Apennino ad Vestinos* (ad lævam) *Pelignos* (in medio) *& Marsos* (ad dexteram) propinquitatem Apennino declarat p. 456. cum subjicit: *Sabini angustum incolunt agrum in longitudinem protensum à Tiberi usque Nomentum Oppidum*, quod intelligendum est de agro Oppidi Sabini, subdit enim *stadia mille*, hoc est milliaria 125. quæ conficiunt non modicam longitudinem *usque ad Vestinos*, prope quos habebant Sabini alia Oppida, dum dicit „ paucas quidem, ac tenues habent „ Urbes, bellorum assiduitate vastatas *Amiternum*, & „ *Interocream*, vicum Reate finitimum ..... „ Sabinorum quoque sunt *Foruli* „. Sed longè plures Urbes Sabinis tribuit Plinius 3. 12. quas inter *Nursiam* ad Apenninum, per quem Sabinia sejungitur à Piceno. Videtur adhuc ibi Plinium bis quasdam repetere, ut infra. Liquet ergo fines Sabiniæ medio tempore eosdem fuisse ac ævo superiori, ut ideo Sabiniæ ab Ducatum Romanum spectantis fines essent *ab austro* Campania, dividente *Aniene*: ab *occasu* Tiberis, à *borea* Nar amnis, & quia paulo supra Narem *Velini Lacus* Plinii, & quia Narnia ad lævam Naris erat Ducatus Romani & Interamna (Terni) ad dexteram Ducatus Spoletani, ut patebit. Verum aliter se habebant fines ad *ortum*, ubi intra angustum spatium paucorum milliarium Ducatus is arctabatur. Argumento est *Farfa* vix 6. m. pass. à Tiberi distans. Rerum, & documentorum Farfensium inscius Sigonius Farfam Ducatui Romano contribuit in *Epitome*, sive indice Bononiensi: in excerptis tamen Chronici Monasterii Acutiani, sive Farfensis apud Fr. Duchesnium *Hist. Francor. t. 3. à p. 650.* & ibi Charta Caroli M. 8. Kal. Jun. AA. 7. & 1. idest Regni Francici, & Italici, data Probato Abbati Monasterii, *quod vocatur Acutianus in Ducatu Spoletano, vel fundato in territorio Sabinensi*. Abundant testimonia apud Mabillonium *Annal. O. S. B. t. 1. p. 561.* sub A. 681. Sed quid clarius laterculo Ducum Spoletanorum, & Abbatum Farfensium quod Chronico præmissum, & ex utrisque simul contextum, quia Monasterium Spoletanis obnoxium? Cum, hoc posito, *Tibur* ad Anienem, & *Narnia* ad Narem essent Ducatus Romani, *Farfa* verò Spoletani, ducimus ab *Aniene* ad *Narem* lineam obliquam has Urbes includentem, Farfam excludentem, & utrumque Ducatum ab ortu in Sabinia disterminantem. Superior, & extrema pars Ducatus erat trans Narem, ubi certissimè Umbria antiquitùs, & si Plinio 3. 14. in hoc angulo occiduo amplior esset, & extensa adhuc cis Narem, ita & Ptolemæo 3. 1. Sabinia ad ortum arctata: verum non sic ævo medio, quo Umbriæ nomen suppressum, non Sabiniæ. Utique portio Ducatus Romani trans Narem erat exigua, cum ex documentis habeamus vix Tuder, Ameriamque comprehendisse & si quæ alia loca interposita tunc aderant alicujus nominis, ex illis, quæ nunc scribuntur in novis tabulis, ut in 40. Magini Tiberi adjacentia. Ducimus itaque à dextera Naris è regione Narniæ aliam curvam lineam supra Tuder tangentem Tiberim, ubi amnes nonnulli anonymi designantur in tabulis, quorum unus naturaliter fuerit limes extremus Ducatus. Quæ porrò extra eandem curvam sunt posita, ad Ducatum Spoletanum spectabant; & hæc recolenda erunt, quando de finibus hujus Ducatus inferioris ad occasum num. 119. loquemur. Sabiniæ modò Ducatus Romani inter datam lineam, & Tiberim adeamus. Harum prima non procul ab Urbe est FIDENA, etiam medio ævo sic vocata, ut ex Geographia sacra p. 55. Plinio 3. 5. *Fidenates*: nunc *Castel Giubileo*. Supra & ad dexteram NOMENTUM recitatum & ipsum in Geographia sacra p. 55. nunc *Lamentana vecchia*, nam erat, & est altera, ut mox. Medio ævo ibi sedes Sabinensis Episcopi, cum *Malliani*, ubi nunc sedet, nulla vetus memoria, quod sciamus. Ex Holstenio in *Cluv. pag.* 104. habemus Episcopos Nomentanos subscriptos VI. Synodo Constantinopolitanæ *Paulum Episcopum* Νουέντου: & Benedictum Romanæ sub Zacharia A. 745. Harduinus *ad cap. 12. pag. 169. in notis* 18. & 21. putat Fidenates, & Nomentanos Regionis IV. esse diversos ab illis Regionis I. *cap.* 5. Et adversatur Cellarius p. 773. duplici ratione: Una quia Plinius *cap.* 12. facit Fidenates, & Nomentanos prope *Norbam*, & *Reate* ubi à nemine id fuit observatum, nec dictum: altera, quia Plinius errore ductus credidit Nomentum à Latinis conditum. Utique Plinius bis scripsit Fidenates, at non Nomentanos sanè diversos, ejusque neutra ratio nobis arridet. Non prima, quia Cellarius observare debebat Plinium *cap.* 12. & sæpissime alibi, non ordinem geographicum servare, sed alphabeticum, ideo enumerati populi proximi sunt literaliter, non localiter. Non secunda, quia Plinius hic non dicit Nomentum à Latinis conditum, ut errare potuerit. Ratio potior ea nobis videtur, quod Fidenates continerentur in ambitu veteris agri Romani, sive in una illarum Tribuum rusticarum, quæ proximiores erant Romæ, ut erant veteres, & primæ illæ tres *Romilia*, *Lemonia*, & *Pupinia* apud Rosinum *Antiq. Rom. l. 6. c.* 15. Nec temere in *Pupinia*, quæ cis Gabios sita erat, locaremus .... *Nomentum, & Gabios, Urbemque Fidenam*: ita has Urbes Romæ proximas conjungente Virgilio *Æneid. 6. v.* 769. Bis itaque Fidenates minimè multiplicandos rectè Plinius dixit: primò c. 5. ut in agro Romano contentos: secundò cap. 12. ut Regioni IV. ab Augusto adscriptos, Sabinia Umbræ attributa. At non par ratio de Nomentanis, licèt & ipsi fortè fuerint in agro Romano modo explicato, longius tamen ab Urbe, quam Fidenates, qui vix ab ea 5. m. p. distabant. Utique alios Fidenates, quos Harduinus supponit, nondum invenimus: bene tamen geminos. Nomentanos quos inficiari nequit Cellarius. Etenim si fatetur *Lamentanam la vecchia*, cur non *la Nova*? Duplex ergo Nomentum, sive ut apud Ferrarium, & Bodrandum *Nomentanum*, & *Nomentum*, ut etiam rectè dixit Albertus p. 105. Verum tamen est apud Strabonem, & Ptolemæum unicum tantum esse Nomentum. Strabo 5. p. 456. *Sabini angustum incolunt agrum à Tiberi usque Nomentum*, quod *Lamentana vecchia* etiam Holstenio *in Cluv. pag.* 104. Ptolemæus 3. 1. *Ardea*, *Nomentum*, *Treba*, &c. in Latio, sive Campania. Cur in Sabinis, ut dicit Bodrandus? Et hæc esse deberet *Lamentana nova*. Res nondum est clara: pergamus. GABIUM XIII. ab Urbe lapide Urbs Episcopalis sæculo VIII nam A. 743. *Nicetas Gabiorum* Episcopus interfuit Concilio Romano sub Zacharia: imò & sæculo IX. quo Pontigonensi Synodo præsto fuit *Leo* Episcopus *Gabinensis*, ex Holstenio *in Cluver. p.* 198. ASPERIA & nunc per syncopen *Aspra*: veteribus, & Lexicographis *Casperia*. OCRICULUN in Ludoviciana *Otriculi* ut & modò popularibus. Desiderius & *Castrum Utriculum occupare fecit* A. 772. apud Anastasium *in Adriano* I. p. 182. b. Ad Naris amnis lævam NARNIA Romanis adimitur à Liutprando A. 718. apud Anastasium in *Gregorio* II. p. 156. b. sed restituitur ab Aistulpho per Pippinum coacto, ex eodem *in Stephano* III. p. 171. b. Cum adhuc hanc teneret Liutprandus, commorans Interamnæ, A. 743. Zachariæ obviam misit Grimoaldum, qui Narniam honorificè produxit S. Pontificem, adeuntem Regem, ipsumque allocuturum: apud eundem *in Zacharia* pag. 161. b. Hic finis Sabiniæ, & trajecto Nare initium Umbriæ, in cujus angulo occiduo AMERIA capta à Ducibus Langobardis A. 577. recepta ab Exarcho Romano A. 593. ex Paulo 4. 8. iterum capta, & restituta à

Liut-

Digitized by Google

Liutprando ex Anastasio in *Zacharia*: refecta à Leone IV. ex eodem pag. 242. b. nunc vocatur Amelia. TUDERTUM, ut in Ludoviciana: antiquioribus *Tuder*: nobis *Todi*, quod dedit supremæ S. Sedi A. 649. Martinum I. æquali sorte cum proxima Ameria captum à Ducibus, & receptum ab Exarcho, ut supra: MARTULA 5. m. pass. à Tuderto in ortum brumalem ex Ughello apud Lexicographos h. V. In Martyr. 9. Jul. dicitur *Martulæ S. Britii*, & in hujus Sancti actis apud Holstenium *in Cluver. p.* 98. *Submontana Martulana*: & iterum *in Civitate Martulana*. Et hic quoque finis Ducatus Romani: Hujus flumina in Campania TIBERIS notissimus, veterrimè Albula dictus. ASTURA invariati nominis. UFENS antiquis à quo dicta Tribus Ufentina, sive Oufentina, excurrit in mare prope Terracinam. Expost BALDINUS vocatus in tabula Ligorii, apud Ortelium in *Ufens*, qui subdit *Baudino* aliquibus esse: Nunc dicitur *Aufente* juxta Albertum p. 134. b. Sed in Magini tab. scribitur Baudino, aut Aufente: Bodrando dicitur *il Portatore*, quæ omnia nomina censemus infimi, non medii ævi. GARILIANUS utique medii ævi nomen, quod *Liris* antiquioribus alia adhuc nomina ipsi tribuentibus apud Ortelium *in Liris*. Egregiè de Gariliano differit Ang. à Nuce in Leon. Ost. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 522. ubi docet, medio ævo partem amnis hujus superiorem dictam CARNELLUM, & inferiorem ab agro Svessano ad mare *Garilianum*. Item *l.* 1. *c.* 43. *à n.* 738. arguit, qui montem, non amnem *Garilianum* putarunt: alibi quoque. MELPIS, de quo satis num. 108. quia is limes Campaniæ Romanæ. Hanc à Sabinia dividit *Anien*, qui etiam *Anio* antiquis nunc *Teverone*, sed medio ævo *Tiburtinus fluvius*, teste Holstenio in *Cluv. p.* 128. scribente quod *in antiquis instrumentis ante* 800. *&* 900. *annos Tiburtinus fluvius semper vocatur*, à Tibure nempe, quod abluit. Binas laudat V. doctus ad hanc rem Johannis VIII. Epp. nempe 30. ubi *Sarraceni fluvium, qui à Tiburtina Urbe Romam decurrit, furtim transeunt*: alteram 32. *sed & Tiberinum fluvium, qui olim Albula dicebatur juxta Sabinorum confinia pertransierunt*: idem ne is ac ille? Anien ne dictus Albula? hæc non percipimus. Clarè nimis Pontifex Tiberinum pro Tiberi scribit, & non pro Tiburtino, sive Aniene, ut in exemplo Labbeano *t.* 9. *col.* 28. ad Carolum Calvum. Supra Anienem non designatur in Tabula nostra fluviolus anonymus scribendus *Allia*, deficiente loco, sive spatio, de cujus recenti nomine non conveniunt Scriptores, ut apud Ferrarium, & Bodrandum in *Allia*, quæ dicitur *Aja* juxta Ligorium, sed aliis Rio mosso. Quia celebris ob cædem Romanorum, de qua Livius 5. 21. placet exscribere Holstenium in *Cluv. pag.* 127. cui magis deferendum. Scribit *Ergo nec Allia potest esse Rio mosso, qui duobus, & amplius passuum millibus ultra montem Rotundum fluit. Ego, consideratis locorum intervallis, Alliam esse puto rivulum, qui inter prædium S. Columbæ, & S. Johannis paulum ultra Marciglianum præ alto alveo defluit in Tiberim. Nam hic rivus 5. aut 6. pass. mill. distat à Fidenis, sive Castello Giubileo. Fidenæ autem 5. ab Urbe p. mill. absunt, quæ in universum XI. m. pass. conficiunt*. Sed nondum nobis significatur recens nomen amnis seu rivi Alliæ. Etiam in Magini tab. 41. amnis designatur influens in Tiberim examussim XI passuum millibus ab Urbe, cujus initium prope M. Librettum, sed sine nomine, & tamen anonymus non erit incolis. Qui in tabula nostra 24. circiter m. pass. supra Romam designatur, amnis anonymus est *Himella*, nomen nov-antiquum. Bodrando in *Himella* dicitur *l'Aja*. Sed eidem quoque l'Aja est Allia: hæc non sibi cohærent. Sanè l'Aja, & Allia nomina sunt affinia. Supra, ubi Urbes Narnia, & Interamna, *Nar* dividens Umbriam à Sabinia, nunc *la Nera*, quam auget *Velinus*, & Velinum vetus *Telonius* prope Reate, sed ab ortu ex Marsis profluens. Medio ævo dicebatur *Tolenus* juxta Orosium qui *l.* 5. *c.* 18. de bello Sociali scribit, quod 8. m. Romanorum cadavera cælorum à Marsis *in conspectu Marii Legati Tolenus fluvius pertulit*. Observamus in tabulis recentibus pro *Telonio* scribi *Turano*: ita & in Magini 40. & 41. & ita sentit Brietius *in Parallel. Geograph. pag.* 611. Sed perperam omnes Cluverium secuti id scribunt ob nominum affinitatem. Itaque Holstenius p. 126. (annuente Bodrando *in Telonius*) ad removendum communem errorem inquit de Turano: „ Ego rectius *Saltum* interpretor; nam *Turanus* partim per Æquos, partim per „ Sabinos fluit. *Saltus* autem per Marsos, & Æquicolas, neque similitudini nominis temerè credendum. „ Cum *Turanus* à Civitate *Torana*, quam mediam per„ labebatur, nomen acceperit, ut Curensis à Curibus, „ & alii „. Urbis Toranæ fit mentio in Charta Hugonis & Lotharii Regum A. 941. *pro Cœnobio S. Benedicti Sublaci sito in territorio Campanino*, hoc est Campaniæ, apud Puccinellum *Chron. Florent. p.* 186. ibi: *Curtem unam juris Regni nostri in Gastaldatu Thorano sitam, quæ Sala dicitur*. *Velinus* postea prope Reate *Saltum* excipiens, hoc *Tolenum* medio ævo Lacus Velinos antiquitus dictos efformat in tabula nostra Anonymos, in laudata Magini scribuntur Lacus *di Pianciano*: delle *Marmore*: di *Piedi Luco*: di Rieti: an hæc nomina medii ævi, vel nova ignoramus: eisdem utitur Blondus *Regione* 4.

SECTIO XXI.

(111) *Spoletani Ducatus* institutio (non satis comperta Viris doctis) decernitur: Ejusdem historia per suos Duces ævi Langobardici exposita: Index Farfensis, & Viri docti, suppletus, & correctus. (112) Ejusdem historiæ sub Francis continuatio: Sico Dux Beneventi Civis Spoleti, non Dux: Vidonis diploma spurium etsi Viris doctis probatum. (113) Eorumdem Ducum sæculi X. series historica: An hos inter Berengarius II. enumerandus: Is Spoletanorum vindex, & cur. (114) An Pandulphus Caputferreus Beneventi Princeps fuerit, & Spoleti Dux: In S. Petri Damiani, & Ottonis III. Epistolas animadversiones. (115) Dubia ex eisdem Epistolis emergentia: Quo jure Duces Lotharingiæ dicti Duces Spoleti: Item quo jure & Comitissa Mathildis. (116) Ejusdem Ascendentium jura: Quando ipsius ditiones distrahi cœperunt: Marchiones Teutoni Spoleto præpositi: Quis jura Ecclesiæ restituit. (117) Ducum Spoleti ditiones quam amplæ: dividuntur: *Sabinia Spoletana* extensio, & fines: Hos intra Valeriæ Provincia: (118) Ditionis ejusdem Urbes, & loca: Ibi *Farfa*: *Mons Aliperti*: *Marsica* dicta Valeria: *Casauria &c. Valva* an Urbs, vel Regio: An vetus Corfinium. (119) Ducatus Spoleti proprie dicti in *Umbria* fines: Urbes, & loca: De *Tadino* plura: An *Nuceria*, & *Camellianum* idem: Lexicographi observati: *Fossati* origo. (120) Ducatus Spoletanus in *Piceno*: An Camerini, vel Firmi obsessa Agiltrudis ab Arnulfo: *Provincia Castellorum* Anonymi Ravennatis quæ: V. docti opinio rejecta. (121) *Marcha Firmana* ante Ottones instituta: An sæculo IX. à Ludovico II. Chronographus Farfensis notatus: Suppo I. Marchio quis. (122) Ejusdem Marchæ Urbes & loca: *Camerini Marcha* nomine tenus distincta à *Firmana*: Reliquæ Urbes: *Aprutii* Civitatis origo: Vestinorum Urbes aliquæ: Piceni Spoletani flumina.

(111) CUm Ducatui Romano Spoletanus insideat à borea, pariterque adhæreat ab ortu, postulat rectus ordo, ut iste post illum nunc describatur. Nunquam apud Geographos adhuc novissimos, ex quo fuit sæculo VI. institutus, nomen ejus deperiit: ut ideo, ducibus Blondo, Albertoque, sic titulum scribant *de Umbria*, *sive Ducatu Spoletano*, parum animadvertentes, sub antiquis Ducibus Langobardis, Francis, & Germanis, præter Umbriam, adhuc majorem partem Piceni, Sabiniæ, & fortè quid amplius comprehendisse, ut in inquisitione finium dicemus. Sanè ab antiquis Ducibus nomen accepit, sed quando, nec id probè Scriptores noverunt. Quid dicat Bernardinus *Campellus*, quid Camillus *Lilius* rerum *Spoleti* Scriptores, nescimus, utrunque desideramus. Docuit Volaterranum, Albertum, & alios Blondus *Regione* 4. ineunte quod *Spoletani Ducatus nomen primò ab Exarchis Italiæ sedem Ravennæ inditum, eam habuit vim, ut à militari consuetudine tractum dignitatem nunc referat, quæ post Regiam est suprema*. Contra Sigonius ad A. 571. de Alboino loquens, sentit, ab eodem *ex Umbria Spoletum in primis est occupatum*: & infra, Urbem *Alboinus receptam non solum conservavit, sed etiam Umbria in formulam Ducatus redacta, ipsam Ducatus Caput, Duce Faroaldo imposito, fecit. Hinc Spoletanus Ducatus celebrari cœpit*. At neutra institutio satis probatur. Non ea Exarchi, quia idem Blondus *Hist. dec.* 1. *l.* 8. *p.* 102. fassus est, quod Longinus *in administratione Italiæ, & Urbium ..... hunc primus servavit morem, ut non Provinciæ, aut Regioni præesset præses, sive quispiam Magistratus, sed singulæ Urbes, singula Oppida à singulis custodirentur, regerenturque Magistratibus, quos appellavit Duces*. Quælibet ergo Civitas Ducatus, nullaque Regio. Cur Spoletum servare debebat tot post sæcula Ducatus dignitatem prope Regiam, & non cæteræ Civitates? Igitur de cunctis par ratio. Neque illa Alboini, quoniam, ut observavimus supra numm. 97. & 104. vix ipse per Tusciam Romam aspexit à longè, nec alicubi trajecit Tiberim, ut Spoletium adiret; eoque minus per Æmiliam, Exarchatum, sive Flaminiam, & Pentapolim, transeundo Apenninum: quod iter habere debuisset, ut Spoletium invisseret. Nullibi hæc legimus: nihil in his Regionibus trans Mutinam occupasse novimus. Dicendum est itaque, captum Spoletium stante Langobardica Ducum oligarchia, eaque in universali irruptione A. 577. quam descripsimus d. n. 104. & tunc quando capta Perusia, cum tot aliis Urbibus,

Digitized by Google

bus, & Oppidis, nonnullis exinde receptis ab Exarcho Romano A. 593. ut apud Paulum 4. 8., & Anastasium in *Gregorio I.* non tamen recepto Spoleto, neque cæteris finitimis Urbibus à Faroaldo subactis, & ex quibus paulatim Ducatus Provincialis evasit. Hinc fit quod serò Paulus 3. 13. post mortem Justini, & Principatum Tiberii ab A. 579., sed durante Interregno, Faroaldum commemorat, scribens, *hac etiam tempestate Faroald primus Spoletanorum Dux cum Langobardorum exercitu Classem* (Ravennæ) *invadens, opulentam Urbem spoliatam cunctis divitiis nudam reliquit*. Subdit Rubeus *Hist. Ravenn. l. 4. p. 160. & 61.* Faroaldum post obsedisse & Ravennam, fugatum tamen, & trucidatum à Smaragdo Exarcho: quæ si vera, protracto bello Ravennatensi, contingere potuerunt A. 583. dum A. 582. Smaragdus Longino est à Mauricio suffectus juxta Sigonium h. A. Sequitur itaque ab A. 583. *Ariulfum* Spoleti Ducatum obtinuisse, scribente eodem Paulo 4. 17. *Ariulfus Dux, qui Faroaldo apud Spoletum successerat, moritur*, quando, mox videbimus. Is ille, de quo Baronius A. 592. n. 2. ait: *iste Arnulphus Dux Longobardorum in Tuscia, de quo altum silentium apud Paulum*, fortè expost ipsum novit apud Paulum, dum Em. Vir A. 598. num. 3. hæc habet: *juravit Arnulphus Dux Spoleti, sed dolosè visus est agere, qui ad pacem præstandam invitus accessit*. Idem ergo Ariulfus Pauli, ac Arnulphus, ut prænotavimus n. 104. & de quo adeò, justèque conqueritur S. Gregorius scribens Mauricio Aug. *Ep. 31. l. 4.* indict. 13. (A. 595.) quod plus Ariulpho credatur, quam ipsi: & *Ep. 102. l. 7. indict. 2.* (A. 599.) quod pacem jurare renuat. Postquam adhuc se dolet de persecutione Arnulphi *Epp. 21. & seqq. l. 12. indict. 7.* (A. 604.) quoniam parato exercitu Urbis molitur excidium, ut declarat idem Baronius A. 603. n. 28. Sed quia facinus infectum remansit, A. 604. occubuisse creditur, capto prius *Camerino*, & quidem miraculosè obtenta victoria, ut Paulus *l. l.* prosequitur: sed Em. Cardinalis *Arnulphum* S. Gregorii minus attentè distinxit ab *Ariulfo* Pauli. Anno igitur 604. post Ariulfum (non 603. ut notat Sigonius) Dux effectus *Theudolapius* Faroaldi I. filius: subjicit enim Paulus d. c. 17. quod *mortuo Ariulfo, duo filii Faroaldi superioris Ducis inter se propter Ducatum decertantes, unus ex ipsis, qui, cum victoriam adeptus esset, nomine Theudelapius Ducatum suscepit*. Perdiu vixisse Teudelapium oportet, nempe usque ad tempus Ariperti I., scribente Paulo 4. 52. exeunte, *apud Spoletum Teudelapio defuncto, Atto eidem Civitati Ductor efficitur*, & statim cap. 53. Ariperti mortem adnectit. Conjicimus vidisse A. 658. quoniam modò definiri nequit initium, & finis Regni Ariperti, valde dissentientibus Paulo *cap.* 53. & doctissimis Pagio A. 659. n. 4. & Abb. Bacchino *in Agnello* (C. H. t. 2. p. 119. b.) Noverint Viri docti, nondum feliciter confectum Laterculum Chronologicum Regum Langobardorum ab antiquis, vel recentioribus: qui rectè cœperunt, non explevere: & qui illud expleverunt, non rectè cœpere: id obiter. Sed ad rem VVolphangus Lazius *de Migrat. Gent. l. 12. p. 823.* in Catalogo Ducum Spoleti Teudolapio sufficit *Grimoaldum*, ejusque nudum nomen sinè nota Chronica, & sinè teste: quo defectu ferè semper laborat, ut ideo nos minimi eandem putemus. Huic item Grimoaldo successorem dat alterum *Theolapium* (juniorem) ut ipse scribit. Vix addit *sub Ariperto* (Rege ab A. 654. ad 61. exeunte) *& Heracleone* (qui per 5. vel 6. menses tantum Imperator A. 641.) Igitur is Teudolapius II. Dux fuerit saltem per Annos 14. Si cui non probatur substitutio Pauli, quærat unde Lazius hæc sumpsit, dum & alibi claudicat. Sigonius A. 661. scribit *Theudolapio Zothо suffectus*. At de hoc Zothone nihil Paulus, & si fuit, non diu, quoniam nec diu administravit Atto: Et enim Grimoaldus Rex A. 663. *Trasemundum, qui dudum Comes Capuæ fuerat* (& præcursor Grimoaldi apud Paulum 4. 53.) *& ei ad percipiendum Regnum strenuissimè paruerat, data ei in matrimonium sua filia, Romoaldi altera sorore, eum post Attonem, apud Spoletum Ductorem fecit*: Ex eodem Paulo 5. 16. Adhuc A. 691. vivebat is Trasemundus, scribitur enim sub hoc Anno primus in *Indice Farfensi*, Chronico præfixo, vixit imo usque ad A. 701. quo ibidem scribitur *Faroaldus II.* Trasemundi filius, de quo item Paulus 6. 30. *Defuncto Trasemundo Duce Spoleti Faroaldus ejus filius in loco Patris est subrogatus*, ut 6. 44. *Faroaldus* (II.) *Spoletanorum Ductor Classem Ravennatium Civitatem invasit: sed jussu Regis Liutprandi eadem Romanis reddita est*, A. 712. juxta Sigonium, qui ei socium facit *Volchilam* fratrem, de quo Paulus 6. 30. *VVacolapus germanus fuit Tasemundi, & cum fratre pariter eundem rexit Ducatum*. Infra subdit 6. 44. „ Contra hunc „ *Faroaldum* Ducem filius suus *Trasemundus* (II.) in„ surrexit, eumque Clericum faciens, locum ejus in„ vasit. A. 718. juxta Sigonium, sed probabilius ex „ Indice Farfensi A. 724. „ Obiit Faroaldus A. 727. ex documentis Abbatiæ S. Petri de Ferentillo apud Campellum *Hist. Spoleti p. 397. & 415.* N. quam diu optatam per tabellionem comiter accepimus hodie à Cl. Muratorio. Impium deleverat facinus Trasemundus quando egregia opera cum Spoletanis suis Gregorium II. ab insidiis Exarchi Pauli defendit, ne, ut jubebat Leo III. Conon, ab eo interficeretur, sicut narrant Paulus 6. 49. & Anastasius in *Gregorio II.* p. 156. a. b. Sed in novum recidit delictum, dum *contra Regem rebellavit* A. 738. circiter, ex Paulo 6. 55. prosequente: *super quem Rex cum exercitu veniens, ipse Trasemundus Romam fuga petiit*, in cujus loco *Hildericus* ordinatus est A. 739. Is nepos erat Liutprandi: abest ab Indice Farfensi: pergit Paulus. Evolutis *debinc aliquibus annis* (sesquianno, vel duobus ad summum) *Trasemundus, qui Romam fugerat, Spoletum rediens, Hildericum extinxit, rursumque contra Regem rebellionis audaciam sumpsit*. Hinc instauratum bellum, acrisque commissa pugna inter Liutprandum, & Spoletanos, sociosque Romanos, ut ex c. 56. quæ, licèt anceps, non prohibuit Liutprandi progressum, nam ex c. 57. *Spoletum perveniens Trasemundum Ducatu expulit, eumque Clericum fecit*. Si non excusari potest Trasemundus, causam tamen rebellionis decennio ante illi dederat Liutprandus ipse, testante Anastasio in *Gregorio II.* p. 157 b. imo detestante, quod *Eutychius Patricius* (Exarchus pro impio Leone III. A. 727.) *& Luitprandus Rex inierunt consilium nefarium, ut congregatis exercitibus, Rex subjiceret Duces Spoletanum, & Beneventanum, & Exarchus Romam, & quæ pridem de Pontificis* (interficiendi) *Persona jussus fuerat, impleret*. Ergo in vindictam æstuavit tunc Trasemundus: *cujus in loco Agibrandum suum nepotem constituit* Liutprandus, inquit Paulus *l. l.* Verùm Paulus parùm sincerus in prænarratis dignoscitur ex Epistola Gregorii III. ad Carolum Martellum apud Baronium A. 740. à n. 23. cui rem totam aperit eique dicit n. 26. *Ne credas fili falsidicis suggestionibus eorundem Regum* (Liutprandi, & Hildebrandi) *omnia enim tibi falsò suggerunt, scribentes circumventiones, quod quasi aliquam culpam commissam habeant eos eorum Duces, idest, Spoletanus, & Beneventanus. Sed omnia mendacia sunt. Non enim pro alio (satisfaciat tibi veritas, fili) eosdem Duces persequuntur crimine, nisi pro eo, quod noluerunt præterito anno de suis partibus super nos irruere, & sicut illi* (Reges) *fecerunt, res SS. Apostolorum destruere, & peculiarem populum depradare: ita dicentes ipsi Duces, quia contra Ecclesiam Sanctam Dei, ejusque populum peculiarem non exercitamus, quoniam & pactum cum eis habemus, & ex ipsa Ecclesia fidem accepimus: ideoque mucro eorum desævit contra eos &c.* Agibrandus Sigonio dicitur *Asprandus* sub A. 742. abest ab Indice Farfensi, in quo A. 746. scribitur *Lupus*, sive *Lupo*, cujus mentio in Charta Ludovici Pii inserta Chronico Vulturnensi p. 369. (C. H. tom. 1. part. 2.) ibi donat *Dux Lupus Varcinaticum* (idest) *animalia, quæ exigebantur ad mensam Principis Ducatus Spoletani*, Monasterio Sancti Vincentii. Item p. 386. ejus mentio. A. 757. in Indice Farfensi scribitur *Albuinus Dux* & A. 760. *Gisulfus*: neutrum novit Sigonius, cui adhuc ignotus *Theodericus Dux* A. 763. in Indice Farfensi. Is appellatur ab Anastasio *in Stephano IV.* p. 174. b. *Theodicius* qui opem præstitit Christophoro Primicerio Romano, ejusque filio Sergio, ut Regem Desiderium adirent, imo eoidem Papiam duxit; recedentibus illis, ne in irritam electionem Pseudopontificis Constantini A. 768. consentire cogerentur. Insimulatur idem Dux à nonnullis Romanis, quod Romam Langobardis tradere moliretur, ut *l. l.* legitur *p. 176. a.* Electo Pontifice Adriano A. 772. Legatum agit cum Tunnone Eporediæ Duce Desiderii Regis apud eundem Pontificem, ut *in Adriano* p. 180. a. scribit Anastasius. Non diu post Ducatum tenuit is Theodicius, namque A. 774. in Indice Farfensi, & apud Sigonium, plureſque alios legitur *Hildebrandus Dux*, de quo Anastasius in *Adriano p. 185. a.* hæc prodit: „ Spoletini, „ & Reatini, antequam Desiderius, seu Langobardo„ rum ipsius exercitus ad Clusas pergerent (ut Carolo „ transitum prohiberent) illi ad B. Petrum confugium „ facientes, SS. Hadriano Papæ se tradiderunt, & „ in fide ipsius Principis Apostolorum jurantes more „ Romano tonsurati sunt. „ Reliqui Ducatus ejusdem priorum secuti sunt exemplum: hinc Hadrianus *constituit eis Ducem, quem ipsi propria auctoritate sibi elegerunt, scilicet Hildebrandum nobilissimum, qui prius cum reliquis ad Apostolicam Sedem confugium fecerat*: cætera mox. Interim hic ex adductis sequens hoc laterculum Langobardorum Ducum Spoleti subjicimus, supplendo Pauli, Sigonii, & Indicis Farfensis defectus, dum is incipit in *Trasemundo* A. 691. quinque primis omissis, quia tunc jacente Cœnobio sine Abbatibus, neque notantur Duces: Lazium inobservatum relinquimus, quia nimis deficit.

Digitized by Google

577. *Faroaldus* I. ex Paulo.
592. *Arnulphus* S. Gregorio; *Ariulfus* Paulo.
604. *Teudolapius* ex Paulo.
641. *Grimoaldus* Lazio sine teste.
659. *Teudolapius* junior eidem sine teste.
661. *Atto* ex Paulo: fortè *Zotto* Sigonio.
663. *Trasimundus* I. ex Paulo.
701. *Faroaldus* II. cum VVachilapo, sive *Volchila* fratre ex Sigonio.
724. *Trasimundus* II. ex Paulo.
739. *Hildericus* ex Paulo; abest ab Indice Farfensi.
741. *Trasimundus* II. iterum ex Paulo.
742. *Agibrandus* Paulo: *Asprandus* Sigonio.
746. *Lupo* ex Indice &c. abest à Sigonio.
757. *Albuinus* ibidem: ignotus Sigonio.
760. *Gisulfus* ibidem: item Sigonio ignotus.
763. *Theodericus* in Indice: *Theodicius* Anastasio.
774. *Hildebrandus* ex Anastasio &c. quem retulimus in continuatione laterculi Ducum sub Francis sæculo IX. & post Francos sæculo X. Absit tamen, quod exhibitæ chronotaxis, & infra exhibendæ prædes nos esse velimus, cum ex Paulo nihil certi, saltem quo ad tempus, firmari possit. Nos enim tantùm ex conjecturis tempus, quo Duces vixere, innuere studuimus, non certè quo unus successerit alteri. Ea porrò præcipuè ratione chronotaxes has exhibemus, ut docti Spoletani, penès quos sunt vetera documenta, quibus caremus, animadvertant, & Scriptorum errores, nostrosque majores emendent, nisi jam doctus Campellus desiderium nostrum prævenerit, quod nesciebamus, antequam hæc scriberemus. Post scripta: eo accepto à Cl. Muratorio, ut diximus, & lustrato, adhuc nos vacuos relinquit, cum morte præventus vix scripserit usque ad A. 900. nec ultra, ut nobis præcipuè opus esset pro sæculis X. & XI. Cæterum & placet, & displicet. Rectè lib. XI. p. 323. Ducatus hujus institutionem rejicit in Oligarchiam, ar eam nimis anticipat, inobservata duplici Epocha Alboini, una ingressus in Italiam, altera ejus Regni, de quibus doctè disserit Abb. Bacchinus in sui Agnelli *Petrum sen. c. 3. num. 3.* Displicet p. 322. Ducatus perpetuos, & Langobardiam dictam ab Alboino eodem, asserere. Hucusque in serie Ducum convenimus, quia & ipse novit fragmenta Farfensia, Sigonium, & Lazium: scripsit enim A. 672. & quidem æquo delectu, ac rerum discrimine, quoad fieri potuit, perspecto. Grimoaldum Ducem fuisse censet ab A. 640. ad 59. ejusque filium Teudelapium II. ab 59. ad 61. ut p. 365. Lazium laudat, non alium. Is huc revocetur, & ratiocinium nostrum expendatur.

(112) Non paucos exinde nacti defectus, & in Indice, seu in Indicibus Farfensibus, & apud Sigonium, ut suppleantur, corriganturque, prosequimur: adhuc ut tam antiqui, & illustris Ducatus ortus, & progressus innotescat, plureſque antilogiæ tollantur. Igitur Spoletanorum post prænarratam deditionem Ducatum illum Ecclesiæ obnoxium fuisse sentit Sigonius A. 774. quippe subdit Anastasius l. l. *ita Deo annuente Ducatum Spoletinum generaliter suo* (corr. *sine*) *certamine isdem præcipuus Pontifex sub jure, & potestate B. Petri subjugavit*, &c. quem administrasse Hildebrandum legimus per annos circiter 16. nam apud Annalistam Bertinianum A. 779 Hildebrandus Carolo occurrit, & munera defert, & pro eodem An. 788. pugnat contra Græcum Cæsarem Constantinum VI. Sequenti anno 789. scribitur in Indice *Guinichus Dux*: Sigonio A. 799. dictus *Vinigisus*. Indici tamen obstare videtur quædam Charta apud Ughellum *t. 1. col.* 440. edit. 2. *Regnante D. Carolo, & Pipino F. ejus ..... in Italia 26. & 18. eisdemque temporibus Viro gloriosissimo Vinigiso summo Duce A. 8. seu Comite Civ. Asculanæ Lodigario mense Junio die 2. indict. 6.* (corr. 7.) *in veneratione Tustolfi Episcopi* &c. (Data An. 874. &c.) Ab hac falsa nota meritò in suspicionem adductus quidam doctus Annotator, cogitare cœperat *col.* 441. de Carolo Calvo. Sed consultius Carolum M. inscriptum rectè cognoscit: eandemque corrigens, ut genuinam tuetur. Non satis tamen, dum minima curans, majora præterit, nec observat, quod inter subscriptos huic Chartæ sunt *Ego Carolus Imperator*; & quando? An. 799. concurrente cum illis notis chronologicis: item *Ego Pipin Patricius Romanorum Imperator*. Cœci vident, Scimus & Carolum ante coronationem, & Pippinum nunquam coronatum dictos à quibusdam, ut in legibus Langobardicis Imperatores: at quod ipsimet Imperatores se dixerint, nondum invenimus. Videantur Mabillonius *de Re diplom. 2. 26. num. 12.* & Joh. Mich. Heineccius *de veter. Germanor. sigill. cap. 10. n. 8.* alios laudans, reddenſque rationem, nempe quod *jam tunc gliscente adulatione non defuere homines, qui regalibus, & principibus titulis ejusmodi excellentioribus palpum obtruderent* &c. Videatur & Chron. Vulturnens. p. 362. a. Nihilominus transeat Charta Asculana: parum refert, annum Vinegisi 8. ut in illa, appellare ejus primum A. 791. vel esse 789. ut in Indice Farfensi, quem sequimur. P. S. videmus, & Campellum p. 471. & in annot. *R r.* bona fide sine hæsitatione, vel scrupulo eandem Chartam Asculanam amplexum. Anastasius *in Leone III. p.* 198. prodit hæc: *VVinichis* (al. Vinigis) *Dux Spoletanus cum suo exercitu obviavit ei* (Leoni à Romanis malè habito) *venerabiliter eum recipiens* (A. 799.) *Spoletum deduxit*. Utique is fuit Dux usque ad A. 822. scribente sub hoc anno Annalista Bertiniano, quod *VVinegisus Dux Spolitanus jam senio confectus, habitu seculari deposito Monastica conversationi se mancipavit*: & tamen in Indice Farfensi ita scriptum est: A. 806. *Romanus Dux*: A. 814. *Guinichus Dux*: A. 816. *Geraldus Dux*: Idem sanè *Guinichus* repetitus: at quomodo interpositi *Romanus*, & *Geraldus*? Is fit à Campello p. 483. Guinichi filius, sed non probatur in *Annotat. R r r.* neque Guinicho in Ducatu successit, ut decuisset, saltem ob merita Patris, & ut in administratione versatus. Observamus, *Guinichium* in regiis expeditionibus semper fermè occupatum, ut ideo, Spoletanis suis ordinario Rectore destitutis, alterum vices suas gerentem sufficere sibi oportuerit. Legimus apud Erchempertum num. 5. (C. H. t. 2. p. 238. b.) Guininchium bello Beneventano A. 800. & seqq. adfuisse: Luceriæ præsidio manentem, à Grimoaldo Beneventano Duce captum; ita & Annalista Bertinianus A. 802. exeunte. Rebus Leonis III. Pontificis adstitisse, ut ipsum ab insidiis continuis Romanorum tueretur, probant facinora novissimè adhuc ab eisdem parrata in S. Pontificem statim post mortem Caroli M. regesta à Baronio A. 815. num. 1. & æquè à Pagio A. *& num. eod.* ex Annalibus Eginhardi, & Astronomo in V. Ludovici Pii, utriusque verba recitantibus, in quibus mentio expressa habetur *Vinigisi Ducis Spoleti*, qui conjuratorum machinas unà cum *Geroldo* (sive Geraldo, ut supra) dissipaverat. Is itaque Dux Guinichius alienis rebus implicitus utique *Romanum*, & Geraldum (filios fortè, vel fratres suos) res Spoletanas administrandas sub notatis annis reliquerit. Unde nobis minimè arridet opinio Pagii *l. l.* quod duo fuerint Guinichii, quia in Indice Farfensi *Guinichus* bis scribitur. Unus sanè suis rebus modò absens, modò præsens, præsertim cum A. 822. dicatur à Bertiniano *jam senio confectus*. Videmus expost Cl. Muratorium *in Chronicon Farfense col.* 364. *nota* 35. laudare Campellum *in Hist. Spoleti*, qui nobiscum sentit: an satis rem explicaverit, jam diximus: idemque dicendum fore censemus de altero Duce coævo, cui nomen *Heccideus*, ut in Chronico Farfensi *coll.* 362. & 63. ex Charta A. 814. cunctis ætate Guinichi, sive Vinigisi, quia unus, vel alter huic summo Duci præmortuus. Heccideum hunc Campellus non novit. Pagius quidem *l. l.* observat, quod „ Duces Spoletani à Carolo M. post eversum Longobardorum Regnum, & ab ejus Successoribus renunciari soliti, ut exempla à Cantelio in *Historia Urbium Metropolitanarum Italiæ part. 2. cap. 7.* collecta ostendunt. „ Nobis idem videtur, etsi diversimodè Sigonio A. 774. & Campello p. 509. qui addit, sed sinè teste, sinè ratione, Spoletanos habuisse jus Ducem sibi eligendi: obstant acta. Etenim idem Annalista Bertinianus An. 822. scribit quod Guininchus abdicato sæculo non multo post decessit: *in cujus locum Suppo Brixiæ Civitatis Comes constitutus est*: & à quo? Quis non videt? Abest ab Indice Farfensi. Is Suppo per ætatem esse non potest ille, de quo plura prodit Leibnitius *in Panegyr. Berengarii p. 392. nota 6.* (C. H. t. 2.) Sequenti A. 823. apud laudatum Bertinianum ex Germania *missus est in Italiam Adalbardus Comes Palatii, jussumque, ut Mauringum Brixiæ Comitem* (Supponi suffectum) *secum assumeret, & inchoatas justitias* (à Lothario Imperatore, ut paulo supra dicitur) *perficere curaret*. Sed A. 824. quia *Suppo Dux Spolitanus decessisse nunciatur* (subdit Bertinianus) *eundem Ducatum Adhalbardus Comes Palatii, qui junior vocabatur, accepit. Qui cum vix quinque menses eodem honore potiretur, correptus febre decessit. Cui, cum Moringus Brixiæ Comes successor esset electus, nuncio honoris sibi deputati accepto, decubuit*. Hæc sumpsit Annalista Bertinianus ab Aimoino *lib. 4. cap. 112.* Et hi duo Adelardus, & Moringus absunt ab Indice. Utrunque novit Sigonius sub A. 825. sed ex Germania profectos, & à Ludovico Pio constitutos non novit, & tamen ex eodem fonte illos hausit. Hic lacuna 12. annorum: nam in solo Indice A. 836. scribitur *Berengarius Dux*, Sigonio ignotus. Nullus ergo fuerit Moringo suffectus? Silent omnes. Modicum vix lumen capimus ex *Chronico* Ducum, & Principum Beneventi p. 319. a. (C. H. t. 2.) ubi loco XVII. legitur sobriè *Sico Spoletinus ann.* 15. In *Chronico* seq. p. 320., IV. loco ab Archi *Sico* tantùm. *In serie Abbat. Casin.*

pag.

Digitized by Google

pag. 206. *in Apollinari* (C. H. t. 5.) Dux dicitur ab A. 817. Ejus tumulus extat V. loco p. 311. b. (C. H. t. 2.) Dicitur enatus A. 774. denatus 832. Neque hic, nec alibi dicitur Dux Spoleti: vix *Spoletinus*, ut supra: patria ne, vel & Ducatu? Silentium omnium significat tantùm patriam: lacuna 12. annorum innuit & Ducatum: sed adhuc est lacuna 4. annorum ab A. 832. emortuali Siconis ad 36. Berengarii: defectus forsan in Indice. Videant docti Spoletani: nos solum patria Spoletanum, non Ducem censemus. Et ita (post scripta) affirmat Campellus *lib. 15. in Annot. K K K.* p. 504. ubi pluribus adductis idem demonstrat: nec tamen ipse Berengarium cognovit, etsi lacuna visibilis. Verum in Indice altera immensa lacuna annorum 104. hoc est ab A. 836. ad 940. Annos 10. Ducatum administrasse foret dicendum, si rectè Sigonius annotat *Vidonem Ducem* Spoleti A. 846. quia tamen ab Erchemperto *num.* 17. *Guido Dux Spolitensium* (*Siconulfi cognatus*) jam pronunciatur A. 843. dum fervente bello civili inter *Radelgisum* Principem Beneventanum, & *Siconulfum* Patruum, Guido præsto fit eidem bello, dicendum est, non ab A. solum 846. fuisse Ducem, sed ante A. 843. ideoque Berengarii administratio nequit ad 10. annos produci. Campellus, ut explcat lacunam 12. annorum, & amplius (dum Berengarium non novit) *Moringo* sufficit *Vidonem* I. ut pag. 510. & quidem ab A. 824., vel paulo post. Et ne diu nimis, ac plus justo hujus producat ætatem, tres Vidones multiplicat. Tres utique hi fuere hoc sæculo IX. sed in ejus hypothesi quatuor esse deberent: & fortè adhuc quinque, ut in progressu patebit, si cujusdam filii Lamberti I. anonymi apud Erchempertum n. 79. nomen poterit adinveniri. Cæterum Campellus in *Annot. F. lib. 16. p.* 536. sine ullo teste Moringo Vidonem substituit: dicendo solum de illo mentionem fieri in *Annal. Francor.* P. Pithœi A. 878. ubi agitur de Lamberto ejus filio. Dicere poterat in *Annal. Fuldens.* Sed ibi tantum Lambertus dicitur filius Vidonis: neque id probat, Vidonem suffectum Moringo defuncto A. 824. Is igitur Vido I. substitui debet *Berengario* anno incerto, dum ille nobis tantùm innotescit A. 843. ex Erchemperto num. 17. Is Guido adhuc Tusciæ partem tenebat, & probabiliter Umbriæ viciniorem, ut mox in Guidone II. clarius apparebit. De Guidone I. prodit idem Erchempertus *numm.* 24. & 25. quod igne cœlesti cremata Sicopoli, novaque condita Urbe A. 856. *Supervenit Guido jam dictus cum universis Tuscis* (sibi subjectis) *& obsedit eam hinc, & inde, graviterque angustiavit, quia* &c. nam de hac Urbe est disserendum num. 126. Huic Guidoni frater erat *Lambertus*, quem Sigonius A. 865. illi in Ducatu socium adjungit. Sed sub A. 861. apparet apud Erchempertum n. 29. dum vexata universa terra Beneventana à Rege Saraceno *Sangolan* (al. Saugdan) „ Majelpotus Telesinus, & Guandelpertus „ Bovianensis Castaldei multa cum prece conduxerunt „ *Lambertum Ducem Spolitensium, & Garardum Comitem* „ *& obviantes eidem Saugdan, eum de Capuæ depopulatione reverteretur in Barium tellure irruerent super eum.* Commissa pugna, Langobardi succubuere, occisis Gastaldis, & Comite. Deleta Capua à Ludovico II Imperatore A. 866. ut notat Peregrinius ad Erchempertum *num.* 32. *Capuani Lamberto Comiti illius se tradiderunt*, inquit Historicus: qui subdit A. 871. num 35. quod ambo Lamberti Comites (corr. Lambertus Spoleti, & Adalbertus Tusciæ) *Augusti furorem metuentes Beneventum recesserunt, & ab Adelgiso honorificè suscepti sunt: quorum auxilio fretus super Saracenorum scaram* (sacram) *irruit, & viriliter stravit, occisis ex eis penè tribus millibus viris.* De recessu utriusque Lamberti (corr. ut supra) ab Imperatore, cujus in indignationem incurrerant, scribit etiam Annalista Bertinianus sub d. A 871. Qui adhuc subjicit sub Anno 878. quod *Johannes Papa* (VIII.) *irascens contra Landbertum, & Adalbertum Comites, quia villam, & Civitatem ejus prædati sunt, eis horribiliter excommunicatis, Roma exiit* &c. & hæc Lambertus patraverat A. præcedenti 877. ut ex Epistola 61. Joh. VIII. ad Lambertum Comitem. Sed decennio ante is Lambertus facinora longè pejora commiserat, ut tunc (A. 867.) Adrianus II. anathemate eundem perculerit, quod Anastasius in illius Vita pag. 264. a. b. ita narrat. „ Lamoertus Vintonis filius Dux Spoletanus tempore „ consecrationis hujus Venerandi Pontificis Romanam „ Urbem præter consuetudinem sicut tyrannus intravit, „ non rebellantem, sicut victor satellitibus suis ad præ„ dandum distribuit, majorum domos multis muneri„ bus vendidit: nullis Monasteriis, Ecclesiis nullis pe„ percit: quin imo nobilissimi generis puellas tam intra „ Urbem, quam extra, suis satellitibus indifferentér „ diripiendas concessit. Propter quæ apud Augustos „ (Ludovicum II., & Carolum Calvum) piissimos „ Romanorum querimoniis prægravatus, Ducatum „ perdidit: iram Principum, & invidiam pene cuncto„ rum Gallorum, tanquam revera Sedis Apostolicæ ho„ stis, adjudicatus incurrit. „ Quare Lambertum, & complices *quousque rapta redderent sibique legaliter satisfacerent omni Ecclesiastica communione privavit.* Etsi Anastasius Lambertum satisfecisse non scribat, conjici tamen debet, si expost juxta Leon. Ost. 1. 40. auxilio fuit cum fratre successori Johanni VIII. qui cum illis navigavit, sic Leo: *Carolus tunc Imperator Julittæ scilicet filius* (& Ludovici Pii) *à Johanne VIII. Papa multis Epistolis* (21. 30. 31. 32. 35. apud Labbeum tom. 9.) *interpellatus, Lambertum* (I.) *Ducem & fratrem ejus Guidonem* (II.) *illi in auxilium destinavit, cum quibus idem Apostolicus Neapolim, Salernumque profectus est.* Subjicit Leo vastationes Saracenorum Romam usque, & Spoletum, annuente Athanasio Neapolis Episcopo, & Duce post excæcatum fratrem Sergium Ducem. Quæ postea idem Lambertus sub Pontificatu Johannis VIII. patravit, ut ab eodem iterùn à fidelium communione disjungeretur, scribit Johannes *Ep.* 82. ad Anspertum Archiepiscopum nostrum, mentionem faciens *Lamberti perfidi Spoletani Ducis, VVidonis filii, ejusque complicis Adelberti Marchionis*, qui Romam, & Ecclesiæ ditionem vastabant: inquit *sacramque Civitatem tyrannus invasit* A. 878. Ejusdem argumenti sunt *Epp.* 84. ad Archiepiscopum Ravennatem: 85. ad Berengarium Comitem &c. Obiit perfidus Dux A. 880. ut notat Peregrinius in *Erchempertum num.* 79. hæc ibi scribentem. *Defuncto autem Lamberto filio Guidonis Senioris, filio suo Spoletium reliquit. Quo etiam decedente, Guido junior Spoletium & Camerinum suscipiens, cum Saracenis in Sepino castrametatis pacem fecit, obsidibus datis, & acceptis.* Nescimus, an quis unquam hæc Erchemperti verba observaverit, quæ indicare videntur, vel tres fuisse *Lambertos* inter Duces Spoleti, vel tres *Vidones*, sive Guidones. Dubium cadit super illa verba *filio suo Spoletium reliquit*: quis is filius suus Sanè Historici omnes, quos videre potuimus, non alios Duces Spoleti produnt post A. 880. quo obiit dictus Lambertus I. nisi *Vidonem* II. & III. ac *Lambertum* II. Vido II. ille est, de quo Erchempertus ait *Guido Junior Spoletium, & Camerinum suscipiens* &c. Neque est ille filius Lamberti, qui primò vocatus, & cui *Spoletium reliquit. Lambertum* II. Erchempertus nec novit; vix 4. annorum puer is erat A. 880. juxta calculum saltem Baronii, de quo mox, quia res est expendenda contra Viros doctissimos. Sed neque in hoc solùm summa difficultatum consistit, quæ in historia horum Ducum occurrunt. His longè difficiliora obviam habebimus num. 121. ubi Chronographus Casaurienſis prodit quemdam *Suppionem* Piceni Comitem, hoc est Ducatus Spoletani cis Apenninum, sive Marchæ Firmanæ, ut tunc videbimus: pergamus interim. Igitur Vido II. secundo loco vocatus ille est, de quo A. seq. 881. queritur Johannes VIII. *Epist.* 279. ad Carolum Crassum, quia & ipse infensus esset Ecclesiæ. Qui ab Annalista Fuldensi A. 883. dicitur apud Carolum Crassum accusatus in loco Novantula: inquit: *ibi inter alios VVito Comes Tuscanorum* (etiam partem Tusciæ tenebat, ut supra tetigimus) *reus Majestatis accusatur, quod ille profugus evasit: sed tamen illa fuga totam Italicam terram timore concussit, quia statim manu cum valida gentilium de genere Mauritanorum fœdera firmiter pepegit*: quod & scribit Erchempertus, ut supra. Subjicit Fuldensis, quod *Perangarius consanguineus Imperatoris mittitur ad expoliandum Regnum VVitonis* (hoc est Ducatum) *quod ille quadam parte peregit, & quadam peregisset, ni per corruptionem morbi, ac infirmitatem exercitus sui reverteret.* Sed A. 885., pergit Fuldensis, *VVito* (II.) *Dux Spoletanorum, quia antea fuga ab Imperatore lapsus est, cum juramento excusavit se, non esse reum Majestatis, ad fidelitatem Regiam susceptus est.* Non diu post in Franciam proficiscitur, illud Regnum quærit: repellitur, ut egregiè apud Liutprandum 1. 6. de Regno Italiæ contendit cum Berengario: vincitur, vincit, & Rex Italiæ acclamatur A. 888. nec ideo dimittit Ducatum, cum filius Lambertus puer adhuc esset annorum 12. Imperator coronatur A. 891. à Stephano V. licèt se A. 876. Imperatorem Augustum dicat in suo diplomate, quod ex integro prodit Baronius A. 892. num. 3. estque datum *id. Novembris indict.* 10. *actum in Batba* ibique enunciatur Lamberti filii nativitas. Eo A. 876. ut opinatur Baronius referens diploma ad hunc annum: sed perperam, ut clarè ostendit Pagius A. 892. num. 5. quippe diploma (utrum genuinum mox paulò) referri deberet ad A. 891. quo verè Vido Augustus dictus, & Imperator coronatus. Potuit quidem Lambertus ejus filius esse natus A. 876. quia valde juvenis dicitur, quando & ipse coronatur A. 892. ut infra patebit, sed ex diplomate annus certus nativitatis definiri non potest, ut ipse Pagius agnoscit. Nunc ipsum quid dicemus de hoc diplomate pretioso in sensu Baronii, sincero, minimèque suspecto doctissimis Pagio, & Papebrochio *in Diss. de Successione Regum, & Impp. Italicor. n.* 15. eodem utentibus? Et nos audiamur.

Digitized by Google

mur. Jam Pagius *l. l.* & Papebrochius consentiunt, hoc diploma spectare ad A. 891. In ipso dicit Vido: *à Benevento redeuntes nostra cum conjuge* (Agiltruda) *pervenimus Balbam, cui instabat pariendi tempus* &c. Quomodo verè Vido potest asserere Benevento redire, illucque fuisse, si Beneventum tunc per tres menses obsessum à Græcis, tandem Græco Patricio cesserat eodem A. & & die 18. Octobris? Præsto est Leo Ost. 1. 49. scribens: quod *Symbaticius Patricius veniens à Constantinopoli obsedit Beneventum per menses circiter tres, cepitque illam 15. Kal. Novembris A. D. 891.* Neque dubitandum de Ostiensi, qui hæc sumpsit ex Anonymo Beneventano teste de visu, & scribente ab eodem A. 891. ad 898. (C. H. t. 2. p. 279. b.) ibi num. 1. „ Ursus filius prædicti „ Ajonis, puer decennis sedit annum unum: cujus „ tempore *Symbaticius Straticos cum valida manu Græcorum venit Beneventum 3. idus Julii, obseditque eam „ usque 15. Kal. Novembris diem*, quo benignè paci„ ficens in ea ipse ingressus eodem die, completis „ &c. Quomodo ergo Beneventi mense sequenti Novembris Vido Imperator? Accedit, quod cum Vido post coronationem suam Roma discesserit, in Italiam Transtiberinam remeasse non legimus: contra à Langobardia, & Venetia non recessisse, ut ex annis, & mensibus, quibus scriptæ sunt ejus leges, coacta Synodus Ticinensis, concessa Ecclesiis diplomata hactenus visa, observavimus, eoque præsertim, ut novis semper Berengarii conatibus posset obsistere. Nemo sanè unquam credet, Vidonem die 13. Novembris (quando dies brevissimi, viæque pessimæ) fuisse *Balbæ*, & die 22. Liniaci ad Athesim ubi Leudoino Episcopo Mutinensi beneficia cumulavit diplomate apud Sigonium A. 891. dato *X. Kal. Decemb. indict. 10. A. 891. Lignaco Villa*. Si postea vera sunt, quæ ex Anonymo Salernitano *part. 4. num. 6.* prosequitur Leo Ost. (nempe quod *post Symbaticium, dominatus est Beneventi Georgius Patricius annis tribus, & novem mensibus*) declarare oportet, quomodo venit *Guido Dux, & Marchio, expulit inde Græcos, & præfuit ibi annis fermè duobus*, quoniam A. 894. mortuus est Vido II., ut fatetur, & rectè, idem Leo 1. 64. *Guido cum annos fermè sex Regnum obtinuisset* (ab A. 888.) *cruoris vomitu extinctus, Lamberto filio tradidit Regnum*. Ecquis non videt, quod effluxis AA. 3. MM. 9. à capto Benevento, adhuc non computato tempore Magistratus, sive regiminis Symbaticii, sed solius Georgii, ingredimur annum saltem 895. si non 96. jam mortuo Vidone? Huic ergo successit Lambertus II. d. A. 894. Dux Spoleti, Rex Italiæ ac Imperator ab A. 892. consors Patris, quem pingit Liutprandus. 1. 10. *elegantem juvenem, adhuc ephebum, minusque bellicosum*, sed cujus ætatis, innuat Baronius diplomate Vidonis innixus. Itaque imperante Lamberto II. alter *Vido* (qui III. dicendus) esse debuit Dux Spoleti, si juxta Ostiensem, Anonymos Salernitanum, & Beneventanum, Lupumque Protospatam A. 894. (rectius 895. ut notat Peregrinius alios laudans) pulsi sunt Græci à Benvento *per Ducem Spoleti Vidonem*. Is enim nequit esse Vido II. Imp. jam A. 894. defunctus. Quin imo de hoc Vidone III. liberatore Beneventi acta prosequuntur Scriptores, deque eo scribit Anonymus Beneventanus A. 896. quod *Spoletum perrexit, Imperatorem Lambertum* (Fratrem) *ejusque matrem Imperatricem* (Ageltrudem) *cernere cupiens: ibant enim Romam ad Apostolorum limina* &c. P. S. videmus Campellum pag. 629. rectè novisse hunc Vidonem III. pluribus ignotum, sed displicet eundem facere IV. & id quia *Moringo* suffecit *Vidonem* I. ut prædiximus. Docet & ipse pag. 688. annot. X. obiisse A. 896. ex Liutprando l. 1. capp. 9. & 10. ad amnem Tarum, dum insequebatur Arnulphum Imperatorem. Sed non rectè postea protrahit vitam Lamberti II. Imperatoris usque ad A. 910. ut scribit in fine suæ Historiæ *l. 20. pag. 684.* Lamberti gestâ cum Berengario, & Arnulpho satis nota, nec multa, quia ejus vita brevis, dum enim A. 898. venationi in Luco Marinco ad Tanarum amnem vacaret, ab Hugone filio Magnifredi Comitis Mediolani ejus jussu interfecti, interficitur, ut apud Liutprandum *l. 1. c. 12.* Videantur & duo præcedentia capita: & is extremus Dux Spoleti sæculi IX. Francorum, quo ex adductis Duces fuere, ab anno

774. *Hildebrandus*, ut supra num. 111. in fine.
789. *Guinicius*: in Indice Farfensi, & Sigonio.
806. *Romanus* Dux pro Guinicho: ignotus Sigonio.
814. *Heccideus* ex Charta Farfensi pro eodem.
816. *Geraldus* Dux pro eodem: abest à Sigonio.
822. *Suppo* ex Sigonio: abest ab Indice.
824. *Adbalardus* & Sigonio: abest ab Indice.
824. *Moringus* & Sigonio: abest ab Indice.
836. *Berengarius* ex Indice: ignotus Sigonio.
843. *Vido* I. Sigonio 846. abest ab Indice.
861. *Lambertus* I. 865. Sigonio: abest ab Indice.
881. *Vido* II. Rex, & Imp. abest ab Indice.
894. *Lambertus* II. Rex, & Imp. usque ad 898. abest ab Indice.
895. *Vido* III. apparet imperante Lamberto, sed antea Dux dictus à Patre.

(113) Indicis Farfensis, & Sigonii defectus etiam in Ducibus X. sæculi, eoque magis deficiente prorsus Historia Campelli, quod prosequamur, expostulant. A morte Lamberti per annos 24. nullum Ducem nacti, conjicimus, Spoletanos usque ad Annum 922. sui juris quodammodo fuisse. Id nobis maximè suadet celebris illa expeditio Anni 915. in Saracenos, qui Garigliano amni jam per AA. 40. insidentes, munitionibusque vallati, in Transtiberinos universim tyrannicè sæviebant. *Pœnis igitur statum Reipublicæ* (Romanæ) *labefactantibus, Landolfum hunc Principem egregium* (Beneventi, & Capuæ) *quid super re hujuscemodi faciendum esset, quam Apbricani agunt Jobannes consulit Papa* (X.) Verba sunt Liutprandi 2. 14. *Quod Princeps ut audivit, Papam per internuncios ita convenit. Res hæc, Pater, palàm magnis est investigandà consiliis: mittito itaque ad Græcorum Imperatorem* (Constantinum VII.) *cujus & ipsi, quæ cis mare est, terram, sicut & nostram depopulari non cessant.* (NB) *Camerinos etiam, atque Spoletinos nostrum ad auxilium invitato, ineamus protectore Deo, cum bis bellnm*. Cur hic siletur eorum Dux? Ita & paulo infra. *Quumque per Gareliamum flumen conscenderent* (auxiliares Græci) *affuit & Papa Jobannes cum Landolfo pariter Beneventanorum potentissimo, Camerinis etiam, atque Spoletinis: borrida denique inter eos pugna exoritur* &c. Christianis favit Deus, Canibus victis & trucidatis. Si tunc Spoletanis præfuisset Dux, eum Historicus non siluisset. Solùm igitur A. 922. apparet *Bonifacius*. Is filius erat *Hubaldi* strenui militis pro Berengario in bellis contra Vidonem A. 889. cujus *Hubaldi* egregium factum sub mœnibus Papiæ (tunc obsessæ à Zuendebaldo filio adulterino Arnulfi Regis Germaniæ, misso pro Berengario) narrat Liutprandus 1. 7. ubi ad rem nostram inquit: *Hubaldus igitur Bonifacii Pater, qui post, nostro tempore, Camerinorum, & Spoletinorum extitit Marchio &c.* Et quidem militaris suæ virtutis in præmium de eodem scribente post Liutprando 2. 18., quod, *dederat Rex Rodulfus* (vocatus ab Italis ad Regnum Italiæ ex Burgundia contra Berengarium I. A. 921.) *VValdradam sororem suam tam forma, quam sapientia, quæ nunc usque superest, bonestam matronam, conjugem Bonifacio Comiti potentissimo, qui nostro tempore Camerinorum, & Spoletinorum extitit Marchio*. Pergit Historicus, narrando victoriam de Berengario per Bonifacium à Rodulfo obtentam, ut post ei Rodulfus Ducatum Spoletanum tribuerit. Abest ab Indice. Bonifacii fuit filius *Theobaldus* de quo Liutprandus 4. 4. ita loquitur: *Theobaldus etiam Heros quidam proxima Regi Hugoni affinitate conjunctus Camerinorum, & Spoletinorum Marchio erat*. Silet Historicus, quod Bonifacii esset filius, qualis esse debuit juxta Indicem Farfensem, ubi A. 946. scribuntur simul *Bonefatius, & Theobaldus Duces*. Et in altero Indice p. 297. iterum mentio *Bonefacii & Thebaldi filii ejus*. Tertiò adhuc *col. 304. Bonifacius, & Thebadus filius ejus Duces*. Verum quidem est, enormem anachronismum hunc esse, quia certè Bonifacius Dux fuit institutus à Rodulfo Rege, & is Theobaldus jam Dux erat A. 933. subjicit enim Liutprandus 4. 4. *hic in auxilium Beneventani Principis* (Landulfi I. prænominati cum Johanne X.) *contra Græcos, qui eum vehementer oppresserant. Quibus, cum bellum inferret, victoria est potitus*. Reliqua lepida quidem, sed obscœna relinquimus. Usque ad A. 937. circiter Theobaldum vixisse cognoscimus ex ordine rerum, quas scribit Liutprandus ab initio *Libri quinti*. Narrat enim *cap. 1.* Hugonem Italiæ Regem Roma regressum, & utique A. 936. post gesta cum Marozia minus decenter in Urbe, & cum Alberico ejus filio, quæ prænarraverat 3. 12. Pergit itaque d. *l. 5. cap. 2.* scribens, quod Hugo timens calliditates *Anscarii* fratris Berengarii II. Eporediæ Marchionis, *quia Theobaldus Marchio hominem exierat* (hoc est obierat) *Spoletinorum eum* (Anscarium) *ac constituit Marchionem, quatenus eò securius viveret, quo longius hunc ad sese esse sequest ratum cognosceret*. Tempus ergo antevertit Sigonius nec rectè cum sub A. 934. scribit, quod Hugo *Anscarium, Theobaldo Camertum, & Spoletanorum Marchione mortuo, ea ditione donavit*. Certè A. 934. Theobaldus adhuc pro Landulfo Beneventano adversus Græcos militabat ex Liutprando 4. 4. Rectè è contra in Indice scribitur A. 940. *Anscharius Marchio obiit*, ut mox patebit. Malè tamen in eodem Indice scribuntur post Anscarium *Bonefatius, & Theobaldus Duces* A. 946. ut prænotavimus. Ad Anscarium redeuntes, de eo Liutprandus 5. 2. hæc subjicit: „ Quò dum profectus esset (Spoletum) uti „ animi impatiens erat, quicquid ex Rege mali mens „ ei cogitando suggesserat, rerum signis continuo de„ clarabat. Quod Regem Hugonem minimè latuit. Igi-

Digitized by Google

„ Igitur quod remedium huic ægritudini dare posset ex-
„ cogitans, *Sarlionem* ad se *Burgundionum ex gente pro-*
„ *genitum* advocat, cui & ait: Camerinorum, ac Spo-
„ letinorum hominum non est mihi fides incognita: est
„ enim calamo similis, cui si innisus fuerit homo, per-
„ forabit manum suam. Vade itaque, atque, accepta
„ à me pecunia, mentes eorum corrumpe: ab Anscarii
„ dilectione eos amove, tibique conjunge. Te nemo
„ est, qui possit facere tum melius, tum commodius.
„ Habes enim illius Theobaldi Nepotis mei defuncti
„ optimi Marchionis uxorem, cujus auxiliis fretus,
„ cunctus ad te veniet populus. Profectus itaque est, &
„ eo annitente, haud secus atque Rex prædixerat, Ca-
„ merinorum, ac Spoletinorum populus egit. Congre-
„ gata itaque multitudine, ad eam, in qua Anscarius
„ erat, Civitatem properare festinat. Quod cum au-
„ disset Anscarius, antesignanum suum nomine VVi-
„ bertum talibus adorsus est verbis „ poeticè ab Histori-
co hic recitatis, quibus eidem exercitum colligendum, bellumque gerendum in Sarlionem injungit. Sequuntur exinde prœlia duo (*ut cap.* 3.) inter Anscarium, & Sarlionem vario quidem eventu in progressu; at tandem occiso *Viberto*, & ad hostem Sarlionem *Attone* defecto, etiam Anscarius occubuit: *quo mortuo Sarlius Marchia securè potitur, & Rex Hugo gaudio immenso afficitur.* Hæc in memoria resideant, quoniam num. 121. ex Chronographo Farfensi inaudita audiemus. Sanè nonnisi spatio trium annorum hæc gesta, ex quo Anscarius Ducatum acceperat, & quiete tenuerit, nec non dato tempore, quo Sarlio potuerit Spoletanos allicere, & ipsorum *sex acies* pro bello inferendo conscribere: ut ideo Anscarius A. 940. vel circiter occubuerit, ut in Indice. Parum distat Sigonius mortem Anscarii scribens sub A. 939. De Sarlione nil amplius apud Liutprandum, neque in Indice Farfensi, sicut neque de ullo alio Duce Spoletano, etsi illo continuato usque ad A. 1099. solis Abbatibus Farfæ descriptis. Scribitur quidem A. 954. *Albericus Princeps Romæ obiit*. Sed quid ad Spoletanos? Is Romam tantùm Consulari potestate cum Marozia matre rexerat: de quo Liutprandus 2. 13. & 3. 12. alibique, & tot alii, in actis Pontificum sui temporis ab A. 936. Non alia ratione id notatum, nisi quia is Albericus, etsi multis vitiis adstrictus, tamen apud Farfenses virtute claruit, ipsorum Monasterio in suam protectionem recepto, ut ideo à Chronographo laudetur, & dicatur col. 469. *Romanorum Princeps Gloriosus*. Nihilominus insubidè Lazius in serie horum Ducum l. 12. p. 823. *Albericum* scribit n. 17. Ducatum porro Sarlionis producit Sigonius usque ad A. 957. quo Ottone occupato contra Slavos, & mortuo in Italia Litulfo ejus filio Berengarius fausta occasione tunc arrepta *bellum Pontifici in Ducatu Spoletano commovit. Ejus belli hæc, ut opinor, occasio fuit, Sarlione, qui Anscario Berengarii fratri suffectus Dux fuerat, sive mortuo, sive Berengario deturbato, Berengarius illam sibi ditionem ascivit.* Prudenter ait V. doctus, *ut opinor*, credibile enim est, Berengarium de Spoletanis vindictam sumpsisse, vel A. 952. quo Continuator Rheginonis scribit, quod *Berengarius in Italiam revertens* (ex Germania) *omnia hæc in Episcopos, & Comites, cæterosque Italiæ Principes retorsit, omnes eos odiis, & inimicitiis insequens inimicissimos sibi fecit*, astipulante Ottone Frising. *Chron* 6. 19. vel A. 956. quo idem Continuator subjicit quod *Luidolphus* (Ottonis f.) *in Italiam ad deprimendam Berengarii tyrannidem dirigitur, & in brevi expulso Berengario, totius penè Italiæ possessor efficitur*. Idem h. A. scribunt Annalista Hildensheimensis, & Hepidannus in Annal. qui ejus mortem innuunt, sed A. 957. ut Frodoardo, non 955. ut scribit Sigebertus, sed nullibi legimus Berengarium Ducem Spoleti, neque in Sarlionis personam animadvertisse, nam num. seq. videbimus ab A. 943. non Sarlionem, sed quemdam *Hubertum Salicum* fuisse Ducem Spoleti. Minus adhuc verum quod Sigonius subjicit d. A. 957. scilicet Johannem XII. *pro veteri jure suo retinendo* in Spoletano Ducatu armis Berengario obstitisse: etenim diversimodè scribit Baronius eodem A. 957. incunte, hoc pacto: „ Johannes, qui agebat Romanum
„ Pontificem, invasa potius sede, juvenili ardore spi-
„ rans minarum, & cædis, exercitum colligit (NB)
„ *auxiliares copias ex Spoletano Ducatu* conducit, du-
„ citque adversus *Principem Capuanum Pandulphum*,
„ qui auxilio fultus Gisulfi Principis Salernitani, Jo-
„ hanni restitit, atque ad propria remeare coegit. Ad
„ quem postea ipse Johannes pacis legationem misit,
„ quam benigno Princeps accipiens animo, eidem fœ-
„ dere junctus est. *Hæc ex Historia Longobardorum Prin-*
„ *cipum Beneventanorum, & aliorum, quæ antiquitus*
„ *scripta asservatur Romæ in Columnensi Bibliotheca*.
Ibi tria consectaria sequuntur ex illis verbis *auxiliares copias ex Spoletano Ducatu &c.* Sequitur I. Berengarium non fuisse Ducem Spoleti, non enim Papa Johannes poterat ab inimico Berengario auxiliares copias impetrare. II. si auxiliares, ergo nullum jus in Spoletanos habere poterat tunc Johannes: fuissent sibi obnoxiæ, non auxiliares. III. Sequitur, neque, tunc saltem, potuisse esse Ducem Spoleti illum Pandulfum, in quem arma tulit Papa Johannes. Quomodo enim is poterat ducere Spoletanos adversus suum Principem?

(114) Nihilominus harum rerum peritissimus Peregrinius in Anonymum Salernitanum p. 305. b. (C. H. t. 2.) ulla sinè hæsitatione asseverat, quod *sanè ditissimus, magnusque Dynasta fuerat Caput-ferreus* (hoc est Pandulfus) *qui nedum Princeps Capuæ, Beneventi, & Salerni, sed Dux, & Marchio extitit Spoleti, & Camerini, sicut constat ex scripto Chronico prædicti Monasterii S. Vincentii ad fontes Volturni lib.* 3. *&* 4. *ac proinde dimidiam ferè Italiam possederat.* (C. H. t. 1. part. 2.) Principatum is tenuit ab A. 943. ad 981. ut ex tot documentis ab eo, sub eoque confectis in d. Chronico apparet, & ex Tabula Chronologica p. 305. (C. H. t. 2.) Ingenue fatemur inscitiam nostram, non percipientes unde V. doctus id colligat: nondum namque suo tempore prodierat, quod sciamus, quoddam documentum, & quo solo nos certè cognovimus, Caput-ferreum fuisse Ducem Spoleti, sed longè serius, ut infra. Interim videmus Codicem Peregrinii, aliter in partes à nostro divisum, quoniam in nostra parte 3. nulla mentio Pandulfi, cujus neque tempora tangit. Igitur in d. Chronici *part.* 4. *pag.* 422. prima vice occurrit *Pandulfus* in charta concessionis emphyteuticæ A. 945. scriptæ „ Sexto anno Principa-
„ tus Dn. Landulfi gloriosi Principis (ab A. 940.)
„ & anno secundo *Dn. Pandulfi ejus filii* (ab A. 943.)
Pluries exinde, sed non alio charactere fit ejus mentio. Additur dignitas Marchionalis p. 440. in diplomate Ottonis I. A. 972. ubi Imperator mentionem facit *Pandulfi Principis, & Marchionis nostri fidelis dilectissimi.* Post hoc diploma monet Chronographus Johannes, quod
„ hoc tempore Dn. *Pandulfus Princeps, & Marchio*
„ per diversos fines Provinciarum circumiens pro pace
„ Ecclesiarum Dei, & populi justitia laboraret, in
„ Marsorum Provinciam devenit, cui Dn. Paulus Ab-
„ bas occurrit pro Monasterio *S. Mariæ in Apinianici*
„ querelam faciens, ipsum Monasterium recepit, sicut
„ in *hoc scripto* continetur. „ Scriptum, quod sequitur p. 441. est Judicatum A. 968. in quo pluries Pandolfus dicitur *Princeps, Dux, & Marchio*, hocque Judicatum fit in Provincia Marsorum. Sequitur p. 443. alia investitura A. 970. in quo enunciatur idem Pandulfus cum eisdem tribus dignitatibus: & sic in progressu quoad vixit usque ad A. 981. Quibus prænotatis, observamus I. quod Pandulfus solum vocari cœpit *Dux, & Marchio* A. 968. quo obiit ejus Pater Landulfus: ita ut nec is Landulfus Pater, neque Pandulfus filius pluribus in documentis ante A. 968. memoratus unquam dicantur Duces, vel Marchiones. Quin imo p. 450. b. A. 980. Pandulfi 37. qui penultimus ejus Ducatus *in Judicato de Lesine* scribitur tantùm Princeps, sicut, & in sequenti pag. 455. Observamus II. quod licèt Pandulfus dicatur toties Dux, & Marchio, nunquam tamen *Dux*, vel *Marchio Spoleti*. III. quod post mortem ipsius, qui dici potest senior, nemo ejus filiorum, vel nepotum, ut *Landulfus* junior, & Landenolfus Dux dicitur, vel Marchio. IV. extare p. 487. *Scriptum precariæ* actum *in Marsi* A. 988. in quo enunciatur Raynaldus Comes Francus, & modo habitator *in Ducatu Spoletano*, quasi non ampliùs Marsi ad Beneventanum spectaret. Unde ergo doctus Peregrinius ante A. 968. collegit, Pandulfum Ducem, & Marchionem Spoleti, & Camerini? Divinare nescimus. Attamen, si conjicere licet, dicimus, vel V. doctum velle Pandulfum Ducem totius Ducatus Spoletani, & in hoc ipsi assentiri non possumus, præsertim cum alia adhuc obstent, quo ad tempus: vel alicujus tantùm partis, & concedimus: ante A. 968. cum nondum esset totius Ducatus dominus. Pars porrò ille fuit tractus ad boream *Lacus Fucini*, nunc *di Celano*, ubi *Marsica*, *Apinianicum*, *Valva*, &c. in his enim locis, & vicinis Pandulfum jurisdictionem exercuisse, & non ultra, observamus. In hoc tractu nunc est pars *Aprutii* citerioris: antiquitus erant *Vestini*, & *Marrucini*. Is idem tractus sub Langobardis, & Francis spectabat ad Ducatum Spoletanum, ut num. 128. probabimus. Progressu temporum aliqua de causa potuit avelli à Ducatu Spoletano, probabiliter ab Ottone I. & tribui Beneventano, sive Comitatui Capuæ. Cur enim solum Pandulfus Dux, & Marchio, non ejus Pater Landulfus senior, non ejus filius Landulfus junior? Neque sunt sine exemplo hæ mutationes: videbimus enim num. 128. Gastaldatum, sive Marcham Theatensem ademptam Duci Beneventano a Carolo M. & Spoletano delatam. In Indicibus Farfensibus col. 304. scribuntur *Leo*, & *Rayno* Duces Sabinenses: *Azo*, & *Teuzo* Comites Sabinenses *&c.* qui sæculo X. Sabiniæ partem juris olim

Digitized by Google

Spoletinorum tenuerint. Quæ postea V. docto obstare videntur pro integro Ducatu Spoleti ante A. 968. tria sunt: I. quemdam *Hubertum* Salicum (à lege, quam profitebatur) filium Hugonis, ut mox: Patrem Hugonis Principis Tusciæ, sub Ottone I. fuisse restitutum, & Ducem Spoleti etiam tempore Hugonis Regis, ut scribit Puccinellus in Italica *Vita* Principis Hugonis pag. 5. allegans memorias *Eudonis* Episcopi Camerini *num.* 1. 2. 3. 4. *&c.* de Templo erecto in loco S. Severini suæ Diœcesis: Et iterum in Chronica Florentina p. 194. n. 9. ut infra. Quis verò fuerit ille *Hubertus* nos docet Liutprandus 3. 5. loquens de vitiis Hugonis Regis: inquit. *Habuerat sanè tunc temporis ex quadam muliere nobilissima vocabulo VVandelmoda filium nomine Hubertum, qui nunc usque superest, & Tusciæ Provinciæ potens Princeps habetur*: ab Anno 935. sub quo Sigonius *Tusciam Bosoni ademptam Ubertus obtinuit*, usque ad A. 945. sub quo (ignorans Hugonem Marchionem) ponit Attonem filium Sigifridi conditorem Canusii in collibus Regiensibus. Sed contra Sigonium militant, quæ Cl. Muratorius observat *Antiq. Estens. p.* 136. ex Petro Damiani (*Opusc.* 57. *dis.* 2. *cap.* 3.) scilicet Hubertum Salicum duxisse Guillam filiam Bonifacii Spoleti Ducis, de quo num. præcedenti fuit sermo. Et hic observamus & nos, nuptias contingere debuisse circa A. 949. vel 950. quia A. 951. natus est Hugo eorum filius, absente Patre; nam Petrus Damiani rectè dicit quod Hubertus *non multò post tempore* (. . . . . .) *Pannoniam profugus exulavit*, cum durante exilio natus fuerit Hugo, itaut Pater ex Pannonia in Italiam reversus, an justus filius is esset, & de uxoris Guillæ honestate dubitaverit, utroque tamen miraculosè comprobato, ut testatur idem Petrus Damiani & *l. l. & Ep.* 12. *l.* 7. ad Gothifredum Tusciæ Ducem, cui eadem prorsus narrat. Verùm Hubertus non (*indignationem primi Ottonis Imperatoris* incurrit) ut idem pro causa exilii interponit, nondum enim Otto in Italiam venerat, utique Berengarii II. qui (adhuc Hugone, & Lothario regnantibus) *nomine solum Marchionem*, ut ait Liutprandus 5. 14. *potestate verò Regem* (agebat) *illos vocabulo Reges, actu autem neque pro Comitibus habebant* (subditi.) Coacto exinde Hugone Regnum abdicare, ut Liutprandus *cap.* 13. prædixerat, cum Flodoardo *in Chron.* A. 945. relictoque solo Lothario Rege, Itali Berengarium desiderantes, huic adhærere, illum deserere cœperunt. At Hubertus, ut frater (etsi vitio) Lotharii, hunc deserere nolens *indignationem Berengarii incurrit*; exinde Lothario fratre 22. Novembris A. 950. adhuc extincto, ac hoste Berengario post dies 23. Rege coronato Papiæ, Hubertus, Guilla fæta relicta & exul abivit, & abfuit quoad Otto Italiam obtinuit: qui tunc cognitis Huberti juribus, in integrum ipsum restituit: hinc minus rectè Petrus Damiani instructus subjicit de Huberto: *qui cum longo post tempore resumptus in gratiam, rediit* (Ottonis.) Liquet ergo, hunc Hubertum Marchionem fuisse Tusciæ, ibique mansisse usque ad A. 950. plus minus, quo Guillam duxit: à Berengario exulare coactum ob adductas rationes: ab Ottone non vexatum, sed restitutum post suum adventum in Italiam, ut infra. Itaque non rectè Sigonius A. 945. scribit *Athonem*, dum Dux Tusciæ adhuc erat Hubertus, qui adhuc Dux erat Spoleti, ut supra retigimus. Nam Puccinellus *in Chronica Florentina p.* 194. *n.* 9. ex Camerinensi archivo prodit, Eudonem condidisse Templum in Castro S. Severini A. 944. Hugonis, & Lotharii Regum 19. & 15. *temporibus Huberti filii ejus* (Regis) *inclíti Marchionis, atque piissimi Ducis A.* 2. *per indictionem* 2. *in Civitate Camerina*. Quomodo hæc, nisi fuisset Hubertus tunc ibi Dux? Quod Peregrinio adversari videtur II. validius est quidem, sed valde obscurum. Emergit ex Anonymi Salernitani *Hist. part.* 7. *num.* 5. ubi describitur bellum Beneventanorum in Græcos A. 970. adjunctis copiis Ottonis, & Spoletanorum. Dum prœlium committitur „ Conocuneus alius validus, qui „ fuerat ab ipso Patritio (Abila) missus, quatenus ex „ alia parte clam super Francos irrueret, ultimaque „ cæde eos vastaret, dum talia perficere vellet, atque „ super Spoletinos irrueret, illico *Spoletinorum Comes Sico nomine* cum valida manu super eum venit, ultimaque cæde eos vastavit: ipsumque Romualt, qui illorum præerat, cum non paucis comprehendit, & ne unus ex Francis est mortuus, „ nisi unus ex Spoletinis est sauciatus. De exercitu „ verò Græcorum ferè ceciderunt 1500. viri, aufe- „ rentes spolia multa, ditati sunt valde. „ &c. Jam nunc quis iste *Sico* Comes Spoletinorum A. 970. quo Peregrinus contendit, ut supra, *Pandulfum* Beneventanum fuisse Principem, Ducem, & Marchionem adhuc Spoleti. Vel ergo is Sico verè Dux erat Spoleti, & tunc non poterat esse *Pandulfus*: vel erat tantùm loco Ducis, sive pro Duce, & tunc erat Dux *Hugo Salicus*, quem abdicasse Ducatum mox infra videbimus. Nunquam ergo Dux Pandulfus ex hactenus adductis. De narratis à Salernitano tunc vivente non est ambigendum. Pandulfo nuncupat suam Historiam: Pandulfum celebrat carmine ad calcem Historiæ, in quo dicit

„ Tempore præterito *tellus divisa* maligno
„ *Unitur tuo* ecce, tuente Deo. „

hoc est Principatus Capuæ olim alter à Beneventano ex Peregrinio *in partem* 5. Salernitani, & Principatus Salerni sejunctus A. 851. ex *Capitulari Radelchisi* iterum conjunguntur Beneventano. Et silere debebat Salernitanus amplos Spoleti, & Camerini Ducatus Beneventano adjectos? Et vocare debebat Comitem Spoleti Siconem, si fuisset Pandulfus suus Princeps? Sed cur Sico, & non *Hugo Salicus*, quod III. Peregrinio adversatur? Denuò dicimus, hunc Hugonem natum A. 951. vel circa, quia P. Damiani mox laudandus scribit: *Hugo Marchio* 50. *annis vixit*: denatum A. 1001. ut ex documentis certis apud Puccinellum in ejus vita p. 56. qui ideo non rectè p. 7. dicit natum A. 949. Lucæ: iniisse Ducatum Spoleti, quando per mortem *Huberti* Patris Tusciam obtinuit. Miramur, Sigonium novisse Hubertum Ducem Tusciæ, & non *Hugonem* filium Patre celebriorem: magis adhuc sub A. 945. putare, Sigifridi posteros omnes Ducis Tusciæ titulum tulisse, adhuc Hugonis ætate ante A. 1001. & post repetit sub A. 1007. quæ probari nequeunt. Difficultas est in anno emortuali Huberti, in quo nil certi posse definiri fatetur Cl. Muratorius *d. Antiq. Estens. p.* 136. Nam juxta P. Damiani foret dicendum obiisse A. 968. ut censuit etiam Puccinellus *in V. Hugonis p.* 11. at juxta diploma Berengarii, & Adalberti, ante A. 961. eo dato *interventu, ac petitione Ugonis Marchionis Tusciæ nostri dilecti fidelis*, quem ideo cognoscimus acceptum Berengario, cui invisus fuerat Hubertus. Quid plura? Testante Cl. Muratorio, diploma genuinum, & autographum, jam anno 961. cesserat fatis Hubertus. Quo ad P. Damiani error est in persona Ottonis, nam non hujus indignationem incurrerat, sed Berengarii, & forsan ipsius etiam gratiæ restitutus Hubertus. Id V. Cl. diploma editurus observet. Quod certi habemus ex P. Damiani illud est, quod laudata *Ep.* 12. *l.* 7. scribit ad Gothifredum seniorem Ducem Tusciæ, & Socerum Comitissæ Mathildis, dicens „ ut autem domesticum „ tibi . . . . . præbeamus exemplum, nemo meliùs oc- „ currit, quam gloriosæ memoriæ *Hugo Dux*, *& Mar-* „ *chio*, qui eum, quo tu nunc fungeris, obtinuit Prin- „ cipatum. Obtinuit, inquam utranque Monarchiam „ (Marchiam) qua Tyrrhenum, videlicet, & quam „ *mare Adriaticum alluit*. Sed cum perpenderet, quia „ propter improbitatem injustè viventium, strenuè re- „ gere utranque non posset, ultroneæ renunciationis „ *arbitrio* (NB) *cessit Imperatori* Monarchiam *Came-* „ *rini cum Spoletano Ducatu*: juri verò proprio Tu- „ sciam reservavit. „ Pluribus sanè mysteriis gravida verba. De veritate facti non est ambigendum; nam si unquam meritò P. Damiani dici potest *Scriptor integerrimus*, ut ait Baronius *Martyr.* 8. Maji *nota a.* utique cum hæc scribit ad successorem adhuc Hugonis *Gothifredum*, eidem supparem, nec inscium ditionum prædecessoris sui Hugonis. Is ergo Spoletum, & Camerinum certè aliquando obtinuit, minimèque nonnisi post mortem Pandulfi Caputferrei A. 981. in sensu Peregrinii, hoc est, sub Ottone II. Sed quando abdicaverit, & quomodo Otto renunciationem admiserit, probaveritque, silente P. Damiani, obscurum, & incertum. Contra tamen videtur, adhuc exeunte sæculo X. sub Ottone III. Hugonem titulo *Præfecti* Spoleto, & Camerino præfuisse, quod liquet ex *Epistola* 158. ejusdem Ottonis A. 999. *Reverendissimo Papæ Gerberto* (sive Silvestro II.) inter hujus Epistolas proditas ex Bibliotheca Papirii Massonii Paris. 1611. In illa igitur Otto præmissis in S. Patrem filialibus suis obsequiis, hæc scribit: *Hugonem Tuscum vobis per omnia fidum, S. Comit. Spoletinis, & Camerinis Præfectum, cui octo Comitatus, qui sub lite sunt vestrum ob amorem tulimus, nostrumque Legatum ejus ad præsens præficimus, ut populi Rectorem habeant, & vobis ejus opera debita servitia adhibeant*. Verùm an ab omni suspicione sit hæc Epistola immunis, infra numero sequenti inquiremus. En interim Peregrinium deceptum, dum vivente suo Pandulfo Caputferreo ab A. 943. ad 981., Dux Spoleti eodem A. 943. erat *Hubertus* Salicus, & ab A. 961. quo jam defunctus erat Hubertus, Ducatum obtinuit filius ejus *Hugo*, decimum circiter tunc agens annum. Tandem A. 970. certè erat *Sico*, sive quia Hugonis gereret vices, sive quia Spoletum jam Hugo abdicasset. Hæc sunt, quæ obscuram, implicatamque reddunt seriem Spoletanorum Ducum, adhuc sæculo X. Attamen, quia nos piget tot difficultates insolutas relinquere, quod cogitavimus, hisce conjecturis suffulti, aperimus. Missis Lazii *l. l.* erroribus (ut cum num. 19. dicit *Anscarium* filium Hugonis

Digitized by Google

gonis Regis ex Hermengarda: num. 21. *Bonifacium* de familia Bohemiæ &c. reliquis ignoratis usque ad VVelphones, per fermè 2. sæcula) explicare sufficiet, quando *Hugo* Salicus Ducatum Spoleti abdicaverit, à qua notione omnia pendent. Conjicimus igitur abdicasse sub Ottone I. A. circiter 968. & tunc Ottonem eundem Ducatum Pandulpho Caputferreo Duci Beneventano tribuisse. Sanè ex adductis documentis apparet, Caputferreum solùm ab A. 968. Ducem, & Marchionem dici cœpisse: an ante ignoramus. Ducem porrò, & Marchionem à Marcha Beneventana appellatum minimè credimus. Quamvis enim in Capitulari Radelchisi *numm.* 16. & 17. (C.H. t. 1. p. 2.) mentio fiat *Marcharum* ditionis Beneventanæ, nondum intelleximus Duces Beneventanos dictos fuisse Marchiones, sed semper Duces, & expost ab ævo Francico *Principes*, ut patet (præter adducta, & adducenda, cum de Ducatu Beneventano disseremus, si se dabit occasio) ex Erchemperto n. 3. ex tumulo Grimoald *Principis* Beneventani filii *Principis* Archis, apud Peregrinium num. 3. (C. H. t. 2.) &c. Quare si Caputferreus dictus fuit Dux, & Marchio, sanè nonnisi ratione Ducatus Spoleti, & Marchæ Camerini, sive Firmanæ illi adnexæ, quamquam id semper exprimi non esset in usu: quod enim nobis nunc est obscurum, tunc erat clarissimum omnibus. Potius ideo casu, quam ex more scriptum expressè censemus in Joh. XIII. *epist.* Landolfo Beneventano Archiepiscopo in erectione Metropolis Ecclesiasticæ Capuanæ An. 969. *intervenientibus* (primo loco) *Pandulpho Beneventanæ, & Capuanæ Urbium Principe, seu* (pro &) *Spoleti, & Camerini Ducatus Marchione, & Duce*, reliquisque nominatis in eadem Epistola apud Labbeum Concil. t. 9. col. 1238. (NB, numerum columnarum hic erratum) Ignotum hoc documentum Peregrinio censemus, & fortè ejus ætate 1643. nondum editum, quod sciamus: si enim illud novisset, utique non dissimulasset. Cum igitur certò constet, Caputferreum fuisse Spoleti, & Camerini Ducem, & Marchionem A. 969. nil obstat, eundem Ducatum obtinuisse anno superiori ob abdicationem Hugonis Salici. Neque nos multùm urget, quod A. 970. *Sico* dicatur ab Anonymo Salernitano *l. l.* Comes Spoleti: facilè enim is potuit vices gerere summi Ducis, ut is æquè in administrationem Ducatus Beneventani, ac ille Spoletani possent incumbere. Rationabile est namque, imo necessarium, Principes plures ditiones sejunctas habentes Præfectorum ministerio, qui præsint assiduè, moderari. His explicatis chronotaxim Ducum sæculi X. sic continuari posse censemus.

899. Spoletani liberi usque ad
922. *Bonifacius* Sigonio: malè in Indice 946.
933. *Theobaldus* Sigonio cum Bonifacio, ut in Indice.
937. *Anscarius*: non rectè Sigonio 934.
940. *Sarlio*, sive 939. ut Sigonio: abest ab Indice.
943. *Hubertus* Salicus, & Tusciæ Dux.
957. *Berengarius* Sigonio, rejicitur.
961. *Hugo* Salicus, & Tusciæ Dux ignotus Sigonio.
968. Pandulfus Caputferreus Peregrinio.
970. *Sico* Anonymo Salernitano.
999. Hugo Salicus Præfectus, sed incertus.

(115) Porrò ob recitata verba P. Damiani, aliaque à Priscis regesta, doctis Spoletanis hæc declaranda, & concilianda, ut nos doceant, relinquimus. Et I. qua ratione P. Damiani scribat, quod Hugo Salicus Ecclesiæ adeò fidelis *cessit Imperatori Marchiam Camerini cum Spoletano Ducatu*, & non Ecclesiæ. Si Carolus M. ex Leone Ost. 1. 8. & Anastasio in *Adriano p.* 186. b. *cunctum Ducatum Spoletanum* &c. jam Ecclesiæ dimiserat? Et si jam ex integro erat dimissus, cur in Ludoviciana Imperator dicit solum *censum, & pensionem, & donationes, quæ inferri solebant sive de Ducatu Spoletano* &c. juxta veterem morem Ducum Langobardorum, quem Paulus 3. 16. recitat? II. Si Spoletanis, eversо Langobardico Regno dedit *Adrianus* Ducem Hildebrandum (ex Anastasio p. 185. a.) cur Carolus, Ludovici, Lotharius *&c.* sæculo IX & Reges Italiæ X. suo arbitrio semper Spoletanos Duces instituerunt? III. Si Otto M. A. 962. apud Baronium n. 3. confirmat adhuc *cunctum Ducatum Spoletinum* &c. cur Sigonius A. 973. hunc Ecclesiæ dimissum & iterum cur P. Damiani Imperatori (hoc est Ottoni I.) cessum scribunt? IV., ut præmonuimus, quid sentiendum de Epistola Ottonis, 158. inter Gerbertinas? Refertur ad *Decretum electionis* Silvestri II. quod intus, & extra falsum diximus in Prolegomenis num. 21. quodque ineptis refertum ostendit Pagius A. 999. n. 3. Ejusdem porrò sunt argumenti Epistola, & Decretum: ex eadem Bibliotheca Massonii Viri prius Religiosi post Advocati Parlament prodiere primò: temerè, & insubidè secarius Goldastus inter *Statuta Imper. p.* 40. anno altero Decretum retulit in odium Pontificum. At ubi his unquam legitur de VIII. illis Urbibus, ad Pentapolim adhuc, sive Marcham Anconæ, non ad Ducatum Camerini, minusque Spoleti spectantibus? Observentur dicta num. 86. Ex parte *Præfecturæ* etiam Epistola claudicat. Si Hugo Ducatus illos abdicaverat, ne sua negligeret, cur illis post tot annos iterùm præficiendus? Præficitur, *ut populi Rectorem habeant*: Unde constat illuc tunc divertisse, si ejus gesta pia, & civilia extremis annis in Tuscia scribuntur? Pistorii occubuit, & si quæ fides Petro Damiani laudata Epistola, „ ejus obitum cum Augu„ stus Otto novisset, quia quondam adversus eum sti„ mulo mordebatur invidiæ, protinus in hanc vocem „ congratulabundus erupit: *laqueus contritus est, & nos* „ *liberati sumus*. „ Et hæc fidentia Ottonis in Hugonem, ut in Epistola? Hæc nobis dubiam eam faciunt; Et consequenter Hugonis præfecturam incertam. Quis Spoletum obtinuerit uxorio jure, examinabimus num. 116. V. tandem (sive post Pandulf Caput ferreum, sive Hugonis præfecturam) cui, & a quo Ducatus Spoleti cũ Camerino tributus? Duo pro dicendis, ne confusio oriatur (quod facile contingit in geneologicis) præmittere oportet: unum, Lotharingiam sæculo X. divisam fuisse in *Superiorem* dictam *Mosellanicam* à Mosella eam secante: & in *Inferiorem* trans ripam dexteram, sive orientalem Scaldis, quæ tunc dicebatur *Ducatus Ripuariorum*. Duo Duces eis præerant, Mosellanico Duce sedente *Metis*, Ripuariorum *Aquisgrani*. Nonnulli Scriptores agentes de nuptiis Beatricis Matris Mathildis cum Godifredo *Barbato* Duce Lotharingiæ, itemque Mathildis cum ejusdem filio Godifredo *Gibboso* vocant hanc Lotharingiam *Mosellanicam*. Pariformiter dicunt Beatricem filiam Friderici II. Ducis Lotharingiæ *Mosellanicæ*, sive superioris, ut scribit Cl. Muratorius *Antiq. Esten.* in stemmate Mathildis p. 64. Ne quis ideo credat consanguinitatem per rectam lineam inter Godifredos, & Beatricem, sciat ex Sigeberto sub A. 1033. quod *Frederico Mosellanorum Duce sublato* (A. 1027.) *quia mares filios non habebat* (sed solum Beatricem, & Sophiam) *Gotbelo Dux* (Ripuariorum) *impetrato ab Imperatore etiam Mosellanorum Ducatu in Lotharingia principatur*, ambobus sub uno conjunctis. Alterum est, Godifredos vocari etiam *Gozelones*, ut ex ipso Sigeberto, & ex Lamberto Schafnaburgensi A. 1077. *Mathildæ derelicta Ducis Lotharingorum, Gozelonis filia Bonifacii Marchionis, & Beatricis Comitissæ* &c. Eadem nomina apud Sigonium A. 1053. & Dominicum Mellinum *de Orig. Mathild.* edit. 2. Florent. 1609. a p. 33. Nil refert rationem hic reddere: Ducem Spoleti post Hugonem Salicum inquiramus. Non alium expressè scriptum quam *Godifredum* juniorem sive Gibbosum nos novimus apud Anonymum Scriptorem prosaicæ *Vitæ Mathildis cap. 7.* (C. H. t. 5. qui laudat Landulphum de S. Paulo XI. sæculi, & ultra, ac Martinum Polonum XIII. Scriptores. Eundem novit, nullumque antiquiorem, Sigonius A. 1054. Sciendum hic cursim, sicut A. 1052. satis cesserat Bonifacius Beatricis Maritus. Ex Lotharingia in Italiam sequenti A. 1053. Leo IX. qui præfuerat Moguntino Concilio, secum duxit Godefredum Barbatum, & ut abesset ab Henrico III. cujus fuerat captivus, ac ut pro se in Apulia militaret contra Normannos. Tunc vidua Beatrix rebus suis consulere volens, justisque de causis, ut apud Historicos, nupsit eidem Godifredo, filiamque Mathildem tunc ineptam conjugio, quia vix erat septennis, nata A. 1046. Godifredo Gibboso filio tantùm spopondit, ideoque Scriptores hac ratione etiam Ducem Spoleti, & Camerini ipsum vocant. Castè Beatricem cum novo viro vixisse testatur P. Damiani *Epist.* 14. *l.* 7. De Mathilde verò Schafnaburgensis d. A. 1077. sic pergit: „ Hæc vivente adhuc viro suo quandam vi„ duitatis speciem longissimis ab eo spatiis exclusa præ„ tendebat, cum nec ipsa maritum in Lotharingiam „ extra natale solum sequi vellet, & ille Ducatus, „ quem in Lotharingia administrabat, negotiis impli„ citus vix post tertium, vel quartum annum semel „ Marcham Italicam inviserat: post cujus mortem Ro„ mani Pontificis lateri penè comes individua adhære„ bat, eumque miro colebat affectu. „ In Lotharingiam abierat Godifredus Pater A. 1070. ut nuptias filii cum Mathilde compleret, & cum illo in Italiam expost rediturus: at eo anno exeunte illuc obiit. Interim Beatrix cum filia amplissimas super omnes Italiæ Principes moderabatur ditiones, ut subnectit Lambertus, quas inter dubio procul erant Spoleti, & Camerini Ducatus, quorum titulum ferebat Godifredus jam sponsus, Sed & is A. 1076. in Lotharingiam profectus, (jam Socrui, & Conjugi invisus, quia Henrico IV. adhærens, adhuc Gregorium VII. nefandissimè cum Cincio Romano capere struxerat, ut apud Pagium jun. *in Gregorio*, & Bacchinum *in Hist. S. Benedicti pag.* 71.) è vita decessit. Jam nunc quare is Dux Spoleti, quo jure? Non paterno, vel avito, igitur uxorio. Idem quæri-

mus.

Digitized by Google

mus de uxore Mathilde. Quare si in Annalibus Mutinensibus MSS. apud Cl. Muratorium, qui eos edere promittit, *nota* 14. *in Donizon.* Mathildis dicitur *Dux Spoleti*, *& Marchiæ Camerini*, sanè non nisi jure paterno, vel avito, non materno, quia & Beatrix de Ducibus Lotharingiæ. Hujus Conjugem *Bonifacium*, & illius Patrem per quamdam rimam, sed arctam, Ducem Camerinensem prospicimus. Extat Petri Dam. *Ep.* 15. *l.* 7. *ad B. Ducem*, *& Marchionem*. Quid *B.* nisi Bonifacium, ad quem nondum Cardinalis hæc scribit: „ Non „ ignoro præcellentissime Domine, quia si te Omnipo„ tens Deus aliquatenus non diligeret, nequaquam „ tibi *tot hominum millia regenda committeret*, *inimi*„ *corum tuorum pedibus tuis colla substerneret*, & te „ *præ cunctis Regni potentibus* cum tanta gloria subli„ maret. „ Cui ex Langobardis Principibus hæc poterant tunc convenire nisi Bonifacio, cujus summa potentia? Antonomasticè dictum *Ducem Langobardorum* ostendit Massejus Agnellus *Annal. Mantuæ* pag. 331. Nonne is ipse, qui inimicorum suorum ejus potentiæ invidentium pedibus suis colla substraverat in celebri prœlio ad Cuvilium in agro Regiensi, cum primam Sponsam *Richildam* Canusium duceret? Videantur Donizo l. 1. c. 6. Sigonius A. 1021. & Agnellus *l. l. p.* 385. Quid petit à Bonifacio S. Archipræsul? Ut Monasteria illius in ditione posita *non deprædari*, *non molestari permittat*. Igitur hæc Monasteria Bonifacio commendata æque posita esse debebant in ditione temporali Bonifacii, ac in Ecclesiastica S. Archipræsulis: ergo in Piceno ubi Marcha Camerini. Non? Subnectit: *De Monasterio autem S. Vincentii Excellentiam vestram præ omnibus*, *& super omnia rogo*, *ut illud specialiter diligas. Prædia*, *quæ ab invasoribus detinentur*, *legali sibi jure restituas*, *& à cunctis mortalibus protectionis tuæ scuto defendas. In hoc igitur Monasterio evidenter appareat*, *si apud vestræ Celsitudinis aures majus aliquid impetrare humilitas valeat*. Notat hic Constantinus Caetanus: *Monasterium S. Vincentii ex Petra pertusa intelligit*. Recte: abest à Lexicis, Leandro &c. sed de illo hæc Lubin *Notitiæ Abbat. p.* 293. a. „ Abbatia titulo S. „ Vincentii de Petra Pertusa O. S. B. Diœcesis Urbina„ tensis..... In Mappa Magini (tab. 46.) B. idest „ *Badia* (*de S. Vicenzo*) à Civitate Urbini 8. pass. m. „ versus meridiem „. Ita, sub *Petra lata* ad ripam lævam Metauri. Ubi adhuc observandum, *Petram pertusam* locatam cis *Pergulam* ad occasum, 10. milliaribus ab hac distantem, ut esset intra fines mensæ Archiepiscopalis Ravennæ, etsi in Diœcesi Urbini. Ex quibus item conjicimus, vel Ducatum Camerini tunc protensum cis Metaurum, vel Bonifacium adhuc Marchæ Anconitanæ fuisse dominum, quod probabilius, ut num. 85. tetigimus. Cum igitur res ita fuerint, & anteacto tempore Conradus II. & Bonifacius fœdus æquissimum jecerint, ut narrat Donizo *l.* 1. *c.* 10. ubi Imperator

Et ideo dixit, quod Marchia serviet ipsi:

cur non hic venit Marcha Spoleti, vel Anconæ? Tusciæ Marcham jam Bonifacius à Conrado obtinuerat A. 1033. ut Abb. Bachinius laud. *Hist. p.* 37. rectè demonstrat ex documento Mutinensi A. 1034. licèt aliud anterius Jacobi Episcopi Fæsulani A. 1032. referat Agnellus *l. l. p.* 389. ex Ughello *t.* 3. *col.* 297. in quo dicitur etiam pro salute *Bonifacii Serenissimi Ducis*, *& Marchionis Tusciæ &c.* Nihilominus Cl. Muratorius *in Donizon. nota* 110. promittit in tomo diplomatico ostendere, hanc Marcham, de qua hic Donizo, non esse illam Tusciæ, & rectè. Alteram constatam ex Mantua, Parma, Regio, Mutina &c. potius fuisse conjectat. At cum fortè quis aliquo emendicato colore a Conrado Spoleti, vel Anconæ Marcham expoſceret, locus etiam fit conjecturæ, Conradum in fœdere Bonifacio jurasse, quod *Marchia serviet ipsi*: nullum enim ibi signum de redigendis in Marchæ formam illis Urbibus, vel quod fuerint antea redactæ. Ictum fuit fœdus Parma virtute Bonifacii subacta A. 1038. Si sensus esset, quod *Parma serviet ipsi* ita Donizo dixisset, non *Marchia*.

(116) Quamvis porrò sit certum, Marcham hanc possedisse Bonifacium (cum sanè non alia ratione Mathildis, & Godifredus Ducum Spoleti titulum ferre potuerint) non ideo a Conrado illam (sicut Tusciam) obtinuisse censemus. Etiam Thedaldum Bonifacii Patrem eandem possedisse opinamur, nec temerè. Si subsisterent rationes, quas Florentinus de rebus Mathildis *lib.* 3. congerit, contendens, ipsum *Thedaldum* Hugoni Salico A. 1001. successisse in Tusciæ Ducatu, facilè tueri possemus, eundem adhuc obtinuisse Ducatum Spoleti &c. de quo nec verbum quidem habet Florentinus in rebus Thedaldi. Verum quia adducta à Florentino non satis Viris doctis probantur, præsertim Abbati Bacchino *d. Hist. S. B. p.* 14. quia licèt Thedaldus dicatur *Dux*, *& Marchio* pluribus in documentis, siletur tamen Ducatus, vel Marchæ nomen (quod silentium tam sæpe Scriptoribus, & documentis offundit tenebras) alia via est incedendum, ut ex notis ignota eliciamus. Dux, & Marchio certè Thedaldus dicitur, neque inaniter: quare si ipsi aliquo jure Spoletum conveniebat, idem quoque possederit: cui enim post Caput ferreum, vel mortem Hugonis delatum? Atqui jure saltem uxorio conveniebat Thedaldo (sicut per Mathildem Godifredo) illud ergo possedit quoque Thedaldus. Hujus porrò uxorium jus (ut ratiocinium nostrum vim habeat) verbis Pagii A. 1002. n. 4. declaramus: scribit: Hubertum „ filium „ Hugonis Regis uxorem duxisse *Villam*, filiam *Bonifa*„ *cii Majoris* cognominati, Spoletanorum, & Cameri„ norum Marchionis, ac ab eisdem genitos *Hugonem* „ Tusciæ Marchionem anno superiori (1001.) demor„ tuum, & *Villam* cum *Thedaldo*, seu *Theobaldo* con„ jugio postea conjunctam. Cum vero *Hugo* sine liberis „ obierit, successit ei, non Bonifacius, ut putavit Ba„ roniùs, sed idem *Thedaldus* Villæ sororis Hugonis „ maritus. „ Hic ergo habemus duas *Villas* (sive Guillas juxta dialectum S. Petri Damiani) Matrem, & Filiam. *Villa Mater*, quæ filia Bonifacii, & soror Theobaldi Ducum Spoleti, de quibus supra num. 114. præmortua adhuc filio suo Hugoni Salico A. 995. ut patet ex charta Hugonis filii pro Abbatia Florentina ejusdem A. 995. apud Puccinellum in illius Abbatiæ *Chronica p.* 212. ubi *Ego Ugo Marchio filius D. Uberti* &c. *pro animæ meæ remedio* &c. *tibi Ecclesiæ*, *Monasterio S. Mariæ semper Virginis*, *quæ est constructa in Civitate Florentiæ*, *quam D. VVilla*, *quæ fuit Genitrix mea*, *à fundamentis construxit*. Ex hac Villa, altera *Villa filia*, & soror Hugonis, quam idem Puccinellus *in Vita Hugonis* minimè novit: Etenim p. 48. meminit tantùm *Valdradæ* sororis Hugonis, nuptæ Candiano III. Venetiarum Duci ex Sabellico. Hæc ergo Villa filia Huberti, & Villæ Spoletanæ, uxor fuit Thedaldi filii Adalberti, & Patris Bonifacii, ascendentium Mathildis, quod clare cognoscimus ex charta fundationis Monasterii Sancti Benedicti de Padolirone *Bullarii Cas. tomo secundo Const.* 73., & apud Abbatem Bacchinum ad calcem *Historiæ* cœptæ tantùm ejusdem Monasterii p. 16. Charta data est A. Henrici Pii 4. mense Junii indictione 5. hoc est A. Regni ejus in Italia, qui Christi 1007. ab anno coronationis 1004. juxta Hermanum Contractum scribentem h. A. *Papiam ipsa*, *qua coronatus est*, *die*, *irrumpens*, *gladio*, *& igne perdomuit*. Porrò in charta scribit Thedaldus *Marchio filius quondam Adelberti*, se ædificasse illud Monasterium *pro anima mea*, *& quondam Vviliæ conjugis meæ*: & iterum infra, & hæc soror Hugonis Salici, & ideo Donizo cap. 4. de ea sic

Uxor Tedaldi fit Guillia dicta Ducatrix.

At quia Puccinellus in *V. Hugonis p.* 48. adductis testibus, ostendit eundem Hugonem ex *Juditta* uxore suscepisse, non masculos, sed *Villam* (quæ minima, & tertia dici debet) & *Adalasciam*: ne quis dubitet hanc *Villam* III. potuisse esse uxorem Thedaldi, subjicit Puccinellus, *Villam* Hugonis, & Judittæ filiam fuisse nuptam Comiti *Arduino*, sive Ardicioni, & *Adalasciam* traditam Comiti *Lotherio* ex Comitibus de Albertis. Cum ergo Thedaldus uxorem habuerit *Villam* sororem Hugonis Salici, & neptem Bonifacii Spoletani Ducis, cur non & ipsa post Caput ferreum, vel mortem Hugonis fratris, & per ipsam Thedaldus maritus esse debuerint Duces Spoleti, & Camerini? At quis reponet Thedaldum etiam æquali jure fuisse Ducem Tusciæ, ut contendit Florentinus; nam mortuo Hugone sinè masculis succedere debebat soror *Villa* uxor Thedaldi. Fortè non, neque par ratio. Potiùs succedere debuissent Hugonis filiæ *Villa* III. vel *Adelascia*, sive quæ natu major. Sed hic duo inspicienda. Primum Imperatoris arbitrium, juxta *l.* 1. *de feudis tit.* 14. *lib.* 1. ubi „ de Marchia, vel Ducatu, vel Co„ mitatu, vel aliqua legali dignitate, si quis inve„ stitus fuerit per beneficium ab Imperatore, ille tan„ tum debet habere: hæres enim non succedit ullo „ modo nisi ab Imperatore per investituram acquisie„ rit. „ Quid tamen in praxi tunc esset, declarat Cl. Muratorius *Antiq. Estens. p.* 28. Quare cum post Ottonem III. de Regno Italiæ contenderent Henricus Pius, & Arduinus Eporediæ Marchio, & Henricus fuerit tantum legitimus Imperator coronatus a Benedicto VIII. A. 1014. defuncto interim Thedaldo non A. 1007. ut ex documento Padolironensi apud Agnellum *Annal. Mant. p.* 380. sed A. incerto, ut infra, eodemque Theobaldo adhuc vivente abdicato dominio, & in Bonifacium filium translato, ut ex certis documentis novit Abb. Bacchinus *l. l. p.* 18. non potuit assequi Ducatum Tusciæ, quem tamen sibi meritis suis paraverat, militando pro Henrico contra Arduinum A. 1004. ex eodem *p.* 17. Transfusis tamen meritis suis in Bonifacium, is postea adhuc Ducatum Tusciæ obtinuit, ut prædiximus. At de Ducatu Spoleti potuit Thedaldus investiri ab uno ex Ottonibus

II.

Digitized by Google

II. vel III. post mortem Pandulphi Caputferrei A. 981. Secundò erat conspiciendum, quam legem profiterentur filiæ Hugonis, & Judittæ, & quam ipsarum mariti Arduinus, & Lotherius, an scilicet Salicam, vel Langobardicam, quod maximè attendebatur in beneficiis, seu feudis consequendis jure hæreditatis; poterantque fœminæ dimittere priorem legem, sub qua natæ, & maritalem amplecti. In quacumque tamen hypothesi semper requirebatur specialis investitura juxta *l. 2. an maritus succedat uxori in beneficio de feudis tit. 15. lib. 1.* Cùmque hæc esset ad arbitrium Imperatoris, nec fortè essent in maritis Villæ III. & Adelasciæ merita, ut investirentur, placuerit Imperatori Ducatus Spoleti, & Camerini, non filiabus Hugonis deferre, sed Thedaldo jure uxorio Villæ sororis Hugonis, & filiæ Villæ Spoletanæ. Obiter postea, ut dicebamus, incertus est adhuc annus emortualis Thedaldi, nam Donizo vix dicit *lib. 1. cap. 7.* die 8. Maji, nec annum supplent Clariss. Annotatores. Muratorius alibi legit *tertio idus Jan.* Sed nunquam dici poterit, obiisse A. 1007. indictione 5. ut Agnellus d. p. 380. assentiendo refert, se reperisse in quadam memoria Padoironensi, recitatque Donizonis versum

Idus octavo Madii fleo, condo Thedaldum.

Vel oblitus est, vel non vidit indubitatam chartam Thedaldi An. 1007. mensis Junii pro illo Monasterio prælaudatam: annus itaque incertus; parùm tamen post hanc vixisse conjicimus, quoniam in charta Bonifacii ejus filii 12. Augusti A. 1009. dicitur mortuus: extat in Bullar. Cas. *Const. 75.* & ibi duo notabilia observamus, unum, quod Bonifacius jam dicitur *inclitus Marchio*: alterum, quod profitetur *legem vivere Ribuariorum*, quando ejus Pater Thedaldus profiterur vivere *lege Langobardorum*. Hisce infirmis meditationibus nostris obstare videntur, quæ Pompejus Compagnonus *in Regia Picena* (apud Clar. Muratorium in *Dom. l. 2. nota 192.*) observat, nimirum quod tempore Mathildis *VVarnerius Dux*, & *Marchio* dominabatur Piceno, & quidem A. 1063. ut subjicit ex eodem Compagnono Dinus *de Antiq. Umbror. p. 79.* utroque à nobis laudato num. 85. Cum igitur Marcha Camerini esset in Piceno, semperque accenseretur Ducatui Spoleti, non poterat esse Mathildis, neque suorum Ascendentium, à quibus eundem accepisse illam dicimus. Verùm hæc jam prævenimus d. num. 85. Nunc in subjecta materia præmoneamus duas in Piceno tunc fuisse Marchas: unam *Anconæ* dictam adhuc *Guarneris*, quæ erat pars occidua Piceni usque ad Misconem protensa in ortum, & hæc ad Guarnerium tempore Mathildis spectabat, jure ne, vel injuria, jam diximus sub dicto num 85. Altera erat *Firmi*, sive Firmana, vel *Camerini*, de quibus num. 121. & hæ non erant Guarnerii: tempora distinguamus, scilicet antequam excitarentur dissidia inter Mathildis Domum, & Imperatorem, & tunc nihil innovatum in ditionibus ad illius Domum spectantibus. Post fuit tempus, quo vetus animorum conjunctio dissolvi cœpit, cum nempe mortuo Bonifacio, Beatrix Godifredum seniorem sibi junxit, filiamque juniori spopondit: quod sanè ægrè tulit Henricus III. Quamobrem dum *Imperator Italia visitat* (ut scribit Bertholdus Constantiensis ad A. 1055. eique it obviam Beatrix) *Beatricem inde abduxit captivam, quippe multum molestè ferens Duci Godefrido esse copulatam*. Insolentissimè eadem scribit A. eod. Chronographus Saxo: *Henricus Imperator Italiam cum exercitu petens omnia in pace disposuit: revertensque Neptem suam Beatricem Matrem Mathildæ secum duxit, indignè eam tractans, propter quasdam insolentias, quibus vivere consueverat, mortuo ipsius marito Bonifacio Duce*. Causam dissimulat, & innocentiam insimulat. Neque tamen per hoc ditiones Mathildianæ distractæ, liberè post dimissa Beatrice ob mortem Henrici A. 1056. Fuit tandem tempus, quo Vitrico, Sponso, & Matre A. 1076. defunctis, Mathildis sola superstes, Ecclesiæ ditionibus suis oblatis, pro ejusdem juribus defendendis fortitudinem induit, & arma. Utique tunc ditiones illius distractæ, & Teutonicis viris delatæ. Et huc revocanda sunt, quæ de Marchionibus Anconæ meditati sumus num. 85. præsertim circa finem, ubi vidimus, quod quidam Guarnerius Teutonicus fuit primus, vel secundus Marchio Anconæ, & Procurator rerum Henrici IV. in Italia: occupaverat enim, vel jam præoccupatas tenebat Anconam, aliasque ditiones Ecclesiæ, & morabatur Tiburi occasione Maginulfi electi Antipapæ sub nomine Silvestri IV. contra Paschalem II. A. 1105. Ideo est valde probabile, eundem Guarnerium administrasse proximas Marchas Spoleti, & Camerini Ecclesiæ à Mathildis pietate tributas. Cùmque post illum Guarnerium se Anconitani in libertatem vindicaverint, nec Marchiones Teutonici possidere possent Anconam, ut eodem loco probavimus, non temerè, privationem Anconæ, ejusque Marchæ Ducatu Spoleti, & adnexis Cæsares compensasse, conjicimus. Videmus enim juniorem alium Guarnerium Anconæ Marchionem, & Ducem Spoleti, ut illuc retigimus, cujus charta est apud Ughellum *t. 1. col. 597.* data A. 1145. Brunoni Abbati de Claravalle Mediolani, qua donat Monasterium, *quod ego*, inquit, *exposui in Comitatu Cam r.ni juxta fluvium Clenjis*. Aliquando tamen eosdem Marchiones ab Ancona repulsos, Ravenna, Romania, & Æmilia compensatos ostendimus sub num. 86 aliis Spoletano Ducatu donatis. Sic post dictum Guarnerium Ænobarbus A. 1158. celebratis Comitiis in Roncaliis, juribus Regni Italici prospicere, ac contulere volens, *Reditus quoque Imperiales, qui dicuntur Domus Mathildis à Duce Guelfone* (fratre Henrici Superbi), *seu ab aliis distractos, & dispersos, congregavit, quos postmodum eidem nobilissimo Principi adunatos, & melioratos, liberali restitutione noscitur reddidisse*, ut scribit Radevicus *lib. 2. cap. 10.* Porrò inter illos reditus Ducatum Spoleti fuisse post tot alios refert etiam Ladislaus Sundheimius *de famil. VVelfonum* (laudatus num. 22.) apud Leibnitium t. 1. p. 801. ibi dicens, quod Ænobarbus tradidit *VVelphoni seniori* (VI.) *ut pio Avunculo suo Marchiam Tusciæ, Ducatum Spoleti, Principatum Sardiniæ, & dominium Comitissæ Mechtildis*. Triennio antequam hæc Imperator decerneret, Spoletani ejus mandata spernentes, Urbem suam ab eo captam, direptam, incensam, eversam miserrimè vident. Id excidium, & causas ipsemet Imperator scribit Ottoni Frisingensi Patruo suo p. 636. (C. H. t. 6.) qui fusiùs idem describit *lib. 2. cap. 24.* & post illum Morena *col. 689.* castigatus tamen à Cl. Annotatore Saxio *nota 100.* Defuncto exinde Guelfone *quemdam liberum Bideluphum Ducem Spoleti effecit*, ut sub A 1168. prodit Urspergensis *p. 308.* Huic ab eodem Ænobarbo invenitur suffectus *Conradus* Svevus saltem A. 1185. & non institutus ab Henrico VI. ut putat Sigonius sub A. 1195. Apparet namque testis subscriptus in Charta Friderici I. d. A. 1185. indictione 3. *Conradus Dux Spoleti*, quando Spoletanos suæ gratiæ Imperator restituit, ut apud Ughellum *in tomi I. Append. col. 176.* edit 1. Sed Innocentium III. A. 1198. vel sequenti coegisse eundem Conradum Ducatui cedere distinctè narrat coævus Scriptor *Vitæ Innocentii III.* p. 488. a. Attamen ab enumeratione Urbium ibi facta valde detractum, & diminutum eundem Ducatum cognoscimus, non ampliùs illius amplitudinis, ut erat sub Mathilde, suisque antiquioribus Ducibus. Non diu post Ecclesiæ pacem, & ditionem ab Ottone IV. turbatam legimus apud Richardum de S. Germano col. 984. (C. H. t. 7.) scribentem sub A. 1210. quod *Otho se Capuam confert, ubi receptis à Diopuldo certis munitionibus, Ducem Spoleti effecit illum*. Cujus Diopuldi conditionem, facinora, variosque casus prosequitur idem Richardus. Quapropter semel A. 1216. *de Ducatu Spoleti in Regnum* (Neapolitanum) *occultè rediens super asinum sedens, proditus, & cognitus apud Tiberim captus est, & Senatori Urbis in custodiam traditus, & tandem interventu pecuniæ liberatus*, ut Richardus subdit col. 989. Sed neque correctus, neque volens Fridericus II. ejus delicta perferre, *de ipsius mandato à Comite Jacobo de S. Severino genero suo capitur*, A. 1218. ut col. 991. Cùmque A. 1221. *ad preces Teutonicorum dimissus est liber*, non est tamen Dux Spoleti confirmatus, quia A. 1225. pacta inter Honorium III. & dictum Fridericum, & *Rainerius dictus Dux Spoleti juravit in anima sua*, apud laud. Richardum *col. 998.* qui pergit, eundem ostendendo non dissimilem prædecessori suo, æqualiumque scelerum reum, ditionum Ecclesiæ, præsertim Marchæ Anconitanæ invasorem, excommunicatum, & jussu ejusdem Friderici captivum, ut nec Dei, nec dæmonis esset. Nihilominus immortale fuit opus Gregorii IX. qui minimè adversatores Imperatorem, Ducemque extimescens, utroque gladio jura Ecclesiæ vindicare scivit, & potuit. Ipse Ducatum recepit. Feliciter Spoletum, Reate, aliaque loca ingreditur, ibique solemnia agit, divertitur, ut pluribus in locis laudatus Richardus subnectit, & in ejus Vitis Bernardi Guidonis, & Cardinalis Aragonii refertur. Horum Ducum Spoleti seriem non continuamus, quoniam omnes post Mathildem vitio creati dicuntur. Miramur rerum magnæ Principis hujus Scriptores præcipuos adeò ditionum ipsius incuriosos, maximè Donizonem. Ad rem, Florentinus *lib. 2. p. 334.* brevi linea vix dicit, quod „ opinio fuit, Ducatum Spo„ leti ditionis ejus fuisse, ac verisimile post mortem „ Patris, & Vitrici illum obtinuisse, „ non aliud. Nihil Abb. Bacchinus in *Hist. S. Bened.* De silentio Filii Dantis queritur Dominicus Mellinus *de Orig. Math. p. 34.* quod siluerit, Godifredum Ducem fuisse Spoleti, quod omnes, inquit, qui scripserunt de illo, ut con-

Digitized by Google

juge Mathildis, affirmant; at neminem laudat. Satis id nos probasse censemus.

(117) Quemadmodum postea Ducatus Spoleti diminutus, & citra Regiones illi adnexas ad Ecclesiam pervenit, ut diximus, ita Blondus, Volaterranus, Albertus, recentioresque Cluverius in *Introductione Geographica*, Labbeus, Lindanus, & alii adæquè arctatum inter Umbriæ fines describunt. At nos juxta veterem suam amplitudinem, quam habebat sub Langobardis, Francis, & quoad fuit juris Domus Mathildis illum describere debemus. Cis, & trans Apenninum haud dubiè porrigebatur: & ideo in binis Chartis Ludovici II. Imp. A. 875. & Carolomanni Regis Italiæ 877. pro Monasterio Casauriensi nuper erecto, ut in hujus Chronico apud Dacherium *pagg.* 386. & 391. *tom.* 5. *Spicilegii*, (sive C. H. t. 2. part. 2.) in recensione ejus bonorum per varias Regiones dicitur etiam ter *per ambos Spoletanos Ducatus*, hoc est cis, & trans Apenninum, ut exprimit S. Petrus Damiani *Ep.* 12. *lib.* 7. dicens de Hugone, quod *obtinuit utramque Monarchiam* (sive Marchiam) *& quam Tyrrhenum videlicet* (Tusciam) *& quam mare Adriaticum alluit.* Liquet autem, quod nullibi Ducatum Spoletanum alluebat Tyrrhenum, cujus ora in Campania Cajetam usque spectabat ad Ducatum Romanum, infra ad Comitatum Capuæ, expost ad Ducatum Neapolitanum &c. ut cum de Græcorum jurisdictione maritima dicemus num. 141. At Adriaticum mare alluebat Ducatum Spoletanum cis Apenninum, hoc est Ducatum Camerini illuc usque protensum in latitudine: ideoque subdit, *cessit Imperatori Monarchiam Camerini cum Spoletano Ducatu*. Sanè parum feliciter Blondus *Histor. dec.* 1. *lib.* 9. prope finem ditiones illorum temporum hoc pacto divisit: *Tenebat verò Arrigis* (Aragisus Gener Desiderii A. 774.) *eo sub Ducatu* (Beneventano) *præter Neapolim, & Puteolos, quidquid vetusto nomine Campania Regio est complexa* (hoc falsum, ut ex descriptione Ducatus Romani) *illique suberat Samnium pars maxima à Benevento, Eserniaque, & Aimonis Vasto Aternum usque amnem, qui nunc est Piscaria* (& tunc: quin imo integrum Samnium: ad ortum Pentros, & Hirpinos, & Lucanos &c.) *Et inde quicquid Pelignorum, Marucinorum, & Marsorum nominibus continetur* (Non: Marsi, & Peligni ad Spoletanos spectabant.) *Piceni autem pars ad Apenninum pertinens Spoletano Duci Langobardorum suberat*; (etiam pars maritima quoad se extendit Picenum ad ortum) „ Ex inde quicquid Urbium, Oppidorum à Ravenna „ in Sipontinam Urbem, & ultra ad oram maritimam; „ quidquid in Italiæ ambitu ad Neapolim est situm, „ & a Siponto Nuceriam, inde in Lucanos, Neapolimque, quicquid mediterranea Regio in Salentinos, Calabrosque, & Brutios habet Imperatori „ tunc parebat, ut nullo pacto sit dubitandum, quin „ Mauricius potuerit Urbi Romæ, & Italiæ subvenire, nisi mala illi mens, & malus animus fuisset.„ Ex his partim vera initio Imperii Mauricii, non in progressu, partim falsa, nam sub Tiberio Constantino, stante Ducum Oligarchia, hi totam penè Italiam invaserant ab A. 577. & primi duo Duces Spoleti Faroaldus I. & Ariulphus, sive Arnulfus jam Piceno erant potiti, ut sub numm. 104. & 111. primus enim adhuc Ravennam obsederat. Exinde ora Adriatici usque ad Apuliam pertinuit ad Spoletanos, & Beneventanos Duces. Græci diutius, feliciusque oram Tyrrheni propter proximam Siciliam servare potuerunt. Constat igitur, & magis infra constabit, quam ampla fuerit ditio Ducum Spoleti, comprehendebat enim cis Apenninum majorem Piceni partem, à finibus Pentapolis, tam alpestrem, quam maritimam, modò dictam Marcham Anconitanam, & Aprutium ulterius, hoc est, occiduum, nobisque proximius: & trans Apenninum Umbriam, partem Sabiniæ, Æquos, Marsos, Vestinos, & Pelignos, quibus a Normannorum ævo fieri cœpit nomen Aprutii citerioris, & ulterioris, etsi in horum finibus recentes tabulæ Italiæ dissentiant, sed nihil ad nos, hæc enim spectant ad Chorographiam infimi ævi, non medii. Nunc descripturi Spoletanam ditionem ab infima parte trans Apenninum, quo ad nos (sicut egimus in descriptione Ducatus Romani) exordiemur, hoc est à Sabinia, tendendo ab occasu ad ortum. Post Nare vadato Umbriam intrabimus: denique trajecto Apennino Picenum sub nomine Ducatus Camerini, & Marchæ Firmanæ prosequemur. Fines igitur Sabiniæ Spoletanæ *ab occasu* iidem, qui ab ortu Sabiniæ Romanæ: hoc est ea linea imaginaria, Tiberi ferè parallela, ducta ab *Aniene*, sive ab agro Tiburtino ad *Narem*. A *borea* idem Nar, ubi finis Sabiniæ Romanæ: utrumque probavimus num. 110. Ab ortu tota, sive reliqua Sabinia, transgressisque fontibus Liris, sive Gariliani, usque ad Apenninum, montesque Sangri amnis porrigebantur. Id nos primo docet Anastasius *in Zacharia pag.* 161. a. ubi Trasimundus II. Dux Spoleti à Liutprando Ducatu privatus, „ habito consilio cum Ro- „ manis, collectoque generali exercitu Ducatus Ro- „ mani, ingressi sunt per duas partes in *fines Ducatus* „ *Spoletani*. Qui continuo timore ductus præ multitu- „ dine exercitus Romani eidem Trasimundo se subdi- „ derunt *Marsicani*, & *Forconini atque Balvenses*, *seu* „ (pro &) *Prinenses*: „ en hi omnes prisci Marsi, Peligni, Vestini, ubi nunc Aprutium, subditi Ducis Spoleti, & deditiii suo Domino. Idem nos docet secundò Charta investituræ factæ per Heribaldum Comitem Sac. Palatii, Ludovici II. Imperatoris Abbati Casauriensi p. 806. (C. H. t. 2. p. 2.) in qua, dum recensentur bona ipsius Monasterii per singulas Regni Provincias, dicuntur *in Spoletinis Balba, Reate, Marsi, Furcone atque Amiterno, & Spoleti Nursia* &c. quæ omnia loca nunc in Aprutio ulteriori, & antiquitus, ubi prædicti populi, & *Balba*, sive Valva trans Aternum, sive Piscariam amnem, ubi, vel prope vetus Corfinium, quod infra expendendum. Et hic claritatis gratia observandum, quod recens Aprutium ulterius magnam partem Provinciæ Valeriæ (cujus crebra mentio apud S. Gregorium in Epistolis, & Dialogis) complectebatur, ut ideo Spoletanus Dux eandem certè teneret. Valeria porrò ex descriptione Pauli 2. 20. *inter Umbriam, & Campaniam, Picenumque consistit: quæ ab oriente Samnitum Regionem* (hoc est Beneventanorum) *attingit*. Et in eadem has Urbes esse subdit *Tiburim* (Ducatus Romani) *Carsilis, Reate, Furconam, & Amiternum, & Regionem Marsorum, & eorum lacum, qui Fucinus appellatur*. Liquet ergo Ducatui huic Valeriam, quæ Marsos continebat, fuisse attributam: ideoque ab Anastasio *l. l. Marsicani* dicuntur, ut innuat non solam Urbem *Marsicam*, sed totam Regionem, (ut Paulus ait) Trasimundo cessisse. Fines tandem ab *austro* designantur linea flexuosè ducta ab Aniene, sive agro Tiburtino ad dexteram *Carseoli* per fontes *Gariliani*, item ad dexteram lacus Fucini, hucusque sejungente Ducatum Spoletanum à Romano, sive à Campania Romana. Et dum eadem linea protrahitur usque ad montes *Sangri*, eundem Ducatum à Gastaldatu sive Comitatu Capuæ disterminat. Montes Sangri eos dicimus ex quibus oritur Sangrus, ad cujus lævam extensos videmus in tabulis; nam *Ausidena* ad ejusdem fontem sita, erat in Samnio juxta Ptolemæum 3. 1. & Paulum 2. 20. Porrigebatur ditio Spoletana boream versus ad montes, ubi Sulmona, & Valva, & usque ad Gastaldatum Teatensem inter Piscariam, & Sangrum, ubi veteres Marrucini, ex dicendis.

(118) Finibus infimæ ditionis Spoletanæ sic statutis, ejusdem Urbes, & loca alicujus nominis, etiam medio ævo, expedit nunc observare, incipiendo ab occasu, nempe ultra lineam imaginariam Ducatum Romanum à Spoletano dividentem. Ibi occurrit primò ACUTIANUS, & ibi adhuc FARFA, ut in Magini tab. 42. à Farfara fluvio dicta, ut in Bulla Paschalis I. A. 817. *Bullar. Cas. t.* 2. *const.* 26. & in Judicato Missorum Imperialium A. 829. apud Dn. le Blanc *Diss. Hist. cap.* 9. ad calcem *Tract. de monetis*, ubi legitur *Ingoaldus Abbas Monasterii S. Mariæ, quod est situm Sabinis in loco, qui nuncupatur Acutianus*. Prostat nunc Chronicon hujus celebris Abbatiæ C. H. t. 2. part. 2. & ditionis Spoletanæ ipsam fuisse jam demonstravimus num. 110. præter tot alia documenta in Chronico eodem contenta, idemque ostendentia, sanè ignota Sigonio, ut ideo Farfam Ducatui Romano accensuerit. Paulò infra Farfam ad datam lineam S. ANTHIMIUS (S. Eutimus Blondo *Reg.* 4. *p.* 333. ex S. Gregorio *Ep.* 20. *l.* 2.) de quo Holstenius *in Cluver. p.* 107. hæc prodit. „ S. Anthimi Ecclesia cum „ Monasterio nunc in Curensi territorio vestigia maxi- „ ma cum nomine servat. Bedæ, & Adonis Martyro- „ logia distinctius locum signant via Salaria milliario „ 22. quod intervallum exactè congruit: & inde irre- „ fragabiliter evincitur, veteres fuisse *Cures*: „ Holstenium transcripsit, & Lubin. *Notit. Abb. p.* 17. ubi error typographi in pag. Holstenii 17. quæ est 117. Cures porrò, aliis *Turres*, aliis *Vescovium*. Cures in Isleana scribuntur 30. m. pass. ab Urbe contra Holstenium. Infra S. Euthimium MONS ALIPERTI (Magino tab. 41. *M. Libretti*) quia, ut scribit laudatus Holstenius *l. l. p.* 106. *in antiquis donationibus Monasterii Farfensis vocatur M. Aliperti: & hanc veram esse vocis Libretti originem nemo dubitaverit*. Aliter tamen sæculo IV. dum ab Anastasio in *S. Silvestro* p. 110. b. scribitur *Possessio in territorio Sabinensi, quæ cognominatur ad duas casas sub M. Lucretio*, quod nomen magis ad vetus accedit, nam priscis est *M. Lucretilis*, ut apud Ferrarium *in Lucretilis*. Locatur à Magino *l. l.* 7. m. pass. à Farfa in austrum, & non ad Farfarum amnem, ut volunt Lexicographi h. V. CARSEOLUM. Antoninus in itinere ab Urbe Adriam (Atri) per Valeriam post Tibur *Carseolos* ducit à Tiburre 22. m. pass. distantes. Diversè omninò sentit (quem Cellarius, & Isleus in

in tabula sequuntur) Holstenius in *Cluver. p.* 164. qui diligenti inquisitione præmissa, reperit 42. m. pass. ab Urbe in ortum æstivum distare. Quæ ibi fusè dicit paucis in Ortelium p. 165. restringit, repetens, quod *Carseoli etiam nunc in Marsis visuntur ab adverso montis latere, unde nunc* le Celle *Carsoli vulgo dicuntur* ad dexteram viæ Valeriæ ut in I. tabula nostra, & medio ævo in limite Spoletanæ, & Romanæ ditionis. Eodem ævo Patrimonii Carseolani meminit S. Gregorius *Ep.* 21. *l.* 2. Supra Carseolum CLITERNIUM scribitur, de cujus situ contendunt Viri docti ut apud Lexicographos h. V. Adhuc de nomine recenti est quæstio. Isleanam sequimur neutrum definiri potest: & si qui definiunt, sola conjectura nituntur, ut sentit Cellarius p. 783. Confines Cliterninos, & Carseolanos fuisse ex Plinio 5. 12. cognoscimus. Et in hoc tractu LACUS FUCINUS etiam medio ævo sic dictus, licèt hodie Lacus *Celani* dicatur à nomine Comitis Celani domini Castri, & Lacus. In Epitome *Chronicor. Casin.* p. 368. a. (C. H. t. 2.) legitur, quod „ Hildebrandus Spoleti Dux (A. 774.) obtulit „ ..... & portum, & *Lacum Fucino* cum piscatori- „ bus, & Gualdum nomine Cusanum. „ (Gualdus passim in chartis, hoc est nemus, silva.) Item apud Leon. Ost. 2. 6. „ In placito Marsorum Comitum, pro- „ clamante illo, refutata est ei *ripa Fucini* cum pisca- „ ria sua, ab „ &c. Ad boream hujus Lacus ALBA FUCENTIA: & hodie Albi: *Gaba* Anonymo Ravennati p. 219. corruptè quidem, sed certè Alba, nec alter locus, sive Urbs incognita, ut suspicatur Annotator, quia sequitur *Marubio* proximum. Paulo supra Lacum MARSICA, seu *Valeria*: Utique Valeria priori tempore *Via*, ut apud Strabonem *l.* 5. *p.* 474. imò duplex, apud Bergierium *de Viis milit.* 3. *Sect.* 25. §. 3. A via Regio *Valeria* dicta, ut apud Paulum 2. 20. & à Regione adhuc Civitas, teste Anastasio in *Bonifacio IV.* qui hujus vitam sic exorditur: *Bonifacius natione Marsorum de Civitate Valeria*. Frequentius tamen medio ævo *Marsica*, ut in Chronica Casaurienſi *col.* 819. & alibi, sed apud Civem suum Leonem Ostiensem, *Marsicanum* patria, in qua errare non potuit. Videantur, quæ collegit ipsius Annotator à Nuce (C. H. t. 4. à p. 242. b.) ut ideo meritò castiget Ughellum *t.* 1. *col.* 953. opinantem, quod *fuisse aliquando Marsiam Civitatem, quam Lacus absorpserit, quaque Marsis cognomen fecerit, planè fabula est*. Subdere tamen adhuc poterat Annotator (quod certè non ignoraverit) Marsicam medio ævo, *Marrubium* antiquitus fuisse, sive *Maruvium*, de quo tot veteres loquuntur apud Cellarium p. 766. idemque videre debebat Ughellus. Ejus situs fuit indubitanter in ripa Orientali Lacus Fucini; neque fabula est ab aquis fuisse absorptam ut Lexicographi, & Peregrinius *diss.* 7. prope finem testantur; Etenim Lacus aquas usque ad montes quandoque elevari scribit Albertus p. 151. Nullum prorsus vestigium pingitur in Magini tab. 49. & tamen Holstenius *in Cluv. p.* 151. ita scribit: *Certissimum est, Civitatem hanc ad orientale latus Fucini lacus fuisse, quo loco nunc est vicus S. Benedicti*: sed in dicta tabula scribitur *Sanctus Benedictus* 13. m. pass. à ripa in ortum æstivum, seu cœciam. Numquid geminus? Ad lacum *usque ad tempora Clementis VIII. Ecclesia Cathedralis Marsorum fuit, & circumquaque visuntur multa vestigia antiqui Oppidi, qui fidem certam faciunt, in quibus Marruvii nomen legitur*. De quo infra p. 163. docet Cluverium hoc pacto: „ Certum est Civitatem *Valeriam*, vel Va- „ leriæ hic intelligi *Marruvium caput Marsorum*, cu- „ jus ruinæ adhuc nomen, & Monasterium *S. Bene-* „ *dicti* retinent, quod Benedictum IV. in domo pa- „ terna extruxisse scribit Anastasius. „ Non, pace tanti Viri. Non potuit Anastasius jam mortuus scribere vitam Benedicti IV. creati A. 900. Equidem *in Bonifacio* IV. scribit, quod *hic domum suam Monasterium fecit, quod & ditavit*: sanè erravit Typographus. De hoc Monasterio plura Leo Ost. 2. 34. & Chronographus Vulturnensis p. 370 a. nos docet, quod Ludovicus II. in his partibus commorans *totius Valeriæ Provinciæ Comites instituit*, qui iidem ac *Comites Marsorum*, quorum monumenta extant ad calcem *Chronici Farfensis à col.* 679. A ripa lacus ejusdem in occasum brumalem ANTIA, quæ vetus Anx-antia detracta syllaba Anx: ibi *Marsorum Apxantini* Plinii 3. 12. in Magini tab. 49. *Città d'Antina* 5. m. pass. a ripa. Civitas *Antia* dicitur Holstenio p. 154. CASTELLUM VENERIS apud Leon. Ost. 2. 34. *Venere* in d. tab. prope ripam Orientalem lacus. A Marsis ascendendo ad Vestinos in via Valeria occurrit CERFENNIA, quam tamen Cellarius p. 766. adhuc Marsis attribuit, & rectè, quamque prætereunt Veteres, & Lexicographi, sed ejus nomen commemorant, & Antoninus in itinere Valeriæ p. 160. Simleri, & medio ævo documenta Ecclesiæ S. Felicitatis *in Cerfenna*, ut testatur Holstenius *in Cluv. p.* 153., subjiciens, quod ejusdem clarissima apparent vestigia prope collem Armellum, ubi nunc vicus *li Colli*. AUFINA, cujus viduæ Ecclesiæ visitationem S. Gregorius *Ep.* 89. *lib.* 7. committit Severo Episcopo Anconitano: & *Ep.* 90. *Clero, ordini, & plebi Aufinæ*, ut Episcopum eligant. In utraque hic notabile, scribens, quod *Civitas Aufina recuperata est, atque à Republica tenetur, seu in jure Reipublicæ est restituta*. Fortè virtute pacis tunc factæ, nam currebat indictio 2. hoc est A. 599. Abest à Lexicis, sed Plinio 3. 12. *Aufinates Cismontani*, quia in Apennino clauduntur, & quasi cis Montes respectu Romæ: distat 20. m. pass. ab Amiterno in ortum, ut in I. tabula nostra: distinguenda ab *Aufida* in Piceno, ut dicemus num. 122. In confiniis Marsorum, & Pelignorum CUCULLUM Straboni p. 476. *Cuculum* in valle Superequana, annuentibus Holstenio p. 155. & Cellario p. 767. Subdit ille: *Sanè Oppidum est etiam nunc populosum, & dives, ubi antiquitatum vestigia extant, & varia signa, & sigilla reperiuntur*. Vergentes modò ad Pelignos certissimè juris Spoletanorum se offert TOCCUM ad dexteram Aterni, sive Piscariæ amnis inter Populum ab austro, & Casauriam ad boream, ut in Magini tab. 49. ejusque mentio habetur apud Leon. Ost. 1. 44. & alibi: itē in Chronico Casauriensi *col.* 800. & 839. Igitur paulò supra Toccum CASAURIA, sive Abbatia Casauriensis scripta in Magini dicta tabula *S. Clemens*, quia inibi conditur sacrum ejusdem Corpus: sed deficit Maginus in amnium confluentibus, eamque collocat ad dexteram Piscariæ, quando ex Chronico, col. 789. (C. H. t. 2. p. 2.) est Insula à parte Pinnensis territorii cincta tribus fluminibus *Cigno*, *Piscaria* & *Tritano*. Cum porrò Piscaria, solum signata à Magino, dividat *Pinnense* territorium à *Teatensi*, ut dicitur *col.* 791. oritur dubium, cui verè ex his territoriis debeat accenseri: etenim circumpositi populi promiscuè Casauriam sibi attribuunt, ut legitur in quodam Carmine col. 787.

Ut S. Clemens, Pinnensi fine locatus,
Sit Teatinis, & Valvis propitiatus.

Id magnificum pietatis opus Ludovici II. quando illuc degebat, bellum inferens Saracenis. Hinc quia de regali thesauro empta fuit Insula A. 852. ut scribit Lubin *Notit. p.* 291. (corr. A. 872.) ejusque expensis Cœnobium conditum, *Casæ aureæ* nomen huic factum dicitur in d. Chronico col. 791. In Pelignis item SULMONA: scribitur in Chronico Vulturnensi pag. 370. a. *Selmone* Urbs satis nota ex antiquis, & Ovidio ibi Cive. Non procul à Sulmona VALVA cujus frequentissima mentio apud Leonem Ostiensem, & in Chronicis Vulturnensi, Casauriensi, aliisque in documentis, variè ubique scripta *Balba*, *Balva*, & *Valba* ob facilem transitum v in b, & è contra, nec minus variè locata à Chorographis. Illud certum est, fuisse juris Ducum Spoleti, ut ex Anastasio in *Zacharia l. l.* ex Adriani *Ep.* 92. Cod. Carol. ubi Valva in finibus Spoletanorum dicitur, & ex dictis Chronicis: itemque ejus territorium fuisse conterminum Teatensi, sive Regiunculæ veterum Marrucinorum inter Aternum, & Sangrum, juris prius Beneventanorum, ut dicemus num. 128. De Regione loquens Blondus *Reg.* 12. *p.* 398. prodit, „ hanc oram, & eam, quæ à Po- „ pulio Sulmonem usque campestris est, & ipsam unde „ geminos diximus fluvios Aternum efficere: montes „ undique altissimi sinistrorsum Majella, Apenninus „ dexterorsum claudunt: adeout paucis, & quidem ar- „ duis, præsidioque communitis aditibus in eam fit ac- „ cessus; unde factum est ut ab octingentis annis citra, „ antiquato Pelignorum nomine dicta sit Valvensis; „ qua ratione præpositum Sulmonensi Ecclesiæ, & olim „ Pelignorum oræ Episcopum Romana Ecclesia Val- „ vensem dicit. „ Angustos hos aditus designat etiam Leo Ost. 1. 5. dum viam describit *ad Pesclos, qui sunt in pede montis, qui dicitur Balva, & qualiter directè vadit per duos Leones* (lapideos, & terminales ditionis Casinensis ex eod. 1. 27. & 3. 12.) *& inde pergens ascendit per ipsas serras* (idest clusuras) *montis* &c. Magis adhuc explicat, & illustrat hanc rem ex antiquo quodam *Ranzano* Albertus *pagg.* 260. *b.* & 61. Ex quibus liquet, oram ab Apennino (ubi incipiunt angustæ Valvæ laxum prohibentes ingressum) usque ad agrum Teatinum, Valvensi propriè dicto conterminum, vocatam fuisse *Valvam*, populumque Valvensem, & à Valvis, sive angustioribus januis, Valvæ nomen emersum. Quare & Ecclesia Romana civili institutioni cohærens oram eandem, sive Diœcesim appellavit Valvensem. Duo tamen obscura remanent declaranda, unum an Valva præter Regiunculam adhuc Urbs verè, & propriè fuerit, alterum an ubi vetus Corfinium, vel alibi sita. Oritur prima dubitatio ex Ludoviciana, in qua enunciatur *Territorium Balnense* (& Balvense Baronio) in Pentapoli, quod licet sit extra, & ultra Picenum, fertur, ut Regiuncula, non ut Urbs, quando cæteræ, quas inter enumeratur, nomine suo primitivo, non gentili scribuntur. Sæpe occurrunt Valvenses Gastaldi, & Comites quasi Regionarii, non Urbani. Idem

sen-

Digitized by Google

sensisse videtur Ughellus t. 1. *in Append. col.* 250. ubi dicit Sulmonem, & Valvam *in Pelignis*, *quæ Regio nunc Valva: nam A.* 700. *antiquato nomine Pelignorum, in Comitatum erecta, Valva est nuncupata: ex quo factum, ut Episcopus Valvensis diceretur*. Sed hæc posteriora verba Valvam adhuc Urbem fuisse demonstrant, præsertim dum subdit, quod A. 700. per Sergium I. junctæ fuerunt Ecclesiæ Valvensis, & Sulmonensis. Ergo sejunctæ prius erant, & quidem, ut ipse prodit, A. 499. *Palladius* dicitur Episcopus I. Sulmonensis, qui interfuit I. Synodo Romanæ sub Symmacho, deficientibus aliis, & A. 681. *Clarentius* Episcopus II. Valvensis subscribitur actioni IV. Synodi VI. sub Agathone. Id rectè, quia post Furconium: at infra *Benedictus* Episcopus *Valvensis* (ut habent Codices hactenus visi) corrigatur, & legatur *Albensis*, quia inter Astensem, & Albingaunensem in Liguria. Dicitur A 706. *Pamphilus* Episcopus III. à Sergio datus (non tunc, sed ante, mortuo Sergio A. 701.) *Gradiscus* IV. Episcopus Valvensis sæculo IX. Noscens amplas has lacunas Ughellus, inquit Episcoporum nomina, junctis Ecclesiis, deperiisse. Verum tamen est semper, quod aliquando aderant utriusque Ecclesiæ Episcopi, & tunc Valvensis suam Cathedram habuerit in Urbe, quæ Valva. Hinc rectè Peregrinius *Diss.* 7. circa finem: *Valva Urbs fuit* &c. & Carolus à S. Paulo *Geograph. sac. p.* 57. *Valva Oppidum* (pro Urbe) *Sulmoni proximum, apud quod fuit olim sedes Episcopalis unita Sulmoni. Fortunatus hujus Episcopus subscriptus Concilio Romano V. sub Symmacho* (A. 503.) Nunc secunda dubitatio est de situ. Holstenius in eundem locum Geographiæ sacræ notat: *Valva, quæ olim Corfinium nobilissima Civitas*, quod repetit *in Ortelium* p. 27. perperam scribentem cum Sigonio esse in Ducatu Romano, nec Censor ipsos castigat. Holstenium sequitur Bodrandus *in Valvensis Ecclesia*: inquit: *eo loco, ubi olim Oppidum Corfinium existebat, & 4. milliaribus distans à Sulmone* (in Isleana 10.) Planè Corfinium ad dexteram Aterni amnis, *cujus abest pons ipse à Corfinio stadiis* 24., ait Strabo 5. pag. 483. & ante ipsum Cæsar *B. Civ.* 1. 4. *pag.* 101. *millia passuum circiter* 3. Igitur si Valva ubi olim Corfinium illius certus est situs. Verum plura obstant. Mittimus Baronium A. 892. n. 3. qui recitato diplomate Vidonis (de quo nos supra num. 112.) *acto Balbæ*, subdit *Valva est Civitas apud Marsos haud longè ab antiquo Corfinio* (non enim apud Marsos, etsi Arx belli Marsicani.) Observamus potius Anonymum, qui, licet epitomator in hoc errare non potuit, distinguit *Balbam* p. 206. à *Corfinio* p. 220. & quidem scribit *Balbam* post *Abrutio* (Urbem) & *Pinnis*, ab occasu in ortum: Corfinium verò post *Interbronium*, sive Interbromium in via Valeria juxta Antoninū p. 160. Enormiter quidem errat Anonymus d. p. 206. dum inquit *Balba, quæ vel si à mari centum millia ponitur, tamen territorium ejus usque ab mare pertingit*. Utrumque falsum, sive sit Corfinium (40. milliaribus à mari) sive non, sed prope. Neque illius territorium usque ad mare, quia ævo medio ad mare erat territorium Teatense, & Ortonense, & priori ævo erant Marrucini, non Peligni. Hoc non observato Balbam nescivit Porcheronus, legens *Albam*, quam Anonymus pag. 219. corruptè vocat *Gabam* prope Marruvium. Corfinium item distinguendum a Valva arbitramur, quoniam Corfinium sub hoc nomine extitisse medio ævo prodit Sigebertus, dum sub A. 969. per Theodoricum Metensem Episcopum, scribit, inter cætera Sanctorum Corpora huc, illucque collecta, etiam *à Corfinio Luciam Syracusanam Virginem, & Martyrem, à Faroaldo Duce Spoletanorum olim à Syracusis illuc translatam, in Germaniam deportasse*. Vis stat in Corfinio, quod Valvam, si idem, dicere debebat. De cætero fabulas scribit Sigebertus. Si *translationes Corporis ejus egregio sermone est prosecutus*, ut Baronius in Martyr. 13. Decembris notat, idemque dixit, quomodo Baronius ipsum laudat, nec corrigit? Nemo enim nescit, Syracusis Constantinopolim, post Venetias per Ablegatum Reip. fuisse translatum Luciæ Corpus, ut apud Leon. Ost. 2. 6. Ferrarium *in Catalog.* d. die, & alios. Quid igitur definiendum de situ? Sanè inter Corfinium, & Sulmonem: brevis tractus nos errare non sinit.

(119) Alteram, sed potiorem Ducatus Spoleti partem, hoc est *Umbriam*, aggredimur expendendam. Sanè medio ævo nomen Umbriæ sublatum: hoc tamen utimur, ut per partes notiores ditiones Spoletanæ innotescant. Nec Umbriam hic capimus juxta antiquissimos, laxosque fines usque ad superum mare protensos, sed tantum protractu circumscripto, & contento inter Tiberim *ab occasu* (Ameriæ, & Tuderis angulo excepto) Apenninum à *borea*, Velinum amnem ab *ortu*, & partim ab *austro*, & Narem flectentem, & in Tiberim decurrentem item ab *austro* juxta tabulas recentiores. Is Ducatus Spoletanus propriè dictus, & cismontanus, sive cis Apenninum more Romano, & tranismontanus quo ad nos. Spoleti Duces sui sedere solebant, sed celebriores extra, quam domi. Potentes sanè, & bellicosi Exarchos sæpe, ac Romanos aggrediebantur, nunquam aggressi. Hinc de Urbe Spoleti, cæterisque Ducatus silent Paulus, aliique Scriptores nostri, bellorum occasione remota. Non semel conquesti sumus de Scriptoribus Municipalibus, qui plerumque à supremo tempore ad infimū giganteo saltu sine medio transire solent. Pauci medii temporis res prodere student, & hi difficillimè, depopulatis Librariorum Italiæ officinis, reperiuntur. Quamobrem neque res, juxta institutum nostrum, ad Umbriæ loca spectantes, possumus annotare. Diximus Velinum ab ortu & ab austro Romanum Ducatum à Spoletano, hoc est Umbria sejungere, quod docet Anastasius *in Zacharia*, quando Trasemundus II. à Liutprando exauguratus, & recepturus Ducatum, per Sabiniam in Umbriam intravit. Inquit: *Deinde ingressi per Sabinense territorium* (Romani scilicet cum Trasemundo) *venerunt in Reatinam Civitatem* (ad dexteram Velini) *qui Reatini continuò & ipsi se subdiderunt*. Vetus semper REATE servavit nomen: Italis *Rieti*. In Basilica B. M. V. *quæ est intra Civitatem Reatinam posita*, Sanctus Gregorius M. Reliquias SS. collocari Chrisanto Episcopo Spoletano committit *Ep.* 12. *l.* 7. „ & Rea-„ tini aliquanti eorum utiles personæ, antequam De-„ siderius, seu Longobardorum ejus exercitus ad Clu-„ sas pergerent illi ad B. Petrum confugium fecerunt „ . . . . . & Hadriano Papæ se tradiderunt: „ ut refert in hujus gestis Anastasius *p.* 185. *a.* TORA ad lacum Velinum, deinde excisa, ubi postea *Castrum Piediluco* ad lacum cognominem, & in agro Reatino. Verba sunt Bodrandi in *Tora*, quæ altera à *Thora* item excisa ad Thoranum fluvium, de qua Holstenius *in Cluv. p.* 114. De Tora ad Velinum Baronius in Martyr. 9. Jul. nota c. INTEROCREA ab Ocra monte dicta juxta Holstenium *in Cluv. p.* 118. & 15. m. pass. à Reate in ortum æstivum ad dexteram Velini. De ea S. Gregorius *Dialog.* 1. 12. *Interorina vallis dicitur, quæ à multis verbo rustico Interocrina nominatur*. Sed *Interocrea* etiam Straboni 5. 456. & *Interocrio* Antonino via Salaria p. 159. Simleri. Apud Chronographum Farfensem col. 401. *Massa Interocrina*: col. 466. *Territorium Interocrinum*: & col. 516. *Castaldatus Interocrinus*. Trajecto Nare ad ejus dexteram INTERAMNA, nunc *Terni*, ubi Liutprandum Regem Zacharias convenit, scribente Anastasio, quod S. Pontifex *egressus ex hac Romana Civitate cum Sacerdotibus, & Clero perrexit fiducialiter, & audacter ad ambulandum in locum Interamnensium Urbis, ubi in finibus Spoletinis ipse residebat Rex*, ut Trasemundum subigeret: pergit narrando colloquia, commensationem, negotia, Urbes restitutas, pacemque datam Ecclesiæ ab eodem Rege Pontificis sanctitate commoto. Supra ad boream SPOLETUM priscis *Spoletium* Urbs specialiter à Deo protecta ex quo Langobardis cedere fuit coacta: peste Ariana ab ea primò remota, patratis à Deo tot prodigiis in Ecclesia S. Pauli, quando sub I. Duce Faroaldo hanc occupare decreverat Pseudoepiscopus Arianus mirabiliter obcœcatus, ut ex teste de visu narrat S. Gregorius *Dialog.* 3. 29. Intactam quoque ipsam reliquerunt Exarchi, licèt toties à Ducibus suis lacessiti. Verum sæculo IX. fuit à Saracenis Gariliano insidentibus miserrime vastata, ut prodit Erchempertus num. 79. quando nempe ejus Dux Vido junior in Galliam cupiditate Regni migraverat. Spoleti ad lævam, sive ab eo 13. m. pass. in ortum æstivum, ac ad dexteram Naris, ut in Magini tab. 40. TRIPONTIUM quod ab Holstenio *in Cluverium p.* 119. dicitur *ad confluentes Corni, & Naris*, ita & in d. tabula. Hujus *nomen antiquum* esse existimat, *nam via isthic per saxa antiquo opere excisa cum hac inscriptione in ipsa rupe visitur*: Romana est, & exesa. Infra & orientalior NURSIA, quæ sanè major medio ævo ceteris Urbibus Provinciæ Valeriæ, in qua tantùm Paulus 2. 20. illius meminit. Amplum habuisse territorium apparet ex S. Gregorii *Dialog.* 2. 1. dum loquens de patria S. Benedicti, hunc dicit ortum *ex Provincia Nursia*, sed *territorium Nursinum* scribit *Ep.* 41. *l.* 11. Ibi Placitum habitum à Missis Ludovici Pii A. 821. apud Chronographum Farfensem col. 373. Unus Benedictus ejus Civis pro millibus Nursiam potuit à sæculo VI. illustrare, scribente Blondo *Reg.* 4. *p.* 331. quod *vetustum à Scriptoribus celebratum est Nursiæ nomen: quod quidem Oppidum libertate, sed in primis B. Benedicto Monachorum Patre alumno clarissimum*: & magis quam Q. Sertorio. Spoleti ad dexteram sive ad occasum ASSISIUM utique Urbs antiqua, sed medio ævo, licèt Episcopalis, ut ex Geograph. Sac. p. 51. obscuri nominis, tantùmque inclaruit sæculo XIII. natalibus SS. Francisci, & Claræ. Comitatus Assisinatis mentio apud Chronographum Farfensem columnis 486. 568. & 9. in quo Ecclesiæ Farfensis Cœnobii. Assisi ad ortum SPELLUM: Urbs *Spellatensis* Ufuardo 18. Maji, nec rectè Spoletum in margine, ut ex vindiciis Thadæi Donnolæ *de loco Martyrii S. Felicis*

Digitized by Google

eis p. 14. qui ex aliis antiquis documentis *Spellum* scriptum ostendit: *Spello* & nunc Italis: Hispellum latinis. FULGINIUM (al. Fullinium, & Fulcinium) quod alluit Tinia amnis (Topino) crevit & ipsum medio ævo ex ruinis *Fori Flaminii* funditus excisi A. 740. à Langobardis, ut prodit Blondus p. 329. Lexicographis h. V. annuentibus: & sanè vigente bello inter Liutprandum Regem, & Ducem Trasemundum. Crevisse dicimus, quoniam Fulginium alias Urbs vetusta ex priscis Geographis, cujus Antiquitates scripsisse scimus Fabium Pontanum. FORUM FLAMINII porrò in Itinerario Burdegalensi p. 159 Suritæ, sive Schotti sic locatur: *C. Fulginis: Foro Flaminii* m. 3. (supra Fulginium) *Nocera &c.* Igitur Forum Flaminii ubi nunc *Colle di S. Giovanni in Forfiamma* juxta Bodrandum. VIVANIA, ut corruptè scribebatur ævo medio, teste Holstenio *in Cluv. p.* 92. & *Vivaniensis Ecclesiæ* visitationem commiserat Episcopo Spoletano S. Gregorius *Ep.* 75. *l.* 7. edit Froben. 1564. qua utimur: *Mevania* antiquioribus, *Bevagna* nunc. VALIDUM (Gualdo) *quod Oppidum* (juxta Blondum p. 328.) *in Civitatis à Langobardis subjecto in campo excisæ locum fuit ædificatum*. Civitas excisa à Langobardis fuit TADINUM (quod stabat ætate S. Gregorii, dum *Ep.* 88. *l.* 7. scribit *Clero, Ordini, & Plebi consistenti Tadinas*) Civitas „ olim Episcopalis in summo Apennino à Langobardis A. 740 propemodum „ excisa, cujus Diœcesis juncta est Nucerinæ, ex ejus „ ruinis vicinum surrexit Gualdum. „ Verba sunt Lubin. *Notit. Abb. p.* 381. a. Id prius dixerat Holstenius *in Geograph. sac. p.* 9. testans, quod *ejus vestigia visuntur in via Flaminia prope Gualdum ultra Nuceriam in summo Apennino*. De eodem fusiùs *in Cluverium p.* 85. subdens Gualdum „ non esse in vestigiis „ Tadinarum, sed in proximo colle situm: Tadinæ „ autem in planitie sub Gualdo fuerunt intervallo „ 1000. circiter passuum. „ At quomodo sub Gualdo, si in summo Apennino? NUCERIA, cui prope fuisse quemdam locum *Camillianum* dictum in antiquis donationibus Monasterii Farfensis prodit Holstenius *in Cluv. p.* 92. Si ita est (nondum enim in illius Chronico id vidimus) tollitur dubium ortum ex verbis Plinii 3. 14. *Nucerini cognomine Favonienses, & Camelani*, num sint duo loca, vel unum. Harduinus hic p. 171. num. 30. duo esse definit in verbo Holstenii, qui tamen se id nescire fatetur. Eccur Favonienses? Silent, nec observant, quod in Theodosiana *segm.* 3. ad radices Apennini scribitur *Nuceria Camellaria*, ut unus locus. Sanè cum essent plures Nuceriæ in Italia, illis debuit cognomen ad distinctionem adjungi: & ideo Antoninus p. 111. sic clarè scribit, *A Neapoli Nuceria Constantia* (in Campania) *m. pass.* 24. ut non parum miremur, Bodrandum *in Nuceria Umbriæ* scribere, *quæ Constantia cognominata ab Antonino*. Id sumpsit ex Ferrario eod. V. qui adhuc dupliciter fallitur, cum adjicit, eandem esse *Nuceriam Alphaternam* Livii, qui certissimè de Nuceria *Campaniæ* loquitur, dum *l.* 9. *c.* 29. Patav. sic scribit: *Etruria Decio, Samnium Fabio evenit: is profectus ad Nuceriam Alphaternam* &c. obsedit, & cepit. Hac in re primo Blondus p. 329. Albertum p. 89. b. fefellit. Supra Validum est in Apennino FOSSATUM: vox barbara ævi barbari opus esse demonstrat, quamquam ante medium tempus audita, locum castris munitum significans, ut ex Honorii, & Theodosii *l.* 1. *C. Th. de terris limitan.* ubi dicitur *propter curam, munitionemque limitis, atque Fossati ..... circa curam Fossati, tuitionemque limitis* &c. Antiquitus adhuc reperitur usitata ea vox à Scriptoribus, quos laudat in hanc legem Gothofredus *t.* 2. *p.* 395. a. Umbriæ flumina *Asius*, & medio ævo *Asus* in Chron. Farf. *col.* 489. & alibi, nunc *Chiascio* in Tiberim influens. *Tessinus* Spoletum præterfluens Bodrando *in Spoletum*: anonymus Magino tab. 40. *Nar* Nera. *Tinia* Topino &c.

(120) E regione Umbriæ, Apennino interposito, altera Spoletani Ducatus pars inter Apenninum, & Adriaticum, quæ supremo ævo Romano *Picenum*, sive *Ager Picenus*: medio fortè Provincia Castellorum, sive *Marcha Firmana*: infimo *Marcha Anconitana*, & Aprutium ulterius: singula declaremus. Huc non spectat divisio Piceni post Constantinum in *Annonarium* mari adjacens, & in *Suburbicarium* Apennino. Indivisè sumpto, ejus pars occidentalior Æsi flumine terminabatur, juxta Strabonem 5. p. 481. *Picenum*, inquit, *post Umbriæ Civitates* (Umbria latè sumpta) *quæ inter Ariminum, Anconemque jacent, extenditur*. Clarius infra: *longitudo autem ab Æsi fluvio navigabili usque ad Leastrum* (corr. Castrum ex Casaubono) *stadia* 800. *Urbes verò habet, ex quibus Ancon*, Auximum, Septempeda &c. Annuit Plinius 3. 13. dum Anconam in Piceno locat, & reliquas cum Strabone. Sed in limite Orientali Plinius variat, modò ipsum arctat usque ad Prætutios tantùm, sive ad Truentum amnem: modo laxat: *Picentes tenuere ab Aterno amne, ubi nunc ager Adrianus*. Si Straboni consentit, sit igitur Aternus Piceni limes ab ortu, ubi & finis Spoletanæ ditionis, ut infra. Non ita tamen initium ab occasu: dum enim probavimus num. 84. Æsim superiorem, sive in parte montana finem fuisse Pentapolis, & Miseonem amnem in plana circa mare, ex illuc observatis, nunc fit, eosdem amnes initium esse ditionis Spoletanæ ab occasu. Ab ortu verò quoad extendebatur Picenum, nempe usque ad Aternum (ut quoque firmat Paulus in descriptione Piceni 2. 19.) etiam ditio Spoletana, & amplius protendebatur: nam in parte montana, & Marsis contermina occupabat Sulmonam, Valvam &c. ultra Piscariam, hoc est Aternum. At in ora maritima, ubi prisci Marrucini, post Gastaldatus Teatensis ævo Regum Langobardorum non trasgrediebatur Aternum; is enim Gastaldatus ad Ducem Beneventanum tunc attinebat. Sed negante hoc Duce Carolo M. tributa, fuit eo Gastaldatu privatus, quem Spoletanus obtinuit, ut ex priscis Scriptoribus refert Peregrinius *diss.* 7. *p.* 186. a. (C. H. t. 5.) Quamlibet porrò Urbem locatam inter Miseonem, & Piscariam Duci Spoletano fuisse obnoxiam num. sequenti patebit. Modò ostendere oportet, *Firmum* (ut de Marchæ Firmanæ institutione loquamur) ad Spoletum quidem spectasse. Quis dubitabit? Si extrema cur non medium? Sanè devicto, captoque Desiderio Rege, etiam *omnes habitatores Ducatus Firmani*, inquit Anastasius in *Adriano*, ad eundem *concurrentes, ejus se ter Beatitudini tradiderunt*. Literariam veluti Metropolim, ad quam studiorum causa se conferre debebant omnes utriusque Ducatus statuit Lotharius I. ut inter ejus Capitularia (C. H. t. 2. p. 2.) *cap.* 7. *de Episcopor. causis*: ibi: *In Firmo de Spoletinis Civitatibus conveniant*. Et hoc idem est *Firmum*, quo Agiltrudis vidua Vidonis Augusti, post Romæ gesta contra Arnulfum Imperatorem, se receperat, ut in *Castrum vocabulo, & natura Firmum*, inquit Liutprandus 1. 9. suæ jurisdictionis, & non in Camerinum, ut putat Sigonius A. 896. neque Spoleti, ut contendit Campellus *p.* 665. *& annot. P. & seq.* Cur enim Liutprandus silere debebat Spoletum? Roma namque prius *Spoletum* se contulerat, Continuatore Annalium Fuldens. & Annalista Bertiniano eisdem verbis scribentibus de Arnulfo sub A. 895. (corr. 896.) quod *comperta denique Agiltruda in Civitate Spoletana morare, quam ad expugnandam mox iter arripuit* (prius Camerinum ex eod. Liutprando) Sed ambo Annalistæ falluntur subjiciendo: *sed antequam ad locum destinatum pervenisset, gravi infirmitate capitis detentus, imperfectum reliquit*. Etenim ex Liutprando, soporifero lethali poculo Arnulfus ab Agiltrude *Firmi* obsessa potionatus, obsidionem solvere cogitur. Verùm tamen est deficere Liutprandum in his verbis de Arnulfo *profectusque Camerinum, Castrum vocabulo, & natura Firmum, in quo VVidonis uxor erat obsedit*. Ubi videtur Camerinum, & Firmum unum eundemque locum fuisse, vel saltem *Firmum* arcem fuisse Camerini, sed utrumque falsum. Nam sensus est, quod Arnulfus Camerinum profectus ibi subsitit, donec, ut Liutprandus prosequitur, *omnia bellorum instrumenta, quibus* (Firmum) *capi posset, præparantur*. Exinde ulterius perrexit, & ut repetit: *præfatum igitur Castrum nomine, & natura Firmum vallo circumdatur*. Nec mirum in hoc falli Liutprandum non synchronum, sed supparem, si adhuc enormiter errat hic dicendo, quod dum Arnulfus Firmum obsidebat, *VVido* (II.) *in incertis latuit locis*, utique, sed alterius Mundi. Hinc enormius *seq. cap.* 10. ejus mortem describit, quando laudati Annalistæ synchroni rectè sub A. 895. vocant *Agiltrudem viduam VVidonis*, dum Romam defendere contra Arnulfum attentat, certissimè Vidone defuncto A. 894. quidquid alii scribant: satis viri docti id novere. Et quamvis illi Annalistæ videantur etiam obsidionem Firmi scribere sub An. 895. quæ certè contigit sequenti 896. post coronatum Arnulfum a Formoso Pontifice circa Calendas Martii hoc A. 896. qui etiam paulo post obiit: non est prorsus Annalistarum error, neque Typographorum, quoniam adhuc in editione 3. Struvii Argentorati 1717. & in editione hac Palatina Annalistæ Bertiniani, eadem est confusio gestorum A. 895. & 96. sed vel antiquorum amanuensium, vel Marquardi Freheri, è cujus Bibliotheca prodiere Annalistæ, qui tamen noluit veteri picturæ pennicillum apponere. Ubi enim in dictis editionibus notatur A. 896.? Nullibi: ferè cuncta hic regesta a coronatione saltem Arnulfi, spectant ad A. 896. præcedentia pauca ad 895. & ideo ab Annalistis simul conjuncta. Stat igitur, Firmum ab Arnulfo obsessum juris fuisse Agiltrudis, & Lamberti Augustorum, sed etiam utriusque Ducatus Spoleti Ducum: non enim eò re contulisset Agiltrudis, si juris sui non fuisset.

Digitized by Google

A *Firmo* exinde dicta *Marcha Firmana*, cujus amplissimi tractus a Miseone ad Piscariam. Firmum fuit caput, sed cur, & quando infra explicare studebimus. Sed prius ullo fine nomine fuit? Maximè, saltem publica auctoritate: nec mirum, quod etiam is tractus promiscuè diceretur Ducatus Spoletanus, quando Beneventanum longè ampliorem, totque Provincias complectentem non alio nomine rectè appellari debere acriter contendit Peregrinius *Dissert.* 8. per totum. Nihilominus facilè fieri potuit, quod saltem à popularibus dictus fuerit *Provincia Castellorum*, quorum loquendi modum, & usum fortè secutus Anonymus Ravennas pag. 199. in divisione Provinciarum Italiæ, septimo loco eam scripsit. Ita leviter num. 84. præsensimus: nunc, quod dictum fuit, indictum hic esse nolumus, etsi exposit nobis adversari videamus Cl. Fontaninum *de Antiquit. Hortæ pag.* 65. ipsum audiamus hæc definientem. „ Anastasius in *Zacharia* „ ait: *Langobardi Æmiliæ CASTRA, Pentapolim quoque, & Auximum se tradidisse*. Quare Provincia *Castellorum supra Annonariam Pentapolensem* „ sita, cujus meminit Anonymus Ravennas, est Æmilia, quam CASTRA habuisse testis est Anastasius. „ Hæc CASTRA Æmiliæ nominatim recenset Paulus Diaconus nostras in libro sexto *de Gestis Langobardorum capite quadragesimonono*. „ Hæc ille. Ergo *Provincia Castellorum* in sensu Cl. V. est *Æmilia*: videamus. Anonymus *l. l.* primò dicit quod *Italia habet infra se Provincias famosissimas XVIII.* quas enumerat hoc ordine. I. *Liguria*, & per Liguriam intelligit Langobardiam, nam Liguria propriè dicta ab eo loco quintodecimo appellatur *Lunensis confinalis Septimaniæ*, hoc est Provinciæ. II. *Provincia Venetiarum*. III. *Hystria* (NB) IV. *Æmilia*. V. *Flaminia Ravennatis*. VI. *Annonaria Pentapolensis*, hoc est Pentapolis, cui adnexa pars Piceni Annonarii. VII. *Est super ipsam Pentapolim, idest PROVINCIA CASTELLORUM, quæ ab Antiquis*. Quæ ab antiquis quid? Non videt hic Cl. V. verba deficere? Igitur quæ ab antiquis dicta est, quid? Æmilia? Quomodo, si Æmilia jam dicta est IV. loco? Quinimo si Æmilia, & Provincia Castellorum idem, ergo Provinciæ erunt tantùm XVII. Non videt hic ordinem geographicum Anonymi, qui pergit ab occasu ad ortum? Igitur Provincia Castellorum hic est orientalior Pentapoli, quando Æmilia est occidentalior: non ergo idem. Aliter ergo supplenda sunt ea verba, *quæ ab antiquis*, addendo, scilicet, *dicta est Picenum*. Et reapse nunquam Anonymus mentionem fecit Piceni, quia medio ævo hoc nomen suppressum, sicut nec Umbriæ. Quare Provincia *Castellorum* nihil aliud est quam pars Piceni, hoc est primò ager, territorium, sive Comitatus Firmanus, inter Pentapolim ad occasum, & ad ortum reliquum Ducatus Spoletani, quod satis indicat idem Anonymus, dum subnectit: VIII. *Item ad mare magnum Adriaticum juxta præfatam Pentapolim est Provincia Spolitium Sacensis*. At quid Sacensis, divinare nescimus, corruptissima vox certo certius. Insuper eadem Provincia Castellorum ampliorem tractum habuerit, puta, a Miseone ad Truentum amnem, ubi & *Castellum Truentum* Melæ 2. 4. quod *Castrum Truentinum* Ciceroni *Ep.* 12. *l.* 8. *Att.* ad Miseonem verò *Cingulum quod Oppidum Labienus constituerat, suaque pecunia exædificaverat*, ut ait Cæsar *B. Civ. l.* 1. *c.* 4. In eodem tractu *Septempeda Oppidum* Frontino de Coloniis. Etiam ab his Castris dicta fuerit Provincia Castellorum verum primo, & à potiori denominatio provenerit ab eodem Firmo, quod fuit duplex nempe *Oppidum* Firmi, & *Castellum* Firmi, quæ optimè distinxit Strabo 5. p. 481. cui primò *Firmum Piceni*, quod est Oppidum aliquantum a mari recedens, *ejus emporium Castellum est*, quod fortè majoris nominis, cum hoc solum memoret Mela 2. 4. scribens *Castella Firmum, Adria, Truentum* &c. & Plinio 3. 13. *Cupra Oppidum: Castellum Firmanorum*. Hoc nedum superiori illo ævo celebre, verum & Theodosiano, quo scripta tabula Peutingeriana, in qua *Segm.* 3. *Castello Firmum*: item ævo medio, ut ex Liutprando 1. 9. percepimus, quò, ut in locum tutiorem, & munitiorem, posthabitis Spoleto, Camerino, aliisque Castris Spoletanæ ditionis, se Agiltrudis recepit. Sed notabile est dictum S. Petri Damiani *Ep.* 1. ad Gregorium VI. ubi sanctus Vir Firmum antonomasticè *Castellanam* Urbem appellat: inquit: „ Tres „ equidem sunt, quæ testimonium dabunt *Castellana* „ *sedes*, Fanensis, & Pisaurensis. „ Quare cum tota, & unica ratio Cl. Fontanini in eo consistat, quod in Æmilia fuerint *Castra* (ratio sanè quæ militat pro Regionibus universi Orbis, cum ubique Castra sint posita) en Castris Æmiliæ oppositæ Castra Piceni, inter quæ Chronographus Farfensis memorat col. 470. *Castellum Matenanum Comitatus Firmani*: & Casauriensis col. 956. *in Comitatu Firmano Castrum de Lauro*: S. Gregorius *Ep.* 12. *l.* 10. *Castrum Apertiense* Firmensis Territorii, cujus *Anto Comes*: alia occurrent infra. Et si hæc non sufficiunt, adeat Blondi *Regionem* 5. Piceni, ubi tot, & tot alia Castra, sive Castella inter solum Miseonem, & Truentum inveniet, quæ si à Gothis, vel Langobardis excisa, credibile est, fuisse à Francis Ducibus refecta, ut ideo dicto tractui Piceni fuerit nomen Provinciæ Castellorum, saltem à Popularibus, factum, nisi mentitur Anonymus. Si postea in finibus statuendis hujus ignotæ Provinciæ (sicut & Annonariæ Pentapolensis, de qua diximus num. 85.) non omnia ad limam possunt explicari, sciat Cl V. scripta ab hoc barbaro Geographo *Guidone*, ab ejusque magis barbaro Epitomatore Anonymo non esse oracula ex Apollineo tripode emissa: innumeris enim hæc Geographia intus & extra Italiam scatet erroribus: & fortè utersque fines Pentapolis, & Piceni Annonarii ignoravit, si hæc ignorant adhuc Viri doctissimi, quos inter Tillemontium recenset Cl. Fontaninus p. 63 qui tamen nos satis docere nec favet p. 64. Quamvis enim in Notitia Imper. ut inquit, *Flaminia, & Picenum Annonarium* pro una Provincia scribantur, quia politicè sub eodem Consulari, geographicè tamen alia Regio Flaminia, alia Picenum Annonarium, nec unquam dicta fuit Flaminia Annonaria: sicut aliud Liguria, aliud Æmilia, etsi quandoque sub uno Consulari, quemadmodum Tuscia, & Umbria erant sub eodem Consulari licèt geographicè duæ essent Provinciæ. At Picenum Suburbicarium erat Provincia solitaria sub suo Consulari obnoxio Vicario Urbis, & proximius Urbi, ut apud Pancirolum *in Notit. Occid. cap.* 52. quamvis & hoc extra centesimum, ut convincendi Salmasii causa ex duplici itinere Antonini per viam Sabinorum Salariam, & per viam Flaminiam per Umbros ostendit ad evidentiam Sirmondus *in Propemtico l.* 1. *c.* 5. Hinc Urbes, & loca in Piceno Apennino proximiora constituebant Picenum Suburbicarium: remotiora Annonarium, sub Consulari subjecto Vicario Italiæ. Sed quæ determinatè hujus Urbes, & quæ illius, non facilis quidem indaginis, verum non impossibilis, ut si nunc nobis otium esset, constaret: observato præsertim utroque Piceno sub forma politiæ Ecclesiasticæ, & juxta Geographiam sacram pagg. 54. & 55. quæ non valde differt à dispositione civili, licèt Piceno Annonario Ecclesiastico aliquæ Urbes à mari distantes attribuantur, & Suburbicario nonnullæ maritimæ. Verùm medio ævo aliter fuit disposita Pentapolis, & aliter Spoletana jurisdictio, minimè attento Piceno, cujus nomen suppressum, ut non semel diximus. Marchæ Firmanæ, si potest, originem inquiramus.

(121) Ex quo igitur hujus Marchæ nomen emersit eandem Spoleti Ducis ditionem cis Apenninum à Miseone ad Piscariam comprehendisse, non dubitamus asserere. Cœpisse à Miseone non procul à Firmo argumento est nomen ipsum Marchæ Firmanæ. Item usque ad Piscariam fuisse prolatum ostendit libellus dotis Miczæ filiæ Johannis apud Baluzium in Appendice *Capitularium tomo secundo columna* 1550. Anno MXLIV. in quo legitur: „ infra territorio *Pinnense* in loco, qui no- „ minatur Salajano, aut infra istam *Marchiam Firma-* „ *nam*, aut infra totum Regnum Longobardicum. Territorium porrò Pinnense (Città di Penna) in quo Salajano, (ut ex charta Johannis Ep. Pinnensis in Chron. Casaur. col. 959.) Piscariam attingere centies dicitur in Chronicis Farfensi, & Casauriensi, præsertim col. 791. ubi dicitur, quod Piscaria dividit Pinnense Territorium à Teatense, decurrente Piscaria per millia 44. ut in tabulis clarè apparet. Ex eodem hoc documento quoque cognoscimus, jam ante medium sæculi XI. institutam Marcham Firmanam, quando nondum Anconitanæ nomen auditum, ut ostendimus num. 85. & 6 ideoque notavimus Blondum, & alios, qui confundunt unam Marcham cum alia. Sequiori sanè tempore, rebusque pacatis Ecclesiæ, nomen Marchæ Anconitanæ ultra Miseonem prolatum, sibi Marchæ Firmanæ non modicam partem adjunxit: verum in origine hæc illa vetustior: Anconitana Teutonorum Cæsarum opus sub nomine Marchæ Guarnerii: Firmana fortè Francorum, sed certè Italiæ Regum post Francos. Sed gradatim ascendendo à sæculo XI. ad X. Marcham Firmanam sub Ottone II. jam fuisse institutam apparet ex Leone Ost. 2. 6. ubi scribit, quod „ tempore Benedicti Papæ (VII.) anno tertio „ (978.) Gisulphus (III.) Salernitanus Princeps filius „ Guaimari majoris una cum Gemma uxore sua fecit „ chartam in hoc Monasterio (Casinensi) de quarta par- „ te omnium, quæ *Lambertus* Dux, & Marchio posse- „ disse visus est in Comitatu Marsicano, & Balva, Forco- „ ne, Amiterno, nec non & *Marchia Firmana*, & Du- „ catu Spoletino. „ Notatu digna hæc sunt verba, sed nunc supersedere, & prius altiora petere, oportet. Igitur nedum Marchæ Firmanæ mentionem Ottoniano tempore habemus ex Leone, verùm & ante, nimirum ætate Hugonis, & Lotharii Regum Italiæ circa A. 940. ex Chronographo Farfensi col. 475. (C. H. t. 2. p. 2.) Hic recolantur, quæ ex Liutprando 5. 2. retulimus num.

113.

Digitized by Google

113. de Anscario Eporediensi constituto Duce Spoleti ab Hugone, & ejusdem arte è Ducatu per Sarlionem ejecto. Nunc audiamus Chronographum: „ Inquit: Per „ idem tempus bellum magnum commissum est pro con„ tentione *Marchiæ Firmanæ* inter *Ascherium*, & *Sarilo*„ *nem*, in qua prævalens Sarilo interfecit Ascherium, „ & obtinuit *Marchiam*. Contra quem Hugo Rex exar„ sit magno furore, persequens illum pro eodem Asche„ rio germano suo. Et cum esset idem *Sarilo* in quodam „ reclusus Tuscano Oppidulo, videns se nulla ratione „ illum effugere posse, noctu *indutus Monachalem ve*„ *stem*, & summo diluculo, ligato in gutture fune, „ ejus se potestati tradidit. Et motus Rex misericordia „ super eum, perdonavit ei ipsam culpam, *ac præposuit* „ *eum super cuncta Monasteria* Regalia intra fines Tu„ sciæ, & *Firmanæ Marchiæ*. Cui omnes humiliati sunt „ eorumdem Monasteriorum Abbates, excepto *Hilde*„ *prando* invasore. Sed prævalens *Sarilo* ad tempus, de „ prænominato Castello S. Victoriæ ejecit illum. Ite„ rum supervenit Hildeprandus, & turpiter inde expu„ lit illum. Secunda autem vice *Sarilo* recuperavit, „ indeque eum ejecit: sed pauco tempore advixit: mor„ tuus est quoque, ac sepultus ibi. Hic denique prædi„ ctus *Sarilo* vigesimus nonus extitit in hujus Sacri Cœ„ nobii regimine. „ Omnem supra modum nos exturbant Farfensis hujus imperceptibilia verba Historię Liutprandi prorsus opposita, ut ideo rerum Italiæ hujus saltem temporis inscium eundem dicere non vereamur. Denuò recolantur dicta de Anscario, & Sarlione. Anscarius frater Berengarii II. & hìc dicitur *Germanus* Hugonis Regis? Mittit Hugo Sarlionem Burgundum, hominem facinorosum, ut Anscarium ejiciat: ejicit, occidit, Ducatum Spoleti occupat, & *Rex Hugo gaudio immenso afficitur*, induit Liutprandus, & Hugo vindex Sarlionem persequitur? Farfensis capit Hugonem pro Berengario II. qui tunc neque Rex, sed simplex Marchio Eporediæ, neque quando Rex fuit, Dux Spoleti erat Sarlio, sed Hubertus Regis Hugonis filius, ex prædictis num. 114. Et quia Sarlio vafrè *indutus Monachalem vestem* ideo Monachus? Et quia positus *super cuncta Monasteria Regalia*, ideo Abbas, quando ibidem Abbates dicuntur eodem tempore *Campo*, & intrusus *Hildebrandus*? Hæc vident Clarissimi, & doctissimi Mabilonius in Annalibus A. 939., & Muratorius nota 95., uterque callet Historiam, & neuter Farfensem castigat? Fabulæ, & commenta sunt hæc præter bellum Sarlionis, & Anscarii in *Marcha Firmana*, quod quantum pro re nostra par est. Adhuc obscuriora, cum magis ascendimus, objicit nobis Chronographus Casauriensis *col.* 800. dum scribit, quod *Suppo Piceni Comes, qui & Dux inscribitur in Imperatoris* (Ludovici II.) *exercitu fulgidus sub ipso tempore translationis B. Clementis obtulit pro Luminariis ante ipsum S. Corpus habendis quamdam Villam suam apud Pinnensem Civitatem nomine Paternum, cum redditibus, & omnibus sibi jure pertinentibus*. NB non amplius in hoc Chronico (C. H. t. 2. p. 2.) mentionem fieri de hoc Suppone Comite nisi *col.* 816. ubi *à quodam viro nomine Fratello, Supponis Comitis Vicario, Curia celebrata &c.* (A. 876.) jam defuncto Ludovico, sed in Additamentis ad Chronicon, ut infra, & Supponis, & Fratelli frequens occurrit mentio. Sanè Piceni nomine venit pars Ducatus Spoletani inter Apenninum, & Adriaticum. Numquid dicendus is Suppo Comes tantùm Urbanus? Absit: dicitur Piceni, non in Piceno, ergo totius Piceni Spoletani, sicut Principem Virum decebat dictum ab Anastasio in *Adriano II.* p. 266. b. Ludovici II. Imp. Archiministrum, eo scribente de se ipso, fuisse missum *pro causa Hludovvici Serenissimi nostri Augusti cum Suppone Archiministro .... Cpolim*. Plura Valesius in Panegiricum Berengarii *p.* 392. *nota* 6. de hoc Suppone collegit, nempe Patrem fuisse *Bertilæ* uxoris Berengarii I. Aug. ob violatam fidem veneno sublatæ. Filium quoque se dicit quondam *Maurini* in sua charta in Additam. ad Chron. Casaur. *col.* 935. Extant Epistolæ Johannis VIII. ad *Supponem illustrem*, vel *gloriosum Comitem* laudatæ ab eodem Valesio. Porrò ex chartis ab eo indicatis, & contentis in Libro instrumentorum illius Monasterii (quarum plures Cl. Muratorius addidit Chronico à col. 925. sed non eas omnes, quas innuit Valesius) dicitur etiam *Marchiæ Comes*, hoc est Marchiæ Piceni, cujus item dicitur Comes. Cognoscimus inisse Comitatum A. 871. quamquam in chartis Ludovici variæ sint notæ Chronicæ, sive diversimodè notentur anni illius Imperii, dum nonnullæ datæ annis 20 21. & 22. adhuc conjunguntur cum Indictione V. post Calendas Septembris. Sic Valesius *l. l.* testatur adesse chartas datas *A. Imperii XX. & I. anno Supponis Comitis* 29. Sept. Indict. 5. (has non videmus in Additamentis Cl. Muratorii) tamen extat charta in Additamentis *col.* 936., nempe cambium factum à Ludovico cum Episcopo Pinnensi de Insula Piscariæ A. 872. Imperii XXIV. secundo anno Supponis Comitis 25. Martii: Indictione VI. At si A. 871. est Imperii XX cur 872. XXIV. notatur? Item si A. 871. 29. Sept. est Indictio 5. ut verè est, cur non eadem A. 872. die 25. Martii? Idem observamus in aliis chartis. Verum conciliari hæc possunt, observatis quatuor Epochis, quibus usus est Ludovicus: I. Regni Italiæ ab A 844. II. Consortii Imperii paterni A. 849. III. Coronationis Romanæ A. 850. IV. à morte Lotharii A. 855. Tertia est usitatior, & adhibita à Ludovico in diplomatis datis Olonnæ, ut in Chronico. In chartis privatis est modò una, modò altera. Error Indictionum levis est, & fortè amanuensium. Citra omne dubium igitur is Suppo ab A. 871. fuit Dux, & Comes Marchæ Piceni, quæ alia esse non potuit, nisi Marcha Firmana eo A. 871. à Ludovico II. instituta, eique tradita juxta extensionem Piceni usque ad Piscariam, & ultra, ut mox. Etenim col. 835. extat ejus charta, qua Casauriensibus donat *Paternum* in Civitate Pinnensi: & Valesius *l. l.* testatur, quod *res, quæ per eas literas Cœnobio Casauriensi conferebantur in Supponis hujusce Comitatu* (hoc est Marcha) *sitæ erant*. Porrò in territoriis penè omnibus Urbium hujusce Marchæ inveniuntur possessiones, & Castella Casauriensium, ut ex Chronico. Et ultra, dicimus, propterea quod col. 946. extat Placitum, cujus exordium: „ Dum residentes nos „ *Fratellus* Auditor *Supponis* Comitis, & Radepertus „ Castaldio ejus, & Missus, & de mandato *Supponis* „ Comitis in placito intra Civitatem Theatinam. In „ ipso erant placito, quod *Suppo* Comes in *sua vice* tene„ re commandaverat ad singulorum causas audiendas, „ vel deliberandas, *residentes* ibidem nobiscum ipse „ *Theodericus* Vir Venerabilis Episcopus S. *Theatinæ Ec*„ *clesiæ*, Ansedeus Castaldio, *Roderinus Scabinus de Fir*„ *mo &c.* explicit: Ego Majo Notarius temporibus *Sup*„ *ponis* Comitis A. ejus IV. mense Madio, Indict. VIII. „ Ego *Fratellus Auditor Supponis Comitis* „ *&c.* En igitur Supponis Comitatum, & jurisdictionem ultra fines Marchæ Firmanæ, & Piceni protensam, hoc est ultra Piscariam in Marcham Teatensem (olim Gastaldatum) item protractam usque ad Sangrum, quam diximus num. 120. & iterum dicemus num. 128. a Carolo M. Beneventanis ademptam, & Spoletanis attributam. Ex quibus magis semper apparet, integrum tractum Spoletanum inter Apenninum, & Adriaticum, hoc est Picenum, obnoxium fuisse Supponi. Cuncta perbellè, & appositè hucusque procedunt. At ex adverso ecquis non videt, hæc omnia vulgatæ Historiæ Spoletanæ, ante & post hunc Supponem omninò adversari? Etenim tempore, quo is Suppo dicitur Piceni Comes utrumque Ducatum Spoletanum tenuisse videntur *Vido*, & *Lambertus* seniores passim memorati à Scriptoribus ejusdem ævi, quorum verba recitavimus num. 112. & reapse in Constitutione promotionis exercitus Ludovici II. indictione 15. hoc est A. 867. inserta Ignoto Cassinensi num. 6. mittuntur *in Ministerio VVitonis Rimmo, & Joannes Episcopus de Forcona*, quæ Urbs in Piceno. Lambertum usque ad An. 880. vixisse innuit Erchempertus num. 79. Hunc in indignationem Ludovici II. incidisse, quia & ab ipso defecerat, & Adalgiso Beneventano Duci rebelli aphæserat, necnon etiam ob horribilia prius patrata adhuc in Urbe Romana quæ prænarravimus n. 112. ex Anastasio *in Adriano II.* ut is ideo anathemate eundem perculerit, propter quæ dicitur Ducatu privatus. Quare cum hæc ita fuerint, dicendum necessario videtur, Supponem suffectum fuisse Lamberto à Ludovico, vel in integro Ducatu Spoleti, vel in Piceno avulso à Ducatu, & in Marchæ formam redacto sub nomine Marchæ Firmanæ. Loquuntur Chronographi sub A. 871. & 73. Fuldensis, Metensis, Bertinianus, Marianus Scotus, Sigebertus &c. de defectione Adalgisi, & Lamberti: de Suppone, sive de translatione Ducatus Spoletani nihil. Synodo Ticinensi A. 876. ob inaugurationem Caroli Calvi, illustratæ à Cl. Saxio, & suppletæ Comitibus, qui illi interfuerant, Sigonio ignotis, nullus Lambertus, vel Vido Comes, Suppo quidem Comes, & solùm, subscriptus legitur. Ita solus Comes non amplius *Archiminister*, ut sub Ludovico, sed ibi super omnes Comites *Signum Bosonis Ducis, & Missi Italiæ, atque Sacri Palatii Archiministri*, qui frater Richildis Augustæ post Hermintrudem. Fortè Bosonis favore etiam Vidonem Lamberti filium Spoleti Ducem confirmavit, ut scribit Chronographus Bertinianus A. 876. Cur non Lambertum ejus Patrem tunc viventem? Igitur Ducatu destitutus tunc erat; sed expost restitutus & ipse fuerit; nam, ut prædiximus num. 112 auxilio fuit Johanni VIII. ex Leone Ost. 1. 40. & moriens A. 880. filio Ducatum Spoleti reliquit, ex Erchemperto num. 79. Quare à Suppone ad primos dominos Ducatum revertisse conjicimus: nec temerè, quoniam post Carolum Calvum non amplius Supponis nomen, saltem à nobis, auditum. Hæc sunt quæ in silva adeò obscura venari potuimus, mirantes Chronographum Casauriensem, & Valesium, qui mi-

Digitized by Google

minora annotavit, vicissitudines has siluisse; sed Galli sua curant, non nostra. Si Campellus in Historia Spoleti perrara, quam ab humanissimo Muratorio expectamus, quid ad hanc rem suppeditabit, adjicere non omittemus: si nihil, nihil. Ita: hæc cuncta ignota Campello, ut post vidimus. Non aliud de hac Marcha Firmana dicendum occurrit, nam jam à sæculo XII. utriusque Marchæ turbatis finibus Firmanã in Anconitanæ nomen migrasse novimus ex binis chartis Guarnerii Marchionis Anconæ A. 1145. & Gofebaldi ejus Nepotis, item Marchionis A. 1191. favore Monasterii Claravallensis de Flastra in Diœcesi Camerini apud Ughell. *t.* 1. *col.* 552. edit. 2. Urbes modò Marchæ Firmanæ à Miseone ad Piscariam per transitum, & sine mora lustrabimus.

(122) A CAMERINO iter ingredimur, quod occiduum, & ad Apennini radices est positum. Sicut trans Apenninum Ducatus caput Spoletium, sic cis Camerinum Urbs clarior, ut Ducatus titulum & ipsa medio ævo pertulerit, sicut & quandoque nomen Marchæ, à Firmana tamen nomine tenus, non regione distinctæ, nisi infimo tempore, & ex quo nomen Marchæ Anconitanæ Firmanam pervasit, suosque Dinastas Camerinum cœpit habere. Prodigiosè captum ab Ariulfo Duce II. Spoleti narrat Paulus 4. 17. Idem obsessum ab Arnulfo Imperatore, Lambertum, & Agiltrudem persequente non rectè prodit Sigonius ex dictis num. 120. SEPTEMPEDA, de qua Blondus Reg. 5. pag. 339. hæc habet: „ ad primos Apennini colles Potentia præterlabitur „ *S. Severinum* nobile, sed *uovum Oppidum* ad ruinas „ ædificatum *Septempedæ* Oppidi vetustissimi à Lango„ bardis solo æquati: „ fortè in bello Spoletano contra Trasemundum. Refectum tamen credendum, dum *Septempeda* sæculo IX. scribitur in Leonis Sapientis Notitia apud Schelstratensem in *Append. p.* 682. b. Oppidum postea Sancti Severini non ita novum, ut putat Blondus, sed sæculo X. regnantibus Hugone, & Lothario excitatum, quando Eudo Episcopus Camerini Templum à se constructum prope Septempedam *S. Severino* dicavit, ut ex ejus charta apud Ughellum *t.* 1. *col.* 598. & ex ejusdem memoriis, quas laudat Puccinellus *in Chron. Florent. pag.* 194. & in *Vita* Hugonis Principis *p.* 5. MATILICA, à qua *Matilicates* Plinii 3. 14., adhuc hodie vetus servat nomen. URBISALIA: antiquioribus *Urbs Salvia*: Alberto pag. 281. b. *Alia* tantùm, & dicit sic vocari à Procopio, sed fallitur: is enim *B. Goth.* 2. 16. in fine, scribit de Narsete: *Urbe Salvia transiit, quam olim Alaricus ita evertit, ut pristini decoris nihil ei supersit, præter unam admodam portam, & paucas structuræ pavimenti reliquias*. TOLLENTINUM, cujus nomen semper idem, ut in laud. Notitia Leonis Sapientis *l. l.* Ejus fabulosam originem refert, & probè deridet Ughellus *tom.* 2. *col.* 850. RECINETUM opus Gothorum, si quæ fides Alberto p. 282. nunc *Recanati*, quod crevit ex ruinis Helviæ Ricinæ, non extructum in hujus ruinis, à quibus distat. PAUSOLA, nunc *Monte dell' Olmo*, qui „ in Pausularum ruderibus extare affirmavit „ (Holstenio) idemque *in Camertiam Historiam* scripsit p. 80. Hæc Holstenius *in Cluv. p.* 137. qui subjicit pag. 138. Pasularum mentionem reperisse in donatione Gualterii Archiepiscopi Firmani facta Camaldulensibus An. 1138. in qua *in Comitatu Firmano curtem unam, quæ vocatur Campo-longo: & Castrum unum, cujus vocabulum est Pasule* &c. MACERATA altera à Macerata Montis Feretri, de qua diximus num. 89. Hæc distans à mari 16. m. pass. ad lævam Usentis amnis, vulgò *Chiento*. De ea satis Lexicographi ex Provinciali Romano, & ex Blondo p. 339. qui hanc dicit *novi nominis*. At si condita paulo post dirutam Helviam Ricinam, & ipsa opus Gothorum, sicut Recinetum, A. 410. ut sentit Ughellus *t.* 2. *col.* 804. ubi Macerata dicta à Maceriis, sive ruinis dictæ Helviæ, cujus *vestigia ad dexteram Potentiæ fluvii ripam extant*, 2. *vel* 3. *p. mill. ab Oppido Macerata*, ut scribit Holstenius *in Cluv. p.* 137. ex Angelitæ Scaramucciæ libello de *Antiquitatib. Ricinæ*. SACRATA in litore, ut in Isleana, nunc *M. Santo*, sed recedens à litore, ut in Magini tab. 37. inter ostia Potentiæ, & Fluforis, fortè Chiento. FALERONA medio ævo: sed antiquitus *Faleria*, sive *Falaria*: Plinio 3. 13. *Falariensis*, de quibus disseruimus num. 110. CASTRUM FIRMANORUM, de quo item sermo fuit supra n. 121. FIRMUM à Castro distinctum, cujus territorium, sive Comitatus à mari ad Apenninum, ut innuit Chronographus Farfensis *col.* 483. ibi *à capite pedes Alpium Comitatus Firmani* &c. de quo in hoc Chronico creberrima mentio: item in Chronico Casauriensi. Sed in suo Piceno Paulus 2. 19. primo loco *Firmum* recenset: & Passivo Firmano Episcopo S. Gregorius *Ep.* 13. *l.* 10. commendat viduam Ecclesiam Civitatis Aprutii. M. PATRICII medio ævo ex Ughello apud Bodrandum in *M. Altus* Piceni. AUFIDA, sive *Offida* juxta Bodrandum h. V. quæ est *Offeda* in Magini tabula 37. à M. Alto 6. m. pass. in ortum brumalem. Non confundatur cum *Aufina* Vestinorum, de qua Cellarius p. 672. vulgo & ipsa dicta *Oseda*: Plinio 3. 12. *Aufinates Cismontani*, quia cis summum Apenninum: ut diximus num. 118. de Aufina. Sed in Piceno *Aufida nobile munitissimum natura loci Oppidum*, ut scribit Blondus p. 341. CIVITAS NOVA, quæ Plinio 3. 13. *Novana*. Quæstio hìc est de interpunctione, an legendum: *Asculum intus: Novana in ora: Cluana, &c.* ut noviter contendit Harduinus hìc p. 170. nota 19. an potius: *Asculum: intus Novana: in ora Cluana &c.* juxta vulgatam lectionem, quam tenent Cluverius, Bodrandus, Isleus, Cellarius. Hos sequimur, intus locata Civitate nova. ASCULUM: Paulo 2. 19. *Asculus*, celebrius in Historia Romana, & Gothica, quam in Langobardica, cætetùm satis notum. CARRUFA, ubi data Charta Lodigarii Comitis Asculani A. 799. ex Ughell. *t.* 1. *col.* 440. edit. 2. quam observavimus supra num. 112. De charta quidem dubitari potest, secus de loco, de quo Bodrandus *in Ancaranum*, quod, inquit, *crevit ex ruinis Carrufæ arcis excisæ in ejus viciniis*, idest 2. m. pass. ab Ancarano, scripto 6. m. pass. ab Asculo in ortum in Magini tab. 37. Interpolator Ughelli *l. l. col.* 442. recitat hoc disticon de Ancarano, quod antiquissimum esse testatur:

Carolus hoc Castrum Rex Magnus condidit illo
Tempore Carrufa diruta terra fuit.

TRUENTUM ad ostium fluminis cognominis. Olim Urbs Episcopalis ex Geographia Sacra p. 54. & ex Sirmondo de nomine Acacii apud Holstenium *in Cluver. p.* 135. FLAVIANUM, quod Plinio 3. 13. *Castrum novum*: Ptolemæo 3. 1. *Castrum* simpliciter, sed Blondo p. 394. in fine *Flavianeum* à medio ævo, & Alberto p. 265. b. *Flaviano*, ad ostium Batini amnis prope *Juliam novam* Aprutii ulterioris: nunc excisum, ut in Magini tab. 50. ubi ad ostium *Trontini* vix signum turris. APRUTIUM non Regio, ut nunc, sed Civitas, ut ex S. Gregorii *Ep.* 13. *l.* 10. *Aprutium Civitas pastorali sollicitudine destituta &c.* Et in Johannis VIII. Ep. 126. *Aprutiensis Episcopus*. Plura alia ad hanc rem prodit Angelus à Nuce *in Leon. Ost.* 1. 37. *not.* 4. & Lubin *in Notit. Abb.* p. 16. qui Angelum notat. Aprutium itaque antiquitus *Interamna*, ex qua voce nunc corruptè factum eidem nomen *Teramnum*, quasi inter tres amnes: sed medio ævo *Aprutium*: quod nomen tamen vetustius ab ætate Arnobii, ut prodit Holstenius in Ortelium p. 15. *V. Aprutium*: inquit: *in veteri quodam Codice Arnobii* 800. *circiter annorum reperi Abruptiensis Ecclesiæ Presbyterum, quæ sinè dubio vera scriptura est, & origo hujus nominis*, sed non distinguit, an Codex sit Arnobii Afri Præceptoris Lactantii, Diocletiano imperante, vel Arnobii junioris sæculi V. Juris Spoletanorum fuisse Aprutium, ejusque tractum, confirmatur ex Leonis Ost. Continuatore Petro Diacono *lib.* 4. *cap.* 22. (C. H. tom. 4.) ATRIA, sed etiam *Adria* juxta Paulum 2. 19. cujus ætate *vetustate consumta Adria, quæ Adriatico pelago nomen dedit*. Prædia Farfensis Cœnobii *in Castaldatu Adrianensi* scribit ejus Chronographus *col.* 410. PINNA, & *Pinnis* Paulo 2. 19. *Pinenses* arma posuisse, & se Duci suo dedidisse, vidimus apud Anastasium *in Zacharia*. Cæterum Pinnarum mentio centies, & centies habetur in utroque Chronico Farfensi, & Casauriensi, ut superfluum sit loca indicare. Similiter apud Leonem Ost. ut 2. 28. ubi *apud Pennas*, & alibi: Nunc Città di Penna. Ad Aternum, sive Piscariam pervenimus, ubi & Piceni, & Spoletani Ducatus, sive ditionis finis tempore Regni Langobardici. Oppidum Piscaria trans amnem ejusque ad ostium spectabat ad Gastaldatum Teatensem. Intus prope Apenninum CIVITAS AQUANA: mentionem facit Leo Ost. 1. 45. *de Civitate Quana*, quam præterit Annotator à Nuce: Holstenius *in Cluv. p.* 140. esse Civitatem Aquanam non ambigit: Cluverius inter Coloniam Peltinorum, & Pinnas eam locat: sed à Peregrinio in sua tabula notatur *C. Aquana olim Peltuinum* inter Furconium ab austro, & Pinnas à borea. Hic ad Vestinos descendere oportet, ut nonnullas Urbes in summo Apennino, vel circa observemus. Una est AMITERNUM Vestinis à Ptolemæo 3. 1. attributum, nunc excisum, sed medio ævo vigens: ejus namque mentio fit in diplomate Lotharii A. 840. apud Chronographum Farfensem col. 394. Item col. 410. *Castaldatus Amiterninus*, & territorium *Amiterninum*: sæpissimè & alibi. Urbs fuit prope recens Castrum S. Victorini, non procul à fonte Piscariæ, de qua infra, & à recenti Aquila 5. m. pass. in boream: ita Bodrandus *in Amiternum*: nos illud locamus, ut in I. tabula nostra. FURCONIUM in Vestinis, à quo *Furconini* Anastasii *in Zacharia*: Urbs olim Episcopalis ex VI. Synodo act. 4. & ex Geographia sacra pag. 56. nunc excisa. Ex ejus ruinis, & item Amiterni, excitata fuit *Aquila*, cui id nomen impositum à Friderico II. ab Aquila signo Romani Imperii, ut ex huis literis refert Holstenius *in Cluv.* pag. 139. qui supra p. 116. ex Salvatoris

Mas-

Digitized by Google

Massonii *Dialog. de orig. Aquilæ* indigitat Furconii situm. ubi „ *S. Feli* dicitur ab Ecclesia S. Felicis Mar„ tyris, quæ in ruinis ejus Civitatis extat. „ Ab his dissentiunt Lexicographi, scribentes *in Avia Furconium* fuisse Aviam Ptolemæi. Sed neque sibi constantes in *Avia* removent Aviam 8. m. pass. ab Aquila, & infra in *Furconio* 3. m. dumtaxat. Massonio conterraneo, annuente Holstenio, est credendum. Porrò „ Avia hoc „ tempore *Città di Bagno* dicitur: ibi enim maxima „ veteris Oppidi vestigia visuntur, in quibus nonnul„ læ extant inscriptiones antiquæ, quas *Mutius Febo„ nius* Transaquæ Abbas descriptas ad me misit: & „ sic Salvator Massonius *Orig. Aquil.* pag. 20. „ Verba sunt Holstenii *in Cluv.* p. 139. Videatur & Baronius *in Martyr.* 20. Octob. nota a. Infra Amiternum PITINUM ex eodem Holstenio *l. l. p.* 139. (annuente Bodrando h. V.) „ fuit Civitas Episcopalis, ut apparet ex „ Concilio Romano sub Symmacho, ubi pro Ecclesiæ „ Pitinatium subscripsit *Valentinus* Amiterninus. Ejus „ vestigia extant 3. circiter m. p. ab Civitate Aquilana, „ diciturque *Torre di Pitino*. „ Flumina quæ ex Apennino profluunt, & Picenum abluunt hæc sunt: MISEO & nunc corruptè Musone. UFENS antiquum: aliquibus videtur *Flusor*, Lexicographis ignotus: ideo Ufentem interpretantur il *Chiento*: Flusoris mentio in sola Theodosiana: nec videtur flumen Clentis Chronographi Farfensis col. 484. POTENTIA novantiqui nominis. TENNA medii ævi: *Tignia* Lexicographis ex Fr. Pamphilo de *laud. Piceni*. HELVINUS nunc il *Salinello* in Magini tab. 50. prope Juliam novam. TRUENTUM novantiquum, *Tronto* & hodie. UMBRIDA ex laud. Charta apud Ughell. *t.* 1. *col.* 440. A. 799. In Magini tab. 37. scribitur *Vibrata*. TURDINUM medii ævi: antiquitus *Batinum* apud Lexicographos in *Batinum*. VOMANUS, olim & nunc, in Magini tab. 50. MATRINUS: nomen vetus: ævo infimo *la Piomba*. PISCARIA medii ævi: Veteribus *Aternum*: mentio frequentissima fit de Piscaria in Chronicis: *Piscaria nascitur in imo cardinum Valvæ in loco ad radices montis, qui dicitur Calmontinus*, ut scribit Chronographus Casauriensis *col.* 791.

SECTIO XXII.

(123) *Ducatus Beneventani* argumentum quam amplum, & cur: ejus conspectus: Institutio remissive: Extensio: Divisio: Deque finibus monita. (124) *Gastaldatus Capuæ* cur sic vocatus: & cur universim in Italia Transtiberina Gastaldi. Quis Comitis nomen resumpsit: Ambitus ejusdem, & fines. (125) Urbes minus obviæ: *Garilianum*: *Eulogimenopolis* quando, & cur conditæ: *Eraclea*: *Calenum*, & Calvum an idem. (126) *Berealis*, *Sicopolis*, & novæ *Capuæ* historia, & chronologia expensæ, & reformatæ: *Trifiscus* M.: Porphyrogenitus observatus: Reliquæ Urbes. (127) *Gastaldatus Alczeci* Bulgari historia, tempus, fines, & Urbes cognitæ, & quæ conjecturales, ibique Urbs *Samsium*. (128) *Gastaldatus Teatensis* fines sedulò expensi: protensi à Normannis: Ex Gastaldatu Marcha sub Francis: Beneventanis adempta, & Spoletanis tributa: Cur, quando, & an tunc ampliata? (122) Ejus Urbes: *Teate*, cujus ager quam amplus: *Anxanum* duplex ignotum Viro docto, non Anxa: Civitas *Tazze* perquiritur: *Draconaria* situs varius: *C. de M. Metulo*: *Barregium*: *Decula* ubi: *Arenula* Viris doctis ignota: *Civitas* medio ævo quæ: Flumina hujus tractus. (130) *Principatus Salerni* cur, quando, & à quo institutus: quare difficile ejus fines decernere. (131) Ejus Urbes juxta Capitulare Radelchisi: minus notæ *Latinianum*: *Lucania*: *Rota*: *Metelliana*: *Salernum* quomodo opus Langobardorum: *Cimiterium*: *Furculum* quid? (132) *Ducatus Beneventanus* seorsim sumptus ubi diffusus: Cur à Carolo M. præteritus: Vectigalis tamen. Ejus Urbes in veteri Samnio, & Campania: Beneventi conditio: *Aversa* opus Normannorum: *Æculanum*, Eclanum, & medio ævo *Quintodecimum* idem: Flumina. (133) Idem in veteri Lucania: hujus fines: Quando, & à quo *Basilicatæ* nomen ei factum ex historia X. sæculi. (134) Ibi Beneventanorum Urbes: *Cosilinum* Cassiodori ubi: Isleus cum priscis Geographis observatus: *Velia* quæ? *Opinum*.

(123) DUcatum Beneventanum sub ampliori nomine Italiæ Cistiberinæ, nobis tamen Transtiberinæ, prodidit Camillus Peregrinius Neapoli jam ab A. 1643. de eodem fusè differendo VIII. eruditis Dissertationibus, subjecta ejusdem tabula Chorographica, quæ omnes datæ sunt *C. h. t.* 5. *à pag.* 165. Quamobrem nos in descriptione hujus Ducatus nostram quidem methodum hactenus servatam servabimus, quæque necessaria sunt pro usu tabulæ nostræ exponemus: de cætero cum quamplura ipse dixerit, & Langobardica Historia in hac Italiæ orientalis parte tradatur per tot Scriptores collectos à Caracciolo, & Peregrinio, ac C. H. tomis 2. & 5. insertos, quibus addi possunt quoque Chronographi Leo Ostiensis, Farfensis, Vulturnensis, Casauriensis &c. brevius quam olim fecimus, post hac prosequemur. Ubi enim fuimus Scriptoribus inopes, deficientiæ subvenire studuimus: at ubi Scriptores abundant, parciores esse curabimus: adhuc ne nos quis insimulet, sive quod actum agamus, sive crambem apponamus, post alios, recoctam. Brevitati quoque studere argumenti amplitudo nos adigit, cum Ducatus Beneventanus totum penè Regnum Neapolitanum nunc dictum, necnon bis centum Urbes, & Oppida, præter tot alia omissa, complecteretur: ut si de omnibus, modo hucusque servato, loqui vellemus, longè amplius volumen oporteret conficere. Quod si contra de brevitate nimis soliciti videbimur alicui deficere, is hilariter doctum Peregrinium *l. l.* adeat, ubi, lectis ejus Dissertationibus, ipsi nil amplius desiderandum supererit. Cur postea Historia Langobardica in hac parte uberior sit, quam in cæteris, ratio est perspicua, quod ibi contigerint celebriora, ac diuturniora bella primò inter novos advenas Langobardos, & veteres incolas Græcos: exinde plura civilia sequentibus sæculis, IX. nempe, Francos inter, & Langobardos Beneventi Imperatoribus contumaces: horumque simul cum communi hoste Saraceno: & X. Ottonum cum Græcis: XI. ob Normannorum accessum, quæ cuncta, & sola Scriptoribus opportunam præbent occasionem describendi Regiones, & Loca. Nihilominus copiam Scriptorum habemus tantum post sæculum VIII. jam Regno Langobardorum exacto; neque res Beneventanas stante Regno (præter, quas prodidit Paulus) ante Erchempertum sæculi IX. Scriptorem, & Pauli continuatorem tenemus, qui antiquiorem nec laudat præter Paulum. Verùm tamen esse potest quod scribit Chronographus Vulturnensis pag. 370. b. in fine, nempe quod stante Langobardorum Regno, sive *tempore rara in his Regionibus Castella habebantur, sed omnia villis, & Ecclesiis plena erant: nec erat formido, aut metus bellorum, quoniam alta pace omnes gaudebant usque ad tempora Saracenorum* (sæculi IX. ante medium) *Cessante quoque devastatione, & persecutione illorum, qui tunc evadere potuerunt, vel sua invenire valuerunt, Regis judicio, & precariis possederunt, usque quo Normanni in Italiam pervenerunt*. Et is adhuc Langobardorum conspectus illo ævo, qualis etiam describitur à Paulo 3. 16. restituto Regno in Authari. Sed prorsus abludit ab eo, quem pingit S. Gregorius *homil.* 18. *super Ezech.* item *Dialogor.* 3. 28. ac in Epistolis, incipiendo à 30. nunc 31. *lib.* 1. Non hic diu immorandum, quærendo an is Ducatus ab Alboino institutus, vel ab Authari A. 589. Zottoni I. Duci tributus. Satis Peregrinius *Diss.* 1. (quam in compendium redegit Cl. Horatius Blancus in Paulum 3. 33. num. 211.) cum Caracciolo hac de re doctè disceptat, ac inter cætera Constantinum Porphyrogenitum *de Administrando Imperio c.* 27. probè castigat, adeò imperitè de Langobardorum adventu scribentem: miramur tamen doctissimos Meursium, & Bandurum illius interpretes tot errores non emendasse. Rectè quidem differit Peregrinius: verùm tot inter opiniones ab eo relatas, Viros doctos rogamus, ut an nostra de Ducatus Spoletani institutione num. 111. prælata, plus, minus locum hic habeat, observent: dum interim nos, quæ Chorographiæ nostræ inservire debent, prosequimur. Igitur Langobardi, priscis Romanarum Provinciarum antiquis nominibus, scilicet Campaniæ, Samnii, Lucaniæ, Brutiorum, Apuliæ, & Calabriæ, eoque magis veterioribus Picentinorum, Hirpinorum, Marrucinorum, Frentanorum &c. sub unico Provinciæ Beneventanæ easdem Provincias (partibus Græcorum exceptis) comprehendere voluerunt. Id maximè apparet ex formula à Ducibus, sive Principibus Beneventanis usitata in diplomatis, quorum plura Chronico Vulturnensi inseruntur, ut p. 374. (C. H. t. 1. p. 2.) hac inscriptione *Nos Vir gloriosissimus Grimoaldus Dei providentia Beneventanæ Provinciæ Princeps*: aliique similiter alibi, licèt etiam quandoque inscribantur *Summi Duces*: *Summi Principes gentis Langobardorum*: nunquam tamen, vel rarò Provinciarum Samnii, Campaniæ, &c. Cur hæ plures Provinciæ ad unam tantum redactæ (sicut tot aliæ ad duas tantùm sive ad Ducatus Forojuliensem, & Spoletanum) innuit perbellè sub A. 776. Matth. Palmerius his verbis: „ varios præterea „ (Langobardi) Principatus per Italiam habebant, „ quibus gentium suarum præponebant Duces: inter „ quos *præcipui*, & per successiones observati sunt „ (errat cum aliis) unus apud Forum Julii *in ipso* „ *Italiæ ingressu*: alius apud Spoletum in *media penè* „ *Italia*: tertius Beneventi ad *inferiorem* Italiæ par„ tem regendam. „ At licèt sine distinctione Pro„ vinciarum Duces loquerentur, & scriberent, Aucto-

res tamen tam profani, quàm sacri, & præsertim Episcopi in Synodis nomen Provinciæ suæ more Romano servarunt, ut videre est in VI. Synodo Cpolitana sub Agathone pluries laudata. Adhuc Auctores agnovit, & fassus est Peregrinius *diss.* 8. ubi ex instituto hunc Ducatum non fuisse in antiquas Provincias tributum contendit. Utique, non tamen omninò nobis probatur, quod inquit, ipsos Auctores *ad eruditionis ostentationem prisca ea usurpasse vocabula*. Potius dicendum videtur, claritatis gratia illis usos, nam ob amplitudinem Ducatuum obscura remansisset pars illa, in qua quid gestum scribebant. Nam quamvis civiliter, sive politicè essent suppressa ea nomina, non erant tamen penitus obliterata, & ignota, quin imo rudibus adhuc notissima. Hinc Paulus suam Chorographiam Italiæ faciliori pro captu scripsit more Romano, Langobardicam minimè ignorans, cum Austriam, Ducatus, Comitatus, Gastaldatus historicè passim commemoret. Eadem claritatis causa nos quoque in Chorographia Ducatuum Romani, & Spoletani nomina Umbriæ, & Piceni usurpavimus, imo & gentium antiquiorum, licèt cuncta ævo medio deleta. Religiosè etiam nunc Langobardicum servare morem hìc volumus, non tamen ea lege, ad quam Peregrinius strictè nimis nos cogit. Transtiberinam Italiam Langobardi integram utique non occupabant: partes aliquas etiam Græci tenebant. In hac itaque Italia duplex erat jurisdictio, Græca, ac Langobardica, dicta Beneventana. Hæc item dupliciter consideranda: uno modo ea sumpta pro universa jurisdictione Beneventana, altera, ut in quasdam Provincias, & Regiunculas, eadem fuit interdum divisa. Negari namque non potest, quandoque fuisse à Ducatu Beneventano sejunctos Gastaldatus Capuæ, Alzeci, Teatensem, & Principatum Salerni, qui omnes Provinciæ ad instar plures Urbes, ut videbimus, complectebantur. Cur non seorsim consideranda Apulia, cujus mentio adeo frequens, nec unquam nomen suppressum, licèt Græci eam vafrè etiam Langobardiam vocaverint, ut, vel Langobardis ereptam, vel eorumdem dominari, ostentarent? Nonne Calabriæ nomen (ex quo à superi cornu, & extremo Italiæ fuit ad inferum callidè à Græcis translatum) semper mansit, & Peregrinius in sua tabula scripsit? Has ergo Provincias, & Regiunculas, sub Gastaldatus nomine, ut inter se distinctas, claritatis causa, minimèque à politia Langobardica recedentes, describere intendimus. Dum autem unicuique Regioni suos fines assignare debemus, duo advertenda præmittimus. Unum, nos, juxta præsentem œconomiam, sequi non posse Peregrinium, qui *Differt.* 4. 5. 6. *&* 7. fines à quatuor Cœli plagis Beneventanæ Provinciæ constituit: ipse namque de Provincia indivisa (ut Diss. 8.) semper loquitur: nos contra de eadem quidem, sed, ut supra, divisa acturi sumus. Attamen Regionum descriptione peracta, Urbes, quæ extra prædictas Regiones superserunt, finibus adæquè statutis, juxta quatuor Cœli plagas, suæ Beneventanæ Metropoli circumpositas, recensebimus. Alterum, singulas Regiones universim respiciens, est, non esse attendendas mutationes, quæ, crebra ob bella modò cum Græcis, modò cum Saracenis vario marte, per tempora contingebant. Non enim in Geographia spectandum, quod Urbs una, vel ager hodie juris unius Principis, cras fiat alterius, nisi longo tempore, cessione, vel jurisdictione præscripta variati Regionum fines firmentur, ut evenit de finibus inter Langobardicum Regnum, & Exarchatum post Liutprandum, qui suos protulit ultra Scultennam, ex Paulo 6. 49. longa possessione præscriptos: nec ultra, quamquam Bononiam, exempli causa, obtinuerit. Hinc non variandi Regionum describendarum fines, quia (ut perfunctoriè paucis id explicemus exemplis) Constans II. Imper. circa A. 663. cum Tarentum venisset, *omnes penè, per quas venerat, Langobardorum Civitates cepit: Luceriam* &c. ut prodit idem Paulus 5. 7. Nec quia, ut identidem accidebat, Neapolitani Duces, interdum cum Saracenis fœderati, eosdem Beneventanorum fines invaderent, per tradita à Leone Ost. 1. 40. ut demum Metropolim ipsam Beneventum Symbaticius Patricius occupaverit, ex eodem 1. 49. Minus denique variandi, quia Saraceni jam ab ævo Caroli M. Corsica, & Sardinia potiti, etiam ab A. 840. æquè Græcorum ac Beneventanorum Urbes, Massaro, & post Seodano Rege ductoribus, Fundos, Cajetam, Telesiam, Barium, Venatrum, Materam, Tarentum, Hiserniam, Acropolim, aliasque occupaverint, quod fusè narrat laud. Leo *capp.* 27. 28. 30. *&* 35. *lib.* 1. Nam licèt illorum tyrannis diuturna, non ideo usucapionis jus ipsis aliquando quæsitum alicubi, ut Dynastiam Saracenicam hoc sæculo IX. designare, vel constituere debeamus. Præterquam quod validè Barbaris Ludovicus II. se opposuit, receptis Urbibus, millibusque interfectis: *Massaro* capite abscisso, exposit & *Seodano* trucidato cum suis, reliquisque fugatis: cunctis omninò loco motis. Nec reliquias ipsorum superfuissent, nisi impius Dux, & Episcopus Neapolitanus Athanasius junior superstites apud se collectos in ditione sua locasset, quibus juvantibus *tam Beneventum, quàm Capuam, atque Salernum, Romam quoque, necnon Spoletium devastare acriter cœpit*, ut Ostiensis prodit 1. 40. Hunc etiam immanem ferarum gregem aluit Docibilis Cajetæ Dux, cujus beneficio illæ bestiæ in collibus Formianis primò, mox ad Garilianum amnem castra sua posuerunt circa A. 875. populis, Templisque per annos 40. semper infensæ: donec consilio & adjutorio Johannis X. Landulfus Beneventi, & Atenulfus Capuæ Dynastæ ac Guaimarus Salerni unà cum universis Græcis Apuliæ, & Calabriæ, nec non trasmarinis, ductore Nicolao Patricio, aliisque auxiliariis Principibus Barbaros tandem fame victos, Castraque incendere sua coactos, & profugos extra Italiam penitus eliminarunt, ut ex Liutprando 2. 14. & Leone Ost. 1. 52. prædiximus num. 113. Propter has rerum vicissitudines œconomia Ducatus Beneventani, præsertim in finibus Regionum haud immutanda videtur, nisi ubi fines fuerunt temporum decursu longo præscripti, ut de limite occiduo Gastaldatus Capuæ, mox num. sequenti dicemus. Cæterum, eadem semper ratio est retinenda usque ad XI. sæculum, quo Normanni novæ politiæ inducta forma, Regionibus aliter partitis, recentia adhuc nomina vel à Græcis, vel à se excogitata & retinere, & indere voluerunt: quod non prius factum, quia præfatæ mutationes Græcorum, & Saracenorum nunquam pacificæ, nunquam præscriptæ. Contra utraque in Italia cis, & trans Tiberim novæ Chorographiæ hypothesim, novamque œconomiam Græci, & Langobardi statuerant, non valde immutatam a Francis, vel à Teutonis, ut suis locis ostendimus. Constat enim, easdem Dynastias, eisdemque finibus circumscriptas, & ut primùm institutas, nedum firmas quoad Exarchi, Regesque Langobardi imperarunt, mansisse, verum & post, Italia à Græcis, & Langobardis ad Carolum M. translata, & ab eo beneficiario titulo Ecclesia & Exarchatu, & Pentapoli devotè donata.

(124) Igitur juxta præmissam hypothesim à Gastaldatu Capuæ exordimur, quia geographicè occidentalior, dignitate nobilior, urbibusque, quod sciamus, cæteris auctior. Gastaldi, Castaldi, Gastaldei, Gastaldiones (pro libitu apud Scriptores, quia *Gastald* Langobardis sine terminatione) vocabantur à Gastaldatu, qui nedum unius tantùm Urbis erant Rectores, verum & qui Regioni pluribus cumulatæ præficiebantur. De his fusè loquuntur & Vossius *de Vitiis sermonis* apud à Nuce *in Leon. Ost.* 1. 14. f. & Dufrenius *in Gloss. b. V.* & Peregrinius *Diss.* 8. *à pag.* 191. b. ubi nomen civile, militare, & œconomicum, etymon, dignitas eruditè explicantur. Utrique tantum rationem subjicere occurrit, cur in Cistiberina Italia rari Gastaldi, & Comites, stante Langobardico Regno, sed propemodum omnes Duces vocati, post Comites: contra verò in Transtiberina nemo Dux præter Principem, omnes Gastaldi, vix unus, vel alter Comes, adhuc sub Francis usque ad Ludovicum II. cujus indulgentia usitatius Comitis nomen effectum, ut ex documentis colligimus. Rationem fuisse censemus, quia in Cistiberina Rex Ducibus præeminebat, ut ideo satis discrimen esset in titulis: at in Transtiberina, cum Ducis titulus summo Principi Beneventi, & Spoleti tribueretur, ne subditi viderentur esse Domino, & Principi æquales in titulo, non Duces, sed Gastaldi vocabantur. Scimus aliqua exempla huic usui loquendi adversari, ut cum Anastasius *in Adriano I. p.* 185. scribit *Ducatum Firmanum*, tempore quo erat Gastaldatus: sed id scriptum unà cum Auximano, & Anconitano Græcorum verè Ducatibus. Cum porrò Gastaldi à Ludovico II. Comites dici expetiverint, Comitis titulum speciosiorem illo Gastaldi fuisse, rectè discimus; unde quis ex Gastaldo Comes, ut is Capuæ, at nunquam Gastaldus ex Comite legitur. Cæterùm ante Francos omnes Gastaldi, nec alio titulo Rectores appellari Principes patiebantur. Ex Asiatica Bulgaria huc venerat, Grimoaldo regnante, quidam *Alczecus* (ut num. 127. dicetur) cui Dux Romualdus Regiunculam administrandam attribuit. Dignitate in sua gente Dux erat: nihilominus, inquit Paulus 5. 29. *mutato dignitatis nomine, de Duce Gastaldium vocitari præcepit*. At cur non saltem Comes vocatus, si Paulus 4. 53. sub Godeberto, & 5. 16. sub Grimoaldo Regibus *Comitem Capuæ Trasemundum* appellat, ut prænotavimus num. 24.? Ergo, quis dicet, non *Gastaldatum Capuæ*, sed Comitatum & nos scribere debebamus. Nos urget instantia, sed instantem urgebimus. Cur Erchempertus num. 65. scribit quod *Atenulfus Gastaldatum Capuanum singulariter suscipiens* (A. 882. ut supra n. 62.) *continuò se Comitem appellari jussit*? Ita & Ignotus Cassin. num. 32. Et *in Chronico* Comitum Capuæ num. 9. & Leo Ost. 1. 49. ibi: *Atenulfus ex Capuano Castaldatu jam Comes* &c. Igitur? Non

Digitized by Google

Non aliud conjicere possumus, nisi Gastaldos Capuæ ob dignitatem Urbis, Regionisque amplitudinem, Comites quondam vocatos, sed abusivè, ut & hodie contingit in titulis. Nec ideo sequitur contra prædicta, ergo Gastaldus ex Comite, id enim invitè factum, non sponte. Et sanè si exposit non amplius Comes, sed Gastaldus dictus is Capuæ, mutatio contigerit, quia Dux Comitem dici vetuerit. Sed Atenulfus (jam alibi à Ludovico II. Comitibus institutis, præsertim illis Valeriæ, ut prænotavimus num. 118.) Comitis titulum resumere voluit, & quidem ea auctoritate, qua Landoni germano suo Gastaldatum armata manu eripuerat, ut apud Erchempertum d. num. 62. De reliquo, præter male gesta, titulus jure decebat & Urbem, & Dominum, cum caput esset & tunc spectabilis, amplæque Regionis. Hujus ambitum paucis docet nos Peregrinius in explicatione tabulæ Comitum Capuæ p. 279. a. (C. H. t. 2.) inquit enim: „ Campani Comitatus Dynastæ, sicut ex „ Erchemperto pluribus in locis (à num. 25.) ex Igno„ to Cassinense (num. 23. & 26.) ex Capitulari Prin„ cipis Sicardi (num. 13.) constat obtinuere quidquid „ à Casertana, ac Svessulana Urbe in longum proten„ debatur ad usque Aquinensem, & quandoque Sora„ nam, & in latitudinem à Calatia ad maris Tyrrheni „ litus, atque ostia Literni, Volturni, & Liris ultra, „ citraque. „ Naturalibus igitur conjungendo civilia, fines hujus Gastaldatus fuerint ab occasu Liris, sive Garilianus, nam inter hunc amnem, & Melpim loca non habemus. Utique cis Garilianum est *Sora*, quam Erchempertus *l. l.* dicit avulsam à Gastaldatu Capuæ, & traditam Vidoni Franco: quia tamen antiquitus ad Ducatum Romanum spectabat, ut ex Paulo *6. 27.* & ex Ludoviciana probavimus num. 108. ideo fines hujus Gastaldatus in hac parte Soram usque cis Garilianum (rectius Carellum) non designamus. Idem dicendum videtur de Castro Gariliani ad hujus dexteram à Saracenis locatum, ex quo Athanasius impius Dux, & Episcopus Neapolitanus illos fovit ab A. 875. quod postea canibus illis fugatis post annos 40. solo fuit æquatum, & de quo infra loquemur. A *borea* finis usque ad Arpinum, quod & ipsum à Gastaldatu avulsum dicitur ab Ignoto Cassinensi *l. l.* Ab *ortu* Vulturnus amnis, etsi trans ipsum Caserta, & Svessula, non procul ab ejus ripa sinistra sint positæ. Ab *austro* tandem mare inferum ab ostio Gariliani ad ostium Vulturni: nunc ad Loca, & Urbes.

(125) Prope Garilianum amnem, ut dicebamus, erat & CASTRUM GARILIANUM, sive Gariliani, opus Saracenorum, ubi in Magini tabula 42. scribitur C. *Forte* 5. m. pass. supra fluminis ostium ad dexteram: & id reliquiæ Castrorum, de quibus Leo Ost. 1. 43. narrans, quomodo Docibilis Dux Gajetæ huc canes illos adduxerat, subdit, *in Formianis collibus sua Castra componunt*: Et Lupus Protospata ad A. 916. *exierunt Agareni de Garilianо*: & infra: *explentur anni* 40. *ex quo Agareni introierunt in Italiam*. Satis quo ad locum: quo ad tempus videatur subjecta nota 15. Peregrini. De Terracina, Fundis, Formiis, & Gajeta, cum de ditione Græcorum num. 142. Trans Garilianum SVESSA etiam medio ævo apud Erchempertum numm. 40. & 60. ubi Johannes Candidatus Græcus, & Missus stratigi à Gastaldo *Magiperto receptus est Svessam*. Judicatum A. 976. *actum Svessa*, apud Chronographum Vulturnensem p. 461. b. in fine. Cætera infra *in Aurunca*. AQUINUM, non amplius *Urbs magna* ut ætate Strabonis 5. p. 474. sed villa: ita Ignoto Casin. num. 26. *In Aquini Villa Rodoaldus Gastaldius secus Pontem Curvum construxit Castellum: hoc facto subduxit se à jure Capuanorum, qui vehementer ob hoc affligebatur à Capuanis*. Restitutum tamen, sed iterum dirutum à Friderico II. ex à Nuce in Vitam S. Benedicti *cap.* 16. De eo Leo Ost. 1. 28. ut à Saracenis vastato: & iterum 2. 15. EULOGIMENOPOLIS, de cujus constructione Ignotus Casin. num. 19. ubi supplendum nomen Civitatis juxta num. 27. ibi: *Dum in Eulogimenopolis Urbis mœnia struerentur, &c.* Clarius Leo Ost. 1. 33. scribens gesta Bertharii XIX. Abbatis ab A. 857. hæc prodit: „ Civitatem quoque ad radicem hujus montis „ circa Monasterium D. Salvatoris inchoavit: quo vide„ licet tempore, dum supra dicta mœnia *Eulogimenopo*„ *lis*, idest, *Benedicti Civitatis* construerentur „ &c. Et iterum 2. 33. quæ exinde Civitas *S. Germani* appellata, sicut notat à Nuce in Vitam S. Benedicti *cap.* 8. *num.* 15. Altiùs CASINUM ibique antiquitus Oppidum, quod dictum *Eraclea*, ut probat idem à Nuce *l. l. num.* 109. tum ex actis SS. Dionysii, Demetrii &c. tum ex Petro Diacono in V S. Athanasii Episcopi Neapolitani: ibi: *Sepultus est Beatissimus Christi Confessor Athanasius Episcopus apud Castrum Casinum Civitatis Eracleæ*: videatur Cl. Muratorius in Joh. Diac. *Chronicon* p. 316. nota 120. (C. H. t. 2. p. 2.) In hoc monte Cœnobium S. Benedicti suo primis annis Regni Athalarici Amali conditum, totius Ordinis ejus Metropolis, & Orbi universo celeberrimum, cujus Chronicon scriptum à Leone Ostiensi datum C. H. t. 4. De eodem Lubin *in Notit.* p. 88. qui prodit Eracleam in uno ejusdem montis latere sitam, fuisse à Theoderico eversam: Cœnobium verò conditum A. 529. & eversum a Zothone Langobardo, ut satis notum. Videatur & Peregrinius *in Serie Abb. Cassin.* ineunte (C. H. t. 5.) Casinum adhuc fuisse in hoc Gastaldatu probant, quæ produnt Erchempertus num. 69. à Nuce in Leon. Ost. 1. 49. *nota b.* sed maximè proximum esse, & orientalius Aquino. ATINA eadem ratione ad hunc Gastaldatum spectabat: posita namque ad Melpim torrentem trans Garilianum: 4. m. pass. ab Arpino in ortum, & inter Soram, & Venafrum, quæ omnia sita erant in eodem Gastaldatu: *Civitatis Atinæ* meminit Leo Ost. 2. 51. 66. & alibi. Lexicographis *in Atina* nunc est vicus. Casini ad ortum, & Vulturni ad dexteram VENAFRUM, Erchemperto num 29. *Castrum Benafranum*. Infra RUFRA perantiqua: Lexicographi h. V. & ut in I. tabula nostra fuit *ubi nunc Presenzanum Theanensis Diœcesis Oppidum*, inquit Holstenius *in Cluver. p.* 259., sed nullius nominis medio ævo. In meditullio TEANUM antiquioribus *Sidicinum*, ut distingueretur à *Teano Apulo*, sed simpliciter Teanum Erchemperto numm. 21. ubi ex quatuor filiis Landulfi Comitis *Landonulfus Teanum regebat*: & 55. *CXX. Saraceni Urbem Teanensem audenter adierunt*. adhuc ut infra. Et alibi, ut num. 48. De eodem sæpissimè, & Leo Ostiensis. CALENUM: Oh quam perplexè de hoc Scriptores sentiunt! Sunt qui Calenum, & Cales unum faciunt: & sunt qui distinguunt: fortè auditis veteribus veritas elucescet. Memorant *Calenum* Cicero *Agrar.* 2. *c.* 31. *Calenum Municipium*: Strabo 5. 475. *Calenum in primis eximia, adjuncta & ipsa Casilino*: Plinius 3. 5. post medium *Calatiæ*, *Casinum*, *Calenum &c.* Refert quoque Holstenius *in Cluver. p.* 255. nummum antiquum in quo Gallus gallinaceus cum inscriptione *Calenon*. Hic sanè Calenum nomen primitivum, & substans, non derivatum, non gentile, non adjectum, Plinio præsertim, cui solemne nomina gentilia, & derivata in majori numero scribere. Sed Cales habent Cicero *Ep.* 15. *Att. l.* 8. *Capuam Calibus proficiscens*: item *Ep.* 11. *eidem l.* 16. *Cæsar veniens Cales*: Livius 8. 14. ter *Cales* memorat: inter Colonias item Paterculus p. 14. *Cales deducta Colonia*: mittimus Tacitum, Silium, & alios. Calenum & Cales absunt a tabula Peregrinii, qui tamen castigans Falconem Beneventanum, ad A. 1118. constanter contendit, idem esse. Cales ut primitivum, & Calenum, ut derivativum, sive gentile: etsi mittat exempla, en apud Valerium Max. *l.* 3. *c.* 8. §. 2. de Fulvio *Custodias Theanam, & Calenam*: Horatio *l.* 1. *Ode* 20. *Prælum Calenum*: & Ode 31. *Calena falx*. Ejusdem sententiæ sunt Holstenius *in Ortelium p.* 38. Cellarius p. 852 Harduinus *in Plinium p.* 155. *n.* 11. fortè & Isleus in tabula, scribens *Cales*, non Calenum. Nimis pergit Peregrinius, dum subjicit: *vix præter Plinium alium reperies, qui absolutum præferat Calenum nomen*: & prælaudati? Quid est, quod apud Plutarchum *in Annibale p.* 98. b. inter Campanos recensentur etiam *Calentini*, & *Caleni*? Sanè Lexicographi *Calenum*, & *Cales* distinguunt, nec improbare ipsos possumus, etsi rationem distinctionis non afferant. Oritur difficultas ex eo, quod à *Calibus* fit gentile *Calenus*: sed id non tollit, quin Calenum nomen sit primitivum, & proprium alterius Urbis, ejusque derivatum sit Calentinus juxta Plutarchum. Non magni facimus, Cales esse Coloniam Paterculo, Calenum Municipium Ciceroni, cui solemne, Coloniis Municipii honorem tribuere, ut Placentiæ in *Orat. contra L. Pisonem*, quod capere nescit Asconius. Quare cum illis sentimus, qui apud Bodrandum *in Calenum* „ existimant *Carinulam* non esse „ propiè *Calenum* antiquorum, sed potiùs crevisse ex „ ejus ruinis, à quibus 2. milliaribus distat, & sic „ esse *Calenum novum*: „ etenim si Calenum vetus non fuisset, illud non protulissent Cicero, Strabo, Plinius. Quia postea & nunc extat *Carinula* in Magini tabula 51. *Carinola*, 6. m. pass. à mari, & 2. a M. Massico, adhuc contendit Peregrinius *l. l.* hanc non esse vetus Calenum, quod reprobat, sed alteram novam Urbem conditam à Langobardis ante annos 800. consumpto ex casu *Foro Claudii*, quod prius erat *Forum Poplii* Ptolemæi tabul. 6., sive *Populii* Dionysii: novamque Carinulam vocatam fuisse a Langobardis *Calinum*, de quo nihil subjicit, vix dicens, quod male à Nortmannis latinè scribentibus vocatum fuit *Calenum*. Legimus *Calinum* in Erchemperto *num.* 40 ubi ex Landulphi nepotibus *alter Lando Calinum, & Cajazie* sibi tribuit in divisione Capuanæ ditionis: *& Atenulfus cœpit ædificare Castrum in Calvo*, quod Cales vetere. De Calinio iterum idem num. 60. & de *Calvo* numm. 40. 44. & 64. cum Leone Ost. 1. 46. Verùm suppposito, adhuc periisse *Forum Claudii*, perierit & vetus *Calenum*, cui suffectum *Calinum*, nimis enim affinia

sunt

Digitized by Google

sunt nomina, ut ideo rectè, non perperam Scriptores Nortmanni *Calenum* dixerint pro *Calinio*. Probè quidem Peregrinius subjicit, monendo, corruptam esse lectionem Falconis Beneventani dicto A. 1118. dum is de Gelasio II. ejusque comitatu scribit, quod *prosperis ventis mare sulcantes pervenerunt Calenum*. Legatur *Cajeta* ejus patria, quæ ad mare, non Calenum à mari recedens, ut supra. Ad Volturnum accedentes, ibi CALATIA, rectius tamen juxta dialectum Langobardicam *Cajazie*, ex Erchemperto, ut supra, vel *Cajazia*, ut num. 30. De Comitatu Cajazzano Leo Ost. 1. 19. & apud Continuatorem Ostiensis 4. 25. *Robertus Cajatianorum Comes*; dialectus adhuc stat, cum & nunc *Cajazzo*. Nihilominus *Calatia* in tabula Peregrinii. Quomodo in Isleana trans Vulturnum Calatia? AURUNCA sejuncta à Svessa semel vix invenitur apud Festum *lib.* 1. post med. ubi de Ausone dicitur *à quo etiam conditam Auruncam Urbem ferunt*. Hæc ne postea Oppidum illud anonymum de quo Livius 8. 13. *fama affertur, Auruncos metu* (Sidicinorum) *Oppidum deseruisse: profugosque cum conjugibus, ac liberis Svessam commeasse: quæ nunc Aurunca appellata: mœnia antiqua eorum, Urbemque à Sidicinis deletam*? Fuerit itaque Aurunca sive Oppidum illud desertum, sive Urbs illa deleta jam ab A. U. C. 418. & alterutri Svessa suffecta, locum habere nequit in tabulis, adhuc quia situs ignotus, sed tantum *Svessa Aurunca*, ut in Geographia veteri, ad distinctionem *Svessæ Pometiæ* in Latio, sive in Volscis, & ut non male scripsit Anonymus Ravennas pag. 216. *Svesaruntia*, sed medio ævo *Svessa* simpliciter, ut supra annotavimus. Auruncam igitur à tabula nostra delemus.

(126) Peculiarem hic exigunt observationem reliquæ cis Vulturnum Civitates BEREALIS: SICOPOLIS: & CAPUA, de quibus nedum crebra mentio, verum & dissensio apud Historicos Langobardicos. BEREALIS Erchemperto num. 40. (Berelasis: Berolassi legunt alii) sic vocata quandoque fuit vetus illa Capua tanti nominis in Historia Romana, ut ex sequentibus, quæ sanè diu stetit Langobardorum tempore; Etenim *Chronicon* Comitum Capuæ sic incipit: *Landolphus senior tenuit Capuam veterem AA. 25. mensibus 4.* (ab A. 815. ut in subjecta tabula) *& fecit Civitatem novam in monte Trifisco, quam dominatus est A. 1. mensibus 8.* Sed hoc falsum, nam hæc nova Civitas condita fuit *sub Principe Sicone, sicut hoc ipso nomine Sicopolis demonstratur*, ut annotat Peregrinius in tabulam *num. 2.* ex Anonymo Salernitano *part. 2. num. 2.* ut ideo & Sigonius sub A. 856. & alii *Sicopolim* Capuam novam appellent. Certissimè *Sico* conditor fuit *Sicopolis*: nomina evincunt: & Capua nova post mortem Siconis fuit condita: non ergo eadem Civitas. Præmissum ostenditur ex eo, quod is *Sico* Principatum tenuit ab A. 818. (ut post Sigonium h. A. & Peregrinium ad Erchempertum num. 10. etiam demonstrat Pagius sub eodem A. 818. num. 7.) usque ad A. 833. ex duplici Chronico Principum Beneventi, in quibus ei tribuuntur Principatus AA. 15. & menses. Si ergo Sico conditor Sicopolis, quod quam certum (licèt Anonymus Salernitanus *l. l.* Landum, & Landulfum faciat conditores, quod item falsum, ut Peregrinus optimè monet *vota in n. 2. part. 2.*) condita necessariò fuit ante A. 833. emortualem Siconis, sed incertum. Attamen si rectè temporis servat ordinem Salernitanus *part. 2. numm. 1. & 2.* ædificari cœpit Sicopolis post obsessam à Sicone Neapolim, raptumque Corpus S. Januarii, (quod recitat etiam Leo Ost. 1. 20. sed non rectè laudat Erchempertum) quæ sub initium sui Principatus patraverat. Mirum sanè, Johannem Diaconum in præstantissimo *Chronico Episcoporum* Neapolis (C. H. t. 2. p. 2.) à Cl. Muratorio illustrato, nullam mentionem facere de rapina pretiosi thesauri Sacratissimi Corporis, quam facere debebat à pag. 313. a. *in Tiberio* ætate Siconis Episcopo. Silet & Ferrarius *Catal.* 19. Sept. hanc rapinam: à Nuce in *l. l.* Neapolim scribit S. Corpus revectum. At de Sicopoli videatur *d. nota 2. part. 2.* Quo ad *Capuam novam* certum est, hanc fuisse conditam postquam exarserat Sicopolis: ita *in Chronico Comit. Capuæ num. 2.* errore Conditoris sublato: ibi: *Cum autem cremata esset Civitas Capuæ* (corr. Sicopolis) *ab igne, venit* (Lando) *cum fratribus suis ad pontem Casalini* (sive Vulturni fl. ut apud Lexicographos) *& condiderunt Civitatem, quæ nunc est Capua* (nova) Quod Civitas cremata *Sicopolis* fuerit, non Capua vetus, dicta *Berealis*, clarè prodit Erchempertus num. 24. his verbis: „ Hac tempestate (An. 856.) casu, an „ judicio superno actum sit, tota Urbs *Sicopolis* „ igne cremata est, itaut nec una domus remaneret „ inusta, præter Episcopalis Aula. Qua reperta occa„ sione Landulfus Præsul, & Landonulfus germanus „ ejus consilio inierunt, ut deserta angusti montis (Tri„ fici) habitatione ad plana, & præclara campestria „ descenderent ad commanendum. „ Et hic num. 25. narrata altercatione hac super re, subdit, quod *duo prædicti Viri cœperunt ædificare murum juxta pontem, qui vulgo Caselinum dicitur. Quorum opera, ut prospexit Lando* (qui opponebat) *illicò abiit, ac mirificè perfecit ædificare Urbem. Ut autem munita est, & habitari cœpit, supervenit Guido* (Spoleti Dux hujus nominis I. de quo num. 112. fuit sermo) *cum universis Tuscis, & obsedit eam*, ac obtinuit, cum aliis Oppidis, ut ibi dicitur. Eadem scribit Ignotus Cassin. num. 16. *Ob scelera commorantium* (Sicopoli) *crebrò eorum Urbs incendio cremata est . . . . . ad Casolini pontem* construunt Civitatem, quam Ludo *secundam vocitabant Romam*. Equidem & vetus Capua (Berealis) fuit cremata circa A. 842. consequenter ante Sicopolim, quando nempe exorto acri dissidio inter Principes Radelchisum Beneventi, & Siconolfum Principem Capuanum Siconis filium, ut narrant Erchempertus num. 16. & laud. Ignotus num. 8. *Radelchis* (is ait) *per Barensem Pandonem Gastaldeum in auxilium sibi transmarinos invitabat Saracenos . . . . . Radelchisus Beneventanus cum his totam devastavit Siconolfi Regionem* (NB) *Capuamque primariam redegit in cinerem*, Capuam nempe veterem, nondum condita nova. Fas est ideo castigare Ostiensem 1. 31. quod neglexit suus Annotator à Nuce. Scribit: *cum ob facinora commorantium Capua, quæ & Sicopolis* (hoc falsum ex præmissis) *quæ in M. Trifisco* (Sicopolis non Capua) paulo ante 15. annos *ædificata fuerat* (ergo in sensu Ostiensis A. 841. demptis 15. ab A. 856. quo condita Capua nova) sed id quoque falsum, Sico enim conditor jam obierat: nec error in num. 15. qui literalis est, sicut in Codice Laureti Neapoli 1616. Sigoniu sub A. 856. habet ante annos XXV. nec fortè male: hoc enim modo Sicopolis condita fuisset A. 831. adhuc Sicone vivente: verum & huic tempori refragantur & Chronographus Comitum Capuæ, & Anonymus Salernitanus, qui post obsidionem Neapolitanam scribit Sicopolim inchoatam, si tamen utrique hac in re fides habenda, cum errent in cæteris: pergamus cum Ostiensi.) Cum Sicopolis *ab igne sæpe cremaretur* (semel pro semper ex prælaudatis) *consilio habito Lando Comes* (qui primò ædificationi adversabatur) *& Landulfus Episcopus* (item Landonulfus) *cum cæteris propinquis suis apud pontem illum Casulini, sicut hodieque cernitur, construxerunt: A. D.* 856. hic rectè. Castigandus est quoque Chronographus Vulturnensis, qui p. 392. a. errat cum Chronographo Comitum Capuæ, utroque scribente Sicopolim conditam à Landulpho Comite. Sed is illum corrigit in annis, dum rectè Vulturnensis scribit Landulfum incoluisse Sicopolim per AA. 3. ab A. 841. non A. 1. mensibus 8. juxta Chronographum Comitum Capuæ. Quod defuncto, Lando filius eandem incoluit AA. 13. & tunc fuisse exustam. Sic his collectis efficiuntur AA. 856. ex quibus item corrigitur Ostiensis in annis XV. qui non enumerandi à Sicopoli condita, sed à trienni incolatu Landulfi, ab A. 841. ut Vulturnensis scribit. Tria igitur sunt tenenda non confundenda. I. *Capua vetus*, dicta medio ævo Berealis, quæ vox Langobardica, significans fortè sedem Principis, ut quondam nos legisse meminimus, & de cujus antiquo situ extat Peregrinii Italicus discursus à p. 240. (C. H. t. 5.) eundemque indicat Holstenius in Cluv. p. 251. hoc pacto: „ *S. Maria di Capoa* „ vocatur totus ille vicus admodum populosus, qui nunc „ in veteris Capuæ ruinis habitatur. *S. Maria delle* „ *Grazie* Ecclesia est una, quam in veteris Cathedra„ lis ruinis, vel potius juxta ruinas nescio qui Mo„ nachi nunc ædificarunt. „ Locata porrò erat ad lævam, sive ad austrum Vulturni, qui medius inter Cales, & Capuam ex Livio: 3. milliaribus distans ab amne juxta Asconium: rectius stadiis 19. juxta Strabonem, omnes laudatos à Peregrinio *d. discursu*, & 12. milliaribus à mari: rejectis ab eodem Annio, & Stadio. Rejiciendus itaque Maginus, qui tab. 51. *S. M. & Refisico* (si hic intelligit S. Mariam, & Trifiscum) ad dexteram locat Vulturni. II. *Sicopolis* in M. Trifisco à Sicone condita A. 856. in quo omnes ferè consentiunt, qui mons juxta Holstenium *l. l. p.* 250. erigitur 2. m. pass. supra Capuam novam, sive Casilinum: inquit ex Ostiensi: *in quo Sicopolis Campanorum refugium olim situm fuerat*: idemque ac *Tifata* veterum, in majori numero (ideo Trifiscus nomen ævo medio corruptum) de quibus pluries Livius, Paterculus, Silius, Dio, & alii apud Cluverium p. 1178. edit. 1. & Cellarium p. 851. Lipsiæ. Montium jugum est imminens antiquæ Capuæ ex Dione p. 195. à Vulturno amne in ortum solis brumalis tendens, Capuæ ruderibus, Casertæ Ur. i, aliisque locis proximum. Mons S. Agathæ: aliis S. Nicolai apud à Nuce num. 813. nunc mons Capuæ Alberto, & Ortelio *in Thesauro*. III. *Capua nova*, de qua supra, & tot Historici abundè loquuntur. Nos hic solum observamus, Constantinum VII. cognomine Porphyrogenitum *de Administrando Imp. cap.* 27. fœde igno-

rasse

Digitized by Google

esse annum Capuæ conditæ. Scribebat hunc suum Librum A. 949. ut num. 130. probabimus. At dum hæc scribens ait, *ex quo autem hæc Capua constructa fuit, sunt anni* 73. deficit in annis 20. Etenim ab A. 856. quo condita ad 949. sunt anni 93. Rectè hic errorem textus Græci Κάπαντλω corrigit Cl. Bandurus sic Καπυαν νεαν, *Capua nova*, sed oblitus est emendare annum 73. quem esse 93. doctissimus interpres certissimè novit. Et hic quidem finis naturalis Gastaldatus Capuæ ad ortum, ubi Vulturnus amnis: at non civilis, quoniam adhuc trans amnem alia loca huic Gastaldatui accensebantur, ut CASAMIRTA, dum in divisione Capuanæ Dynastiæ facta inter Landulfi nepotes apud Erchempertum num. 40. *Pandonulfus Urbem Teanensem, & Casamirtam acceperat*: quam jam (ut supra num. 28.) idem *Landulfus frater Landenis* Pandoni nepoti eripuerat, *Casamirtam cepit: sed superveniens Pando* &c. & item num. 30. Nunc per syncopen *Caserta*, medio ævo condita, cum de ea nulla mentio apud veteres. SVESSULA inter Acerras, & Aversam, ut apud Lexicographos h. V. idem nomen servavit adhuc medio ævo, & ad Capuanos spectasse ostendunt Erchempertus *numm.* 23. 27. 40. & 72. ac Ignotus Cassin. num. 7. Extat recens *Castrum Sessulæ* in ejus ruderibus. VULTURNUM ad ostium amnis cognominis, & ad lævam: nunc *Castel a mare di Volturno*, idest amnis, quem nunc Vulturnum, nunc Casilinum vocant etiam antiquiores. Quin imo & ipsa nova Capua Casilinum etiam hodie est Lexicographis.

(127) Supra Gastaldatum Capuæ ad boream, inclinantem in ortum cum Apennino, constitutus fuit sæculo VII. GASTALDATUS ALCZECI, de quo scribentes Paulus *lib.* 5. *cap.* 29. & Co-lector *Historiæ Miscellæ* inter se contrarii videntur; is enim Pentapolim tantum incoluisse: ille verò in Samnio obtinuisse Regionem, sive Gastaldatum significant. Ut antilogiæ tollantur, nec non dictis unius suppleantur defectus alterius, utrumque exscribere oportet. Quæ prodit Auctor Miscellæ *lib.* 19. *pag.* 601. (C.H. t. 1. p. 138.) cui ignotum etiam nomen *Alczeci*, sive *Alzeconis* Paulo, sumpsit ex Nicephori Patriarchæ *Breviario historico*, ubi pag. 101. edit. Paris. 1616. Petavio interprete, hæc leguntur: „ Ad Mæotidem Paludem juxta Co„ phinem fluvium sita est magna Bulgaria, & quæ „ Contragorum gens dicitur ejusdem cum illis gene„ ris. Porrò Constantini tempore (corr. Constantis II.) „ qui in Occidente periit (Syracusis A. 668.) *Cura*„ *tus* quidam gentium illarum Princeps ex hac vita „ discedens V. filios reliquit, quibus hoc testamento „ præcepit, ne seorsim à se invicem habitarent, quo „ imperium communi concordia stabilirent. At illi, „ paternis mandatis neglectis, paulo post sejuncti „ sunt, adeout suam quisque populi partem abdu„ ceret. „ Quia sinè ordine (ut & in Miscella) pergit Nicephorus, nos ordinatim ejus filios prodimus, interposita lectione Miscellæ. I. Bajanus (*Butbajas*) qui in patrio solo constitit. II. Cotragus (*Contaragus*) trans Tanaim sedem posuit. III. Asparuch trajectis Danaprin, & Danastrin, ad Danubium consedit. IV. Anonymus in Pannonia cum Avaribus fœdus init. V. *in Ravennatem Pentapolim* (haud procul ab Urbe Ravenna in Pentapolim) *delatus, ac Romanorum vectigalis factus est* (sub Christianorum imperio factus est) Sed hæc levia discrimina. Graviora quidem apparent inter Nicephorum, & Paulum scribentem *l. l.* quod Alczecus non in Pentapolim perrexit, sed ad Grimoaldum Regem, nempe Papiam, *ei se servituram, atque in ejus Patria habitaturum promittens*. Quem Rex *ad Romoaldum filium suum Beneventum dirigens, ut ei cum suo populo loca ad habitandum concedere deberet, præcepit*. Posteriora hæc ignoravit Nicephorus, sicut fortè priora, gentisque novæ in Italia Paulus, etsi ejus ætate Bulgarorum jam nomen in Europa, & in Italia vulgatum ex Cassiodoro, ut mox. Primò tamen solùm auditum ex Marcellino Comite in Chronico *Jobanne Gibbo Cos.* hoc est, A 499. ubi: *Aristus Illyricianæ ductor militiæ cum* 15000. *armatorum, & cum* 520. *plaustris armis ad prœliandum necessariis oneratis, contra Bulgaros Thraciam devastantes progressus est. Bellum juxta fluvium Zurtam consertum, ubi plusquam* 4000. *nostrorum aut in fuga, aut in præcipitia ripæ siccæ, & sinè flumine interempta sunt. Ibique Illyriciana virtus militum perit, Nicostrato, Innocentio, Tanco, & Aquilino Comitibus interfectis*. Hinc victoriis elatos Bulgaros Syrmium adhuc occupasse in Illyrico occiduo, cognoscimus ex Cassiodoro in Chronico *Cetbeo Cos.* (A. 504.) dum inquit: *virtute Theoderici, victis Bulgaribus, Syrmium recepit Italia*, quia scilicet Præfecto Prætorio Italiæ tunc accensebatur Illyricum. Nos itaque docet Nicephorus *l. l.* & Theophanes coævus sub A. 9. Constantini IV. Pogonati *t.* 6. *Hist. Byzantinæ p.* 297. ubi primò Bulgari incoluerint, scilicet ad Pontum Euxinum, & ibi erat magna Bulgaria circa flumen Volgam se porrigens, ac conterminà *Patzinacitis* morantibus circa flumina *Danaprim* medio ævo, dictum olim *Borysthenem*, nunc *Dnieper*, & *Danastrim*, cujus meminit Jornandes *de Reb. Get. cap.* 5. ineunte. De reliquis Constantinus Porphyrog. *de Administr. Imp. capp.* 5. 8. & 37. Harum itaque gentium Duci Alczeco tradidit Romoaldus Beneventanus Samnii partem, ut infra. Cæterum an Peregrinius *Dissertat.* 7. *pag.* 197. a. Nicephorum, & Paulum dissidentes satis conciliet, Cl. Blancus in Paulum *l. l. nota* 118. nos prævenit. Tantùm subjicimus, quod Alczecus, ut per ditionem Langobardicam migraret indemnis, prius Regem Grimoaldum, fortè Papiam, adire debuerat. Tunc igitur Langobardis se addixerit juxta Paulum: contra ut in Samnium profecturus per Pentapolim commodiùs transiret, & Græcis se quodammodo obstrinxerit, juxta Nicephorum: ab alterutro defecisse consequitur. Et si missus in Samnium, ut auxiliariis suis copiis Romoaldum arma illaturum in Græcos (quia Ignotus Cassin. n. 3. Alczeci adventum, & victorias Romoaldi conjungit) quomodo è Pentapoli Græcorum potuerit cum suis discedere incolumis? Quæ sobriè refert Ignotus Cassin. referuntur ad gesta Romoaldi, de quibus paulò largius scribit Paulus 6. 1. ejus mortem immediatè subnectens. Serius ergo ea gesta post mortem Constantis, Grimoaldi Regis, Bertarido, & Cuniberto simul regnantibus: non tamen ita serò, ut refert Sigonius sub A. 695. quo jam obierant & Romoaldus, & ejus filius Grimoaldus. Ante A. 681. Romoaldum gessisse, quæ Paulus, & Cassinensis produnt num. 143. ostendemus. At quomodocunque Alczecus cum suis in Samnium se contulerit, certum est, quod Dux Romoaldus *eisdem spatiosa ad habitandum loca, quæ usque ad illud tempus deserta erant, contribuit, scilicet Sepianum, Bovianum, & Iserniam, & alias cum suis territoriis Civitates*, ut Paulus subjicit. Hæ porrò tres Urbes nobis satis indicant, hunc Gastaldatum constitutum, ubi antiqui *Pentri Samnites* trans Apenninum, ut ex Livio 9. 22. ibi: *inde victor exercitus Bovianum ductus: caput hoc erat Pentrorum Samnitium, longè ditissimum, atque opulentissimum armis, virisque*, & medio ævo desertum. Modò in hoc Pentrorum tractu *Comitatus Molisii* describitur Quoniam verò Paulus tres tantum Urbes prodit, & *alias Civitates* reticet, harum ambitum solum definimus ex notis, quibus ex conjectura poterunt proximiores adjungi. Et primo has inter AUFIDENA quæ ad Caracenos spectabat, & ad fontes Sangri est locata: attamen destituti teste, & ratione nil certi affirmare valemus. Si tamen fides habenda Peregrinio ad *Diss.* 7. *num.* 9. annotanti, „ ad „ Trinii, & Sangrii ripas Comitatum Æsernienſem „ (qui ad hunc Gastaldatum pertinebat) „ sub posterio„ ribus Langobardis, *ex antiquiori etiam institutione* „ productum fuisse: defixisque marmoreis columnis ab „ ulteriore Regione diremptum, „ probabilissimè ad hunc Gastaldatum spectaverit. Utique *Aufidena* & medio ævo appellata, ut apud Paulum 2. 20. Certissimè contra in ambitu hujus Gastaldatus existit S. VINCENTIUS de Vulturno, illud nempe celeberrimum Cœnobium Diœcesis Æsernienſis ab Æternia 8. m. pass. distans, & ad fontes Vulturni conditum à tribus nobilibus Viris Langobardis Paldone, Tasone, & Tatone, exeunte sæculo VII., ut ex suo Chronico (C. H. t. 1. p. 2. Leone Ost. 1. 4. Ughello *t.* 6. *à col.* 458. Lubin *Notitiæ* p. 431. b. &c. SAMNIUM non Regio hic, sed Urbs ut scribit Paulus 2. 20. *antiquitate consumpta Samnium, à qua tota Provincia nominatur*. Item apud Anonymum Ravenn. p. 221. *Samnum*, quod aliter interpretatur Annotator, Paulo inconsulto: nec intellecto à Cluverio *l.* 3. *c.* 7. quem ideo castigat Peregrinius *Diss.* 8. *p.* 189. b. pluries namque Chronographus Vulturnensis scribit de situ sui Cœnobii *in loco Samniæ finibus Beneventanis, & Castellum Samniæ* pagg. 480. 481. 491. & alibi. ÆSERNIA, sed Paulo 2. 20. *Hisernia*, & Erchempetto n. 48. *Isernia Bovianum* ut antiquitus, ita & medio ævo, nam *Castrum Bovianum* cum Isernia, & Svessula captum, & combustum, apud Erchempertum d. n. 48. A. 880. & supra n. 29. *Guandelpertus Bovianensis Castaldeus*. SEPIANUM: attamen eidem Erchemperto num. 79. *Sepinum*, ubi Guido Spoleti Dux *cum Saracenis in Sepino castrametatis pacem fecit* A. 880. Ita & antiquiores: nunc *Sepino*, lectionem Pauli tenemus. Hic addi posset TRIGENTUM in verbo Peregrinii, ut supra diximus in *Aufidena*, nam & ipsum est ad ripam Trinii prope fontem quo usque extendebatur Æsernienſis ditio: de eo Lexicographi *in Triventinum*, sed medio ævo *Trigentum* Leoni Ost. 2. 67. quod fortè idem ac *Castrum Trebentense* (al. Trebetense) Erchemperto num. 39. Plura de Alczeci Gastaldatu dare non possumus, quia nec plura suppeditat Chronographus

phus Vulturnensis, qui pag. 401. a. mera & integra verba Pauli transcripsit. Bulgarorum reliquiæ ibi supererant adhuc ætate Pauli: definit enim de eo scribere *d. l.* 5. *c.* 29. dicendo: *qui usque hodie in hiis, ut diximus, locis habitantes, quamquam & latinè loquantur, linguæ tamen propriæ usum minimè amiserunt*. Gastaldatum in eadem gente quadam speciali ratione fuisse perpetuum ostendit in hunc locum Cl. Blancus.

(128) Supra Gastaldatum descriptum alter amplior erat, dictus GASTALDATUS TEATENSIS, sive Theatensis, ubi antiquiori tempore inter *Aternum*, & *Frentonem* amnem jacebant *Marrucini*, & *Frentani*, hi ad ortum, illi ad occasum, medio *Sangro* sejuncti: modò ibidem *Aprutium* citerius, subterque Comitatus *Molisii*. Provincialis igitur erat is Gastaldatus, urbes namque plures complectebatur, ut ex Erchemperto num. 5. intelligimus. Etenim gravibus exortis diffidiis inter Francos, & Grimoaldum Beneventi Ducem, Aragisi filium circa A. 801. *Tellures Theatensium, & Urbes à dominio Beneventanorum tunc subtractæ sunt usque in præsens*. A Teate Urbe primaria Gastaldatus huic cognomen factum non est ambigendum. Fines jam præsensimus juxta veterem Frentanorum maximè positionem, suas hi tamen patiuntur difficultates, ut mox. Igitur ab *occasu* fuisse Aternum, sive Piscariam, ubi idem finis orientalis Piceni Spoletani, satis probatum remanet num. 120. A *borea* mare superum: ab ortu *Tifernus* ne, an *Frento* amnes? Nisi fines civiles, & novi variant naturales, & veteres, hi non sunt immutandi; at nulla ratio civilis suadet, esse Tifernum, sed potius Frentonem, hunc ergo statuimus ab ortu. Namque certum est, veteres Frentanos usque ad Frentonem, à quo sunt cognominati, fuisse protensos. Apuli sanè hi non erant, nam *Apuli usque ad Ferentanos*, ut definit Strabo *lib.* 6. *pag.* 565. quin imo supra *lib.* 5. *pag.* 482. *Ferentani Samnites populi*: clarius in textu Græco Φερεντανοὶ Σαυνιτικὸν ἔθνος *gens Samnitica*: & infra pag. 484. ab Apulis distinguuntur: ibi: *Samnium est usque ad Ferentanos, & Apulos*. Hinc rectè Ptolemæus 3. 1. Larinum, inter Tifernum, & Frentonem, Frentanis attribuit, non Apulis. Dissentit quidem suo more Plinius, quia Augusti sequitur divisionem, dum *l.* 3. *c.* 12. Frentanos usque ad *Tifernum* solum perducit. Verùm non sibi constans, & largior *cap.* 11. supra jam ad Frentonem perduxerat: pergens enim ab ortu ad occasum scribit: *flumen portuosum Frento: Teanum Apulorum: itemque Larinum: Cliternia: Tifernus amnis: inde Regio Frentana*. Ex adverso paulò infra *Larinates cognomine Frentani*. Numquid duplex Larinum, unum Frentanum, alterum Apulum? haudquaquam. Si fuisset, annotasset Harduinus, libenter loca multiplicans. Ibi p. *168.* n. 9. annotat, Larinates „ à Frentone amne, de quo „ proximè ante: unde *Urbs primaria Frentanorum Larinum* dicitur apud Caton. in excerptis *Origin. pag.* „ 136. „ Nos magis solicitat Peregrinius *Diss.* 7. *pag.* 186. a. ibi enim differens de finibus Ducatus Beneventani ad Septentrionem, quodammodo statuit duos fines & huic Gastaldatui ad ortum, unum in ora maritima usque ad *Tifernum* amnem, alterum in mediterraneis usque ad fluvium *Trinium*. Primum affirmat innixus verbis Falconis Beneventani ad A. 1137. ubi Lotharius II. *Flumen Piscariæ adveniens . . . . . inde flumen illud transiens, Civitatem Termulensem, & illius Provinciæ Comites obtinuit, & inde amoto exercitu, Apuliam ingreditur*. Verùm primò nullum finem inter Apuliam, & Teatensem tunc Marcham innuit hic Falco: silet alios interpositos amnes Sangrum, Trinium, Frentonem. Quid inde? Sunt adhuc tempora distinguenda. Potuit quidem sæculo XII. esse Apulia cis Frentonem usque *Termulas* (Termini) & amplius prolata, jam enim ab uno integro sæculo eam Normanni occupaverant, finesque perverterant, & produxerant: & ita ne medio ævo? Nedum illi cis Frentonem, & cis Tifernum, verum usque ad Trinium, occupato *Trigento* ad fontem Trinii, Apuliam suam protraxerunt, quod dignoscitur in divisione Ducum Normannorum apud Leonem Ostiensem 2. 67. Facilè planè infimo ævo idem nomen Urbis, vel Oppidi servari potuit, ut medio: sed finis idem difficile, præsertim ubi novi Principatus (ut ibi à Normannis) inducti. Pergit Peregrinius dicendo: „ in „ mediterraneis ad fluvium Trinium pervenisse videtur (ditio nempe Beneventana, & consequenter alteruter ex Gastaldatibus ibi positis.) „ Siquidem ad hujus „ fluenta Princeps Grimoaldus eodem hoc bello (cum „ Francis A. 801.) quo Theatensium tellures, & Urbes „ amisit, Pippino Italiæ Regi, Caroli M. filio fortiter „ restitit, ut *Anonymus Salernitanus tradit in Historia* „ *nondum edita*: ibique situm *Tribentense Castrum*, „ utpotè in confinio, amissum, receptumque varia „ fortuna legimus in Erchemperto num. 39. „ Fatemur sensum Peregrinii hic nos non capere, dum loquens de ditione Beneventana indistinctè, quomodo hanc solùm usque ad Castrum Tribentense producat, quando *tellures*, sive Gastaldatus Teatensium (qui portio Beneventanæ ditionis, sive Provinciæ) longius, latiusque proferebatur, eodem hic infra patente, hinc *usque ad Piscariam*, ubi *Teate* oræ maritimæ proxima, inde ad *Termulas* item in ora maritima, & ad ostium Tiferni; sed ultra usque ad Frentonem pervenisse, saltem medio ævo, liquet ex dictis, eundemque Frentonem limitem fuisse orientalem Gastaldatus Teatensis, huncque ab Apulia disterminantem, quidquid postea evenerit Normannorum tempore, vel prius etiam Francorum, quando ex Gastaldatu Marcha constituta, & à Beneventanis ad Spoletanos translata, ut mox. Tandem ejus finis *ab austro* Trigentum, ultra, vel citra, si ad Gastaldatum spectabat Alczeci, vel non, quod definire non possumus: sed ad Peregrinium superiori numero *in Aufidena* laudatum rem hanc uti disceptatorem referimus, ejusque in fide reponimus. Imperatore electo Carolo M. acre bellum exarsit inter Francos, & Grimoaldum Ducem Beneventi, ut supra tetigimus, de quo loquitur Peregrinius *Diss.* 7. *p.* 186. *a.* tunc Teatensium telluribus, sive Gastaldatu Grimoaldo per Francos adempto, ut ipse refert ex Erchemperto numm. 5. & 6. Adelmo, & Adone in Chronicis: nec non Aimoino *l.* 4. *c.* 90. quorum verba nos dabimus numero sequenti in Urbibus. Causa belli fuit ob denegata tributa à Grimoaldo renuente adhuc Carolo, & Pippino se subdere. „ Hæc ve- „ ro loca à Magno Carolo nostratibus adempta Lango- „ bardis, Ducatui, sive adjacentibus Ducibus Spole- „ tanis, vel commissa fuisse, vel committi consuevisse „ complura declarant antiqua monumenta: de quibus „ etsi hujus non est operis plenius disserere, haud tamen „ omittam, videri Francorum Reges, & qui post illos „ Italiæ Regnum obtinuerunt, ipsumque Carolum stri- „ ctiori quodam jure Spoletanum Ducatum, cæteraque „ postmodum contributa eidem loca obnoxia habuisse „ præ Beneventano, qui memoratis Regibus vectigalis „ tantum fuit. „ Hæc Peregrinius innixus testamento Caroli M. *cap.* 4. *p.* 116. (C. H. t. 2. p. 2.) ubi Ducatus Spoletanus relinquitur Pippino, nulla mentione facta Ducatus Beneventani. At cur, dicemus, cum de Benevento loquemur, num. 132. Hæc dedimus, ut locum habeat conjectura nostra de institutione Marchæ Teatensis, cujus meminere Leo Ost 1. 45. *apud Marchiam in Teate* item 2. 10. *Trasmundus Teatinus Comes, & Marchio*, & plures alii, qui tamen institutionis tempus non innuunt. Bodrandus in *Marchia Teatina* scribit quod *post Ducatus Beneventani extinctionem instituta* fuit A. 851. At quia falsum est, tunc illum Ducatum fuisse extinctum, ut constat ex seriebus Ducum Beneventi, & ex Historiis, suspicamur, Bodrandum capere institutionem Principatus Salerni pluribus ex Urbibus Beneventani Ducatus compacti illo A. 851. pro Marcha Teatensi, saltem quo ad tempus institutionis. Hinc nos contra conjicimus, hunc Gastaldatum fuisse in Marchæ formam redactum, quando à Beneventanis fuit ad Spoletanos translatus, ut supra, nimirum A. 801. vel paulo post, rebus cum Duce Beneventano compositis. Nec longè fortè opinione nostra falleremur, dicendo, tunc etiam hanc Marcham usque ad Garganum montem fuisse prolatam, juxta verba cujusdam Anonymi, quem prodit hic Peregrinius, dum ille scribit quod Carolus *in potestate sua omnem terram tenuit de M. Gargano usque Cordubam Civitatem Hispaniæ*, quasi innuere velit, terras in Apulia cis Garganum non fecisse de Regno, sive alteri attribuisse. Subnectit enim Peregrinius verba Eginhardi scribentis, Carolum „ tributariam reliquam omnem „ habuisse Italiam *usque in Calabriam inferiorem, in* „ *qua Græcorum, ac Beneventanorum constat esse con-* „ *finia*, ac proinde ipsum Ducatum Beneventanum. At sicut Peregrinius hic etiam à sua opinione non recedit, statuendo fines Beneventanos usque ad Termulas, ob rationem ab eo supra adductam, & a nobis expensam, ita & nos ob peculiarem rationem non abimus a nostra, constituendo eosdem fines hujus Marchæ, sicut erant Gastaldatus, usque ad amnem Frentonem. Neque unam alteri, ratione temporum repugnare videmus. Eccur non ante Normannos fines Teatensium producti usque ad Frentonem, exposit ipsorum ævo, citra idem flumen Apulia prolata, & fines Teatensium correpti? Urbes nunc adeamus plerasque maritimas.

(129) Quemadmodum ævo medio amni Aterno fuit inditum novum nomen Piscariæ, sive Piscarii (utroque enim modo scribit Paulus 2. 19. & 20. quod non observavit Cellarius p. 757.) ita & PISCARIA dictum fuit Oppidum fluminis omonymi impositum ostio ad dexteram creberrima est utriusque mentio apud Leonem Ost. & Chronographos Farfensem, Casauriensem amplius, & alios. Infra TEATE, sive Theate in colle non procul ab ejusdem fluminis ripa: nunc *Città di Chieti*. De ea Paulus 2. 20. Leo Ost. 2. 6. & 26. alibique, & laudati Chronographi. Ab ea tellures hujus Gastaldatus denomi-

Digitized by Google

minatæ, ut ex Erchemperto *num.* 5. Ado in Chronico inter AA. 799. & 803. *In Italia Theate similiter Civitas capta & incensa* (à Francis) *atque Roselmus Præfectus etiam ipsius comprehenditur*. Eadem exscribit Chronographus Bertinianus A. 801. subdens, *& Castella, quæ ad ipsam Civitatem pertinebant, in deditionem accepta sunt*. Præter jus Provinciale, amplum adhuc erat ejus territorium usque ad Sangrum protensum, ut in Chronico Casauriensi col. 836. ibi: „ Quidam Comes à Joan- „ ne Abbate in *Teatino territorio inter flumen Sangrum*, „ *& flumen Piscariæ* accepit mille modios terræ in locis „ &c. „ Quare fines notati ad Sangrum sunt territorii, sive Comitatus, vel Diœcesis, quem olim tenebant Marrucini, ut inquit Holstenius in Cluver. p. 141. non Gastaldatus ex prædictis. ORTONA ad litus maris. Leo Ost. 1. 45. *Ecclesia S. Angeli ante Civitatem Ortonam.* Ado ubi supra *Hortona Civitas in Italia in deditionem accepta*: & Bertinianus d. A. 801. idem scribit. Intus ANXANUM bis scribitur ab Anonymo Ravenn. p. 206. hoc ordine: *Aderno* (hoc est Aternum) *Ortona* : *Anxanum*, quod certissimè illud est, de quo loquimur. Paucis interjectis iterum: *Sipontos* : *Anxanum* : *Salinis* : *Aufidum* quod flumen Apuliæ. Igitur alterum Anxanum in Apulia apud Sipontum prope Garganum montem. De primo Plinius 3. 12. *Intus Anxani cognomine Frentani*, non quia in Frentanis, ut censet Ptolemæus 3. 1. sed quia Frentanis confines, sunt enim in Marrucinis, quos cum Frentanis juxta divisionem Augusti locat in eadem Regione IV. Harduinus p. 168. n. 30. notat, dici Frentanos, *ut ab Anxa, quæ Callipolis, in Salentinis eo cognomine discriminentur*. Non ita, quia Plinius *cap.* 11. non scribit Anxani, sive Anxanum, sed *Gallipolis, quæ nunc est Anxa*. Igitur Plinius Anxanos vocat Frentanos, vel ut hos distinguat à *Marsorum Axantinis*, quos memorat in eadem Regione IV. vel ab Anxano Apulo prope Sipontum, etsi illud omiserit. Neque dici potest, alterum Anxanum Anonymi esse *Anxam*, sive *Callipolim*, tum quia, ut prope Sipontum, distat ab Anxa 180. m. pass. & amplius, tum quia Anonymus p. 221. etiam cognovit Anxiam prope Oriam: ibi: *Urias*: *Anxia*: *Mesocoron* &c. Harduinus igitur non novit Anxanum Apulum, quia nec hujus meminit Plinius, nec alter, præter Anonymum: De Anxia num. 134. Ex Anxano variata dialecto factum *Lancianum* nempe præposita l'& mutata x in *ci*: recolantur, quæ notavimus num. 109. In mediterraneis hujus tractus inter Piscariam, & Frentonem suspicamur fuisse Civitatem *Tazze*, cujus meminit Leo Ost. 1. 45. *de Civitate Tazze*. Silet à Nuce. Proximè supra memoratur *Ortona* : & in hoc tractu apud Anonymum p. 206. sunt *Tatiniæ* Annotatori prorsus ignotæ: in Charta Henrici V. apud Chronographum Farfensem col. 574. *S. Johannes in Tazano*, & infra col. 669. ubi ingens numerus Ecclesiarum Farfensibus subjectarum, *S. Johannes in Tezano*, & alibi in *Tazano*: videant viri docti. Trans Sangrum ad mare HISTONIUM, & Istonium adhuc medio ævo: ejus mentio in Decreto Gratiani *dist.* 24. *c.* 3. ubi tamen duplex error: unus, quod rescriptum non est Gelasii, sed Pelagii I. vel II., alter, quod corruptum est nomen Urbis *Stomensis*, vel *Storiensis*: neutrum, sed *Istoniensis*, ut monet Holstenius in *Geographiam sac. p.* 18. edit. Romæ 1666. Hinc *Istonium* scribitur in eadem Geographia p. 57. Amstelod. 1704. *Istonio* etiam Anonymo p. 266. & iterum in Periplo p. 252. nunc *Guasto di Amone*: Vastum. A mari recedit CARENTUM ad dexteram Sangri : *Carentini supernates*, *& infernates* Plinio 3. 12. Trajecto Trinio ad litus TERMULÆ, de quibus supra, & Leo Ost. pluries 1. 56. & *lib.* 2. *capp.* 6. 31. 51. *&* 54. &c. nunc *Termini*. Silent antiquiores, ideo medio ævo excitatæ, fortè ex ruinis *Bucæ*, cui proximæ. DRACONARIA à Lesina in meridiem 10. m. pass. & à Fano S. Severi in occasum 7. juxta Bodrandum h. V. Sed in Magini tab. 53. *Tragonara* 17. m. pass. à Lesina in occasum brumalem, & 8. à S. Severo in occasum æquinoctialem. Neutrum secutus est amanuensis: valde implicita est res. Nam Cluverio, & Peregrinio in tabula *Draconaria ol. Gerio*: ita & aliis apud Cellarium p. 882. Contra Bodrandus *in Gerio* docet esse ad Frentonem in Apulia inter Larinum, & Luceriam, *sed Celsus Cittadinus credit excisum esse funditus, quod rectius subdit*. Scripsimus *Draconariam*, ubi vetus *Gerio* ad lævam Tiferni, ut in I. tabula nostra, & in Isleana: an rectè videant docti conterranei. Certè medio ævo *Draconaria*, nam Leoni Ost. 2. 66. *Jeronimus Civis Draconariensis* dicitur. De Draconaria idem Leo supra cap. 50. & an condita post medium ævum nos infra num. 135. Ad dexteram Trinii amnis 7. m. pass. à Trigento, sive Trivento CASTELLUM DE M. METULO juxta fluvium Trinium, ut innuit Leo Ost. 2. 54. quod in Magini tab. 52. dicitur *M. Mitro*. Infra verò circa fontem ejusdem Trinii BARREGIUM, ut in tabula, seu descriptione antiqui Ducatus Beneventani Peregrinii, quod sæpè memorat Leo Ostiens. a *cap.* 37. *l.* 1. *De Monasterio S. Angeli in Barregio*. Ad fontem Frentonis DECULA, & hic alter nodus, nam dum apud solum Plinium 3. 11. circa finem *Deculani* legantur, Harduinus pag. 167. num. 39. hac lectione rejecta, *Aculani* contra lectionem hactenus semper receptam, legendum esse contendit: hosque *Aculanos*, & sequentes Populos Apuliæ attribuendos, ut diversos ab *Aculano* Ptolemæi, aut Æclano Antonini in Hirpinis. Num id ritè probet, videant Viri docti. Affert Frontinum in Apulia p. 110. cui *Ager Eclanensis*, eadem lege, qua Canusinus. At quot Urbes, quot agri summè distantes, & in diversis Provinciis eadem lege censebantur: contra quot confines, & in eadem Provincia, lege diversa? Insuper hæc *Decula* in Isleana, & in I. tab. nostra ita Frentoni adhæret, ut ultra flumen ejus ager esse in Apulia potuerit. Et si in uno codice legerentur *Æculani*, ergo *Deculani* delendi? Codex ne ille sacer textus? Mittimus, in Magini tab. 53. circa fontes fluminis anonymi, qui verè est *Frento* (etsi Maginus non distinguat Frentonem a Tiferno) legi *S. Maria Decorata* 18. m. pass. à Benevento in boream: & paulò supra iterum *Decorata*, cujus nominis primæ literæ conveniunt cum Decula, sed hæc non curamus, nescientes, an ibi antiqua vestigia appareant. Inter Tifernum, & Frentonem via media propemodum LARINUM, quod, veteri nomine retento, dicitur adhuc hodie *Larina*, nec aliter, ut plurimum, fuit medio ævo appellatum, ut videre est apud Leon. Ost. *l.* 1. *capp.* 56. & 60. & item *l.* 2. *capp.* 6. 54. & alibi. Sed quid *Arenula* apud Guilielmum Apulum *in Poem. histor. l.* 1. *p.* 254. *a.*

. . . . . *Juxta fluminis undam*
Nomine Fertorii locus est Arenula dictus?

Docti Annotatores Tiremæus, & Leibnitius in hunc locum (C. H. t. 5.) id aliis investigandum relinquunt. Eccur non Larinum, de quo loquimur, rejecto articulo *l'Arena*? Sanè Larinum, & Arenula ad Frentonem, qui idem ac Fertorium, nam & infimo ævo *Fortorius* est Blondo *Reg.* 14. *Apuliæ*: Alberto, & Italis Fortore. Larinum idem ac *Arenio* est Antonino in itinere *ab Urbe Brindisium* p. 161. Simleri, sicut & in codice Sigonii: ibi: *Ortona* m. p. . . . . *Auxano* m. p. 13. *Histonios* m. p. 25. Uscosio m. p. 15. ARENIO m. p. 14. *Corneli* m. p. 26. *Ponte longo* m. p. 30. *Siponto* &c. Adjuvat conjecturam nostram Leo Ost. 2. 37 ubi de prœliis Meli pro Normannis loquens, inquit: *tribus itaque vicibus cum Græcis primò apud Arenulam: secundò apud Civitatem* (sic simpliciter dictam, ut mox infra) *tertiò apud Vaccariciam campestri certamine dimicans, tribus eos vicibus vicit*. Nunc si circino distantias locorum, ut supra, in tabulis Isleana, & nostra distantias metimur, in eadem via, inque situ eodem, ac distantia *Arenio*, sive *Arenulam* invenimus ubi *Larinum*. Tiferni, & Frentonis inter ostia ad mare est nunc *Civitas*, ibidemque in Magini tabula 52. *Città a mare*, quam ut recentem, præteritamque ab Ortelio, & Lexicographis, non scribimus. *Civitas* nomine proprio, non appellativo, ea fuit dicta ævo medio, quam supra *l. l.* scripsit Leo Ostiensis: & iterum 2. 50. *Civitas* reparatur: adhuc tertio 2. 67. cum Normanni captas Urbes inter se dividunt, *Gualtero Civitatem* tribuunt. Id fortè primus docuit Holstenius *in Cluverium pag.* 279. sic scribens de *Teano Apulo*, quod in Apuliæ limite ad dexteram Frentonis, 18. m. pass. ab ejusdem ostio recedit: „ Locus ille nunc „ *Civitate* dicitur . . . . . Certissimum est *Teanum* „ (Apulum) fuisse ubi nunc *Città*: nam locus ille an- „ te 300. adhuc annos Episcopalem habuit Sedem Bene- „ ventano Metropolitæ subjectam, unde sæpissimè *Ci-* „ *vitatensis* Episcopus in actis Beneventanæ Ecclesiæ le- „ gitur. Sedes autem inde *ad S. Severum* translata fuit, „ vel potius eidem conjuncta. „ Annuunt Holstenio ex veteribus Gaufredus Malaterra *Hist. Siculæ* 1. 14. de Leone IX. contra Normannos pugnante: *Apostolicus fuga vitæ asylum expetens intra Urbem Provinciæ Capitinatæ, quæ Cimitata* (corr. Città) *dicitur, se se profugus recepit*: ex recentioribus postea Bodrandus in *Teanum Apulum*, & Cellarius p. 881. Blondo, Volaterrano, Alberto, & Magino in tabb. 52. & 53. ad Frentonem, ubi vetus Teanum, nullum nomen, nullum vestigium Civitatis. Solum in tab. 52. *Città a mare*. Utique in Geographia Sacra, & in Samnio Sacro p. 57. *Theatea*, hoc est Teate, sive *Città di Chieti*: at in Apulia Sacra nulla mentio Teani, vel Civitatis. Hæc extra ordinem anticipamus, ne quis capiat *Città a mare* pro *Civitate* Apuliæ, olim Teanum Apulum, de qua suo loco proprio num. 137. ubi, & an fuerit Marsicum vetus. Ad Frentonem pervenimus, Gastaldatum Teatensem ab Apulia disterminantem. Illius præcipua flumina sæpe jam memoravimus, *Piscariam* nempe a medio ævo ex adductis locis Pauli, & Chronographi Casauriensis *coll.* 789. 90. *&* 91. *Sangrum* Paulo 5. 6. & Leoni Ost. passim: *Trinum*

&

Digitized by Google

& *Trinium* eidem Leoni 2. 6. & 51. ac alibi. *Tifernum*, sed etiam medio ævo *Bifernum*, ut hodie, Leoni 1. 56. & 2. 6. *Frentonem* tandem, qui & Fertorium, Fortorium, Fortore, supra laudatis in *Arenula*: nec rectè Magino tabb. 52. & 53. *Tiferno ò Fortore*. Non ultra progredimur, nam de Apulia inter Græcos, & Langobardos partita, alia Sectione num. 135. disseremus. Prius de alia Regione à Ducatu Beneventano sejuncta medio ævo loqui debemus.

(130) Ea est Principatus Salerni, cujus institutio quadam solemniori, & præter ordinem forma fuit peracta, cum, ut prodit Leo Ost. 1. 29. Ludovicus II. *Imperator convocatis omnibus Langobardis totam Beneventanam Provinciam inter Radelchis, & Siconulfum æquo discrimine est partitus A. D. 851.* Hinc corrigendus Constantinus Porphyr. *de Administ. Imp. cap. 27.* qui rerum Italicarum parum peritus, nec à suis interpretibus, & annotatoribus castigatus, prius hæc aliter scripserat. *Salernum*, inquit, *habitatum fuit à Sicardo cum Principatus dividerent Langobardi* (Sicardus filius Siconis à suis occisus jam fuerat) *& sunt in hodiernum usque diem, quæ 7. indictio est A. à C. M. 6457.* (ergo juxta Epocham Græcorum A. 949. quo currebat indictio 7. scribebat, pergit) *à divisa Langobardia anni* 200. (cubitalis error & amplius: corr. anni 98.) *Sico quidem Benevento imperabat* (nondum natus) *Sicardus verò Salernum, Capuam, & partes Calabriæ possidebat*: (uno ex errore centum) Rem totam dilucidè prodit Leo Ost. 1. 25. cujus verba, nonnullis interjectis, in hæc pauciora contrahimus. Sicardo à suis occiso (summè vitiis affecto, ut ex cap. 22.) Radelchis (& Radelchius) Sicardi Thesaurarius (sive Secretarius ex nota b.) in Beneventi Principatu successit (imo contra jus sibi arrogavit Principatum, qui ad Siconulfum Sicardi fratrem spectabat, ut mox.) Tunc erat Gastaldus Capuæ Landulfus vir nequam, cujus causa Radelchis Capuanos exagitabat. Hi, ut se à molestiis redimerent, inito consilio, „ ad „ Siconulfum, qui tunc apud Tarentum exul mora„ batur (illuc à fratre Sicardo missus) se conferunt, „ eumque sibi in Principem eligunt. „ (Hæc circa A. 841. evenere, occiso Sicardo A. 839.) Tunc adeò ingens bellum inter Radelchim, & Siconulfum est excitatum, ut iste ex Hispania, sed prius ille, puta, ex Africa, vel Sicilia Saracenos auxiliares, unus adversùs alterum iniquissimè accierit. Siciliam namque ingressi sunt primò Saraceni An. 820. juxta Leon. Ost. 1. 21. aut 827. juxta Chronicon Siculum (C. H. t. 2. p. 2.) Clades, incendia, strages ubique produnt Historici testes (C. H. t. 2. & 5.) coævi, suppares, post Leo, & alii. Studuit providus Ludovicus Augustus A. 851. res componere, bipartito Ducatu Beneventano inter Radelchim, & Siconulfum, cui Salernum cum parte australi Ducatus obvenit, boreali relicta Radelchi. At Saracenos prorsus expellere optimus Imperator non potuit: quin imo tunc immaniores, & utriusque Principis hostes, *cœperunt devastantes stirpitus deprædare totam Apuliam, Calabriam, & pedetentim Salernum, ac Beneventum depopulari initiarunt, ut apud Erchempertum num.* 20. Chronographum Vulturnensem à pag. 402. b. Leonem Ostiensem, & alios. Nunc quomodo Beneventani Ducatus inter duos Principes fuerit facta partitio, constat ex *Capitulari Radelchisii* Principis Beneventani A. 851. (C. H. t. 2. à p. 260. a.) quo pactum divisionis Principatus Beneventi firmavit cum Siconulfo Principe Salerni. Ibi num. 9. enumerantur Gastaldatus, sive Urbes XVII. Principatui Salerni attributæ. Rectè ad hanc rem animadvertit Peregrinius *Diss.* 8. *p.* 194. b. ex dicto Capitulari, quod „ disci „ haud inde valet, totidem ne, an plures ipse (Ra„ delchisus) sibi reservaverit, vel pauciores. Quo re„ ferendum putassem in jam dicta Siconolfi portione „ nonnulla etiam minorum Oppidorum, locorum„ que nomina simul cum Gastaldatuum nominibus „ fuisse adnotata: videlicet quod ex primæva in„ stitutione ii Gastaldatus minimè illa complecte„ rentur loca. Verumtamen rationabilius dicendum „ judico, ideo seorsim memorari, quoniam reliquam „ Radelchisi partem proximam contingebant: haben„ daque erant veluti expositissimi, firmissimique Sa„ lernitani Principatus fines. „ At nondum satis nos docet Vir doctus, si fines in tabula punctis vellemus decernere. Animadvertimus enim & nos, non tantum Oppida, & loca concessis, sive sejunctis Gastaldatibus adnexa in eo Capitulari sileri, sed neque indicari omnes Gastaldatus sive urbes Siconulfo concessas. Etenim supra laudatus Leo Ost. 1. 29. ex Erchemperto num. 19. prodit quod Imperator totam Beneventanam Provinciam *æquo discrimine est partitus*, & tamen in Capitulari XVII. solum Urbes enunciantur Siconulfo concessæ, quando longè numerosiores sunt, nec inferioris conditionis non recitatæ, quæ ideo Radelchisio reservatæ videntur juxta vulgatum axioma *exceptio firmat regulam*. Sic in Campania, exempli causa, attributæ Siconulfo *Capua*, & *Sora* dicuntur, quæ erant Gastaldatus Capuani extremi fines: at de Urbibus inter Soram & Capuam nulla mentio in Capitulari: quid ergo? Comprehensæ ne integri Gastaldatus Capuani reliquæ Urbes intelligebantur, vel non? Item Siconulfo conceduntur *Compsa*, & *Tarantum*, quarum Urbium distantia est milliarium circiter 140. amplius à Sora Tarantum, & tamen tot Urbes interjectæ in Capitulari silentur. Plures adhuc recensæ in Capitulari sunt oppidò dissitæ huc, illucque veluti disseminatæ in Campania, in veteri Lucania, in Apuliæ finibus, & Calabriæ, ut cognosci nequeat, an interpositæ ad Principatum Salerni attinerent, vel ne. Vix conjici potest, saltem Urbes Calabriæ Langobardicæ, sive superioris spectasse ad Siconulfum (de quibus num. 145) non obstante silentio: siquidem, dum bellum agebat contra Radelchisum, *totam Calabriam*, idest Langobardicam citra Consentiam, *suo subdidit famulatui*, ut prodit Erchempertus num. 15. adhuc tamen propter silentium omninò id affirmare non possumus. Quamobrem nobis impossibile est certos hujus Principatus fines posse statuere, ut patebit ex recensione Urbium, quæ in Capitulari dicto n. 9. enunciantur. Ibidem quidem num. 10. aliqui fines constituuntur, sed tantùm ratione unius, vel alterius Gastaldatus, sive territorii. Quid definiri potest in longitudine à Sora occidentaliori ad Tarentum orientalius? Consultius ideo abstinere censemus, quam incerta, & obscura statuere: contenti Urbes dumtaxat, ordine, quo in Capitulari adhuc scribuntur, recensere, aliisque fines juxta præmissa declarandos, comprobandosque relinquere.

(131) Primò igitur in Capitulari TARANTUM legitur Urbs notissima invariati nominis præter mutatam *a* in *e* secundo loco, nam *Tarentum* scribit Paulus 2. 21. itemque 5. 6. cum Constans Secundus Imperator ipsum appellit: & iterum 6. 1. ubi à Romualdo captum. Tarentum quoque in Adriani *Epistola* 46. qua Carolo significar, quod ibi *Adelberga relicta Principis Archis* Beneventi, idemque Archis *thesauros suos reconditos habuit*. LATINIANUM: ita scribit & Leo Ost. 1. 14. Lexicographis est ignotum: nunc *Altojanni* Peregrinio *Diss.* 8. *p.* 190. b. exeunte: 13. m. pass. à Matera in occasum brumalem, ut in Magini tab. 55. CASSANUM, sed Erchemperto numm. 57. 58. & 60. *Chasanum*: Lexicographis *Cosa*, & *Cosanum*, quod an *Cosilinum* sive Consilinum Cassiodori *var.* 33. 8. juxta Holstenium, & Isleanam, examinabimus num. 134. CUSENTIA, Paulo *ltb.* 13. *p.* 11. ad Eutropium *Cosentia*. Ibi: *Alaricus ..... apud Cosentiam morte subita defunctus est*. „ Gotthi Basentum amnem de alveo suo, „ captivorum labore, derivantes, Alaricum in medio „ ejus alveo cum multis opibus sepeliunt, amnemque „ meatui proprio reddentes, ne quis locum scire posset, „ captivos, qui interfuerant, extinguunt. „ *Cosentia* etiam Jornandi *de Reb. Get. c.* 30. qui prius id prodidit. LAINUS & hodie: *Laus* Lexicographis. LUCANIA, non Regio, sed Urbs: Erchempertus num. 3. *inter Lucaniam, & Nuceriam* Archis Salernum munit. Patria Cassiodori (qui obiit stante Langobardica Oligarchia A. 575.) communiter dicitur, sed ejus patria Scyllacium ostenditur à Joh. Garetio in ejus Vita præfixa Operibus *part.* 1. §. 5. & annus emortualis incertus *part.* 2. §. 52. Obiter hæc non recolimus, sed ut liqueat, nondum ætate Cassiodori factum huic Urbi nomen Lucaniæ a Langobardis, quibus, nisi serò, ut Urbs maritima, potuit accedere. Ejus enim tunc nomen, & diu post, Latinis *Pæstum*, ut inquit Plinius 3. 5. *Græcis Posidonia*, hoc est Neptunia, juxta Paterculum *l.* 1. *p.* 16. ita & Strabo l. 5. circa finem: *Urbs ipsa Posidonia Pæstus vocatur*. At Lucaniæ Urbis mentio prima in hoc Capitulari, sive apud Erchempertum *l. l.* ex quo Leo Ost. 1. 12. idque primò observatum à Peregrinio in sua tabula, & *Diss.* 5. *p.* 179. a. ut fatetur Ang. a Nuce in d. *cap.* 12. *nota* f. qui & ipse unus ex illis, qui dixere Cassiodorum ortum Lucaniæ, sive Pæsti. Attamen doctus Peregrinius hic rectè quidem *Lucaniam* interpretatur, sed ex falsa causa, dicendo, quod de Lucania Urbe, hoc est Pæsto, capiendus „ sanè est Dionysii Scholiastes *Eustathius* injustè à Ph. „ Cluverio in *antiq. Ital. l.* 4. *c.* 14. reprehensus, quod „ aliquam Urbem vocabulo *Lucaniæ* nominaverit. Sanè Eustathius non dixit *Pæstum Lucaniam*, is enim Græcus, & Thessalonicensis Episcopus, nec debuit, nec potuit Langobardica nomina usurpare, nec excitare, jam sua ætate post medium sæculum XII. obsoleta, quo fortè jam huic Urbi primævum suum nomen *Pæsti* (ut & hodie vocatur) fuerit restitutum. Utique Langobardi Pæstum dixerint Lucaniam à Regione Lucaniæ, non enim vox Langobardica est, sed à Græcis attributa Regionibus, & Locis colorem album quodammodo exhibentibus. Hinc Heraclides *de Politia* apud Holstenium in Stephanum *de Urbibus* in

Digitized by Google

Σαμοθρᾴκη p. 280. *Samothracia initio dicta Leucania, eo quod alba sit*: idem ibidem ait Apollonii Scholiastes ex Aristotele. Quare Eustathius eam dixerit Lucaniam, *cujus promontorium* Leucopetra, ut censet Holstenius hic. Et Cassiodorus peritissimus, summæque auctoritatis *Fp.* 33. *lib.* 8. inquit: *frequenti probatione didicimus, Lucaniæ conventu, qui prisca superstitione Leucothea nomen accepit, quod ibi sit aqua nimio candore perspicua* &c. Sed observamus ex Strabone *lib.* 6. ineunte, quod proxima Lucaniæ Urbi, sive Pæsto, & Posidoniæ *Leucosia occurrit Insula parvum ad continentem habens cursum, nomen è Sirenum una sortita*. Idem scribit Plinius 3. 7. *Contra Pæstanum Sinum Leucasia est.* Nunc *la Licosa* Bodrando in *Leucasia*, qui subdit, *ibique rudera multa in mari Urbis quasi subversæ cernuntur*. Cum igitur Insula, & Urbs litori Pæstano penè contigua extiterit, de hac intellexerit Eustathius injustè reprehensus à Cluverio, sed neque trahendus ad Pæstum, sive Lucaniam, ut Peregrinius contendit. Anonymus Ravennas p. 217. scribit *Hares*: *Lucanis*: conjungendas juxta Cluverium: Porcheronus dissentit. Item legimus in Peutingeriana *Nares*: *Lucanas*: utrobique corruptè. Conjungantur, & legatur *Marcellianæ*: Ita Holstenius *in Cluver. pag.* 293. *Marcellianum* porrò est in Lucania prope Pæstum, ut in Isleana, & ut dicemus num. 134. CONSIA etiam Erchemperto num. 4. quam cum aliis duabus funditus evertendam jubet Carolus M. & num. 14. *Ursus Comes Consinus*: utriusque eadem mentio apud Anonymum Salernitanum *part.* 3. *num.* 2. item *part.* 7. *num.* 7. *Compsanam Civitatem* scribit Leo Ost. 2. 11. MONTELLA nunc quoque à medio ævo in Magini tab. 54 à Salerno in ortum æstivum 17. m. passuum. ROTA: in Magini tab. 55. *Ruote* scribitur, 13. m. pass. ab *Oppido* in occasum: hæc ne illa? *Rotas*, & Anonymo Ravennati p. 218. sed hæc in Peutingeriana *segm.* 4 locatur 7. m. pass. ab Æsernia in occasum, ubi nihil Principatus Salernitani observamus: fortè *Ruote* Magini: quamquam enim in tabula Peregrinii scripta sit *Rota*, ita est proxima Salerno, ut videatur potius hujus suburbium, quam Urbis cum territorio Gastaldatus nomine insignita, arctata etiam à proximis Sarno, & Nola ad occasum. Videant docti Salernitani. SALERNUM, de quo Viri docti contendunt apud Cellarium p. 861. an quod nunc extat ad mare sit antiquum Salernum, vel novum Langobardorum opus. Novum esse ibi sentit Cluverius, cum antiquum esset remotum à mari in montibus, qui hodiernæ imminent Urbi. „ Ad „ hæc quærit Holstenius: *quo auctore? nam adhuc bona „ Civitatis pars in acclivi collis latere habitatur.* „ Utique Salernum nunc ad mare: antiquitùs Plinio 3. 5. *intus Oppidum Salerni*. Quod nunc est in ora, tunc nec Urbs, nec Oppidum, sed statio sive præsidium. Annuit Strabo extremis verbis libri 5. *Paulum supra mare Romani Salernum custodiæ gratia munierunt*: audiamus Erchempertum num. 3. Archis „ Francorum „ territus metu (erat Desiderii gener) inter Lucaniam, & Nuceriam Urbem munitissimam, & præcelsam in modum tutissimi Castri idem Archis opere „ mirifico munivit, & nova fabrica reparavit; quæ „ Civitas propter mare contiguum, quod Salum appellatur, & ob rivum, qui dicitur Lirinus, ex „ duobus corruptis vocabulis Salernum appellatur, ut „ esset scilicet futurum præsidium Principibus, superveniente exercitu Beneventum, quam Civitatem sic „ idem Princeps fortificavit. „ Nemo ex laudatis hæc observavit, ex quibus Salernum opus Archis esse videtur: nec eversum, ut jusserat Carolus M. ex eodem ibidem. De cætero etymon prorsus ineptum, nomenque antiquius, ut ex Strabone, Plinio, Ptolemæo 3. 1. &c. Siletur in Capitulari *Marcina* vetus, nunc *Vietri*, 2. m. pass. à Salerno in occasum, quia excisa à Vandalis, ut apud Bodrandum h. V. Fuit tamen ex ejus ruinis excitata recens *Cava*: sed hæc medio ævo vocabatur METELLIANI ad radices Montis cognominis, ex eodem Bodrando h. V. Etiam hæc Marcinæ vastatio contigerit, quando *Gensericus Vandalus cum* 300. *hominum millibus A.* 466. *Romam, Latium, atque Campaniam percurrit*, ut notat Pandulph. Collenutius *Rer. Neap. lib.* 2. *p.* 8. sed rectius A. præcedenti 465. ut ex Prisco Rhetore in excerptis *Hist. Byzant. t.* 1. *p.* 42. SARNUM nunquam transnominatum, ut apud Lexicographos h. V. cujus mentio apud Guilel. Apulum p. 268. b. & in Magini tab. 54. ubi Sarnum 12. m. pass. à Salerno in boream, inclinando ad occasum, eadem positione scribitur in tabula Ducatus Beneventani Peregrinii posthac sæpe laudanda. CIMITERIUM ita scribitur in Capitulari, non Cœmeterium Κοιμητήριον, ut scribi deberet: ita & Erchempertus num. 2. *diaria in Liburia, & Cemiterio*. Quænam Urbs esset, indicat Peregrinius *Diss.* 5. *pag.* 177. b. ibi: „ Sarnum, & Cimiterium, idest *Nolam*, hoc etiam „ celebriori tunc vocabulo demonstrari consueram: „ Et infra p. 179. a. „ Estque nunc Nola, quæ haud „ alio, quam hoc nomine dicta olim fuit: sed me„ dia ætate *Cimiterium* nuncupata reperitur &c. „ Verum Erchemperto num. 41. *Nola* etiam dicitur. At cur Cimiterium? Silet Peregrinius, nec nobis nunc otium est id inquirendi. Sanè ineunte sæculo V. nondum hoc nomen emersum, quod non reticuisset Sanctus Paulinus Nolanus Episcopus in suis saltem Poematis à Cl. Muratorio abundè illustratis *Anecdot. t.* 1. ubi plura, adhuc plusquam profana, de Nola. Hujus rerum Scriptor Ambrosius Leo id fortè aperiet: extare in Ambrosiana meminimus. Verùm quidem est, quod pergente sæculo VI. ætate Justiniani fit mentio *Cymiterii* in Miscella *lib.* 16. *p.* 107. Post scripta, viso Leone, is *lib.* 1. *cap.* 14. *p.* 19. b. prodit, quod conversis Sacerdotibus Templi Apollinis per verba *S. Felicis* junioris sub Nolæ mœnibus, dicatoque Templo eodem vero Deo, ac dejecta falsi Apollinis imagine, in eo *Oratorium constitutum est, quod nunc* (A. 1514.) *Cœmeterium vocant*. Eadem repetit *lib.* 2. *cap.* 13. *p.* 37. nec plura, nec medio ævo Urbem fuisse dictam *Cœmeterium* ipse novit. Tantùm subnectit, hunc *Felicem* juniorem vixisse sub Diocletiano, non Martyrem: fratremque majorem habuisse item nomine *Felicem* seniorem ideo dictum, & Martyrem, cui *Adauctus* socius fuit, ut ex Martyrolog. 30. Aug. FURCULUM (al Furculæ) hoc est *Caudium*, ut rectè inquit Peregrinius *d. Diss.* 5. *p.* 177. b. *dictum alio nomine Furculum*: jejunè nimis. Frequens mentio apud Leon. Ost. *in Caudis*: *in Forcle* 1. 18. Item *Vallis de Caude, & Caudinæ l.* 1. *capp.* 19. 36. 39. Et *S. Benedicti de Caudis* 1. 58. Nullibi quid hucusque notat à Nuce: solum in Continuatorem 4. 108. in illud *per furcas Caudinas* K. „ distant Benevento 12. m. pass. ubi Samnites sub ju„ gum Romanos transire coegerunt. Nunc vocatur *lo „ stretto d'Arpaja*. Nam Arpaja vicus est proximus. „ Testatur Holstenius *in Cluver. à p.* 266. vidisse in vetustissimo codice Vaticanæ, in cujus margine scriptum: *Forculæ Caudinæ locus est in medio inter Beneventum, & Argentium, ubi dicitur Arpadium in Valle Caudina.* Prosequitur: „ Ego autem cum ipse postea lustrarem „ hæc loca, ex lapidum antiquorum inscriptionibus „ certò cognovi, Caudium eò fuisse loco, ubi nunc „ Arpaja vicus est. Furcas autem Caudinas in saltu „ angusto, & difficili, quo ab Arpaja descenditur „ Argentium, præsertim sub pago, cui etiam nunc „ vulgari Italorum lingua nomen *Furchie* est, quas „ antiquorum Furculas esse nullo modo dubitari po„ test: & per hanc vallem, sive saltum Appia duce„ bat. Quod præter alia argumenta testantur lapides „ milliarii, & veteris viæ vestigia isthic à me dete„ cta. Nam præter inscriptionem Caudinam à Bene„ ventanis positam ad Arpajam, vidi ipse, & de„ scripsi columnam milliariam sub dicto pago *Furchie* „ ab Augusto Imp. positam cum numero XVI. quod „ verum intervallum est inter Capuam, & Caudium. „ Neque Cluverius satis perspexisse videtur situm, „ naturamque montium, qui vallem Caudinam am„ biunt, dum Appiæ ductum per longas, & difficiles „ vallium ambages circumducit. „ Holstenium exscripsimus, & quia codex rarus, & quia clarius in tabula, ubi ARPADIUM innotescat, ubi Forculum. Subjiciuntur in Capitulari *Capua*: *Teanus*: *Sora*, de quibus diximus, cum de Urbibus Gastaldatus Capuæ numm. 125. & 126. Ultimo loco dicitur: *& medius Gastaldatus Acerentinus* (non ab Acerris, sed ab Acherentia, sive Acherontia) *qua parte conjunctus est cum Latiniano, & Consia*, ut iterum dicitur in Capitulari num. 25. Amplus Gastaldatus is fuerit, ut confinis Territoriis Latiniani, & Consæ. Est Acherontia in confinio Apuliæ inter Bradanum flumen, & Apenninum, ubi is in duo ramenta, sive cornua scinditur, quorum unum in Apuliam, alterum in Calabriam defertur. Propter hanc divisionem Gastaldatus Acherontini suspicamur, Provincialem eum fuisse, & complectentem alias Urbes, quas conspicimus circumpositas, at nihil decernere possumus. Videmus igitur Urbes, quas Siconulfo cessit Radelchisus huc, illucque dispersas usque in Calabriam, ubi Cosentia, & limes inter superiorem, & inferiorem: ut si diceretur, cæteras Urbes cis Cosentiam Principi Salernitano cessisse, dici quoque deberet, eidem totam Calabriam Langobardorum cessisse, superiorem nimirum, quoniam inferior juris erat Græcorum. Porrò si alibi, ut præcedenti numero observavimus, fines quodammodo statuere vellemus inter utrumque Principatum Beneventi, & Salerni, non aliter id possemus præstare, nisi ducto parallelo, sive climate à Sora Tarentum 20. m. pass. declinante à Benevento in austrum: hi namque vix fines in Capitulari numer. 10. sic præscribuntur: „ *Inter „ Beneventum, & Capuam* sit finis ad Sanctum An„ ge-

Digitized by Google

„ gelum ad Cerros, perexiens per Serram montis „ Virginis, usque ad locum, qui dicitur Fenestrella. „ *Inter Beneventum, & Salernum* sit finis in loco, qui „ dicitur ad Pelegrinos, ubi ex antiquo 10. milliaria „ sunt per partes. *Inter Beneventum, & Consiam* sit „ finis ad ipsum Staffillum ad Frequentum, ubi ex an- „ tiquo 10. milliaria sunt per partes. „ Alibi nihil decernitur: satis igitur de Principatu Salerni.

(132) Ducatus Beneventani veluti à tribus descriptis Gastaldatibus, & à Principatu Salernitano sejuncti, reliqua nunc ex num. 123. resumere oportet. Seorsim porrò ita sumptus duas Regiones complectebatur sine consortio Græcorum, nimirum, & claritatis causa, *Samnium*, quod nunc est Principatus ulterior, & *Lucaniam*, modò Basilicatam. At tres obtinebat una simul cum Græcis *Campaniam* sive Terram laboris, in qua erat etiam *Liburia*, ubi & Ducatus Neapolitanus Græcorum; *Apuliam*, & *Calabriam* Græcos inter, & Langobardos partitas: à Samnio exordimur. Ibi BENEVENTUM sedes Ducum, &, ut inquit Paulus 2. 20. *harum Provinciarum caput ditissima* (Urbs) *Beneventus*. Quot quot res Langobardicas scripsere, Beneventi fortunas, & vicissitudines affluentissimè produnt. Sanè ejus Dux, stante Langobardico Regno, cæteris dignitate, & potentia præstabat, qua præstitit adhuc Regno sublato, ex Duce Princeps tunc dictus, ut apud Erchempertum num. 3. suppletum ex Leone Ost. 1. 9. ac ex formulis diplomaticis Ducum apud Chronographum Vulturnensem. Præ cæteris quoque Ducibus libertate gaudebat, ut ex gestis Archis generi Desiderii, illiusque filii Grimoaldi apud eundem Erchempertum num. 6. ubi Grimoaldo indicebat „ per Legatos suos „ Pippinus: *volo quidem, & ita potenter disponere co-* „ *nor, ut sicuti Archis genitor illius subjectus fuit quon-* „ *dam Desiderio Regi Italiæ, ita sit mihi & Grimoalt*. „ Quibus è contrario Grimoalt asserebat.

Liber, & ingenuus sum natus utroque parente,
Semper ero liber, credo, tuente Deo. „

Nihilominus Regi Italiæ victigalis fuit, nam ut prodit Annalista Bertinianus A. 814. Ludovicus Pius *cum Grimoaldo Beneventanorum Duce pactum fecit, atque firmavit eo modo, quo & Pater: scilicet ut Beneventani tributum singulis annis septem millia solidorum darent*. Ille Radelchisus, qui cum Siconulfo Ducatum divisit, perfidus in Ludovicum II. circa A. 873. Græcis in auxilium accitis, *Censum, quem Imperatoribus Franciæ eatenus dabant* (Beneventani) *illi* (Patricio) *persoluturos promittebant* &c. ut Continuator Aimoini *l. 5. c.* 30. prodit cum reliquis. Hæc propter dixerat Peregrinius *Diss. 7. p.* 186. a. (ut prænotavimus n. 128.) Ducatum Beneventanum præteritum in testamento Caroli M. quia *Regibus victigalis tantum fuit*. Non ignorarunt hæc Anastasius, vel Leo Ost. quamquam is *l. 1. c.* 8. & ille *in Adriano* etiam *Ducatum Beneventanum* scribant dimissum à Carolo: prout etiam dicitur in Chartis Ottonis I. & Henrici Pii, at non in Ludoviciana. Postrema Beneventi sors fuit septem ferme ab hinc sæculis ad Ecclesiam transire ex contractu inter Leonem IX. & Henricum III. A. 1053. ut apud Leon. Ost. l. 2. capp. 46. & 84. & prænotavimus sub n. 6. NUCERIOLA 4. m. pass. a Benevento: Anonymo Rav. p. 216. *Nucerulas*: Peutingerianæ Segm. 4. *Nueriola*. „ Locus hodie vo- „ catur *Ricerola*, ubi olim Ecclesia S. Andreæ „ inquit Holstenius *in Cluverium* p. 270. ARENA Erchemperto num. 70. Castrum, sive locus custodiæ, quod esse videtur AJEROLA 11. m. pass. à Benevento in occasum brumalem, ut in Magini tab. 52. Item Beneventi ad occasum in Samnio ALLIFA: vetus nunquam dimisit nomen, nam *Alifam* dicunt Ignotus Cassin. num. 29. & Leo Ost. 2. 6. nunc *Alifi*, & ita Chronographus Vulturnensis p. 448. a. SATICULA periit, de ea Cellarius p. 269. & Lexicographi h. V. TELESIA duplex vetus, & nova juxta eundem Cassinensem num. 15. *Telesis nova secus primariam in planitie sui cognominis construitur* sub medium sæculi IX. eique præficitur *Majelpotus Telesinus Gastaldeus* ex Erchemperto n. 29. S. AGATHA GOTHORUM: quia frequentata à Gothis, ut cum pluribus notat etiam Ughell. *t.* 8. *col.* 344. edit. 2. *Marinum Gastaldum Castri S. Agathæ* prodit Erchempertus num. 66. & iterum num. 71. *Landulphus de S. Agathæ filius Landulfi Beneventani Principis in Principem subrogatur* (Ademario Capuano) ut prodit Leo Ost. 2. 15. qui & *Roccam Sanctæ Agathæ* memorat 2. 65. Infra ad austrum AVERSA excitata, vel aucta ex ruinis veteris *Atellæ*, 2. m. pass. ab Aversa distantis, cujus mentio in actis MSS. translationis S. Athanasii Episcopi Neapolis apud Holstenium in Cluv. pag. 260. ibi: *tanta velocitate iter peregerunt, ut intra unius diei spatium à Monasterio Sancti Benedicti* (Cassini) *in Atellas devenirent, quæ 60. millibus distat*. (corr. 40.) Cæterum nomen Aversæ tantùm celebratur ab ævo Normannorum, ut apud Leonem Ost. 2. 58., à Nuce f. annotante habitari cœpisse A. 1030. ex documentis ibi laudatis: & in divisione Normanorum apud eundem 2. 67. Rainulfo tribuitur. Nec rectè à Bodrando *in Aversa* dicitur opus Roberti Guiscardi, qui A. 1030. nondum cum Fratribus in Italiam advenerat, ut ex Leone 2. 67. Ab A. 1053. Scriptorum calamo celebratur: & A. 1059. Dux Apuliæ, & Calabriæ instituitur à Nicolao II. ut apud Rocchum Pirrum *Chron. Reg. Sicil. pag.* 10. sub A. 1059. ABELLINUM æque antiquis, ac medii ævi Scriptoribus Erchemperto num. 71. Anonymo Beneventano num. 6. *Avellinum Oppidum . . . . cujus Gastaldus tunc erat Adelpherius nepos magni Rofrit*: Anonymo Salernitano *part.* 4. *n.* 6. *Avellinum*: Anonymo Ravenn. pag. 217. *Abelinon*: distat à Benevento 14. m. pass. in austrum. AVELLA Lexicographis h. V. BICENTIA supra Salernum 7. m. pass., vetus *Picentia* juxta Holstenium *in Cluver. p.* 263. sed hæc in Picentinis, qui in extrema Campania, sive Principatu citeriori. Beneventi ad ortum brumalem ÆCULANUM, & Aculanum apud Ciceronem laudatum à Cellario p. 872. nullibi Æculaneum. ÆCLANUM idem contractum ac Æculanum ex eodem Cellario ibidem & ex Bodrando, h. V. qui sentit cum Cluverio esse *Frequentum* (Fricento.) At Holstenius in ipsum scribit p. 273. „ Cum tabula, & Antoninus constanter 15. m. „ pass. inter Beneventum & *Eclanum* ponant, certissi- „ mum est omnino, *Eclanum* fuisse Oppidum illud, „ cujus vestigia maxima apparent haud procul *Mira-* „ *bella*: quod medio deinde ævo QUINTODECIMUM „ appellatum fuit: & à Constantino Imperatore (corr. „ Constante II.) in Beneventanos movente A. 669. „ (corr. 663.) funditus eversum, ut narratur in Mar- „ tyrio, & translatione S. Mercurii Martyris. „ Episcopus *Quintodecimi* interfuit Concilio Romano A. 969. quando Capua Metropolis Ecclesiastica fuit facta, ut ex Joh. XIII. Epistola Concil. *t.* 9. *col.* 1238. alias laudata. FREQUENTUM igitur diversum ab Æclano. Paulò supra ARIANUM 13. m. pass. à Benevento in ortum æquinoctialem, ut in tabula 52. Magini: *De Ariano, & Frecento magnam partem destruxit* (terræmotus) ut prodit Leo Ost. 2. 11. ULCI, sive Ulceja ad dexteram amnis Silari à Lexicographis h. V. in Lucania, sive Basilicata locatur: at non juxta fines Strabonis, ut num. seq. Eisdem Ulci est recens *Lauria*: Holstenio pag. 290. *Bulcinum*, sive Bucinum: nomina conveniunt. Porrò Bucinum ad dexteram Silari in Magini tabula 54. nec ipsum jure in Lucania ut supra. Urbes orientaliores ad veterem Lucaniam, sive novam Basilicatam spectare videntur Samnium tria flumina alluebant *Tamarus* sive Thamarus: *Calor*: & *Sabatus* sive Sabbatus, qui omnes eisdem nominibus scribuntur à priscis, & recentioribus. TAMARUS à borea descendens paulò supra Beneventum Calori miscetur. CALOR ab austro ad boream excurrens, infra Beneventum in Sabatum se exonerat. SABATUS ab ortu procedens in *Vulturnum* dilabitur, qui suas, extraneasque aquas defert ad mare. Sed Lexicographi *in Sabatus* Hirpinorum, & Samnii non rectè laudant Antoninum, qui *pagg.* 107. & 108. Simleri non Sabatum hunc, sed Brutiorum, sive Calabriæ novæ designat, utroque enim loco scribit *Consentia ad fluvium Sabbatum m. p.* 18. Vetus testimonium *Sabati* Samnii non habemus: utique Tamari, & Caloris, adhuc penes Antoninum.

(133) Reliquas Urbes Ducatus Beneventani describendas quodammodo hìc à descriptis secernimus, non quia apud Langobardos essent extra Provinciam Beneventanam, sed ut quadam distinctione in Provincia tam ampla, & extensa clarius procedamus: quo facilius medii ævi hæc Chorographia in hac parte cum nov-antiqua poterit conciliari. Igitur quæ remanent Urbes ad ortum usque ad mare, hoc est ad sinum Tarentinum, erant in veteri *Lucania*, cui correspondet nova *Basilicata* cum parte *Principatus citerioris* ad austrum. De antiquis Lucaniæ finibus à borea, ubi Apulia, sive Terra Barensis, & ab ortu brumali, ubi Brutii, sive recens Calabria, non nimis soliciti erimus, cum non omninò conveniant antiqui Geographi. Nobis cum Strabone sufficiet inter quædam flumina, & mare illam concludere hoc pacto. Ab *occasu* Silarus à Picentinis, & Laus amnes à Brutiis eam disterminabat: ab ortu sinus Tarentinus ab ostio Bradani ubi Metapontus Urbs, usque ad ostium Sybaris: ab *austro* mare inferum: & à *borea* Bradanus ab Apennino usque ad mare; nam Strabo 5. p. 509. scribit: *Est verò Lucania inter Tyrrhenum, Siculumque litus interjacens, hinc quidem à Sylari usque Laum: hinc à Metaponto usque ad Thurios: ad ipsum verò continentem è Samnitibus usque ad Isthmum, qui à Thuriis in Cerillos extenditur prope Laum*. Eosdem fines constituit Paulus 2. 17. octavæ Regioni Lucaniæ juxta Romanos. Lucaniæ igitur major, & potior pars nunc sub *Basilicata* comprehenditur: quod nomen conjicimus huic factum à Græcis dum Lucaniam simul cum Apulia, & Calabria tenerent, ut satis comprobat vox

βασι-

Digitized by Google

βασιλικα. sed an antequam Otto M. eandem illis adimeret, vel postquam Græci sub Ottone II. illam receperant, etsi probabilius videatur, definire nescimus. Id neque novit Jovianus Pontanus dum *Hist. Neapol. p.* 596. sic scribit: „ Montana loca, quæ olim fuere illinc Lucaniæ, hinc Apuliæ, iisdem illis temporibus (Græcorum ante Normannos) vocari cœpta Basilicata . . . „ . . . Cæterum hæc ipsa appellatio unde potissimùm „ ducta sit jure anceps est, ac dubium. Sunt enim, qui „ existiment, haud satis tamen certis auctoribus Constantinopolitano olim ab Imperatore Regionem eam „ filiæ, ac Genero traditam dotis nomine. Veri autem „ aliis esse similius videtur à Basilio quodam fortissimo „ viro dictam, qui per illa tempora loca ea tenuerit: „ deque Regione ipsa, tractuque omni Salentino Græcos industria sua pepulerit, atque Pœnos. Verùm „ nos quæstionem hanc posteris melius inquirendam relinquimus. „ Inquiramus etsi sterilis sit historia. In hac Italiæ parte acre bellum Græcis intulerat Otto I. injuriam ulturus, quod Missos suos in Calabriam, ut Græcam sponsam Theodoram pro filio reciperent, perfidè trucidaverant, ut VVittichindus *lib.* 3. *p.* 661. Sigebertus A. 969. & Sigonius eod. A. enarrant. Subdit VVittichindus: *Danaos victoria priori elatos* (nam & milites Ottonianos missorum comites occiderant) *& sibi occurrentes occiderunt* (Ottoniani) *alios autem in fuga comprehensos obtruncant naribus: tributum à Græcis in Calabria, & Apulia extorquentes, spoliisque ditati cum gaudio remeabant*. Constantinopoli ideo commota, occiso Nicephoro Phoca proditionis auctore, & evecto ad Imperium Johanne Tzimisce res componuntur & is mox *magnificis muneribus, comitatuque egregio, non virginem desideratam* (Theodoram) *sed neptem suam Theophaniam vocatam, Imperatori nostro* (verba sunt VVittichindi *l. l.*) *trans mare mittens, suos absolvit, amicitiamque optatam Cæsaris Augusti promeruit*. At de Regionibus quid? Sigonius d. A. 969. definit: *ita Apulia, Calabriaque recepta juris tandem Occidentalis Imperii facta*. Germani Scriptores, præter clades, nil innuunt: Cedrenus & Zonaras factum omnino dissimulant, ne infamiam suæ gentis aperiant. Miramur quidem, adhuc ipsum Anonymum Salernitanum *part.* 7. *à num.* 3. Ottonis gesta A. 968. & seq. in Transtiberina, & in Apulia recensentem, belli tanti causam in Græcos nec referre, nec scribere, sed neque ad rem nostram prodere, Ottonem unam, vel alteram Græcorum Urbem cepisse. Prodit num. 3. *Barium* obsedisse, & Pandulfum Beneventanum Principem cum Ottonianis *Bivinum*, ut num. 4. at neutrum quæsitum ex ejus verbis percipimus, sicut neque ex Lupo Protospata, vel Ignoto Barensi sub annis hujus belli. Et reapse Chronographus Casauriensis col. 829. sub A. 968. prodit quidem Ottonis mansionem in Apulia, ut hanc, *& Calabriam suo subjugaret Imperio*, præceptum concessisse Casauriensibus Kal. Maji A. 969. *actum in Apulia in Suburbio Bivino*, non autem Bivini. Nihilo minus & ex testimonio Sigonii, & ex sequentibus argui debet, Barium, Bivinum, aliasque Urbes Ottonem cepisse, & has inter etiam Urbes Lucaniæ, ut infra. Si enim (ut scribit Otto Frisingensis *Chron.* 6. 22. *Otto post multas, quas* novit, *victorias, Græcos quoque in Calabria, & Apulia superavit*) Urbes quoque Græcorum non comparasset, quid illi Græcos superasse profuisset? Hinc credimus Romualdo Salernitano, etsi erret in anno, cum sub A. 967. col. 162. (C. H. t. 7) scribit quod Otto *in Apuliam venit cum exercitu, & Oppidum Barum expugnando cepit, cepitque Civitatem Bobinum, atque Asculum, Græcos expellens*. Scriptores etsi non prodant quando, & quomodo Græci Regiones, & Urbes sibi ab Ottone adeimptas, receperint, id tamen supponunt, dum Sigebertus A. 981. ait, quod Otto (II.) *Imperator Apuliam, & Calabriam Italiæ Provincias ad jus Regni appendentes transferre ad Imperium Romanum conatur, maximè propter affinitatem, quam per uxorem suam Theophaniam cum Imperatore Græcorum habebat*. Quamobrem nedum tunc bellum movit in Græcos, licèt adeo infeliciter, verum & 8. ante annos, statim post Patris mortem, ut habemus ex Leone Ost. 2. 9. corrigendo tamen in annis, ut mox. Sequitur igitur Græcos partem aliquam Regionum, & Urbium ex sibi ademptis ab Ottone I. adhuc ipso vivente, recuperasse, & quidem Johanne Tzimisce imperante ab A. 969 occiso Nicephoro, ad 975. nam solum A. 971. res compositæ fuere inter utrunque Imperatorem, tunc tradita Ottoni Theophania, ut sentiunt Sigonius h. A. & Pagius num. 5. Nondum Basilicatæ originem assequimur, sed non multum distamus. Scribit itaque Leo: *Defuncto I. Ottone* (A. 973.) *Otto II. Imp. filius ejus, cognomento Rufus, venit Capuam & abiit Tarentum, & Metapontum, & deinde Calabriam: unde prosperè ad sua reversus A. D.* 983. (corr. 973. vel 4.) Si Otto Tarentum, & Metapontum Urbes Lucaniæ ivit, & in Calabriam, hæc nondum fuerant tunc a Græcis recepta. Pergit Leo: *iterum magno exercitu congregato cum Saracenis in Calabria dimicaturus descendit, sed Divina permissione superatus ab illis, vix ipse cum non multis evadere potuit*. At hic Leo non satis: probe magis prosequitur Sigebertus d. A. 981. *Græci infensi quod Imperator Otto Provincias Græcorum invaderet, conducto sibi Saracenorum auxilio, Imperatori in Calabria bello congrediuntur, in quo bello omnes Romanorum copiæ usque ad internecionem penè deletæ sunt: Imperator natando nitens evadere, à nautis ignorantibus eum, capitur*, cum reliquis apud tot alios Scriptores. Quis hic non videt quam facilè post tantam victoriam fuerit Græcis omnia sua, & amplius recuperare? *Hanc cladem tantam fuisse* (inquit Sigonius A. 982.) *ut, si Græci protinus inde Romam exercitum adduxissent, ipsam haud magno admodum negotio in potestatem fuerint adducturi*. Nobis favet, dum supra sub A. 979. scripserat, quod *Basilius, & Constantinus Impp. turpe rati, se vetere tot annorum Apuliæ, Calabriæque fuisse possessione dejectos . . . . . Bario, & Matera Urbibus expugnatis, Apuliam primum, deinde, nemine prohibente, Calabriam receperunt, arma longius etiam promoturi, nisi vis major aliqua obstitisset*. Non ergo completè, sed tantum post victoriam A. 981. fatetur enim paulo supra Sigonius sub initium hujus belli, quod Otto *grave cum Græcis, & Saracenis in Apulia bellum inivit, ac multas res prosperè gessit. In sequenti vero anno Tarento digressus . . . . . ad Oppidum Calabriæ processit, nomine Basentellum &c.* ubi infelicissima pugna, post quam utique Græci recuperarunt: subnectente eodem Sigonio, quod Græci *Apuliam, & Calabriam receptas saeviore post imperio, novo Catapani Magistratu imposito, habuerunt*. Locus itaque fit Conjecturæ ab A. 982. vel non diu post Lucaniam fuisse (a Græcis saltem) dictam Basilicatam, & quidem ab ipso Basilio II. Imperatore, in cujus potestatem integrè fuit redacta, & non *à Basilio quodam fortissimo viro dictam, qui per illa tempora* (ante Ottonem I.) *loca ea tenuerit*, ut verisimilius visum est Pontano. Unde nam is Basilius? Ullum neque Basilium inter Principes Beneventanos, vel Salernitanos, quibus obnoxia etiam Lucania, unquam legimus, vel hujus nominis Præfectum Græcum circa hæc Ottonum tempora in Italia missum, quorum nomina cognoscuntur apud Lupum Protospatam, & Ignotum Barensem, nec non exactis S. Nili origine Calabri, quæ recitantur a Baronio A. 976. a num. 3. lectu dignissima. Utique ab A. 1018. fuit juxta Lupum, & Barensem, sed juxta Romualdum Salernitanum ab A. 1012. quidam *Basilius Bugianus* Catapanus, à quo dicta *Catapanata*, ut infra n. 135. Hinc non improbabile, fuisse ab eodem dictam & Basilicatam.

(134) Antequam Urbes describamus hujus tractus, qui modò *Basilicata* vocatur, & olim usque ad medium ævum Langobardorum *Lucania* vocabatur, dubium nostrum, ut tetigimus num. 131. *in Cassano*, & ut doceamur, præmittimus de *Cosilino*, quod Cassiodorus, sanè omnibus auctoritate, & peritia præferendus, *Ep.* 33. & *ult. l.* 8. describit, & in Lucania collocat, dicendo: „ Est enim & locus ipse campo„ rum amœnitate distensus, *Suburbanum* quoddam „ *Cosilinatis antiquissimæ Civitatis*, qui a conditore „ Sanctorum fontium *Marcilianum* nomen accepit. Porrò hic *fontes Sancti* sunt & hodie *balnea aquarum salubrium cum duobus fontibus, altero quidem aquæ dulcis, altero aquæ sulfureæ*, ut annotat Holstenius *in Cluv. p.* 292. Quam variè veteres, & recentiores de Cosilino (sive adhuc *Consilino*) senserint, videre est apud Cellarium p. 921. Sed, cum Cassiodoro omninò constans apparet idem Holstenius quatuor in locis de eo differens. Et I. *Geographiæ Sacræ* in Lucania p. 22. Romæ, & p. 60. Amstelæd. scribit: *Cosilianum antiquissima Lucaniæ Civitas Cassiodoro* 33. 8. *Suburbium habuit Marcillianum, sive Marcellianum unde Marcellianensis Episcopus, & Cosilinas promiscuè dicebatur*, quod ostendit hic ex rescripto Pelagii apud Ivonem *decret. part.* 6. *c.* 112. Gratian. *dist.* 70. *c.* 12. Anselm. *l.* 6. *c.* 57. Cohærenter ad hæc Isleus in sua tabula penè in meditullio Lucaniæ scribit *Cosilianum*, & ad occasum brumalem distans 7. m. pass. *Marcellianum*: at si hoc est *Marcilianum* Cassiodori, & Holstenii, est Suburbium, quod nequit tantum distare. Est *Marcellianum* etiam in Cosmographia Æthici pag. 16. Simleri inter Canusium & Salernum: ergo cis Silarum amnem, & Marcellianum Islei est trans Silarum. Est item *Marcelliana* Antonino in itinere ab Urbe ad Columnam, & hæc est Marcellianum Islei, quod Antoninus sic locat: *ad Calorem . . . . . in Marcelliana* m. p. 25. *Cæsariana* m. p. 21. & ita in Isleana, ut diximus num. 131. Bodrandus *in Marcelliana* cum Celio Cittadino sentit hanc esse *Atinam*

Oppi-

Digitized by Google

Oppidum, quod non probatur. Potius *Polla* esse videtur Holstenio p. 292. ex lapide ibi reperto, quo via à Capua Regium à Marcello Cos. perducta, & locorum intervalla explicantur: II. Holstenius *in Cluver.* p. 292. & III. p. 303. repetit: *Consilinum, aut Cosilinum in Lucania fuit, quod Cassiodori certa attestatione constat* (l. l.) *& Frontinus de Coloniis p.* 90. *Rigaltii*. IV. in *Ortelium variat* ne? Ortelius sic dixerat: „ Cosilinum Plinio, & Melæ Locrorum „ Urbs: *Stilo* hodie dici testis est Barrius in sua *Ca-* „ *labria* „ . . . . . Ascribitur Lucaniæ, subdit, juxta Frontinum, & Cassiodorum. Holstenius igitur in hunc locum annotat p. 57. Consilinum *est Cassano Civitas Episcopalis Lucaniæ*. En constantem Holstenium: nisi fortè p. 229. confundat Cassanum, cum *Cassiano*, de quo infra. Ex his deducimus Cosilinum idem omninò esse ac *Cosa*, & *Cosanum* apud Lexicographos: *Cassanum* in Capitulari Radelchisi num. 9. & *Chasanum* Erchemperti numm. 57. 58. & 60. Idem adhuc *Casilianum* scriptum in Isleana in meditullio Lucaniæ inter *Ulci* ad occasum, & *Anxiam* ab ortu, ut & nos scripsimus in tabula nostra. Verum dum in Isleana iterum scribitur *Consilinum Castrum* in litore orientali Locrorum (sive in Calabria inferiori) inter *Cocinthum* seu Stilidum ad boream, & *Caulonem* ad austrum (sive, ut in nostra inter ostium *Cecinæ*, & Fanum *S. Cyriacæ*) necessariò dicendum est vel duplex esse *Consilinum*, quod nemo unquam dixit: vel errasse Melam *lib.* 2. *cap.* 4. & Plinium 3. 10. transferendo à Lucania in Brutios, & Locros Cosilinum, ut in Isleana, in qua hoc modo fit duplex. At juxta Cassiodorum errant quotquot *Cosilinum* (quod in Lucania) dicunt esse Stilum Brutiorum in Locris, cum quibus sentit Harduinus p. 165. n. 4. Nunc de locis Lucaniæ, & primò ad mare inferum, vel prope, nempe a Silaro ad Laum amnem. Ibi PISCIOTTA ol. *Velia*, ut in sua tabula notat Peregrinius: an rectè, videamus. *Antiochus* (apud Strabonem 6. p. 504.) „ scriptum edidit, capta Phocide ab du- „ ctore Cyri Harpago, qui naves cum familia ipso- „ rum tota conscendere potuere, primum eos ad „ Cyronem cursum tenuisse, atque Massiliam Creon- „ tida Duce, inde rejectos *Eleam* condidisse. Huic Eleæ præposita fuit à Latinis V dictaque fuit *Velia*: hinc Plinius 3. 5. *Oppidum Helia, quæ nunc Velia*. Hanc varii variè interpretantur. Ferrario *in Lex.* post Albertum p. 198. b. est *Buxentum*, sed Plinius, & Mela hoc distinguunt ab illa. Gabrieli Barrio est *S. Bonifacius*: Mario Nigro *Ulastra*: Pyrrho Ligorio *Policastrum*: Pandulfo Collenutio *Scalea*, ut refert Ortelius *in Velia*: Holstenio *in Geograph. Sac.* p. 22. & Harduino p. 157. n. 25. *Castel à mare della Bruca*. Verum Cluverio apud Bodrandum *in Velia* est *Pisciotta*. Velia, inquit Bodrandus, *excisa jacet ubi vicus Pisciotta*: Castel à mare crevit ex ejus ruinis. Ab eodem quoque distincta scribitur Pisciotta: in Magini tab. 54. Notandum, quod si Pisciotta est *Piscinula*, ut videtur, cujus mentio in Miscella p. 107. a. jam ab ævo Justiniani sic vocabatur, & non amplius *Velia*, vel Heles amnis, ad cujus lævam est sita Heles, & Hales, de qua Cellarius pag. 905. & seq. de Urbe ex antiquioribus. Intus ad lævam Silari CAPATIUM, quod novum, & vetus: de hoc Lexicographi in *Caputaqueum*: nunc excisum, sed extitit medio ævo, ex Provinciali Romano, antiquis silentibus: scribitur à Peregrinio in sua tabula. Iterum ad mare POLICASTRUM, quod vetus *Buxentum* Holstenio *in Geograph. Sac. p.* 22. & tot aliis. SCALEA *olim Laum* in tabula Peregrinii, sed Bodrandus *in Laus* unum sejungit ab altera: & item Maginus in tab. 57. *Scaleæ* mentio habetur apud Gaufredum Malaterram *Hist. Siculæ l.* 1. *capp.* 24. *&* 32. LAUS: Straboni. 6. p. 505. *Amnis Talaus*, *& Urbs Lucaniæ postrema*. Nunc *Laino*. Sed malè ab interpretibus dicitur *Talaus*, nam in textu Græco Μετὰ δὲ Πυξοῦντα Λᾶος κολπός, καὶ ποταμος Λᾶος. (*Post Pyxuntem est sinus Laus, & fluvius Laus*.) Intus in isthmo NERULI Lexicographis *Lagonegro*: sed situs omnino convenit in locum *la Rotonda*, ut sentit Holstenius *in Cluver. p.* 293. quæ distat 16. m. pass. à Policastro in ortum, & sita ad radices Apennini, ut in laudata tab. Magini, annuente Holstenio supra p. 291. ibi *nam exactè* 16. *milliarium distantia congruit*. Ad sinum Tarentinum maris Jonii supra ostium Sybaris amnis CASSIANUM (non Cassanum, de quo supra) ut apud Paulum 2. 17. qui octavæ Regionis Lucaniæ recolens Urbes in cornu dextero ad ortum, & Calabriam versus tendente inquit: „ dextrum Italiæ cornu tenens, „ pertingit, in qua (Regione) Pæstus, & Lanius „ (hoc est Lainus) *Cassianum* Consentia &c. sunt „ positæ „ &c. Ita & in tabula Peregrinii. In eodem litore, Apuliam versus, AD VICESIMUM, ubi pes Labulæ M. In itinere Antonini ab Equotutico Regio p. 108. *Heraclia* . . . . *ad Vicensimum*. m. p. 24. *Turios*. m. p. 20. ibi nunc *Trisaja* in Mag. tab. 55. Intus à mari recedens TURCICUM, nunc *Tursi*, de quo Liutprandus *in Legatione* ad Nicephorum Phocam p. 488. b. his verbis: *Scripsit itaque Polyeuctus Constantinopolitanus Patriarcha privilegium Hyruntino Episcopo, quatenus sua auctoritate habeat licentiam Episcopos consacrandi in Acirentila, Turcico, Gravina, Maceria, & Tricario, qui ad consacrationem Domni Apostolici pertinere videntur* Turcicum abest à Geographia Sacra. Iterum ad mare PELICARIUM nobis notum ex Mag. tab. 55 & ex Alberto p. 226. referente, nonnullos credere excitatum ex Metaponti ruinis: abest à Lexicis Gabr. Barrius putat Pelicarium esse ubi olim Metapontum. Ibi in mare se exonerat *Cylistarnus* amnis, nunc il *Racanello* Bodrando. Inter *Sirim* & *Acirim* amnes medio ævo extabat ANGLONA Urbs Episcopalis, prætermissa in Geographia Sacra, posita in promontorio 12. m. pass. à Turcico, sive Tursio in ortum, quod in Episcopatu Anglonæ successit. Non diu substitit, quoniam ejus nulla mentio apud veteres, & nunc deleta, ut vix supersit unica Ecclesia, cum palatio, Bodrando teste h. V. Senserunt Albertus, & Ughellus *t.* 7. *col.* 68. fuisse veterem *Aquiloniam*: at esse *la Cedogna* contendunt Celsus Cittadinus apud Ortelium illo verbo, & Holstenius cum Cellario p. 874. neque idem Aquilonia, & Pandosia, quæ vel *Castrum Francum*, vel *Mendocinum*, & Bodrando in *Pandosia*, & Cellario p. 926. Holstenium sequenti: hinc non audiendus *l. l.* edit. 2. HERACLEA, cui fortè fuit suffecta Anglona, inquit enim Plinius 3. 11. *est inter Sirin, & Acirin Heraclia, aliquando Siris vocata*. Ita locatur in Isleana, annuente Harduino p 165. num. 22. cui ejus navale Σιρις, nunc Torre di S. Basilio. At Cellarius p. 910. contendit, quod Plinius aberret, dicendo *Heracleam aliquando Sirin vocatam*: nam inquit: „ Siris quidem Oppidum Trojanum fuit, ut „ Strabo tradidit ex fama, sed postquam Tarentini „ tribus inde millibus *Heracleam* constituerunt, & „ facta illa ἐπίνειον (Navale) Heracleotarum, & utra- „ que inter Acirin, & Sirin amnes sita, hæc ad os „ illius cognominis, illa ad Acirin, reducta paullo „ à mari. „ Igitur utrique Anglona videtur fuisse suffecta, quæ & ipsa exinde destructa. Hinc in Cellarii tabula p 830. prius *Siris* ad austrum scribitur (Seno nunc: Senno: Magino Sino) post *Aciris* (Agri) ut & in tabulis Peregrinii, & Magini: ac inter utrunque amnem *Siris* navale, & *Heraclea*, hæc ad boream, illa ad austrum. Inter Casuentum, sive Basientum, & Bradanum amnes olim METAPONTUM fuit, de quo veteres & Anonymus Ravennas p. 208. Ibi nunc *Torre di mare*: & hic Bradanus Lucaniam ab Apulia disterminat. At in mediterraneis, præter loca jam in Principatu Salerni num. 131. enunciata, sequentia supersunt. SATRIANUM, quod non confundendum cum altero in Calabria *Cecinum* putatum ab Holstenio *in Cluv. p.* 303. neque cum Satrico, vel Satricula. Hoc fuit in Lucania ex Provinciali Romano, sub Archiepiscopo Compsano, hodieque omnino dirutum, ut vix ejus appareant vestigia: situm indicant Lexicographi h. V. ATHENUM 12. m. pass. à Cassano in meridiem: quod vetus Atina: nunc *Atbene* in Magini tabula 54. situm ad dexteram amnis *Negro*, qui est *Tanager Lucaniæ* Vibio Sequestro, quique per meatum subterraneum conjungitur Silaro, ut in tabulis notatur: de veteri Atina Lexicographi, & Geographi antiqui. Attamen medio ævo adhuc Atinæ nomen vigebat, nam apud Leon. Ost. 2. 66. mentio Civitatis Atinæ, nisi sit, ut suspicamur, Atina Campaniæ. Descendendo ad ortum brumalem CASTRUM SARACENISCUM, cujus historiam egregiè scribit Leo Ost. 2. 90. legendam, ut lugubre monumentum extremum Saracenorum: scribitur in tabulis *C. Saracino* inter Policastrum, & Tursium: *Saracina* Collenutio in Catalog. Urbium Calabr. citer. & Marafioto *Chron.* 4. 24. Putant Lexicographi cum Barrio (*de Antiq. Calab. p.* 89.) esse vetus *Sestum*, sive Sestium. Videantur in *Sestium*. Ascendendo CLARIMONTIUM olim Grumentum, sic notante Peregrinio in sua tabula. Aliter ipsum vocat Holstenius *in Geograph. Sac. p.* 22. dicens appellari „ vulgo nunc „ *Agrimonte* ad Acirin fluvium paulo supra *Tursi* Op- „ pidum . . . . . & Grumentinæ Parochiæ meminit „ S. Gregorius *l.* 10. *Ep.* 47. „ Cum prius scripserit *in Ortelium*, ibi p. 89. putaverat *Agrimonte ad Lirim*: *sed re melius expensa, puto* (inquit) *fuisse Agromento ad dexteram Aciris fluvii*: ita in tabula 55. Magini, 16. m. pass. ab ejus ostio: at 28. juxta Peregrinium. Supra MARSICUM, nempe vetus ad lævam Aciris in eadem Magini tabula, nam ad hujus fontem extat

Adar-

Digitized by Google

Marsicum novum, huc minimè spectans. Nostrum in Isleana scribitur *Abellinum Marsicum*, ut distinguatur ab Abellino Campaniæ, sive Hirpinorum: Hoc aliqui putarunt esse *Civitatem*, de qua num. 129. prædiximus, ut apud Bodrandum *in Civitas*. Hos inter est Ughellus *t.* 8. *col.* 270. edit. 2. sentiens, quod *Civitas Marsici veteris fuit in Capitanata* Beneventano Præsuli obnoxia, ut ex æneis valvis Beneventanæ Ecclesiæ. Igitur ad Frentonem amnem. At dum Bodrandus *in Marsicum*, hoc situm esse ad Acirim amnem scribit, auctoritate Magini, nequit esse *Civitas* ad Frentonem, quæ certissimè fuit *Teanum Apulum*. Cumque ævo medio coextiterint & *Civitas*, & *Marsicum* vetus (de quo nulla mentio apud priscos Geographos: silentibus adhuc Ortelio, Cluverio, & Cellario) necessariò sequitur, Urbes fuisse distinctas. ANXIA ut in tabula Peutingeriana *Segm.* 4. „ haud „ dubiè est *Anxi* 8. vel 9. m. pass. circiter sub Po- „ tentia versus Grumentum „ inquit Holstenius *in Cluv. p.* 290. & ita in Magini tabula 55. 8. m. p. in ortum brumalem, & ad lævam Casuenti amnis non procul à fonte. Igitur supra ad occasum æstivum POTENTIA ex eadem Peutingeriana, sic & nunc vocata: *Polensiam* scribit Erchempertus num. 30. *Potentiam* Peregrinio legente, & sic scribente Leone Ost. 1. 14. Hujus ad ortum æstivum OPPIDUM ad dexteram Bradani, & hic nomen proprium est, non appellativum, & omninò alterum ab *Oppido* Calabriæ de quo Bodrandus h. V. cui ignotum Oppidum Lucaniæ, nisi sub alio nomine hoc scribat, sed *Oppido* etiam Italicè vocatur, & scribitur in Magini tab. 55. TRICARICUM ex supra laudata *Legatione* Liutprandi p. 488. ubi *Tricarium* scribitur: de eodem Lexicographi ex Provinciali Romano. OPINUM scribitur in Isleana: an Geographus alter sic illud scribat, vel memoret, ignoramus: abest ab omnibus nostris. Primò Simlerus in Antoninum nos docet, esse *Ypinum* Itinerarii: inquit p. 247. *Ypinum*, *vel Opinum*. Porrò in Itinere p. 108. ab Equotutico Regio: *Venusia* . . . . . *ad Pinum* m. p. 12. *Ypinum* m. p. 32. eodem modo scribitur in Codice Juntæ Florentiæ 1519. quo ad distantias, sed quo ad nomen *Ypnum*. Sigonius scribit *Opinum* cum eisdem distantiis, ut dubitari nequeat Opinum à Venusia distare 44. m. pass. at in Isleana distantia est solum milliarium 15. Unde tantum discrimen, neque scimus. Locatur infra, & prope *Acherontiam*, ipsumque secat Bradanus, à cujus fonte non multum abesse videtur. Ut ut sit de Opino, Bradanum amnem jam diximus Lucaniam ab Apulia disjungere. Quare cum sint omninò confines, non erit abs re, nunc Apuliam intrare: nam de fluminibus Lucaniæ satis dictum occasione locorum: eorumque origines, cursus, & nomina clarè conspiciuntur in tabulis. Si præterita hucusque fuit *Acropolis* in Lucania ad mare inferum, ratio est quia hanc tenebant Græci, non Langobardi: ideo de ea erit sermo, cum de ditione Græcorum ad mare inferum disseremus infra *Sect.* 24. *num.* 142.

SECTIO XXIII.

(135) *Apuliæ* nomen barbarum, sed perenne: Urbes conditæ dictæ, quæ solum refectæ: Apulia pro Italia trans Tiberim: Abest à tabula Peregrinii: Medio tamen ævo scribenda. (136) Apuliæ occiduæ fines: Cur, quando, & an rectè *Catapanata* dicta: Viri docti observati, Leo Ostiensis defensus. (137) Illius Urbes: *Ecana*, quæ *Troja*: *Ulurium* ignotum quid: *Teanum* Apulum medio ævo *Civitas*: *Melphia* an opus Normannorum. (138) Apulia Orientalis medio ævo producta: Græcis *Langobardia minor* dicta: Id nomen ad ditionem Beneventanam extensum, & ultra usque Romam: A quo primo scriptum: Græcis nomina mutare solemne. (139) Apuliæ hujus Urbes Langobardicæ, & Græcæ ditionis quomodo secernendæ: Quænam inter Apenninum, & Adriaticum Brundusium usque: Item inter Bradanum amnem, & Apenninum: Tabulæ observatæ. (140) Peninsulæ extremæ Italiæ vetera nomina: quodnam illi ævo medio servatum: Isthmus Langobardos à Græcis ibi sejungens: ejus Urbes inter Apenninum, & Adriaticum: *Fratuertii* situs ignotus: Reliquæ trans Apenninum: *Soletum* ubi, gratis in Isleana geminatum: *Callipolis*: Lectio Plinii quomodo corrigenda: reliquæ.

(135) APuliæ nomen à prima origine in hanc usque diem perenne. Illius etymon frustra perquiritur, præcessit enim Trojana tempora. Nugantur, qui illud ab *A-pluvia* deducunt, ut Albertus p. 241. contra Facium de Ubertis *Dittamond. l.* 3. crassè canentem probe demonstrat. Et qui ab Apulo Rege idem derivare faciunt, quo tesse? Neque satis arridet, quod affert Ant. Galateus *de situ Japygiæ p.* 21. ubi *Apulia* ἀπὸ τοῦ ἀπόλεσθε, *eo quod hic celerius, quam alibi arbores dejiciunt folia*. Ea duplex, una dicta *Daunia* à Rege Dauno, cui post bellum Trojanum adjuvit Diomedes, occidentalior, citerior, à Frentone ad Aufidum amnes extensa; hæc nunc *Plana* dicitur Collenutio *Rer. Neapolit. l.* 1. *p.* 8. altera *Peucetia* à Peucetio vocata, orientalior, ulterior, ab Aufido usque Brundusium ad mare superum, & Tarentum ad Jonium, & hæc olim *Ætolia* vocata juxta eundem Collenutium. Post hanc *Calabria*, Græcis *Messapia*, quandoque & *Japygia*, intra quam *Sallentini* extremi, de quibus Geographi veteres apud Cluverium, Ortelium, Cellarium &c. Porrò nedum Barbaris, & Romanis Apuliæ nomen solemne, verum & Gentibus, saltem oretenus, adhuc quando temporibus infimis fuit à Provinciarum albo deletum. Etenim licèt inter XII. Regiones, in quas fuit Regnum Neapolitanum postrema ordinatione tributum, non referatur Apulia, sed ejus loco *Provincia*, sive Terra *Barensis*, nihilominus resonat in ore gentium Apulia. Et medio ævo? Lustrentur Paulus 2. 21. Anonymus *in Periplo p.* 289. Erchempertus numm. 15. 20. 38. 56. &c. cæterique Chronographi IX. & X. sæculi, quoties illic res gestas illis referre contingit, omnes *Apuliam* scribere non detrectant. Soli Peregrinio displicuit id nomen annotare in sua tabula, aliqua sanè rationabili de causa, etsi nobis ignota. Maluit in cornu superiori illo Italiæ veterem scribere *Calabriam*, jam a sæculo VII. in cornu inferius translatam, quam Apuliam apponere; neque pro eo tempore, cui sua tabula magis conformari videtur. Tempora sanè Normannorum hæc respicit, imo & posteriora: ibi enim notat exempli gratia Urbem *Aversam*, quæ, ut prænotavimus num. 132. habitari cœpit A. 1030. & ædificari post mortem *Meli* primi Normannorum Ducis, quæ contigit A. 1021. ei suffecto Ranulfo, ut prodit Guil. Apulus *l.* 1. *p.* 255. a. (C. H. t. 5.)

Post annos aliquot Gallorum exercitus Urbem
Condidit Aversam, Ranulfo Consule, tutus.

Gallorum opus, hoc est, Normannorum, qui ex Gallia huc profecti. Alia adhuc recentiora ejus tabulæ nomina præterimus. Unde ergo scrupulus relinquendæ Apuliæ? Et hic unum monere est omninò necesse, nimirum plures Urbes dici quandoque ædificatas, quæ revera fuere tantum refectæ, quæque metu bellorum desertæ, quasi novæ coloniæ deductæ. Abundant apud antiquos exempla, nec desunt apud medii ævi Scriptores. Sic Leo Ost. 2. 50. scribit, quod *Bojano Catapanus Græci Imperatoris, cum jam dudum Trojam in capite Apuliæ construxisset, Draconariam quoque, & Florentinum, ac Civitatem, & reliqua Municipia, quæ vulgo Capitanata dicuntur* (de qua num. seq.) *ædificavit, & ex circumpositis terris habitatores convocans, deinceps habitari constituit*. Quis unquam credet, post A. 1018. plusquam XX. Urbes Catapanum hunc construxisse spatio septem annorum sui Magistratus, nullamque præextitisse in Provincia? Sensus igitur est, dirutas refecisse, & frequentasse desertas. Is porrò *Bojano* est ille idem, qui supra 2. 37. dicitur pugnasse cum Melo Apulo, vicisse, & amissa recepisse: & licèt ibi dicatur *Bobano*, cap. seq. 38. scribitur *Bojano*, & quidem Vir strenuus, missus in Italiam A. 1018. juxta Anonymum Barensem: *descendit Basilius Bugiano Catapanus*: An. 1019. *Fecit prælium Bugiano Catap. cum Francis in Canni*, ut apud Leon. Ost. 2. 37. A. 1025. *Bugiano* cum Barensibus barcavit Messinum: ad Apuliam redeamus. Nonne pergente sæculo XI. fama Normannorum, & nomen, quorum theatrum Apulia, adolescebant in dies? Adeò sæculo eodem inclinante adhuc creverant, ut Apuliæ nomen è finibus suis exorbitans, se in totam Italiam Transtiberinam effuderit. Id fatetur Peregrinius, dum scribente Falcone Beneventano sub An. 1117. Paschalem II. *Beneventi* Synodum celebrasse, & Petro Bibliothecario in ejus Vita dicente, fuisse *in partibus Apuliæ* congregatam, quasi quod in Apulia fuerit Beneventum, Lectorem monet in notis: Cave „ *nec* „ *turbet te*, quod dicat in *Apuliæ partibus* Concilium „ illud congregatum, in quibus haud censetur *Bene-* „ *ventum*; nam tunc, & aliquanto etiam post, passim „ unius Apuliæ absoluto nomine *cunctam Italiam cis* „ *Tyberim* exteri occidentales nuncuparunt: exque „ illorum usurpatione etiam incolæ: quandoquidem „ Normanni ob res primùm in Apulia præclarè, & „ feliciter gestas longinquorum ora ad se solos, & „ ad unam Apuliam converterant. „ Hæc Vir doctus *in Falconem pag.* 90. b. Equidem nomen Calabriæ veteris adjacentis Apuliæ stetit per integrum sæculum, Langobardis jam dominantibus; verùm cum non amplius in sua veteri sede mansisset quoad iidem Transtibe-

Digitized by Google

tiberinæ per tria posteriora sæcula, & ultra præfuere, sine nota poterat Calabriam ommittere, ut ommittimus nos, hac ducti ratione, vel saltem supra eandem ad occasum Apuliam quoque conscribere. Eisdem porrò rationibus, quibus silemus in cornu superiori Calabriam satis in inferiori signatam, loco illus Apuliam scriptam iri censemus. Neque sub ejusdem nomine (priscis tamen nominibus Dauniæ, Peucetiæ, Calabriæ *&c.* omninò suppressis) integrum tractum à Frentone usque ad extremum promontorium Japygiæ comprehendere dubitamus. Eccur? Cuncta in sequentibus opportunè patebunt. Interim quærimus, quondam nomen huic tractui imponendum, si non Apuliæ, quia minimè Peregrinio probatur? Beneventanæ Provinciæ? Nimia foret confusio, neque tota Apulia ad Ducatum Beneventanum spectabat. Calabria? Hæc erat ultra Brundusium ab una parte, & Tarentum ab altera: & citra? Et post Calabriæ translationem? Solius Langobardiæ? Sicut nemo ex Scriptoribus Græcis, quod sciamus, dixit unquam Provinciam Beneventanam Langobardorum ditionem, ita nec ullus Scriptor Langobardus Apuliam, vel veterem Calabriam appellavit Langobardiam. Hi profecto, distinguendo Provinciam Beneventanam, & Apuliam, congruentius scripsere quam Græci, qui solum ad pompam, cum falsa ostentatione, nedum veterem Calabriam appellarunt *Langobardiam*, verum etiam quicquid ultra Vulturnum, nimirum Samnium, Lucaniam, & Apulias vocarunt eodem nomine, instituto peculiari Themate Langobardiæ, ut ex Constantini Porphyrogeniti *de Thematib. lib.* 2. *Th.* 11. manifestè apparet: ad cujus normam etiam Isleus in tabula *Orbis Romani* recusa à Cl. Banduro, & inserta suo *Imperio Orientali*, scripsit *Longobardiæ Thema*: verum de hac re infra num. 137. Nos itaque testimoniis Scriptorum medii ævi perabundè suffulti Apuliam scribimus; & quoniam sine aliqua divisione nimia oriretur confusio, eam placet distinguere in occidentalem, ubi antiquitus *Daunia*, & inclinante medio ævo, hoc est Ottonum tempore, *Catapanata*, sive *Capitanata*, ut num. sequenti, & in orientalem, & hanc rursum in cis Apenninum, & trans Apenninum usque quo hujus juga procurrunt: nunc primò de occidentali.

(136) Hæc naturalibus æque, ac civilibus finibus circumscribitur, nimirum Frentone amne *ab occasu*, ut diximus, cum Gastaldatu Teatensi num. 128. Adriatico à *borea*: Aufido amne ab *ortu*: & Apennino, nondum in duo cornua discisso, à *meridie*. Ita & antiqua *Daunia*, & Græcorum *Capitanata* intra eosdem fines concludebantur. Sanè Capitanatam nunc scribunt recentiores, sed an sic etiam medio ævo, contendunt Viri doctissimi. Joh. Meursius in Constantin. Porphyr. *de Admin. Imp.* ad p. 68. verè nihil definit: at cum inquit „ Κατεπάνω, & Κατεπάνος: item Καστελλίος promiscuè „ scripserunt pro Italico Capitaneo „ ex Curopalate, & Niceta laudatis, liberum esse unicuique scribere censet uno vel altero modo. Non ita Leo Ostiensis 2. 50. ubi „ sciendum, quoniam corrupta vulgaritate *Capitinata* „ vocatur, cum pro certo *ab Officio Catapani*, qui eam „ fecit, Catapanata debet appellari. „ At Dufrenius in Annæ Comnenæ *Alexiadem* pag. 275. (Hist. Byzant. t. 15. Paris. 1670.) recitatis verbis Leonis *cap.* 51. falli Leonem, inquit, *cum Catapani viri nomen fuisse existimat, cum fuerit dignitatis*. Quo codice Leonis usus sit Vir doctissimus, ignoramus, quoniam in Nuceo Paris. 1668. & in priori Lauretano Neapoli 1616. est cap. 50. non 51. sed id parum: in utroque verba cohærent: in neutro legitur *Catapani viri nomen fuisse*, utique ab Officio, ut in codd. nostris. Prosequitur: „ Neque „ error est in Oppidorum appellatione (quidquid garriat) corrupte *Capitinata* dici, cum *ex Auctoris nomine*, inquit, *Catapanata* vocanda sit: nam qui Græcis *Catapanus*, Latinis est *Capitaneus*. Proinde *Capitanata* appellata est Præfectura aliquot Oppidorum „ uni Capitaneo subdita, quam Κατεπανικιον vocat „ Nicetas in *Manuel lib.* 2. & vetus Charta apud Rhamnusium *de Bell. Cpolitan. l.* 4 *p.* 167. „ Verum pace summi Viri, immeritò notatur hic Leo: si enim Præfectus Catapanus, vel Capitanus erat Rector Provinciæ, ut omnes consentiunt, igitur & Præfectura debuit dici Catapanata, sive Catipanata. Neque sanè idem *Catapanus* Græcis, ac Capitaneus Latinis, sive Langobardis. Græcis erat Præfectus Provinciæ, imò Provinciarum ut Apuliæ, & Calabriæ, secus Latinis, penes quos non aliud erat, nisi ut dicitur *Feudor. lib.* 2. *tit.* 10. *Qui à Principe, vel ab aliqua Potestate de plebe aliqua, vel plebis parte per feudum est investitus: is Capitaneus appellatur, qui propriè Valvasores majores olim appellabantur*. De his Capitaneis sæculo XI. crebra mentio apud Nostrates Landulphum seniorem *l.* 2. *c.* 26. Calchum p. 144. Corium p. 53. Venet. 1554. & tot alios in aliis Urbibus, ubi qui populo diviso ut caput præerat tanquam Dux, Capitaneus vocabatur. Omnino ergo Catapani, & Capitanei dignitate, munere, & nomine differunt, ut neque cogitari possit id à Græcis sumpsisse Latinos, penes quos auditum Capitanei nomen longè priùs quam sub Catapani titulo in Italiam mitterentur Græci Præfecti. Etenim horum primus sub titulo *Catapani*, saltem ex hactenus cognitis, est *Xifea Catepano* apud Lupum Protospatam, & Anonymum Barensem A. 1006. cujus antecessores dicuntur Patricius, vel Strategus, Anthypatus, Protospatha *&c.* ut ex Præfectorum indice, quem prodit idem Dufrenius tum l. l. *in Alexiadem*, tum in *Glossar.* sub V. *Catapanus*. E contra in *Capitaneus* ex Fredegario, & Annalibus Francorum Lambecianis ostendit *Capitaneos* dictos sæculo VIII. adhuc in Francia. Ubi Sigonius sub A. 982. scribit, quod *Apuliam, & Calabriam receptas Græci sæviore post imperio, novo Catapani Magistratu imposito, habuerunt*, ipsi namque antiquior Catapanus *Xifea* fortè innotuerit. Ut ut sit, Romualdus Salernitanus in Chronico sub A. 1013. (licèt sub titulo Catapani unus vel alter præcesserit Bojanum) scribit col. 167. quod hæc Regio Apuliæ occidentalis *usque hodie Catipania ex suo nomine dicitur*, idest ex suo titulo, nam nomen ejus erat *Basilius Bugnano*: Bojano: Bojoannes. Sed hìc Salernitanus anticipat nimis ejus Magistratum, dum in Italiam missum facit A. 1012. at Lupus Protospara, & Barensis 1018. ut prænotavimus n. 135. Pauca hæc dedimus ad defensionem Itali Scriptoris, concludendo, rectè *Catapanatam* juxta Græcam dialectum fuisse dictam Apuliæ partem occiduam, non autem *Capitanatam*. Etenim si à titulo Græci Magistratus derivavit id nomen, ut in confesso est apud omnes, non potuit à Latino-italica voce *Capitaneus* deduci. Potius verò sub Catapano Bobano, quam sub Xifea, sive *Xyphea* (ut rectius scribit Lupus Protospata) vel altero, huic Regioni accessit id nomen, quia ipse felicior antecessoribus Catapanis, victo Melo pro Normannis pugnante, & receptis Urbibus amissis *reædificavit Civitates diu dirutas*, ut congruentius Leone Ostiensi expressit Romualdus Salernitanus sua A. 1013. quas in eadem Catapanata præextitisse cognoscimus.

(137) Hæ igitur ad occasum, sive ad dexteram Frentonis sunt ECANA sine diphtongo medio ævo, de qua Cuniferius Monachus Cassinas in *V. S. Secundini* MS. apud Holstenium in *Cluv. p.* 271. ita scribit: Hæc verò Civitas, si *nominis significationem advertimus* (*Ecana enim dicta est*) *antiquissima fuit, cum monumentorum marmoratio, scenarum columnatio, eminentia culminum id designent. Huic verò in reconciliatione Troja nomen imponitur, ut egregii titulus nominis auctoramentum faciat novitati Putamus ista fidem posse quærentibus facere, quos sub Trojæ nomine appellatio moverit Urbis Ecanæ*. Per reconciliationem, instaurationem intelligit, ut apud Romualdum Salernitanum sub A. 1013. qui de dicto Bojano Catapano loquens, subdit: „ Hic in Apuliæ fi- „ nibus reædificavit Civitatem diu dirutam, nuncu- „ pavitque eam Trojam, quæ antiquitatus Ecana vo- „ cabatur: & jussu Imperatorum fines per statutum „ privilegium eidem stabilivit Civitati. „ Est *Ecæ* Lexicographis: rectius *Æcæ* ex adductis per Cellarium pag. 873. ULURIUM cunctis ignotum, præter quam Isleo, qui illud scribit in sua tabula, fortè ex Plinio 3. 11. ubi *Venusini: Ulurtini*, sed an ibi locandi quis scit? Hos præterit Harduinus quoque. Videamus, an ex notis id ignotum aperire possimus. Recolens Horatius *Ode* 4. *lib.* 3. quasdam Urbes Apuliæ, canit sub initium

Me fabulosæ Vulturæ in Apulo
Altricis extra limen Apuliæ &c.

Vultura Lexicographis est *Vulturaria*, & Volturara Bodrando ad radices montium à Luceria 12. m. pass. in occasum, Bojanum, seu Bovinum versus: ita in Magini tabula 52. scribitur *la Vultrara* Civitas Episcopalis: adhuc medio ævo, nam mentio Episcopi *Vurturariæ* fit in Epistola Joh. XIII An. 969. *Concil. t.* 9. *col.* 1238. & item in Peregrinii tabula *Volturaria* in dicta distantia, cum solo discrimine, quod ibi inclinat ad occasum brumalem. Nunc cur non Vultura, sive Vulturaria idem ac Ulurium? Et sanè etiam Isleus *Ulurium* locat 12. m. pass. à Luceria in occasum, Bovinum versùs. Igitur illius ad ortum LUCERIA Paulo 2. 21. & 2. 7. de Constante II. Imp. *Luceriam quoque opulentam Apuliæ Civitatem expugnatam fortius invadens diruit, & ad solum usque prostravit*: Erat Langobardorum *Luceria quoque frequenti obsidione fatigata, & ipsa in deditionem venit* Caroli M. ut prodit Ado in Chronico, idem rescribente Chronographo Bertiniano sub A. 801. Luceriæ ad occasum æstivum, & ad dexteram ripam Frentonis, olim TEANUM consultius sanè ommittendum. Ingenuè faremur, apud Scriptores medii ævi, quor contrectamus, nobis nondum occurrisse hoc Teanum Apulum, ut vocabant veteres, ad differentiam Teani Sedicini Campaniæ in Gastaldatu Capuano, cujus tantùm

Digitized by Google

rùm & persæpe meminerunt Scriptores nostri. Anonymus Ravenn. *in Periplo p.* 252. scribit quidem *Larinum*, *Teanopolo*, *Ergitio* &c. sed juxta tabulam Peutingeri Romanam, non medii ævi, quo Teanum dictum Civitas. Erchempertus num. 66. *His quoque diebus* (A. 887.) *Theophylactus Stratigo à Bari Teanum hostiliter advenit hiemis tempore, Saracenos tentans impugnare: nihilque proficiens infructuosius abscessit*. Teanum hoc Sedicinum ne, vel Apulum? Nobis videtur Sedicinum in Campania, ubi jam degebant Saraceni ad Garilianum ab A. 875. Venisse autem Stratigum in Campaniam intelligimus ex sequentibus: *abiensque Neapolim, Marinum Gastaldum Castri S. Agathæ, Ajoni rebellem, accepit: & Apuliam rediens* &c. Porrò Sancta Agatha hæc in Samnio, de qua supra num. 132. Huc revocentur dicta num. 129. de Civitate, hoc est *Teano Apulo*: & num. 134. de Marsico. FANUM S. SEVERI, quod Bodrando dicitur etiam *Severinopolis*, in quod translatus Episcopus Civitatensis, hoc est Teani Apuli. Non videtur Holstenio *in Cluv p.* 281. esse vetus *Ergitium*, sed tantum circa, nam in mox dicta Peutingeriana *segm.* 4. sic via describitur *Teano Apulo*: ..... *Ergitium* 18. *Siponto* 25. Ita in Isleana. At F. S. Severi est magis ad boream, & mari proximius: & in Isleana distat à mari 25. m. pass. Ad boream prope mare LESINA, & ibi ejus Lacus, de qua Leo Ost. 1. 60. & alibi pluries: sæpius adhuc Chronographus Vulturnensis, ut pagg. 448. a. b. 451. 459. b. &c. RODIA, olim *Hurium* scribitur à Peregrinio in sua tabula: *Hyrium* est Lexicographis, nunc Rodi. MIRINUM, & prope ipsum VESTA, quæ Vesti Anonymo Barensi A. 1052. ibi: *Argiro semivivus exiliit plagatus, & ibit* (ivit) *in Civitate Vesti*: ita & Lupus Protospata A. 1051. De utraque Holstenius *in Cluver. p.* 278. „ Ad extremum Gargani M. „ promontorium Civitas Episcopalis sita est vulgo *Vieste*. Ea extructa fuit in ruinis antiqui Oppidi *Merini*, sive Mirini Episcopali dignitate olim quoque „ clari. Inde haud dubiè Plinio Metinates in M. „ Gargano „ &c. M. GARGANUS veteribus celebris, sed Scriptoribus medii ævi celebrior ab exitu V. sæculi, ob Apparitionem S. Michaelis Archangeli. Hinc nunc dicitur Collenutio *l.* 2. *p.* 85. *M. S. Angeli*, in quem se receperant Saraceni, eo munito A. 964. ATRÆ ad ortum Siponti scribuntur quidem in Isleana, sed nobis ignotæ. Scribuntur, & prope *Metinæ*: & in Magini tab. 53. extat *Mattinata*, sed *Atrarum* nullum nobis apparet vestigium. Absunt à nostris Geographis, & Lexicographis, itemque ab Itinerariis: vix apud Anonymum in Periplo p. 252. *Atre*: *Siponto*, sed ibi Porcheronus filet. SIPONTUM ex cujus ruinis parum distans condita *Manfredonia* à Manfredo Neapolis Rege, & Friderici II. filio circa A. 1256. At medio ævo Sipontum vigebat, ut apud Erchempertum numm. 17. & 76. Paulum 2. 21. Lupum Protospatam A. 926. &c. ARPI cujus vestigia retinent nomen apud Bodrandum h. V. Veterem nummum prodit Laurent. Pignorius *Orig. Patav. p.* 57. Αρπανων. Pardus Episcopus, & Crescens Diaconus de Civitate Arpiensium Provincia Apulia subscribuntur Concilio Arelatensi I. ut annotat Holstenius *in Cluver. p.* 280. Vergentes ad austrum, australior MELPHIA, in tabula Peregrinii *Melfis*, cujus nomen celebre ævo quidem Normanorum, attamen medio existebat, si ab ipsis captam dicit Guil. Apulus *lib.* 1. *p.* 256. a.

Melfia capta fuit, quicquid prædantur, ad illam
Urbem deducunt - - - - - -

Item col. seq. b.

Melfia Normannis victoribus, ut repetatur,
Complacet; hic spoliis collectis gentis Achæa &c.

Non igitur rectè dixit Blondus de primis Normanis *Reg.* 12. sub initium, quod ut *sedem haberent, in qua mulieres, pueros, impedimentaque tuta conservarent, Melphim Urbem arduo, & natura communito loco ædificarunt*. Aliter etiam Leo Ost. 2. 67. *Arduino Duce* (Mediolanensi) *Melphiam primitus, quæ caput, & janua totius videtur Apuliæ, adeunt: eoque interveniente, ac mediante fine aliqua illam controversa capiunt*. Utique post *cum fine Castro* (subdit Gaufred. Malaterra *Historiæ Siculæ* 1. 9.) *quo se tuerentur Patriæ illius incolæ essent, Castrum, quod Melfa dicitur, construxerunt*. Attipulatur Collenutius *Rer. Neap. lib.* 4. *p.* 652. de hoc Oppido scribens, quod „ à Gu- „ lielmo Ferribrachio Normannorum Duce conditum „ Annales quidam tradunt: alii ab eo per vim cap- „ tum. Quod veri est similius, cognita opportuni- „ tate, illud, ut arcem futuram adversùs Græcos „ ..... primum à Gulielmo, inde à Drogo, ar- „ que Humfredo, qui Gulielmo fratri successerant „ ..... arce munitum. „ Adhuc alii Scriptores, quos refert Ughellus *t.* 1. *col.* 921. edit. 2. qui asserunt Melphiam antiquiorem Normanis. Nescimus tamen quomodo laudet Erchempertum dicentem extitisse tempore Constantini M. Nondum id legimus. Supra ad occasum BIBINUM: Anonymo Salernitano *part.* 7. *num.* 4. *Bivinus*: & num. 6. *Bibina*: Chronographo Casauriensi *Bivinum*, *col.* 829. *in Apuliæ finibus apud Bivinum*: & col. 832. Præceptum Ottonis A. 969. *actum in Apulia in suburbio Bivino*. Hujus ad ortum ASCULUM, ut Leoni Ost. 1. 60. & 2. capp. 37. & 67. ubi *Guilelmo Asculum* Apulum tribuitur in divisione Normanica. *Asculus* verò, & Paulo 2. 21. & Guil. Apulo *lib.* 3. *p.* 268. b. HERDONEA; quæ non est *Cedogna*, ut Cluverium docet Holstenius *p.* 272. sed recens *Ardona* inter amnes *Cerbarum*, & *Carapellam*, quod non observavit Isleus locans Herdoneam inter Cerbarum, & Aufidum. Verum tamen est, quod & ipse, & Lexicographi Carapellam prætereunt, sed immeritò. Hinc IV. amnes distingui debent juxta tabulas Peregrinii, & Magini 53. ab occasu in ortum. I. CANDELARUS, qui in mare se exonerat. II. CERBARUS (& Cerbalus) qui non defertur ad mare, sed juxta Bodrandum in Candelarum, annuente Peregrinio, & juxta Maginum in quemdam lacum anonymum. III. CARAPELLA in mare influens. IV. qui etiam medio ævo AUFIDUS dicitur Leoni Ost. 2. 67. Et hic finis Apuliæ occiduæ, licet Plinio 3. 11. *Amnis Cerbalus Dauniorum finis*, sed ubi oritur, nam illuc Hirpinos distinguit ab Apulis, ut rectè observat Cellarius pag. 881. nec aliter, quia ibidem Dauniorum fines protendit trans Aufidum, *Venusiam*, & *Canusium* Dauniis adscribens; sed utriusque Apuliæ limitem posuit natura, & ita medio ævo Aufidus quodammodò Græcos, & Langobardos coercuit.

(138) Terram itaque ab Aufido (Italis Ofanto) usque ad extremum promontorium Italiæ protensam appellare Apuliam non ambigimus, ob ratiocinium nu. 135. præmissum. Obsoletis namque ævo medio Græcorum, & Romanorum nominibus, præsertim sæculo VII. quo veteris Calabriæ nomen ab hoc cornu fuit ad oppositum Brutiorum, Siciliam respiciens, translatum, Apuliæ nomen permansit, eidem a Græcis adæquè Langobardiæ nomine adjecto; ut infra. Dupliciter tamen debet considerari *Langobardia* more Græcorum: uno modo presè, & propriè accepta, veluti ditio, & sedes diuturnior Græcorum, & ubi antiquitùs fuit vetus Calabria, in quo sensu ab Apulia occidentaliori distinguitur: altero modo latè pro tota ditione Beneventana, quin imo & pro tota Italia Transtiberina latissimè. Primo modo secernitur a Lupo Protospata (al. Protospatha) qui licèt origine Apulus, quandoque tamen veluti amphibius græcissat. Is igitur A. 955. scribit: *Descendit Mirianus Patritius in Apuliam*: A. 969. *Introivit Otbo Rex in Apuliam*: A. 985. *Descendit Romanus Patritius cum filio suo in Apuliam*. Hucusque Lupus scribit ut Apulus, accipiendo integrum cornu cum ditione Græca pro Apulia: at infra A. 1010. eandem more Græco vocat Langobardiam, ibi, juxta cod. Andr. *Langobardia rebellavit à Cesare opera Melo Ducis*. Et sanè sola Apulia rebellavit. Apuliam adhuc a Langobardia distinguit A. 1041. scribendo juxta eundem codicem Andriæ: *Michael Protospatarius descendit è Sicilia in Lombardiam* (hoc est in veterem Calabriam) *& inde Apuliam* (propriè dictam) & juxta hanc divisionem scripsimus *Apuliam*, seu *Langobardiam minorem*: cur minorem, infra, ubi firmabitur amplius hæc ratio. Nec a nobis dissentiri videtur doctus Peregrinius, qui licet in sua tabula scribere Apuliam, minus Langobardiam noluerit, fatetur tamen *Diss.* 8. sub initium, quod *idem aliquando fuit Græcis Langobardia, quod nobis Apulia*: spondetque id demonstrare *in Dissert. de occasu Langobardorum*, quam adhuc desideramus. Verùm dum pergit, contendendo, solam Apuliam dictam fuisse Langobardiam, & nullatenus Provinciam Beneventanam, ea suffultus ratione, quod Apulia diu à Langobardis possessa, post a Græcis recepta, eorum juris tunc esset, suspicamur non distinguere tempora, scilicet quando cœperint Græci primo Apuliam, exinde universam ditionem Beneventanam vocare Langobardiam: Nunc primò de loco, exinde de tempore. De loco dubitandum non est, nomen Langobardiæ protensum à Græcis fuisse usque ad Vulturnum, sive Casilinum amnem, ut sentiunt Clariss. Viri Isleus, & Bandurus in supra laudata tabula *Orbis Romani descripti, seu divisi per Themata ad normam Constantini Porphyrogeniti*, ubi & semissis Italia delineatur, & in area Lucaniæ scribitur *Langobardiæ Thema* cum finibus ad *Casilinum*. Porphyrogenitus porrò de *Administ. Imper. c.* 27. hanc semissem Italiam demonstrat fuisse in duas tantum partes divisam, scilicet in *Langobardiam*, & *Calabriam*, utraque uno sub Themate solùm comprehensa, inquit enim: *Langobardi è Bene-*

ven-

vento, *excursione in omnem ditionem facta*, *subjecerunt eam Themati Langobardiæ*, *& Calabriæ*; & ideo in libello *de Thematibus*, *Th.* 11. *lib.* 2. describitur Regio, sive *Thema Langobardiæ* unicum, non duplex, continens sub se Campaniam, Samnium, Lucaniam, Apuliam, & recentem Calabriam. Hic posset quis dicere, scribi quidem in semissi Italia *Langobardiæ Thema*, & sub ipso *Ducatum* Calabriæ in cornu inferiori Brutiorum, non verò *Apuliam* contra ea, quæ supra mox annotavimus. Utique, sed ex Lupo Protospata satis intelligimus sub Themate Langobardiæ & Apuliam venire; nam si Græci sub hoc Themate aliena Beneventanorum complectebantur, multò magis, & maximè propria, nimirum Apuliam. Id porrò demonstrant Græci quoque Scriptores Joh. Curopalates pag. 40. edit. Venet. 1570. cum inquit, quod *Agareni*, *qui ad Rbausii* (Dalmatiæ) *obsidionem permanebant* . . . . . *obsidionem solvunt*: *& cum in Italiam*, *quæ nunc Langobardia appellata est*, *transmisissent*, *Castrum Barii expugnarunt*. Item Cedrenus fortè Curopalatis plagiarius pag. 475. edit. Basil. Oporin. 1566. de eisdem Agarenis, sive Saracenis: *ad Italiæ eam partem*, *quæ Langobardia hodie dicitur*, *navigantes*, *Barim Castrum occupant*: Barium autem in Apulia esse nemo nescit. Ideo postea Calabria in cornu inferiori scribitur, eo quia Porphyrogenitus illius expresè meminit, & Græci Calabriam præcipuè affectatione quadam nominabant, quia cum veterem amisissent, ejusque nomen transtulissent aliò, jacturam populis contegentes, adhuc possidere Calabriam eisdem significabant. Cum verò extra Apuliam Langobardiæ Thema extendebant, adhuc fortè hujus Italiæ se dominos ostentabant, quasi retinentes vetera jura; etenim Prætores, sive Duces ab Imperatoribus Græcis huc missi *Strategi Langobardiæ*, tanquam unius Provinciæ suæ jurisdictionis se in suis edictis solebant inscribere. Sic in Chronico Vulturnensi pag. 413. dicitur Georgius *Stratigos Cephaloniæ*, *atque Langobardiæ*: & apud Leon. Ost. 1. 49. legitur: *Simbaticius Patricius veniens à CP. obsedit Beneventum*: *is erat Imperialis Protospatarius*, *& Stratigo Macedoniæ*, *Traciæ* (Thraciæ) *Cephaloniæ*, *atque Langobardiæ*: & 2.2. in fine Abbas S. Benedicti Præceptum *impetrat* (in notis num. 4.) *à Mariano Imperiali Anthipato* (Anthypato Proconsule) *Patricio*, *& Stratigo Calabriæ*, *atque Langobardiæ*. Quod adhuc Samnium, quod meditullium Ducatus Beneventani, comprehenderetur sub eodem Themate evincit diploma, sive Præceptum Romani Constantini, aliorumque Coimperatorum Græcorum, quod extat in *Chronico Vulturn.* p. 427. a. A. 927. in quo dicitur Mansio, (hoc est Monasterium S. Vincentii) *quæ adjacet in ipsa amica Christi nostra Themate Langobardiæ*: ibique Imperatores jubent tum Græcis, tum Langobardis Magistratibus, & hominibus, ac si essent in eorum ditione simul cum Monasterio, cujus situm indicavimus in Gastaldatu Alczeci num. 127. Accedat & judicium Viri doctissimi J. B. Carusii in exitu Præfationis ad Chronicon Cantabrigense, qui dum innuit, qua dialecto Arabes pronunciarent vocem *Langobardia*, vel cum præpositione *Al-Longobardia*, vel *Allonchobarda*, subjicit, eosdem per Langobardiam intellexisse *Campaniam*, *Ducatum Beneventanum*, *& finitimas Regiones*, *quæ ante Romanorum adventum in Italiam Langobardis Principibus parebant*. Latius, & latissimè tandem quidam Langobardiam protraxere, ut Curopalates d. p. 40. ubi, ut dicebamus, totam Italiam Transtiberinam Langobardiam esse, significatur; inquit enim quod Agareni, capto Bario, *omni Longobardia usque ad ipsam ferè gloriosissimam Romam potiti sunt*. Et dum is idem p. 103. a. vocat *Principem Langobardiæ Leonem Opum*, pro Langobardia dicit Italiam Lupus Protospata A. 1033. ibi: *Constantinus Protospata*, *qui & Opo vocabatur*, *Catapanus Italiæ*. Ante hos omnes idem dixerat Porphyrogenitus *de Administ. Imp. c.* 29. ubi, *capto Bario*, *tunc Soldanus extructis ibi palatiis Langobardiam omnem Romam usque annos* 40. *tenuit*. Adæque post laudatos Nilus Doxapatrius Notitiæ Patriarchat. (inter Schelstratensis num. 19.) loquens de Patriarchatu Romano *Italiæ sunt* (inquit pag. 723. a.) *sive Lombardiam*, *quæ nunc dicitur Longibardia*, ea scilicet, de qua infra p. 732. a. b. *Universæ Longobardiæ Ducatus*, *quæ vetus Hellas erat* (quia Magna Græcia dicta) *sub Imperatore erat Constantinopolitano*. Hactenus de loco, nunc de tempore. Intempestivè nimis censet Isleus, divisionem Imperii Orientalis per Themata, juxta laudatam suam tabulam, sub medium sæculi VII. factam. Cum enim dicit *post Heraclii tempora* (qui imperavit ab A. 610. ad 41.) is loquendi modus significat tempus non longè post ejus mortem, aliter quocunque tempore verum esset dicere *post Heraclii tempora*. Sicut, cum *Notitia utriusque Imperii* scripta dicitur ultra tempora Arcadii, & Honorii, tempore proximi successoris Theodosii junioris scripta censetur, & non à Mariano Scoto sæculi XI. ut putavit Cujacius, annuente Surita, in notis *ad Itin. Anton. pagg.* 239. & 534. Conjici quidem potest, quod annis 30. vel 40. post Heraclium, quando Langobardi Apuliam, & partem Calabriæ occuparunt, Græci reliquiis nomen Langobardiæ tunc fecerint, translato Calabriæ nomine ad Brutios. Verùm nec sæculo VII. neque fortè VIII., saltem ante Langobardici Regni eversionem, constitutum *Langobardiæ Thema*, prout scribitur à Porphyrogenito, & describitur ab Isleo, non credimus. Et sanè Cl. Bandurus *Imper. Orient.* t. 2. p. 30. in *Th.* 11. *l.* 2. ita sentit: „ Postremis „ temporibus Langobardiæ nomine Italiæ pars à Græ„ cis donata fuit, quæ in eorum Imperio remansit, „ nimirum Calabria, atque pars Regni Neapolitani, „ ut manifestò apparuit ex his, quæ hic scribit Por„ phyrogenitus. Olim autem sub Carolo M. Longo„ bardiæ nomen tam latè patuit, ut universa Italia „ hoc vocabulo intelligeretur, ut constat ex charta „ ejusdem Caroli M. pro divisione Imperii: *Italiam* „ *verò*, *quæ & Longobardia dicitur*: „ &c. Ut ut sit de Italia Cistiberina, sive de Langobardia majori, de qua satis dictum Sectionibus 13. & 14. At non omnino *postremis temporibus*, sed ejusdem Caroli M. ætate de Langobardiæ Themate à Græcis constituto testem habemus, unum quidem, sed pro multis facientem, synchronum, Abbatem nempe Georgium Theophanem, mortuum A. 818. celebrem Chronographum, *Historiæ Byzant.* t. 6. insertum. Ibi tamen non legimus, quod prodidit, fragmentum And. Duchesn. t. 2. p. 199. *de Rebus Caroli M. cum Imperatore CP.*, Anastasio Bibliothecario interprete. Ibi: *Interea Hirene misit Johannem Sacellarium*, *& Logothetam in Longobardiam* (majorem cis Tiberim) una cum Theodoro (Adelgiso in Miscella l. 23. p. 167.) *dudum Rege majoris Longobardiæ ad ultionem inferendam*, *si posset*, *in Carolum*, *& quosdam subducendos ab illo*. Ergo cum Theodoro Patricio, & Prætore Siciliæ, initoque bello, tentus à Francis amarè peremptus est (A. 787. al. 88.) Variat lectio Miscellæ, etsi ipsius Collector hæc & plura alia ex Theophane exprompserit. Etenim *l. l.* legitur: *Descenderunt ergo cum Theodoro Patricio Eunuchho Prætore Siciliæ*, *& inito bello*, *tentus à Francis*, *amarè peremptus est*. Hic Collector non satis distinguit, an interemptus solus Theodorus (quem *Adelgisum*, & Theodatum vocat) an etiam Theodorus Prætor Siciliæ: conferantur. Ex utroque tria colligimus. E: I. *Adelgisum* eundem esse ac *Theodorum* Theophanis, vel *Theodatum* Miscellæ sic vocatum à Græcis, quibus solemne suis nominibus Græcis Barbara commutare: qui mos ignotus Pagio, qui A. 788. loquens de hoc bello, in quo Adelgisus occubuit, notat Theophanem apud Baronium, quia hunc Theodatum perperam appellat. Verum immeritò notatur, nam contra Joh. Georg. Eccardus *Hist. Genealog. col.* 599. in Stemmate Desideriano justè arguit Thesaurum, qui binonimum dicit Adalgisum Theodorum, demonstrans, Theodorum sic fuisse solum dictum à Græcis: & quod item *Rotrudis* Caroli M. filia (quæ promissa Constantino VI. & post denegata, causa fuit hujus belli, ut apud Eginhartum in Annal. A. 788.) à Græcis vocabatur *Erythroe*: *erat enim Græcis* (& ipse inquit) *in more*, *ut nomina peregrinarum linguarum vertendo*, *aut immutando*, *in sibi notiora converterent*. Ita uxor Juliani Imp. *Ezeucipa* dicta est *Euphemia*: *Maria* F: Raimundi Principis Antiochiæ, & uxor Manuelis Imp. *Xene*: *Berta* F. Hugonis Regis Italiæ, & uxor Romani jun. Imp. *Eudoxia*: *Adelbeidis* F. Henrici Mirabilis Ducis Brunsvicensis, nupta Andronico jun. *Irene* &c. Alibi num 34. ex Gregorio Turonensi notavimus & nos, *Agilulfum* Regem Langobardorum dictum Græcis *Paulum*. II. Si Theophanes vocat Theodorum Regem majoris Langobardiæ, *majorem* dicit per comparationem ad *minorem* trans Tiberim, sive hæc fuerit intra fines veteris Calabriæ, ubi primò nomen emersum, sive amplum Thema adhuc Beneventanam Provinciam complectens juxta Porphyrogenitum: quod sanè probabilius videtur, ut notius. Minor enim semper illa erat Cistiberina nostra in longitudine, & latitudine, ab Alpibus hinc ad Mincium saltem, inde ad Labinum Mutinensem, juxta fines Langobardiæ constitutos numm. 33. & 53. III. Alterutra fuerit, utique, si ætate Caroli M. & Theophanis erat major, erat & minor, juxta canonem dialecticum *correlativa sunt simul tempore*: hæc nimis clara, ad Urbes.

(139) Cum hæc orientalis Apulia (antiquioribus Peucetia) vetusque Calabria confinis promiscuæ fuerint ditionis Langobardicæ, & Græcæ, difficile est decernere, quænam Urbes singillatim ad alterutram attinerent. Difficultatem prævidit & doctus Peregrinius

Digitized by Google

nius *Diss.* 7. ad hanc partem spectante, ostendens incertam fore regulam, tribuendi Urbes maritimas Græcis, & Mediterraneas Langobardis, quoniam ex Erchemperto n. 16. constat *Earum* fuisse Langobardorum, & si fuit hæc Urbs maritima, quare non etiam proximæ? Item Porphyrogenitus *de Admnist. Imp. c.* 27. ex tot maritimis Urbibus in hac parte solas *Hydruntem*, & *Callipolim* Græcis reservat: & tamen *Tarentum* A. 663. & quoad vixit Constans II. fuit Græcorum juxta Paulum 5. 7. Definit tandem Peregrinius indistinctè, Langobardos suos limites trans Brundusium non produxisse. Quamobrem, ne nimis simus prolixi in singularum Urbium examine, harum indicatione contenti dumtaxat erimus, juxta nomina, quibus ipsas Chronographi ævi medii appellarunt, recensendo illas primo, quæ inter Aufidum, Apenninum, & mare usque ad agrum Brundusii clauduntur. Igitur ad dexteram Aufidi, sive ad amnem in hunc influentem VENUSIA Erchemperto n. 33. & Leon. Ost. 2. 67. *Drogonis Venusia* obvenit MONORBINUM & Menorbinum Leon. Ost. 2. capp. 26. & 67. ibi *Raimfrido Monorbinum* LABELLUM ibidem *Arnolino Labellum*. CANUSIUM Paulo 2. 21. eidem Leoni 1. 60. & 2. 26. sed *Canosina Ecclesia* in *V. S. Bened. c.* 15. Erchemperto num. 33. *Canusia*. CANNÆ utique in numero majori, ut antiquitus, etiam medio ævo: Leo Ost. 2. 37. *Quarta demum pugna apud Cannas*; Guil. Apulus *pagg.* 254. b. 256. a. 274. a. Anonymus Barensis AA. 1083. & 4. *super Civitatem Canni*: *diruit Canni*: sed A. 1118. *Cannas*: variat & Leo Ost. 2. 67. ibi *Rodulfo Cannim*. RUBI Anonymo Ravennati, & in *Geograph. Sac. p.* 57. Holstenius in ipsam p. 19. recolit Johannem *Rubisiae* Ecclesiæ Episcopum: nunc *Ruvo*. ANDRIA: Leon. Ost. 1. 60. *Andre*: Guil. Apulo pagg. 259. a. 266. b. *Andrum*. BARULUM: Anonymo Barensi A. 1118. *Barolum*, ubi Statua Rachisii Regis Langobardorum cum corona, & sceptro, cujus typus apud nos extat, & memoratur à Nuceo *in Leon. Ost. c.* 8. *l.* 1. ex Beatillo: nunc *Barletta*. Ad mare TRANUM Leon. Ost. 2. 26. & 38. ac *Petro Tranis* 2. 67. Anonymo Barensi A. 1073. Guil. Apulo pagg. 258. a. 269. b. BITUNTUM intus, *Butuntos* Anonymo Ravennati: & *Botunti* Lupo Protospatæ A. 1010. & 1017. etiam Lexicographis *Butuntum*. Infra AQUAVIVA Apuliæ, unde inclyta, & veterrima familia. Iterum ad mare VIGILIÆ Martyrol. 27. Jul. & Ferrario Catal. SS. ead. die; Sergius (al. Georgius) subscribitur Concilio II. Nicæno A. 787. *Episcopus Vigiliarum*: nunc *Biseglia*. De ipsis nihil prisci Geographi, quod sciamus, etsi communiter recentiores scribant à vigiliis Militum Romanorum denominatas. At cur speciatim hic Vigiliæ? Nonne ubicunque Romanæ stationes, & præsidia noctu milites vigilabant, divisis vigiliis in 1. 2. 3. & 4. singulis tres horas durantibus? Etyma ingeniosa. JUVENATIUM Leon. Ost. 2. 26. Guil. Apulo *pagg.* 266. b. 268. b. & seq. a. & Anonymo Barensi pluries, olim *Natiolum*, non *Egnatia*, ut putat Collenutius *lib.* 1. *p.* 8. BARIUM, *Bari*, *Vari* Scriptoribus medii ævi, præsertim Erchemperto sæpissimè, sed num. 16. quando A. 840. *Pando Barim regebat, qui jussis obtemperans Radelgisi Saracenorum Phalangas in adjutorium accitas juxta murum Urbis, & ora maris locavit commorandas*. Noctu Urbem ingressi, Christianos trucidarunt, dignè postea in mari demerso Pandone. CONVERSANUM Abbati Telesino 1. 10. & in tabula Peregrinii, qui de eo in Castigationibus *in Anonymum Cassin.* sub A. 1132. *Cuperssanum* etiam Lupo Protospatæ A. 947. & Anonymo Barensi An. 1054. NORBA in Isleana: *Norve* in Peutingeriana: *Norbæ* Anonymo Ravennati p. 220. abest a Lexicis. MONOPOLIS Johanni Curopalati p. 109. a. Guil. Apulo p. 257. a Leon. Ost. *Autabovi Monopolis*: Anonymo Barensi AA. 1042. & 1059. &c. EGNATIA, & Gnatia antiquis: in Peregrini tabula scribitur *Monopolis ol. Egnatia*: Huic quidem illa suffecta, sed Gnatia nunc *Torre di Adamazzo* in Magini tab. 55. distat à Monopoli 6. m. ferè passuum in ortum: annuunt Lexicographi: *Egnatia* in Geographia Sac. p. 57. Anonymo Ravennati p. 207. *Gnatia* juxta Strabonem: variat in Periplo p. 252. ubi *Ignatia*: videatur Ortelius *in Egnatia*, penes quem variè sentiunt Scriptores Neapolitani. In hac ora *Brundusium* sequitur, sed non progredimur, reversuri ad reliquas Urbes Apuliæ inter Bradanum amnem à dexteris, & Apenninum ad lævam positas. Cum Tarentum pervenerimus, Urbium cæterarum extremæ Italiæ veterum Salentinorum ambitum conficiemus. Nunc Bradani ad lævam, sive ad fluviolum proximum ACERENTIA Leoni Ost. 2. 67. *Asclittino Acerentiam*: Paulo 2. 21. *Agerentia*, sed 5. 7. *Arentia*: Anonymo Salernitano *part.* 3. *num.* 2. *Acherentia*: Antiquioribus *Acherontia* quidem, sed etiam medio ævo in *Chronico Northmanico* A. 1061. (C. H. t. 5. p. 278. V.) supra FERENTUM, nunc *Forenza* in Magini tab. 55. de quo veteres Geographi, & Horatius *Ode* 4. *lib.* 3. SILVA, seu *Vistrum*, & ubi? In Isleana *Silvium* quidem, ut in Itinerario Antonini à Benevento Tarentum p. 110. ibi: *Venusia* . . . *Silvium m. p.* 20. *Plera m. p.* 13. Item in Peutingeriana segm. 4. *Silutum*: nunc dicitur *il Gorgolione* Holstenio in Ortelium *V. Silvium* p. 178. & ita in Magini tab. 55. ad radices Apennini: videatur Ortelius *in Silbium*, de quo nullum inditium apud Scriptores medii ævi. PLERA abundat juxta eundem Holstenium *in Ortel. p.* 154. scribentem *Gravinam esse ex itineris ductu, & intervallis*, ut conjicit, & recte, nam ita adamussim in tabula 55. Magini. Videat & Isleus, qui in sua facit Venusia Silvium 40. m. p. & Silvio Pleram 15. Codices nostri omnes conveniunt in 20. & 13. præsertim Simlerianus, & Vaticanus Schelstratensis: pergamus, descendendo ad austrum, monentes, errorem unum in una distantia errore trahere. MONS PILOSUS Leoni Ost. 2. 67. *Tristaino M. Pilosum*: item Gaufredo Malaterræ 1. 10. sed Anonymo Barensi A. 1042. *M. Pelusio*. GRAVINA, de qua mox supra *in Plera*, quod nomen obsoletum medio ævo, nam æque Liutprando, ut mox, Lupo Protospatæ A. 976. & Anonymo Barensi dicitur Gravina A. 999 ibi: *descendit Tracibamoti qui & Gregorius Catap. & obsedit Gravina*. MATERA Erchemperto n. 33. *Materenses* n. 72. ita & Leoni Ost. 1. 36. *Matera* in Chronico Vulturn. p. 415. a. Charta A. 882. qua Godino Protospatario plura conceduntur in Civ. *Matera*. Liutprando in *Legatione* pag. 488. *Maceria*: Anonymo Barensi A. 867. *Materia*, ibi: *incensa est Materia à Ludyco Imp.* at infra A. 994. *obsessa est Materie &c* CIVITAS SEVERIANA, nunc *M. Scaglioso* Mario Viperæ Chronolog æ Episcop. Beneventi p. 94. apud Holstenium *in Cluv. p.* 311. sed Lupus Protospata A. 1003. *Sarraceni obsederunt Monte Scaviosum*. GENUSIUM, in Isleana Genusia ex *Genusinis* Plinii 3. 11 & ex agro Genusino Frontini *de Coloniis* p. 111. apud Harduinum in hunc locum p. 168. n. 6. *Genosa* & hodie. CASTANIA: in Chronico Northmannico A. 1080. *Castinetum*: & in Charta Rogerii Siciliæ, & Italiæ Regis An. 1133. apud Ughell. *t.* 9. *col.* 152. edit. 2. *Castellanetum*; & nunc *Castellaneta*.

(140) Ab hac Urbe Tarentum proficiscimur, cum inter has Urbes locum notatu dignum non videamus. E regione Tarenti supra ad mare Adriaticum est Brundusium: terram autem, sive Peninsulam ultra hunc isthmum inter Jonium, & Adriaticum positam variè appellarunt antiquiores apud Strabonem 6. p. 562. scribentem quod *eam & Messapiam, & Japygiam, & Calabriam, & Salentinam complures, communi appellatione nuncupant: at quidem (ut antea diximus) dividunt*. Dixerat porrò supra p. 553. & 4. *Contigua vero Japygia, quam Messapiam Græci vocant, indigenæ autem partim Salentinos, ultimam Japygiam nominant, partim Calabros* . . . . . *Est vero Messapia in Peninsulæ forma à Brundusio usque Tarentum isthmo inclusa*. At cum hæc omnia nomina medio ævo desierint (absunt namque a Scriptoribus nostris: nec illis usus est Leo VI cognomine *Sapiens* Imperator ab A. 886 in binis Notitiis Provinciarum Imperii XVI. & XVII. apud Schelstratensem *in Append. ad Antiq. Eccl.*) cumque idem Strabo d. pag. 554. nobis testetur, quod adhuc suo tempore *Accolæ tractum omnem post Calabros Apuliam*, vocabant, ita etiam fuisse vocatam medio ævo, ut & nunc, sed oretenus (scribitur enim *Provincia Hydruntina*) haud dubiè censemus. Qua propter usque ad extremum Italiæ nomen Apuliæ protrahimus, altero adjecto Langobardiæ minoris ex Theophane, ut prædiximus n. 138. Hunc porrò Tarentinum, & Brundisinum isthmum Langobardos nunquam transegisse autumat Peregrinius *Diss.* 7. ineunte, etsi Porphyrogenitus *de Admin. Imp. cap.* 27. excipiat solas Hydruntem, & Callipolim, necnon Paulus 6. 1. scribat, quod Romoaldus Dux Beneventanus, captis Tarento, & Brundusio, *omnem illam, quæ in circuitu est latissimam Regionem suæ ditioni subjugavit*: sanè si *in circuitu*, & quid aliud trans isthmum. Revera tamen apud Scriptores nostros Langobardos rara fit mentio locorum trans illum. Hæc nunc descripturi, observamus in quibusdam tabulis Apenninum usque ad *Hydruntum* produci, in aliquibus non tantum, sed citra, & in aliis ultra usque ad Acram, sive ad promontorium Japygium, hoc est *Leucam*, videmus tamen huc, illucque montes depictos: nos usque Hydruntum Apenninum protrahimus: docente nos peritissimo Ant. Galateo *de situ Japygiæ p.* 13. quod *utrumque*

que extremum (Italiæ) *finis est Apenninus* : & paulo infra de ipsius montibus subdit, *ultra Brundusium*, *& Tarentum ferè ad utrumque mare descendunt*. Primò igitur loca inter Apenninum à dextris, & Adriaticum ad lævam recensebimus, exposit, inter eundem Apenninum ad lævam, & sinum Tarentinum ad dexteram, cætera numerabimus. Igitur ad Adriaticum est BRUNDUSIUM invariati nominis, ut ex Paulo 6. 1. & S. Gregorii *Epist.* 21. *lib.* 5. qui Petro Episcopo Hidruntino committit visitationem Ecclesiarum *Brundusii*, *Lippias*, *atque Gallipoli*, quæ erant sinè Pastore: *Brindice* Anonymo Ravenn. p. 252. & *Brundusiopolis* Lupo Protospatæ AA. 1071. & 1085. Intus MESSANA, de qua Baronius in Martyrol. 18. Apr. de S. Eleutherio, nota d. nunc *Mesagna*, credita *Messapia* Oppidum Plinii 3. 11. *Misenam* Apuliæ Civitatem scribit eadem die Usuardus, sed alia lectione *Messanam*. Ad litus LUPIÆ etiam Anonymo Ravenn. p. 252. in Periplo: sed supra p. 297. *Lupia* nunc Cluverio *S. Cataldo*, sed Bodrando *la Rocca*: *Lippias* S. Gregorio mox laudato. An idem ac *Aletium*, paulo infra. Hic recolimus, quod Ant. Galateus *de situ Japygiæ* arguit Guidonem Ravennatem, his verbis: *quod ille Lupias in Salentinis posuit*, *verum dixit*: *quod Lupiæ nunc Gallipolis dicatur*, *falsum* &c. Anonymus Ravennas nec Sallentinos nominat, nec ullibi hæc loquitur: vix nudum nomen profert; Non habemus igitur Geographiam veram Guidonis, sed Epitomen ejusdem omnino barbaram, ut ex dictis *sect.* 2. Infra Lupias FRATUERTIUM ad mare, de quo Plinius hoc pacto 3. 11. „ Ab Hydrunte Soletum desertum dein *Fratuertium*: Portus Tarentinus „ &c. Harduinus id dissimulat: Ferrarius aberrat: Bodrandus hæret: Cellarius ignotum dicit: Galateus omninò silet: Isleus divinat ne, illud scribendo prope Lupias ad ortum, & ad mare? Hydrunto Tarentinum portum ab ortu ad occasum nos ducit hic Plinius: *Saletium* Anonymo Ravennati p. 252. quidem novimus, exque aliis, ut infra, sed nullum vestigium portus in hac ora, cujus loca sanè sæculo IV. immutata, nullus enim locus ex Plinianis in tabula Peutingeriana, neque in Itinerario Antonini: in Burdegalensi p. 157. ita exactè ab Hydrunto Brundusium: *Odronto* ..... *ad Duodecimum* m. p. 13. *Clipeas* m. p. 12. *Valentia* m. p 13. *Brindesi* m. p. 11. Sequitur in tabula nostra è regione Fratuertii ALETIUM, quod *Litium* Lupo Protospatæ A. 1047. nunc *Lecce*. Nonnullis quos sequitur Ughellus *t.* 9. *col.* 67. edit. 2. idem sunt *Aletium & Luppiæ*, *vulgo Lecci*. Réapse inter varias dialectos Lupiarum relatas a Galateo p. 80. Aletium quoque comprehenditur: inquit: „ Lupiam, alii Lupias: Lypias: Lopias: Lupium: „ Lispiam: Lypiam *Aletium*: *Licium*: *Lictium* à Li„ ctio Idomeneo, alii *Liceam*: omnia hæc nomina „ idem sunt. „ Non ideo hæc approbat subdens: *Auctores non omnium habuere cognitionem*, *præcipuè eorum*, *quæ longè ab eorum patria semota sunt*: *nobis*, *qui hæc habitamus loca*, *credendum est*. Utique Isaacus Vossius *ad Melam* apud Cellarium p. 896. contendit *Valetium* Melæ, idem ac *Aletium* Ptolemæi: & qui distinguunt, Aletium *Lecce* interpretantur. Sed Lupiæ, & Aletium idem, minimè. Errorem tollit Strabo *lib.* 6. apud Cluverium p. 1244. dum ille scribit: „ In mediterraneo sunt Rhodiæ, & *Lupiæ*: ac „ paullum à mari recedens *Aletia*. „ Ad mare OTORANTANA CIV. „ ut medio sæculo dicta fuit: „ nam sic *Pius* PP. in suis Epistolis *tom.* 2. *Concilior.* „ *Gallic. p.* 45. „ Verba sunt Holstenii in Ortel. *V. Hydrus p.* 94. mendum subest in *Pius* (corr. *Paulus* I.) Recitat Peregrinius *Diss.* 7. sub initium ex ejusdem Pauli Epistola 4. ad Pippinum Regem de Desiderio, quod *appropinquante eo Benevento*, *illico Dux Beneventanus fugam arripuit in Otrantinam Civitatem* &c. quibus verbis ostendit Vir doctus, hanc Urbem fuisse Græcorum, si in ipsam Dux, Regis iram evadens, se recepit. Variè tamen *Hydruntum* scriptum invenimus adhuc apud eundem Scriptorem, ut apud Anonymum Barensem, qui An. 1043. habet *in Civitate Odronto*: 1047. *Ydrontum*: 1051. *Idronto*. Infra VASTÆ Isleo, & Lexicographis *Basta*, & *Hasta*. Cum is locus esset Græcorum, nequit deduci ejus nomen à *Vastum*, quod multis Oppidis commune fuisse observat Peregrinius *Diss.* 8. *p.* 194. a. ex Vito Amerpachio, qui Vastum deducit à *Guast*, *idest Hospitium veteri Germanica*, *& Gallica Lingua*: illa namque Langobardos usos Peregrinius subnectit, ex lege Langobardica 15. *tit.* 14. *lib.* 1. & ex Anonymo Salernitano inedito. Desinente ibi Apennino, reliqua loca trans eundem adibimus, & primò TARENTUM, à quo Sinus maris Jonii Tarentinus denominatur. De eo, quæ diximus cum de Urbibus Principatus Salernii num. 131., confirmat Joh. Juvenis *de Tarentinorum fortuna lib.* 6. *cap.* 2. ostendens, quod sæculo VII. Tarentum erat Græcorum, & ex Platina in *Leone II.* quem laudat, falsò credit captum fuisse à Romualdo Duce Beneventano A. 683. Intus MANDURIÆ, de quibus veteres apud Cellarium pag. 902. nunc *Casalnuovo*. Supra OERIA juxta Erchempertum num. 33. *Oira* Chronographo Vulturnensi p. 429. b. & 430. a. *Uria* in tabula Peregrinii: nunc *Oria*, & sic etiam antiquitus, ut in Chronico Northmannorum A. 1055. ibi: *Humphredus fecit prœlium cum Græcis circa Oriam*, & apud Abb. Telesinum *lib.* 1. *cap.* 12. Hujus ad ortum brumalem SOLETUM Plinii, ut supra, quod in Isleana scribitur in ora Adriatici inter Fratuertium, & Hydruntum: Anonymo Ravenn. p. 252. dicitur *Saletium*, & dum scribitur *in Periplo*, esse debet in litore maris. Nihilominus cum Bodrando *in Soletum*, qui sequitur Albertum, intra Apenninum scribimus, & nos Soletum. Albertus namque p. 240. exactè nimis hunc locum, & circumposita describit, quia singula lustravit, testaturque de visu *Soletum* (cujus Dominus Dux S. Petri in Gallatina) positum in colle meridiem versùs. Annuit Maginus tab. 56. scribens *Solito* prope *S. Petrum Gallatinum*, hoc 6., illo 8. m. pass. à Nereto (Nardò) in ortum distantibus: videat Isleus, sicut diximus supra de Fratuertio, nescientes nos, quomodo possit geminare *Soletum* hic ad Apenninum, & ad mare, si unicum tantum produnt Plinius, & peritissimus Galateus p. 94. ubi „ Soletum, alii Salentum dicunt, Græcum est, „ & antiquum Oppidum ..... Fuisse Urbem ve„ stigia murorum aliquibus in locis ostendunt. „ Igitur prope mare NERETUM, de quo veteres, & Albertus d. p. 240. b. Quandoque & *Nerito*, *Neritonis* in obliquo, ut ex veteri lapide apud Galateum p. 112. GALLIPOLIS, sed longè rectius juxta Græcos Καλλίπολις, quæ vox composita ex Καλὸς pulcher, aut Κάλλος pulchritudo, & πόλις, hoc est pulchra Civitas, quemadmodum scribuntur aliæ homonymæ in Sicilia, Ætolia, & Thracia. Et *sanè Urbs Græca Callipolis* hæc dicitur Melæ *lib.* 2. *cap.* 4. & ita in nummis Græcis Καλ. apud Harduinum in Plinium p. 166. nu. 20. qui tamen rejiciens vulgatam, hactenusque receptam lectionem Plinii 3. 11. ibi: *Aletium*. *In ora verò Senonum Gallipolis*, *quæ nunc est Anxa*: sic legere mavult: *in ora verò Senum*: *Callipolis*, *quæ nunc est Anxa*. Utique malè *Senonum*, qui nec hanc Urbem condidere, nec pervenerunt hucusque: sed dum Vir doctus *Senum* Oppidum hic imaginatur, sibi nimis indulget: namque nusquam gentium reperitur hoc *Senum*. Si extitisset, sanè illud non ignorasset Galateus, qui ante Harduinum id observavit, scribendo p. 129. *Hæc à pulchritudine non immeritò nomen sortita est*. *Græca Urbs fuit*: *nescio unde acceperit Plinius*, *Gallos Senones hic habitasse*: *nam non Gallipolis hæc Urbs dicitur*, *sed*, *ut antiqui habent codices*, *Callipolis*. Igitur cur non potius legendum: *in ora verò sinus* (hoc est Tarentini) *Callipolis*? Nos postea non docet Harduinus, cur ævo Plinii *Anxa* dicta: sanè Græcis semper Callipolis, ut medio ævo ex Porphyrogenito *de Administ. Imp. c.* 27. S. Gregorii *Ep.* 21. *l.* 5. Notitia Patriarchatuum Nili Doxapatrii pag. 732. a. *Append.* Schelstratensis ex Geograph. sacra p. 58. & antiquitus ex Itinerario Antonini. Intus BAVOTA Urbs antiqua nunc *Parabita* Lexicographis ex Cluverio, annuente Cellario pag. 899. Sequitur ALEXANUM: Alesano „ vulgo dicitur locus ille *S. Verato* in tabu„ lis Magini, & aliis accuratioribus. Celsus Citta„ dinus *ad Ortelium* scribebat vocari *S. Maria de Ve*„ *reto*: „ verba sunt Holstenii *in Cluver. pag.* 283. UXENTUM, & nunc *Ugento* in tabulis, & Lexicographis BARIS, seu *Veretum*, quod solum dicitur antiquioribus, & Anonymo Ravennati pagg. 207. & 252. Magino tab. 56. *S. Verato*: Cittadino *S. Maria de Vereto* ex recitatis verbis Holstenii: *Baris*, & Baretum Straboni 6. pag. 561. LEUCA cui antiquo nomini sanctissimum V. M. adjectum, nam & nunc *S. Maria di Leuca*: & hæc *dicta ab albedine*, *& nuditate scopulorum*, ut inquit Galateus in laudata sua *Japygia p.* 44. Straboni 6 p. 561. *Leuca Urbs non grandis est*: & Lucanus *lib.* 5. *v.* 376.

Antiquisque Taras, *secretaque litora Leucæ*.

Ibique promontorium Japygium, finisque Apuliæ, sive Calabriæ antiquæ.

SECTIO XXIV.

(141) Inferi maris oræ cur facilè servatæ à Græcis: Ibi ipsorum ditio quadripartita: *Ducatus Neapolitani* in Liburia fines: Id nomen quando primo auditum: Cur Regionis unius, & Urbis nomen ad alias translatum. (142) *Decennovius* putatus amnis unde dictus: Græcorum Urbes inter ipsum & Lirim: Item in Liburia:

Digitized by Google

ria: *Neapolis* medio ævo conditio: *Baja* quid: Reliquæ: Insulæ adjacentes: *Acropolis*.

(141) VAlidius, diutiusque sanè Græci potuerunt ditiones ad inferum, quam ad superum mare à Langobardis ævo medio tueri, scilicet in Campania, in Lucania, & in nova Calabria, olim terra Brutiorum, quas modò observare debemus. Cur felicius hanc oram Tyrrheni maris, quam alibi, sartam tectam servaverint est, quia hæc posita inter oram Ducatus Romani, & Siciliam æquè Græcorum, qui ideo maritimis classibus, quas hic commodè alebant, Urbes litorales, probè semper munitas, à piratis, & Langobardis, classibus destitutis, facilè defendebant; & reapse defectu classium nunquam legimus, Langobardos in Insulas adjacentes Italiæ irrupisse. Urbes porrò, saltem præcipuas, in hac parte servatas innuit sæpe laudatus Porphyrogenitus *de Administ. Imp. c.* 27. his verbis: *Langobardi è Benevento excursione in omnem ditionem facta, subjecerunt eam Themati Langobardiæ, & Calabriæ usque Papiam* (saltus giganteus & loci, & temporis) *excepta Hydrunte, Callipoli, Rusiano, Neapoli, Cajeta, Surrento, & Amalphe*: de reliquis nos infra. Apparet, continuatam neque hic fuisse Græcorum ditionem, sed pectinatim quodammodo dispertitam. Quamobrem nos in quatuor partes, sive regiones, eam tribuimus, quarum I. fuit a Terracina, sive ab amne *Decennovio* (de quo dicemus n. seq.) usque ad ostium Liris, plus minus. Ab hoc amne usque ad Vulturnum, vel ad lacum Patriæ ditio erat Capuani Gastaldatus. II. ab hoc lacu Patriæ usque prope Salernum erat Græcorum. A Salerno, & trans Silarum erat Langobardorum usque Urbem Acropolim. Sed III. ubi sola Acropolis erat Græcorum. Reliqua ora Lucaniæ, & Brutiæ, sive novæ Calabriæ (quæ hinc à *Sabbato*, inde à *Neæthо* fluminibus in superiorem, & inferiorem dividebatur) erat Langobardorum. IV. demum, hoc est inferior, sive ulterior Calabria Græcorum. En quomodo pectinatim ditiones intercidebantur. Ex illis porrò Græcorum duæ erant majores, una *Calabria* ulterior, de qua num. 144. altera *Liburia*, de qua nobis nunc acturis tria sunt explicanda: fines: quando sic cœpit vocari: & denique quare. Fines, qui distinctius ob angustiam spatii delineari non potuerunt in tabula nostra, clarè in Magini 51. spectantur. Et ibi primò observandum, flumen *Clanium* (Magino Patriam. Ambrosio Leoni apud Bodrandum *in Clanius* l'*Agno*) excurrere ab ortu ad occasum, & prope mare, in quod se exonerat, efformare paludem, sive lacum *Patriæ* dictum olim *Literni*. Tractus, sive terra à Clanio irrigata dicebatur *Liburia*, & ideo ejus fines *ab occasu* erant is lacus Patriæ litori proximus, consequenter & mare, ut significat Leo Ost. 2. 86. *in finibus Liburiæ, loco Porano prope lacum Patriæ*. A *borea* Clanius amnis, medio ævo Erchemperto n. 56. & 73. ac Leoni *l. l.* LANIUS, & ideo conterraneis *l'Agno*, quem hic describit à Nuce *nota e.* juxta nomina utriusque ævi: verùm ex mox dicendis etiam ad dexteram Clanii, & in Comitatu Capuano Liburia porrigebatur. Ab *ortu* geographicè duci debet linea à Clanio deorsum ad mare: sed politicè in obliquum flectenda, ut excludat *Nolam* Langobardorum, & includat *Amalphim* Græcorum. Denique ab austro mare, quod hic vergit ad orientem. Non dubitamus sub Liburiæ nomine comprehensam fuisse Græcorum ditionem: Etenim Erchempertus num. 58. refert, quod Guido Spoletanus, ut Capuanos amicos refocillaret, hostiliter abstulit ex *Liburia* frumentum: & num. 71. Ajo Princeps Beneventanus, quia Athanasius Episcopus, & Dux Neapolitanus suam ditionem Beneventanam prædabatur, *Liburiam ingressus est . . . . . & exusta tota penè Liburia, ac deprædata, Amphitheatrum profectus est* &c. Item ex Leone Ost. 1. 35. habetur quod Saracenus Rex Seodan *devastans Cantiam quoque, & & Liburiam . . . . . in campo Neapolitano tentoria fixit*: & 1. 55. Ungari venientes super Capuam *usque ad Sarnum, & Nolam discurrentes, & devastantes omnia, cunctamque Liburiam peragrantes, iterum Capuam reversi* &c. Hucusque satis cognoscimus in Liburia fuisse ditionem Græcam, sive Ducatum Neapolitanum; attamen suspicamur, Liburiam ad occasum supra lacum Patriæ, & ad dexteram Clanii se in Capuano Comitatu extendisse. Nam Erchempertus num. 56. scribit quod idem Athanasius *deprædavit totam Capuam . . . . . & omnia circumquaque devastans, Liburiam vindicabat sibi*, Liburiam igitur Capuanam. Infra postea n. 65. idem Athanasius inita pace cum Atenulfo Capuano Liburiam, & Capuam sub jure jurando illi concessit: at non concessit Liburiam Græcam, Capuanam igitur præoccupatam. Sanè Acerræ, & Svessula ad dexteram Clanii, etsi prope, erant in Liburia ex eodem num. 72. Quamobrem arctè nimis a Nuce in Leon. *c.* 6. *l.* 1. *nota* K Liburiæ fines designat, annotando, quod *Liburia dicta sit tota ea agri Campani pars, quæ ab Acerris usque ad mare Clanio flumine irrigatur*, laudans Peregrinium in sua *Campania pag.* 266. quam desideramus: producto postea nomine Liburiæ usque ad lacum Patriæ ex Leone 2. 86. Quinimo opinamur latiorem fuisse ævo Gothico, quam Langobardico. Collector namque Miscellæ *l.* 16. *p.* 107. *a.*, penes quem primo offendimus nomen *Liguriæ* in Campania (quod idem ac Liburiæ, mutata *g* in *b*) prænarrata Neapolis halosi, & strage horrida dictu, Belisario auctore Anno 537. belli Gothici 3. subdit: „ Bilisarius verò sedulè à „ Papa Silverio acriter increpatus, cur tanta, ac ta„ lia homicidia Neapoli perpetrasset, tandem cor„ reptus, & pœnitens rursus proficiscens Neapolim, „ & videns domus Civitatis depopulatas, ac vacuas, „ tandem reperto consilio recuperandi populi, colli„ gens per diversas villas Neapolitanæ Civitatis vi„ ros, ac mulieres, domibus habitaturos immisit, „ idest Cumanos, Puteolanos, & alios plurimos *Li„ guria* degentes, & Playa, & Sola, & Piscinula, „ & Locotroccla, & Summa, aliisque villis, nec „ non Melanos, & Surentinos, & de villa, quæ Sta„ bii dicitur, adjungens viros, ac mulieres: simulque „ & de populis Cymiterii adjunxit. „ Unde hæc sumpserit Collector nescimus: quamquam enim Neapolitanam cladem scribant Procopius *Bell. Goth.* 1. 10. & Anastasius in *Silverio*, pœnitentiam tamen Belisarii, & refectionem Neapolis silentes (Jornande hic desinente, & Paulo ad Eutropium *in Justiniano* stragem dissimulante) profecto Collector probato ex Scriptore ætate sua superstite hauserit. Ex quo ad rem nedum intelligimus latiores Liguriæ Campanæ fines fuisse ante Langobardos, adhuc ad ortum (si tamen *Piscinula* est Pisciotta trans Silarum in Basilicata) verum etiam jam sæculo VI. id nomen Liguriæ inditum fuisse Campaniæ trans Lirim, Gothis fortè auctoribus; neque alia ratione, nisi ob quandam similitudinem inter Campaniam (dictam propterea *Felicem*) & Liguriam nostram Circumpadanam, nunc Langobardiam. Quemadmodum enim hæc amœnitate & fertilitate, cæteras Regiones cis Tiberim antecellit, ita & Campania trans Lirim. Utrumque conjicimus ex his, quæ narrat Gregorius Turonensis *de Miraculis lib.* 1. *cap.* 92. de quodam æd ficio in Basilica S. Felicis Martyris Civitatis Narbonæ in Gallia, quod in sublime nimis erectum Alaricus Rex Gothus, Leone consulente, demoliri præcepit: *cum hujus ædis altitudo, ne Liguria, quod est locus amœnissimus*, à Palatio Regis, *cerneretur arceret*. Sed Deus Consiliarium, & executorem cæcitate punivit. Igitur propter amœnitatem locum illum Alaricus vocabat Liguriam. Eccur non adhuc Campania propter fertilitatem dicta Liguria? Eodem ævo Gothico Liguriæ nostræ fertilitatem commendabant Rex Theodericus alloquens S. Epiphanium (ut in hujus *Vita* apud Ennodium pag. 398. Sirmondi) hisce verbis: *Illa mater humanæ messis Liguria, cui numerosa agricolarum solebat constare progenies, orbata, atque sterilis jejunum cespitem nostris monstrat obtutibus*. Adæque Cassiodorus *Ep.* 14. *l.* 11. ejusdem Liguriæ nostræ amœnitatem simul celebrabat, scribendo hoc modo: „ Est enim post mon„ tium devia, & laci purissimi (Comi) vastitatem „ quasi murus quidam *planæ Liguriæ*: quæ licèt mu„ nimen claustrale probetur esse Provinciæ, in tan„ tam pulchritudinem perducitur, ut *ad solas deli„ tias* instituta esse videatur. Hæc post tergum cam„ pestria culta transmittit, amœnis vectationibus ap„ ta „ *&c.* Nemo porrò nescit, Circumpadanam adhuc Regionem (ut in *Notitia Imperii*, & ante) dictam fuisse Liguriam: Liguriam verò maritimam, & originariam nomine Alpium Cottiarum ex ordinatione Justiniani, ut num. 9. præmonuimus, fuisse vocatam. Verum tamen est eundem Cassiodorum *Ep.* 22. *l.* 12. Provincialibus Istriæ innuere, quod ipsis „ *est „ proxima Regio super sinum maris Jonii* constituta, „ olivis referta, segetibus ornata, vite copiosa, ubi „ quasi tribus uberibus egregia ubertate largitis, om„ nis fructus optabili fœcunditate profluxit. Quæ „ non immeritò *dicitur Ravennæ Campania*, Urbis „ Regiæ cella penaria, voluptuosa nimis, & deli„ tiosa digressio, fruitur in septentrione progressa, „ cœli admiranda temperie. „ Et quænam hæc Regio, cui Ravennatis Campaniæ nomen tribuitur, & quæ sita ad mare Jonium, proxima Istriæ, fertilis tandem, & amœna? Silent Annotatores hic, & ubique sterilissimi, neque excepto Garetio novissimo. Esto, mare superum, & Adriaticum quandoque fuisse dictum Jonium, sed raro: Ravenna quidem est proxima è regione Istriæ, mari interjecto, sed hæc est, cui

Re-

Digitized by Google

Regio anonyma assimilatur, altera ideo à Ravenna. Carniola quidem est proxima, sed nec amœnitate, minus fertilitate prædita. Apulia equidem fertilissima amœna, ut describitur super sinum Jonii partim trans Apenninum extensa, sed non proxima, imò remotissima, cum Istria sit caput Italiæ, & Apulia calx. Quid ergo? Ager Ravennæ? Ita suspicamur. Hæc obiter, ut doceamur: ad rem, videmus propter quamdam similitudinem, & congruentiam nomen unius Regionis tributum alteri; sæpe adhuc à summis Viris nomen unius Urbis (quid amplius?) nomen Urbis Urbium Romæ ratione similitudinis in amplitudine, & magnificentia, accommodatum. Sic *alteram Romam* Cicero 2. *in Rullum* post medium, & *Philippic.* 12. post initium, vocat *Capuam*. Ausonio *de Urb.* §. 8. *Gallula Roma Arelas*. Procopio *B. Goth.* 2. 7. *Mediolanum*. Sigeberto, apud Henr. Canisium *t.* 1. *Antiq. lect.* in Epist. 4. Alcuni *Celtica Roma* est Ædua, sive *Augustodunum*. Eidem ibidem Roma II. *Aquileja*: indeque Chromatius Aquilejæ Episcopus dictus est Romanus Episcopus. Serò, sed meritò novam Romam dixit Fulgosus *Venetias*, apud Petrum Bellinum *de Re militar. tit.* 5. Ob copiam sacrorum Corporum Liutprandus Romæ *Papiam* assimilat: & propter S. Apollinarem S. Petrus Damiani in ejus Sermone Ravennam. *Ticinum geminum* Anonymus Salernitanus in Carmine ad Pandulfum Principem *Beneventum* appellat: & Torellus Sarayna *de Orig. Veronæ* in collect. *Ital. illustr. col.* 202. eam *parvam Jerusalem* dictam à majoribus suis affabrè per partes ostendit. Non mirum ideo Campaniam Liguriæ nomine fuisse donatam.

(142) Singulatim nunc Urbes in unaquaque regione Græcorum juxta præmissam divisionem recensebimus. Harum I. occidentalior fuit ab amne Decennovio usque ad ostium Liris. Sed quid DECENNOVIUS? Is impropriè fluvius vocatur, cum potius incile sit dicendus, seu fossa manufacta ad deducendas aquas ex paludibus Decennovii, quæ primò (quod sciamus) memorantur à Cassiodoro *Epist.* 32. *lib.* 2. inscripta *de palude Decennonii reducenda ad culturam*: ibi enim Senatui Urbis Theodericus scribit, quod *Vir magnificus, atque Patritius Decius, glorioso circa Rempublicam amore devinctus, ultrò postulavit voto mirabili, quod vix potuisset sub consilio nostræ pietatis imponi, paludem Decennonii* (al. Decemnovii) *in hostis modum vicina vastantem, fovearum ore patefacto promisit absorbere* &c. Silent Annotatores ex more, sicut & Lexicographi, licèt omnes Ortelium consulere potuissent. Is in Thesauro V. *Decennoniæ Paludes* censet cum Celso Citradino, has esse *Paludes Pomptinas*, de quibus Geographi veteres, & Recentiores, nemine tamen Decennovias memorante: adæquè exscribit sequentem inscriptionem Terracinæ prostantem: *Cæc. Mau. Basilium Decium V. Inl. & Ordo Pat. Exiccasse Paludes Decennovii Viæ Appiæ à Trip. usque Terracenam*. NB *Ordo* in recto: *Decennovii* locus, à quo paludes dictæ: *Trip.* alter locus initium operis. Cæterum hæc inscriptio aliquantam affert lucem Cassiodoro, sed nondum satis. Itaque prope incilis ostium TERRACINA Græcorum fuit usque ad Carolum M. ut ex Adriani *Ep.* 64. Cod. Carol. ibi: *Terracinensem Civitatem, quam servitio B. Petri, vestro, atque nostro subjugavimus ..... Neapolitani cum perversis Græcis invasi sunt*. Castrum Terracinense eam dicit S. Gregorius *Ep.* 34. *lib.* 1. cujus Ecclesiam providere de Episcopo propter peccata populi detrectans, *Ep.* 73. *lib.* 7. Constantio Episcopo Panormitano, ut ejusdem ditionis, commendat. CASTRUM CAJETANUM, sed etiam *Cajeta* Erchemperto numm. 39. & 55. Desiderio Regnum Langobardorum tenente Græcam fuisse Cajetam constat ex Pauli I. *Epist.* 26. Cod. Carol. qua petit, ut auctoritate Pippini senioris Regis cogantur Cajetani, & Neapolitani patrimonia B. Petri ibi sita remittere. Urbs ætate Adriani vel nondum ad Ecclesiam pervenerat, vel eam Græci, sicut Terracinam, receperant, ut ex ejusdem Epistola 73. tunc enim Cajetæ, sive in *Castro Gajetano*, ut scribit S. Pontifex, degebat Prætor Siciliæ, cui suberat, cum aliis Urbibus citra Farum, ut demonstrat Peregrinius *Diss.* 5. sub initium. Certissime tamen ætate Johannis VIII., ut ex ejus Epp. 69. & 74. apparet, necnon ex Leon. Ost. 1. 43. juris erat Pontificis, qui utinam Landenolfo Comiti Capuano indulsisset, quod Saraceni non accessissent prope Romam ad Lirim. Chartam Marini Patris, & Johannis filii Consulum, & ducum Cajetæ, & Fundorum prodit Ughellus *t.* 1. *col.* 721. edit. 2. *Fundi* licèt milliaribus 7. vel 8. à litore distent, proximi tamen Terracinæ, & Cajetæ suberant Prætori Siciliæ, non Duci Romano. Qua sanè ratione S. Gregorius, defuncto Petro Episcopo Terracinæ, & petentibus Civibus, sibi Episcopum dari *Agnellum* Fundensem Episcopum, hunc *Cardinalem Sacerdotem* (juxta phrasim S. Pontificis) utrique Ecclesiæ præponit, ut ex binis ejus *Epp.* 13. & 14. *lib.* 2. Captam hanc Urbem, & desolatam à Saracenis prodit Erchempertus num. 9. Eandemque cum suo Comitatu tribuit Ecclesiæ Otto IV. cum coronatur ab Honorio III. ut scribit Collenutius *l.* 4. *p.* 149. FORMIÆ quoque ad mare, proximæque Minturnis ejusdem Græcæ ditionis: ut ideo S. Gregorius *Ep.* 8. *l.* 1. Bacandæ Episcopo Formiensi tribuerit etiam Ecclesiam Minturnensem Clero, & populo destitutam ob bella Gothorum, & Longobardorum, exinde desolatis adhuc Formiis à Saracenis, Episcopus cum Corpore S. Erasmi Martyris Cajetam Græcam migravit, ut refert Baronius A. 592. n. 34. Adeodatus subscribitur ut Episcopus Formianæ Ecclesiæ Synodi Cpolitanæ VI. sub Agathone *act.* 4. & hic finis I. Regionis Græcorum; inferior enim ora à Liri ad Vulturnum juris fuit Capuanorum Comitum, ut diximus. Regio II. Græcorum fuit Ducatus Neapolitanus in Liburia jam descripta conclusus. Hunc moderabatur Prætor à Constantinopoli missus, de quo tamen parum recte scribit Porphyrogenitus *de Administ. Imper. c.* 27. hisce verbis: *Post translatam Constantinopolim Imperii sedem ad Italiam missos ab Imperatore Constantinopolitano Patricios duos, quorum unus Siciliæ, Calabriæ, Neapoli, & Amalphe præerat: alter verò Benevento, Capuæ, Papiæ, cum reliquis*. Inspecta *Notitia utriusque Imperii* Orientalis, & occidentalis, integro sæculo seu annis 120. scripta post translatam sedem Imperii, (consacrata nova Roma A. 330.) statim apparet, eroneam esse formam regiminis, quam retert Porphyrogenitus. Patricii namque mittebantur tantum occasione bellorum cum Barbaris, qui sæculo V. Italiam invadere cœperant, & tunc Patricii rem militarem agebant. Pergit: *Neapolis antiquum Prætorium erat Patriciorum, qui mittebantur: & illam, qui tenebat, idem in potestate Siciliam quoque habebat* (rarò tamen) *Cumque Patricius Neapolim appelleret, Dux Neapoleos in Siciliam abibat*: sibi contradicit: non ergo idem Neapolim, & Siciliam administrabat: saniora dicamus. NEAPOLIS quidem antiquum Prætorium, & caput Græcæ Liburiæ: ejus Præfectura *Ducatus Neapolitanus* ævo medio dicebatur, & Præfectus promiscuè *Dux*, ut S. Gregorio *Ep.* 3. *l.* 2. *indiction.* 10. Paulo 6. 40. Anastasio *in Gregorio II.* frequentius *Magister Militum* eidem S. Gregorio *Ep.* 74. *lib.* 7. *&c.* Erchemperto numm. 26. 27. 39. ubique Magister Militum *Sergius* dicitur: sed 40. *Athanasius Præsul Neapolis Magister Militum*: ita & in Sicardi Capitulari ineunte. *Andreæ Magistro Militum*. Quandoque ut S. Gregorio *Ep.* 24. *l.* 12. *Tribunus*. Langobardis nunquam cessit Neapolis: etsi sæpe tentata ut apud Erchempertum numm. 8. 10. & aliàs illis tamen tributum solvebat, dictum in laud. Capitulari *num.* 2. *Collatam* & *Pristinam*: ita exposit Imperatoribus Francis. Utique Comes Compsæ (sive *Job. Consinus* apud Paulum 4. 35.) Langobardus illam occupavit, sed statim ejectus, & occisus A. 616. Urbes illi subjectæ, ipsam, ut caput suum, circumdabant. Ab occasu PUTEOLI & Leoni Ost. 1. 35. cum nota d. BAJA, sive *Bajæ*, hoc est Portus: etenim Isidoro *Etym. l.* 24. *c.* 8. *Portus locus est ab accessu ventorum remotus, dictus à deportandis commerciis. Hunc veteres à bajulandis mercibus Bajas vocabant*. Ita alibi Bajas indicat Cassiodorus *Ep.* 22. *l.* 12. ibi: *Habet & quasdam, non absurdè dixerim, Bajas suas*, fortè Ravenna, ut num. superiori. CUMA & nunc, & medio ævo Leoni Ost. 2. 5. Paulo 6, 40. *Cumanum Castrum à Langobardis Beneventanis pervasum est: sed à Duce Neapolitano noctu superveniente quidam ex Langobardis, quidam perempti sunt: Castrumque ipsum à Romanis est receptum*: Eadem profert Anastasius *in Gregorio II.* fusiusque p. 155. a. Supra LITERNUM sive *Patria* ad Lacum cognominem, ut apud Leon. Ost. 2. 86. & Chronographum Vulturnensem p. 445. b. ubi Præceptum de piscaria in Patria A. 960. quo tempore juris erat Longobardorum. Ejusdem meminit Ludovicus Pius in suo Præcepto ibidem p. 371. b. Ad boream ACERRÆ adhuc medio, & infimo ævo, ut ex pluribus monumentis, quæ refert Peregrinius in partem 6. Anonymi Selernitani sub. n. 7. Hæc Urbs quidem in Liburia, & ad dexteram Clanii: an ævo Langobardico spectaret ad ipsos Langobardos, vel ad Græcos, ut conjicimus, cum vix 7. vel 8. m pass. à Neapoli distet, expressè nondum invenimus. Ad ortum brumalem HERCULANEUM nunc la Torre del Greco Lexicographis; sed *Turris Nuntiatæ* Collenutio *l.* 1. *p.* 14. prope radices Vesuvii ad mare, & à Neapoli 6. vel 7. m. pass. fortè „ Herculensis Regio Civitatis Neapolitanæ, cujus mentio extat apud S. Gregorium M. lib. 3. Ep. 59. ut no-

Digitized by Google

notat Holstenius *in Ortelium p. 92.* Infra STABIÆ item in litore Græcorum, nam *cum Langobardorum feritas omnia ferè Campaniæ Oppida igne succenderet, ferroque devastaret, ac Parthenopes ingressus agros, amplissimo Stabiensis Ecclesiæ Præsuli nomine Catello adhæsit*, hoc est asylum quæsivit S. Antoninus cognomine Surrentinus apud ipsum, juxta recitata verba ex suis actis excerpta, & prodita à Peregrinio *Diss. 5. p. 176. 2.* SURRENTUM Porphyrogenito laudato *cap. 27.* & Leoni Ost. 1. 56. Hujus ad ortum AMALPHIS Gaufredo Malaterræ 3. 3. *Malfa*: frustra tentata ab Arechi Principe Beneventano, ut Carolo M. significat Adrianus *Ep.* 18. Urbs hæc post Neapolim cæteris præstabat, namque illi præerat Vir Patricius, ut Dux, Neapolitano tamen obnoxius, ut ex Anonymo Salernitano *part. 7. num.* 10. cognoscimus. Supra à mari recedens NUCERIA Erchemperto num. 3. antiquitus in Ducatu Neapolitano, ut ex Peregrinii Stemmate Principum Salerni. Huic Ducatui adhuc plures Insulæ adjacebant, ut ÆNARIA, quæ amplior: Græcis *Pithecusa*, nunc *Ischia*, de qua veteres, & Lexicographi, & Collenutius, qui *lib. 5. pag. 243.* ignifluam esse scribit. PROCHYTA sinè nominis mutatione adhuc nunc Prochita, & Procida, deque illa laudati. CAPRÆ, veteribus, & gentile *Capreæ*, & *Capreensis*. Urbs ea ætate Sancti Gregorii à Schismaticis frequentata ut ex ejus *Ep. 99. l. 7.* & Monasterium Sancti Stephani, de quo ex eodem S. Pontifice Lubin *Notit. Abbat. p.* 80. b. est autem Epistola 52. (nunc 54.) l. 1. quam silet Lubin. Post hanc II. Regionem, III. quæ sequitur, id neque nomen meretur. Etenim cum cætera omnia usque ad Calabriam inferiorem mediterranea, & maritima Langobardi occuparent saltem sæculo VIII. & sequenti ACROPOLIS sola ditionis erat Græcorum, ut ex laudato Porphyrogenito *cap.* 27. Ejus Episcopo Felici dum vicinas Ecclesias Velinam, Buxentinam, & Blandanam commendat S. Gregorius *Ep. 29. lib. 2.* conjici potest, has & alias Urbes Lucaniæ, & Brutiorum ætate S. Gregorii fuisse Græcorum, cum Acropoli: sed IX. sæculo infelix & ipsa diu tyrannidem Saracenorum subivit, ut ex Erchemperto num. 51. exque illis feris Acropolitanis, perfidia Docibilis Cajetæ Ducis ad Garilianum coloniæ deductæ ut prodit Leo Ost. 1. 43. Regio IV. fuit tandem inferior, sive ulterior Calabria; utramque modò spectabimus.

SECTIO XXV.

(143) Nova *Calabria* an dicta ævo Justiniani: Scriptorum abusus observatus: Quomodo translatum illius nomen, sub quo Imperatore, & circa quem annum, Viris doctis ignotum, primò nunc aperitur: Cur id factum: Calabria dicta etiam ora Campaniæ. (144) Calabria universa nunquam fuit Langobardorum, aliter Viro docto sentiente: medio ævo divisa in *Superiorem*: hoc est Citeriorem, & in *Inferiorem*, sive Ulteriorem, Ubi per isthmum conjuncta Lucaniæ: Linea utranque sejungens. (145) *Calabriæ superioris* Urbes, & flumina: situs controversi *Blanda*: *Interamnium*. *Sybaris*, & Thurium idem: *Regina* non Regium: *Paternum*: *Strongulum*. (146) *Calabriæ inferioris* Græcorum Urbes ad ortum, & flumina: *S. Severina* medii ævi Scriptoribus, non soli vulgo imperito, ut ait V. doctus: *Taberna* nova Trischene: *Cecina* an Cocinthum: *Stilum* quid: *Fanum S. Cyriacæ* ubi, & quid. (147) Ejusdem Græcorum Urbes, & flumina ad occasum: *Amantea*: *Æsis* amnis quid: *Bibona*: *Tropeja* an ad Trophæa, non Medama: *Columna Autharis* fabulosa, quid vere: *Regium*: (148) Protestatio scribentis.

(143) CAlabriam veterem extremam Italiæ Peninsulam fuisse, Adriaticum inter, & sinum Tarentinum positam, & è regione Illyrici, non semel diximus. Sermo de illa ævo medio pergenti non congruit, licèt magna ex parte sæculi VII. antiquum nomen servaverit. Verum eodem fermè inclinante ad Peninsulam oppositam, aquis sinus Tarentini, Jonii, & inferi maris circumdatam, Siciliamque spectantem, fuit Calabriæ nomen, ubi stat modò, translatum. Cum ita res sit, ut sentimus, quomodo id factum, & cur, nec non sub quo Imperatore, arcanum est, nondum à Viris doctis, quod sciamus, reclusum. Id sanè ætate Peregrinii latebat, cum queritur de silentio Scriptorum; neminemque pigeat ipsum audire *Diss. 6. p.* 181. a. Dum, & nos, ut ducem, cum observationibus nostris eundem sequi gloriamur. Igitur primò quomodo id factum, sic autumat. *Quo pacto*, scribit, *hoc Calabriæ nomen ex una ad alteram transierit Regionem, fuerit que Brutiorum Agro impertitum, Auctores hactenus nulli exposuerunt: resque sub magno admodum silentio inobservata manet vel iis, qui in recentiori hac Calabria nati, ejus sive Historiam, sive Commentaria docte quidem scripserunt. Quorum, ac præcipuè Gabrielis Barrii &c.* Silent quoque post Barrium Prosper Parisius *in Descriptione Calabriæ*, & Hieronymus Marafiotus in Italico *Chronico Calabriæ*, Barrii exscriptor, ambobus pleraque ad Calabriam veterem spectantia minus rectè ad novam transferentibus. Nunc quod sentit doctus Peregrinius, ipse pergendo, pronunciat: *Mea est igitur de hoc conjectura, sub Langobardorum ætate, non tamen ab illis, sed à Græcis novum Brutio Agro vocabulum fuisse inditum*. At Langobardorum ætati non observavit Vir doctus obstare *Miscellam l. 16. p.* 107. *a.* ubi videtur, jam ætate Justiniani, & Belisarii Agrum Brutium vocatum fuisse Calabriam. Etenim ibi dicitur, quod Belisarius Vandalis in Africa victis „ ex ipsorum re„ liquiis Africæ terræ captivorum, nec non Siciliæ, „ & Syracusæ Civitatis: *simulque Civitatum Calabriæ*, „ *idest*, *Maliti*, *Consentiæ*, Villarumque earum popu„ los, atque totius Apuliæ colligens, depopulatam „ implevit. „ & sanè *Malitum* (hoc est Miletum, *Melito* novæ Calabriæ inferioris, sive ulterioris) & *Consentia* superioris, sive citerioris sunt Urbes. Si ergo dicuntur tunc in Calabria, jam Ager Brutius dictus Calabria ante Langobardos. Non: Nam S. Gregorio *Ep. 39. l. 1.* A. 591. dicitur *Paulinus Episcopus Tauri Provinciæ Briciorum* & notandum, Miscellam collectam ex Scriptoribus adhuc VIII. & IX. sæculi, quibus jam Ager Brutius Calabria dictus. Cum porrò hi Scriptores more sui temporis Brutium Agrum Calabriam dixerint, Collector verba, prout invenit, transtulit in Miscellam, inobservato temporum more. Siquidem vitium fuit Scriptorum medii ævi, præsertim in Actis SS. nomina Magistratuum, aliarumque rerum in ea sui temporis commutare. Hinc fit, quod Bollandistis, & Tillemontio ea reddantur suspecta, puta quia ea nomina non erant illo tempore in usu. At immeritò, namque dum Scriptores ex antiquioribus documentis serius acta exscribebant, seu potius reficiebant, loco priscarum vocum illis, quæ sua ætate erant in more, utebantur, non dolo, sed pia ignorantia, ut populus fidelis, sed rudis, clarius Sacram Historiam perciperet. Non igitur nova Calabria ætate Justiniani, sed certissimè Langobardorum. *Nam Græci* (Vir doctus prosequitur) *integram retinentes Siciliam, proximamque Brutiorum Consentiam ultra haud magnam partem, nec non litoralia Acropolim usque multa, & Campaniæ quoque maritimas Urbes ..... hæc loca, inquam, omnia sub duplici Themate descripsere-runt*. Hic supponit V. doctus hanc à Græcis ordinationem factam sæculo VII. ante Constantem II. Quid sentiamus, jam diximus num. 138. Ipse quid sentiat circa tempus novæ Calabriæ, audiamus, inquit: *Qui rerum ordo ad tempora cum manisset Imperatoris Constantii* (Constantis) *post ejus necem* (A. 668.) *cum primæva illa Calabria à Duce Beneventi Romualdo seniore, quod Paulus* (6. 1.) *perhibet, admodum fuisset imminuta, Imperatores, qui Constantium* (Constantem) *sunt subsecuti, eodem Calabriæ vocabulo adpellare perseverarunt .... Quo pacto novum hoc nomen Brutio Agro, etsi nec omni, nec solo impertiri cœptum, ei tamen uni firmius inhæsit: quandoquidem Calabri Thematis Prætores* (*sive cum Porphyrogeneta dicas* Patritii, *vel* Strategi) *amissa à Græcis Tarento, quæ Regionis fuerat caput, ad inferiorem Calabriam suam detulerunt sedem, ubi ditionis portio remanserat cæteris major; Græcorumque ad exemplum Langobardi* (*ut assolet inter finitimos*) *mediterranea illic sua eodem vocabulo adpellarunt. Qui loca, Tarentum, ac Brundusium usque, recentius pervasa haud antiquo nomine* Calabriam, *se ex adjacenti à se possessa Regione dixerunt* Apuliam. *Græci autem quidquid erat ad superum mare dein nominarunt* Langobardiam. *Sicque omnino desiit primitivæ* Calabriæ *nomenclatura*. Hactenus V. doctus & optime, sed nondum scimus quando hæc fuerint. Revera definiri nequit dies, vel annus: non enim id factum per edictum chronica nota signatum: neque novimus determinatum tempus, quo ordinatio Græci Imperii per Themata, prout à Porphyrogenito proditur, vulgata fuerit: consuetudine siquidem potius, quam lege, Regionibus illis nomina nova accessisse censemus. Hinc Vir doctus statuere noluit periodum saltem, intra quam hæc nomina fuere inducta, usuque recepta, neque sub quo Imperatore. Impigrè nos utrumque definire audemus hoc pacto, ac ex indubitatis præmissis. Constans II. Imperator in Italiam venit, Tarentumque appulit A. 663. Theophane in Chronico, Anastasio *in Vitaliano*, & Zonara in ejus Vita testibus. Tunc plures Langobardorum Urbes occupavit ex Paulo *lib. 5. à cap. 6.* Sequenti anno Constans *itinere terreno* (subdit Paulus c. 11.) *perrexit in Civi-*

Digitized by Google

tatem Regium: ingressusque Siciliam per indictionem 7. habitavit in Syracusa, & tales afflictiones imposuit populo, seu habitatoribus vel possessoribus Calabriæ, *Siciliæ, Africæ, atque Sardiniæ, quales* &c. & hic nodus, quem non observavit Peregrinius: hic enim *Calabria*, videtur esse nova Agri Brutii, per quam Constans transivit. At potest etiam esse vetus, nam æquè gravavit Africam, & Sardiniam, per quas non transivit: & si esset, Paulus loquitur ex usu sui temporis, ut præmonuimus. Prœlium inter Græcos, & Langobardos victores præcesserat, ut ex *c.* 10. Rex Grimoaldus Romualdi Pater, qui Ticino cum exercitu huc venerat, erepta à Græcis recepit, ex *c.* 16. Demum pax inita fuit, Gisa sorore Romualdi obside tradita Imperatori, ex *cap.* 8. Rerum ordo saltem sic postulat, ne quæ scribit ordine inverso *invicem pugnantia* sint, ut apparent Peregrinio *Diss.* 7. *p.* 184. b. Quoad vixit Constans in Sicilia nil innovavit Romualdus, neque statim eo mortuo A. 668. ex prænotatis num. 127. Si enim Romualdus Patri Grimoaldo fuit superstes per annos 16. ut ex Bollandistis rectè notat Cl. Blancus in *suum Paulum* 6. 2. *num.* 4. quomodo Paulus vix supra narrata ejus expeditione in Apuliam, mortem enunciat? Non ideo differenda expeditio in annum 683. vel 4. ut sentit cum Platina in *Leone II.* Joh. Juvenis *de Tarentinor. fortuna lib.* 6. *cap.* 2. scribens *Rhomoaldum Ducem Beneventanorum ingenti comparato exercitu Tarentum, Brundusium, ac totam denique Apuliam occupasse*. Porrò Leo II. consecratus 15. Augusti 683. obiit 28. Junii sequentis, ut sub ejus Pontificatu sequi non potuerit expeditio: certè, nam prius, nec dudum, fuit dicta nova Calabria ratione veteris jam Græcis ademptæ. Paulus nihil interferens inter expeditionem Romualdi, & ejus mortem, in errorem traxit Sigonium, & quidem duplicem, dum primam brevi linea scribens, statim subdit sub eodem An. 695. Romualdus *mox moriens Ducatum magna parte auctum filio Grimoaldo reliquit*, quando hoc anno jam uterque interierat: is An. 690. ille 687. in supposito, Grimoaldum Regem obiisse A. 671. ut firmat Abbas Bacchinus *in Agnellum part.* 2. *p.* 154. dissentiente tamen Pagio A. 673. nu. 2. Igitur A. Imperii 13. Constantini IV. Pogonati, hoc est æræ vulgatæ 680. jam confectum bellum Romualdi, jam translata sedes Græci Prætoris Tarento in Brutios, & tunc primò auditum nomen novæ Calabriæ in VI. Synodo Cpolitana sub Agathone d. anno inchoata, & sequenti absoluta. Testes sunt tres Episcopi Brutiorum *actioni* 4. hujus Synodi subscripti *Theophanius Episcopus S. Thurinæ Ecclesiæ Provinciæ Calabriæ*: & intra *Georgius Episcopus S. Taurianæ Ecclesiæ Provinciæ Calabriæ*: & huic proximus tertius *Theodorus Episcopus S. Tropejanæ Ecclesiæ Provinciæ Calabriæ*. At *Thurium* superioris Calabriæ, *Taurianum*, & *Tropejam* (*ad Tropæa* antiquioribus) inferioris Urbes fuisse, & Geographi veteres, & Lexicographi docent, ut demonstrabimus in recensione Urbium utriusque Calabriæ numm. 145. & 146. Adjungi adhuc possent *Stephanus Locrensis* Ecclesiæ, & *Julianus Consentinæ, Provinciæ Calabriæ*. At quia τὸ *Provinciæ Calabriæ* in margine scribitur, nescimus, an sit additio Labbeana, vel textualis alterius codicis: tres prælaudati sufficient. Quid ergo clarius, quod quisque poterat observare, nec cogitavit? Sed paulo ante An. 680. id nomen translatum adhuc observamus, quoniam nondum tunc in usu apud omnes: etenim alii Episcopi tres Ecclesiarum: *Cortonensis* (hoc est Crotonensis) Petrus: *Styllacinæ* Paulus: *Tempsanæ* Abundantius, omnes subscribuntur *Provinciæ Brutiorum*. Ibidem etiam *Tarentinæ* Germanus dicitur Calabriæ, quia cum *Tarentum* accenseretur Lucaniæ, & Brutia ac Lucania essent una Provincia, saltem civiliter, ut ex Notitia Imperii, & ex aliis, ideo Brutia facta Calabria, & Germanus Calabriæ dicitur. At cur tandem *Hydruntinæ* Johannes dicatur Brutiorum, quærimus à Viris doctis. Recolere superest, cur facta hæc translatio, dum Græci tunc non amisissent integram Calabriam veterem ultra Tarentum, & Brundusium, Hydrunto præsertim servato. At oportet, quod Romualdus ultra dictas duas Urbes, plures alias illis ademerit, quas Paulus ex more reticet, ut in descriptione Calabriæ 2. 21. Significat eas tamen per ea verba 6. 1. *& omnem illam, quæ in circuitu est, latissimam Regionem suæ ditioni subjugavit*; & reapse Porphyrogenitus excipit solum Hydruntum. Ut ut sit, nominis mutatio est secuta, sicut breviter innuit Peregrinius *d. Diss.* 6. *p.* 181. b. *tum ex consueto Græcorum fastu: ac ne sui Imperii Themata minora devenisse viderentur*. Ex illo itaque posteriori tempore nedum tota Brutia paulatim dicta fuit Calabria (ut ætate Leonis III. Iconomachi ab A. 717. jam nomen esset ubique diffusum, cum Miscellæ *lib.* 21. *p.* 150. a. dicatur, quod Sergius Prætor Siciliæ *confugit ad propinquos Calabriæ Langobardos*, qui nuper ejus partem occupaverant, & *p.* 152. b. quod idem impius Leo *tributa capitalia* ..... *Siciliæ seu Calabriæ super imposuit*) verum etiam Calabriæ nomen ad proximam Lucaniæ, & Campaniæ oram maritimam transiit, ut docet idem Peregrinius *Diss.* 5. *p.* 177. b. in fine, ex quodam antiquo documento Actorum S. Martini, in quo fit mentio *Mesenæ, quæ in Calabria est*: verè tamen in Campania, cum sit vetus Misenum prope Puteolos, Bajas, & Cumas.

(144) Ea ipsamet historia, quæ docet, quomodo, quando, & cur facta sit nova Calabria, probè demonstrat, eandem fuisse juris Græcorum, nedum ante Langobardos, & Gothos, quod quam certissimum, & sole notius, verum & post institutum, firmatumque Ducatum Beneventanum Langobardorum. Quare citò nimis Cl. Fontaninus *de Antiquitatib. Hortæ pag.* 276. Baronio ctedidit, repetendo ex illo, quod „ Langobardorum Regnum à tempore Sancti Gregorii Papæ „ adeò latè in Italia patuit, *ut universa, exceptis* „ *Roma, atque Ravenna, cum locis ad eam spectantibus ab Alpinis montibus Rhegium usque Calabriæ illis pareret*: inquit Baronius A. 591. num. 50. „ Non ita nos docet historia. Fabula Columnæ Autharis, qui nunquam Regium vidisse probatur, fortè ab Herculeis columnis magis abludit; ut constabit num. 147. Utique S. Pontifex *Epist.* 39. *lib.* 1. A. 591. queritur, Paulini Tauri Episcopi *Monachos occasione dispersos barbaricè* ..... *per totam vagari Siciliam*: & *Ep.* 23. *lib.* 6. An. 596. indicat, *ex Crotonensi Civitate, quæ super Adriaticum mare* (idest Jonium) *in terra Italiæ posita, transacto anno à Longobardis capta est, multi viri, ac multæ mulieres nobiles in prædam ductæ sunt: & filii à parentibus, parentes à filiis, & conjuges à conjugibus divisi, ex quibus aliqui jam redempti sunt: sed quia gravia pretia eis indicunt, multi apud nefandissimos Longobardos hactenus remanserunt*. Quin imo intactum, & indemne intelligimus Squilatium ex præcedenti ejusdem *Epistola* 25. *lib.* 2. *indict.* 10. A. 592. dum inquit, *Te Joannem ab hostibus captivatum Lisitanæ Civitatis Episcopum in Squilatina Ecclesia Cardinalem duximus necesse constituere Sacerdotem*; ita ut tamen, si Civitas Lisitana redimetur, *in eam, in qua prius ordinatus es, Ecclesiam revertaris*. Si ergo Johannes ex Lisitano Episcopo fit Squilatinus, Squilatium erat immune à Langobardis, cum tot aliis Urbibus ejusdem Brutiæ, cujus Episcopis (ut Taurianensi, Crotonensi, Regiensi, Vibonensi: Abbatibus, Subdiaconis, Notariis, Regionariis &c.) epistolas suas scribit, omnibus & singulis in jurisdictione Græcorum, ut in sequentibus opportunè notabimus. Rectè ideo observat Peregrinius *Diss.* 6. *p.* 180. b. quod utique Langobardi in Brutios *irruptionem fecerunt: nec tamen loca trans Consentiam valuerunt, voluerunt've retinere. Unde præda quidem abacta, non Urbs fuit præsidio firmata*, hoc est Croton. Si Langobardorum itaque fuisset *Italia universa usque Regium Calabriæ*, quomodo Græci à veteri Calabria pulsi per Romualdum huc migrare potuissent, & nomen illius secum traducere? Quomodo impius Leo III. Calabriæ imponere potuisset tributa ex prænotatis? Quomodo Eginhardus in V. Caroli M. rectè scribere potuisset, quod *Italia tota ab Augusta Prætoria usque ad Calabriam inferiorem, in qua Græcorum, & Beneventanorum constat esse confinia, decies centum, & eo amplius passuum millibus longitudine porrigitur*? Sed hæc clarius patebunt ex divisione ipsius Calabriæ inter Græcos, & Langobardos partitæ, necnon ex Urbium recensione sequentibus numeris. Hujus itaque divisionem tantùm notare debemus, cum nihil de finibus dicendum occurrat. Peninsula ea est ab *occasu* Tyrrheni, ab *ortu*, & ab *austro* Jonii aquis circumdata: isthmo sive brachio continenti Lucaniæ, hoc est Basilicatæ *à borea* conjunctæ. Igitur ubi hæc desinit incipit Calabria. Vetus limes à dextris fuit Laus, & à sinistris Sybaris amnes, ut prænotavimus num. 133. medio etiam ævo eundem fuisse censemus, minus linea inclinante ad sinistram. Si nemo aliter docet, nemo adversatur. Ad dexteram quidem oritur difficultas ex situ Urbis *Blandæ*, quam aliqui cis Laum amnem, & alii ultra illum scribunt, ut *num. seq.* De reliquo Laum disterminasse Lucanos à Brutiis post Strabonem dixit, & Plinius 3. 5. ibi: *Laus amnis: fuit & Oppidum eodem nomine. Ab eo Brutium litus: Oppidum Blanda: Flumen Batum*. Ordine sanè geographico hic Plinius procedit. Quotiescumque certiora quis suggeret, ubique nos nostra emendare paratos semper inveniet. Facilè statuitur limes inter Calabriam *Superiorem*, & *Inferiorem*. His terminis utimur, quia medio ævo in Superiorem, & Inferiorem Calabriam fuisse divisam percipimus tum ex laudato Eginharto, tum ex Ludovicia-

Digitized by Google

ciana, ubi memoratur *Patrimonium Calabriæ inferioris, & superioris*, ut quoque monuit Peregrinius *Dissert. 6. p.* 181. a. testans, quod *nondum ista ulterioris, citeriorisque cognomina tunc* (hoc est medio ævo) *prodierant*. Limes itaque disterminans linea est ducta ab amne *Sabato* (nunc Bodrando Savuto) qui in Tyrrhenum excurrit, ad amnem *Neæthum* (& nunc Neto) in mare Jonium se exonerantem. Ratio ea est, quia hujus ad dexteram sita est *S. Severina*, quæ erat Græcorum: & prope Sabatum *Consentia* Langobardorum. Hinc linea ab hoc latere est trans Consentiam, ab altero verò cis S. Severinam, ut demonstrabitur mox infra in recensione Urbium utriusque Calabriæ: præmonentes tamen de vicinioribus Lucaniæ, veteres, & recentiores varios variè sentire: sunt enim qui unam, vel alteram tribuunt Lucaniæ, & qui Brutiis, sive Calabriæ. Auctore suffulti pergemus, nolentes in hac confusione, diu singula examinando, immorari, maximè tabulis destituti Marchionis Cusani, Pyrrhi Ligorii, & Calabria Ignatii Dantis.

(145) Urbium itaque prima à dextris inter Apenninum, & mare, & in superiori Calabria Langobardorum, est BLANDA, cujus meminere Mela, Plinius, & Ptolemæus, silente Strabone. Holstenius *in Ortel. p.* 32. quem sequuntur Bodrandus, & Cellarius p. 907. eam interpretantur *Belvedere*, ut prædixerat Barrius, vix 10. m. pass. à Buxento, ut notat Holstenius, subdens, quod *vestigia ejus maximè apparent ad portum Sapri*: idem prædixerat *in Cluv. p.* 288. & ibi annotans eidem loco imminere Turrim dictam *Buon dormire* ex accuratissima observatione Philippi Carafæ Canonici Buxentini. Si ita est, sanè scribenda cis Laum amnem, non in Brutiis, sed in Lucania, cui eam tribuit etiam Harduinus, Livium laudans, *pag.* 158. *nota* 7. At contra Isleus, cui favet Plinius supra laudatus, ad lævam Lai *Blandam* scribit in sua tabula in Brutiis, nec Mela adversatur: Plinium, & Isleum sequimur. Observandum tamen, quod in Magini tabula 56. est etiam *Belvedere* 13. m. pass. ab ostio Lai in austrum, de quo fortè loquitur Barrius. Hoc unum certum est Blandam extitisse ævo S. Gregorii, nam Blandanæ quoque Ecclesiæ visitationem *Ep.* 29. *lib.* 2. *indict.* 10. Felici Episcopo de Acropoli injungit. CERILLI ad Brutios certè spectantes: nunc *Cirella* Bodrando, cum Barrio. URSIMANUM Bodrando *in Ursentum* Plinii 3. 11. *Lucanorum Contursio*: sed aliis *Ursimarso* in Calabria: quid definiendum, nescimus. MURANUM Bodrando ex Itinerario Antonini, sed *Summuranum* in codd. nostris: *Muranum* tamen *in Geograph. sac. p.* 59. nunc *Morano* ad fontes Sybaris. In hoc tractu duo flumina ACHERON, Bodrando nunc *Campaniano*, & *Savuto*. Sed alteruter, nam in *Sabatus* dicit hunc vocari *Savuto*: ita & Albertus p. 219. b. Alter est BATUM, invariati nominis. Sequitur Urbs INTERAMNIUM, ut in Isleana. Plures inter Urbes cognomines videtur ad rem, quod notat Holstenius *in Ortelium* p. 99 V. *Interamna*: ibi: „ Tabula „ Peutingeriana aliam *Interamniam* habet in Lucania, „ inter Nerulos, & Consentiam, quam ego vel *Sa*„ *ponariam* ipsam, vel haud procul inde fuisse dixe„ rim ex ductu itineris, situque loci. „ Non ergo Interamnia Peutingerianæ potest esse Interamnium Isleanæ, longè enim distamus. Siquidem Saponaria est ferè in meditullio Lucaniæ inter Marsicum, & Grumentum prope fontes Aciris, ut in tabula Peregrinii, & in Magini 55. Interamnium Islei distat à Saponariæ situ, sive a Grumento 50. m. p. At etiam in Peutingeriana *segm.* 4. ita legimus *Nerulos* 28. *Interamnia* 8. hæc orientalior, & Saponaria debet esse occidentalior. Item Interamnia Peutingerianæ procul à mari: Interamnium Isleanæ est in litore. Tot ob discrimina unde hoc sumpserit Isleus divinare nescimus. S. AGATHA, quam notat Albertus p. 208. b. & in Magini tab. 57. prope fontem Isauri. Ad mare LONGOBARDUM, monumentum sanè antiquum Langobardorum, sed in tabula 57. est quidem situm prope oram, sed infra magis, & vix 4. m. pass. ab Amantea remotum. Hic regredi oportet ad partem sinistram inter Apenninum, & mare Jonium, ubi reliqua loca hujus Calabriæ superioris esse locata videntur. Supra igitur post Nerulos CASSIANUM Paulo 2. 17. de quo Lupus Protospata A. 1031. *Comprehenderunt Saraceni Cassianum*. Revera tamen si Lucania protenditur usque ad Sybarim amnem, Cassianum cis Sybarim ad Lucaniam spectabit, sed hæc ante medium ævum. Infra SYBARIS, quæ Thuria, & Thurium medio ævo: nam, ut vidimus n. 143., *Theophanius* subscribitur Episcopus *S. Thurinæ Ecclesiæ*: eadem tamen Urbs in Epitome Stephani apud Cellarium p. 910. ibi: *Thurii Urbs Italiæ, prius Sybaris dicta*. Mutatum nomen ei fuit ab Athenienibus, ut narrat Diodorus Siculus *l.* 12. *c.* 10. a quodam fonte ibi reperto, cui nomen Thuria. Ibi *Æsarus* amnis, nunc etiam *l'Esaro*, juxta Bodrandum. Item *Sybaris* alter amnis qui dicitur nunc *Cochile* Alberto pag. 208. b. & Magino tab. 57. Æsaro inflatur. Infra RUSCIANUM & Roscianum: dicitur *Rossana potens* Guil. Apulo p. 262. a. Prodit Bodrandus in *Roscianum* patriam fuisse Johannis VII. Pontificis, qui Anastasio, Baronio, Pagio, & communiter dicitur Græcus. Si ita est, conjicimus, Græcum dici, quia A. 705. quo creatus, Ruscianum esset in potestate Græcorum. Longèque post fuerit juxta Porphyrogenitum *de Administ. Imp. c.* 27. *Excepta Hydrunte, Callipoli, Rusiano* &c. erat namque munitissimum emporium, & navale Græcorum. Ad ortum CAPRASIA in Peutingeriana *segm.* 4. Antonino *Caprasis*: Barrio apud Bodrandum in *Caprase* nunc *Tarsia*. BISINIANUN de quo Lupus Protospata A. 1020. *Descenderunt Saraceni cum Rayca, & obsederunt Bisinianum, & illud apprehenderunt*. Inter Episcopos, qui interfuere Concilio Romano sub Zacharia A. 743. Labbei *t.* 6. *col.* 1551. legitur *Anderamo Bisuntiano*. At Ughello *t.* 1. *col.* 519. est *Andreoneus Ep. Bisinianus*. In hoc tractu tres amnes CRATIS, qui excipit COTHYLEM, prisca nomina utroque servante in Magini tab. 57. Tertius dicitur TRAENS in Isleana ignotus Lexicographis, saltem sub hoc nomine. Cellario p. 925. ex Græco Τράης obliquo Τράεντος nunc *Triunti*: abest & à Magino, nisi capit Traentem pro Hylia, ut infra. ARGENTANUM Ferrario ex Barrio *S. Marco*: „ sed fortè Argentina medio itinere inter Oppi„ dum S. Marci, & Consentiam „ ut annotat Holstenius in Ortelium *V. Argentanum*. Non procul REGINA. De hac Guil. Apulus p. 265. a.

Hos cum gente sua Reginam ducit ad Urbem

& paulo infra.

Dux ibi Robertus Reginam tendit ad Urbem.

Bodrando est *Erimum*, seu Erinum Stephani, quod tamen non invenimus in Stephano nostro Holsteniano. Ipsum locat ad amnem *Perditium*, medium inter Consentiam ad meridiem, & Bisinianum ad boream. Clarè in Magini tabula 57. distinctè scribuntur Regina, & Argentina: S. Marcus verò supra utranque inter amniculos *Folone*, & *Malosa*: patet Reginam non esse Regium, quod nonnulli cum illa confundunt. Ad meridiem CONSENTIA, de qua diximus num. 131. quoniam hæc inter Urbes Principatus Salerni, ut in *Capitulari Radelchisi n.* 9. fortè & ipsa capta à Siconulfo in bello contra ipsum Radelchisum, quod innuit Erchempertus num. 15. At tempore VI. Synodi Constantinopolitanæ adhuc Græcorum erat, dum illi interfuit Julianus Episcopus Consentinæ Ecclesiæ Brutiorum (al. Calabriæ) ex prænotatis num. 143. In ora maritima vel prope PATERNUM (ut apud Antoninum) juxta Barrium, fuit prius vocatum *Crimisa*, annuentibus Holstenio *in Cluv. p.* 306., & Bodrando *in Paternum*, quod modò interpretantur *lo Ziro*. Verùm Isleus in tabula Paternum à Crimisa distinguit, scribendo Paternum procul ab ora, & in hac *Chonis postea Crimisa*. De Choni nihil Holstenius. Bodrandus *in Chones* repetit Crimisam esse lo *Ziro*: antiquitùs verò Chones habitasse *versus Crimisam promontorium, & Oppidum, quod ab his Chonia & Chonis dictum fuit Stephano, nunc Castrum* lo Ziro *teste Cluverio: quamquam Barrius existimet* Choniam *esse* Bellocastrum, *quæ aliàs Petelia*. Colligimus *Paternum* in sensu Holstenii, & Bodrandi, olim *Crimisam*, post *Choniam* unum idemque Oppidum fuisse. Sed Paternum, & Crimisam distingui debere, secus Choniam, & Crimisam cum Isleo censemus. Siquidem Strabo p. 507. ex Apollodoro refert, *quod Philoctetes ad Crotoniarum agrum profectus promontorium Crimissam habitari fecit, & super illud Oppidum Chonin, à quo Chones incolæ dicti*. Etiam Stephanus in Χώνη p. 359. a. Strabonem laudat. Igitur CRIMISA rectè à Paterno distinguenda: *Lo Ziro* scribitur in Magini tabula 57. prope ostium amnis *Lipuda*, qui olim Aretus. Inter Paternum, & Crimisam HYLIA flumen excurrit. Bodrandus hoc V. sentit cum Barrio esse *il Triunti*: Ita & Maginus laud. tabula *Trionto ol. Hylias*: Cluverio Hylias *la Caneta*. Isleo Traens, & Hylia sunt duo amnes distincti: quid statuendum? Etiam Cellarius p. 925. illos distinguit. Observamus in hoc tractu 13. amnes in mare decurrere, quorum 7. anonymi. BRUSTATIA, quæ nunc UMBRIATICUM, quò translatus Episcopatus Paternensis, ut cum Barrio affirmat Holstenius *in Cluv. p.* 306. Existit ad fontes *Areti* amnis, nunc Lipuda Magino tab. 57. Silent Lexicographi cum Cellario. Post hujus ostium STRONGULUM, quod vetus Petelia, ut constanter contra Cluverium tuetur Holstenius p. 307. id enim, inquit „ præter naturam, situmque loci, & tabulæ itinera„ riæ auctoritatem, ostendunt inscriptiones antiquæ, *Orc. Strongylum* vocat. Infra excurrit NEÆTHUS amnis

ad

Digitized by Google

ad cujus dexteram *S. Severina*, & ibi limes inter Calabriam superiorem, sive citeriorem, & inferiorem, hoc est ulteriorem Græcorum: amnis vetus nomen nunquam dimisit.

(146) In hoc itaque latere orientali, quod mare Jonium alluit Urbs prima Græcorum fuit S. SEVERINA, communiter vetus *Siberena* putata. Et revera à medio ævo S. Severina, ut nunc vocari cœpit à Scriptoribus, ut non rectè Barrius lib. 4. p. 306. in fine, & Bodrandus in *Siberena* scribant, sic tantùm esse dictam *ab imperito vulgo*. Testes abundant: Erchempertus num. 51. *Saraceni in S. Severina commorantes . . . . . omnes Grajorum gladiis extincti sunt: . . . . Deinde dictæ B. Severinæ Oppidum apprehensum est*. Leoni Sapienti *Notitia* 16. *p.* 669. in Append. Schelstrat. inter Metropoles *S. Severina*. Constantino Porphyrogenito *Them.* 10. *l.* 2. Oppidum S. Cyriacæ: *S. Severinæ* in Calabria. In Actis S. Nili Calabri Ruscianensis apud Baronium A. 976. n. 8. apud S. Virum erat *Metropolita S. Severinæ*. Curopalati p. 43 b. & Cedreno p. 482. æque *S. Severina*. Nilus Doxopatrius in *Notitia Patriarchatuum* p. 731. b. *S. Severina, quæ & Nicopolis*: & infra: *erat & S. Severina Metropolis*: Item p. 732. a. *S. Severinæ sedes Throno Constantinopolitano à Romano avulsæ* &c. Iterumque p. 734. b. *S. Severina Calabriæ habet Episcopos V.* & tot alii in Notitiis Appendicis Schelstratensis. Non ergo S. Severina *dicta ab imperito vulgo*. Rectè ne postea dicta à cultu hujus *Sanctæ*, vel potius corruptæ à *Siberena*, alia est quæstio, de qua nihil Barrius *l. l.* neque Marafiotus *l.* 3. *cap.* 21. nec nobis nunc otium est, id quærendi. Infra picti tres amnes TARGINES modò Tacina: AROCHA est Croca: & ÆSARUS nomen retinet antiquum in Magini tabb. 57. & 58. & apud Bodrandum. Ad Æsaris ostium CROTONA Ecclesiam viduam S. Gregorius Epist. 38. l. 2. A. 591. certe juris Græcorum commendat Johanni Ep. Squilatino, Lupus Protospata A. 981. *Fecit prælium Otbo Rex cum Saracenis in Calabria in Civitate Cotruna* &c. & A. 1058. *Tromby Patricius fecit occidere Scribonem in Civitate Cotroni*: & hodie Cotrone. Infra non procul ab ora ESULA: Græcis *Asyla* est *Isola* Episcopalis, de qua Lexicographi. LACINIUM Promontorium Bodrando *Capo delle Colonne*. Procul à mari TABERNA ad radices Apennini: crevit ex ruinis *Trischene* Urbis Græcorum sic dictæ, quasi *Tres Tabernæ*, à Saracenis eversæ. Nicephorus Imperator in hujus viciniis *Tabernam* condidit, quæ ideo dici potest nova Trischene. Ita Bodrandus ex Cæsare Engenio in *Taberna*, & in *Trischene*. Infra CATACIUM quod juxta Bodrandum à Græcis conditum, Nicephoro Comneno imperante: ejusque Ecclesiæ perpetuo unita fuit Tabernensis à Calisto II. *Hanc antiquam Græcorum Coloniam fuisse scribit Solinus*: verba sunt Ughelli *t.* 9. *col.* 355. edit. 2. & ubi id dicit Solinus? Neque in codice Salmasii exercitationum Plinianarum reperimus. Rectius sanè Barrius *lib.* 4. ineunte: „ *Novum opus*, fuit autem a Fagitio Ni„ cephori Imp. Procuratore conditum post vastitatem „ eam, quam universa Calabria . . . . . perpessa est „ . . . . . Dictum est autem Catazanum à Ca„ tizo verbo Græco, quod significat sedeo. „ Et hoc & sequens etyma imaginaria. Descendendo ad austrum duo amnes occurrunt SIMARUS unus Bodrando *Semirus*, nunc *Alli*, irrigans Castrum *Simari*, & ita in Magini tab. 58. Alter CORAX sed Bodrando, & Isleo *Crotalus* Plinio Corax: nunc il *Corace* in d. tab. Magini. Trans ipsum amnem SCYLLACIUM, quod & medio ævo *Squilatium* ex S. Gregorii binis *Epp.* 25. & 26. *lib.* 2. Indict. 10. Johanni Episcopo Squilatino. Sed Scyllacium in Notitia 17. Leonis Sapientis pag. 681. b. *in Geographia Sac. p.* 59. Lupo Protospatæ A. 1044. *Squilacii Castellum*: Gaufredo Malaterræ 1. 37. *Scyllatium* &c. Quoniam autem in d. Epistola 25. (cujus verba dedimus num. 144.) mentio fit *Civitatis Lasitanæ* captæ ab hostibus, cum spe redemptionis: ne (cum absit à tabula nostra) quis suspicetur à Langobardis in Calabria eam captam, & a nobis omissam, obiter monemus Calabriæ Urbem non esse, sed Illyrici, *Lissum* nempe in Prevali, sive Albania, ut apud Bodrandum in *Lissus*, nunc Alessio. Utique in Calabria est *Melissa*, de qua Barrius *l.* 4. *p.* 373. & Lexicographi, quæ tamen nulli Lissa est: nec, habuisse Episcopum vel in Geographia Sacra, vel apud Ughellum invenimus. Et hostes a quibus dicitur capta? Non Langobardi, sed Avares, quorum Rex Cacanus ætate S. Gregorii in Mauritium Imperatorem bellum gerebat, præsertim in Thracia, & Illyrico, ut apud Theophylactum Simocattam coævum (in Hist. Byzant. t. 1. p. 4.) ubi ab Avaribus plures Urbes captæ leguntur *lib* 1. *capp.* 3. & 4. Item in Miscella, de rebus Mauritii p. 113. ubi *Chajanus Sigidonem Civitatem subvertit, & multas alias Urbes cepit Illyrico subjectas*, quas inter sanè *Lissus* ex S. Gregorio. Infra Scyllacium LOCANUS amnis, nunc *Proteriate* Magino, & Bodrando ex Barrio. Hoc trajecto CECINA cum amne cognomine, quam Bodrandus h. V. *Carcinum*, & etiam *Cocinthum* dictam fuisse scribit, ut prius scripserat Cluverius, cui nunc est *Stilo*. Utrumque castigat Holstenius p. 303. qui Cecinam, & Cocinthum diversa esse loca tuetur „ itaut, „ inquit, *Cecinus* sit Satriano, & fluvius *Cecinus*, „ qui dictum Oppidulum alluit, vulgo *Acinale* di„ ctus „ o rationes quas subdit ex Plinio, & Mela. Quid sentiat Cellarius V. p. 922. Infra STILUM, quid? Impigrè respondet Harduinus *in Plinium p.* 165. *n.* 4. esse Consilinum, *unde Cintho promontorio nomen Capo di Stylo*. Laudat Cassiodorum *lib.* 8. *c.* 33. At si rectè observetur Cassiodorus, non hic Consilinum, sed in Lucania, ut abundè probavimus num. 134. Stilum ergo nos credimus, non aliud posse esse quam *Scyllum* ter repetitum apud Gaufredum Malaterram *lib.* 2. *cap.* 44. quod ex alio codice ter quoque scribitur *Stilium*. Quamobrem COSILINUM scriptum in Isleana, prorsus abundat, neque ibi ejus locus, sed in Lucania ex Cassiodoro, & ex adductis d. n. 134. MYSTIA, quæ nunc dicitur *Motta Giojosa*: Bodrando *Mistræ*: Mistia, & Mystia: & ibi Motta, sicut in Magini tabula 58. CAULONIA, quæ Caulon, & Caulum antiquioribus: Lexicographis h. V. nunc *Castel Vetere*. Infra amnis SAGRA, Bodrando, & Magino tab. 58. nunc *l'Alaro*, quo trajecto FANUM S. CYRIACÆ, de quo Porphyrogenitus *Them.* 10. *l.* 2. scribens, capta Sicilia à Saracenis (A. 820. vel 27.) *fuisse solam Calabriam à Christianis* (hoc est Græcis) *retentam, in qua Rhegium erat, & Oppidulum S. Cyriacæ, S. Severinæ, & Croto, & alia quædam Oppida, quibus Prætor Calabriæ dominabatur*. Lupus Protospata A. 986. *Comprehenderunt Saraceni S. Chiriachi Civitatem, & dissipaverunt Calabriam totam*. In Cod. Carac. *S. Civitatem Hyeracem*: & ita sequiori tempore Latinè, & Italicè scribi consuevit; nam & Gaufredus Malaterra *lib.* 1. *capp.* 21. & 32. scribit *Geracium*, & *Giracii*. Peregrinio *Dissertatione* 6. *Giraci*: Lexicographis *Gieraci*, & *Geraci* Italicè: Latinè verò *Hieracium*, & *Locris*: quia, ut rectè Bodrandus, hæc Urbs fuit excitata uno milliario à ruderibus Locris, & Fanum S. Cyriacæ dicta. Isleus in tabula Imperii Orientalis scripsit *S. Cyriacæ Oppidulum*, ut dicit Porphyrogenitus, in area Lucaniæ extra omnes fines Calabriæ: ipse videat. Præterire nolumus tandem, S. Cyriacam (Oppidulum Porphyrogenito sæculo X.) adeò crevisse XI. ut Guil. Apulus dixerit p. 262. a.

Tum quoque dives opum Geracia subditur illi.

BOVA ex Conciliis & in Geographia sac. p. 60. vetus *Peripolum*, ut situs demonstrat in Isleana: Lexicographis & *Peripolium*, quod alii interpretantur Mendolia ut Barrius: alii *Pagliopoli*. Scribendum esse censemus παλιπολις à παλιν, iterum, quasi Urbs reædificata: illud certum, quod Bova nomen est medii ævi: nam *Luminosus* Episcopus Bovensis subscribitur in Concilio Lateranensi sub Martino I. A. 649. ut apud Ughellum t. 9. col. 339. Hinc corruptè in cod. Labbeano col. 366. t. VI. dicitur Episcopus *Bonensis*, & corruptius in margine *Bononiensis*. De Bova Barrius *lib.* 3. *pag.* 228. Ad Bovæ dexteram amniculus ALEX, & Halex, vulgo *l'Alece*. Et hic finis Calabriæ, & Italiæ in latere orientali.

(147) At in Occidentali redeundo ad amnem *Sabatum*, & descendendo ad austrum in litore occurrit AMANTEA de qua prælaudati Erchempertus num. 51. *Amanteum Castrum captum est* à Græcis, Saracenis ejectis, sæculo IX. imperante Nicephoro, ut prodit etiam Cedrenus p. 482. cum Curopalate pag. 43. b. Amantea, & Mantia Magino tabula 58. An *Napitia* Strabonis, contendunt Scriptores Calabriæ apud Ortelium *in Napitia*, silente Holstenio. Post Amanteam ÆSIS amnis, at cur sic scriptus, nondum invenimus. Inter Amanteam, & Martoranum scribitur in d. tabula Magini amnis *Savuto*, qui Leandro pag. 209. b. *Acoeron*: aliis *Chierisino*, & is probabilius Æsis. Utrumque prætereunt Lexicographi, cæterique recogniti. Ad hujus lævam MARTORANUM Gaufredo Malaterræ 1. 18. *Marturianenses*, hinc Marturianum dicendum. Bodrandus in *Martoranum* inquit, sedere ad Sabatum amnem, hoc est Æsim, ut diximus: putatur vetus *Mamertum*. Hujus ad lævam NUMISTRUM Lexicographis ex Cluverio *Clocento* nunc. Ad mare TERINA, quæ notatur ut Insula in Isleana: Barrio apud Bodrandum *Nocera*: quæ tamen in Magini tab. 58. recedit à litore 4. m. pass. NEOCASTRUM, Castrum ne Leucastrense Gaufredi Malaterræ *l.* 1. *c.* 28? LAMETUS amnis Magino d. tabula 58. *lamato*. Post prope

Digitized by Google

prope litus ANGITULA Oppidum ad amnem cognominem: Bodrando ex Lycophrone *Crissa*: modò etiam *la Rocca d'Angitola*. Recedit à litore BIBONA: Anonymo Ravennati p. 209. *Bibona Balentia*: Lexicographis *Vibo Valentia*. Extat apud Holstenium *in Cluver. p.* 300. hoc fragmentum Chartæ Rogerii datæ A. Mundi SΦGE. Indictione 10. tempore Gregorii VII. (1087.) in qua sic legitur: „ Quoniam Ecclesiæ Episcopalis „ *Bibonæ*, & Taurianæ ab hominibus desertæ, atque „ deperditæ sunt, *Ego Rogerius* &c. volui duas has „ Cathedras in unam Ecclesiam Miletensem redigere: „ & hanc unam, nec *Bibonæ*, nec Taurianæ nomi- „ ne, sed Miletensem vocari, „ &c. Prope MILETUS, qui *Castrum Melitense* Gaufredo Malaterræ 1. 32. In litore TROPEJA: Curopalati, & Cedreno *l. l. Tropes*: In Notitia 17. Leonis Sapientis p. 681. b. *Tropia*. Nihilominus *Tropeja* nomen medii ævi, nam memorat S. Gregorius *Ep.* 1. *l.* 2. *Monasterium S. Archangeli, quod Tropeis est constitutum*. Et VI. Synodo Cpolitanæ adfuit *Theodorus* Episcopus S. *Tropejanæ* Ecclesiæ. An priori ævo dicta fuerit quasi *ad Tropbæa*, ibi fixa vel à Scipione, Carthagine eversa, vel à Sexto Pompejo victa classe Octaviani Cæsaris, ut apud Bodrandum *in Tropia*, conjicit Janus Parasius; neutrum probatur: *Tropeja* nomen emersum medio ævo, etsi *Postropæa* Stephano, & Bodrando h. V. NICOTERA ex Antonino: Massæ Nicoteranæ meminit S. Gregorius *Ep.* 40. *l.* 5. Synodo Nicænæ II. interfuit Sergius Nicoteræ Episcopus A. 787. Non olim Medama, ut ait Ferrarius, sed crevit ex hujus ruinis ipsi proximis. MEDAMA Straboni *l.* 6. *p.* 512. extitit medio ævo, quo excisa à Saracenis: nunc est *Rosarnum* in Magini tab. 58. & à Nicotera 4. m. pass. Ibi *Medama* amniculus, qui dicitur *Mesuna* Holstenio *in Cluver. p.* 298. ORESTIS PORTUS Barrio l. 2. p. 166. & apud Bodrandum h. V. *Porto Ravagliosa*, ut & annotavit Geographiæ sacræ p. 59. in fine Holstenius: hinc idem ac *Ravagasum*. Ibi METAURUS amnis, nunc *il Marro* Cluverio, & Magino tab. 58. OPPIDUM in d. Magini Tabula *Oppido*, nil amplius, quod *Oppidum Castrum* Gaufredo Malaterræ *lib.* 1. *cap.* 32. SCYLLA in d. Magini tabula est quidem *Trisilico*, sed distat 10. m. pass. à litore. Bodrando *in Scylla*, dicitur *il Sciglio* in ora maris Tyrrheni: ita & Albertus p. 205. scribens *Siglio*, *Scylla*: & ibi scopuli adeò ancipites, de quibus Poetæ. MALLIÆ, quarum rudera nomen servant, ut inquit h. V. Bodrandus. COLUMNA AUTHARIS scribitur juxta ea, quæ tradit Paulus 3. 33. Attamen fabulosam ejus narrationem cum Peregrinio *Diss.* 1. sub initium censemus; adjungentes, Autharim hanc extremam Calabriæ partem minimè potuisse pervadere, neque fortè videre; cum esset juris Græcorum. Fama nihilominus, sive rumor (quem & vulgus ignorans, & Paulus sunt secuti) aliqua veritate innititur, unde orta æquivocario. Verè in agro Regino est Columna dicta à Plinio 3. 5. non procul à fine *Columna Rbegia* (nunc vicus *la Catona* juxta Harduinum p. 158. nu. 25. al. *Calanna*). De eadem & Strabo *l.* 6. *p.* 513. ibi: *à Cenyde* (Cæny) *usque in Possidonium recessum, & Rbeginam Columellam ad Euripum angustius provenit meatus ad stadia* 6. *ab ipsa verò Columella ad Rbegium stadia* 100. Hæc tamen nequit dici Columna Autharis, quia antiquior ipso, quamvis eam *de hastæ suæ cuspide tetigisset*, quod adhuc inverisimile ex adductis à Peregrinio *l. l.* Neque illic solum Columna, sed & alibi plures erant: *veteribus enim* (ut notat idem Strabo l. 3. p. 342.) *hic mos affuit hujus generis confinia ponere, quemadmodum Rbegini Columellam turrim quamdam exilem super freto locaverunt*: pergit, huc, illucque persimiles indicando columnas. CRATIS fluvius: Plinio 3. 5. *Cratæis*: *Fiumara di Maro*: al. *Salano*. REGIUM sine aspiratione, ut in inscriptionibus antiquis apud Holstenium *in Ortel. p.* 162. Videatur Cassiodorus *Ep.* 14. *l.* 12. Lectu quoque dignus Erchempertus num. 81. de Græcis Regii. Curopalates de Roberto Duce Calabriæ p. 146. a. *Rbegium capit Urbem magnam, & illustrem, ubi consueverat Dux Italiæ commorari, quod ibi essent, & magnificæ domus, & eorum, quæ ad victum necessaria sunt, copia multa*. Rhegium *Junii* hoc vocat Collenutius *lib.* 1. *p.* 7. ad discrimen Regii Lepidi: at cur *Junii*, silet. S. AGATHA, de qua eadem quæstio ac de *S. Severina*, an scilicet à cultu Sanctæ Virginis vocetur, vel ne. Sanè affirmat Bodrandus, dum Oppidum hoc dicit *Fanum S. Agathæ*. Oppositum sentire videtur Barrius *lib* 3. *p.* 219. qui titulo *Sanctæ* suppresso, tantum sic scribit: *Agatha Græcum Oppidum est, quod Bonum significat, edito loco natura satis munitum, quod undique rupibus clauditur, & ejusdem nominis fluvio ..... abluitur: ab Ausonis conditum* &c. Non ergo à *Sancta*, sed potius ab amne *Agatha* Oppidum denominatum. LEUCOPETRA Promontorium Calabriam, Italiamque finit: „ quod à colore (inquit & idem „ Barrius *lib.* 3. *p.* 220.) Leucopetram, idest Saxum „ album appellant, per stadia 50. ubi M. Apennini „ finem adesse ajunt. „ Hic miratur V. doctus, *Paulum Manutium Leucopetram Tarentinorum semel, atque iterum impressisse*. Subdit p. 228. „ A Leucopetra villa „ hucusque incolæ in familiari sermone Latina, & „ Græca Lingua utuntur: sacra verò Græca Lingua, „ Græcove ritu faciunt. „ Et hic gressum sistimus, prætermissa Sicilia, ea ratione, imo potiori, qua Sardiniam adhuc, & Corsicam vacuas relinquimus, juxta monita in Prolegomenis sub num. 51. II. loco. Quamquam porrò Sicilia passa sit mutationes ævo medio ob ingressum Saracenorum A. 820. vel 27. ex prænotatis num. 130. attamen, quia nunquam Langobardi, vel Franci illam obtinuerunt, ad præsentem tabulam minimè spectare censemus. Utique ad tertiam infimæ ætatis, nempe à sæculo XI. quando à Normannis, & exinde ab Imperatoribus Germanis fuit subacta. Igitur cum illorum temporum sub aspectu tertiam Italiæ tabulam excudi curabimus, ut non semel spopondimus, non prout extat nunc (recentis namque Italiæ abundant tabulæ) sed quomodo se habebat ante XVI. sæculum in peculiares Dynastias, & Respublicas distributa: tunc quoque, Deo dante, Insularum Italiæ adjacentium Chorographiam exhibebimus, ut pari passu Scriptorum nostrorum Historia, & Chorographia procedant, ut ab initio Dissertationis hujus monuimus. Interim

PROTESTATIO AUCTORIS.

(148) ACcipe Lector quod tumultuario quidem, sed incredibili labore colligere debui, ne excitatum repetitis circularibus epistolis literariæ Reipublicæ desiderium de habenda quamprimum illustrata hac chorographica tabula Italiæ, longiori editionis mora, penè ad fastidium traduceretur. In nonum sanè annum, ut monebat Horatius *Art. poet. v.* 373. premendum erat hoc opus, cum de tentanda via hactenus eruditis intacta, & obsita salebris undique ac cespitibus ageretur, mille enodandi implexi nexus occurrerent, & in summa mediæ illius ætatis caligine vix aliqua Scriptorum, aut diplomatum lux affulgeret, qua calami cursus securè ad metam dirigi posset. Cedendum tamen fuit frequentibus, ac importunis etiam quandoque amicorum precibus, ut fidem tandem meam apud exteros liberarem; nec probrum hoc honestissimæ Palatinæ Societati affigi sinerem, quòd, protractis adhuc typis, publicæ expectationi illudere videretur. Prodit itaque informis hic fœtus vitio temporis, nimium mihi in angustias coacti, cui si detrahas quod publica studiorum cura, & privata negotiorum moles absumsit, vix mihi ipsi persuadeo (qualiscumque demum sit) in lucem edi potuisse. Si otium, & vires imposterum suppetent, non despero fore, ut secundis curis castigata hæc Dissertatio cultiorem vultum induat, & quam pluribus, iisque etiam præclaris medii ævi locis adaucta (quæ desiderari in ænea hac tabula consultò duximus, ne legentium oculos frequentia potiùs confunderet, quàm erudiret) pretiosæ antiquitatis cultoribus commendabiliorem se reddat. Interim opportunum hìc censeo, nonnulla diluere, aut saltem excusare, quæ in præsenti Dissertatione delicatis fortasse quorundam naribus pruritum facere possint. Primum est, quòd contra receptas non rarò sententias severus insurrexerim judex, & ipsos etiam clarissimos Auctores censoria veluti virga notaverim. Absit tamen, ut id libidine contradicendi susceperim. Cum multa discutere pro re nostra oportuerit, refodienda ferme omnia fuere rudera vetustatis excisæ; nec mirum, si aliqua solidiora emerserint monumenta, quæ aut non inspecta, aut incurioso tantùm oculo delibata, doctos etiam Viros eò deduxere, ut

Digitized by Google

in errores impingerent. Præclarum est quod tradit doctissimus Joh Caramuel *Theologiæ fundam. fundament.* 55. inquiens: *Multa supponuntur hodie, quæ non examinantur, & quoties discutiuntur, deprehenduntur erronea*. Cæterùm pondus rebus veritas, non auctoritas facit. Ad illius trutinam (quantum assequi potui, nec sudoribus, nec impensis parcens) exigere curavi quicquid congessi in has paginas: an acu rem tetigerim, penes te sit judicium; neque enim Lamiarum more foris oculatus ita domi meæ cæcutio, ut nuspiam me lapsum credere velim. Quin imo rogo, obtestorque æquum quemlibet sinceræ eruditionis amatorem, ut si quæ in hoc meo labore emendanda, aut etiam reprehendenda animadverterit, aperire mihi, licet Anonymo, non vereatur, epistolas suas dirigens ad Cl. Virum *Joseph Antonium Saxium*, Bibliothecæ Ambrosianæ Præfectum; ab eo siquidem monitus vel causam meam pro viribus agam, vel me errasse candidè profitebor. Neque perperam dicta revocare unquam pudebit, cum non piguerit doctissimum Danielem Papebrochium *Respons. part.* 1. *art.* 2. *num.* 9. hæc de se ipso testari: *Ita quotidie discere gaudeo, & novo accepto lumine mutare, atque supplere festino qualescunque priorum lucubrationum defectus*. (NB) *Hoc si turpe sibi putat Theologus, non putat Historicus, sed laudi sibi ducit*; dictisque fidem facto adjunxit V. doctus, retractatoriam Epistolam manu P. Janningii scribens ad memoratum Clar. Saxium, ut in ejusdem *Append. ad Dissert. apolog. p.* 3. satis celebri. Cum tanto Viro ero semper, ac præsertim nunc in iis, quæ tum in Dissertatione mea exaravi, tum in tabula præscripsi pingenda, dummodo tamen ea scriptis consentiat. Si enim artifex longè à me positus diversimodè illam inciderit, id mihi vitio accenseri nolim, cum de re minimè visa, aut de facto alieno nemo teneatur. Alterum, cui occurrere debeo, est me vagum extra Italiam quandoque excurrisse, nec raro origines gentium, Urbiumque attingentem ab ævi medii rebus exorbitasse: quæ cuncta, digressiones ineptas & absurdas quispiam esse notabit. At fortè non inutiliter id peractum cognoscet, consultiùs animadvertendo, remotiora me tempora, & loca persæpe oportuisse repetere, ut mediæ ætatis res invenire, & explanare, superiori antiquitate duce, valerem. Quemadmodum enim una facultas alterius defectum emendat, ita antiquiora, magìsque dissita tempora, & loca, etsi à proposito recedere videantur, ad rem tamen propositam, vi cujusdam consensus, sinè sensu conducunt; & si quæ disparata adhuc forent, semper (ut Joh. Jov. Pontanus in *Art. hist. Penu t.* 1. p. 574. ex praxi certos nos facit) *Urbium origines, gentium primordia procul repetita, quæ sint earum leges, qui mores, studiaque haud exiguam historiæ dignitatem afferunt: & pervetusta, atque à memoria nostra longiùs remota vehementer delectant*. Tertium est denique parùm expoliti, & alicubi etiam involuti styli invenustas. Refundi tamen id potest in summas temporis angustias, quibus effectum est, ut quidquid primo impetu effuderat calamus, prælo committendum foret, nec limæ adhibendæ locus daretur, cùm vix sufficeret dies parandis, quas celeres typi vorabant, pagellis. Præterea cum vastam adeò rerum molem mente agitarem, pensanda magis erat materies, quàm verba: nec mihi Philosophicis studiis quotidie occupato ita oratoria redundabat vena, ut quacumque calamus duceretur, lubens effueret. Malim id mihi laudis ab eruditis accedat, quòd recta scripserim, quàm quòd elegantia. Fateri quidem opus est hoc etiam lugendo infortunio afflictam fuisse lucubrationem hanc meam, ut in Autumnales ferias præceps ejusdem editio inciderit; absentibus siquidem ab Urbe qui diligenter curare opus valuissent, plura irrepsere in paginas menda, quæ cùm expungi non possent, collecta, præter morem nostrum, sisti in calce debuere. Reliqua, quæ oculos meos effugerint, benignè excusa; nec me cachinnis excipiens renovare illud junioris Plinii *Ep.* 7. *lib.* 9. jubeas, qui geminæ Villæ suæ ad lacum Larium positæ nomen permutavit, alteram, scilicet *Lenum*, *Comœdiam*, alteram, Belasium nunc, *Tragœdiam* appellans. Cæterum agas velim non Aristarchum Grammaticum, sed Aristonem in ea Philosophiæ parte, in qua is (teste Seneca *Ep.* 89. circa medium) *eum locum, qui monitiones continet, sustulit, & pædagogi ipse dixit, non Philosophi: tamquam quidquam aliud sit Sapiens, quàm humani generis pædagogus*: Vale.

F I N I S.

Digitized by Google

ERRATA	CORRIGE
Col. lin.	
32. 17. techa	techna
. . 61. alicarnaſs.	Halicarnaſs.
33. 26. in poſterum	impoſterum
. . 27. geneologicæ, *& alibi.*	genealogicæ *ſemper*
. . 48. etſi	& ſi
39. 30. quod	quot
40. 71. ſolum eſſe	ſolum ſe eſſe
61. 65. vagari	vagandi
62. 19. *leges*	*legis*
. . 57. horum	his
65. 34. cum Continuatore	cum, Continuatore
71. 59. lance	lance ponatur
77. 5. locuturi	acturi
91. 23. aſt	eſt
. . 36. *futura*	*futuræ*
92. 66. Rex	Lex
. . 33. *reputo*	*rupto*
95. 5. Gothia id	Gothia, id
100. 68. dicimus	diſcimus
121. 5. Tinea	Tinca
123. 41. Deſideri	Deſiderii
. . . 85. Cryſpolitanorum	Cryſopolitanorum
128. 23. ſubit	ſubdit
129. 60. nos	non
143. 64. id	in
146. 14. occulabantur	occulebantur
. . . 20. non fuit	ille fuit
. . . 79. Narſetam	Narſetem

ERRATA	CORRIGE
Col. lin.	
147. 52. attributæ	attributa
152. 59. donato	denato
170. 21. da	de
192. 15. Æmilia	in Æmilia
196. 90. antecelleret	antecellerent
200. 88. &	ex
204. 49. quid	quidquam
207. 21. Marliana	Manliana
211. 38. exciſſam	exciſam
216. 75. politico	militari
217. 11. inficiente	inficiante
218. 64. apud	adhuc
220. 37. quidem	quidam
223. 14. ſed	&
230. 87. produxit	perduxit
239. 56. Benvento	Benevento
249. 29. ejus filii	ejus ſucceſſoris
. . . 33. Thedaldus	*Corr. ut in Indice II. V.* Bonifacius Alberti.
255. 54. ab	ad
258. 51. Ageltrude	Agiltrude
. . . 34. induit	innuit
264. 91. huis	hujus
271. 25. habete	habere
277. 13. quem	quæ
. . . 29. ſignificar	ſignificat
. . . 37. ipſum	ad ipſum
283. 39. victigalis	vectigalis
286. 46. exactis	ex actis
292. 22. errore	errores
303. 18. Alcuni	Alcuini

Cætera menda periodum labefactantia, item & leviora incorrecta; defectu, exceſſu, inverſione characterum, interpunctionibus, nominumque propriorum inconſtantia in dialecto, & ſi quæ alia corrige tu Lector, & parce.

Digitized by Google

INDEX PRIMUS
CHORO-TOPOGRAPHICUS.

Adverte (p.) principium columnæ indicare à linea 1. ad 30. (m.) medium à 30. ad 60. (f.) à 60. ad finem.

*Asterisscus * denotat, quæ absunt à tabula vel defectu spatii, vel quia medio ævo non congruunt.* Extra, *Italiam scilicet.*

A

ABellinum. 284. p.
Acelum. Albertus, & Moletius notati. 149. f.
Acerculæ pluribus obscuræ. 133. p.
Acerentia. 281. f. 297. f. 298. p.
Acerragio. 177. p. vox corruptissima, & duplex emendatur. 178. p.
Acerræ fortè Græcorum. 304. f.
Acheron fl. 309. m.
Aciris fl. 288. m.
Acropolis. 289. m. Græcorum: post Saracenorum. 305. m.
Acula. 210. f.
Acutianus. V. Farfa.
Addua fl. 133. f.
Adria. 165 p.
Adrianopolis an Adria. 167. m.
Ad Novas, & ibi lepidus error in occursu Caroli M. 210. m.
Ad Vicesimum. 287. f. & seq.
Adurnum. 127. m.
Aeclanum idem ac
Aeculanum, Eclanum, & Quintodecimum medio ævo. 284. p. m.
Aemilia Langobardica quænam. 45. m. decurtata sub Francis. 45. f.
Aemiliæ viæ binæ. 48. p. & seq. V. & Via Claudia.
Aenaria Insula. 305. p.
Aesarus fl. Calabriæ superioris. 310. p.
Aesarus fl. Calabriæ inferioris. 311. m.
Aesernia. 274. f.
Aesis fl. Pentapolis. 176. f.
Aesis fl. 312. f.
Aesium. 180. p.
S. Agatha Gothorum. 283. f.
S. Agatha Calabriæ superioris. 309. f.
S. Agatha Calabriæ inferioris, cui defendus titulus *Sanctæ*. 313. f.
Agunia fl. 127. m. 133. f.
Arena quæ. 283. f.
Alatrium. 227. p.
Alba. 119. p.
Alba fucentia. 253. p.
Albania fl. 212. f.
Albanorum Oppidum. 227. f. & ibi Villa Gandulfi.
Albianum. 136. f.
Albingaunum. 103. f.
Albitiatum, quid olim. 130. p.
Albona extra. 144. p.
Alczeci Gaffaldatus prænotio. 273. m. ambitus. 274. m. Urbes. ibid.
Aletium minimè Lupiæ, ut aliqui censent. 299. m.
Alex fl. 312. f.
Alexanum. 300. f.
Allifa. 283. f.
Allia fl. de quo variè varii: cur celebris. 231. m.
Alpium Italiam ambientium nomina, & divisio. 86. m.
Alsuca. 136. f.
Altinum. 154. p.
Alubra fl. 125. p.
Amalphis Græcorum. 305. p.
Amalune fl. 133. f.
Amantea. 312. f.
Ameria. 230. f. 231. p.
Ametegis vallis. 112. m.
Amiternum. 264. f.
Anagnia. 227. p.
Anagnis. 136. m.
Anassus fl. nec Plavis, nec Tilaventum: Scripp. notati. 137. f. 138. p.
Ancona. 176. f. V. in indice II.
Anconæ Marcha. V. in Indice II.
Andria. 297. m.
Angitula. 313. p.
* Angleria; olim Licinii Forum: medio ævo Stationa. 128. f. & seqq. ibique fabulæ explosæ, & Scripp. notati.
Anglona non Aquilonia. 288. p.
Annonaria Pentapolensis Anonymi Rav. quænam. 170. p.
Ansa Regina. 123. m.
Ansedona quomodo capta à Carolo Magno. 207. p. m.
S. Anthimius, quid olim: an rectè Cures in Isleana. 252. f.
Antia. 253. f.
Antium. 226. f.
Anxanum geminum, quod ignotum Harduino confundenti Anxanum, & Anxam. 277. p. m.
Anxia Lucaniæ. 289. p.
Apenninus, ubi incipit. 20. p. Ubi in duo cornua scinditur. 282. p. ubi definit. 298. f. 299. p. 314. p.
Aphrodisium. 226. f.
Aprutium Civ. quando id nomen ei factum. 264. m.
Appianum. 136. f.
Apuliæ etymon ignotum. 289. f. Veteris divisio. 290. p. Quomodo dividenda medio ævo. 291. m. Scribenda in tabula ejusdem ævi, quod Peregrinius neglexit. 266. m. 290. p. f. Occiduæ fines. 291. m. Orientalis dicta Langobardia à Græcis. 267. m. 294. m. f. V. Langobardia minor.
Aquæ. 119. p.
Aquana Civ. V. Civ. Aquana.
Aquileja. 141. p.
Aquinum. 226. p. 269. f.
Aquaviva Tusciæ. 223. f.
Aquaviva Apuliæ. 297. m.
Arcuatum. 120. m.
Arcum. 227. p.
Ardea non ubi olim. 226. f.
Ardelica: Piscaria ex charta Carolimanni, sed suspecta. 147. p.
Arena. 283. f.
Arenula hactenus ignota VV. doctis fortè inventa. 278. m.
Aretium olim triplex: Urbs origine Tusca, & Princeps. 206. p.
Argenta, de qua olim varia scribuntur. Quid olim: ejus situs. 166. f. 167. p.
Argentanum. 310. p.
Arianum. 284. m.
Ariminum caput Pentapolis non probatur. 175. f. Scripp. notati. 176. p.
Ariminus fl. 176. m.
Arinianum. 223. m.
Aro fl. 212. f.
Arocha. 311. m.
Arpadium. V. Furculum.
Arpi. 293. m.
Arsia Civ. ignota veteribus, adhuc Ptolemæo. 144. p.
Arsia fl. 143. f.
Artenia. 140. m.
Arx Genesina. Ibi initium Viæ Claudiæ: Bollandistæ, & Holstenius observati. 50. m. f. & 120. p.
Asculum Piceni. 264. p.
Asculum Apulum. 294. p.
Asius fl. 257. f.
Asperia. 230. f.
Assisium. 256. f.
Asta. 110. p.
Astura, ubi Cicero occisus. 226. f.
Astura fl. 331. p.
Ateste, de quo nugæ scribuntur. 149. p.
Athenum. 288. f.
Athesis. 154. f.
Atina. 270. p.
Atræ parùm notæ. 293. m.
Atria. 264. m.
Avella. 284. p.
Aversa ex ruinis Atellæ saltem aucta. 283. f. Non opus Roberti Guiscardi, ut putat Bodrandus. 284. p. 290. m.
Aufida. 263. f. 264. p.
Aufidena. 274. m.
Aufidus fl. 294. p.
Aufina. 254. p.
Augusta Burgundionibus cessit. 107. f. 112. p. & f.
Aviliana. 109. f.
Aula, ubi Abbatia S. Caprasii ignota Lubino. 202. f.
Auriatum. 110. p.
* Aurunca. Rectè Anonymo Rav. Svesaruntia, cur. 271. p.
Auser fl. sive Serchi. 212. f.
Austria Italica quænam. 42. f. 43. p. Ibi Tillemontius observatus. Item Sigonius. 43. m. 44. f. Ubi à Neustria divisa. 53. m. f. V. Venetia.
Austriæ Civitas. V. Civ. Austriæ.

B

BAja Græcorum, cujus nominis ratio fertur. 304. f.
Baldinus fl. 231. p.
* Balnearia ad Novem Pagi? Scripp. notantur. 212. m.
* Balneum Regis, & cujus? Non Desiderii, quo id nomen antiquius. 212. p.
Banio. 203. p.
Barbaranum, quid. 220. m.
Bardonisca vallis. 112. f.
Bardum. 112. f.
Baris. 300. f.
Barium. 297. f.
Barregium. 277. f. 278. p.
Barulum. 297. m.
* Basilicata. V. in indice II. h. v.
Bassanum, de quo lapis confictus. 149. f.

Bat-

Digitized by Google

Battum fl. 309. m.
Bavotta. 300. f.
Bauzanum. 136. f.
Bazanum. 124. f.
Bellenica. 131. m.
Bellitiona. 131. m.
Belunum. 150. p.
Beneventanus Ducatus. Ejus amplitudo. 266. p. In eo Castella pauca sub Langobardis. Ibid. m. Qui de illo scripsere. Ibid. Regionum, & Gentium prisca nomina à Langobardis Principibus in eo suppressa, non à Scripp. cur, contra Peregrinium. 267. p. In Gastaldatus divisus. Ibid. m. Capta à Græcis, & Saracenis non attendenda in ejus finibus. 267. f. 268. p. Seorsim sumptus, quas Regiones mare veteri, & novo comprehendebat. 283. p.
Beneventum. Ejus Duces cur præ cæteris liberi, etsi vectigales. 283. p. & m.
Bercetum. 121. m. Ejus Cœnobii quis conditor. Ibid.
Berealis, quæ Capua vetus. 271. m. Cremata à Saracenis. 272. p. Ubi fuit. Ibid. f.
Bergomum, de quo ridiculum, quid. 132. m.
Berna. V. Verona.
Berola asylum Ludovici II. Imper. 227. m.
Bibinum. 294. p.
Bibona. 313. p.
Bicentia. 284. p.
Binæ. 127. f.
Binon fl. 176. f.
Bisinianum. 310. p.
Bitricium. 112. f.
Bituntum. 297. m.
Biturgia, an recens Burgus S. Sepulchri. 206. m.
Blanda, de cujus situ Scripp. variant. 309. p.
Blandenona. 120. p. & ibi Ferrarius, & Bodrandus notati.
Blanderate: antiquum. 125. f.
Bleda. 220. m.
Bobium Exarchatus, de quo multa contra J. F. 163. p. & seq.
Bodincomagum, aliaque sic desinentia, quid? 111. p. & m.
Bonitium. 204. f.
Bononia. 164. m.
Bontia. 129. f.
Boscum. 119. m.
Bova. 312. m.
Bovianum. 274. f.
Bracenum. 220. f.
Bradanus fl. 284. f. 288. m. & 289. m.
Bremetum Novaliciensium Colonia. 127. p.
Brentonicum. 137. m. 146. f.
Brinianum. 132. m.
Brinta fl. 154. m. 155. p.
Brintum. 165. f.
Brixellum. 123. p.
Brixia Neustriæ, non Austriæ Urbs. 100. f. Quam nobilis apud Langobardos. 133. m.
Brixina. 136. m.
Brumiadum, in quo correctus Ughellus. A Liutprando honestatum: an ibi Briniates, ut in Isleana. 105. p. & m.
Brundusium. 299. p.
Brustatia. 310. f.
Bujellæ, an Gaumellum: quid olim. 125. f.
Burgus S. Domnini in Via Claudia. 121. f.
Butrium. 166. p.
Buxeta, non Bussetum contra Cluverium. 124. p. & seq.

C

Cere ex XII. Principibus. 219. f.
Caesena. 164. m.
Cajeta. V. Castrum Cajetanum.
Caira, in qua Spiegellius notatus. 104. p.
Calabria antiquior tabulæ medii ævi parùm congrua: & cur translata à Græcis. 295. p. & m. Id hactenus ignotum aperitur à Peregrinio, sed non satis. 306. p. & seqq. Clariùs ostenditur. Ibid. m. & f. Numquam tota fuit Langobardorum, ut putat Cl. Fontaninus. 308. p. & seqq.
Calabria superior, ubi divisa à Lucania. 308. f. Ubi ab inferiori. 309. p. 311. p.
Calabria inferior juris Græcorum. 308. p. & seq. 311. p. 312. m.
Calatia. 271. p.
Calenum, an idem ac Cales, ut sentit Peregrinius? Non. 270. p. m. & seq.
Cales. Ibidem.
Calles. 179. m.
Callipolis, unde dicta. Plinii locus ingeniosè ab Harduino correctus: quomodo corrigendus: non Anxa. 300. m.
* Calmentinus M. 265. m.
Calor fl. 284. m.
Calventianum, ubi occisus Boethius. 128. p.
Camerinum dictum Marcha, sed nomine tenus distincta ab initio a Firmana. 263. p.
* Camillomagum. 120. f.
Camodium. 119. m.
Campania. 224. m. & f.
Campi Canini. 126. m.
Campus Coronatæ. 131. p. & ibi Scripp. Ticinenses castigandi.
Campus Rotalianus. 136. m.
Campus Sardis. 137. f.
Candelarus fl. 244. p.
Canetum. 133. m.
Cannæ etiam medio ævo. 297. p.
Canobium. 126. m.
Canusium. 297. p.
Capatium vetus. 287. f.
Capræ Exarchatus, ubi Totilas occisus, & sepultus. 166. p.
Capræ Insula Campaniæ. 305. p.
Caprasia, quid nunc. 310. p.
Caprulæ. 154. m.
Capuæ Gastaldatus cur sic, non Comitatus inscriptus. 268. f. 269. p. Ejus ambitus, & fines. 269. p. m.
Capua vetus. V. Berealis. Capua nova, quando condita. 272. m. Chronographi castigati. Ibid. & f. Error Porphyrogeniti. 273. p.
Carapella fl. 294. p.
Carbantia. 126. f. & ibi non idem *ad Medias*, & Meda.
Carentum. 277. f.
Cariada. 130. p. ibique Castillionæus castigandus.
Carnellus fl. pars superior Gariliani. 231. p.
Carpasius M. 110. p.
Carrufa ex cujus ruinis Ancaranum. 264. p.
Carseolum. Et ibi Scriptorum dissensus. 252. f. 253. p.
Casamirta. 273. p.
Casauria, ubi Abbatia S. Clementis, opus Ludovici II. 254. p. & m.
Casinum Metropolis Benedictinorum. 269. f. 270. p.
Cassanum, an Cosilinum Cassiodori. 280. m. & 286. Isleana cum priscis Geographis observata. Ibid. & 287. p.
Cassianum Lucaniæ. 287. f.
Cassianum Lucaniæ olim, post Calabriæ. 309. f.
Castania. 298. m.
Castellum Felicitatis à solo Anonymo, obscurèque notatum. 208. m. Tifernum esse solidè ostenditur. Ibid. f. & seq. Cur felicissimum. 209. m.
Castellum Gallesii, de cujus lectione non rectè Massam arguit Cl. Fontaninus, adhuc sioi contrarius. 221. f. 222. p. Nimisque fidit barbaro Anonymo. Ibid.
Castellum de M. Metulo. 277. f.
Castellum Pontium. 140. f.
Castellum Veneris. 253. f.
Castrum in Tuscia vetus Statonia. 211. m.
Castrum Cajetanum. Græcorum: post Ecclesiæ. 303. f.
Castrum Cenetense. 151. m.
Castrum Florum. 109. m.
Castrum Gargonza. 206. p.
Castrum novum. 119. f.
Castrum S. Petri, quid in Tuscia. 210. f.
Castrum Saracenisscum lugubre monumentum. 288. f.
Castrum Trebentense. V. Trigentum.
Catacium, cujus etyma imaginaria. 311. m. & ibi perperam Solinus laudatus.
* Catapanata. V. in indice II. h. v.
Catholica descripta à Baronio. 176. m. ubi cur sic vocata.
Caulonia. 312. p.
Ceba. 118. f.
Cecina fl. 212. p. & ibi Bodrandus castigatus.
Cemela variè dicta, ejusque sors. 103. p.
Centumcellæ. Scripp. notati: cur sic dictæ. 219. p. Cur Civitas vetus. Ibid. m.
Cerbarus fl. 294. p.
Cerfennia. 253. f.
Cerilli. 309. m.
* Chonia. 310. f.
* Chrysopolis: cur sic dicta, & quando: Scriptores notati. 121. f.
* Christopolis. 131. p.
Cimiterium sic barbarè scriptum. 281. f. Quid, & cur sic vocatum. 282. p.
* Cincellæ non rectè indicatæ ab Holstenio. 219. m.
Civitas nomine proprio ævo medio, quæ olim Teanum Apulum. 278. p. & m. Minimè Marsicum vetus. 289. p. 292. f. 293. p.
Civ. Aquana. 264. f.
Civ. Austriæ. 43. p. m. 139. f.
Civ. Colorum quæritur ubi. 223. m. f.
Civ. Geminiana. 122. p.
Civ. Nova. V. Geminiana Civ.
Civ. Nova Piceni, & ibi quæstio de interpunctione. 264. p.
Civ. Severiana. 298. m.
Civ. Solis. 165. f.
Civ. Stertiniana, & ipsa ubi? 223. m. f.
Civ. Tazze quæritur. 277. m.
Civ. vetus. V. Centum Cellæ.
Clarascum. 110. p.
Clarimontium medio ævo Grumentum. 288. f.
Classis à quo dicta, & quoties capta. 167. m.
Clastidium. 120. p.
Clavasium. 112. f.
Clavarum. 105. p.
Claudia Via. V. Via Claudia.
Clavenna. 132. p.
Clena fl. 125. p.
Clesus fl. 133. f.
Cliternium. 253. p.
Clivate. 132. m.
Clodiæ portus: ibi Harduinus notatus. 154. m.
Clusæ. 109. p. Veronenses. 136. f.
Clusium vetus, & novum: medio ævo hoc viguit: illud deficiebat. 206. p. Vetus ex XII. 210. m.
Colonia. 148. f. & ibi VV. docti notati.
Columna Autharis: Fabula, sed filia veritatis indicatæ a Strabone. 313. m.
Comaclum, quando celebr. 165. p.

Digitized by Google

Concha submersa, & corruptè scripta. 176. p.
Concordia. 154. m.
Conellianum. 151. m.
Consentia. 282. f. 310. m.
Consia, à qua Comes Consinus. 281. p.
Conversanum. 297. f.
Cora. 227. m.
Corax fl. 311. f.
Corinaltum, cujus situs statuitur. 180. p.
Cormones. 140. p. ibique Scripp. notati.
Cornia fl. 212. f.
Cornietum. 219. f.
Cortona ex XII. Principibus. 209. f.
Cosona fl. Pentapolis. 176. f.
Costuma Via parum nota, quæ. 48. p.
Cothylis fl. 310. p.
Cratis fl. 310. p.
Cratis fl. Calabriæ inferioris. 313. f.
Crema. 133. p.
Cremona Impostores repudiet: Cur Reges Langobardos exosa. 133. m.
* Crescentinum recens, quod nec Cestia, neque Quadrata contra Bodrandum. 126. m.
Crimisa distinguenda à Paterno. 310. m. & f.
Crotona. 311. m.
Crustumium fl. 177. p.
Cucullum. 254. p.
Cuma Campaniæ Neapolitanæ Græcorum. 304. f.
Cumum. 130. f.
Curia major. 112. f.
Curia picta. 127. f.
Curtis Olonna, quæ Curtis Regia. 127. f.
Cusentia. 280. m.
Custodia Venetiæ, ubi fodinæ. 149. m
Custodia, & Lelia, in quibus Strabo corruptus, Scriptoresque decepti. 120. m. & f.
Cutiæ. 127. p.
S. Cyriaca. V. Fanum S. Cyriacæ.

D

* Dardanum fictum. 32. f.
Decennonii paludes, quænam ex Romana inscriptione. 303. m.
Decennovius fl. impropriè dictus, & unde. 303. m.
Decula, cujus lectio rejicitur ab Harduino: rectè ne? 278. p.
Delphini portus. 105. p.
Desiderianum. 127. m.
Draconaria, cujus situs varius. 277. f.
Duria major, sive Baltea fl. 133. f.
Duria minor, sive Riparia fl. ibid.

E

Eboreja. Ducatus Urbanus tantùm. 112. p. Marcha serò facta, & perperam ad Tridentum, vel ultra prolata. 77. m. Fines. 78. m. 79. p. Quam angusti. 78. f. 79 p. Valerianus Castillionæus notatus à col. 77. ad 86. Plura adhuc in indice II. h. v.
Ebovium, sive Bobium, in quo Blondus notatus: in Apennino, non in Alpibus Cottiis. 120. m.
Ecana, quid nunc. 292. m.
Egnatia, non Monopolis, ut putat Peregrinius. 297. f.
Ennemate. 173. m. 146. f.
Entia fl. corruptè Entiaamus: rectè Entia amnis. 125. p.
Equilium Opiterginorum Colonia. 153. p.
Eporedia V. Eboreja.
Eraclea in Gastaldatu Capuæ. 270. p.
Eris fl. 212. f.
Erix, in quo Moletius, & Cluverius notati. 105. f.
Esula. 311. m.
Eudracium. 112. f.
Eugubium. 179. f. & ibi de ejus nominibus.
Eulogimenopolis quid significet, à quo condita, & cur. 269. f.
Exarchatus Italiæ latè, & pressè sumptus quid contineret. 160. m. Ejusdem propriè dicti fines. Ibid. f. 161. p. Exarchatus civilis, & sacri fines à Blondo, & Rubeo confusi. 161. m. f. Quando ei Romaniæ nomen invectum. 46. p. & m. Quare. 161. f. 162. p. & ibi Rubeus dormitans, cur? Reliqua in indice II. h. v.

F

Fabrianum. 179. f.
Ferraria. Ejus nomen unde: Forum Alieni esse opinantes nondum probant. 164. f. Quis eam in Urbis formam redegerit. 165. p. Ter situm mutavit. 166. m.
Faleria quæ, & qualis: ejus agri incolæ Falisci, & Falari dicti. Ex XII. Tusciæ conjicitur. Harduinus observatus. 222. m. & seqq.
Falerona. 263. f.
Fananum. 124. f.
Fanum, an caput Pentapolis. 126. m.
Fanum S. Cyriacæ in Calabria inferiori, non in meditullio Lucaniæ, ut in Isleana: ejus varia nomina. 312. m.
Fanum S. Martini. 177. p.
Fanum S. Severi. 293. p.
Farfa non rectè à Sigonio Ducatui Romano attributa. 229. f. Ducatui Spoletano in Sabinia accensenda. 252. m.
Faventia. 164. m.
Feltria. 150. p.
Ferenti Castrum cur eversum. 211. p.
Ferentinum. 227. p.
Ferentum. 298. p.
Feronianum. 123. f.
Fescennia. V. Castellum Gallesii.
Ficocle. 167. m. & f.
Fidena an gemina. 230. p.
Finarium. 104. p.
Firmum, à quo dicta Marcha Firmana. 259. p. & 263. f. Agiltrudis ibi obsessa ab Arnulfo, non alibi. 258. m. & f. Castellana sedes antonomasticè Petro Damiani. 259. f. Firmum Oppidum, & Firmum Castellum duo distinguenda. Ibid. Ejus Marchæ extensio. 260. m. & seqq. V. in indice II. reliqua. Verb. Firmana Marcha.
Flanona. Extra. 144. p.
Flavianum. 264. p.
Florentia medio ævo non excisa, non refarta: VV. docti observati. 203. f. 204. p.
Florentiola. 121. m.
Folia fl. 176. f.
Foranum. 211. p.
Formiæ Græcorum. 304. p.
Forojuliensis Ducatus, & Marcha: illius fines. 137. f. 138. f.
Forum Julii V. Civ. Austriæ.
Forum Flaminii ubi. 257. p.
Forum Fulvii. 109 f.
Forum Livii. 164. m.
Forum Popillii. 164. m.
Forum Sempronii. 180. p.
Fossatum. Nominis hujus origo. 257. f.
Fratuertium in quo plures cæcutiunt. 299. m.
Fraxinetum Saracenorum. 103. m. Situs ejus discussio: Historia: Scriptores observati. 105. f. & seqq.
Fraxinetum Langobardiæ. 109. f.
Frento fl. 279. p.
Frequentum. 284. m.
Freseno fl. 215. f.
Frusino. 227. p.
Fulginium 257. p.
Fundi Græcorum. 303. f. Serò Ecclesiæ. 304. p.
Furconium, ex cujus ruinis recens Aquila. 264. f.
Furculum quid olim, nunc, & ubi. 282. p. & seq.

G

Gabellum, cujus situs, pluribus ignotus, designatur. 165. p. Gabiana. 110. f.
Gabium. 230. f.
Gadaone. 109. m. Ulcium Notariis, ibidem.
Gallesus fl. Tusciæ. 222. p.
Gallianum. 130. p.
Gallinaria Insula: & ibi asyllum S. Martini. 104. p.
Gallipolis. V. Callipolis.
Garda: quid significet. 146. f. Idem ac Lagare Pauli contra Porcheronum. 147. p.
Garilianum Castrum opus Saracenorum ubi. 269. m.
Garilianus fl. cujus pars superior Carnellus: olim Liris. 231. p.
Gavensis vicus. 109. m.
Gaumellum. V. Bujellæ, & Laumellum.
Geminiana Civ. V. Civ. Geminiana.
S. Geminianus unde verè dictus in Tuscia. 204. f.
Gena amniculus alter à Madia: ideo corrige. 50. p. 55. p. 124. p. 125. p.
Genesina Arx. V. Arx Genesina.
Genua: ejus etymon fabulosum: an altera in Hispania. 104. f. Asylum Mediolanensium. 105. p. & 156. p. Marcha facta à Francis. 73. m.
Genusium. 298. m.
Glemona. 140. m.
* Goritia an vetus: an Noreja: Codices omnes Strabonis hic corrupti. 141. m. & seqq.
Grabadona, ubi prodigium evenit. 131. m.
Grachianum. 204. f.
Gradus. 44 p. 141. p. Cur nova Aquileja. 152. m. f.
Gravina vetus Plera, quæ ideo abundat in eadem tabula. 298 p.
* Gregoriopolis quæ, & à quo dicta: Scripp. notati. 226. m.
Guardistallum. 123. p.
Gubernulum. 148. m.

H

Helba Insula sic dicta jam à sæculo VI. 207. f. & ibi Cosmopolis ficta.
Helvinus fl. 265. p.
Herberia. 122. m.
Heraclea Magistratuum Venetorum sedes. 152. f.
Heraclea Lucaniæ. 288. m.
Herculaneum. 304. f.
Herdona an rectè in Isleana notata. 294. p.
Himella fl. 231. f.
Histonium. 277. m. f. & ibi lectio Gratiani in Decreto corrigenda.
Histria: Vetus ejus nomen: De ea Scriptorum fabulæ. 142. f. rejiciuntur. 143. p. ejusdem fines: ibidem m. Histriæ conditio medio ævo. 69. p. & seqq. Marcha, sed non ævo Francico. 70. p.
Horrea. 225. f. 227. p.

Hor-

Digitized by Google

Horta Colonia Tusca, vel Romana nondum probatur à Cl. Fontanin). 193. f. & seq. 221. p. m.
* S. Hospitii Castrum. 106. m. 107. p.
Hostilia. 148. m.
Humana. 176. m.
Hylia fl. de qua disceptatur. 310. f.

I

IBligis. 140. f.
Imola. 164. m.
Incinum, non Licinii Forum. Scripp. notati. 130. m.
Insula Bisentina cur sic dicta. 210. f.
Insula Comacina. 130 f.
Insula Fulcheria, hoc est tractus Adduam inter, & Serium. 132. m.
Insula Herculis. 208. p.
Insula Januti. 208. p.
Insula S. Julii. 126. p.
Insula Lilii. 208. p.
Insula Martana, ubi occisa Amalasuntha. 210. f.
Interamna. Ibi Liutprandum Zacharias PP. convenit. 256. m.
Interamnium Calabriæ superioris, in quo Isleana observata. 309. m. f.
Intercisa. 180. p.
Interocrea. 256. m.
Isaurus fl. 176. m.
Istria. V. Histria.
Italiæ etymon, fines: quando, & cur ad Alpes protracti. 97. m. non immutati à Græcis, nec à Barbaris. Ibid. f. Eadem in Regiones XXII. ævo medio divisa. 98. m. Singularum nomina. Ibid.
Italiæ Langobardicæ, sive in Regno partes quænam: nomina, & etyma. 41. f. 42. p. extensio. Ibid.
* Julium Carnicum. 139. m. Non Noreja contra Moletium. 142. m.
Justinopolis quid olim: Blondus notatus. 143. m. Reliqua in indice II. verbo eodem.
Juvenatium olim Natiolum contra Collenutium. 297. m.

L

LAbellum. 297. p.
Lacinium Promontorium. 311. m.
Lacus Comacinus venustè descriptus. 130. f.
Lacus Fucinus. 253. p.
Lacus Clitorius cur dictus ille Perusiæ? 215. f.
Lacus Vulsinus. 210. f.
Lagare. V. Garda.
Lainus. 280. m.
Lambrum fl. 133. f.
Lametus fl. 312. f.
Langobardia major. 100. f. & 296. m. f. Quando id nomen primò enatum. 46. m. 47. m. Ejus fines. 47. f. & seqq. 54. p. 55. p. immutati. 56. p. & seqq.
Langobardia minor. 100. f. Ab Apulia usque ad Vulturnum, & citra, Romam usque protensa. 294. f. Quot Regiones sub eadem à Græcis comprehensæ. 295. p. & seq. Cur id factum. 295. m. Tota Italia Transtiberina Langobardia dicta. 295. f. Quando hæc excogitata à Græcis. 295. f. 296. p. m.
Langobardum. 309. f.
Lanius fl. 301. m.
Lardaniola. 123. f. 125. p.
Larinum. 278. p.
Latinianum. 280. m. Lexicographis est ignotum.
Lavania. 105. p.
Lavinium. 226. f. Plinius ibi correctus.
Lauda. 128. p.
Laumellum de quo non rectè Ptolemæus, & Moletius. 127. m.
Laus, qui & Lainus.
Laus fl. non Talaus. 287. f.
Legiunum. 130. p.
Lelia, & Custodia, ibique Scriptores notati. 120. m. f.
Leonicum. 148. f.
Leopolis à quo, cur, & ubi condita. 219. m.
Lesina. 293. p.
Leuca ab albo colore dicta. 300. f.
Leuceris, cujus situs non cuique notus. 133. m.
Leucopetra Promontorium ab albedine dicta: & ibi villa cognominis. 314. p.
Leucum. 132. m.
Liburia, sive Liguria Campana juris Græcorum circumscripta. 301. m. f. Cur sic vocata. 302. m.
Liburni portus. 204. m.
Liguriæ Ducatus. Ejus vetus notitia: amplitudo: contractio: fines. 101. p. & seqq. Tabula ænea in ejus agro inventa. 102. m. Cur in illa paucæ Coloniæ. 102. f.
Liniacum, in quo corrigendus Bodrandus. 148. f.
Lio fl. 125. p.
* Lissus extra, à quo Ecclesia Lisitana apud S. Gregorium, indicatur. 311. f. 312. p.
Liternum Græcorum. 304. f.
Locanus fl. 312. p.
Longula expurganda à fabulis Annii. 211. p. m.
Luca. 203. m.
* Lucania Regio antiqua ab albedine dicta. 280. f. 281. p. Beneventani Ducatus propriè dicti pars: hujus fines. 284. f. Nunc est Basilicata, de qua in indice II. h. v.
Lucania Urbs. Prisca ejus nomina. Eustathius cum Scholiaste notatus à Peregrinio, & Cluverio, defensus. 280. m. & seq. 281. p.
Luceoli. 179. m.
Luceria Apuliæ. 292. f.
Luna Tusca in Origine. 201. f. Prout jacet, non per Normannos eversa probatur ab Holstenio, & Harduino. 202. p. Sæculo XII. & infra adhuc florens. Ibid. m.
Lupiæ. 299. p.
Luzzaria. 123. m.

M

MAcerata Montis Lucari ignota Lexicographis. 178. f. Macerata Piceni. 263. f.
Macra fl. 212. f.
Magesale. 131. m.
Maletum. 136. m.
Malliæ. 313. m.
Malliana, sive Manliana. 207. m.
Mallianum distinguendum ab aliis. 207. p.
Mallianum, & ibi trium hujus nominis declaratio. 209. f. 210. p.
Manduriæ. 300. p.
Mantua à fabulis expurgata. 147. f. & seqq.
Marcha Anconitana, ut in indice II.
Marcha Firmana. V. Firmana Marcha in indice II.
Marcilianum Suburbium Cosilini. 286. f.
Marianum, in quo fortè corruptus Codex Em. Norisii. 150. m. & f. Ibique vetus inscriptio Romana.
Maricla fl. 176. p
Marincum. 119. m.
S. Marinus à quo dictus: Scripp. castigati. 177. f.
* Marlia. 203. m.
Marsica, & ibi Scripp. notati. 253. m. & f. Dicta etiam Valeria. Ib.
Marsicum vetus minimè *Civitas*, quæ olim Teanum Apulum. 289. p.
Marta Oppidum. 211. p.
Marta fl. 212. f. non Ossa, ut Ortelio.
Martoranum. 212. f.
Martula. 231. p.
Massa. 206. f.
Massa Trabaria à quo dicta. 179. p.
Matera, cujus varia dialectus. 298. p.
Matilica. 263. m.
Matrinus fl. 265. m.
Medama. 313. m.
Mediolanum, cujus rerum Epitome. 128. m. Ejus Comitatus amplitudo. 71. f. 72. p. 99. f.
Marcha. 71. f. & seq.
Melpis fl. 225. f. 231. m.
Melignanum, quid olim. 128. p.
Melphia extitit ante Normannos: Scripp. observati. 293. f.
Mesaucum. 132. m.
Messana. 299. p.
Metamaucum Magistratuum Venetorum sedes: meta Francorum. 153. p.
Metapontum. 288.
Metauron fl. 176. f.
Metaurus fl. Calabriæ. 313. m.
Metellianum ex ruinis Marcinæ emersum. 281. f.
Miletus. 313. p.
Milla fl. 133. f.
Mincius fl. 147. p. 154. f.
S. Miniatus cur *al Todesco*? Albertus notatus. 204. f.
Minio fl. 212. f.
Mirinum. 293. m.
Misco fl. Pentapolis. 168. m. 176. f. 265. p.
Misio fl. Tusciæ. 212. f.
Modicia. 128. f.
Monachum, quid olim. Ptolemæus ibi notatus. 103. m.
Monelia. 105. p.
Monopolis. 297. f.
Monorbinum. 297. p.
Mons Aliperti, quid nunc: variè dictus. 252. f.
Mons Bardonis. 121. m. Et ibi Lubinus notatus.
Mons Bellius. 123. f.
Mons Calmentinus. 265. m.
Mons Carolus. 203.
Mons Carpasius. V. Carpasius M.
Mons Christi Insula. Ita & medio ævo. 207. f.
Mons Falisci. 211. p.
Mons Feretri. 176. m. Continuator Reginonis observatus.
Mons Garganus. 293. m.
Mons Ilcinus. 209. f.
Mons Ipo. 210. m.
Mons Labula. 288. p.
Mons Lucari. 178. m.
Mons Magius. V. Acerragio.
Mons Maurus. 106. p.
Mons Ocra. 256. m.
Mons Patricii. 263. f.
Mons Pennice. 120. m.
Mons Pilosus. 298. p.
Mons Porcarianus. 109. p.
Mons Silicis, qui Corio Monte divite. 149. p.
Mons Titan. V. Titan M.
Mons Trifiscus, in quo Sicopolis condita, exactè indicatus. 272. f.
Mons Vici. 110. p.
Montella. 281. m.
Mortaria. V. Silva bella.
Muranum. 309. m.
Mutina. 122. m. & seq.
Mutilum. 165. f.
Myttia. 312.

N

NAr fl. medio ævo Tolenus. 231. f.

Nar-

Digitized by Google

Narnia. 230. f.
Naulum ævi infimi. 104. m.
Neapolis Histriæ. 143. f.
Neapolis Ducatus in Liburia Campaniæ fines. 301. m. f. A quo regebatur. 304. m. & ibi Porphyrogenitus notatus. Ejus Urbs capta a Joh. Confino. Ibid.
Neocastrum. 312. f.
NeonFortis. 130. m.
Neopyrgi quid hodie. 229. f.
Nepet. 220. f.
Neptunum. 226. f.
Neretum. 300. m.
Neruli. 287. f.
Nesactium. 143. f.
Nestor fl. 215. f. 225. p.
Neveola cur hodie illustrior quàm olim. 124. f.
Neustria Italica in quot Regiones divisa, ejusque fines. 99. p. m.
Nicia cur Provinciæ attributa. 101. f. 103. p.
Nico fl. 215. f.
Nicotera. 313. p.
Nomaso, an Mazo Cluverii. 140.
Nomentum, in quo Harduinus, & Cellarius observati. 230. m. f.
Nonantula. 123. f. & ibi Cluverius notatus.
Norba. 297. m.
Noreja. 139. f. Non duplex contra VV. doctos. 142. p. m. V. Goritia.
Nosius fl. 136. m.
Novalitium, ejusque Monasterii notitia, & in cujus Diœcesi positum. 107. f. 109. m.
Novaria Urbs à quo dicta, fabulosis nominibus rejectis. 125. m.
Novaria fl. quid nunc. 127. m. 133. f.
Nuceria Umbriæ Spoletanæ, de qua Scriptorum errores. 257. m. ibique an idem ac Camellianum.
Nuceria Græcorum in Liburia. 305. p.
Nuceriola. 283. f.
Numistrum. 312. f.
Nure fl. 125. p.
Nursia cur celebris. 256. f.

O

Ocelum, in quo Bonav. Castilionæus notatus: Icilium Notariis. 109. m.
Ocriculum. 230. f.
Occubaria. 106. p.
Oeria. 300. p.
* Olivola Liguriæ quid nunc. 103. m.
Olivola Venetiæ cum proximis Insulis. 153. 154. p.
Ollius fl. 133. f. 154. f.
Olonna fl. 133. f.
Omagnum. 126. m.
Omula. 126. m.
Opinum quod & Ypinum: an rectè in Isleana. 289. m.
Opitergium quomodo, & quando captum à Langobardis. 139. p. eidem Præfectus Patricius, non Exarchus. 151. m.
Oppidum Lucaniæ. 289. p.
Oppidum Calabriæ inferioris. 313. m.
Orbetellum ex ruinis Ansedonæ. 207. f.
Orchianum. 220. m.
Orcus fl. V. Orgo.
Orestis portus. 313. m.
Orgo fl. 112. m. 133. f.
Oriolum caput olim Novem Pagorum. 220. f.
Ortona. 277. p.
Osopo. 138. p. 140. m.
Ostia. 226. m.
Otiatis Villa. 109. p.
Otorantana Civ. variæ dialecti. 299. f.
Oxilla. 126. m.
Oximum. 180. m.

P

PAdus fl. ubi oritur. 110. f.
Panarus fl. 125. p.
Papia, quando sic primò dicta: Langobardorum Regia. 127. m.
Parasium cur, & quando eversum. 132. f.
Parentium. 143. f.
Parma. 121. m.
Parma fl. 125. p.
Patavium. 149. m.
Paternum distinguendum à Crimisa. 310. f.
Patricum rectè ab Ortelio, secus ab Holstenio indicatum. 227. m. f.
Pausola. 263. m.
Pedona. 110. p.
Pelicarium ex ruinis Metaponti excitatum. 288. p.
Pennice M. 120. m.
Pentapolis. Ejus etymon. 167. f. Quandiu nomen servatum. 170. f. Urbes non rectè assignatæ à Blondo, & Rubeo. 168. p. 169. f. Fines. 168. m. Cur dicta à V. Urbibus, si plures? Ibid. f. Duplex, maritima, & mediterranea. Ibid. f. Decapolis ideo dicta à X. Urbibus. 169. m. & f. Annonaria Pentapolensis, quæ. 170. p. V. Anconæ Marcha in indice II.
* Persiceta. 124. f.
* Pertica Mensa Præsulis Ravennatis. 161. m.
Perusia. Ejus aspectus sæculo VI. Quando capta à Langobardis. 213. m. Quandiu possessa. 214. p. & m. A Rachisio obsessa. 214. f. 215. p. An ejus Dux aliquando Provincialis. 215. f. Ex XII. Tusciæ Principibus. Ibid. m.
Perusiæ Ducatus, cur à Tuscia sepositus. 213. p. Fines. 215. m. f.
Petra Honorii. 165. f.
Petra Liguriæ. 104. p.
* Petra pertusa, ubi. 247. m.
Petrasancta an opus Langobardicum 33. p. 203. p.
Pinna. 264. m. & f.
Piranum. 143. m. & ibi prudentia Porcheroni observata.
Pisa origine Græca, non Tusca. 203. m.
Pisaurum. 176. m.
Piscaria Venetiæ. V. Ardelica.
Piscaria Oppidum. 276. f.
Piscaria fl. 265. m. 278. f.
Piscia. 203. f.
Pisciotta an Elia, & Velia, vel Piscinula. 287. m.
Pissina. 204. m.
Pistoria. 203. f.
Pitinum. 265. p.
Placentia à fabulis Omusii Tincæ expurganda. 121. p.
Planasia Insula. 207. f.
Plavis fl. non Anassus, neque Tilaventum. Scripp. observati. 137. f. 138. p.
Plera abundat, cur. 298. p.
Pliniana scitu digna. 131. p.
Plombia. 126. p.
Plurium. 132. p.
Pola. 143. f.
Policastrum. 287. f.
Polimartium. 220. m.
Pollentia. 110. p.
Pons Aureoli. 132. f.
Pons Curvus. 227. p.
Pontremulum. 203. p.
Populonia: varia ejus sors: in origine Tusca. 207 p.
Porcarianus M. 109. p.
Portus. 219. f.
Portus Naonis. Ejus historia. 151. p.
Portus Veneris perperam à S. Venerio dictus. 105. m.
Potentia fl. 265. p.
Potentia Lucaniæ. 289. p.
Prochyta Insula. 305. p.
Prosilia obscurissima. 149. p.
Provincia Castellorum Anonymi Rav. non Aemilia, ut Cl. Fontanino, sed pars Piceni. 259. m. & seq. Ejus extensio. Ibid.
Pucinum, de quo non rectè Harduinus. 141. m.
Pulcherata. 109. f.
Puteoli Græcorum. 304. f.
Pyrghi. 110. p.
* Pyrgi veteres Tusciæ. 185. p. 219. f.

Q

QUadrata mumum quid? 109. f.
Quadrata Padi. 127. f.
Quadruvium. 140. m.
Quintodecimum. 284. p. & m.

R

RAdacomalum. 204. m.
Ravenna Exarchorum sedes. 162. p. & m. An dominans ante Exarchos: ibidem. Mediolanensium asylum. 163. p. Cætera in indice II.
Reate. 256. p.
Recinetum Liguriæ. 105. p.
Recinetum Piceni. 263. m.
Regeta. 227. p.
Regina Calabriæ superioris an vetus Erimum. 310. m.
Regium Langobardiæ, de quo charta Adelgisi suspecta: nec rectè sensit Blondus 122. p.
Regium Calabriæ sedes Græci Ducis. Eccur Regium Junii? 313. f.
Retron fl. 154. f.
Returbium. 120. p.
Revignum. 143. f.
Reunia. 138. p. 140. m.
Rigomagus, in quo Holstenius observatus. 119. p.
Rincus. V. Rigomagus.
Ripa. 147. p.
Risanus fl. 154. f.
Roboretum. 137. m.
Rodia. 293. p.
Roma. Ejus facies sub Exarcho Longino. 216. m. 218. m. Dux illuc missus ab Imperatore, non ab Exarcho. 216. f. An usque Gallesium protensa. 222. p. Cur sita in Tuscia. 224. m.
Romanus Ducatus, in Tuscia circumscriptus, ejusque Urbes. 218. f. In Campania trans Tiberim Urbes, sed in Ludoviciana confusæ. 225. m. Ibique ejus fines. 225. f. 226. p. & seq. In Sabinia fines antiqui. 229. m. Medio ævo. Ibid. f. In Umbria. 229. f. 230. p.
Romaniæ nomen quando excogitatum. 46. m. & seq. Vide & in indice II.
* S. Romulus. 103. f.
Roncaliæ. Quinam Imperator, & quando comitia celebrare ibi cœpit. 121. p.
Rota gemina: an quæ prope Salernum? 281. m.
Roveretum. 119. m.
Rubi. 297. m.
Rufra. 270 p.
Ruscianum, Patria, ut fertur Johannis VII. qui dicitur Græcus. 310. p.
Rusellæ ex XII. Principibus Tusciæ. 207. p.

S

SAbatus fl. 284. m.
Saboja. Extra; in Indice II.

Sa-

Digitized by Google

Sacrata. 263. f.
Sagra fl. 312. m.
Sala Roderadi. 119. f.
Salerni Principatus à quo, quando, & quomodo institutus, quod ignotum Porphyrogenito. 279. p. & m. Membrum avulsum à Ducatu Beneventano. Ibid. m. Divisio obscura, ut nequeant fines designari. 280. p. 281. f.
Salernum, an quod extat, vetus, vel opus Langobardorum. 281. m. & f.
Salurnum. 136. f.
Salutiæ. 110. p. Non Salinæ, sed Augusta Vagiennorum: ibi Plinius emendatus, & Scriptores notati. 110. m. 111. p. & seqq.
Samnium Urbs, de quo Scripp. notati. 274. f.
Sangrus fl. 278. f.
Sapis fl. 176. f. Sapis alter Lucani ubi? 177. p.
* Saponaria. 310.
Sarius fl. 133. f.
Sarnum. 252.
Sarsina. 165. f.
Saticula. 283. f.
Satrianum Lucaniæ. 288. m.
Saturnia. 210 f.
Savilianum. 110. p.
Savona, an vetus. 104. m.
Saxolicianum. 125. p.
Scalea. 287. f.
Scozzula. 128. f.
Scrivia fl. 125. p.
Scylla. 313. m.
Scyllacium. 311. f. Quod Patria Cassiodori, non Pæstum. 280. m.
Sedula, de qua Charta Liutprandi rejicienda. 109. f.
Segestrum. 105. p.
Semiana. 136. m.
Sena, de qua plura perperam scripta: non libera. 204. f. 205. per tot.
Senogallia. 176. f.
Sentinum. 179. m.
Sepianum. 274. f.
Seprium corruptè dictum: quomodo scribendum. 130. p.
Septempeda, nunc quid. 263. p. & m.
Septimania, extra: in indice II.
Sercli fl. 212. f.
Sergianum non ex ruderibus Lunæ excitatum. 202. m. & f.
Serra. 166. p.
S. Severina, non vulgò tantum, ut sentit Bodrandus, verum & Eruditis. Rectè ne Sanctæ nomen appositum? 311. p.
Seusana Vallis. 109. m.
Seusium, quando Burgundionibus cessit. 107. f. 109. m.
* Sextia. 176. f.
Sicla fl 125. p.
Sicopolis a quo condita, & quando. 271. m. & f. Non nova Capua, ut plures falsò putarunt. Ibid. Quando cœlitus cremata. 272. p.
Signia. 227. m.
Silis fl. 154. f.
Silva Apuliæ, ubi? 298. p.
Silva bella, post Mortaria: Scriptores notati, quo ad tempus. 125. f. & seq.
Silva candida, olim Silva nigra. 224. p.
Silva Histriana. 143. f.
Simarus fl. 311. f.
Sipar. 143. f.
Sipontum medio ævo, ex cujus ruinis recens Manfredonia. 293. m.
Siris fl. 288. m.
Sirmio. 147. p.
Sisido fl. 133. f.
Soletum non geminum, ut in Isleana. 300. p.
Sora. 227. p.
Spedia, in qua Volaterranus notatus. an vetus. 105. m.
Spellum. 256. f.
Spinum Lamberti. 124. f.
Spoletanus Ducatus parùm in origine notus: quando institutus. 232. m. & f. 233. p. Medio ævo divisus in cis, & trans Apenninum. 251. p. Ejus amplitudo perperam à Blondo prodita. Ibid. m. Oeconomicè dispositus. Ibid. f. Sabiniæ Spoletanæ fines. 251. f. 252. p. & seqq. Umbriæ Spoletanæ fines. 255. f. Piceni Spoletani extensio, & fines. 257. f. 258. p. Reliqua in Firmana Marcha.
Spoletum à Deo protectum sub Langobardis: à Saracenis vastatum. 256. m. f.
Stabiæ Græcorum. 305. p.
Stagnum Coresium, de quo Harduinus monitus. 131. m.
Stationa ævo medio, quid olim, quid nunc. 128. f. & seqq.
* Statyella vulgo Stratella. 120. f.
Stilum perperam ab Harduino cum Barrio Cosilinum dictum. 287. m., & iterum 312. p. In Isleana hic abundat. Ibid.
Strongulum. 310. f.
Suana Patria Magni Gregorii VII. 210. f.
Suason fl. 176. f.
Subaugusta, cujus situs, & ratio nominis clarè aperitur. 229. p.
Svessa. 269. f.
Svessula. 273. p.
Summolicum. 131. f.
Surrentum Græcorum. 305. p.
Susonnia, ubi? 150. p.
Suffubium. 165. f.
Sutrium, ubi error temporis notatus. 221. p.
Sybaris. 309. f.
Sybaris fl. Ibidem.

T

TAberna ex ruinis Trischenæ. 311. m.
Tabia. 103. f.
Tadinum ubi. 257. p.
Tamarus fl. 284. m.
Tanager fl. 288. f.
Tannetum. 122. p.
Tarantum ubi thesauri Adelbergæ relictæ Principis Archis. 280. m. 299. f.
Targines fl. 311. m.
Taron fl. 125. p.
Tarquinii an ex XII. Principibus. 219. f. 220. p. Cl. Fontaninus observatus.
Tarsaticum, extra. 144. p.
Tartona. 119. f.
Tarvesede. 132. p.
Tarvisina Marcha. V. in indice II.
Tarvisium priscis ignotum. 150. p.
Taurinensis Ducatus institutio, & fines, præsertim ab occasu. 107. m. & seqq.
Taurinum. 109. f.
Teanum in Gastaldatu Capuæ olim Sidicinum. 270. p.
Teanum Apulum incongruum Tabulæ medii ævi. 292. f. & seq.
Teate Caput Gastaldatus, cujus territorium usque ad Sangrum. 276. f. 277. p.
Teatensis Gastaldatus à Teate dictus. Ejus fines medio, & infimo ævo non distincti a Peregrinio. 275. p. & seqq. Marcha Francorum, & cur. 258. p. Adempta Beneventano Duci, & tradita Spoletano. 276. p. m.
Telamon, in quo corrigendus Blondus. 207. m.
Telesia duplex adhuc medio ævo. 283. f.
Tellium. 132. p.
Tenna fl. 265. p.
Tergestum. 141. m.
Terina. 312. f.
Teriolum. 136. m.
Terinulæ. 277. f.
Terracina Græcorum. 303. f.
Territorium Valvense. 180. m. V. Valva.
Tesana. 136. m.
Tessinus fl. 257. f.
Thurium. 307.
Tibur. Ejus sors. 229. p.
Tiberis fl. 231. p.
Tiburtinus fluvius. 231. m. & ibi Holstenius observatus.
Ticinus fl. 133. f.
Tidone fl. 125. p.
Tifernum fl. 279. p.
Tilaventum fl. alterum à Plavi & Anasso contra Isleum ex Venantio incorrupto. 138. p.
Timavus fl. 154. f. ubi Blondus notatus.
Tinia fl. 257. f.
Titan M. illustratus. 177. p. m.
Toccum. 254. p.
Tolenus fl. olim Nar. 231. f. & ibi plures cum Cluverio decepti.
Tollegata. 133. m.
Tollentinum. 263. m.
Tora. 256. p. m.
* Torbia olim Trophæa Augusti. 103. m.
Torcellum: Colonia Altinatum. 154. p. Oppida ab his condita. Ibid.
Traens fl. 310. p.
Tranum. 297. m.
Trebias. 125. p.
Tricaricum. 289. f.
Tridentinus Ducatus. Ejus Duces notiores. 135. f. fines. 136. p. Marcha. 71. p.
Tridentum. 136. p.
Tridinum. 126. f. & ibi Holstenius observatus.
Trigentum. 274. f.
Trinium fl. 279. p.
Tripontium. 256. f.
Triturrita. 204. p.
Tropeja vetera ad Trophæa non probatur. 313. p.
Truentum. 264. p.
Truentum fl. 265. m.
Tudertum. 231. p.
Turcicum. 288. p.
Turdinum fl. 265. m.
Tuscania, ubi error Sigonii. 200. p. 211. m.
* Tusci Villa Plinii felicissima. 209. m. f.
Tuscia antiqua. V. Tusci: Tuscia. & Umbri in indice II.
Tuscia medii ævi sub Neustria non contenta. 45. p. Ab Albono occupata. 196. p. m. Triplex: Regalis, Ducalis, & Romana. 196. f. Confusa a Florentino. 198. p. Serò in Marchæ formam redacta. 198. f. 199. m. Marchia Tuscana corruptè a Sigonio scripta. 200. p. Quis primus Francorum ævo Marchio dictus. 200. m. Falsò à Ludovico II. Tucbaldo cuidam tributa. Ibid.
Tusciæ Regalis Urbes quæ? Sozomenus Pistoriensis, & Holstenius nimis illiberalis observati. 201. p. m. Eadem circumscripta. Ibid.
Tusciæ Ducalis, sive Langobardorum, Urbes, & fines. 206. m.
Tuscia Romana. V. Romanus Ducatus.

V

VAda. 204. m.
Vadum. 104. m.
Valeria via, & Regio quæ. 253. m.

Digitized by Google

Validum. 257. p.
Valva descripta. Ejus varia dialectus, nominisque ratio. 254. m. f. An & Regiuncula. Ibid. & 255. p. An vetus Corfinium. 255. m. & seq.
Vara fl. 105. p.
* Varicottis: & ibi Fredegarius emendatus. 104. p.
Varus fl. 101. f.
Vastæ, & vocabuli significatio. 299. f.
* Vegentum ubi olim Veji. 193. f. 223. f. ubi horum situs. 224. p. Ex XII. populis. Ibid.
Velia. 121. p.
Velinus. 255. f.
Velitræ cur illustres. 227. m.
Venafrum. 270. p.
Venetia Provincia, de qua nummi, & Scripp. 71. p. m. Superior, & inferior more Romano. 134. p. Ejus etymon ignotum Græcis. Ibid. f. Non à Trojanis orti ejus Populi; neque à stolidis Paphlagonibus. 133. p. Tribonianus imperitus laudator. Ibid. Unde probabilius profecti. Ibid. m. fines. Ibid. f. In IV. Comitatus divisa à Ludovico Pio. 70. f. 71. p.
Venetiæ, necessitatis, artisque prodigium, quando conditæ, & cur. 151. f. Examinator libertatis Venetæ rejicitur. 152. m.
Venusia. 297. p.
Vercellæ: 125. p. & ibi unum quid notabile ex S. Hieronymo. Vercellensis Diœcesis fines. 78. f.
Verona, quæ Verna, & Berna. 147. m.
Verona Pentapolis Aleriæ imaginariæ suffecta. 19. m. & 179. m.
Veronensis Marcha. V. in indice II.
Verruca Forojuliana quid nunc. 141 p.
Verruca Tridentina an Castrum Petræ, vel Ferrugæ. 136. f. 137. p. m.
Vesta. 293. m.
Vetralla. 220. m.
Vetulonia minimè Tuscorum Metropolis. 195. p. m. in origine Tusca, & ex Principibus: medio ævo defecit. 206. f.
Ufens fl. Campaniæ. 231. p.
Ufens fl. Piceni. 255. p.
Via Æmilia. V. Æmilia.
Via Claudia dicta à Francis pars occidua Æmiliæ. 50. p. & seqq. Ubi incipit: Bollandistæ, & Holstenius observati. 50. m. f. 120. p. A quo dicta. 52. m. 53. p. m.
Vicohabentia, ubi primus situs Ferrariæ. 166. p.
Victimula. 125. f.
* Vicumniæ. 121. p.
Vicus Aricoli. 123. m.
Vicus Gavensis. 109. m.
Vicus Iriæ. 119. f.
Vigiliæ, quarum etymon ingeniosum. 297. m.
* Villa Asiana. 136. p. 147. p.
* Villa libera. 107. m.
Villa Otiatis. 109. p.
Vincentia. 149. m.
S. Vincentius, ubi celebre Cœnobium, de quo Chronicon Vulturnense. 274. f.
Vintimilium. 103. f.
Visentium. 211. p.
Vitellianum. 133. f.
Viterbium, in cujus gratiam confictum, vel interpolatum Desiderii edictum, probatum Holstenio. 32. m. Opus Langobardicum, non antiquius, ex villis collectum. 211. f. 212. p. & ibi notæ ineptissimè interpretatæ.
Vitianum. 136. f.
Vivania corruptè. 257. p.
Vivero. 125. m.
Ulci quid nunc. 284. m.
Ulurium exploratur, & fortè invenitur. Quid medio ævo. 292. f.
Umago. 143. f.
Umbriaticum. 310. f.
Umbrida fl. 265. m.
Umbro fl. Tusciæ. 112. f.
Volaterra origine Tusca, & Princeps: deturpatur à Joannello. 204. m.
Volens. 137. f.
Vomanus. 265. m.
Urbevetum. Scripp. notati. 210. f. 211. p.
Urbinum. 178. f.
Urbisalia. 263. m.
Urbs fl. 119. f.
Urbs Cancrina quæ, & cur. 130. f.
Urbs Leonina pars Romæ occidua, à quo cœpta, & absoluta: Scripp. notati. 224. m. f.
Urbs silva. 119. m.
Urfimanum. 309. m.
Utinum an vetus: non Julium Carnicum contra Palladium. 139. f.
* Vualanũ mensæ Ravennatis quid, & ubi. 161. f.
Vulsinium ex XII. Principibus Tusciæ. 210. f.
Vulturina, de cujus situ non rectè Cluverius. 131. f. 132. p.
Vulturnum. 273. p.
Vulturnus fl. ibid.
Vurturaria. V. Ulurium.
Uxentum. 300. f.

Y

YPinum. V. Opinum.

Z

ZEna. V. Gena.
Zelia, extra: in indice II.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX SECUNDUS
NOMINUM, ET MATERIARUM

Recole præmonita ad Indicem Primum.

A

ABbonis Novaliciensis Abbatis Testamentum non satis à Mabillonio observatum. 108. p. Absurda ibidem notata. 109. m. & seq.
Adelais Aug. Gardæ captiva. 147. p.
Adelais Ottoniana Aledrami M. ferrati conjux fabulosa. 73. f. Quis fabulæ auctor. Ibid. Fusius de eadem. 74. f. 75. p. & seq.
Adelgilus F. Desiderii Regis dictus Græcis Theodorus. 296. m. Theophanes infortunium ejus scribens non jure à Pagio notatus. Ibid.
Adrianus I. PP. ubi mortuus, & sepultus. 124. f.
S. Aegidii Monasterium in Valle Flaviana, ubi. 89. p.
Aemiliæ Urbes non à Maximo Clemente, neque ab Alarico, sed à Constantino M. & cur vastatæ. 53. m.
Aeras apud Veteres, quot annos comprehenderes. 157. f. 158. p.
Agiltrudis Aug. Firmi Ducatus Spoleti ab Arnulfo Imp. non Camerini, non alibi obsessa contra VV. doctos. 258. m. & seq.
Agilulphus Dux Taurini, qui & Rex. 39. p.
Ago, & Paulus dictus. 58. p.
Agri Arcifinii quinam. 100. m.
Alaricus in alveo Basenti sepultus. 280. m.
Albericus Princeps Romanus, perperam Dux Spoleti a Lazio assertus, in Farfenses beneficus. 241. m.
Alboini duplex epocha à paucis observata. 235. m.
Alezecus Bulgarus Dux in sua gente, cur tantum Gastaldus inter Langobardos. 258. p.
Alpium Cottiarum Provincia, cur quando, & à quo medio ævo ordinata. 17. m. Ejus descriptio, & loca. 18. p. 90. f.
Anastasius Bibliothecarius interpolatus. 34. p. Ejus silentium redargutum à Baronio, cur. 35. p.
Anastasius Sinaita minimè auctor Quæstionum Pseudo-athanasii. 10. p. Illius ætas. Ibid.
Angelberga (al. Engelberga) Aug. vindicata, & laudata. 200. m. & seq.
Angeronæ Deæ nomen, quam absurdè applicatum. 129. m.
Anconæ Marcha seriùs Firmana instituta: Blondus, & Sigonius observati. 170. m. & f. 175. m. Priùs dicta Marcha Guarnerii. 137. m. Verè juris Ecclesiæ, à qua Bonifacio Mathildis Patri tributa. 174. p. & m. Expost Estensibus. Ibid. m. & 175. m. A quibus usurpata, & impertita Teutonis, ut Guarneriis, Gosebaldo, Conrado, Marquardo &c. 174. f. & seqq Jure ad Ecclesiam reversa. 175. m. Protracta serò ad Firmanam. 175. p. & f.
Ancona Urbs nec à Lothario II. nec ab Aenobarbo expugnata contra Abbates Urspergensem, & Stadensem. 173. m. Cui à Græco Imp. tributa. 173. m.
Anconitani excommunicati: immemores Domini sui Papæ, & Græco Imp. adhærentes. 173. f.
Anonymi Ravennatis nomen & ætas. 9. m. Italis Scripp. non ignotus. Ibid. f. & 11. f. Ejus opera. Ibid. Codex vulgatus à Porcherono non germanus, sed barbari cujusdam Epitomatoris. 12. m. De eo judicium. Ibid. Cautè, & nisi in subsidium adhibendus. 221. f.
Anscarius Eporediæ I. Marchio, quod sciatur citra fabulas. 80. m.
Antiochia, quando capta à Christianis. 10. f.
Antonini Itinerarium. V. Itinerarium.
Apennini Provincia Justinianea cur, & quando ordinata. 16. m. Ejus fines. 19. p. & seq.
Apologia pro Italis contra depopulatores librorum Italiæ, qui hos jam exculcatos, denuo finè animadversionibus excudunt. 180. f. & seqq.
Archicancellarii Imperii cum exercitio adhuc Abbates. 228. f. Interdum honorarii tantùm. Ibid.
Ariani Principes erga Ecclesias Catholicas clementes, & benefici. 89. f.
Arnulphus S. Gregorii, & Ariulfus Pauli Diac. idem: Dux Spoleti, non Tusciæ, non satis Baronio notus. 213. p. 233. p. & seq.
Aronensis Cœnobii ad Verbanum conditor Obizo Angleriæ Comes falso putatus. 113. p. 115. m. Cur ejusdem Cœnobii historia relicta à Mabillonio. 114. p. An Thealdus Pseudo-Archiepiscopus conditor. Ibid. m. & seqq. Ottonis II. charta conficta: Obizo ille nec ex Ottonis I. Ducibus, nec ex Angleriæ Comitibus. 116. m. De conditore conjecturæ non leves. 117. p.
Athanasio Doctori Ecclesiæ QQ. ad Antiochum Principem falsò ab impostore Græco attributæ. 9. f. De illis judicium. Ibid.
Attonis Vercellensis Episcopi Testamentum undique falsum. 84. m. & seqq.
Audoald Dux Liguriæ. 38. f.
Augustorum Icona Cpoli Romam delata. 217. m.
Autharis apud S. Gregorium non Rex, sed Dux stipendiarius.

B

BAjoariæ res, & divisio ævo medio. 87. f.
Baresò quando Rex Sardiniæ dictus, & à quo. 34. f.
Basilicatæ, olim Lucaniæ, unde, & quando nomen emersum: vulgi fabulæ apud Pontanum. 285. p. rejectæ. 286. m. Recepta Magna Græcia per Græcos ab Ottone I. ipsis adempta, Basilicata à Basilio II. tunc imperante dicta conjicitur. 286. m. Vel à Basilio Catapano. Ibid.
Basilius Bugianus Catapanus (à quo appositæ Basilicatæ, & Catapanatæ Regionibus nomen factum) quis. 290. m. & f.
Basentum Cosentiæ amnis, in cujus alveo Alaricus sepultus. 280. m.
Beatrix cum Mathilde filia (quia uxor Bonifacii Thedaldi) captiva Henrici III. 249. f.
Benedictus, dictus Carus homo, Senator Romæ quando. 218. p.
Beneventum cur, & quando Ecclesiæ tributum. 14. p.
Berengarius II. Rex cur in Italos omnes sævit. 241. m. Nunquam Spoleti Dux. Ibid. f.
Bernardus Anscarius Eporediæ Marchio cum successoribus ineptissimè confictus. 82. p An binominis. Ibid.
Blandus Episcopus Hortæ cur, & quando captus ab Exarcho. 221. m.
Bonifacius Alberti F. non Thedaldi, Tusciæ Marchio ex documentis apud Florentinum, *de Gest. Math. l. 3. p. 47.* & Puccinellum *Chron. Florent. p. 241. n. 44.* necnon Baronium, & Pagium. A. 1002. n. 5. Sanè profitebatur legem Ripuariam, sed is non filius Thedaldi, cui tamen successit cum altero Alberto juniori F. Huberti, ex eod. Florentino *l. l.* Et post utrunque Bonifacius Thedaldi. Videantur laudati, & corrigatur error noster, & aliorum, necnon Abb. Bacchini H. S. B. p. 18. col. 249. lin. 29. & 33.
Bonifacius Thedaldi, F. Mathildis Pater an, qui Conrado Imperatori adiuit in expeditione Burgundica, vel Bonifacius M. ferrati. 75. m. Quis horum hasta venefica occisus. Ibid. f. Idem Bonifacius Thedaldi Anconæ Marchio. 172. m. Spoleti & Dux, quod fortè nondum observatum: ejus potentia, & eventus. 247. p. & m.
Bonintendii Patavini origines ineptæ Venetiarum. 44. p.
Boso Dux Langobardiæ quis. 65. p. Berengarii, & Vidonis Ducum collega. Ibid. m.
Bulgaria magna ævo medio, ubi. 274. m. & seqq.
Burgundionum origo. 90. f. Progressus. 91. p.

Cam-

Digitized by Google

INDEX SECUNDUS

C

CAmpelli Historia Spoleti observata. 235.m. 236. f. 237. p. & m. 239. f.
Capitaneus medio tempore, quid. 291. f. & seq.
Carolus M. intempestivè, aliique Principes non rectè Imperatores dicti. 235. f.
Caroli Martelli ex eventibus duplex epocha notabilis. 105. m.
Cassiodorus, quando varias suas absolvit. 17. m. Non Pæsti ortus, sed Scyllatii. 280. p.
Castra plura in Piceno Cl. Fontanino ad rem indicata, & cur. 259. f. 260. p.
Catapanata, olim Apulia Daunia, sive occidentalis cur, quando, à quo, & an rectè sic dicta: Viri doctissimi observati: Leo Ost. defensus. 291. m. & seqq.
Catapanus, quid. 299. f. & seq.
Centenarii, qui dicti. 63. m.
Clodoveus I. Francorum Rex Cos. & Augustus ab Anastasio Imp. appellatus.
Codex Carolinus non omninò sincerus: Chorographiæ Italiæ tamen perutilis. 37. p. Observatus. 49. m.
Colatiana inscriptio observata. 55. f.
Comites sub Langobardis pauci. 41. p. Sub Francis omnes Urbani. Ibid. m.
Comitum origo. 57. m. Urbibus Italiæ præpositi à Francis, eccur. 61. p. & m. Eorum diversitas ævo medio. Ibid. f. & 63. p.
Comitum Sac. Palatii antiquitas, & munus. 62. m.
Communitates, unde dictæ. 96. m.
Constitutionis, Si quis feudorum, quis auctor: Jcti observati. 147. m.
Consularis potestas, quid. 156. m.
Consulatus uterque quando suppressus. 145. m. 217. p.
Coronæ Ducalis institutio. 64. f. 65. m.
Constantinus M. cur Urbes Aemiliæ vastavit. 53. m.
Constantinus Pontifex intrusus, quis. 220. f.
Constantis II. gesta in Italia Transtiberina. 306. f. & seqq.
Corsica, & Sardinia à Francis desertæ. 73. m.
Crescentius Senator Urbis. 36. p. Exitus ejus infelix. Ibid. & 218. m.
Cruces minimè insignia Langobardorum Regum, vel Ducum: cur pictæ in Ecclesiis. 198. p.
Curtes, quid. 91. f. Has, & Palatia Regia notare, quam utile. 228. p.

D

DIderius Dux Tusciæ. 38. f. Ejus ficta soboles. 2. f Im-hof notatus. 82. p. Nullus ei filius præter Adelgisum. 83. p. Ejus vera genealogia, & patria. Ibid f. Non Lucensis. 197. f.
Diluvium Noemi, & Deucalionis non idem. 184. p.
Diœceses Ecclesiasticæ civilibus jurisdictionibus conformandæ. 54. m.
Diœcesium civilium fines indices. 78. f.
Duces Langobardi, quot stante oligarchia. 29. m. Provinciales, & Urbani. 38. m.
Ducis titulus cur sub Langobardis communis in Cisiberina Italia: secus in Transtiberina. 268. f.
Ducum antiqua institutio. 57. m. Plures Urbes eis suberant. 58. m. Non ex Francis Italiæ dati. 63. p.
Ducum, Marchionum, Comitumque unitas, & differentia. 64. m. 66. m.

E

EBerardus Berengarii Pater Forojuliensis verè Dux ostenditur ex ejus testamento, quod expenditur. 68. p. m. Ejusdem exacta genealogia. 68. f.
Eporediæ Marchionum ex Comitibus Angleriæ putidæ fabulæ. 79. f Rejiciuntur. 80. p. Illorum initium. 80. m. f. Unde potentia. 81. p. Genealogica series. 115. f. Nemo ipsorum Angleriæ Comes. 113. p 116. p.
Exarchatus historiam scripsere plures, at nondum satis. 156. f. Ejusdem ortus, & interitus: Porphyrogenitus, & Pagius observati. 157. p. m. Historia quomodo texenda. 160. p.
Exarchus, quid significet. 155. m. 156. m. Nomen est appellativum Magistratibus extra Italiam adhuc attributum. 155. m. In Italia cum Imperio Proconsulari. 156. m. Non quilibet Patriciatu donatus, contrarium sentiente Cl. Fontanino. 158. m.
Exarchus in Mediolanensi lapide Tribunus tantùm Excubitorum in Aula Imperiali, Merula perperam lapidem interpretante. 162. m. & seq.

F

FAnum Vultumnæ ubi. 211. f.
Farfensis Chronographi impuniti fabulæ de Sarlione Ducatus Spoleti invasore castigatæ. 261. p. & seq.
Feudi vox quando primò inducta. 147. m. 218, f. & seq.
Finium regundorum binæ regulæ. 7. f. 8. f.
Firmana Marcha à sæculo X. jam dicta. 170. m. Antiquior Anconitana. Enunciata sæculo X. & fortè IX. à Ludovico II. instituta. 262. p. Ejus extensio. Ibid. m.
Flaminia, & Picenum duæ Regiones distinctæ, etsi sub uno Consulari. 260. p.
Flavii cognomen assumptum à Regibus Gothis, & ad horum exemplum etiam à Langobardis. 89. m.
Fluminum dextera, & læva quæ. 20. f.
Forojuliensis Ducatus plenissimè juris Francorum, ut ex Ducum historia. 67. p. m. Illius ordinatio immutata: Ducum suorum vicissitudines. Ibid.
Francos omnes Græci appellant Romanos, & Latinos. 11. p.
Friderici I. Imp. Veronæ mora A. 1184. ejusque illic gesta. 72. m. f. Chatta illius sincera, & ab objectis vindicata. 73. p.

G

GAlateus Ant. diligens Scriptor, & Anonymi Rav. observator, quis. 13. f.
Galli, Germani, Celtæ veteribus synonima. 184. m.
Galliarum divisio Honorii Imp. civilis, non Ecclesiastica, à quibus edita. 59. p. Eadem medii ævi, sive sæculo VI. Ibid. m. f. Austriæ Gallicæ Regnum quàm amplum. 60. p. m. Blondellus ibi plures notatus. 57. f. & seqq. 58. f. 59. m. 61. f. 62. m.
Gastaldi Langobardi quales. 39. m. 40. p. Eorum auctoritas, & vires: vectigales. 40. f.
Gastaldus, & Gastaldatus quid. 268. m.
Genua Hispaniæ, quæ Urso, rectius Gemina Urbanorum dicenda. 104. f.
Geographiæ ævi medii plures notitiæ perutiles. 21. f.
Geographiæ sacræ à civili discrimen. 30. p.
Geographiam sacram Galliæ inter, & civilem differentia. 59. m.
Godifredus Barbatus Lotharingiæ Dux Vitricus Comitissæ Mathildis. 171. f.
Godifredus Gibbosus Barbati F. Mathildis sponsus. 171. m. Ejus charta apud Rosieres suspecta. 172. p. Dux Spoleti etiam jure uxorio. 246. f. moritur. Ibid.
Gosebaldus Nepos Guarnerii Marchio Anconæ. 263. m.
Gothia Gallica quænam. 95. p.
Gothorum dominium in Italia, & extra quàm amplum. 16. m. f. & seq.
Græci Romanos, & Latinos appellant Francos. 11. p. Cur facilè ditiones Transtiberinas (quæ quatuor) servarunt. 301. p.
Gregorius IX. juribus Ecclesiæ vindicatis Ducatum Spoleti, diminutum tamen, recuperat. 250. f.
Gregorius Patricius Opitergio Præfectus non idem ac Gregorius Exarchus, aliter judicante Cl. Fontanino. 159. f.
Grimoaldi Beneventani Ducis gesta contra Græcos, quando. 307. p. m.
Guarnerius senior Anconæ Marchio intrusus: Chronographus Halberstadensis notatus. 172. f. 249. m.
Guarnerius junior Anconæ Marchio nomine tenus. 173. p. 249. f. Fortè & Dux Spoleti intrusus. 250. p.
Guido Eporediæ Marchio confictus. 82. p.

H

HAruspicinam quis primò invenit. V. Tusci.
Hercules plures. 187. m.
Henrici Pii, sive Sancti diploma observatum. 34. p. 36. f.
Henrici IV. expeditio Romana. 117. m.
Hieroclis Grammatici Notitia Geographica à quibus edita. 25. m. Genuina, sed non integra. 25. f.

Illius

Digitized by Google

Illius ætas primò detecta. 26. p. 27. f. Eadem Notitia civilis non Ecclesiastica, ut putat Harduinus. 26. m. f.
Historia cur uber interdum, cur non. 266. p.
Hubertus Spoleti Dux à Berengario II. non ab Ottone I. pulsus, ut VV. docti putarunt. 243. m. 244. m.
Hugo Salicus Tusciæ, & Spoleti Dux quando natus 244. p. Spoletum resignat. Ibid. Quando. 245. p. Cur Ottoni I. non Ecclesiæ? 245. f.

I

IGnorantia ævo medio in Gallia, & in Italia. 54. p.
Imperii utriusque fines sæculo IV. 8. m.
Imperium Proconsulare, Patriciorum adhuc, quid. 156. m.
Imperatores Græci non Græcorum, sed Romanorum soli esse contendunt. 10. f.
Impostores quidam famosi. 32. p. 130. f. & seq.
Inghirami (Curtii) cunctis impostoribus stolidioris leve specimen quoddam. 181. m.
Innocentius III. gravem, severamque crisim præcipit documentorum. 33. f.
Insubrum fines antiquiores. 118. p.
Joh. Antiochenus an auctor QQ. Pseudo-athanasii. 10. p.
Irenopoleon etymon notabile. 29. f.
Italia infeliciter descripta à Procopio. 20. m. A Paulo Diacono parcè, & more Romano, non Langobardico. 15. p. & seq. Ejusdem ordinatio juxta Sigonium. 20. f. 21. p. Item juxta Cellarium expensa. 21. f. 22. f. Quomodo ordinata per Longinum Exarchum. 38. m. f.
Italiæ jurisdictiones post Langobardos adhuc obscuræ. 37. m. Quænam illorum ævo. 38. p. Langobardica Regalis, & Ducalis. 38. m. Ejusdem divisio in Ducatus, Marchas, & Comitatus ævo Francico. 40. m. Status illius, nec non Germaniæ, & Franciæ, ineunte sæculo X. 80. f. 81 p.
Itinerarium, vulgo, Antonini, à quo scriptum, & quando absolutum, prout extat. 52. f.
JuncKeri (Christiani) Germania medii ævi. 30. f.
Justiniani nomen quot Urbibus, & Oppidis inditum. 26. f. Ejus mutationes in Provinciis. 27. f. 28. p. & seqq. Item in ipsarum Magistratibus. 28. m. Illius Novellæ Constitutiones inventæ ne cunctæ? 29. p. m.
Justinopolis an dicta à Justino I. vel II. 144. p. Inscriptionem illic positam ad I. referunt VV. docti pro Pontificatu Christianorum Impp. ea utentes. 144. f. Quis ejus auctor. 145. p. Non satis consultè ea composita. Ibid. m. A Justino II. Justinopolis dicta. 146. f.

L

LAngobardia, non Longobardia scribenda. 47. p.
Langobardi Reges cur Romanos exosi. 196. m.
Langobardica servata à Francis. 46. p.
Langobardorum incursus in Gallias, sed sine mora, vel statione. 88. f. Cætera ab ipsis gesta, bella nimirum, Regiones, Urbesque captas, vastatas, &c. brevitatis ergo relinquimus: horum enim creberrima mentio fit fermè per totum.
Leo Ostiensis interpolatus. 34. m. f.
Leo Ravennas Archipræsul Aemiliam præoccupatam à Sergio retinet. 160. f. 168. f.
Leonis Sapientis notitia. 298. f.
Leonini carminis inventio, & usus. 117. m.
Liguria more Romano quænam. 18. m. f.
Liguriæ, & Langarum Marchæ beneficia Marchionum M. ferrati. 76. m. & seq.
Litulfus Ottonis I. filius contra Berengarium II. missus: quando obiit. 241. m.
Liutprandi Regnum usque Arelate nunquam prolatum contra Erchempertum. 86. f. & seqq. Idem Francis fert opem contra Saracenos. 87. m. Neque Bajoariam occupavit. 87. f. & seqq.
Locorum antiquorum nomina cur hodie obscura. 95. p. & m.
Lodigarii Comitis charta Asculana apud Ughellum suspecta. 235. f.
Lotharii I. charta in Bull. Cas. conficta. 118. m. Altera Bobiensis expensa, & defensa. 227. f. Ejus epocha duplex. 228. p. An ipse A. 846. fuerit Romæ, vel circa. 228. m.
Lotharingia olim bipartita, in Godifredo Barbato conjuncta. 246. p. & m.
Lucania, vox in origine Græca album colorem significans. 280. p.
S. Luciæ sacrum Corpus minimè Syracusis Corsinium primò translatum. 255. f.
Ludovici Pii vulgata tabula, hoc est concessio, sive concessorum confirmatio variè licèt accepta, cur non rejicienda. 33. p. & m. Sæculis IX. X. & ultra ignota. 36. m. Quando edita, & cur. Ibid. f.
Ludovici II. Constitutio pro bello in Saracenos. 67. f. Ejus quatuor Epochæ. 68. p. 262. p.

M

MAjordomus apud Langobardos. 198. m. & f.
Malæoti Regis Pelasgi Regia in Tuscia, ubi. 185. p.
Marchæ, & Marchiones apud Langobardos nullibi. 170. f. 173. f.
Marchæ etyma. 64. p. Rejecta: multiplicatio, & abusus. 66. m.
Marchionum origo. 57. m. 63. f. falsò perpetui putati. Ibid. & 64. m.
Marchionum Italiæ, & in Italia discrimen. 81. m.
Mathildis Comitissæ ætas, Parentes. 146. f. 172. p. Marchionissa Anconæ jure avito. Ibid m. Item Spoleti Dux. 250. p. f. Quando sponsa Godifredo Gibboso. 172. f. Ejus bona restituta Ecclesiæ, non donata. 36. f.
Mediolani Marcha restituta sæculo XII. 71. f. Ab Ottone I. instituta juxta Sardium. 72. p. Suorum Marchionum acta sæculo XI. Ibid.
Mediolani Ducatus recentis, nondumque secti fines in exemplum adducti. 8. f.
Messallæ Corvini Libellus cur suppositicius. 154. f.
Metropoles civiles, quid. 193. p. Ipsarum jura. 202. p.
Metropoleon diversitas. 195. m.
Montisferrati Marcha ante Ottones instituta. 73. f. Ejus fines VV. doctis ignotæ. 76. p. Quam ampli sæculo X. 76. p. m.
Montisferrati Marchionum Genealogia conficta. 74. p. Quis ipsorum primus. 74. m.
Mutinæ, & Bononiæ Diœceseon lepida divisio. 54. f.

N

NAvium inventio, & usus longè post Noemum. 182. m.
Neapolis clades auctore Belisario. 302. p.
Noemi iter Italicum stolidissimè cogitatum à pluribus. 181. f. 182. p. & seq. Vide & Diluvium ejusdem.
Nomina Civium Romanorum, quot à sæculo IV. 44. m.
Nomina Græcis immutare solemne, quod non observatum à Pagio. 296. m. f. Ibique plura exempla.
Nomina Regionum, & Urbium, cur ad alias translata. 303. p.
Notitia utriusque Imperii quando, & à quo scripta. 52. f. 295. f. 296. p. 304. f.

O

ODoacer ante arreptam Italiam Patricius dictus à Nepote, & Zenone Impp. 155. f.
Opilio, bonorum Monasterio Sanjustiniano largitor, an recensendus inter Italiæ Exarchos, imo an unquam extiterit, ut Cl. Fontaninus excogitavit. 157. f. & seqq.
Origines genealogicæ Principum cur obscuræ. 73. m.
Ottonis I. vulgatum diploma A. 962. observatum. 34. p. 36. f. 48. f. Ejusdem feliciter gesta in Magna Græcia, sive in Italia trans Tiberim. 285. p. & seq.
Ottonis II. gesta feliciter primò in Magna Græcia. 285. f. Exinde infeliciter. 286. p.
Ottonis III. Constitutio Ecclesiæ molesta, utique spuria. 36. p. m. Ejusdem Epistola ad Silvestrum II. valde suspecta. 244. f. 245. f. 246. m.
Oxoniense Marmor an Scriptoribus Historiæ Atticæ præferendum. 188. f. 189. p.

P

PAtria nomen appellativum, non proprium Regionis Forojuliensis. 43. m. & seqq.
Patricia sedes quid. 159. f.
Patricii dignitas ab ævo Constantini M. qualis. 159. p.

Digitized by Google

Patricii quamplurimi ævo Exarchorum Ravennæ, minimè tamen Exarchi, aliter opinante Cl. Fontanino. 158. f.
Patrimonia Ecclesiæ perperam cum Regionibus confusa. 35. m. 69. p. m. 91. f.
Patrimonium S. Petri arreptum à Rothari, & restitutum ab Ariperto Regibus ubi locatum. 90. m. 91. m. 93. f. & ibi Blondus, ac doctus Eccardus non satis consulti. Ejusdem natura. 93. p. Invasor. Ibidem. Patrimonia ubique gentium posita ab ævo Constantini M. 91. m. Patrimonia Imperatorum res privata: in quo consisterent: quomodo aucta, & Ecclesiæ donata. 92. p. & seqq.
Pelasgi Tusciæ partem occupant. 184. f.
Petasius quidam deceptor, Regnum Romanum affectans, captus, & occisus. 220. m.
Piceni, & Umbriæ nomina suppressa ævo medio. 259. m.
Pons Augusti an prope Gallesium. 222. m.
Porcherono (Placido) cur tot loca Anonymi Ravennatis ignota. 14. m.
Præfecti Italiæ quando Patricii tantùm dicti. 155. f.
Præfectus Prætorio Italiæ, regnantibus Gothis, adhuc & Langobardis, cum potestate ordinaria. 156. p.
Præfectus Urbi non amotus à Longino Exarcho. 216. f.
Principes impii quare Pii appellati. 158. p.
Provinciarum nomina paulatim extensa. 134. f. 168. f.
Provincias multiplicare, & mutare Græcis Impp. solemne. 17. m. f.

R

RAchisii Regis cum Conjuge, & Filia conversio. 115. p. Illius statua ubi. 297. m.
Ravenna, Urbs Æmilia in recto. 48. f. 49. p. Tripolis. Ibid.
Ravennæ Campania apud Cassiodorum quænam. 202. f.
Reges assentatoriè Augusti, & Imperatores dicti. 84. f.
Regni Italici limes in Cispadana. 47. m. & seqq. Ejusdem divisio inter Berengarium Forojuliensem, & Lambertum Spoletanum ubi facta. 100. m.
Rhausium Dalmatiæ Metropolis. 95. p.
Ripuarii in Galliis quinam. 60. f.
Romani Pontificis jurisdictio quinque firmata attributis. 24. m. Jus, & mos ordinandi Episcopos omnes Italiæ. Ibid. f.
Rotgaudus Dux Forojuliensis rebellis Carolo M. occisus. 62. f.

S

SÆcula Tuscorum veterum inæqualia, quot annos singula comprehenderent. 189. f.
Sanjustiniani Cœnobii Patavini origo VV. doctis adhuc obscura. 159. m. V. Opilio.
Sabaudia, Saboja, & Sapaudia ævo medio. 95. p.
Saraceni quando Siciliam ingressi. 279. m. A Langobardis in Apuliam acciti omnia vastant, nec ipsis parcunt Ibid. Diffusi funduntur à Ludovico II. 267. f. Reliquiæ comiter acceptæ à Duce Neapolitano, à Docibili Cajetano ad Garilianum locatæ. 240. p. m. 268. p. Ejiciuntur. Ibidem, & 288. f.
Sardinia, & Corsica à Francis desertæ. 73. m. V. & Corsica.
Scriptorum medii ævi vitium antiquiora immutandi, ideo eorum scripta VV. doctis suspecta. 306. m.
Senatores Romæ sæculo XI. 218. m.
Senatus Romanus ab adventu Exarchorum nominetenus. 217. p. Quando restitutus. Ibid & seqq.
Septimania Provincia unde dicta: an Harduinus rectè sentiat. 94. p. m.
Sicilia cur in tabula nostra vacua relicta. 314. p.
Sico Spoletanus Beneventi, non Spoleti Dux. 236. f. & seq.
Spoleti Ducum recensio historica ab A. 577. ad 774. sub Langobardis, Indice Farfensi, Sigonio, Lazio, & Campello per sequiora tempora suppletis, & correctis, à col. 233. p. ad 234. Eorundem Elenchus. 235. p.
------ Continuatio Ducum ab A. 774. ad 895. sub Francis &c. à col. 235. f. ad 239. f. Quomodo plures Duces eodem tempore. 236. p. & seqq. Sico Spoletinus non ideo ibi Dux, sed Beneventi. 236. f. 237. p. Vidones frustra multiplicati. 237. p. m. 238. m. Vido III. pluribus ignotus (non IV. dicendus) detegitur. 239. m. f. Omnium Elenchus. 239. f. Interregnum sive Ducatus intervallum usque ad A. 922.
------ Restitutio Ducum ab A. 922. ad 999. Recensentur a col. 240. m. ad 245. m. Excludendi Berengarius II. 241. m. Item Albericus Maroziæ. An & Pandulfus Caputferreus. 242. p. An quoque Sico Comes. 243. f. Plura objiciuntur. 243. m. & seqq. Cuncta resolvuntur. Caputferreus verè Dux, at solùm ab A. 968. ex certissimo documento. 245. m. Sico Comes ejus locum tenens. Ibid. Ducum hujus sæculi X Elenchus. 945. m. f.
------ Ducum sæculi XI. continuatio. V. suis locis in Thedaldus: Bonifacius Thedaldi: Godifredus Barbatus: Godifredus Gibbosus. Mathildis.
------ Item alii sæculi XII. & ultra, qui dicuntur vitio creati. V. Guarnerius junior. 250 p. Guelfo. Ibid. Bideluphus. 250. m. Conradus Svevus. Ibid. Diopuldus. Ibid. Rainerius. 250. m. Gregorius IX. juribus Ecclesiæ vindicatis hunc Ducatum, diminutum tamen, recepit. 250. f.
Supponis Comitis Piceni, hoc est Marchæ Firmanæ notitia. 260. m. & seqq. Quomodo esse potuit, viventibus Spoleti Ducibus Lamberto, & Vidone. Explicatur. 262. m. f.
Suburbicariæ Regiones quæ. 22. f. 23. p. & seq. Cur ab Heterodoxis contractæ. 23. f.

T

TAso Dux Tusciæ ab Exarcho occisus Rege Langobardorum mandante. 38. f. 146. m.
Thedaldus Mathildis Avus an Dux Spoleti. 247. f. Affirmandi rationes. 248. p. & seqq. Sed præsertim jure Uxoris Villæ II. quæ soror Hugonis Salici, & filia Villæ I. Spoletanæ. 249. p. Quando mortuus. Ibid.
Thema Græcis quid. 44. f.
Thema Langobardiæ Transtiberinæ an sæculo VII. ordinatum, ut in Isleana Imperii Orientalis. 295. f.
Theodericus Amalus non doctus, ut Blondus prodit. 22. m. Quo jure Italiam obtinuit. 245. f. 246. p.
Theodoriadis Provincia à quo, quibusque finibus constituta. 29. m. Ejus Urbes quot, & ubi. 29. f.
Tiberius Constantinus Italiæ res negligit pro bello Persico. 213. m.
Traspadanarum Urbium territoria ad Alpes usque prolata. 77. f. 78. p.
Tria Capitula propugnata à Schismaticis Aquilejensibus quænam. 150. m.
Tributum solvunt (nec ideo beneficiarii) Honorius Alarico: Theodosius Attilæ: Mauritius Chagano: Græci Langobardis. 146. m.
Triumviri R. P. C. fœdus ubi verè percusserint. 55. p. & m.
Trojæ captæ epocha exploratur. 88. p. & seqq.
Tucbaldi fabula prodita ab Epitomatore Casinensi, rejecta. 200. m.
Tusci veteres non ex Tyro, seu Phœnice profecti contra Fullerium. 185. m. Potius ex Lydia: non autochthones, vox detestanda. Ibid. Cur Lydi contra Dionysium? Lydos se profitentur. 186. p. Cur dicti Pelasgi. Ibid. Haruspicinam à proximis Caribus haustam, alias artes, politiamque Romanos docent. 187. p. Quando in Italiam venere, expenditur: castigatis Dino, & Cluverio. 187. m. Statuitur. 189. m. Quandiu ipsorum Regnum duravit. 189. f. 190. p. Quando cis Apenninum migrarunt. 190. m. & f. Quando in Campaniam. Ibid. & 191. p.
Tuscia fabularum mater culpa Impostorum Villani, Annii, Casellæ, &c. aliorumque fautorum. 180. f. 181. p. & seqq.
Tusciæ vox à Floro fortè primo exarata. 183. p. Tuscia una: multiplex nondum probatur à Cluverio, vel aliis. 191. f. 192. p. & m. 194. f.

V

VAleriæ Comites à Ludovico II. instituti. 153. f. 169. p.
Venantii Fortunati Patria quæ. 151. m.
Venetæ originis disquisitio. 134. f. 135. p. & seqq.
Venetæ libertatis vindiciæ. 135. m. & f.
Venetia Provincia ad Italicum Regnum spectabat, etsi aliter diplomata Imperatoribus attributa loquantur. 71. p. & m.

Vo-

Digitized by Google

Veronensis Marcha quomodo antiquior Tarvisina. 70. m.
Vidonis II. Spoleti Ducis Charta Balbensis probata VV. doctissimis, fictitia. 238. f. 239. p. & seq.
Umbri primi Tusciæ Coloni. 183. p. Umbri boreales Ptolemæo *Vilumbri*, australes *Olumbri*: Brietius observatus. Ibidem. m. Ex Germania profecti, frustra reclamante Cluverio. Ibid. Eorum etymon petitum ex imbribus prorsus ineptum. Ibid. f. Difusio. Ibid.
Umbriæ nomen suppressum medio ævo. 255. f. 259. m.
Urbes veteribus quæ. 14. f. Sæpe dicuntur conditæ, etsi solum refectæ. 290. m.
Usque particula quandoque includens. 196. m.

Z

ZAcharias, & Liutprandus colloquuntur Ameriæ 230. f.
Zelia Regiuncula ubi: an juris Langobardorum. 90. p.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

ALBERTINI
MUSSATI
PADUANI
HISTORIOGRAPHI ET TRAGŒDI
DE GESTIS
HEINRICI VII. CÆSARIS
HISTORIA AUGUSTA
XVI. Libris comprehensa,
A FELICE OSIO JAM EDITA,
NUNC RECUSA NOTIS EJUSDEM
OSII, PIGNORII ET VILLANI,
SUIS LOCIS APPOSITIS;
Additis variantibus Lectionibus Manuscriptorum Codicum
BIBLIOTHECÆ ESTENSIS,
ET
AMBROSIANÆ.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN OPERA ALBERTINI MUSSATI PRAEFATIO LUDOVICI ANTONII MURATORII.

ALbertinus Muſſatus in antiquo Codice MSto Bibliothecae Eſtenſis perpetuo appellatur *Albertinus Muxatus*, ut non facile Scardeonio ſubſcribam, qui e familia *Muſſa*, ſive *de ſtirpe Muſſorum* primo procreatum, poſtea ex Poëtices laude *Muſati cognomen* accepiſſe ſcribit. Quomodocumque ea res ſe habuerit, certe Muſſatus Patavinae Urbis, quae illi Patria fuit, inſigne ornamentum fuit, tum ob Hiſtoriam, & Carmina poſt ſe relicta, tum quod ſupra multos aequales ſuos barbariem ſeculi, quo vixit, a ſe depellere ſit conatus. Neque enim haec obſtitit, quominus ingenium hominis hujus aſſurgeret, & Latinas Muſas, atque Hiſtoriam magno cum decore, quamquam aſper non raro, & obſcurus, & ſalebroſus, excoleret, ut propterea inter illos jure numeretur, qui ante Franciſcum Petrarcham ſi non puritatem, & elegantiam, certe aliquem virilem colorem Literis Latinis reſtituerunt. Natus videtur circiter Annum 1260. jam enim ad ſenium venerat, quum Anno 1329. ſi Scardeonio credimus, ſeu potius 1330. ut Cortuſii ſcribunt Lib. IV. Cap. V. Hiſt. ad plures abiit, exul a Patria. Ejus vitam, munera, ac laudes perſequuti ſunt ſupra memoratus Scardeonius de Antiq. Patav. Lib. II. Claſ. X. & Voſſius de Hiſtoric. Latin. Lib. III. Cap. VII. Ego ne actum agam, & fruſtra heic repetam, quae ex iis Scriptoribus petere Lectores facile poſſunt, Vitam ejuſdem nondum editam heic dabo, quam olim forte fortuna deſcripſi ex Codice MSto Bibliothecae Ambroſianae. Ejus Auctor *Xicco Polentonus*, ibi *Sicco* appellatus Patavinae Reipublicae olim ſcriba, vir ſane doctus, & in Lingua Latina ad elegantiam non vulgarem accedens. Floruit iſte altero a Muſſati morte ſeculo, & ut Scardeonius, & Voſſius monuerunt, *magnum volumen de Scriptoribus Latinis filio Polydoro dicatum Anno ſalutis humanae MCCCCXXXIII.* conſcripſit. Illud idem opus & ego MStum vidi non in Ambroſiana ſolum, ſed etiam apud heredes Marchionis Vercellini Mariae Vicecomitis Mediolani, opus ſummo labore, & multa eloquentia compoſitum, ubi omnium veterum Scriptorum, qui Latinam Linguam aut ſuis Libris illuſtrarunt, aut Commentariis juverunt, vitam recenſet, ſcientiarum ſimul ac Artium originem inquirens. Ex hoc eodem Libro Vitam Petrarchae edidit Jacobus Philippus Thomaſinus in *Petrarcha redivivo*. Itaque illic in Libro, ubi de Poëtis agitur, accuratius quam apud reliquos, Muſſati geſta recenſentur ſequentibus verbis:

Poëtae locum, ac nomen tenuit Claudianus, tenuit Alanus, tenuit Gaufridus, qui gente Anglus libro uno Poëtriam, rem quippe non incommodam ſtudioſis, altero Ironiam, opus non gratum Pontifici, edidit. His poſterior Albertinus Muſſatus fuit. Paduanus hic Civis fortunam aetate prima tenuem habuit. Pubes quidem majori ſub magiſtro, quas didicerat, literas pueros docuit. Unum autem ac viginti annos natus patrem amiſit, matre vetula, ſororibus ſeptem, duobus fratribus pueris ſecum vivis. Erat Liberales ad Artes, Philoſophiamque, ac Medicinam iturus: ſic enim mente ſtatuerat, ni pondus alendi, quos nominavi, relictos a patre neceſſarios impediſſet. Mortuo igitur patre, qui vivens onus familiae ſuſtinebat, flectere ſtudium aliorſum coactus eſt. Itaque majoris & queſtus, & honoris ſpe ductus, paedagogia re dimiſſa, ſeſe in Forum contulit. Ibi apud homines verſari, tabulas ſcriptitare, patrias Leges cognoſcere, cauſas agere, publicis conſiliis intereſſe, munera publica obire coepit. Brevi quidem horum ad cognitionem aetate ſimul & fama creſcens venit. Erat in eo ingenium docile; erat docendi, quae vellet, comitas quaedam, & laudata prudentia. Ipſum quoque honoratum faciebat vulgata fama, quod Grammaticae doctor eſſet, & metri faciendi cum arte, tum exercitatione gratiam quamdam & facilitatem haberet. Vulgo quidem appellabatur Poëta; Plebs vero ei favebat ſumme, tum quod plebejis parentibus natus eſſet, tum quod Plebem ipſe contra

Digitized by Google

Nobilitatem quocumque in loco & privato, & publico tueretur. His artibus, favore, ac opibus cumulatis se tamdem majoribus adaequavit, & quos daret Civitas, quae tum erat libera, & suis Magistratibus regebatur, honores, ac legationes magnos ad Principes, ac Summum ad Pontificem, habuit. Fratrem quoque (Gualbertinus hic nomine vocabatur) Abbatem Sanctae Justinae constitui a Sede Apostolica impetravit. Is Corpus Ecclesiae quam maxime ampliavit, & in quibus sunt Corpora Matthiae Apostoli, & Lucae Evangelistae (sunt enim in ea Ecclesia Sanctorum Corpora multa) locavit. Habitavit Paduae Albertinus apud Pontem Molinum ea ipsa in domo (ne quid praetermittam), quam in praesentia qui haec memorat, habitat. Neque vero in Patria modo honores habuit, sed foris etiam Magistratum gessit. Florentiae quidem, quae una in Tuscia Civitas, opibus, populo, dominatu, floret, Executor Justitiae (sic appellant Magistratum) fuit, atque munus id cum honore, & laude obivit: Domi vero est amicitia Lovati familiariter usus. Erat Lovatus aetate tunc senex, virque hac in Civitate honoratus, ac multae scientiae, nam & civili in Jure erat doctissimus, & Poëtarum omnium, quos vel sua, vel patrum vidit aetas, si XII. Tabulas non miscuisset Musis, Petrarchae sententia facile princeps. Amicitia quoque Mussatus est usus Bonatini, hominis quippe istis in literis eruditi. Habuit namque diebus unis Padua Civitas Lovatum, Bonatinum, & Mussatum, qui delectarentur metris, & amice versibus concertarent. Horum autem favore, ac consensu omnium peritorum, grandique apparatu, & pompa Mussatus, qua solebant antiqui Poëtae, Laurea coronatus est; fama quippe, ac honore magnus erat Poëta noster. Neque vero in dicendo valebat parum. Romanum ipse tum nuper creatum Regem Henricum, legatus ad eum placavit oratione sua; nec placavit modo, sed quae non sperarentur, decreta etiam amplissima & pacis, & libertatis obtinuit. Erat Caesar tunc Mediolani subiratus Paduanis, quod tardius ad eum misissent legatos, qui se futuros in fide, ac Civitatis claves offerrent. Imperatorem hunc esse nominis hujus aliqui Septimum, quidam Sextum dicunt. Verum is fuit certe, qui Luciemborga e Domo primus fasces Imperii habuit. Datas vero pacis conditiones spreverunt Paduani, quo factum constat, quod magis accensus Princeps & ipsos incautos Vincentiae dominatu privavit, & his malis principia dederit, unde quae libera per diu fuisset Civitas, ea servire tamdem amissa libertate didicit. Poëta vero Mussatus Civitate afflicta cessit adversis, & quod reliquum vitae fuit (jam enim senex erat) id literis Clugiae moratus dedit. Mortuus quidem est in exilio Clugiae. Nomini vero ejus inscripta Ecerinis Tragoedia, non ignobile opus, exstat. Metro quoque Librum scripsit, in quo filios esse Proserpinae, & Plutonis Ecerinum, & Albericum dixit. Tyranni fuerant isti hoc in tractu Italiae saevissimi. Soluta vero dictione Libri sunt ab eo Historiarum unus & triginta scripti. Praeterea de natura, & fortuna, de casibus fortunae, de vita, & moribus suis Librum singulum edidit.

Nunc repetendum, quae Opera Albertini Mussati supersint. Inter Historica prosa oratione contexta numerantur *Libri XIV. de Gestis Henrici VII. Imperatoris.* Subsequuntur *de Gestis Italicorum post Henricum VII. Caesarem Libri XII.* inter quae IX. X. & XI. versibus Hexametris conscripti sunt. Accedit *Ludovicus Bavarus*, hoc est Liber de Gestis Ludovici Bavari, Poëtici illius foetus sunt *Eccerinis* Tragoedia, ubi de Eccelini tyrannide, & crudelitate agit. Tum *Achilleis* altera Tragoedia. Ad haec *Epistolae*, seu *Sermones XVIII.* Elegiaco carmine. Praeterea *Eclogae X.*, & *Soliloquia sacra*, aliaeque *Elegiae*, & varii argumenti *Carmina*. Haec autem omnia Felix Osius Mediolanensis, clarissimus & doctissimus Vir, in Patavino Gymnasio Eloquentiae Professor, edenda suscepit, ad hoc studium incitatus a Viro Nobili Dominico Molino Literarum, ac Literatorum Venetiis amantissimo. Jamque ante Annum 1627. coepta erant excudi Venetiis in Typographia Ducali Pinelliana; etenim Gerardus Johannes Vossius loco supra laudato id monet; eo autem Anno Operi de Historicis Latinis Praefationem faciebat Vossius. Verum editionem remorati subinde sunt varii humanarum rerum eventus. Nam dum haec ederentur, natum forte est Osio, aut Molino consilium addendi quoque alios veteres earum regionum Scriptores, hoc est Rolandinum, Monachum Patavinum, Cortusios &c. Sibi quoque sumserunt laudatus Osius & Laurentius Pignorius, Vir magna itidem eruditione illustris, *Notas*, sive *Commentarios* Mussati Historiae adtexere: quae omnia tempus poscebant. Denique Anno 1630. quum teterrima Pestis Patavium, Venetias, & reliquas finitimas Urbes vastaret, magna cum Literarum jactura ceciderunt inter alios illa duo gratissima Musis capita Osius, & Pignorius. Hinc eorum Notae ad Mussatum intercisae, hinc Mussati, aliorumque Historicorum conjuncta editio in sequentes Annos dilata, donec Anno tamdem 1636. Venetiis omnia haec in lucem prodiere.

Hac igitur editione usus, iterum do Albertini Mussati Opera, una cum Spicilegio *Pignorii*, & Castigationibus & Notis *Felicis Osii*, Notisque etiam *Nicolai Villani* ad primam Partem Historiarum ejusdem Mussati, ne quid Eruditi heic desiderent,

Digitized by Google

rent, quod alibi reperiatur. Et quidem adeo rara erant illius editionis exemplaria, ut aut nimio pretio conquirere opus foret, aut invenire nimis difficile. Notas autem Pignorii, & Osii eruditio multa multis olim commendavit, quae quamquam aevo nostro nonnullis nimia forte videri possit, attamen communi calculo in iis Scriptoribus summopere suspicienda est. Sed & mihi contigit Editionem hanc nostram alicujus additamenti foenore ornatam Lectoribus exhibere. Habet enim Estensis Bibliotheca perantiquum membranaceum Codicem eodem Seculo, quo Mussatus ipse floruit, manu conscriptum, nempe Anno *MCCCLXXXVII. Sexto die Septembris*, ut a Librario in calce adnotatum est. Ibi fere omnia Mussati Opera leguntur, ibi quoque Cortusiorum Historia, de qua suo loco agemus. Praeterea in Codice illo continetur. *Ars Ritmorum Vulgarium, sive Summa Artis Ritmici vulgaris dictaminis &c.* composita ab Antonio de Tempo, Judice Patavino, Anno 1332. de qua mentionem feci Lib. I. Cap. III. *della Perfetta Poesia*. Quod igitur attinet ad Mussati Libros, illic sese mihi obtulit *Albertini Muxati Paduani Historiographi, & Tragoedi de Gestis Heynrici Septimi Caesaris Prologus*, qui in praecedenti editione excidisse videtur, aut saltem desideratur in Codice impresso, quo sum usus, quamquam certe Osius non ignoraverit, nam & ad hunc Prologum Notas reliquit. Sequitur Catalogus Capitulorum omnium Historiae ejusdem, quem praecedunt haec verba: *Epitomata his descripsimus Libris, ut singula gesta se Lectoribus offerant his evidentiis. Primo Libro Solum natale, Prosapia, mores &c.* Reliqua omitto, quippe in editis singulae, ut ajunt, Rubricae suis Capitulis apponuntur.

Subsequitur in Estensi Codice *Albertini Muxati Paduani Historiographi, & Poëtae, & Tragoedi, ad Paganum de la Turre Episcopum Paduanum super gestis Italicorum post Henricum Septimum Caesarem. Prologus incipit*. In editione Veneta, quae una dedit hactenus nobis Mussati Libros, Prologus iste quoque, seu Dedicatoria ad Paganum de la Turre desiderabatur. Ad haec, ejus Historiae pars, quae *Ludovici Bavari* gesta refert, in Veneta editione lacunis quibusdam, & non germanis lectionibus abundabat; neque enim potuit ex inopia Codicum MStorum Osius meliora suppeditare. Ego ope Estensis Codicis multa supplevi, atque emendavi. Ad haec suppeditavit ex Ambrosiana Bibliotheca Cl. V. *Joseph Antonius Saxius*, eidem Praefectus, egregium alterum Codicem membranaceum, ipso, ut videtur, Seculo exaratum, quo Mussatus vixit, omnesque illius Libros complectentem. Hunc autem cum editis contulit improbo labore *Philippus Argelatus*, mihi saepe memoratus, & inde Variantes Lectiones & Supplementa aliquot collegit, in Notis suppositis & ipsa legenda. Itaque tot curis exornata ac emendata rursus prodeunt universa, quae exstant, Mussati Opera, quae certe, quod est ad Historiam, magni facienda sunt; quippe & res ille sui temporis literis mandavit, & in iis conquirendis, ut de ipso Petrarcha ait, *satis anxius inquisitor fuit*. Praeterea in praecipuis suae Reipublicae negotiis adhibitus est Mussatus, legationes quoque magni momenti obivit; quae omnia virum constituerant ad Historiam suorum temporum rite conscribendam perquam aptum. Ingenium autem hominis ad Poësim ita comparatum fuit, adeoque, quantum aetas illa ferebat, in ejus cultura invaluit, ut solemni pompa Lauro Apollinari publice fuerit decoratus: quod decus a multis seculis nulli mortalium accesserat. Floruit autem iis temporibus Ferretus Vicentinus, cujus Historiam & Carmen ad ipsum Mussatum in praecedente Tomo jam evulgavi.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO ET AMPLISSIMO
SENATORI
DOMINICO MOLINO
LAURENTIUS PIGNORIUS.

ALbertinum Mussatum nostratem, Tu Domine, qui es bono Reipublicæ literariæ natus, publici juris fieri, trecentis post annis, concupivisti, jussisti, & pervicisti; inde factum, ut ille diligentissimus rerum gestarum Scriptor (ex quo capite laudatur à Pandulfo Collenucio & Onufrio Panvinio magni nominis Viris,) nunc demum in lucem prodeat, hac augusta Typorum forma, Notis etiam optimis qua licuit illustratus. Ego sanè, ut Tibi morem gererem, post felicem, & accuratam V. Cl. Felicis Osii *diligentiam, Spicilegio incubui, memor dicti Varroniani, neminem reprehensum, qui à segete ad Spicilegium reliquerit stipulam, & hanc stipulam, seu caducam aliquam spicam legi ego, verborum videlicet ejus ævi, & Idiotismorum, & Historicorum aliquot fragminum, quæ bonus eventus reliqua fecit ex antiquo illo prisci temporis fœnisecio: promerebatur enim hoc ille, qui veritatem incorruptam, quo meliore potuit sermone, & non malos imitatus, nobis proposuit: vir utique de omni posterorum memoria optimè profectò meritus; quòd tot res memoratu dignas aliis oscitanter intactas, aliis malignè suppressas, magna styli & animi libertate, vitiorum acer insectator, virtutum studiosus Prædicator, Patriæ dignitatis vindex, & assertor, literis commendaverit. Verba autem eo consilio mihi perpendenda proposui, quòd ex illorum cognitione, rerum notitia semilatinis, & barbaris plerumque vocibus inclusa eruatur. Idiotismos in gratiam exactorum persecutus sum, qui linguam Latinam callentes, ad nomina tamen peregrina Latinam larvam præferentia hærent subinde, & explicationem requirunt. Historicas reliquias quòd adjecerim, gratiam ab omnibus eruditis me initurum spero, ut ut illæ inconditæ sint, & inelegantes, sermonis tunc malè culti vitio: non enim laudare possum cujusdam inepti facinus, qui Henricum ad Florentinos, & Florentinos ad Henricum scribentes edidit Ciceroniano stylo: moneo namque, eos qui Scriptores Historiarum vetustos, rudes, & horridos, addo etiam barbaros, polito sermone interpolant, id præsentissimo veritatis periculo facere. Quæ lues utinam non invasisset memorias etiam sacrarum rerum, quas isti pulchelli tessellarum compactores plerumque perditum eunt fuco lenocinantis orationis: at satis querelarum. Hæc omnia Tibi, Domine, cui Mussatus vitam hanc posthumam debet, & acceptam fert, ego Tibi inscripta esse volo, ut meritorum in me tuorum testimonium apud nostros, & posteros sient, cùm Tu res meas inter & tuas nihil umquam discriminis constitueris, quæ tua est benignitas, & mihi quà ope, quà consilio bene facere numquam intermittas; macte animo & virtute, atque adeò bonarum Literarum perennaturo incremento, quod Tu eo studio urges, ut neque libris instructissimæ Bibliothecæ tuæ parcas, neque opibus, neque sumtibus, dummodo hic noster Italicæ terræ angulus adspiret ad fastigium veteris in humanioribus studiis jam olim partæ dignitatis. Sed accedamus propius ad Mussatum, & laudes tuas, infantiæ nostræ probè conscii nobis, silentio involvamus.*

Digitized by Google

Digitized by Google

IN ALBERTINI MUSSATI
HISTORIAM;
SPICILEGIUM
LAUR. PIGNORII.

IN hoc historicæ narrationis limine cùm fuerit valde jejunus hic noster, operæ precium duxi eventum hujus pugnæ, & causas recensere, ut narrationi obscuræ lux aliqua è face historica petita affulgeat. Anno Domini 1288. ut ait Jo. à Lexdis Carmelita in Annalibus Belgicis lib. 20. cap. 21. lamentabilis, & magna controversia fuit inter Joannem hujus nominis primum, Ducem Lotharingiæ, & Brabantiæ, & Reginaldum Comitem Gheldriæ. At Jo. Villanus lib. 7. cap. 132. scribit incidisse in annum 1289. mense Junii, causa discordiæ fuit Ducatus Limburgensis (*Villano* Lamborgo) quem Comes Gheldriæ ratione uxoris, quæ fuit Irmingardis soror, & hæres Henrici Limburgici, ut asserit Meyrus (a), sibi vindicabat, *per retaggio di donna*, scribit Villanus in eo falsus, quod Duci Brabantiæ adscribit jus (ut vocant) prætensum Comitis Gheldriæ. Dux Brabantiæ asserebat, se pecunia redemisse ab Adolpho Comite de Monte, proximo de consanguinitate Ducis defuncti. Hic etiam videtur falli Jo. Villanus, qui Comitem Lutcemburgi scribit fuisse consanguineum Limburgensis (*di suo lignaggio* inquit ipse) ubi obiter animadvertemus *lignaggio*, & *retaggio* voces Italicas, esse Gallicanas origine, *lignage*, & *heritage*; quas tamen Galliæ Latio debent, *lignage* lineatio est, stemmata enim, ut ait Plinius (b), lineis discurrebant ad imagines pictas, & has lineas Seneca (c) flexuras, Persius (d) ramos appellant; ramos videlicet arboris, qua figura etiam nunc describi consuevit stemma familiarum. *Heritage* est ab hæreditate, cujus vestigium est apud Joannem de Janua. At redeamus è diverticulo in semitam. Partes Comitis Gheldriæ tuebantur Henricus Comes Lutcemburgensis, Walranus frater ejus, Walranus Dominus de Walchenburch, & Archiepiscopus Coloniensis cum aliis non paucis; cum Duce Brabantiæ erant Civitas Coloniæ, Adulphus Comes de Monte, Walranus Comes Juliacensis, præter alios multos, convenerunt autem pugnæ gratiâ prope arcem Woronc, ut refert Barlandus Chronicor. Brabantiæ cap. 46. & inde pugnam Voroncanam indigitat Meyerus, cum quo Henninges in Theatro Genealogico, ab arce Vvoroncana. Villanus nomine nonnihil detorto, *nel luogo detto Aurone*; corrigendus fortè, *nel luogo detto à Vorone*. In die Sancti Bonifacii factus est cruentissimus conflictus, ergo die 14. Maji, non mense Junio, uti referebat Villanus, at Germani nonis Junii, ut ait Ado in Martyrologio, celebrabant natalem Sancti Bonifacii, non Romani, sed Trajectensis Episcopi, & Martyris, ut habet Molanus ad Usuardum. Quinta die Junii tradit Meyerus, & sanè rectè, pugnam cruentam describit hisce verbis Villanus, *la quale fù sì aspra, e sì crudele, che durò dalla mattina al Sole lucente, insino al coricare*. Mortuus est ibidem Henricus Dominus de Lutcemborch (inquit Joannes à Loydis) cum Walrano fratre suo, Mussatus duos fratres, & duos privignos enumerat. Meyerus nominat Henricum, Valerannum, Balduinum quos Princeps Flandriæ Isabella ipsorum soror bello ibidem cæsos amisit, quosque multis lacrymis longo tempore luxit. Hæc autem Isabella Guidoni Flandriæ Comiti nupserat. Villanus Henrico tres fratres adjungit, *ed elli con suoi trè fratelli carnali vi rimasono morti*, cujus sententiæ videtur fuisse etiam Barlandus, ut Henninges, qui fratres hoc ordine describit, Henricum, Valeranum, Gerardum, Guilielmum, videtur porrò tota domus in hoc conspirasse, ut bellicam gloriam à majoribus partam strenuè retineret. Cæsarius sanè lib. 7. cap. 43. meminit Walrani Comitis de Lutzemburg, & Walrani junioris, uti virorum militarium, ad hæc ipsi Henrico Ghelricam terram vendiderat Comes Ghelriæ, accepta ingenti pecunia, teste Barlando, ut & hinc ansam arripuerit Henricus concedendi in partes Comitis Ghelriæ, quem Comitem de Belere nominant Annales Henrici Steronis, qui hæc notant ad annum 1287. fuit verò Comes hic captivatus, licèt Jo. Villanus inter cæsos recenseat *il Conte di Galleri*. Exortum autem hoc dissidium est jam inde ab anno 1284. uti literis consignavit Argidius de Roya in Annalibus Belgicis, cujus hæc sunt, *Anno Domini 1234. mortua Comitissa de Limburg, magna discordia fuit inter Comitem Gelriæ, & Comitem de Monte, sed Comes de Monte videns, quòd non esset potens contra Comitem Gelriæ, propinquitatem suam vendidit Joanni Duci Brabantiæ, contra quem fuerunt Episcopus Coloniensis, Comes Luxemburgensis, & Comes de Cleva, & alii multi. Sed inter hos Philippus Rex Franciæ treguas fecit; volens secum ducere ipsum Ducem Brabantiæ contra Petrum de Aragonia à Papa excommunicatum*. At hæc mora non retudit aciem præcipitis fati, siquidem, ut prosequitur idem de Roya, *Anno Domini 1288. bellum acerrimum in Joannem Ducem Brabantiæ, & suos auxiliarios, necnon & Comitem de Luxemborg, Comitem Gelriæ, & Archiepiscopum Coloniensem gestum est, in qua Comes de Luxemborg est occisus, Comes Gelriæ, & Archiepiscopus Coloniensis capti*: hæc ille. Ceterùm de Patre capto, confosso, & in profluentem projecto hi nihil, unicus (quod sciam) Mussatus hoc recensuit, pag. 39. rubr. 2. cum tribus reliquis eodem Patre natis. Balduino videlicet, Valerano, qui Mussato Goleranus est, aliis Walramus, & Joanne. Verùm hæc omnia illustrabit lineatio domus Luxemburgicæ, petita ex Genealogiis Hieronymi Henninges, in ea tantùm parte, quæ sit futura usui Spicilegio nostro.

(a) lib. 10. Annal. (b) lib. 35. cap. 2. (c) lib. 3. de Benef. cap. 28. (d) Sat. III.

Adel-

Digitized by Google

Adelbertus
Gisbertus, (a) *vel*
Sigifridus
|
Gisbertus II.
|
Fridericus I.
|
Conradus I.
|
Conradus II.
|
Guilielmus
|
Conradus III.
|
Henricus I.

Valeranus	Gerhardus	Guilielmus	Isabella uxor Guidonis Flandriæ Comitis.

Henricus II.
cognomento Blondellus

Bulevinus Archiep. Trever.	Valeranus	Joannes

Margarita Fil. Jo. Duc. Brabant. — Henr. VII. Aug.
|
Joannes Rex Bohemiæ
|
Carolus IV. Aug.

Winceslaus Cæs.	Sigismundus Aug.

Mihi tamen monendus est Lector, Majores Henrici, si avum excipiamus, antiquitatis tenebris valde involutos fuisse, & Jacobus Mainoldus, cùm de titulis ageret Regis Philippi, jure dixit, supra avum Henrici Septimi nihil certi sibi patere. Et ipsemet Henninges ejusdem Genealogiæ non satis explicitas rationes affert, quod ad Majores attinet. Et Conradus Vecerius satis ingenuè professus est, cùm ad Henrici vitam describendam accederet, *qui Majores Imperatori Henrico, aut omnino parentes fuerint, quamvis curiosa vestigatione cognoscere non potui*. Quibus illi retexit, quas tamen nec approbat, nec refellit, Melusini præstigias; neque affert certiora Vignerius (b). Et hæc de his satis, ibid. *paternæ domus major*, major, idest senior, & his vocibns illa ætas usa est, ut dominos significaret. Capitulare Karoli Magni, lib. V. 107. *ut Presbyteri curas seculares nullatenus exerceant, idest ut neque Judices, neque Majores fiant*. Capitulare Karoli Calvi Tit. XXVII. *ita tamen, ut si majores homines voluerint, ad nos veniant, & in præsentia nostra ipsam firmitatem faciant: homines verò illorum ante missos nostros eandem firmitatem faciant*. Et hinc Majoratus apud Scriptores illius ævi; & Mayorazgo apud Hispanos hodie: & apud nos *Maggiore*, & *Maggioranza*. De seniori autem tritissimum est, & cuivis obvium, veluti in Tabulis Ganslini Episcopi apud Cavacium (c): *pro remedio animæ senioris nostri Othonis*. Italicismus patens, *del Signor nostro Othone*.

(a) Gilbertum vocant Ortilius, & Vivianus in Itinerario. Vignerius Gisilbertum.
(b) Histoire de la Maison de Luxemburg. (c) Lib. 2.

Digitized by Google

ALBERTINI MUSSATI PADUANI HISTORIOGRAPHI, ET TRAGOEDI DE GESTIS HEINRICI VII. CÆSARIS

PROLOGUS (1) INCIPIT.

Multum ipse mecum (2), diuque percunctatus (3), scriptturus ne gesta (4) fuerim egregia tua, Cæsar Heinrice Septime semper Auguste (5), libidini (6) meæ cessi, dum plurimùm decertasset cum rationē voluntas. Ratio siquidem & tui sublimitatem, & rerum magnitudinem contemplabatur, quibus æquanda fuerat verborum, sermonumque vetustas (7). Indecorum quippe visum est, egregiam specie formam pallentibus, maculosisque paludamentis induere (8); isque amens derivator est (9), qui nitidas aquas per luteos rivulos in turbulentam cœnosamque convallem arenoso traducat ex alveo. Verùm hodie petulans ætatis nostræ luxuries (10), voluntatis sedula imitatrix, in qua publico, privatoque nomine permissum est non minùs cuiquam licere, quàm libeat (11), additamenta temeritati (12) meæ tribuit, ut tanti operis & consultor, & auctor fuerim. Enimvero tantisper annuit obsequens ratio voluntati, quatenus tu laceram, incomtamque paginam (13) castiges (14), cùm ceteros Italorum mores elimaveris (15), velisque tunc ut ipsa prodeat rerum tuarum magnis (16) non invisa (17), sed potiùs (18) invidiosa (19) Scriptoribus (20). Velle autem debebis (21), nam licèt ea rudis à Patavini suavitate distet archigraphi (22), quatum ipsa valet prodit (23) indagine, quo discrimine, quibusque artibus tibi (24) domi militiæque & partum & auctum Imperium sit (25). Quòd si per tot bellorum, rerumque eventus varios, tuam, vel tuorum læsam, culpatamve famam invenies, non ea sacras aures (26) offendant, cùm sicuti ut fallere (27) volueris de te dicere nefas sit (28), falli tamen posse consequens est, dum te hominem fatearis (29). Res vulgatas, confessasque plurimorūm judiciis (30) posterorum memoriæ mandasse non piguit, hoc pacto, ut immobili non officiat (31) veritati (32). Utcumque hæc fuerint (33), pusillo parces ingenio, laborique deferes laudes emeritas, relaturo (34). Te inter æterna Augustorum (35) nomina (36), siquidem divinis auspiciis (37) te promerente (38) juvabor.

Digitized by Google

NOTÆ FELICIS OSII AD PROLOGUM.

(1) Græca vox jampridem donata Latio, & olim ullo finè discrimine præmissa Orationi vinctæ pariter, ac solutæ: Q. Aur. Symmachus Epistola XIX. Lib. IV. *A prosperis ordiendum est. Quapropter in Prologo (ut ita dixerim) literarum salutem, valetudinemque dico.* Marculfo quoque Monaco Formularum Lib. II. Cap. II. *Prologi* nihil aliud sunt, quàm *Præfationes variæ, quæ donationi ad Ecclesiam conveniunt, & omnes remissionis peccatorum, & animæ remedii causas continent.* Cujus exempli pleraque omnia instrumenta Donationum videre est in antiqueis Ecclesiarum monumentis. Videsis tamen Valer. Maximum, Paulum Diaconum in fronte Hist. Gothorum, & alios ejus ævi Scriptores, apud quos *Prologum, Prologium, Proloquium, Antelogium* unam, & eandem vim habuisse reperies, qua præfigi jure suo possent quibusvis ingenii monumentis. *Anteloquium* omisi, quòd illi diversa notio, & à paucis, quod quidem hactenus noverim, observata. *Anteloquium* enim *principatum loquendi, non rei principium sonat.* Macrobius. *Huic assensi omnes Prætextato Anteloquium detulerunt.* Hoc est, *primas loquendi vices* explicatore Budæo. Et alibi. *Philosophia, quod unicum est munus Deorum, & Disciplina Disciplinarum honoranda est Anteloquio.* Aliàs, sed ex usu magis, quàm sua, & propria notione, *Prologus Fabulæ Præfatio est*, ut lippis, & tonsoribus notum. Verùm hæc alterius loci. Sciat hic tantùm Lector, Prologum hunc abesse ex omnibus Codd. MSS. præterquam ex Veneto, & Romano.

(2) Insistit vestigiis primorum Rei Literariæ Patrum, quos magnum aliquid literis mandaturos dubitandi par ratio in ipso statim Operis vestibulo torsit. Horum in numero primus occurrit lacteæ facundiæ flumen Livius. *Facturusne operæpretium sim, si à primordio Urbis res P. R. perscripserim, nec satis scio: nec, si sciam, dicere ausim.* Quæ quidem propemodum omnia arripuit Renerus Snojus sic exorsus Historiæ suæ Batavæ Præfationem. *Facturusne sim operæpretium, si res Batavas, Comitumque stratagemata præclara, eorumque fortia facta, de quibus audivi, & legi, conscribam, nec satis scio: nec, si sciam, dicere ausim.* In re minore Symmachus Epist. XLVIII. Lib. VIII. *Diu sanitati pariter, ac venustati literarum tuarum mediocris eloquii conscius respondere dubitavi: sed religio rupit timorem.* Et Statius Præfatione Lib. I. Sylvarum ad L. Aruntium Stellam Patavinum. *Diu, multumque dubitavi Stella Juvenis optime, & in studiis nostris eminentissime, qua parte voluisti, an hos libellos, qui mihi subito calore, & quadam festinandi voluptate fluxerant, cùm singuli de sinu meo prodiissent, congregatos ipse dimitterem.* Pari mente Sidonius mihi hac in parte nullatenus dimittendus Lib. VII. Epist. III. *Diu, multumque deliberavi, quamquam mibi animo affectus, studioque parendi sollicitaretur, an destinarem (sicuti injungis) contestatiunculas, quas ipse dictavi: vicit ad ultimum sententia, quæ tibi obsequendum definiebat, ergo petita transmisi.* Plures post hos adducere, quos noster duces habuit, non necesse: occurrent passim, & ingenio suo *Mussati* prudentiam liquidò testabuntur.

(3) Erat in Veneto *Percuntactus*, pro quo reposui *Percunctatus* ex Festo, & nostro Lib. III. Rub. XII. Lib. IV. Rub. XII. Lib. V. Rub. I. licèt *Percontatus* libentiùs arrideret. Vertius enim *Percontor* scribit, & deducit à *Conto* pertica nautica, qua inquiruntur loca navibus opportuna, & exploratur altitudo aquæ. Hinc probis Scriptoribus *Percontor* in usu potiùs, quàm *Percunctor*, ejusque vis eò potissimùm spectat, ut rem aliquam altè investigare, suisque metiri ponderibus repræsentet, πυνθάνεσθαι φιλοτεχνῶς. Plautus Menech. Sc. V. Act. V.

Mane etiam percontabor alia.

Idem in Pseud. Sc. IV. Act. IV.

Ubi perconteris me insidiis hostilibus.

Terentius Hecyr. *Tua, quod nihil refert, percontari desinas.* Sic apud Tullium *Contor* eodem sensu legitur in Epistolis secundi libri ad Atticum. *Cùm ex eo de me contaretur.* Et apud Agellium Lib. V. Cap. V. *Ea contantur, & insistunt.* Sed utro velis modo hic pronuntiet, vel rescribas, *Percunctor* scilicet, an *Percontor*, parùm intererit. Nam & *Percunctor* eadem notione se prodit. Donatus in Hecyram Terentii Act. I. Sc. II. *Et* Percunctatum, *&* Percontatum *scribitur; sed* Percontatum à Conto *dicitur, quo nautæ utuntur ad exploranda loca navibus opportuna: si verò* Percunctatum, *ab eo, quod* à cunctis perquiratur.

Porrò utrum inter *Cunctor*, & *Percunctor* eædem significandi vices intercedere possint, quas mutuas inter se habent *Percontor, Contor*, & *Percunctor*, non ego quidem auserim affirmare. Viderint id otiosiores. Nos enim ad alia properamus, ne diutiùs, quàm par sit in Operis hæsisse vestibulo videamur.

(4) M. Tullius in ea, quam habuit post reditum in Senatu. *Tune ausus es isto oculo, non dicam isto animo: ista fronte, non vita: tanto supercilio (non enim possum dicere tantis Gestis cum Gabinio consociare consilia pestis meæ?)* Val. Maximus in Prologo. *Nec mibi cuncta complectendi cupido incessit. Quis enim omnis ævi Gesta modico voluminum numero comprehenderit?*

(5) Ita Symmachus, quem noster imitatur non rarò, Lib. X. Epist. LVII. ad Theodosium. *Dignum est igitur D. Imperator Theodosi Inclyte, Victor, ac Triumphator Semper Auguste, ut decretum Senatus &c.* Et LXIII. ad Valentinianum, Theodosium, & Arcadium Augg. *Quid habeat conditionis Inscriptio, nostis præ cæteris Juris publici conditores D. D. D. Imperatores Valentiniane, Theodosi, Arcadi, Inclyti, Victores, ac Triumphatores Semper Augusti.* Gerbertus etiam, postmodum Sylvester II. Rom. Pontifex, suam primam Epistolam sic inscripsit. *Domino suo Otboni Semper Augusto Gerbertus quondam liber.*

At quis primus particulam *Semper* cum *Augusti nomine* copularit, incertum planè. Inter Inscriptiones L. Septimi Severi, quas I. Gruterus de Romana Antiquitate probè meritus collegit, & evulgavit, una præ cæteris occurrit his notis inventa Romæ in ruinis Palatii Imp. Titi anno CIↃ. IↃ. LXXXVIII. Pag. 271.

PROPAGATORI. ORBIS
AC ROMANÆ. REI.
. . . . . .
VICTORI. AC
TRIUMPHATORI
SEMPER. AUG.
FABIUS . . . CONSER . . . . . .
PRÆF. URBI. ITERUM JUDEX
COGN. SACR. MAJESTATI. EJUS
DICATISSIMUS.

Antè hanc nulla alia ejusdem notæ, longè plures in Constanti, Constantio, Constantino, Juliano, Valentiniano, Valenti, Honorio, Theodosio paginis seqq. Quæ quidem in eam me sententiam facilè deducunt, ut putem, formulam hanc Imperatorum istorum temporibus usurpari cœptam, cùm antea sola *Augusti* appellatio in usu esset, quod supra laudatæ Symmachi, & Gerberti Epistolæ videntur astruere non obscurè.

Gratus hic Titulus quàm qui gratissimus Romanis Imperatoribus memoriæ priscæ pariter, ac recentis. Clarum id etiam quàm quod clarissimum ex Ammiano Lib. XXIII. ubi Valentinianus ob nuncupationem *Augustam* donativum Militibus pollicetur: & Lib. XXVII. in quo morem institutum antiquitus supergressus, non *Cæsares*; sed *Augustos* Germanum, & Filium vocat.

Manavit ab Octavio Julii F. qui primus id cognominis, & honoris sibi comparavit ex merito, propter quod videbatur effectus humano fastigio major. Inscriptio vetus.

IMPERATOR. CÆSAR. D. JULII.
FILIUS. AUGUSTUS.

Cresconius Corippus Lib. III. Ver. 27.

Augusto melior Justinus Cæsare Princeps.

Neque enim eò loci Corippo *Augustus Cæsar* Justinianus est, quod perperam Thomæ Dempstero venit in mentem, sed Octavius, cui memorabilis pietas in exequenda morte Julii Cæs. & suis eidem inferiis procurandis Optimi Principis

Digitized by Google

cipis famam dedit : ipse, inquam, Octavius *Augustus* primus, à quo deinceps Imperatorum cæteris idem cognominis impertitum. Nam ante Octavium Romanis Principibus sola *Imperatoris* appellatio Titulorum omnium amplissimus Titulus erat, qui C. Jul. Cæsari perpetuo Dictatori creato cum insigni potestate ante omnes datus. Diserrissimè Dio Lib. XLIII. ex interpretatione G. Xylandri. *Imperatoris quoque nomen, non antiqua tantùm pro consuetudine, qua id cùm alii, tum ipse quoque sæpius ex bello reportaverant; neque ea ratione, quòd ei merum imperium, absolutamque potestatem deferrent, Cæsari: sed eo modo, quo nunc iis, qui summum imperium obtinent, tum primo Cæsari primum imposuerunt, tamquam ipsi proprium*. Apertiùs Svetonius Lib. I. Cap. LXXVI. *Prægravant tamen cætera facta, dictaque ejus, uti & abusus dominatione, & jure cæsus existimetur: non enim honores modò nimios recepit, ut continuum Consulatum, perpetuam Dictaturam, Præfecturamque morum, insuper prænomen Imperatoris, cognomen Patris Patriæ, statuam inter Reges, suggestum in Orchestra: sed & ampliora etiam humano fastigio decerni sibi passus est*. Quorum in sententiam eunt Scriptores omnes Romanarum rerum.

Octavius igitur minimè contentus Imperatorio nomine, jureque perpetuo, quod idem ex S. C. tenuerat, primùm C. Cæsaris (ejusdem supra laudati Svetonii verba sunt Lib. II. Cap. VII.) *& deinde Augusti cognomen assumpsit: alterum testamento majoris Avunculi, alterum Munatii Planci sententia, cum quibusdam censentibus Romulum appellari oportere, quasi & ipsum Conditorem Urbis, prævaluisset, ut Augustus potiùs vocaretur, non tantùm novo; sed etiam ampliore cognomine, quòd loca quoque religiosa, & in quibus auguratò quid consecratur, Augusta dicantur* ab auctu, *vel* ab avium gestu, gustuve, *sicut etiam Ennius docet scribens.*

Augusto augurio postquam inclyta condita Roma est.

Cui licèt addas Festum ejus sententiæ mirum in modum suffragantem, & explicantem Svetonium ipsum, cùm tradit, *Augustum locum dici ab Avium gestu, vel quia ab Avibus significatus est, sive ab Avium gustatu, quia Aves pasta id ratum fecere*. Sensit & Dio Octavium Augustum *ab auctu* boni ominis causa nominatum Ὡς καὶ πλέον τι ἢ καθ' ἀνθρώπους ὤν, ut aliquid supra hominem existens. Πάντα γὰρ τὰ ἐντιμότατα, καὶ ἱερώτατα Αὔγουστα προσαγορεύεται. *Nam ea omnia, quæ magno in pretio sunt, & sanctissima, vocantur Augusta*. Augere enim, & Mactare verba sunt Sacrorum: & Templa, quæ sancta, *Augusta* pariter nominantur. Ovidius Fast. I.

Sancta vocant Augusta Patres, Augusta vocantur.
Templa Sacerdotum ritè dicata manu.

Sicut Platonicæ sapientiæ fons *Sanctus* idem, & *Augustus* audit apud Romanæ copiæ parentem Tusculana v. *Ex hoc igitur Platonis, quasi quodam sancto, augustoque fonte nostra omnis manabit oratio*. Adstipulatur Dioni Manasses, apud quem in Politicis Lib. VII. hæc habes. Αὔγουστος δὲ μετὰ ταῦτα κλητὸς ὡς αὐξημένος. *Augustus postea dictus, ut quasi auctus*. Nec contra sentit Diaconus Lib. VII. licèt paulò diversam appellationis hujus causam edat. Censet enim is, non vocibus imperitæ multitudinis Octavium primum acclamatum *Augustum*; sed judicio Ordinis amplissimi tantum divini prope honoris illi habitum, quòd is Romam triumphis suis auxerit. Idcirco enim ait Diaconus, *Anno Urbis DCCXXV. quo primum die fine bellis civilibus imposito triplicem triumphum in Urbem intulit ex Ægypto in P. R. ditionem, potestatemque redacta, primùm Augustus, quòd Rempublicam auxerit, consalutatus est, quod nomen cunctis antea inviolatum, & hucusque cæteris inausum, Dominis tantùm Orbis licitè usurpatum, apicem declarat imperii, atque ex eadem die summa rerum, ac potestatum penes unum esse cœpit, & mansit quod Græci μοναρχίαν vocant*. His affinia sunt, quæ tradunt Epitome Livii, Plinius, Censorinus, Cassiodorus, aliique sexcenti, nempe Cæsarem leges protulisse, Judices ordinasse, Provincias disposuisse, ideoque cognominatum *Augustum*, perinde ac si dicerent, ob tales, tantasque res gestas macto Meritis, & Virtute cognomen additum *Augusti* re sanctum, vocis usurpatione singulare, remunerationis officio unicum.

Factum *id* autem, si quis ampliùs hoc requirat. Idibus Jan. Anno Urbis DCCXVII. Se. VI. & M. Vispanio Agrippa III. Coss. Ovidio teste Fast. I. Nam Censorinus id contigisse censet ex ante diem XVI. Kal. Febr. Alii aliter. Lapis, qui Narbone est, ait Augustum auspicatum esse imperium VII. *Eidus Januarias*. Orosius VIII. Idus, eademque luce triplici triumpho clarum Urbem esse ingressum, & tunc primùm *Augustum* salutatum Orbis imperium suscepisse.

Addunt alii ob res ab Octavio bene gestas, non tam placuisse Senatui, ut tali, ac tanto *Augusti* nomine decoraretur: sed etiam, ut Sextus à primo Mensis, qui ob id Sextilis ante dicebatur. Augusti nomen acciperet, in ejus scilicet Principis gratiam, cujus auspiciis Ægypto P. R. addita, Mensis ille Romano Imperio felicissimus affulsisset. Qua de re nos pluribus in *Urbe Æterna*, si votis Deus annuerit, differemus, cùm ejus Mensis Festos dies, ac Ferias ex Antiquitatis Romanæ tenebris eruemus.

Ex hoc planè fonte *Augusti* appellatio fluxit ad insequentes Imperatores, & sanè major, quàm *Cæsaris*, ut Zosimus adnotavit. Nam & hi in posterum *Augusti* dicti, tum ob singularem ipsorum Virtutem, & Merita in Rempubl.; tum, ut tam splendido nomine sibi adepto ad egregias *Augusti* I. virtutes exprimendas inflammarentur ardentiùs. Præclarè siquidem Dio sensit, & docuit, *Cæsaris*, & *Augusti* appellationes nullam Romanis Principibus potestatem addidisse: nomen autem *Cæsaris* significasse successionem generis; *Augusti* splendorem dignitatis. Sic enim ille apud Xiphilinum de sequutis Imperatoribus loquens. *Itaque adempta acerbitate Regiam obtinent potestatem. Nam Cæsaris, aut Augusti appellatio nullam eis potentiam tribuit; sed altero Familia significatur, altero Splendor dignitatis*. Quin imò, ut *Augusti* cognomen sibi longè gratum propagaret Octavius, Tiberium, & Liviam idem ferre cognomen jussit, auctore Tacito Lib. I. Ann. quamquam eo Tiberius parcè admodum usus, & in iis Epistolis tantùm, quas ad Reges dabat ex Svetonii fide. Caligula, *Cæsar*, quàm *Augustus*, dici maluit eodem Svetonio teste, cùmque illi acclamasset aliquando Populus, *Juvenis Auguste*, ratus sibi injuriam factam multos occidit. Claudius non modò *Augusti* nomen aspernatus est; sed ne *Imperatoris* quidem appellationem admisit, *Cæsaris* titulo contentus, ut Nero, & Galba. Vitellius *Germanici* cognomen recepit, *Augusti* distulit, *Cæsaris* in perpetuum repudiavit. Trajanus *Cæsar* in Senatu à Nerva, non *Augustus* dictus. Lampridius in Commodo Antoninos Pium, & Philosophum Impp. primos omnium *Augustos* dictos, dein Pertinacem ostendit. Spartianus Verum, & M. Antoninum: postea verò Imperatores ipsos cæteros *Augustos*: candidatos autem Imperii *Cæsares* appellatos. Verùm enimvero nequaquam putandum est, Lampridium, & Spartianum in ea fuisse sententia, ut censuerint Antoninos ante Imperatores omnino cæteros, atque adeò ante Octavium ipsum *Augusti* nomine salutatos, cùm scirent non aliam ob causam Septembrem, atque Octobrem; non autem Sextilem, Antoninum, & Faustinum de illorum Imperatorum nominibus S. C. dictos, nisi quia Sextilis in gratiam Octavii multò ante *Augusti* cognomine decorati *Augustus* fuerat appellatus; sed illi *Augusti* nomen Antoninis primò tributum literis prodidere, non quòd his omnino primò tributum esset; sed quòd hi Senatui digniores visi, qui primi *Augusti* nomen, quod in disuetudinem quodammodo abierat, repararent. *Antonini* certe nomen cùm in Marco Philosopho Imperii symbolum cœpisset esse, ad Maximinum usque pervasit, post quem iterum *Augusti* nomen à Rom. Imperatoribus sic assumptum est, ut dimissum nunquam in *Henrico* quoque VII. & Imperii Romani Moderatoribus cæteris assiduè fulserit ad hæc usque tempora jugi tenore, ac serie mirificè propagatum.

Hæc de prima splendidi hujus Tituli origine, & processu, velut in procinctu cursim, illustrandæ Antiquitati, dum honestando Antiquitatis æmulatori Historico operam damus.

(6) Voluntati incentæ, at honestæ, qualis olim Romanos incessit, quos patriæ Princeps Historiæ *magis in decoris armis, & militaribus equis, quàm in scortis, & conviviis libidinem babu.sse* testa-

testatus est initio Catilinarii belli. Nam alibi in ejusdem Historici monumentis *Bona* tibi *libido* occurret *Patriæ*, *& Parentibus gratificandi*. Quæ cùm observasset Nonnius Marcellus Cap. VI. sic scripsit. *Libidinem*, *& appetitum*, *vel æmulationem etiam honestæ rei possumus dicere*, *ut sit Libido omne id*, *quod libuerit*. Hinc illa Varronis Lib. IX. de L. L. *In demonstrando*, *quoniam potiùs profecisse oportet*, *ab eo*, *quod apertiùs est*, *quàm ab eo*, *quod priùs est*, *& potiùs ab incorrupto principio*, *ab natura rerum*, *quàm ab libidine hominum*. Illic enim, *Libido*, incensa Voluntas est, ut apud Plautum passim; sed signatè Pseud. Act. I. Sc. V.

Libido est ludos spectare Pseudole.

Et Menech. Act. I. Sc. I.

Libido major fugere est victis.

Et *Lubido* Persa Act. I. Sc. III. ubi Saturio de prosapia Parasitica, unde & ipse erat oriundus, nugatur.

Nihili Parasitus est, *cui argentum domi est. Lubido extemplo cœpere*, vel (ut Scaligero placet) *cœpire est convivium*, *tuburcinari de suo*, *si quid domi est*. Quo sensu locutus & Tullius, in quo finiam Tusculana IV. *Ex Stoicorum opinione lætitia præsentium bonorum*, *libido futurorum*.

(7) Fuit, cùm huic loco palmare mendum inesse putarem, legendumque ducerem, *Verborum*, *sermonumque venustas*: at ubi in Symmachum incidi, cujus è fontibus Noster amat suos hortulos irrigare, omnis mihi mendi suspicio sublata est. Nimirum sic loqui assolet magnus ille Consul. Hinc illa Lib. I. Epist. LIII. ad Agonium Prætextatum. *Unde*, inquit, *est hæc in Epistolis tuis sensuum novitas*, *verborum vetustas*, *si tantum nodosa retia*, *vel pinnarum formidines*, *& sagaces canes*, *omnemque rem venaticam meliorum oblitus affectas?* Neque enim hic assentior Dempstero, reconditæ alioquin doctrinæ, & multiplicis eruditionis Viro, cui locum hunc laudanti in Paralipomenis ad Cap. VII. Lib. II. Antiqq. Roman. Joannis Rosini placuit pro *Vetustate* reponere *Venustatem*, tum quia nullus est vel leviter humanioribus literis tinctus, qui non apertè videat *Vetustatem* opponi non pessimè *Novitati* posse; tum quia familiaris vox hæc; imò tota ista ferme sententia Symmacho, ubicunque de sensibus, de verbis, de stylo disserit Amicorum. *Quæ enim pars*, inquit Lib. III. Epist. XXII. *literarum tuarum*, *vel inventionum prudentia caruit*, *vel novitate sensuum*, *vel antiquitate verborum?* Et Lib. I. Epist. LXXXIX. *Hæc sunt enim ornamenta oris tui*, *& pectoris*, *quod nec gravitate horres*, *nec vetustate luxurias*; *sed ratione fixus*, *ac stabilis germanos colores rebus obducis*. Ex quibus, quæ sit Mussato nostro, *Sermonum*, *Verborumque vetustas*, meridiana planè luce clariùs elucescit. Itaque nihil muto, nec piget hujus notulæ in re nondum, quod sciam, ab aliis tentata, cùm præsertim apud eundem Symmachum *Disciplinarum vetustas* commendetur Lib. I. Epist. XX. Et Lib. III. Epist. II. *Opposita Vetustati Novitas* excusetur.

(8) Didici jampridem ex Livio non uno in loco *Paludamentum* esse ornamentum militare. Quamobrem in æreo Vitellii Numismate Virtus armata cernitur Juvenis stantis, galeati, & sagaci forma, dextra innitentis hastæ, læva quandam veluti clavam, sive tesseram gestantis, ambiente paludamento sagum in humeros rejectum. Quin imò ex Svetonio in Julio indumentum hoc Imperatorum potiùs, quàm militum extitisse scio, cujus ergo Imperatores paludatos ad bellum proficisci solere dixit Livius. Sed enim Mulieres etiam eodem usas testatus est Plinius Lib. XXXIII. Cap. III. cùm de Agrippina loquens hæc scripsit. *Nos vidimus Agrippinam Claudii Principis*, *edente eo Navalis prælii spectaculum*, *assidentem ei indutam Paludamento auro textili sinè alia materie*. Qui quidem duplex hujus vestis usus cùm minimè latuisset Historicum nostrum, respectu habito ad primum, Paludamentis suis adjecit epitheta *pallentis*, *& maculosi*, quæ sinè dubio Paludamento militari conveniunt, quod teste Valer. Max. Lib. I. Cap. VI. ubi de Crasso apud Parthos cæso, in prælium exeuntibus Album, & Purpureum dabatur: Album ad spondendam lucem, & pacem æquas conditiones admittentibus, & justè facientibus imperata: Purpureum ad declarandam vindictam in fundendo sanguine improborum: Ad alterum verò spectans, genus id vestis ad ornandam egregiam specie formam, qualis solet esse muliebris, propriè transtulit, & decorè. De Imperatore quidem Romani Orbis Maximo verba facturus nullam aliam vocem commodiùs usurpare poterat, nec aliam vestem Augustæ Lib. IV. de Gestis Italicorum post Henricum VII. Rubr. II. congruentiùs assignare.

(9) Loci hujus integritatem, quam frustra in MS. Veneto quæsivisses, Codici Romano debes. Respexit autem Noster ad Paræmiam.

Βορβόρῳ ὕδωρ λαμπρὸν μαίνον ἐπὶ ἀφόσας πόνον.

——— si limpidam perrexeris
Cœno aquam spurcare, *nunquam*, *quod bibas*, *inveneris*. Estque illi *Derivator* is, quem Aquilegem Cassiodorus, & Plinius vocant. Ille Lib. III. Var. Epist. LIII. *Comperimus Aquilegem Romam venisse*: Hic Lib. XXVI. Cap. VI. *Habent & hoc signum Aquileges*. *Aquilicem* alii *ab elicienda aqua* dicere maluerunt, & hi maximè. Callistr. J. C. apud Budæum Annot. Post. in Pandectas. Taruntenus J. C. Lib. VI. ff. de Jur. Immunitatis. Varro in Quinquatribus.

At hoc pacto utitur te Thuscus Aquilex.

Tertullianus Lib. III. adversùs Marcionem. *Quia nec statim Aquilicem sedens repromisit. Colligentem aquam* Non. Marcellus Cap. II. Num. VIII. Alii aliter, quos omitto, cùm illi mihi nec ad manum omnes, nec plures opus sit percensere.

(10) Libido, ut supra.

(11) Habes apud Svetonium in Caligula quid Monstrum illud hominis in hanc ferè sententiam responderit Aviæ monenti, tamquam parùm esset non obedire, nimirum, *Omnia sibi*, *& Homini licere*: Vel, ut Bernatius legit Lib. II. De utilitate Historiæ. *Sibi*, *& in omnes licere*, quòd aliàs in Notis ad Historiam commodiùs, & pluribus illustrabo.

(12) Insolentem audaciam vocavit id ipsum Symmachus Lib. X. Epist. XXII. de conatu loquens gratiarum agendarum Theodosio, & Arcadio Augg. *Gratias beneficiis vestris agere pro Urbe Roma*, *ut officii probabilis*, *ita insolentis audaciæ est*. *Nam neque ingentibus verba conveniunt*, *& personam P. R. nulla implet oratio*. Perpende singula, & in Mussatum eadem cadere deprehendes sermonem habentem cum Augusto. Quamobrem veniam hujus, sive temeritatis, sive insolentis audaciæ suæ ab eodem in Epistolis petit, eumque rogat, ut Librum, quo res ejus præclarè gestas complexus est, manare velit ad posteros, & famæ suæ hæredem diutissimè perennare.

Jure Tibi teneor, *Rex Invictissime*, *pro Te*
Accedit capiti nexa corona meo.
Parce tamen, *bone Rex*, *nimium mihi fortiter auso*,
Si fuerant alia gesta notanda manu:
Parce, *ferox olim Patavis irate superbis*;
Sæpe tamen verbis conciliate meis.
Ut mibi, *Te facilem*, *sineret dum vita*, *dedisti*;
Sic hæres famæ sit Liber ille tuæ.

(13) Vox seculi. Symmachus, Sidonius, & alii testes, quorum omnes propemodum paginas implet. In Sidonio sistas licet Lib. II. Epist. II. ubi ipsæ quoque parietum facies solo lævigati cæmenti candore contentæ paginæ nominantur. Quòd quia rarum, locum exscribo, ut aliis quærendi laborem adimam, cùm ultro occurrat. *Quidplura? Nihil illis paginis impressum reperietur*, *quod non vidisse sit sanctius*.

(14) Eadem mens Symmacho Patri Lib. I. Epist. II. ad Filium. *Interim pauca misi obtestatus te per Deum*, *ut*, *si quid in bis displicebit*, *emendes*. Et Filio Lib. IX. Epist. XVII. *Dissimulo igitur meorum tantisper accusare segnitiem*, *qui in isdem molitionibus fabricatione hæserunt*, *dum suavitate paginæ tuæ mulceor*. *Volo tamen relegendo ..... castiges*, *vicem mei fellis exerceas*. Nec alia Plinii Junioris Lib. I. Epist. II. ad Arrianum. *Quia tardiorem adventum tuum prospicio*, *librum*, *quem prioribus Epistolis promiseram*, *exhibeo*. *Nunc rogo ex consuetudine tua*, *& legas*, *& relegas*, *& emendes*. Et Lib. III. Epistola XIII. ad Romanum. *Quin potiùs illud adnota*, *quæ putaveris corrigenda*. Et alibi frequentissimè, Nec Plinio solùm, & Sym-

Digitized by Google

Symmachis ea mens, sed iis omnibus,

----- *queis cor sinuante Minerva*
Acriùs, & tenues finxerunt pectus Athenæ.

Unum audiamus è Recentioribus multis Renerum Snojum ejusdem ingenii virum, & ad genium Mussati factum. *Nihilominus hæc Batava lingua exaravi, quæ ipsi* (Batavi) *si quando volent, quod non impedio, Romana poterunt expolire, præsertim, si aspera quædam fuerint à me profecta. Non enim limam recuso, neque adeò mihi bellus videor, ut Censorem negligam, vel excludam, qui in Catonis reprehensionem incidi, ut citiùs culpam deprecari velim, quàm ea vacare possim.* Et paulò post. *Neque verò tantillum offendar, si quis nostra locupletabit diligentior, diriget exactior, illustrabit eloquentior, expoliet otiosior, vindicabit felicior, ne quid Momo reliqui sit, quod queat carpere.* Nimirum vim habent Oraculi Euripidis illa ὥσπερ μίας χάρος ἀβθένης μάχη ὄντος ἧς ἀνὴρ οὐ πάντ ὀρᾶ. *Ut unius manus infirma pugna est: sic unus vir non omnia videt.* Quare non immeritò Cicero Poetas illos, qui alienum judicium in suis carminibus emendandis exquirerent, non solùm laudibus effert Lib. 1. Offic. sed etiam proponit ad imitandum sedentibus in Reipublicæ puppi, clavumque tenentibus his verbis. *Ut Pictores, & ii, qui signa fabricantur, & veri Poetæ suum quisque opus à vulgo considerari vult, ut si quid reprehensum sit à pluribus, id corrigatur: hicque & secum, & cum aliis, quid in eo peccatum sit, exquirunt: sic aliorum judicio permulta nobis & facienda, & non facienda, & mutanda, & corrigenda sunt.* Nec aliud ægriùs habebat Tomitanum Vatem secundùm exilii pœnam, cùm aberat Roma, quàm quòd amicis careret iis, quorum censuræ, cùm Romæ degeret, sua carmina permittere consuerat. Quæ ne temerè scripta putes, ipsum tibi Vatem testem do. Sic enim secum ille conqueritur Lib. III. Trist. Eleg. IV.

Nullus in hac terra, recitem si carmina, cujus
Intellecturis auribus utar, adest.

Et Lib. IV. Eleg. I.

Sed neque, cui recitem, quisquam est, mea carmina; nec qui,
Auribus accipiat verba latina suis.

Quibus affinia deprehendes Elegia ultima ejusdem Libri, & VIII. Quinti. Solebant enim veteres, ubi quid scripserant, quod Orbi daturi essent, Sodalibus & amicis unum in locum coactis legere, ut quid eorum quisque de eo sentiret, liberè aperiret. Innuit morem hunc idem Ovidius Lib. IV. Trist. Eleg. ultima.

Sæpe suas volucres legit mihi grandior ævo,
Quæque nocet serpens, quæ juvat herba, Macer:
Sæpe suos solitus recitare Propertius ignes,
Jure sodalitii qui mihi junctus erat.

Et Eleg. XII. Lib. IV. de Ponto.

Sæpe ego correxi sub te Censore libellos,
Sæpe tibi admonitu facta litura meo est.

In re apertissima aliorum testimonia non produco, quæ locum sibi fortassis alium vendicabunt.

(15) Utitur eadem voce Mussatus Lib. VI. de Gestis Ital. post Henricum VII. Rub. V. *Jacobus onerum, consiliorum, opportunitatumque omnium supportator erat: illi omnia credita suis elimata consiliis.* Nec absque exemplo. Ovid. IV. Metamorphoseων.

------ *Extemplo graciles ex ære catenas,*
Retiaque & laqueos, quæ lumina fallere possent,
Elimat:

Cicero Attico Lib. VI. Velim χόλιον *aliquod elimes ad me.* Quo sensu *Limare* à Symmacho usurpatum Lib. IX. Epist. CV. *Pari nitore, atque gravitate senatorias actiones, & Romanæ rei monumenta limasti.* Nec ineptè id verbi à Nostro redditum *Castigandi* verbo. Nam opus aliquod *Elimare, limareve*, idem est planè, quod *incudi subjicere, corrigere, castigare.* Cic. Acad. I. *Institui quædam ad eum, quæ sunt magna sanè, & limantur à me politiùs.* Hinc lima Operis ultima Ovidio Lib. I. Trist. Eleg. VI. ubi de Metamorphosi non correcta.

Ablatum mediis opus est incudibus illud,
Defuit & scriptis ultima lima meis.

(16) Ita legebam initio ex conjectura vix apparentibus vestigiis hujus vocis, cùm demum, ut ita constanter legerem, effecerunt ejusdem Mussati carmina ex Epistola II. in Henrici VII. laudem, & Operis sui commendationem dextro satis Apolline decantata, quorum mihi copiam fecit Perillustris, & Excellentissimus J. V. D. *Antonius Mussatus*, vel ob id Elogio dignus, quòd humanitatem eximiam, ac singularem cum Nobilitate generis, & virtutum splendore connectit. Sic enim illic legebam apertissimis notis.

Sit stylus ipse humilis, rebusque incommodus altis,
Sit rata verborum pro gravitate fides.
Quoque magis Magnis fuero Scriptoribus impar,
Hocque minùs reliquis invidiosus ero.

Magni porrò non temerè dicti Scriptores Augustorum, cùm & Augusti ipsi *Magni* titulo gauderent. Sozom. Lib. VI. Cap. XII. παρόντος Κωνσταντίου τοῦ αἰωνίου μεγάλου αὐγούστου. *Præsente Constantio Æterno, Magno, Augusto.* Accedit huc Oppianus, qui Augustæ Severi matri idem cognomen impertit. Communia siquidem Augustis, & Augustabus fuere cognomina, ut aliàs dicam.

Αὐσονίου ξεῖνος γλυκερὸν βάλος Ἀντωνίνε,
Ὃν μεγάλη μεγάλῳ φυσάτατο δόμνα σεβήρῳ.
Ausonii Jovis dulce germen Antonine,
Quem Magna Domna Magno Jovi peperit.

Aliàs *Scriptores Magni* sunt, qui summum studium, & magnas cogitationes ad scribendum afferunt, quales suas fuisse Vitruvius asseverat in Proemio. *Non audebam tantis occupationibus de Architectura scripta, & magnis cogitationibus* (hoc est diuturnis, & diligentibus) *explicata edere*, Clar. & Eruditissimo Gasp. Barthio sic docente Lib. I. Adverf. Cap. X. cujus in sententiam eo. Et Tullius suas Epist. IX. Lib. XV. ad Atticum. *Ita sum meteoros, & magnis cogitationibus impeditus, &c.*

(17) Loqui sic amavit ante Nostrum Symmachus Lib. IX. Epist. XLII. initio. *Religiosa potiùs, quàm invidiosa Quæstio est, quæ fidem pactarum repetit nuptiarum.* Tullius etiam ex parte in Maniliana. *Ne, aut invisa Diis immortalibus Oratio nostra, aut ingrata esse videatur.* Cæterùm invisus ille est, quem æquis oculis aspicere nequeas, exosus. Idem Tullius II. Officiorum. *Quò quis callidior, & versutior est, hoc invisior, & suspectior detracta opinione probitatis.* Ovid. Eleg. IV. Lib. V. Tristium.

Non invisa tibi pars ego sæpe fui.

Poetarum Maximus Lib. I. magni Operis.

Et genus invisum, & rapti Ganymedis honores.

(18) Nimirum à se alibi deprecatur invidiam, & Epist. I. Libro suo felicitatem ominatur ex eo, quòd ob tenuitatem suam nullis patebit aculeis Invidorum.

Felix, invidia quòd tu mordebere nulla.
Ista Dei tantùm munera pauper habet.

(19) Cui invideant Scriptores Magni. Neque enim *Invidiosus* semper is est, qui invidet: verùm quandoque is etiam, cui invidetur, ἐπίφθονος Græcis. Ovidius II. Transformationum.

Pactolumque petit, quamvis non aureus illo
Tempore, nec caris erat invidiosus arenis.

Et Noster in supra producto carmine in Henrici VII. laudem sui ipsius interpres.

Quoque magis magnis fuero Scriptoribus impar,
Hocque minùs reliquis invidiosus ero;

Pari vi *Pecunia*, & *Opes* invidiosæ dictæ Tullio pro Cor. Balbo. *Pecunia Cornelii Balbi neque invidiosa est & quantacumque est*, &c. *Porticus* C. Sol. Sidonio Apollinari Lib. II. Epist. cognomine. *ab Ortu lacum Porticus intuetur magis rotundatis fulta coluriis, quàm columnis invidiosa monubilibus.* Et *Angulus* Lib. III. Epist. I. *Modò invidiosi hujus Anguli etiam desolata proprietate potiantur*, hoc est, cui quis meritò invidere possit. Aliis alia relinquimus expendenda.

(20) Qui res ab Henrico VII. gestas litteris consecrarint scribente Mussato, liquere mihi nondum potuisse fateor, etsi Vates ea de re multos consuluerim. Unus, quòd sciam, Abrahamus Bzovius Sacrorum Annalium post Magnum Baronium scriptor observavit ex Jac. Meyero, & Joanne Cuspiniano regnante Henrico VII. Ephemeridas actorum ejus literis exaratas; sed Auctore nomine laudato. Ferrettus etiam Vicentinus Historicus nondum editus in Præfatione Historiæ Scriptores alios à Nostro in eadem materia versatos fuisse suspicatus est; sed idem quoque nobis eorum no-

nomina suppressit, quòd nihil adhuc emisissent in lucem ob magnam rerum dietim (ut ipse loquitur) sequentium multitudinem. Post excessum Henrici Conradus Vecerius Regius Secretarius de gestis ejus libellum confecit, quem vulgavit Christianus Urstisius Basiliensis Anno MDLXXXV. insertum Historicorum Germanicorum Tomo; sed ea, qua res ab eo gestas traditione acceperat, ut ipsemet testatur in Opusculi calce, quod uti mole liquidò vincitur a Mussati libris, sic ab iisdem rerum fide, pondere, numero superatur. Quod enim ad fidem attinet, vel in ipsa Operis præfatione falsus est Conradus, cùm inquit, se ad scribendum res ab Henrico Cæsare gestas accessisse, quòd extaret, qui ante se id fecisset, nemo. Fecerat enim ante se multò Mussatus, & accuratè adeò, & ex fide bona, tum propter discreti animi sui profundum ingenium, cùm propter scripturarum multarum lectionem assiduam, tum etiam, quia Reipublicæ salubriter consultando multa vidit, & novit, quæ noscere, vel scire non omnibus licuisset, ut ab earum scriptione cæteros deterruerit. Nisi quis Ferrettum in Henrici VII. Cæsaris Scriptorum numero censeat, quòd is post Mussati fatum, remisso Poesi nuntio, in qua satis excellebat, Historiam aggressus scribere ducto exordio ab Anno MCCL usque ad MCCCXVII. res tota ferè Europa, Italia præsertim, maximè Lombardia, & Marchia Tarvisina gestas, novis (ut ejus verbis utar) literis diligenter admodum est persecutus, & in primis ea, quæ morante in Italia Henrico VII. Cæsare contigerunt, quòd putasset Mussati libros prodituros nunquam, sive quòd manum iis ultimam non admovisset Auctor præventus letho; sive quòd soloci, ut ea ferebant tempora, filo contexti formidaturi viderentur esse perpetuò lucem politioris ævi. Hæc habui, quæ de Henrici VII. Cæsaris Scriptoribus observasse potui scribente Mussato in obscura temporum illorum nocte.

(21) Geminatio Sidonianæ similis Lib. VII. Epist. VIII. *Hujus es namque vel erga me dignationis, vel erga reliquos auctoritatis, ut, si quid fieri voles (voles autem, quidquid æquissimum est) non suadere tam debeas, quàm jubere.*

(22) Habebis eandem vocem in Rub. II. Lib. IV. De Gestis Italicorum post Henricum; sed alio sensu. Quid autem hoc loco sit *Archigraphum Patavinum* Mussatus ipse sui Interpres explicat in carmine paulò ante semel, ac iterum laudato. Illic enim *Archigraphum Patavinum* nihil est aliud, quam suavissimus T. Livii Patavini stylus, à quo Mussatus suum quidem longè abesse fatetur ingenuè, quasi pedestrem, & repentem humi: atqui non idcirco spernendum ab Henrico VII. cùm in ejus acie, vel inter Equites suus quoque locus, & usus ipsis Peditibus sit relictus. Sic enim eò loci noster Historicus, & Poeta.

Plaudeat archigraphi si non mihi tibia LIVI,
Sit miles, simili sit ratione pedes.
Utilis Ausoniis miles tibi profuit armis,
Utilis interdum turba pedestris erat.

Miles enim in his *Eques* est, & Pediti opponitur, ut alibi commodiùs indicabo.

Quam porrò suavis sit *T. Livii* stylus, nemo non sentit, nisi, cui nullus sit ejus jucunditatis sensus, quam secum afferre consuevit lactea dicendi vis nullis uspiam salebris impedita fluens. Audi Virorum optimum, & doctissimum Fab. Quintilianum Lib. X. Cap. I. *At non Historia cesserit Græcis, nec Thucydidi opponere Sallustium verear, nec indignetur Herodotus æquari sibi* T. Livium, *cùm in narrando miræ jucunditatis, clarissimique candoris, tum in concionibus supra quàm narrari potest, eloquentem: ita dicuntur omnia cum rebus, tum personis accommodata. Sed affectus quidem, præcipuè eos, qui sunt dulciores, (ut parcissimè dicam) nemo Historicorum commendavit magis, ideoque immortalem illam Sallustii velocitatem diversis virtutibus consecutus est. Nam mihi egregiè dixisse videtur Servilius Novianus, pares eos magis, quàm similes.* En merum mel, cujus suavitatem Philippus quoque Beroaldus sensit, cùm scripsit ad Quintiliani gustum. *Cum omnium lectio jucundissima, ac utilissima futura sit: cùm omnes haud dubiè suspiciendos, ac lectitandos esse censeam,* T. Livius *in primis narratione dignissimus mihi visus est, & jucunditatis, utilitatisque inter alios refertissimus, cujus lectio omnium Scholasticorum auribus, animisque satisfactura sit. Est enim dulcis, candidus, & eo nullus Historicorum meliùs commendavit mitiores affectus: Apud quem omnia cum rebus, cum personis sunt accommodatissima. Qui in narrando miræ est jucunditatis; clarissimique candoris: Qui (ut verissimè dixit Quintilianus) in concionibus supra, quàm narrari potest, est eloquentissimus: Cujus lactea ubertas Lectorem detinet, avocat, pascit, omnibusque affectionibus validissimè commovet, & quò vult maximè impellit: Cujus divinæ facundiæ nihil addi potest: Cujus Orationi si quid demas, ex Elegantia detraxeris, quemadmodum de Platonis Oratione Phavorinus dicere solebat. Idem grandiloquus est, & sententiarum gravitate, & majestate verborum. Idem copiosissimus, nec tamen longus. Nam, ut inquit egregiè Martialis.*

Non sunt longa, quibus nihil est, quod demere possis.

Non igitur immeritò Divus Hieronymus testatur quosdam ex ultimis Hispaniæ, Galliarumque finibus viros illustres Romam venisse, vel ob hoc solum, ut T. Livium *lacteo Eloquentiæ fonte manantem contuerentur; Qui (ut Plinius in Epistolis inquit) postquam hominem videre, statim in Patriam repedarunt. O te felicem, ò te beatum,* T. Livi, *cujus unius videndi caussa viri nobiles tot millia passuum confecerint ex penitissimis Regionibus proficiscentes, tot montes incultos, tot invia loca superarunt. Illa profectò, illa divina virtus est existimanda, quæ in uno homine tantum polluit, tantum effulsit, ut ad eum visendum, tamquam ingens, celebrandumque miraculum, Galli, Hispanique sollicitarentur.* Adde his Stephanum Nigrum, quem ex eodem patre prognatum, vel certè una cum Beroaldo in Quintiliani verba jurasse credas. Sic enim ille pari aura. *O fortunatissime Populè Romane, qui rerum à te gestarum præconem Historicorum præstantissimum* T. Livium *habueris, cujus miram in narrando jucunditatem, clarissimumque candorem, & supra quàm dici potest, in Concionibus Eloquentiam cum rebus, tum personis accommodatam quis unquam satis dignis prosequi laudibus posset? Nam ad ejus in dicendo multiplices virtutes pro meritis, ac dignitate laudandas divina procul dubio opus esset oratione.* Ita planè, longèque candidiùs, quàm Caligula, qui tranquillo teste *Verbosum* vocabat: aut Asinius Pollio, qui *Patavinitatem* in eo animadvertere se ajebat. Nimirum delicatum Romani hominis palatum videbatur sibi aliquid sentire, quod non usquequaque saperet genium Romani sermonis. Neque enim nobis hic audiendus Kirchmannus Lubecensis, quando hinc colligit reprehensum ab Asinio fuisse sublimem Livii stylum; sicuti neque cùm à Seneca propterea culpari putat Lib. I. de Ira Capit. ultimo, & de Tranquillitate Cap. IX. Nam longè aliud Senecam velle diffitebitur nemo, qui verba ejus attenderit, ut accuratissimè attendit, & literarum monumentis consignavit magni & acerrimi vir ingenii, suadæque medulla disertissimus Gerardus Joannes Vossius Lib. I. de Historicis Latinis Cap. XIX. cui debent plurimùm T. Livii Patavini manes. Quare plures non advoco. Siquidem enim, delicato cuipiam aspectus fortè Livius non blandiatur, inspectus (affirmate hoc dico) cujusvis aures demulcebit, & pectus, ut olim Isocrates, cujus jucunditas sic hominum mentes allicere consueverat, ut ejus domus cunctæ Græciæ, quasi ludus pateret, ac dicendi officina.

(23) *Idest* aperit.

(24) *Omnium domi, forisque virtutum*, quod de Prætextato Symmachus Lib. X. Epist. XXIII. multò ante protulerat.

(25) Haud dubiè tum hic, ista cùm Mussatus scriberet, tum in Prologo librorum de Gestis Italicorum post Henricum VII. Cæs. ad Paganum Turrianum Episcopum Patavinum, cùm inquit. *Scis quippe Tu nostrorum actuum in Rempubl. fide testis Episcope, quantis domi militiæque solertiis implicer,* Livium Concivem suum ob oculos habuit sic præfantem. *Ad illa mihi pro se quisque acriter intendat animum, quæ vita, qui mores fuerint, per quos viros, quibusque artibus domi militiæque, & partum, & auctum Imperium sit.* Quemadmodum

dum Sallustium suum Livius sic differentem initio Catilinarii belli. *Imperium iisdem artibus retinetur, quibus initio partum est.* Et utrumque Henricus ipse VII. Aug. in Confessione fidei Romæ habita, cùm inauguraretur, ut apud Abrahamum Bzovium legere est in Annalibus Sacris his verbis ad Annum MCCCXII. *Hæc est Fides recta, quæ contra omnes præmunitur errores, quam Divinum Apostolum Petrum, & Paulum Doctorem Gentium novimus tradidisse Romanæ Ecclesiæ, & qua D. Memoriæ Constantinus noster Inclytus Prædecessor Romanum munivit, & auxit Imperium.* Cadunt huc etiam Anonymi verba in Oratione Legati Veneti Serenissimum Reipublic. Ven. Principem adhortantis, ut bellum Turcis inferat capta Constantinopoli, quæ quidem Oratio nuper Musæum meum cum aliis ejusdem Scriptoris monumentis auxit. Sic enim Legatus ea in parte, qua narrat, quibus verbis Viri Principes Imperii Turcici Sultanum à bello fuerant dehortati. *Transmarinas, & longinquas exercituum transvectiones non modò difficiles, & incommodas; verùm etiam vehementer esse periculosas: incolumitati Regni sui summo studio consulere oportere, ut quod Majorum opere, diligentia, studio, consiliis, periculis, sanguine paulatim partum, & auctum, eòque perductum, ad se jure hæreditario tanquam transmissum, accuratè conservandum susciperet, & Majorum exemplo incolume id ad posteros transferre valeat ex omni parte illæsum.* Hæc Anonymus. Quæ quidem eò libentiùs attuli, quò clariùs firmant vetus, atque perpetuum Turcarum institutum illud, quo de Jovius in Elogiis Lib. II. meminit, id apud Turcas in more positum asseverans, ut Sultano intranti Templum supplicandi causa Talismanus æditus Sacerdos occurrens clara voce pronunciet, *Meminisse velit, Imperium, quod Justitia, & Virtute bellica partum sit, non aliis, quàm iisdem artibus conservari, propugnarique oportere.* Siquidem ad eum morem respexisse videntur Consiliarii Sultani, & alii secum Sallustii sententiæ institisse, quam in Patavino Gymnasio Scholis à nobis solemnibus illustratam proximè superiore anno luci nunc publicæ adornamus cum reliquis Scholis eodem anno habitis in universum Catilinarium bellum.

(26) Quemadmodum *Sacri* olim dicti, & habiti Imperatores Romani: ita quæcumque gessissent ipsi, seve quoquomodo attingerent, pro *sacris*, & *divinis* haberi, & dici voluerunt. Hinc *Sacras* Imp. *Literas* dixit Symmachus Lib. VI. Epist. XXXVI. *Orationem sacram* Lib. X. Epistol. II. *Auditorium sacrum* Lib. II. Epist. XXX. Epist. LI. & LIII. Aliaque in aliis Epist. [illegible] libri, *Responsum Sacrum* LIII. nempe *Judicium* LI. [illegible] & LXII. *Oratio* [illegible] XXXV. XLVII. LXII. *Æra-* [illegible] XXXIV. *Præceptum* [illegible] *Humanitatem* LV. [illegible] XLIII. in Epistolis extra [illegible] *Lectio*. Alii [illegible] à Jac. [illegible] de Apparitore Præ- [illegible] Mamertinus in Genethl. [illegible] & Guntherus. Api- [illegible] Claudianus de [illegible] Lib. I. C. Theo- [illegible] absolutè (hoc [illegible] Donatistis post [illegible] *multorum Im-* [illegible] portamus *Evange-* [illegible] Imperatorum [illegible] Constitutio- [illegible] *Scrinium*, [illegible] *Cognitionem*, [illegible] de Notis [illegible] Suetonius in [illegible] *Sacrum* [illegible] Federici post Hen- [illegible] Canis Gran- [illegible] *&* con- [illegible] testor, [illegible] nostris [illegible] uni Scrip- [illegible] Ora- [illegible] non [illegible] VIII. [illegible] pe-

[illegible] *rennitatis vestræ pervenerint*, &c. Pari mente Act. 2. Concil. Chalcedon. *Sacratissimas*, Firmicus Lib. de Errore prophan. Releg. *Sanctas*, Novel. XII. *Divinas* easdem Augg. *Aures* appellarunt, sicuti alicubi pro Augusto *Divinus Princeps*, *divinus* ejusdem *Affatus*, *divinus Sermo*, *divina Officia*, *divinæ stirpis Augustus* occurrit, & alia alibi, quæ hisce similia reliqui collegerunt.

(27) *Fallere*, *falli*, Paronomasia plenissima venustatis, cui similis illa Sidonii Lib. V. Epist. II. *Nec me falli, nec te fallere decet.*

(28) Quòd Imperatores *Sacri*, *Sacratissimi*, *Numina*, de quibus ne suspicari quidem liceat, quod velint fallere.

(29) Cui nihil magis affine, quàm labi. Verè Heynsius in Epistola præfixa Crepundiis Silianis. *Plus mehercule erranti scire ignoscere, quàm errare nescire est. Alterum enim debent omnes; alterum potest nemo.* Hominis autem est, humani à se nihil alienum putare.

(30) Parem à se diligentiam adhibitam testatus est Sulpitius Severus in Præfatione Libri de Vita D. Martini. *Obsecro autem eos, qui lecturi sunt, ut fidem dictis adhibeant, neque me quidquam, nisi compertum, & probatum scripsisse arbitrentur alioquin tacere, quàm falsa dicere maluissem.* Parem Scriptores ab eo reliqui gestarum rerum, qui veritatem amplexi præcipuam Historiæ legem nulli labori pepercere, ne res sibi parum exploratas posteris traderent, quod multò ante ab Historiæ Patre Thucydide, Theopompo, Polybio factum accepimus. Polybius enim (ut alios omittamus) ne falsa pro veris literis consignaret, in remotissimas oras peregrinatione suscepta Asiam, Africam, Europam lustravit; Atlanticum quoque Oceanum navigavit: &, ut de Annibalis itinere vera narraret, Galliam, & Alpes invisit: ut de Scipionis rebus in Hispania gestis, Carthaginem novam adiit, loca singula cum cura inspexit, Hispaniæ pleraque oculis usurpavit.

(31) Jovem hic ego lapidem dejerare ausim per omnes fortunas meas, *Officiant*, legendum esse, cùm id verbi *Res* potiùs, quam *Pactum* respicere videatur.

(32) Non temerè, quisquis Historiæ scribendæ manum admovet, sic præfatur. Sed omnium mihi Ferrettus instar, quia ad manus, & coævus nostro. *Nec tantum series, quantum rei veritas indicabitur: sed & tempus, & locum, quò certior fides sit, historicè conscribemus.* Præcipua nimirum danda est opera ei, qui Res hominum scriptis mandare volet, ne narrationem suam mendaciis, figmentisve commentitiis adspergat, cùm veritas ornamentum, & decus, pes, caput, anima denique ipsa censeatur Historiæ, qua uti rectitudine regula definitur. Ferrettus idem in suæ Historiæ umbilico. *Et quidem his certiùs fidei robur veris literis indicantes, non fictum quidquam, nec rogatum, aut favori conceptum, ut placeamus, scripsisse profitemur. Nullis enim decorari velamentis debet Historia. Hic namque Poetarum mos est, qui, ut placeant, veris ficta componunt: Conscriptores verò magnificarum rerum veritatem meram sequi debent, non odio, vel amore corrupti, ne fortè legentium fides traduci meditetur* (fortè *videatur*) *ineptè.* Et paulò post. *Aggrediamur ergo viriliter opus mente conceptum, solamque rerum gestarum nullis deprehensam fallaciis veritatem persequamur.* Itaque jure, ac meritò primas inter Historiæ leges censetur illa. *Ne quid falsi scribere audeat: ne quid veri non audeat: ne quam in scribendo suspicionem gratiæ, ne quam simultatis ostendat.* Historia siquidem, ut Plinio placet Epist. XVII. Lib. VII. *Non ostentationi, sed fidei, veritatique componitur*, quæ Diodoro teste Προφήτης ἐστὶ τῆς Αληθείας *Deæ Veritatis Propheta est*: imò, si Dionysio credimus, Ἱερὰ *Sacerdos*, ita prorsus, ut, quæ à vero aberrarit assertio, Historia dici non possit. Appositè Lucianus, & verè. *Historiæ* ἓν ἔργον καὶ τέλος τὸ χρήσιμον, ὅπερ ἐκ τοῦ Αληθοῦς μόνου συνάγεται, *Unum opus est, & unus finis utilitas, quæ ex sola Veritate conciliatur.* Et infra, μόνῃ θυτέον τῇ Αληθείᾳ ἤτις ἱστορίαν γράψων ἴοι, τῶν δ' ἄλλων ἁπάντων ἀμελητέον αὐτῷ, *Soli immolandum Veritati ei, qui ad Historiam scribendam accedet, cætera verò omnia postponenda.* Nimirum. Ὅτι καθάπερ ἐμψύχου σώματος τῶν ὀφθαλμῶν ἐξαιρεθέντων, τὸ ὅλον, ὅπως ἐξ ἱστορίας ἐὰν ἄρῃς τὴν Αλη-

Digitized by Google

Αλήθειαν, τὸ καταλειπόμενον αὐτῆς ἀνωφελὲς γιγνέται διήγημα. *Ut animal luminibus ademptis prorsus inutile redditur: ita si veritatem ex Historia tollas, quod superest illius, narratio est nullius usus.* Polybio teste Lib. XII. Historiarum. Det igitur (ut primis extrema respondeant) qui in Historicorum numerum venire contendit, operam potissimam Fidei incorruptæ, ne μυθόγραφος veriùs, quàm Historicus audiat; Cura dein illi sit potior, & cautio prima, quæ Symmacho Lib. I. Epistol. XXVIII. *Ne blanditiæ longiores corrumpant veri dignitatem:* imò quæ Nostro. *Ne quid immobili officiat Veritati:* ne, quod genus scripti Veritate potissimùm niti debet, sua vanitate protinus ruat. Nec offecit Noster, suæ nobis hac in parte constantiæ testis non uno in loco. Libro siquidem XII. de Italicorum gestis habemus ista. *Ad quem Mussatus. Non putet, aut vereatur Marsilius se quidquam, nisi verum suis inseruisse Chirographis: acta ut fuere, tradita esse Posteritati, secundùm quæ laudes, & probra judicabit.* Epistola verò II. sententiam eandem carminibus adumbratam.

Me super his scriptis, cœlestia Numina testor,
Non Timor, aut Odium, nec superavit Amor.
Gesta super vero semper sinè crimine scripsi,
Zelus in hac quisquam non mihi parte fuit.
Scripta mihi videas rerum discrimina Lector,
Et tibi nunc Gelfus, nunc Gibolengus ero.

Et infra.

Non mihi cum Patria liceat contendere nostra,
Noster vera Liber gesta fidelis habet.

Et in ejusdem Epistolæ calce.

Vive, Liber, puri testis fidissime veri,
Cumque meis semper singula gesta refer.

Sic in eadem initio styli sui humilitatem compensandam censet gravitate rerum, & fide.

Sit stylus ipse humilis, rebusque incommodus altis,
Sit rata verborum pro gravitate fides.

Et in Centone ad Filium.

Crede, quod illius mihi pars non ficta laborum est,
Ponitur inque illis fabula nulla libris.

Nec potuit Mussatus falli, nec voluit. Cùm enim ex Principum Virorum censura in rerum edendarum quotidiana vigilantia indiligentis sit, quidquam præterire: omnia contectari in primis arduum: suffragantium omnia puncta promereri ἀδύνατον: aut, quæ vidit, Mussatus scripsit, ne auctoritatem elevaret Historiæ vanitate rerum,

Vidi supremos apices, fastigia Mundi.
Pontificem excelsum, Cæsareamque domum.
Vidi actus, vidique Viros, moresque, vicesque
Parva licèt, quorum pars tamen una fui.

Ut in Elegia de Celebratione suæ diei Nativitatis testatur apertè: aut fateri maluit, se rem nescire sibi non bene penitùs exploratam, quàm secus, ac gesta fuerat, prodere, quod patebit libros ejus Historicos volutanti.

(33) Prognatus videatur ex eodem ovo fuisse Renerius Snojus Rerum Batav. non ignobilis Scriptor, cùm dixit. *Utcumque tamen, quæ scribam, æstimata erunt, in parvo ponam discrimine, modò nostratia in tenebris prope sepulta in lucem, atque hominum memoriam redeant, ne ingentia, atque eximia illa Comitum Batavorum facinora, aut fraudentur gloria, aut ævum ullum obliteret.* Quæ nos quoque ratio de novi nostri Herculis Musagetæ, & Musarum Mystæ Dominici Molini consilio, an imperio dixerim (nobis enim Magni Herois, ac Domini consilia faces, nutus imperia, aculei, calcaria sunt) in eam cogitationem adduxit, ut Albertini Mussati ingeniorum ævo turbulento, quo vixit, Phœnicis, & Solis labores historicos jacere diutiùs in tenebris minimè pateremur. Sed in re non dissimili aliis quoque par ferè clausula usitata, & Primipilis quidem militiæ nostræ, Ovidio, Senecæ, Symmacho, C. Sollio Sidonio Apollinari. Primo Lib. III. de Ponto Eleg. VIII.

Tu tamen hæc, quæso, consule missa boni.

Alteri I. De Benef. *Hoc munus, rogo, qualecumque est, boni consulas.* Tertio Lib. VIII. Epist. XLVIII. *Quidquid igitur hoc est, quod tenet pagina, quæso, ut boni consulas, teque summitas ad mediocritatem Scriptorum meorum.* Postremo Lib. VII. Epist. III. *Dabis ergo veniam præsumptioni, &c.* Quæ volui, ne quis Mussatum extra proborum Scriptorum orbitam Verbis, aut Sententiis aberrasse censeat cum imperitorum tæce, qui barbarum illum, & ineptum indigitantes temerè, conati sunt hactenus ejus labores, accuratasque vigilias Posteris invidere.

(34) Desiderari videtur aliquid, puta prænomen *Te*, vel quid simile, quod tamen ex sola conjectura addere, religioni fuit.

(33) Æterni quoque Titulus Rom. Imperatoribus ab Ethnica adulatione, & assentatione datus. Prima Inventio, atque translatio SS. Abundii, & Abundantii Martyrum ex Codice Arianensi. *Post multos autem annos pace Ecclesiæ reddita imperante Domino nostro piissimo, & Æterno Augusto Othone Magno III. Imp.* Diocletiani literæ S. Georgii martyrio insertæ *Diocletianus Imperator semper Augustus, Æternus Imperator, &c.* Sozomenus aliàs laudatus Lib. IV. Cap. XII. παρόντος Κωνσταντίου τοῦ αἰωνίου μεγάλου αὐγούστου. *Præsente Constantio Æterno, Magno, Augusto.* Sic æternitatis non rara nostris in literis mentio, cùm de iisdem Augg. Sermo. Junior Plinius Lib. X. Epist. LXIII. *Archippus per salutem tuam, æternitatemque petiit.* Et Epist. LXXXVII. *Rogatus Domine, à Nicensibus publicè per ea, quæ mihi sunt, & debent esse Sanctissima, idest per æternitatem tuam, salutemque,* &c. Symmachus Lib. X. Epist. XVI. *Justum est igitur, ut æternitati vestræ pro solo honore, quem cœpi, gratias agam.* Epist. XIX. de Theodosio, & Arcadio Augg. *Sed ea jam quasi debita repetit, quæ æternitas vestra promisit.* Et Epist. XXI. *Hæc æternitas vestra venerabilis cùm Senatui statuenda mandaret, referri ad se protinus imperavit, ut placita cunctis immortali lege solidentur.* Sic apud eundem Lib. I. Epist. LXXXIX. æterni Principes occurrent. Julianus æternus Lib. IX. Epist. LXXX. & Imperatores ipsi dicent suam æternitatem adorari Lib. IV. C. Theod. de Fabris. Apud Ammianum etiam Lib. XV. in Actis Concil. Arelatensis I. Epist. Præf. Præt. legere erit. *Confestim à justitia declinavit ita intemperanter, ut æternitatem eam aliquoties assereret.* Eodem perennitas spectat iisdem Impp. attributa. Prosper Prædic. VII. medii temporis. *Æterna, quæ temporalis est, utique est nomen blasphemiæ, cùm mortales, licèt Reges, in ea dicantur Divi, eique supplices dicant, Numini vestro, Altaribus vestris, perennitati vestræ.* Sidonius Lib. I. Epist. V. *Cui filia perennis.* Symmachus Lib. X. Epist. XVI. *Quòd si pares animo vires Senatus habuisset, scires in publico amore perennitatis tuæ esse divitias.* Epist. XXXIII. *Cujus rei etiam vir illustris prædecessor meus Anthenius Bassus perennitati vestræ rationem dicitur intimare.* Et Epist. seq. *Credatur Præfecto, qui perennitatis vestræ ammonitus, edicto miratur,* &c. Sed satìs sit exemplorum.

(36) Respexisse videtur ad Symmachum suum, qui Lib. X. Epistola XXI. ait *Africanum, & Britannicum Duces statuis equestribus inter prisca nomina consecratos*, nisi quis fortè contendat Nomina potiùs, quàm Numina hic è Mussati calamo profluxisse, quod factum ab eodem Symmacho suspicatur Lectius Lib. eodem Epist. XVI. ubi scriptum ab illo censet. *Vestri Numinis erit communem causam tueri!* pro quibus in vulgatis erat. *Vestri Nominis*, &c. Pro Numinibus enim culti, & habiti Imperatores ab iis, quibus nondum divinæ lux affulserat veritatis. Idem Symmachus Epist. XVIII. Lib. X. *Dignum est igitur æternitate Numinis vestri, Celsum, genere, eruditione, voluntate laudabilem, adjudicare nobilibus pignore dignitatis, &c.* Item XX. XXI. XXVI. XXXI. XXXII. ejusdem Libri, & pæne omnibus paginis, quas non exscribo. Nam in Iscriptionibus id apparet vulgò, in quibus frequentes hæ Notæ. N. E. M. Q. D. Hoc est. *Numini ejus, Majestatique devoti.* Martialis Lib. Spectaculorum Epig. XVII.

Crede mihi, Numen sentit & ille tuum.

Extat etiam Theodosii, & Valentiniani Augg. edictum in hæc verba conceptum. *Ludis quoque simulacra proposita tantùm in animis concurrentium, mentisque secretis nostrum Numen, & laudes vigere demonstrent.* Nam in C. Theod. Lib. XV. Tit. IV. Lib. I. cum Dempstero, Nomen, potiùs lego, quàm Numen. Sequitur enim. *Excedens cultura hominum dignitatem superno Numini reservetur:* Sicuti è contra in Panegyrico ad Pisonem.

Nec sua Virgilio permisit nomina soli.

Numi-

Digitized by Google

Numina pro *Nomina* censeo reponendum: ut Numina denotent Augustum, cujus familiaritas felicitas erat Poetis.

(37) Longè secus Assentatores Ethnici, qui non Divinis; sed Augustorum ipsorum Auspiciis, Fortunæ, Fatis omnia tribuebant. De *Auspiciis*, Curtius Lib. V. *Novis initiis, & omnibus opus est; auspicium, & imperium alii trade*. Ammianus Marcell. Lib. XVI. *Quidquid per omnem terræ ambitum agebatur felicibus auspiciis ejus assignantes*. Ovidius Lib. I. de Arte amandi.

Auspiciis, animisque patris puer arma movebis,
Et vinces animis, auspiciisque patris.

Claudianus de IV. Honorii Consulatu.

------civile secundis.
Conficis auspiciis bellum.

Et Libro de bello Gildonico.

Illius auspiciis immensa per æquora miles,
Non plaustris, Arctove regor.

Svetonius in Augusto Cap. XXI. *Domuit autem partim auspiciis suis Cantabriam, Aquitaniam, Pannoniam, &c.*

De *Fortuna*, Mamertinus Panegyrico Maximiani Augusti. *Vestræ fortunæ, vestræ felicitatis est, Imperator, quòd jam milites vestri ad Oceanum pervenere victores*. L. Florus Lib. IV. Hist. Cap. VI. *Stabat pro partibus invicta fortuna, & Ultoris, & qui vindicabatur*. Claudianus de bello Gildonico.

Si mihi tempestas Lybiam, ventique negabunt,
Augusti fortuna dabit.

Corippus in Præfatione Operis

------cum milite tuto
Alternas gentes Domini fortuna negaret.

De *Fatis*, Claudianus III. Honorii Consulatu.

------pugnastis uterque,
Tu fatis Genitorque manu.

Sidonius Apollinaris Carm. V.

------certatum est jure magistri,
Augusti fato.

(38) Virtute, & rebus præclarè gestis, quæ locutio digna Pio Cæsare, Scriptore Pio, quales Henricus VII. & Mussatus, qui ad eandem ferè formam absolvit Epistolam XVI.

Nunc specto, tendoq; chelim, plectrumq; lyramque,
Si donante Deo virtus exegerit hujus
Regis, perpetuum nomen laturus in ævum.

Hæc in Prologum, quo quid eruditius, vel gravius fingi posse qui censet, malè planè censet,

Digitized by Google

ALBERTINI MUSSATI
DE GESTIS
HENRICI VII. CÆSARIS
LIBER PRIMUS.

RUBRICA (1) PRIMA.
Solum Natale. (2)

LUcemborc (3) Oppidum est (4) Francorum fines (5) à Germanis distin-
A guens (6), à telluris sterilitate (7) nomen accipiens. *Lucel* (8) quidem lingua Germanica pauper (9), vel parum (a) (10), &, *Borc*, Castrum appellant (11).

RU-

(a) S. parvum, *& ita Codex Ambrosianus.*

NOTÆ AD RUBRICAM PRIMAM.

(1) Secuti Venetum MS. melioris, & antiquioris notæ Rubricas aspernari noluimus, in quas ejus Codicis Libri omnes, ac singuli dividuntur. Longè quidem satius visum est, illas in marginem rejicere, (*nos autem Lectoris commodo consulentes, tituli loco adhibuimus*) quàm insertas Operi retinere ob eam caussam maximè, quam attulimus ad Epitomata, præfati ibi paucis in eos, qui Rubricas omnes è Mussati Libris, uti prophanum quippiam, amovendum suadere tum mihi, tum cæteris nitebantur. Ne quis autem miretur, virum Historicum ea voce usum in Operis sui partibus dividendis, cùm aliæ nunc in usu sint, de Rubrica, ejusque vocis usu multiplici, & vario semel hìc colligam à me lecta.

Rubrica terræ species est coloris rubri, à quo & nomen habet. Columella Lib. II. Cap. X. *Id, ut dixi, exilem amat terram, & Rubricam præcipuè.* Cato de Re Rust. Cap. XXXIV. *In creta, & uligine, & Rubrica, & agro, qui aquosus erit, semen adoreum potissimùm serito.* Tertullianus de habitu muliebri Cap. VIII. *Vilior est apud illos purpura, quàm Rubrica.* Græci terram hanc μίλτον *miltum*, vocant Glossæ Philox. Διὰ μίλτου ἐπιγραφή. *Rubrica. Tituli Rubrica picti.* Strabo Lib. XII. Σινωπικὴ
C μίλτος. *Rubrica Sinopica.* Dan. Barbarus Patriarcha Aquilegiensis ad M. Vitruvii Cap. VII. Lib. VII. *Rubrica autem terra est rubra, qua Pictores, & Fabri materiarii utuntur, Milton Græcè dicitur.* Jac. Pamelius ad supra laudatum Tertulliani locum de Habitu muliebri. *Rubrica, Milton significat (inquit Rhenanus) sive colorem rubrum.* Et Eustachius Homeri interpres scribit, apud Armenios quandoque rubentes nives conspici, quòd loca illa μιλτῷ, idest, *minio*, scateant.

Nascitur in locis plurimis; sed in paucis optima. Commendatur illa præ cæteris, quam Pontus, Sinops, Ægyptus, Insulæ Baleares, & Lemnos ferunt. Vitruvius loco antea memorato. *Item Rubricæ copiosæ multis locis eximuntur; sed optimæ paucis, uti Ponto, Sinope,*
D *& Ægypto: in Hispania Balearibus, non minùs etiam Lemno.* Strabo Lib. XII. Sinopicam, quæ cum Iberica de dignitate contendit, eoque appellatur nomine, quòd in quibusdam Cappadociæ speluncis effossa, purgataque deferatur Sinopem urbem, ac ibi vendatur, cæteris anteponit. Ejus verba sunt. Ἐν δὲ τῇ Καππαδοκίᾳ, γὰρ καὶ ἡ λεγομένη Σινωπικὴ μίλτος, ἀρίστη τῶν πασῶν ἐνάμιλλος δ' ἐστὶν αὐτῇ καὶ ἡ Ἰβηρικὴ ὠνομάσθη δὲ Σινωπικὴ, διότι καπήλειον ἐκεῖσε ἐώθασιν οἱ ἔμποροι, πρὶν ἢ τὸ τῶν Ἐφεσίων ἐμπόριον μέχρι τῶν ἐνθάδε ἀνθρώπων διήκεσαι. Quæ sic Isaacus vertit. *In Cappadocia nascitur etiam præstantissimum omnium minium, quòd & cum Hispanico certat. Cappadocium Sinopensis cognomento laudatur, quia Sinopem id solebant avehere mercatores, antequam Ephesiorum negotiatio usque ad hujus regionis homines prorogaretur.* Sentit id ipsum Dan. Barbarus ad Vitruvium suum. *Rubrica optima Sinopi inventa, & primùm in Ponto: Inde nomen à Sinope urbe. Nascitur & Ægypto, Balearibus, Aphrica; sed optima in Lemno, & in Cappadocia effossa è speluncis.* Quæ quidem hausit è Plinii fonte Lib. XXXV. Cap. VI. *Lemniam* cæteris præferentis, quam *Sphragidem* appellabant, quòd non nisi signata venundaretur.

Usus ejus varius olim, ac multiplex. Adhibuisse videntur initio Agricolarum Patres ad notandas arbores transferendas. Quamobrem inter cætera Columellæ præcepta, quæ Lib. II. traduntur, hoc etiam habes. *Omnes arbuscu-*
B *las, priusquam transferas, Rubrica notare convenit, ut, cùm serentur, easdem cœli partes aspiciant, quas etiam in seminariis conspexerunt.* Fabrorum inde venit in manus, ac tum primùm *Fabrilis* à nostris, πιχωνικὴ à Græcis dici meruit, Ægyptia præsertim, & Aphricana, quòd utraque maximè sorberetur. Pictores sanè obviis (quod ajunt) ulnis illam præ cæteris excepere. Lucupletissimus ea de re testis Lyricorum Lat. facilè Princeps Serm. II. apud quem *prælia rubrica, vel carbone picta* legere est: cui suffragatur Plinius Nat. Histor. Lib. XXXV. Cap. VI. *Usus ad penicillum, aut si lignum colorare libeat.* Et infra. *Picturis autem apta nascitur, & in ferrariis metallis.* Habuit & in Medicina locum, Emplastris maximè utilis, & Igni sacro, morborumque generibus aliis, quæ ab eodem inibi naturæ interprete recensentur.

Transiit hinc ad Librorum Inscriptiones, quas idcirco *Titulos* dictas voluit eruditissimus Maggius Lib. I. Miscellanearum, seu Var. Lectionum Cap. XIV. quòd non sinè ornamentis, & rubro colore fierent, ad similitudinem videlicet *Tutuli*, ornamenti capitis Flaminicarum, quod ex Festo Lib. XVII. in altitudinem extructum, vitta quoque purpurea crinibus innexa constabat; secus atque Marinus Becichemus Scodrensis sensit, qui Lib. I. Epistolicarum Quæstionum Cent. I. Cap. XLIX. Inscriptiones Librorum Titulos quidem à Veteribus dictas, quasi *Tutulos*, scriptum reliquit: atqui non ob similitudinem, quam haberent cum Tutulis Flaminicarum; sed quia factum, nomen, & memoriam tuerentur auctoris, ex Varrone, qui Lib. VI. de L. L. ornamentum illud capitis Flaminicarum Tutulum vocatum censet, sive ab eo, *quòd tuendi caussa capilli fiebat*; sive, *quòd altissimum in Urbe, quod est Arx, ea res tutissima Tutulus diceretur*: Et Festo Lib. XVIII. ubi Titulos, ipsos quoque Milites vocatos asserit, quasi Tutuli essent, dum patriam tuerentur. Ut, ut sit, Lectori liberum esse volumus, cui libuerit, assentiri. Ego Maggium hoc loco sequor nobis adstipulantem, dum Tituli nomen Librorum Inscriptionibus attributum docet, eo, quòd fuerint ex colore rubro, qui proprius est Rubricæ. Ob id enim Inscriptiones etiam ipsæ Rubricæ dictæ. Divinus Scaliger Lib. III. Poetices Cap. XXVI. quod est de Inscriptione. *Indicem Elenchum nudum Latini vocant. Nam is, qui sententias comprehendit, sanè idem est, quod Argumentum. Rubricam verò à colore Barbari.*

Juris

Digitized by Google

Juris sanè Consulti Vett. sic Rubricam adamarunt, ut juris ferè sui fecerint, non tam in Librorum suorum titulis exornandis, quàm in ipsis quoque Legum suarum capitibus inchoandis, uti Pet. Gregorius Tholosanus in Præludiis Opt. Jurisconsulti Lib. II. Cap. XXIII. N. II. Rainaldus Corsus Lib. II. Indagationum Juris Cap. II. Hieronymus Maggius in Variis, & alii complures tradunt. Nec aliis, quàm hisce de Titulis capiendus Sidonius Lib. VIII. Epist. VI. cùm inquit. *Per ipsum ferè tempus, ut decemviraliter loquar, Lex de præscriptione tricennii erat perquirata, cujus peremptoriis abolita rubricis lis omnis in sextum tracta quinquennium terminabatur*. Ubi doctissimus Savaro. *Rubricis, idest, Titulis, qui rubrica miniabantur*. Capitur etiam *Rubrica* pro *Titulo* in Confessione fidei, quam Henricus VII. Imp. Romæ cùm inauguraretur, professus est, produxitque nuper in lucem Bzovius ex MS. Vaticano ad Annum reparatæ salutis MCCCXII. *Hanc itaque nostræ Serenitatis Constitutionem in corpore juris sub debita Rubrica volumus inseri, & mandamus*. Et L. 2. §. Recuperandæ .ff. de Interdict. uti Brissonius Lib. XII. Lexici Juris, & alii alibi penitiùs observarunt.

De Capitibus verò Legum Rubrica describi solitis a Jurisconsultis loquitur apertè Juvenalis Sat. XIV. cùm inquit.

-------- perlege rubras
Majorum Leges.

Imò alii quicumque Rubricam pro Legibus usurparunt. Quintilianus Lib. XII. Cap. III. *Quorum alii se ad album, ac rubricas transtulerunt, & Formularii, ac (ut Cicero ait) Legulei esse maluerunt*. Persius Sat. V. loquens de Masurio Sabino celebri J. C. tempore Tiberii, cujus & crebra mentio apud Gellium, Athæneum, & in Digestis.

Vindicta postquam meus à Prætore recessi,
Cur mihi non liceat, jussit quodcumque voluntas,
Excepto, si quid Masuri rubrica vetavit.

Rubrica enim eò loci pro initio scriptæ legis rubricatæ posita est per Metonymiam materiæ: imò pro tota cœpta, & subjecta Lege, etiam ea parte, quæ atramento signata est, proque titulo universo per Synecdochen partis. Occurrunt hìc Isonis Magistri Glossæ veteres ad illa Prudentii Lib. II. contra Symmachum:

Quæ qui constituunt, dicant cur condita Lex sit
Bis sex in tabulis, aut cur rubrica minetur,
Quæ probibet peccare reos, quos ferrea fata
Cogunt, ad facinus & inevitabile mergunt?

Rubrica nomen Legis. Lex. Linea Cæmentariorum, quibus aspiciunt, an sit recta ipsa maceries, an non: sed pro Lege ponitur, aut judicio.

Quamquam, meam ut *de Linea* sententiam feram, *rubricatam* eam libentiùs dixerim, quàm *Rubricam*, rubrica nimirum tectam, quo sensu D. quoque Hieronymus in Exodum *pelles* arietum *rubricatas* dixit. Linea siquidem, sive amussis (uti nos docet Nonnius in Verbo *Examussim*) regula est Fabrorum, quam Architecti, cùm opus probant, rubrica illinunt, licèt Persius Sat. I. Ver. LXXX. eam ipsam regulam Rubricam vocet.

Non secus, ac si oculo Rubricam dirigat uno.

Cujus auctoritate tueri se potest Iso, contra sentiente Cornuto.

At ne nos nostram extra lineam aberremus, non malè pro Lege Rubricam accipi, novit etiam Hericus Altisiodorensis Monachus sui seculi non indoctus, cùm Lib. I. scripsit.

Servabat teneros custodia pervigil annos,
Et casti comites, & opis rubrica magistræ
Adposita, & curvos afformans regula mores:
Et pressus ratione animi, vincique laborans,
Ac præceptoris ducens sub pollice vultum
Signabat trepidas, & adhuc rationis egentes,
Consiliique inopes prætexta aptissima mentes.

Quamvis enim ibi prima fronte videatur eruditus Scriptor *Rubricam* pro virgea suppellectili Ansoniana institutioni puerili necessaria dixisse; potiùs tamen est, ut ibi cum Eruditissimo Gasp. Barthio Lib. XIV. Adversariorum Cap. IV. per *Rubricam* præscriptum ordinem, & institutionis magisterium capiendum putem: ut quemadmodum ad titulum tractanda sunt argumenta propositum: sic & vita ad institutionis regulam dirigenda sit, allusione ad auctoritatem Legis, cujus nota sit Rubrica pro Lege poni solita, quòd illa signentur Leges. Quòd si causam quærat hic Lector, ob quam Legum Tituli Rubrica maximè pingerentur. Prima fuit, ut iis plus inde decoris, & venustatis accederet. Suggerit eam Plinius Libro, & Capite nuperrimè laudatis: *Hacque usi sunt Veteres ad splendorem*. Quam ob caussam etiam hodie, præsertim in Libris, & Codicibus Ecclesiarum, per totum rubricatorum Characterum frequens est numerus, more ducto è Fastis publicis Romanorum, quos purpureos honoris ergo fuisse lego. Martialis Lib. XII. Epig. XXV.

Sed tu purpureis ut des nova nomina fastis.

Sidonius Lib. VIII. Epist. VI. *Licèt tu deductum nomen à trabeis, atque eboratas curules, & gestatorias bratteatas, & Fastos recolas purpurissatos*. Monumenta enim publica Encausto insigniri solita, & ob id Encausteria dicta Lib. IX. C. de Agricol. Cens. & Colon. Ovidius etiam huc aciem mentis intendit, & stylum Fastorum III. cùm *pictos Fastos* dixit, quia scilicet *miniati*. Alias *purpurei Fasti* dicti, quia membrana purpurea involuti Librorum aliorum exemplo, quos ornatos præ cæteris exoptabant. Tibullus Lib. III. Eleg. I.

Lutea sed niveum involvat membrana libellum.

Ovidius Lib. I. Tristium Eleg. I.

Nec te purpureo velent vaccinia succo.

Ita Fasti purpurei, quia membrana extrorsum purpurea tecti. Interior enim ejusdem membranæ facies candida erat, eoque respiciens Persius Sat. III. unam & eandem membranam bicolorem indigetavit, nempe quia pars ejus crocea, pars glutina, ut Cornutus scribit. Nec aliam ob caussam monumenta illa publica, quæ Encausteria vocata fuisse proximè notabamus, quòd insigniri solerent Encausto, *Prætextæ*, alio nomine dicebantur, quàm quòd eorum membranæ ita res à Romanis gestas complecterentur, ut purpureæ parte una essent, altera verò candidæ, & pexæ, ut in iis commodè scribi posset. Qua de re legendus Isidorus Lib. VI. Cap. X. Lepidissimique Scriptorum Martialis Lib. V. Epig. VI.

Quæ cedro decorata, purpuraque
Nigris pagina crevit umbilicis.

Et Lucianus ad Imperitum. Βιβλίον πάγκαλον πορφυρᾶν μὲν ἔχον τὴν δίφθερα, χρυσοῦν δὲ τὸν ὄμφαλον. *Libellus omnino pulcher, purpurea membrana, aureo umbilico*. Purpureus enimverò color verè splendidus, & ad splendorem rerum aliarum factus. Ea re Donatus ad illa Tribellii Pollionis in Claudio II. *Tunicas russas militares annuas*. Et illa Vopisci in Aureliano. *Tunicas ducales quattuor*. Ait, hujuscemodi tunicis tum Duces, tum Milites usos non tam, ne sanguis è vulneribus in bello fortè diffluens, nec vestis colorem mutans, eos deterreret, vel hostibus vires, & ferociam adderet, quàm honoris caussa, ob quem ejusdem coloris vestes à Persis etiam Regibus adhibitas testantur in Artaxerse Plutarchus, & Xenophon Libro Cyri-pædiæ VI. Faberius quoque scriba, cùm in Aventino voluisset habere domum eleganter expolitam, parietes induxit minio. Nondum enim) quod postea factum Vitruvius docet Lib. VII.) passim parietes expolitione miniacia poliebantur. Et Caligula, ut in dandis Circensibus cæteros Romanos Principes anteiret, eorum certè prodigentiam vinceret, à quibus, auctore Plinio Lib. XXXVI. arenæ loco rasura lapidis albi stratus fuerat Circus Maximus, eundem contexit Minio, & Chrysocolla. Svetonius in eo Cap. XVIII. *Edidit & Circenses plurimos à mane usque ad vesperam, interjecta modò Africana venatione, modò Trojæ decursione: quosdam autem præcipuos Minio, & Chrysocolla constrato Circo, nec ullis, nisi ex Senatorio Ordine aurigantibus*. Minium enim (ut Plinius habet,) apud Romanos inter maximæ authoritatis pigmenta semper extitit, quippe quo non ipsa solùm Triumphantum corpora; sed & Jovis ipsius faciem illinire solerent: *Invenitur enim* (Plinii verba sunt Lib. XXXIII. Cap. VII.) *& in argentariis metallis minium quoque, & nunc inter pigmenta magnæ authoritatis, & quondam apud Romanos non solùm maximæ; sed etiam sacræ. Enumerat Autores Verrius, quibus credere sit necesse, Jovis ipsius simulacri faciem diebus festis minio illiniri solitam, Triumphantumque corpora: sic Camillum triumphasse. Hac religione etiam nunc addi in unguenta cœnæ triumphalis, & à Censoribus in primis Jovem miniandum locari. Cujus*

Digitized by Google

jus rei quidem causam miror, quamquam & hodie id expeti constat Æthiopum populis, totosque eo tingi Proceres, buncque ibi Deorum simulacris colorem esse. Æthiopes enim re ipsa (quod Herodotus quoque tradit Lib. VIII.) ituri ad bellum corpora minio inficiunt, eandem fortè ob caussam, ob quam Romani Duces, & Milites russis usi tunicis, ut dicebamus, ne scilicet sanguinem vulneribus effluentem agnoscerent, minusque ideo terrerentur. Erat & Minium Deorum apud eosdem color, præterque Jovem, *Deos* etiam alios *Minianos* recenset Varro, quorum videlicet simulacra, antiqua consuetudine, minio pingerentur. Spectant huc illa Parentis, & Principis Poetarum Ecloga X.

Pan Deus Arcadiæ venit, quem vidimus ipsi
Sanguineis ebuli baccis, minioque rubentem.

Ad quæ Servius adnotavit, Triumphantes solitos olim oblinire se Rubrica, & ita Camillum fecisse, quod nos ante docuerat Plinius supra laudatis verbis, quibus habet affinia Lib. XXXV. Cap. XII. de Jove præcipuè Miniano, fictili, scilicet, & ideo solito miniari: *Hæ enim* (ut idem ibidem addit) *tum effigies Deum erant laudatissimæ.* Sic apud Pausaniam in Achaicis Bacchi simulacrum occurrit intinctum, fucatumque ὑπὸ κιννα βάρεως: *Minio*, sive *Cinnabari*. Allucet his Arnobii fax Lib. VI. Numerans enim illic Arnobius formas varias, & simulacra Deorum, sic ait: *Inter Deos videmus Leones torvissima facie mero oblita minio.* Inde lux clarissima tenebris Tullianis Epist. XVI. Lib. IX. ad Papyrium Pætum. *Volo enim videre animum, qui mibi audeat ista, quæ scribis, apponere, aut etiam Polypum Miniani Jovis similem.* Respexit enim sinè dubio festiviter, ac signatè Tullius ad solennem Romanis Jovis miniandi morem, aitque se vel tenui cœna contentum fore; velle tamen eam animi magnitudinem experiri in Papyrio, quæ sibi audeat vel Polypum apponere rubentem non sua sponte (neque enim is suapte natura ruber est) sed ex tinctura juris, ut Manutio placet: seu potiùs ex coctura, uti oculatior censuit Beroaldus ad Cap. XVIII. Svetonii in Caligula, & ob id similem Miniano Jovi, rubentem scilicet, ad instar ejus simulacri rubentis ex illitu minii, tum, cùm à Censoribus locatus fuerat miniandus. Id ipsum de simulacris aliis veterum disertissimè Plutarchus ἐν ἑῳῳ. nec ad aliam rem allusit Varro in Satyra, *Tanaquile*, cùm inquit. *Mibi facies Mæandrata, & vermiculata.* Personæ siquidem etiam, quandoque ψιμυθίῳ, *fucato colore, & Minio*, quasi *ceroto sanguineo* linebantur, uti loquitur Arnobius Lib. VI.

Sed è diverticulo in viam redeo regiam, & orsam pertexo telam. Purpurei coloris splendor, ac dignitas præcipua causa fuit, cur Juris Consulti veteres Legum suarum Capita rubricatis literis efformarent: Imò ut Imperatores ipsi Constantinopolitani eodem uterentur in nomine suo diplomatis subscribendo. Neque enim audiendi sunt ii, qui non puram Rubricam, seu Milton ab iis adhibitum censent: sed eam ceram, quæ T. Pomponio Attico *Cera miniatula* est, quamque Tullius Epistola ad eundem Nona Lib. XV. & Sexta Lib. XVI. extimescere se ait: Vitruvio verò Cap. III. Lib. IX. *Cera ex milto, seu Rubrica.* Nam, ut concesserimus lubentes libentesque aliquam Ceram miniatam in usu Veteribus fuisse, illud certè fatebimur nunquam, ea Veteres ad scribendum, & subscribendum usos, cùm signationi tantùm idonea putaretur. Testis nobis est locuples idem Vitruvius, idem, inquam, Achilles ille sententiæ tam inanis. Ejus enim illa sunt in supra laudato loco: *Admiror etiam Democriti de rerum Natura volumina, & ejus Commentarium, quod inscribitur* κηροτακτῶν, *in quo etiam utebatur annulo signans cera ex milto, quæ esset expertus.* Itaque Nicetas Lib. VII. Imperatoris Constantinopolitani Epistolam *non miniatulas ceras; sed rubricatas literas* appellavit, cùm scripsit, Sultanum Persiæ Regem Imperatori Constantinopolitano inanes magnorum pollicitationes, quæ rubricatis quidem literis inscriberentur: sed exigua præberentur, objecisse. Nec alium ejus ceræ usum agnovit Tullius, si verba illius seriò perpendantur, in Epistolis antea nominatis. Ait enim Epist. IX. Lib. XV. *His literis scriptis, me ad syntaxes dedi, quæ quidem vereor, ne miniatula cera tua pluribus locis notandæ sint, ita sum meteoros, & magnis cogitationibus impeditus.* Epistola verò VI. Lib. XVI. *Cerulas enim tuas miniatulas illas extimescebam.* Ex quibus, qui non videt, nullam aliam, præterquam notandi corrigenda loca facultatem inesse miniatulæ ceræ apud Oratorem Maximum, nihil planè videt. Scio contra sentientes, quorum in numero est Isaacus Comment. in Satyras Persii, duobus gravissimorum Virorum testimoniis, quasi sacris anchoris, niti, Achillis nimirum Statii Lusitani in Aratum Capite de Circulis, & Hesychii; sed inde colligi nequaquam posse Veteres usos esse miniata cera in καλλιγραφίᾳ ante nos gravissimè ostendit Theodorus Marsilius suis in Commentariis ad eundem Persii locum, quem adeat licet harum artium studiosus, & mecum in ejus sententiam eat cum Turnebo Lib. IV. Adverf. Cap. V. Jac. Pontano in Elegiam I. Lib. I. Ovidii de Tristibus, aliisque permultis, queis esse corculis datum.

At erit, qui mihi hic aurem vellat, & admoneat suggerente Guido Pancirolo J. C. Lib. I. Rer. Mem. deperditarum Cap. de Encausto, Imperatores non adhibuisse Rubricam Privilegiis suis, Diplomatis, vel Literis subscribendis: sed atramenti genus quoddam ex purpura, quod Encaustum propriè dicebatur. Assentior Eruditissimo Viro ea in parte, qua usos Encausto Imperatores docet: at ubi non alio, quàm hujus atramenti genere, in alia prorsus omnia cum aliis eo.

Sed enim alias quoque caussas habuere primi Jurisperitarum Mystæ, ob quas Legum suarum Capita Rubricis insignita vellent. Duas in primis reperio, quas subnecto, *Metum*, & *Distinctionem*. De prima, propria, & peculiari ipsarum Legum, facilis est conjectura, quæ etiam Doctissimo Adriano Turnebo venit in mentem in Adversariis: quia scilicet ita descriptæ Legum frontes primo intuitu sanguineum quiddam, ac cruentum fortassis etiam minitari quodammodo viderentur. Quo sensu scitè à Prudentio scriptum.

-------- aut cur Rubrica minetur,
Quæ prohibet peccare reos?

Quod ne quis existimet in minacibus tantùm, & crimina vindicantibus Legibus factum, ut aliqui censuere magni nominis, & eruditionis spectatæ Viri, in aliis quoque Legibus præstitum credendum est, observatore Turnebo. Nec omittendum, quòd cùm Athenis Areopagus, & cætera Tribunalia litera quæque peculiari signata forent, literas illas ob metum fortasse reis incutiendum rufa tinctura fuisse notatas, ut videre est apud Comici Scholiastem in Pluto, ubi hæc legas. Καὶ πρὸ θυρῶν δὲ ἑκάστου δικαστηρίου ἐγέγραπτο πυῤῥῷ βάμματι τὸ στοιχεῖον ᾧ τινὶ τὸ δικαστήριον ὠνομάζετο. *Et ante fores uniuscujusque Tribunalis tinctura rufa scripta erat litera sua, à qua nomen accipiebat.*

Venio ad *Distinctionem*, caussam alteram, & postremam, quæque Legum ipsis Capitibus æquè, ac earundem titulis communis erat. Nec auferit quis id, arbitror, inficias ire, cùm vel in ipsos oculos incurrat. Apertissimè Hen. Salmuth in Notis ad Lib. I. Rerum Mem. deperditarum G. Panciroli J. C. & penitioris omnis antiquitatis uberrimi promicondi, eo in Capite, quod est de Characteribus literarum. *Veteres Titulorum Inscriptiones, vel Capita legum minio, vel alio colore rubro (quem Phœniceum nominat Antonius Thylesius Lib. de Color. Cap. XIII.) distinctionis facilioris caussa, qua memoria commodè juvatur, & inveniendi, quæ annotavimus præbetur facultas, consignare solebant.* Minium autem à Rubrica nil differre suadet Servius in X. Eclogam Virgilii, cùm inquit. *Faciem quoque Jovis de Rubrica illinunt instar coloris ætherei. Minium enim Rubrica est.* Hinc Venantio Honorio Fortunato lumen Lib. IX. Carm. VII. ad Gregorium Episcopum, & nostræ sententiæ pondus ab ejus pererudito Interprete Christophoro Brovvero. Ait Venantius.

Disputans multùm variante milto,
Quæque sunt rythmis vel amica metris
Sapphicum quantum tua me arva adornent.
Dulcis Epodus.

Locus, si quis alius, cimmeriis tenebris involutus. Itaque ad illa, *variante milto*, Glossæ Trevirensis exempl. *Habitus, vel amictus*

Digitized by Google

eo genere. Abstrusa enim milti vox, fortè à colore rubro nomen id vestibus attributum. μίλτος enim Græcis est, quod nobis Minium, & Rubrica, teste Plinio Lib. XXXIII. Sed eas tenebras disjecit Brovverus, & intercedens hujuscemodi Glossæ nostræ sententiæ calculum adjecit. Miltum enim ibi pro Rubrica potiùs, quàm habitu, vel amictu accipiendum putans, hæc habet. *Putem miltum hic pro Rubrica potiùs accipi, quæ in scripturis nota discriminis.* En ut ipsa meridiana luce clariùs Brovverus aperit *distinctionis* ergo Rubricam in Librorum Coloniam suis è finibus commigrasse. Quamquam non his contenta terminis latiùs etiam se diffudit. Non enim soli Librorum, Legumque tituli rubro colore scripti; sed etiam Sepulchrorum. Plinius enim Lib. XXXIII. Nat. Hist. Cap. VII. ait, *Minium in voluminum scriptura usurpatum, clarioresque literas vel in auro, vel in marmore, vel etiam in sepulchris fecisse.*

Verùm enim verò antequam hisce caput Lectoribus obtundere desinam, unum illud etiam moneri se patiantur velim, quod loco Fabii supra commonstrato facem accendet, Jurisconsultos veteres longè secus ac nostros, qui ob miniata capita sui juris, rubricas in ore habent in quocumque jure tam publico, quàm privato, in publico tantùm, legitimoque jure Rubricas posuisse, cujus ergo privatum vocabant *Album*. Ob id Fabius sic loquutus. *Quorum alii se ad Album, & Rubricas transtulerunt, & Formularii, ac (ut Cicero ait) Legulei esse maluerunt: Albi* voce sumpta pro Prætorio jure; *Rubricæ* verò pro Civili, quod XII. Tabb. continebatur: quemadmodum & *Formularios* ad Formulas Prætorias retulit; *Legulejos* ad Leges XII. Tabularum.

Hæc sunt, quæ mihi de Legum Epigraphis, & Capitibus Rubrica notari solitis primus hic Mussati Titulus redegit in mentem. Cæterùm, ne quis Historicum suæ memoriæ facilè principem in jus vocet, quòd usus sit aliena voce, maximèque propria Jurisconsultorum, in proclivi est illum non modò ab omni culpa; sed etiam ab ejus omni suspicione liberare. Non enim Legum tantùm Tituli, vel exordia Rubrica notabantur olim, ac ea tempestate potissimùm, qua Mortales inter Mussatus egit; sed Inscriptiones propemodum omnes Librorum omnium, idque *distinctionis* præcipuè *gratia, vel ornatus*. Hinc Ovidius de suis carminibus verè cecinit Lib. I. Trist. Eleg. I.

Nec titulus minio, nec cedro charta notetur.

Et Martialis de iisdem Lib. III. Epig. II.

Et croco rubeat superbus index.

Uti Sidonius de suis Epistolis eruditè Lib. VII. Epist. XII. *Si amicitiæ nostræ potiùs, affinitatisque quàm personæ tuæ tempus, ordinem, statum cogitaremus, jure vobis in hoc Opere primæ titulorum Rubricæ, prima sermonum officia dedicarentur.* Quibuscum paria facit Terentianus. *Instar tituli fulgidula notabo minio.* Et G. Pancirolus Lib. I. Rer. Memorab. deperditarum Cap. de Charact. literarum. *Solebant enim Inscriptionem, & Titulum Operis minio illustrare. Unde Minicularii* Lib. III. de Indul. debitorum L. II. Cod. Theod. qui Titulos fiscales Libris illinebant. Et *Miniatores* vulgò à minio, quorum caussa factum, ut antiquorum Libri non pauci ad nostram ætatem vel absque titulis, vel cum spuriis inscriptionibus pervenirent, dum, qui Libros describendos acceperant, Miniatoribus istis spatium conficiendi tituli relinquere de more solerent: illi verò non semper relictæ sibi provinciæ partes explerent. Quid multis? Ita D. Augustinus Librorum de Civitate Dei, aliique ejusdem ætatis Scriptores minimè contemnendi Operum suorum Titulos rubricatis characteribus exornarunt, qui dici Rubricæ postea meruerunt. Ita Mussatus horum vestigia persecutus, Rubricæ nomen adhibere maluit, quàm Tituli, sive Capitis, sive dictionis alterius his affinis. Quæ fusiùs explicasse libuit, ne delicati cujuspiam aures offenderet Rubricæ vox hac tempestate, qua penè videtur apud Scriptores cæteros, præterquam apud Jur. C. in desuetudinem abiisse. Res enim olim aliter se habebant, & Jurisconsultorum opes in Rubricis sitæ aliis quoque Scriptoribus communes erant.

Hinc duo πάρεργον observo, & ex hac Nota statim, quasi de tabula, manum tollo. Unum est, Rubricæ vocem adeò familiarem Historicorum aliquibus extitisse, ut non tam ipsi Librorum suorum titulos ea nominatos vellent; sed in aliorum quoque Scriptorum Epigraphis laudandis, vocem non aliam usurparent, licèt ea vox illis, ne per somnium quidem venisset in mentem. Factum id à Gulielmo Ongarellio Historico necdum edito Patavino, nec uno in loco. Laudans enim is Epigrammata Martialis suis in historicis monumentis, ubi de Timavo loquitur, in hanc sententiam disserit. *Timavus Euganeus, quòd hic in Euganeis, alii alibi, ut Lib. XIII. sub Rubrica quadam, quæ incipit, Lupus à docto Poeta Martiali testatum est.* Et infra, ubi de T. Livii natali solo. *Et licèt Tituli* (vulgò *Teolo*) *natum credant, & ob id vocatum Titum; falsum id tamen, cùm Martialis Vates in Rubrica nescio qua Libri I. Scriptorum veterum patrias terras enumerans, apertè de Livio sic loquatur.*

Censetur Apona Livio suo tellus.

Et alibi, quoties eundem Vatem rerum suarum testem producit, præcipuè iis in Capitibus, in quibus de L. Stella, & Val. Flacco Poetis Patavinis, & de Lanis regionis ejusdem verba facit, aliisque permultis. Alterum est, non tam Rubricæ vocem Jurisperitis, & Historicis ævo illo prisco fuisse communem; sed etiam Paragraphos ipsos (ut vocant) ab utrisque pro rerum Capitibus, & Titulis usurpatos, hac nota §. De Jurisperitis notissima res, cùm morem hunc mordicus adhuc retineant: de Historicis testem habeo luculentum Rolandinum Historicum Patavinum semisæculo tantùm Mussato antiquiorem, quem defæcatum, & notis eruditissimis illustratum Orbi propediem exhibebunt Clarissimi Abbatis Albertini Barisonis divina ingenii vis, & calamus immortalis. Sic enim ille Lib. VI. Cap. XIII. Chronicorum, sive Memorialis temporum de factis in Marchia, & prope Marchiam Tarvisinam ad Annum MCCLIV. *Puto, quòd Eccelinus usque ab illo tempore, quo ipsum Gulielmum in Castro Fontis* (alibi *Fortis*) *ceperat infantem, & jacentem in cunis, ut supra legitur in IX. Cap. II. Lib.* §. *Sic igitur contribulatus, &c.* Infra. *Et sic per experientiam scire debuit Gulielmus, quid illud somnium portendebat, cùm vidit in visione Patruum suum D. Rugerium, & alios lamentantes, ut supra legitur in XVI. Cap. Quinti Libri* §. *Audiens, &c.* Capite verò XVI. ejusdem Libri, *Propter vindictas quasdam, quas Paduani fecerant quondam dignè per terras ejus* (Eccelini) *ut supra legitur in III. Cap. IV. Libri* §. *Sequentes, &c.* Et Lib. VII. Cap IX. *Nam Ulertus filius olim viri nobilis Ugonis à Vado Paduani Civis, qui consumptus fame fuerat in Castro Cornutæ, ut supra dictum est in II. Cap. IV. Lib.* §. *Adveniente, &c.* Et alibi, ne videar omnia Rolandini scrinia compilare. *Osius.*

(a) Patria, in qua quis natus est, Πάτρις. Anonymus Cœnobii S. Justinæ Pat. Monachus Mussati coævus, qui tribus complexus est libris res suis temporibus gestas in Insubribus, & Euganeis in calce Lib. II. ubi de sociis Com. S. Bonifacii. *At illi post longum exilium Natalis dulcedine soli perfrui cupientes ad dilectam Civitatem lætanter, & pacificè redierunt.* Fridericus Taubmannus Lib. IV. Epig. ad Godeschalcũ Buntingũ Brunsvicensem.

Vere novo Natale solum, Buntinge, remigras,
Ingenii partas explicaturus opes.

Conradus Vecerius in Præfatione Libelli de rebus gestis Henrici VII. Imp. *Tum necessitudo Patriæ me vel maximè impulit, non ea quidem, ut Principis nostri facta plus æquo prædicarem: sed quæ apud varias sparsim gentes, & barbaris linguis, & per partes legi compereram, in corpus Libri cujuspiam Latini possem redigere, omni interim soli Natalis affectione seposita.* Quibus facem Cassiodorus, Ovidius, & Seneca Tragicus prætulere. Primus Lib. I. Epist. VIII. *De cujus Natalis sibi soli vel jucunditate, vel commodo quid etiam ipse sentires, dum migras, indicasti.* Alter Lib. I. de Ponto Eleg. IV.

Nescio qua Natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.

Quo Dysticho nihil frequentiùs occurrit, cùm de

de amore Patriæ sermo est. Tertius in Medeæ Choro II.

------ nisi quas tulerat
Natale solum, non norat opes.

Hinc exulem, quasi extra solum, sedem nempe patriam ejectum dicimus, & solum ab iis verti, qui Patria relicta aliò migrant, sive exilii causa, sive ob æs alienum. Antiqui enim vertendo solo Legum pœnas vitare poterant, ut ex Livio non uno in loco, & Ciceronis Orationibus liquet, ac præsertim ea, quam habuit pro Cæcinna; *Exilium non supplicium est; sed perfugium, portusque supplicii. Nam qui volunt pœnam aliquam subterfugere, aut calamitatem, eò solum vertunt, hoc est sedem, ac locum mutant. Itaque nulla in Lege nostra reperietur, nec apud cæteras Civitates maleficium ullum exilio esse mulctatum: sed cùm homines vincula, neces, ignominiasque vitant, quæ sunt legibus constitutæ, confugiunt, quasi ad aram, in exilium. Qui si in Civitate Legis vim subire vellent, non priùs Civitatem, quàm vitam amitterent: quia nolunt, non adimitur iis Civitas; sed ab iis relinquitur, atque deponitur.* Hactenus Cicero: At Livius Lib. VI. Belli Macedonici, ubi de C. Fulvio perduellionis reo: *Priusquam*, inquit, *dies Comitiorum aderat C. Fulvius exulatum Tarquinios abiit: id ei justum exilium esse Plebs scivit.* Sed hæc alias uberiùs, & opportuniùs, ne extra oleas, quod ajunt. Illud ad rem magis, Patriam non una *Natalis soli* formula circumscriptam fuisse Scriptoribus optimis, & probatis. *Solum* enim *patrium* Sidonio dicta Lib. IV. Epist. X. & Lib. IX. Epist. III. *Genitale* Paulo VVarnefrido, vulgò Paulo Diacono, de Gestis Longobardorum Lib. I. Cap. III. *Nostrum* Gulielmo Cortusio in Oratione Paduanorum ad S. Justinam capto Montesilice ab Eccelino Tyranno: *Et solo nostro cogitat Civitatem invadere fraudolenter*, Cui adversatur, *alienum Solum*, apud Symmachum Lib. III. Epist. LV. Respondent autem ex diametro illa Senecæ.

---- Me mea tellus
Lare secreto, tutoque tegat.

Humum quoque patriam Ovidius dixit III. Trist. Eleg. III. *Natalem* II. de Ponto Eleg. IX. *Solitam* I. Trist. Eleg. II. *Natalem Locum* Donatus in Phormionem Terentii Act. I. Sc. II. *Lar patrium* Symmachus Lib. III. Epist. XXV. & Lib. V. Epist. LXXIV. *Proprium* Idem Lib. IV. Epist. XXIII. & Cassiodorus Lib. VI. in forma Consulum, quamquam *Lar proprium*, Domum potiùs, quàm Patriam notet, de cujus circumscriptionibus satis. *Osius*,

(3) Reposuissem pro *Lucemborc* calamo non suspenso *Lucelborc*, sive *Lucelborg* cum respectu ad Etymon, quod statim Mussatus affert, ut in marginalibus Scholiis adnotabam, nisi vidissem variatum fuisse mirum in modum in nominando hoc olim Oppido, & Comitatu (nam hodie Urbs, & Ducatus est, ut aperiemus infra) non modò à Nostris, verùm etiam ab Exteris, & Germanis. Trithemius enim in Chronico Monasterii Hirsaugiensis ad Annum MCCXCIX. & eum sequti F. Johan. SchecKmannus in Medulla gestorum Trevirensium Cap. IX. VVilhelmus Kyriander in Urbis Trevirensis Annalibus, sive Commentariis historicis Parte XIV. ad Annum MCCCVIII. VVernerus RolevvinK in Fasciculo temporum Ætate Sexta. Auctor tumuli Balduvini Trevirensis Antistitis, & fratris Henrici VII. quem affert Marquardus Freherus in Notis ad Lupoldum de Bebenburg. Petrus Montanus ad Tabulas XVII. Provinciarum inferioris Germaniæ à Petro Kaerio delineatas. Lamberus Vanderburchius in Historia Ducum, & Principum Sabaudorum ad An. MCCCCLXXXVII. ubi de Maria Lutzenburgica. Anonymus Canonicus Regularis Ordinis S. Augustini prope Nussiam auctor, seu potiùs collector magni Chronici Belgici, quod ex Bibliotheca sua prodire jussit in lucem Joannes Pistorius ad Annum MCCCVIII. in Imperialibus, Gallicus Angianus, & alii complures *Lutzenburg* eam regionem vocant. Leviter ab his abiit; sed male Calvisius, cùm illam *Lutzerburg* appellare maluit, nec non ii, quibus *Lutzemborg* in ore, & calamo fuit, quos inter occurrit Benevenutus de Rambaldis in Augustali. Alfonsus Ciaconius in Clemente V. Abrahamus Bzovius Annalium Ecclesiasticorum Tomo XIV. ad Annum MCCCI. aut *Lutzelburg*, quorum in numero extitere Joannes Baptista Pigna Lib. IV. Historiæ de Principibus Athestinis (quamquam alicubi apud eundem *Lucelburg* appareat) Petrus Appianus, Albertus Argentinensis, Æneas Sylvius Hist. Bohemicæ Cap. XXXI. Albertus Krantzius Saxoniæ Lib. IX. & alii, quos otii nostri non est hodie singulos percensere.

Nullis horum vestigiis insistens Jo. Gerbrandus à Leydis Lib. XIV. Chronici Belgici Cap. XXI. *Luzenburg*. Libro verò XXVII. Cap. VIII. *Luxenburg* usurpasset suo quasi jure, nisi foret à Martino quoque Polono factum. Adhæsit his Jo. à CoKier in Commentariis Cancellariæ Romanæ pag. 465. Lambertus Vanderburchius in stemmate Amadei IV. Sabaudiæ Comitis, ubi meminit Mariæ Brabantæ sororis Margaretæ Augustæ, quæ Henrico VII. Imperatori Luxeburgensi nupsit. Aubertus Miræus in stemmatibus Principum Belgii Cap. XVII. H. Mutius in Chron. Germ. Abrahamus Ortelius in Itinerario, quod MS. extat penes eruditissimum, & amicissimum Laurentium Pignorium, quamvis *Luxemburg* magis, quàm *Luxenburg* amplexus alicubi videatur.

Aventinus ab his omnino dissensit, cùm *Lucilloburgium* appellavit, nisi fortè ea vox in Aventini Codicem Librarii vitio decidit. Monstrum enim ea mihi vocis, non vox est, ut illa *Luizelenburg* in Indice Scriptorum rerum Germanicarum, quos Joannes Pistorius edidit Tomo I. in Conrado Comite Lucemburgensi, & apud Lambertum Schaffnaburgensem, quem citans Volfangus Lazius Libro III. de Migrationibus Gentium, sic adducit, ut *Luiczelenburg* perperam, & corruptè ex eo legat. Et illæ, *Lucelnburg* in Chronicis Pontificum Trevirensium, uti videre est in magno Chronico Belgico ad Annum DCCCLXXXXIII., *Luytzelenborch* in iisdem eodem Chronico teste non multò post ad annum MIII. *Lucbilburg* apud Hosemium Leodiensem &c. Abundant enim, aut variant in his vocibus elementa quædam à nimis liberali manu. Sed enim longè major eorum Scriptorum numerus extitit, qui veluti conspiratione facta, *Lucemborc*, *sive Lucemborg* dicere voluerunt. Ut enim de Mussato fileam, qui vocem nusquam, nunquam aliam adamavit magis (ut ex Rubrica sequenti patet, & alia Libri sexti prima) arrisit eadem Nicolao Ferretto in Henrico VII. Platinæ in Clemente V. Jac. Philippo in Suppl. Chron. ad Annum MCCCVIII. Joanni Nauclero Generatione XLIV. ad eundem Annum, Hieronymo Balbo Episcopo Gurcensi Libro singulari de Coronatione ad Carolum V. Imp. Sebastiano Munstero in Cosmographia. Jacobo Cavatio Monacho Cœnobii D. Justinæ Patavinæ Lib. III. Historiarum ejusdem Cœnobii, & ante multo Cavatio alteri Joanni nomine, in Elogiis Patavinorum literis, & eruditione præstantium, quæ in aula Viri Clarissimi Francisci Zabarellæ Pat. cernuntur sub singulis eorundem Virorum iconibus perveteri charactere descripta. Antonio Possevino Juniori in Gonzagis Lib. III. Florentio apud Magni Chron. Belg. Collectorem. Fl. Blondo. Eliæ Reusnero in Genealogico Regio. Jo. Dubravio in Hist. Bohemica. Carolo IV. Imp. in Commentario de vita sua. Franc. Haræo in Annalibus Ducum, sive Principum Brabantiæ, & cui non? Quamquam enim Xiccho Riccius Polentonus Lib. IV. de Scriptoribus Latinis illustribus in Mussati vita, Henricus Calderius, sive quis alius, Historici Patavini nondum editi, Bernardinus Corius Mediolanensis, Ludovicus Cavitellius in Annalibus Cremonensibus ad Annum MCCCIX. levi flexu *Lucimburg* dixerint, & Jo. Villanus æqualis Nostro *Luzimburg*. Jacobus Gordonus, & Divæus *Luceburg*: omnes tamen videntur ad idem Etymon respexisse, quod à nobis inferiùs producetur.

Illud sanè mirandum, unum, & eundem Scriptorem Conradum Vecerium adeò varium fuisse in hoc suo Natali solo diversimodè nuncupando, ut ignorasse nomen illius peculiare, ac proprium videatur: aut certè celare posteros voluisse. Nimirum ille Patriam suam *Luceburg*, *Luceburgiam*, *Lucenburgiam* in uno illo Opusculo nominat, quod de Henrico VII. Cæsare concive suo, & Principe concinnavit. Cortusio-

Digitized by Google

siorum, qui apud me sunt, Codices MSti voces easdem præseferunt, & has ipsas adhibuit Pajarinus.

Nec defuere, quibus idem Oppidum adeò variè per omnium propemodum Scriptorum ora traductum, *Lucelborg* appellare libuerit, & horum quidem in albo censentur Paullus Langius in Chronico Citicensi. Joannes Funcius in Commentariis ad Lib. X. Chronologiæ. Carrio Lib. V. M. Hieronymus Henninges in Tabb. Genealogicis. Pantaleo Candidus in Regibus Bohemicis apud Reusnerum, & signatè in Joanne Lucelburgensi Henrici VII. F. Bohemiæ Rege. Umbo Emmius in Appendice Genealogica. Marcus Guazzius in Chronico. Quibus accedunt Bibliotheca Classica Andreæ Lucelburgensis. Chronica Aulæ Regiæ. Literæ Francofurtensium ad Aquisgranenses datæ de electione Ludovici IV. cognomento Bavari in Rom. Imperatorem. Literæ aliæ Ludovici ipsius Imperatoris electi ad Joannem Lucelburgensem Henrici VII. filium Bohemiæ Regem, quæ apud Joannem Georgium Hervvartum Lib. I. in eodem Imperatore defenso leguntur, & Auctor tumuli Henrico VII. positi Pisis biennio postquam è vivis excessit, quem alibi nos tumulum describemus.

Verùm enim verò, quemadmodum inter lætas segetes

Infelix lolium, & steriles dominantur avenæ:

sic in hujus vocis possessionem aliæ quædam non valde dissimiles irrepsere, ac præsertim illæ, *Luezelburg*, & *Lutzelemburg*, pro *Lutzelburg*, quarum unam facilè deprehendes apud Argentinensem in margine, & Lazium in Genealogia Com. Lucelburgensium: alteram in literis Henrici VII. ad Balduvinum Treverorum Archiepiscopum, Principem, & germanum suum datis VI. Kal. Jul. Anni MCCCX. quibus illi cudendæ monetæ facultatem, ab aliis Imperatoribus impertitam, concedit denuo, & confirmat, si quidem eæ castè, & integrè descriptæ sunt à Kyriandro in Annalibus ejus Urbis Parte XV. ex Tomo V. Episcoporum Trevirensium Litera L.

Ortum habuit ista Nominum, seu potiùs Elementorum varietas in unius Oppidi Nomine ex etymo multiplici, & vario, unde promanasse creditur, uti mox ostendam, ne Lectorem oneratum pluribus hic dimittam. *Osius*.

(4) Sua quoque locis Fortuna præest, à qua sua sensim incrementa capiunt. Romæ mihi Fortuna testis, de qua Ovidius Fast. I:

At Postquam Fortuna loci caput extulit hujus,
Et tetigit summo vertice Roma Deos.

Imò Lucemborg, de quo hic Noster, Lucemborg enim Henrici VII. temporibus Oppidum, Castellum initio fuit, ac tandem secundis Fortunæ suæ flatibus ad Urbis, & Ducatus apicem evolavit. Primam ejus, humilemque fortunam, cùm Castellum fuit, nobis expressit Lambertus Schaffnaburgensis ad An. MLXXVI. & his sanè verbis: *Perlato ad Episcopum Moguntinum tumultuantis civitatis nuntio, misit confestim cum armatis Conradum Comitem de Castello, quòd dicitur Luizelemburg, qui tum fortè apud Episcopum præsens erat. Qui veniens, &c.* Et Scriptor Anonymus Trevirensium de Gisilberto Conradi Com. patre apud Keryandrum ad Annum MXVII. *Peregrè agente Poppone Gisilbertus quidam Comes de Castello Lutzenburgo cum filio Conrado tyrannide, rapinis, injuriisque Treverensem diœcesim habuit infestam, &c.* Adolescentem paulò post, Noster, & alii, qui Henricorum ætate locum eumdem, non Castelli, sed Oppidi titulo splendidiore mactant: Florentem denique magis, & excitatam, cùm scilicet Ducatus audiit, nos ad Rubricam huic, quam præ manibus habemus, proximam repræsentare conabimur, quòd nullus ad eam rem præstandam commodior fore videatur locus. *Osius*.

(5) Chorographi alii duo Vecerius, & Montanus in Operibus antea laudatis Lucemburgensis regionis situm, ac fines uberiùs nobis, atque adeò clariùs ob oculos posuere: & veteres quidem primus, præsentes alter, ut eorundem verba testantur. Audiamus primum.

Situs ejus (inquit Vecerius) *ab Arduennæ sylvæ termino, quatenus hodie appellationem obtinet, ad Mosellam fluvium, cujus amnis Burdegalensis Ausonius, carmine satis prolixè meminit, finitimarum ditionum his limitibus cingitur, Gallico, Lotharingo, Metensi, Trevirico, Juliacenо, Leodio. Oppida non ampliùs novem. Major quondam numerus; sed eum, & pia (ut ajunt) Henrici Liberalitas tribus Municipiis Saneburgo, Vitelliaco, &. . . . . Trevirorum maximo Templo donatis, & Gallica bella coarctarunt. Gens potiore ex parte Germanica, regione tamen Galliam spectante, ejus quoque nationis moribus, linguaque utens.* Montano nunc operam demus operam non lusuri. *Urbs sita est loco opportuno, & amœno: parte altera montoso, altera plano. Hanc Elza fluvius interluit partem urbis superiorem, & montanam ab inferiori, & plana dirimens. Ædificia in ea, domusque utcumque splendidæ; verùm belli injuriis variè afflictæ: ac Templum sacrum S. Nicolao, Cœnobium D. Francisci, & Abbatia B. Mariæ, in qua sepultus Joannes Lutzenburgius Rex Bohemiæ filius Henrici VII. Imp. & pater Caroli IV.* Et paulò ante. *Ducatum hunc cingunt ad Septentrionem Leodienses, & Namurcenses: quà Meridies Lotharingi: quà Oriens Mosella cum Episcopatu Treverensi occurrit: ad Occasum Mosa cum sylva Arduvenna se offert. Ambitus totius Regionis est LXX. milliarium.* Eodem quoque Montano teste magnus illic, & insignis Nobilium numerus, qui & suis peculiaribus privilegiis gaudent. Digna sunt etiam, quæ hic inserantur, verba Lazii Lib. III. de Migrat. Gentium in Distinctione vetustiori, & altiùs repetita Lotharingici Principatus. Ait ejus Distinctionis initio Lazius: *Lotharicum regnum, sive Lotharingia vetus, pars Austrasiæ, Francici quondam regni fuerat comprehendens hodiernas distinctas provincias, Lotharingiam, Brabantiam, Luzelburgensem, Lymburgensem, Geldrensem, Namurcensem, Hannoniensem principatus, unà cum ditione Episcopatuum Leodiensis, & Trevirensis, eoque Germaniæ agro ad Rhenum usque extenso contra Maguntiacum, quem hodie HuntzruckKen appellant.* Subdit mox. *Atque illud deinde Lotharicum regnum, utpote latissimè patens, cùm plures liberos Lotharius Imp. procreasset, primò in angustias redactum, plerisque ad Francos, Burgundos, & Alemannos agris abreptis, tractum eum dumtaxat terræ comprehendere postremò cœpit, qui inter Vosagum, & Juram montes, Sequanumque flumen, & Belgas excurrit. Qui posterioribus temporibus, ob Principum novorum ambitionem, subdividebatur in Lotharingiam superiorem, quæ nomen retinet: Lotharingiam inferiorem, quæ nostra ætate Brabantia dicitur: Ducatum Mosellanum, ubi modò Lutzelburgensis Ducatus considet: & Ducatum Arduvennæ, sive Boloniensem, ubi hodie confinia sunt Lutzelburgensis.* Addi his possunt, quæ habet Abrahamus Ortelius in Theatro Geographico, Augustam Romandiorum Galliæ Belgicæ urbem Ptolomæo, vocari Lutzelborg à Petro Appiano, quamquam Volaterranus Constanze urbem Normanniæ eo nomine designari contendat, & ipsos Romandios, Normannos esse velit; sed situm non congruere, ut observavit Villanovanus. *Osius*.

(6) *Dirimens*, legebatur in Codice, cujus meminit Ferretus. Sic enim ille Rubricæ hujus initium ex eo producit Lib. I. Historiæ suorum, & paulò ante actorum Temporum, cui manum post Mussatum admovit. *Fecit itaque* (Mussatus) *principium ab origine hujus* (Henrici VII.) *Sic exordium sui laboris assumens, non quod oculis nostris editum, sed fama velut dictat accepimus. Lucemborc Oppidum est Francorum fines ab Germanis dirimens.* Hæc Ferretus, adeò ritè, & ordine, vix ut credam ab illo non viso aliquo Mussati Codice fidelibus oculis subjecto, sed sola Fama dictante, fuisse conscripta. *Osius*.

(7) Nemora siquidem in ea Regione multa, amnes non magni Munstero teste Lib. II. Universalis Cosmographiæ. *Osius*.

(8) Non unum, & idem apud omnes Regionis hujus Etymon deprehendes, non secus ac Nomen ejusdem non una se fronte prodit, ut mox ante vidimus: imò non aliunde, quàm ex Etymi diversitate tot illæ nominum facies profectæ sunt, quas spectandas exhibuimus in primis Notis. Guicciardinus enim *Lucemborg* dictum censet, quasi *Lucisburgum*, hoc est *Arcem Solis*, qui pater lucis, & Planetarum omnium caput: quemadmodum pleraque alia ejus tractus loca à Gentilium Diis denominata vide-

RUBRICA II.

Prosapia (12).

COmitum de Lucemborc (13) Prosapia (14) æquè nobilis (15) antiquis (16) orta stipitibus (17), quos mage memorabiles fecit armorum, bellorumque strenuitas (18). Ex his proditus HENRICUS (19), qui patre, (a) fratribusque patris duobus (20) in bello (*), quod inter ipsos (21), & Comites (b) Brabantiæ (22) gerebatur, amissis; Fratribus videlicet patris (23), ac duobus (c) privignis (24) in acie (25) occisis (26), & patre vivo ab hostibus (d) capto (27), & dum se ære redemturum (28) magnum pondus polliceretur (29), tamen gladiis confosso, & in proximum fluentem (30) jacto (31), cum tribus reliquis eodem patre natis (32) superstes mansit paternæ domus major, ut primogenitus (33), lege Gallica (34).

RU-

videri possunt. Opinati sunt alii à Fluvio *Elza*, Alisuntia fortè Antonini, nomen Metropoli factum, & inde Lutzemburgico Comitatui. Ab *Elza* enim *Elzenburch*, sive *Elzenborg*, inde verò *Lutzenburch*, sive *Lutzenborg* trahunt. At Petrus Divæus aliam de Lucemborg Etymo sententiam dicit his verbis: *Leucorum gentem, juxta Treviros, Mediomatrices, ac Lingonas habitare indubitatum est: Oppida eorum Tullus, & Nasium Ptolomæo celebrata nomen servant*, Toul, & Nansy *vernaculè, crediderim appellatos der Lutzen, & latè imperasse, ut ab iis Lutzenburgii celebris Oppidi nomen ortum sit, quasi der Lutzenburch*. Hæc Divæus, ex quibus liquidò apparet eos, qui *Lutzenburg* suis tum scriptis, tum sermonibus usurparunt, vel postremum hoc illius Etymon, vel certè primo proximum ob oculos habuisse: qui verò *Lucemborc*, *Luceburg*, sive *Lucimburg* dicere maluerunt, ad primum finè ullo dubio respexisse. Mussati Etymon videre nondum alibi potui: sua tamen satis illum tuetur ratio, & eorum auctoritas, quibus *Lucelborg* arrisit, ut antea demonstratum. *Osius*.

(9) Hinc Henricus, *Parvus Comes*, dictus Benevenuto de Rambaldis in Augustali libello. *Princeps ab Opibus non magnopere instructus*, Trithemio. *Opibus, ac ditione inter Germanos minor*, Jacobo Cavatio Lib. III. Historiæ Cœnobii S. Justinæ Patavinæ. Neque enim hìc in Vecerii sententiam ire velim liberè nimiùm asserentis, Titulum Lucemburgensis dominii à viris Principibus expetitum fuisse maximè. Aut enim, cùm hæc in literas Vecerius misit, ea tempora spectavit, quæ multò post Henricum VII. admotum Imperio secuta sunt; hoc est, Caroli IV. Germanorum Imperatoris XXII. cui à secretis fuisse videtur; aut tale illi dictum condonandum est, & cogitandum ex amore Patriæ promanasse. *Osius*.

(10) Anglorum lingua, *Littel*, & *parvum*, & *parùm* significat. Nam, ut *Littelmann*, parvum hominem; ità *Littelvvin*, parum vini dicere solent. Hanc autem linguam Saxones in Britanniam invexerunt, cùm divergente sub Valentiniano Romano Imperio, Britannos meliori Insulæ parte, ac avitis sedibus exuissent. Saxonica verò lingua Germanica est, à communi dialecto tantùm distans; quæ habet hoc peculiare, ut Zetacismum maximè refugiat, ac in ejus locum plerumque literam, t, substituat. Hinc, ubi reliqui Germani *BarmbertziKeit*, isti *Barmberticheit*: ubi illi *Allezeit*, isti *Alletydt*; *ubi illi Vorzellen*, isti *Vortellen* dicere amant. Quare, quod Saxonica lingua *Littel*, vulgari *Litzel* dicebatur. Quæ vox, licèt in Germaniæ meditullio exoleverit, est tamen in usu apud nonnullos Alpicolas Helvetiæ, ac Rhetiæ, quibus *Lutzel* parum significat. Nimirum in montanis regionibus veteres linguæ meliùs conservantur, quòd eò, tamquam in tutiora loca, veteres incolæ, ut se se ab externo invasore tueantur, confugere soleant. Hinc vetus Hispanorum lingua in montibus Cantabriæ, & vetus Britannica in VValliæ jugis hactenus permansit. Haud igitur vero obsimile est, Lucemburgum olim, Lutzelburgum, aut ab Oppidi parvitate, aut à Regionis sterilitate dictum fuisse, & ad hæc Mussatum animum advertisse, proque Litzel, Lucel, quasi Litcel in paginas retulisse. Hæc mihi perhumaniter indicabat Doctissimus, & amicissimus Bartholomæus Soverus Friburgensis Mathematum facundus Interpres in clarissima Patavini Gymnasii luce, & exoticarum linguarum notitia perinsignis. *Osius*.

(11) Norunt omnes, qui linguam Germanicam non ignorant, hanc isti subesse Voculæ notionem; nec Eruditissimum Gasp. Barthium fugit in Adversariis Lib. LV. Cap. X. ubi notionis istius ope decori, & integritati suæ restituit sublato mendo partem Canonis XVIII. Statutorum Cluniacensium Petri Mauritii conatu sanè facili, & felici. Cùm enim ibi sic ea pars concepta foret: *Statutum est, uti nullus scarlattas, aut barracanos, vel pretiosos burellos, qui Ratisboni, hoc est, apud Rainersbors fiunt, sive picta quolibet modo stramina habeat*: mendosum esse censuit vocabulum Germanicæ urbis; & *Rainsborg* pro *Rainersbors* reponendum duxit, quòd *Rains* fluvius sit ejus nominis ad eam urbem hoc nomine, & *Borg* Castrum, sive urbem notet. Nobilissimum autem illud Cluniacensium Cœnobium, Germanos Monachos non exclusisse, satis apparet ex mentione ipsorum facta Canone XVI. Itaque lucernam in hoc accendere meridie non necesse. Ortographiæ sanè Germanicæ ratio nonam Latinorum literam, *g*, in hujus fine Voculæ requirebat: at quis Italo Scriptori vitio vertat, adhibuisse nonæ loco tertiam, cùm præsertim alios quoque Scriptorum sic locutos appareat, & Noster sibi perpetuò constans morem ubique scribendi suum retineat, quod cùm aliæ Librorum ejus Rubricæ, tum prima Libri XV. de Gestis Henr. VII. Cæs. abundè satis, & liquidò declarabit. *Osius*.

(a) *V.* patruisque duobus, *& ita Cod. Ambrosianus.*
(b) *Cod. Amb.* Duces.
(c) *V.* patruis videlicet, ac privignis duobus, *& ita Cod. Amb.*
(d) *S.* rapto.

NOTÆ AD RUBRICAM II.

(12) Genus, majoresve dixissent Scriptores cultioris ævi; sed enim Prosapiæ suus quoque relictus ævo suo, prisco scilicet, & obsoleto locus. Vetus enim verbum esse dixit Tullius Libro de Universitate, quod etiam Quintilianus asseruit Lib. VIII. Cap. II. Orat. Institutionum cùm scripsit; *Obsoletæ vetustatis universam ejus prosapiam dicere insulsum esse*. Eo primi (quòd sciam) Latinorum usi Plautus, & Tranquillus. Prior Curcul. Act. III. Sc. I. *De Coclitum prosapia te esse arbitror*. Alter in Galba Cap. II. *Neroni Galba successit, nullo gradu contingens Cæsarum domum: sed haud dubiè nobilissimus, magnaque, & vetere prosapia*. Ad cujus similitudinem Noster Lib. IV. de Gestis Italic. Rub. III. *Advenit*, inquit, *impubes egregiæ indolis Paulus magno olim viro Vitaliano Dente antiqua prosapia Lemizorum natus. &c.* Arripuit è Plautino, sive Tranquilliano fonte Sidonius Lib. V. Epist. XVI. *Qua de re propitio Christo ampliatos, prosapiæ tuæ titulos ego festivus gratatoriis apicibus inscripsi*. Lib. VI. in Concione, quæ subsequitur Epistolam IX. *Illustris in utraque conversatione prosapia, aut Episcopis floruit, aut Præfectis*. Et VIII. Epist. VII. *Licèt hactenus è prosapia illustris computarere*. Nec solus; nam ea quoque vox in Alcuini, sive Albuini Monachi Turonensis, Epistolis occurrit, & præsertim in calce tertiæ, quam Karolo Magno sub nomine Davidis Regis inscripsit, ut indicant Henrici Canisii Noviomagi J. C. & SS. Canonum Professoris ordinarii in Academia Ingolstadiensi ad eam Epistolam notæ: *In hac vestram Deo amabilem, & vitæ laudabilem, semper proficere, & gaudere agnovi diligentiam, & nobilitatem secularis prosapiæ majore mentis nobilitate exornare*. Accedit his Auctor Magni Chronici Belgici, ut alios mittam, ad Annum MLXVII. in Udo-

Digitized by Google

Udone Episcopo Trevirensi : *Iste ex Alemannorum prosapia ortus , patre Everbardo , &c.* Et Apulejus Lib. XI. Asini aurei. *At enim casulæ parvulæ conterminos magnos , & beatos agros possidebat vicinus potens , & dives , & juvenis , & prosapiæ Majorum gloria malè utens.*

Et hi quidem omnes ferè pro *Majoribus* prosapiam usurparunt , ut vel puero liquet , qui modò dextram à læva distinguere norit. Aliis enim prosapiæ nomine comprehensi minores , nepotes , proles , familia , progenies universa. Festus : *Prosapia , progenies , idest , porrò sparsis , & quasi jactis liberis , quia sipare significat jacere , & disjicere ;* ut à prosipando Prosapia dicta sit Festo , quam à præsupando , idest proferendo , deducit Nonius. Et hoc planè sensu capienda prosapia apud Paulum VVarnefridum de Gestis Longobardorum Lib. I. Cap. XXI. *Hi omnes Lithingi fuerunt. Sic enim apud eos quædam nobilis prosapia vocabatur.* Et II. Cap. IX. *Factumque est , & annuente sibi Rege , quas optaverat Longobardorum præcipuas prosapias , ut cum eo habitarent , accepit.* Irenicum Lib. III. Exeges. Germ. Cap. I. de Philippo Friderici filio adoptivo , cui nuncupavit Chronicon Bavariæ Ducum : *Tanta prosapia Palatinorum , tot Episcopi , ubi quis tantùm recensendis nominibus defatigaretur , tot ex illa progenie Bohemiæ , Daniæ , Ungariæ , ac Rom. Reges prodierunt , ut si opinione Majorum niti oporteat , non sit Germaniæ progenies , cui plus debeat nobilitas.* Symmachum Lib. I. Epist. XV. *Credo planè , nec fides cassa est , Rhetorum hanc esse prosapiam.* Gherardum Maurisium Judicem , & Historicum Vicentinum nondum editum ad Annum MCCXL. in B Johanne Scledo : *Idem quoque fecerunt Vicentini , Veronenses , Mantuani , Brixienses , & Comes S. Bonifacii , & ejus prosapia universa.* Nostrum denique ne indictus hic à nobis abeat , Rubrica hujus Libri decima , prima Quinti , quarta Octavi de Gestis Henr. VII. In Prologo , & Rub. nona Septimi , ac prima Duodecimi de Gestis Italic. post Hen. VII passim , necnon & in Ludovico Bavaro initio , quod hic volui monuisse , ne incudem eandem alibi cum stomacho tunderemus. *Osius.*

(13) Nil verius. Comitatus enim initio titulus ejus Provinciæ fuit , primusque illius Comes Adelbertus Sigifridus (Gisbertus aliis) Ricuini (malè Tacuini Montano) Ducis Mosellani filius , Gislelberti Ducis Lotharingiæ nepos, ut in schedis manu exaratis se reperisse scribit Ortelius , cui adstipulatur in Genealogicis tabulis M. Hieronymus Henninges , qui hoc amplius addit , Brunonem Archiepiscopum Coloniensem , fratrem Othonis Magni Imperat. dominium hoc in Comitatum evexisse A. C. DCCCCXLVI. Non alio sanè titulo gaudebat temporibus Henrici VII. quem idcirco Comitem , sive Comarchum , non Ducem Lucemburgensem nominant , & agnoscunt , Magnum Chronicon Belgicum , Fasciculus temporum , Libellus Augustalis Benevenuti de Rambaldis , Chronicon Citizense Langii , Hirsaugiense , & Sponheimense Trithemii , Villanus , Vecerius , Corius ad Annum MCCCVII. Jac. Philippus in Supplemento Chron. ad eundem Annum , Pajarinus , Munsterus , Nauclerus , Gordonus , Jo. Dubravius Historiæ Bohemicæ Lib. XIX. Æneas Sylvius in eadem Hist. Cap. XXXI. Albertus Krantzius Saxoniæ Lib. IX. Elias Reusnerus in ΒΑΣΙΛΙΚΩ Catholico. M Hieronymus Henninges in Tabulis Genealogicis. Bzovius in Annalibus sacris , Lazius de Migrat. Gentium, Umbo Emmius in Appendice Genealogica , Tursellinus in Epitome , ad unum propemodum Chronologi , Cosmographi , Historici omnes. Nam , ne multus hac in parte sim , efficiunt tituli eidem Henrico dati , antequam inauguratus in Romanorum Regem summæ præficeretur Imperii , quos tales nobis exhibet Keryander in Annalibus urbis Augustæ Trevirorum ad Annum MCCCII. ex Documento CIV. pagina 153. fœderis percussi inter Henricum ipsum Lucemburgensem una ex parte , & Scabinos , Consules , Senatum , Populum Augustæ Trevirorum ex altera : *Henricus Comes Lutzenburgis , & Rufis , Marchio Arluni , &c.* Et infra ad Annum MCCCIX. ex altero Documento. *Lutzenburgius Comes Henricus VII. Cæs. Augustæ Trevirorum Civis , Patronus , & fœdere conjunctus , &c.* Ac tandem ipsamet (ne moras isthic longiores traham) ejusdem Keryandri verba ad eumdem Annum , Regni Henrici primum. *Atque inde Rex cum Domino Baldevvino Comitatum Lutzemburgensem ingressus , solatiis plurimis insistendo , ad Civitates regias visitandas , easque Regno coadunandas plurimum disponebat.* Nemini sanè tantas tenebras esse credo , ut ad hanc lucem adhuc caliget.

Evecta deinceps eadem Provincia in Ducatum fuit , quo hodie adhuc titulo gloriatur , & floret : sed à quo tantum dignitatis acceperit dubium , & incertum plerisque visum , cùm id aliis alii referant in acceptum. Conradi Vecerii sententia est , Henricum VII. Romano Imperio admotum , eam Ducariæ dignitatis insignibus exornasse. Quid ampliùs sensisse videtur Jo. Gerbrandus à Leydis , cùm Libro XXVII. Chron. Belgici Cap. VIII. disertissimis verbis asseruit , Henricum antequam ad Imperii Rom. fastigium evolaret , Ducem Luxenburgensem fuisse , & genuisse ex Margareta Imperatrice filia Joannis I. Ducis Brabantiæ Joannem sibi succedentem in prædicto Ducatu ; licèt eundem Lib. XXIV. Cap. XXI. Comitem appellasset , totidem ferè verbis narrans , Reynaldum Comitem Ghelriæ coadunasse in suum subsidium Siphridum Archiepiscopum Coloniensem , Henricum Comitem Lutzenbergensem , & VValranum fratrem ejus. Verùm enim verò uterque insigniter deceptus est. Siquidem enim ejus regionis Comitatus in Ducatum commutatus fuisset ab Henrico VII. Cæsare , uti Vecerio visum , vel antequam idem Henricus inter Cæsares cooptaretur , uti Gerbrandus sensit , quis non videt futurum fuisse , ut Ducis , non Comitis titulo decoraretur à Pisanis suis saltem in tumulo , cui solent cum rerum præclarè gestarum monumentis honores omnes , & tituli consignari ? Quod tamen secus factum indicant ipsissima verba , tumuli , quæ subscribo ex Bzovio in Annalibus Sacris Anni MCCCXIII. Nam hic mihi suspecta fides Francisci Suvertii F. qui tumulum eundem in Selectis à se Orbis Christiani delitiis verbis non iisdem affert : HOC IN SARCOPHAGO HENRICI OLIM LUCELBURGENSIS COMITIS , ET POST VII. HUJUS NOMINIS ROM. IMP. OSSA CONTINENTUR , &c. Pari ratione , si Luxenburgici Ducatus , uti facultatum omnium hæres ex asse , patri Henrico successisset Johannes filius Bohemiæ Rex ex Gerbrandi mente , nemo sanè post Henrici fatum , & funus non illum ampliore Ducis , quàm Comitis appellatione signasset ; cùm tamen in Franconfurtensium literis de Ludovici IV. Bavari electione ad Aquisgranentes datis Anno MCCCXIV. VIII. Kal. Novembris , anno scilicet altero postquam Henricus VII. ejus pater in Etruria rebus humanis exemptus est , non Dux , sed Comes audiat , ut in ipsismet literis legere est apud Jo. Georgium Hervvartum , à quo producuntur his verbis in Ludovico Bavaro Imp. defenso Lib. I. pag 33. *Convenientibus , & ibidem comparentibus Reverendis in Christo Patribus , ac Dominis Petro Sanctæ Moguntinæ Sedis , & Balduvino Sanctæ Trevirensis Sedis Archiepiscopis , Sacri Imperii per Germaniam , & Galliam Archicancellariis, excellentissimo Domino Johanne Bohemiæ , & Poloniæ Rege , & Comite Lucelburgensi , &c.* Sed ut his Literis magnum hac in parte pondus , & momentum insit , majus semper habebunt Commentarii à Carolo IV. Joannis hujus , quo de loquimur , Regis Bohemiæ filio , de rebus à se , & patre gestis accuratè conscripti. Cùm enim illic crebra patris incidat mentio , nusquam tamen ille Ducis ; sed solo titulo Comitis insignitur , vocaturque inibi perpetuò , Lucemburgica ditio , Comitatus. In limine : *Post hos duos annos remisit me idem Rex (Galliæ) cum uxore sorore sua , nomine Blanca , ad patrem meum Joannem Regem Bohemiæ in civitatem Lucemburgensem , qui Comitatus erat patris mei ex successione patris sui D. Memoriæ Henrici Imp. qui , cùm esset Comes Lucemburgensis , electus fuit in Regem Romanorum , &c.* Quibus sanè verbis meridiana luce clariùs indicatur , Joannem Henrici VII. Imp.

Imp. filium successisse patri non in Ducatu, sed in Comitatu Lucemburgensi, quod firmant validiùs quæ sequuntur: *Reversus itaque de Francia inveni patrem meum in Comitatu Lucemburg, occupante temporibus illis Imperium Ludovico de Bavaria, qui se scripsit Ludovicum IV.* Nec multò post: *Illo verò tempore, cùm reversus fueram de Francia in Comitatum Lucemburg, & inveneram patrem meum ibidem, obsederat Dux Austriæ civitatem Columbariensem in Alsatia, &c.* Et erat etiam Anno MCCCXXXI. Comitatus eadem Provincia sub eodem Joanne tunc temporis in Lombardia degente; commorante verò Lucemburgi Carolo filio. Sic enim se habent Commentarii illi ad eum annum: *Tempore illo misit pater meus in Comitatum Lucemburgensem pro me. Ego autem arripui iter per civitatem Metensem, per Ducatum Lotharingiæ, per Burgundiam, & Sabaudiam usque in civitatem Lausan super lacu. Deinde transivi montes Brigę, & veni in territorium Novariense, & ab inde in Parasceve in civitatem Papiæ, quam tenebat pater meus.* Imò, & multò post, nempe post ejusdem Caroli reditum in Bohemiam ex Italica expeditione, cùm ante multò se in eandem Bohemiam recepisset Joannes pater commisso rerum Italicarum regimine, & tutela filii Ludovico Sabaudiensi socero Azonis Vicecomitis, & gubernatoris Mediolanensis, ut his ipsemet Carolus attestatur: *Tunc pater noster procedens* (ex Bohemia) *versùs Comitatum Lucemburg propter quandam guerram, quam gerebat cum Duce Brabantiæ ipse, & Collegæ sui, &c.* Et paulò post: *Eadem æstate arripui iter cum multis Baronibus Bobemiæ volens transire in Comitatum Lucemburgensem ad patrem meum, qui miserat pro me; & de Francofurt reversus sum.* Et post annos duos, & ampliùs jam elapsos: *Et inde transiens Bavariam veni ad patrem meum in Comitatum Lucemburgensem.* Ac tandem, cùm sibi pater Regni Bohemici regendi provinciam demandasset (quod rerum humanarum fessum, & effœtum viribus fecisse putandum est) & patrii soli captus dulcedine Lucemburgium adiisset, ut illic procul ab Imperii curis reliquum ævi transigeret: *Ipsi autem talium rerum ignari, Rex Joannes cum suis per Marchiam Brandenburg, & Lusatiam transeundo versùs Comitatum Lucemburg se recepit.* Comitatus igitur omni vitæ Joannis Regis Bohemiæ tempore Lucemburgium ex Caroli Regis ejusdem filii Commentariis fuit. Consentit cum iisdem Commentariis mirum in modum Chronica Aulæ regiæ Cœnobii eo nomine in Bohemia, de ipsomet Joanne Rege Bohemiæ Henrici VII. F. & sub eo in Regno, nec non in Germania actis ab Anno MCCCXVII. usque ad Annum MCCCXXXIII. accuratam historiam continens, quam evulgavit Freherus. Vocat illa scilicet Lucemburgium Comitiam toto eo temporis spatio, quod sub Joanne Rege Bohemiæ laudato toties intercessit, & primò quidem ad Annum MCCCXVII. Cap. I. *Post recessum itaque ejusdem Petri Maguntini Archiepiscopi de Bohemia, Dominæ Elisabeth Reginæ totius Regni gubernatio incumbebat, & cura. Rex quippe Joannes nondum de Rheno reversus fuerat, sed adhuc in Lucelburg sua Comitia manebat.* Et ad Annum MCCCXVIII. Cap. V. *Hac Legatione amicabiliter suscepta, Joannes Rex Bohemiæ certis nuntiis suas sorores de Lucelburgensi evocat Comitia.* Et Cap. X. ad Annum MCCCXXI. *Joannes Rex Bohemiæ de Comitia sua Lucelburgensi reversus, Pragam in Octava Purificationis Beatæ Virginis est ingressus.* Et infra eodem Anno, *Hoc anno iterum Joannes Rex Bohemiæ ad Comitiam suam in vigilia B. Joannis Baptistæ cum paucis clandestinè revertitur, &c.* Interrogatus verò Rex. *Quare in Regno non maneret*, respondit: *Quòd solum natalis patriæ dulcissimum sibi foret.* Habentur & his affinia in Cap. XII. ad Annum MCCCXXIII. *Quum autem Rex aliqua debita persolvisset, & munitiones aliquas à Baronibus redemisset, iterum in die B. Galli Rex ad suam Lucemburgensem revertitur Comitiam.* Spectant huc etiam ejusdem Chronicæ versus, quibus Capite XIV. ad annum MCCCXXV. exprimuntur quæstus Bohemorum in Regem ob nimias exactiones:

Rex redit ad Rhenum, secum saccum modò plenum
Portans argenti. Fuit hoc turbatio genti
Magna Bohemorum. Dicunt, cur denariorum
Munera tanta damus, & cur nos dissimulamus
Hæc deportari? Nos cogunt en famulari
Omnes huic hodie Lucemburgis Comitiæ.
Nolumus ista pati, non stabimus ultra parati
Ad dandum nummos. Quis nescit, nos fore summos,
Esseque majores, ac illos esse minores?
Non est æqua via, quòd debeat hæc Comitia
Regno præferri: Volumus sub acumine ferri
Chariùs ecce mori, quàm quòd cedamus honori.
Sic omnes fantur, & fortia verba minantur.

Subjiciam, quæ sequuntur, ad majorem fidem ex Cap. XVII. *Hoc Anno* (*MCCCXXVI.*) *per totum regnum Bohemiæ, & per dominium Lucemburgensis Comitiæ, propter mandatum Joannis Papæ, Joanni Regi totus Clerus cogitur decimam Ecclesiasticam proventuum per triennium solvere, &c.* Capite etiam XIX. ad Annum MCCCXXVII. hæc habes. *Cùm autem ad Comitiam Lucemburgensem* (Joannes Rex) *reversus fuisset, cum Metensibus in festo B. Jacobi Apostoli sedata discordia concordavit.* Nec omittendæ videntur hoc loco literæ Caroli Ungariæ Regis ad Elisabeth Bohemiæ, & Poloniæ Reginam datas Anno MCCCXIX. in quibus eo Anno Maritus ejus Joannes titulo Comitis exornatur: *Tamen propter deprimendam superbam elationem Regum, & Principum circumadjacentium Regnorum, Vobis, & magnifico Principi Domino Joanni Regi Bohemiæ, & Comiti Lucelburgensi carissimo contborali vestro, nostroque fratri, & amico mala machinantium, &c.* Idcirco Elisabetha, quæ in Caroli literis laudata, sui nos admonuit, Comitissa semper audiit ad id usque temporis, quo mortis aculeo extincta est. Chronica eadem ad Annum MCCCXXX. Cap. XXV. *Eodem Anno IV. Kal. Octobris, &c. Serenissima & inclyta Domina Elisabeth Bohemiæ, & Poloniæ Regina, ac Lucemburgensis Comitissa, febribus, ac morbo phtisico diutiùs fatigata &c. emigravit, feliciter sibi, sed flebiliter aliis, ex hac vita.* Et in ejusdem Lesso.

Hic, rogo, qui statis, hæc tristia metra legatis.
Annis millenis tricenis atque trecentis,
Latè, spero, redit, huic qui dedit, hincque recedit
Spiritus Elizabeth Reginæ; sed caro tabet
Nobilis hac fossa, sua sunt inibi simul ossa.
Sceptrum Regnorum tulit hæc Regina duorum,
Ac Marchonissa, Lucelburg & Comitissa.
Tempus adest flendi, lugendi, triste loquendi.

Illustria ista, sed tristia. Quare convertamur ad alia. Et hæc firmata sint pluribus, ut duos, de eadem quasi fidelia, parietes dealbarem. Arguunt enim erroris etiam non obscuri Petrum Montanum in Tabb. XII. Provinciarum inferioris Germaniæ à Kaerio delineatas, ubi de jure Comitatus Lucemburgensis loquens, contra jus omne fateri non dubitavit, jus illud Henrico VII. Cæs. mortuo, non ad ejus filium Joannem Regem Bohemiæ X. devolutum esse; sed ad VVenceslaum ejusdem Bohemiæ Regem, Caroli IV. Imperatoris fratrem, cùm is, neque proximus Henrici Cæsaris hæres extiterit, sed pater ejus Joannes; neque Regni Bohemici gubernacula tum tractaret, cùm hominem Henricus exuit, vivente adhuc & vidente Joanne patre, clavumque Bohemiæ strenuè moderante, moranteque cum Aula sua, & Curia Lucemburgi, Munstero teste: imò nec tractavit unquam, cùm nullus unquam apud Mortales extitisse videatur Caroli IV. frater nomine VVenceslaus. Sed ut ad Vecerii, & Gerbrandi lapsum redeam, iis fortè Ducibus ad eundem quoque lapidem offendit Ludovicus Cavitellius in Annalibus Cremonensibus, cùm ad Annum MCCCIX. Lucimburgum Aquisgrani, post accepta Coronationis insignia, in Ducatum erectum ab Henrico tradit, antequam Adulphi, & Alberti prædecessorum suorum cadavera ex locis, ubi occisi fuerant, Spiram deferenda curasset, & inibi in Cathedrali perhonorificè tumulanda. Imprudenter omnino, & Andabatarum more. Quare post rejectum Vecerium, & Gerbrandum satis id fuerit indicasse, ut alios alieni lapsus cautiores reddant.

Et viderunt hæc ante nos ii, qui diligentiùs suis librata ponderibus, & monumentis Lucemburgici Ducatus initia in alia, multò post excessum Henrici VII. & hæreditatem juris illius aditam a Joanne filio, tempora rejecere, quos

Digitized by Google

quos inter Abrahamus Ortelius non postremus. Censet enim is in Itinerario, cujus loci indicium debeo Viro Cl. Laurentio Pignorio rerum antiquarum, rariorumque ut Indici, ita & Vindici excellentissimo, apud quem ejus Itinerarii Codex MS. extat, *VVenceslaum fratrem Joannis Luxemburgici ex auctoritate Caroli IV. Augusti, cujus erat patruus, primum omnium Ducatus patrii titulum assumpsisse*. At hujus ego me sententiæ non adjungo, tum quia nullum in Stemmate Lucemburgensium Principum videre est Joannis Lucemburgici fratrem, Caroli IV. patruum, nomine VVenceslaum (quòd earum rerum Scriptores alii, aut nullum Joanni Lucemburgensi Caroli IV. patri fratrem tribuant, aut, qui tribuunt, nomen illius silentio supprimant, & involvant) tum quia id, quod solus Ortelius in VVenceslao Caroli IV. patruo contigisse narrat, alii propemodum omnes aliis ab eo VVenceslais adscribunt, & Munsterus quidem VVenceslao Caroli IV. filio Romanorum, & Bohemiæ Regi XII. Aubertus verò Miræus VVenceslao nec patruo, nec filio Caroli IV. sed fratri, Brabantiæ Duci, cujus ego sententiam libens lubens deosculor, & amplector; quin imò firmo, & corrigo non invitus, ne quibus ulla in parte fraudi sit, cui tum hic, tum alibi cautum perpetuò volo. Cùm enim Miræi sententia hisce verbis concepta legatur in Stemmatibus Principum Belgii Cap. XVII. *VVenceslaus Joannis Bohemiæ Regis, & Beatricis filius ex Comite Anno MCCCLIV. per fratrem suum Carolum IV. Imperatorem creatus est primus Dux Luxeburgensis*: corrigenda ea in parte est, qua hujus VVenceslai matrem Beatricem vocat. Non enim is è Beatrice susceptus; sed ex Elisabetha filia VVenceslai Sancti Ottocari filii Bohemiæ Regis VII. & sorore junioris alterius VVenceslai ætatis Anno XXII. turpiter interfecti, uti pluribus ad Rubricam hujus Libri Septimam indicabo. Cætera belle se habent, nec patronis carent. Breviter & apertè Elias Reusnerus Tom. III. Genealogici Regii in stirpe Lucemburgica. *VVenceslaus à fratre Carolo primus Dux Lucemburgi factus, qui, in uxorem ducta Johanna Johannis III. Ducis Brabantiæ filia, pro eo Ducatu armis contendit cum Ludovico Com. Flandriæ, irrito tamen successu*. Clariùs, & uberiùs paulò Florentinus apud Magni Chronici Belgici Collectorem: *Carolus Romanorum, & Bohemiæ Rex in civitate Metensi Anno Domini MCCCLIV. Indictione septima, III. Idus Martii, Regnorum suorum Anno VIII. Illustrem VVenceslaum Comitem Lucemburgensem illustravit, sublimavit, decoravit, & erexit in Ducem, & ipsum Comitatum Lucemburgensem in Ducatum*. Illustriùs adhuc rem eandem Trithemius prosecutus est, & pompam omnem rei gestæ ob oculos ferme posuit, tum in Chronico Monasterii Hirsaugiensis, tum in Sponheimensi, quasi oculatus testis. Quare opere pretium fecero, si locum primi saltem Chronici sartum tectum adscripsero, ut ii quibus Trithemii scripta ad manus non erunt, hic se nobili illo spectaculo oblectare possint: *Anno VVigardi Abbatis III. Domini verò MCCCLVI. Carolus Imp. ex Italia reversus in civitate Metensi conventum habuit solemnem Principum, ubi omnes totius pæne Regni Principes concurrentes regalia sua de manu Imperatoris ex more susceperunt. Multi etiam ex Gallia illuc Principes, ac Nobiles convenerunt, quibus Carolus ipse notus, ac carus extitit, utpote qui, & diu olim apud Parisios operam literis dederat, & in auxilium Regi Francorum cum patre suo Rege Bohemiæ adversùs Regem Angliæ aliquando pugnaturus erat. Aderat in eo solemni conventu Principum quidam Archiepiscopus Apostolicæ Sedis Legatus ad confirmandam pacem totius Regni, qui ob reverentiam Summi Pontificis solus cum Imperatore in una mensa cibum sumebat, cæteris Principibus Electoribus, juxta cujuslibet Officii rationem, ministrantibus semel, & postea in locum suum secundùm consuetudinem residentibus. Ibi VVilhelmus Marchio Juliacensis, consensu Principum, in Ducem à Carolo sublimatus est, & Marchionatus ejus de Juliaco in Ducatum cum ingenti pompa commutatur. VVenceslaus quoque Lutzemburgensis Comes, frater Caroli Imp. & gener Joannis Ducis ultimi Brabantiæ, quem Anno priore obiisse diximus, in Ducem similiter elevatus est*. Et statim, post descriptos VVenceslai mores: *In eodem conventu Principum Metis habito Comitatus terræ Barensis in Marchionatum sublimatus est, quamquam in vulgo nomen Comitatus apud plerosque etiam hodie per ignorantiam maneat*. Inibi etiam Bullam auream, sic dictam, quòd Sigillo aureo roborata esset, de Imperatore Rom. deligendo, idem Carolus in dicta conventione Principum ad utilitatem Reip. de consensu omnium Principum Electorum, & Regni conscribendam, & confirmandam curavit, ut idem Trithemius refert, qui totidem ferè verbis eadem intexuit Chron. Sponheimensi ad eundem Annum MCCCLVI. in quo uno mendosè dissentit à Miræo, Florentino, & aliis, qui constanter, ac verè testantur, Metensem conventum illum, in quo VVenceslaus primus Dux Lucemburgensis à Carolo IV. fratre renuntiatus est, aliique Principes Juliacensis, & Barrensis sublimati, celebratum fuisse biennio ante Annum III. Vvighardi Abbatis, hoc est salutis MCCCLIV. non autem MCCCLVI. cætera verax. Addo, quòd omisit Trithemius, ex Florentino, & literis ipsis Cæsareis Bulla aurea communitis, in eodem illo conventu non solùm Comitatum Lucemburgensem in Ducatum versum; sed, ut is Principatus solido fundamento magis firmaretur, & tanto se Rom. Imperio obligatiorem conspiceret, quo ampliori Regiæ liberalitatis munere decoratus erat, VVenceslaum eundem, hæredes, & successores Duces Lucemburgenses perpetuo infrascripto claro quidem officio, ab eodem Carolo fuisse clementiùs insignitos, nimirum, quoties Rex Carolus, aut successores Romanorum Imperatores, sive Reges ad reprimendam rebellium suorum superbiam, seu Imperii procurandos honores, armati procederent, ut tum Dux, hæredes, & successores Duces Lucemburgenses, qui quoque tempore fuissent, frænum imperialis, seu regalis dextrarii à latere dextro gubernarent, & debitæ fidei diligentia custodirent. Item, ut in accubitu mensæ suæ cibos regios, qui in solemnibus Curiis administrantur, coram ipso inciderent: & in genere, tamquam Principes, & Fideles Imperii belli, & pacis tempore custodiam, & curam Imperatorum haberent, aliaque talia munia obirent, quæ in supra laudatis literis continentur. Hinc factum, ut omnes inposterum VVenceslao majorem detulerint observantiæ cultum, & uno ore Ducem illum, non Comitem appellarint annis Conventum illum proximè consecutis. *Quorum adventu* (ait Trithemius Anno MCCCLXII.) *Boemundus Archiepiscopus audito, Cunonem de FalcKerstein coadjutorem suum, VVenceslaum Lutzenburgii, & Brabantiæ Ducem, VValramum Comitem de Spanheim, &c. contra illos misit, &c.* Et ad Annum MCCCLXX. *Factum est bellum magnum in Vigilia S. Bartholomæi Apostoli inter VVenceslaum Brabantiæ, & Lutzenburgii Ducem fratrem Imp. Caroli, & VVilhelmum Ducem Juliacensem, &c.* Emundus ad Annum MCCCLXXVII. *Mortuo verò Duce Brabantiæ Joanne III. Ducissa Joanna ejus senior filia, tamquam vera hæres, & Domina, & Dux VVenceslaus ejus legitimus maritus, & mamburnus, primò Lovaniæ tertia die mensis Januarii Anno Domini MCCCLXXVII. tempore Regni Caroli Romanorum Regis, & deinde successivè certis aliis diebus in omnibus aliis Oppidis, & locis consuetis in Ducatum Brabantiæ, & Limburgiæ Duces, & Dominos recepti fuerunt, & solenniter more solito introinisati juramentis fidelitatis, & obedientiæ receptis*. Keryander Parte XIV. Ann. Trever. *VVenceslao ejus* (Caroli IV.) *fratre germano Lutzenburgense Duce nemo calamitosior*. Accedit huc etiam calculus Collectoris Magni Chron. Belgici, qui Annum salutis MCCCLXIX. Sextum decimum Ducatus VVenceslai fuisse narrat, & ad Annum MCCCLXXXIV. sic ejusdem obitum literis consignavit, ut ipsum Lucemburgiæ Ducem extitisse planè demonstret, & in eadem Urbe vitam una cum Imperio posuisse: *Tandem illustris Dux Brabantiæ, & Lucemburgiæ VVenceslaus post multa præclarè gesta, quæ caussa compendii huic Opusculo inserere*

rere omisimus, *in terra Lucemburgensi ab hac luce discessit*, *ipso die Conceptionis B. Virginis, Anno Ducatus sui Brabantiæ XXVIII. Salutis verò MCCCLXXXIV. Sepultus in Ecclesia Abbatiæ Aureæ-Vallis Ordinis S. Benedicti in Ducatu Lucemburgensi*.

VVenceslao terræ reddito sinè liberis, juxta sanctionem Joannæ Ducissæ Brabantiæ uxoris ejus, qua statim ac ambo in Ducatuum Brabantiæ, & Limburgiæ Duces, ac Domini recepti fuerunt, caverat hortatu præcipuè mariti, & Caroli IV. per patentes literas datas Bruxellæ Anno MCCCLVI. feria secunda ante Dominicam: *Invocavit*, ut *si ipsa* (sanctionis illius verba sunt) *relictis hæredibus prædictis Duce VVenceslao marito suo superstite moreretur, tunc maritus suus in Principatibus, Ducatibus, Terris, & Dominiis suis, tamquam naturalis Princeps, & dominus succederet, & dicti Principatus, Ducatus, & Dominia liberè ad ipsum volverentur: Sin ipsa marito præmortuo superviveret, nec corporis sui hæredes haberet, Domina terrarum prædictarum, quo usque viveret maneret: Rursus si ex alio marito hæredes procrearet, ut illi in hujusmodi Principatibus, Ducatibus, Terris, & Dominiis mortuæ succederent: Si verò, & se, & maritum nullis relictis hæredibus mori contingeret, ut tunc Principatus, Ducatus, Terræ, & Dominia Brabantiæ, & Limburgiæ ad dictum Dominum Imperatorem* (Carolum IV.) *tamquam successorem legitimum, & illo mortuo ad proximum domus suæ Lucemburgiæ hæredem, qui isto tempore futurus esset, liberè pervenirent*: Terræ, inquam, reddito VVenceslao Lucemburgiæ, Brabantiæ, & Limburgiæ Duce post Carolum IV. nec non & Ducissa ipsa Joanna consorte sua nulla prole relicta defuncta, Serenissimus Princeps Dominus VVenceslaus Romanorum, & Bohemiæ Rex Imperatoris Caroli IV. primogenitus, tamquam proximior VVenceslai Ducis patrui sui, ac domus, sive prosapiæ Lucemburgensis hæres, successit in Ducatu Lucemburgensi: à quo deinceps transiit ad Serenissimum Sigismundum fratrem, qui ut in Imperio Rom. sic & in Ducatu sibi ordine suffectus est. Atque ita veritati litarunt, quicumque censuere, Lucemburgiæ ditionis, & Bohemici Regni gubernationem centum annis, & ampliùs penes unam, & eandem familiam fuisse, hoc est ab eo tempore, quo Joanni Henrici VII. primogenito in uxorem cessit Elisabeth filia VVenceslai Regis Bohemiæ VI. usque ad Serenissimum Sigismundum ejusdem Bohemiæ Regem XIII. & tertium Lucemburgii Ducem, nisi me fallit recta, & vera ratio calculorum, quam ante me subduxisse videntur Chronologi non vulgares. Toto enim illo temporis spatio, quod inter Joannis Henrici VII. F. nuptias, & Imperatorem Sigismundum Caroli IV. F. intercessit, tum Lucemburgium, tum Bohemia in Lucemburgensium Principum, sive (ut alii loquuntur) Henricorum potestate fuit, hoc est annis ferme centum viginti sex, uti censuit Æneas Sylvius Piccolomineus, qui postea Rom. Pontifex creatus, Pius ejus nominis II. appellatus est, in Histor. Bohemica Cap. XXXI. Nam postea ad invicem duo ista Dominia separata sunt, ut aliàs docebo commodiùs, ac tandem Lucemburgius Ducatus ad Austriacam Domum hæreditario jure pervenit, penes quam hodie residet, habetque sub se Marchionatus II. Comitatus VII. qui sunt *Vianden*, *la Roche en Ardenne*, *Salme*, *Durby*, *Marche*, *S. Vit*, *S. Jansberg*, ut à Petro Montano recensentur: multos Baronatus, Dominia plurima, in quibus nobiles plus juris habent in subditos, quàm per reliquam Belgicam.

Et hæc nostra sit ΚΡΙΣΙΣ in Munsterum, cujus palmaris error in perperam nominando VVenceslao Caroli IV. filio, primo Lucemburgensium Duce, loco VVenceslai ejusdem Caroli IV. fratris, non levem huic Excursui occasionem dedit, & ΑΝΑΘΗΜΑ primum Deæ puræ, ac candidæ Veritati, Parenti, & Altrici Historiæ L. ac M. consecratum. *Osius*.

(14) Elegantiùs, quàm si *Parentelæ* nomen Rolandino carum, & aliis ejusdem, & antiquioris ævi Scriptoribus familiare nimis, suas in paginas retulisset: ut vel hinc intelligas Scardeonium veriora Pythia protulisse, cùm excurrens in Mussati laudes, scripsit, *huic pro certo in acceptum referendam esse restitutam Latinæ Linguæ apud Nostros majestatem, quæ tandiu in imo baratbro defossa, & penitus à funesta illa Gotborum rabie sepulta, tum primùm visa est surgere, & in splendorem se se pristinum vindicare*. Quamvis enim, *Prosapia*, vetus sit verbum Tullio, non idcirco tamen sic ad ejus perscriptum proscripta fuit, ut in Latio nullo posthac in honore fuerit, penitus antiquata. Nam illi invisa, novo nempe homini, cui mirandum non est, nova magis, quàm vetera placuisse, amorem aliorum meruit, quorum in scriptis nomen semper aliquod, ac decus gessit, uti nuper ostendimus in hujus Rubricæ vestibulo, tabulis, (quod asserunt) obsignatis. Quibus addas licèt suffragiũ Apulei, cujus mihi nunc in mentem venit, in Asini prologo sic præfantis.

Hymetos Attica, & Hitmos Epyrea,
Et Tenedos Spartiaca, glebæ felices.
Æternum libris felicioribus
Conditæ mea vetus prosapia est.

Enimverò sic usus quandoque voluit,

Quem penes arbitrium, jus est, ac norma loquendi:

Eorum quandoque Lubido, qui cùm novis verbis uti possent, consectari nihilominus antiqua, & prisca vocabula maluerunt. Quemadmodum, enim jam olim, & etiam num hodie vinum vetus nonnullorum palato suavius cum Pindaro sapit, quàm novum, & in primis Senum, in quibus mens, & ratio, & consilium inest: ita quovis ævo sanioribus quorundam ingeniis *verborum*, *sermonumque vetustas* (ut cum Symmacho, & Nostro loquar) novitate quavis magis arrisit: nec tantùm

——— Verborum vetus interit ætas,
Et Juvenum ritu florent modò nata, vigentque

Uti cecinit Romanæ lyræ fidicen optimus Venusinus Vates: Sed Verbis

Quondam etiam priscis redit in præcordia virtus,
Et modò nata cadunt.

Quis mihi secundùm Tullium dabitur major Sallustio, *Rerum Romanarum florentissimo Auctore*, Tacito nullius ori tacendo Lib. III. Histor. *Electissimo pensatore Verborum*, Augustino Libro de Vita Beata. *Romanæ Historiæ Principe*, Martiali Lib. XIV. Atqui de illo hi olim in vulgus sparsi versiculi:

Et verba antiqui multùm furate Catonis,
Crispe, Jugurthinæ conditor historiæ.

Et, si extarent hodie Catonis Origines, ex quibus tum ex allatis versiculis, tum ex Svetonii Augusto multa Sallustium excerpsisse cognoscimus, libenter cum illo coirem hujus furti societatem, non ut priscè loquendo non intolligerer, quod tacendo magis possem assequi, ut ille ait; sed ut Orationem meam collectis hinc inde Antiquitatis venerandæ reliquiis exornarem, non unius tantùm exemplo Sallustii, aut Catonis, qui priscorum verborum, uti priscæ cujusdam sanctimoniæ, observantissimus semper extitit; sed eorum omnium, quibus in literaria nostra Rep. jus spectandi in Quatuordecim, imò in ipsa Orchestra. Iisdem enim mirum in modum delectati Consulares quique rei literariæ Viri. M. Brutus libertatis vindex fortior, quàm felicior: M. Antonius postea Triumvir Reip. constituendæ: Annius Cimber, cui facetè ancipiti dicto Cicero parricidium objecit. *Germanum Cimber occidit*: Verrius Flaccus, ex cujus messe spicas legit Festus Pompejus: Divinarum denique, & humanarum rerum Scientissimus, & apud Terentianum Doctissimus undequaque Varro, ut indicant paucæ, quæ ex luctuosissimo ejus Voluminum naufragio ad nos tabellæ divinitus enatarunt. Ut hic interim silentio involvam Ælii Galli, & Sinni Capitonis Clarissimorum juris Antistitum curam, & operam in priscorum verborum explicatione collocatam; taceamque Sisennæ Libros Historicos; nec Pisonis; Quadrigarii, vel aliorum Annales laudem, qui ad nos utinam pervenissent, ut inde verba quamplurima religionis, & majestatis antiquæ plenissima Apis matinæ more colligere valeremus. Nimirum ob hanc unam causam maximè sancitum olim accepimus, ut Populi Romani Cæremoniæ, Rogationes, ac Formulæ omnes priscis verbis conciperentur, quòd scilicet verba prisca rebus multùm adferre solerent sacri cujusdam horroris, amplitudinis, majestatis. Ecquis enim non admirabitur tacitus, ac fortassis etiam venerabitur supplex, tamquam aliquem mortalem Deum, non

Digitized by Google

non inter homines natum; sed ut è cœlo delapsum Servilii familiarem illum, quem priscis his, quas subdam, Virtutibus Ennius exornavit? Quis non Ennium unà ipsum, quasi Numen, colat Virtutes illas priscis verborum coloribus adumbrantem?

Doctus fidelis, suavis homo, facundu', suoque Contentus, scitus, atque beatu', secunda loquens in Tempore, commodus, & verborum vir paucorum, Multa tenens antiqua sepulta.

Qua velut imagine nostrum expressum agnoscimus Albertinum.

Morboniam igitur abeant, qui verborum vetustatem vitio Mussato vertunt, & barbarum eo nomine Scriptorem vocant, Barbari ipsi penitus, & insulsi. Honorificentiùs enim de illo senserunt hactenus, hodieque sentiunt, & loquuntur Capita Saniora, (quamvis in Historiæ conditore res magis, quàm verba spectet cordatus Lector) quòd ejus dictio pro ævo, quo scripsit, elegans omnino sit; imò supra ævum illud, quo primùm humaniores literæ diu miserè sepultæ è Gothicis tumulis emersere: & Opere, quod texuit, non indigna. Quemadmodum enim, ut est in proverbio, *Castus Castam ducit: Ita Nuntiæ vetustatis Historia* nullis verbis magis gaudet, quàm vetustis. *Prosapiæ* verò nomine pervetusto cùm affecit perantiquæ Lucemburgicæ familiæ genus, nihil sanè facere potuit accommodatius. Quamquam nec solus fecit. Nomen enim idem ad alias alii quoque Familias veteres transtulere, & ad Lucemburgicam signatè Edmundus VVenceslai Rom. & Bohemiæ Regis Caroli IV. F. coævus in Brabanticis Anni MCCCCXI. ea in parte, qua modò laudatum Regem, tamquam proximiorem VVenceslao Duci Caroli IV. fratri, patruo suo, & uti Domus, sive Prosapiæ Lucemburgensis hæredem, in Lucemburgensi Ducatu successisse narrat. *Osius*.

(15) Ferretto, *Clara*, Gerbrando, *Illustris*, Eliæ Reusnero, *Inclyta*, Scriptoribus aliis titulis ejusmodi quamplurimis honoris ergo splendidè decorata. *Osius*.

(16) Possem hujusce rei testes multitudine innumerabiles, numero infinitos dare, si vellem per Historicorum omnium monumenta latissimè divagari: Sed erunt mihi nunc omnium instar Heroes, & Imperatores ejus stirpis duo, quos putandum est habuisse præ cæteris antiquitatem sui Stemmatis exploratam, cùm ambo veteris memoriæ studiis maximè caperentur. Prodeat primo loco Carolus Bohemiæ Rex, & postea Romanorum Imperator IV. verè Doctus, Pius, Inclytus, Augustus in Commentario, sive Diæta, quam ipsemet de rebus à se cum Joanne patre, & sinè patre gestis, antequam Imperii culmen attingeret, exaravit; juris verò publici è sua Bibliotheca fecit eruditissimus Freherus Anno MDCII. VVichelianis typis. Deducit enimverò Carolus generis sui primordia è Regibus Bohemiæ priscis. En ipsa testis Serenissimi verba, pagina nonagesima quinta. *Videns autem Communitas de Bohemia proborum virorum, quod eramus de antiqua stirpe Regum Bohemorum, diligentes nos dederunt nobis auxilium ad recuperanda Castra, & bona regalia.* Quibus accinit Consiliariorum Joannis, ejusdem Caroli patris, Oratio, pagina eadem infra ad Joannem ipsum, ut inter Patrem, & Filium discordias sererent afflatu malo. *Domine provideatis vobis: Filius vester habet in Regno multa Castra, & magnam sequelam ex parte vestra: unde si diu sic erit, prævalebit, & expellet vos, quando voluerit: Nam & ipse hæres regni, & de stirpe Regum Bohemiæ est, & multum diligitur à Bohemis: Vos autem estis advena.* Et Epistola Patriarchæ Aquilejensis ad Carolum ipsum pagina 104. cùm ejus opem, oppressus à Duce Austriæ, & Comite Veronensi Mastino prope Veronium Fori-julii, imploraret supplex. Talis nimirum ejus Epistolæ frons erat. *Vobis Illustri Principi Carolo de progenie Regis Bohemiæ, Marchioni Moraviæ, nec non Militiæ vestræ notifico, &c.* Et hæc quidem erat Caroli de suæ Stirpis antiquitate sententia. Sed tum ille Maternum Stemma potiùs, quàm Paternum, nec antiquum admodum respectu Lucemburgensium Procerum ob oculos habuit, cùm ea sensit, unde Consiliarii patris ejus Joannis, *nam & ipse* (ajebant) *hæres Regni, & de stirpe Regum Bohemiæ est &c. Vos autem estis advena.* Mater enim Caroli Elisabeth VVenceslai senioris Bohemorum Regis filia, cujus ergo Bohemia in Lucemburgensium potestatem venit: Joannis verò Margareta Joanni I. Brabantiæ Duci XXXI. nata. Quamobrem Serenissimus alter testis VVenceslaus, modò laudati Caroli IV. Imperatoris filius, & ejusdem in Imperio successor, sublimiùs de sua Stirpe sentiens, nec extra patris sui mentem, paternam originem suam altiùs repetebat, & ad Carolum Magnum; imò ad Trojanos ipsos Proceres, vel in quotidianis eruditorum sermonibus, referebat. Hujus mihi dicti præcipuus auctor, & fundus Edmundus est, qui cum Anno salutari MCCCCXIII. eaque die, qua Ernestus Austriæ Dux à Carolo IV. saliari prandio exceptus est in castro Karlestein, ad eum Ducis sui nuntius accessisset, se ab illo pomeridianis horis in aulam Brabantiæ Ducum Tabellis pictis insignem deductum narrat, ibique sermones de ultima suæ Stirpis origine secum perhumaniter ad hunc modum satos. *Vidi etiam in prædictis Castris suis Karlestein, &c. benignè accipientem* (Oratores Principum) *& gratiosè audientem, & quomodo literas Serenissimi quondam Caroli Regis, & aliorum Principum Franciæ latinè scriptas per nos præsentatas ipse aperuerit, legerit, & ipsarum tenorem nobis exposuerit, & de statu eorumdem affectuosè per nos fieri certior desideraverit. Ubi similiter de statu Baronum, Ducatuum Brabantiæ, & Lucemburgi, quorum notitiam aliqualem habuit, ut asseruit, percontabatur. Erat enim bene literatus, congruè loquens latinè, meque postea per manum capiens duxit in aulam, in qua pretiosæ imagines omnium Ducum Brabantiæ usque ad Ducem Joannem Brabantiæ hujus nominis III. inclusivè sunt depictæ. Quas prædictus Carolus Imperator genitor ejus inibi depingi fecerat, dixitque ad me, suam illam esse Genealogiam, & se de progenie Trojanorum, & signanter Sancti Caroli Magni Imperatoris, & inclytæ domus Brabantiæ descendere, & Imperatorem Henricum de Lucemburgo proavum suum duxisse filiam primi Joannis Brabantiæ Ducis, ex qua genuerit avum suum Joannem Bohemiæ, & Poloniæ Regem.* Hæc Edmundus partim ex suo, partim ex alieno VVenceslai ore, qui quidem verissima de suo fumoso, famosoque Stemmate memorabat, uti liquidiùs apparebit ex Genealogia Mosellanorum Ducum, è quibus Lucemburgenses Principes, Comites, Duces, Imperatores Augusti fortes, ac strenui prodierunt. Siquidem illam à primis usque Trojanorum Primatibus derivabo, ut ex illo Sole lucem haurire possit rerum hujuscemodi studiosus Lector ad hæc, & alia ejusdem generis, sicubi occurrerint, penitiùs introspicienda. Eam verò præfigam Genealogiam vestibulo Operis cum Stemmate Lucemburgensi, ut inibi patere possit omnibus, in meliori veluti lumine collocata. *Osius*.

(17) Sonat vox, *Stipitis*, tum Græcis, tum Latinis propriè caudicem cum frondibus in frutice, dein in arbore, & hinc factum fustem defixum humi; & ab utrisque totidem ferè, ac paribus literarum elementis effertur. Gloss. Cyr. *σύπος. Stips*. Lege *Stipes*. Philoxeni. *Stipes*. *σέλεχος, ἄκαρπον. Truncus, Caudex, Ramus infructuosus, inutilis*. Et mox. *Stipites*, *σελέχη, δρύοχοι, κορμοί. Rami, Caudices, Trunci*. Festus. *Stipes, fustis terræ defixus*. Cæsar. Lib. I. Belli Civ. *Fossas transmarinas viis perducit, atque ibi sudes, stipitesque præacutos defigit*. At translatè, cùm stipes rudis sit, ut plurimùm, & impolitus, cadit in agrestem hominem, stultum, fatuum, & insulsum. Terentius in Heaut. Act. V. Sc. I.

---------- *In me quidvis harum rerum convenit,*
Quæ sunt dicta in stultum Caudex, Stipes, Asinus, plumbeus:
In illum nil potest: nam exuperat ejus stultitia hæc omnia.

Tullius in Pisonem. *Sed qui tamquam truncus, atque stipes si stetisset modò, posset sustinere tamen titulum consulatus.*

Sed absit, ut tale quippiam hic in mentem Scriptori nostro venisse putemus Lucemburgensium Comitum prosapiam laudibus efferenti. Quare propiùs est, ut censeam, illum vocem hanc Stipitis, aut simpliciter usurpasse, eique tantummodo comparare studuisse primos, & ultimos Lucemburgici Stemmatis auctores; ut quemadmodum rami arborum manant è stipite,

re, sic ex illis se se diffudisse voluerit Procerum Lucemburgensium genus, quo sensu Stirpem alii frequentiùs usurparunt. (nam, ut Homerus ait,

Ὥσπερ φύλλων γενεὴ τοίηδε καὶ ἀνδρῶν.

Qualis est generatio plantarum, talis est & hominum.) aut certè, cùm Stipes non tam rudis sit truncus, & ut plurimùm impolitus; sed solidus etiam, validusque: imò solidior, & validior Stirpe, vocem eam vulgatam minùs, magis usitatæ prætulisse, ut hac quasi nota Principum illorum robur, ac fortitudinem tum animi, tum corporis denotaret, è quibus Comitum Lucemburgensium orta prosapia, quæ cæteras *armorum, bellorumque* (ut ipsemet paullò post loquitur) *strenuitate* præibat. Namque

Fortes creantur fortibus, & bonis
Est in Juvencis, est in Equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant Aquilæ Columbam

Horatio teste Lib. IV. Carm. Ode IV. cui sinè dubio facem prætulit Pindarus Ειδ. Η. στροφ. γ κωλ. θ. Φυᾶ τὸ γενναῖον ἐπιτρέπει ἐκ πατέρων παισὶν λῆμα. *Natura in liberis eminet ex Patribus generosa magnitudo animi.* Ac fortassis etiam Divinus Plato in Oratione funebri: & magno non minor Præceptore discipulus Arist. in Polit. Lib. III. Cap. VIII. Ἔτι διό τι βελτίους εἰκός τοὺς ἐκ βελτιόνων. εὐγένεια γάρ ἐστιν ἀρετὴ γένους. *Præterea, quia probabile videtur eos, qui ex præstantioribus procreati sunt, præstantiores esse, nobilitas verò est Virtus generis.* Sicuti e contra, ut est apud Euripidem.

Οὐκ ἂν γένοιτο χρηστὸς ἐκ κακοῦ πατρός.

Prolem probam haud Pater progignet improbus.

Nempe, citante Stobæo ex Ecdoro nescio quo

Ἐκ τοῦ κακοῦ γὰρ ἡ φύσις τίκτει κακόν.
Ὡς ἐξ ἐχίδνης πάλιν ἔχιδνα γίγνεται.
Ex improbo Natura gignit improbum,
Ut Vipera iterum nascitur de Vipera.

Quare non temerè Terentianus Chremes ex maternis moribus filium æstimat. Sic enim rixatur cum Sostrata in Heaut. Act. V. Sc. III.

Is quòd est consimilis moribus
Convinces facilè ex te natum: nam tui similis est probè.
Nam illi nihil vitii est relictum, quin id itidem sit tibi:
Tum præterea talem, nisi tu, nulla pareret filium.

Cùm ita natura comparatum sit, ut partus parentibus respondere plerumque soleant, &, cùm secus res accidit, portenti habeatur loco; nec aliunde promanarit illud. *Heroum filii noxæ*, quales, testimonio Socratis apud Platonem in Alcibiade priore, fuere filii Periclis, quorum duo Paralus, & Xantippus stupidi, Clinias verò furiosus extitit: & in Memnone Lysimachus Aristidis, Melesias, & Stephanus Thucydidis pretii nullius viri, quorum in numerum venire quoque jure suo possit M. Tullii filius illaudatus planè, & à paternis virtutibus degenerans undequaque. Eadem enim vis & natura, quæ semini parentum inest, abit in natos, & acclamante Properito Lib. III.

Naturæ sequitur semina quisque suæ.

Et ex alio nescio quo

Ἀνέρα δὲ τρόιη τρηΐκιον ὅστι φορήσαι.

Threicium non Troja virum produxerit unquam.

Potuit itaque, nec incongruè Mussatus generosissimam Comitum Lucemburgensium sobolem è generosissimis majoribus derivare, & adhibito nomine *Stipitis* natura sua firmi, ac validi, tum derivationem hujuscemodi, tum parentum, & propagatorum stirpis ejus præstantiam adumbrare, non tam Poetarum, quibus, ut Pictoribus.

Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas,

quam Historicorum more. De Poetis manifesta res. Quos enim illi nomine fortitudinis, ac roboris supra cæteros elatos volunt, *duro è robore*, quasi *duro* dicas *è stipite* natos canunt; nec aliam ob caussam apud eorum patrem ter Iliade II. Ὄζος ἄλκος, *Ramus Martis*, occurrit, nimirum ad sobolem non ob ignominiam stolidam; sed ob commendationem solidam, ac verè Martiam legentibus indicandam. Ex Historicis duos hic etiam habeo, quos producam. Unus est Ptolomæus Lucensis Episcopus Torcellensis in Annalibus, Ferrettus Vicentinus alter à nobis aliàs laudatus, & ambo coævi Nostro, deque stirpe illa duplici differentes ambo, nomine uno stipitis usurpato, ad quam VVenceslaus Caroli IV. F. ex Duce Lucemburgensi Romanorum Imperator factus, generis sui primordia referebat. Verba nunc amborum affero, & his nostram sive sententiam, sive conjecturam obsigno. Primus ad Annum MLXIX. hæc habet. *Eodem etiam tempore Philippus filius Henrici Regis Francorum super eosdem regnat, qui Quartus fuit ab Ugone dicto Capeduce* (vulgo, Capeto, sive Scaplario) *Aurelianense, ut Riccardus refert, per quem cum consensu Principum susceptum est Regnum Franciæ: deficiente verò stipite Regni præfati, quo omnes Reges præteriti descenderunt prædicti Regni.* Hæc alter in Responsione nescio qua Ducum, & Magistratuum Pop. Patavini ad Legatos Venetorum Patrum. *His Patavum Duces, Populique Magistratus accensi sermonibus, inquiunt, Non sufficit vobis Antenorem à stipite vestro Principem dicere, aut vestræ gentis originem habuisse, si privatam sedem eligitis, &c.* Hæc ita nos, uti de vocis hujus usu sentimus, hoc loco proponimus, non sancimus, quibus, qui volet, adjiciat verba Epistolæ Caroli Ungariæ Regis ad Elisabeth Bohemiæ, & Poloniæ Reginam, quam produxit in lucem Chronica Aulæ Regiæ, Parte II. Cap. XXI. *Et licèt proximitatis identitas, & consanguinitatis indissolubilis unio, dudum inter nos divinitus ordinata, quam ab uno stipite, tamquam germani gradu proximo, derivamus, fuisset sufficiens, &c.* Osius.

(18) Recurret laus eadem infra Rub. X. de Principibus Etruriæ viris; sed alio paululum verborum nexu. *Thuscorum quoque nobilium, eorum præcipuè, qui Imperialis zeli agnomina ab antiquo tenuerant, videlicet ex Ubertorum Florentina progenie plurimi, aliique Prosapiarum Etruriæ strenuissimarum militaribus fulcimentis.* At totidem ferè verbis Lib. IV. de Gestis Italicorum. Rub. III. in commendationem Marescalchi Beltrandi Gulielmi F. miræ fortitudinis, & staturæ proceræ viri, *cuique ævo illo vix alter cis montes Gallicos armorum strenuitate æquabatur.* Rarò alibi se se nobis in conspectum dabit. Nam paucorum ea re vera laus, & eorum tantùm

——— quos æquus amavit
Juppiter, atque ardens evexit ad æthera Virtus,

Virorum, uno verbo, fortium, quos imperiis rerum Natura peperit, & habenis Orbis. Clarè Papias. *Strenuus, fortis, efficax, gnavus, vigilans, dictus quòd sternendo adversa renuat.* Imò est à Græcis στρενὺς, quatenus fortis. Sejunxit, quod sciam, Strenuum à forti Plautus in Cistell. ut apud Gellium videre est Lib. VII. Cap. VII. & Tullius in Philip. II. *Ut cognosceret te, si minùs fortem, attamen strenuum.* Sed aliter sensere Plinius Lib. XVIII. Cap. V. & Cato in Præfatione, à quibus *Viri fortissimi*, & *Milites strenuissimi* copulantur. Ecquis à Catone ad alium audeat appellare?

Assumpsit Strenui vocem Nero (ut in Apulejum Elmenhorstius notat, cui strenuus idem est, quod ἀνδρεῖος, *virilis, magnanimus* Græcis) at quàm rectè, cùm luxu totus, quotus erat, diffluereret se se remittente sævitia, nemo non videt. Assumpsit & Carolus Philippi II. Burgundiæ, & Brabantiæ Ducis, Flandriæ & Hannoniæ Comitis filius, Strenuus cognomento; at quanto justiùs Nerone probè sciunt, qui factum ejus virtute norunt, ut convenerint, & in unam ditionem redactæ fuerint amplissimæ Provinciæ, & unius imperio subjectæ, Burgundia, Brabantia, Lucemburgensis Ducatus, Lymburgia, Flandria, Hannonia, Namurcensis Comitatus, Phrisia, Zelandia, & Hollandia, ut est à Lazio proditum Lib. III. de Migrationibus Gentium in Genealogia Comitum Hannoniæ, unde Flandriæ Comites, prosapia Eugeshaymensium extincta, suam originem deduxere. Veris itaque Viris jure Strenuitas attributa jam rerum dominis ob virtutem, vel ad illarum fastigium eadem virtute duce, & comite procreatis, dignis omnino Strena, quam Viris strenuis ob virtutem convenire dicebat in Epistolis Symmachus. Nominabo, qui se se mihi dederint obvios in hoc scriptionis æstu, & à Græcis Imperatoribus initium ducam. Cornelius Nepos Veronensis (vulgò, & perperam Æmilius Probus, qui Cornelii amanuensis fuit) de Mardonio Satrape

Regio

Regio in Pausania. *Namque illo duce Mardonius Satrapes regius, natione Medus, Regis gener, in primis omnium Persarum, & manu fortis, & consilii plenus cum ducentis millibus peditum &c. Græcia fugatus est.* Et in Timoleonte de Macrochiro, sive Artaxerxe Longimano. *At Macrochir præcipuam habet laudem amplissimæ, pulcherrimæque corporis formæ: quam incredibili ornavit virtute belli. Namque illo Persarum nemo fuit manu fortior.* Res enim eadem *manuum Fortitudo*, & bellorum *Strenuitas* Nepoti. Idem sui ipsius interpres in Datame de Commissare illius patre. *Pater ejus Commissares, quòd & manu fortis, & bello strenuus, & Regi multis locis fidelis erat repertus, habuit provinciam Ciliciæ juxta Cappadociam, quam incolunt Leucosyri.* Et iterum in Timoleonte de Dionysio Majore. *Unus item Siculus Dionysius prior. Nam & manu fortis, & belli peritus fuit.* Quam laudem Vellejus Paterculus verbis his aliis, *Manu promptus, impetu strenuus: Bonus militia*, Tacitus extulisset.

Gradum hinc facio ad alios Dynastas Orbis Elogio simili celebratos. Nicolaus Reusnerus in Elogio Theodonis Ducis Bojorum, qui rebus humanis præfuit Anno DXXXVII. cuique res præclarè gestæ Magni cognomentum postea pepererunt, ipsomet Theodone loquente.

Magnus ego, magnis nomen virtutibus æquo:
Nomine non passus strenua facta premi.

Angisus Arnulphi F. qui claruit Ann. Chr. DCLXXIX. apud eundem Reusnerum.

Strenuus in Venedos ultricia signa feroces
Dum paro, crudeli cæsus ab hoste cado.

Pantaleo Candidus de Pelagio Favillæ Ducis Cantabriæ F. ac Primo Legionis, & Asturum Rege Anno DCCXVII.

Integrat Hesperiæ Rex sceptra Pelagius auctor,
Cantabriæ genitore satus de Rege potentis:
Collectamq; fuga, & sparsam circum undiq; gentem
Strenuus imperio asseruit &c.

Idem in Necla Bohemiæ Principe IX. de Silerico,

Pro Duce quique suo steterat, Silericus in armis
Strenuus infesto cæsus ab hoste cadit.

Et in laudem Nostricii Neclæ F. & ejusdem Bohemiæ Principis. X. qui aliis Hostivitius, & Hostuitus.

Cui Mars, & Martis semper fera prælia cordi,
Ultor opes texit strenuus ipse suas:
Fortiter & patriis rejecit finibus hostes,
Inque suo semper limine victor erat.

Tale quoque præconium retulit ex ejusdem Pataleonis calamo Spitigenus Bohemiæ Princeps XII. F. Borivorii, sive Borsivii primi ex Ducibus Bohemiæ Christi fidem amplexi Anno DCCCLXXXXV. & XI. Bohemiæ Regis.

Spitigenus Regni suscepit munia natus,
Quum sua solvisset fata suprema Pater.
Ille sui coluit vestigia sancta Parentis,
Et merito sacras auxit honore domos:
Strema seu belli Mars posceret efferus arma,
Candida seu lætæ tempora pacis erant,
Strenuus egregiis bellans se gessit in armis,
Lætus, & optata pace quietus erat.

Horum etiam in numero recensitus Arnulphus Malus Bojorum Rex Anno DCCCCXXXVII. Luitpoldi Primi F. à supra laudato Reusnero, cujus ore de se ad hunc modum fatur.

Strenuus in bello, prudens in pace: scit OEnus
Virtutes nervis non caruisse meis.

Ernestus etiam Rex Bojorum alter An. MLXXV. Luitpoldi III. filius, Alberti frater, Strenuus cognomento, cujus illa sunt ex eodem fonte.

Strenuus, acer, & invictis fortissimus armis,
Digna domi feci Principe, digna foris.

Piaculum pene fuerit in hoc censu Principum præterire silentio Alphonsum VII. Aragoniæ Regem Anno MLXXIX. & alios ab eo Reges, ac Principes, quos eadem virtus immortalitati consecratum ivit. Audiamus imprimis, quid de Alphonso VII. Pantaleo literis consignarit.

Successit Gener huic, (Alphonso VI.) *& nomine dictus eodem*
Strenuus egregiis, & longè invictus in armis.

Succedat Alphonso VII. sed qui longo post temporis intervallo, anno scilicet MCVI. Hierosolymam regia potestate moderatus est, Balduinus. Riccardus enim, quem Ptolomæus Lucensis laudat ad eum annum, cùm Balduinum hunc Gotifredi fratrem fuisse dixisset, eundem postea *Militem strenuissimum* appellavit, quod ipsum præstitit ad Annum MCXVIII. quo vitæ curriculum confecit, cùm regnasset Annis XVIII. Huic Balduinus alter, ut Nomine & Imperio Hierosolymitano par, sic & Strenuitate similis extitit, ut idem Ptolomæus tradit, cujus sunt ista: *Anno Domini MCLIV. Balduinus Rex Hierosolymorum, frater Comitis Andegavensis, licèt juvenis; strenuissimus tamen in armis, & in regimine gratiosus, & providus cum militia sibi dimissa Francorum, & sua invadit Ascbalonem præcipuam civitatem in terra Philistinorum, ipsam obsidet, & ultimò capit.* En viri strenuitas re magis indicata, quam verbis. Sed eandem quoque laudem idem Scriptor ante contulerat in Fridericum Primum ejus nominis Imperatorem ad Annum MCXLIX. & uberiùs quidem his verbis. *Isto eodem Anno (MCXLIX.) Corradus moritur post reditum suum de terra Ultramarina, cui succedit Fridericus Primus. Hic nobilis, largus, facundus, & strenuus scribitur:* Et in Raynaldum cognomine Christianum, & Philippum Cancellarium *strenuos* (ut ipse vocat) *Principes, & amicos Imperatoris* (Friderici) *præcipuos* ad Annum MCLXV.

Venit & horum in numerum jure ac merito Gebhardus Bavariæ Dux, cujus obitum Trithemius sic adumbrat in Chronico Bavariæ Ducum. *Anno Domini MCLXIII. obiit Gebhardus de BurcKhausen Dux in Bavaria, vir strenuus, justus, ac timens Deum:* Venit & Albertus Dux Austriæ, Regis Rodulphi F. de quo multa hæc paucis Egmundus ad Annum MCCXCIX. *Iste Albertus strenuus, & potens fuit, & omnes timebant eum:* Venere & alii Sceptro, & Imperio re vera digni. Aduardus Rex Angliæ apud Ptolomæum ad Annum MCCLXXII. Comes Rodulphus de Ahisburg Imp. apud eundem, tum ad sequentem Annum, quo ad Imperium evectus est, tum ad millesimum ducentesimum nonagesimum primum, quo Romæ Imperio defunctus, & vita concessit ad plures. Adulphus Alemanniæ Rex ad Annum MCCXCVIII. Rupertus Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ, ac Princeps Elector. *Vir strenuus, & arte bellandi promptus*, ut est apud Trithemium in Chron. Bavariæ Ducum ad Annum MCCCL. VVilhelmus Bavariæ Dux alter Hollandiæ Comes, & Imperatoris Ludovici Bavari F. eodem in Chronico. Matthias Rex Ungaricus XXXII. Anno MCCCCLXVIII. qui, Joannis Sommeri præconio.

Fœda latrociniis expurgans arva Bohemis
Compulit Hussitas fœdera jussa pati:
Bellaque sex totos gessit feliciter annos,
Æquavitque sui strenua facta patris.

Et quod non, Sceptro (ut dicebam) & Imperio re vera digni?

Hinc proximus ad Imperii fastigium gradus Strenuitas ubique ferè Gentium, ac Terrarum. Paulus VVarnefridus Longobardi F. de Agilulfo Lib. III. Cap. XXXVI. de Gestis Longobardorum. *Illa verò* (Regina Theudelinda) *consilium cum prudentibus habens, Agilulphum Ducem Taurinatium, & sibi virum, & Longobardorum genti Regem elegit.* Et caussam subdens hujuscemodi consilii à Regina capti, hanc affert. *Erat enim isdem vir strenuus, & bellicosus, & tam forma, quàm animo ad Regni gubernacula coaptatus.* Non aliam certè ob caussam Gotifredus Lotharingiæ, & Burgundiæ Dux in Regem Hierosolymorum electus est, conversis in unum omnium votis, quàm quòd Strenuitate Duces cæteros anteiret. Disertissimè Ptolomæus ex Riccardo ad Annum MCI. *Anno eodem Gotdifredus, ut scribit Riccardus, Dux Lotharingiæ, & Burgundiæ ab omni populo, qui inventus est in Hierusalem, & ibidem in Regem eligitur, ad quem fuit vox totius exercitus, tamquam ad magis strenuum Militem, & tali excellentia dignum.* Quid apertiùs? Sed etiam in Rodulpho Comite Strenuitas semel visa, simul & probata est, ut aliquod Phidiæ signum, eademque tenebris illius (si quæ erant) splendorem offundens, in caussa fuit, ut licèt parvi dominii, & Comitatus esset, nihilominus acclamaretur ab omnibus Imperator, *quòd* scilicet altera ex parte *strenuissimus in rebus bellicis haberetur:* quemadmodum Henricus VII. Augustus, cujus res gestas persequitur Noster, virtutis ejusdem sublatus alis, attigit Imperii Romani culmen, *ut quantò humilius habuerit ipse primordium*

(verba

(verba Nostri sunt infra Rub. IV.) *tantò celeriùs volaverit in sublime*. Et audivimus supra ex Corn. Nepote in Datame, Commissari ejus patri datam Ciliciæ provinciam juxta Cappadociam, *quòd* inter cætera *manu fortis, & bello strenuus repertus esset*.

At aliis ad Regiam sedem viam quoque Strenuitas communivit, Lammissioni in primis apud VVarnefridum de gestis Longobardorum Lib. I. Cap. XV. *Qui cùm adolevisset, adeò strenuus juvenis effectus est, ut & belliosissimus extiterit, & post Agelmundi funus Regni gubernacula rexerit*: Et Albuino apud eundem Cap. XXVII. ejusdem Libri, *Viro adeò bellis apto, & per omnia strenuo, ut cùm diem obiisset extremum Audoin, ipse Regum decimus ad regendam Patriam cunctorum votis accesserit*. Sed enim eadem quoque sors Tiberio ob Strenuitatem contigit. Unde tale illi confecit Elogium calamus Scriptoris ejusdem Lib. III. Cap. XI. *Hic* (Justinus) *Tiberium Cæsarem adscivit, qui ejus palatium, vel singulas provincias gubernaret; hominem justum, utilem, strenuum, sapientem, eleemosynarium, in judiciis æquum, in victoriis clarum, &, quod his omnibus superemiuet, verissimum Christianum*; nec non & Georgio Bohemiæ Regi, de quo hi versus extant.

Strenuus audaci casus vir pectore in omnes,
Bojema cretus de gente Georgius heros,
In Regem populi, eximio Patrumque favore
Eligitur, Regnum quum tandem hærede careret
Legitimo &c.

Spectata Strenuitas etiam in Ludovico IV. Bavaro cognomento, & ejus ergo prælatus is acerrimo competitori Friderico. Villanus Ludovico ætate æqualis, diligens disertusque Scriptor in Historiæ suæ, quam usque ad Annum MCCCXLVIII. continuavit Lib. IX. C. LXVI. *Eodem anno à Principibus Germaniæ facta est electio duorum Germaniæ Regum, fratris nimirum Ducis Bavariæ, Ludovici nomine, viri strenui, & egregii, &c.* Diffudit, & splendoris sui radios eadem virtus in Henricum VII. fecitque ut par haberetur imperio Romanorum. Quam ob caussam Trithemius, cùm eum Strenuum appellasset, statim dignum imperio nominavit, ut in ejus Elogiis apparebit, & Notis ad Rub. IV. ubi caussas electionis illius præcipuas attingemus. Enim verò *Strenui* re ipsa rerum gubernaculis divinitus dati, & ut Imperium à Deo (quod alibi firmabitur suo loco) ita *Strenui* quique Imperio digni non inter homines nati; sed è cœlo dimissi credebantur in terras, tamquam mortales Dii, ut cæteris cum potestate præessent. Pindarus ex opinione suorum temporum. Od. 9. Olymp.

-------- ἀγαθοὶ δὲ
Σοφοὶ καὶ δαίμονν ἄνδρες
Ἐγένοντο.

Quotquot viri sunt strenui, & sapientes, extitere à Deo. Vel, ut alii vertunt, *strenui autem viri, & sapientes per divinam sortem existunt*. Quem locum respexisse videtur divinus Maro, cùm Æneam suum, quo nullus pietate, vel armis eidem præstantior fuit, genus trahentem fecit à Summo Jove Æneidos VI. licèt id ipsum scripsisse credatur Poeta princeps, quòd Æneas filius Veneris haberetur, quæ filia Summi Jovis, uti plerique sibi volunt Interpretum ad illum locum.

Pergo, dum vacat, strenuè, & hoc ampliùs observo non alienum à susceptæ provinciæ Sparta. Non tam Seculi Principes, ac Dynastas cognomine Strenui decoratos: sed ipsos etiam Sacrorum Antistites, & Divorum Mystas: at tum demum Strenuus significabat potiùs *vigilem, celerem, & impigrum ad agendum* (quæ quidem Sacrorum Præsulum, & Archiflaminum dotes præcipuæ sunt) ut apud Plautum, cui Pseud. Act. II. Sc. IV. *Homo strenuus*, idem est, qui in eadem Comœdia Act. I. Sc. III. *Doctus, callidus, non qui vigilans dormiat*: Curtium Lib. IX. ubi *strenua Mors, cita Mors est*: & Symmachum Epistol. XXXV. Lib. X. qui ob vigilantiam maximè DDD. Valentinianum, Theodosium, & Arcadium Augustorum inter Strenuos, & Strena dignos refert, quàm armorum, bellorumve strenuitate præstantem. Ne segnes hìc trahamus moras, Sidonius à nobis est Lib. II. Epist. X. hisce coloribus depingens, & exprimens Episcopum patientem: *Ecclesia nuper extructa Lugduni est, quæ studio Papæ patientis summum cœpti operis accessit, viri sancti, strenui, severi, misericordis, quique per uberem munificentiam in pauperes, humanitatemque non minorem bonæ conscientiæ culmina levet*. Sangallensis etiam alium nobis Episcopum eadem virtute clarum effinxit his verbis Lib. I. de Gestis Caroli Magni, Cap. XXXII. *Hic habuit unum Vassallum non ignobilem Civium suorum, valde strenuum, & industrium, cui tamen ille, ne dicam aliquod beneficium; sed ne unum quidem blandum sermonem impendit*: Et alium Joannes Becanus Canonicus Ultrajectensis, quem Joannem de BeecK Trithemius nuncupat, alii de BeKa, in Historia Veterum Episcop. Ultrajectensium, & Hollandiæ Comitum, nomine Henricum, Trajectensem Episcopum XXXVIII. Sic enim ille in eo. *Henricus itaque XXXVIII. ordinatus Episcopus, quævis Ecclesiastica ministeria pia sollicitudine sublimare studuit, nihilominus & temporalia jura strenua probitate gubernare disposuit*. Quamquam illud etiam me consignasse memoriæ thesauro memini, in Episcoporum albo fuisse, quibus non ob vigilantiam tantùm; sed ob insignem quoque magnitudinem animi spectatam foris, & res militiæ bene gestas Strenuitatis elogium conveniret. Talis (ut de aliis sileam) Arnoldus fuit, Trevirorum Archimysta LXXXVIII. quod ejus fortia facta pro Sacræ suæ Sedis juribus conservandis satis superque declarant, quæ vetus, & æqualis illorum temporum scriptor, una cum rebus ab ejusdem avunculo Theodoro Sedis ejusdem Archiepiscopo LXXXVII. præclarè gestis collegit in Trevirorum actis, & inde breviter in Annales suos retulit Keryander Parte XV. Quod & Trithemius fecit, qui ex ejusdem veteris Scriptoris fonte sua hausit, & ita contraxit in Chronica Hirsaugiensi ad Annum MCCLIX. *Arnoldus Archiepiscopus Trevirorum Anno Pont. sui 17. diem clausit extremum. Vir per omnia magnificus, qui multa pace, belloque strenuè gessit*. Talis Adelboldus Trajectensis Episcopus XIX. de quo Joannes Becanus ista in eo ad Annum M. XVII. *Calendarum Augusti eodem Anno præfati Principes itidem convenerunt ad prælium, committentes alterutrum magnæ depopulationis excidium; ceciderunt enim iterum ex parte Pontificis Adelboldi strenui rebellanti manu neci dati, &c.* Talis Cuno Canonicus Moguntinus, quem cùm sibi adjutorem accivisset Boemundus Trevirensium Pont. XCIII. successorem etiam habere voluit, quòd adversùs hostes in Ecclesiæ suæ tutela strenuè se gessisset. Sic enim rem narrat, & Cunonem celebrat Keryander Annal. Trevir. Parte XV. pag. 191. *Porrò Boemundus, ut dictum est, Cunonem de FalcKenstein Canonicum Moguntinum, quòd illius Ecclesiæ tutela strenuè, summaque cum laude functus erat, initio Treverensis Ecclesiæ Canonicatu auxit, simulque sibi adjutorem sumpsit. Nec diu post, quum auxilio finitimorum adversùs Arminiacos; dein etiam peculiariter contra Philippum Isenburgicum fortem operam Cuno navasset, ipsum Philippum cepisset, Castrumque quod ille ad Ecclesiæ Treverensis detrimentum extruxerat, eversisset, tanta ejus fortuna lætatus Boemundus, ipsi Archiepiscopatum tradidit*. Talis denique ne plures congeram Archimystas illustres Strenuitatis nota, Paganus Turrianus Ecclesiæ Patavinæ Pontifex LXXXII. quem à prophanæ militiæ castris, in quibus Turriana gens semper excelluit, ad Sacram Insulam votis communibus accersitum prœlia multa pro Patavis exercuere, fregere nulla, ut (quod ait Noster in Prologo Librorum de Gestis Italic. post Henricum VII. Imp. quos illi nuncupatos voluit) *videatur divinitus è tantis periculis, circum se nudatis ensibus, evasisse*; nec ulla unquam ejus trophœis, ac monumentis allatura esse finem ætas.

Hinc dictis Mussati splendor, ac fides, cujus ergo hìc à nobis habitus de *Strenuitate* sermo. Siquidem enim in Comitibus Lucemburgensibus, è quibus Henricus proditus, obtutum figas, ac unà omnes, vel seorsim singulos spectes, sive quos Galea, sive quos Infula sacra texit, omnes armorum, bellorumque strenuitate conspicuos deprehendes. Occurret in his ante alios primus, Adalbertus Lazio, Adel-

Digitized by Google

Adelbero Gestorum Trever. Auctori, & Magni Chronici Belgici Collectori, S. Paulini Trevirensis Præpositus, nobilis, potens, ac dives, & Castellorum Sarburgi, Berencastelli, atque Rhutiarum dominus, Cunigundæ Augustæ Imper. Henrici II. Claudi conjugis frater, eaque animi vi pollens, ac præstans, ut ad Episcopatum Trevirensem sibi muniverit, & aperuerit viam, quod Lazius Anno MCCCXCV. Magni Chronici Belgici Collector MIII. Hermanus Contractus MVIII. contigisse scribunt. Secundus, Gisilbertus, qui Popponi Episcopo Trevirensi, à quo Adelbero frater depressus, & Castellis supra nominatis exutus fuerat, bellum adeò grave, & funestum intulit, ut Trevirensem Diœcesim propemodum universam evererit, devastarit. Tertius, Gisilberti filius, Adelberonis nepos, Cunradus, qui Ebherardum ministrum regium latè sævientem, & impiè grassantem in Maguntinos, ut sibi filii duo, Utonis Marchionis unus, Adelæ derelictæ Dedi Marchionis alter, Regis sui obsides redderentur, cum contumelia repulit, susceptosque pueros Episcopo Moguntino salvos, & incolumes obtulit, ut Scafnaburgensis narrat ad Annum MLXXVI. Quartus Hermanus Cunradi Germanus, ut Lazius suspicatur, frater, Dux Saxonum electus adversùs Henricum IV. Imperatorem anno MC. Quintus, Henricus, ejus credo nominis I. à quo Lucemburgii simul, & Namurci Comite Godefridus III. Brabantiæ Princeps XXVI. prœlio apud Hagam Carniriam stratus, victus, profligatus est, amissis duobus virorum millibus anno MCLXX. Aquicinctensi, & Meyero testibus apud Haræum in ipsomet Principe Godefrido. Sextus, VValramus, qui cùm esset Lucemburgensis Comes, ab Othone Imperatore, cum cæteris nobilibus Mosensis tractus, in societatem adscitus est fœderis initi pro bello inferendo Francorum Regi, supra laudati Haræi testimonio in Henrico IV. Brabantiæ Principe XXVII. Septimus, Henricus alter, Henrici VII. Cæsaris pater, qui majorum gloriam parasangis innumeris prætergressus, strenuissimè tandem contra Joannem I. Brabantiæ Principem XXXI. dimicans cum Rainaldo Geldriæ Comite, obita gloriosa morte perpetuam immortalitatem emit: aliique permulti Strenui re vera viri, Heroes orbis, belli faces, ac fulmina, Lucemburgici lumina, columina Comitatus. Atque hi sinè dubio antiqui illi Stipites censendi sunt, ad quos respexit Noster, cùm isti Rubricæ consignatum voluit, Lucemburgii Comites, è quibus originem Henricus VII. Imperator traxit, nominis sui memoriam Strenuitate magis, quàm antiquitate generis propagasse.

Loci hujus sententiam jam expendi, verba nunc ejusdem ad trutinam revocabo, ne quis, ut obsoleta, damnet. Ut *Strenuus*, ita & *Strenuitas* jure donata Latii à Principibus Rei Literariæ viris. Ovidius, quem inter Poetas Latinos ingenii magnitudine supra omnes excellere cum Romano Philosopho haud inviti consitentur, quicumque de ingeniorum præstantia arbitrium facere possunt, in mutatis Formis, hoc est eo in Opere, in quo, quamquam nondum limato, & perpolito, ea magnitudo ingenii liquidiùs, quàm ullo in alio ejusdem poetico monumento relucet: eruditio verò, & amœnitas tanta, quanta nec in hortis aut Mœcenatis, aut Alcinoi, aut Hesperidum fuit Lib. IX. Ver. 320. de Galanthide ancilla in Mustelam versa.

Strenuitas antiqua manet, nec terga colorem
Amisere suum, formæ est diversa priori.

Pari ratiocinatione, sicut *armis bello & Strenuus*, apud eosdem Rei Literariæ Principes locum non obscurum habet (ut ostensum est supra) ita cur habere non possit, *bellorum armorumque Strenuitas*, ambigit nemo. Addo nihilominus loca de multis duo Scriptoris alterius Anonymi MSti, qui Carrariensium Stemma confecit, ut habeat Mussato non iniquus Lector, quæ per otium possit cum illius dictione conferre. Prioris ecce loci verba in filiis Jacobini cognomine Papafabæ, qui fuere Petrus Comes, Albertinus, Marsilius, & Bonifacius, ad Annum MCCLXXXIX. *Viri isti Anguillariæ Castro præfuerunt, amicorum multitudine vallati, pheudis, & masnadis: opulenti omnium opum affluentia, & pradivites agri pericula ingentia animorum magnitudine contempserunt. In Civitate eminentia palatia habuerunt, & adeò, ut possent Castris æquari. Armorum Strenuitate conspicui, personarum numero, & amicorum præsidio formidati.* Ecce alterius in Alberico Leone Francisci F. ad Annum MCCXCVIII. *Hic namque vir à præcessorum de Carraria Magnatum in nullo dissimilis, magnanimus fuit, & liberalis, pro amicis cunctis se opponens periculis, & malus* (malo *malleus*) *durissimus inimicis: armorum Strenuitate conspicuus, in sermone parcus; sed ad quæque velocissimus opportuna.* Videant, & doceant, qui Mussati dictionem non probant. *Osius.*

(19) Duo hinc colligo. Unum est, Henricum VII. hæreditario jure potiùs (in quo Vecerius verax) quàm dotis nomine (quod M. Guatio vernaculo Scriptori visum suo in Chronico) Lucemburgii Comitatum post patris obitum adiisse. Pater enim ejus, avus, proavus, abavus, atavus, tritavus, majores uno verbo omnes Lucemburgii Comites extitere. Clarè Vecerius, &, ut dicebam, verè. *Ipse, quod constat, Lucemburgiæ Comitatum hæreditate obtinuit*: perinde ac si cum Nostro conspirans dixisset: *Henricus, quod constat, è Lucemburgiæ Comitibus est proditus.* Adde his, non omnes in ea fuisse sententia ut cum Guatio censerent, Henrici VII. Cæsaris patrem cum fratribus adversùs Joannem I. Brabantiæ Ducem pro Comitatus Lucemburgensis possessione, ad quam Dux ille animum adjecisset post obitum Reginaldi, quem Henrici pater patrem habuerat, decertasse armis: & inde factum, ut cùm Henrici pater, & patrui in acie cecidissent, Lucemburgensis Comitatus in Joannis Brabantini Ducis potestatem venerit, soloque nuptiarum jure transierit ad Henricum, qui primus è domo de Lucemburg fasces accepit Imperii, tradita illi in uxorem Joannis ejusdem filia Margareta. Quin imò multis partibus plures eos esse video, qui literis prodidere, ei bello, in quo Henrici pater, & patrui defecere, causam præbuisse, contentionem non inter ipsos, & Joannem I. Brabantiæ Ducem exortam; sed inter Rainaldum Geldriæ Comitem, cum quò Henrici pater, & patrui arma parum fausta junxerant, & Joannem eundem Brabantiæ Ducem, idque non Lucemburgensis, sed Limburgensis Comitatus ergo. Imò nonnulli quoque tradidere novissimè bellum illud non inter Rainaldum Geldriæ Comitem, & Joannem Brabantiæ Ducem: sed inter Sifridum Archiepiscopum Coloniensem, & supra laudatum Joannem VVoringani Castri caussa exarsisse. Verùm enimverò rem istam omnem non multò post distinctiùs, & uberiùs exequemur.

Alterum, quod iisdem ex verbis haurio, est. In iis non tam Nobilitatis Henrici VII. Cæsaris priscæ, quàm Strenuitatis ejusdem novæ semina contineri. Nempe.

Fortibus, atque bonis, fortesque bonique creantur, ut est in elogio Joannis F. Alberti III. superioris olim, & inferioris Bavariæ Comitis, Palatini Rheni. Et quemadmodum eodem in elogio statim post allatum carmen Joannis filii pietas ex Alberti patris pietate colligitur, ut indicat versus sequens:

Cætera mitte: pio sum Genitore satus:

ita licet hic nobis Strenuitatem Henrici è Majorum ejusdem Strenuitate, veluti è fonte, suos per alveos derivare non inani nisu. Sed hæc quoque virtus à nobis commendabitur in Henrico infra, ad illa Rubricæ sequentis III. *Ut circa incumbentia sibi semper, & consultè, & fortiter, & strenuè agendum esset*, ne quis illum degenerem arguere audeat Majorum suorum strenuissimæ Strenuitati. *Osius.*

(20) Ita curaveramus edendum hunc locum ex MS. Cod. Patavino, cùm eadem Venetus sic referret. *Qui patre, patruisque duobus bello, quod inter Duces Brabantiæ, & ipsos gerebatur amissis, patruis videlicet, ac Privignis duobus in acie occisis, &c.* diversis paulò verbis aliquibus, sententia non diversa: cùm post ejus loci, imò ferè totius Operis editionem ex Clarissimi J. C. & Equitis Francisci Calidonii Vicentini literis intellexi MS. alium Mussati Codicem Vicentiæ reperiri. Exilii ad id nuntii gaudio. Cùmque summo ejus videndi desiderio flagrarem, voti compos illico factus

factus sum per singularem Equitis ejusdem humanitatem ad bene de cunctis merendum nati. Nam & ab eo hic mihi curatus est Codex, & statim Patavium missus; erantque in eo Libri XVI. de Gestis Henrici VII. Cæsaris, & primi quatuor cum octavo de Italicorum Gestis post Cæsaris ejusdem fatum; sed omnes à mala planè manu descripti; etsi non ubique malè, cadere ut in eos viderentur posse Martialis illa,

Sunt bona, sunt quædam mediocria, sunt mala plura.

Quare dedi me statim ad ejus Codicis versiculos omnes, & singulos cum Mussati Libris jam editis sedulò conferendos, ne qua in parte defœcando, quoad ejus fieri posset, Scriptori bono, malè ad hanc usque diem suis in ingenii monumentis habito, deesse voluisse viderer; aut non in omnibus velle satis pro virili facere præstantissimæ voluntati Herois magni, quem mihi primum, & maximum hujus Historiæ recensendæ, corrigendæ, illustrandæ Auctorem fuisse perpetuò gloriabor. Hoc ego consilio ad id operis me accinxi, & variantes ejus MSti Codicis Lectiones omnes ita decerpsi, digessique ut eas commodè, si vellem, possem in Notis istis spectandas Lectoribus exhibere. Erunt igitur & hæ muneris mei partes, laboris hujusce mei fructum, quoties operæ pretium erit, cæteris impertiri, quod faciam non invitus. Vocabitur is porrò Codex, quotiescunque laudandus occurrerit, Vicentinus, tum quia Vicentia allatus, tum quia, cujus ille sit (etsi ut sciremus operam omnem dederimus, ne nos illum illaudatum abire pateremur ingrati) penitus ignoremus.

Variat hic igitur Vicentinus Codex, & pro *Qui patre, fratribusque patris duobus, &c.* sive *Qui patre, patruisque duobus &c.* habet: *Qui patre, fratribus, patruis duobus, &c.* nec, ut videtur, malè. Consentiunt enim ista mirum in modum cum his, quæ sequuntur statim: *Patruis videlicet, ac Privignis duobus in acie occisis.* Nam, *fratres*, Cod. Vicentini respondere fortè videantur Privignis istis, quorum in primis verbis mentionem nullam fecerant alii MSti. Esset utinam talis ubique Vicentinus Codex, & illi longè plurimùm jure ac merito deberemus.

Puderet scribere Conradum Vecerium hominem à secretis Carolo IV. Imperatori, Joannis Poloniæ, & Bohemiæ Regis F. Henrici VII. Cæsaris nepoti, quinam illius Proavus, Avi scilicet Henrici VII. pater extiterit, ignorasse, nisi suam ipsemet inscitiam apertis, quod ajunt, tibiis fassus esset, Operis sui de rebus ab Henrico VII. Cæsare gestis vestibulum sic exorsus: *Qui majores Imperatori Henrico, aut omnino parentes fuerint, quamvis curiosa vestigatione, cognoscere non potui.* Hæc ille, hac in re planè peregrinus, & hospes, uti Lector cum admiratione vides. Quare, quod is penitus ignoravit, ignorare nos alios non sinemus; ac ne istud temerè faciamus, quibus Auctoribus hac in parte perfecerimus, ostendemus. Ordior à Genealogiographis, quibus ea res curæ præcipuè fuit, & ab his maximè, Elia, Reusnero, Hieronymo Henninge, Ubbone Hemmio, qui cæteros inter principatum tenent. Una scilicet tribus istis Scriptoribus, eademque sententia Henrico VII. Cæsari Henricum alterum Lucemburgensem, & Limpurgensem Comitem, parentem dedit. Lazius Plundelum vocat; atqui cognomentum illud, non nomen parentis Henrici VII. Cæsaris fuit, ut ante nos Henninges acutè vidit; nec non & Antonius Albicius nobilis Florentinus in Stemmatibus Principum fol. 16. in Genealogia Comitum Lucemburgensium, cujus à me verba non multò post in medium proferentur. Nullus enim eorum temporum a me lectus Scriptor, patrem Henrici VII. Cæsaris Plundeli nomine literis consignavit, cùm omnes è contra, quos ad hanc usque diem evolverim, Henricum vocent. Firmabo, quod dixi, ipsissimis Authorum verbis, & nova hac suppellectili domum meam, inopem alioquin & incultam, cùm bona ipsorum, uti spero, venia exornabo. Notæ quidem isti debebunt, uti reor, multùm, si non aliorum, boni saltem Conradi Vecerii Manes per illam edocti, quod hactenus ignorarunt. Clarè Divæus ad Annum MCCXCII. imò fortasse clariùs,

Quàm Solis radii esse olim, cùm sudum est, solent. *Henricus Comes Luceburgi Henrici pugna Vveringana cæsi filius ducit filiam Joannis Ducis nostri Margaretam.* Illic enim eo de Henrico Comite Lucemburgensi sermo, qui, fasces adeptus Imperii, Septimi nomenclaturam assumpsit. Et ante ad Annum MCCLXXXVIII. in ejusdem Henrici parentis cæde: *Cæsi ex hostibus* (Joannis I. Brabantiæ Ducis) *Henricus Luceburgensis cum Balduino, Valerano, ac Joanne fratribus &c.* Ejusdem sententiæ sunt, quæ scripta reliquere Magni Chronici Belgici Collector, quem unà cum aliis rerum Germanicarum Scriptoribus ante annos, non ita multos publicavit Joannes Pistorius, & Antonius Albicius Florentinus, cujus hic à nobis verba, quorum paulò ante meminimus, in medium ordine proferentur. Primi siquidem verba hæc sunt; sed non absque mendo, quod tollemus, ad Annum MCCLXXXVIII. post narratam cædem Henrici Comitis Lucemburgensis, & fratris ejus: *Sciendum præterea, quòd Henricus Octavus, Septimus fuit filius* (mendosè, quare corrige, & lege, *quòd Henricus Septimus fuit filius*) *Comitis Lutzemburgensis in dicto bello de VVorniK interfecti.* Et sinè labe ad Annum MCCXCII. quartum scilicet post confectum supra recensitum bellum: *Anno Domini MCCXCII. Anno Ducatus ejusdem Joannis XXXII. inter Henricum Lutzelburgensem Comitem, filium Henrici in bello VVoroncb* (supra *VVornicK*) *occisi, & Ducem Joannem pax reformatur.* Secundi ista in Genealogia supra laudata Comitum Lucelburgensium: *Comitatus Lucelburg dictus est primùm Mosellanus à flumine, ex cujus Comitibus habetur Henricum fuisse, Plundelum dictum, qui pro Ducatu Limburgi cum Joanne I. Duce Brabantiæ pugnavit, & in prœlio dimicans, simul cum fratribus VValramo, & Joanne occubuit.* Hic enim Henricus sinè dubio Henrici VII. Cæs. pater. Unde Guatius in suo Chronico. *At tandem positis armis, & odiis in re controversa, quæ belli faces accenderat, tantum jura divina religionis, & humana sanguinis valuere, ut, quod in prœlio Victori virtus addixerat, cesseris in consanguinitatis, & amicitiæ pignus, data nuptum Brabantini filiæ Henrico Henrici filio, qui Reginaldi natorum unus eo in bello ceciderat cum fratribus interemptis.* Sed nullus hac in parte apertior Ludovico Cavitellio in Annal. Cremonensibus ad Annum MCCCVIII. *Et Henricus Septimus filius alterius Henrici &c. in gratiam Summi Pontificis, die prima Novembris electus fuit Cæsar.* Adscribam & Alfonsi Ciaconii verba in Clemente V. cùm id ipsum sonent: *Principes ex Pontificis literis periculo cognito, statim Francofordiæ, aliàs Midelburgi, conveniunt, ubi communi suffragio Regem Romanorum, VII. Kal. Decembris, Henricum ipsum designant, Henrici filium tunc Comitem Lutzemburgensem &c.* Meminit & Henrici patris hoc nomine Lib. IV. de Principibus Atestinis Pigna: *Post Albertum interfectum, dum in Rheni transitu è navi descenderet, Germani, quorum id munus erat, Comitiis Francofortiæ habitis, Henricum VII. Henrici Lutzelburgensium Comitis filium Cæsarem renuntiaverunt.* Eadem mens est Ubbonis Emmii in Appendice Genealogica: *Henricus Comes Lucelburgensis periit in pugna pro Reinoldo Geldro contra Joannem I. Brabantiæ Ducem. Filii Henricus VII. hujus nominis Imp. Comes Lucelburg. &c.* Addit his etiam calculum Hadrianus Barlandus in Chronico Brabantiæ Ducum Cap. XLVI. *Ceciderunt ex Ducibus, qui Antistiti* (Coloniensi) *venerant auxilio, Henricus Lucemburgensis Princeps:* Et Meyerus Lib. X. Annalium Flandriæ ad An. MCCLXXXVIII. *Eodem Anno, &c. potitus est victoria Joannes Dux Brabantiæ pugna illa Voroncana in agro pugnata Agrippinæ Coloniæ contra Reginaldum Geldriæ Comitem, ubi tres fratres Henricum, Valeranum, Balduinum Luceburgenses Principes nostra Isabella bello cæsos amisit, &c.* Et infra: *Is Henricus Luceburgensis Isabellæ nostræ germanus, qui hic occubuit, pater erat Henrici Cæsaris Aug. in Italia (ut postea dicemus) toxico necati.* Et alii. Lazii verba si quis desiderat, hæc sunt. Plundelus (adde Henricus) *Comes Lucelburgensis, & Lympurgensis progenuit Balduinum Archiepiscopum Trevirensem, VValdramum Comitem Luzel-*

Digitized by Google

Luzelburgensem (meliùs Vvalramum Comitem Lignii, ut apparebit ex Stemmate, quod Operi præfigemus), *& Henricum Septimum Imperatorem : quem scissio familiæ secuta est, una Bohemiæ Regum, altera Ducum Luzelburgensium*. Et hæc meliùs se habebunt, si ita concipiantur. *Et Henricum Comitem Luzelburgensem Imperatorem, ejus nominis Septimum, quem scissio familiæ, &c.* Reusneri, & Henningis verba mox afferam. Danda enim quandoque est opera, ne satietatem pariat copia, & hoc ipsum liquidiùs patebit infra in Scena VVoringani belli, cujus magna pars Henrici VII. Cæsaris pater Henricus, & fratres ejusdem unanimes extitere.

Nunc post erutum Lucina satis, ut opinor, dextera, & Junone secunda in lucem parentis Henrici VII. Cæsaris nomen, rite & ordine fecero, si matris quoque nomen, & genus è tenebris vindicabo. Fuit ea Beatrix filia Balduini Avinienſis Comitis Hannoniæ, Bochardi Comitis Avinienſis filii, & Margaretæ Comitissæ Flandriæ, Hannoniæque filiæ Balduini V. Hannoniæ, & Montensis II. Namurcensis X. Flandriæ Comitis, ac demum Regis, & Imperatoris Constantinopolitani Anno MCCV. Hujus mihi dicti locupletissimus testis Reusnerus in Henrici VII. Cæsaris patre: *Henricus Comes Lucemburgi pro Ducatus Limburgii possessione acie conflixit cum Joanne primo Brabantiæ Duce : quo in prœlio fortiter pugnans, prope arcem VVorocanam cum tribus fratribus oppetiit. Liberi ejus ex Beatrice F. Balduini Baumontii apud Hannonios Reguli uxore prima, Henricus Comes Lucemburgensis Imp. electus stemmatis propagator, Balduinus Archiepiscopus, & Elector Trevirensis &c.* Testis & Ubbo Emmius in Appendice Genealogica. *Henricus Com. Lucelburg periit in pugna, &c. Uxor Beatrix filia Balduini Hannonii Avienens. neptis Margaretbæ Flandræ, proneptis Balduini Flandri Imper. Constantinopolitani &c. Filii Henricus VII. bujus nominis Imp. Comes Lucelburg. &c.* Idem tradit Henninges in eodem Henrici VII. Cæsaris patre. *Henricus II. Plundelus cognomento, Comes Lucelburgensis IX. & Limburgensis in conflictu contra Joannem I. Brabantiæ Ducem cadit A. C. MCCLXXXIX.* (rectiùs, ut infra MCCLXXXVIII.) *Uxor Beatrix filia Balduini Avinienſis Comitis Hannoniæ*. Ejus quoque mentio apud Cavitellium Annalium Cremonensium Scriptorem, cujus locum laudatum ex parte supra, sartum hìc tectum integrum totum dabo. *Henricus Septimus filius alterius Henrici ex Beatrice Comitissa Annoniæ, Comitis Norimburghi* (Namurcensis aliis) *valde infestus Guelphis, in gratiam Summi Pont. die prima Novembris, electus fuit Cæsar ex voto Præsulis Treverensis fratris sui*. Et hujus lucis usura fruebatur Beatrix tunc temporis, quo expeditionem in Robertum Apuliæ Regem parabat filius. Appositè Albertus Argentinensis in Chronico ad Annum MCCCXII. & sequentem MCCCXIII. *Convenit autem Cæsar* (Henricus is erat Septimus) *cum Rege Siciliæ de danda filia sua filio Siculi, & disposuit se iturum Neapolim, & in partes illas. Rex quoque Robertus disposuit recedere de Regno, Cæsare veniente, & in Provinciam se transferre. Decrevit autem Cæsar, se Apuliam, & terram Roberti Siculo commissuum. Præceperat etiam omnibus civitatibus, Episcopis, & aliis Magnatibus Alemanniæ, ut transmitterent novam gentem, quæ jam erat in itinere veniendi. Venerat etiam mater Imperatoris filia Comitis Flandriæ* (mallem, *Comitis Hannoniæ*, ex aliis) *cum filia Siculo danda usque Basileam ad Cæsarem profectura, &c.*

Ex his parentibus, majoribusque procreatus Henricus VII. Imperator. Nam quæ Vecerius habet de Melyssina, sive Melusina fœmina præstigiis clara, & quæ octavo quoque die pube tenus in anguem commutari soleret, quamquam hominum vulgus inter majores Henrici VII. Cæsaris recensebat ex Libello, nescio quo vernacula lingua conscripto, & Lucemburgi solito circumferri, Poetarum commentis, ne dicam anilibus fabellis, affinia putanda sunt, & otiosorum tricis. Vide, lege, & risu abstine si potes. Quamvis enim ei Libello hac in parte fidem adstruere videantur, quæ Vecerius ipse ex conjectura notat, nimirum prænobiles aliquot familias tum in Galliis, tum apud inferiores Germanos patriæ suæ Lucemburgensis prænomine delectatas, in galeato imaginum suarum apice, cujus rei diligentissima, ac minimè perfunctoria cura veteribus semper fuerit, id monstrum cuppæ balneatoriæ insidens ostentasse : Turrim ad hæc ingentem in ejusdem urbis meditullio paulò supra suam ætatem, & si bona ex parte vetustate prolapsam, à se compertam, & visam, in qua rem illam peractam fama per manus quodammodo tradidisset : non idcirco tamen ei fidem habendam censuerim, cùm idem inibi Vecerius rem istam vocaverit, *vanitatem*. Quid quod, ut omnia Melyssinæ commenta vera fuisse concesserim, & id etiam monstri in Nobilium aliquot tum Galliæ, tum inferioris Germaniæ Stemmatibus insedisse, & eorum maximè, qui Lucemburgensis patriæ prænomine gauderent, ut inde sui generis antiquitatem proderent, non negarim ; non ob id tamen fatendum erit, Melyssinam inter majores Henr VII. numerandam esse, cùm is nihil huic monstro simile detulerit in Insigne ; sed binos leones albos, quos assumpta angui cæteris reliquisset, si qua ratione se se, vel majores suos visa fuisset attingere Melyssina. Tale porrò Henrici Cæsaris Insigne fuisse, ne somnia diluens somnia narrare videar, didici nuper ex Antonio Possevino Lib. IV. Gonzagæ, eoque loci, quo tradit Carolum IV. Imp. Henrici VII. Cæsaris nepotem, Aloysio Gonzagæ ob præstita sibi officiorum genera omnia Anno MCCCLV. quo post acceptum Insigne Cæsareum Roma divertit Mantuam visendi Sacrosancti Christi Sanguinis amore tactus, antequam in Germaniam se referret, ultro suæ Gentis Insignia concessisse. Par est enim credere, Caroli nepotis Insignia cum Avi Henrici VII. Cæsaris Insignibus convenisse, & binos Leones albos, quos nepos Gonzagis indulsit, maximè propriæ suæ gentis Insignia decorasse, licèt Henninges in Genealogicis Tabb. antequam Stemma Lucemburgensium Comitum exhiberet, alia duo Caroli IV. Insignia paulò diversa ab his, quæ Possevinus attulit, & ambo diplomati ejus affixa, in quo Magnus Torquatus Dux Brunsvicensis, & Lunæb. proscribitur, spectanda dederit. Horum enim in altero, Aquilarum una ex duabus, quas inter medius Carolus sedet cum Imperii Symbolis, & his literarum notis. *Karolus Divina Favente Clementia Rom. Imp. semper Augustus & Bohemiæ Rex*, clypeum unguibus apprehensum ostentat, in quo unus Leo tantummodo in sublime fertur : in altero verò Aquila sola recta cernitur cum inscriptione circum in orbem ducta. *Justè judicate Filii Hominum*. Sed præstat ipsa Possevini verba adscribere, quibus ille Caroli IV. munificentiam in Gonzagam domum expressit, ut assolet, eleganter. *His, aliisque Aloysii officiis devinctus Imperator* (Carolus IV.) *cum toto Mantuano districtu nil aliud, quod Gonzagis donaretur, occurreret, nec à vicinis detrahere quidquam citra injuriam posset ; ut saltem nobilis hospes, cæteros honore anteiret, pignusque caritatis perpetuò mansuræ offerret, Insignibus Gonzagorum sua addere, & velut in eandem familiam coirent, miscere nobili indulto voluit. Ita bini Leones albi rubenti scuto inserti. Ut jam Cæsares, & veterum Cæsarum Stemmata præferentes, Gonzagorum non liceat pœnitere, ac si nobilitate, & virtute Regibus æquati forent. Amorem id potiùs interpretatus est Aloysius, quàm decus. Quòd vetus Longobardorum Regum, & Gonzagorum trecentesimum ante annum Marchionum Mantuæ splendor restitui, non augeri posset. Et satis manifestum erat, non aliud Gonzagos, quàm potentiam deficere : sed majestatem, famam, & si quæ supra reliquos tollunt, in nobilitate habere. Veterem morem æmulatus est Cæsar, quo in familiam, ac domum affinitate, meritis, ac virtute conspicuos arrogabant, nullo Germanæ nobilitatis dehonestamento.*

Neque est, quòd hoc loco quispiam scrutator hujuscemodi rerum exactior dicat, binos Leones albos aliunde, quam è Lucemburgensium Comitum Insignibus, in Stemma Caroli devenisse, nimirum è Regia Bohemiæ Stirpe, ex qua Carolus, ut alibi videmus, sui nobilitatem & antiquitatem Generis derivabat. Nam Stemmati Bohemiæ Regum unus Leo tantummodo

Digitized by Google

modo inhærebat, nec is albus: at ruffus, nec integra cauda, ut in Insigni Caroli: sed partes in duas scissa. Perspicuè Pantaleo Candidus in Uladislao II. Bohemiæ Rege.

Proximus, Uratilae, tuo de sanguine cretus,
Uladislaus, opum, regnique assertor aviti,
Insignes titulos, patriæ & decora alta recepit.
Nam Fridericus ei, fuit hoc qui nomine Primus,
Illustrem veteri Regum de more Coronam
Ferre dedit: fortique Insignia splendida jussit
Gestare in clypeo, russi simulacra Leonis,
Cui bifida alternos sinubus cauda implicat orbes;
Pro meritis pretium, & pro magnis munera gestis,
Quæ bonus ediderat forti, pro Cæsare, dextra,
Italia in magna, Mediique ad Mœnia Landi
Fortè, *Lani*.

Subdet acutior alius. Esto, nullum respectum habuerit ad Melyssinos Angues Caroli IV. vel Henrici VII. Stemma: at habuit quidem certè Henrici VII. Symbolum, in quo Lancea cernebatur erecta, cujus supremam partem ambibat Serpens quinquies flexus cum Lemmate, *Loco & tempore*, ut imitatus ea videatur in parte Imperatorem illum Græciæ clarissimum Epaminondam, qui Hieroglyphicum Serpentis usurpasse dicitur extremo ad Mantineam confecto bello, ut indicaret, se ex Spartiatarum cognatione, quæ Thebis erat antiquissima, progenitum esse, quorum id gentile erat Insigne, ut qui ab anguineis illis dentibus à Cadmo telluri mandatis essent oriundi. Non ibo inficias, Henricum VII. Cæsarem tali fuisse Symbolo delectatum, cùm idipsum prodiderint gravissimi Viri, & hos inter Henninges in Stemmate Lucemburgensi; sed censeo graviora multò, quàm Melyssinæ anguineæ nugas, in eam sententiam sapientissimum illius animum adduxisse, ut suo pro Symbolo Lanceæ Serpentem adnecteret, quæ quidem, ut potero, conabor assequi conjectura. Davus enim ego, non Oedippus, & qui numquam adierim Trophonii antrum, vel cortinam Phœbi. Multa sunt, eademque præclara, quorum apud Niliacos Sacerdotes illos, totius, ausim dicere, arcanorum Naturæ conscios, designabat Serpens. Erat illis in primis imago *Terrarum Orbis*, præsertim cùm ore sibi suo caudam depascebat, ut ille Claudiani.

Perpetuoque virens squamis, caudamque reducto
Ore voraus, tacito relegens exordia lapsu:

Imò *Imperii, sive Dominii terrarum Orbis*, ut est à Diodoro traditum, & indicabant, tum Serpentes Leonibus, qui Opis Deæ simulacris apponebantur, adjuncti, tum Anguineum caput in Junonis dextra, quæ Dea Dominii præses à Gentibus habebatur, incedebatque ut ipsa de se asserit apud Mantuanum Vatem,

Divum Regina, Jovisque
Et soror, & conjux.

Et Imperii quidem totius Terrarum Orbis nota erat Serpens integer; nam dimidiatus signabat eum, qui parti tantùm Orbis, Regno, sive Provinciæ præesset, ut Horus docet. Præter Orbis, sive totius, sive partis ejusdem Imperium, si vellent iidem illi Sacrorum Niliacorum mystæ *Imperatorem*, *aut potentissimum* quempiam *Regem* per institutas à se imagines indicare, Anguem in spiram collectum effingebant, palatii cujusdam specie in voluminum medio statuta, quòd domus regia in Imperii totius centro sita esse debeat, ut omnium æquè commodis consulatur. Aliàs *Imperii jam potitum*, per hominem, qui manu Serpentem comprimeret, indicabant, cujusmodi simulacrum in numo Aurelii Cæs. Augusti Pii filii cernebatur. Ob id Oscus Tyrrhenorum Princeps Imperii Symbolum Serpentem tulit: & in Græcorum Numismatibus duorum Imperium declarabant Serpentes duo ad semicirculi curvaturam invicem spectantes, caudis introrsum incurvatis, ut ipsa testabatur Inscriptio. ΔΥΝΑΡΧ. ΕΞΥΠΑ. Β. Quæ sic apertiùs fuisset expressa. ΔΥΝΑΡΧΙΑ ΕΞΥΠΑΤΩΝ ΔΥΟ. Dynarchia Imperatorum duorum. Hinc illud jactatum olim Græca libertate legimus in Potentiores, qui scilicet minorum Principum dispendio suum Imperium augerent, Ὄφις ἐὰν μὴ φάγῃ ὄφιν, δράκων οὐ γενήσεται. *Anguis, nisi Anguem comedat, non fiet Draco*. In Ostentis etiam conspectus Anguis omen Imperii fuit; ut cùm Aureliani pueri pelvim plerumq; cinxit, nec unquam interfici potuit; & ambito Severi in stabulo dormientis capite sine noxa, expergefactis & acclamantibus familiaribus, abiit: quod ipsum in Maximini junioris, quem Pater secum Imperatorem appellarat, capite peregit, argumento futuri certissimo dominatus. Sed etiam apud Græcos idem præsagii dedit Serpens. Nam, cùm fortè fortuna non procul à valvis ædium Lacedæmonii Leontychidæ se se clavi circumvolvisset Serpens, clavum illi portendit Imperii: & Thracia mulier vaticinandi perita, conspicata Draconem in spiram complicatum sub capite Spartani venalis delati Romam, dum quiesceret, signum esse dixit magnæ cujusdam, & formidabilis potentiæ; quæ tamen infaustum esset exitum habitura. Oblati quoque per somnium Angues Matribus, fuere filiis earumdem summæ prænuntii potestatis; & rem ejusmodi comprobavit eventus in Alexandro Severo, quem pridie quàm pareret Mammæa, somniavit enixam se Orbi Dracunculum edidisse: in Olympiade Alexandri Macedonis matre, Pomponia Scipionis, Actia Augusti, quibuscum Draco visus in somnis congredi, non inani ostento Terrarum Orbis Imperium earum liberis præsagivit. Nec defuere, qui existimarint Volucem ex stirpe Alexandri Magni progenitum tulisse pro insigni Viperam puerum parturientem ex Olympiadis somnio, quòd ea se à Dracone compressam Jovis imagine prædicaret, Jovio teste eo in Libro, quo Mediolanensium Principum Vicecomitum vitam complexus est. Argumento quoque hujuscemodi rei perpetuo, picti Draconis maculam in Actiæ corpore constanter hæsisse, nec unquam eximi potuisse testatus est in Augusto Svetonius Cap. XCIV. quod tantùm suffecerit indicasse.

Ea verò de caussa, Serpentem Imperatoris Symbolum Sacerdotibus Ægyptiacis fuisse crediderim, quòd eo in animante expressas illi cernerent, non adumbratas virtutes planè dignas Imperio duas, vigilantiæ scilicet, & Prudentiæ semina non obscura. Dracones enim, quod ad *Vigilantiam* spectat, ἀπὸ δεδορκέναι, *à visu*, scilicet, *quem acutissimum habent*, nomen apud Græcos nacti: & illi ipsi Ægyptii ad indicandum vigilantem Regem, Anguem vigilem, vertice quippe surrecto, elatoque pectore suas inter notas sculpere consuerant cum inscriptione. *Custos*. Quò mihi respexisse videtur, Horatius, quum in Amicorum vitiis acutè cernentem cum Aquila, & Epidaurio Serpente contulit, secutus, ut arbitror, Græcorum illud, Ὀφεως ὄμμα, *Serpentis oculus*: & apud Græcos latino Pindaro non impar Aristophanes in Pluto, cùm finxit Angues duos Pluti oculos in gratiam Æsculapii lambere, nimirum, ut ejus rei beneficio cernere ex cœco posset. Singularem ejusdem animantis *Prudentiam* indicavit Sapientissimus Moses, cùm Serpentem inter bruta cætera prudentissimum appellavit. Eam verò ex eo maximè colligunt Eruditi, quòd Anguis animal sit catum, & callidum; motu varium; ad subsidium, & defensionem paratum; quodque hostem ulcisci probè possit, ac norit. Quin imò sunt, qui putent, Draconi nomen inditum ab acuto visu, quòd indagatrice virtute maximè polleat, ac omnia persequi studiosissimè soleat, & rimari. Facit huc etiam illud, Serpentes non externorum membrorum adjumento; sed spiritu quodam intus latente impelli, quod est prudentis Viri, qui non humanis rebus innixus; sed aura divinæ particulæ, secundis quasi ventis, elatus in altum, non modò præsentia examinat; verùm & lapsa, & futura meditatur, &, tamquam è specula, ut cum Poetarum Principibus loquar, prospectat.

Ὅς' ἤδη τάτ' ἐόντα, τάτ' ἐσσόμενα, πρότ' ἐόντα:
Quæ sunt, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.

Palladi quidem certè ea de caussa Serpentem nonnulli dicatum tradunt, quòd id nomen, παρὰ τὸ πάντα ἀθρεῖν, καὶ βλέπειν, καὶ περὶ πάντων νοεῖν: *ex eo, quòd cuncta circumspiciat, videat, & intelligat*, factum sit; indeque Prudentiam interpretari solent, quòd ea re vera virtus omnia perspiciat, & ante omnes intelligat. Hinc illud Assertoris nostri dictum Matthæi X. quo nos *prudentes* esse debere admonuit, *sicut Serpentes*. Nec omittendum, Valentinianorum quosdam censuisse Sophiam suam, Serpentem factam: quapropter, & contrariam extitisse factori Adæ, & rerum cognitionem hominibus infudisse, eaque de caussa Serpentem omnium sapien-

Digitized by Google

sapientiorem habitum, uti latiùs tradidit Irenæus. Addo his ex Tullio, præter amplitudinem Imperii, *Famæ* quoque *celebritatem* per Anguem mortalibus indicatam. *Cùm enim Roscius in cunabulis esset* (ut ille habet I. de Divinatione) *educareturque in Selonio, qui est campus agri Lanuvini, noctu lumine apposito, experrecta nutrix animadvertit puerum dormientem circumplicatum serpentis amplexu, quo aspectu exterrita clamorem sustulit. Pater autem Roscii ad Aruspices retulit: qui responderunt, nihil illo puero clarius, nihil nobilius fore.* Et hæc Anguis hierogliphica sunt solitariè, ut sic loquar, sumpti: nec omnia; sed quæ ad hujus Cæsarei Symboli arcanum illustrandum propiùs factura duxi.

Significata Lanceæ mystica nunc inquiro, & fortasse primus, possim ut cum Lucretio canere,

Avia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita solo, juvat integros accedere fontes,
Atque haurire, juvatque novos decerpere flores:
Insignemque meo capiti petere inde coronam,
Unde priùs nulli velarunt tempora Musæ.

Ut ut sit, eum mihi nunc tramitem lubido est ingredi, & firmo gradu premere, ut opinor, armata mihi Pallade præeunte. Nimirum ea mihi mens, convenire Lanceæ quæcumque in Hastam Palladis cadunt. Signat Hasta in armatæ Palladis manu *solidum*, & *invictum robur*, cujus ergo hastis puris olim donati Romano more milites, quos fortiter fecisse constitisset, & inter cæteros Licinius Dentatus ille, quem unum hastas hujuscemodi XVIII. monumentum strenuitatis amplissimum, retulisse prodidit. Plin. Nat. Hist. lib. VII. Cap. XXVIII. Signat & erecta cujusvis in manu Lancea *firmitatem Animi, vel Corporis inconcussam*, non secus ac Hasta Palladis, aut erectæ illæ, quas pro Diis à Gentibus, vel ab ipsa rerum origine, cultas Justinus è Trogo tradit, fortè quia *Natura divina*, Hastarum erectarum instar, *nullo modo dejici, neque labefactari possit; sed* (ita differente Cyrillo) *inconcussa, firmaque suo robore communiat; sustinereque omnia, & omnium fundamentum esse perhibeatur*. Quamobrem prudenter admodum Lysippus fecit, cùm indicaturus celebritatem famæ, quam sibi Philippi Macedonis filius Alexander cum Magni cognomine virtute dextræ pepererat, Lanceam ejus in statuæ manu posuit, fulmen, quod alii fecerant, aspernatus. At non solam Animi, vel Corporis firmitatem adumbrat Lancea; sed *Rem ipsam* etiam *Militarem*, qua bellicum est instrumentum, signat, quemadmodum signabat hanc ipsam Draco, qua erat insigne Cohortium Romanarum, de quo Vegetius, & Lipsius Lib. IV. de Mil. Rom. Dial. V. præclara posteris tradidere. Sed hæc præter habent etiam quod signent, partes ipsæ Lanceæ. Nam ejus Acumine *vis*, & *acumen ingenii* mirificè designatur; sicut apud Martianum vatem,

Hasta etiam vibrans penetrabile monstrat acumen.

Memini me præterea legere in Symbolis Heroicis, quæ M. Claudius Paradinus edidit, stetisse Lacedæmone Simulacrum Bacchi Lanceam longiorem tenens, circumserpente per illam sursum hedera usque in ferratam aciem occultatam, quo exprimebatur, non vi, aut impetu bella gerenda; verùm consilio, stratagematis, & arte regenda, quòd his subesse soleant bellici impetus, eodem interprete Paradino.

Videamus nunc, quæ possint esse Serpentis mysteria Hastæ, sive Lanceæ sociati. Occurrit hic mihi statim Juliæ Mammeæ Numus, & in eo Simulacrum sinus fluentes collectum, læva Hastæ adnixa, dextra Anguem in spiras convolutum porrigente, hac Inscriptione. *Juno conservatrix*, ut illic Anguis Imperium; defensionem hasta prodere videatur. Offert se se pariter species prorsus Ægyptiaca Caducei, virga scilicet, Mercurio Eloquentiæ præsidi consecrata, quam Angues sic implicant duo, masculus, & fœmina, ut medio corporum complexu nodum efficiant Herculanum: ab eo supernæ partes sic ad osculum coeant, ut flexu circulum forment: infernæ simili flexu ad Caducei capulum revocentur; qua parte item caudæ coeunt utriusque Macrobio descriptore Lib. I. Sat. Cap. XIX. Ut enim ad ejus imitationem fortè fortuna Cæsar militarem hastam quinis Serpentis unius flexibus implicavit; sic idem fortè fortuna potuit ad ejusdem significata pulcherrima respexisse. Pacis enim in primis est Symbolum Caduceus, & inde Caduceatores dicti Legati, Fecialesque uti eo soliti ad componendam pacem, uti prodidit Ulpianus interpres Demosthenis ad Orationem, quam in Timocratem dixit, duplices eò loci Cerycas statuens, qui jus idem haberent cum Fecialibus, eandemque potestatem, ut belli denunciandi, sic & incundæ pacis: quos Εἰρηνοδίκας, *Pacis sequestros*, Dionysius Halicarnassæus interpretatur. Nam cùm Mercurius (ut Mythographi, & unà Hyginus in Poetico Astronomico Cap. de Lyra narrant) in Arcadiam iter faciens vidisset duos Dracones inter se conjuncto corpore, alium alium appetere, ut qui dimicare inter se viderentur, virgam inter utrumque subjecit, itaque discesserunt; quo facto eam virgam pacis caussa dixit esse constitutam. Quare non injuria sic est ab Isidoro scriptum. *Mercurius virgam tenet, quæ serpentes dividit; nam bellantes, & dissidentes interpretum oratione sedantur, &c.* Et à Plinio Lib. XIX. Cap. III. *Hic tamen complexus Anguium, & efferatorum concordia, caussa videtur esse, quare exteræ Gentes Caduceum in pacis argumentis circumdata effigie Anguium fecerint. Etenim plerumque ad pacem componendam Legati caduceatores mittuntur.* Nonnulli etiam Caduceum pro Symbolo pacis accipiunt, *quòd initium Mercurio fuerit pacis*. Ea re, (ut est scitè à modo memorato Plinio animadversum, & traditum in laudato loco) cristati non erant Caducei Angues, quia tales insigne belli fuissent, non pacis, quòd cristæ militarium sint galearum; nec jure vocasset Mercurium Arnobius Lib. IV. *Gestatorem affabilium Colubrorum*. Pertinet huc etiam illud, hac ipsa virga somnos adspergi solitos, qui placidi non aliunde commodiùs manant, quam è pacis fonte. Omitto, tamquam rem omnibus exploratam, insignita Numismata caduceis cum inscriptione pacis, qualia fuere Cæs. Vesp. Aug. P. M. Tr. P. Cos. VIII. Tiberii Claudii Cæs. Aug. P. M. Tr. P. cum notis. *Pax Augusti. Paci Augustæ*, aliaque permulta. Nullum enim ex his, quæ diximus, relictum arbitramur ea de re dubitandi locum. Non ita missum illud fecero, quod Suidas, & Polybius observarunt, Caduceum *Pacis* simul, & *Minarum* indicem quandoque habitum, & hac mente prælatum à Gephyræis exercitui armato, cùm Eumolpus Athenienses in fugam vertit, ut hac imagine pacem quietis, insultantibus minas viderentur offerre. Retulerunt alii Caduceum ad eam Eloquentiæ vim, quæ altercantes aggressa, discordes eorum animos regens, ac mulcens, in caussa sit, ut in unum coeant, qualem Æneidos I. descripsit Poetarum Latinorum Primas in Oratore conspicuo meritis & pietate, cùm cecinit.

Tum, pietate gravem, ac meritis si fortè virum quem
Conspexere, silent, arrectisque auribus astant.
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet:

Et inde *Concordiæ* Symbolum appellarunt. Alii ad eam, quæ somnos adimat, mentes excitet, ac inflammet; id quod doctè fecit in Epistola ad Jamblicum Julianus Imperator ad hunc modum scribens Οἷον Ἑρμῆ ῥάβδῳ κινῶν, καὶ διεγείρων καὶ ὑπνώττειν. *Quasi Mercurii virga moves, atque dormientes expergefacis*. Et post. Πρῶτα δ' Ἑρμῆ λογίῳ μαθητὴν, εἰ δὲ βούλει τρόφιμον ὄντα σὸν ῥάβδον οὐκ ἐν τῷ καθεύδειν ποιεῖν, ἀλλ' ἐν τῷ κινεῖν, καὶ διεγείραν μᾶλλον ἢ θέλγειν μιμεῖσθαι. *Æquum est te, qui sis Mercurii Eloquentiæ præsidis discipulus, aut si mavis alumnus, virgam non somni provocandi gratia tractare; sed illum imitari ad movendum, & incitandum*. Nodus ille tandem Herculeus, quo se se Angues Caducei gemini complectuntur, ex Paræmiographo in Adagio, *Cassioticus nodus*, signatè indicat, fœdera, quorum nuntius est Mercurius, non oportere unquam dissolvi; verùm plurimùm valere debere. Nondum mihi tempero. Nam præcipuum mihi nunc Serpentis Symbolum in mentem venit, *Salutis* nempe, quod suo sibi jure, ac merito vendicant tot ac tanta, quæ uno ex Angui remedia profluunt in humanum genus. Hinc illæ supra Serpentem in Numismatis notæ. *Salus Antonini Aug. Salus Aug. Cos. III. Salus Publica*, ne singulas, quæ sunt innumeræ, percenseam numerando. Nam omnium mihi nunc hujuscemodi Numismatum instar

instar est æneus Serpens ab Israelitici Populi Magistro Mose surrectus in contum, cujus aspectu ab aliis virosis Serpentibus lethaliter afflicti, saluti pristinæ reddebantur, ut qui Crucis imaginem præseferret, in qua clarissimo divinæ misericordiæ monumento ab Humani Generis Assertore, rerum omnium ingemiscente, miranteque Natura, redemptionis nostræ mysterium est peractum. Et hæc in silentio tum Anguis, tum Lancea non silentes. Quod si quis quintuplicem quoque flexum illum attendat, quo Serpens in Henrici Symbolo supremæ parti Lanceæ se convolvit, discet is è Sacris paginis, eo flexu furorem implacabilem explicari. Cùm enim Anguis hunc in furorem abit, tot ille se flexibus implicat, & involvit, nec ab iis ante se explicat, quam venenum intulerit, aut præ rabie exanimetur, ut Euthymius prodit.

Potuit igitur divina quadam, & alta mente præditus Henricus VII. Imperator, ut ex dictis ad ejus interpretandum Symbolum me convertam, illud sibi præ cæteris assumpsisse, ut eo quasi schemate Magnanimitatis suæ toti Terrarum Orbi proposito, Mortalibus omnibus testaretur, animo sibi fixum, & immotum sedere, Terrarum Orbis Imperium fidei suæ concreditum, Loco & Tempore, cujus rationem maximam habere volebat Pittacus, qui fuit unus è Septem, quà Virtutibus animi, quà Viribus corporis tueri sartum, & tectum; ad hæc vigilem se, & prudentem illius Custodem perpetuò fore, animo ad id expedito semper, hilari, & erecto, quòd is demum Imperatoriæ Majestatis personam pro dignitate sustineat, qui pro tuendis Imperii juribus in perpetua quasi vigilia perstat, nusquam oculos inde dejiciens; quique cogitationes, & actiones omnes à Lydio Prudentiæ lapide suspensas habet. Nimirum has esse partes peculiares, ac proprias Imperatoris probi, cui Gentium commissa tutela sit, docuit ante multò Agamemnonem ipsum Populorum Rectorem Somnus personam indutus Nestoris apud Homerum Il. VI.

Οὐ χρὴ παννύχιον ἐυδειν βουληφόρον ἄνδρα,
ὯΙ λαοί τ' ἐπιπτράφαται, καὶ πασὰ μέλει,

Non decet ignavum tota producere somnum
Nocte virum, sub consilio, sub numine cujus
Tot populi degunt, cui rerum cura, fidesque
Credita summarum.

Quod cùm P. Scipio, vir alioqui rebus tot præclarè gestis omni laude major, minimè præstitisset, somnolentiæ nomine malè apud Populum Romanum audiit auctore Plutarcho Lib. ad Trajanum Imp. de Institutione Civili: quemadmodum non bene cessit Heliogabalo, Caracallæ, Commodo, Domitiano, & aliis Reip. Rom. pestibus, quòd, simul atque summum Principatus fastigium attigere, curam omnem publicam abjecere. Contra ea Augustus, Antoninus Pius, Trajanus, Hadrianus, Pertinax, Severus Alexander summis ad cœlum usque laudibus evecti sunt, quòd Vigilantiam prudentiamque comites sibi semper adsciverint in administranda rerum, & Imperii summa. Probabile admodum hoc, quod dixi, cùm Matronarum ævi sui decus, & gloria nobilissima Bituricensium Ducissa Margarita, par animi sui votum Symbolo gemini Serpentis ex Oleæ ramusculo utrumque caput exerentis expresserit, indicans veram rerum omnium gubernationem clavo Sapientiæ, & Prudentiæ perquam optimè teneri, ut ipsummet lemma Symboli declarabat. *Rerum Sapientia Custos*. Potuit & hæc alia præstantis animi sui sensa pulcherrima huic ingeniosissimo Schemati consignasse Cæsar. Æquè se Corporis, & Ingenii viribus usurum in Re bellica, quòd in ea, monente Sallustio, *priusquam incipias, consultò, &, ubi consulueris, maturè facto opus est*; & *in concursu prœlii abit res consilio ad vires, vimque pugnantium*, ut ait in Thrasybulo Corn. Nepos, *ita utrumque per se indigens, alterum alterius auxilio veget*: eaque potissimùm ratione cupere acceptam à Strenuissimis Majoribus gloriam propagare, nominisque sui memoriam, & celebritatem famæ quam maximè longam efficere militaribus incrementis. Præter hæc Pacem, non Germaniæ modò; sed etiam Italiæ universæ, ad quam votis, & precibus vocabatur miserandum in modum diutinis bellis, & contrariis inter se partium Guelfarum, & Gibellinarum studiis afflictatam, blandis, quoad ejus fieri posset, alloquiis allaturum: excitaturum

--- In antiquam virtutem, animosque viriles
Jampridem resides populos, desuetaque corda:

paraturum Imperio parentibus quietem, adversantibus cladem: paratum omnino fore,

Parcere subjectis, & debellare superbos:

afferre salutem suis, rebellibus vastitatem: furorem etiam exuta clementia, si res ferat, induere, ne quid detrimenti Res Imperii capiat: nil demum inausum, nil intentatum relinquere felicitatis ergo Publicæ. Tranquillitatis Orbis. Salutis omnium, ut apud Nostrum res ab eo gestæ liquidò testabuntur, docebuntque clarissimè, vel in hoc uno illius Symbolo planè Cæsareo, divinitatem ejus ingenii maximam eluxisse.

Paucis omnino Scriptoribus memoratus, ut ante vidimus, Henrici VII. Cæsaris pater: at longè paucioribus patrui, & hos inter in iis nominandis, numerandisque mira dissensio. Marcus Guatius in Chronico Reginaldum Comitem Lucemburgensem filios tres impuberes reliquisse narrat, patrem scilicet Henrici VII. Cæsaris, quem paulò post Henricum vocat, & patruos ejusdem Cæsaris duos, quorum nomina silentio involvit, perinde ac si nobis ea voluerit invidere. Sed bene est, quòd ea nobis aperuit Antonius Albicius Florentinus, cujus verba supra dedimus in Henrici VII. Cæsaris patre in Genealogia Com. Lucelburgensium, ubi cum Henrico Plundelo Henrici VII. Cæsaris patre fratres duos, VValramum unum, Joannem alterum, in prœlio cecidisse tradit. Fecerat & hoc ipsum Meyerus Annalium Flandriæ Lib. X. ad Ann. MCCLXXXVIII. Sed is Joannis loco reposuit Balduinum verbis supra allatis in Henrici patre. Eosdem nobis etiam nominarunt Bertelius in Historia Lucemburgensi, Buselinus in Annalibus Gallo-flandricis Lib. VII. Vetus Chronicum Flandriæ Cap. XXIX. & Nicolaus Vignier in Historia Domus Lucemburgicæ Cap. XX. Nam omnes hi de duobus tantùm Henrici Plundeli patris Henrici VII. fratribus uno veluti loquentes ore, Valerannum unum, Balduinum alterum, uti Meyerus, vocant. Auget eorumdem numerum Reusnerus, tres assignans fratres Henrici VII. Cæsaris patri; sed idem eorumdem nominibus, ut Guatius, quasi Mysteriis Eleusiniis parcit. Præstitit hoc ipsum Hadrianus Barlandus in Chron. Ducum Brabantiæ Cap. XLVI. sic locutus. *Ceciderunt ex Ducibus, qui Antistiti* (Coloniensi) *venerant auxilio, Henricus Luceburgensis Princeps, fratres ejus tres, & alii plerique Illustres viri, &c.* Consentit cum Reusnero, & Barlando Divæus Rerum Brabanticarum Lib. XII. in numero, & qui post illum Genealogicas Tabulas Imperatorum, Regum, Principum totius Terrarum Orbis ex monumentis antiquis, & archivis ipsis Principum accuratissimè concinnatas edidit, antiquitatis, & historiæ bene peritus Henninges: sed hi demum etiam sunt inter se varii, & diversi in eorundem nominibus afferendis; Divæus enim in Joanne I. Brabantiæ Duce XXXI. patris Henrici VII. Cæsaris fratres, Balduvinum, Valeranum, & Joannem vocat; quemadmodum fecit etiam Pontus Heuterus in Genealogia Lucemburgica; Henninges verò in stirpe Lucemburgensi, Valeranum, Gerhardum, & Gulielmum nominat, ita prorsus, ut in uno dumtaxat Valerani nomine cum Divæo, & Heutero conveniat. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi ad Annum MCCXXXVIII. (malè Typographorum oscitantia, pro MCCLXXXVIII.) & ei æqualis Gerbrandus à Leydis in Chron. Belgico ad eundem Annum MCCLXXXVIII. solius VValrami mentionem faciunt, ejus scilicet, qui est Divæo, Henningi, & aliis Valeranus. Variat hìc etiam, quin & secum pugnat Magnum Chronicon Belgicum à Joanne Pistorio in lucem è tenebris vindicatum: Scilicet ejus sive Auctor, sive Collector ad Annum MCCLXXXVI. in Brabanticis pagg. 257. & 258. cum Henrico Henrici VII. Cæsaris patre VValramum unum, & fratres alios duos innominatos dimicantes obiisse narrat: in Coloniensibus verò, pag. 267. VValramum tantùm. Quod etiam factum video ab Hocsemio in Jo. Guidone Episcopo Leodiensi LXXI. Cap.

Digitized by Google

Cap. XVI. *Quò Lutzilburgensis Comes devenerit ignoratur. VValeranus pulcherrimus hominum frater ejus, & frater Coloniensis Archiepiscopi cum cæteris in prælio ceciderunt*: licèt ad id bellum Comitem Luceburgensem cum suis (hoc est multis) *fratribus* profectum non ante multò scripsisset in eodem loco. Quis hic tam acutè cernens, quàm Aquila, aut Serpens Epidaurius, liquere sibi pronuntiaverit, vel potiùs, non liquere? Hæret hic mihi, non inficior, aqua, cùm tantum inter hos Scriptores dissidium cernam. Sed illud interim me oblectat, eos inter longè plures suffragari Nostro, tradentes duos tantùm Henrici Plundeli fratres, Henrici VII. patruos, in acie cecidisse. Nolui tamen aliorum sententias reticere, ne quis me ita Mussato addictum existimet, ut ea mihi tantùm afferenda censeam, quæ cum iis consentiant, quæ αὐτὸς ἔφα. *Osius*.

(*) Juvat omnem hujus belli Scenam, toti isti Rubricæ pleniùs, & planiùs illustrandæ, chartis aliquibus explicare, eorum in gratiam, ad quos

Horum vix tenuis famæ pervenerit aura:

Et primò quidem Tempus ejus, & Caussam in conspectum dabo; mox Apparatum utriusque partis, & copias adornare nitar: sequentur ad hæc prœlia, & eventus varii cum multorum cæde: canet ipsa tandem Victoria receptui, & triumpho. Ordior à Caussa, & Tempore cum Divæo, cujus industria mihi præ cæteris eluxisse videtur in pertractandis rerum universæ Brabantiæ monumentis. *Anno*, inquit ille, *MCCLXXXIV. ex morte Comitis Limburgensis Henrici* (VValrami, Magni Chronici Belgici Collectori) *gravissimum inter inferioris Germaniæ Principes bellum exoritur. Fuerat Henrico filia unica Ermengardis Reinaldo juncta Geldriæ Comiti, quæ non relictis liberis diu ante patrem decesserat; ejus tamen morte non obstante, Reinaldus, defuncto Socero, quamquam injuria, proximum se Limburgensi Ducatui* (rectè, licèt Limburgium in Ducatum multò post ab Henricis evectum Munsterus Libro Universalis Cosmographię suę secundo tradat) *hæredem prætendebat. Propior illo Adolphus Montensis Comes, ne cum potentiore contenderet, jus suum Duci nostro Joanni* (ejus nominis primo, Brabantiæ Principi XXXI.) *vendidit*. En apertè positam in luce publica, & omnium conspectu belli hujus Caussam, & Tempus simul ab accuratissimo rerum illarum Scriptore Divæo? Et in caussa quidem mirè cum eo convenit Hocsemius in Joanne Guidone Episcopo Leodiensis Ecclesiæ LXXI. Cap. XVI. ubi hæc habet. *Cùm Dux Brabantiæ Joannes hujus nominis primus Ducatum Limburgensem erga Comitem de Monte, cui ex successione legitima competebat, certa summa pecuniæ comparasset; & Comes Geldriæ cum suis fautoribus, terram Ducatus cum castris per violentiam detineret, Dux multorum sibi suffragia procuravit*: & alii tum Antiquiores, tum Recentiores multi. In Tempore secus se habent, quòd aliud alii notent. Nam quod attinet ad Antiquiores, Trithemius in Chron. Hirsaugiensi Limburgensis obitum in annum MCCLXXXIII. incidisse tradit, mox inde Geldrensem inter, & Brabantinum dissensionem ortam. Ejus verba sunt. *Anno prænotato* (MCCXXXVIII. pro MCCLXXXVIII. Typographi lapsu) *obiit Dux Limburgensis sinè liberis, pro cujus Ducatu magna inter Joannem Ducem Brabantiæ, & Reihardum* (Reinaldum alibi) *Comitem Gelriæ dissensio orta fuit. Tandem venitur ad bellum*. Et uberiùs in Chron. Sponheimensi. *Eodem anno* (MCCLXXXVIII. nullo mendo) *obiit Dux Limburgensis non relicto semine, & secuta est magna dissensio inter Joannem Ducem Brabantiæ, & Reinaldum Comitem Gelriæ, propter eundem Ducatum Limburgensem, quod uterque sibi hereditario jure vendicare, tamquam legitimus, & vicinior hæres, maximopere laborabat. Ventum est postremò ad bellum*. Conjecit in eundem annum Limburgensis obitum Gerbrandus à Leydis Trithemio æqualis in Chronico Belgico, quod V. Cl. Francisci Suvertii beneficio ante quadriennium in lucem prodiit, Lib. XXIV. Cap. XXI. quem idcirco juverit audisse, cùm præsertim in hujus narratione rei multorum diligentiam vicerit, vel æquarit. Ait Gerbrandus: *Anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo octavo lamentabilis, & magnarum rerum controversia inter Jobannem hujus nominis primum Ducem Lotharingiæ, & Brabantiæ ex una parte, & natalibus clarissimum Reynaldum Comitem Gbelriæ ex alia parte fuit suscitata propter Ducatum Limburgensem. In quo quidem Ducatu generosissimus Comes Gbelriæ, ratione uxoris suæ, usufructum sibi vendicavit, Duce Limburgbense absque liberis defuncto. E contra verò Dux jure successionis in ipso Ducatu ab Adolpho Comite de Monte, proximo quidem de consanguinitate Ducis defuncti, sibi emptione, & pecuniis Ducatum comparavit*. Hæc Gerbrandus, cujus hic, passim, & ubique vestigia probè pone pressisse non modò Magni Chronici Belgici collectorem à Pistorio editum; sed etiam Divæum cerno. Nam, quod attinet ad uxoris Rainaldi nomen, quod hic aperuit Divæus, id ipsum nobis expresserat Gerbrandus in Capite VII. modò laudati Libri XXIV. cùm scripsit: *Anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo primo, quarto Idus Januarii, obiit Ottbo nominis celebritate celebris Comes Gbelriæ, & Zutpbaniæ, postquam gubernasset annis quadraginta duobus, & sepelitur in Monasterio Vallis Comitis. Tunc successit ei Reynaldus filius suus, Comes Gbelriæ & Zutpbaniæ. Hic duas legitimas successivè accepit conthorales. Prima fuit Eringardis Ducissa Limburgbensis* (lege Ermengardis Ducissa Limburgensis) *ex qua nullas suscepit proles. Qua defuncta accepit conjugem Margueretam filiam Zuvidonis de Dampier, Comitis Flandriæ, ex qua genuit Raynaldum, Nigrum cognominatum, sibi succedentem primum Ducem Gbelriæ, Philippum, & Isabellam Moniales inclusas ad S. Claram in Colonia*. Haberet his omnino affinia Magni Chronici Belgici Collector ex aliis Chronicis, nisi pag. 282. in Hollandicis ad Ann. MCCCXXVI. hoc uno dissentiret ab aliis, Gerbrando maximè, & Divæo, quòd Ermengardim Reynaldi Geldrensis uxorem, quam ipse modò Ermgardim contractè nominat, modò Ermengardem, non Henrici, ut illi, sed VValrami Ducis Limburgensis filiam facit. Sic enim is Scriptor, quisquis ille fuerit, ad Annum obitus Reynaldi, qui fuit millesimus trecentesimus vigesimus sextus a nobis antea laudatus: *Anno Domini MCCCXXVI. Septimo Idus Octobris obiit Reynaldus filius Ottonis, ultimus Comes Gelriæ, & Zutpbaniæ, sepultus in Monasterio Vallis Comitis juxta patrem suum. Iste duas babuit uxores successivè, Ermgardim VValrami Ducis Limburgiæ, & Margaretam Guidonis Comitis Flandriæ filiam in eodem Monasterio sepultas*. Hæc eò loci Chronicon illud magnum, quod mirum non est interdum ab aliis dissentire, cùm neque sibi perpetuò constet incuria Collectoris. Nam, quod attinet ad rem præsentem, quæ pagina 267. in Colonienſibus gesta fuisse commemorat anno MCCLXXXVIII. Trithemii, Gerbrandique vestigia persequutus, eadem in Brabanticis pagina 256. biennio ante peracta prodidit in hæc verba: *Item mortuo VValramo* (*aliàs Henrico*) *Duce Lymburgensi, Joannes ille Dux, primus nominis*, (adde *ejus*) *emit legitimè contra Adolphum Comitem Montensem, qui ipsius Lymburgiæ Ducis hæres proximior fuit, omne jus, quod ad Comitem, & ad eundem Ducatum Lymburgicum spectare, & pertinere poterat, quoquo modo: sed dum Joannes Dux ad Ducatus possessionem adipiscendam proficisceretur, Reinaldus Comes Geldriæ se opposuit, allegans, non obstante emptione Ducis, usumfructum, sive vitæductum dicti Ducatus ad se spectare, & pertinere, quamdiu vitam duceret in humanis: ea scilicet de causa, quia prædicti quondam VValrami Ducis filiam unicam Ermengardem nomine habuerat in uxorem: quæ licèt frustra diceret, & illa ante patrem mortua diu fuisset, nihilominus castra, & oppida ipsius Ducatus, quæ jam occupata tenebat, Comes, licèt sufficienter submonitus, & requisitus Duci restituere recusavit. Quod ipse Dux ægrè ferens ipsum Comitem bello postulavit anno Ducatus sui XXVI. anno verò salutis MCCLXXXVI.* Anno scilicet uno seriùs, quam alii supra laudati censuerint cum Divæo. Hæc ibi de Ermengardis patre, simulque de Belli hujus Caussa, & Tempore Magni Chronici Belgici Concinnator. Sed inter eos, qui Ermengardin (ut ad eam redeam) patre Henrico, non VValramo genitam voluerunt, locum etiam habuit

habuit Henninges in Comitibus Lucemburgensibus pag. 157. licèt idem in Comitibus Barri pag. 112. ita loquatur, ut dubitet, num illa Henrici Comitis Luceburgensis VIII. filia fuerit, an Conradi Comitis Lucemburgensis VII. Utrobique verò sic ab aliis diffidet, ut nihil supra, cùm utrobique Ermingardam non Reinaldo Comiti Gelriæ nupsisse tradit; sed Theobaldo Barri Comiti. In quo quidem graviter offendisse videtur Henninges, sicuti etiam in eo, quod proximè subdit, Theobaldum illum ab Henrico VII. Imperatore interdictum aqua, & igni, cùm ex ejusdem ore Theobaldus decesserit anno MCCXVI. quo quidem anno nondum lucis hujus communis usuram hauserat Henricus VII. Imperator. Usque adeò densis hæc tenebris, & erroribus vetustas involvit, &, ut est in proverbio, bonus etiam Homerus quandoque dormitare solet. Sed magno in Opere, quale nobis confecit Henninges, eo complexus omnium totius Mundi Principum Genealogias, somnum quandoque obrepere non valde mirum. Meyero sanè quid caussæ fuerit, ut præter aliorum omnium mentem, in hujus belli caussa proferenda, Ermengardam Henrici Limburgici sororem fuisse, non filiam; nec ante VVoringanam pugnam; sed triennio post è vivis cessisse scripserit, mirabitur eruditus Lector, cùm hæc apud illum exarata viderit in Annalibus Flandriæ Lib. X. ad Annum MCCLXXXVIII. *Causa belli erat Comitatus Limburganus, quem victor Brabantus retinuit per hanc victoriam, ac quandam præcedentem emptionem, quamquam Irmingardim sororem, & hæredem Henrici Limburgici recens defuncti Geldrus haberet in matrimonio, quæ mulier post triennium è vivis excessit, accepitque tum Geldrus unam è filiabus domus Flandriæ.* Cautior idcirco, quia brevior, Recentiorum aliorum, ad quos me recipio, sermo, quippe qui satis ac super habuisse videntur, solam hujus belli caussam summo veluti digito commonstrare. Meyero planè astrictior Reusnerus in Henrici VII. Cæsaris patre. *Henricus Comes Lucemburgi pro Ducatus Limburgii possessione acie conflixit cum Joanne primo Brabantiæ Duce.* Henninges paullò laxior in Gulielmo, uno (ut is censet) ex patruis ejusdem Henrici VII. Imp. *Gulielmus periit cum reliquis fratribus*, (Henrico II. Henrici VII. Cæs. patre, Valerano, & Gerhardo, ut hos ipse nominat) *pugnans cum Reinoldo Geldriæ Comite, ac Archiepiscopo Coloniensi prope Arcem VVoroncanam, contra Joannem I. Brabantiæ Ducem, pro Ducatus Limburgii possessione, quam uterque sibi deberi affirmabat A. C. 1289.* Omnium verò brevissimè Ubbo Emmius: *Henricus Comes Lucelburg. periit in pugna pro Reinoldo Geldro contra Joannem I. Brabantiæ Ducem.* Nec uberiùs, si rem attendas, Albicius Florentinus: *Comitatus Lucelburg dictus est primùm Moselianus à flumine, ex cujus Comitibus habetur Henricum fuisse, Plundelum dictum, qui pro Ducatu Limburgi cum Joanne I. Duce Brabantiæ pugnavit, & in prælio dimicans simul cum fratribus VValramo, & Joanne occubuit.* Et Chronicon Brabanticum MS. quod in Eruditissimi Ger. Jo. Vossii Bibliotheca servatur, & ab eodem laudabitur in sequentibus notis: *Tunc Ducatus Lemburgensis, pro quo diu fuit litigatum, pacificè præfato Duci* (Joanni) *remansit.*

Ad hunc isti modum hujus belli caussam attigere, nec pluribus expressere Recentiores alii, si Guatium unum excipias, à reliquorum orbita deflectentem in Chronico, vernaculo illo quidem; sed elaborato, cujus idcirco sententiam latinè redditam adscribere non gravabor. Sentit enim is Scriptor, hujus belli incendium excitatum fuisse non à funebribus Henrici Com. Limburgensis; sed Reginaldi Com. Lucemburgensis tædis; & inde contentionem natam, non de Limburgensis; at de Lucemburgensis Comitatus jure; nec inter Reinaldum Gelriæ Comitem, (quod aliis visum) & Joannem I. Brabantiæ Ducem; sed inter Reginaldi Comitis Luceburgensis filios numero tres, nempe Henrici VII. Cæs. patrem, quem non multò post Henricum vocat, & alios fratres ejusdem duos una ex parte; & Joannem I. Brabantiæ Ducem ex altera: Reinaldum verò Geldrensem non sua caussa venisse contra Brabantinum Ducem; sed, ut filiorum impuberum Reinaldi, quo cum illi necessitudo, & affinitas intercedebat, jura, partes, & caussam tueretur. Quæ quidem mirè congruunt cum Mussati mente. Ob id enim ille scriptum reliquit, bellum hoc, non inter Reginaldum Gelriæ Comitem; sed inter ipsos Comites Lucemburgenses, & Brabantinos gestum, quòd ejus belli caussa Comites ipsos Lucemburgenses propiùs attingeret, quàm Geldrensem. Advocentur huc igitur Guatii verba ad majorem dictorum lucem, & fidem: *Anno à Virgineo partu MCCXC. Reginaldo Comite Luceburgensi defuncto, suborta contentio est inter ejus filios numero tres, & Joannem Brabantiæ Ducem. Geldubensis* (meliùs, *Geldrensis*) *Comes, juvenibus illis affinis, impuberum patrocinio suscepto omnes ferè Germaniæ Principes in socias partes attraxerat. Favebant altera ex parte Brabantino Duci Galliæ Proceres, & ingentibus copiis arctissimo sibi fœdere copulatum Principem adjuvabant. Ad Rhenum oriente Sole commissa pari Marte pugna, & ad noctem usque perducta, ancipiti fortuna stetit. Cùm demum, &c.*

Ventum est igitur à contentione ad bellum, &, ut cum Divæo ad ejus Apparatum pergam, *Pulchra tum occasio Duci Brabantiæ visa, Principatum etiam ultra Mosam proferendi. Quare collecto fortissimo armatorum in Brabantia numero, Mosam transiit. Hic verò omnes pæne ejus tractus Principes, partim Gelro concitante, partim veterato odio hostes reperit; Siphridum videlicet Coloniæ Archiepiscopum*, (quem Meyerus Lib. X. Annal. Flandriæ ad Annum MCCLXXXVIII. Archiepiscopum Agrippinensem vocat) *Henricum Luceburgi, Cliviæ, Spanhemii Comites, aliosque complures; Valeranum etiam Falcoburgi Dominum exulceratum, quòd Dux ante biennium Leodiensi Episcopo Fulcoburgum obsidenti auxilia misisset. Iisdem partibus Limburgenses cives accesserant.* Addit Meyerus in modò laudato loco: *Sunt qui Guidonem hic partes juvisse prodant Geldri, quamvis Brabantus ejus esset gener; sed certo mihi non constat.* Adjiciam ego, qui altera ex parte faverint Brabantino, quos hic Divæus reticet: imò, qui & alteri parti se junxerint, ex Trithemio distinctiùs, & Gerbrando: *Tandem*, (inquit in Hirsaugensi Chron. Trithemius,) *venitur ad bellum. Dux Brabantiæ habuit in sua parte Godfridum fratrem suum Brabantiæ Ducem, Adolphum Comitem de Monte, Henricum Comitem de VVindecK, VValramum Comitem de Juliaco, Gerbardum fratrem ejus Comitem de Juliaco, Everbardum Comitem de Marca, & fratrem ejus; Comitem quoque S. Pauli, Comitem de Loss, Episcopum Leodiensem, Cives Coloniensis, aliosque nobiles multos, & fortissimos. Porrò cum Reinaldo Comite Gelriæ fuerunt Siphridus Archiepiscopus Coloniensis, Henricus Comes Lutzenburgensis, & frater ejus VValramus, Joannes quoque Dominus de Limpurg, Henricus Comes de VVesterburg; Comes quoque de FalcKenburg, & alii complures.* Quæ totidem ferè verbis repetit in Chronico Sponheimensi, ut necesse non habeam iis paginas implere. Longè sanè plures Gerbrandus retulit in hunc album, præsertim è Brabantini parte, quem idcirco non frustra fuerit hic spectare. Sic enim ille ducto hujus belli initio à capto, & devastato per Rinaldum Thenensi oppido Brabantino: *Igitur inclytus Reinaldus Comes Ghelriæ, collectis bellatoribus fortissimis, Oppidum Thenense, ditionis Brabantiæ, bellica manu capiens destruxit, & devastavit. Quapropter Johannes Dux Brabantiæ congregavit in suum adjutorium civitatem Coloniensem, Adolphum Comitem de Monte prædictum, VValramum Comitem Juliacensem cum Gherardo Comite de Castere* (*Castore* meliùs) *fratre ejusdem VValrani, Everbardum Comitem de Marra* (fortè *Marca*, ut est apud Trithemium, & Magni Chronici Belgici Collectorem, qui hæc eadem in rem suam transtulit in Coloniensibus hujus ipsius Anni MCCLXXXVIII. pag. 267.) *Henricum VandeyKe* (de VVindecKe, seu VVindecK eisdem) *fratrem Adolphi Comitis de Monte, Johannem decimum septimum Dominum de Huesden, & Johannem decimum Dominum de ArcKel cum aliis multis potentibus viris, & nobilibus militibus. E contra ingenuus Reynaldus Comes Ghelriæ coadunavit in suum subsidium Siphridum Archiepiscopum Coloniensem, Henricum Comitem Lutzemburghensem, & VValramum*

num fratrem ejus, VValranum Dominum de VValchenborg (*FalcKenburg* Thrithemio) *Dominum Joannem de Limborch, & Joannem de VVesteborch* (qui *Henricus de VVesterburg* eidem Trithemio) *cum aliis multis Proceribus, atque nobilibus infinitis*. Sunt enim, qui scribant, Trithemio referente in supra laudato loco Chronici Hirsaugiensis, *eo in prælio centena hominum millia ad certamen belli convenisse*. Nec puto ea Trithemium hyperbolicè literis consignasse, cùm Hocsemius scribat in Joanne Guidone Episcopo Leodiensi LXXI. Leodiensis ipse Canonicus Cap. XVI. quod est de VVoringano bello, Brabantino Duci, præter Colonienses, totam etiam Leodiensem militiam venisse subsidio ex condicto, quod miror à Trithemio leviter tactum; ab aliis verò penitus prætermissum. *Cùm Dux Brabantiæ* (verba Hocsemii sunt in laudato loco) *Johannes hujus nominis primus Ducatum Limburgensem erga Comitem de Monte, cui ex successione legitima competebat, certa summa pecuniæ comparasset; & Comes Geldriæ cum suis fautoribus, terram Ducatus cum castris per violentiam detineret, Dux multorum sibi suffragia procuravit. Et primò pepigit cum Episcopo nostro Joanne tali forma, quòd, quàm citò Dux terram Limburgensem recuperare valeret, castrum de Rhode, quod ad Leodiensem pertinebat Ecclesiam, quodque Limburgenses occupaverant violenter, reddere promisit Episcopo, ipsum ad possessionem pacificam reducendo, donec Dux proprietatem castri evincere potuerit coram Judice competenti, & super hoc suas dedit literas Episcopo sigillatas, quæ in Archivio nostræ Leodiensis Ecclesiæ conservantur. Dux igitur exercitum colligit multis Nobilibus exornatum, in quo fuit S. Pauli Comes cum cæteris Ducis consanguineis de Francia bellicosis; de Monte, de Loz Comites, ac tota militia patriæ Leodiensis, quam illuc misit Episcopus ex condicto. In auxilio verò Comitis Geldriæ Coloniensis Archiepiscopus, Comes Lutzilburgensis cum suis fratribus, & Dominus de Falcomonte fuerunt.*

Instructas ob oculos jam habemus acies utriusque partis. Eant nunc in apertum campum ad Divæi tubam. *Tantæ hostium multitudini summa virtute se Dux noster objiciens, Lymala arce priùs demolita, Aquensibus sibi devotis forte præsidium, ac commeatum intulit: Valeranum quoque Falcoburgi Dominum à Trajecto pulsum stravit; quibus peractis, cùm ad ulteriora tenderet, Philippi Regis Francorum Legatione aversus est. Hic enim proclamatæ tum in Arragones expeditioni socium summopere cupiens Ducem, Nigellæ Dominum miserat, ut confectis induciis, eum in Franciam perduceret. Cui Dux ægrè acquiescens, tandem induciis cum hoste pactus, domum abscessit. Arragonicæ expeditioni se, suosque apparaturus.* Siluerunt itaque inter Geldrensem, & Brabantinum arma, hujus expeditionis ergo, ab Anno MCCLXXXIV. usque ad MCCLXXXV. quo, reverso Duce Brabantiæ, cùm induciæ expirassent, Geldri initio sequentis Anni ea, quæ Brabantiæ Duces trans Mosam possidebant, invasere. Ea re intellecta movit in hostes Dux, captaque Bommela cum adjacenti regione, eos Tylam quoque metu relinquere coegit; quam, extinctis ignibus, quos illi in recessu suo injecerant, reparatam forti præsidio munivit. Capta etiam tum Hosdena Oppidulum, & Arx, quæ Mal-repas nominabatur. Tum aliò converso impetu, Limburgum controversi Comitatus caput, & Mullem arcem Gelricæ ditionis captam Dux incendit. Florentius etiam Hollandiæ Comes Duci Joanni confœderatus, novum fossatum Gelro ademit. Anno proximo, qui fuit MCCLXXXVII. cùm Siphridus Archiepiscopus Coloniensis Comitatum Montensem depopularetur, Dux Brabantiæ eò profectus, fœderatum, repulso Archiepiscopo, eo metu liberavit. Inita tum Falcoburgi conspiratio de repellendo è Transmosanis Duce: in quam nomina dedere. Siphridus Archiepiscopus, Reinaldus Gelriæ, Henricus Luceburgi cum Balduino, & Valerano fratribus, Adolphus Nassaviæ, Henricus VVestreburgi, Henricus Spanhemi, Murtii quoque Comites: Joannes Dominus Limpurgi, & Valeranus Falcoburgi Dominus. Cæteri verò Transmosani Principes, Adolphus Montensis, Henricus de VVindec, Valeranus, & Gerardus fratres Juliaci, Everardus Marchiæ, & cis Mosam Arnoldus Lossensis, Comites, cum Episcopo Leodiensi, Duci Brabanriæ conjuravere. Porrò sequentis Anni MCCLXXXVIII. principio, cùm Principum interventu decretum esset, ut Trajectum conveniretur, & controversia, utriusque partis Principum arbitrio, inter Ducem, & Gelrum finiretur; Gelrus pactis stare, & eò venire noluit: sed paucis suæ partis Falcoburgum convocatis, jus suum in Comitatu Limburgensi controverso Comiti Lucemburgi vendidit. Erat tum Trajecti cum exercitu Brabantiæ Dux, qui comperto hostis molimine, supra modum excanduit, indictaque suis profectione, summa celeriaate Falcoburgum properavit. Hinc opidò dilapsum Coloniensem ad Rhenum usque persecutus, equos suos in Rheno potari jussit: tum quoque exustis Bonnæ (quò Episcopus confugerat) suburbiis, vineta Archiepiscopi, & venatica septa, dimissis quò vellent feris, destruxit. Hæc agenti Colonienses Cives præter Anni MCCLI. fœdus, novo etiam fœdere juncti sunt. Valeranus item Juliaci, ac Adolphus Montium, Comites accesere, auxilia fortissima in Gelrum polliciti, si VVoringam arcem exscinderet, prædonum munitissimum receptaculum. Quorum ille postulatis acquiescens, hebdomadas aliquot arci assedit, maximo exercitu Brabantinorum septus, ac novis in dies eò confluentibus copiis. Cæterùm Archiepiscopus, cùm arcem obsideri intellexisset, missis ad suæ partis principes nuntiis, auxilia undique in Ducem ciebat. Convenere mox ad eum Gelrus, Luceburgensis, Nassavius, Falcoburgensis, cæterique contœderati, singuli delectissimos suorum adducentes. Nec minor erat Brabantiæ Duci cogendis auxiliaribus diligentia: cui frater Gothfredus Comes Virsonii, & S. Pauli Comes è Francia, Arnoldus Lossensis, Everhardus Marchiæ Comites, Valeranus Juliacensis, ac Adolphus Montensis (quibus suaforibus VVoringam obsidebat) maximas copias confecere. Quibus instructus, contempto hostium numero, VVoringam moventibus occurrit: mox iis conspectis, cùm suos oratione brevi animasset, impetum fieri jussit, quem hostes summa virtute excepere: nec ab hominum memoria in eo tractu atrociùs bellatum ferunt. Omnes enim pæne Inferioris Germaniæ vires in eam pugnam congestæ erant. Duravit usque ad extimum diei conflictus; tandem Brabantini se se mutuò ad fortissimè agendum cohortati, tanta vi hostibus illati sunt, ut compluribus eorum interemptis, reliquis verò in fugam conjectis, victoriam, quamquam non omnino incruentam, pepererint. Cæsi ex hostibus Henricus Luceburgensis cum Balduino, Valerano, ac Joanne fratribus, & 400. Equestris ordinis viri: capti Coloniensis, Gelrus, Nassavius, Falcoburgensis. A Brabantinis verò cecidit Valterus Bertholdus Mechliniæ Princeps, vir fortissimus, & Arnoldus à Zellem Eques. Pugnatum est V. Idus Junii festo Bonifacii. Post hanc victoriam Brabantiæ Dux capta eversaque VVoringa, domum revertit, magnam Brabanticæ virtutis opinionem in Transmosanis relinquens. Porrò Gelrus, antequam ejus manum evaderet, datis sacramentis, Limburgensi Comitatu cedere coactus fuit. Ita ferè Divæus antesignanus noster. Commemorat magnam harum quoque rerum partem, nec cædem intactam relinquit, Gerbrandus his verbis, & certè Rainaldo addictior, quam Divæus: *Dum autem Reynaldus Sicambrorum suorum robore victor ubique ferè existeret, tandem Joannes Dux Brabantiæ Episcopatum Coloniensem ingressus est, castrum VVoringhen, quod dictus Episcopus construxerat ad munitionem Ecclesiæ Coloniensis, & præsentes* (lege ex Magni Chronici Belgici Collectore, pag. 257. *& præsertim*) *contra obstinatos Cives suos Colonienses, circumambivit obsidione valida. Tunc Siphridus Archiepiscopus, & Reynaldus Comes pugnacissimus cum prælictis nobilibus eundem Ducem Brabantiæ audacter persequuti sunt. In die S. Bonifacii factus est cruentissimus conflictus, in quo Dux Ghelriæ optimè suo munere functus, ac Gheldris acerrimè pugnantibus, fugiente tamen à prælio Domino meticuloso de VValchenborch, indu-*

industria & dexteritate Domini de ArcKel, victoria à Ghelris ad Ducem Brabantiæ declinavit. Mortuus est ibidem Henricus Dominus de Lutzenborch cum VValramo fratre suo, & Henrico de VVesterborch fratre Siphridi Archiepiscopi Coloniensis, cum aliis multis nobilibus circiter mille de parte Archiepiscopi (addit Magni Chron, Belgici Collector, *& totidem captis*, pag. 267.) *& Comes Ghelriæ cupiens totum exercitum in acie & ordine continere, & ante omnes fortissimè depugnans, adverso corpore multis vulneribus lancinatus, magis eligens actariam Ghelriæ parentelam pugna stataria condecorare, quàm fuga nomini suo labem aliquam timiditatis inurere, à Ducali Brabantiæ exercitu captivatur, & per annum carceri injectus detinetur: nec non Siphridus per Adolphum Comitem de Monte similiter captus, ergastulo ultra mancipatur. Ex parte verò Ducis Brabantiæ Dominus Bartholomæus de Melchlinia* (qui *Valtherus Bertholdus Mechliniæ Princeps* Divæo) *& Dominus de Zuelen Ghelrus* (qui eidem Divæo, *Arnoldus à Zellem Eques*) *mœrens Brabanto in pugna prostrati sunt. Ex quo quidem lamentabili casu Ecclesia Coloniensis nimiùm extitit humiliata. Nam eodem turbine VValramus Comes Juliacensis Castrum Tulpense* (*Tulpethense* aliis) *munitissimum cepit, & destruxit. Comes verò de MarcKa in Ducatu VVestphaliæ munitiones, & castra Ecclesiæ devastavit. Tandem post annum, Siphriaus Archiepiscopus Coloniensis à captivitate laxatus, moriens in Metropolitana Ecclesia Coloniæ sepelitur. Reynaldus verò Comes Ghelriæ, adactus carceris incommoditatibus, cessit Ducatui Limburgensi in manus Joannis Ducis Brabantiæ, & sic liberatus rediit ad propria.* Quæ totidem verbis exarata reperies apud Anonymum Magni Chronici Belgici Collectorem pagina 267. Thrithemius eadem attigit in Chron. Hirsaugiensi: *Conserta prælio V. die mensis Junii circa villam, VVoring dictam, in Coloniensi Diœcesi, multi ab utraque parte ceciderunt: tandemque Joannes Dux Brabantiæ victoriam obtinuit. Ibi inter alios multos nobiles ceciderunt Henricus Comes de Lutzenburg, & VValramus frater ejus, Reinaldus Gelriæ Comes à Duce Brabantiæ captus, non solùm juri suo ad Ducatum Limpurg cedere; sed pro sui etiam liberatione multa castra, dominia, & ingentem pecuniarum summam dare coactus fuit. Siphridus quoque Archiepiscopus Coloniensis ab Adolpho Comite Montensi captus per septem annos in custodia detinetur, nec priùs dimitti potuit, quàm se pecuniis, castris, & proventibus multis cum gravi dispendio liberavit. Capti fuerunt & alii multi, plures verò interempti.* Et calculis iisdem firmat in Chron. Sponheimensi. Sed ego fortasse temerè fecerim, & immeritò fraudaverim Lectorem notitia pulcherrimarum rerum, si missa hoc loco fecerim, quæ Magnum Chronicon Belgicum in Brabantinis hoc de bello prodidit ad Annum MCCLXXXVI. pag. 256. à supra laudatis Scriptoribus, & aliis, quos hactenus viderim, omnibus prætermissa. Quare non parcam operæ, ut ea cum amico Lectore communicem hic loco suo, ratus, quæ mihi reperisse volupe fuit, eidem quoque jucunditatem esse non dissimilem allatura: *Orto igitur* (ut ipsissimis ejus Chronici verbis utar) *bello inter dictos Dominos, Reinaldus in auxilium, & subsidium acquisivit Sigfridum Archiepiscopum Coloniensem, Henricum Comitem Lutzelburgensem, & Dominum VValramum de Rupe, & Dominum VValramum de ValcKenburg. Quod Dux sentiens, incunctanter terras ipsorum hostiliter invadens, incendiis, cædibus, & rapinis cuncta depopulando devastavit. Comes verò Geldriæ vice versa cum suis confœderatis confinia Ducis cum consimilibus damnis invadere non formidavit, cum primisque cepit oppidum Ducis, Thiele vocatum, & dextruxit; Dux autem cepit ad manum suam duas Insulas Comitis, scilicet Boemelrcvverde, & Thielrevverd, & in insula Boemelrevverde castrum construxit apud Thiele, ex quo Comiti bellum faciebat, quod diu duravit: donec consilio amicorum partis utriusque, datis hinc inde induciis sub spe ineundæ pacis, constitutum tandem fuit, ut de præmissis tractaturi ad certum diem convenirent in oppidum Trajectense supra Mosam: quò Dux, satisfaciendo tractatui, die condicta venit; sed dum ibi partis adversæ adventum expectat; venerunt certa, vera, & indubitata nova, Comitem Geldriæ, & confœderatos hærere in ValcKenburg, nec ullum inituros tractatum: & suasu Archiepiscopi, Comitem jus suum vendidisse Comiti Lutzelburgensi prædicto. Quod Dux ægrè ferens, & sperans Archiepiscopum se in oppido ValcKenburg inventurum, illuc die sequenti cum nobilibus Baronibus, militibus, militaribus, & aliis fidelibus, quos in suo Comitatu habebat, iter direxit, ut Archiepiscopum in ValcKenburg obsideret. Sed Archiepiscopus, id per exploratores percipiens, fuga dilapsus ad propria rediit, & similiter alii sinè mora recesserunt. Archiepiscopum tamen Dux prædictus intrepidè insequitur, & per terras inimicorum usque ad Rheni flumen, ubi propria in persona equum suum lavit, & ultra progrediens, terram ipsius Archiepiscopi per complures dies cædibus, incendiis, & rapinis devastat, & fructiferas arbores ante oppidum Bonnense, quod obsidione premebat, excindi, & vites radicitus extirpari, canesque suos venaticos de Bontfoirt ex Brabantia adduci, caussa venandi in sylvis dicti Archiepiscopi jubet, acsi illuc non animo bellandi, sed solatii, & lætitiæ caussa venisset. Quibus sic peractis, Joannes Dux Castrum ValcKenburg obsidione cinxit. Et postquam illud tenuerat per novem septimanas, vel circa continuavit, nec tamen expugnavit; Guido Comes Flandriæ, cujus filiam dictus Dux habuit in uxorem, tractavit hoc modo, ut Dominus VValramus Domino de ValcKenburg inter cætera promitteret, ampliùs se contra Ducem sub pœna quatuor millium marcharum argenti, insurgere non velle, pro quo Dominus Guido Comes Flandriæ fidejussor apud Ducem fuit. Insuper idem VValramus, juxta tenorem tractatus hujus, sinè mora dicto Duci tradidit omnes claves, quas habuit ad Lymburg pertinentes: & sic dicto Castro inexpugnato Dux obsidionem solvit, ubi coci ex negligentia ollam æneam in campis dimiserunt, quæ in dictum Castrum portata fuit, quam nepos ejus Joannes Dux III. postmodum recuperavit, dum dictum Castrum destruxit; quæ quidem olla, sive lebes in castro trium Fontium esse dicitur. Quia verò dictus VValramus Dominus de ValcKenburg Duci fidem, & pactum non servavit; sed contra eum ante Castrum VVorgne insurrexit, ideo prædictam pœnam quatuor millium marcharum commisit: quam dictus Dux postea à Comite Flandrensi, tamquam ejus fidejussore, & qui dictum VValramum de dicta pœna indemnem facere promiserat, recuperavit. Cùm itaque Dux totam illam terram ferro & igne, ut præmittitur, pervagatus esset, & nemo compareret, qui ejus potentiæ atque violentiæ resisteret, eaque de causa cum sua expeditione versùs terram Lymburgensem, ad eam suo dominatui subjugandam proficisci Dux constituisset, Comites Montensis, & Juliacensis, atque cives urbis Coloniensis Ducem deprecabantur, ut Castrum VVoronch Archiepiscopi Coloniensis in terra ipsius situm (in quo nonnulli raptores latitabant, & ex eo exilientes, repentinis incursibus mercatores, peregrinos, & alios viatores in via publica spoliare, & deprædari solebant) obsideret, & viam tutam redderet: asserentes, securum conductum per eandem viam (das Gelendt) ad eum, tamquam Ducem Lymburgensem, spectare, Dux justæ ipsorum petitioni annuens, incunctanter castris in circuitu positis castrum VVoronch obsidione cinxit. Qua durante obsidione, Sigfridus Archiepiscopus Coloniensis collectis undique armatorum copiis, Reinaldus Comes Geldriæ cum totis suis viribus, Henricus Comes Lutzelburgensis, & VValramus ejus frater cum aliis duobus fratribus, & multitudine armatorum copiosa, Adolphus Comes de Nassavv, postea Rex Romanorum, cum valido Theutonicorum exercitu, VValramus de ValcKenburg Dominus & Comes de Moerse cum potestate magna, in viciniam prope VVoring, animo dictum Ducem debellandi, venerunt, certi eum cum suis vel occidere, vel ad minimum capere, cùm decem viros contra unum habere viderentur. Joannes verò intrepidus ex castris egrediens in campum, commilitones, & fideles suos animosè exhortatur, dicens, se justam caussam bellandi habere, eoque nihil de victoria dubitantem, cum hostibus fortunæ vires velle experiri, cùm non in multitudine, sed potiùs à Deo veniat salus, & victoria. Hujusmodi exhor-*

exhortationibus factis, & tribus ordinatis cohortibus, omnes unà cum illo unanimi voluntate, tamquam si Leones famelici, quos fames stimulat, ad stabula armentorum cursitant, ita in hostes irruunt, clamor in cœlum attollitur, pugna summa virtute conseritur. Maxima multitudo Theutonicorum ab insolentiis non desistentium, & plus prædæ, quàm pugnæ intendentium, ad spoliandum castra Ducis se convertunt. Dux cum suis non curans de castris, confertissimam hostium aciem irrumpunt; & velut uberrimæ segetes, procella tempestatis desævienti, prosternuntur, ita ferro cadit, sternitque aciem supradictam, ut nunquam, vel rarò, ante illa tempora in regno Germaniæ in ullo prælio tantum sanguinis nobilium virorum sit effusum. In eo enim bello interierunt Henricus Comes Lutzelburgensis, Dominus VValramus ejus frater, & duo alii fratres, & plus quàm mille, tam milites, quàm militares, exceptà innumerabili equitum turma, qui bellicosos Brabigenarum insultus ferre non valentes, dum latibulum fugæ quærunt, lutosam paludem loco conflictus contiguam intrant, & dum terram firmam paludem putant, cum equis, & armis suffocantur. De parte verò Ducis ultra quadraginta homines non ceciderunt, & inter eos Dominus VValterus Bertbout, & Dominus Arnoldus de Zeelem. Archiepiscopus interim, & Comites Geldriæ, de Nassavv, & Moerse, & Dominus de ValcKenburg cum multis aliis nobilibus capti fuerunt, & Dux potitus victoria, triumphum reportavit. Duravit bellum, quod equestre fuit, ab hora tertia usque post horam nonam. Et fuit commissum die Bonifacii, mensis Junii die quinta, anno Domini MCCLXXXVIII. anno Ducatus Joannis Ducis XXVIII. inclusis simul annis, quibus mater, unà cum fratre Henrico gubernaverat Ducatum. Finito bello Dux castrum VVoronch dirui, & captos in eodem decollari jussit. Hæc Magnum Chronicum Belgicum ad verbum, nescio quo ex fonte; sed herclè alicubi turbido & lutulento, præsertim in Nobilium captorum decollatione, quod ex æqua verborum ejus Chronici contentione, cum iis, in quibus Scriptores alii mirè consentiunt, Lector ipse facilè animadvertet, quamquam idem Chronicum non multò post ex decollatorum numero eximat Geldrensem, ut apparebit ex aliis ejusdem verbis alibi producendis.

Stetit igitur penes Joannem Brabantiæ Ducem Victoria, ut cum ea canamus nos etiam receptui, & Triumpho. Clarè Meyerus Annalium Flandriæ Lib. X. ad annum 1288. *Eodem anno, quinto die Junii, feriis D. Bonifacii insigni potitus est victoria Joannes Dux Brabantiæ, pugna illa Voroncana in agro pugnata Agrippinæ Coloniæ, contra Reginaldum Geldriæ Comitem, ubi tres fratres Henricum, Valeranum, Balduinum Luceburgenses Principes nostra Isabella bello cæsos amisit, quos multis lachrymis longo tempore luxit. Capti autem fuere Sifridus Agryppinensis Pontifex, Valeranus Falcoburgensis, & ipse Comes Geldriæ cum aliis non paucis.* Nec obscurè M. Guatius in Chronico: *Ad Rhenum oriente Sole commissa pari Marte pugna, & ad noctem usque perducta anceps fortuna stetit, cùm demum Magister Equitatus Gallici pro Duce Brabantiæ strenuè militans, victor evasit. Multi ex utraque parte cæsi, quorum in numero filii tres impuberes Reginaldi. Geldubensis Comes, & Archiepiscopus Coloniensis capti, cum Lucemburgii Comitatu in Brabantini manus, & potestatem devenere. Oblivioni tradiderant exercitus utriusque Duces commune sibi vinculum affinitatis à majoribus nexum, cùm inter se conseruerunt manus: at tandem positis armis, & odiis in re controversa, quæ belli faces accenderat, tantum jura divina religionis, & humana sanguinis valuere, ut, quod in prælio Victori virtus addixerat, cesserit in consanguinitatis, & amicitiæ pignus, data nuptum Brabantini filia Henrico Henrici filio, qui Reginaldi natorum unus eo in bello ceciderat cum fratribus interemptis, adjecta Lucemburgensis Comitatus dote. Habuit postmodum hic Henricus Imperii fasces. Geldubensis Comes, & Archiepiscopus Coloniensis ingenti se vi pecuniæ redemerunt. Atque is finis supra memoratæ contentionis fuit:* licèt Magnum Chronicum Belgicum solum Geldrensem se se è vinculis vindicasse tradiderit ad A. C. MCCXCII. Joannis verò Brabantini Ducis I. XXXII. *Addidit* (Joannes I.) *ad titulum patrum suorum: Lymburgensis Ducatus titulum. Captus enim in bello VVoronchico Raynaldus Geldrensium Comes, non priùs à vinculis captivitatis liberari potuit, quàm in manus Ducis id juri., quod eatenus in Lymburgensem Ducatum sibi vindicaverat, absque quacumque repetitione in posterum facienda, præmissoque super hoc juramento, firmissimaque stipulatione præhabita resignavit: qua sic conclusa pace, Comes restituitur.* Jo: Molanus etiam Joannis hujus Primi victoriam, & triumphum eleganter his verbis extulit Cap. LXIII. Militiæ sacræ: *Joannes Primus benignè annuens precibus Comitis Montensis, VValrami Comitis Julicensis, & civium Coloniensium, obsedit VVoringam pessimum Diaboli nidum: è quo negotiatoribus, & peregrinis à prædonibus, qui illic morabantur, multo tempore plurima illata fuerant damna. Archiepiscopus Coloniensis, sub quo locus erat constitutus, Anno MCCLXXXVIII. die V. Junii, cum horrendo exercitu, qui contra Paganismum videbatur sufficere posse, aderat: attulerant etiam compedes, manicas, & funes, quibus Brabantinos captivos vincirent. Dux verò, tametsi decuplo plures essent hostes, obviam tamen eis in aciem processit, cùm acerrimè utrinque pugnatum fuit. Ubi & Dux ipse, quasi unus de Machabæis, supra modum strenuè se se, fortiterque gessit, ac post diuturniorem conflictum victor evasit, captis Archiepiscopo Siverto (Sigifrido alius) Comite Geldriæ, Domino de VValKenborch, Comite Mursensi, Comite de Nassav, qui postmodum Imperator fuit, multisque aliis Nobilibus, & militibus. Ex parte Ducis pauci corruerunt, quorum præcipui fuere, VValtherus Bertbouts Dominus Mechliniæ, & Arnoldus de Zeelhem, homo probus, moribusque compositus.* Hæc Molanus, quibus adstipulatur Hocsemius ejus temporis Scriptor in Joanne LXXI. Epis. Leodiensi Cap. XVI. *Anno Domini MCCLXXXVIII. die Sibbathi, Nonis Junii, in die Bonifacii bellum apud Castrum de VVaronc famosum committitur, & insigne.* Et post aliqua. *Dux autem* (Joannes I. Brabantiæ) *inter Castrum de VVaronc, ubi inimici fuerunt congregati, & flumen adjacens cum suo se conclusit exercitu, ut, cùm fugere non possent, de necessitate bellarent. Cùm autem pars Ducis* (meliùs *Comitis*) *adversa bellatores haberet ferè tertia parte numero potiores, de victoria nimiùm confidebant. Tandem circa tertiam horam signo dato ad invicem colliduntur, fortiter hinc inde bellatur. Tandem Theutonici plures partis adversæ, jam se vicisse credentes, more suo ad spolia versùs Ducis tentoria properabant. Demum cùm usque horam nonam strenuissimè dimicassent, nec percipi potuisset, quæ pars potior videretur, supervenientibus etiam, qui de Colonia Duci auxilium spoponderunt, Dux ab hoste triumphat, & ex parte Comitis Geldriæ duo millia & quingenti, præter captos & confossos vulneribus ceciderunt. Quò Lutzilburgensis Comes devenerit, ignoratur. VValramus pulcherrimus hominum frater ejus, & frater Coloniensis Archiepiscopi cum cæteris in prælio ceciderunt. VValeramus de Falcomonte solus de Principibus fugæ compedio liberatur. Comes Geldriæ, ac Archiepiscopus cum multis nobilibus, ac aliis, catenis & vinculis, quas in pernitiem Ducis paraverant, constringuntur. Archiepiscopus Comiti de Monte traditur, & Dux cum suis captivis ad propria cum gaudio remeavit: de cujus parte soli duo nobiles ceciderunt, scilicet Dominus de Zelem facetissimus miles, & Bertholdus de Mechlinia, qui posteà vivus, aut mortuus, non est visus. Comes Geldriæ per annum & amplius in vinculis detinetur, quem tunc detentum in Lovanio recolo me vidisse. Tandem Comes castra Ducatus Limburgensis Duci tradidit, maximam pecuniam superaddens, & à vinculis liberatur.* Sic tandem cum his Henninges, Munsterus, Haræus, & alii Joanni I. Brabantiæ Duci XXXI. suis in scriptis Victoriam acclamarunt, etsi non omnes eodem Anno, cùm Henninges id fecerit Anno MCCLXXXIX. Munsterus MCCXCIII. Guatius MCCXC. Haræus ex sententia Divæi, cui Hocsemius, Trithemius, Gerbrandus, Molanus, Meyerus, & alii præivere MCCLXXXVIII. Et isto nos quoque anno sentimus Henrici VII. Cæsaris patrem, & patruos in acie, quod est Virorum fortium, pro suis tuendis juribus cecidisse. *Ossius.*

Verè

(21) Verè bellum hoc una ex parte inter ipsos Lucemburgii Comites extiterit necesse est, si quidem pro Lucemburgico Comitatu susceptum, & gestum fuit, (uti Guatius præter Nostrum sensit) quòd eorum res Comitum ageretur: Sin eidem bello suborta de Comitatu Limburgii lis inter Reinaldum Gelriæ Com. & Joannem I. Brabantiæ Ducem initium, & incrementum dedit (ut alii tradunt) longè congruentiùs loquutus fuisset Noster, nonnullis sic additis, & locatis: *Quod inter Reinaldum Comitem Geldriæ, ipsos, &c.* ut una ex parte Geldrensem belli hujus principem extitisse constaret, seque illi Lucemburgenses Comites adjunxisse: ex altera verò Principem Brabantinum. At quia non desunt, qui tunc temporis Comitatum utrumque Lucemburgensem, & Limburgensem, penes unum Henricum Henrici VII. Cæsaris patrem fuisse testentur, eosque inter Reusnerus, Lazius, & Henninges, quod & innuere visus est Divæus, cùm scripsit: *Geldrus pactis stare, & eò venire noluit; sed paucis suæ partis Falcoburgum convocatis, jus suum in Comitatu Limburgensi controverso Comiti Lucemburgi vendidit.* Et Auctor Magni Chronici Belgici in illis, quæ supra produximus: *Venerunt certa, vera, & indubitata nova &c. suasu Archiepiscopi* (Coloniensis) *Comitem* (Geldriæ) *jus suum vendidisse Comiti Lutzelburgensi prædicto &c.* non abs re fuerit opinari, unam hujus belli partem fuisse copias illas, quas Comites Lucemburgenses instruxerant, favente Geldro: alteram illas, quas ex adverso conflaverat Brabantinus, & ob id non temerè scripsisse Nostrum, bellum hoc inter ipsos Comites Lucemburgenses, & Brabantinos Principes gestum. *Osius.*

(22) Scribe sinè periculo, *Duces*, ex Veneto MS. vel *Ducem* ex pura, puta castæ, & integræ Veritatis fide. Nam annis ducentis, & ampliùs ante bellatum hoc bellum Brabantini Proceres *Comitis* nomenclaturam abjecerant, assumpserant *Ducis*: & bellum hoc non cum pluribus Brabantiæ Principibus gestum; sed cum uno tantummodo Joanne I. Brabantiæ Principe XXXI., quem sinè dubio Ducem, quàm Duces, rectiùs appellaris. Dixi verò, annis ducentis & ampliùs ante bellatum hoc bellum, Ducis nomenclaturam assumptam à Principibus Brabantinis, secutus incorruptiora rerum hujuscemodi monumenta. Divæus enim in eruditis suis rerum Brabanticarum libris, primum annum instituti Brabantini Ducatus facit, annum à Christo nato MVII. Alii DCCCCLXXVIII. quo Carolus Lotharii Regis Francorum frater, Brabantię Princeps XVII. Haræo, Lotharingiam regendam accepit. Nec vanè. Quemadmodum enim tunc temporis Lotharingia Ducatus titulo gaudebat, ut patet ex Continuatione Nangii apud Pithœum ad Annum DCCCCLXXX. ubi hæc habes: *Lotharius Rex Francorum, contra voluntatem Principum Regni sui, Rhemis pacificavit cum Otbone Imp. deditque Otboni in beneficium Lotharingiæ Ducatum &c.* Et ex Vita S. Gudilæ Virginis ante aliquot secula graviter à Clericis Bruxellensibus conscripta: *Otbone II. tenente Imperium, Carolus frater Lotharii Regis Francorum in Regno Lotharienſi adeptus est Ducatum, &c.* Sic & Carolus Lotharingiæ Dux audiit, ut indicant, præter Sigebertum Chronologum Gemblacensem ad Annum DCCCCLXXXVII. *Ludovico Francorum Rege mortuo, Francis Regnum transferre volentibus ad Carolum Ducem Lotharingiæ, &c.* Et ad sequentem: *Itaque Anno DCCCCLXXXVIII. Carolus Dux Regnum Francorum ex paterna, & avita successione sibi debitum contra Hugonem Regem, nepotem suum repetit &c.* Et ad proximum DCCCCLXXXIX. *Carolus Dux Montem-acutum expugnat*, & DCCCCXC. *Carolus Dux Rhemim occupat*: Ipsi quoque Clerici Bruxellenses non uno in loco supra laudatæ vitæ S. Gudilæ. Unde Baronius ad Annum DCCCCLXXVIII. *Eodem*, inquit, *tempore Carolus Dux Lotharingiæ, frater Lotharii Regis, pugnans adversùs Hermemfredum occupatorem rerum Ecclesiasticarum, accepit ab eo corpus Sanctæ Gudilæ Virginis, &c.* Et Molanus ad Annum DCCCCXCI. *Obiit tantus Dux* (Carolum intelligens) *Aureliæ in captivitate Anno DCCCCXCI. Laudini unà cum uxore interceptus.*

Carolo Duci mortuo Otho filius, Brabantiæ Princeps XVIII. suffectus est in Lotharienſi Ducatu, Sigeberto teste: & ob id ipsi quoque Ducis titulus delatus est, quod apertè nos docent Petrus Damianus in Epistola II. ad Cadolum Pseudopapam, & Ditmarus auctor non obscurus, commemorantes ambo, Othonem Imp. venientem Romam, nepotem suum Brunonem, Othonis Ducis filium (Gregorium nuncupatum) in loco Joannis Papæ, nuper (anno DCCCCXCVI.) defuncti, cum omnium laude præsentium constituisse. Hæc enim ipsissima sunt Auctoris utriusque verba.

Decedens sinè liberis Otho, Anno MV. Lambertum Longicollium fratrem Reinerii Comitis Montensis, seu Hannoniensis successorem habuit, hæreditario jure, ex parte uxoris suæ Gerbergæ, Brabantiæ Principem XIX. & tunc temporis cœpere in Brabantinis Principibus Ducis, & Comitis tituli permisceri. Lambertum enim hæreditario jure Lotharingiæ dominum, *Comitem* perpetuò dictum video: Godefridum è contra, mox ab Othonis morte, Lotharingiæ Principem ab Henrico Imp. datum, quòd is Lotharingiam feudum masculum reputaret, nec Gerbergæ, nec posterorum ejus rationem ullam habendam esse duceret (ut Meyerus, & Sigebertus tradunt) *Ducem* ab omnibus appellatum. De Lamberto nullus mihi dubitandi locus, cùm alii Lovanium ejus imperio subditum Comitatum dixerint, alii dilucidè Lambertum ipsum Comitem nuncuparint. Inter primos Molanus eminet Cap. XLII. Militiæ Sacræ, inibi disertè narrans, mortuo Othone sinè liberis, Lambertum maritum Gerbergæ amplissimum districtum, Comitatum Lovaniensem, & Bracbantensem, invito Sancto Henrico Imp. multorum potentissimorum Principum sanguine, affinitate, atque fœderibus subnixum, sibi retinuisse, jure hæreditario, ex parte uxoris suæ Gerbergæ. Eminet & Ditmarus Lib. VI. Rerum Brabanticarum, qua parte testatum reliquit, Lambertum uxorio jure post Soceri mortem Lovaniensem Comitatum obtinuisse. Inter alios locum obtinet non postremum Justus Lipsius Lib. I. Lovanii Cap. II. *Lambertus igitur jam Comes &c.* Proximum Sigebertus ad An. MXIII. *Baldricus Episcopus, cùm in Villa, Huguardis dicta, Castellum muniret, Lambertus Comes Lovaniensis eum aggreditur.* Tertium, Ægidius Chronographus Lovaniensis: *Hoc incœpto, Comes Lovaniensis Lantberus, cognomento Barbatus, vehementer Episcopum* (Baldricum) *offendit*, & alii. Qui ea contra Godefridum Ducem, non Comitem appellarint, hi sunt. Justus Lipsius in Lovanii laudato loco, & Sigebertus ad annos MXVI. *Henricus Imp. Godefridum Ducem cum exercitu in fines Brauspantium mittit. MXV. Godefridus Dux Comitatum Montensem depopulatur. MXVII. Dux verò* (Godefridus) *capitur*, & MXVIII. *Godefridus Dux, impetrata Fresonibus ab Imp. Henrico totius justitiæ impunitate, à captivitate solvitur, & non multò post moritur, & frater ejus Gotbelo in Ducatu substituitur.* Ea re Molanus ad Annum MXII. de Comitatus Lovaniensis avulsione à cætera Brabantia loquens, titulum utrumque confundit, ac miscet hoc pacto. *Ne civilibus bellis pius Princeps Henricus regna sua magis inquietaret, voluit Duces suos Lotharingiæ avulso hoc Comitatu carere.*

Post hos, Lamberti Successores omnes usque ad Godefridum Brabantiæ Principem XXIV. cognomento Barbatum à voce, qua se obligavit Patri barbam non ponere, ante quàm ex Lotharingia Proceres Arduennates, qui eam vi possidebant, expulisset, & Ducatus sibi diu debiti compos esset, titulo *Comitis* claruere. Et primò quidem, ei qui proximè successit, Henricus I. Brabantiæ Princeps XX. mox & hujus Henrici Patruus, (Frater in Actis D. Gudilæ) & successor Lambertus II. seu Baldericus, Brabantiæ Princeps XXI. quòd Otho ejusdem Henrici filius, brevis ævi puer, vix annum unum vixerit post excessum patris. Hinc illa de Henrico I. apud Sigebertum Anno MXXXVIII. *Henricus Lovaniensis Comes domi suæ perimitur à captivo Harmanno, eique succedit patruus ejus Baldericus, qui & Lantbertus*, Secundus, scilicet, filius illius Primi, ut addit Lipsius: De Lamberto verò Secundo signatè ista in Actis D. Gudilæ ad annum MXLVII. ubi

Digitized by Google

ubi de Translatione Corporis ejus Divæ, & Templo S. Archangelo Michaeli dicato in Bruxellæ monte à Gerardo Episcopo Cameracensi: *Lambertus verò, qui & Baldericus, Comes Henrico fratri succedens, cujus præsentia tunc cuncta extiterunt illic decenter ordinata, eodem die illud Corpus Sanctissimum* (D. Gudilæ) *de Ecclesia S. Gaugerici cum Episcopo, cæterisque sacris Ordinibus levavit, atque cum summo honore in Ecclesia S. Michaelis reposuit*. Siste mecum hic paululum, amice Lector, & obiter nota summam Lamberti Principis pietatem, cujus nos non adumbratam, sed expressam imaginem Patavii vidimus anno proximè superiore MDCXXVII. Nonis ipsis Octobris, die D. Justinæ Virgini, & Martyri, urbis ejus Tutelari, sacro, in duobus religiosissimis pientissimæ Reip. Venetæ Alumnis, & Patribus, Hieronymo Lando Prætore & Equite, & Hieronymo Leggio Præfecto, cùm Sanctissimum ejus Divæ Corpus in aram, ubi nunc est, maximam ceremoniis solemnibus inferretur, universo comitante Populo Patavino, in magna frequentia Procerum Venetorum, Petro Valerio Patritio Veneto Cardinali, summo sacræ Patavinæ Sedis Antistite prosequente pompam, & Modesto à Sancta Cruce ejusdem Divæ Cœnobii Abbate, & unà tunc temporis totius Congregationis Præside Generali. Redeo ad Lambertum II. quippe qui non iis tantùm in Actis appellatur Comes; sed etiam à Contracto ad Annum MLI. *Per idem tempus Imperator Lampertum Comitem rebellare molientem ad deditionem compulit*: Meyero ad annum ejus cædi proximum, qui fuit Annus MLIII. *Obsedit Augustus Tornacum. Id Oppidum Lambertus Comes Lovaniensium cum multis Primatibus Flandris, Balduini nomine custodiebat*: Et Sigeberto ad cædis ipsius Annum MLIV. *Imperator Henricus &c. multum cædem inimicorum facit, & ultra progrediens Lambertum Comitem, Balduini auxiliarem, cum multis perimit*.

Parem hinc titulum post Lamberti cædem tulit Henricus II. ejus filius, & successor. Brabantiæ Princeps XXII. quo de clarè Divæus ad Annum MLXI. *Henricus Lovaniensis, adito Comitatu, cum Hollandis variè conflictatus est*.

Solus Henricus III. Henrico II. patri suffectus, filius natu maximus, Brabantiæ Princeps XXXIII. neque *Dux*, neque *Comes* nonnullis dictus; sed *Princeps* tantùm, & (quod mirum aliquibus videatur) Divæo, qui Ducis appellationem jam ante multò, anno scilicet MVII. Brabantinis Principibus fuerat elargitus, ut in hujus Notæ limine docebamus. Sic enim is ad Annum MLXVIII. *Eodem anno MLXVIII, quo Henricus noster Principatum adiit, Germania mirè turbari cœpit*. Meyerus Divæo parcior, quod mirere magis, nec Comitem, nec Principem vocat in eorum Procerum censu, qui Richildi Montensi suppetias attulerunt, anno MLXXII *Hinc* (Richildis) *grandi ab Theudino impetrata pecunia, Gotefridum Bulonienſem, Eustatbii Comitis Bononiæ filium, Albertum Namurcensem, Henricum Lovaniensem &c. cum aliis multis in societatem armorum sibi adjungit*. Qui deinde liberalior ad obitus ejusdem annum MXCVI. Comitis illi titulum libenter impertit, quod & Molanus fecerat ad eundem annum, Cap. LV. Militiæ Sacræ, & ad annum præcedentem proximè Sigebertus. Primus: *Anno MXCVI. Henricus Comes Lovaniensis hasta confossus interiit*; Alter. *Peremptо Tornaci in armorum ludo an. MXCVI. Henrico Comite, successit ei, filiabus fratris defuncti exclusis, ejus frater Godefridus, de Lovanio dictus*. Tertius: *Anno MXCV. Henricus Comes Luvaniensis perimitur*. Nam, quòd primi duo obitus hujus Henrici tempus rejecerint in sequentem annum (ut hos hac in parte diffidentes inter se Scriptores uniam cum Haræo) credit id Haræus ex eo factum, quòd Henricus is in Februario, vel Martio naturæ concesserit, anno MXCV. Gallis exeunte, hoc est MXCVI. Romanis incunte.

Et hic quidem legitimorum Brabantiæ Principum titulus, fuit toto illo temporis intervallo, quod inter Lambertum XIX & Godefridum Barbatum XXIV. Principes intercessit. Nam, qui successere Godefrido Brabantinis imposito ab Henrico Cæsare, Ducis ut ille, non Comitis, titulo sunt ornati. Liquidissimè Sigebertus de Gothelone (*Gozzilone* aliis) Godefridi hujus successore I. ad Ann. MXVII. *Godefridus Dux &c. moritur, & frater ejus Gotbelo in Ducatu substituitur*. Nec liquidè minùs alii de successoribus aliis Godefridi. Contractus de Gozzilone Gothelonis F. Godefridi successore II. ad Annum MXLIV. *Gozzilo* (qui Sigeberto, *Gotbelo*) *Dux Lotharienſium moriens, Gozziloni filio, quamvis ignavo, Ducatum suum à Rege Henrico promissum relinquere disponit: sed alter filius ejus Gotefridus jam dudum Dux, cùm Ducatum fratri debitum contra fas à Rege sibi obtinere nequisset, jusjurandum, fidemque postponens rebellare pio Regi præsumpsit*. De eodem breviùs, & obscuriùs Sigebertus: *Anno uno post Gotbelo Dux obiit, cujus filius, dum ei Ducatus Mosellanorum denegatur, altero Ducatu repudiato, contra Imperatorem rebellat*. Sed clariùs idem alibi Sigebertus de Godefrido, filio altero Gothelonis, Godefridi Primi successore III. ad Annum MXLVII. *Per idem tempus, cùm expeditionem Henricus Rex in Pannonias ad Petrum ulciscendum disponeret, Gotefridus Dux &c.* Sed omnium de hoc ipso Godefrido clarissimè Contractus ad Annum MXLVIII. *Gotefridus ab Imperatore constituitur Dux*. Nec obscurè Meyerus ad Annum MLIII. *Balduinus Princeps unà cum duobus filiis, Balduino, ac Roberto, juncto sibi Duce Gotefrido &c. Lotharingiam longè incursat*. De Godefrido altero Godefridi prædicti F. cui *Gibberonis*, sive *Gibbosi* cognomentum fuit, Godefridi Primi successore IV. luculenti mihi testes, & omni exceptione majores, Sigebertus, Schafnaburgensis, & Meyerus. Primus ad Annum MLXX. *Gerardus Dux Mosellanorum moritur; moritur etiam Dux Godefridus. Gerardo filius ejus Duodoricus: Godefrido succedit filius ejus Gibbosus, etsi corpore exiguus, tamen animo eximius*: Et ad Annum MLXXVI. *Eodem anno Godefridus Gibbosus Dux Lotharingiæ, Antuerpiæ à sicario per insidias graviter læsus moritur*. Secundus: *Gozzilo* (Godefridolum Gibbosum intelligens ex Haræo) *Dux Lotharingorum &c.* Tertius ad Annum MLXX. *Obiit Gotbofredus Arduensis, Lotharingiæ Dux, relictis liberis Gotbofredo cognomine Gibbero, & Ida Gotbofredi Jerosolymorum Regis matre*: Et ad Annum MLXXI. *Gotbofredus quoque Lotharingiæ Dux cognomento Gibberosus, ut advocatus &c. intrat Hollandiam*. Denique de Conrado Henrici Imp. F. Godefridi I. successore V. pro me testimonium, nec vocati sistunt, Sigebertus ad An. MLXXVI. post explicatam Godefridi Gibbosi mortem: *Henricus Imperator Cunrado filio suo Ducatum Lotharingiæ; Marcham verò Andoverpensem Godefrido, Eustatbii Comitis Bononiæ filio, Godefridi Gibbosi ex Ida sorore nepoti, acri adolescenti tradit*: Et Schafnaburgensis eadem iisdem ferè verbis narrans, ut ex uno affuta fuisse alteri videantur: *Rex Pascha Trajecti celebravit, ibique Ducatum Lotharingiæ filio suo Cunrado; Marchiam verò, quæ dicitur Antuverpa, Godefrido consobrino Gozelonis Ducis, filio Eustatbii Comitis, impigro & ad rem militarem acerrimo adolescenti tradidit*.

Sed hi, qui Duces toto illo temporis intervallo dicti, legitimi Brabantiæ Principes non fuere, ut ostensum est supra. Quare nobis isti negotium non facessunt. Facesserent ii fortasse, qui licet Othoni legitimo Brabantiæ Duci, ac Principi XVIII. jure hæreditario successissent in imperio Brabantini tractus, Ducis nihilominus titulo caruere, nisi Imperatorum Germanorum metum caussam potissimam habuissent, ob quam eo sibi titulo abstinendum ducerent, ut Haræus tradit, quem ego Scriptorem ornatum, accuratum, probum libenter in Brabantinis sequor. Ad ea sane tempora, quibus legitimi Brabantiæ Principes titulo Comitis affecti sunt, respexit Elias Reusnerus in stirpe Lovaniensi, Stemmate I. quod est de Vett. Brabantiæ Ducibus, unde oriundi Comites Provinciales Hassiæ, cùm asseruit, Godefridum Primum, cognomento Barbatum ab Henrico V. (IV. Lipsio in Lovanio, & Haræo in Godefrido ipso: Quarto scilicet Imperatore; Rege verò Germaniæ Quinto) primum Brabantiæ Ducem creatum Anno MCVIII. Seculo nimirum altero post Divæi calculum, sorore Imperatoris ipsius germana uxore dicta. Respexit & eodem Lipsius in Lovanio suo nomen uxoris aperiens; sed eam filiam, non sororem

rorem Imperatoris vocans, quod & Divæus præstitit in Godefrido II. hoc uno diversus à Lipsio, quòd is uxoris Primi Godefridi patrem censuit Henricum Quartum, non Quintum, ut Lipsius, Germanorum Regem, & Tertium non Quartum, ut idem Lipsius, Imperatorem. Sic enim Divæus in laudato loco: *Corpore superioris* (primi Godefridi) *Affliginii deposito, Gotbfredus major filiorum ejus Ducatum adiit, quem cum Henrico, Aleyda, Ida, alioque Affligensi Monacho ex filia Henrici Quarti Regis Germanorum, & Tertii Imperatoris extulerat*: Lipsius verò sic: *Statim redux* (Godefridus ab illa nobili Syriæ expeditione) *Sophiam filiam Henrici IV. Imperatoris uxorem accepit, atque ea ad Ducatum Lotharingiæ gradum struxit*. Comes enim, non Dux Henrico III. fratri, Brabantiæ Comiti nuncupato, successerat Godefridus I. Anno MXCVI. teste Molano in supra memorato Capite LV. Militiæ Sacræ: *Perempto Tornaci in armorum ludo, anno MXCVI. Henrico Comite, successit ei, filiabus fratris defuncti exclusis, ejus frater Godefridus, de Lovanio dictus*, ut, non nisi post earum nuptiarum solemnia, Ducis adeptus fuisse titulum videatur; etsi Baronius illo ipso Anno MXCVI. expeditionem Occidentalium in Orientem sub diversis Ducibus, diverso tempore, diversis locis in procinctu positam, Constantinopolim iter arripuisse scribat, & Godefridum eòdem unà cum aliis Ducibus tum profectum, appellet Ducem. Sed præivit Baronio Sigebertus ad eundem Annum: *Occidentales*, inquit ille, *Populi dolentes loca sancta Hierosolymorum à Gentibus profanari, Turcos etiam terminos Christianorum jam multa ex parte invasisse, innumerabiles una inspiratione moti, & multis signis sibi ostensis, alii ab aliis animati, Duces, Comites &c. virtute, & signo S. Crucis signati & armati, ultum ire parant injurias Dei in hostes Christiani nominis &c. Eminebant in hoc Dei hostico Dux Lotharingiæ Godefridus, & fratres ejus Eustachius, & Balduinus &c.* Ut ut sit, Sigeberto Lotharingia Ducatus visa septennio ante, quàm Godefridum Ducem ejus primum renuntiatum fuisse memoriæ prodiderit Reusnerus. Ait enim ad annum MCI. Sigebertus, Henricum Imperatorem, Henrico Limburgensi priùs à se debellato, mox secum in gratiam restituto, Ducatum Lotharingiæ donasse: *Henricus Imper. Henricum Lengburgensem adversantem sibi debellat, & expugnatis ejus Castellis, eum ad deditionem cogit: sed Imperator ei multa summa gratiam suam redimenti, etiam Ducatum Lotharingiæ donat*: Et ad Annum MCVII. *Henricus exdux affectans repetere Ducatum, occupat Oppidum Aquisgrani contra Godefridum Ducem*. Sed pauci alii sunt, imò ferè nulli, qui Ducem cum Sigeberto Godefridum vocent ante nuptiarum tempus, cùm è contra multi proximè sequentibus annis ad eum usque, quo mortalitatem exuit, Ducis illum insigniori titulo decorarint. Horum dux, & signifer Ægidius Leodiensis ad Annum MCXIX. *Alexander in Castello Hoycnsi erat Ducis Godefridi*. Cujus ductum sequutus Anselmus ad Annum MCXXIV. *Canonici*, inquit, *Andoverpienses à Godefrido Bullonio Duce Lotharingiæ, & Marchione Andoverpensi fundati*. Et illud omnino certum, Godefridum hunc obiisse Ducem, ut habet Haræus in serie Ducum, seu Principum Brabantinorum, ex antiquissimo Codice Parcensis Ecclesiæ apud Molanum Cap. LVI. *Anno MCXL. obiit Godefridus Dux Magnus*; Auctario Gemblacensi edito à Miræo ex MS. Lipsiano ad Annum præcedentem: *Godefridus Lovaniensis Dux Lotharienſium, magnum patriæ suæ decus, vir suo tempore, & tempori, & honori sciens se decenter conformare, moritur, Affligemensis Templi sepultura honoratur*; Et Divæo, qui sic ejusdem obitum perstrinxit: *Et ecce annus MCXXXIX. Brabantis funestus Godefridum quoque Ducem, VIII. Kal. Februarii, maximo omnium luctu hac luce subtraxit, Virum fortitudine, religione, ac omnigena virtute conspicuum*. Et Godefridi filii successionem statim, hoc pacto: *Corpore superioris Godefridi Affliginii deposito, Godefridus major filius ejus Ducatum adiit*: jure ut mirer a Reusnero scriptum in laudato loco, Godefridum hunc II. obliterato Comitis Lovaniensis titulo, primum omnium scripsisse se Ducem Lotharingiæ, & Brabantiæ, cùm patrem ejus non ante multò Primi Ducis ejusdem regionis, & imperii titulo decorasset. Quod addidi, ut sciret Lector, quàm involuta res semper extiterit Titulorum notio in Principibus Brabantinis, quam nos hìc pro viribus adnitimur enodare.

Nimirum alios à Reusnero extitisse reperi, qui seriùs, atque adeò postquam Godefridus Brabantiæ Princeps XXIV. esse inter mortales desiit, reliquos ab eo Principes Ducis appellatione cohonestatos tradant, & ex his omnium omnino primum Henricum filium Godefridi III. *in Cunis*, qui patri successit anno MLXXXVII. vigesimus septimus Brabantiæ Princeps. Hinc Haræus, ex Auctorum hujus sententiæ mente, in serie Ducum, seu Principum Brabantinorum: *Henricus IV. Princeps, & I. Dux An. 49. filius fuit superioris* (Godefridi III. in Cunis) *superbiori illo titulo Ducis, ejus nominis primus; sed alioqui jure sanguinis, ut videmus, Quartus Henricus inter Principes, de quo latiùs in Præfatione*: Et in Henrico ipso. *Henricus IV.* aliis *I. Dux*. Verùm enim verò hujus Auctores sententiæ plenissimè refelluntur non modò ab iis, qui Ducis titulum antè Quartum hunc Henricum Godefrido I. (quod supra docuimus) detulerunt; sed ab iis etiam, qui Godefridum II. & III. hujus Henrici Patrem Duces, non Comites vocavere. De Godefrido II. Brabantiæ Principe XXV. præter supra laudatum Codicem Parcensis Ecclesiæ ad Annum MCXLII. *Anno MCXLII. Obiit Godefridus Dux Junior, frater Comitis* H. testem etiam habeo luculentum Glambacensis Auctarii Conditorem ad Annum MCXL. *Henricus Lemburgensis Comes, dolens se privatum honore Ducatus, quem Pater suus habuerat, Godefrido Duci rebellis erat*: Et ad Annum sequentem: *Godefridus Dux graviter ferens insolentiam ejus* (Henrici Lemburgensis) *Oppidum S. Trudonis cum multo equitum, peditumque exercitu obsedit*. Consentit cum his eodem in titulo Historia nescio quæ vulgaris, quam Latio donavit Grammajus, in apparatu bellico contra Grimbergam. *Exultare Godefridus II. Dux victoria recens contra Limburgenses parta, Bertoldum flocci pendere, Grimbergæ obsidium magnis viribus moliri*. Et Auctarium Gemblacense ad Annum MCXLIII. in quem Ducis hujus occasus incidit. *Godefridus Junior II. Dux Lotharingiæ, tertio Anno sui Ducatus, immatura morte præripitur, hepatica passione consumptus*. Advoco nunc testes alios pro Godefrido III. Brabantiæ Principe XXVI. *In Cunis* dicto, quòd adhuc infans, post mortem patris, abstractus ab uberibus matris, consilio Gasebecani Baronis, Bruxellam ad prœlium deductus sit, &, ipso die prœlio destinato, *in Cunis* ante aciei principia salici appensus, quò milites, præter innatam virtutem ad agendum fortiter, vehementiùs concitarentur etiam miseratione præsentis infantis, quem ex Duce captivum facturi fuissent, si ignavi operam navassent, cui quid facto simile priùs gestum accepimus à Macedonibus contra Illyricos pugnaturis ex Trogi abbreviatore Justino. Enim verò se se hic mihi ultro offert Affligensis ad Annum MCLIX. *Is verò* (Gerardus F. VValteri Bertoldi) *Grimbergam à Duce* (Godefrido III.) *beneficium recognovit*. Et eidem adstipulatores accedunt, Continuator Aquicinctensis ad Annum MCLXIX. *Philippus Comes Flandriæ, & Matthæus frater ejus Comes Boloniæ, & Godefridus Dux Lovaniensis cum septem ferè millibus navium expeditionem movent adversùs Comitem Hollandiæ*: Diploma, quod extans in rebus Leodiensibus, docet, Godefridum hunc Anno MCLXXI. oppignorasse beneficium Ducatus sui, quod situm erat in villa Harstallii: Et iterum Aquicinctensis ad Annum MCLXXXVI. *Balduinus Comes Hainoensis, & Henricus avunculus ejus Com. Namurcensis super Godefridum Ducem Lovaniensem vadunt, & ejus terram incendunt*. Nec abludit Chronologicon illud tritum apud Silvæducenses. GodefrIdVs dVx è sILVa feCIt oppIdVM, quo significatur Anno octogesimo quarto Silvam-ducis ab hoc Godefrido Duce fundatam, & dictam. Mitto testimonium Divæi, qui ratus pridem, ut alibi vidimus, titulum Ducis Brabantinis Principibus impertitum, Ducem eum perpetuò vocat. Unus hic, quod facilè

facilè meminerim, ab aliis Meyerus variat, Godefridum hunc III. Comitem nominans ad Annum MCLXV. *Philippus Comes cum Matthæo fratre, & Godefrido Comite Lovaniensi, instructa multarum navium classe, movet in Florentium Com. Hollandiæ*: Et ad proximum. *Hugo Angiensis, relicta Hannonii amicitia, fœdus icit cum Comite Lovaniensi*: Et MCLXX. *Per eos dies Balduinus, &c. valida ex Flandria, Hannoniaque Henrico Namurcensi, eidem Luceburgensi, avunculo suo adduxit auxilia contra Godefridum Comitem Lovaniensem, &c.* Quin imò titulum etiam Comitis missum in eo nominando idem Meyerus fecit ad Annum MCLXXXVI. *Renatum bellum inter Godefridum Lovaniensem, & Henricum Namurcensem, &c.* Sed tanti nobis hic esse unus Meyerus non debet, ut eum tot aliis Rei Literariæ patratis patribus honorificentiùs de Godefrido III. locutis præferendum existimemus, cùm præsertim ista titulorum varietas ortum habuisse videatur ex eo, quòd Brabantiæ Principes, quà Lotharingiæ præerant, congruentiùs appellari viderentur Duces; quà Lovanii moderabantur clavum, titulo Comitis decentiùs insigniri. Apparet id liquidò ex Charta Donationis factæ Ecclesiæ Affligemensi ab Henrico fratre Godefridi II. Brabantiæ Principis XXV. *In nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis. Notum sit omnibus tam præsentibus, quàm futuris, quòd ego Henricus filius Ducis Godefridi* (Primi) *Ducis Lotharingiæ, & Comitis Lovanii, &c.* Lovanium enim Comitatus, uti Lotharingia Ducatus, tum aliis, tum Molano proprè non solùm ad Annum MXII. *Ne civilibus bellis pius Princeps Henricus Regna sua magis inquietaret, voluit Duces suos* (Lotharingiæ) *hoc Comitatu* (Lovaniensi) *carere*: sed etiam ad Annum MC. *Eadem de caussa multa S. Petro donavit* (Godefridus Bullonius, qui & Barbatus) *Affligemii in novo Monasterio, in finibus Comitatus Lovaniensis*. Et ejus intuitu Anselmus, Godefridum Primum non Ducem, sed Comitem appellavit Anno Christi MCXXIX. quo prœlium apud Duratium inter Alexandrum Leodiensem, & Godefridum Lovaniensem commissum narrat: licèt eundem etiam, quà Lovanii Dominus audiebat, Ducem, non Comitem vulgatus nescio quis versiculus nominasset, quo idem illi prœlium magno constitisse circumferebatur:

Lovaniensis Dux vix campo cessit Godefridus.

Hæc prolixiùs, tum, ut evolverem ex parte rem nondum satis ab aliis explicatam, & per insignes Brabantinorum Principum titulos obiter evagatus, nobilissimæ stirpis præstantiam adumbrarem, ex qua non impar magnis illius Heroibus Heroina Margarita prodiit, ut in augustum Henrici VII. Cæsaris thalamum perveniret: tum ut è solidioribus, quoad ejus fieri posset, Brabantiæ monumentis momentum majus accederet huic Notæ, qua probatum ivi, Principes Brabantinos ante VVoricanam pugnam annis ducentis & ampliùs nomine Ducis, non Comitis imperasse. De posterioribus seculis insignis est planè locus Concilii Lugdunensis celebrati sub Innocentio IV. Pont. ut habent Acta ejusdem Concilii apud Matthæum Parisiensem in Historia Anglicana ad Annum MCCXLV. in Electorum Imperii Romani censu: *Laici, Dux Austriæ, Dux Bavariæ, Dux Saxonum, Dux Brabantiæ, qui & Lovaniæ. Prælati, Archiepiscopi Coloniensis, Maguntinus, & Salsburgensis*. Ita ibi. Et ut scias ibi de Electoribus Rom. Imperii fieri mentionem, id ipsum aperiunt, quæ sequuntur statim: *Isti ducentur in Insulam quandam Rheni, & dimittentur soli in ea, & amovebuntur omnes navicula, & ibi tractabunt de Electione Imperatoris*, qua de nos infra uberiùs ad Rubricam hujus Libri IV. Scio præterea eruditissimum, & accuratissimum Haræum in Prolegomenis ad Annales Brabantinos suos à nobis esse, satisque mirari non posse, Divæum in suis rerum Brabanticarum libris, Imperiales Duces Brabantiæ primarios, Lovaniensis adjectitios facere: atque adeò, nulla Lovaniensium; imò præcedentium Magnorum illorum Pipinorum, & Carolorum habita ratione, primum annum instituti Brabantini Ducatus ducere annum millesimum centesimum septimum, quingentis annis tardiùs, quam oporteat, quòd ejus tractus Princeps jam tum Anno DCXV. fuerit Dux ille inclytus (ut vetera eum monumenta vocant) Pipinus Nivigellæ Brabantiæ ornamentum, Divæ Gertrudis Pater, ejusque filius Grimoaldus, & nepotes, Pipinus II. Carolus Martellus, Pipinus Imperator, Carolus Imp. cognomento, & re Magnus, quorum legitimi hæredes extiterint Comites Lovaniensis. Scio hæc, inquam, doctè prodita literis ab Haræo, quin & illa. Necquicquam ad demendum titulum Ducis Principibus Brabantinis facere, quòd hæredes modò laudatorum, & aliorum Regum, nempe Reguli, seu Principes Lovaniensium, multis annis non se Duces, sed Comites tantùm nuncupare voluerint, cùm id sponte fecisse visi sint, sive, quòd sibi titulus Comitis Lovaniensis urbis adeò celebris magis quocumque alio, vel splendidiore titulo arrideret, quam ob caussam imprimis Godefridus Barbatus, etiam, postquam ab Imperatore Dux solemniter esset salutatus, præposuit tamen adhuc titulum Comitis Lovaniensis; sive quia superbiore titulo Ducis dudum sibi abstinendum censuerint, ne Imperatores Germanos, eorumque Præfectos armis potentiores, magis infestos haberent, non quin summo jure Duces se ex Ducibus, & Regibus nati scribere potuissent; ob quæ Godefridi quoque Barbati successores aliqui titulos variarunt, de quibus Lipsius Lib. II. Lovanii Cap. I. & eandem ob caussam Haræus Brabantiæ Moderatores omnes unius formæ titulo, Principes, in suis Annalibus inscripsit; sed omitto, ne major obsonio sit mantissa, aut tylacum superet episagma. *Osius*.

(23) Perinde hæc accipe, ac superiora illa, fratribusque duobus, &c. neque enim hic habeo, quo Notam illam augeam ex me penu. Partem quidem ejus ab illis *Eosdem nobis &c.* usque ad, *Auget*, ita conceptam mallem. Totidem nobis attulerunt Bertellius in Historia Lucemburgensi, Buselinus &c. Nam omnes hi de duobus tantùm Henrici Plundeli, patris Henrici VII. fratribus uno loquuntur ore, & si qui eorum suis illos nominibus notant, Valeranum unum, Balduinum alterum, uti Meyerus, vocant, Bertelio excepto, qui Balduini loco Gerardum Dominum Durbutensem, & Senescallum Lucemburgensem locat.

Hæc scripseram, cùm ecce mihi redduntur exoptatissimæ a Clarissimo Doctissimoque Gerardo Joanne Vossio literæ, Lugduni Batavorum X. Kal. Aprilis datæ Anni hujus MDCXXXIII. quo amicitiam inter nos proxeneta, Serenis. Reip. Venetæ Senatore amplissimo, Dominico Molino, de quo, solo mutato nomine, jure queas ac merito proferre Juvenalis illa Sat. VII.

Et spes, & ratio studiorum in Cæsare tantùm.
Solus enim tristes hac tempestate Camœnas
Respicit.

initam simul, & solidè firmatam lætor. Iis nempe literis Magnus ille Rei Literariæ Consus, in quo paria faciunt singularis humanitas, & doctrina, suam, & aliorum de patruis Henrici VII. Cæs. sententiam sic expressit, ut in ipsas amicitiæ leges, bonumque peccarem publicum, eam si nostris, & posteris inviderem. Habeant igitur etiam alii, quæ nobis hac in parte vir undequaque candidus impertiri voluit, & iis mecum suaviter oblectent otiolum suum. Quæstio, inquit Vossius, quam movisti de fratribus Henrici Lucemburgensis ejusmodi est, ut dicere possim, nec mihi quidem satis liquere, in tanto Historicorum dissensu. Unum dumtaxat nominat Chronicum Brabanticum MStum, quod hactenus ineditum in Bibliotheca mea adservo. In eo hæc reperiuntur: *Anno Domini MCCLXXXVIII. die V. mensis Junii Joanni I. qui & Probus cognominatur, Duci Lotharingiæ, Brabantiæ, & Lemburgiæ apud VVoeronK supra Rhenum, in bello magno & famoso, gloriosa victoria cessit. Ubi Henricus Comes Lutzenburgensis, & VVaramus frater ejus, & plusquam trecenti Comites, Barones, & Nobiles ceciderunt. Gilbertus autem Episcopus Coloniensis, Reinaldus Comes Geldrensis, Adolphus Comes Nassoviæ, & multi alii Comites, Barones, & Nobiles, quos ibi Dux ipse cepit, magno thesauro vitam redemerunt. Tunc Ducatus Lemburgensis, pro quo diu fuit litigatum, pacificè præfato Duci remanen-*

mansit, Meyerus verò Annalium Flandriæ Lib. X. duos nominat fratres Henrici. Ait enim Isabellam Flandriæ Comitissam, Henrici sororem, tres eo in bello fratres amisisse, Henricum ipsum, ac præterea Balduinum, & Valeranum, sive VValramum. Nec plures agnoscit in Historia sua Lucelburgensi Joannes Bertelius Epternacensis Monasterii Abbas. Sic enim scribit de Joanne Brabantiæ Duce: *Virtute adeò valida se invadentium hostium phalanges aggressus est, ut prima acie noster Comes Henricus unà cum suis duobus fratribus interiret: Geldriæ verò Dux, atque Archiepiscopus Coloniensis captivi ad castrum Lovaniense deportati, ibidem firmæ custodiæ manciparentur*. Sed de nomine unius è fratribus variare videtur. Nam antea dixerat, duos fuisse Henrico Lucemburgico fratres: unum vocatum VValerandum, Comitem S. Pauli, alias de Roussy; qui idem sinè dubio est ac Valeranus, vel VValramus: alterum autem fuisse Gerardum, Dominum Durbutensem, & Seneschallum Luxemburgensem. Gerardum vocat, qui Meyero, aliisque Balduinus. Sed, credo, Durbutensis ille Dominus fuit binominis, ut dictus sit Gerardus Balduinus, aut Balduinus Gerardus, quo more inter Magnates, Germanos imprimis, nihil vulgatius. Paullus Æmilius quoque duos fuisse ait; sed perperam inquit, tres eos fratres, qui fuere interempti, filios fuisse Reginaldi. Nempe pravè confundit VValramum Lucemburgicum cum Reginaldo Geldriæ Comite, quemadmodum & alia ab eodem in hac historia peccantur. Vidimus de fratribus duobus Henrici. At tres ecce ponunt alii: Ut Petrus Divæus in Annalibus suis Brabanticis, & Haræus in Chronico Brabantiæ: qui Balduino, & Valerano addunt tertium fratrem, cui nomen faciunt Joanni. Et quo minùs hanc sententiam asperner, facit Magnum Chronicon Belgicum, ubi legimus, Lucemburgicum hunc Henricum cum fratre suo Valerano, ac duobus aliis fratribus fuisse occisum. Sed de Privignis eodem prœlio interemptis nihil uspiam legi, nec legisse alium arbitror. Existimari possit Mussatum, non *Privignos*, sed *Patruos* scripsisse. Sed neque Patruos habuit ullos, ni fallor. Quantum enim observare potui, historia eorum temporum sic habet. Henricus Cœcus, Comes Namurcensis anno MCLXXIV. factus Septimus Comes de Luxemburg, sive, ut tum scribebant, Lucelemburg. Ei ex uxore Agnete, Ottonis Geldrici Comitis filia Ermesinda. Quæ primitus quidem desponsa fuit Henrico, Manassis Comitis in Rethel, & Campania filio. Sed cùm ille, neglectis sponsalibus, uxorem duxisset in Palæstina, pater Ermesindam uxorem dedit Theobaldo Comitis Barrensis filio. Is ex Ermesinda prolem habuit nullam: sed ex priori connubio filium reliquit Henricum, qui in Bonensi Comitatu successit Theobaldo. Hinc Ermesinda vidua, procerum hortatu, nupsit VValramo filio secundo Henrici ducis Limburgensis. Ex hoc connubio tres quidem natæ filiæ, sed filius unicus, Henricus, qui patri successit. Huic uxor Beatrix Joannis de Avesnes, Comitis Hannoniæ filia. Ex quo connubio nati, Henricus Imperator ejus nominis VII. VValramus Comes Rupensis, & Balduinus Comes Trevirensis. Atque hæc eo fine à me adjuncta sunt, ut caussam exponerem, cur nullos eo in prœlio vel Privignos, vel Patruos Henrici Lucemburgici putem interfectos. Nec tamen pertinaciter negem, apud Historicos fortasse alios inveniri, quibus hæc res liquidior fiat. Verùm nunc nihil aliud occurrebat. Et tamen non dubitavi ista in chartam conjicere, qui satius putavi fore, si vota tua frustrarer, quàm si non testarer obsequium meum. Hæc mihi totidem verbis in amicitiæ nostræ tesseram exarabat humanissimus Vossius, idemque Eloquentiæ, Chronologiæ, & Linguæ Græcæ in Academia Lugduno-Batava disertissimus Antecessor, quibus adjicio ὡς ἐν παρόδῳ, quod Meyerum relegens observavi. Mendum in illo esse Lib. X. quo loci habet, Patruos Henrici VII. qui obiere in VVoringana pugna, fuisse Valeranum, & Balduinum Episcopum Treverensem. Nam Balduinus Archiepiscopus Treverensis, ut omnibus notum, etiam Meyero ipsi Lib. XI. Henrici VII. Cæs. frater natu minimus, non patruus fuit. Et idem animadvertendum in aliis, qui Meyeri, vel aliorum vestigia persecuti, errorem similem erraverunt. *Osius*.

(24) Altissimum de Privignis istis silentium apud alios Scriptores omnes, quos horum caussa viderim, excusserim, volutarim. Sed credendum Mussato, qui, toties Orator ad Henricum VII. Cæsarem missus, potuit hæc, & alia de tota illius propinquitate è Curiæ Principibus haurire; & eidem habendæ gratiæ non vulgares, quòd explorata sibi, & cognita tum suis, tum posteris voluerit impertiri. Cæterùm, si quæ patet hoc loco conjecturæ sedes, cùm apud omnes in confesso sit, Privignum esse filium mariti ex alia conjuge, vel uxoris ex alio marito, & ob id Privignum dictum, quasi priùs genitum, quàm mater secundò nuberet, auctore Festo, non malè fortasse conjecerim Vates bonus, Privignos istos, de quibus solus Mussatus meminit, fuisse filios duos, quos N. Comitissa Barri Henrici filia, quam omisso nomine alteram patri Henrici VII. Cæs. uxorem Reusnerus dedit, Henninges Margaretam, sed patris Henrici VII. matrem vocat, ex alio Viro susceperat, ante quàm illi secundis nuptiis jungeretur. Nam ego Privignos istos, non ad Henricum VII. Imperatorem; sed ad ejus patrem Henricum Plundelum omnino refero: nec arbitror uxorem ejus alteram, nomine Beatricem, prole virili auctam ex alio viro, ante quàm in illius thalamum se conferret, cùm nusquam legerim, eam priùs fuisse alteri jugali vinculo sociatam, quod de N. Comitissa Barri fortè commodiùs liceat suspicari. Sed hac de re viderint doctiores, ad quorum judicia libens provoco. Nobis enim isthic sufficit, aliquid hariolatos esse, donec lux aliunde major effulgeat ad hasce tenebras dispellendas. Ad Henricum sanè Septimum Imp. qui congruè referri valeant privigni isti, quod adstrui putabam posse ex verbis MS. Codicis Vicentini producti supra pag. XXVII. ad Notam, *Qui patre, fratribusque patris duobus &c.* nullus nunc, re meliorem ad trutinam revocata, video, si quidem attentè spectentur privigni, ac fratris propriæ notiones. Cùm enim privignus, secundùm sui propriam notionem, dicatur tantùm respectu patris, & matris §. *Affinitatis*, Inst. *de Nuptiis*, in verbis illis: *Si adhuc privigna tua est, idest, si mater ejus tibi nupta est*: Et L. IV. §. *Privignus*, ff. *de Gradibus affinitatis*, cujus illa sunt: *Privignus est uxoris meæ filius ex alio viro natus, ego illi vitricus; & in contrarium, uxor mea liberis, quos ex alia uxore habeo, noverca dicitur, liberi mei illi Privigni*: Cùm item Fratrum alii propriè dicantur. Utrinque conjuncti, alii consanguinei, alii uterini: Utrinque conjuncti, qui ex eodem patre, & eadem matre nati sunt, & ob id utrinque conjuncti dicti, hoc est, ex utraque patris, & matris parte: Consanguinei, qui eundem tantùm patrem habent, quasi ex eodem sanguine procreati: Uterini, quibus eadem econtra mater; sed diversus pater, & ob id uterini dicti, quòd ex eodem utero sint profecti, Authent. *de Consang. & Uterinis fratribus*, in Rub. & in Tit. passim. §. *Si igitur* 2. Auth. *de Hæred. ab intest. venientibus*: Cùm demum, his ita se habentibus, sciamus. Uxorem Henrici VII. Cæsaris Margaritam, ante quàm illius uxor esset, virum nullum alium expertam esse, ex quo gignere potuisset filios ejus roboris, & ætatis, qua VVoringano bello, in quo Privigni isti cæsi feruntur, interesse prœliando possent: nec ipsum maritum ejus Henricum tales aliunde filios procreasse; nec ulla ratione gignere potuisse, cùm is imberbis Margaritam adolescentem uxorem duxisse, & ex ea Joannem primogenitum, Bohemiæ postea Regem, suscepisse feratur à Nostro in media proximè sequentis, & prima septimæ Rubricæ cera; nec illam duxerit, nisi quadriennio post confectum VVoringanum bellum, hoc est, Anno MCCXCII. Haræo teste ex Divæo in Joanne I. Brabantiæ Principe XXXI. ad annum illum, & Magni Chronici Belgici Collectore ad eundem annum; quin imò virginem ex Adriani Barlandi fide in Chron. Brabantinorum Ducum, Cap. XLVIII. plenissimè liquet, nec ad Henricum VII. Cæsarem referri posse propriè privignos istos; nec illis in verbis MS. Cod. Vicentini, appellatione

tione *Fratrum*, venire congruè Privignos Henrici Plundeli confectos in acie VVoringana, quod aliàs putaramus.

Quid quod (ut validiùs eam meæ sententiæ partem firmem, qua dixi, Henricum VII. Imperatorem, ante quàm Margaritam duceret, nullos bonos VVoringanæ militiæ filios aliunde gignere potuisse) nondum adducor, ut Henningi credam asserenti in Genealogia Comitum Lucelburgensium, Henricum VII. Augustum tres successivè habuisse uxores, quarum prima fuerit Catherina Alberti I. Imp. filia, quæ ante nuptias obierit: Secunda Hester Opoliensis Polonica: Tertia Margarita Joannis I. Ducis Brabantiæ F. cùm tertiam hanc imberbis, ut dicebam, duxisse dicatur: &, quod attinet ad Catherinam Alberti filiam, testatum apertè reliquerit Argentinensis, eam, non nisi post Margaritæ mortem, Henrico VII. Cæsari fuisse desponsam, & eidem ductam tunc temporis, quo se post Romanam inaugurationem receperat Pisas. Sic enim ille disertissimè ad Annum MCCCXII. *Ducebatur etiam Domina Catharina, soror Ducum Austriæ, quondam Alberti Rom. Regis filia, Imperatori nuptura*. Nuptura omnino, quòd secuta morte Cæsaris, cui ducebatur ad Nuptiarum sacra, ea nequiverit celebrare, ut ad Argentinensis ductum, & Historiæ fidem Meyerus scribit an. MCCCVIII. *Defuncta Margarita Augusta, Henricus fidem nuptiarum dedit Catharinæ, filiæ Alberti Ducis Austriæ, cognomento Claudi, qui Friderici electi Romanorum Regis germanus erat; sed, defuncto paulò post Henrico, nupsit illa Carolo Duci Calabriæ, sepulta postea Neapoli*. Quæ quidem Henningis sententiam validè debilitant, & infringunt.

Ad Nepotes, sive Henrici VII. Cæsaris, sive patris ejus, pro quibus sumi non incommodè posse privigni nomen apparet ex L. *Adoptivus XIV*. §. ultimo *Videamus*. ff. *de Rit. Nupt.* in verbis illis, *Quidam privignam uxoris ex alio marito filiam intelligunt; sed certè, quoad hanc causam, privigna non solùm ea intelligitur, quæ uxoris filia est; sed & neptis, & proneptis, ut nullam earum ducere possim*, me non extendo, ne rei obscurissimæ majores, plura somniando, tenebras circumfundam. Ea sanè res movisse videtur Eruditissimum, & amicissimum Gerardum Joannem Vossium, ut de privignis istis sentiret illa, quæ habes Notæ superiori proximæ consignata.

Erant hæc sub prælo, cùm ab Illustrissimo Domino Dominico Molino, vero, legitimoque Musarum, & Gratiarum fœtu, hæc ad me transmittitur Nota, quam ipse recèns acceperat à Viro Cl. Bruxellensi: *Ad quæsitum, qui fuerint privigni Henrici, quos amisit in bello, quod inter ipsos, & Comites Brabantiæ gerebatur, videtur, quòd privigni Henrici, Comitis Luxemburgensis, fuerint liberi Beatricis ejus uxoris, quos ea habuerat ex priore marito Florentio, Comite Hollandiæ ac Zelandiæ. Liberi ii fuerunt, Gulielmus, Theodoricus, & Florentius, cum tribus aliis fratribus, uti refert Reusnerus in Auctario Genealogico. Ex hisce liberis, quinam interierint in pugna inter dictum Henricum, & Joannem Brabantiæ, non compertum*. Hucusque vir harum literarum amans ad earundem Patronum, & Patrem; sed cum lapsu conjuncta, quem indico, non sugillo. Necessarium illud, ne quis alius hic offendat: odiosum istud, & à meis omnino moribus alienum. Omnino labendi ansam præbuit Cl. Viro, sicut & Argentinensi, quem is fortè ducem habuit ad annum MCCCXIII. Beatricis nomen, quo cùm vocaretur tum Henrici Comitis Lucemburgensis, tum Florentii Hollandiæ Comitis uxor, ea nominis similitudine deceptus vir eximius, censuit unam, & eandem Beatricem utrique Comiti diversis successivè temporibus conjugem obtigisse, quod prorsus abhorret à vero. Quippe Beatrix, Florentii uxor, filia fuit Guidonis Dampetrei, Dampirive, Comitis Flandriæ, locupletissimis ea de re testibus, Meyero in Ann. Flandriæ, Henninge in Tabb. Genealogicis pag. 144. & VVilhelmo Heda, cujus ista sunt in VVilhelmo Episcopo Trajectensi XLI. *Habuit enim Florentius occisus ex Beatrice filia Comitis Flandriæ quinque filios, & quatuor filias*; Virumque priùs alterum experta fuerat hæc Beatrix, Hugonem Castillionensem, Com. *Fani-Pauli*, ut Meyero placet, *Blosensium*, ut Henningi: at Beatricem illam, quam thori sociam habuit Henricus Lucemburgensis Comes, Henrici VII. Augusti Pater, nemo Scriptorum agnoscit filiam Guidonis Flandriæ Comitis; sed horum quisque natam asserit ex Balduino Avinienſi, Hanoniæ Comite, uti præter supra datos ejus rei testes Nota 20. §. *nunc*, testatus est etiam Albicius in Stemmate Lucemburgico pag. XV. aliique sexcenti; jure ut mirari possem, Meyerum unum in Annalibus suis Flandricis ad annum MCCCVIII. Beatricem istam, non Balduini modò laudati, sed Joannis I. Comitis Hanoniæ filiam nuncupare, nisi alia apud eundem Scriptorem occurrerent, quæ secus ab aliis memorantur. Ecce. Ait inibi ferè loci Meyerus, Philippam Henrici VII. Cæsaris amitam fuisse, & Joannis II. Comitis Hannoniæ uxorem, quam Trithemius in Chron. Hirsaugiensi pag. CCCCV. Joan. Becanus in VVilhelmo Episcopo Trajectensi XLI. VVilhelmus Heda in eodem, Ubbo Emmius, Elias Reusnerus, Hieronymus Henninges, aliique permulti, sororem ejusdem Cæsaris vocant, & horum non nemo, primi, non secundi Joannis Hannoniæ Comitis conthoralem. Qui quidem Scriptorum consensus, non solùm indicat Meyeri sententiam singularem esse; sed etiam cubare in mendo Magni Chron. Belgici Collectorem in Hollandicis anni MCCXCIX. ubi Philippam hanc, nec amitam, ut Meyerus; nec sororem, ut alii plerique omnes; sed filiam nominat ejusdem Henrici Septimi Cæsaris Augusti. Sed ecce dissidium alterum Meyerum inter potissimùm, & Henningem. Avia materna Henrici VII. Romanorum Regis est Adelheidis Meyero, filia Florentii Com. Hollandiæ: Henninges secus, Adelheidem istam nupsisse asserit Arnoldo III. Comiti Cluviæ pag. CXXXXIV. aviam verò Henrici VII. Cæsaris fuisse Margaretam, filiam Henrici Barri, qua de antea pagina CXIII. quod etiam Albicius sentit. Sed ego nil ampliùs eo de dissidio, vel aliis addo, ne si velim in his diutiùs immorari, finem nullum faciam, adeò multa se se hujuscemodi offerunt in veterum monumentis, non nisi vestigatione lyncea in lucis candorem è tenebris eruenda. *Osius*.

(25) Ubi Mars, ut ait ille, fortissimum quemlibet pignoratur, prope VVoringam, Anno salutis MCCLXXXVIII. Ducatus verò Joannis Ducis anno XXVIII. inclusis annis, quibus ejus mater Aleidis (aliis Adheleidis) gubernavit Ducatum, die Sabbathi Divo Bonifacio sacro, qui dies Junii quintus Hocsemio, Trithemio, Magni Chronici Belgici Collectori, Molano, Meyero, aliis; decimus soli Divæo, ex ante dictis. *Osius*.

(26) Uti commonstratum superiùs, & firmatum in scena belli, in quo Viri strenui obita generosa morte immortalitatem sibi, ac generi compararunt. Nec tamen soli. Secuta nimirum eodem in bello aliorum quoque complurium, & illustrium Virorum cædes, de quibus nulla unquam posteritas conticescet. Divæus enim cæsos illic Viros Equestris ordinis quadringentos; Gerbrandus ex parte Archiepiscopi Coloniensis desideratos mille, Leodiensis ex Geldrensibus extincta duo millia quingenta capita, præter capta, & confossa vulneribus; Magnum Chronicon Belgicum, occisos plus quam mille tam milites, quam militares, excepta innumerabili Equitum turma; nec unquam, vel rarò ante illa tempora in regno Germaniæ in ullo prœlio tantum sanguinis Nobilium virorum effusum esse, uti jam in eadem Martis scena vidimus, prodidere. *Osius*.

(27) Nemo omnium, eorum ex numero, qui cædem VVoringani prœlii literis exararunt, æquè composite persecutus est patris Henrici VII. Cæs. fatum, ac solers Mussati calamus, & fidelis. Vivum enim Mussatus asserit in manus hostium devenisse; se se mox, nec gratis, redimere voluisse; sed hostium immanitate factum, ut ære, cujus vim ingentem obtulerat, & quo militares animi plurimùm capiuntur, neglecto barbarè, confossus gladiis eorundem occumberet, ac tandem, accedente ad barbaram feritatem insania, fluentem in proximum jaceretur, honore ac nomine tumuli destitutus, cùm Hocsemius in Joanne Guidone Episcopo Leodiensi LXXI. Cap. XVI. quò devenerit ignoratum tradit, alii cæsum tantùm dicant, sobriè nimiùm, ac jejunè. Et par est in his etiam

etiam Mussato credere, *quòd is*, (uti nobiscum sentiens, Ferrettus ejus æqualis habet Lib. II. Historiæ suorum temporum) *pro Patria sua Legatus ad Cæsarem, potuit omnia sui genitoris primordia*, (addo ego, progressus etiam omnes, & exitus eorundem) *quæ nos latent, ad unguem perscrutari, & ea manifestè disserere*. Osius.

(28) Factum id duobus ab aliis principibus viris, eo in bello captis, Reinaldo Comite Geldrensi, & Siphrido Archiepiscopo Coloniensi, Trithemius, & Guatius narrant. Sed quid prohibet, quin id ipsum præstare quoque voluisse credamus patrem Henrici VII. eorundem in hostium potestate situm? Ego sanè Mussato hæreo, nec trepido sub hoc Duce. Et quorsum trepidatio nimia?

——— peccant
Securæ nimiùm, sollicitæque manus.

De redimendi more, quibusvis ferè temporibus usitato, disseram in Notis ad Rub. IV. Lib. I. de Italicorum gestis, ne omnia congerere voluisse existimer in Rubricam istam, aut alio commodiore loco, mearum partium non oblitus. *Osius*.

(29) Salebrosus locus. Abesset τὸ *Ære*, abiens aliò, vel in calum recto proximum, aut quartum se se reciperet, ac tum demum leniter omnia ista decurrerent,

Mitis & in morem stagni, placidæque paludis,

aliqua ex his junctura, *Et dum se redempturum magnum pondus polliceretur*, subintellecta materia polliciti ponderis, ut apud Maximum Poetarum Æn. II.

——— & magnò mercentur Atridæ:

sive addita hoc pacto, *Et dum se æs redempturum magnum pondus* (pro eo, quod rectè minùs, *in magno pondere*, vulgus hominum semilatinorum diceret) *polliceretur*: Aut isto, *Et dum se æris redempturum magnum pondus polliceretur*. Fuit etiam, cùm *Ære* retinendum ducerem; sed irrepsisse suspicarer mendum in vocem illi proximam, *redempturum*, à librarii manu, quæ nobis eam in recto describere debuisset, hoc sensu: *Et dum se ære redempturus, magnum pondus polliceretur*, perspicuo penitus, & illustri. Cùm enim voces in, *Us*, desinentes ita quandoque describi solerent, *u'*, in proclivi fuit Librariolis imperitis notam illam ɔ per, *m*, literam explicare, quod elementum illud plerumque hujuscemodi nota, & olim, & etiamnum hodie soleat in primis à festinantibus Scriptoribus indicari. Sed religio mihi semper fuit à MStis Codd. vel latum unguem deflectere, nisi res, & ratio aliter suaderent. Quare nihil hic tandem mutandum censui, & *se ære redempturum*, hoc loco perinde accipiendum duxi, ac *se redempturum*, tantùm. Libuit verò Mussato, τὸ *ære*, quod salva sententia relinquere potuisset, assumere, respectu fortè an habito ad Emancipationis ritum, qui per Æs, & Libram peragi consueverat, ut ostenderet, Patrem Henrici VII. Cæsaris ab hostibus captum, magnum promisisse pondus *se redempturum ære*, hoc est, *in libertatem vindicaturum, ad eum morem, quo per æs, & libram fiebat emancipatio, qua liberi, de potestate patria exeuntes, sui juris, & verè liberi efficiebantur*. Porrò per *Æs*, & *Libram* (sic enim loquebantur, non per *Assem*, ut perperam inolevit Svetonii Cap. LXIV.) peractam fuisse liberorum emancipationem, nihil est, quod dubitemus, cùm id apertè prodiderint, Cajus Jurisconsultorum Primas Institutionum Lib. I. Tit. VI. *Quibus modis filii exeant de potestate patris*. Pomp. Lib. V. Brissonius Lib. I. Select. Cap. VII. Cautiuncula, & alii complures ex Jureconsultorum albo. Fiebat illa siquidem ad eundem morem, quo res aliæ, quæ mancipi erant, alienari solebant, authore Festo Lib. V. in *Emancipari*; nimirum per imaginariæ venditionis solemnitatem, interveniente *Ære*, & *Libra*, qua de Venditione, & ejusdem ritu scripsere Ulpianus Tit. XIX. Budæus in L. secunda, ff. de Origine Juris, & in Annot. in Pandectas. Paulus Lib. II. Sentent. Tit. XVII. Justinianus in Tit. X. Lib. II. qui est *de Testamentis ordinandis* initio. Sigonius Lib. I. de Jure antiquo Civium Rom. Cap. XI. Hotomanus in Juris Civilis Partitionibus Tit. XII. & ad Leges XII. Tabb. Cap. XL. Brissonius in supra laudato loco. & inter cæteros Cajus in Institutionibus, cujus ista mihi sunt omnium instar, ut à Severino Boetio referuntur Lib. III. in Topica Ciceronis ex emendatione Guevaræ in Commentariis in eadem Topica Principis Oratorum: *Mancipatio imaginaria quædam venditio, quod ipsum Jus Romanorum est Civium, eaque res ita agitur. Adhibitis non minùs quinque testibus Civium Romanorum puberibus, & præterea alio ejusdem conditionis, qui libram æneam teneat, qui appellatur Libripens. Is, qui mancipium accipit, æs tenens ita dicit. Hunc ego hominem ex jure Quiritum meum esse ajo, isque mihi emptus est hoc ære, æneaque libra. Deinde ære percutit libram, idque æs dat ei, à quo mancipium accipit, quasi pretii loco*. Et hæc quidem Cajus de Mancipatione, secundùm quam res, quæ mancipi erant, transibant in alienam manum. Cæterùm ea, quibus pari planè solemnitate peractam liberorum emancipationem idem Jureconsultus asseruit, ita se habent: *Emancipatio, hoc est manus traditio, quædam similitudo venditionis est: quia & in emancipationibus, præter illum, hoc est certum patrem, alius pater adhibetur, qui fiduciarius nominatur. Ergo iste naturalis pater filium suum fiduciario patri mancipat, hoc est manu tradit: à quo fiduciario patre naturalis pater unum, aut duos numos, quasi in similitudinem pretii accipit, & iterum eum acceptis numis fiduciario patri tradit. Hoc secundò, & tertiò fit, cùm fiduciario patri emancipat ac tradit, & sic de patris potestate exit. Quæ tamen emancipatio solebat ante Præsidem fieri, modò ante Curiam facienda est, ubi quinque testes Cives Rom. in præsenti erunt, & pro illo, qui Libripens appellatur, id est, stateram tenens, & qui Antestatus appellatur; alii duo, ut septem testium numerus impleatur*. Quæ Theophilus in Instit. Tit. *Quibus modis jus patriæ potestatis solvatur*, ad rem nostram accommodatiùs extulit in hunc modum, mentione scilicet clariùs facta libertaris, quæ per emancipationem liberis parabatur. *Emancipatio olim in hunc modum fiebat: Quinque aderant testes, & Libripens stateram, & numum æreum tenens, & medius aliquis: deinde medius ille his præsentibus filium de patre emebat, dabatque, quasi in similitudinem pretii, unum illum numum, & ita filius in potestatem medii illius transibat; sed is tacita quadam ratione in patris potestatem recurrebat. Jam secundùm igitur pater eum vendebat, idque eundem in modum, & emptor eum rursus vindicta manu mittebat, atque iterum, tamen tacito jure, in patris potestatem recurrebat. Tertiùm ergo vendebat, & ita solvebatur patria potestas, vindictaque manumittebatur, & ita sui juris fiebat. Ideo autem filius vendebatur, ut in servitutem redigi videretur, & ita commodè ei Libertas daretur: nam liber manumitti non poterat; filia tamen, & nepos, neptisve, & reliquæ personæ per unam mancipationem, & unam manumissionem sui juris fiebant. Sed hoc quidem olim, &c.* Et secundùm hunc Emancipationis morem videntur etiam processisse solemnia Adoptionis, de quibus A. Gellius Lib. V. Cap. XIX. Clemens Alexandrinus Strom. Quinto. Ulpianus ubi de Testamento per æs, & libram. Justinianus in Institutionibus Tit. X. Lib. II. de Testamentis Ordin. initio. Quintilianus Declamatione CCCVII. ubi de Testamento loquens, *Non dixeram* (inquit) *testamentum, cui Libripens deest, & familiæ emptor, & cætera juri necessaria*. Plutarchus de sera Numinis animadversione. Lipsius ad Lib. I. Ann. Taciti, Jurisconsulti, Philologique Scriptores ad unum omnes, sicubi de Adoptionibus, aut Manumissionibus egere. Unde autem Libræ in emancipationibus adhibendæ consuetudo introducta fuerit, Sigonius, & Brissonius in supra commonstratis locis ex Plinii Nat. Historia tradiderunt. At quia nostræ hæc tantùm conjecturæ sunt, ea nos illorum arbitrio permittimus non inviti,

------ quibus arte benigna,
Et meliore luto finxit præcordia Titan,

quorum quidem judicia non odimus; sed expetimus, & amamus. Non interim mihi displicet Cl. & Eruditissimi Nicolai Villani Pistoriensis emendatio, quam attulit ad hunc locum, copula tantùm adjecta: *Dum se ære redempturum, magnumque pondus polliceretur*. Sed erunt fortassis, quibus & nugæ nostræ aliquid

Digitized by Google

quid videbuntur. Unicuique certè facilè concedimus, ut illud probet, quod ipse in primis probabile judicarit, modò noverit, *Æs*, hoc loco pro *Asse* positum, ut in allata Emancipationis formula, *per Æs, & Libram*, quod firmant Varronis illa Lib. VIII. *Pro assibus nonnunquam æs dicebant antiqui, à quo dicimus assem tenentes. Hoc ab ære, æneaque libra*. Libret hæc amicus Lector, antequam de nostris judicium ferat, & æqui bonique consulat, quod dare nostra imbecillitas potest. *Osius*.

Hoc loco syntaxis laborare videtur, ni post, *redempturum*, copulam apponas; ut sit, *dum se ære redempturum, magnumque pondus polliceretur*: aut alio quopiam tibicine vitium hoc fulcias. *Villanus*.

(30) Vicentinus Codex, *Fluentum*. Nempe quia *Fluens* substantivè vox rara in vasto gurgite Literariæ Rei, crebrior *Fluentum*. Sed *Fluens* etiam in usu, sicut & *Profluens* (& quidem usitatiùs) substantivè. Solinus Cap. XXX. ex lectione Matthiæ Martinii in Lexico Philologico. *Inde per Caspium ad Cyri amnis penetrare fluentem*. Nam Olivarius *Fluentum* legit: sed Olivarii lectionem jure Martinius non agnoscit. Solinus enim in raris vocibus Apulejum, utplurimum, imitatur. Hic autem in Libro de Deo Socratis, ubi de homine infeliciter divite verba facit, *Fluentem*, non *Fluentum* effert, eamque vocem Geverhartus Elmenhorstius auctori suo ex MSis, & Vett. Codd. redonavit. Hinc ille doctissimi Viri calamo castigatus: *Omnia affluentia, omnia opulenta, omnia ornata, præter ipsum dominum; qui solus, Tantali vice, in suis divitiis inops, egens, pauper, non quidem fluentem illum fugitivum captat, & fallacis undæ sitim; sed veræ beatitudinis, idest, secundæ vitæ, & prudentiæ fortunatissimæ esurit, & sitit*.

Intelligit porrò Noster hoc nomine, ni fallor, Mosam, fluvium insignem Galliæ Belgicæ, quo de Plinius Lib. IV. Capp. XIV. & XV. Tacitus II. & XX. Cæsar de Bello Gallico, & alii. Manat ille scilicet ex Vogeso monte, non procul à Lingonum finibus, & per Eburonum, Menapiorum, ac Sicambrorum agrum labens, tandem in finibus Batavorum, accepto Rheno, in Oceanum se exonerat: eumque propter bellum illud gestum, in quo pater Henrici VII. Cæs. cum fratribus cæsus occubuit. Unde Divæus de Joanne I. Brabantiæ Duce XXXI. victore loquens, ait, eum post hanc victoriam, capta, & eversa VVoringa, rediisse domum, *magna Brabanticæ virtutis opinione in Trans-mosanis relicta*. Meminit & fluminis, ad quod sua castra locaverat Joannes I. Brabantiæ Dux, Joannes Hocsemius in VVoringani belli descriptione, quam ad posteros transmisit in Joanne Guidone Episcopo Leodiensi LXXI. Cap. XVI. his verbis: *Dux autem* (Brabantiæ Joannes I.) *Castrum de VVarone, ubi inimici fuerant congregati, & flumen adjacens cum suo se conclusit exercitu, ut, cùm fugere non possent, de necessitate bellarent*. Nec auserim, quin ad Mosam respexerit Hocsemius, dubitare.

Quòd si quis, spectata vocis hujus, *Fluentis*, propria notione, qua parvum fluvium sonare videtur, sicut & *Fluentum* apud Poetarum Maximum Lib. IV. Æneid. ubi loci Xantho tribuitur, parvo re vera fluvio, magisque delectationi, & aquationi accommodato, quàm navigationi, cùm ait;

Qualis ubi hybernam Lyciam, Xanthique fluenta
Deserit, & Delon maternam invisit Apollo,

cadere nequaquam posse censuerit in fluvium Mosam rapidum, & ingentem; sed eo parvum quempiam fluviolum, seu rivulum cædis loco proximum designari, non ego illi refragari vehementer auserim, cùm præsertim inde se se proditura sint apertiùs, *Ludibrium*, & *Contemptus*, quibus in sequenti Nota patris Henrici VII. Cæsaris exangue corpus ab hostibus habitum ostensuri sumus.

Norit interim, & observet ex hoc loco Lector, hostes ab hostibus, & eos maximè, qui in acie cecidissent, sic acceptos olim, ut illorum corpora in flumina, vel pelagus jacerentur, quod alii quoque Scriptorum docent, Attius ante omnes in Epinausimache apud Nonium ex castigatione Viri doctissimi Petri Scriverii in Collectaneis veterum Tragicorum, nam alii aliter, & aliter legunt.

Sanguine undam salso sanctam obtexit Scamandrum,
Atque acervos alta in amni corpore explevi hostico.

Musarumque Lat. decus, & incrementum Maro Lib. X. Æn. de Tarquito, ore Æneæ:

Isthic nunc metuende jace, non te optima mater
Condet humi, patriove onerabit membra sepulcro.
Alitibus linquere feris, aut gurgite mersum
Unda feret, piscesve impasti vulnera lambent.

Quæ ducta sunt ex illis Homerici fontis Iliad. XXI.

--------- ἠ δέ σε μήτηρ
Ἐνθεμένη λεχέεσσι γοήσεται ἀλλὰ Σκάμανδρος
Ὀίσει δινήεις ἄτῳ ἁλὸς εὐρέα κόλπον:
--------- neque te mater
Imponens lectis deflebit, sed Scamander
Feret vorticosus in maris latum sinum.

Nec aliunde manarunt illa, quæ legimus Lib. III. Epigrammatographiæ Græcæ de Alexanto:

Οὐ γὰρ σε μήτηρ ἐπιτυμβία κωκύουσα,
Οἶδεν Ἀλεξάντη σὸν μόρον ἁλίον:
Neque verò te mater ad sepulcrum deplorans
Novit Alexante tuam mortem marinam.

Talem etiam sive contumeliam, sive injuriam passus Xantippus Lacedemonius, vir alioqui manu strenuus, rerumque gestarum magnitudine inclytus, quem ab Athenienſibus in mare præcipitem actum scribit Herodotus Lib. V. dum illum officii specie domum revehere se velle fingerent, per fraudem & perfidiam summam. De Constantino Capronymo Imperatore scriptis prodidit Joannes Zonaras Lib. III. eò proterviæ vastum, atque in scelera præcipitem illius animum descendisse, ut viduam Bactangii viri patricii, & præclara stirpe editi, uxorem, coegerit tymbum mariti, rabidæ hyenæ instar, invadere, atque eruta inde ossa propriis manibus in proximum pelagus effundere. Cujus ego atrocitatem sceleris in Capronymo non admiror, cùm recordor, illum non hominum solùm, sed & Sanctorum hostem, quorum intercessionem, ac patrocinium siculneum præsidium appellabat, illorum cinerem, ac reliquias aquis perdere studuisse: cujus impietatis simillimam speciem vidit etiam Gallia, cùm Lugduni Canibus primùm exposita fuere Martyrum corpora; ossa mox eorundem usque ad extremam consumptionem ignibus concremata; cineres demum cum favillis in fluvium Rhodanum sparsi, ne quid ad eorum qualemcumque memoriam superesset, ejus nobis immanissimæ tragœdiæ narratore Eusebio Lib. V. Ecclesiasticæ historiæ, Capite III. Sic in hostes suos alias alii debacchati, quibus plena est omnis antiquitas exemplorum, ut iram in illos suam explerent hac omnium acerrima contumelia, qua de præter laudatos Scriptores mentio apud Apollonium Libro I. Claudianum IV. Consul. Hon.

Largius Arctoos pavere cadavera pisces.

Horatium Od. X. Epod.

Opima, quòd si præda curvo littore
Porrecta mergos juverit.

Ovidium Eleg. II. Lib. I. Trist.

Et non æquoreis piscibus esse cibum.

Senecam in Agamemnone.

Nil nobile ausos pontus, & undæ ferent?
Ignava fortes facta consument viros?
Pudenda mors est.

Anthologiam Lib. III. Epigrammatibus de Timocleo, & Erasippo. Nonnum Lib. XXXII. Homerum Iliad. XXI. quo loci contumeliam istam dat Lycaoni. Et Vegetium Lib. IV. Cap. XLIV. cujus verbis Notam hanc claudo: *Alii ferro interimuntur, alii ardere coguntur . . . . in fluctibus; inter tanta tamen mortium genera, qui acerrimus casus est, absumenda piscibus insepulta sunt corpora*. Et si caussas ejus rei quæris, adi Pontanum in Elegiam II. Ovidii Lib. I. Tristium ad illa,

---- *Genus est miserabile letbi*. Osius.

(31) Nemo non videt id verbi redolere hoc loco injuriam, contumeliam, impietatem summam. Jus enim omne violat, qui terram redeuntibus in terram negat; humanis curis ereptos insigni contumelia mactat, qui Manes eorum tumuli sibi debiti, quemque idcirco, *Manium ædificium*, Imperatores; *Portum corporis*, Ennius appellabat, quiete privat; feris tandem ipsis omni immanitate barbaris habetur immanior, qui vitali jam luce cassa corpuscula abjecta jacere mavult, quam patenti cunctis parentis communis gremio commendare.

Jus

Digitized by Google

Jus omne violat, qui terram redeuntibus in terram negat, quòd terram terræ reddere, non modò Jus non scriptum, quod ipsa Naturæ lex est, omnium nostrum animis insita, Jusve scriptum jubeat; Sed Deum ipsum auctorem habere credatur religio sepulturæ, cùm is, vel ab ipsis incunabulis rerum (ut Oracula divina testantur) Caimo, non tam impiissimam fraternæ cædis impietatem, quàm insepultam mortem (ut Seneca loquitur Lib. I. de Tranquillitate animi Cap. XIV.) objecisse videatur non molli verborum sono. Nullum ob id officium homo homini præstare justiùs potest, nullum hominis conditori Deo sacrificium gratius exhibere, Præclarè, planèque divinè nitidissimum lacteæ facundiæ flumen Lactantius Lib. VI. Cap. XII. *Non patiamur*, inquit, *figuram, & figmentum Dei feris, ac volucribus in prædam jacere; sed reddamus terræ, unde ortum est. In quo verò magis Justitiæ consistit ratio, quàm in eo, ut, quod præstamus nostris per affectum, præstemus alienis per humanitatem, quæ est multò certior, justiorque; cùm jam non homini præstatur, qui nihil sentit; sed Deo soli, cui charissimum sacrificium est opus justum*. Hinc jure sacris in Tabulis vetusti fœderis laudi perpetuò data sepulturæ cura, ab eoque studio præ cæteris commendati, Abrahamus Patriarcharum Princeps, & pater, à quo dilectæ conjugi jam vita functæ, sollicitudine mira, sepulcri delecta sedes, quadraginta siclis pro agro ei rei idoneo numeratis: Filii ipsius duo, Isaac, & Ismael, à quibus pari affectu eodem in agro pater cum uxore ritè compositus, & humatus: Nepos ejusdem Jacob, qui Rachelem suam in Bethleem collocavit: Tobias, qui, nuntiatis corporis insepulti reliquiis in platea jacere, convivium deserebat statim, ratus impium domi suæ cibum sumere, cùm foris esca feris, & volucribus defuncti corpus exanime pateret: Galaaditæ, quibus misericordiam in Saulis, & filii ejus Jonathæ ossibus tumulandis, nuntiis ad illos transmissis, gratulatus est David: Propheta demum ille, qui cùm Viri Dei corpus, (quod in Patrum suorum sepulcrum inferri noluerat Deus, quia sibi dicto audiens non fuisset) interfectum à Leone, ac projectum reperisset in via, jumento simul cum illa immani fera (ut est à D. Augustino traditum in Libro de Cura pro mortuis gerenda ad Paulinum Cap. VII.) intrepida præsentia ad sui Domini funus astante, in civitatem perlatum planxit, suoque tumulo consignavit.

Habent & in Sacris novi documenti paginis suam laudem, eamque non vulgarem Mariæ Magdalenæ prona, providaque sedulitas, quòd unctionem instituerit ad Servatoris humani Generis sepulturam: necnon & Arimathæus Joseph, ejusdemque facti socius Nicodemus, quòd ambo Servatoris ejusdem corpus, largiter priùs liberaliterque perunctum, tradiderint sepulturæ. Nec abiit iisdem in Tabulis illaudata Discipulorum D. Jo: Baptistæ pietas, quòd Magistrum suum, Herodis imperio in Herodiadis gratiam capite mutilatum, mandarint humo: nec obscuro pressa silentio fuit illorum cura, qui D. Protomartyris Stephani, populi Hierosolymitani, atque adeò Scribarum Pharisæorumque furore lapidibus oppressi, corpus diligentissimè curaverunt. Inibant illi scilicet hoc facto non modò gratiam à Defunctis, quos tribus rebus gaudere maximè dixit Ovidius Lib. III. Trist. Eleg. III. Si sciant se efferendos cum pompa: operiendos humo: deflendos à necessariis; sed Superis etiam ipsis, atque adeò Deo Opt. Max. gratificabantur, quòd terram reddentes terræ, ejus suffragari sententiæ viderentur, quam olim protulit, dum hominem conderet: *Terra es, & in terram ibis*: ut acutè Commentario IV. in Sententiarum Libros Dist. XLV. Quæst. II. Art. III. vidit, & docuit Dominicus Soto. Idcirco Generis nostri Vindex (cujus exemplum, uti & doctrina, omnium est absolutissimum) institutum hoc ita probasse visus est, ut illud etiam sit amplexus, cùm nempe ipsemet voluit in terræ tumulo collocari, & hoc qui præstat, rem illi adeò gratam, quàm qui gratissimam præstat. Prudentius Hymno de Exequiis clarè,

Qui jacta cadavera passim
Miserans tegit aggere terræ,
Opus exhibet ille benignum
Christo pius omnipotenti.

Atqui non solo divino Jure commendata Mortalium sepultura; sed etiam arcano quodam Naturæ ductu justa semper est habita, Jureque probata non scripto; sed scriptis omnibus certiore. Rectè Seneca Lib. II. Controversiarum. *Affectus nostri in nostra potestate non sunt: quædam enim jura non scripta; sed omnibus scriptis certiora sunt. Quamvis filius familiæ sim, licet mihi & stipem porrigere mendico, & humum cadaveri*. Rectè, inquam, magnus ille Sophos. Nam cadaver hominis ejectum sepeliendi affectus naturalis est: & non quidem omnibus animantibus; sed homini sic à Natura insitus, ut, quoniam jura Naturæ corrumpere civilis ratio non potest, ideo nec jure quidem patriæ potestatis, aut alio jure civili fieri possit, ut non liceat, aut potiùs, ut non cuivis necesse sit, ex illo humanitatis communi jure, atque officio, quo de mox dicam, terram homini mortuo, etiam ignoto sepeliendi caussa injicere. Spectant huc sinè dubio Quintiliani verba: *Ægro redempto*, Decl. V. *Hinc & ille venit affectus, quòd ignotis cadaveribus humum congerimus, & insepultum quodlibet corpus nulla festinatio tam rapida transcurrit, ut non quantulocumque veneremur aggestu*. Spectant & illa Andromachæ apud Sophoclem, quibus Creonti Regi, de sepulto ab ipsa contra ejus præscriptum Polynicis cadavere conquerenti, sic respondet, ut cadaverum sepulturam è Jure non scripto esse doceat: quod & oris aurei Dion apertè sentit in Oratione περὶ ἔθους, humanitatem illam, quam in sepeliendis etiam hostium corporibus exhibemus, Juri non scripto tribuens, quod ἔθος, *consuetudinem* ipse nominat, & apud infensissimos etiam hostes observari tradit.

Quis hic igitur ampliùs hæreat, quis vacillet? Si quis tamen adhuc hac in navi est, se se is consulat, interroget, audiat, & statim ad eam se se humanitatem vocari, Natura ipsa Duce, sentiet, nec invitum. Quemadmodum enim ita Natura comparatum est, ut corporis nostri labes, & deformitatem patere nolimus hominum conspectui: sic ab eadem Magistra monemur, muneris nostri partes esse, defunctorum cadavera, quæ mors horribili pallore depinxit, insueta specie vestivit, fœtore vix ac ne vix quidem ferendo sepsit, terra condere, & aliorum oculis, naribusque subducere sepultura. Audi Comicum Moschionem Græcum, sed Latino differentem ore solius ad Naturæ ductum.

Sinite jam terra mortuos operiri,
Et unumquodque unde in corpus venit,
Illuc redire: spiritum quidem ad æthera;
Corpus verò in terram. Non enim possidemus
Illud proprium; sed quandiu hanc vitam incolimus,
Deinde restituendum est suæ parenti.

Adde his, adeò Naturæ consentaneum esse corpora defunctorum terra dilecta, veluti parentis almæ sinu, jam defectis viribus, ac recisò vitæ filo, excipi, ut etiam apud Gentes quàmlibet feras, ac ferreas, quod Dion Chrysostomus sentiebat, mos hic inoleverit, nullo alio monitore, quàm uno illo naturali, quo de loquebamur, affectu, cujus instinctu fit, ut quemadmodum nemo carnem odit suam; imò dolorem ingentem capit, si post obitum gravius suo corpusculo quippiam accidere posse suspicetur: ita non suis tantùm; sed & aliorum corporibus, vel post mortem, consultum ob humanitatem velit, ne sub dio jaceant injurias inclementis cœli, aut ferarum immanium impetus exceptura.

Volens ob id ego, lubensque subscribo Lactantio in supra laudato libro, impiam eorum sapientiam appellanti, qui supervacaneam judicant sepulturam, nihilque mali esse dicunt hominem exhumatum, abjectumque jacere: nec inanes, sed plusquam immanes censeo illorum voces, quibus semper in ore natat illud Lucani, *Cœlo tegitur, qui non habet urnam*: Et illud, *Parvi refert, humine, an in sublimi putrescam*, quod respondisse fertur Theodorus, Philosophus vel hoc ipso ignobilis, cùm ei crucem Lysimachus minitaretur: Item illud, *Facilis jactura sepulchri* ex ore Anchisæ apud Summum Vatem: Postremò & illud, *Sepelit Natura relictos*, quod Mecœnas olim delitiarum fluctibus obrutus asserebat: quin imò

Digitized by Google

imò cum Joachimo Rege, Asini sepultura dignandos istos judico, unàque Diogenem jubentem se inhumatum projici cum Cynicis omnibus, qui corporum humanorum nullam prorsus habendam rationem stultis adolescentibus, & in eadem secum area, vel potiùs hara versantibus, persuaserunt, idemque dixerunt esse à feris, volucribusque distrahi, & sepulchro tegi per imprudentiam summam, quæ, ementito virtutis nomine, magna quoque in Stoicis notata est, quorum ex more Seneca nulli suas reliquias commendavit. Ecquid enim aliud istis gratius adpreceris cum Petro Bacherio Gandensi, cujus hic adjuvamur Apologetico pro Defunctis, quàm quod ipsimet in votis habuere semper? Quorsum istis vitæ spatium apud homines longioris expetas, cùm plus illis Formicæ ipsæ sapere videantur, quarum si politiam, vel œconomiam spectare paululum modò voluissent turgidi isti Philosophi, vel Astorgi, & in ea Naturæ magistræ monita contemplari, didicissent planè vel ab his insectis vilibus, humanitatem. Ajunt enim probati Scriptorum, Formicarum aulam tripartitam habere mansionem, atque in tres cavernulas desinere, quarum una sit, ubi sua comitia, & cœtus celebrant; altera, ubi tamquam in penum grana, eduliaque recondunt; tertia elatorum & vita functorum cœmiterium. Addit Plutarchus in Libello, cui titulus: *Utra animalia plus rationis habeant, terrestria, an aquatilia*, non solùm Formicas cavernulæ suæ tertiam quandam Civitatem vita functis, & elatis habere separatam; sed ex observatione Cleanthis, qui ejusmodi spectaculo interfuerit, egressas è cavernula Formicas venisse aliis obviam ferentibus mortuam; pro qua post varios ultro, citroque commeatus, verme, tamquam redempti mortui pretio, desuper elato ac depenso, acceptam mortuam intro abstulerint. Ac ne suspectam habeat Lector Scriptoris unius ea de re fidem, eandem nobis historiam retulit Ælianus Lib. de Animal. VI. Cap. L. & Capite proximè præcedenti, in quo de hac ipsa solerti Formicarum prudentia circa mortuas contubernales loquens, illud nos ampliùs docuit, ubi nam illæ mortuas condere soleant, nempe in granorum folliculis, ut homines in tumulis, urnis, loculis parentes, & amicos solent. Nec potuit industria tanta D. Hieronymum latuisse, apud quem tum de cætera omni Formicarum diligentia, tum verò de luctu, ac funeris elatione, comitatuque ad tumulum, quo de agimus, Malchus Monachus disserit ad hunc modum: *Adspicio Formicarum gregem angusto calle fervere, ferre onera majora, quàm corpora, &c. Illæ venturæ hyemis memores, ne madefacta humus in herbam horrea verteret, illata semina præcidebant; hæ luctu celebri corpora defuncta deportabant: quodque magis mirum est, in tanto agmine egrediens non obstabat intranti*. Nec illam ignoravit Plinius, cùm hæc in ejus animantis laudem scripta reliquerit, quæ subjiciam, ut expendam Lib. II. Nat. Hist. Cap. XXX. *Sepeliuntur inter se animantium* (alii, *viventium*) *solæ, præter hominem*. Rectè Plinius, quòd *sepeliuntur inter se*; non rectè, quòd *animantium, seu viventium solæ, præter hominem*. Communem enim humanitatem istam Formicis, & animantibus aliis Ælianus facit, & Delphinibus quidem in supra laudato de Animalium Historia Libro XII. Cap. VI. mortuorum ab iis memoriam nequaquam abjici asseverans; sed eos, quibuscum vivis consuetudinem habuerint, extinctos quoque non deserere; ideoque sui generis cadavera subire, ad summam aquam allevare, tum ad continentem (veluti funere) illos efferre, ac demum hominibus ipsos sepeliendos tradere, Aristotele teste: Elephanti verò Lib. V. Cap. XLIX. cui ex Æthiopum sermonibus, Græcanico (ut ipse ait) fastu carentibus, illud inditum a Natura tradit, ut, si alterum perspexerit mortuum, ab ipso non prætereatur; quin terram manu, sive proboscide haustam, aut ramum, justis veluti quibusdam mysticis pro natura communi peractis, injiciat: criminis scilicet piacularis evitandi gratia; quale a se committi, eo deserto officio, credit hujusmodi bellua, cui verè hac in parte *quandam* esse dixeris, ex sententia Tullii Libro de Divinatione secundo, *cum humano genere societatem*. Sed memoria lapsus est Plinius, cùm scripsit, solas ex animantibus Formicas inter se præter hominem sepelire. Nam antea Lib. II. Cap. XVIII. scripserat, *Apes progerere defunctas, funerantiumque more exequias comitari*: & Lib. X. Cap. LV. narraverat, *mortua Gallina, maritos earum visos succedentes in vicem, & reliqua fœtæ more facientes, abstinentesque se à cantu*. Canis etiam caninum cadaver ad Cereris perripuit, terraque pedibus effossa, illud ibi sepelivit, licèt hoc inter prodigia numeret Dio Lib. XLVII. & quod de Apibus scripsit Plinius, adnotarunt etiam alii, & hi præcipuè. Poetarum Summus Lib. IV. Georg. Ver. 255.

——— tum corpora luce carentum
Exportant tectis, & tristia funera ducunt.

Aristoteles Ἐὰν δὲ ἔσω τίς ἀποθάνῃ, ἐξάγουσίν ὁμοίως: *Si qua intus obierit, cadaver statim foras efferunt*. Iterum. Τὰς δ' ἀποθνησκούσας τῶν μελιττῶν ἐκκομίζουσιν ἔξω: *Exportant foras apes vita functas*. Et Columella Cap. XIII. *Frequenter aliæ mortuarum corpora domiciliis suis efferunt*. Audiant hæc cum Cynicis tumuli contemptores, & animantium minorum, ut sic loquar, Gentium exemplo sapere tandem aliquando discant.

Hinc Humatio usu passim, & consensu communi recepta in mores; Jure quoque scripto sancita apud Gentes non barbaras, resque publicas non abhorrentibus ab humanitate legibus institutas. Coluit in primis hunc morem Regina regnorum Ægyptus Herodoto teste Musa III. nec aspernata est Persia, si verbis ejusdem credimus in eadem Musa. Nimirum Ægyptus crematione corporum improbabat, quòd ignem esse putaret animatam belluam, quæ quidquid nancisciturdevoret, & absumat, ubi verò exaturata sit, simul cum eo, quod devorarit, moriatur. Abhorrebat & à crematione Persia, quòd ignem ea Regio pro Deo coleret, & ideo humana corpora Deo consumenda objicere putaret nefas. Humatus itaque non crematus de more gentis; imò sua de mente Rex olim Persarum potentissimus, & Monarcha Cyrus major, quam verbis hisce testatam apud Xenophontem habes: *Meum, o pueri, corpus, cùm discessero, neque auro, neque argento exornate; sed terræ statim reddite. Quid enim beatius, quàm terræ commisceri, quæ tot pulchra nutrit, & parturit?* Et fortè genus id sepulturæ Cyrus major didicerat a Judæis, quibuscum post expugnatam Babylonem familiariter vixit. Quare sollicitata sua sede fuerint oportet exscriptoris alicujus manu Justini verba Lib. XIX. quibus asseritur, Legatos à Dario Persarum Rege Carthaginem venisse, afferentes edictum, *quo mortuorum corpora cremare potiùs, quàm terra obruere à Rege jubebantur*. Nam ibi loci, τὸ *terra obruere*, primum; *cremare* verò, postremum locum rectiùs occuparet, ne Darii edictum pugnare cum Persarum consuetudine veteri videretur, quod rectè suspicatum etiam video doctissimum Kirchmannum Lib. I. de Funere Romanorum.

Ægyptiorum Syri, Persarum Magi unam & eandem consuetudinem sunt amplexi. Magos enim, ἀνόσιον ἡγοῦνται πυρὶ θάπτειν, *nefas existimare igne sepelire*, notavit Laertius in Proemio: eosdemque secutus Pythagoras, cadavera & ipse censebat, καταικαίειν οὐκ ἔᾳ, Μάγοις ἀκολούθως, *non licere cremare Magorum more*, quia scilicet is, ut Jamblichus subdit, μηδενὸς θεῖον τὸ θνητὸν μεταλαμβάνειν ἐθέλοντος: *nullius rei divinæ mortalem quempiam participem fieri voluit*. Athenienses etiam, jam inde à Cecropis primi ipsorum Regis tempestate, mortuos suos terra condidisse author est Cicero II. de Leg. *Nam & Athenis jam illo more à Cecrope, ut ajunt, permansit hoc jus terra humandi*; Et Cecropem ipsum *Athenis in Minervio terræ mandatum*, ex Antiocho refert Arnobius Lib. VI. Mitto leges ab iisdem Athenienses de civium, de militum, de peregrinorum sepultura latas: taceo Solonis factum, qui probaturus Salamina optimo jure suis à Civibus occupatam, id non aliunde, quam ex positura cadaverum, effossis late tumulis, indicavit: testimonia non laudo Petronii in Satyrico, ubi de Matrona Ephesina loquitur; non Phlegontis Tralliani περὶ Θαυμασίων, καὶ ἀκροβίων, *de Admirandis, & Longævis*: non alio-

aliorum Scriptorum inferioris ævi, qui humationis Græcanicæ meminere. Nam, ut ut hæc omnia deessent, satis id omnium instar testaretur abundè commune sepulchrum Athenis paratum iis, qui bello cecidissent, morteque sua libertatem patriæ peperissent, quod in Urbe fuisse Thucydides docet, cùm aliud, tumulandis iisdem, in Ceramico Suidas, & alii extra Urbem locent.

Festinat hinc animus, & calamus ad Romanos. Nam hi cum alia multa, tum ritum istum humandi ex Atheniensium institutis, & moribus hausere, eoque non procul à fontis ara, Rex eorum Numa conditus, & eodem Cornelia Gens usque ad memoriam Ciceronis usa. Vide Ciceronem ipsum II. de Leg. & Plutarchum in Numa. Adi quóque si lubet, vel potiùs audi Juvenalem canentem ex Romano more Sat. XV.

Naturæ imperio geminus, cùm funus adultæ
Virginis occurrit, vel terra clauditur infans.

Consultus ob id Cæsar (Taciti verba sunt) *an sepeliri sineret, non erubuit permittere.* Et apud eundem Historicum alibi legimus, Britannicum in Campo Martio sepultum, & Poppææ cadaver illatum tumulo Juliorum ex patrio ritu. Exempla plura non congero. Nam ex interdicto Legis XII. Tabb. *de non sepeliendis in Urbe mortuis*, ritus is adeò clarè se prodit inter Romanos mores, ut facem nullam aliam desideret quo cerni dilucidiùs possit. Quorsum igitur, inquies, Tacitus Lib. XVI. Annal. *Corpus*, ait, *est igni abolitum, ut Romanus mos*: & Laertius in Pyrrhone: *Ægyptii quoque condientes sepeliunt corpora; Romani verò incendentes?* Morem Scriptores isti Romanorum alterum respexere, quo solita quandoque cremari apud eosdem corpora defunctorum: atqui humationem crematio non tollebat. Ossa nimirum aliquot legebantur è rogo, quæ mox urnis illata mandabantur humo, ut est nuper à Suavissimo, & Eruditissimo Hieronymo Bronzerio meo diligenter admodum tum ex Græcis, tum ex Latinis Scriptoribus observatum in Hypernephelo II. alteris jam ab illo curis aucto, recognito, & excuso Martinianis typis.

Prætereo Gentium aliarum censum, quarum consensu firmare validiùs possem humandorum cadaverum curam mortalium propemodum omnium animis insedisse. Siquidem enim Cynicos illos excipias, quorum insaniam perstrinximus supra; Lotophagos item, qui defunctos suos in mare abjiciunt; Hircanos, qui suorum corpora canibus, quos idcirco sepulchrales vocabant, solebant exponere Tullio teste Tusc. I. Albanos, qui sepulchrorum curam criminis habebant loco; Scythas, qui honoris caussa mortuos inter epulas absumebant; Persarum nescio quos, quibus Agathias Lib. 2. Hist. honestissimum ait genus sepulturæ visum canum guttura, & rapacium ferarum: imò illum impurum, atque impium moribus existimatum, ad cujus statim cadaver non accurrissent feræ, volucres non advolassent; & alios paucos feris, quàm hominibus propiores, nulla alia Gens extitisse videtur, quæ non probatum passim terra condendorum cadaverum morem acceptum à majoribus religiosissimè sit amplexa.

Justissimum itaque sit oportet officium terram reddendi terræ, cùm id omne Jus æquè jubeat, ut ostensum, & ob id jure ac merito Latinorum Patres Parentalia, Sacrificia, & omnem funerandi solemnitatem, *Justa*, voluerint appellari. Deus sanè quondam habitus Philosophorum Plato de justitiæ generibus loquens, quod ad defunctos attinet, non omisit; quin Dialogo V. de Rep. Virorum, qui præcipua probitate pollere fuerint judicati, cadavera condi, & honorari præcepit. Ad hæc Aristoteles, magnum alterum Philosophorum lumen, Libro de Virtutibus (si modò hic illius est fœtus) postremam justitiæ speciem in defunctos agnoscit: & Problemate IX. Sect. XXX. defunctis opitulari magis justum esse testatur, quàm hominibus vivis. Quorum vestigia probè persecutus Tullius in Topicis, æquitatem, id est, pietatem, tripartitam esse dixit, unam ad superos Deos, alteram ad Manes (quibus defunctorum animæ comprehensæ) tertiam ad homines pertinentem, nihil ut æquitati congruere magis, magisque decere hominem videatur. Enimverò à Deo ita distinctam ab animalium cæterorum natura humanam, Hesiodus author est, ut animantia cætera, quòd justitia careant, se se mutuò devorent, & absumant; hæc verò, quòd prædita justitia sit, se ipsam sepeliat, ut conservet. Quamquam Ælianus Lib. VI. de Anim. Cap. L. scribat, Hesiodum ab humana cæterorum animalium naturam per hoc immeritò distinxisse, quòd animantibus aliis hac in parte desit, hominibus verò tantùm insit justitiæ virtus. Sepeliunt enim se se invicem etiam animantes cæteræ, Formicæ, Elephantes, Delphini, Apes (ut indicavimus supra) & aliæ, quarum nos humanitas erga defunctas latet.

Quamobrem, ut hinc ad alia, quæ proposui, gradum faciam, Defunctis injuriam; quin & contumeliam ingentem infert, quisquis illos abjicit insepultos. Disertissimè Tertullianus Libro de Anima Cap. L. *Titulus injuriæ, cessatio est sepulturæ*. Inde est, quòd consultò illorum tantummodo cadavera projecta lego, quos insigniter contemptos alii voluere, nempe Cæsorum in bello ob insultationem militarem; Tyrannorum domi, forìsque ob odium, Damnatorum ob pœnam; Improborum ob indignitatem palmaris alicujus sceleris non ferendam, Perduellionum potissimùm, & Proditorum, quos tellus ipsa recipere reformidat.

Militarem hanc insultationem esse in hostes militiæ cæsos, observavit ante nos eruditissimus Cerdius ad illa X. Æneid. *Istic nunc metuende jace*, ex illis Plutarchi Lib. de Deo Socr. Θεόπομπος δὲ παραστὰς ἐκ δεξιῶν, καὶ τῷ ξίφει παιάσας αὐτὸν, ἐνταῦθα, ἔφη, κεῖσο: *Theopompus à dextra adstans, & gladio feriens, istbic, inquit, jace*. Sed quid tandem *jace?* idest esto insepultus, quod jam explicui Lib. IX. Hæc Cerdius de hac hostili insultatione impia militari.

Tyrannos fatum idem passos ex Græcis indicat, Tyrannorum omnium primus Alexander Pheræus à propria primùm uxore Thebe sublatus, ut nuper laudatus Plutarchus narrat in Pelopida ad extremum; mox ingenti cum contumelia projectus à Pheræis, & conculcatus, digno facinoribus suis exitu adinvento. Quæ contumelia etiam in ipsos Tyrannorum liberos fuit exercita, ut apparet facilè ex Strabone Lib. VI. apud quem Locri ossa filiarum Dionysii Tyranni non sinunt legi: imò πάμπρόνωσαν: *dissiparunt in mare*, idque contumeliæ loco. Verùm enim verò Romæ quoque Tyrannorum monstra obtruncata, & unco per Urbem in Gemonias, Tyberimque pertracta cum ex supra memorato Plutarcho, Valerio Maximo, & aliis veteris historiæ Scriptoribus observo, tum ex Svetonio in Domitiano Cap. ultimo, quo tradit, *occiso Domitiano Senatum adeò lætatum, ut repleta Curia non temperaret; quin mortuum contumeliosissimo, atque acerbissimo acclamationum genere laceraret, scalas etiam inferri, clypeosque, & imagines ejus coram distrahi, & ibidem solo affligi juberet*. Apud Lampridium etiam in Commodo has habes acclamationes alias incommodas auditas post Commodum interfectum: *Carnifex unco trabatur; Carnifex Senatus, more majorum unco trabatur: sævior Domitiano, impurior Nerone: sic fecit, sic patiatur, &c. Rogamus, parricidæ cadaver unco trabatur: Gladiatoris cadaver unco trabatur: Gladiatoris cadaver in spoliario ponatur. Præroga, præroga, omnes censemus unco trabendum, &c.* Memoriæ quoque prodidit Herodianus Lib. VIII. Maximinum Imper. cum filio à Romanis militibus apud Aquilejam interemptum, ac deinde ad ludibrium projecta cadavera eorumdem, canibus & volucribus cessisse in prædam. Ad eundem modum in Antoninum Caracallam Imp. militum furore Romæ oppressum, sævitum est. Nam cùm ejus cadaver tumultuanti plebi traditum fuisset, tandem in Tyberim per cloacas projectum cum Herodiano memorat Julius Victor.

Fuit & ex Romanorum more, capite damnatos unco trahendos ad Gemonias, & inde in profluentem Tyberim projiciendos dare, ut addocet Dio Lib. LVIII. Svetonius in Tiberio Cap. LIV. LXI. & LXXV. Tacitus Lib. V. Annal. ubi de Sejano. Juvenalis de eodem Sat.

Digitized by Google

Sat. X. Plinius Lib. VIII. Cap. XL. de extremo Tiri Sabini Equitis Rom. supplicio. Val. Maximus Lib. VI. Cap. III. de M. Clodio, quem Senatus Corsis, quia turpem cum his pacem fecerat, deditum, & ab hostibus non acceptum in publica custodia necari jussit: corpus contumelia carceris, & detestanda Gemoniarum scalarum nota fœdavit: & Cap. XI. ejusdem Libri de Q. Servilio Cæpione, cujus corpus funesti carnificis manibus laceratum in scalis Gemoniis jacens, magno cum horrore totius fori Romani conspectum est: Plutarchus in Gracchis, ubi loci narrat, Gracchorum, itemque Fulvii, & sociorum ad tria millia cæsorum in tumultu Romano corpora, bonis etiam publicatis, lugeri vetita, & in fluvium pertracta; aliique sexcenti de reis aliis ob sceleris alicujus ingentis culpam, aut canibus ad discerpendum, aut volucribus ad dilaniandum objectis. Legibus enim Romanis sancitum erat, ut, si quispiam hoc, vel illud facinoris designasset, sepultura arceretur. Nec mirum id supplicii locum habuisse inter Romanas leges, cùm Jeremias Cap. XX. Joachim Regem Juda propter ingentia scelera, quæ patrarat, optimi patris pessimus filius, extra portas, & mœnia Hierosolymorum projectum tradat, raro quidem, sed pleno horroris exemplo.

Ut ut sit, cum probè improbi omnes hac ignominia affecti sunt, tum signatè hostes publici, aut qui hostium loco essent; perduellionis, inquam, conjurationis in Rempublicam, ac proditionis rei, Ulpiano teste L. Liberorum II. §. non solent. D. de iis, qui not. infa. juncta. L. Minimè majores XXXV. D. de Religios. & sump. fun. Idcirco Athenis proditionis damnatorum corpora nefas erat in Attica sepelire, cujus instituti testimonia, & exempla cum apud alios, tum apud Xenophontem habes ad finem Lib. I. Ἑλληνικῶν. *De Græcanicis* ore Euryptolemi de Pericle differentis; Lycurgum Oratorem vetustum in Oratione κατὰ Λεωκράτους, *contra Leoncratem* de Phrynichi proditionis post mortem, & sepulturam damnati ossibus erutis, & extra Atticam amandatis; Plutarchum denique in Phocione ad finem, ubi post haustam ab eo cicutam in carcere, visum ait inimicis fuisse dare insuper operam, ut de corpore illius, veluti perduellis, atque hostis publici, extra fines adsportando decretum fieret; nec porrò esset ex Athenienſibus quisquam, qui ad suprema ignem accenderet; adeò ut ex amicis nemo id contigere sit ausus. Pertinent huc etiam, illa, quæ de Hyperide, atque Antiphonte Athenienſibus Oratoribus illustribus ob idem crimen insepultis, & ossibus eorumdem juxta leges projectis ex Atticæ, atque Macedoniæ finibus, perpetua ipsorum, & posterorum memoriæ inusta infamiæ nota, idem Plutarchus tradit in Vitis Rhetorum decem. Et prodidit hujus apud illos supplicii finem Dio Chrysostomus in Oratione, quæ Ῥοδιακός, *Rhodiaca* inscribitur, ideo docens apud Athenienses proditoris corpori humum nequaquam injici, *ut ne quod scelerati, ac nefarii hominis indicium posteritati relinquatur*, κατάπερ οἶμαι τὸ μὴ θάπτεσθαι τοὺς προδότας, ὅπως μηδὲν ἢ σημεῖον ἀταφθῆς ἀνδρὸς πονηροῦ.

Sed à Græcis ad Romanos migro moris ejusdem acerrimos sectatores. Auctor enim est Val. Maximus Lib. IV. Cap. VII. Tiberium Gracchum hostem judicatum, ultimo supplicio affectum, sepulturæ honore spoliatum fuisse: Et apud Svetonium in Vespasiano legere est Cap. II. ad finem, Vespasianum Prætorem infensum Senatui, ne quo non genere demereretur Cajum Principem, & ludos extraordinarios pro Germanica ejus victoria depoposcisse, & pœnæ Conjuratorum addendum censuisse, ut insepulti projicerentur. Quod additum, imò & in aliis eidem culpæ affinibus servatum, præterquam in Lentulo, & aliis Catilinariæ conjurationis sociis, auctore Cicerone in carcere necatis; sed ad sepulturam datis, ideo fortasse, quia de indemnatis, deque inauditis, licèt sontibus, extra ordinem sumptum supplicium fuisset, quod ipsi Ciceroni postea crimini datum, ut in exilium pelleretur agente Clodio: Et in Coriolano, quem serò, & post sceleris pœnitentiam pium, privata pietas a publico Patriæ parricidio revocavit, Matronæque (ut in eo Plutarchus habet) tanto tempore luxerunt, quanto Valerium Publicolam, & Junium Brutum fortissimos cives, quod alterum in tanta antiquitate humanitatis exemplum est habitum in iis viris, qui & minimè lugendos perpetuò sanxerant eos, qui ad Patriam delendam, parentes, aut liberos interficiendos venissent: & Manes illorum sollicitare, gravem & onerosam terram iisdem optare solerent: graveque Numen ultimum imprecari, ne mortuis sedem ullam, nisi inter impios daret: imagines ad hæc eorundem frangere, domos solo æquare, titulos eradere, omnem ubique terrarum, ac gentium memoriam abolere, ex Plinii fide Lib. XXI. Cap. LXIII.

Ea re credo hujus ignominiæ expertes mortuos, hoc est ritè compositos, & humatos, felices ab Ethnicis Vatibus appellatos, Horatio in primis Sat. IX. Lib. I.

------ *Haud mihi quisquam:*
Omnes composui felices, &c.

Et Ovidio Lib. IV. Trist. Eleg. ultima.

Felices ambo, tempestivèque sepulti.

Nihil enim homini vita functo gravius accidere credebant posse, quàm ut inhumatus jaceret feris, & alitibus præda. Idcirco unum id, tanquam gravissimam, & ignominiosissimam pœnam, Achilles minitatur Hectori apud Daretem; nec aliud contemptor ille Divum Mezentius, cùm mortem non deprecaretur, expetiit ab Æneâ, quam ut corpus suum humo tegi permitteret:

Unum hoc, per, si qua est victis venia hostibus, oro
Corpus humo patiare tegi,

Apud Mantuanum vatem. Et ob id jure ad Cajum Gracchum uxor Licinia de projecto fratris cadavere conqueritur, ore Plutarchi in Gracchis. Sic Creon apud Sophoclem in Antigona fatiare cogitat iras suas contra Polynicem, jubendo ejus corpus esse ἄταφτον, *insepultum*: Sic maritum hac affectum contumelia dolet apud Homerum Andromacha II. XXII. Sic graviter, idem permetuens Ariadna, apud Ovidium in illis mœret,

Ossa superstabunt volucres inhumata marinæ:

Nec carent conquestione illa Lucani Lib. IV.

---- *Lybicas en nobile corpus*
Pascit aves, nullo contectus Curio busto.

Sed hoc de genere contumeliæ satis, ne Lectorem pluribus oneremus.

Superest, ut ostendamus gravissimam impietatis noxam incurrere cadaverum contemptores. Quid ita? Quia, quod humanitati tribuunt Sapientes omnes, id ista tetricitate, (ut hoc mihi verbi de suo accommodet Panegyricus ad Pisones, sive illius auctor est Annæus Lucanus, sive quis alius) contemnitur, violatur. Neque est, quòd istam quis humanitatem angustis adeò finibus circumscriptam putet, ut erga propinquos tantùm eam sibi colendam existimet. Nam ejus Virtutis splendor longè tum clariùs elucescit, cùm in mortuo vel hoste, vel ignoto, probatur. Appositè Lactantius cujus lacteam dicendi vim cum ipso nutricis lacte deberet imbibere quisquis sibi militandum proponit in Eloquentiæ castris, Libro VI. Cap. XII. jam ante hujus in Notæ limine laudato. *In quo verò magis Justitiæ consistit ratio, quàm in eo, ut, quod præstamus nostris per affectum, præstemus aliis per humanitatem.* Nimirum ex his Lactantii verbis non tam liquet humanitatem in aliis à nostris, quales sunt hostes, vel ignoti, nobis exercendam esse; sed in iis maximè, ut per hoc Humanitas differat ab Affectu, qui propinquos potissimùm spectat, sicuti eadem ab Amore distinguitur apud Justinum Lib. II. his verbis. *Ejusque mortem illacrymatum Alexandrum benignè prosecutum: idque non amoris; sed humanitatis caussa fecisse.* Sed audiamus Auctores alios Lactantio suffragantes, neque enim illorum inopia laboramus. Valerius namque Maximus nec appositè, nec apertè minus Lib. V. Cap. I. ubi de Aemilii Pauli quæsito corpore, de Tib. Graccho, & M. Marcello Romanorum Ducibus devictis, & sepultis ab hoste Hannibale loquitur. *Ergo humanitatis* (ait) *dulcedo etiam in efferata Barbarorum ingenia penetrat.* Et statim. *Aliquantò ei plus gloriæ Paullus, & Gracchus, & Marcellus sepulti, quàm oppressi attulerunt: Siquidem illos Punico astu decepit, Romana mansuetudine bonera-*

noravit. Accedit Val. Maximo Seneca Lib. V. de Benef. Cap. XX. *Patrem alicujus in solitudine exanimem inveni, corpus ejus sepelivi, &c. præstiti patri ejus quod ipse præstare voluisset, nec non & debuisset: hoc tamen ita beneficium est, si non misericordiæ, & humanitati dedi, ut quodlibet cadaver absconderem; sed si corpus agnovi, si filio tunc hoc præstare me cogitavi: At si terram ignoto mortuo injeci, nullum in hoc habeo hujus officii debitorem in publicum humanus*. Senecæ adstipulatur ejus æqualis Petronius Arbiter in Satyrico, ubi, *Vel si voluerit* (inquit) *misericors ad idem litus expellere, aut præteriens aliquis tralatitia humanitate lapidabit: aut, quod ultimum est, iratis etiam fluctibus imprudens arena componet*. Et Quintilianus Declam. VI. *Corporis projecti* cùm ait. *Cadaver ab incursu avium, ferarumque tantùm miserantium corona custodit. Convenerunt etiam alieni plorantes: totus in spectaculum populus effusus est: & ignoto quoq; corpori publica humanitas, quasi quasdam fecit exequias*. Et paullò post. *Non sepelies? Vide, quæso, ne dum litigas, arenam fluctus aggeret, injiciat humum misericors populus*. Et postea. *Nobis verò* (rerum scilicet Natura) *adversùs exanimes genuit non solùm miserationem, quæ cogitationi nostræ subit; sed etiam religionem. Inde ignotis quoque corporibus transeuntium viatorum collatitia sepultura, inde injecta ab alienis humus*. Nec abludit Ennodius Declam. X. *Communis est universis defunctorum reverentia, & circa religionem sorte ultima conditorum dignam posuit humanitas universa culturam*.

Itaque, quotquot ex hominum ingenti numero haberi voluerunt humani, humanitatem istam præcipuè coluerunt. Et primi quidem ab ejus insigni cultu omnium linguis, & literis celebrati Hebræorum Patres, quos lege cavisse accepimus ex Cælii Rhodigini Lib. XVII. Antiqq. Lect. Cap. XIX. ut ne hostem quidem relinquerent insepultum. Apud Athenienses etiam lex fuit Aeliano teste Lib. V. Var. Hist. ut viator, si fortè in aliquod cadaver incideret, illud sepeliret; & ab iis Medos honore tumuli decoratos signatè Pausanias in Atticis tradit. Ex Imperatoribus Græcis, cùm alios multos, tum Philippum Macedonum Imperatorem, re vera Magnum; & Magni cognomento Principis Alexandri patrem, ab hac ipsa virtute egregiè commendatum lego, qui, ut nominis sui memoriam ab ipso interitu, & tumulo vindicaret, Athenienses, quos ad Cheronæam ceperat, dimisit, & peremptorum sepulturam humanissimè curavit, ossibus Antipatro commendatis ex Polybii fide. Dignum hic se tali Patre filium, & æquè magnum prodidit Alexander, quum, superato Dario, post sepultos cum cura milites, quorum corpora potuit invenisse, Persarum nobilissimis honorem eundem habere voluit, mortemque Darii lachrymis prosecutus, dempta sibi clamyde, corpus illius contexit, ac regio ornatum cultu ad matrem Majorum suorum tumulo inferendum misit, eidemque permisit, ut patrio more, quæ vellet reliquorum in acie cæsorum corpora, sepeliret. Hæc istis ferè verbis Curtius rerum ab Alexandro gestarum luculentissimus Scriptor Lib. III. Quibus addas licet, quòd in ejusdem Imperatoris laudem ab hac ipsa pietate adversùs lucis hujus usura defunctos testatum reliquit Zonaras Lib. I. Ann. eum, cùm fortè fortuna Cyri Persarum quondam Regis potentissimi mausoleum effossum, violatumque conspexisset, adeò fuisse commotum, ut in effossorem, licèt genere claro natum, sibi graviter animadvertendum duxerit sinè mora. At non Patri Philippo tantùm, vel eo digno filio Alexandro laudi datum, quòd tantam rationem, & curam habuerint hostium humandorum; sed aliis præterea multis. Locum enim illis proximum tenuit Achilles, Heroum æquissimus Philostrati in Heroicis calculo judicatus, ut qui Priami Trojanorum Regis.

---------- jura, fidemque
Supplicis erubuit: corpusque exangue sepulcbro
Reddidit Hectoreum.

Parem sibi famam emit pari facto Demetrii pater Antigonus, qui ut hujus virtutis face suis, & posteris præluceret, Eumenem mortuum propinquis ejus (ut ait Cor. Nepos in eo, & Diodorus Siculus Lib. XIX.) amicis (ut Plutarchus scribit) sepeliendum tradidit, à quibus militari, honestoque funere, comitante toto exercitu, humatus est, ossibus ejusdem in Cappadociam ad matrem, uxorem, & liberos deportatis. Et meritò id honoris Eumenes ex hostibus reportavit. Nam is pari virtute clarus, non ante multò Craterum in acie semivivum elatum recreare studuerat, cùmque id præstare minimè potuisset, pro hominis dignitate, & amicitia pristina amplo illum funere extulit, ossaque in Macedoniam ad uxorem ejus, & liberos studiosè remisit. Antigoni porrò patris vestigia probè pressit Demetrius filius, cùm victoriam, quam insignem retulerat ex Ptolomæo apud Salamina prœlio navali fuso, clementia magis, quàm sævitia decorare voluit, hostibus, qui ceciderant, magnificè tumulatis, uti me Plutarchus in eo sinè fuco docet. Enituit & in Antigono altero, Demetrii modò laudati filio, patris humanitas, & fortassè jubare clariore. Nam cùm ad illius pedes Alcyoneus filius Pyrrhi hostis caput à Zopyro milite abscissum abjecisset (ita referente toties laudato Plutarcho in Pyrrho) filium nefarium, & barbarum vocans, incusso procul à se baculo removit pater, mox illachrymatus, clamyde oculis admota, truncum Pyrrhi corpus cum capite ipso exornatum cremari jussit, tanta sibi ex hoc facto laude comparata, quantam ex diverso sibi dedecoris notam inussit alter ille Antigonus, qui Alcetæ hostis cadaver per triduum cæsum jacere demum insepultum voluit, sicuti, Lib. XVIII. Bibliothecæ prodidit Diodorus. Prudenter ob id Tiresias apud Sophoclem *Antigona*, Creontem Regem hortatur, caput humari ut sinat Polynicis occisi; nec vanè Poetarum Italicorum olor Torquatus Tassus Libro Hierosolymæ liberatæ XIX. Tancredum finxit Argantis ab se interfecti cadaver credere sepulturæ. Atque huc pertinet, quòd Vibulenus quidam gregarius miles ad Blæsum castris Pannonicis præfectum sub Tiberio, conquestus de fratre per ipsius gladiatores jugulato, *Responde* (inquit apud Tacitum Lib. I. Ann.) *Blæse, ubi cadaver abjeceris? ne hostes quidem invident sepulturam*. Par enim est una cum occisis hostibus odia simul occidere, si justum præcipuè bellum, aut rebus repetitis gestum, aut denuntiatum ante fuerit, vel indictum. Quare non ægrè, opinor, ferent Græci sibi laudis hujus socium adjungi Trojanum Hectorem, quem civis ipsorum magnus, & Vates Iliad. ♀. ante quam cum Ajace consereret manus, id ait egisse primùm, si fortè Ajax occumberet, ut sepeliretur.

Sed tales fuere suis quoque in hostibus Romanorum Duces, ne non undique stabiliamus hæc nostra. Pompejus enim Mithridatis cadaver ad se missum non humandum modò; sed regiis Synopensium sepulcris, suis etiam sumptibus, inferendum jussit, ut Appianus habet: M. Antonius Brutum perhonorificè sepeliendum Liberto suo tradidit, quoque cremaretur honoratiùs, suum ei paludamentum injiciendum dedit, Valer. Maximo teste Lib. V. jacentem Brutum jam non hostem, sed deposito odio civem existimans; justisque peractis cineres, ac reliquias Serviliæ matri transmisit, ut Appianus Lib. IV. tradit. Julius Cæsar, juvenis adhuc, post Argentoratensem pugnam ex Ammiano Lib. XVII. sollicitus, ne diræ volucres consumerent corpora peremptorum, sinè discretione, hoc est, æquè suos, ac hostes (sic enim hoc, *sinè discretione*, interpretor) humo reddidit: & adulta ætate, conspecto Pompei capite, oblitus hostis, soceri vultum induit, ac lachrimis affatim perfusum, conspersumque sepulturæ mandavit. Ita Germanicus, raræ, & nobilissimæ modestiæ juvenis, post sextum jam annum Varianæ cladis, trium Romanarum Legionum ossa cum exercitu, ad ea humo egesta, contexit, *nullo noscente* (verba sunt Taciti I. Ann.) *alienas reliquias, an suorum humo tegeret. Omnes* enim, *ut conjunctos, ut consanguineos, aucta in hostem ira, mœsti simul & infensi condebant*: Utque militem redderet alacriorem, *primum extruendo tumulo cespitem Cæsar* ipse *posuit gratissimo munere in defunctos, & præsentibus doloris socius*. L. Cornelius Cos. Olbia capta primo

primo bello Punico, pro qua fortissimè dimicans Hanno Dux Carthaginensium occiderat, corpus ejus è tabernaculo suo amplo funere extulit, nec dubitavit hostis exequias ipse celebrare, uti Silius Lib. VI. & Val. Maximus Lib. V. Cap. I. posterorum memoriæ tradiderunt: qua humanitate usum etiam fuisse annis post multis Antonium in hostis Archelai corpore regium ad morem funerando, Plutarchus in eo sub initium narrat.

Jungerem libenter istis (si Romanus fastus pateretur) Hannibalem Pœnorum Ducem, nulli sua ætate secundum, quem Tib. Graccho, M. Marcello, Paullo Æmilio Impp. Romanis primo bello Punico interemptis honorem tumuli decorè admodum detulisse constat, ac ne illo careret C. Flaminii Ducis, & Cos. nobili illa ad Thrasymenum lacum pugna superati, & obtruncati corpus, jussisse illud summa cura conquiri caussa funeris, & non invento graviter doluisse. Jungerem & Hannibali Hasdrubalem fratrem, à quo Tribunos Romanos in pugna cæsos honore simili decoratos Appianus asseruit, nisi me recentia magis, quam vetera delectarent. Nullus enim Ducum humanitatis hujus specimen clarius nostra, Patrumque nostrorum memoria dedit Consalvo, qui cùm eam, & in hoste Odetto Fuccio Lautreco Gallicarum copiarum Duce, & in Petro Navarro Cantabro non hoste, sed transfuga prodidisset, ejus pietatis officium tumulis, quos utrique splendidos excitavit, in scriptum voluit ad præstantissimi facinoris memoriam sempiternam, & primi quidem tumulo his verbis:

Odetto Fuccio Lautreco Consalvus Ferdinandus Ludovici filius, Magni Consalvi nepos, cùm ejus ossa, quamvis hostis, in avito sacello, ut belli fortuna tulerat, sinè honore jacere conspexisset, humanarum miseriarum memor, Gallo Duci Hispanus Princeps posuit. Alterius istis. *Ossibus, & memoriæ Petri Navarri Cantabri, in expugnandis urbibus solerti arte clarissimi, Consalvus Ferdinandus, Consalvi Magni nepos, Suessæ Princeps, Ducem Gallorum partes secutum, pro sepulchri munere honestavit; cùm hoc habeat in se præclari virtus, ut vel in hoste sit laudabilis.* Sed dignus omnino est, qui huic parti coronidem imponat, Rom. Pontifex Sixtus, hujus nominis Tertius, quòd ille nullum in hoc genere virtutis parem, ne dum superiorem, habuisse videatur, non modò apud Ethnicos; imò nec (opinor) apud Christianæ religionis mysteriis initiatos. Bassum enim is, Virum sibi infensissimum, injuriarum oblitus omnium, cùm persequentibus eum ultricibus diris fato concessisset, linteaminibus accuratè involutum, ac aromatibus liberaliter conspersum, ubi priùs lavisset, contrectassetque propriis manibus sepelivit, tracto in sui amorem, & admirationem non solùm Imperatore Valentiniano; sed & Italia universa clarissimo isto pietatis erga defunctum; imò & mansuetudinis erga hostem eximio monumento, ut habemus memoriæ proditum in Decret. II. Quæst. IV. Cap. *Sixtus*, & apud Platinam in ejus Pontificis vita. Ecquis enim alius, non dico eorum, qui aliquo loco censeri volunt; sed qui se tantùm non terræ filios putant, id muneris obiisse legitur, ut horridum jam indignissimi, & pertinacissimi inimici cadaver propriis manibus lavaret, perungeret, sepeliret, ac tandem justa illi perageret inserviendo; & accuratissimo obsequio, nullo usus administro, succurreret ad sepulturam? Norat ille planè Deo, cujus vices obibat in terris, quam hominibus propior, divinum potiùs, quam humanum opus esse condendorum hostilium cadaverum curam. Quod nos Ethnici ut docerent, tradidere Herculem Heroem magnum hujus erga hostes humanitatis exercendæ auctorem præcipuum extitisse, Plutarcho teste in Theseo, & Æliano Lib. XII. Var. Hist. Cap. XXVII. cùm antea illorum corpora insepulta relinqui, ludusque, ac præda dilacerationi Canum, ut habet Homerus Iliad. ψ, exponi solerent: & eam ipsam ob caussam Heroem eundem in Deorum numerum retulere. Quin, ut apertiùs hac cura Deos etiam ipsos tangi pateret, idem ille Vatum pater, & decori maximus observator Homerus Iliad. 24. cecinit, Thetidem una ex parte ad Achillem filium missam imperio Jovis cum mandatis, ut in defunctum Hectorem sævire desineret, fata hominum in hoste exanimi vereretur ejus ad sepulturam corpore restituto, tandemque nosceret ob hanc sævitiam sibi cum Jove reliquum omnem Deorum cœtum infensum esse: ex altera verò Iridem Jovis ejusdem jussu Priamum adhortatam, ut auro filium rependere ne tardaret.

Quis hæc animo secum reputans (ut in hostibus Henrici Plundeli, patris Henrici VII. Cæsaris, desinam, à quibus initium hujus Notæ duxi) non illos ab humana natura degenerasse penitus asseveret, cùm tanti Herois corpus, vulneribus inhumanè confossum, influentem proximum novo superaddito inhumanitati cumulo projecere? Videt id sinè dubio, quiquis videt, & ignorat mecum, quonam illi stylo confodi debeant, cùm nihil hac immanitate immanius fingi, vel excogitari possit. Quid enim? Eosne dicamus imitatos naturam Canum, qui, si saxis petantur, eo qui jecit omisso, omnem iræ suæ rabiem in mutos lapides effundunt? Leve hoc ad impietatem tantam. Comparemus Vulturibus, aut Corvis, quorum est oblectari, pascique cadaverum laniena? Nulla tanta feritas feris istis volucribus inest, quæ non ea feritate vincatur, qua mortales æqualium suorum exuviis, innoxiis, non sentientibus, vita cassis, & viribus insultant. Quid quòd aliæ generosiores, & altioris, ut ita dicam, spiritus Feræ minus feræ sunt, nec Leones tantùm, à quibus fama est mortuum non attingi,

Cùm Lupus, & turpes instent morientibus Ursi,
Et quæcumque minor nobilitate fera est;

sed etiam Accipitres, & Delphines? Accipiter enim, si cadaver hominis insepultum aspexerit, ut est ab Æliano traditum Lib. II. de Animal. Cap. XLII. omni illi ex parte terram injicit, quamvis non hoc ipsi faciendum, sicut Atheniensibus, præceperit Solon: Delphinum verò vim magnam ad Cærani funus celebrandum olim convenisse, & ad littus, ubi cadaver pio propinquorum officio cremabatur, expectasse, donec ipsa funeris justa consumarentur, auctor est Plutarchus in fine Opusculi. *Utra animalia plus habeant rationis.* Hinc ille aculeus medullæ ipsius ambrosiæ Ambrosii in homines omni prorsus exutos humandorum hominum humanitate, & feris ipsis efferis efferatiores, Opusculo de Tobia. *Feræ hanc humanitatem defunctis corporibus detulisse produntur; homines denegabunt?*

Nullum ego planè hominum genus graviùs unquam Scriptorum calamo vapulasse, vel majorem usquam reprehensionis mercedem tulisse censeo apud Nationes omnes, Lysandrum scilicet execratur Pausanias in Beoticis, quòd à se captum Philoclem Athenienſium Ducem cum quatuor millibus militum non modò cædi jusserit; verùm etiam passus non fuerit inhumari, quamvis id illi adversùs Medos apud Marathonem, Lacedæmonii etiam ipsi apud Thermopylas præstitissent. Exagitatur itidem à Polybio Lib. V. Antiochus, quòd, cum Molo devictus se se illi permisisset, cadaver ipsius in excelso Mediæ loco suspendi jusserit, non absimili feritate ab ea, qua sævitum in Saulem à Philistæis accepimus I. Regum, Cap. XXXI. cùm illius corpus, priùs avulso capite, suspenderunt à muro civitatis Bethsan, alitibus nimirum carnivoris corrodendum. Notatur & à Diodoro Siculo Lib. XV. Chabrias Athenienſis, quòd Lacedæmonios superatos, & in fugam datos persequi noluerit, ne captos cæsosque dare tumulo cogeretur: nec leviter reprehenduntur ab Eustathio vetusti Galli, vel cum belluino ritu vitam sinè ullo religionis cujusquam, nedum Christianæ mitissimæ, sensu agitabant, quòd captivos mactatos relinquerent insepultos. Carpitur & ab Homero Achilles Iliad. X. quòd in Hectora ferinum in morem sævierit, antequam illius corpus Priamo patri concederet ad sepulchrum admonitu Jovis. Male quoque audiit Rex Assyriorum Sennacherib, & ob id maximè, quòd vetaret Israelitarum corpora terræ infundere, ac sepelire. Divi Ambrosii mens est Epistola XXXVII. perinde esse privare hominem vita, ac tumulo non locare post vitam. Sic enim ille æquè graviter, ac animosè cum Maximo tyranno, dum gratiosissimi Gratiani corpus ad sepulturam poscit, quod ejus ille fratri Va-

len-

lentiniano negaverat, inficiatus jussu illum suo cæsum. *Quomodo non mandasti occidi, dum probibes sepeliri? Poterit credi, quòd ei non invideris vitam, cui invides sepulturam?* Suggillavit etiam Seneca Lib. V. de Beneficiis Cap. XVI. Romanos Duces (non enim Græcorum solùm, vel aliorum hæc impietas fuit) quòd diu debitas inferias Gallicis bustis non persolvissent: & sub eorundem cœlo Superbi cognomen Tarquinio fuit, quòd socerum gener sepultura prohibuisset, Romulum quoque periisse dictitans insepultum. Sic apud Sophoclem eloquentiæ fulmine percellitur Agamemnon, quòd Ajacis cadaver marinis alitibus exponendum decreverit; nec alia ratione sua de sententia dimovetur, quàm, quòd virum strenuum post funera lædere sit omnino nefas. Sic Statius Creontis Thebanorum Regis impietatem, qua vetuerat eos, qui Thebas oppugnatum venerant, Græcos sepelire; sed avibus potiùs, ferisque carnivoris relinqui in agris suburbanis dilaniandos, notavit in illis Lib. II. Theb.

------jubet igne remoto
Arceri Danaos, nudoque sub axe relinqui, &c.

Cujus atrocitate præcepti commota Evadne viri perstrenui Capanæi, qui ante Thebas occubuerat, & insepultus jacebat, uxor, cùm apud Theseum questa esset, Theseus pari indignitate permotus Creonti bellum indixit, victorque copiis, & armis exutum neci dedit. ta periit, & honore sepulchri illachrymatus caruit prodigiosæ crudelitatis Tyrannus Creon, qui, nihil ut sibi ad impietatem deesset, speciosissimam ante virginem Antigonem, Polynicis sororem, ad mortem adegerat, propterea quòd fratrem suum in acie cæsum sepelire conata esset; mox & Argeam Polynicis ejusdem conjugem, dum cogitaret de inhumando mariti cadavere, jugularat. Par est enim, ut qui alios abjecerint insepultos, ipsi veluti talione mulctati jaceant insepulti: Jureque Nabuchodonozoris cadaver unco injecto è sepulchro extractum ab Evilmerodach filio, & avibus objectum est, quemadmodum illi aliquando eventurum præsago spiritu prædixerat Deo plenus Esaias Cap. IV. *Tu projectus es, quasi stirps inutilis de sepulchro tuo*, quòd omnes à se per fas, nefasve trucidatos sepulchro privasset, ut ait D. Hieronymus, Commentario in Prophetam illum. Nec injuria Menelaus, cùm in exilio defunctus esset, ne peregrina quidem sepultura cohonestatus est, quòd viros optimos, deque Judæorum Rep. optimè meritos canibus devorandos, abjici mandasset, ut habet secundus Machabæorum Liber Cap. V. ex quo id ipsum, ob eandem impietatem, Jasoni contigisse liquet. Hinc apud Nicephorum Lib. X. Cap. XIII. de Juliano Imperatore leges, quòd cùm Elisæi Prophetæ, & Joannis Baptistæ ossa in Cæsarea Palestinæ loculis suis se auctore extracta fuissent, & ejusdem imperio irrationalium animantium ossibus immista igni tradita, ut, redacta in cinerem, aerem in proximum dispergerentur, talem illum vitæ exitum sortitum esse, ut in prœlio cæsus, terra, quam Divorum corporibus denegarat, ipse pariter sit exclusus. Ait enim eodem Libro Nicephorus Cap. XXXVII. ne sepulchrum quidem in Tharso Ciliciæ paratum, eum recipere voluisse. Nam terra, quæ ejus caussa perfossa, & commota fuit, pro viribus tam scelesto, & sacrilego obluctata, impium cadaver excussit.

Sed ego fortasse facio imprudenter impietatis hujus invisæ semper omnibus visæ exempla plura congerens, & producens in tanta rei clarissimæ luce. Satis jam illorum, satis & verborum fiet. Satis enim muneris ego mei partibus fecisse videor, habentque satis, ut arbitror, rationum mortales omnes, quibus possint ab inferenda, vel levi, cadaveribus humanis injuria deterreri. Quòd si quem impietatis hujus nulli non improbatæ nota nequibit in humanitatis officio continere, contineat illum jactura virtutis, & famæ, quam faciunt hostium quoquomodo cadaveribus insultantes. *Illiberale enim est, planèque effœminati, ac degeneris viri* (ut est a Philosophorum, vel primo, vel primo proximo Platone divinitus scriptum Lib. V. de Rep.) *injuriis, ac contumelia afficere mortuum, hostemque arbitrari peremptii hominis cadaver, cùm ipse aliò concesserit, eo, quo in procinctu ac acie stetit, relicto corpore.* Quo sensu Trojanus Hector numquam satis pro dignitate celebratæ fortitudinis Heros, Græcis hostibus superbè sibi, postquam violentæ mortis necessitate concidit, insultantibus, ac undique vulnerati semianime corpus vellicantibus respondens, ait apud Daretem III. & Hom. XXII. Lib. *Agite nunc Græci, trahite me pro libidine vestra: sic enim sæpe imbelles, & pavidi Lepores oppressi Leonis barbam evellere audent.*

Habe Lector, & in ultro tributis numera Dissertationem istam, quam hic dare volui, tum ut stylum distringerem in homines inhumanos, tum ut specimen aliquod exhiberem ejus Operis, quod de Sepulchris, & Epitaphiis habeo jam affectum, Libitinam (ominari libet) si Deus vitam, & valetudinem dederit, vitaturum. Si cui delicatioti videbitur longior, missam is illam faciat, & ad ea, quæ subjicio necessaria magis ad hujus Historiæ lucem, invito nemine se convertat. *Osius.*

(32) Cùm Genealogici Scriptores, & Historici plerique omnes duorum tantùm Henrici VII. Cæs. fratrum, Balduini scilicet Archiepiscopi Trevirensis, & VValrami, sive Valerani meminerint, nec plures alibi Mussatus afferat, videri jure posset alicui numerus Henrici fratrum hoc loco auctus sinè fundo. Ego verò numerum hunc, etsi cum paucis, sic admitto, ut probem; imò neminem, qui Notas nostras legerit, improbaturum putem. Tandem enim aliquando reperi tertium Henrici VII. Cæsaris fratrem plerisque Scriptorum indictum, post sæpe ac sæpiùs evoluta ætatum illarum, ac temporum monumenta; & his demum in tenebris, velut ex Pharo, mihi lux affulsit è Chronicis Trevirensibus apud Magni Chronici Belgici Collectorem. Sic enim illic clarè, & disertè legas in laudem Balduini Archiepiscopi Trevirensis Henrici VII. Cæs. fratris minoris natu: *Judex strictissimus extitit. Nam fratrem proprium facto homicidio uxoris propriæ, spe melioris habendæ uxoris, cepit, & rotali supplicio affecit.* En tertius ille tandem Henrici VII. Cæsaris frater, qui cæteris non illaudatus modò; sed ignoratus penitus abiit, non ignotus Nostro? Sed ejus mihi nomen etiam innotuit Henninge duce, & auspice, simul ac illum mihi versare contigit, beneficio Senatoris Amplissimi Dominici Molini omnium nostrum, qui bonis artibus aliquam vel opellam damus, munificentissimi Mecœnatis. Cùm enim Henninges Balduino, & Valerano ftatribus Henrici VII. Augusti notis Joannem adjiciat tertium, exploratum sanè, planèque perspectum nomen illius etiam jam habemus. Cæterùm, quid sibi voluerit supra laudatus Magni Chronici Belgici Collector, cùm scripsit ad Annum MCCLXXXVIII. post narratam VVoringanam cædem: *Sciendum præterea, quòd Henricus Octavus, septimus fuit filius Comitis Lutzenburgensis in dicto bello de VVorniK interfecti*; quibus sanè verbis videtur Henrico VII. Augusto fratres sex adscribere, nisi mendum in eum locum irrepserit, quod in superioribus Notis conabar utcumque tollere, ignorare me fateor non gravatè. Itaque ejus explicandi palmam aliis concedo, non nescius acriores hujuscemodi rerum examinatores, hoc ævo præsertim lectissimorum ingeniorum ubertate feracissimo, reperiri, quo nec illorum Mecœnates desunt. *Osius.*

(33) Doctè *Major domus, ut Primogenitus* quibus enim in partibus Terrarum Orbis Primogenitorum jus viget, in iisdem Primogenitis obvenit *Majoratus*, id est, *Principatus domus*. Subest ea vis Titulo Majoris domus, eademque differt maximè à Majore. *Major* enim *domus* dignitatem, & prælationem sonat, cùm *Major* solam ad ætatem utplurimum referatur, præsertim apud Jurisprudentiæ Mystas, quibus *Major* sinè alio addito, idem est tantùm, quod *natu, vel ætate major*, proque *Primogenito* eadem planè ratione capitur a Socino, Baldo, Barbatia, Glossa ab eodem adducta, quà pro *Jure Primogenituræ Majoritatem* accepere Præpositus, Oldradus, Panormitanus, & alii, quos enumerat Joan. Lecirier Parisiensis Decretorum Doctor in tractatu de jure Primogenituræ Lib. I. Quæst. II. proque *Bonis primogenitis*, quæ nempe ea lege colligata sunt, ut neque alienari, nec dividi queant; sed integra

Digitized by Google

tegra & individua ad primævos filios pertinerent, cæteris fratribus exclusis, *Majoratum* Jacobus Simanca Civitatensis Episcopus de Primogenitis Hispaniæ Lib. I. Cap. I. quique illum Juris magistri reliqui prælvere.

Nec erat solius olim dignitatis, & prælationis nota Titulus *Majoris domus*; sed eum præterea, quem ornabat, ita supra fratres cæteros evehebat, ut illi ad patris bona, & ea maximè, quæ feuda nominantur, aperiret viam, non secus ac olim Romæ, quibus Tribunitia potestas à Principe petebatur, ii successores habebantur Imperii, cujus ergo Tiberium Augustus ejus sibi consortem potestatis assumpsit, uti nos docent illa Taciti Lib. I. Ann. *Nero solus è privignis erat: illuc omnia vergere, filius, collega Imperii, consors Tribunitiæ potestatis adsumitur.*

Isto sanè jure, quod afferebat secum *Majoratus domus*, suffectus est patri in Lucemburgico Comitatu Henricus filius natu major, & Septimus ejus postea nominis Imperator; aliique alibi jure eodem, & titulo suis Parentibus liberi successere, ubicumque gentium Primogenitis hactenus primæ, secundæ, tertiæ sunt delatæ. Quare non pauci se se nobis ad intuendum objiciunt eorum ex numero in utriusque memoriæ monumentis: sed inter cæteros Theodoretus Hollandiæ Comes apud Joannem Becanum in Balduino II. Trajectensi Episcopo XXIX. *Quorum arbitrio denique definitum est, ut Theodoretus, tamquam Major natu, quietè permaneret Comes Hollandiæ*: Et Joannes de Andanis Primogenitus Margaritæ Comitissæ Flandrensis apud eundem Becanum in Henrico ejusdem urbis Episcopo XXXVIII. *Demum per amicabiles internuntios Margarita Comitissa Flandrensis amicitiam Regis adepta est, & omnis controversiæ discordia prorsus in hunc modum terminata est, quatenus Joannes de Andanis Primogenitus ejusdem Margaretæ, sororis Regis, Comitatum Hannoniæ, & terram Alostensem in hæreditatem acciperet, & Guido, qui minor natu, Comitatum Flandriæ possideret.* Novumque mihi semper est visum, quod Haræus habet in Godefrido III. Brabantiæ Principe XXXVI. ex Affligemensi (neque enim mihi nunc ad manum is Scriptor) minorem natu, jure Primogenituræ, in feudis successisse. Sic enim apud Haræum Affligemensis in laudato loco: *Mox Godefridus VValtero, ac Gerardo ignovit, filiis VValteri Bertoldi, de quo superiùs, iisque bona paterna reddidit, ea tamen lege regioni Grimbergana imposita, ut minor natu, jure Primogenituræ, in feudis frueretur. Qua ratione VValterus Mechliniæ dominium à fratre Gerardo; is verò Grimbergam à Duce beneficium recognovit.*

Sed redeo ad Titulum *Majoris domus*, & ejus primæ fontem originis investigo, ut aperiam, undenam ille potuerit in Domum Lucemburgicorum Principum devenisse. Manavit ille non dubiè ex aula Francorum Regum, in qua natus, alitus, propagatus. Et natus ille quidem sub Imperio Clotarii; sub aliis verò deinceps Regibus alitus, propagatus. Dilucidè Venericus in Apologetico Henrici IV. *Tempore Clotarii, patris Dagoberti, Regnum Francorum regi cæptum est, & ammimistrari ab his, qui provisores Aulæ Regiæ, vel Majores domus esse videbantur.* Hinc Anonymus in Fragmento, quod extat præfixum Chronico Argentinensi ab Urstisio edito cum illustribus aliis Scriptoribus Germanicarum rerum, de Pipino, & Erchinoldo, tempore Dagoberti ad Annum DCXXXI. *Dagobertus Rex, &c. pacificus, & quietus Regnum obtinuit Francorum S. Arnulfo Metensi Episcopo, Pipino Duce, & Erchinoldo Majore domus utens consiliariis.* Quibus consentiunt Aimoinus, qui in intima Francia ad muros Lutetiæ Parisiorum vixit, & Acta Medoaldi Episcopi Trevirensis. Ille his verbis: *Dagobertus, patre defuncto, totius regimen nactus gentis, in Burgundiam ea propositi intentione proficiscitur, ut oppressis, & calumniam sustinentibus, justitiam exercendo, subveniret. Usque ad id temporis consilio Beati Arnulphi Metensis urbis Pontificis, nec non Pipini in Regno Austrasiorum Majoris domus officium gerentis usus est.* Ista in Elogio Pipini: *Clarebant tunc temporis in palatio viri strenuissimi, idemque religiosissimi, inter quos eminebat Pipinus Dux clarissimus, & Major domus sub Clotario, Dagoberto, & Sigeberto potentissimis Regibus.* Et rursus idem illud Fragmentum Anonymi de Pipino, ejusque filio Carolo ad annum DCLVI. *Angisus de Begga uxore genuit Pipinum Ducem, qui Major domus regni Francorum erat. Pipinus genuit Carolum seniorem, & Ducem, & Majorem domus Francorum.* Et iterum de Pipino, Erchinoldo, & Grimoaldo ad annum DCLXXIV. *Dagobertus Rex obiit, & filii ejus duo Regno substituuntur. Sigibertus cum Pipino Duce, & Majori domus regis Austrasiam: Clodoveus minor cum Nantbilde matre, & Erchinoldo Majore domus Franciam, & Burgundiam accepit. Sigebertus Rex Austri, Pipinio Duce defuncto, Grimoaldum filium ejusdem Majorem domus statuit.* Nec multò post de Ebroino, & Leudesio in eodem anno: *Erchinoldo igitur defuncto, Lotharius, qui tunc regnabat, Ebroinum Majorem domus constituit. Qui ob nimia scelera sua à Francis accusatus, ab Hilderico, qui fratri in regno successerat, in Luxovio Monasterio Burgundiæ recluditur, & Leudesius, quem Germani Leutbericum vocant, filius Erchinoldi, consilio Leodegarii Augustodunensis Episcopi, Major domus palatii constituitur.* Et mox de Leudesio tantùm. *Leudesius namque, tùm Major domus esset, duxerat uxorem de prosapia S. Sigisinundi Regis Burgundiæ, &c.* Et, paucis interiectis, de VVaranto, & Berechario: *Ebroinus igitur, dum Francos crudeliter opprimeret, ab Ermefrido occisus est, & VVaranto Major domus à Theodorico constituitur. Quo defuncto, Franci in diversa tendentes vacillabant, & Berechariumquendam, statura pusillum, sapientia ignobilem, consilio inutilem, Majorem domus palatii oberrantes statuerunt.* Berechario demum ab inimicis interempto, (ut in eodem Fragmento legitur) Pipinus alter Dux, Theodorico annuente, cœpit esse in principali regimine Major domus, eoque mortuo Raginfredus in Principatum Major domus à Francis eligitur: mox & Carolus Major domus palatii, deposito Raginfredo, effectus est: & post Caroli obitum Carolomannus, & Pipinus diviso regno patris Francorum Majores domus præfuerunt, donec Hilderico (*Childerico* aliis) qui tunc temporis regimen Francorum tenebat, deposito, atque in Monasterium detruso, Pipinus è Majore domus in Regem elatus est. Qua de re, præter Trithemium in fine Breviarii Vol. I. Annalium suorum de Origine Gentis, & Regum Francorum, & in Compendio de Origine, & Regibus iisdem ex Libris XII. Hunibaldi, aliosque non paucos, Petingerus in Libris de Germania disserit in hæc verba; *Consilio Zachariæ Pont. Max. Pipinus Dux Brabantinus, & Austrasiorum etiam Germanus, Majorque domus Franciæ (agebat enim in palatio Treverensi) per Proceres Franciæ Rex declaratur.*

At hoc æquè clarum, ac certum: non æquè illud, quinam propriè dicerentur, & haberentur *Majores Domus* in Aula Francorum Regum, sive quænam propriæ, statæ, ac signatæ muneris illorum partes essent in Aula, sive Regno. Glossæ Isidori: *Architriclinus, Major domus.* Alii: *Provisor Regis aulæ*, vel *Præfectus palatii.* Alii alia. Quot capita, tot sententiæ, ut non immeritò Matthias Martinius, alioqui diligens, & accuratus Scripror, nihil hac in parte definiens, de Majore domus hæc tantùm attulerit in Philologico suo Lexico ex Benedicto Levita, qui cum Ansegiso Abbate collegit Capitula, sive Leges Ecclesiasticas, & Civiles Caroli M. & Hludovici Pii, Lib. V. Cap. CVII. *Presbyteri curas seculares nullatenus exerceant, id est, ut neque Judices, neque Majores Villarum fiant. Ita Major domus est dignitas quædam. Assumpserunt & Græci* μαιόρου οἰκονόμου. *Suidas.* Hæc ille. Mihi quod occurrerit, in medium afferam, idipsum uniuscujusque arbitrio relicturus, qui rem totam diligentiùs voluerit examinare. Censeo ego, nec solus, *Majori Domus* solius Regiæ domus curam demandatam initio; sed cum imperio reliquos in Ministros domesticos summo, ita ut ab Archiœconomo non differret, qui nobis est Italis, *Maggiordomo*, unde *Majordomatus* Paullo VVarnefrido. Colligo id, tum ex supra laudatis Venerici verbis in limine præsentis Notæ

tæ ex Apologetico Henrici IV. quibus apertè prodit, *Majores domus* fuisse *aulæ Regiæ Provisores*; tum ex his, quæ sunt ab eodem Scriptore tradita libro de Unitate Ecclesiæ conservanda: *Theodoricus tertius frater, cujus Major domus, idest Provisor palatii; imò violator palatii extitit quidam Ebroinus apostata*. Est enim Venerico *Palatii Provisor*, qui *Sacra aulæ Dispositor* Corippo Lib. II.

Dispositorque novus Sacræ Baduarius aulæ,
Successor soceri, factus mox cura Palatii.

Hinc isto munere decorati vel *Majores Domus* simpliciter, atque adeò frequentiùs accuratis Scriptoribus dicti, vel *Aulæ, Domus, Palatii regii Majores*, ut sciremus illorum provinciæ fines fuisse primitus hisce ferè limitibus circumscriptos. Mitto, qui *Majores Domus* simpliciter vocant, quorum ingens est numerus; nec omnes do, qui *Domus, Aulæ, Palatii regii Majores* nominant, ne Lectorem lassem. Affecit his illos postremis titulis è Græcis Scriptoribus Sozomenus Lib. V. Eusebium τὸν μάζονα τῆς βασιλικῆς αὐλῆς, *Majorem aulæ regiæ* appellans: è Latinis Flodoardus Hist. Rhemens. Lib. II. Cap. XI. ubi de S. Rigoberto Episcopo differens, inter cæteras ejus laudes hanc recenset, quòd *hic Venerabilis Præsul Pipinum Majorem domus Regiæ traditur amicissimum habuisse*. Affecit & Gregorius Turonensis, cùm scripsit, *Herchivoldo Majore domus defuncto, Franci Ebroinum in hac dignitate, ut Major esset in Aula Regia, constituunt*. Et Paullus VVarnefridus Lib. VI. de Gestis Longobardorum Cap. XVI. *Hoc tempore apud Gallias Francorum Regibus à solita fortitudine, & scientia degenerantibus, qui Majores domus Regalis erant, administrare Regis potentiam cœperunt*. Et paullò post: *Fuitque eo tempore Major domus in Regio Palatio Arnulfus, vir, ut postmodum claruit, Deo amabilis, & miræ sanctitatis*. Sic in supra laudato Fragmento Leudesius, Berengarius, & Carolus *Majores domus Palatii* nuncupantur.

At aliis visum hos ipsos *Rectores* potiùs, vel *Præfectos*, quàm *Majores Aulæ* nominare, fortè, quòd Francis antiquis, *Mejer*, cui respondet Latinorum, *Major*, significaret Præfectum, ut Rhenanus notat, addens id in usu etiam sua tempestate fuisse Nationibus quibusdam, ceu Saxonibus, Anglis, & Scotis, qui omnes Insulares fuerunt; multoque maximam partem verborum Francicorum à Germanis profluxisse. Ut ut sit, quod Rhenanus hac de voce scribit, patet id, quod exponere cœperamus de Rectoris, & Præfecti Titulis Aulæ Majoribus datis, ex Epistola Desiderii Cadurcorum Episcopi ad Grimoaldum Majorem domus, hisce verbis inscripta: *Domino illustri totius Aulæ, imòque Regni Rectori, Grimoaldo Majori domus, Desiderius exiguus servus Dei*. Eginhartus etiam huc facit in vita Caroli Magni, cujus Cancellarius fuit: *Opes, & potentia Regni penes Palatii Præfectos, qui Majores domus dicebantur, omnino manebant: neque aliud Regi relinquebatur, quàm myrrhata, profusaque crinium cæsaries, & precarium vitæ stipendium; paucæ numerositatis obsequium, quod ei is Præfectus Aulæ, prout videbatur, exhibebat*. Quibus in Eginharti verbis dum vides, Majores domus, non modò Præfectos Aulæ; sed & Præfectos Palatii nominari, vides quid aliud, quod observes, nempe, non solam œconomiam; sed & custodiam Aulæ, sive Palatii quandoque fuisse concreditam fidei Majori domus, ut à *Comite Palatii* non differret; *Comes* enim *Præfectum* sonabat olim, nec aliter ea vox capienda apud Paullum VVarnefridum Lib. V. de Gestis Longobardorum Cap. XVI. ubi de Trasimundo, qui *Capuæ Comes* fuerat: in Notitia Imperii, ubicumque *Comes Ægypti, Comes Isauriæ, Africæ, Italiæ* occurrit; Et illa veteri Inscriptione: *Domesticorum Comes Stilico, & Stabuli sacri palatii sub Arcadio, & Honorio, Comes utriusque militiæ*. Cujus ergo Navarchum etiam Comitem appellari notavit Cujacius Lib. I. de Feudis, vel Eustathio teste ad illum Homeri locum Iliad. I.

Εἷς δέ τίς ἀρχὸς ἀνὴρ βουληφόρος ἔστω:
Unus verò vir princeps consiliarius esto.

Addo, nec à *Curopalate*, sive *Curapalatii*, quo de ipse Curopalates, vel (ut alii volunt) Georgius Codinus Libello de Offic. Constantinopolitanis, Ammianus Lib. IX. Cassiodorus Lib. VII. Epist. V. Honorius Aug. Lib. VII. C. de Comit. & Tribun. Scholar. Lib. XII. Codex Theod. Lib. VII. Tit. XIII. Paullus Diaconus Lib. XVI. in rebus Justini, Georgius Cedrenus, Jo. Zonaras Tom. II. in Justino, & Leone Isauro, aliique quamplurimi meminere. Nimirum æquè *Curopalati*, ac *Majori Domus* cura erat, & custodia Palatii demandata; & æquè uterque adhibebatur ad consilium Regis, ejus rei teste, quod attinet ad Majorem Domus, Fragmento præfixo Chronico Argentinensi in illis: *Dagobertus Rex, &c. pacificus, & quietus regnum obtinuit Francorum S. Arnulfo Metensi Episcopo, Pipino Duce, & Erchinoldo Majore domus utens consiliariis*: quod ad Curopalatem, Corippo Lib. I. de Justini laudibus:

Cùm magni regeres divina Palatia patris,
Pars extans curis, solo diademate dispar,
Ordine pro rerum vocitatus Cura palati.

Et sentiunt hac in parte mecum Doctissimi Cerdius, & Dempsterus, ille in Adversariis Sacris Cap. CXXI. Num. 70. hic in Paralipomenis ad Cap. IV. Lib. I. Rom. Antiqq. Rosini: imò & ii, quibus libuit Majorem domus, *Præfectum*, sive *Magistrum Palatii* vocitare, quorum è numero mihi se dant obvios ultro Auctor Fragmenti hac in Nota semel ac iterum laudati, Leupoldus Bebenburgius, & Godfridus Viterbiensis. Primus ad annum DCCLII. ubi de Pipino loquitur: *Pipinus autem* (qui *Major domus* antea vocitatus) *per auctoritatem Rom. Pont. ex Præfecto Palatii Rex constitutus, cùm per aliquot annos Francis solus imperasset*. Alter in Tractatu de Juribus Regni, & Imperii Rom. Cap. XII. in illis, quorum magnam partem accepit ab Eginharto: *Opes, potentia, & administratio ipsius Regni penes Præfectos ipsius Palatii erat, qui Majores domus dicebantur, & Præfecti officio idem Pipinus, velut hæreditario jure, fungebatur*. Tertius Parte XII. Chron. *Dum Magistri Palatii omnia Reip. munera obirent, &c. Pipinus Magister Palatii, qui Regis nomine magna, diuturnaque bella gesserat, &c. occupandi Regni facultatem non repudiavit*. Nec abiit ab his longè Trithemius in Compendio de Origine gentis Francorum ex Libris XII. Hunibaldi, si quidem ejus verba suis ritè ponderibus expendantur: *Lotharius jam quatuor Regnorum Monarcha factus commendavit Provincias Comitibus. Palatii namque sui Præfectum constituit Garnerium, Virum nobilem de antiqua prosapia Regum Francorum, unde Majores domus, sive Comites Palatini sunt dicti, in eodem officio postea succedentes*. Non enim ibi loci Trithemius Majores domus à Præfectis Palatii sejunxit, quòd censeret, Majores domus Præfectos Palatii non fuisse, sed quia majores etiam alii Præfecto Palatii Magistratus, Magistri nimirum Equitum, sive Militum, & Prætorii Præfecti, titulum eundem gessere Majoris domus, quo ante se Præfecti ipsi Palatii fuerant insigniti. Et falluntur etiam, qui ex iisdem Trithemii verbis colligunt, nomen Comitibus Palatinis factum à Majoribus Domus. Neque enim id ea sibi verba vendicant; sed è Præfectis Palatii ortos æquè Majores domus, ac Comites Palatinos. Observavit etiam Jurisconsultorum eruditissimus Cujacius Lib. I. de Feudis Gerardi Nigri Civis olim, & Consulis Mediolanensis, Majores domus *Palatii Comites, Præfectos, & Rectores* à Jordane, Aimoino, aliisque Scriptoribus appellari.

Agathias eos solummodo *Curatores* dictos scribit, quibus esset commissa Palatii cura Libro V. Ἀνατόλιον μόνον φθαρῆναι ξυνέβη, ἄνδρα τῆπι τῶν ὑπάτων ἀξίᾳ τετιμημένον, καὶ φρός γε τὸ φρονεῖδα τίθεσθαι, καὶ ἐπιμέλειαν τῶν βασιλέως οἰκων τε, καὶ κτημάτων ἀρχὴν ἐληχότα: Κυράτωρας δὲ τοὺς καλοῦσι ῥωμαῖοι. *Anatolium solum interfici contigit, Virum, & Consulatus dignitate honoratum, & præterea magistratum curandi domos, & bona Regis adeptum: Curatores autem hos Romani appellant*. Et in editionibus nonnullis L. VII. C. de Comit. & Tribun. Scholar. Lib. XII. pro *Cura palatii*, est *Curator*, ut in supra laudato loco servatum fuit, & proditum à Dempstero. Et is postea Λογοθέτης *Rationalis* dictus. Harmenopulus. Κυράτωρ τῶ βασιλέως, ὁ νῦν Λογοθέτης λέγεται. *Curator Imperatoris, qui nunc Ra-*

Digitized by Google

Rationalis dicitur. *Magistros* alii *Curiæ* nominarunt, & hos inter Albertus Krantius, & Hotomanus, cujus si quæ nobis de Majore domus in Franco-gallia pollicitus fuerat, haberemus, faciliori fors ista negotio literis mandaremus. Primi verba sunt Lib. IX. Daniæ Cap. I. *Gravis simultas inter Militem quendam Regi proximum, qui Magister Curiæ illius dicebatur, & alium quendam Militem. Ad quem cùm Regis suspicio in Magistrum Curiæ memoratum permanasset, &c.* Secundi ista in Commentario de Verbis Feud. in ipsamet Magistri Curiæ sede: *Magister Curiæ, qui in domo, & familia Principis, aut Nobilis secundùm Dominum primas tenet; quæ in re differt à Paribus Curiæ, qui parem, & æqualem Convassallorum dignitatem obtinent, ut suo loco diximus*. Et post allata Krantii modò laudati verba. *Idem* (Magister Curiæ) *appellatur ab aliis Major domus, quemadmodum & Pares domus dicuntur*.

Ita provincia duplex hisce Majoribus initio data, una *Domus*, altera *Palatii*, posses ut eosdem, & *Archiœconomos*, & *Curopalatas* dicere; imò *Darigmedos*, quos à Curatoribus Palatii nil distare satis superque testantur illa Theophili Simocatæ, quæ habentur Lib. III. Historiæ Mauricianæ Cap. XVIII. Ὅτου δὲ κατὰ ὀλίγον ἐξεφύσης ὡς τύχης αὐτὸν, ὡς καὶ Δαριμεδὰμ τῆς βασιλικῆς ἀναδέξαι, ἐς τί τε, ὃν δὴ Κυροπαλατὴν ῥωμαῖοι καταονομάζουσιν, ἐς μέγα ἀπονοίας ἐλήλαται, καὶ ἐπὶ τοῖς κατὰ πόρκων νίκαις μεγάλα δὲ ἀνάθημα τιθῶν τοῖς τῆς τυραννίδος ὠδίνα κυήματα. *Cùmque fortunæ favor gradatim ita hominem evexisset, ut etiam Darigmedum regiæ faceret (quem Romani Curopalatem, hoc est Palatii Curatorem, & Præfectum appellant) in magnam prolapsus est vecordiam, ac propter relatas de Turcis victorias incredibilem in modum se se amans, dominatum invasit*. Meus hic omnino sensus, provinciam scilicet Regiæ curandæ domus à cura Palatii sejunctam initio fuisse, licèt Majores domus utriusque provinciæ munere sint defuncti, & curam unam viam ad alteram muniisse, ut indicant illa Corippi non obscurè, quibus aperitur vel cœcis, Baduarium ex Dispositore aulæ Curopalatem factum:

Dispositorque novus Sacræ Baduarius aulæ,
Successor soceri, factus mox Cura palatI.

Eoque libentiùs in ea sententia sum, quòd idem sentire video Doctissimum rerum Francicarum Scriptorem Claudium Faulchetum Lib. de Origine Dignitatum, & Magistratuum Franciæ, cujus indicium debeo Bartholomæo Sovero Viro clarissimo, & amico.

Quæ cùm ita sint, qui *Majores domus* splendidioribus his, quos recensuimus hactenus, Titulis ornavere, ad ea planè tempora respexere, quibus illi majoris potestatis fastigium attigere, sub iis maximè Regibus, qui, ut soluti cura omni tum privata, tum publica, quieti dicam, an otio, se darent, sibi πολύμυστον aliquem elegere, non aliter ac Sultanos Caliphæ, cùm se secordiæ manciparunt, cujus primum apud se locum habentis, quasi summi alicujus Jovis, nutu circumvolverentur omnia; & ex primariæ quidem authoritatis viris, & sibi necessitudine quadam, & sanguinis propinquitate conjunctis, quo ex ordine lectos etiam Curopalatas; imò fratres ipsos Imperatoris, ex illis Luitprandi constat: *Mittit autem illi Curopalates, Imperatoris frater, non per suos pauperes nuntios, sed per te Epistolam*.

Narratur res eadem ab aliis in hunc modum, Vicentii Lupani verbis, Libro I. de Magistratibus, & Præfecturis Francorum Cap. IV. Magistros aulæ, sive palatii Præfectos aliquando Principes, vel Duces Franciæ, additoque nonnunquam epithero, Magnos Duces nuncupatos; sicque Martellum salutatum, habito totius Franciæ communi concilio, ut Paullus Æmilius scribit; atque ita multis post annis Hugonem Capetum vocitatum ex Annalibus excusis, & MS. Codice D. Victoris ad Urbem, eosque postea Conestabiles dictos, nomine fortassis ex Græca aula repetito, & ab Justiniano usurpato. Unde Præfectus Prætorio, quem sub Dictatoribus Magistrum Militum vocabant, labente sensim Imperio, Magister stabuli dictus sit, apud Pomponium Lætum. Hæc isti, quibus suffragari Haræus visus in Ann. Brabantinorum Ducum initio, in Pipino de Landis Duce I. ex ipsius Pipini Actis ante plura secula conscriptis: *Atque adeò verosimillimum est, omnia bella, aliaque præclara facinora à Regibus illis patrata, magna quoque parte ejus* (Pipini) *industria, utpote Majoris domus Regiæ* (*nunc Comestabilis vocatur*) *fuisse confecta*. Et Inscriptio vetus superiùs laudata: *Domesticorum Comes Stilico, & stabuli sacri palatii sub Arcadio, & Honorio, Comes utriusque Militiæ*. Alii secus, Majorem domus à Conestabili, sive Comestabili distinctum dignitate, authoritate, gratia apud Reges volunt, illumque non disciplinæ tantùm militari, sed & summæ rerum præfuisse; hunc verò initio (quod nomen ipsum indicare affirmant) regio Equili Præfectum, cui hodie Archippocomus præest, & ita Comitem appellatum apud Græcos Cæsares; atque Conestabilem, sive Comestabilem pro Comite stabuli vocitatum (Constabulum enim corruptam omnino vocem fuisse indicant Rigini illa Lib. II. *Burchardum Comitem stabuli sui, quem corruptè Constabulum appellamus, cum classe misit in Corsicam*) cæterùm Conestabulatus dignitatem, nomen, decusque ab iis accepisse, qui Majoratus domus, & Præfecturæ Aulæ munere fungerentur: Reges tandem ipsos, Præfectorum aulæ odio, atque invidia, mutato nomine, Conestabili, quem ea ratione Magistrum militum latinè vocare possis, rei militaris primas detulisse. Hæc alii, quorum pro sententia ferre suffragium queat Lex Codicis, in qua Comes stabuli sejungitur à Curopalate: *Inter quos Comites etiam Sacri stabuli, & Curopalates numerentur*. Alii aliter, ut sua cuique voluptas est.

Ego Faulchetum hìc etiam sequor, & alios asserentes liberè, Majorum domus potentiam, cùm primitus solius Aulæ regiæ limitibus teneretur inclusa, se se latè adeò Dominorum ad rem tractandam publicam ineptia, adde & inertia, diffudisse, gliscente præsertim quotidie magìs ac magìs in ipsis Majoribus domus libidine dominandi, ut Majores domus non tam Legati Regii, sive Magistri Equitum cum summo rei militaris secundùm Regem imperio creati fuerint; sed & forensibus causis Præsides dati, ea potestate, qua pollebant Præfecti Prætorio Romanorum: ac tandem pro suo arbitrio (Regis tamen nomine) munia alia omnia, quæ ad Regni totius procurationem pertinerent obire cœperint æquè foris, ac domi, Regibus ipsis intra domesticos parietes, latitantibus majestatis prætextu; re autem vera *Rebus ex prosperis segnitie orta*, & non nisi (ut ille apud Persas Ninus) Calendis Maji se se spectandos præbentibus ornata coma, & promissa ex Cedreni, & Agathiæ fide Lib. I. Belli Gothici; subditis verò omnibus circumtonsis, nihil ut tum demum Majores Domus ab ipsis Regibus authoritate differrent; quin ipsi passim pro Regibus haberentur. Enimverò luculentissimum ejus rei testimonium toti Francorum Regno perhibuit ipsamet olim magistra rerum experientia cùm talis, ac tanta fuit reapse potestas Majorum Domus, qualem, ac quantam expressimus, eandemq; nunc toti Terrarum Orbi aperiunt, aperientque in posterum, quandiu Latinæ loquentur literæ, Annales Francici à P. Pithœo J. C. editi in hæc verba: *Reges quidem dicebantur; sed potestas Regis tota apud Majorem domus babebatur, excepto, quòd chartæ, & privilegia Regis nomine scribebantur: & in Martis campum, qui Rex dicebatur, plaustro bobus trahentibus vectus, atque in loco eminenti sedens, semel in anno à populis visus publica dona solemniter sibi oblata accipiebat, stante coram Majore domus, &, quæ deinceps eo anno agenda essent, populis annuntiante; sicque Rege domum redeunte, cætera Regni negotia Major domus administrabat*. Et si Annalibus hujuscemodi careremus, non idcirco tamen Majorum domus potentia nos lateret, cùm eandem nos etiam doceant Pipini Acta, quorum partem huc apprime facientem Haræo debes in ipsomet Pipino Duce Brabantiæ I. quo nos illam ex fonte hausimus, & hìc lubentes aliis impertimur: *Venerabilis Pipinus ex patre Carolomanno Principe, & matre Æmegarde fuit Major domus Franciæ sub Clotario Rege Francorum, & Dagoberto ejus filio. Qua dignitate parùm à do-*

à dominatione, ac sublimitate regia differente præditus, omnia prudenti dispositione ordinabat, præstabatque, tam in bello fortitudine, quàm justitia in pace. Attigit & hanc Pipini fortunam Aimoinus, cùm inquit: *Usque ad id temporis* (Dagobertus) *consilio B. Arnulfi, Metensis Urbis Pontificis, nec non Pipini in Regno Austrasiorum Majoris domus officium gerentis usus est: ideoque tam strenuus, tamque efficax in administrando apparebat Regno, ut circumpositæ nationes ejus vererentur nomen, suaque auxilia in subjiciendis exteris sponderent gentibus fide promptissima.* Et infra: *Erat in Regno ejus* (Dagoberti) *Pipinus potentissimus Austrasiorum, familiaritati ejus inhærens.* Et vide, quanta fuerit hujus olim auctoritas Majoris domus. Non sat habuit Clotarius, seu Lotharius Rex, filium suum Dagobertum in Regno adscitum Pipino, & Arnulfo committere ad Austrasiis imperandum; sed etiam Dagobertus ipse filium suum sub ejusdem tutela Regem Austrasiis misit, Sigeberto Chronologo teste. Et hæc habuit ob oculos Venericus in Apologetico Henrici IV. cùm scripsit, tempore Clotarii, patris Dagoberti, Regnum Francorum regi cœptum à Provisoribus Aulæ Regiæ, vel Majoribus domus.

Sed pleni sunt Historicorum propemodum omnium libri summa hac, planèque regia potestate Majorum domus; imò & majore regia, quòd illam non tam in subditos imperio Regum, quàm ipsos in Reges etiam excercerent; ita prorsus, ut sub his Majoribus domus, tanta potestate pollentibus, Reges ipsi sola essent vocabula, qualia olim sub Augusto fuerunt Romani Populi Magistratus, ut est à Tacito proditum Ann. I. Ne multis. Ejus mihi rei testis minimè contemnendus Auctor Fragmenti, quod Argentinensis Chronicon præit, ad Ann. DCCLII. *Gens Morovingorum, de qua Franci Reges creari sibi soliti erant, usque ad hæc tempora duravit, quæ licèt in Hilderico finita posset videri, tamen jamdudum nullius vigoris erat, nec quidquam in se clarum, præter inane Regis vocabulum, præseferebat. Nam opes, & potentia Regni penes palatii Præfectos, qui Majores domus dicebantur, & ad quos summa imperii pertinebat, tenebantur: neque Regi aliud relinquebatur, quàm, ut regio tantùm nomine contentus, crine profuso, barba summissa, solio resideret, ac speciem dominantis effingeret, Legatos undique venientes audiret, eisque abeuntibus responsa, quæ erat doctus, vel etiam jussus, ex sua velut potestate redderet: cùm præter inutile Regis nomen, & precarium vitæ stipendium, quod eis Præfectus aulæ, prout videbatur, exhibebat, nil aliud proprii possideret, quàm unam præparvi redditus Villam, in qua domum, & ex qua famulos sibi ministrantes, atque obsequium præbentes paucæ numerositatis, habebat. Quòcumque eundum erat, carpento ibat, bubus junctis, & bubulco rustico more agente, trahebatur. Sic ad palatium, sic ad publicum populi sui conventum, qui annuatim ob Regni utilitatem celebrabatur, ire: sic domum redire solebat. At Regni administrationem, & omnia, quæ vel domi, vel foris agenda, vel disponenda erant, Præfectus aulæ procurabat.* Et congruunt cum his mirum in modum quæ supra attulimus ex Eginharto, quod utriusque Scriptoris verba, ne dicam sententiam, inter se conferenti meridiana ipsa luce clariùs apparebit: imò & quæ Lupoldus Bebenburgius partim ex iisdem, partim ex aliis accepit Cap. XII. supra nominati Operis de Jur. Regni, & Imperii Romanorum: *Temporibus dicti Pipini, Franci solebant habere Reges ex antiqua stirpe Regum, qui à Meroveo, filio Clodii secundi Regis Francorum, Merovingi vocati sunt. Quorum Genealogia usque ad prædictum Hildericum in eodem Regno permansit, qui Hildericus* (*sicuti & alii plures sui prædecessores fecerant*) *solo nomine regnabat; sed opes, potentia, & administratio ipsius Regni penes Præfectos ipsius Palatii erat, qui Majores domus dicebantur, & hujus Præfecti officio, idem Pipinus velut hæreditario jure fungebatur. Qui misit ad eundem Zachariam Papam Burchardum primum VVirtzburgensem, seu Herbipolensem Episcopum, & Volradum Archicapellanum, ut interrogarent, & consulerent eum de Regibus in Francia, qui temporibus illis non habentes regiam potestatem, Reges tamen vocabantur, si bene esset, an non. Et Zacharias super negotio hujusmodi consultus remandavit Pipino* ,, Melius sibi videri illum Regem vo-
,, cari, qui potestatem haberet, quàm illum,
,, qui sinè potestate regali manebat ,, *dataque auctoritate sua, dictum Pipinum Regem constitui jussit. Et sic idem Pipinus à Francis electus in Regem, per manus S. memoriæ Bonifacii Archiepiscopi Maguntinensis elevatus est in Regni solium in Suessionum civitate. Dictus verò Hildericus, qui falsò Rex dicebatur, attonsus est, & in Monasterium missus, prout hæc omnia in Chronicis Eusebii, Francorum, Godfridi, & Martini prædictis, ac etiam in vita B. Burchardi Episcopi antedicti plenè narrantur.* Non itaque temerè scriptum ab Auctore Fragmenti præfixi Chron. Argentinensi post illa, quæ mox ante protulimus ex eodem: *Pipinus autem per auctoritatem Rom. Pont. ex Præfecto palatii Rex constitutus, cùm per aliquot annos Francis solus imperasset &c.* Quorsum enim Pipinus, nondum Rex à Pontifice constitutus; sed Major domus tantùm, Francis solus imperasse dictus est, nisi quia, Major cùm erat domus, par erat Regi ipsi imperio, *solo diademate dispar*, uti de Justino Corippus asserebat? Ea sanè re factum arbitror, ut apud eundem Scriptorem, non rarò *Majoris domus* titulo, necteretur etiam titulus Principatus. *Post hæc Pipinus Dux, Theodorico annuente, cœpit esse in principali regimine Major domus, Pipinus, dum Principatum Palatii sub prædictis Regibus egregiè administraret. Pipino mortuo, Franci Raginfredum in Principatum Majorem Palatii elegerunt.* Quibus illa sunt affinia aliorum, & in primis Paulli VVarnefridi Lib. VI. de Gestis Longobard. Cap. XXVII. *Hoc tempore apud Gallias in Francorum Regnum Anchis, Arnulfi filius, qui de nomine Anchisæ quondam Trojani creditur appellatus, sub nomine Majoris gerebat Principatum*; Sigeberti Chronologi Brabantini: *Pipinus filius Carolomanni, Major domus Clotarii, Principatum gerebat; Pipino verò in disponenda Repub. cooperabatur S. Arnulphus, &c.* Desiderii demum in inscriptione literarum ad Grimoaldum Majorem domus, quæ illum totius Aulæ; imò Regni Rectorem appellat, quòd Reges ipsi, aut nihil omnino agerent, otio torpentes, ut alias dicebamus; aut μεγαλοφρόνες, *fastosi*, & *ostentantes se se*, ut apud Lucianum Dii, per ipsos Majores domus responsa Gentibus darent; planèque constaret (quod Cedrenus inquit in Leone Iconomacho de Francis loquens,) Ἔχων φρόνημα γνώμην αὐτῷ (βασιλέως) καὶ τῶν ἐθνῶν, εἰς τὸ διοικεῖν πάντα τὰ πράγματα. *Majorem domus habere voluntatem ipsius* (*Regis*) *& gentis ad administrandas omnes res.* Quo fortè ex fonte fluxerunt illa, quæ prodidit Keriander Ann. Trevirensium Part. VII. *Status Imperii Galliarum sub Francis usque ad Caroli Magni excessum videatur. Primùm omnium constat rerum summam tenuisse Reges, ac, iis degenerantibus, interdum Præfectos Prætorio, qui Majores domus vocabantur*, nisi quis eadem promanasse malit ex Paulli VVarnefridi Lib. VI. de Gestis Longobardorum Cap. XVI. quod ejus ipsissima verba palàm aperiunt, quæ supra producta, rursus hic producere non necesse.

Malè verò audiere semper apud Prudentes ii Francorum Reges, quorum sive ineptia, sive indulgentia, sive inertia factum est, ut tantum liceret Majoribus domus, eaque nota digni sunt habiti, qua olim reprehensum Didium Julianum Imperatorem Spartianus scribit, *quòd*, cùm Regis sit laboribus innutriri, regere non regi, suoque potiùs, quàm alieno consilio Regnum administrare, &, ut ajebat Vespasianus, stantem eum mori, *eos, quos regere authoritate sua debuerat, regendæ Reipublicæ ipse sibi Præsules fecisset.* Cessit & hoc ipsum Regibus iisdem malè, regio sceptro tandem, ac nomine in Pipinum è stirpe Clodovei, nullo reluctante, translato, ut appositè, si quis alius, Viterbiensis indicat Parte XVI. Chronici superiùs indicata potiùs, quàm allata, ut hic illam adscribere non recusem: *Dum illi Magistri Palatii omnia Reipub. munera obirent, &, si quod gerendum esset bellum, exercitibus præessent; hi domi nudo, atque inani Regum nomine contenti propter desi-*

Digitized by Google

defidiem in odio vivebant; tandemque eò progressa res est, ut, Childerico Rege XVIII. Regnum obtinente, Pipinus Magister Palatii, qui Regis nomine magna, diuturnaque bella gesserat, Saxones devicerat, oblatam regii nominis, occupandique Regni facultatem non repudiarit. Ecquis adeò capillatam occasionem utraque sibi manu arripiendam protinus non putasset? Hinc illa gravissima Cl. Faulcheti Ann. Francicorum Lib. V. Cap. ult. in Childerico ultimo commonefactio ad Reges, *Remonstrance aux Roys*, digna, quæ illorum altè mentibus infigatur, *De ne laisser manier leur estat par aultruy, & ne continuer les grands offices de pere en fils: Ne sui status administrationem aliorum arbitrio permittant, & magna munia patris in filiis propagent*, id quod, *Dominationis subsidium*, Tacitus vocat. Idcirco Pipinus, ut idem Faulchetus annotat de Orig. Franc. Cap. X. *Parvenu à la couronne, n' usa point de ce magistrat de Maire de Palais, craignant une pareille audace, que la sienne: mais retient celuy du Comte du Palais, pour ouyr les Causes: Regii diadematis insignia consecutus, utendum sibi minimè censuit Majoris Palatii magistratu, veritus audaciam similem suæ: Palatii verò Comitem retinere voluit, ut causas audiret:* Et sub progenie Capetorum inter latas leges ad pacandum Regnum, & eximendum periculis, quibus antea fuerat irretitum, locum illa tenuit non postremum, quæ cavebat, *ne in posterum essent Majores domus*, quibus, & eorum nimia usurpata auctoritate, Merovingorum, & Caroli Magni sublatum fuerat genus, Petro Gregorio referente Lib. VII. de Rep. Cap. VIII.

Addit inibi Faulchetus, sublato Majoris Palatii magistratu, totius rei domesticæ procurandæ provinciam demandatam alteri, quem Latini, *Præpositum mensæ*, Franci *Senescallum* vocant, quod alia quoque videre duo clarissima Rei literariæ lumina, Bignonius in Notis ad Marculfum Monachum Lib. I. Cap. XXV. ex Hugone de Cleriis à doctissimo Jacobo Sirmondo edito, quippe qui *Majoratum, & Senescalciam* nominat: Et Cerdius in Adversariis Sacris Cap. CXXI. ex illis Auctoris Supplement. ad Chron. Sigeberti: *Servivit Rex Francorum, ut Senescballus Franciæ. Hanc Senescballam, vel, ut antiquitus dicebatur, Majoratum domus Regiæ, Robertus Rex Francorum dedit Gaufrido.* Et possunt hæc ipsa facilè confirmari calculo Gul. Tyrii de Bello Sacro Lib. IV. Cap. V. *Cùm esset* (Alexius) *in Imperiali Palatio plurimùm honoratus, & Megadomestici dignitate (quem nos majorem Senescballum nominare consuevimus) fungeretur, ab Imperatore secundus.* Megadomesticus enim apud Francos idem, qui Major domus, quod hic planè Domesticorum Major; Sive Domestici tibi sint, qui Villis fiscalibus, & fundis Dominicis præerant, regios curantes reditus, Regique ad placita proficiscenti suppeditantes expensas, ac demum necessaria quælibet præparantes, uti collegit Bignonius ex Marculfo suis ad eum Notis Lib. II. Cap. LII. & Gregorio Turonensi; Ego ex Malcho de Legationibus, τὰς προαγωγίας τῶν λημμάτων, τὰς ἀρχὰς ἃς δομεστίκους καλοῦσι ῥωμαῖοι: *perductores compendiorum, & lucrorum Imperii, quos Domesticos vocant*; Sive qui Regi judicanti assidebant ex modò laudati Marculfi Lib. I. Cap. de Adsessoribus, & Ministris Cod. Theod. Lib. VI. Ubi Domestici, & Notarii Consulibus æquantur, & Leg. Ribuar. Tit. XC. ubi, cùm Domestici munera in judicio prohibeantur accipere, clarè liquet, eos quoque judicasse; Sive Equites destinati custodiæ Regum, Domestici dicti, quasi σωματοφύλακες, *Corporis* domestici *custodes*, quales erant Domestici Aulæ Constantinopolitanæ, quos planum est Scholis palatinis, & militaribus excubiis præfuisse ex Tit. de Domesticis, & Protectoribus in utroque Codice, unde & *Domesticatus* pro *Militia equestri* apud Greg. Turonensem Lib. II. Cap. VIII. Et illa distinctio Suidæ & Zonaræ in Diocletiano *Equites, ac milites Regiæ domus, propriè Domesticos, pedites Protectores dici*, quibus adstipulantur Socrates Lib. I. Eccles. Hist. Lib. III. Cap. XXI. Lib. IV. Cap. I. Cassiodorus Lib. I. Zosimus Lib. V. de Ellebucho. Rufinus Lib. I. Cap. X. de Baracurio. Ammianus Lib. XXV. de Vitaliano. L. Restituendæ Cod. de Advocatis diversor. judic. *Domestici equites, pedites præsentiales.* Notitia Imperii, aliique Scriptorum, quos Jul. Cæsar Bulengerus adducit Lib. III. de Imperatore Rom. Cap. VI. VII. & sequentibus. Nemo scilicet in Aula, Regnoque Francorum Regum, horum æquè, ac illorum Domesticorum μεγὰν extitisse Majorem domus ambigit, qui unum illum Archiœconomum, Præfectum Aulæ, Curopalatem, Constabilem, Præfectum Prætorio, Magistrum Equitum, unum, uno verbo, omnia illic fuisse novit, ut olim unus omnia fuit Cæsar in Imperio Romanorum; verèque gessisse (ut ostensum) inibi Principatum. Ne multis. Pipini Majoris domus effigies, quam expressit Franc. Haræus in eo cum Liliato ense, quem dextra gestat, validè confirmat inter Majorem domus, & Megadomesticum nihil omnino discriminis intercessisse, ne loqui putes Oracula contraria sentientes. Quemadmodum enim ex ea effigie patet, Majorem domus ensem gestare solitum; sive, quòd ὕπαρχος, *Primas*; sive *Præfectus Prætorii* foret ex interpretatione Budæi: sic & Magnus Domesticus Imperatoribus Græcis ensem præferebat observatore Lupano, eoque honore functus Catacunzenus imperante Andronico juniore. Omnino in Leg. Ripuariorum Tit. LXXXVIII. Prologo Burgund. & Additamento II. ad easdem §. XIII. Majores domus eam ob caussam, non tam inter præcipuos Regni ministros enumerantur; sed & ipsis Domesticis, uti Megadomestici, præferuntur. Quare gradus è Domesticatu facilis, & expeditus ad Majoratum domus, sive Magisterium equitum, non è contra. Luitprandus de Rebus Europæ Lib. III. Cap. VII. *Phocam verò Domesticum, Majorem fecit, idest, terrestris exercitus Ducem:* Et apud Greg. Turonensem Lib. II. *Gaudentius pater à Domesticatu exorsus militiam, ad Magisterii equitum culmen provectus est.* Diversus ob id à Megadomestico *Domesticorum Comes*, quippe qui Magister non erat militum; sed ejus in domesticos agebat vices L. I. Cod. de silenti. L. Restituendæ Cod. de Advocat. diversor. judic. & aliis. Extat & mentio *Primicerii Domesticorum* L. II. Tit 17. Lib. XII. & L. VI. Tit. 24. Cod. Theod. Lib. ultimo. *Præfecti eorundem* apud Agathiam Lib. I. de Zandilo, & Ammianum Lib. XXI. de Dagalapho. *Rectoris* apud Trebellium, ubi de Diocletiano, & apud alios aliorum.

Fuerunt etiam, qui, spectata potestate amplissima Majoris domus, suis illum in scriptis contulere cum Dictatore Romano, Duretus in primis Libro I. *De l'Harmonie, & Conference des Magistrats Romains, & Magistrats Francois*; sed ejus lapsum ostendit Greg. Tholosanus in Syntag. Jur. Lib. XLVII. Cap. XVII. cujus in sententiam imus, superaddito Cedreni calculo, qui disertè dixit (ut vidimus) Majorem domus habuisse voluntatem ipsius Regis ad administranda negotia; non autem sui omnino juris, & arbitrii fuisse, cùm Dictator Romanus superioris nullius agnosceret potestatem.

Video præterea dubitatum, an authoritas Majoris domus, Magistri nempe militum, & Prætorii Præfecti par esset auctoritati Cancellarii Galliæ. Affirmavit Budæus Lib. I. de Officio Præf. Prætorii; negavit Greg. Tholosanus in Syntag. Jur. Lib. VI. Cap. VIII. Cancellario tribuens Justitiæ Præfecturam; Magistro verò militum, sicut & Præfecto Prætorii, armorum curam. Ego neutri hic accedo; sed, cùm Prætorii Præfectus non is tantùm esset, qui præesset militibus, quos Rex in sui custodiam allegisset, qualem Magistratum apud Romanos ab Augusto excogitatum, à Tiberio stabilitum, à Salustio administratum scimus, quem, cùm Zosimus in Juliano, ὁ τῆς αὐλῆς ὕπαρχον, *Præfectum Prætorio* nominasset, subjecit, καὶ τοὺς ἀμφὶ τὸν βασιλέα ταγμάτων ἃς σκυτοφόρους προσαγορεύουσι, *& stipatoribus regiis, quos scutarios vocant*: sed etiam is, qui jus unicuique suum diceret, uti liquet ex eo, quòd à Prætorii Præfectis juris dicendi caussa mittebantur *Servatores loci*, de quibus Paullus VVarnefridus Lib. VI. de Gest. Longobard. Cap. III. ex animadversione Cujacii Observationum Lib. III. Cap. XIII. Magisterium militum à Prætorii

Digitized by Google

torii Præfectura sejungo in Majoribus domus, uti Faulchetus fecit: & primi quidem muneris ratione primum eos à Rege locum habuisse censeo in re militari; ratione verò secundi, justitiæ Præsides, atque ita Cancellariis ipsis similes extitisse. Mecum an Procopius sentire videatur, ambigo, cùm Lib. III. Belli Vandalici nescio cujus Aulæ Præfecti meminit, quem à Romanis dictum Prætorem scribit. Videat, & observet Lector.

Sed ego nimis hìc in altum provehor, vela contraho, portum specto. Ab his sinè dubio Francis Majoribus domus in Lucemburgicam stirpem derivatus Titulus Majoratus; quin & aliis quamplurimis impertitus, quos è Re Literaria, tum Sacra, tum Prophana fuerit recensere. Nam & inde nati I. Majores *in loco*, de quibus L. VI. Tit. I. Lib. IX. Legum VVisigothorum. *Idem ipse, qui fugit, illius, qui in loco Major est, interrogatione discussus, quis sit, aut propter quid venerit, possit agnosci*. II. Majores *Villarum*, quorum mentio non obscura in Capitulis Caroli Magni, & Hludovici Pii ab Ansegiso Abbate, & Benedicto Levita collectis Lib. V. Tit. CVII. cujus verba superioribus hujus Notæ paginis inscripta sunt: in Vita B. Goaris, & Hincmari monumentis, quorum testimonia produxit Fed. Lindenbrogius in Glossario ad Codicem Antiqq. Legum: ac demum in Canone X. Septimæ Synodi in illis. *Si quis autem eorum, qui dicuntur Majores, curationem obtinere deprehensus fuerit, vel cesset, vel deponatur*. In quæ Balsamon, explicans qui sint isti *Majores*. Μαϊζοπίροι μέν τοι λέγονται, οἱ κυράτορες τῆς ἀγροικικῶν πραγμάτων: *Majores dicuntur, qui agrestium suburbanorum curatores fiunt*. Et Zonaras in eundem. Η' τῆς λεγομένων δὲ μαϊζοπίρων φροντὶς, ἣν ὁ κανὼν ὅπερ λέγει ἐστὶν, ἡ ἐν τοῖς ἀρχοντικοῖς λεγομένη κυρατωρία. *Cura autem eorum, qui Majores dicuntur, cujus hìc Canon meminit, est illa, quæ in Archonticis, idest, vocabulis ad Magistratus pertinentibus, dicitur Curatoria*. *Curatura*, sive *Curatela* Meursio in Glossario Græcobarbaro, quem adeas licèt. III. Majores *Leodiensium*, ut nominantur ab Hocsemio in Theobaldo de Barro Leodiensi Episcopo LXXIV. Cap. XXXIII. *Majores Leodiensium ægrè ferentes, quòd Mamburnus secularibus assistebat, &c.* ubi Majores sunt *Nobiles* ex marginalibus in eum Scriptorem Notis Joannis Chapeavilli. IV. Majores domus à Pontifice Romano ex ordine Cleri, & aliquando Episcopali electi, viri scilicet prudentia, & rerum gerendarum peritia perinsignes, quibus Episcopii, vel Patriarchii Lateranensis cura, & administratio committebatur, in gubernanda domo, domesticis & hospitibus excipiendis, eorumque causis ritè, & ordine cognoscendis, ut ex Epist. Gregorii ad Antoninum Diaconum, & Clementiam Patritiam patet: Quamquam is eosdem etiam *Vicedominos* appellarit, præsertim Epist. II. in qua de Diacono Anatolio loquens. *Vicedominum* (inquit) *eum constituimus, cujus arbitrio Episcopium commisimus disponendi*. Quod & Anastasius fecit in Vigilio Papa. *Hic in Sicilia agens remisit Romam Ampliatum Presbyterum, & Vicedominum suum, & Valentinum Episcopum S. Rufinæ, ad custodiendum Lateranum, & gubernandum Clerum*. Unde in domo Lateranensis palatii locus erat appellatus *Vicedominus*; ut idem habet Anastasius in vita Stephani Papæ III. Nam Hebernus in Præfatione Miraculorum Sancti Martini, eos, quibus Ecclesiarum cura committebatur, *Defensores* earum, & *Tutores* maluit appellare. V. Majores *Monasterii*, ea in Regula, quam Pachomius Angelo dictante conscripsit, D. verò Hieronymus convertit, his verbis, *Si quis de his, quæ præcepta sunt, ampliùs habuerit absque concessione Majoris, deferentur ad custodem vestium, &c.* VI. *Major Domus Ordinis Militiæ B. Mariæ Virginis Bononiensis*, de quo in literis Cardinalis Hostiensis Legati ad Episcopum Ferrariensem, quarum exemplar habes in Historia Bononiensi Cherubini Gherarduccii Lib. VIII. ad Annum MCCLXXIX. Titulus Majoris apud Sidonium Apollinarem Lib. I. Epist. I. ea in formula, Domine Major (quam frustra est Savaro eruditionis exquisitæ vir, & eo de Scriptore probè meritus, cùm ait, se Phrasim illam nullibi apud alios Scriptores reperisse, cùm occurrat, & in Naturalibus Senecæ, & in Epistola Marcelli Medici ad filium) est honoris collati, suique humiliter depressi index, observatore Eustathio Suvartio Lib. III. Analectorum Cap. IV. Qua notione Presbyteros etiam ipsos *Majores*, & *Seniores* alicubi appellatos leges. Sed non sunt omnia hìc inserenda. Satis dixi. Finio. Tu liber abi Lector, & expeditus.

Liquet hinc manifestè, nec ritè, nec ordine fecisse Lazium, cùm enumerans filios Henrici Plundelli Com. Lucemburgensis, primum Balduinos, secundum VValramo, tertium Henrico locum dedit. Scripsit enim. *Plundelus Lucelburgensis, & Lympurgensis progenuit Balduinum Archiepiscopum Trevirensem, VValdramum Com. Lutzelburgensem, & Henricum Septimum Imperatorem*: cùm contra scribere debuisset. *Plundelus Comes &c. progenuit Henricum Com. Lutzelburgensem, VValeranum Com. Lignii, & Balduinum Archiepiscopum Trevirensem*. Quippe Henricus natu major, & Primogenitus, Balduinus minor, inter utrumque ætate medius VValeranus. *Osius*.

(34) Ita rectè, non *Salica*, ut aliqui præseferunt MSti. Quanto scilicet locorum, ac temporum intervallo Solis occidentis plaga ab Orientali distat, tanto *Salica* Lex à *Gallica* dissidet, ut ostendam, nec est una cum alia temerè confundenda. Videtur id à Bartholomæo Chassaneo factum iis in Commentariis, quibus Constitutiones Burgundicas illustratum iit Rub. III. quæ est *de Feudis* §. V. Num. 40. in Additione; sed malè: longèque falluntur ex censura eruditissimi Hotomani in Comment. de Verbis Feud. & Marquardi Freheri in Notis ad Cap. I. Lupoldi Bebenburgii de Juribus Regni, & Imperii Romanorum, ii, qui, sive Claudii Seyssellii, sive aliorum auctoritate ducti, contendunt *Salicam Legem* mendosè pro *Gallica* dici. Fuit enim Salica Lex Orientalium Francorum propria, Occidentalium Gallica, & hoc inter illas primum, ac maximum discrimen extat iisdem Lupoldo, & Frehero testibus in laudatis locis, quibus adstipulantur Cujacius in Lib. I. de Feudis Tit. I. *De iis, qui feudum dare possunt*: & Lib. IV. Tit. XXXII. *Quòd filii in feudum non succedant*. Fed. Lindenbrogius in Glossario ad Codicem Antiq. Legum. Pet. Gregorius Tholosanus in Synt. Juris Lib. XLV. Cap. IV. Matthias Martinius in Lexico Philologico, aliique complures, qui Legum hujuscemodi meminere. Firmabo priùs, quod de Salica protuli, mox etiam de Gallica, quod adjeci.

Dixi de Salica; Legem eam Francorum Orientalium fuisse. Firmat id Etymon ejus Legis, ut à remotioribus abstineam argumentis. Salica enim ea Lex dicta, quòd à Francis Orientalibus lata, quos alio nomine Salios appellabant, licèt Strabo Lib. IV. *Salios* inter antiquos Gallos numeret. Ammianus à me Marcellinus est Lib. XVII. *Quibus paratis, petit primos omnium Francos, eos videlicet, quos consuetudo Salios appellavit*. Ammiano scilicet ibi de Francis Orientalibus sermo, sicut & Zosimo Lib. III. cùm inquit. Τὸ Σαλίων ἔθνος φεύγων ἀκόμοιρον, *Saliorum Gens Francorum portio*: Et Claudiano Lib. I. de Laudibus Stiliconis.

------ Rhenumque minacem
Cornibus infractis adeò mitescere cogis,
Ut Salius jam rura colat.

Quæ lectio Rhenani est eruditissimi Germaniæ Critici Lib. I. Rer. Germ. ubi & is ex Ammiano, & aliis, *Salios* esse docet Francos. Inde *Salicus*, *Francus* Cap. I. Sal. Lud. Imp. §. III. Decret. Child. §. XIV. Cap. IV. Tit. LXXV. Carolo Magno Lib. IV. Cap. ultim. *Sallii*, & *Salii Gallicani* passim in Notit. Imperii: Et in illis, *Guelfo, &c. uxorem duxit de gente Salica de Castro Glibberg Ivitban nomine sororem Henrici Ducis Noricorum*, apud VVeingartensem in Chron. de Principibus Guelfis editore Canisio Cap. V. Salica Gens Francorum Orientalium Gens est Lindenbrogio interprete, sicuti etiam Terra Salica in Gloss. Latino Theotis. quo idem Lindenbrogius usus est Florentiæ in Bibliotheca Magni Ducis Etruriæ, ea terra est, quæ hostibus devictis Regi, militibusque Saliis (hoc est Francis) assi-

Digitized by Google

assignata fuit. Unde & *Decima Salica* in descriptione hubarum ad Curiam Furde pertinentium apud Freherum in Originibus Palatinis. Non aliam certè ob caussam Conradus Imperator, cujus vitam literarum monumentis consignavit VVipo, *Salicus* appellatus est, quàm quòd Dux esset Francorum Orientalium, qui Salii dicebantur.

Ab his verò Francis legem hanc ortam clarè justa ac verè indicat Sigebertus. *Franci uti cœperunt legibus, & Legem Salicam dictaverunt*. Cui sic assensus est Gulielmus de Nangis, quem nondum editum laudat Hotomanus, ut ad Annum CCCCXX. rem eandem verbis ipsis expresserit Sigeberti. Accedit his etiam calculus è Cujacii verbis in Tit. XXXII. Lib. IV. de Feudis. *Nam ex lege Salica Francorum Orientalium mane diei nuptiarum maritus uxori constituit ὑπόβολον*, (sponsalitium munus) *Germanis* Morgencap *dictum*, Morgangheba, *seu* Morganatica *Longobardis*, cujus ergo fit Salicæ Legis mentio in libris Feudorum, Titulo *De filiis natis ex matrimonio ad Morganaticam contracto*, Cap. unico. Chassanæus subscripsit iisdem in supra laudato loco, cùm scripsit Num. XXXVIII. *Et istud fuit expressè statutum per Leges, & Consuetudines, quas promulgaverunt Reges Francorum, quas Leges, & Consuetudines vulgariter Legem Salicam appellamus*. Et Num. XXXIX. *Dicitur Lex Salica, hoc est, Lex Regni Francorum, quæ à Regibus Regni Francorum derivavit*.

Manavit illa scilicet à VVaramundo, sive Pharamundo primo Francorum Rege, filio Marcomiri, anno Regni decimo, ut nonnullis placet, ut aliis secundo, vel tertio, responsis quatuor Prudentum ab eo selectorum initiata Ejus mihi rei testis, & paucis Lazius Lib. III. de Migrationibus Gentium, in Cimmeriis. *Ad Pharamundum Leges Saliquæ referuntur, quas consilio, & opera Sacerdotum suæ Gentis, VVisegasti, & Salagasti tulit*. Pluribus Robertus Gaguinus in Chron. Lib. I. Cap. III. de Origine Francorum. *Pharamundus fertur author extitisse Legis, quæ Salica à Francis appellatur. Nam cùm ad Rhenum usque pervenissent Franci, ferisque moribus viverent, quatuor ex Sicambris spectatos Primates selegit, qui populo Legem ferrent, Usugastum, Losogastum, Salogastum, & Visogastum, qui communi, & Procerum authoritate freti Legem conscripsere, quam Pharamundus edidit, atque promulgavit usque ad nostram ætatem nominatissimam*. Nec paucioribus Gaguino antiquior Trithemus in Breviario Ann. Francicorum Lib. I. *Pharamundus Rex Francorum, ut populum moribus incultum, armisque ferocem legibus coerceret, convocatis ad se quibusdam Regni Proceribus, de novarum rerum constitutione maturum cœpit habere consilium, &c. Erant in eo Francorum cœtu plures in sua generatione Viri prudentes, è quorum numero potiores quatuor fuerunt selecti, quibus Rex unà cum Proceribus condendarum legum omnimodam tradiderat potestatem, quorum ista dicebantur onomata, Sulagast, VVesogast, VVyndegast, & Basogast*. Et forent his omnino affinia, quæ habentur initio Tractatus Legis ipsius *Salicæ*, editore Lindenbrogio, nisi quædam in Procerum ad eam condendam selectorum nominibus varietas appareret. Illic enim ista legere est. *Gens Francorum, &c. inspirante Deo inquirens scientiæ clavim, juxta morum suorum qualitatem desiderans Justitiam, & custodiens Pietatem, dictavit Salicam legem per Proceres illius Gentis, qui tunc temporis ejusdem aderant Rectores. Electi de pluribus Viris quatuor his nominibus, VVisogastus, Bodogastus, Salogastus, & VVidogastus in locis cognominatis Salebaim, Bodobaim, VVidobaim. Qui per tres mallos convenientes, omnes caussarum origines sollicitè tractantes, discutiendo de singulis, sicuti ipsa Lex declarat judicium decreverunt*. Et in Prologo Legis ejusdem statim. *Placuit, atque convenit inter Francos, & eorum Proceres, ut propter servandum inter se pacis studium omnia incrementa veterum rixarum resecare deberent. Et quia cæteris Gentibus juxta se positis fortitudinis brachio præeminebant, ita & Legum auctoritate præcellerent, ut juxta qualitatem caussarum sumeret criminalis actio terminum. Extiterunt igitur inter eos electi de pluribus quatuor Viri his nominibus, VVisogastus, Bodogastus, Salogastus, & VVidogastus in villis, quæ ultra Rhenum sunt, Salebaim, & Bodobaim, & VVidobaim, qui per tres mallos, &c.* Quorum ad ductum locutus etiam Greg. Tholosanus in Syntag. Jur. Lib. XLV. Cap. IV. Num. 6. & Lib. XVII. Cap. XVII. Num. 6. & alii, quos eam ob caussam non exscribo.

Unus hic Otho Frisingensis ex antiquis Scriptoribus variat in Chronico, duorum ex Primatum consilio tantùm legem hanc latam asserens, VVisigastaldo scilicet, & Salagasto, qui Gaguino, & aliis sunt VVisagastus, & Salogastus, ut hæc illius indicant Lib. IV. Cap. XXXII. *Porrò defuncto Sunnone, communicato consilio Marcomedis (Marcomiri aliis) filium Pharamundum sibi Regem* (Franci) *creavere. Leges quoque VVisigastaldo, & Salagasto auctoribus ex hinc habere cœpere*. Variant & Recentiores aliquot Othonis vestigiis inhærentes, & hi tres potissimùm, quod sciam, Lazio excepto laudato supra, Lupoldus, Henninges, Reusnerus. Idcirco primi verba sunt Cap. I. Tract. de Jur. Regni, & Imp. Romanorum. *Leges etiam tunc* (Franci) *per suos auctores* (aliter *Ductores*) *Guisogastaldum, & Salagastum compositas habere cœperunt*. Secundi ista in Familia prima Merovingica Regum Franciæ, qui Galliam occuparunt. *Pharamundus, &c. inter alias, opera Salgasti Archiflaminis Dialis, & VVisogasti Pont. Dianæ consilio, etiam hanc Francis legem tulit*: In terra Salica Mulieres ne succedunto, *A. C. 242. quam postea Salicam nominarunt*. A quo Tertius in Genealogico Regio, initio stirpis inclytæ Pharamundanæ. *Pharamundus Franciæ Orientalis Dux, multis contra Vandalos, aliosque rebus gestis clarus, &c. Domi verò, Salgasti Archiflaminis Dialis, & VVisogasti Pontificis Dianæ consilio atque opera, jura & Leges Salicas dictas genti suæ condidit*.

Et fuere, qui eam ob caussam non ab ipsis Francis; sed ab Archiflamine Diali Salogasto, sive Salagosto, uti Sacerdotum eorum principe, quorum consilio Pharamundus usus jura suis ac leges dedit, nomen *Salicæ* legi factum asseruerint, & Francos ipsos Orientales *Salici* cognomentum ab ipsa Lege *Salica* retulisse, non contra. Sic Otho Frisingensis, Trithemius, Lupoldus, & Petrus Gregorius censuere. Primus in supra laudato loco. *Leges quoque VVisigastaldo, & Salagasto auctoribus ex hinc habere cœpere. Ab hoc Salagasto legem, quæ ex nomine ejus Salica usque hodie vocatur, inventam dicunt. Hac nobilissimi Francorum, qui Salici dicuntur, adhuc utuntur*. Alter in Compendio Ann. Franc. Lib. I. *Igitur hi quatuor* (quos ante paullò lectos fuisse dixerat a Pharamundo ad leges ferendas Francis) *convenientes in unum, per tres mallos caussarum origines diligenter contrectarunt: de singulis excudendo sententiam Volumen legalium constitutionum novum ediderunt, quod à principaliore quidem authore Salagast, qui summus Jovis Pontifex erat, nomen Legis Saligæ accepit, cui postea Rex Clodoveus intelligentiæ Capitula superjecit*. Tertius. *Leges etiam tunc per suos auctores Guisogastaldum, & Salagastum compositas habere cœperunt: ab illo autem Salagasto Lex Salica nomen accepit, &c. Quæ etiam lege per multa tempora usi sunt Franci; unde & ipsi Franci Salici appellantur*. Postremus ex Trithemii Schola Lib. XLVII. Cap. XVII. Num. 6. Syntag. Juris. *Lego, Pharamundum tertio anno sui Regni, ut restitueret leges bello sopitas, & alias constitueret, ex consilio Herovum, quatuor convocasse Viros prudentes, Salagast, VVesogast, Vindesgast, Basogast, qui leges ordinarunt Salicas dictas, vel Saligas, ut Trithemius scribit in Breviario Hist. Francorum, à nomine prioris Nomothetæ, qui erat Jovis Pontifex, quibus postea Clodoveus intelligentiæ Capitula adjecit*. Quin & ab eodem Salagasto *Salam* fluvium nominatum Trithemius narrat in Breviario à Pet. Gregorio laudato pag. 26. Imò & Villam (Urbem alii) juxta Mœni fluminis ripas, quam ipse suo de nomine *Salagast* appellarit, hodie corrupto ignari rerum auctores vocabulo *Selgenstat* vocent, in eodem Breviario pag. 35. & in Compendio Librorum XII. Hunibaldi de Orig. Francorum pag. 83. Sed hæc alterius argumenti sunt.

Redeo ad L. Salicæ Conditores, ne quid hìc à me desideret Lector, quod in eam rem hactenus observarim. Notavi siquidem Hunibaldum, cujus libros de Orig. Francorum in Compendium redegit Trithemius, Salicarum Constitutionum parentem agnoscere Clodium Pharamundi filium, non ut alii plerique omnes, quorum testimonia hucusque produximus, Pharamundum. Sic enim ille à Trithemio contractus. *His temporibus claruit Salagastus sapiens, & philosophus Francorum, & de antiqua Regum progenie ducens originem, qui jussu Clodii Regis, cùm esset in omni literatura doctissimus, Francorum leges conscripsit, quas suo nomine Saligas nuncupavit.* Joannes quoque Pap. in principio Proemii Rapsf. Aristotelis, ut est à Pet. Gregorio proditum, apud Francos Dictaturam olim fuisse censuit, & Dictatores tempore Pharamundi, eosque legum condendarum caussa constitutos; sed ejus sententiam idem ipse Gregorius oppugnavit.

Putarunt alii, ita quatuor supra recensitis Proceribus VVisogasto, Bodogasto, Salogasto, & VVidogasto in acceptum referendam hanc Legem, ut ab eorum nullo nomen acceperit; sed à *Sale* condimento oris, quasi licitum condimentum; vel à *Sale* masculini generis, quasi licitè sapienterque conditam, ita ut esset Gallorum Sophia, & Sapientia, ut habet Gul. Benedictus in Repetitione sua ad Cap. Raynutius, Verbo, *Duas habens uxores*, Num. 74. Cui suffragatur ex parte Pyrrhus Anglebermeus Aurelianensis olim Academiæ Professor, ac demum Senator apud Mediolanenses Regius, post interpretationem Constitutionum Aurelianensium, & in Disputatione de Lege Salica, & Regni successione post enodationem L. Contractus in Tit. de Regulis Juris, ex qua ista libuit delibasse. *Constat Salicam Legem Pharamundum priùs accitis Proceribus, nec citra maturum consilium, tulisse, ut ab optimis Legibus Sanctissimi Regni auspicia captaret. Quam vel à Sale, rectaque ratione, vel à Salica terra, vel à Saliis Sacerdotibus, id est, à generosis, sapientibusque Viris conditam, vel undecunque libet, Salicam veteres, & nos eorum Legibus adscripti nominamus.* In ea quoque sententia Joannes Lecirier Decretorum interpres in Academia Parisiensi fuit, Lib. I. de Jure Majoratus, Quæst. XXII. ut assereret, Salicam Legem inde dictam, quòd Sale cum maximo, hoc est, sapientia singulari, & eximia digesta sit. Meyerus etiam Legis Salicæ meminit à Sale dictæ; sed illam ab hac, de qua nos loquimur, diversam esse verba ipsius produnt, quæ dare non piget, ut ea diversitas clariùs elucescat. MCCCCLXIX. *Philippus pravo quodam usus consilio nova decrevit introducere tributa. Exegit per totam Flandriam XVIII. solidos Parisiacos de singulis saccis salis. Hæc nova, inaudita, valdeque odiosa liberæ genti. Gandenses primùm tantæ avaritiæ viriliter restiterunt, nihil illi concedentes, Gallorum Regum avaritiam execrati. Imitari enim Philippus studuit Gallorum Regum detestabiles mores, apud quos olim Philippus Valesius legem talem Salicam, ac tributum, quamvis injustum, introduxerat.* Alius enim, planèque diversus, ut vides, Legis hujus Auctor à Pharamundo, aliud ejusdem natalium tempus, alio denique hæc ab illa consilio, alio fine relata in tabulas, & perscripta.

Subjicio his commodè duplex aliud Etymon hujus Legis. Primum est eorum, qui nomenclaturam ejus ab Urbe *Salechanti* (*Salehaim* in Prologo ipsius Legis) ultra Rhenum sita, ubi tum habitabant Galli, cùm lata est, non inviti trahunt, uti me Gul. Benedictus in supra laudata Repetitione docet. Alterum eorum, qui Salicam Legem, quasi *s'aliquam* nominatam volunt à duobus verbis, *si aliqua*, quòd ab illis ea Lex inciperet, Rebuffo teste in Commentario in Lib. I. de Verborum significatione, ad quæ fortè respexit Lazius, cùm eam Legem *Saliquam* appellavit, licèt ejus omnia Capita ab his verbis, *Si quis*, non ab illis, *Si aliqua*, initium, ut apparet, ducant.

Verùm enim verò, fuerint hæc prudenter, an secus de Legis hujusce nomine prodita, non inquiro, mihi, ut sua quemque voluptas tenet, eorum magis arridet sententia, qui Francos Salios calentes sub Oriente Sole, lucem æquè ac nomen Legi Salicæ tradidisse ferunt, ut initio dixi. Dicti porrò Orientales Franci Salii, non à consuetudine, ut Ammianus asserit; sed, ut alii, aliunde. Sunt enim, qui Salios eos dictos prodant à *Salo*, circa quod olim habitarunt, ut Ortelius in Thes. Geographico tradit, his verbis. *Franci Germanica gens, eam circa Frisiæ, & Hollandiæ paludes quondam habitasse apparet ex Procopio, Sidonio, Eutropio, Ammiano, Vopisco, Pollione, Panegyricis.* Alii à *Sala* altero Rheni cornu, quod nunc *Isala* dicitur, uti Meyero placet, cujus verba juverit attulisse ex Lib. XI. Ann. Flandriæ. *Per hanc* (Isabellam Gallicam) *Angli etiam nunc Gallorum sibi deberi Regnum contendunt; sed defendunt se Galli per veterem consuetudinem suam, quam ortam quidam contendunt ex Legibus Saliorum, idest, Francorum à Fluvio Sala sic dictorum.* Nimirum ejus quoque fluminis accolæ Franci Salii, quod Eginhartus firmat in Carolo Magno: *Ac Salam fluvium, qui Thuringos, ac Sorabos dividit, postea à Francis, qui Orientales dicuntur, incolitur.* Alii demum ab agilitate pedum, quod Franci ποδώκεις, *veloces* omnino sint, ut à *saliendo* potiùs, quàm à *Salo*, vel *Sala* fluvio nomen hoc illis impositum videatur. Quemadmodum enim Sacerdotes Paganorum olim, *Salii* à *Saliendo*, & *Præsules*, quòd *præ aliis salirent*, dicti sunt, authore Festo Lib. XVI. sic & Orientales Franci, quòd acumine pedum pollerent maximè, Salii nominari meritò potuerunt. Hinc illa Sidonii Apollinaris cum respectu finè dubio ad agilitatem istam, Carmin. VII. Vers. 240.

---------- *Tibi vincitur illic*
Cursu Herulus, Chunus jaculis, Francusque natatu,
Sauromatas clypeo, Salius pede, falce Gelonus:

Et Prologi Salicarum Legum. *Gens Francorum inclyta, authore Deo condita, fortis in armis, &c. audax, velox, & aspera, &c.* Inde potiùs, quam aliunde Salii cognomentum accepisse Francos Orientales visum acerrimi judicii Viris, Francisco Pithœo, Jo. Savaroni, Fed. Lindenbrogio, Matthiæ Martinio, aliisque multis, quorum in sententiam pede Salius saltuatim descendo.

Cæterùm, ut parva semper esse solent initia maximarum rerum: ita Salica Lex nequiit initio numeris suis omnibus absolvi, sed ea, quæ demum habuit incrementa, sensim accepit; à Pharamundo inchoata primùm, mox à Principibus emologata, deinceps juxta varietatem temporum variis à Regibus emendata & aucta, non secus ac Legi decem Tabularum obtentæ à Græcis Romani duas alias Tabulas addiderunt, ac demum Legem etiam ipsam, quam ab aliis acceperant, alicubi correxerunt. Quod idcirco volui, ut occurrerem iis, qui Legem Salicam Pipino tribuunt, quorum in numero Alvarotus Cap. unico. §. *Mulier, si de feudis fuerit controversia in usibus Feudorum*, in fine, ubi etiam addit Legem hanc à Pipino latam post Missarum solemnia, die Divo Joanni Baptistæ sacra. Neque enim primus ejus Legis parens Pipinus fuit; sed ejus ordinator tantùm, ut & alii, de quibus Francorum Historici copiosè.

Habes ex his liquidò, quisquis hæc legis, Salicam Legem Francorum Orientalium, hoc est Saliorum, propriam extitisse: habe nunc Occidentales Francos sibi, ut suam, Gallicam vindicare. Paucis omnino, quòd asserta Francis Orientalibus Salica, non ad alios, quàm ad Occidentales Francos, hoc est Germanos, referri posse Gallica censeatur. Probis enim Scriptoribus Francorum appellatione finè alio addito generaliter intelliguntur Germani omnes: ad hos verò Francos Legem Gallicam pertinere, vel illud argumento est, quòd eadem Lex probis ab iisdem Scriptoribus *Francica* nominatur, quam ad Orientales Gallos referre absurdum quid omnino judicant Eruditi. Hinc horum ex numero non postremus ad illa Eginharti in Carolo Magno. *Franci duas habent Leges plurimis in locis valde diversas*, significat, inquit, eas, quæ in Volumine Barbaricarum Legum vocantur *Salica*, & *Francica*, quæ ipsa Francorum Occidentalium est propria. Ea re separatis utique libris habetur Lex Salica, & Lex Francica, Jurisque Consultorum Partes, Histo-

Digitized by Google

RUBRICA III.

Mores.

HUnc laudes multæ (35) in ipso ætatis flore (36) prædicavere (37), qui jugiter, & in dies accrescente tempore famam (a) fama auxit (38), (b) ut circa incumbentia (39) sibi semper, & consultè (40), fortiter (41), & strenuè (42), agendum esset. Justitiam quoque tanta coluit observantia (43), ut merce (44), & singula quæque advehentes intra Lucemborc fines, adeò in tuto (45) essent, ut nulla onustorum animalium (46) per nemora, & vastitates accubantium, rerumve custodia opus esset: Inexorabilis circa judicia (47) compertus: In raptores, ceterosque grassantes etiam æris effusor proprii, si quicquam constitisset furto, vel rapina deperditum (48). Margaritam (49) Ducis Brabantiæ filiam (50) adolescentem (51) imberbis & ipse (52) duxit (53) uxorem (54), ex qua Johannem (55) filium primogenitum (56) procreavit. Treverienſibus vectigalia quædam, certaque solita (57) domui de Lucemborc exenia denegantibus (58) bellum solus intulit (59), & collatis undique Principum, amicitiarumque privatarum subsidiis (60), urbem Trevir (61) Civitatum Alemanniæ (62) cis Rhenum (63) non mediocrem (64) obsedit, & ad exhibendorum exeniorum (65) antiquum fœdus obstrinxit (66). Vacanti Sedi Treverienſi (67), quæ eligendi Romani Principis vocem obtinet (68), Minorem (c) natu (69) ex Fratribus (70) suis præfici curavit (71) obnixè, idque solers effecit (72). His, aliisque memorabilibus inter ceteros utriusque Galliæ Principes insignis habebatur, famaque pollebat (73), cujus & opes creverant (74), ceteraque (75), quæ inter Primores (76), & Excellentes (77) mortales extollunt.

RU-

Historici, Philologici omnes Legis Salicæ, uti distinctæ à Francica, meminere. Quid quod calculum his adjecit Hermanus Comes, cùm Francicam Legem, Ripuariam maluit appellare Libello de Orig. Francorum, & hanc Salicæ opponere in hæc verba. *Duas Francos habuisse Leges ipsorum Authores testantur, Salicam, atque Ripuariam, quibus nullus Regum ante Carolum Magnum quidquam adjicere tentavit.* Et hoc illa sub nomine extat in Codice Antiquarum Legum. Nempe Ripuaria Regio, à qua illi nomen, ea est, quæ Rheno, Mosa, & Mosella, quasi triangulari forma concluditur, & Neustria, vel Austrasia nominatur, Francorum Occidentalium, sive Germanorum sedes.

Sed enim discrimen alterum, quod inter Leges Salicam, & Gallicam intercedit, planè testatur, unam cum alia temerè permisceri. Lex enim Salica disponebat, ut Masculi æquè omnes succederent in Feudis, & hæreditate Patris; imò etiam Fœminæ, deficientibus Masculis, uti videre est apud Chassanæum, Cujacium, Gul. Benedictum, Joannem Fabrum, & alios, præterquam in ipso Regno Galliæ, ex lege propaginis, qua de Gregorius Tholosanus in Præludiis Optimi Jurisconsulti & Magistratus, & Gul. Bened. in Repetitione sua ad Cap. Raynutius, in verbo *Duas habens uxores, &c.* Num. 72. & 73. Seu ex speciali veteri consuetudine, qua de Meyerus, ut vidimus, Lib. XI. Ann. Flan. & ipsæmet Constitutiones Salicæ Tit. LXII. de Alode hisce verbis expressè. *De Terra verò Salica nulla portio mulieri veniat: Sed ad virilem sexum tota Terræ hæreditas perveniat.* Terra enim Salica eò loci Regia terra est, Regiæ, inquam, ipsi Coronæ adhærens, & ipsummet Regale dominium, quod à nullo dependet, ad differentiam Terræ Alodialis, seu Feudalis, pro qua, ultra superioritatem, Regi debetur servitium, ut explicat Benedictus: Ejusque Constitutionis ergo semper in Gallorum Regno Masculi, exclusis Fœminis, sceptrum tenuerunt, nec unquam de lancea ad fusum (ut eædem Salicæ Constitutiones loquuntur) Regnum illud transiit, Joanne quoque Ferraldo teste, Tractatu de Prærog. Coronæ, & Regni Franciæ, Chassanæo, Benedicto, aliis. At Lege Gallica, sive Francica, soli Majori natu patebat ad successionem aditus. Unde Petrus de Vineis Lib. Epist. VI. Cap. XXV. Jus hoc esse dixit Francorum Occidentalium, hac verborum forma. *Vivens Jure Francorum, in eo videlicet, quòd Major natu, exclusis Minoribus fratribus, & Cobæredibus, in Castro ipso succedant inter eos nullo tempore dividendo.* Ita rectè Noster & scitè scripsit, Henricum VII. Imp. Lege Gallica, non Salica, defuncto Patre, paternæ domus, Majorem, uti Primogenitum, tribus aliis fratribus superstitem remansisse. *Osius.*

(a) *In V. & R. deest* fama.
(b) *V.* & circa incumbentia semper consultè, fortiter, ac strenuè agenda quæque perficeret; *& ita Cod. Ambr.*
(c) *In P. deest* natu.

NOTÆ AD RUBRICAM III.

(35) Quis enumeret? Non ego,
Vel mihi si linguæ centum sint, oraque centum,
Ferrea vox.

Non enim inter Mortales natus Henricus VII. Imp. visus; sed è Cœlo singulari Dei Opt. Max. providentia dimissus in terras, in quo vires suas experirentur virtutes omnes, par ut esset Imperio Romanorum, quo majus Sol alterum non illuxit. Erit hoc Magni Principis Elogium primum, nec à me; sed à viro longè gravissimo, Uberto Folieta Genuensis Hist. Lib. VII. *Is statim claris virtutibus suis omnium animos in sui admirationem convertit, cùm omnes sincerum ab omni labe ingenium, ac concordiæ amans, discordiasque, ac contentiones abominans; tum autem justitiæ, & æquitatis studium suspicerent. Quibus laudibus voluntates omnis ætatis, omnisque sortis hominum ad se sese ita attraxit, ut omnes hominem de Cœlo sibi dimissum prædicarent ad vulnera miseræ Civitatis sananda.* Factum sanè divinitùs, ut præficeretur Imperio Terrarum Orbis, fatetur etiam Noster infra Rub. VIII. hujus Libri, eo in Colloquio, quod ipsemet Cæsar habuit cum Principibus Germanorum, antequam in Italiam se conferret. *Nunc autem, dum statuerit* (Deus) *ut rerum omnium ipse potiatur, &c. infallibiles fore effectus eorum, quæ Providentia divina providerit, &c.* Hinc illum certatim ad Cœlum usque Scriptorum reliqui tollunt, passimque celebrant, ut Heroem Magnum, in quem omnes animi, & corporis dotes, quasi secum ipsa certans Natura congesserit larga manu. Excurram his ego Ducibus in hoc campo, quem mihi aperuit hæc Rubrica, quæque apud alios diffusa sparsim extant Cæsaris hujus Elogia, hic connectam, sive illa sint iis è virtutibus illius ducta, quibus effulsit in ætatis flore; sive ex iis, quarum in ætate reliqua specimen, & exemplum dedit. Fastidiat qui volet, mihi ipse, & curiosis faciam satis.

Ab illa Pietate placitum exordiri, quam in duobus consistere Lactantius docet Lib. V. Cap. XV. nimirum, *ut rectè de Deo sentiamus, & rectum eidem cultum exhibeamus.* Nam cùm ea juvet, ac deceat Mortales omnes, quòd, ut inquit Silius Lib. IV.

---- pronæ scelerum caussæ mortalibus ægris
Naturam nescire Deum:

Et auctore Tullio Lib. I. de Natura Deorum, *Pietate erga Deum sublata, fidem, & humani generis societatem tolli necesse est, & Justitiam virtutum omnium excellentissimam:* tum nihil est æquius, decentius nihil, quàm eum qui aliis imperet, non ignorare, a quo ipse regatur, ut Ecphantes Philosophus asserebat; quin imò eum ipsum, & quòd ab eo regatur, & quòd ejusdem afflatu ad aliorum imperium sit evectus, uti Dominum, & Auctorem

rem imperii sui demereri, colere, venerari. Apposite Agapetus Diaconus in aurea planè Epistola parænetica, quæ extat apud Magnum Baronium Tom. VII. Sacr. Ann. ad Justinianum Imp. scripta. *Sceptrum Imperii, cùm à Deo susceperis, cogitato quibusnam modis placebis ei, qui id tibi dedit; cùmque omnibus hominibus ab eo sis prælatus, præ omnibus eum honorare festina.* Fuit hæc præcipua Henrici VII. Cæsaris cura, adeòque clara, ut omnium ferè Scriptorum literis efferatur. Idcirco Princeps audiit in primis.

PIUS.

Is enim Cæsar, Titulum Pii, qui priscis olim Imperatoribus dabatur ex more, aut certè eam tantùm ob caussam, quòd subditos patria pietate foverent, sibi, uti peculiarem & proprium, & ante partum Imperium, & in ipsius administratione Imperii vindicavit; nec ob id tantùm, quòd subditos omni pietatis officio complecteretur (quod loco suo, & proprio) sed quòd Deum Opt. Max. unicè coleret, & omnia Christianæ pietatis munia sedulò obiret. Elogii hujus Encomiastæ magni sunt, & multi; sed uno, vel altero contentus ero. Quorsum enim eam virtutem testimoniorum multorum appositione probes, cujus in rebus ab eo gestis expressam, non adumbratam imaginem intueris? Jacobus Meyerus hoc illum inter cæteros Elogio commendatum iit Ann. Fland. Lib. XI. *Electus est statim Henricus, ejus nominis Septimus, qui Comes erat Lucemburgensis, vir non modò bello strenuus; sed Pius etiam, vitaque sanctus.* Præstitit hoc ipsum Christophorus Lehmannus Germanicus Scriptor in Chronico Spirensi Lib. VII. Cap. X. hisce ferè verbis Latio donatis à viro eruditissimo, & amico. *Ne autem Electores ancipiti disputatione ab electione distraberentur, Henricum Comitem Luzelburgensem, Pietate, strenuitate Spectabilem, eis proponendum, & clanculum decernendum consuluit Cardinalis.* Ea re Paduanorum Legati ita suum apud hunc Cæsarem consilium clausere, ut est a Nostro proditum Lib. IV. Rub. X. *Hæc inclyto Regi, & Pio expedire, sicque prosperè omnia cedere.* Celebratur & à Conrado Vecerio rerum ab Henrico gestarum Historico ejus Pia Liberalitas *tribus municipiis Sareburgo, Vitelliaco, & . . . . . Trevirorum maximo templo donatis:* & ab eodem vocatur *Auctor Cœnobii Dominicanorum, qui Luceburgi agunt*, quod facinus nequaquam abhorret à studio Pietatis. Sed quid ego in his immoror, loquentibus ipsis Henrici Vita, & Moribus hanc virtutem? Admotus enim Imperio ob ipsam potissimùm Pietatem, *omnium primùm* (verba Vecerii sunt) *gratias immortali Deo agendas censuit:* turbatum ob Brixianorum pertinaciam *demulcebant* (ut ait Noster Lib. IV. initio Rub. I.) *protelabantque successuum angustias Altariorum Orationes, incessabiles divinorum celebrationes, nocturnæque Orationes, & vota. Sicut quippe omnibus notum Principibus ac Populis, ab Aurora Missarum instaurationes ad altam diei horam tertiam de mane perdurabant:* Romæ *decrescentes videns copias suas* (Lib. VIII. Rub. VI. apud eundem Nostrum) *Deum in se propitium de corde non abjicit; sed eventuros successus mente usquequaque conjectat:* Lib. XI. Rub. VIII. animos erigit Commilitonum, *Pium sibi Patrem Clementem Sanctissimum Pontificem, cui ut pupilla oculi suprema curæ est, Ecclesiæ favores sacris monitis subjunctis viribus præbiturum* afferens, *& Deum immortalem propitium affuturum.* Hæc enim omnia Pietatem illius haud obscurè testatam posteris reliquere ab eo Divini Numinis profecta cultu, cujus *instans sedulitas* (præconio Nostri Lib. I. Rub. XIII.) *Magnanimitatem concomitari videbatur.* Insignis quoque Pietatis notis fuit Oratio, quam idem Imperator pro sedandis Mediolani motibus habuit ad Commilitones suos, Deum inibi integræ suæ mentis testem appellans, & actionum suarum omnium Ducem. Vide sis illam, si lubet apud Nostrum Lib. II. Rub. V. ut hujus virtutis radios eo in Sole propiùs admireris.

PIISSIMUS.

Usi sunt hac graviori voce, qui clariùs Pietatem istam Cæsaream exprimere voluerunt. Occurrit horum in albo Noster, qui missus ad Henricum Orator à Patria in hoc erupit Elogium Rubricæ V. Lib. III. consignatum. *Sacri nos fideles Imperii profitemur. Velis tantummodo Piissime Cæsar nostris vivamus Legibus, quarum sanctionibus diutiùs liberi viximus.* Dedit & os illi Piissimum Joannes Gerbrandus à Leydis Lib. XXVII. Chronici Belgici Cap. VIII. ubi mitissimum Principem, cum sui proditore Monacho loquentem facit. *Quibus exeuntibus, solus frater Bernardus Cæsari assistit, quem mitissimus intuens, Ore Piissimo sic affatur, &c.* Piissimum etiam aliis dictum hunc Henricum video cum respectu ad ejusdem *Mansuetudinem, Clementiam, Lenitatem*; sed hujus nos Pietatis Præcones aliàs afferemus.

RELIGIOSUS.

Locum inter Henrici VII. virtutes *Pietati* proximum jure sibi vendicat Religio, cui deditus is enixè Princeps. Collegit illam Meyerus ex eo, quòd Sacrosanctam Eucharistiæ Mensam frequentare soleret. Sic enim is Scriptor Lib. XI. Annal. Flandriæ. *Consuetudo erat Religioso Principi frequenter in re divina cum Sacerdote Sacrosanctum sumere Corpus Domini, &c.* Collegere eandem ex hoc ipso mirifico studio Divinarum epularum, aliisque præviis Christianæ Religionis officiis, duo alia rei literariæ lumina Nauclerus, & Cuspinianus verbis uterque in Henrici commendationem perhonorificis, & ornatis. Primi siquidem ista sunt. *Cæsar iter arripiens versùs Apuliam venit ad Castrum, quod dicitur Bonconventum, in Vigilia Assumptionis Mariæ Virginis. Ubi propter Festi solemnitatem illa die quievit. Disposuerat autem se, per aliquot dies jejunio, ac bonis operibus intendens, Sacramentum Christi Corporis, ac Sanguinis in Festo sumere.* Secundi hæc. *Instabat Beatissimæ Virginis dies, quo in Cœlum ab Angelis assumpta est, quo solitus erat Cæsar omnibus intermissis negotiis, rebus divinis vacare. Ea enim erat Religione, ut sæpe totas noctes ante imaginem Crucifixi (quam semper secum circumferebat) quàm devotissimè oraverit, & peccata quàm amarissimè defleverit, solitus Sacram Eucharistiam aliquando quotidie, aliquando summis Festis accipere.* Quid hac fingi, vel excogitari religiosius Religione possit in Principe, cujus humeris totius Terrarum Orbis moles fulciatur, ut Atlante Cœlum? Quare verè locutus Joannes Hocsemius in Theobaldo de Barro Leodiensi Episcopo LXXIV. Cap. XXXI. cùm hoc illi Encomium concinnavit. *Eodem Anno (MCCCIX.) Henricus Comes Lutzilburgensis in Regno successit eidem* (Alberto) *& Aquisgrani solemniter coronatur. Hic Justus, & Religiosus, & in armis Strenuus Ecclesiam diligebat.* Procul item habuit caussas assentationis omnes Huldricus Mutius Basiliensis Gymnasii Professor, cùm hæc scripsit, quæ Libro XXIII. Germanici sui Chronici consignavit initio, ubi de Cæsaris hujus electione sermo. *Censuerunt autem nominandum Comitem de Lucemburg, Religiosum, Ecclesiæque amantem.* Ab ea sanè virtute, & laude Cæsarem hunc Clementi V. Pont. Max. à Cardinali Pratensi præcipuè commendatum lego, ut is prælatus Competitoribus reliquis ad Imperii fastigium efferretur, rem ita narrante Vecerio in illius Vita. *Quum Clemens, quem igitur præcipuum crederet, tantæque successioni idoneum quæsivisset, Pratensis, Ecclesiarum ne libertatis respectu, an studio Gibellinarum partium, an consuetudinis in Urbe quondam institutæ memor, Henricum, ait, Luceburgiæ Comitem nulli Germaniæ Principum cedere arbitror, sive Religionem, sive Fidem, seu certè Magnitudinem animi spectaveris.* Quid si ob eandem virtutem Reverendi quoque Titulo decoratus hic Cæsar? Video à Gerbrando factum. *Traditor ait, Reverende Domine, si vestra Nobilitas annueret, possem vos curare:* & norunt omnes militantibus in *Religionis* castris *Reverendi* nuncupationem aptissimè convenire.

DE-

Digitized by Google

DEVOTISSIMUS.

Pertinet huc etiam Devotissimi Encomium, quod in illum supra laudatus Gerbrandus a Leydis contulit post narratum Miraculum Scyphi, quatuor in partes scissi, ad Crucis signum ab ipsomet Henrico VII. editum, ne vini haustu læderetur Scypho illi ab homine proditore concrediti cum veneno. Arguit ea nempe res manifestò, quantæ ille curæ Numini Summo esset, ob suam erga illius Majestatem (sacris cum Scriptoribus loquar) Devotionem Summam. Cæsar verò pertinaciter instat, volens ex dicto Scypho bibere. Unde vino infuso, facto signo Crucis, dum Cæsar proponit Scyphum tollere, Scyphus in modum Crucis in quatuor partibus dividitur, & vinum cum veneno confunditur. (aliàs circunfunditur) De quo Miraculo Christus à suis benedicitur. Quodam alio tempore Cæsar Devotissimus ad Eucharistiæ Sacramentum procedens à Fratre quodam Jacobita veneno Calici mixto inficitur. Cui verò, nisi ejusdem Cæsaris *Devotioni summæ* (ut à piis ea vox Scriptoribus usurpatur) in acceptum feras, quod ante Miraculum illud præstitisse dicitur, ejusdem Historici verbis, cùm sibi prima vice venenum à famulo propinatum sensit? *Alio itaque tempore Cæsar, somno se parans, discalceatus lectum intravit, potumque postulat, qui sibi à suo famulo præsentatur, quo sumpto Cæsar mox se infectum percipit. Is itaque subitò surgens Capellam solus ingreditur, cujus ostium, ne quis secum veniat, obsirmavit. Gratiam itaque procumbens ante altare postulat, ut, si non sit Mundo utilis, potus sibi iste maneat ultimus: si verò Deus velit sibi utilitatis caussa parcere, ejusque vitam protendere, dignaretur ipsum à potione pessima liberare. Quo dicto venenum via, qua venerat, recedebat. Cæsar, Deo grates agens, & ad lectum, rediens, dicta nulli aperuit; sed quidam, ipso nesciente, retro altare latitans, ista omnia audivit, & publicavit.* Longè quid ampliùs, ad eandem exprimendam virtutem, Cuspinianus affert, eum videlicet Divino fuisse servitio sic addictum, ut neque recuperandæ pristinæ valetudinis gratia ab eo potuerit dimoveri. *Invalescente morbo* (verba Cuspiniani sunt) *Cæsari consulunt Proceres, ut Pisas reducatur. Quibus respondit, se in servitio Dei esse, nec alò profecturum. Itaque Bonconventum defertur, ubi animam Deo reddidit.* Expressit eandem Henrici mentem Gerbrandus à Leydis, cùm illi viam salutis aliam commonstrasset idem ille proditor, qui Principi de se probè merito mortem antea fuerat machinatus. *Traditor ait. Reverende Domine, si vestra Nobilitas annueret, possem vos curare. Cæsar ait, frater Bernarde, si hoc posset, ordinem postulo recitari. Traditor ait, quòd, si demisso capite, & suspenso pede, venenum via, qua venerat, revertetur, Cæsar ait. Absit, bone frater, si alio modo non potest fieri curatio. Nolo enim aliquo modo animæ meæ cibum suum subtrahere; sed illum, destructo per vos corpore, Creatori humiliter præsentari.* Quis Devotionem tantam secum ipse tacitus non admiretur, non æmuletur, non prædicet, non extollat?

CATHOLICUS.

A *Pietatis*, & *Religionis cultu* ad Fidem Virtutum omnium basim, & fundamentum accedo, qua nulli Germanorum Principum Henricum concessisse didicimus ex Pratensis Cardinalis Elogio, quod dedimus in Præconio, *Religiosi*, Conradi Vecerii verbis. Eò primùm spectat Catholici Titulus, quem illi Scriptores, & suo sanè merito, Clarissimi detulerunt. E quibus F. Johannes SchecKmannus in Medulla Gestorum Trevirensium Cap. IX. *Habuit* (inquit) *Baldevvinus fratrem Henricum, Justum, Prudentem, Honestum, Catholicum, dilectum omnibus, quem, cooperante Petro illo Maguntino Præsule, ad Imperii culmen promovit, appellatum Henricum VII. Imperatorem.* Et ante multò par illi prorsus Elogium suo in Augustali contecerat Benevenutus Imolensis seculi illius Scriptor, quo vivebat is Cæsar, par ut sit credere. SchecKmannum suos illis è rivulis hortulos irrigasse. *Floruit iisdem temporibus Joannes Villanus, Historicus fidei non infidæ, idemque tum Lib. IX. Cap. CI. tum Lib. X. Cap. I. Imperatorem hunc, cujus facta non tam auditione accipere, quàm oculis usurpare potuit, Catholicum appellavit. Extant ad hæc Clementis V. Pontificis Romani literæ, tum apud alios, tum apud Abrahamum Bzovium Sacris illius Annalibus insertæ Tom. XIV. Col. 112. in quibus ipse fatetur Pontifex, in se recepisse Henricum, quod, ut Princeps Catholicus, & Ecclesiæ Advocatus, atque Defensor ipsam juvaret, & consiliis & auxiliis illi adsisteret opportunis.* Ecquid aliud, quæso, loquitur Professio Catholicæ fidei, quam ipsemet Cæsar edidit Romæ, idemque Bzovius in lucem protulit è MS. Codice Vaticano? Legatur illa in laudatis Annalibus Col. 183. ut omnis ea de re scrupulus eximatur iis, qui aliam fortassè sententiam imbibere. Non itaque temerè hoc etiam Henricus nomine commendatus Electoribus a Pratensi, ut Alphonsus Ciaconius tradit in Clemente V. *Insinuavit verò* (Cardinalis Pratensis) *his* (Electoribus) *Henricum Lutzemburgensem, Virum armis strenuum, & robore corporis ferocem, Catholicum, & omnium Germanorum Principum optimum.* Idemque ante multò scriptum reliquerat Nauclerus Vol. II. Chronographiæ, Generatione XLIV. *Placuit Pontifici consilium* (Pratensis) *& simul cum Cardinale nominant etiam Electoribus Comitem de Lucemburg, Virum Magnanimum, Industrium, atque Catholicum, Pratensi tum bene notum.* Sed hoc Henricum Elogio meritissimè decoratum adstruent Elogia reliqua, huic affinia, quæ subnectam. Dictus enim etiam

FIDEI CHRISTIANÆ CULTOR, Et DEFENSOR INTEGERRIMUS.

Manavit hæc in illum laus à Joanne Trithemio in Chronico Hirsaugiensi ad annum MCCCX. *Fuit autem Henricus Imperator iste, Vir Sapiens, Justus, & Gratiosus, in armis Strenuus, Fidei Christianæ Cultor, & Defensor Integerrimus, consilio, & animo promptus, amator Cleri, & Pauperum defensor.* Vides hic apertè Lector, quam verè ingenti Virtutum agmine stipatus incederet unus hic Cæsar, quem Elogiorum initio, singulari Dei Opt. Max. providentia datum Orbi diximus, ut in eo vires suas experirentur Virtutes omnes. Sed ad rem. Habitus ad hæc Henricus

CHRISTIANÆ RELIGIONIS ZELATOR EXIMIUS AC FERVIDUS PERSECUTOR.

Ornavit hoc illum Elogio Lupoldus Bebenburgius in Tractatu de Juribus Regni, & Imp. Rom. Cap. IX. in fine, ubi de responso loquens ab illo dato Cardinalibus in Urbe, respectu juramenti fidelitatis, quod Imperator Romano Pontifici præstat, hæc habet. *Sed opinari quemquam, quòd circa responsionem de Juramento hujusmodi hunc habuerit intellectum, satis inconveniens reputo, cùm ipse Christianæ Religionis, ac totius Justitiæ Zelator Eximius, Ac Fervidus extiterit Persecutor.* Zelum autem ejus in Religionem Christianam, inibi inter alia Freherus probat ex eo, quòd in ejus Vita legi narrat: *Die Coronationis suæ, Romæ in Ecclesia Lateranensi, more aliorum Principum Romanorum, legem primam edidisse, seu Authenticam novam* De Summa Trinitate, & Fide Catholica, &c. Ut in Paralipom. Urspergensis. Quam legem editurum se subjicit in *Legibus Curiatis*. Sed ejus quoque legis mentio apud Bzovium, & Nauclerum in laudatis locis. Nos illam fortassis alibi producemus.

ECCLESIÆ ADVOCATUS. DEFENSOR. AMANS.

Conjunxi hæc tria Elogia, quòd ad idem spectent. Primis duobus insignitur in supra nominatis literis Clementis V. talemque illum fore conjecerat aliis ejus ex Virtutibus Pratensis, si quando Romani Imperii fastigium attigisset. Indicant id ipsius Pratensis verba, quæ Vecerio debes. *Neque dubium, si eò celsitudinis benignitate tua* (loquitur cum Ponti-

fice Pratensis) *provectus fuerit, nulla non re, vel Pontificiis obtemperaturum jussis, vel Immunitatem Ecclesiæ propugnaturum*. Nec expectationem de se concitatam fefellit Cæsar. Nam antequam Italiam ingrederetur, *in manibus Joannis de Mollianis, Scholastici Ecclesiæ Talensis, Capellani Pontificii ad hoc missi, promisit, & jurejurando firmavit, quòd Ecclesiam, & fidem Catholicam pura fide totisque viribus conservaret reverenter, defensaret etiam contra quoscumque homines, cujuscumque existerent præeminentiæ, dignitatis, vel status*. Hoc enim ipse suis in literis Pontifex testabatur. Lausanæ quoque cùm esset, in ipso ferè limine Italiæ, coram Nuntio Pontificis, eam sibi necessitatem imposuit, seq; jurejurando astrinxit ex formula perscripta, & diplomate luculentis verbis Ecclesiæ Rom. dato, *Libertatem Ecclesiæ inviolatam servare, & Advocati, Defensorisque ejus partes agere*, ut iisdem ex literis constat. Romæ denique jurejurandum idem, receptis Coronationis insigniis, innovavit, ut Ecclesiasticis ex Annalibus Bzovii liquet, qui juramenta omnia ab Henrico VII. pro Ecclesiæ Rom. defensione præstita copulavit Tom. XIV. Col. 186. Apparet ejus quoque bonæ mentis vestigium in Sententia, quam contra Robertum Regem Apuliæ ipsemet Henricus tulit, eaque in parte maximè, in qua dolet, *Terræ Sanctæ negotium, ad quod teste illo, qui omnia novit, totis cordis affectibus anhelaret, Roberti Regis opera retardari*. Hæc enim ejus ferè partis verba sunt, ut apud Nostrum habentur Lib. XIII. Rub. V. Nec obsunt his, quæ diximus, literæ Philippi Francorum Regis, pro Roberto Consanguineo sibi carissimo Clementi V. adversùs hunc Henricum datæ Lib. XVI. Rub. III. in quibus ille impedimenta negotii Terræ Sanctæ unum in Henricum conferre studet. Nam hanc ab illo culpam ipsius Legati, apud ipsum Pontificem facilè removere, ut elucet è Rubrica proximè consequenti. Quare parum æqui fuisse videntur Henrico, quotquot illum aliud in ore, aliud in pectore gessisse asserunt, oblitumque fidei toties Ecclesiæ Rom. datæ, Defensoris quidem ejus, & Advocati personam mentitum esse, re autem ipsa ad illam unà cum omni Italia deprimendam totis nervis, ac viribus contendisse. Sed mihi non hìc propositum Apologiam pro Henrico texere; sed ejus præconia tantùm ex Auctoribus selecta connectere, dareque spectanda posteris in hac Nota.

Attulimus, quæ probarent, *Ecclesiæ Romanæ patrocinium, & tutelam* Catholico Principi fuisse cordi, ejusdem nunc illum amantem Ecclesiæ dabimus intuendum. Disertè hac in parte Hocsemius laudatus aliàs, cùm hujus de *Religione* Cæsaris loqueremur. *Hic justus, & religiosus, & in armis strenuus Ecclesiam diligebat*. Clarè pariter, & disertè Huldericus Mutius inibi memoratus. *Censuerunt autem nominandum Comitem de Luceburg religiosum, Ecclesiæque amantem*. Sed clariùs res ab eo gestæ. Nihil ille scilicet non egit, ut Ecclesiam sibi in amoribus esse publicè testaretur, cujus beneficio norat se ad Imperii Rom. fastigium devictis competitoribus omnibus evolasse. Itaque, renuntiatus Romanorum Rex, nihil antiquius habuit, quàm ut statim Legatos ad Pontificem mitteret, *impetraturus Coronationis suæ decus, & in actus quoscumque favores Ecclesiæ Triumphantis*, testimonio Nostri infra Rubrica hujus Libri VI. verè ut *fœcunda pacis vexillo in Italiam auspiciis ductus Ecclesiæ* dicatur eidem Rub. VIII. Lib. XVI. Romanos ob id ille *suos, amantissimum sibi populum; carumque Senatum* solitus appellare. Testis Oratio, quam ipsemet habuit Romæ post epulum ante inaugurationis solemnia Rom. Primoribus datum, ut affertur à Bzovio Tom. XIV. Ann. Eccl. Col. 184. *Non tamen tam longi itineris laborem sibi fuisse gravem consideranti, suos se Romanos, amantissimum sibi Populum visurum, cum quo lætos, jucundosque dies perageret*: ut à Nostro Lib. VIII. Rub. IV. *Quid frequentes literæ? quid Nuntii celeres toties expetivere, nisi ut meum carum visitem Senatum Populumque Romanum?* Ac ne aliud loqui, aliud sentire videretur, rogatus à Rom. Populo Rub. VII. ejusdem libri, ut de coronæ Romæ sibi danda loco *præstolari vellet Pontificium responsum, Majestatemque Cæsaream Sacrosanctæ Ecclesiæ monumentis, & institutis obtemperare, remisse animo, dictis illius protinus acquievit*. Sexcenta ejus generis alia prætermitto. Siquidem enim, *Magnes amoris amor*, ut à Poeta dictum, ipsaque magistra rerum experientia comprobatum est, summus Romani Pontificis in Henricum amor, summum illius amorem arguit erga Ecclesiam suam, cujus ille gratia Cæsarem diligebat. Amorem porrò summum Pontificis in Henricum ista potissimùm expresserunt. Primò. Collocatio Balduini fratris in Archiepiscopali Treverensi Ecclesiæ Sede, Henrici, Romam ob eam caussam profecti, intuitu & rogatu, qua de re Noster in extrema hujus Rubricæ cera. Secundò. Electio ipsius Henrici in Romanorum Regem, adnitente potissimùm apud Septemviros Electores, de Romani Pontificis consilio, Cardinali Pratensi Legato. Tertiò. Electionis emologatio, quam à Clemente Pont. Legati Cæsarei facilè retulere. Quartò. Vocatio ipsius Cæsaris in Italiam, quæ pæne totos annos sexaginta Imperatorem nullum viderat, Pontificis ipsius hortatu, hujus ut adventus Cæsaris, sublatis bellorum dissidiorumque seminibus, pacem ipsi, & Ecclesiæ compararet. Quintò. Romanæ Coronationis decus, cujus ergo Romæ se affuturum receperat Pontifex. Sextò. Subjunctæ vocationi Cæsaris in Italiam Pontificiæ literæ, quibus Italicis Urbibus, ut ipsum exciperent, eidemque faverent ac obtemperarent, sedulò mandabatur. Septimò. Basiliensis Episcopus unus ex Regiæ Curiæ Principibus Avinionem, ubi tunc Papalis Curia residebat, transmissus à Cæsare, benignè à Papa susceptus, ut loquitur Noster Lib. IV. Rub. I. Octavò. Legati à latere Cardinales jussi illico à Pontifice ad Cæsarem se conferre, tum ad superandas rerum ab illo gerendarum vicissitudines, & anfractus; tum ad peragendam ipsius vice Cæsaream inaugurationem Romæ. Nonò. Senatoria dignitas Ludovico Sabaudo confirmata Pontificio decreto, postulante Henrico. Nihil demum pro Majestate Henrici sarta tectaque tuenda a Pontifice prætermissum, ut Bzovius narrat, qui & addit Mediolanenses anathematis Pontificii telo percussos ob violatum Henricum; sed ob pœnitentiam facti communioni Fidelium redonatos statim.

Se se prodit hic idem amor Pontificis in Henricum ex Oratione Nostri, quam habuit in Patavino Senatu adversùs J. C. Rolandum de Placiola, defectionem à Cæsare suadentem in illis Rubricæ primæ Libri VI. *Illumne Ecclesia Romana coadjuvat? fovet? sublevat? Attestetur hoc Rolandus, cujus oculi videre assidentes à latere quatuor Cardinales, Papæ monitu pro viribus obsequentes*. Facit huc etiam Ecclesiæ Filii Cognomentum, quod cùm in Papali responso Lib. III. Rub. VI. tum Lib. IV. Rub. I. ore Cardinalis Hostiensis Henrico delatum occurret. Ne multis? Dicat hac de re pro se testimonium Henricus ipse, & hoc Elogium claudat iisdem verbis, quibus olim amorem ille Pontificis erga se prodere consueverat. Ajebat enim ille, hunc ut palàm faceret, se Pontifici, ut pupillam oculi (qua loquendi formula res quæque carissimæ designantur) supremæ curæ esse. Habes hanc formulam apud Nostrum Lib. XI. Rub. I. nec aliud hìc à me quidquam, ne videar meridiano Soli lucem adjicere voluisse.

CHRISTIANISSIMUS.

Suggerit hoc Elogium mihi Jo: Dubravius Hist. Bojemicæ Lib. XXII. in fine, ubi de Joanne fratre Caroli IV. Marchione Moraviæ loquens: *Johannes* (inquit) *quondam Marchio, Princeps illustrissimus, qui Caroli IV. Maximi frater fuit germanus. Quorum Genitor Johannes Cæcus, Princeps serenissimus, Bohemiæ, & Poloniæ Regnorum Rex fortissimus. Avus autem eorum Henricus VII. qui Imperator erat Christianissimus*. Fuit & in ore, ac calamo Gerbrandi à Leydis Lib. XXVII. Magni Chron. Belg. Cap. VIII. *Igitur post hæc Imperator Christianissimus suis valedicens, & manus devotissimè erigens in Domino feliciter obdormivit*. Accedit his Marsilius Patavinus Part. II. De-

Defensor. Pacis Cap. XXIII. circa finem. *Quæ potiùs, de injusta injuria Christianissimo Imperatori, virtutum omnium viro singulariter inter cæteros Principes approbato, suisque successoribus, & affinibus omnibus facta contumelia, intitulari potuisset.*

CHRISTIANORUM DECUS, ET SALUS.

Refero huc etiam duas hasce perhonorificas appellationes, quibus Henricum compellavit Noster, cùm apud illum diceret Orator Patriæ. Sic enim ille exorsus dicere, ut apparet ex Rub. VI. Lib. III. *Tertia mihi sors (Magnanime Cæsar) Dei, Cœlitumque munere condonata est, serenam intueri Majestatis tuæ faciem, Christianorum Decus, per quem, inspectante Deo, Reges regnant, & Domini dominantur, finem his dicendi fecit: His secundùm vota disponimus, his nostra contenta Communitas. Tuque vive, valeque, Rex Invictissime, Salus Viventium Christianorum.* Ut non immeritò scripserit Munsterus, *Christianitatem in hujus Henrici nece jacturam maximam passam esse;* nec ingenuè minus post ejusdem necem, *inter consolabiles Principum planctus, Petrus Archiepiscopus Maguntiacensis cum magno ejulatu exprimente indignationem casus tanti viri, testatus sit* (ut Meyerus refert) *intra quingentos annos nullius mortem Principis tanto toti Mundo fuisse detrimento.*

PROBUS. BONUS. INTEGER. SANCTUS.

Ob hujusmodi factorum, & virtutum famam præconia quoque Probitatis. Integritatis. Et Sanctitatis tulit, quæ subdam susceptæ provinciæ non oblitus. Extat præconium primum a Probitate ductum in Literis Clementis V. quarum apud Bzovium exemplum habes, Tom. XIV. Annal. Ecclesiast. Col. 110. in hæc verba. *Examinata quoque persona ipsius Henrici, prout absentia patiebatur ejusdem, & de ipsius Fide, Probitate, & aliis, quæ in persona Imperatoris sunt meritò requirenda, cum pluribus Prælatis, & aliis magnæ auctoritatis viris, qui ejusdem Henrici mores, conditionem, & statum pleniùs noverant, inquisito; ejusque persona, cujus etiam Nos, & Fratres nostri aliqualem priùs notitiam habebamus, &c.* Occurrit & in Chronico Hirsaugiensi Trithemii ad Annum MCCCVIII. *Eodem Anno, in mense Novembri convenerunt Principes Electores ad Villam dictam Rense, non longè à Bopardia, juxta Sedem regalem, &, procurante Domino Petro Archiepiscopo Moguntino, in Regem Rom. unanimiter elegerunt Henricum Comitem Lutzenburgensem, fratrem Balduini Archiepiscopi Treverensis, Virum bonum, strenuum, & Imperiali honore dignum.* Et in Epistola II. Mussati nostri, cujus major pars in ipsius Henrici laudem excurrit.

Parce tamen, Bone Rex, nimiùm mihi fortiter auso,
Si fuerant alia gesta notanda manu:

Et paulò post Mussatus idem, illam se præ cæteris capturum voluptatem asserit suo ex Opere de rebus ab illo gestis, quòd, Henricum laudans, laudaverit *Bonos*.

Sit stylus ipse humilis, rebusque incommodus altis,
Sit rata verborum pro gravitate fides:
Quòque magis Magnis fuero Scriptoribus impar,
Hocque minus reliquis invidiosus ero.
Si mihi præfuerint, ego me consoler in illis,
Gaudebo laudes attribuisse Bonis.

Integritatis præconium alterum Vecerius attulit, nec uno in loco. Ait enim in limine Opusculi de Henrico ipso. *Juvit assertionem Cardineam Henrici quoque Integritatis Gloria, quam ex rebus fortiter, probèque gestis fama jam pridem exorta ad Clementem quoque pertulerat:* Et in calce. *Henricus iter per Hetruriam faciens, ubi ad Montem-apertum accessit (id nomen loco tribuere accolæ) ægrotare manifestò incœpit, tametsi jam inde à relictis Pisis initia morbi irrepentis animadverterat: sed ipse, qua erat Integritate, animique magnitudine, ne die dicta temerè abfuisse crederetur, fidei, quàm valetudinis rationem habere maluit.* Respexit huc etiam Folieta, cùm huic Cæsari, *Sincerum ab omni labe ingenium* dedit. Sed huic quoque parti fulgor affulget ab ipsismet Henrici dictis, & factis. Circumfertur enim ejus Cæsaris egregium Apophthegma, quod cùm illum Improborum osorem fuisse liquidò prodat, ejusdem quoque *Probitatem*, & *Integritatem* aperit, Notamque nostram illustrat. Adducam illud castè & integrè, totidemque verbis, quibus accepi à Magno Rei literariæ, Venetæque Patre Dominico Molino, cujus incomparabili Humanita i multa in hoc Opere debeo, perpetuò debiturus. *Comites de Virtemberg apud Germanos in Suevia latè dominantur, & quamvis Principatus honore, & appellatione careant; potentia tamen multos Principes antecedunt. At insolentes & improbi habentur, qui neque Romanam Sedem venerantur, neque obsequuntur Imperio. Nobilis quispiam, cùm hos diu sectatus fuisset, ab eis tandem recedens ad Curiam Cæsaris profugit. Henricus tum Septimus imperabat, avus Caroli IV. qui Sigismundi pater fuit. Nobilis in conspectu Cæsaris quotidie accusare Comites, nunc rebelles, nunc raptores appellare, hostes Imperii, contemptores Ecclesiæ: Cui Henricus. Tace, inquit, Veterator, neque laudanti tibi quos scimus pessimos; neque vituperanti quos tu olim sequebaris, fidem habemus.*

Sanctitatis præconium tertium legere est apud Meyerum Lib. XI. Annal. Flandriæ. *Electus est statim Henricus ejus nominis Septimus, qui Comes erat Luceburgensis, Vir non modò bello strenuus; sed pius, Vitaque Sanctus.* Sed hausit id ille præconii ex Argentinensi, cujus illa sunt. *Celebravit autem Clemens Papa V. post mortem Henrici Cæsaris Concilium Viennæ revocans sententiam Imperatoris contra Robertum Regem prolatam, & eidem Sancto Imperatori perjurium impinxit.* Injuriam ego quoque intulerim Etruscarum Musarum ocello Francisco Petrarchæ, cujus ad fontem, & cineres hæc Arquadi scribo, si, quod ille Henrico VII. concessit elogium in Exhortatoria de pacificanda Italia ad ipsius Nepotem Carolum IV. Imp. invidere reticendo velim hoc loco, in quem probè cadit, & spontè. Nimirum Sacram ille Mentem illic Henrico tribuit, quòd ejus haberet ob oculos Sanctitatem. Audiatur itaque *Vir cœlestis*, ut eum Jacobus Philippus appellat in Suppl. Chron. Lib. XIII. ad annum MCCCXLI. *Unus tibi pro omnibus satis erit Henricus Septimus æternæ memoriæ serenissimus avus tuus: cui si ad explenda, quæ Sacra Mente conceperat, vitæ spatium suffecisset, versa rerum sorte, & afflictos hostes, & Romam regnantem, & liberrimos Italiæ populos, ac felicissimos reliquisset.*

MAGNUS PRINCEPS.

Apertissimè Antonius Possevinus Junior in Gonzagis Lib. III. *Indoluit tota Germania, quique per Italiam officio in ipsum certaverant, Magni Principis fato.* Hinc Platina in Clemente V. *Respondere tum Florentini, tantum quidem Principem imprudenter agere qui Barbaros in Italiam ducere conetur, quam ipse, Imperii causa, à Barbaris tueri deberet.* Voluit & hoc ipsum Noster, cùm in hujus Rubricæ calce, *Insignem inter utriusque Galliæ Principes habitum* scripsit; *in eoque cum fama, & opibus crevisse cætera, quæ inter Primores, & Excellentes mortales extollunt.* Nec ablusit, qui Virum singulariter inter cæteros Principes approbatum asseruit, cùm ejus existimationem a malevolorum calumniis vindicaret. Sed inter cæteros Munstero plurimùm Septimus hic Henricus debet, a quo supra cæteros Principes insigniter est elatus. *Henricus VII. F. Henrici Comitis Lutzelburgensis, & Beatricis Comitissæ Hannoviæ, paternis opibus non quidem magnus: Justitia autem, & Prudentia, tum rerum gestarum gloria inter Principes sui ævi præcipuus, in cujus nece Christianitas maximam passa est jacturam.* At si Princeps Optimus, quidni etiam Magnus? Idcirco pergo.

OPTIMUS PRINCEPS.

Utuntur in attollendo Henrico superlatiore gradu multi, quasi indignentur illum Principibus, & Imperatoribus reliquis admiscere. Ego tibi signo paucos, & in primis Nostrum, qui clarissimè Epistola XVII.

Septi-

Septimus ille meus, Rex Optimus Henricorum.
Non nisi dejectis voluit te Brixia vallis.

Expressè pariter Follera Genuensis Historiæ Lib. VI. *Tantorum consiliorum inchoatus cursus, subita Optimi Principis morte, in oppido Bonconvento interruptus est.* Accedit his Benevenutus in Augustali, à quo clarè inter Optimos recensetur. Nec alia Pratensis sententia fuit, quam alii aliter expressere. Joannes Villanus his verbis Lib. IX. Cap. CI. *Mea sententia hæc est, Com. Lucemburgensem Germanorum omnium hujus ævi Optimum esse, supraque cæteros animi sinceritate, robore corporis, fidei Catholicæ candore præstantem.* Vecerius istis. *Henricum Luceburgiæ Comitem nulli Germaniæ Principum cedere arbitror, sive religionem, sive fidem, sive certè magnitudinem animi spectaveris.* Ad quorum vestigia conformatis gradibus M. Alfonsus Ciaconius in Clemente V. *Insinuavit verò bis, Henricum Comitem Lucenburgensem, Virum armis strenuum, & robore corporis ferocem, Catholicum, & omnium Germanorum Principum Optimum.* Sed enim aliis omnino sublimiùs, nimirum extra comparationem horum, vel illorum Principum, sensit & scripsit Huldricus Mutius Lib. XXXIII. Chron. Germanici, cùm hæc attulit. *In eo loco defunctus est Henricus Lucenburgensis, Princeps Optimus.* Hinc ejus immanitatem facti, quo ferebatur extinctus, Scriptorum nemo non graviter insectatur. Vecerius enim *facinus horrendum* dixit; *audaciam infandam.* Meyerus *nefarium scelus*; quin & ipsum *calicem* veneno infectum, *nefandum*, Val. Anselinus: *Nefandissimam potionem* ipsam Gerbrandus à Leydis: ipsum verò facinoris Auctorem *scelestissimum, perditissimum* Meyerus, *maledictum* Cuspinianus, *traditorem* Gerbrandus, *proditorem scelestissimum* BeKa citante Bzovio ex Meyero Tom. XIV. Ann. Eccles. Col. 213. Num. XV. *Judam* vulgatum carmen, quod idem Bzovius adducit in laudato loco,

Jure dolet Mundus, quod sit Jacobita secundus
Judas, quod restat, mors Cæsaris hoc manifestat
Anno milleno tercenteno, duodeno
Uno non pleno, privati luce veneno.

Virum Belial omni cruenta bellua crudeliorem, ipsumque factum, *nefandum commercium*, Hocsemius in Theobaldo de Barro Episcopo Leodiensi LXXIV. Cap. XXXII. *Miserum* tandem se se ipsemet Proditor, *quòd manus suæ*, sublato Principe Optimo, *ad bravium pessimè pervenissent.*

DECUS SUBLIME. ORBIS HEROS. FLOS GERMINIS GERMANORUM.

Ab hac sinè dubio Cæsaris hujus excellentia supra Principes, sive Germaniæ, sive Orbis reliquos, prodiit hæc præconiorum trias. Priora duo tanto Principi Mussatus adscripsit, ac primum quidem Lib. III. Rub. VI. cùm apud illum verba faceret Patriæ nomine. *Dum tandem paulò latioribus, quàm opportunitas expetebat, induciis, concordibus opinionibus decreverunt, Tibi obsequendum, parendum; Te, ut Decus Sublime venerandum, emologatis pertemptatis, & actis per nos Antonium, & Mussatum.* Alterum Lib. IX. Rub. IV. ore Florentinorum. *En quis hic est? Cæsar. Quique Cæsar? Orbis Heros, in se aliquis per hypothecas sic objurgatus dictitabat, tantis septus angustiis.* Et ante me notavit Ludovicus Cerdius in Elogiis Maronianis Cap. V. Herois titulo signatam à Joviano in Aut. sublimitatem Virgilii, planè inter Poetas reliquos admirabilis, & sublimis. Tertium Argentinensis in Chron. ad Annum MCCCXIII. *Sicque heu, periit columna magnanimitatis, & justitiæ, ac Flos Germinis Germanorum.* Quid hoc Elogio grandius, & in laudem Henrici excellentius.

SANCTISSIMUS.

Videbitur hoc temerarium dictu, & fortasse insolens; sed parcat Lector. Nam mihi conjungenti præconia Henrici, cur non fas sit dicere, quæ ante me alii. Vocavit ergo Sanctissimum Abrahamus Bzovius; sed incertum, utrum de sua, vel aliena mente. Videtur ex Annalibus Flandricis Meyeri, qui ex aliis, ut illum adducit ipsemet Bzovius, Tom. XIV. Annal. Ecclesiasticorum Col. 213. Num. 15. cujus ob id verba audire præstat. *Joannes Belea* (lege *BeKa*, seu, *à BeKa*) *in rebus Hollandicis, Ecclesiæque Trajectensis, nec non & Chronica quædam Flandriæ domestica, præter Florentinos, reos mortis Sanctissimi Principis fuisse referunt Robertum illum Apuliæ, seu Siciliæ Regem, Philippum Regem Franciæ, Ludovicum Navarræ Regem, ac Principem præterea Tarentinorum.* Et in fine Numeri. *Hæc Meyerus pars incerta, pars conficta.* Ego verò hic Bzovium etiam aliquid de suo addidisse arbitror, vel certè hæc illius postrema verba, *Hæc Meyerus, &c.* non esse ad superiora ejus Numeri omnia referenda. Nusquam enim Joannem à BeKa laudat in Annalibus suis Flandricis Meyerus; nec usquam Joannes à BeKa in rebus Hollandicis, & Ecclesiæ Trajectensis meminit reorum mortis Henrici VII. quos Bzovius ex Meyero profert. Sic itaque locum Bzovii restituendum, & legendum puto. *VVilhelmus Heda in rebus Hollandicis, &c.* Nam hic etiam Scriptor, diversus à BeKa, de Ultrajectinis Episcopis, & Comitibus Hollandiæ brevem historiam scripsit, quæ unà cum Chronica Joannis à BeKa de iisdem Episcopis, & Comitibus prodiit Francquere Anno MDXCII. Bernardo Furmerio Leovadiensi Frisio recensente. Ea re potuit unus Scriptor pro alio facilè laudari, cùm præsertim ita BeKæ Heda fuerit copulatus, ut vix appareant diversi. Cæterùm, qui Scriptorem utrumque probè verterit, hæc apud Hedam, non apud BeKam legerit in Guidone Episcopo XLII. *Et Henricus Imperator, Anno MCCCXIII. porrecta per Bernardum quendam professorem Ordinis D. Dominici Eucharistia veneno intincta, sublatus est. Et successit Ludovicus Bavarus. Fuit crebrò ab aliis tentatum, ipsum Imperatorem aqua venenata, caliceque aureo toxicato sustollere: sed Magistri præcipui Ordinis Prædicatorum ultimi mali auctores fuere, acceptis à Regibus Franciæ, Siciliæ, atque Navarræ, ac præcipuè Tarentino quadraginta millibus aureorum, qui hunc jusserant tradere venenum.* Hæc ipsemet in Hedæ Guidone legi, & inde fideliter exscripsi; apud BeKam verò, quem totum accuratè trivi, nihil talium, nec aliud quippiam de Henrico VII. Cæsare deprehendi, nisi quòd de illo Ludovicus Bavarus, ejus in Imperio successor, suis ad VVilhelmum Hollandiæ Comitem literis consignatum iit, quæ BeKæ calamo descriptæ leguntur in Joanne Episcopo XLV. his verbis: *Cùm ex divinæ largitatis munificentia longè plures Civitates, & Castra nobis, quàm D. Memoriæ quondam Henrico prædecessori nostro fidelitatis homagia præstiterint, &c.* Quare census ille reorum mortis Henrici VII. quem Bzovius attulit, Hedam potiùs, quam BeKam (absit dicto jactantia, & livor) auctorem habeat necesse est. Repeto Elogiorum pensum.

HONESTUS. GRAVIS. INGENIOSUS.

Consentiunt in Elogio primo Magni viri tres, SchecKmannus in Medulla Gest. Trevirensium Cap. IX. Benevenutus in Augustali, Villanus Lib. IX. Cap. CI. Primi verba dedimus in *Catholici* nota; Posteriorum habebit hæc charta. Benevenuti verba ista sunt in Henrico ipso: *Vir prudens, justus, Honestus, Catholicus, dilectus omnibus, &c.* Villani ista penè gemina jam allatis: *Vir sapiens, justus, gratiosus, fortis, in armis strenuus, Honestus, Catholicus, &c.* Gravitatem Sapientiæ nexam agnovit, & extulit in Henrico M. Guatius vernaculus Scriptor suo in Chronico pag. 258. Ingenium præter Carrionem infra in Elogio, *Belli Pacisque artibus clarus*, Noster Lib. III. Rub. III. *Cæsar Longobardiæ potiundæ reliquiis totus intentus, &c. ne jam ex proviso Gallicum à Ligure superetur Ingenium*: Et Lib. VI. Rub. I. in Oratione sua ad Patavinos Patres. *Quid si his Rex assentiat, cujus Patrimonii non fuere? cui, ut vim Ingenio pellat, fortè ista licuerint.* Aliique non pauci, quorum sibi testimonia, loco magis proprio, *Prudentiæ, Sapientiæque* præconia vendicabunt.

AMA-

Digitized by Google

AMATOR CLERI. PAUPERUM DEFENSOR.

At Trithemii calamo gemina hæc laus, cujus apud me verba supra in Titulo, *Fidei Christianæ cultor, &c.* Ad Amorem verò Cleri quod attinet notæ ejus sunt, quæ Noster habet hoc Libro Rub. V. *Henricum titulum Imperii nactum, non solùm universorum Principum ferventioribus assensibus, & clamoribus plebis; sed & Clericorum Antistitum applausibus in sedem Augustam fuisse delatum.* Abundabat & illius Curia Sacris Præsulibus multis, quorum alibi tibi censum dabo. Erant enim Clerici Antistites Religiosissimi Principis Amores, deliciæque inter curarum turbines, & procellas. Horum ille potissimùm utebatur opera, fruebatur alloquio, consiliis levabatur. Diceres ex illorum cœtu vocatum ad Imperii culmen; vel certè cum illis inter sacra septa iisdem institutis, ac legibus enutritum.

JURIUM REGNI ET IMPERII ZELATOR ET PERSECUTOR ARDENTISSIMUS.

Fuit hic ardor, & zelus *Henrico* cum ejusdem fratre *Balduino* Trevirensis Ecclesiæ Archiepiscopo, Sacrique Imperii per Galliam Archicancellario communis. Nam ejus virtutis intuitu observo factum, *ut Tractatus de Juribus Regni, & Imperii Romanorum* Balduini nomini inscriberetur. Loquitur id apertè Nuncupatoria ipsa, quam hisce verbis Lupoldus de Bebenburg, ejus Tractatus auctor, exorsus est: *Cùm inter omnes Principes Ecclesiasticos, & seculares Germaniæ, ac etiam Galliæ Belgicæ, cujus Primas estis, ut legitur in Canone XI. q. 3. Theugualdum. Et sic etiam Patriarcha, ut patet XCIX. Dist. in princ. & C. 1. & 2. vos Sacri Romani Regni, & Imperii Præcipuum, experientia docente, cognoverim Zelatorem, exemplum in hoc recolendæ memoriæ Domini Henrici Romanorum Imperatoris Septimi vestri germani, qui Jurium Regni & Imperii Zelator ac Persecutor ardentissimus extitit, laudabiliter imitando: idcirco Tractatum infrascriptum, de ejusdem Regni, & Imperii juribus, post tempus ipsius translationis Imperii de Græcis Imperatoribus ad Reges Francorum, & ad Germanos in personam Caroli Magni factæ, à mea parvitate collectum, Venerandæ vestræ Paternitati duxi specialiter adscribendum.* Hinc orsus ab ejusdem ferè sententiæ verbis Henricus ipse sermonem, quem habuit ad Romanos, teste Nostro Lib. VIII. Rub. IV. *Fari mihi inter vos tanto in rerum discrimine, causa ratioque movet, ò Quirites, vixque stupor, atque admiratio loquendi facultatem occupat, cùm excogitem, quid me ex Augusta urbe Regia in hanc Italiam adduxerit, & quid, nisi jam desueti extollendi amor Imperii? Amor* enim, *& zelus Imperii* unam mihi rem & eandem sonant: Et cùm apud malevolos, & invidos *violentus* ejusdem *invasor Imperii* perperam audiret, in proximè sequenti ejusdem sermonis parte, afflictam hanc sibi temerè calumniam procul amoliri studuit, ut iniquam: *Venione violentus invasor, qui ab Apostoli Petri limine repellar? A Clementissimo ac Sanctissimo Papa missos testes adduco tres à latere Cardinales. Hi Duces, hi Nuncii, executoresque Legum, Canonumque, & Imperialium sanctionum.* Quid quodque non alia conditione ejus electio fuerat à Romano Pontifice confirmata, quàm ut intra biennium Italiam cum exercitu peteret, quæ desideraret præsentiam ipsius: & primò quidem hostes Ecclesiæ, & Imperii in ordinem redigeret, mox & factionum auctores, & motuum caussas amputaret. Assensit Henricus, & cùm Imperatores alii, vel per ignaviam timiditatemve, aliaive caussas diu Italiam ingredi non fuissent ausi, eorum consilium reprehendit, idque sibi unum elaborandum proposuit, ut ad priscum decus nomen Cæsareum rediret, revivisceret, recoleretur. Ex quo generosi instinctu propositi quid aliud, quæso, arguas, nisi *Imperii zelum, & amorem ardentissimum extollendi?* Adi Nostrum, si vacat, Rub. VIII. hujus Libri, & ad hujus ardorem Zeli in cineres statim abiisse cernes quæcumque moram illi facere videbantur ad amplificandos Imperii Romani limites intrepidè properanti.

FIDUS.

Fidum hic accipio, ea Fide præditum, quæ dictorum, conventorumque constantia, & veritas appellatur, cujus contrarium est fraudatio: sic dicta Tullio, quòd fieri debeat, quod est dictum. Vecerius, fidelem huic parti operam ut impendam, in caussa est, quem qui legerit, clarè inveniet. Henrico tantì constantiam hanc fuisse, ut potiorem ejus, quàm valetudinis, habere voluerit rationem. Ego verò Vecerii verba exhiberem hoc loco, nisi in *Integritatis* elogio præmisissem, quò Lectorem voco. Sed dictis quoque meis aliunde Fides. Extat enim de Cæsaris istius Fide gravissimum aliud Jac. Meyeri testimonium in Annal. Fland. Lib. XI. quod in Henrici VII. commemoratione virtutum præterire nefas: *Jactabant nonnunquam Flandri, se ope tam fortis, tamque Fidi sibi Augusti bellum aliquando egregiè reparaturos in Gallos.* Luculentum etiam ejusdem in se amando constantiæ monumentum carminibus suis inseruit Mussatus, cùm ceninit Epistola II.

Gratia multa Tibi, pro me, mitissime Cæsar,
Accedant animæ præmia digna tuæ,
Quòd Tibi cis Alpes non me dilectior alter,
Carior aut nostra sub regione fuit:
Et, sors quæque suos casus mutaverit unquam,
Mutua non solvit fœdera nostra Fides.

Utinam redirent hæc tempora in ævum priscum.

SIMPLICITATIS AMANS.

Eadem in Epistola Mussatus Augustum suum donat hac laude, carminibus aliquot interjectis,

Fecerit hoc pietas, vigor, & clementia recti
Principis Henrici, & simplicitatis amor.

Donat & præconiis aliis quatuor, *pietatis, vigoris, clementiæ, æquitatis*, ut vides; sed in illis nos alias insistemus.

BELLI PACISQUE ARTIBUS CLARUS.

Hoc illi condiderunt Elogium, etsi non iisdem omnes omnino verbis, Jacobus Cavatius D. Justinæ Monachus Patavinus eruditionis & eloquentiæ gloria perinsignis Lib. III. Historiarum Cœnobii ejusdem Divæ: Huldricus Mutius Lib. XXIII. Chronici Germanorum: Elias Reusnerus in Genealogico Regio: Auctor Fasciculi temporum Ætate VI. & omnium apertissimè Carrio pleno planè in Elogio tanti Cæsaris, quod asseram integrum in hac Nota multorum aliorum instar. Primi verba sunt: *Cæsar ipse licèt opibus, ac ditione inter Germanos Principes minor, tamen Belli Pacisque Artibus longè major, ingentem de se opinionem excitaverat.* Secundi: *Censuerunt autem nominandum Comitem de Luceburg, Religionis, Ecclesiæque amantem, & strenuum cum moderatione in rebus agendis Bello & Pace.* Tertii: *Vir Prudens, Justus, Rei Bellicæ Peritus, Magnanimus, &c.* Quarti: *Iste Henricus fuit Comes Lutzenburgensis, in militaribus actibus strenuissimus, Pacem per terram & aquam tenere cupivit. Victor gloriosus. Bellator invictus.* Postremi: *Ita cùm Septemviri convenissent Francofurti, conjunctis suffragiis elegerunt Henricum Comitem Lucelburgensem, Calend. Novembris, septimo ab interitu Alberti mense, de commendatione Balduini Archiepiscopi Trevirorum, qui in fratre Henrico non opes, quæ exiguæ erant; sed alia ad justam, & salutarem gubernationem magis necessaria præsidia, atque ornamenta veriora prædicabat, generositatem naturæ, ingenii præstantiam, excelsi animi magnitudinem, moderationem in omni vita, justitiam, peritiam Rei Bellicæ, vigorem ætatis, & corporis, robur ac firmitatem ad tolerandos militiæ labores.* Sed hanc illius peritiam militarem tot ab eo domi, ac foris strenuè, gloriosèque bellata bella testatam adeò posteris reliquere, ut omnem ea de re dubitandi locum ademerint. Trevirensibus enim (ore Nostri in hac Rubrica infra) vectiga-

ctigalia quædam, certaque solita domui de Lucemborc exenia denegantibus bellum solus intulit, &, collatis undique Principum, amicitiarumque privatarum subsidiis, urbem Trevir civitatum Alemanniæ cis Rhenum non mediocrem obsedit, & ad exhibendorum exeniorum antiquum fœdus obstrinxit: Eberhardum Comitem VVirtebergensem opum fiducia insolentiùs nova sibi bella conflantem, jugumque Imperii detrectantem, persecutus armis, ita attrivit, ut illi proscripto, & omnibus fortunis exuto perendum fuerit, nisi clementia victoris fuisset servatus: Ad hæc Misnica bella sustulit, & Alemannia pacata Joannem filium Bohemiæ Regno, quod tunc Romano vacabat Imperio, prætecit, summoto Henrico Karinthiæ Duce ad id Regnum aspirante; & Bohemis Regia censura pacatis, Regnum ipsum utriusque Lusatiæ accessione locupletavit. Hæc domi. Nec minùs foris inclaruit hic Henricus. Quippe Italiam ingressus, Taurinatibus & Astensibus in deditionem acceptis, Vicecomites patriis avitisque laribus restitutos, Mediolanensium rerum summæ Præsides dedit, Turrianis oppressis, qui caput adversæ factionis erant: Cremonenses, qui Turrianis adhæserant, adegit supplices, deditione facta, sibi obviam funereis (ut habet Noster Lib. III. Rub. IV.) habitibus, & apertis portis procedere: culpamque (ut alii) & pœnam redimere grandi mulcta: Brixienses obsidionibus diutinis fatigatos, & fractos pari ferè pacto recepit in gratiam, demolita priùs mœnium parte, & eorum fragmentis in foveas jactis: Ursinorum impetus Romæ compressit: Florentinos cum sociis, terra mari classe Ligustica, & Sicula Robertum Apuliæ Regem afflixit, domiturus universum Orbem, si ad ea explenda, quæ magna mente conceperat, longioris sibi vitæ spatium indulsissent fata. Unde Noster in Centone ad Filium:

Cui fera succubuit Germania, totus & Orbis,
Restabat flexo succubuisse genu.

Reservo *Strenuitatis* elogio reliqua, ducturus ea in tabula lineas alias, quibus, qualis ac quantus in armis extiterit hic Henricus, appareat clariùs. Haud enim ille mihi visus impar VVratizlao Bohemiæ Duci, de quo præclarum hoc extat elogium apud Cosmam in Chron. Bohemorum: *His præfuit Dux nomine VVratizlau, vir bellicosus in bellis, armis animosus, ac consiliis supra modum dolosus: satisque in prœliis felix potuisset dici, si sors suprema non clausisset eum fine infelici.* Felicem ille scilicet exercitum suum nominat Lib. XIV. Rub. VII. in sententia contra Paduanos lata: *Dum essemus Diademate Imperialis culminis insulati, & resideremus cum nostro felici exercitu in castris ante Florentiam, &c.* Et quæ non præstitisset hic Cæsar ad felicitatem tum sibi, tum aliis perpetuò parandam, si frui lucis hujus usura diutiùs potuisset; nec prœliorum ejus inchoatum cursum violenta illa Dea, quæ omnes violat, sive morbo, sive veneno interrupisset infelici sorte: licèt illum ironicè, *formosam felicitatis effigiem*, Rolandus de Plaziola Judex appellare soleret, ut indicat ejus Oratio, quam ad Patres conscriptos Paravinos habuit a Legatione redux, testimonio Nostri, qui Lib. VI. Rub. I. dictis illius acriter intercessit apud eosdem Patres: *Verè siquidem* (quod de Bonifacio Sabaudiæ Comite scriptum reliquit Vanderburchius) *ætatis suæ Principes omnes naturæ dotibus anteisset, si fortuna illi super industriam non fuisset, & gloriæ aviator, ingentes spiritus, rationis circumscribere potuisset cancellis.* Non enim aliò spectant ei tributa præconia, quæ subdo, à Benvenuto in Augustali: *Sedatis sollicitè discordiis Alemanniæ, alto animo disponebat reformare potentem Italiam, ut sic redimeret Terram-sanctam, si fata permisissent, & sperabatur Dominus omnium in brevi cum magno favore Longobardorum, & Tbuscorum; sed Bononia, & Florentia obviaverunt sibi:* Petrarcha in Exhortatoria ad Carolum IV. *Cui si ad explenda, quæ sacra mente conceperat, vitæ spatium suffecisset, versa rerum sorte, & afflictos hostes, & Romam regnantem, & liberrimos Italiæ populos, ac felicissimos reliquisset:* Villano Libro tum VII. tum VIII. *Magni vir animi, & qui facinorum patrator ingentium extitisset, si quidem è vita seriùs excessisset:* Paullo Langio in Chronico Citizensi ad Annum MCCCXIII. *Animo magnus (ut sperabatur) non infima, si vita longiori fruitus fuisset, egisset* Meyero: *Toti Italiæ formidolosus esse cœpit: & re vera (si fata sivissent) factiones Italas sustulisset, Imperium erexisset, Syriamque barbaris purgasset.* Leonardo Aretino Historiarum Florentinarum Lib. V. *Hoc demum in loco, superante morbo, corruit, ac paucis post diebus è vita migravit in medio cursu rerum maximarum, & certè Roberto Regi admodum formidatus. Quippe Federici copiæ jam in Regnum ejus traductæ, Rhegium urbem, quæ contra Siciliam maximè opposita est, occupaverant. Duæ insuper validissimæ classes tota litora complerant, quibus cùm anxiè resisti posse videretur, addito hujus viri tam acris, tamque obstinati adventu, in summum discrimen res adducebantur;* Et aliis, quos omitto cum Vecerio, qui numquam hujus Henrici nomen sinè laude usurpat, evitandi fastidii ergo

MAGNIFICUS.

Joannes Hocsemius oculatus earum actionum testis, quibus Henricus tale sibi peperit cognomentum, eam rem posteris sic expressit in Theobaldo Episcopo Leodiensi LXXIV. Cap. XXIIX. *Hoc Anno (MCCCV.) Henricus Lutzilburgensis, postmodum Imperator, quem tunc in Curia vidi magnificè se gerentem, pro fratre, nunc Archiepiscopo Trevirensi, illius Archiepiscopatus impetrat dignitatatem.*

POLITICUS INSIGNIS.

Talis nunc demum audiit Henricus VII. Aug. Sapientissimi Politico-phœnicis Reipublicæ Venetæ Senatoris, & ingeniorum æstimatoris acerrimi Dominici Molini suffragio datis ad me literis consignato XIV. Kal. Novemb. An. MDCXXVI. Quo primùm anno de recognoscendis Albertini Mussati Godicibus MS. & eorundem editione cogitare seriò cœpi, eodem illo Rei Literariæ Principe auctore, quem nemo satis unquam miratus est, qui cœpit. Cæterùm hæc illius verba! *Observo Henricum, quo sibi Guelforum animos devinciret, aut certè minùs haberet infensos, multos è Proceribus Guelfis, suo & Imperii nomine Vicarios iisdem locis, & urbibus, quarum antea Domini fuerant, præfecisse: quemadmodum palam etiam facere nitebatur, sibi odio esse non modò dissidia, sed ipsa quoque nomina factionum. Eandem ob caussam Romani Pontificis Ministros apud se perpetuò detinebat. Planè constat, Insignem illum Politicum extitisse, & qui singulari Prudentiæ Civilis acumine moderaretur Orbem. Riciardus Caminas, cui potestatem in Tarvisinos pristinam conservavit, inter Guelfæ factionis capita censebatur.* Hæc ad me lapis ille lydius Politicæ facultatis, quibus accinit Henricus ipse, cum alibi sæpe, ubicumque Partiarii nomen a se procul eliminat, tum in Oratione, quam pro sedandis Mediolanensium turbis habuit; Rubricæ verò V. Lib III. consignavit Noster. Adisis illam, & Notas nostras, in quibus Cæsaris hujus Prudentiam, & imperandi artem apertiùs aperimus.

ELOQUENS. AMICUS MUSIS.

Affertur hoc à me Symbolum ad hanc Cœnam. Eloquentem prodidit ipse se se non una in Oratione,

Seu pax consilium, seu Mavors arma vocaret.

Mitto singulas recensere. Sermones tantùm ejus indico, sive Colloquia habita cum Regni Principibus in Germania: ad Commilitones Mediolani: ad Romanos in Urbe ipsa, quæ ne perirent Libris suis inseruit Mussatus, & primum quidem Lib. I. Rub. VIII. Secundum Lib. II. Rub. V. Tertium Lib. VIII. Rub. IV. *Amicum Musis* amor in eundem Mussatum, à quo Latinæ dudum latentes Musæ Lario redonatæ cœlo, seriò coli, & iterùm propagari cœptæ, non obscurè probat. Ejus quippe testis Mussatus ipse in Epistola II. cujus carmina jam adduxi in Elogio, *Fidus*. Induerat enim Henricus VII. Aug. mores Augusti primi, qui, dulce decus & præsidium Vatum, in iis amandis nemini concessisse fertur. Unde Venusinus Lyricorum Princeps

Digitized by Google

cepo, qui ad ejus familiaritatem irrepserat Musarum ope, & ingenii vi, Epist. I. Lib. II.

Dilecti tibi Virgilius, Variusque Poetæ.

Consule Maronis Elogia, quæ collegit Cerdalius, & Encomiastas reliquos Augusti, quo Principe nemo laude dignior, felicior, potentior, major. Sed habent hac etiam ætate Musæ Augusti Genii, & Ingenii Viros longè Clarissimos, quos inter eminet perennis ille Literarum, & Literatorum amor, Dominicus Molinus, quem semper honoris, & observantiæ gratia nominabo. Hoc enim ille jampridem suis ingentibus in Patriam, Remq; literariam meritis, & virtutibus, assecutus est, ut *ejus gloriæ* (absit dicto fascinus, ut fucus abest) *nullius laudibus crescat, nullius vituperationis minuatur*, quòd de Musarum delicio Marone Macrobius scripsit Libro Saturnalium primo. Quamobrem, ut ille dudum Eruditis omnibus, sive nostro, sive alio Sole calentibus, suus Mecœnas, suus Augustus est: sic iisdem omnes summum ejus in Literas, & Literatos studium, patrocinium, & amorem cum laude testantur passim.

Antonius Quærengus, primis Poetarum Oloribus accensendus, in Carmine ad *Flavium Quærengum* Fratris F. Templi Maximi Patavini Canonicum, & in ejusdem urbis Lycæo Moralis facultatis Interpretem disertissimum, cùm Senatoris hujus amplissimi præsertim opera à Serenissima Venetorum Republica Urbano VIII. Pont. Max. commendatus est.

Quæ volucris tanta ingenii vis præpete penna
Magnanimi in cœlum Molini attollere laudes
Ausit, & Icarios non exhorrescere casus?
Ille quidem vasta quamvis sub mole laboret
Imperii, populosque vigil tueatur, & urbes;
Mente tamen celsa non immemor æthereis alti,
Unde ortus, quò tendit iter, templa ardua crebrò
Ipse suis nitens alis percurrit Olympi,
Et fruitur pleno divini luminis haustu.
Nec fovet interea sacra seciùs otia doctæ
Palladis, aut Pindi assuetas viridantibus umbris
Felices animas arcto sibi jungere nexu
Dulcibus æterni officiis non certat amoris.
Tamq; animi quacumq; Nitor, Pietasque, Fidesq;
Laude vigent merita, immensum quacumque per Orbem
Spectanda incedit prisco Sapientia cultu,
Est hominum communis amor, nomenque merentis
Nuntia virtutis veræ lati æquoris unda
Fama volans, latas terrarum personat oras.

Laurentius Pignorius, canæ vir, Fidei, & integer Veritatis mysta, in Nuncupatoria Elogiorum illustrium Anachoretarum Jacobi Cavatii: *Mactæ Virtute, & Pietate Dominice Molinæ, cui debebit cœlum hoc nostrum, inter alia plurima, reduces Musas, & non parva excitamenta nostratium Ingeniorum. Tibi igitur jure optimo sacratur hic fœtus, quem Auctor eximiè coluit, patronum videlicet suum, & cui quàm multa deberet.*

Joannes Meursius, alter Musarum Græcarum, & Latinarum pullus in Dedicatione Cecropiæ. *Jam quid dicam humanitatem incomparabilem, quid doctrinam excellentem, & affectum in Literatos tam prolixum, ut injuriam tibi faciat, qui hac laude potiorem quemquam censeat? Hinc nimirum est, quod me hominem transmontanum, solo studiorum nomine commendatum, & amandum sponte tua suscepisti, & amorem item tuum nihil tale expectanti per Epistolam indicare voluisti. Quam rem certè, si quid aliud, quàm eximium beneficium ipse interpreter, plane amari sim indignus; ac, ni palàm hic profitear, nimis me ingratum putem.*

Martinus Sandellius, bonarum Artium studiis, & cultu clarus in Elogiis. *Literarum, ævique nostri decus immortale. Literarum, Literatorumque columen, ac præsidium singulare. Literarum Mecœnas clementissimus, cujus nomine commemorato lumen quoddam, ac numen Literarum animis audientium occurrit. Cujus singularis in Patriam caritas, in literas literatosque flagrantissimus amor, atque effusa benignitas, cæterarumq; incredibilium virtutum decora verbis æquari non possunt. Reipublicæ literariæ Mecœnas, ac Censor.*

Gerardus Joannes Vossius, Eloquentiæ, Chronologiæ, ac Linguæ Græcæ Lugduni Batavorum clarissimus, doctissimusque Professor, cujus in rem literariam merita dignè narrarit nemo, in Epistola ad Lectorem præfixa Libris de Historicis Latinis: *Ac quia is animus mihi semper fuit, ut neminem bonore suo fraudarem, planè fore confido, ut mei, vel potiùs publici boni amantes ad institutum illud nostrum conferant symbolam suam. Uti jam facere sunt aggressi præstantissimi aliquot viri terræ Italiæ; idque duce, & auspice Illustrissimo, ac Excellentissimo Dominico Molino, Patritio, & Senatore Veneto: cujus viri prudentissimis consiliis, & animo ad tuendam Reip. libertatem fortissimo æternum Veneti debebunt. Nec minùs eidem, qui tractant Musarum sacra, devincti obstrictique semper erunt, non in Italia modò sua, verùm etiam trans Alpes: ut qui cunctos de liberalium doctrinarum studiis præclarè merentes amore summo prosequatur; multosque vel conantes illud (quos inter nomen profiteor meum) beneficiis suis ornare non cesset.*

Idem Libro III. In Mussato nostro pag. 725. *Indicium autem hujus rei per literas mihi faciebat interiorum ille literarum amator, literatorum ille amor Illustrissimus Dominicus Molinus, vir aliquanto ante etiam mihi memoratus; sed nunquam satis laudatus, cujus consilio, ac suasu nobilem eum Scriptorem jam seculis tribus delitescentem in lucem profert vir Cl. Felix Osius.* Et in Helia Capreolo pag. 748. *Sed duo postremi ipsius Capreoli manu exurati supersunt in ædibus Illustrissimi Viri magni literarum, & literatorum Patroni Dominici Molini.* Ac demum in Francisco Contareno pag. 826. *Plura qui voles, adi Elogia Contarena, quæ scripsit Cl. & doctissimus amicus noster Balthassar Bonifacius, ac Illustrissimo inscripsit Dominico Molino, viro egregiè de me, ac pluribus hominibus eruditis, & merito, & merenti: quem verè Palladium Musarum, ac præsidium, & tutelam omnis Doctrinæ dixeris.*

Balthassar Bonifacius, Templi Max. Tarvisini Archidiaconus, nostræque memoriæ Polyhistor in Nuncupatoria excerptorum de Scriptoribus Rom. Historiæ: *Tibi verò potissimum Historici debebantur, qui omnes propemodum Historicos rectè factorum narrationibus defatigas. Cygnos tibi offerre æquum erat, qui inter Cygnos natus, atque educatus, non modò ipse Cygneum canas; sed aliis quoque suavem cantionem inspires. Nam, quod Philostratus de Apollonio suo speciosè mentitus est, id ego de te nostro Apolline dicam verè, à Cygnorum choro tuos esse natales exceptos, & magna hilaritate concelebratos, felicibus quibusque avibus applaudentibus. Nempe is futurus eras, ut tuis auspiciis, etsi quis natura abhorreret à Musis, ut Euripides inquit, elegans subitò, atque eruditus evaderet.* Et in Epistola Judicii Sigoniani de Scriptoribus iisdem: *Maximus ille Venetorum Senator, & rei literariæ Princeps.* Ibidem. *Nihil est enim optatius communi huic ingeniorum Parenti, quàm nostram singulorum industriam excitare, ac studiis nostris facem præferre, summum videlicet laborum suorum præmium existimanti, juxta Eurysthei sententiam, si quippiam boni ad salutem hominum conferat.*

Faciunt huc etiam ejusdem Carmina ad Uraniam:

Ergo tibi Urania, æthereum quæ sola Sororum
Nomen habes, ut cœlesti cœlestia tantùm
Conveniunt; tu sola potes celebrare Molinum,
Cœlestem quem fata Virum mortalibus unum,
Inque locum dedere Jovis.

Et alia in eadem:

Moline, cui sacra faciunt, uti Apollini, Musæ novem

Alibi in Clypeo.

Musas fovet novem
Unus Apollo.

In Columna.

Salve Columna tersior
Quocumque speculo, cùmque sis
Omni expolita industria,
Politiores Literas
Jam jam casuras excipe,
Tibi Minerva corruens,
Et Phœbus, & Cyllenius
Tibi Moline nititur:
Tu basis Imperii, tu columen Patriæ,
Tu fulcimentum Musis labentibus esto.

In Talaribus.

Prudentia oculatissima,
Matura festinatio,
Suadela flexicordia,
Blanda affabilitas, dexteritas cata,
Cura, & sedulitas, & vigilantia
Negotiis in omnibus,

Ergo

Erga eruditos largitas,
Erga bonos benignitas,
Sydera dena,
Constituunt hæc
Cyllenii togati
Talaria, & Cotburnum.

In corde, quod illi Musæ unanimes consecrant amori suo.

Quid attinet, Moline cordatissime,
Qui fers utramque Palladem
Ingentibus præcordiis,
Tibi dicare Corculum?
At illud ipsum Corculum
Musæ tibi dant singulæ.
Quot astra cor circumplicant,
Tot offerunt cor virgines:
Tuo profectò digna corda pectore.

Ac demum in Apotheosi cœlestis urbis Venetiarum.

Te quoque, longinqua vitæ statione peracta,
Gloria tanta manet: tu princeps inter amantes
Heroas patriæ: tu princeps inter amicos
Heroas Musis; tu princeps inter alumnos
Heroas Sophiæ meritò censebere. Paucis
Sic dictis tacuit: Sed divinissimus ille
Halitus ambrosium latè fundebat odorem,
Præscia fatidico traberet cùm pectore verba.

Annibal Campegius, æquè Themidis, ac Musarum cultor in Academia Ticinensi, cùm ejus nomini Lusum vernum, *Amorem Venalem*, inscriptum, consecratum iret: *Quàm enim omnia mihi apud Te fausta contigerunt: an tardos ad amorem tuum progressus habui? an benevolentiæ tuæ fores pulsandæ mihi diu fuerunt, & sub dio opperiendum? nihil profectò minùs: nam & me, tamquam ultro quæsiturus, admisisti, &, ex quo admissus sum, jugem in me, & perpetuum, tamquam semper amaturus, officiorum fontem derivasti. Juvat illa recordari, & eximiam in primis voluntatem erga me tuam, ex qua ego una satis æstri poetici haurire quotidie possem, si mihi ejus flammæ rapax esset ingenium, nec malum curarum frigus obstaret.*

M. Antonius Romitus, Musarum corculum, & ocellus in Carmine ad ipsum:

Lux, Moline, rei splendida publicæ,
Doctarumque decus, cultor & artium.

Et prope finem:

At, Moline, tui nominis alite
Tu quocumque vales ferre, favoribus
Si sint digna tuis, namque per arduas,
Nec tritas aliis intrepidè vias,
Par Famæ volitas, par & Apollini.

Thomas Rivius J. C. Anglus, idemque disertissimus Scriptor in Epistola ad Franciscum Blondum: *Accepi à te nuper Cl. Domine, Francisce Blonde, geminum de Historicis Romanis judicium, alterum Caroli Sigonii, alterum Balthassaris Bonifacii, utrumque ab eodem Bonifacio uno volumine editum, & Sapientissimo illi, longèque dignissimo Venetorum Senatori Dominico Molino, tamquam bonarum Artium & Literarum Præsidi, consecratum.*

Caspar Barlæus, Apollo Batavus:

Palladii Dux Magne chori, quo vindice Musæ
Clariùs in terris exeruere caput.

Josephus Laurentius Lucensis, magni olim Lipsii auditor, æmulator postmodum, ac demum victor, Lib. I. Polymathiæ, Dissertatione II. *Tui patrocinii ara, tuæ humanitatis aura, tuæ prudentiæ asylum, tuæ sapientiæ portus adeò omnes Italos, externosque literatorum Proceres pellexit, (ò Mecœnas unicum præsidium, & dulce decus Musarum) adeò devinxit, ut nemo literis vel mediocriter imbutus te curiosus literis non ambiat, ambitiosus non adeat, nec à tuo digressu abeat sinè divite, affluenteque redundantia. Unde à tuo colloquio quisque, ut olim adytum Delphicum, & Trophonii specus ingredientes, tuas sortes arcanaque fata, obscuris vera involvens, canit. Ego gratus recino, refero enthusiasmo correptus, Teque alterum Apollinem invoco verè magnum, qui magna sapis. Te magna manent, qui magna mereris. Quid mirum si tua verba, tamquam folia Sybillæ, & oraculo Delphico certiora ubique censentur. Ex tuo pectore tamquam ex Saturni æde nil nisi sacrosanctum prodit. Quare, cùm Tibi meritò, ut olim Magnis Diis altaria, cæteris Medioxumis aras passim literis initiati statuant, meam quoque victimam, seu libum conferam (namque nullum Sacrum sinè fumo facio) Teque mea thuris mica litabo, bis gerris meis.*

Altaria hæc inquiris, & Aras istas. Duas tibi Fortunius Licetus Genuensis, Philosophus Medicus, & in celeberrimo Patavino Gymnasio Physiologus ordinarius indicabit, & dabit. Unam in fronte Scholii de Camelo Bulla, alteram in Monumento eidem Literarum Principi, eruditionumque parenti pos. Et nos hic ex illo.

Ut Cicero devovit
Facinorosum Clodium
Hostiam ab Annio litandam
Tranquillitati Reipublicæ:
Ut Deos nupturæ Virgines
Sibi propitiabant
Camelo petulante:
Ut Arabes mactabant
In ara ignoti Dei
Camelum saginatum
A sacris alienum:
Sic perquam erudito
Literatorum Patri
Dominico Moline
Palladis Antistiti
Bardum Locutulejum
Camillum Bullam cuculum
Conspurcatorem Sophiæ
Quotumque Camelo rudiorem
Victimam nunc Minervæ mactandam sistit
Ad hanc aram Fortunius Licetus.

Phæbo Musisque sacri
Celso in vertice montis
Quò nec turbines scandunt erroris
Nec imbres cadunt ignorantiæ
Qui Literas politiores
Obliterare sæpè
Vel turpibus lituris
Fœdare potuerunt,
Eruditorum Patri
Sophorum Tutelari
Dominico Molino
Vetus Minervæ Mysta
Fortunius Licetus
Clarissimos ad ignes
Obsequii synceri
Maximo cultu litat
Præconiorum victimam
Ex intimis præcordiis,
Adolens Laudum mascula thura,
Orgiisque Palladis initiatos omnes
Solemnem hortans ad celebritatem.

Hæc recens Latinus illo Theocritus Altaria, & Aras istas Venetorum Heroum Decori ludens inter seria dedicabat, nec abstinebat ab aliis ejuscemodi inventis. Ejus enim est etiam *Syrinx in Amusos inflata* honori ejusdem Amplissimi Senatoris.

SYRINX IN AMUSOS INFLATA.

Venator ille per mare vagans nebride tectus,
Hominum terror, infelix puellarum amator,
Septem dilectæ calamis disparibus in fistulam

Canoram dædalè compactis, dulci cantilena
Sæpiùs olim Hamadryadum cœtus delectabat,
Iniquis pro dignitate belle rependens:

Adultæque Phrygii Tonsoris barundines
Nemesis flatu motæ personabant
Justissimam injusti judicii pœnam

Ignavo à Rege frustra cælatam,
Qui, rupe stolidior, Lyræ præferens
Cannas, obrutuit auriculis.

Jam si bipes bicolor Molinum
Neget doctorum Numen,
Sic à Rhamnusia

Deformabitur amens
Asinino capite,
Ut eum Thessala

Rosæ potentes
Non reforment
Comesa.

Digitized by Google

Jo. Dominicus Sala Pat. Æsculapius Seculi, & in Academia patria extraordinarius Theoricus primus, in Nuncupatoria Tractatus de Alimentis: *Hac una de causa Opusculum istud meum Nomini tuo inscriptum volui, ut scires, non obliteratam esse apud me nominis tui syngrapham, tuisque, ut egregii Artifices solent, præclaris operibus lætareris, dum assiduè Musarum alumnos fovere pergis, nec quidquam babes antiquius, quàm, ut de Bonis Artibus post Reip. graviores curas bene quotidie merearis. Erit hoc si non præstatio debiti, testimonium certè religiosissimum grati animi, memoris, ac devoti. Vale*

---------- Mearum
Grande decus, columenque rerum,

Æternumque, quod Venetæ, & Literariæ rei felix & salutare sit, sospita Terrarum Orbi.

Felix Osius, inter tot Olores Anser, cùm illi Effigiem suam typis æneis expressam offerret Strenæ loco.

Ut propiùs Domini nutus attendat amicos
Osius, baud uno devinctus nomine Magni
Molini meritis, se se sub imagine sistit
Ante Viri vultus, quem Numinis instar adorat
Orbis ab Axe dati lapsis succurrere rebus
Musarum, ingenti quarum perculsus amore
Fulget inoccidua clarus super æthera fama,
Grande decus rerum, Patriæ jubar, Orbis Apollo.

Redeo ad Henricum.

GLORIOSISSIMUS. SERENISSIMUS. LUMINARE MUNDI. BENEDICTUS. INCLYTUS. SYDUS. COLUMEN CÆSAREÆ MAJESTATIS. LUMINARE DEI. INVICTISSIMUS.

Complectar hic Elogia pleraque petita ex variis attributis (Græci epitheta vocant) quibus hunc Cæsarem Noster in primis celebratum iit; nec omittam alios. Nihil enim unquam adeò gloriosum, magnificum, & excellens aliis Cæsaribus tributum accepimus, quod non in illo tum Noster, tum alii extulerint pleno ore.

Gloriosissimos inter Principes retulerunt duo, Nauclerus Gener. XLIV. *Deinde consumatis omnibus aliis solemnibus, pro Regia Majestate adhibere solitis, Gloriosissimus Princeps ab Urbe divertens adiit Tibur &c.* Et ex eo Keriander in Comm. Aug. Trev. Part. XIV. pag. 157. *Acta Caroli Cæsaris, patrisque ejus Joannis Bohemiæ Regis, Balduini etiam Patrui Trevirensis Archiepiscopi &c. majestatem Imperii Rom. maximè diminuerint, nec admodum religioni habuerint adversùs existimationem, & instituta parentis eorum Gloriosissimi Principis Henrici VII. Imp. Aug. pacisci, &c.*

Serenissimum dixit Petrarcha in Exhortatoria ad Carolum IV. *Unus tibi pro omnibus satis erit Henricus Septimus æternæ memoriæ, Serenissimus avus tuus, &c.*

Luminare Mundi, Legati Pisanorum, quorum Legationis exordium tale habes Lib. V. Rub. V. *Mundo videlicet hoc Luminari obstruso, Generi humano in calamitatibus occumbenti nunc Deo reminiscente provisum, &c.* Et Hostiensis in Oratione ad Brixienses, quæ legitur Lib. IV. Rub. I. *Pergitisne alterum Mundo Luminare constitutum obstruere, &c.*

Benedictum idem Hostiensis ibidem. *Ad pedes Benedicti Regis in ciliciis, & cineribus vos sternite humiles, &c.*

Inclytum, Romanus Clerus, & Populus post coronationem Romæ. *Multis Cleri, Populique applausibus Inclyto Imperatori Henrico semper Augusto vitam, victoriamque acclamantibus*, ait Noster Lib. VIII. Rub. VII. & ante Lib. IV. Rub. X. Legati Patavinorum dixerant; *Hæc Inclyto Regi, & Pio expedire.*

Sydus etiam Noster Lib. VI. sed ex alieno ore. *Non probet Rolandus, ò Cives, hunc Regem sic dejectum, sic oppressum, ut asseruit, quem Gibolenga Italiæ pars, ut Sydus contemplatur, quem intestinæ factiones per Guelfas urbes clandestinè desiderant.*

Perspicuum columen Cæsareæ Majestatis, idem, & verbis suis Rubrica hujus Libri Quinta: *Cujus & jugum subiere libentes, qui trans, & cis Rhenum accolunt, & omnes Teutones ad hunc se se referentes, ut ad perspicuum columen Cæsareæ Majestatis.*

Luminare quoque *Dei* ipse se Henricus vocat Lib. II. Rub. V. *Ergo & Clementis Papæ Nun-*
Tom. X.

tius, cujus sub signaculo in me Christicolæ, ut in alterum Dei Luminare conspiciunt, &c.

Invictissimum Carolus IV. Imp. & ipsius nepos in Privilegio concesso Jacobo Carrariensi Anno MCCCXLVIII. quod mecum humanissimè communicavit Illustrissimus, ac Reverendissimus Ubertinus Papafava Hadriæ, & Rhodigii Episcopus, in omni genere virtutis; sed præcipuè Religionis, & Candoris summus: *Considerantesque, quòd claræ memoriæ Invictissimus Princeps Henricus VII. Avus noster, tunc in Imperiali solio constitutus, Jacobum quondam Marsilii, &c.* Sed hæc, & alia hujuscemodi attributa missa facio, tum quia ex supra positis elogiis multa hauriri possunt, tum quia non est animus omnia persequi. Posset enim vel ex his solis conflari Liber, ne dum augeri hæc Nota, quam fortassis etiam produxi longiùs, quàm deceret ad alia festinantem.

IMPERIALI HONORE DIGNUS.

Etsi virtutis Henrici regiæ, de quibus hactenus locuti sumus, & aliæ quæ multæ restant, dignum illum honore Imperii fuisse clament; placet tamen id ipsum Trithemii verbis, & calculo comprobare. Ait ille in Hirsaugiensi Chronico alias adducto: *Eodem MCCCVIII. mense Novembri convenerunt Principes electores, &c. & procurante Domino Petro Archiepiscopo Maguntino in Regem Romanorum unanimiter elegerunt Henricum Comitem Lutzenburgensem, fratrem Baldevini Archiepiscopi Trevirensis, virum bonum, strenuum, & Imperiali honore dignum.* Quippe (ut dicebam) Regiæ, & Imperatoriæ virtutes omnes sedem in illo fixerant, & locarant, ut esse indignus Imperio nequaquam posset. Hinc illa Abrahami Bzovii Tom. XIV. Ann. Ecclesiasticorum Col. 95. de summo Nicolai Pratensis Cardinalis studio, quo nitebatur Henricum quantocyus per Electores attollere ad Imperii culmen: *Rem etiam non procrastinandam, neque suffragia per dissensiones distrahenda esse; sed salutem Romani Pontificis, Ecclesiæ, Imperii: & cum primis Germaniæ jura, dignitates, libertatem, pacem, ac cætera, quæ optari possent, desiderarent, insinuavit: Henricumque Comitem Lucelburgensem dignum ea dignitate fore ostendit. Proinde illi electionem quantocyus maturarent, sibi reliqua curæ esse.* Et quia hæc mandato Romani Pontificis agebantur, idcirco ejus in literis hæc habentur, apud eundem Bzovium Colum. 110. ejusdem Tomi: *Examinata quoque persona ipsius Henrici, prout absentia patiebatur ejusdem, & de ipsius fide, probitate, & aliis, quæ in persona Imperatoris sunt meritò requirenda, cum pluribus Prælatis, & aliis magnæ auctoritatis viris, qui ejusdem Henrici mores, conditionem, & statum plenius noverant, inquisito; ejusque persona, cujus etiam nos, & fratres nostri aliqualem priùs notitiam babebamus, propter quod facilius transivimus in examinatione hujusmodi idonea reputata, ipsum nominavimus, denunciavimus, & declaravimus Regem Romanorum, ipsius approbantes personam, eumque sufficientem, & babilem declarantes ad suscipiendam Imperialis celsitudinis dignitatem.* Et quorsum ea de re ambigas, cùm illum agmen Virtutum omnium concordibus studiis evexerit ad hunc gradum, ut *Ærarium Virtutum Omnium* jure potuerit appellari?

ÆRARIUM VIRTUTUM OMNIUM.

Quis neget? Cùm jam illum viderimus tot ornamentis Virtutum insignem, ut divinus potiùs, quàm humanus fuisse videri possit. Sed non parcam Vecerium laudare, non parcum in isto Cæsare laudando: *Eo veluti viatico præditus (quippe cujus Ærarium, ut veris agamus, Virtute esset, quàm Nummis instructius) Septembris exitu, movit è Lausano.* Valuerunt itaque in Germanorum comitiis *Pontificiæ, Cardinalisque literæ; sed & maximè spectata virtus Henrici profuit, uti cunctorum suffragiis, ac ne uno quidem repugnante, Romani Regni sceptra florenti juveni deferrentur*, ut idem Vecerius habet: Et electus *statim claris virtutibus suis omnium animos in sui admirationem convertit, Virtutum vir omnium singulari-*

Digitized by Google

lariter inter Principes approbatus, testibus Marsilio, & Folieta.

Dices, si Vir omnium Virtutum hic Cæsar, ubi *Justitiæ*, *Prudentiæ*, *Fortitudinis*, *& Temperantiæ*? ubi *Comitatis*, *Munificentiæ*, *Clementiæ*, *Magnanimitatis*, *& aliarum hujuscemodi Virtutum* non adumbrata vestigia, sed expressa? Excurram alibi in harum Virtutum Elogia cum Nostro. Non enim hic cursum istum finio; sed abrumpo, rediturus post excursum ad sequentes Notas.

Addes, objecta huic Cæsari vitia nonnulla: Rolandum Placiolam piguisse, *quòd ejus mores viderit*, ut est à nostro proditum Lib. VI. Rub. I. *Humani generis hostem à Florentinis dictum* Lib. IX. Rub. II. *Longobardorum pestem*, *Tyrannum*, *& Barbarum*, audire iis in libris, quos Georgius Merula de Antiquitate Vicecomitum juris publici fecit, aliisque hujuscemodi vocibus apud Guelfos. Fateri non ausim omnis omnino criminis expertem hunc Cæsarem extitisse. Ecquis enim mortalium adeò beatus & felix, ut ab omni culpæ suspicione liber abierit ex humana fœce? Sed illud asserere non dubitarim, aut locum his in illo probis, & calumniis non fuisse, cùm ex hostium ore prodierint, hoc est ex mentibus livore suffusis; aut, si quæ illi fortè vitia adhæserint, *ea* (quod asseruit de Themistocle Corn. Nepos) *magnis fuisse Virtutibus emendata*, *adeò*, *ut anteferretur huic nemo*, *pauci pares putarentur*: aut ita prævaluisse Virtutes, ut Vitia tacerentur, quod Antonius Possevinus sensit Lib. III. Gonzagorum, his verbis, quibus claudemus hanc Elogiorum classem: *Indoluit tota Germania*, *quique per Italiam officio in ipsum certaverant*, *Magni Principis fato*. *Tanta illi comitas*, *fortitudo*, *ac prudentia erat*, *beneficio facili*, *& vix magnis injuriis prono in vindictam*. *Quidam voluptatibus corruptum*, *avaritiaque tradidere*; *sed prævaluere Virtutes*, *ut si quod vitii erat*, *taceretur*. Osius.

(36) Quo ad Imperium evasit. Notavit Vecerius in ejus Vita: *Delatis ad Germanos Epistolis*, *req; intellecta*, *Comitiorum solennia maturantur*, *valuereque adeò Pontificia*, *Cardinalisque litera* (*qui & illud adjecerat*, *nisi bonis consiliis protinus obsecundarent*, *Cæsarei fastigii apicem*, *jurene*, *an injuria relicto Rheno transiturum in Galliam*) *sed & maximè spectata virtus Henrici profuit*, *uti cunctorum suffragiis*, *ac ne uno quidem repugnante*, *Romani regni sceptra florenti juveni deferrentur*.

Venustè, *florem ætatis*, Henrici *Juventam* Mussatus dixit. Sic enim loquuti sunt hactenus, & loquuntur quicumque bene dicendi Lepores, ac Veneres consectantur. Nimirum *Ætas* de *Juventa* præcipuè effertur, & idem *ætatis gradus* signatè plerumque notatus appellatione *Floris*. Primùm clarè nos Ulpianus docet in I. Olynth. Demosthenis ad illa, τὸ ἐν ἡλικίᾳ: *homines in ætate*, quæ explicans, ait, τὸ ἐν ἡλικίᾳ, idest, τοὺς νεωτέρους, *juvenes*. Et adjungit rationem istam. Ἡλικία γὰρ ἐξαιρέτως ἐπὶ τῶν νεωτέρων. ἐν αὐτῇ γὰρ πάντα πράττειν δυνάμεθα; *Ætas enim per excellentiam de juvenibus dicitur*, *quòd ea ætate omnia agere possumus*: Alterum Oratores, Historici, Poetæ omnes, Latini, Græci, Cicero Philipp. II. *Illos ego præstantissimos viros*, *lumina Reip. vivere volebam*, *tot Consulares*, *tot Prætorios*, *tot honestimos Senatores*, *omnem præterea florem Nobilitatis*, *ac juventutis*. Dixit & Livius Lib. VII. *Eximium juventutis florem*: Lib. VIII. *Prima frons in acie florem juvenum pubescentium ad militiam habebat*: Et Lib. XXXII. *Flos Achæorum juventutis*. Sidonius Epist. VIII. Lib. VIII. ad Salonium. *Dic Gallicanæ flos juventutis*, *quousque tandem ruralium operum negotiosus urbana fastidis*? Nazianzenus de Cypriano, τὸ τῆς νεότητος ἄνθος: *juventutis flos*.

Sed ea locutio crebrior in Poetarum scriptis, ut non immeritò Agathias II. Hist. Locutionem esse dixerit propriam Poetarum, ὅτοι δὴ ὃν ἅπαντες τὸ ἄκρον ἄωτον κατὰ τὴν ποίησιν τῶν ἐν τῷ καθ' ἡμᾶς χρόνῳ φιλοσοφησάντων: *Hi omnes flos summus*, *ut poeticè loquar*, *nostri ævi Philosophorum*. Ea rescripsit Pindarus Od. XIII.

Ἄρης ἀνθεῖ νέων ἀλίαις αἰχμαῖσιν:
Mars floret juvenum perniciosis prœliis;

Et Maximus Poetarum Latii Lib. VII. Æneid.

Ante Urbem pueri, *& primævo flore juventus*
Exercentur equis, *&c.*

A quo Seneca Tragicus in Hippolyto Act. III. Sc. III.

Tu qui juventæ flore primævo viges.

Silius Lib. I.

----- *Primævo flore juventæ*
Insignis.

Et Lib. XVI.

----- *Confisus primævæ flore juventæ*:
Inibique rursus.
----- *famulus florente juventa.*

Et alii. Claudianus Lib. I. in Rufinum:

--------- *fruſtraque juventæ*
Consumis florem patriis inglorius annis.

Et Lib. II. de Laudibus Stiliconis.

Purpureo primæ signatus flore juventæ.

Horatius ad Pisones.

----- *Et adhuc florente juventa*
Fervidus.

Lucanus etiam, cùm dixisset, *Tunc flos Hesperiæ*, subjecit statim, *Latii tunc sola juventus*. Tyrteus:

Ὁφρ' ἄρα τῆς ἥβης ἀγλαὸν ἄνθος ἔχῃ,
Ut pulchrum pubertatis florem habeat:

Etsi Pindarus in re simili à flore ad fructum confugere maluerit Od. VI. Olym. Ἐπὶ λάβεν καρπὸν ἥβας: *Ut ad pubertatis fructum pervenit*. Hisque ducibus sibi præeuntibus Jo. Sommerus Pirnensis in Stephano I. Ungariæ Rege:

Sed periit raptus primævo flore juventæ.

Aliique sexcenti.

Ex his, *Ætatis flos*, haud dubiè *Juventus* est non modò Nostro, sed aliis propemodum Scriptoribus universis, quibus eadem locutio arrisit. Occurrunt hic mihi Livius Lib. ab U. C. VIII. *Florem ætatis ejus fructum adventitium crediti ratus*. Q. Curtius Lib. V. *In flore ætatis*, *& rerum*. Apulejus Lib. X. de Asino: *Ætatis tuæ flore*. Et aliàs in eodem Libro: *Ut*, *dimota*, *pateret flos ætatulæ*. Fabius Decl. CLXXVI. *Qua florem ætatis amisit*: legunt alii *florem gloriæ*; sed nullus Criticus Censor id probat. Lucretius Lib. III.

Confirmata cupitum ætatis tangere florem.

Et Lib. IV.

Denique cum membris conlatis flore fruuntur
Ætatis.

Tullius Philippica IV. *Gratia non virtute*, *sed ætatis flore collecta*; & in Topicis: *Hoc est*, *quasi*, *qui Adolescentiam florem ætatis*, *Senectutem occasum vitæ velit definire*. Accedunt his Recentiores aliquot eorundem vestigia persecuti. Joannes à BeKa in Conrado Episcopo Trajectensi XXII. *Theodoricus Domicellus*, *ætatis flore vernans*, *decrevit auxilio Roberti vitrici sui*, *&c. Conradum Episcopum in prædicto castro circumvenire*. Et in Joanne IV. Episcopo Trajectensi XLVII. *Hic utique Joannes*, *juvenilis ætatis flore vernans*, *totum Episcopatum diversis penuriis involutum reperit*. Joannes Capgravius in S. Asapho: *Genere & specie clarus*, *ab ipso pubertatis flore*, *& doctrina fulgens*, *& virtutibus vitam Magistri in omni sanctitate*, *& abstinentia jugiter sequi satagebat*. Mitto passim obvios, & tritos. Hinc *ætate floridus* Cæsario Lib. I. Cap. VII. *In Ecclesia S. Mariæ ad gradus in Colonia erat quidam Canonicus*, *nomine Gerardus*, *ætate adhuc floridus*, *& Mundi vanitatibus satis deditus*. *Ætate florens* apud Mantuanum Vatem Ecloga VII.

Ambo florentes ætatibus, *Arcades ambo*:
Anni florentes Statio:
Gaudia, *florentesque manu scidit Atropos annos.*

Et in Inscriptione agri Veronensis: *Florentes annos mors ipsa eripuit*. Ad quæ respiciens Tullius Philipp. II. *Nihil* (inquit) *semper floret*, *ætas succedit ætati*.

Pertinent huc etiam illa Lucretii Lib. I. licèt, ut Agathias laudatus supra, *florem ævi* dixerit, non *ætatis*.

----- *Quibus possint ævi contingere florem.*

Et Lib. V.

----- *ævo florente juventus.*

Et Silii illa Lib. I.

Ævi flore virens:

Qui tamen alibi varius, insignium Poetarum more, *Flori* modò *novo*, modò *primo* Adolescentiam comparans variè loquitur, & libro quidem III.

Inde ubi flore novo pubescit firmior ætas:

Libro verò VI.

Flore nitens primo.

Quos è Recentioribus imitati duo, Nicolaus Reus-

Digitized by Google

Reusnerus in Leopoldo II. Austriaco.

Flore virens animi, fortis bellator, & avi.

Et P. Lotichius Secundus in VVitiKindo I. Saxoniæ Principe.

Flore virens animi primùm VVitiKindus, & avi
Defendit veteres ritus, &c.

Roges hic duo. Primum, quo anno vitæ florere dicatur ætas? Secundum, cur Adolescentia potiùs, quàm Pueritia, quam Virilitas, quàm Senectus comparetur flori? Apollo licèt non fim, non tamen responsum moror, & ad Quæsitum primum quod attinet, florere tum primò creditur Mortalium vita, cùm attingit pubertatis annum, qui decimus proprie sextus. Terentius in Eunucho Act. II. Sc. III. P. *Anni?* CH. *Anni sexdecim.* P. *Flos ipse.* Ubi *Flos ipse* pro Juventa Terentio dictus. *Quod in ipsis floribus angat:* ἐν τοῖς τῶν ἡδονῶν ἀνθεσι, tumque maximè, cùm amor suas delicias, suamque ambrosiam amantibus propinat: sicut *florere*, pro *juvenem esse*, Ovidio Lib. V. Trist. Eleg. IX.

Nos quoque floruimus, sed flos fuit ille caducus.

Tribuit quoque Silius annum XVI. ætatis flori Lib. XIV.

Namque bis octonis nondum Rex præditus annis.

Et expressiùs Ovidius Lib. XIII. Metamorph. cùm cecinit.

—— Octonis iterum natalibus actis
Signarat teneras dubia lanugine malas.

Præibat flos hic omnino vicesimum annum, teste Lucano in Poematio ad Calpurnium Pisonem:

Quamvis nunc juvenile decus mihi pingere malas
Caperit, & nondum vicesima venerit ætas.

Habes ad Quæsitum primum, satis nunc secundo facio, & sanè multiplici ratione.

Prima est, quam debes eruditissimo Cerdio in accuratissimis Notis ad Eclogam VII. Maximi Poetarum, *Florem de Juventute dici, fortasse quia lanugo, quæ tum in barba promicat, instar est floris.* Et adducit ille pro se Pacuvium, qui ad eam rem signatè,

Nunc primùm opacat flore lanugo genas.

Licèt pro flore, *Flora*, legat in VIII. Æneid. ad carmen CLX. Ubi & alia ad hanc rem. Ego alios, qui *de* iisdem *lanugine*, & *flore*, & eodem sensu, Attium in primis:

Genas lanugo flore nunc primùm irrigat,

Quod Veteres uno verbo, *imbarbescere*. Pulchrè idipsum descripsit Lucanus Lib. V. Pharsaliæ.

Tum demum pueris ævo florente juventus
Occipit, & molli vestit lanugine malas:

Et Calpurnius Ecloga II. ore *Idæ*.

—— quoties mollissima tango
Ora manu, primique sequor vestigia floris
Nescius, & gracili digitos lanugine fallo.

Et paullò post ore Astaci.

—— etenim sic flore juventæ
Induimus vultus, ut in arbore sæpe notavi
Cærula sub tenui lucere Cydonia lana.

En clarè, cur lanugo Juventæ flos, idest, prima barba audiat apud primores Vatum: imò cur una vox locum alterius occupet in carminibus eorundem? Est apud Poetarum Latinorum patrem Lib. X. Æneid. *Lanugo prima* in illis,

—— flaventem prima lanugine malas,

Est apud Propertium Lib. III.

Quò rapitis miseros primæ lanuginis annos,

Ovidium XII. Metamorph.

—— prima tectus lanugine malas,

Statium.

Quisquis adhuc teneræ signatum flore juventæ
Immersit cineri juvenem, primaque jacentis
Serpere crudeles vidit lanugine malas;

Et Achilleidos primo, *Lanugo nova*,

Nec dum prima nova lanugine vertitur ætas:

At apud eundem Statium, *primæ*, sive *novæ lanuginis* loco, *primum quoque florem* leges II. Sylvarum,

—— obsessa nondum, primoque micantes
Flore genæ;

A quo Gaspar Cropacius Belsinensis in Nezamislao Rege Bohemiæ.

Fratribus extinctis in primo flore juventæ,
Hæres morte patris fert diadema sui:

Et apud Senecam in Hippolyto Act. II. Sc. III. *Primam barbam*,

Cùm prima puras barba signabat genas.

Meminit hac in re *Lanuginis solius* Statius IX. Thebaidos,

Nondum mutatæ rosea lanugine malæ:

Adhibet, ejus vicem, solum *florem* Maro VIII. Æneid.

Tum mihi prima genas vestibat flore juventa;

Sicut & Lucanus Pharsaliæ VI.

Illa genæ florem primævo corpore vulsit;

Et Pantaleo Candidus in Ladislao II. Bohemiæ Rege XV.

—— Nam se maturior annis
Extulit augusto vernans Sapientia flore:

Dixit in re simili Martialis Lib. I.

Dum nulla teneri sordent lanugine vultus,

Et Lib. II.

Cùm tibi vernarent dubia lanugine malæ.

Quibus respondent illa Claudiani IV. Honorii Cons.

—— Lanugine nondum
Vernabant vultus:

Dixit de Honorio, & Arcadio loquens Prudentius,

—— dominos vernantes flore juventæ,

Hoc est, *prima barba*, interprete Cl. Caspare Barthio, uti Vere vestiuntur horti, & prata herbis, ac pascuis: Imò Claudianus ipse,

Ante genas dulces, quàm flos Juvenilis inumbret,
Oraque ridenti lanugine vestiat ætas,

belle, venustèque permiscens *Lanuginem flori*, ut intelligas apud Poetarum Patres unum ab altero non differre, cùm Juventam pingunt.

Secunda me vocat ad se ratio, qua factum, ut *Flos* aptè caderet in *Juventam*. Divi illa Hieronymi est, petita ex eo, quòd utriusque forma brevi abeat, transeat, evanescat. Tritum hoc de Floris fuga.

Una dies peperit, sustulit una dies:

Quò respiciens Diction. Vet. *Flos* dicitur à *fluo*, *quasi fluos*, & *flores quasi fluores*, *quòd citò fluant*. De Juventute tritum & Nasonis illud,

Nos quoque floruimus, sed flos fuit ille caducus.

nimirum.

Florem decoris singuli carpunt dies,

inquit Seneca, sive quis alius, in Octavia Act. II. Sc. II. Et apertiùs Horatius Od. XI. Lib. II.

Fugit retro levis Juventus, & Decor.

Et Juvenalis Sat. IX.

—— festinat enim decurrere velox
Flosculus angustæ, miseræque brevissima vitæ
Portio: dum bibimus, dum serta, unguenta, puellas
Poscimus, obrepit non intellecta senectus;

Quibus similes sunt Virgiliani versus II. Georg. quos expendam infra.

Optima quæque dies miseris mortalibus ævi
Prima fugit, &c.

Inde Hieronymus Epistola CXXXIX. *Sicut manè virens herba, & suis floribus vernans, delectat oculos contemplantium, paulatimque marcescens amittit pulchritudinem, & in fœnum, quod conterendum est, vertitur: ita omnis species hominum vernat in parvulis, floret in juvenibus, viget in perfectæ ætatis viris: & repentè, dum nescit, incanescit caput, rugatur facies, cutis priùs extenta contrahitur.* Et eruditissimus Joannes Meursius in obitum Jani Dousæ F.

Dousa abiit, Dousa, ab! primis ereptus ab annis,
Inque modum floris flos cecidit juvenum.

Verè flos. *Cujus enim rei inveniri potest* (verba sunt Quintiliani Declamat. XIII.) *brevior ætas. Namque, dum immaturos exterior alligat cortex, nondum dixeris florem. Paulatim deinde vividiore succo tumescit uterus, & albentes accipit rimas, nec dum tamen flos est. At cùm se ruptis jam tunicis in patulum capita fuderunt, & velut fissa in orbem, jamque eorum videtur maturitas, & ignotus occasus est, & jam sinè ventis quoq; soluta natura labitur gratia, nec quisquam est flos nisi novus.* Idcirco usi & alii in re simili comparatione floris. Virgilius Lib. IX. Æneid. v. 435. de Euryalo.

Volvitur Euryalus letho, pulchrosque per artus
It cruor, inque humeros cervix collapsa recumbit:
Purpureus veluti cùm flos succissus aratro
Languescit moriens, lassove papavera collo
Demisere caput, pluvia cùm fortè gravantur.

Quem locum adumbravit Ovidius Lib. X. Metamorph. in Hyacintho puero moriente:

Ut si quis violas, riguosque papavera in horto,
Liliaque infringat fulvis barentia virgis:

Mar-

Marcida demittant subitò caput illa gravatum,
Nec se sustineant, spectentque cacumine terram.
Sic vultus moriens jacet, & defecta vigore
Ipsa sibi est oneri cervix, humeroque recumbit.

Nec dubium Virgilium ad illa Catulli animum adjecisse Epig. II. de Amore,

Nec meum respectet, ut ante, amorem,
Qui illius culpa cecidit, velut prati
Ultimus flos, prætereunte postquam
Tactus aratro est:

Et illa, quæ contra sunt in Carmine Nuptiali, in comparatione Virginitatis, & Floris illibati, seu indecerpti:

Ut flos in septis secreti nascitur horti,
Ignotus pecori, nullo contusus aratro.

Horum imitatione Meursius de Dousa cecinit, *florem Juvenum cecidisse*: Sicut & olor alter Phœbi, Gasp. Cropacius in Ladislao Bohemiæ Rege,

Qualis ubi se se flos effert aureus ortu
Mane novo, & latè suaves exhalat odores,
Mox Sole infuso terris, à falce resectus
Concidit afflatus ventis, & marcidus aura:
Talis hic ante diem, primo vernante vigore,
Dum famam ingentem de se promittit in horas,
Purpuream expirans animam, Rex funere mersus
Atroci, pulcros artus in morte reliquit.

Suggerit Cognatus rationem tertiam in Paræmia *Flos*. Quia, quòd flos est in herbis, idem in Adolescente sit pubertas, unde & pubertatem herbarum, & florem Juventutis dixerit Poetarum Princeps Virgilius. Quod tum sanè verum, cùm Latini *florem ætatis* appellant, quem Græci ὥραν, *pulcritudinem*, & ὠπώραν, *decorem*, dicunt, nam alias ætatis, sive juventutis flos Græcis est ἀκμὴ τῆς ἡλικίας, qui Terentio *vigor*, aliis *integra ætas*, qualis est in iis, qui jam justum incrementum sunt adepti. Monostich.

ὡς νεότητα.
Ἀκμητὸς σύνολον ἠδὲν ἄνθος διαφέρει.

Prorsum juventa floribus simillima.

Accedit quarta ex eo, quòd hominis Juventa persimilis Veri, cujus filii flores, ut ajebat Chæremon Athenæo teste. Nam Æschylus eosdem vocare consueverat, παμφόρου γαίας πέμπα, *omniferæ telluris natos*. Ea re apud Catullum leges, *Jucundum cùm ætas florida Ver ageret*: Ovidium X. Metamorph.

Ætatis breve Ver, & primos carpere flores:

Statium IV. Theb.

------viridique genas spectabilis ævo:

Et alia apud alios ejusmodi notæ sexcenta, verè florea, planèque verna. Neque enim hic Pythagoram sequor, cujus illa sunt. Αἱ δὲ ἡλικίαι καρὸς πᾶς συμμετρίας ὧδε σύμμετροι. Παῖς ἔαρ, νεανίσκος θέρος, νεανίης φθινόπωρον, γέρων χειμών. *Quatuor ætates proportione temporibus sic respondent. Puer ver, adolescens æstas, juvenis autumnus, senex hyems.* Siquidem enim Athenæum consulas Lib. III. reperies inibi Adolescentes vocari à Demade τοὺς ἐφήβους ἔαρ τοῦ δήμου: *Civitatis Ver.*

Mihi præ cæteris arridet illa, quam istic dabo, loco sanè sextam, & ultimam; sed aliarum omnium principem dignitate. Observavi dudum, quidquid in omni ferè re præcipuum est, pulcherrimum, purissimum, optimum, id a probis Scriptoribus Græcis, Latinisque cohonestatum appellatione Floris. Cur non igitur Juventuti, ætatum omnium optimæ idem quoque nomen aptissimè tribuatur? Duo hic dixi. Unum, optimam quamque rerum fermè omnium partem, appellatam *Florem*: alterum, ætatem optimam *Juventutem* esse. Seorsim utrumque firmare pro virili nitar, quo rationis hujus à me vis, & pondus apertiùs constet.

Flos primò dictum est, quidquid est optimum in unaquaque re. Sic *Hominum* omnium optimi, ut à re omnium præstantissima ducatur initium, *Flores* dicti. Plinius Lib. VII. Cap. XXXVII. *Variarum artium scientia innumerabiles enituere, quos tamen attingi par sit, florem hominum libantibus.* Virgilius VIII. Æneidos, & ex eo Ausonius in Carmine Nuptiali. Edyl. XIII. & Nic. Reusnerus in Maximiliano Austriaco II.

Flos veterum, virtusque virum.

Sic & hominum quique aliquo genere virtutis, gloriæ, laudis præ cæteris abundantes, notati hac voce. Huic dicto lux a multis, & fides, cùm floris nomine sibi quisque placuerit maximè ad indicandum uniuscujusque viri præstantiam supra reliquum Mortalium minùs præstantium cœtum. Ideo Theocritus Hyla ἄνθεον Ἡρώων, *florem Heroum* cum Jasone navigasse refert: *Patriæ suæ florem* Athletam quendam Pindarus appellavit; occurrit apud Æschylum in Persis τὸ Περσῶν δ' ἄνθος, in Agamemnone ἄνθος Ἀργείων, *Persarum, & Argivorum flos*; Et Simonides eo in Epigrammate, quo Sophoclem laudavit, hoc illum Elogio ornavit, ut ἄνθεον ἀοιδῶν *florem Poetarum* diceret, ad cujus imitationem Casinæ Plautinæ Prologus, sive de Plauto, sive de Poetis aliis inquit, *Ea tempestate flos Poetarum fuit*: Et Abulensis in Epistolam D. Hieronymi, de Virgilio, *Flos, & Caput Poetarum*. Ausonius etiam, cùm de Astyanacte verba faceret, ita cecinit.

Flos Asiæ, tantaque unus de gente superstes
Parvulus:

Et ita, cùm de Argonautis, Seneca in Medea Act. II. Sc. II.

Decus illud ingens, Græciæ florem inclytum,
Præsidia Achivæ gentis, & prolem Deum
Servasse memet.

Ecquis bonus Auctor, non florem adhibuit in celebrandis iis, quibus inesset aliquid in re quappiam boni? Lucanus:

Tunc flos Hesperiæ, Latii tunc sola Juventus.

Catullus de Cœlio, & Quinctio:

Flos Veronensium depereunt juvenum.

Ennius, ex quo Tullius primo de Claris Orat. & in Bruto de M. Cornelio Cethego.

Flos delibatus Populi, suadæque medulla.

Tullius idem, *Flos Italiæ* de Sabinis in Oratione pro Q. Ligario ad Cæsarem, & de Gallis Philip. III. *Nobilitatis, & Juventutis* Philip. II. *Legatorum* pro Flacco, *Equitum Romanorum* pro Plancio, *Civium* in Oratore: *Civitatis* Apulejus: *Sacerdotum* Sidonius Lib. IX. Epist. IV. *Philosophorum* Agathias I. Hist. *Bonorum* Cassiodorus in Variis Lib. X. & alibi *Generis humani*: Δίκας, hoc est *Justitiæ*, Pindarus Od. III. Nem. *Germinis Germanorum* Argentinensis de Henrico VII. Aug. *Gymnasii, & olei*, idest *Luctatorum, seu Palæstritarum* Catullus: *Dignitatis* Plinius Lib. VII. Cap. XLIV. de Q. Metello Macedonico, qui in suæ dignitatis flore, hoc est, cùm maximis functus esset, & fungeretur muneribus, homo consularis, & triumphalis à Trib. pleb. malè acceptus fuit: *Fortunæ* Curtius Lib. X. de homine maximè feliçi, & fortunato: *Curiæ* Metellus in Quirinalibus,

Curiæ flos officiosa membra
Compserat aulæ:

Austriaci Generis Gaspar Cropacius de Ferdinando Imp.

Austriaci Generis flos, & præclara propago.

Nec in hominibus solùm; sed & in animantibus reliquis rationis expertibus locum habuit *Flos*. Siquidem Euripides in Troade ἄνθος πώλων equos præstantissimos dixit: Et Lucretius Lib. V.

Principio circum tribus actis impiger annis
Floret equus:

Imò & in iis, quæ carent anima, venustissima planè translatione. Quamobrem *Rerum florem* habes apud Curtium Lib. V. *Græciæ* apud Tullium III. de Nat. Deorum, ubi de Athenarum urbe, sive quòd urbs esset præcipua Græciæ, sive, quòd res ejus essent florentissimæ. *Quàm multas ante hunc in ipso Græciæ* flore *Pisistratus, ac Phalaris, ac Apollodorus pœnas sustulit. Regni* apud Senecam in Thebaide Act. I. Sc. I.

Habitumque Regni flore pollentem inclyto,

Cui præivit Bacides Græcus vates,

Καὶ τόπι δὴ Σπάρτης μὲν ἄπ' ἀγλαὸν ἄνθεα ὀλεῖται
Μεσσηνὴν δ' αὖτις οἰκήσει δ' ἤματα πάντα.

Amittet florem Imperii tum Sparta nitentem,
Atque omni rursus Messene habitabitur ævo.

Olei apud Plinium Lib. XV. Cap. VI. *Quod verò post molam primum est, flos est, hoc est pars purior, & nitidior: Salis* apud Catonem de Re Rust. Capite LXXXVIII. in illis. *Usque adeò in Sole habeto, donec concreverit, inde flos salis fiet*, tenuissima, scilicet candidissima, purissima, sapidissima pars, salis favillæ ritu efflorescens, planèque contraria sali vulgari, nigro, sordido, populari. Quo præterea nomine ab Antiquis dicebatur res à superiori diversissima, humidioriisque naturæ, & co-

& coloris crocei, & salis quasi quædam rubigo; odore quoque ingrato, quam è Nilo fluvio, & paludibus, quibus innatat, deferri solitam observarunt Plinius Lib. XXXI. Cap. VII. & Dioscorides Lib. V. Cap. LXXXIII. Μουσικῆς *Musicæ* apud Pindarum I. Olymp. *Iræ* apud Apollonium Thyanæum, ubi μανίαν, idest *Insaniam*, *& furorem* ἄνθον esse dixit ὀξυθυμίας *iræ*, *sive excandescentiæ*, quod extrema, & acerbissima ira evadat in furorem. Χαλκῦ, *Æris* apud Galenum Lib. IX. de facultatibus Simpl. Medicamentorum, ubi, & disces, eum florem esse portionem æris tenuissimam, quæ scilicet ab ære expuitur, cum frigida affusa extinguitur, granorum instar minutissimorum, ut milii, quæque in fundo vasorum subsidit, colore æris rubri. *Cœnæ* apud Agellium Noct. Att. Lib. XV. Cap. VIII. ex Favorino Philosopho ea voce uso, cùm indicare vellet lautissimam cœnam, seu delitias cœnæ, interpretibus ejus loci Lælio Bisciola Lib. VI. Cap. XVIII. Hor. Subcesi. Vol. I. Fed. Taubmanno in Curcul. Plauti Act. I. Sc. II. aliisque nonnullis, quibus *flos Cœnæ*, cœna secunda est, seu pars illa, in qua carnes, & pisces. *Orationis* apud Tullium Paradoxo III. *Pigmentorum* apud eundem inde Cl. Orat. *Ingenii* apud Apulejum in Apologia. Πυρὸς, *Flammæ* apud Homerum, sicut apud Æschylum Prometheo ἄνθον ἡφαίστου *florem ignis*. Nam ἄνθος πυρὸς, ut Philostrarus loquitur eleganter Εἰκόνων in Scamandro, ex animadversione doctissimi Taubmanni ad Act. III. Sc. V. Casinæ Plauti, flamma potiùs, quàm ignis est. Martianus etiam Lib. II. de Nupt. Phil. & Merc. *florem ignis* his auctoribus extulit, & Libro secundo Martialis; neq abhorruit ab eadem translatione Lucretius, apud quem *flammai flos*, & *florentia lumina flammis*, Libro primo primum,

Donec flammai fulserunt flore coorto,

Ut Gisanius eo de Scriptore probè meritus legit, legentibus aliis,

Donec fulserunt flammæ fulgore coorto:

Alterum Lib. IV.

Bina lucernarum florentia lumina flammis:

Laudandum ut omnino sit eorum acumen, qui à Græca voce φλὸξ, quæ flammam significat Latinam *flos* deductam putant, quòd flos flammæ instar emicet, & scintillet in plantis explicatore Perotto. A φλὸξ *flos*, *quia emicat*, *scintillatque ut flamma*, φλὸξ *appellatur viola lutea*, *quæ & luteola à nostris dicitur*, *& flammea*. Hæc Perottus. Adi tu Collectanea Gisanii in Lucretium, Adversaria Turnebi Lib. VI. Cap. XIV. Subcesiva Bisciolæ Lib. VI. Cap. XVIII. Vol. I. Meursium Parte I. exercit. Crit. Taubmannum, & Gerdium ad Æneid. VI. trahentem huc illa Horatii Epod. 17. *Virens in Ætna flamma*, & Apulei Lib. VIII. *Luce clara*, *& die jam provecto*, *& Sole florido*, aliosque complures. Quorsum enim ego cunctos enumerem, ut probem, ad optima quæque rerum translatam appellationem floris, cùm ad omnes ferè res transierit, non usu modo Græcorum, & Latinorum; sed etiam Hebræorum, Italorum, omnium ferè Nationum Gentium, Populorum. Sacris enim in paginis *pii viri*, *Deoque cari* flores audiunt Eccles. Cap. XXXIX. nec quidquam apud Italos tritius est, quàm *Fior di latte*, *Fior di farina*, *Fior dell' età*, & alia id generis propemodum infinita.

Omnino *Liberi flos*, ut in vino desinam in hoc æstu, quo maximè bibitur, *Vinum est optimum*, *& melioris notæ* apud Festum Lib. I. *Florem anclabant Liberi è carchesiis*: Ennium, *Sauciavit se flore Liberi*: & Plautum Cistellaria Act. I. Sc. II. *Ubi linguam percussit flore Liberi*, ut Turnebus legit; nam in aliis est. *Adeò me complevi flore Liberi*. Sed prima lectio affinis est alteri ejusdem Vatis Casina Act. III. Sce. V. ore Stalini ad exanimatam, & se perditam vociferantem Pardaliscam. *Nisi hæc meraco* (sive *meraclo*) *se uspiam percussit flore Liberi*. Licèt enim pro *flore Liberi*, *flore Lybico* placeat Camerario, Scaligero, Lambino, Grutero, Doulæ, Turnebo Lib. VIII. Cap. XI. horumque postremo *flos Libycus* sit *vinum Mareoticum* literarum monumentis non incelebre; etiam versu Maronis II. Georg. clarum, *Mareotidibus vitibus* in optimo genere numeratis; *meraclum* verò, *meraculum*, idest *merum vinum*: satiùs tamen est retinere *flore Liberi* cum acerrimi judicii, & doctrinæ Criticis Modio in Justini Lib. I. Meursio in Plautinis curis, Lipsio Antiqq. Lect. Lib. V. Cap. I. asserente sicula gerra esse scribere *florem Libycum*: imò cum Turpilio apud Nonium, qui & ipse, *florem Liberi*, vinum dixit, Pacuvio in Periboea, *Postquam est oneratus frugum*, *& floris Liberi*, & Gallis ipsis, apud quos hujuscemodi loquendi genus vigere Delrius scribit in Hyppolytum Senecæ Act. II. Sc. III. Legitur & *flore Liberi* in edito Plauto à Seb. Gryphio Anno 1537. & à Roberto Paris. 1530. sed Græcis quibusdam insertis hoc pacto. *Nisi hæc ἡμέρα γλώσσαν uspiam percussit flore Liberi*, eamque lectionem probat Matthias Klock I. C. nec eruditissimus Meursius damnat, quòd insolens non sit Plauto Scenis suis infarcire Græca.

Alias *Flos vini* (ut hoc obiter aperiam non ita clarum) est *odor*, *& fragrantia vini*, quæ tamen vini probi nota. Locuta hoc sensu Anus illa bibula Plautina Curcul. Act. I. Sc. II.

Flos veteris vini meis naribus objectus est,

Quamquam eruditorum ille flos Dan. Heinsius ad illa Silii Lib. XIII.

---Bacchique, *& lactis honorem*,

apertè doceat, *florem Vini veteris* eo in loco Plauti esse *Vinum vetus*, & *florem*, ut apud Græcos ἄνθος, sæpe vocari: cum quo & eximius Franç. Modius facit Notis ad Just. Lib. I. Nimirum *Flos* quoque *Bacchi*, *Vini fragrantia* est Lucretio Lib. III.

Quod genus est Bacchi, *cùm flos evanuit*,

Sicut & *Nardi flos* eidem est *Nardi suavissimus odor* Lib. II.

Sicut Amaricini blandum, *stactæque liquorem*,
Et Nardi florem, *nectar qui naribus balat*.

Οἶνον ἀνθοσμάς huc qui referunt, cum Turnebo Lib. XIX. Adversi. Cap. XXXIII. & Brodeo Lib. IV. Cap. XX. non rectè referunt. Est enim Οἶνος ἀνθοσμὰς *odoriferum*, non nego, *vinum*; sed fictitium potiùs, quàm naturale; nec quod *Vini florem* Latini veteres dixere; sed perfusum odoribus, & unguentis, quale est illud, quo de Hippocrates Lib. de Sterilibus ex conversione Cornarii: *Odorum fragrantissimum vinum* (nam Calvus *Vinum vetus odoratissimum* reddit) Erotianus in Onomastico, allato duplici testimonio Aristophanis: Suidas, qui vinum odoratum non illud tantùm esse docet, cui locus, vel vitis genus tale nomen dederit; sed etiam, quòd immistis floribus odoratum fiat: Plinius Lib. XIV. Cap. XIII. Quique demum: ex nota Jureti in Symmachum, perscripsere morem odorem conciliandi vino floribus, & unguentis, quorum è numero laudat ille Cassiodorum Lib. XII. Epist. IV. Ælianum Lib. XII. Histor. Eunapium in Jamblico, Arnobium Lib V. Idcirco doctè Lucretius, cùm dixisset Libro III. laudato supra, *Quod genus est Bacchi*, *cùm flos evanuit*, locutus de Vino naturali odore fragrante; de alio locuturus, cui scilicet fragrantia paratur arte, subjecit ista, quibus unum ab altero separaret,

--------- aut cùm
Spiritus unguenti suavis diffugit in auras.

Quod discrimen miror oculatissimum Gisanium non vidisse.

Tandem *Flos vini* dicitur quædam quasi spuma, quæ vino sive in doliis latente, sive in calices fuso supereminere, & natare solet in modum pollinis farinæ, quod cum aliàs accidere consuevit, tum etiam contagione quadam, ut Theophrastus refert, eo ferè tempore, quo racemi vitium florent. Plinius Lib. XIV. Cap. XXI. *Flos vini candidus probatur*: *rubeus*, *triste signum est*, *si non is vini color sit*. Quamobrem ipsa quoque vina tum florere dicta, eaque de causa tentata olim in cellis, ut etiam hodie fit. Idem Plinius non multò post: *Quod celeriter florere cœperit*, *odoremque trahere non fore diutinum*.

Et Ovidius V. Fast.

Vina quoque in magnis operosè condita cellis
Florent, *& nebulæ dolia summa tegunt*.

Nota obiter verba Ovidii, qui *nebulam* vocat spumam illam vini, quam alii *florem*.

Sed nos satis collegimus florum, & firmavimus satis, quidquid usquam est optimum, florem eleganter à primi nominis Scriptoribus ap-

appellatum ; firmabimus nunc *Ætatem optimam* non inconcinnè *Juventutem* appellari posse, & magno quidem Pub. Marone duce, qui de illa diserte Georgicorum III.

Optima quæque dies miseris mortalibus ævi
Prima fugit, subeunt morbi, tristisque senectus,
Et labor, & duræ rapit inclementia mortis.

Optima quippe *dies* hoc loco Juventus est ex Cerdii, & aliorum Notis ; nec ignorare te sinet optimus vitæ, ac morum magister Seneca Lib. de Brevitate vitæ Cap. IX. cur Vatum optimus *Diem* illam potiùs dixerit, quàm *Ætatem*. Sic apud alterum Senecam in Hippolyto Act. II. Sc. II.

Optimos vitæ dies
Effluere probibe.

Optimos vitæ *dies*, Juventutis dies interpretamur, quòd tunc *melior vires sanguis det*; vigeant, valeantque validiùs membra ; utque matutinum tempus diei pars potior Virgilio Lib. IX. Æneid.

Nunc adeò, melior quoniam pars acta diei:

Sic Juventus pars vitæ melior existimanda sit. Non alia sanè de caussa Juventus Græcis ἀκμὴν dicta, Latinis *vigor*, *ætas vigens* Symmacho Lib. X. Epist. XXII. *integra* Terentio, *viridis* aliis, *bona* Nonnio, & Tullio in Catone: Senectus contra *mala ætas* Afranio in Vopisco, Attia in Amphitr. Pacuvio in Periboea, *tristis* Virgilio, *deterior* Ovidio, quàm quòd Senectus Juventutis melioris ætatis florem, velocitatem, vires, pulchritudinem, hilaritatem ; sensus integros ac vegetos ; bona demum omnia, & commoda adimat, atque in eorum locum reponat rugas, & canitiem, pedum tarditatem, infirmitatem, ac debilitatem, deformitatem, tristitiam, cœcitatem, surditatem, oblivionem, stuporem, morbos, incommodorum omnium Iliadem, & malorum. Unde Juvenalis hoc de Monstro loquens. Sat. X.

---------- *circumsilit agmine facto*
Morborum omne genus.

Οὐ γὰρ ἔρχεται μόνον. *Non enim sola advenit*, ut habet Senarius Græcus. Et verè nimis Plato, sive Xenocrates in Axiocho. Εἶπα λαθὸν ὑπεσπλθε τὸ γῆρας. ὡς ὁ πᾶν συῤῥᾶ τὸ τᾶ φύσεως ἐπίκηρον, καὶ δυβαλτές. κἂν μή τις θᾶττον, ὡς χρέος, ἀποδιδῶ το ξῶ, ὡς ὀβολοςάτις ἡ φύσις ἐπιςᾶσα ἐνεχυράζει τὸν μὲν ὄψιν, τὸν δ' ἀκοὴν, πολλάκις δὲ ἀμφω. κἂν ἐπιμείνῃ τις, παρέλυσεν, ἐλωβήσατο, παρῆθησεν. *Deinde furtim subit Senectus, in quam, quidquid habet natura Acheronticum, debile, sanatu difficile ac desperatum, confluit. Quòd nisi quis sat citò vitam, ut æs alienum, reddat, instans, ut fœneratrix, natura pigneratur ab hoc videndi sensum, ab illo auditum, sæpe numero utrumque. Quòd si quis diutiùs manserit in vita, enervat, mutilat, membra luxat, ac debilitat.* Indicat etiam præstantiam Juventutis supra gradus ætatis humanæ reliquos illud, quod attulimus supra *Ratione* IV. cùm illam comparabamus *Veri*. Quemadmodum enim Anni pars melior *Ver*; sic ætatum hominis optima *Juventus*. Ea re Symmachus loco antea memorato de Theodosio, & Arcadio Augg. *Fecistis, ut urbs cana luxuriet in primam reducta lætitiam, & ver illud quondam vigentis ætatis*. Sed nemo meliùs, uberiùs, graviùs sententiæ nostræ calculum adjecerit, unaque Virgilii mentem aperuerit, & simul attuleri rationes, ob quas Juventus *ætas optima*, Senectus *mala* jure ac merito nominetur, Seneca Epist. CIX. quem si præteream, mihi non faciam satis: *Meliora prætervolant* (ait Romanus Sophos) *deteriora succedunt. Quemadmodum ex amphora primùm, quod est sincerissimum effluit, gravissimum quodque, turbidissimumque subsidit: Sic in ætate nostra, quod optimum in primo est. Id exhauriri in aliis potiùs patimur, ut nobis fœcem reservemus. Inhæreat istud animo, & tamquam missum oraculo placeat:*

Optima quæque dies miseris mortalibus, ævi
Prima fugit.

Quare optima? quia restat, quod incertum est. Quare optima? quia juvenes possumus discere, possumus facilem animum, & adhuc tractabilem, ad meliora convertere: quia hoc tempus idoneum est laboribus, idoneum agitandis per studia ingeniis, & exercendis per opera corporibus. Quod superest, segnius, & languidius est, & propius à fine. Itaque toto hoc agamus animo, & omissis, ad quæ divertimus, in rem unam laboremus: ne hanc temporis pernicissimi celeritatem, quam retinere non possumus, relicti demum intelligamus. Primus quisque, tamquam optimus, dies placeat, & redigatur in nostrum. Quod fugit, occupandum est. Hoc non cogitat ille, qui Grammatici oculis carmen istud legit. Ideo optimum quemque primum esse diem, quia subeunt morbi, quia senectus premit, & adhuc adolescentiam cogitantibus supra caput est: sed ait, Virgilium semper unà ponere morbos, & senectutem. Non meberculè immerito. Senectus enim insanabilis morbus est.

Hæc Seneca omnium aliorum instar.

Ergo flos ætatis *Juventus* potiùs, quàm alii ætatis gradus, tum quia Juventutis lanugo, fuga, & forma *Flori* persimilis, & *florenti Veri*: tum quia Juventus ætatum reliquarum optima, sicuti, quidquid est in hominibus, in moribus, in artibus, in belluis, in aliis rebus omnibus optimum, floris nomine meruit insigniri.

Transiit nihilominus eadem quoque vox ad alios ætatis humanæ gradus, sed apud Scriptores paucos, quorum è numero Cerdius de *Viris* laudat Val. Flaccum Lib. I. Argon. *regio undat equis, floretque viris*; De *Senibus* Plinium Panegyr. Trajani, *Circumfusus undique nunc Senatus, nunc Equestris ordinis flore*, nam in Senatu Senes: Ego, de *Pueris* Portium Latronem Declam. in Catilinam, *Flos pueritiæ venustissimus ad intuentium jucunditatem*, Rutilium Itin. Lib. I.

Vitæ flore puer, sed gravitate senex,

Lucretium Lib. I.

Hinc lætas urbes pueris florere videmus,

Jo. Sommerum in Ludovico II. Ungariæ Rege apud Eliam Reusnerum, *Vernanti teneræ frontis honore puer*, nec plures, cùm plures non viderim hac ætate: Idque ob unam tantummodo ex supra positis rationem, quòd scilicet ætas omnis æmuletur brevitatem florum. Ut enim est in Sacris paginis: *Homo quasi flos egreditur, & conteritur*; & ætas omnis ex Seneca in Hippolytum Act. II. Sc. II. *Mobili cursu fugit*, ut non immeritò *volatilem* illam Ovidius nuncuparit. Ætatis nempe cursus idem, qui temporis; at tempus non est omnino, vel vix, & obscurè est, quia alia ejus pars præteriit, & non est, alia instat & nondum est: & quod constat ex partibus, quæ non sunt, vix videtur esse posse, auctore Principe Peripati Phys. IV. Unde Lucretius:

Tempus item per se non est; sed rebus ab ipsis
Consequitur sensus, transactum quid sit in ævo,
Tum quæ res instet, quid porrò deinde sequatur.
Nec per se quemquam tempus sentire fatendum est,
Semotum ab rerum motu, placidaque quiete.

Sed malo te Philosophus Seneca idipsum etiam, quam alii, doceat libro de ipsius Brevitate vitæ, Cap. IX. *Maxima vitæ jactura dilatio est. Illa primùm quemque extrahit diem, illa eripit præsentia, dum ulteriora promittit. Maximum vivendi impedimentum est expectatio, quæ pendet ex crastino. Perdis hodiernum, quod in manu fortunæ est; disponis, quod in tua dimittis. Quò spectas? quò te extendis? omnia, quæ ventura sunt, in incerto jacent: Protinus vive. Clamat, ecce maximus Vates.*

Optima quæque dies miseris mortalibus
Prima fugit ------

Quid cunctaris, inquit, quid cessas? Nisi occupas fugit: cùm occupaveris, tamen fugiet. Itaque cum celeritate temporis velocitate certandum est. Vide tu reliqua apud ipsum Sophum, & alia ejusdem notæ in laudato libro, quem numquam inspexeris sinè fructu. *Osius.*

(37) *Celebravere*. Nec Tullius hoc sensu abstinuit ab hac voce, Epistola ad Lucejum: *Ignoscet mihi de me ipso aliquid prædicanti*. Et in alia: *cùm omnes uno prope consensu de me apud te ea, quæ mihi aptatissima sunt; prædicabunt, tum &c.* Sed in his fortè locis non tam *celebrare*, quam *narrare*, esse videatur id verbi, ut apud Nostrum Lib. V. de Gest. Henrici, Rub. IV. In illis sanè, quæ mox proferam ex ejusdem Tullii Oratione pro Archia: *celebrare* est. *Themistocles dixit, se ejus vocem libentissimè audire, à quo sua virtus optimè prædicaretur*. Ibidem. *Nostra sæpe feretur virtus, & prædicabitur*. Item: *Omnes de se prædicari, & nominari volunt*. Adjungo Tullio Plautum in Curcul. Act. III. Sc. I. *Mortalem parcè parcum prædicas*. Inde *Prædicator*, *Laudator* est

in

in Epistola Planci ad Ciceronem, cujus inter Epistolas ad Familiares Libri X. septima est. *Nec te magis in culpa defensorem mihi paravi, quàm prædicatorem meritorum meorum esse volui*. Cicero ipse pro Corn. Balbo: *Volunt me esse sui facti & prædicatorem, & autorem*. Nec in his diutiùs moror. Audaculus quidem, nec sat scio, suo an seculi more Mussatus, rebus inanimis, cujusmodi *Laudes* sunt, prædicandi vim dedit, quàm alii (quod vidimus) tribuunt animatis. *Osius*.

(38) Suavis Annominatio in *Famam fama*, quam tamen MSti duo Romanus, & Venetus non agnoscunt. Est & in iisdem verbis imitatio Taciti, qui Annal. IV. *Augebat famam ipsius Titi ingenium quantæcumque fortunæ capax, decoris cum quadam majestate*. Lib. XII. *Auctaque & apud hostes ejus rei fama*. In Agricolæ vita: *Ne laureatis quidem gesta persecutus est; sed ipsa dissimulatione famæ famam auxit æstimantibus quanta futuri spe tanta tacuisset*. Hist. I. *Malè coercitam famam supprimentes augebant*. Ciceronis etiam alicubi est: *Memoriam immortalem posteritatis augere*, quod, ut à verbis ex parte differat, à sententia quidem Mussati, & Taciti non abhorret.

Fama quippe cum omnibus hominibus, tum maximè Principibus affectanda, augenda semper, ut sensit id apud Tacitum Tiberius Annal. IV. cùm dixit: *Cæteris mortalibus in eo stare consilia, quid sibi conducere putent: Principum diversam esse sortem, quibus præcipua rerum ad Famam dirigenda*. Et rursum: *Unum insatiabiliter parandum prosperam sui memoriam: nam contemptione Famæ contemni Virtutes*: idque potissimùm initio agendarum rerum. Quare Domitius Corbulo apud eundem Tacitum Lib. XIII. Annal. ad Armenias regendas missus, egregia mox facinora aggressus est: *ut famæ inserviret, quæ in novis cœptis validissima est*. Sic Agricola Taciti socer, quem idem Historicus in ejus vita scribit rebus in Britannia sedandis datum: *statim obviam ire discrimini statuit, contractisque Legionum vexillis, & modica auxiliorum manu, aciem erexit; cæsaque prope universa gente, non ignarus instandum famæ, ac prout prima cessissent, fore universa, Monam Insulam redigere in potestatem intendit*. Norat hæc Henricus probè. Quamobrem non sat habuit sibi famam parere; sed eandem quoque studuit augere. Et possem utrumque suculentissimis testibus comprobare, sed eorum testimonia reservo ad illa, *Famaque pollebat*, quæ in hujus Rubricæ calce, ne quid hic existimes à Scriptore studiosissimo veritatis Henrici gratiæ, vel assentationi datum. *Osius*.

(39) Sana Lectio, quam etiam arripuit Vicentinus Codex, nullo ferè discrimine, ut apparet. Habet ille scilicet tertia vice tantùm geminatam copulativam, *&*, post, *consultè*, legitque, *Ut circa incumbentia sibi semper, & consultè, & fortiter, & strenuè agendum esset*, quod placet. Nec ob id displicent, quæ sunt in Veneto, modò pro *&*, initio reponatur, *ut*, itaque locus hic omnis concipiatur: *Ut circa incumbentia semper consultè, fortiter, ac strenuè agenda quæque perficeret*. Ecquis enim, tantùm non solio victitans, ferat lectionem illam, *& circa incumbentia, &c.* à verbis toto cœlo, quod ajunt, proximis aberrantem, & penitus abhorrentem à nexu?

Utitur hac ipsa voce *incumbentia* Noster infra Lib. IV. Rub. III. Ea verò quid notet, probè explicat suis in Notis Cl. Nicolaus Villanus, qui mihi selectus Censor, verbis modicus, re, judicioque ingens. *Osius*.

Durè nimis hoc membrum superiori aptatur, nisi hanc agendi circa incumbentia necessitatem augendæ famæ causam fuisse dicas. Jam quæ autor hic, atque alibi vocat *incumbentia* idem est ac Latinis officium, Græcis καθήκον, Thuscis *le faccende*: id quod à Latino, facienda, derivari videtur, allusione ad Græcos, qui, τὰ γινόμενον, pro eodem usurpant. Et verò, quæ facienda sunt, officium omnino sunt, & quibus incumbere unusquisque debeat. *Villanus*.

(40) Repeto Elogiorum Henrici cursum ad Mussati ductum. Nimirum ex Virtutibus quatuor, quarum splendorem in Boni viri facie verbis hisce verè, ac altè Seneca collocavit: *si animum nobis Boni viri liceret inspicere, ò quam pulcbram faciem, quàm sanctam ex magnifico, placidoque fulgentem videremus, hinc Justitia, illinc Fortitudine, hinc Temperantia, Prudentiaque lucentibus*, postremam hac voce Mussatus collocat in Henrico. Prudentis enim est agenda quæque multo ante prospicere, & metiri, eodem Philosopho teste, qui monitis istis Mortales instituit ad Prudentiæ normam: *Si Prudens esse cupis, in futura prospectum intende, &, quæ possunt contingere, animo tuo cuncta propone. Nihil tibi subitum sit, sed totum ante prospicias. Nam, qui prudens est, non dicit, non putavi hoc fieri: quia non dubitat, sed expectat; non suspicatur, sed cavet*: Id porrò nihil est aliud, quàm *consultè* perficere res agendas. Unde *consultè* idem est, quod *prudenter* Plauto Rud. *Ille qui consultè, doctè, atque astutè cavet*; sicuti *Annonæ consultissimè providit* apud Julium Capitolinum in Pertinace, idem omnino sonat, quod *prudentissimè providit*. Sed testimonium denuntiemus iis, qui in Henrici Septimi prudentia celebranda Mussato plena cera subscribunt, illudque primo loco dicat Benevenutus, ut qui reliquis ætate Mussato propior, & Henrico: *Henricus, hoc nomine sextus, genere Germanus, parvus Comes de Lutzenburgo, factus est Imperator, & veniens in Italiam, coronatus est Romæ, cum difficultate, obstante sibi Sapientissimo Rege Roberto. Hic vir prudens, justus, honestus, &c.* Sensit idipsum, & scriptis suis disertè testatus est Ferretus, Historicus æqualis his omnibus Vicentinus: *Defuncto Alberto, confestim Germaniæ Proceres, quibus potestas tradita est, pro statuendo sibi Rege conveniunt, &c. tandem multis Germaniæ Ducibus, ut quid indiscussum maneat, menti occurrentibus, præ cæteris Hainricus Lucemburgensis Comes assensu claro decernitur. Federicus tamen Alberti memorati natus, Bavariæque Dux Rodulphus, quoad potuere, nisi sunt hujusce sibi titulum vindicare; sed res in certamen excussa, ut neuter invidia laboraret. Hainrico ferè omnium Principum judicio contigit. Hic enim, licèt ambobus potentia, opibusve inferior haberetur, non ideo animi, corporisve minor illi virebat industria. Nam, ex clara satis prosapia ortus, inter cæteros bello strenuus, & consilio prudens valde putabatur*. Hæc Ferretus a nobis ex parte leviter alicubi castigatus. Quid alii? Idipsum planè, & verbis ferme similibus, ut liquebit. Ait enim Joannes Schecknannus in Medulla Gest. Trevir. Cap. IX. *Habuit Baldevvinus fratrem Henricum, justum, prudentem, honestum, &c.* ut hæc illi videatur accommodasse de suo Benevenutus. Elias Reusnerus in Stemmate Lucemburgico: *Henricus Comes Lucenburgensis, &c. vir prudens, justus, rei bellicæ peritus, &c.* Paulus Langius Bozavviensis in Chronico Citizensi: *Anno Domini MCCCVIII. Albertus Imperator per Joannem nepotem suum, &c. interfectus est. Cui, eodem Anno Francofordiæ unanimiter electus, Henricus Septimus, vel (ut alii scribunt, qui Henricum Lantgravium Doringiæ inter Imperatores numerant) Octavus, Comes Lutzelburgensis, in Imperio successit, vir consilio, & animo juxta potens*. A quo Æneas Sylvius Historicæ Bohemicæ Cap. XXXI. *Successit Alberto Henricus Septimus (de quo paulò ante mentionem fecimus) Comes Lutzelburgensis, consilio, & animo juxta potens*. Sed adhuc apertiùs expressere Cæsaris hujus prudentiam, sibi ferè consentientia tria Rei literariæ lumina, Jo. Trithemius, Seb. Munsterus, Georg. Merula Vicecomitum Antiquitatis Scriptor. Inquit primus: *Princeps ab opibus non magnoperè instructus; sed industrius, magnanimus, prudens*. Secundus: *Paternis opibus non quidem magnus; justitia autem, & prudentia, tum rerum gestarum gloria inter Principes sui ævi præcipuus*. Tertius Lib. VII. Vicecomitum Antiquitatis: *Ubi persuasum Clementem vidit, de Henrico Comite Lucemburgi subjecit. Huic paternæ opes haud magnæ sanè erant. Justitia, prudentiaque, tum rerum gestarum gloria, quàm natalibus, aut gentili regio illustrior*. Accedunt his Antonius Possevinus Junior in Gonzagis Lib. III. *Tanta illi comitas, fortitudo, ac prudentia erat*. Et Jac. Cavacius Lib. III. Historiarum Cœnobii D. Justinæ Pat. *Urgente Anno (MCCCVIII.) Henricus Comes Lucemburgensis Romanum Imperium*

Digitized by Google

perium capessivit, cui Pontifex insignia Romæ per Legatos dare pollicebatur, si ante biennium armatus in Italiam descenderet. Arbitrabatur idem ebullientes ubique factiones VVelphorum, & Ghibellinorum posse restingui ipsius Cæsaris prudentia, vel armis.

Pertinet huc etiam Elogium Sapientis, quod eidem Cæsari delatum cerno. Vecerius in illius Vita initio: *Romam profectus, & Balduino fratri Trevirensis Ecclesiæ Archiepiscopatum confecit, & summis Antistitibus, ac Bono cuique Sapientiæ, & Comitatis ingens argumentum edidit.* Trithemius in Chronico Hirsaugiensi ad Ann. MCCCX. *Fuit autem Henricus Imperator iste vir sapiens, justus, & gratiosus, in armis strenuus, fidei Christianæ cultor integerrimus, consilio & animo promptus, amator Cleri, & pauperum defensor.* Et ante Trithemium Villanus totidem ferè verbis Lib. IX. Cap. I. *Vir sapiens, justus, gratiosus, &c.* Et post utrumque Langius in Chron. Citizensi laudato alibi ad Ann. MCCCXIII. *Fuit autem Henricus vir sapiens, & gratiosus, & in armis strenuus, &c.* Paullò aliter Georgius Merula in supra memorato Libro: *Opportunè igitur Matthæus advenit, cum quo si conjungi possent, accedente Henrici auctoritate, & imperio, facilè, vel invito, & repugnante patruo, in patriam redirent; tum, si quid controversiæ foret, id parvo labore sub magno arbitro, sapientique Disceptatore tolli posse.* Marcus quoque Guazius Italicus Scriptor suo in Chronico virtutes duas, *sapientiam, & gravitatem*, hoc in Cæsare extulit pag. 258. Nec sapientem modò; sed & sapientissimum à Florentinis dictum refert Bzovius Annal. Ecclesiast. Tom. XIV. ad Annum MCCCIX. Col. 120. *Florentini insolentiam Germanorum metuentes, cùm primùm exercitum Imperatoris ex barbaris gentibus collectum esse per contumeliam dixissent, responderunt, sibi non posse de sapientissimo Imperatore persuaderi, qui velit in pacatam urbem tam numerosas phalanges immittere, &c.*

Longissimus hac in Nota sim, si quæcumque alii, sive de Cæsaris hujus *sapientia*, sive de *prudentia* tradidere literis, hic connectam. Et quorsum? Siquidem enim prudentis, & sapientis est, uti nos clarè Seneca docuit, longè in futurum prospicere, quæ possint accidere, cavere etiam; nec non & ex aliorum sententia, dolos dolis illudere, astum astu; multaque dissimulare plerumque, dissimulavit Henricus Mediolani, *re cogente, Maphæi culpam ad tempus*, testimonio Nostri Lib. II. Rub. I. Quin idem apud eundem, ob contumelias à Patavinis acceptas Lib. IV. Rub. I. *Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem*: Lib. ejusdem III. Rub. III. *in animum statuit Longobardos eorum actibus refellere, ne jam ex proviso Gallicum à Ligure superetur ingenium.* Lib. VIII. Rub. VI. *Romæ decrescentes copias suas videns, eventuros successus mente usquequaque conjectat.* Eodem Lib. Rub. VIII. alia præfert vultu, alia mente versat, *ut extra urbem versùs Tyburim divertat, insciis inimicis.* Lib. IX. Rub. I. bellum laturus in Thusciam, non nisi *multis ad idem propositum recensitis, diuque perpensis Viterbium petit.* Libro eodem Rub. III. *Clanculum rebus compositis, ne quicquam sinistri peragranti officeret, Arnum transit.* Pisis existens, Legatis ad se confluentibus undique magnis ex causis, *non minùs prudenter, quàm justè respondet*, ut habet Huldricus Mutius Lib. XXIII. Chronici Germanorum Genuæ *Gambatosa* (qui Richardus Gambatesa Nostro Lib. V. Rub. VI. Roberti Apuliæ Regis Secretarius, & Orator) *pro vanis simulatione redundantibus, quæ afferebat, verba ab Henrico simulata recepit*, ut est apud Krantzium Lib. IX. Saxoniæ, Cap. II. cujus & illa est Nota in margine ad hunc locum: *Sic ars deluditur arte.* Ac ne plura congeram ab illo prudenter gesta, si prudentiam à *providendo* deduxit Tullius Lib. I. de Legibus, quis nisi insignitè impudens, aut prodigiosè stultus, Henrici *prudentiam* in dubium vocare audeat, cùm ipsemet sibi *Regalem providentiam* adscripserit in Rescriptis primis, quæ Patavinorum Legatis indulsit, deditque Noster Lib. III. Rub. VI. quo testimonium ea de re dicerent luculentum? Nemo sanè est, qui nesciat, Pisanos tantì fecisse Principis hujus *prudentiam*, quam sæpe ac sæpiùs fuerant admirati, ut, eo extincto, secuti judicium illius, Friderico Regi Trinacriæ Principatum detulerint, ut, quem ille sibi socium delegisset, & nova affinitate adjunxisset, iidem Principem sortirentur, ultro ei delato Civitatis imperio, Vecerio, & Abrahamo Bzovio testibus Annal. Eccl. Tom. XIV. Col. 217. Num. XIX. mirari ut interdum subeat, ab horum altero proditum, Col. 184. Num. II. *visum Henricum in Urbe præcipiti temeritate se, suosque adducere in discrimen*: ab altero *objectam eidem imprudentiam* in Urbe, Lib. IX. Saxoniæ Cap. IV. tum ob Primores Urbis apud se detentos in vinculis, tum ob imperata tributa Populo ad Coronationis decus. *Osius.*

(41) Moneor ab hac voce, ut fortitudinem, virtutem hujus Cæsaris aliam, quibus possim, coloribus hic adumbrem. Sed ejus mihi primo loco divisio præmittenda est, ut hic olim Heros terrarum Orbis ab ea virtute distinctiùs efferatur. Duplex est fortitudo, *mentis* una, *corporis* altera nuncupatur. Quæ *mentis fortitudo* est, definitore Hieronymo in Joannem ad Aristotelis, Tullii, Macrobii, Andronici, Senecæ, & aliorum mentem, *est immobilis inter adversa gloriosa animi claritudo, res arduas pulchrè administrans, quæ nec adversis infestando frangitur, nec prosperis blandiendo elevatur*: Constat altera *constantia mentis, firmitate laterum, membrorum robore, & vigore.* Attende nunc fortitudinem unam, & alteram in Henrico. Audiit nimirum ille, *Princeps fortis, magnanimus, invictus, invictissimus, constans, obstinatus, acer, constantissimus, instantissimus, robore, vigoreque præstans* una propemodum Scriptorum omnium voce, quod meum nunc fuerit aperire. Audiit in primis,

FORTIS.

Nauclerus Vol. II. Chronographiæ Gen. XLIV. *His* (cæde fratris, & uxoris interitu) *etsi moveretur Rex, ut homo; non eo minùs iter persequitur, ut vir constans, atque fortis, venitque Pisas, &c.* Meyerus Lib. XI. Annal. Fland. *Jactabant enim Flandri, se ope tam fortis, tamque fidi sibi Augusti bellum aliquando egregiè reparaturos in Gallos.* Possevinus junior in Gonzagis Lib. III. *Tanta illi comitas, fortitudo, & prudentia erat.* Idcirco Noster in Oratione ad Patav. Patres Lib. VI. Rub. I. jure fecit eum sedentem *in suæ fortitudine Majestatis*: Et Lib. XVI. Rub. I. *His*, inquit, *omnibus allectus, conceptu peroptimo, fortique instinctu, per internuntios cum singulis per loca singula tractare, pollicerì, hortari dies noctesque exagitabatur.* Facit huc etiam, quod observavit eruditissimus Freherus ad Leupoldum, nominibus in *Cus* desinentibus inesse *fortitudinis* notam, quod idem unico; at insigni exemplo firmat, ducto ex nomine Chilperici, de quo Venantius Fortunatus Episcopus Pictaviensis, & Vates sacer hæc scripsit:

Chilperice potens, si interpres Barbarus extet,
Adjutor fortis hoc quoque nomen habes:

Et addit, idipsum de nominibus in *Dulgus*, & *Ricus* (quod Henrici nomen propiùs attingit) à J. Lipsio proditum in Lib. Poliorceticon, aliaque aliter desinentia nomina aliud indicare.

MAGNANIMUS.

Sic dictus præcipuè Nostro Lib. III. Rub. VI. de illius Gestis, ea in Oratione, quam ad ipsum habuit. Lib. IV. Rub. I. *Quod nihil permoveretur Brixianorum maledictis*, Lib. VII. Rub. I. Lib. XI. Rub. IX. *His, aliisque Imperator Magnanimus Principum, militumque animos extollebat.* Et Lib. IV. de Gest. Ital. Rub. II. *Qui Magnanimum Henricum VII. Orbis terræ Principem suis consiliis acquiescentem fecit*, de se ipso loquens. Sed hac etiam appellatione celebratus Henricus VII. Imp. Trithemio: *Princeps ab opibus non magnopere instructus; sed industrius, Magnanimus, & prudens*: Nauclero, loco antea commonstrato: *Placuit Pontifici consilium, & simul cum Cardinale nominant etiam Electoribus Comitem de Lucemburg, virum Magnanimum, industrium, &c. Pratensi tum bene notum.* Et Eliæ Reusnero:

Digitized by Google

nero: *Vir prudens, justus, rei bellicæ peritus, Magnanimus, rebus secundis nunquam elatus, adversis nunquam dejectus*. Quorum postrema hausit ex Augustali Benevenuti, qui in eo: *Optimus Imperator, cùm imperasset annis IV. mensibus VIII. & diebus XVIII. nunquam elatus prosperitate, nunquam dejectus adversitate, Anno Domini MCCCXIII. mortuus est*: Aut ex æquali Benevenuti Villano Lib. IX. Cap. XLVIII. *Enituit hujus summæ virtutis in Henrico splendor, ut neque fortuna deprimeretur adversa, neque secunda nimiùm efferretur*. Summæ planè virtutis splendor, quippe qui summis in viris tantùm jubar suum exeruit, & alios in eorum admirationem traxit. Augustinus Lib. I. de Civit. Cap. XXIV. De M. Attilo Regulo, cujus animi magnitudo dicta Tullio III. Off. Paradox. II. Val. Max. Lib. I. Cap. I. Polybio Lib. I. & II. Gellio Lib. VI. Cap. IV. Senecæ multis locis, Appiano in Lybico, Floro Lib. II. Cap. II. Tertulliano ad Martyres, & in Apologetico sub finem, Orosio Lib. IV. Cap. X. Augustino eidem Lib. I. de Civit. Cap. XV. Horatio Ode V. Lib. III. Silio Lib. VI. aliis: *Inter omnes suos laudabiles, & virtutum insignibus illustres viros, non proferunt Romani meliorem, quem neque felicitas corruperit: nam in tanta victoria pauperrimus permansit; neque infelicitas fregerit: nam ad tanta exilia revertit intrepidus*. VVilhelmus Heda de Nicolao IV. Episcopo Trajectensis Ecclesiæ XLVII. *Adversa quæque expertus, nunquam animo consternatus, omniqne virtute præditus, qualem longa desiderabit posteritas*. Gaspar Barthius Adver. Lib. I. Cap. XI. de Antonino Imperatore, ex ipsius Antonini Eclogis, & Suida: *Notabilis sanè hujus Principis constantia morum fuit, siquidem nec lætis, nec tristibus mutabatur ejus vultus*. Et de Catone, & Fabio Plutarchus, & alii. Sed pergamus nos Magnanimi titulum asserere Henrico ob ipsammet animi Magnitudinem, qua præ cæteris fulsit. Vecerius in illius Vita: *Sed ipse, qua erat integritate, animique Magnitudine, ne dia dicta temerè abfuisse crederetur, fidei, quàm valetudinis rationem habere maluit*. Carrio: *Qui in fratre Henrico non opes, quæ exiguæ erant; sed alia, &c. prædicabat, generositatem naturæ, ingenii præstantiam, excelsi animi Magnitudinem, &c.* Mussatus noster Rub. XIII. hujus Libri: *Magnanimitatem concomitari Mansuetudo videbatur*. Ea re Virum *Magnanimi cordis* Villanus dixit Lib. IX. Cap. I. *Animo magnum* Langius in Chron. Citizensi, *Animo potentem* idem ibidem, & Æneas Sylvius Hist. Bohemicæ Cap. XXXI. *Promptum* Trithemius in Chron. Hirsaugiensi ad Annum MCCCX. *Magni animi, & virtutis* Bernardinus Corius Mediolanensis ad Annum MCCCXI. ad eamque *Virtutem*, uti solitam, excitatum eumdem legimus à Pontificiis Legatis in Nostro Lib. IV. Rub. I. verbis illis: *Ipseque confidenter ad solitam virtutem exurgat, vires animumque indeficienter intendat*: quin & eandem innatam illi scripsisse Vecerium, cùm ita clausit illius Vitam: *Quòd si Campaniæ obtinendæ facultatem Dii tribuissent, infinitum esset, quantum ille Rex, & opportunitate commeatuum, & innata virtute moliri, efficereque potuisset*. Unde Noster Epistola XVII. in comparatione Henrici cum Cane Scaligero, ab hoc urbes astu, & dolo capi prodidit; ab illo vi, & virtute: & Vecerius, spectatam illi virtutem maximè profuisse ad obtinendum Cæsarei fastigii culmen. *Columnam* itaque *Magnanimitatis* Argentinensis dixit ad Ann. MCCCXIII. *Sicque heu periit Columna Magnanimitatis, & Justitiæ, &c.* Quod Elogium laudat etiam Lehmannus in Chronico Spirensi Lib. VII. Cap. X. Ut enim consignatum extat Lib. XI. Rub. VIII. Nostri, Columnæ instar *regio animo Contubernalium mortes pertulit constanti virtute mœrorem supprimens*: Ut Lib. XIII. Rub. VII. *multis licèt curis implicitus, permulta ingenti animo versat*: Ut Lib. XVI. Rub. V. *permulta cum Apulis, Calabris, ac Romanis per internuntios scisciare, tentare, polliceri, componere sedulis vigiliis ingenti animo studet*.

INVICTUS.

Vecerius: *Sed & barbaros lætitia Invicti Ducis extincti obtinuit*. Fasciculus temporum Ætate VI. ni fallor. *Victor gloriosus, & bellator invictus extitit*.

INVICTISSIMUS.

Datus hic illi Titulus à Carolo IV. Imperatore, ut ostensum in prima hujus Rubricæ Nota. Datus & à Nostro in Orationis calce, quam apud illum dixit, libroque tertio consignavit post Rubricam sextam: *Tuque vive, valeque Rex Invictissime salus viventium Christianorum*,

CONSTANS.

Multo ante Nauclerum laudatum supra in Titulo, *Fortis*, Henrici Constantiam celebrarat Noster. Habet ille scilicet Lib. VIII. de illius Gestis Rub. III. *Cæsar, &c. indeficiens Regia Constantia ad omnis belli fortunam tentandam animum erexit*. Et Epistola II. quæ in illius commendationem scripta,

Fac tua sit nostri series Constantia Libri:
Namque erit hic vitæ fons, & imago tuæ.

Nec multò post de eadem in se amando:

Et sors quæque suos casus mutaverit, unquam.
Mutua non solvit fœdera nostra fides.

Et alibi in aliis rebus præbentibus Constantiæ materiam, & segetum opportunam. In obsidione quippe Brixiensi *inter varia Cæsar animo constantiori, accitis ad concilium Curiæ Principibus, quæsivit, quidnam agendum instaret*, stylo Mussati Lib. IV. Rub. III. Qua de re quoque Bzovius in hæc verba: *Cadaverum ingentes strues, ex graviore odore Theutonicorum, exercitum pestilentia infecerant. Plurimi eorum variis ex ægritudinibus moriebantur: alii à corrupto aere diffugiebant. Pertinaci tamen proposito Henricus Urbi incubabat, si quo modò constantes animi frangeret: nec multò post voti compos fuit*. Sed ex Nostro profecit Bzovius, ut indicabunt Rubricæ sequentes, & hæ maximè, Septima Lib. III. Prima, tertia, quinta, & sexta Quarti. Nusquam enim non meminit hujus Virtutis Noster. Ecce Lib. III. Rub. XIII. in morte Valerani Cæsaris ipsius fratris: *Mirumque, ac memorabile, quòd Cæsar constanter hoc tulerit, ut nullius prorsus indaginis in illo vultus, actusque deprehensa molestia: cujus imitatione, & taciturna Curia tantum funus silentio dissimulatum præteriit*: Et in Uxoris dulcissimę funere Lib. V. Rub. IV. *Mortem ejus strenuè ferens Inclytus Rex, nullam in patulo effudit lacrimam*. Cui adstipulatur Huldricus Mutius in Chron. Ger. Lib. XXIII. *Nec tamen ita Uxoris morte doluit, ut ei se Virum meminisse desierit. Nam in rebus administrandis, in respondendo Legatis, in causis discernendis nullum doloris vestigium omnino apparuit*. Pari num constantia Leodiensis Episcopi, Theobaldi de Barro, consanguinei sibi longè carissimi cædem pertulerit, pronunciare non ausim: *Nam cùm Henricus de Blanckenberg id Regi flendo nuntiasset, Henricus Rex* (verba sunt Argentinensis ad Annum MCCCXII.) *ipsum redire cum fletu ad sinum matris dixit*. Verum enim verò vel annosa Ornus crebris icta bipennibus vertice concusso nutat:

Vulneribus donec paulatim evicta supremum.
Congemuit, traxitque jugis avulsa ruinam:

Notaq; est Parœmia vetus. δρῦς πλήγαις δαμάζεται: *Quercus plagis domatur*.

OBSTINATUS. ACER.

Leonardus Aretinus Lib. V. Histor. Florentinorum *Quibus cum anxiè resisti posse videretur, addito hujus Viri tam Acris, tamque Obstinati adventu, in summum discrimen res adducebatur*. Acrem quoq; vocare libuit Argentinensi, cujus verba dabimus in Elogio *Strenuitatis*.

CONSTANTISSIMUS.

Talem in amando Friderico Siciliæ Rege fuisse Vecerius tradit: *Fridericus, cui fœdus cum Imperatore percussum paulò supra tradidimus, medio agens alto, ut excessisse Cæsarem è rebus humanis accipit, ingenti videlicet molestia animi consternatur: eratque ea constantia, Henricique amore, ut quoniam videre vivum nequiverat, extinctum saltem contemplari exoptaret*, ita-

Itaque Pisas non ob aliam rem navigans, prolatum corpus regium inter uberes lachrimas convereratus, recondi difficilè passus est, Constantissimi Ducis amicitiam immaturè sibi deplorans ademptam. Nimirum Constantissimi ambo de summæ inter se Constantiæ laurea decertabant,

INSTANTISSIMUS.

Idem Vecerius in ejus Vitæ clausula: *Vitam instantissimi Principis, quæ acceperamus (ut puto) traditione narravimus, quem non Italia modò, nullis neque adversis frangi potuisse, neque secundis efferri manifestò cognoverat: sed & barbaros lætitia invicti Ducis extincti obtinuit*.

ROBORE VIGOREQUE PRÆSTANS.

Ducet hic Mussatus familiam reliquorum Epistola II.

Fecerat hoc Pietas, Vigor, & Clementia recti
Principis Henrici, & Simplicitatis amor.

Et in Centone ad Filium,

Illi corpus erat durum, patiensque laborum

Pone subit Ferretus: *Hic enim licèt ambobus* (Fridericum, & Albertum intelligit) *potentia, opibusque inferior haberetur, non ideo Animi, Corporisque minor illi virebat industria*. Sequitur Carrio: *Qui in fratre, &c. prædicabat Generositatem naturæ, &c. Vigorem ætatis, & corporis robur, ac firmitatem ad tolerandos militiæ labores*. Claudet agmen Ciaconius in Clemente V. *Insinuavit verò* (Cardinalis Pratensis) *his* (Electoribus) *Henricum Comitem Lucemburgensem, Virum armis strenuum, & robore corporis ferocem*. Osius.

(42) Poterat Henrici strenuitas cum ejusdem *Fortitudine* commodè copulari; sed placuit hic hærere Nostro, qui visus unam ab altera sejunxisse, adverbiis inter se duobus *Fortiter*, & *Strenuè* separatis, Vidimus in superioribus Notis ad Rub. II. Henrico VII. Cæsari Majores hujuscemodi contigisse, quos *Armorum, Bellorumque strenuitas* maximè commendarit, respondit iisdem Henricus Virtute persimili cumulatè. Atque ut Clarissimorum Virorum testimoniis res agatur, clarè, & appositè Ferretus: *Nam, ex clara satis prosapia ortus, inter cæteros bello strenuus, & consilio prudens valde putabatur*. Talem etiam agnovit æqualis eorum temporum Villanus, nec uno in loco strenuum appellavit. Argentinensis in eadem sententia fuit. Quare de illius ad Imperium electione loquens; *Occiso*, inquit, *Alberto Rege, Hainricus Comes de Lutzelburg strenuus, & acer eodem anno in festo omnium Sanctorum à Principibus concorditer in Francfurt est electus*. Fuit & Joannes Hocsemius in Theobaldo de Barro Episcopo Leodiensi LXXIV. Cap. XXXI. *Hic justus, & religiosus, & in armis strenuus Ecclesiam diligebat*. Sicut & Thritehmius in Chron. Hirsaug. ad Annum MCCCVIII. *Vir bonus, strenuus, & imperiali honore dignus*. Et infra ad Annum MCCCX. *Sapiens, justus, gratiosus, & in armis strenuus*. Quibus affinia sunt, quæ habent Langius in Chronico Citizensi, *Sapiens, gratiosus, Armis strenuus*: Ciaconius in Clemente V. *Insinuavit verò his Henricum Comitem Lutcenburgensem Virum armis strenuum, &c*. Albertus Krantzius Lib. IX. Saxoniæ Cap. I. *Henricus Comes de Lutzenburgo in Lotharingia, Vir ad arma strenuus, Rex Romanorum post Albertum ab Electoribus Francofordiæ designatur, Septimus ejus nominis*: Meyerus Lib. XI. Annal. Fland. *Electus est statim Henricus ejus nominis Septimus, qui Comes erat Luceburgensis, Vir non modò bello strenuus, sed pius, &c*. Huldericus Mutius in Chron. Germ. Lib. XXIII. *Religiosus, Ecclesiæ amicus, strenuus*: Christophorus Lenmanus Lib. VII. Cap. X. Chron. Spirensis: *Ne autem Electores ancipiti disputatione ab electione distraherentur, Henricum Comitem Luzelburgensem Pietate, & strenuitate spectabilem iis proponendum, & clanculum decernendum, &c*. & alii, quos inter ulus superlatiori gradu VVernerus Rolevvink in Fasciculo temporum, Ætate VI. *Iste Henricus fuit Comes Lutzelburgensis in militaribus actibus strenuissimus*. At quorsum omitto Nostrum? Si fecerim, iniquè sinè dubio fecerim. Nam & illi Cæsaris hujus *Strenuitas* adumbrata saltem, cùm scripsit Libro IV. Rub. V. *Mortem ejus* (uxoris) *strenuè ferens Inclytus Rex, nullam in patulo effudit lachrimam*: Et Lib. XVI. Rub. II. *Angustatus in Tuscia terra successibus infestis Cæsar, corde strenuo mari omnem tentare fortunam disposuit*.

Hi mihi, tibique nostri studiose Lector, *Strenuitatis Henrici* præcones, ac testes. Quot, ac quales? quàm sibi, verbis etiam ipsis, similes & concordes? Sed juvat ab ipsis quoque liberis ejus, & nepotibus hanc in illum Virtutem, & Laudem derivare. Strenui siquidem creantur strenuis, inest patrum virtus in liberis, *nec imbellem*, ut ille præclarè cecinit, *progenerant Aquilæ Columbam*. At ejus quales, quæso, liberi, ac nepotes? Strenui ad unum omnes, si unum exceperis Venceslaum, Caroli IV. sobolem omnino degenerem, socordia ac ignavia torpidam, generis totius sordem ac dedecus, non Ingenio modò hebeti ac sordido, nullarumque rerum, nisi voluptatum intelligente: non Animo, non à Repub. tantùm; sed pæne ab omni honestate alieno: non Corpore prorsus ignavo, neque ad ullam aliam rem, quàm ad obscœnas, ac turpes voluptates idoneo; sed ipsa quoque hominis specie distorta penitus ac deformi, Thersiti, quam Principi propiore. Quam enim, quæso, *Strenuus* Joannes Henrici F. Bohemiæ Rex, qui manu potenti semper regnum gubernavit, & patre in Italia agente, apud Germanos vicario nomine administravit imperium: Patre verò defuncto, cùm plurimæ Civitates ei se se dedissent, animo strenuo penetravit Alpes cum exercitu, easque non paucis annis tutatus est, ut Æneas Sylvius tradit in Bohem. Cap. XXXII. Qui anno MCCCXVIII. ex Trithemii fide in Chron. Hirsaugiensi à Coloniensibus, jussu Ludovici Imperatoris bellum illaturis Henrico Archiepiscopo Coloniensi, & suo ob violata pacta, & fœdera pacis initæ cum Ludovico, & secutas Friderici Ducis Austriæ partes, vocatus in auxilium, Archiepiscopum, Bonnam obsidens, graviter impugnavit; fuitque tandem in caussa, ut Ludovicus etiam de hoste sui accerrimo Friderico quæsitam annis octo victoriæ palmam, interveniente conflictu durissimo, reportaret? Qui deinceps, anno nempe vertente MCCCXXIV. cum Balduino Archiepiscopo Trevirensi patruo suo, Metensem Civitatem obsedit, cùm non ante multò Monasteriensem Episcopum domuisset? Qui consequentibus ad hæc An. MCCCXXVIII. & MCCCXXIX. *strenuè valde, & magnificè* (verbis utor Chronicæ Aulæ Regiæ ex Cap. XXI.) *contra Litbuanos, & Paganos in bellicis actibus exercuit opera, ut communis omnium præconizat fama*, quod & Dubravius firmat Lib. XX. Hist. Bohemorum; Unde versus isti eo seculo vulgati, eodemque digni:

Hunc, peto, cerne Virum, qui perpetrat undique mirum.
Hic nisi bellare solet, & pugnis inbiare;
Qui quasi torpescit, à bellis cùm requiescit.
Est rarò terra, quæ sit per eum sinè guerra,
Hoc Germania, Francia, Flandria mostrat apertè:

Qui biennio post Posnaviam vallavit acriter, & obsidione cinxit, ut iis ex literis patet, quas Notarius ejus B. ad Petrum Abbatem Monasterii Aulæ Regiæ anno illo Brunnæ dedit: Abbas verò ipse Chronicis suis inseruit ad eundem annum? Qui demum An. MCCCXLIV. Edoardum Regem Angliæ, Franciam denuo ingressum, in socias partes accitus à Gallis, insectatus est, initoque cum illo certamine ad Cressiacum, reliquit triumphantem Gallum sagittæ ipse cuspide vulneratus, supra laudato Trithemio teste, nec non & Pantaleone Candido in hæc verba?

Atque hinc cognatis cùm se se immitteret armis,
Gallorum auxilio subiens, se Marte Britannis
Opposuit, multosque atrum dimisit ad Orcum
Ipse viros dextra ingenti, Fortissimus Heros,
Occubuit simul, æthereæ & se reddidit aulæ:

Quæ Martinus Cuthenus solo Dysticho sic adstrinxit.

Lumine Joannes post facta ingentia cassus,
Fortiter occubuit Gallica castra sequens.

Verè *Fortiter* a Cutheno dictum. Namque admonitus tum à suis, ut retrocederet, verba illa *Heroe* planè digna *fortissimo*, quasi cygneum quidam, brevi moriturus effudit: *Tergane*

Digitized by Google

gane hosti Bohemiæ Rex ostendet? Dii tam ingloriam à me avertite famam. Aut ego hodie victor evadam, aut letho insigni regiè cadam: Id quod postremum ei contigit, cadentibus secum ex Proceribus, Henrico Petri Rosensis filio, & Jano Lichtenbergo, ac præterea ex equestri ordine strenuissimo quoque, omnique demum Gallicæ nobilitatis flore, ut alia strenua illius innumera facinora prætermittam, quæ, præter Historicos Bohemicarum rerum, Aulæ Regiæ Chronica literis consignavit, nec non & filius ejus Carolus, Quartus ejus nominis Imperator, tum Regni, tum Virtutis hæres in Commentario Rerum à se cum patre domi, forisque gestarum, qui beneficio Marquardi Freheri Viri doctissimi lucem hausit anno MDCII. VVechelianis typis. Hinc jure datum illi *Fortissimi Regis* Elogium iis in carminibus, quæ Dubravius attulit in calce Libri XX.

Joannes quondam Marchio, Princeps illustrissimus,
Qui Caroli Quarti Cæsaris Maximi frater fuit germanus,
Quorum genitor Joannes Cæcus, Princeps Serenissimus.
Bohemiæ, & Poloniæ regnorum Rex fortissimus.

Datum & eidem laudi, quòd se in omni militia exerceret, frequentaret torneamenta, hastiludia ageret, ita ut tota Francia, & Gallia vix enarrare sufficeret Regis ejus facta magnifica, auctore Petro Abbate Monasterii Aulæ Regiæ in Chronica cognomine Cap. XIX. in qua pariter Cap. XXVII. eidem Scriptori tum viventi, videnti, scribentique cum laude dictus, *Henrici VII. Romanorum Imperatoris nobilis propago, & prosapia generosa, grandi sibi parto nomine juxta nomen Magnorum, qui sunt in terra.*

Jam quis Caroli Quarti tali patre geniti *Strenuitatem* in dubium revocarit, cùm is adeò multa cum patre bellorum, laborumque socius, & sinè patre gesserit, quæ tum ipse, literarum bene peritus, Commentario illo suo, tum suis monumentis Historicis alii complexi sunt? Audiatur, si vacat, Gaspar Cropacius in ejus filio degenere VVenceslao, Rege Bohemiæ XII. & Imp. Romano:

Ut Pater insignis, præstansque virilibus ausis,
Eximia virtute animi, multoque decore,
Romanos fasces, & sceptra Bohemica gessit:
Sic eadem luxu, nimio torpensque veterno
Filius, heu nimiùm neglexit deside vita.

Itaque sic illius; Juvenis adhuc, virtutem expressit Auctor Chronicæ Aulæ Regiæ, laudatus supra, Cap. XXXII. *VVenceslaus, cognominatus Karolus, Johannis Regis Bohemiæ filius primogenitus, in civitatibus Lombardiæ pro Capitaneo à patre positus, de suis hostibus, videlicet Cane de Verona, & suis complicibus, bello campestri gloriosissimè triumphavit, plurimos occidit, & plurimos captivavit, quemadmodum mihi dixerunt qui his bellis interfuerunt, & suis oculis conspexerunt. Multa hi de Magnanimitate istius juvenis referunt, quia ipse nequaquam his prœliis abesse voluit, sed adesse. Cinctus ibi enim inter acies baltheo militari, pugnat animo non pueri, sed virili. De duobus dextrariis dejectus, fit (fortè fuit) aliquantulum in brachio vulneratus: vicit ipse, campos obtinuit, pars hostium occiditur, & pars fugit.* Sic & eandem suis Æneas Sylvius lineis adumbravit id Hist. Boh. Cap. XXXIII. *Is vivente patre adversùs Tartaros feliciter dimicavit, civitates Lombardiæ à patre acceptas armis tutatus est. Pugnavit adolescens cum Veronensibus, eosque prœlio fudit. In ea pugna, bis equo dejectus, non dubitavit tertium conscendere, facinoraque fortissimi militis edere.* Et infra. *Fuit autem hic Carolus vir magnorum operum, qui Regnum Bohemiæ tum Religionis cultu, tum Legum, at bonorum morum disciplina illustravit.* Sic & Dubravius Lib. XXI. *Bene autem, ac feliciter Carolus (sexdecimum tum agebat annum) patris in Italia Vicarius, res gerebat pace, & bello: in utroque tempore providus, & strenuus adversùs insidiatores, & bellatores.* Harum porrò magnam partem Pantaleo Candidus carminibus his inclusit:

Filius egregiis ut Carolus inclytus armis,
Tartaricas forti pepulisset Marte cohortes:
Et juvenis patrias defenderet acribus oras
Bellis ausis: ac Veronæ jam signa potentis
Fudisset, nulla solitus desistere pugna,
Dum robur dextræ, & superesset corpore sanguis;
Inclyta defuncto suscepit regna parente,
Acceptus plausu ingenti, populique favore.

Hinc illi facilè partum *Imperatoris Maximi* cognomentum, ut indicant supra memorati versus in illius patre,

Joannes quondam Marchio, Princeps illustrissimus,
Qui Caroli Quarti Cæsaris Maximi frater fuit germanus, &c.

Jureque *Floris Regum* titulus eidem à Pantaleone in illis datus:

Hæc igitur tibi laus, hæc gratia, Carole, habetur,
Ævi perpetuos longùm mansura per annos,
Donec viva piæ remanebunt nomina Musæ.
Salve, perpetuumque vale flos optime Regum.

De VVenceslao Caroli IV. fratre, primoque Lucemburgensium Duce, instar omnium esse posset Elogium, quod illi Trithemius concinnavit ad Annum MCCCLVI. *Iste Dux VVenceslaus, filius Joannis Bohemiæ Regis, nepos Henrici Imp. VII. & frater (sicuti diximus) Caroli IV. homo genere nobilissimus, eruditione literarum doctus, in re militari strenuus, vita, & moribus vix alteri secundus, justitia, clementia, & pietate magnificus:* nisi ista pariter in illius bellicæ strenuitatis encomium haberentur apud Magni Chronici Belgici Collectorem, pag. 309. *Anno Ducatus VVenceslai XVI. salutis MCCCLXIX. VVenceslaus Dux Lucemburgi, & Brabantiæ cum multis Nobilibus bellum contra VVilhelmum primum Ducem Juliacensem, & Eduardum Ducem Geldriæ gessit, non longè à Juliaco, in loco dicto Baesvvilre, in quo bello Eduardus Dux Geldriæ primo aggressu in cerebrum sagitta percussus, & extra bellum ductus, obiit Ducatus sui Anno X.*

Vocor ab his ad Sigismundum secundo genitum Caroli IV. Nam vita traducta silentio a primo loco genito VVenceslao, eum me transire silentio jubet. Fuit itaque æquè patri *strenuitate par* filius Sigismundus, ac Venceslaus *impar*, & *Imperator* ex Dubravio Lib. XXV. *ad omnia fortiter audenda promptissimus, cujus Virtuti clausum nil esse posset.* Quare Subinco (*Sbinco* aliis) Pragensis Ecclesiæ Archiepiscopus, cùm adversùs nefarios Jacobelli Misnensis Hæresiarchæ conatus, qui secum ingentes aliorum catervas trahebat in præceps, nihil in VVenceslao Cæsare, non homine, sed libidinis & ignaviæ monstro, præsidii reperisset, ad Sigismundum, adhuc Ungariæ Regem, confugit, ut fratris negligentiam emendaret, narrante rem omnem Ænea Sylvio Cap. XXV. Hist. Bohemicæ luculentè: Imò & adversùs Hussi turbas, ex Joanne Dubravio ejusdem Historiæ Bohemicæ Lib. XXIII. Ob eam sanè caussam Ludovicus Ungariæ Rex Sigismundum adhuc puerum in filium adoptavit, promissis ei filiæ nuptiis, & Regno in dotem, quòd strenuæ jam tum indolis conspicua se se in illo signa prodiderant, quæ spem ejusdem eximiam concitabant. *Fuit enim* (ut habet Carrio) *Sigismundus, Ingenio excellenti, Animo magno & heroico, & qui conferri cum veteribus Carolis, & Ottonibus posset indolis præstantia, pietate, sapientia, magnitudine animi, industria, dexteritate in consiliis, patientia laborum, si optimè cogitatis consiliis, providèque susceptis, & laudatissimis conatibus respondisset Fortuna, nec justis, ac necessariis armis contra Turcas successus fata negassent.*

Hinc ejusdem in laudem Pantaleo non fucatè:

Non illo Regum vixit præstantior alter,
Nec mage consiliis aptus, nec fortibus armis
Cæsar in egregiæ Varadini mole sepultus:
Mortuus ipse Getis etiam trepidantibus horror.

Nec honorificè minùs Gaspar Cropacius in Bohemiæ Ducibus:

Excellens acie mentis, studiisque Minervæ
Clarus, ut assumptis infelix Marte sub armis,
Nec tamen adversis Fortunæ flatibus unquam
Devius à recto, aut pavida formidine fractus,
Digna Sigismundus meruit præconia Cæsar.
Quidquid enim debet Princeps laudatus habere
Virtutis; quidquid veri belloque, togaque
Consilii decus id fortis sub pectore clausum
Possedit, nec dote fuit fraudatus ab ulla.
Munificum Clariis se se, facilemque Deabus
Exhibuit, doctosque Viros reverenter habebat.
Felix, si fatis non colluctatus, in omnem
Eventum intrepidus, dubio quoque Marte fuisset.
Sæpe manu valida Geticos invasit in hostes,

Sæpe

Sæpe Bohemorum tentavit milite robur
Indomitum, pugnans Fortuna semper iniqua:
Multa tamen gessit triplici diademate digna,
Digna salutari turbatis Principe rebus,
Ausonias lustrans oras, & schismata purgans,
Queis tunc Romulidum fervebat factio Patrum.

Adhucque propiùs, etsi pressiùs ad mentem nostram Æneas Sylvius Hist. Bohem. Capit. XXXIII. *Sigismundus, alter Caroli filius, à Rege Hungariæ Ludovico in spem regni adoptatus est, ibique tandem coronam adeptus pugnavit feliciter contra Turcas; XXXVI. Turcarum Regulos securi percussit. Tumultu populari captus, ac viduæ, cujus virum occiderat, in custodiam traditus, beneficio linguæ libertatem adeptus, regnum armis recuperavit. In quo fortunam utramque expertus inter Viros claros enituit.* At enim splendidiùs, uberiùsque cum hæc, tum alia Dubravius Lib. XXV. initio. *Sigismundo adhuc impuberi Carolus pater, Marchiam Brandemburgensem, quam ab Othone, postremo illius Marchione emerat, dono dedit, mira indole animi, ingeniique ejus captus. Eandem secutus Ludovicus Pannoniæ Rex, generum sibi, regnique successorem asciivit, desponsa ei filia nondum nubili, cui Mariæ nomen, &c.* Nec multò post: *Eunte Sigismundo in Poloniam, non satis pacatam, mandat Ludovicus, ut rebelles in illa coerceat, & contumaces ad officium reducat, quod mandatum ille strenuè exequitur, plerasque arces, & oppida brevi temporis spatio expugnans, ac mox copias ex Polonia in Massoviam traducens, in qua ducem agebat Semovitus, ipsi etiam Ludovico semper contumacissimus: numquam enim ad obsequium etiam accersitus venire voluit, & idem tamen adeò inaudax, ut Sigismundo occurrere nullo in loco auderet; sed spectatorem se tantum exhibuit, dum vastarentur agri, gregesque equarum, boumque abigerentur, vici, & castella diriperentur.* Ecquis secum hæc animo reputans, de *Strenuitate* ambegerit Sigismundi?

Mitto Jodocum, natum patre Joanne Henrico, Caroli IV. fratre, dignum habitum, qui, VVenceslao patruele abdicato Imperio, eligeretur Cæsar, aliosque complures, sat mihi visus horum paucorum, exemplis indicasse cursim, *Strenuitatis* Henrici VII. Cæsaris semina in illius re vera fuisse nepotibus, & liberis propagata.

Nihil addi poterat ei rei, quæ gesta fuisse *Strenuè* diceretur. Itaque non nisi egregiè, regièque administratæ res id sibi vocis ex merito vendicabant; idque, ut eorum, qui res hujuscemodi peregissent, summa Virtus, & Gloria testata posteris relinqueretur. Paucis. Idem erat *Strenuè agere* Scriptorum aliquibus, quod aliis, *agere belle, celeriter, eximiè, fortiter, & præclarè*, nihil ut supra peragi, fingi, vel excogitari posset. Tullius, sive quis alius, ad Herennium: *Is tamen egit sanè strenuè, & agit.* Ad Atticum Lib. XVI. *Ego adhuc (perveni enim Vibonem ad Siccam) magis commodè, quàm strenuè navigavi.* Pro Rabirio: *Pro illis strenuè arma caperem.* Et alii pari mente; sed clariùs testandis eorum *Meritis*, & *Virtuti*, qui strenuè se gessissent. Aulæ Regiæ Chronica Part. II. Cap. XXX. *His diebus Henricus de Lipa in La civitate fuit Capitaneus, qui post multa gravamina illata strenuè Australibus, ab iisdem cum Johanne fratre suo, & cum pluribus viris nobilibus per Australes capitur.* Auctor Fragmenti præfixi Chronico Argentinensi ad Annum DCXLII. de Osualdo: *In Britannia S. Osualdus Rex piissimus, cùm regnum Angliæ, & Britonum IX. circiter annis strenuè administrasset, contra Pendanum Regem pugnans occubuit.* Joannes à BeKa in Godefrido Episcopo Trajectensi XXVIII. de Theodoriço Hollandiæ Comite: *Anno Domini MCLXIII. Nonis Augusti Theodoricus Comes in pace quievit, qui Comitatum Hollandiæ XXXVII. annis valde strenuè gubernavit.* Idem in Joanne II. Episcopo Trajectensi XL. de Heremano. *Heremanus in prima congressione letbaliter vulneratus, in agone certaminis ita strenuè mansit, ut tandem Episcopalem exercitum infra munitionem Amersfordiæ profugaret:* Et in VVilhelmo Episcopo XLI. de Florentio, & Castrensibus: *Florentius autem de Egmonda, cæterique Castrenses cum Frisonibus sæpe strenuè confligentes, adeò graviter obsessi sunt, &c. ut consumptis victualibus equinas carnes demum manducare coacti sunt.* Sic enim omnino legitur in excusis anno MDXLII. Furmerio Leovandiensi Frisio recensente. Hinc *Strenua Athletarum luctamina* apud Aldhelmum Lib. de Virgin. Cap. I. nuper editum in Bibliotheca veterum Patrum Coloniæ Agrippinæ sumptibus Ausonii Hierati: *Ita dumtaxat, ut alius strenua Athletarum luctamina cum æmulo sinuosis laterum flexibus desudans, in meditullio Scommatis* (lege *Scammatis*, qui locus est certaminis ex Cerdio ad Tertulliani librum ad Martyres) *flagrante delibutus lubrici liquoris nardo, solerter exercere studeat.* Sed redeo ad eos, qui fecere strenuè, ut impleam, & expleam hunc excursum. Nam alium mihi quoque suppeditat Molanus Cap. LXIII. Militiæ sacræ: *Ubi & Dux ipse* (Brabantiæ Joannes I.) *quasi unus de Manichæis supra modum strenuè se se, fortiterque gessit, ac post diuturniorem conflictum victor evasit;* Alium (nempe Ludovicum Bavarum Imp.) Huldricus Mutius Lib. XXIV. Chron. German. *Nisi ergo Ludovicus impiger strenuè occurrisset illis, actum erat de tota Bavaria:* Alium Laurentius de Monachis, qui videbat & scribebat Anno MCCCXXV. Senatui Veneto à secretis, Thoma Mauroceno Duce, sive quis alius, in Historia Veneta, quæ sub Anonymi titulo Venetiis asservatur in lectissima Bibliotheca Senatoris amplissimi Dominici Molini, Musarum Numinis tutelaris: *Clodienses, quorum tunc erat Potestas Jacobus Basilius, quia strenuè se gesserunt in dicta victoria, liberantur à tributo trium Gallinarum præbendarum Duci in tribus terminis pro qualibet familia.* Verùm enim verò, ne nimius hac in parte sim, desino cum Renero Snojo in Rerum Batavicarum Libris à Jo. Brassica recognitis, & emendatis, ubi de VVoboldo Episcopo Leodiensi. Nam, si plures strenuè factis illustres percensere numerando vellem, quis finis. Ait de VVoboldo Renerus: *Colligens hic inde viros bene directos ad normam disciplinæ regularis, & maximè ex disciplina Abbatis Richardi, Conventum Monachorum ibi adunavit, &, quoad vixit, locum ipsum unà cum Gemblacensi Monasterio strenuè gubernavit.* Osius.

Vox *fortiter* glossema est vocis *strenuè* qua inducta commodè legemus, & consultè, & strenuè agendum esset; strenuus enim fortis est. *Pignorius.*

(43) Justitiam inter cæteras Henrici VII. virtutes clarè Noster extulit, quòd & illa *præstantissima sit virtutum omnium* Aristoteli ad Nicomachum V. Cap. III. *perpetuæ commendationis, & famæ fundamentum* Tullio III. Off. *Sola Domina omnium & Regina virtutum* utrique *summa virtus, aut fons ipse virtutum* Lactantio Lib. V. Cap. V. *Virtutum omnium sedes, & domicilium* rectè sentientibus omnibus, quibus illud in ore tritum, ἐν δὲ δικαιοσύνη συλλήβδην πᾶσ' ἀρετὴ ἐστιν: *Justitia in se se virtutem continet omnem: Virtutum earumdem mater, & nutrix* Polo Pythagorico Libro de Justitia; ac tandem Principi æquè *summè necessaria, ac honesta.*

Necessariam esse Principi justitiam, viderunt ii, qui, Plutarcho teste Lib. de Doct. Principum, scripserunt, *absque justitia, Principatum ipsum gerere ne Jovem quidem ipsum posse.* Idcirco prudenter admodum apud Persas ei, qui ex Regiis liberis natu maximus in Regni spem educabatur, cùm alii dabantur multi, qui illi Manuductores ad virtutem essent, tum unus in primis, à quo justitiam doceretur, ut est à Xenophonte proditum in Cyro-pædia. Norant illi scilicet; neque tam lectione, quàm usu didiçerant, Regnum finè *justitia* consistere nullum posse, quod illa Platoni sit ἔρμα πόλεων, *Civitatum fulcrum: Unicum Regnorum columen* Augustino II. de Civit. Libro: *Regia* demum aliis *virtus*, quòd aliarum, uti præivimus *Regina virtutum*, Regibus in primis ad Regnorum subsidium, & tutelam necessaria sit. Hinc Leo Eurycratidis F. percontanti cuidam, in qua demum urbe tutò homini habitare liçeret, *In ea*, inquit, *in qua justitia viget.* Rectè, probèque. Nam, ut ait Poeta Græcus Sophocles in Halæasi, Τοῖς γὰρ δικαίοις ἀντέχειν οὐ ῥᾴδιον: *Justo resistere non est facile:* Et, ut Euripides accinebat,

Εἷς τοι δίκαιος μυρίων ἀν' ἐδίκων
Κρατεῖ, τὸ θεῖον τὴν δίκην τε συλλαβὼν

Unus

Unus justus infinitos non justos
Vincit, Deo & justitia adjuvantibus.

Neque enim à Deo negligitur homo, qui justitiam colit, ex Platonis mente: & *opera pura, & sinè injuria homines potentissimos reddunt*, ex Xenophonte. Quò respiciens Agesilaus Lacedæmoniorum Rex, cùm ex eo sciscitarentur aliqui viri graves: *Utra virtus esset præstantior, fortitudo, an justitia?* graviter respondit: *Fortitudinis nullum esse usum, nisi adsit justitia.* Cùmque idem audisset interdum opulentissimum Persarum Regem appellari *Magnum, & verò, quare major me est*, inquit, *nisi sit justior?* Illud quoque D. Remigium Rhemorum Antistitem, virum divino afflatum spiritu, vaticinatum refert Agathias Schol. Lib. I. belli Gothici, dum Clodoveum Galliæ Regem ipso inaugurationis die inungeret, *Regnum illud tandiu florens futurum, quandiu in eo cum religione Justitia coleretur.* Quippe non adamantinis illis vinculis, quæ Dionysius Senior crebrò in ore habebat, *Vi, atque Metu*; sed *Justitia* (quæ Concordiæ mater) *magna imperia retinentur*, ex III. de Rep. Tullii; quem librum jure dolemus cum reliquis periisse. Ea re Alphonsus Arragonum Rex, eos Principes, qui Justitiam nequaquam colerent, persimiles sibi videri dicebat iis, qui morbo caderent comitiali, ut Æneas Sylvius in ejus dictis, & Antonius Panormitanus in rebus ab eodem gestis tradunt. *Ubi* nempe (scitè differente Latino Tragico in Thyeste) *non est pudor,*

Nec cura Juris, Sanctitas, Pietas, Fides,
Instabile Regnum est.

Quod cùm probè cognitum haberet J. Cæsar, *nihil sinè Justitia perpetuum, nihilque diuturnum militibus ad Placentiam tumultuantibus identidem repetebat*, ut in Dione legimus Lib. XLI. Neque enim Salomonis effatum; sed Dei Opt. Maximi Oraculum illud puto, quòd inscriptum extat Proverbiorum liberis, *Justitia firmatur Solium* &c.

Est honori pariter, & decori *Justitia* Principi: imò Xenophon in Cyro-pædia, *nullas opes viro præsertim Principi pulchriores, & honestiores, quàm Virtutem, & Justitiam* esse posse censet. Justitia siquidem cum Prudentia, & Sanctitate conjuncta, Auctore Platone in Theæteto, Deo similes homines reddit. Ait enim Deus ille quondam habitus Philosophorum. *Deus nullo usquam modo injustus est; sed planè justissimus. Nec ei similius inveniri potest quidquam, quàm qui inter vos justissimus fuerit.* Traditurus ob id Tiberius Constantinus imperium Mauritio genero: *Sit* (inquit apud Aimon. Lib. III. de Gest. Franc. Cap. XXXV.) *tibi imperium cum hac puella filia concessum; utere eo feliciter, in mente habens, Virtutem, & Justitiam præcipua esse optimi Principis insignia.* Et senserat id ante multò Menander, idemque cur Optimi Principis ornamentum Justitiam esse duceret, sic expressit,

Τῷ γὰρ δικαίῳ κ' ἀν βροτοῖσι καὶ θεοῖς
Ἀθάνατος αἰεὶ δόξα διατελῶ μόνον:

Justi viri namque inter homines, & Deos
Solius immortale permanet decus:

Imò, *Nec tam Hesperus, nec Lucifer mirandus est*, ut Justitiæ cultor, ait Peripati Princeps ex Euripidis penu. Aptè hic pariter, & apertè Tullius in Offic. Libris. *Justa omnia decora sunt, injusta omnia contra sit, indecora sunt, turpia*: Et de Amicitia. *Nihil est honestum, quod Justitia vacet.* Idcirco Lycurgus, ut omnia sapienter. *Divitiæ forsan magna æmulatione desiderabiles sunt; sed Justitia pretiosa, & admirabilis res est.*

Quid, quod *Justitiæ in primis caussa, Reges, & in Asia, & in Europa bene moratos constitutos* dixit Tullius II. de Officiis, Hesiodo sibi lampada præferente, à quo multò ante scriptum fuerat,

Hoc uno Reges olim sunt fine creati,
Dicere jus populis, injustaque tollere facta:

Sicut ante multò a Saba Regi Salomoni dictum Lib. III. Regum Cap. X. *Constituit te Deus Regem, ut faceres judicium, & justitiam.* Quamobrem Salomon ipse jussus a Deo postulare, quidquid vellet, *cor sibi dari docile* postulavit, *ut populum sibi commissum judicare posset.* Nimirum *Justitiæ Sacerdotes*, quales *Valent. Theod. & Gratian.* Impp. vocat Symmachus Urbis Prætectus apud Ambrosium Epist. XXX. esse debent Reges, ac Principes, aliique Mortalium, qui cæteris cum imperio præsunt.

Hisce de caussis factum, ut *Justitiam* opere sibi maximo colendam censuerint Prudentes quique Moderatores Urbium, ac Regnorum: ob eamque maximè vicissim ipsi culti fuerint, longèque Mortalibus aliis antelati. Coluit in primis hanc Virtutem *Augustorum Primus*, ut indicant, quæ ex Prudentum sermonibus, ejus in laudem habitis die funeri destinato, produxit Tacitus Annal. I. *Jus apud Cives, modestiam apud socios, Urbem ipsam magnifico ornatu, &c.* Coluere ab illo reliqui Principes, & Dynastæ, quorum aliquos ut enumerem: *Alexander Severus*, authore Lampridio, tanta æquitate fuisse fertur, ut nullas unquam sanciret leges, nullam constitutionem sacraret sinè viginti Juris peritissimis, doctissimis, & sapientissimis viris; nec in ulla re judicium ferret, quin priùs iret per sententias singulorum, & scriberetur, quid quisque dixisset: *Hadrianus* ejusdem Virtutis amans, cùm ab eo Populus universus, ut aurigam alienum servum, qui in spectaculo placuerat, libertate donaret, precibus enixissimè contendisset, renuit, ne, servo libertate donato, domino fieret injuria. Prodit & hic aliud Principum justorum agmen, nec è Romano cœlo. Ecce, & ex Austriacis quidem *Rudolphus* Suevorum Dux, cui tale scripsit Elogium Reusnerus,

Suevorum fuerat mihi demandata potestas,
Jura quibus longo tempore, sancta dedi:

Rudolpus alter, Alberti Sapientis F. sic ab eodem laudatus,

Justitiæ præstans studiis, nec inutilis armis,
Splendidius generi nomen habere dedi:

Albertus, Alberti F. Alberti Sapientis nepos, de quo ista circumferuntur ex ejusdem Reusneri metris.

Patris, avi, proavi cessit mihi nomen, & omen;
Justitia bonus, & fortis ad arma fui:

Gulielmus, Leopoldi II. F. qui de se alieno ore,

Non Virtus, non fama latet mea: Patria novit,
Quid Fidei fuerit, Justitiæque mihi:

Maximilianus II. Imp. Ferdinandi Imp. F. eidem Reusnero dictus,

Justitiæ columen, pacis decus, inclytus Heros:

Carolus V. Elogio Henrici Meibomii sic elatus,

Summe pater; nam te voluit Rex magnus Olympi:
Cogere concilium, pacique imponere morem,
Justitiaque dedit gentes frænare superbas.

Ferdinandus I. apud Eundem:

Nec tu carminibus nostris inditus abibis,
Princeps ante omnes pietate insignis, & armis.
Nam quid dissimulo, aut quæ me ad majora reservo?
Justitiæ ne priùs mirer, bellique laborem?

Gothorum quoque Principes aliqui Justitia claruere quos inter *Henricus VIII.* quem hocce præconio Pantaleo Candidus exornavit,

Hic adeò ingenti celebrari est nomine dignus,
Quòd certas Regni descripserit undique leges;
Quid justum, pravumque foret, qui cultus honesti;
Quid deceat, quæ sint rectum fugienda sequenti:

Athanagildus, de quo idem Scriptor,

Post Regni egregios capit Athanagildus honores,
Justitia pariter, pariterque potentibus armis
Cognitus:

Suintilla II.

Quo non Justitiæ regnavit amantior alter:

Sindasundus, sive *Sigisuvindus*, quem hoc carmine celebrat idem Vates,

Sigisuvindus habens sceptrum jura æqua ministrat.

Ex aliis, adeòque ex ipsis Regibus Legionis, Asturis, & Castellæ, hac ipsa laude nituisse video *Alphonsum III.* qui apud Candidum Encomiasten suum audire meruit.

Justitiæ gnavus cultor, gravis osor iniqui:

Et *Alphonsum VIII.* qui, ejusdem præconio,

Ingenti Superos coluit pietatis amore,
Justitiam Regno servans, legesque perennes:

Quemadmodum *Alphonsus X.* raro Justitiæ exemplo, ut idem cecinit,

Et gentem edictis, sanctoque coercuit usu
Justitiæ; sua dona ferens, ac præmia dignis,
Et scelera afficiens meritis enormia pœnis.

Gradum hinc facio ad Ungaricos Reges Joannis Sommeri calamo celebratos. Nam hos inter occurrit *Andreas II.* de quo hæc cum laude circumlata.

Non tamen eximium tanta res bellica laude
Extulit, exhaustus militiæve labor;
Quantum Justitiæ decus, & custodia legum:
Hinc erit æterna notus in Historia.
Occurrit & ex Ducibus Boemicis priscis *Zeebus:*
Zeebus Croiadum quondam regnator in oris,
Quippe qui
Æqua dabat populis cum patre jura suis,
Pantaleone teste, qui de *Primisilao* plena quoque laudis hæc effudit,
Ipse tulit leges, Regni munimen, honestas,
Et pondus leges jussit habere pias.
Et illa de *Uratislao* I.
---------- *debita forti*
Sceptra manu gestans, subjectis æqua per urbes
Jura dabat latè populis:
Et infra,
-------- *sancta pollens pietate Monarchas*
Æquabat studio recti.
At hos inter nullatenus omittendus *VVenceslaus* V. cognomento *Sanctus*, scilicet
Ille pias amplis stabilivit legibus urbes,
Facta suis probibens diris enormia pœnis,
Justitiamque fovens, res & virtutis honestas.
Longè verò minus *Maximilianus II.* Roman. Imp. verè Maximus. Sic enim illum alloquitur virtutum illius non vulgaris præco.
Prima tuo Pietas tenet ergo in pectore sedem:
Altera cui stabili jungit se fœdere inhærens
Justitia, & geminas æquato pondere lances
Diva gerens, quosvis hominum discriminat actus:
Cuique suis reddens pro dignis præmia gestis,
Fas æquumque regit: ne præponatur honesto
Utilitas, vitiumque ferat pulcherrima Virtus.
Hinc adeò pulchris sibi constat legibus Orbis;
Ut Nemesin, justasque timent in crimine pœnas,
Sic peccare boni virtutis amore verentur.
Suggerit nobis etiam aliquos ejus notæ Principes ex Ducibus Palatinis, & Bojariis Nicolai Reusneri, Sylvula, quæ me maximè delectat, *Theodoretum* in primis, Theodonis III. F. qui
Justitiæ cultor, pietatis idoneus auctor,
Non tantùm belli nobilis arte fuit:
Grimoldum Theodoperti III. Fr. qui pariter habitus
Assertor justi, divini cultor honoris:
Theodoricum VI. Grimoldi F. de quo jactatum illud,
Consilio dubium, validisve potentior armis;
Sed Pietate prior, Justitiaque fui.
Hugopertum Grimoldi II. Fr. quo,
Si pretium est aliquod veræ pietatis & æqui;
Si morum, nemo pluris emendus erat.
Ludovicum II. Imp. Lotharii Imp. F. qui multis nominibus clarus; sed amore recti præcipuè commendatus,
Ingenio felix, natura mitis, & arte
Clarus, amans recti, consiliisque celer.
Ambit in hoc etiam albo censeri *Bertholdus*, Arnulphi F. Schirorum Primas. Quippe Magnus is re vera Justitia Princeps, secundus nulli,
Consiliis rexit populos, & templa, minister
Juris, bonorati cura salusque Ducis.
Ambiunt & ex Bavariæ Ducibus aliqui hic produci, & hos inter *Adolphus Simplex*,
Dux pius & simplex, veri studiosus & æqui,
Inter bonoratos primus bonore Duces:
Otbo Novifori Dux,
Mitis, amansque Dei, rectum ingeniosus ad omne:
Fridericus Ambergensis,
Pacis amans tutæ, pietatis cultor, & æqui:
Robertus Virtuosus,
-------- *pacis defensor, & æqui:*
Otbo Henricus, qui dignus Roberto Virtuoso Patre filius,
Pacis amans sanctæ, patriæ Pater, optimus Heros,
Nil habuit studiis, Justitiaque prius:
Et alii: *Joannes II.* Sponheimensis, & Simmerensis Comes,
Juris amans, sanctas ad pacis idoneus artes:
Ludovicus Niger, Stephani Bipontini F. Roberti Imp. N.
Justitiæ tutor, vitæ studiosus honestæ:
Ludovicus V. Imp.
Justitiæ columen, militiæque decus:
Ludovicus ejus F. Brandeburgicus Elector, quippe qui
Marchiacas rexit Septemvir primus habenas
Justitia, studiis, & pietate potens:
Albertus V. Gulielmi V. F.
Præsidium regni, Gentis tutela, gubernans
Justus honorata sceptra relicta manu:

Joannes Federici filius, qui dictus Petro Lotichio Secundo in fragmento Principum familiæ Palatinæ
Implesse magnum virtutibus Orbem,
Justitiæ cultor, Jurisque minister, & æqui:
Otbo IV.
Pacis amans, custos legum optimus:
Ludovicus Severus, quem sic affatur, & laudat Reusnerus in Aulæo Principum Palatinorum,
Nec te carminibus nostris Ludovice tacebo,
Cui nomen finxit gravitas augusta severi:
Tu legum, tu Juris amans, placidæque quietis
Aurea tranquillæ curasti commoda pacis.
Gulielmus I. Cocles Marchio Misnensis
------ *justis moderatus legibus urbes,*
Ut est apud Georgium Fabricium Chemnicensem: *Fridericus I.* Bellicosus, Marchio Misnensis alter, Electoris honore meritò decoratus,
Fortiter Imperii quòd bella tulisset in hostes,
Et præstans animis, Justitiaque foret,
Ut idem Fabricius canit: *Ernestus* Misnensis pariter, & Elector,
Nam velut in reprobos erat ille severus, & acer
Sic placidos erga mitis, & æquus erat.
Et cur locum hic non habeat inter tot Heroas una etiam Heroina, Ernesti modò laudati Conjux,
Elisabeta decus sexus probitate, pudore,
Justitia, Ernesti Principis uxor, amor?
Sed a sequiore sexu rursus revocor ad Heroas, quos inter fulget *Joannes Ernestus* Joannis Friderici F.
Saxonicæ gentis Dux servantissimus æqui,
Joannis Stigelii ore: *Federicus Gulielmus* Joannis Gulielmi F. ejusdem Stigelii versu,
Justitiæ custos, veri sincerus amator:
Georgius, Alberti Animosi Ducis Saxoniæ F. Qui eadem Musa sua decora celebrante,
Jura domi, populis & leges condidit æquas:
Joannes Georgii Barbati filius, cujus in Epitaphio hæc leguntur, auctore Andrea Franco Comitiano.
Indolis inde trahens generosæ infusa Joannes
Semina, Justitiæ semper amator erat:
Augustus Misnensium decus, ille inquam, qui
Augustus Princeps Septemvir, pacis amator,
Roma tuum Augustum nomine, reque ferens,
Justitia tenuit populosam Saxonis oram,
Joannis Majoris Joachimici præconio, cujus mihi Vatis mentio redegit in mentem *Joachimum I.* Marchionem Brandeburgensem, cujus inter laudes primæ illæ,
------ *Tu legibus urbes,*
Tu sanctum munis Religione forum;
Quin & Joachimum II. æquè justitia, ac Marchionatu Brandeburgensi Primo Joachimo parem. Nimirum hic, hic ille fuit
Dux bonus, & sapiens, pietatis cultor, & æqui.
At quorsum te missum fecerim Joannes Joachimi modò laudati frater? Te, te, inquam,
Princeps Marchio principum Joannes?
Æquè tu scilicet,
Juris, justitiæque cultor æquus:
Quod & alteri Joanni Brandeburgensi Marchioni laudi non obscurè datum,
Cura cui cultus Superum, legumque bonarum
Virtutis, fidei, justitiæque fuit:
Aliisque non paucis, quos in hoc æstu difficile præterire: Georgio Pio, qui
Justitiæ custos, & castus cætera Princeps,
Subjecti meruit civis amore coli:
Alberto I. Duci Borussiæ, cujus honori applaudens G. Sabinus, elogium hoc confecit,
Sic iterum invisunt hoc Principe Numina terras,
Quæ scelerata hominum vita fugavit humo,
Cana fides, libramque gerens Astræa bilancem,
Quæque acri pietas flagrat amore Dei:
Federico II., quo Brandeburgensi
Nullus in imperio fuit observantior æqui:
Joanni Georgio ejusdem imperii Marchioni,
Qui Superum metuens, & cultor idoneus æqui:
Ernesto, quo de loquens Nicodemus Frischilinus in Aulæo Principum Anhaltinorum, planè plenum hoc præconium scripsit, justitia virtutes inter reliquas elucente,
Hinc satus Ernestus, pietatis idoneus auctor,
Justitiæque tenax & servantissimus æqui,
Corpore cui validum robur, cui pectore virtus
Vivida, & ingenium fortuna majus iniqua.
Care Deo Princeps, patriæ qui tutor es oræ,
Quid dignum memorare tuis virtutibus usquam
Vox humana queat? Tibi dextera nescia frangi:
Tecum

Tecum honor, & laudes, & læto gloria vultu,
Et decor, & niveis volitans victoria pennis,
Tecum cana fides, & mens ignara nocendi,
Et pietas, cultusque Dei, Superumque timores,
Quæque tua sub mente Themis sibi limina fixit:
Tecum Astræa suas retinens in sedibus urbes.

Quò feror ad suavissimum tot Olorum melos? An quia Poetæ soli cultores justitiæ Principes æternis suis carminibus æternarint? Haud eredat studiosus Historicorum Lector. Laudatus enim hoc nomine Josepho Lib. XVIII. Cap. XVI. Philippus, Herodis Antipæ frater, quòd domo progrediens, iter cum paucis selectis comitibus faceret, subsequente sella, in qua jus soleret reddere; ac si quis ex occursu opem ejus imploraret, sinè dilatione, mox sella posita residens, caussam cognosceret, aut sontem damnaturus, aut absoluturus innoxium: Plutarcho auctori gravissimo Aristides, cui nihil aliud objici potuit, quàm *Justi* cognomen, quod ipse tamen sibi non imposuerat: Antiochus eidem III. Asiæ Rex, cujus inter præclarè gesta, ob quæ commendationem meruit, recensetur illud, quòd omnibus Regni sui urbibus scripserit, si quid in literis, quæ ejus nomine scriberentur, esset, quod legibus adversari videretur, crederent ignaro se literas eiusmodi scriptas, & eis propterea non parerent: Federicus, Primus ejus nominis Imperator Æneæ Sylvio Lib. III. de Reb. gest. Alphonsi, quòd, cùm illi quidam suaderent, ut Ladislaum Hungariæ, & Bohemiæ Regem, quem educabat, proderet, nempe quia Ladislai vita ingentes illi molestias pareret, mors regna, & opes maximas allatura esset, justus Rex dici maluerit, quam opulentus. Unde Frisingensis Episcopus, & patruelis illius Otto in Prologo Librorum de rebus ab eo præclarè gestis: *Sic etiam temperans in prosperis, fortis in adversis, justus in judiciis, prudens, & acutus in caussis esse cognosceris, ut non solùm ex convictu hæc tecum coaluisse; sed tanquam divinitus inspirata, & à Deo tibi, ob universale totius Orbis emolumentum, concessa videantur.* De Pipino I. Brabantiæ Principe tale quid etiam ejus nobis Acta narrant, ut Haræus scribit. *Venerabilis Pipinus ex patre Carolomano Principe, & matre Æmegarde, fuit Major domus Franciæ sub Clotario Rege Francorum, & Dagoberto ejus filio. Qua dignitate parùm à dominatione, & sublimitate Regia differente præditus, omnia prudenti dispositione ordinabat, præstabatque tam in bello fortitudine, quàm justitia in pace.* De Dagoberto Aimoinus. *At verò post discessum præfati Antistitis* (Arnulfi) *consiliis jam dicti Pipini, & Cuniberti urbis Coloniæ Præsulis obaudiens, suggerentibus eis, æquitati ac justitiæ operam dabat.*

Verùm enim verò justitia mirandum in modum radios suos explicuit, & diffudit in Principibus Lucemburgensibus, & Bohemis simul, in hisque maximè, Joanne, Carolo, Sigismundo, quorum primum Henricus VII. Imp. filium habuit, nepotem alterum, tertium pronepotem. De Joanne testis mihi Chronica Aulæ Regiæ, Cap. XXVII. *Efficitur Rex Lombardis amabilis, & gratus, & à pluribus prædicatur justus, diciturque beatus.* Quæ mirè dictum ejusdem illustrat, quod affert Æneas Sylvius his verbis Lib. III. Comment. de Reb. gest. Alphonsi. *Inter Joannem Caroli, Quarti ejus nominis, patrem, & Henricum Carinthiæ Ducem de Regno Bohemiæ longa, & difficilis fuit contentio. Verùm, cùm quidam ad Joannem veniens, veneno se hostem occisurum promitteret, si præmium speraret: Joannes justitiæ, & integritatis amator, si me nescio Henricum, inquit, interemisses, & ad me fugam adornasses, Crux tibi præmium futurum erat, qui te regio sanguine commaculasses: & tu te modò autborem tanti sceleris geris?* Caroli Joannis F. justitiam celebravit unus è multis, ejus in Oratione funebri, Joannes Archiepiscopus Pragensis hoc verborum nexu. *Ita justissimus apparuit, quòd ipse viduam, & advenam suscepit, & vias peccatorum disperdidit.* Psal. 136. *Habuit etiam simul justitiam, & misericordiam, quia, quibus misericordia fieri debebat, semper faciebat. Ubi autem raptores, & fures, vel malefactores invenit, eos à facie terræ delevit, habens illud Psalmistæ.* Deleantur de libro viventium, & cum justis non scribantur. Psal. 86. *Et illud dictum Senecæ in quadam Epistola interrogantis, & respondentis similiter.* Quid ergo occidit hominem? quia occidit, ille meruit, ut hoc pateretur. *Unde Anselmus in Lib. Cur Deus homo?* Justitia est animi libertas, tribuens unicuique secundùm propriam dignitatem, majori reverentiam, pari concordiam, Deo obedientiam, sibi sanctimoniam, egeno operosam misericordiam, inimico patientiam. *Hæc omnia præfatus Dominus noster faciebat: reddidit enim unicuique secundùm opera sua.* Verus itaque Philippus Bergomen. cùm in Suppl. Chron. ad Annum Christi MCCCXLVII. *Carolus*, inquit, *ejus nominis Quartus, Joannis Regis Bojemiæ F. vigesimus secundus Germanorum Imperator, hoc Anno, jubente Clemente Pontifice, ab Electoribus Imperator creatus, imperavit annis 32. vir multarum linguarum, & literarum peritissimus, justusque, & rectus, & timens Dominum, bonos diligens, & malos scelerato sque odio habens, &c.* Sigismundo denique justitiam pectori fixam, & immotam perpetuò confedisse clarè simul, & verè docuit in eo Gasp. Cropacius Pelsinensis, cùm dixit,

Nec tamen adversis fortunæ flatibus unquam,
Devius à recto, aut prava formidine fractus,
Digna Sigismundus meruit præconia Cæsar.

Quis miretur Accenderat, prætuleratque ad summum justitiæ cultum, clarissimam Soboli, & nepotibus suis facem, Henricus VII. Imperator, quem par est tandem, ut cum Nostro doceam, *observantia summa justitiam coluisse*, exemplo Regum, Ducum, & Principum reliquorum

------ *plenum queis ponderis æqui*
Pectus erat,

ut in Eclogis Nemesianus canit. Ades, nil te moror Lector, talemque tibi statim spectandum illum exhibeo, verbis, & præconiis aliorum, major ut Mussato fides accedat, & major mihi. Et quorsum morer? Adsunt ecce statim, unoque ore justum hunc Henricum clamant Villanus, & Benevenutus, qui tum lucis hujus usura fruebantur, cùm ille justitiæ cultui operam dabat. Primi verba sunt ex Lib. IX. Cap. CI. *Henricus vir sapiens, justus, gratiosus, fortis, &c.* Alterius in Augustali. *Vir prudens, justus, honestus, Catholicus, &c.* A quibus Elias Reusnerus. *Vir prudens, justus, rei bellicæ peritus.* Sed accinunt his alii magni viri, & osores fuci, & Villano quidem Trithemius in Chron. Hirsaugiensi. *Fuit autem Henricus Imperator iste vir sapiens, justus, & gratiosus.* Alii aliis. Ait enim Hocsemius in Theobaldo Episcopo Leodiensi LXXIV. Cap. XXXI. *Hic justus, & religiosus, & in armis strenuus Ecclesiam diligebat.* Joannes SchecKmannus in Medulla Gestorum Trevir. Cap. IX. *Habuit Baldevinus fratrem Henricum justum, prudentem, honestum, &c.* Lupoldus de Bebenburg in Comment. de Jur. Regni, & Imp. Rom. Cap. IX. *Sed opinari quemquam, quòd circa responsionem de juramento hujusmodi hunc habuerit intellectum, satis inconveniens reputo, cùm ipse Christianæ religionis, ac totius justitiæ zelator eximius ac fervidus extiterit persecutor.* Quid multis? An non ille Argentinensi dictus *Magnanimus, & justitiæ columna?* Munstero, *justitia, & prudentia, tum rerum gestarum gloria inter Principes sui ævi præcipuus?* Quo ex fonte illa Georgii Merulæ promanarunt, Lib. VII. Antiq. Vicecomitum: *Justitia, prudentiaque, tum rerum gestarum gloria, quàm natalibus, aut gentili Regno illustrior:* Folietæ denique Genuensis Hist. Lib. VII. *Claris virtutibus suis statim omnium animos in sui admirationem convertisse, cùm omnes sincerum ab omni labe ingenium, ac concordiæ amans, discordiasque, ac contentiones abominans, tum autem justitiæ & æquitatis studium suspicerent?* Nondum mihi tempero. An non enim apud Leonardum Aretinum Lib. IV. Histor. Florentin. Legatis Henrici Florentini respondent his verbis: *Sperare se, qua moderatione, qua justitia esse dicitur, bene cuncta provisurum?* Et paulò post: *Justum Principem, si eam rem cognoverit, laudaturum esse potiùs Florentinorum factum, quàm reprehensurum?* Fraterque Balduvinus, de cujus commendatione electum in Cæsarem hunc Henricum scribit Carrio, in eo prædicavit, *non opes,*

sed

sed virtutes, & in his justitiam maximè sceptro, & imperio dignam, ut ex superioribus illius Elogiis liquet? Accedit his ejusdem Balduini tumulus, quo simul utriusque justitia celebratur.

Hic Baldovvinus jacet, Antistes Trevirinus,
Magnificus, justus, patriæ lux, mente venustus
Lutzenburg natus; septeni denique gratus
Cæsaris Henrici Germanus, juris amici.

Congruit & sibi Noster in hac illi laude alibi tribuenda. Quippe Lib. VI. Rub. I. in Oratione, quam habuit ad Patavinos Patres, suadet obediendum, Henrico, *ut Regi justo*: Et in Epist. II. Principem eum rectum vocat his verbis,

Fecerat hoc pietas, vigor, & clementia recti
Principis Henrici, &c.

Pertinent huc etiam, quæ hac ipsa in Rubrica proximè consequuntur. *Inexorabilis circa judicia compertus*. Ingressus ea re Brixiam Octobonus Aquilejensis Ecclesiæ Patriarcha, hortatus & ipse est Brixienses, *ut se* (verba Nostri sunt Lib. IV. Rub. III.) *in mansueti, justique Principis manum darent*.

Quid si res ab eo gestæ suis nunc ponderibus expendantur? Nemo certè non illi justitiæ castè, & integrè administratæ laudem, & lauream dabit. Siquidem discedens Roma, non nisi justo judicio Romanos hostes adjudicare studuit, ut ostendit Noster initio Rub. VIII. Lib. VIII. Pisis etiam cùm esset, non nisi priùs adhibito consilio diligenti, sententiam contra Robertum Apuliæ Regem tulit; nec nisi justitia exigente; & ut à justo Deo, ut asserit idem Noster Lib. XIII. Rub. IV. quamvis suis in literis Pontifex sententiam illam, non à discretione matre virtutum; sed à noverca justitiæ, voluntaria scilicet judicantis præcipitatione, processisse vellet, ut iis ipsis ex literis constat, quas Bzovius evulgavit Tom. XIV. Annal. Ecclesiast. Col. 206. Parco istic ultro pluribus aliàs afferendis. Nam quis finis, hic si velim res ab Henrico gestas ex præscripto justitiæ singulas percensere? Et quo, quæso, fine, cùm illius justitia totum ferè terrarum Orbem suo splendore compleverit. Quamobrem defuncto Imperatore Roman. Alberto, Principibus in Germaniæ nota, quibus potestas tradita est eligendi Regis, cum illis justi, *strenuive Principis* (verbis ut Ferreti loquar) *qui ad augendos Imperii fasces avidus niteretur, cura vigil inesset; tandem ex multis Germaniæ Ducibus, ut quid indiscussum maneat, menti occurrentibus, præ cæteris Haiuricus Lucemburgensis Comes asensu claro decretus est*; ob idque Romanus Pontifex Joannem nepotem, & percussorem Imperatoris Alberti, Cæsaris hujus judicio permisit, ut ejus arbitrio pœnas parricidii daret,

Sub quo juris amor, sub quo reverentia recti,

Æenea Sylvio teste, Cap. XXVIII. Hist. Bohemicæ, & sua in Epitome Tursellino. Argentinensis enim, Joannem ipsum sua sponte narrat, ejus per se gratiam ut iniret; Huldricus Mutius ab Henrico captum; Carrio retractum illò divinitus ad pœnas: Meyerus Beggini habitu Henrico Imperatori delatum; alii quæsitum per Imperatoris satellites, captum, & eidem ductum. Ut ut sit, una omnium est sententia, Joannem Henrici judicio jussum esse Cœnobium Heremitarum ingredi, in eoque perpetuò pœnitere; nec ab eo, justo nempe, judicio recessisse. Gesta hæc Pisis, ubi *non prudenter minùs, quàm justè Legatis omnibus ad se confluentibus undique magnis ex caussis, Henricum eundem respondisse* scripsit modò laudatus Mutius Lib. XXIII. Chron. Germanorum. Quòd sanè Cæsari huic laudi datum admirabitur nemo, cùm & ipse justitiam sua semper sponte coluerit, & iis Consiliariis semper sit usus, qui se totos ejusdem ante virtutis cultui manciparant. Sed erit mihi nunc eorum omnium instar Sebothus Episcopus Spirensis. Hujus enim in laudem ea scripsit Bruschius, Lehmanusque ex illo suo Spirensi Chron. consignavit, quibus nihil afferri possit illustriùs de justitiæ mysta. Fuit ille scilicet ex Bruschii fide, *Justitiæ, & æquitatis promotor, ac defensor acerrimus; iniquitatis verò, violentæ, & injustæ tyrannidis hostis, ac vindex severissimus, Henrici VII. Imp. intimus Consiliarius*.

Habes ex his Henricum VII. Imp. non modò *coluisse justitiam observantia summa*, ut inquit Noster; sed ipsam quoque Justitiæ imaginem suis coloribus, ac numeris omnibus expressisse. Festinat hinc animus ad alias hujus Rubricæ partes: at, quin, ante lineis aliquot ejusdem Cæsaris Temperantiam hic adumbret calamus, sibi temperare non potest, ut illum dimittat iis Virtutibus omnibus exornatum, quas in primis hujus Rubricæ Notis Boni Viri notas esse cum Seneca dicebamus. Agat id calamus, quod conatur, ut ad umbilicum perducat hanc Notam. Est is sinè dubio Temperans, qui neque secundis erigitur, neque deprimitur adversis; sed æquam in omnibus mentem servare novit, injecto pravis cupiditatibus fræno. Talis & Henricus Comes Lucemburgensis, fuit, possis, ut illum Temperatissimis quibusvis Heroibus accensere. Ecquis enim pravis illum cupiditatibus fractum unquam arguit? quis vario Fortunæ vicissitudines excepisse vultu? quis ob illatas injurias excidisse de placida statione mentis? Quis non contra fassus est, Heroa Magnum recto talo stetisse semper adversùs illecebras sensuum, parique potestate semper Fortunæ, potentissimæ Dominæ, jocis, & ictibus intercessisse, irasci nec facilem, nec placari? Subscribunt his, quæ diximus, non inviti, qui suis scriptis Virtutes illius è tenebris, vendicarunt. Suus enim inter illas locus animi quoque *Moderationi*, & *injuriarum Oblivioni* datus.

De illius animi *Moderatione* locuti præter alios Mutius, Aretinus, Carrio. Primus Lib. XXXIII. Chron. Germ. *Censuerunt autem nominandum Comitem de Lucemburg, religionis, Ecclesiæque amantem, & strenuum cum Moderatione in rebus agendis bello, & pace*. Secundus Hist. patriæ Lib. IV. in responsione Florentinorum ad Legatos ejus, *Sperare tamen se, qua Moderatione, qua Justitia esse dicitur, bene cuncta provisurum*. Tertius Lib. V. Chronici. *Qui in fratre Henrico prædicabat generositatem naturæ, ingenii præstantiam, excelsi animi magnitudinem, Moderationem in omni vita, &c.*

Injuriarum oblivio cum aliunde in hoc Henrico se prodit, tum maximè nostri ex Historici monumentis, nec uno in loco. Legatos enim Paduanorum relaxat ille Lib. III. Rub. VI. licèt famosum quid in se effudisse coram Romano Pontifice dicerentur: Lib. IV. Rub. III. exprobatus in obsidione Brixiensi ab iis, qui muros insidebant, plebeis ululatibus, discedit, militibus sua per castra dimissis, nullam usquam præferens indignationis notam: Lib. VIII. Rub. II. parvipendit in sua magnanimitate convitia in se iis à Romanis jacta, qui Montis Aventini scopulum occuparant, nihil palam molesti in patulum ostentans; parique virtute tum Annibaldi, tum Joannis de Sabello contumelias aspernatur.

Dedit etiam Virtutis hujus specimen non obscurum hic Cæsar tum, cùm prohibitus ab ingressu Mediolanensis Urbis, Turriani Guidonis opera, non modò eam sibi injuriam dissimulandam duxit; sed blandis quoque verbis voluit hostem suum in frugis melioris semitam revocare. Sic enim facinus illud expressit Merula Lib. VII. Historiæ Vicecom. Antiquitatis. *Henricus in præsens contumeliam dissimulavit, illumque* (Guidonem) *hilari vultu excepit; subjecit tamen. Jam Guido adversariis ignosces, pacique, & concordiæ operam dabis: agnosces tandem, cui non parere nefas. Fidelis esto. De compositione rerum, & concordia in Civitate agetur*.

Sed enim nusquam, numquam illustriùs ea se Virtute præditum detexit Henricus, quàm cùm illum, à quo sibi venenum fuerat propinatum, liberum abire jussit, adjectis etiam monitis, quibus à Curiæ Proceribus cavere sibi tutò posset. Hæc enim tum illius fuere verba mollissima ad immanissimum parricidam ex Nauclero Præposito Tubigensi. *O Domine recedatis. Nam si percipiunt nostri devoti malum, quod nobis fecistis, morte miserabili moriemini. Deus vobis ignoscat*. Ex Gebrardo verò Historico Carmelita ista, Lib. XXVII. Chronici Belgici consignata, Cap. VIII. *Quibus exeuntibus, solus frater Bernardus Cæsari assistit. Quem mitissimus intuens ore piissimo sic affa-*

Digitized by Google

affatur. Manus tuæ infecerunt me, & dextruxerunt me totum in circuitu. Unde breviter moriens, & omne facinus vobis indulgens, humiliter postulo, ut inde discutere dignemini, quid in me vestræ displicuit paternitati, & qua de causa tam grande malum in me vobis semper piissimum (fertur enim ejus è Curia fuisse ; imò & illius à Confessionibus sacris) *mens ingratitudinis operatur* : Nec non ista, quibus, facti causa cognita, saluti demum hostis dicitur prospexisse. *O frater Bernarde, licèt per vos, sicut scriptum est, non malum pro bono tribuatur. Nolo tamen, vos hac occasione corripi, aut à mihi familiaribus infestari. Unde, quoniam mora vobis periculum esse posset, eligatis pro vobis securum locum, & illi loco sinè offensione vos faciam præsentari. Quia pro certo, si populus meus actum vestrum perciperet, corpus vestrum nullo modo mortem evaderet, Cæsar itaque traditori suo, Florentiam eligenti, omnia indulgens, ejus quoque honore, qui pro ipso Cruci affigitur, illata sibi humiliter sustinens, solemnes vocat nuncios; non nuncios, sed Principes, quorum ductu traditor versùs Florentiam pervenit salvus.* Quid huic addi pietati, constantiæ, moderationi queat?

Quam porrò nullis aliis pravis affectibus ejus rectè, solidèque compositus animus tentaretur, satis indicavit ipse, ejus in Orationis exordio, quam habuit ad Commilitones suos, *nulla se* professus inibi (ut est apud Nostrum Lib. II. Rub. V.) *Deo teste Mundi gloria, nullis mortalium cupidinum affectibus adductum ad exortas motiones Mundi*. Solas Roberti Regis, & Sectatorum ejus injurias perferre, aut dissimulare nequiit ; sed is impetus, quo ad illas ulciscendas totis viribus delatus est, *zelo, & amori extollendi desueti dudum imperii*, (ut habet Noster alibi) tribuendus est. Nimis enim apertè, Roberto Rege duce, & antesignano, Romani majestas imperii petebatur, eratque verendum maximè, ne brevi labefactata concideret, si non illius conatibus Henricus eundum sibi statim obviam censuisset. *Osius*.

Benvenutus de Rambaldis in Libro Augustali, etiam ipse de Henrico scripsit, *hic vir prudens, justus, honestus, catholicus, dilectus omnibus*. Pignorius.

(44) Ejus commemoratione facinoris, in quo magna pars Justitiæ sita, firmat, Henricum suum Justitiæ cultorem eximium extitisse. Justitiæ siquidem magna pars est in grassantes grassari, ne qua mercibus, humanæ societatis alimentis, & vinculis, injuria fiat ; cavereque perpetuò, ne quid illis contingat adversi, quò minus ultro, citroque sartæ ac tectæ commeare queant. Hinc illud. *Regna vigente Justitia magna patrocinia, cadente magna latrocinia sunt*. Osius.

(45) De Æthiopibus tale quid mihi Stobæus suggerit Serm. XLII. Ait enim, ejus regionis incolas iis moribus excultos esse, *ut pietati, & Justitiæ studeant : ædes ipsorum januis careant : & , cùm in viis multa jaceant, nemo furetur*. De Lucemburgensibus fidem Nostro conciliat Munsterus, sic illorum de regione scribens Lib. II. pag. 127. *Aer salubris, populus fidelis*. Manavit inde securitas eadem in alias Imperii civitates Henrico VII. imperante : atqui sub illius successore Ludovico Bavaro sensim imminuta defecit, ut ejus ne vola quidem, aut vestigium appareret ullum, Huldrico Mutio Germano teste in illius vita. Videsis illam, & nota, quantum securitatis, & tranquillitatis publicæ interfuisset, Henricum VII. rebus humanis diutiùs interesse. *Osius*.

(46) Aurei planè Seculi felicitas ea fuit, quæ tum his moribus, & abstinentia tanta contigit populis Henrici Lucemburgensis imperio parere natis. Notat felicitatem similem, celebrat Varnefridus, uti rem Orbi concessam divinitus, sub imperio Autharis Clephonis F. Lib. III. de Gest. Longobard. Cap. XVI. *Erat sanè hoc mirabile, in regno Longobardorum nulla erat violentia, nullæ struebantur insidiæ. Nemo aliquem injustè angariabat, nemo spoliabat. Non erant furta, non latrocinia. Unusquisque, quò libebat, securus sinè timore pergebat*. Itaque sub Jove latrocinia passim & prædas, ferreo nempe Seculo in Orbem invectas Poetæ canunt, & horum in primis Coryphæus, ac Princeps Lib. I. Geor. ubi de ferreo Seculo habes aurea, Vate illo summa, & divino digna. Sed ista Vatibus relinquamus. A Nostro illud hic Politici discant, ejus esse Principis, qui fidei suæ creditorum felicitati consultum velit, *decorare pacem, remque publicam perturbantes compescere, idque maximè curare, ut itinera secura sint* : Quod ipsum *L. Congruit off. Præs.* sancitum constat. *Osius*.

(47) Nota altera, qua summus Justitiæ cultus in Henrico Principe declaratur. Acerbus Morena Laudensis de Federico I. Ænobarbo Cæsare in calce Historiæ patriæ, quæ nunc demum Venetiis post annos ferè quingentos lucem haurit Ginammianis typis. *Bonis*, inquit, *dulcis, & benignus fuit; malis verò terribilis, & quasi inexorabilis. Justitiæ cultor, legum amator*. Unde Jac. Spiegelius, Guntheri Scholiastes ad Lib. IX. Ligurini, sive de rebus ab eodem illo Federico in Liguria gestis. *Quàm Federicus rigidus Justitiæ custos fuerit, omnes uno ore prædicarunt*. Talem quidem rebus præesse volebat Epictetus, talem Gregorius judicare, *cujus* nimirum *in manu, nullius auctoritate titubaret, aut vacillaret Justitiæ libra*. At ejus notæ viri (quæ temporum propemodum omnium communis calamitas extitit) perpauci fuere semper, & albo corvo, quod asserunt, rariores, cum hominum plerique, auctore Tullio Lib. II. de Orat. plura judicent, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut lætitia, aut spe, aut timore : aut errore, aut aliqua permotione mentis, quàm veritate, aut præscripto, aut juris norma aliqua, aut judicii formula, aut legibus.

Video tamen, sive Naturæ, sive temporum corruptelæ obstitisse quosdam, qui sagittæ instar tendentis ad metam, nec ultra, nec citra, nec utrobique errando, non prece, non pretio, non odio, non amore deflexerint à recta Justitiæ semita, quandiu penes illos summa rerum, & judiciorum fuit. Talis apud Græcos extitit Bias, qui cùm nullius lachrimis dimoveri posset à damnandis reis, *necesse quidem esse dicebat naturæ condolere : at à Lege, & Justitiæ regula discedere pernitiosum*: Talis Phocion, qui ab amico Antipatro rogatus, ut nescio quid injusti perageret, *Non potes*, inquit, *simul me amico, & adulatore uti*: Talis Themistocles, cui cùm Simonides Poeta amicum, non adeò justam caussam habentem, studiosissimè commendasset, respondisse fertur; *Nec Simonidem fore bonum Poetam, nisi mensuram, modumque in canendis carminibus curaret : neque se bonum Prætorem habitum iri, si legibus ac justitiæ alicujus gratiam præposuisset*. Ab Antigono quidem impetrare nequiit fraternus affectus, ut vel tantillum de jure remitteret in caussa Marsyæ fratris, quam postulabat domi tantùm, non in foro, cognosci. Sic apud Lysiam judicem locum nullum oblata Messeniorum munuscula reperere.

A Græcis si Romanos adeas, occurrent eo tibi sub cœlo statim Romulus generis, & imperii Rom. auctor, qui fratrem de medio tolli maluit, quam teneras adhuc leges infringi : Trajanus, quem adeò studiosum Justitiæ fuisse narrat Nicephorus Lib. III. Eccl. Hist. Cap. XXIII. ut aliquando, ensem strictum Præfecto Prætorii tradens, dixisse feratur : *Cape ferrum hoc, & , si quidem rectè imperium gessero, pro me; sin aliter, contra me hoc utare*: Cato, qui *Magistratum judicem* asserebat, *neque pro justis orandum, neque pro injustis exorandum*: Rutilius, qui sibi ejus amicitia opus esse negabat, à quo urgeretur in Justitiæ leges peccare : aliique alibi cedro, & imperio digni. Bertaridus enim inter elogia cætera, quæ retulit è calamo Paulli VVarnefridi Lib. V. de Gest. Longobard. Cap. XXXV. illud etiam adeptus est, ut *Vir tenax justitiæ* diceretur : Kanutus VVandalorum, sive Obroticorum integerrimus, & invictissimus Imperator, *ita ex æquo Justitiam colebat*, inquit Krantzius, *ut omnibus indistinctè nocentibus supplicia repræsentaret; non affinitas, non necessitas, non amicitia delicto patrocinaretur* : Liberius denique Constantino Imperatori suadenti, ut subscriberet in excommunicatione Athanasii, adeò liberè, & intrepidè respondit, ut diceret, *judi-*

judicia Ecclesiastica decere cum maxima justitia proferri. Enimverò, Venusino canente Lib. III. Carm. Od. III.

Justum, & tenacem propositi virum,
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus instantis Tyranni,
Mente quatit solida: neque Auster
Dux impotentis turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna Jovis manus.
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.

Quibus sanè metris, quasi coloribus, non ut à Poeta; sed ut à Pictore expressam habes imaginem Viri inexorabilis circa judicia, qualis Nostro dictus Henricus Lucemburgensis Comes, quippe qui semper

---------- bonus, atque fidus
Honestum prætulit utili, &
Rejecit alto dona nocentium
Vultu, & per obstantes catervas
Explicuit sua victor arma,

Ut idem alibi cecinit Venusinus.

Fuit tamen opinio Jasonis Thessali, aliquando licere non colere Justitiam. Celebratur enim tale illius dictum, quo se purgare solebat iis, quibus molestiam, aut vim aliquam intulisset. *Qui magnis in rebus se Justitiæ cultorem haberi velit, eum in parvis interdum illam violare oportet; velut in bello, quo tuta sit res publica, agri aut ædificia quorundam civium interdum perduntur*. Agesilaus etiam, cùm cæteris in rebus esset rigidus, & exactè justi, legumque tenax: tamen in amicorum negotiis existimabat inhumanitatis, ac sævitiæ prætextum esse, nimiùm adversùs illos justum esse; interdum tamen magis sequebatur Reipub. utilitatem per occasionem oblatam, quàm indulgebat amicitiæ, ut asserit in Laconicis Plutarchus. Contra ea Philippus nihil Amicis putabat omnino dandum, quod præstare non posset Judex Justitia salva. Quare, cùm ex eo Harpalus pro Cratere propinquo, ac familiari petiisset, ut eum mulctaret quidem; sed à caussa liberaret, ne damnatus hominum maledictis exponeretur: *Præstat*, inquit, *ut ipse malè audiat, quàm ut nos propter illum*. Hæc obiter, uti minus nota; sed quæ nosse deceat, ne Amicitiæ jura Justitiæ legibus adversentur. *Osius*.

(48) Non unus *Henricus VII*. Augustus affectus hac laude, sed alii quoque Principum, & Heroum multi. P. Lotichius Secundus de *Friderico* Saxoniæ Principe, Friderici F.

Nominis ejusdem, ne dira licentia ferri
Impunita foret, Latronum filius arces
Diruit.

Nicolaus Reusnerus de *Joachimo I.* Marchione Brandeburgensi.

Quo laudes Joachime tuas, quo carmine dicam,
O pater, ò patriæ cura, salusque tuæ?
Tu pacem genti potiùs, quàm bella tueris,
Si qua geris, fines exuis hoste tuos:
Tu purgas Latrone vias, tu legibus urbes,
Tu sanctum munis relligione forum.

Georgius Fabricius Cheminensis de *Friderico I.* Marchione Misnensi, cognomento *Forti*.

Expellit tota porrò regione Latrones,
Creverat illorum bella per ipsa furor.

Idem de *Friderico II.* cognomento *Gravi*.

Evertit validis Latronum viribus arces,
Unster & ad ripas, Salaque lenta tuas.

Albertus Krantzius Lib. IX. Saxoniæ Cap. V. de *Alberto* Duce. *Hoc autem tempore Albertus Saxoniæ Dux, princeps pacificus, & qui singulari zelo insectaretur Latrones insidiantes publicis itineribus, mortem obiit*. Et paullò post de *Alberto* altero *Erici* F. *Multæ sunt laudes quoque hujus Alberti, quòd odio Latronum multa fecerit, perpessusque sit*.

Sed his, & aliis multis, ac multis longo hac in re præstitit intervallo Henricus VII. Aug. sive naturæ ipsius bonitate, sive fato temporum, in quæ Principatus illius imperium Cœlites conjecere. Describit eorum temporum conditionem, latrociniis afflictatam in Germania passim, non ita pridem laudatus Krantzius, eamque conjunxit cum narratione rerum, quas hic Henricus gessit libro, & capite recensitis, post Alberti Ducis modo memorati mortem, & his sanè verbis. *Illico autem* (post obitum Alberti Saxoniæ Ducis) *erexere caput, quos ille pressos tenuit, arcemque Linovv dudum armis Lubicensium dejectam, memorati Ducis accedente favore, Prædones instaurant: pristini quæstus negotium repetunt: publica iterum itinera tenent infesta: merces cum mercatoribus invadunt, nudant, cædunt, & (nisi cesserint) etiam occiduntur*: Planè ut ea tempora reservata fuisse videantur Henrico VII. quo latior novo illi Alexicaco Herculi pateret campus, suæ in Latrones illos virtutis, & justitiæ exercendæ. Cæterùm, quàm bonam Henricus Septimus operam hac in re strenuè collocarit, cùm eam Scriptorum nullus attigerit excepto Nostro, vel ipsi testabuntur illius posteri, nepotes in primis, & filius, quos omnes par est credere illius exemplo, quasi prælata face, ad idem genus hominum in Regnis suis, & urbibus insectandum, profligandum, perdendum penitus exarsisse. Talis quippe Joannes ejus filius, Bohemiæ Rex; talis Carolus IV. illius nepos; talis Sigismundus pronepos extitere. Pro primo Dubravii scripta testor, & manes. Narrat enim is hoc pacto Lib. XX. Histor. Bohemicæ, primas Joannis Henrici F. Bohemiæ Regis expeditiones adversùs latrones publicos fuisse susceptas, eaque re bene illum mereri cœpisse de Regno: *Post hæc discessit, relicta parte Equitum, quos Rex sibi delegit, ut secum manerent, quoad à latrociniis quoque Regnum purgatum sibi, pacatumque redderet. Nam tanta vis latronum ea tempestate Henrici contemptu inoleverat, ut numero Equitum, peditumque non itinera solùm ad excipiendos quoscumque viatores compleret; sed loca præterea tenebant validis præsidiis firmata, ex quibus aperta vi agros etiam, & vicos incursabant. Contra illos baud puduit juvenem Regem suo auspicio expeditionem sumere, unam domi, qua vestigiis prædonum insistens, omnia illorum latibula perlustravit; indeque per milites extractos igne, cæde, laqueo punivit, dirutis simul usque ad solum latebris: Alteram in Moraviam, crebrioribus adhuc maleficiis, magìsque arduis impeditam, quia ne hi quidem in illa ab injuriis, & deprædationibus abstinebat, qui alias occupabant arces. Ex quibus arx Jani à BusKovice, quam Ungersperg cognominabant, expugnata, ac statim demolita; dein ad similem modum arx Drabotusa: tum arx Deblina, ad quam nullus machinis; sed tantùm cuniculis patebat aditus, cum Friderico possessore intercepta, æqualem ruinam sustinuit. Ipsi verò possessori, quia seriùs deditionem fecerat, caput gladio ademptum. Tali pœna, tamque præsenti cæteri in Bohemia, & Moravia perterriti, malè facere passim desinebant. Qua sanè re non hominum tantùm saluti, & securitati; sed agrorum insuper, vinearumque culturæ prospectum. Utraque enim inculta, vastaque jacebant, dedignantibus colonis aliis arare, serere, vineas colere; unde caritas annonæ in Regno frequens, & in populo fames, vinique penuria oriebantur, quæ mala omnia Rex sustulit latrociniis interceptis*.

Hæc de Joanne Henrici VII. filio Dubravius eleganter, & verè. Sed enim eadem laude contendit cum Joanne patre Carolus quoque filius, & Quartus ejus postea nominis Imperator, eodem Dubravio teste, ejusdem Historiæ Libro XXI. *Interea Carolus filius Regis bene ab omnibus hominum Ordinibus in Bojemia audiebat, quòd, absente parente, talem se in administrando Regno gesserit, ut non solùm à nemine accusari; sed numquam satìs ab omnibus laudari potuerit, adeò numeros omnes rectè administrandi implebat, omnium commodis serviens, ab omnibus acerbissimam illam exactionem submovens, nullum ipse æs alienum contrahens, factiones, & discordias Ordinum ubique sedans, Regnum demique totum à latrociniis purgans*. Nec tacuit postremam hanc ejus laudem Archiepiscopus Pragensis in Oratione, qua pompam illius funeris exornavit. Sic enim magnus ille Præsul, leporis, sed & fuci expers: *Habuit etiam simul Justitiam, & Misericordiam. Quia, quibus Misericordia fieri debebat, semper faciebat: ubi autem raptores, & fures, vel malefactores invenit, eos à facie terræ delevit, habens illud Psalmistæ*. Deleantur de libro viventium, & cum justis non scribantur, Psal. 86. *Et illud dictum Senecæ in quadam Epistola sua sic interrogantis, & respondentis similiter. Quid ergo occidit hominem? Quia occidit, ille meruit, ut hoc pateretur*.

Successit in Imperio Carolo IV. patri VVenceslaus

laus filius; sed is, ut in aliis, sic in persecutione latronum, à patris moribus, & virtute defecit. *Itaque Carolo solemnibus exequiis funerato, postquam regimen in Bohemos suscepit* (verba sunt Dubravii laudati supra Lib. XXXIII.) *initio statim adeò dissolutè illud auspicatus est, ut nullam neque legum, neque judiciorum curam habuerit. Ex quo velut justitia, & impunitate facinorum inde consequente, latrocinia, & rapinæ mala nuper intercepta, rursus per vias publicas cooriri cœpta, ingentem rerum jacturam, præsertim mercatoribus Pragam, tamquam ad celeberrimum emporium, confluentibus, afferebant. Non enim pedites modò, sed etiam equites itinera obsidebant, maleficiis nobilitate quoque obnoxia.* Quamquam & is tandem adversùs hanc, ignobilem nobilitatem, velut è sopore à suis excitatus, manum militarem collegit, *caputque illi duræ cervicis præposuit, quòd flecti non posset, nisi latronibus expugnatis, & locis illorum eversis,* uti subjicit idem Scriptor. Quare tres tunc Arces è saxo structæ ad fundamentum sunt dirutæ, quas Bohemi Zleby, Zbicroh, Rhozecz appellabant.

Sed commodum accidit, ut abrogato Imperio VVenceslao, sufficeretur illi Sigismundus frater, qui fenestram, per illius incuriam latronibus apertam, clauderet, suisque hac in parte Majoribus responderet. Curatum enim est illud statim, solemni in Imperii conventu, Sigismundo præsente, ut viæ securiores essent, quod hisce verbis idem ille Bohemiæ Rerum, Regumque Scriptor accuratissimus complexus est, Lib. XXVII. *Itinerum quoque ibidem cura habita, ut à Grassatoribus essent secura, dispositis per ditionem cujusque Principis deductoribus, qui viatores ad locum destinatum tutò deducerent.* Et his idem ille verbis ad hujus Notæ metam tutò nos deduxit, ut arbitror, destinatam.

Variat hic in voce *Deperditum*, & in superioribus alicubi Vicentinus Codex. Habet enim pro *Onustorum*, *Amissorum*: pro *Rerumve custodia*. *Rerum nec custodia*: Loco, *Etiam æris effusor proprii*. *Et æris eff. prop.* pro *Constitisset*, *Constasset*: pro *Deperditum*, *Deprædatum*. Osius.

(49) Non leviter admirati sumus in superiori Nota 17. ignotos fuisse Vecerio Majores, & Parentes Henrici VII. cujus ille vitam edidit: mirari nunc par est magis, ab eodem scriptum, *quæ cujusque fuerit illius uxor itidem in ambiguo esse*, quamvis hoc ipsum à se curiosè indagatum scribat. Quamobrem, ut ibi nos Itali Germanum Scriptorem non malum Cæsaris hujus *Majores*, *Parentesque* noluimus ignorare: sic eidem *uxoris* illius nomen, & genus palam aperire conabimur in hac Nota, Mussato Patavino Duce. Unus enim ille nobis utrumque referat hac Rubrica.

Fuit igitur huic Augustæ, ut Noster scribit, Margaretæ nomen. Nec unus ille sibi eo in nomine consentit infra Rubrica octava hujus libri, & quarta quinti; sed & alii cum illo conspirasse videntur Scriptores omnes nostratium, & exterarum rerum. Age rem ipsam ipsorum agamus ore, Vecerii gratia, & hac ipsa qualicumque opera Posteris consulamus. Breviter, & apertè Georgius Merula (nam infra in ejusdem Augustæ *Genere* vetustiores eo testes, & majorum, ut sic loquar, Gentium dabo) Lib. VIII. Antiq. Vicecomitum pag. 104. *Virum Romam petentem secuta* (Uxor) *felix profectò fuisset, si illum imperatoriis ornamentis insigniri vidisset. In æde Minorum Fratrum sepulta est. Nomen Margaretæ fuit.* Nec aperte minus Auctor appendicis adjectæ Chronico Uspergensis in Henrico VII. Imp. *Aquisgrani Corona Caroli Magni coronatus, ac ejus diva conjuge Margareta*, per *Archiepiscopum Coloniensem de Virneburt*, *Anno Domini MCCCVIII.* A quo Joannes Funcius Lib. X. Chronologiæ, ad Annum MCCCVIII. *Henricus VII. Lutzelburgensis dictus in locum Alberti Imperatoris eligitur concordi Electorum suffragio. Aquisgrani cum Margareta uxore Corona Caroli Magni coronatur.* Accedit his Ubertus Folieta Genuens. Hist. Lib. VI. ad Annum MCCCXI. *Origo hujus moris, ut diximus, hoc anno facta est, quo Henricus Cæsar ad diadema Cæsarianum accipiendum Romam petens, in itinere Genuam divertit, omni bonorum genere ipse cum Margarita uxore acceptus.* Et P. Interianus in Breviario Historiæ ejusdem urbis Lib. III. pag. 90. *Cùm omnia forent in urbe placida, & tranquilla, Genuam accessit Henricus VI. unà cum Margarita uxore, petiturus Romam itinere Coronæ Regiæ destinato.* Reliquorum propemodum omnium eadem est sententia; sed eos rejicere placitum in sequentes Notas. Unus omnino, quod sciam, Albertus Argentinensis in Chronico Beatricis nomen huic Augustæ dedit, quod admiratione non caret in Historico, qui res Germanicas scripserit ejus ævi, quod inter Rodulphi Habspurgensis Electionem, & Caroli IV. Henrici VII. nepotis mortem fluxerit, & eadem ætate vixerit, qua potitus sit rerum Henricus VII. Augustus. Sic enim ille de hujus Augustæ morte, ad Annum MCCCXI. *Post hæc circa hyemem Januam profectus, cùm Regina honorificè est receptus; ubi Beatrix Regina moriens sepulta est ad Minores.* Sed errasse putandus est Argentinensis, secus sentiente reliquo omni literatorum cœtu (quòd ex ipsorum dictis non multò post illustriùs apparebit) & inter scribendi æstum matris hujus Henrici nomen, quod *Beatrix* fuit, ejusdem uxori temerè tribuisse. *Osius.*

(50) Indicat his Mussatus ejusdem Augustæ *Genus*, & habet adstipulatores sententiæ suæ non paucos, quorum Princeps Carolus IV. in Commentario de Vita sua. *Cupio igitur, vos non latere, quòd Henricus VII. Rom. Imperator genuit patrem meum, nomine Joannem, ex Margaretha Ducis Brabantiæ filia, &c.* Joannes Villanus ejus ævi scriptor Lib. IX. Cap. XXVII. *Eodem Anno, (MCCCIX.) obiit Genuæ, mense Novembri Augusta Imperatoris* (Henrici VII. Augusti) *uxor, quæ sancta, & optima habebatur: & fuit filia Ducis Brabantiæ.* Cujus ex penu Henricus Calderius, nondum editus, seu quis alius, Lib. V. de Origine, & Gestis Patavinorum, Cap. XCIX. *Eo anno Imperatrix, quæ habebatur sancta, Brabantisque Ducis filia, Genuæ diem suum, mense Novembri obiit.* Redeo ad antiquiores, inter quos Edmundus, cujus mihi verba commodum exhibet Magni Chronici Belgici Collector pag. 304. ubi de Carolo IV. Romanorum Rege. *Fuit autem filius Regis Joannis Bohemiæ, & Poloniæ, nepos Domini Henrici de Luceburgo Imp. Romanorum. Qui Henricus duxerat in uxorem Margaretam, filiam Joannis Ducis Brabantiæ, ex qua genuit Joannem Regem Bohemiæ, & Poloniæ patrem Caroli Imp. Quarti, & VVenceslai Ducis Lucemburgensis, & Brabantiæ, ac Henrici Marchionis patris Jodoci Marchionis Moraviæ, postea in Regem Romanorum electi:* Et Trithemius in Chron. Hirsaugiensi ad Annum MCCCVIII. *uxorem habuit Margaretham Joannis Ducis Brabantiæ filiam, de qua genuit Joannem Regem Bohemiæ.* Quæ totidem ferè verbis repetit in Chron. Sponheimensi ad eundem Annum. Meyerus etiam huc accedit Annal. Flandriæ Lib. X. *Ex filiabus* (*Guidonis Flandrensis*) *Margareta cessit in conjugium Duci Brabantiæ Joanni; illumque Joanne, Gotofredo, Margareta, Mariaque fecit parentem. Ex quibus Margareta, uxor erat Henrico Luceburgensi, qui creatus Augustus, Septimus dictus est.* Nec multò post. *Porrò uxor Augusti Margareta F. Joannis Ducis Brabantiæ, Guidonem avum ciebat maternum. Erat enim Augusta orta ex Margareta filia Guidonis, quam habuit in matrimonio Brabantus.* Et alibi. *Post hæc Genuam Augustus concessit ad hybernandum, ubi, tres totos menses dum hyemis sævitiam tolerat, charissimam conjugem Margaretam Brabantinam amisit, funeraruntque ibidem apud Franciscanos.* Accedunt & Scriptores alii non vulgaris notæ: Ludovicus Cavitellius in Annal. Cremonensibus ad Annum MCCCXI. *Anno altero, coronam, quam Mediolani accipere debebat, accepit unà cum Margareta ejus uxore, filia Ducis Brabantiæ:* Elias Reusnerus in stemmate Luceburgensi. *Uxor Margarita Joannis Brabantiæ Ducis F.* Et magna pars eorum, qui Familiarum illustrium stemmata deduxerunt. Sed frustra te pluribus onerem in re jam omnino clara. Quorsum enim Henricus Lucemburgensis in Charta Joannis I. Brabantiæ Ducis, quam testis vice signavit post Adulphum Imp. & Joannem Ducis filium, se Ducis generum scripsit, ut est apud Haræum in dicto Joanne I. Brabantiæ Duce, nisi ob ejus sibi

Ducis

Ducis filiam matrimonio nexam?

Joannes igitur Brabantiæ Dux huic Augustæ Pater, & ejus sanè nominis primus. Juvat hoc addere, quod omisit Noster, ut à nobis id luminis huic ejus Historiæ parti recens accedat. Hocsemius, inter cæteros ejus rei testes, disertè admodum id expressit in Hugone de Cabilone, Episcopo Leodiensi LXXII. Cap. XIX. *Hujus electi tempore, Henricus Comes Lutzilburgensis, postmodum Imperator, filiam Joannis I. Ducis Brabantiæ, inter eos pace reformata, duxit uxorem*. Edmundus etiam laudatus supra ad calcem Notæ 16. à nobis hac in parte est verbis VVenceslai Bohemiæ Regis. *Dixitque ad me* (VVenceslaus) *suam illam esse Genealogiam, &c.* & *Imperatorem Henricum de Luceburgo proavum suum duxisse filiam primi Joannis Brabantiæ Ducis, ex qua genuerit avum suum Joannem Bohemiæ, & Poloniæ Regem*. Adstipulatur his Gerbrandus à Leydis Lib. XXIII. Chron. Belgici Cap. XIV. *Joannes ergo, hujus nominis primus, frater ejus, & Dux Lotharingiæ, & Brabantiæ. Hic duxit in uxorem Margueretam, filiam Guidonis Com. Flandriæ, ex qua genuit Joannem succedentem Ducem, Margueretam uxorem Henrici VII. Imp. & plures alias proles*. Et Lib. XXIV. Cap. XXI. *Porrò, post quinque annos, idem Dux Brabantiæ* (Joannes primus) *apud Barensi oppidum, tempore nuptiarum Ducis Barensis, in hastiludio letbaliter vulneratus obiit, & sepelitur Bruxellæ apud Minoritas. Quo mortuo successit ei Joannes hujus nominis Secundus, Dux Lotharingiæ, & Brabantiæ, & Limburgiæ. Hic duxit in uxorem Marguaretam filiam Eduardi Primi Regis Angliæ, ex qua genuit Joannem sibi succedentem hæredem Ducem. Itaque Marguareta, soror istius Secundi Joannis Ducis, erat uxor Henrici VII. Imp. Rom.* Longè verò apertiùs Lib. XXVII. Cap. VI. *Anno Domini 1312. obiit in VVerem Joannes Dux Brabantiæ* (Secundus) *& sepelitur Bruxellæ. Hujus soror Margareta, Imperatoris Henrici VII. uxor*. Et Cap. VIII. ejusdem Libri. *Porrò hic Henricus Imperator, priùs fuit Dux Luxenburgensis, & genuit ex Margareta Imperatrice, filia primi Joannis Ducis Brabantiæ, Joannem sibi succedentem in prædicto Ducatu*. Et his subscribunt recentiores alii plena cera, Haræus in primis in seriæ Ducum, seu Principum Brabantinorum his verbis: *Joannes I. filius Henrici præcedentis, ex Margareta Flandrica liberos habuit Joannem successorem, Gotbfredum, qui infans decessit, Margaretam Henrico VII. Imperatori, & Mariam Amadeo Sabaudiæ Comiti nuptam*. Et in hoc ipso Amadeo, quem Haræus laudat, Lambertus, Vanderburchius Lib. I. Historiæ Gentilitiæ Sabaudorum Ducum: *Maria Brabanta, Joannis Brabantiæ Ducis ejus nominis primi, & Margaretæ Flandræ (cui Guido Flandriæ Comes pater) filia, Margaretæ, quæ Henrico Luxeburgensi, Domini anno MCCXCII. nupserat, soror*. Henninges etiam in Genealogicis Brabantinorum Ducum, uxorem Henrici Margaretam, sororem appellat Joannis II. Godfridi, qui in cunis obiit, & Mariæ Amadei IV. uxoris: & habet hæc disertè Emmius in appendice Genealogica: *Margareta, filia Joannis I. Brabantiæ Ducis, uxor Henrici VII. Imperatoris*. En quæ, cujusque fuerit Henrici Imp. uxor, quod hactenus, curiosus alioquin rerum indagator, Vecerius ignoravit? Ex dictis labes quoque nonnullas abstergas licèt è Scriptorum duorum paginis, quibus adspersæ sunt. Unam ex Libro V. Chronici Carrionis, ubi Margaretam uxorem Henrici VII. Aug filiam facit Henrici Brabantini Ducis, his verbis: *Ex Margarita, Henrici Ducis Brabantini filia, Joannem Bohemiæ Regem, & filias tres reliquit*; neque enim illa Henrici cujusquam, Ducis Brabantini, filia; sed Joannis I. Brabantini Principis XXXI. Alteram ex stemmate Luceburgensi Antonii Albicii Florentini, ubi hæc habes: *Henricus VII. Imperator, uxor Margareta filia Joannis II. Ducis Brabantiæ*, cùm sinè mendo scribere debuisset, *filia Joannis I. &c.* Osius.

(51) *Virginem* Barlandus nupsisse dixit in Chron. Brabant. Ducum Cap. XLVIII. *Joannes inde filiam suam Margaretam, virginem egregia forma, nuptum dedit Henrico Luceburgensi Comiti, ejus Henrici filio, qui in pugna fortiter occubuit non procul ab arce VVorone. Junior hic Henricus postea factus Rom. Imperator in Italiam transcendit*; Ferretus, qui coævus Nostro, Lib. II. Historiæ suorum, & paullò ante actorum temporum, *Dum pubes foret*. Hujus enim illa sunt in laudato loco. *Huic* (Henrico) *Brabantiæ Dux Margaritam natam ejus, dum pubes foret, matrimonio copulavit*, Verè omnino, *dum pubes foret*. Pubertas enim annum sibi propriè vendicat decimum sextum, quem Margarita fortè nondum excesserat, cùm Henrico nupsit. Si quidem enim anno salu is 1311. quo Mediolani coronata est, annum agebat trigesimum sextum, ut habet Noster Rubrica ultima hujus libri, annum ætatis decimum sextum ageret necesse est, anno redempti Orbis 1292. quo Viro copulata fuit, ut ostendam infra ad Verbum, *Duxit*. Osius.

Hæc Margarita fuit filia Joannis I. Ducis Brabantiæ, ejus qui cum Henrico Blundello pugnavit, soror Joannis II. Ducis. *Pignorius*.

(52) Ætatis anno XXX. Natus enim anno 1262. die 12. Julii, (quod liquet ex obitus ejusdem die, qui fuit 24. Augusti, anni Dominici 1313. ætatis verò suæ, ut inquit Mussatus Lib. ultimo de rebus ab eo gestis Rubrica ultima, duodecimus, post annum unum & quinquagesimum, & mensem unum) Margaritam Brabantinam uxorem duxit anno salutari 1292. ut constabit statim ex sequenti Nota. Nemo verò non videt, inter annum 1262. & 1292. triginta tantùm annorum curriculum, nisi me fallunt articuli, confici potuisse. *Osius*.

(53) Anno libertatis assertæ Mortalibus universis MCCXCII. Rectè, clarèque Meyerus ad hunc ipsum annum: *Anno MCCXCII. Henricus Lutzelburgius, futurus Augustus, duxit uxorem Margaretam filiam Ducis Brabantiæ, neptem nostri Guidonis ex filia Margareta*. Mitto Vanderburchium, non alium hisce nuptiis tribuentem annum in Amadeo IV. ne laudatus nuper, fastidio sit iterum laudatus. Divæum sanè liquerim invitis Musis. Certat enim is pari cum Meyero face, dum signat harum nuptiarum tempus, & illi libens lubens Haræus hæret in Joanne Primo, Brabantiæ Principe XXXI. Sic igitur Divæus scribit: *Anno MCCXCII. Henricus Comes Luceburgi, Henrici pugna VVoringana cæsi filius, ducit filiam Joannis Ducis nostri Margaretam*. Anno nempe quarto post patrem cæsum. Cæsus enim ille, ut ostensum supra Anno MCCLXXXVIII. die Divo Bonifacio sacro. Quare clariùs ea de re Magni Chronici Belgici Concinnator pag. 258. ex Gestis Brabantinorum Ducum: *Anno quarto post bellum de VVoroncb, videlicet anno Domini MCCXCII. anno Ducatus ejusdem Joannis XXXII. inter Henricum Luzelburgensem Comitem, filium Henrici in bello VVoroncb occisi, & Ducem Joannem pax reformatur. Henricus enim Margaretam filiam Jo: Ducis ducit uxorem, dispensante cum eis Nicolao Papa IV. super matrimonio contrahendo, eo quòd tertio consanguinitatis gradu sibi invicem jungerentur*.

Curavit eam porrò pacem harum nuptiarum nexu (si quid hoc etiam nosse interest Historicæ rei) Maria Regina Franciæ, Joannis Ducis Brabantiæ soror, ejus mihi rei teste Hocsemio in Joanne Guidone, Episcopo Leodiensi LXXI. Cap. XVI. *Demum inter filium Lutzilburgensis Comitis Henricum, qui fuit postmodum Imperator, & filiam Ducis, facto matrimonio, pax firmatur, hoc procurante Regina Maria Franciæ, relicta Regis Philippi, vocati* Cor-Leonis, *qui redeens de exercitu Arragonensi, ut dictum est superiùs, in Propinguiano decessit, sorore dicti Ducis muliere discreta, & formosa, & toto generi suo valde utili, etiam post viri sui decessum: sicut diversa conjugia, confœderationes, & amicitiæ, quas ipsa procuravit, manifestant*. Fugit itaque Marcum Guatium ratio temporum, cùm hisce nuptiis solus, quod hactenus observarim, assignavit Annum MCCXC. quemadmodum solus etiam videri posset sensisse, dotis ergo cum Margarita Brabantina Comitatum Lucemburgensem in Henrici VII. familiam devenisse (qua de re supra) nisi priùs in eadem sententia fuisset Paulus Æmilius Veronensis, ex quo tum alia pleraque, tum id in primis hausit Guatius, & in suum Italicum Chronicon, verbis omnino totidem derivavit. Quod enim patrio ser-

Digitized by Google

sermone Guatius extulit, ita Latino Paulus ante protulerat in Philippo IV. Pulchro, Francorum Rege XLV. *Filia Ducis Brabantiæ Henrico filio Henrici, qui filius Reginaldi cum duobus fratribus in acie ceciderat, nupsit, doti adscripto Comitatu Luceburgensi*. Osius.

(54) Roges hic, uniusne vir uxoris, an plurium extiterit hic Henricus? Dissident enim inter se Scriptorum aliquot in ejus uxorum censu, nec omnes unam illi tribuunt; sed alii duas, alii tres. Qui tres adscribunt, primum ferè locum assignant Catharinæ Alberti I. Imperatoris F. quæ ante nuptias obierit; secundum Hester Opoliensi Polonicæ; tertium Margaritæ Joannis I. Brabantiæ Ducis F. Qui duas numerant, *Opoliensem* omittunt. Qui unam nominant, non idem illi nomen imponunt. Nimirum aliqui *Catharinam* vocant, *Margaritam* alii, *Beatricem* nonnulli ex Argentinensis, ut videtur, schola. Quid hic consultus respondeam? quid decernam? Juvat hic omnino regiam tenere viam, hoc est, multitudinem Scriptorum sequi. Cùm igitur, quod ad *Catharinam* spectat, aliqui censeant, Henricum ipsum fati munus implesse, cùm illa sibi è Germania ducebatur uxor, uti vidimus in superioribus Notis, alii Catharinam ipsam ante celebratas cum Henrico nuptias obiisse: quod ad *Opoliensem*, paucorum ea sententia sit: quod ad Beatricem, matrem illam Henrici fuisse, non uxorem constet, solam ego *Margaritam* Henrico VII. Cæsari nupsisse crediderim cum Viris illustribus, quos produxi multos, donec quid aliunde certiùs afferatur. *Osius*.

(55) Verum hoc primæ prolis Henrici nomen, si veri Carolus IV. Edmundus, Trithemius, Gerbrandus, Carrio laudari nuper in illius matre, & aliis rursus in locis Trithemius, & Gerbrandus. Primi siquidem hæc, alia sunt in Hirsaug. Chron. ad annum MCCCX. *Rex autem Henricus, Principum usus consilio, eandem filiam cum regno Bohemiæ Joanni filio suo Lutzeburgensi Comiti, de consensu Procerum Bohemiæ, dedit uxorem*: Et ad annum MCCCXLVI. *Iste Joannes filius fuit Henrici Imper. VII. & pater Caroli IV.* Secundi ista Lib. XXIX. Cap. IV. *Occiso autem in præfato bello Joanne Rege Bohemiæ Duce Luceburgensi, qui fuit filius Henrici VII. quondam Imperatoris, &c.* Cap. VII. *Hic quippe Dux* (Brabantiæ Joannes III.) *filiam suam primogenitam, Joannam nomine, viduam Hannoviæ, & Hollandiæ, jam tradiderat in uxorem VVenceslao Duci Luzeburgensi, Comitique Alsatiæ, & de Thay, filio Joannis Regis Bohemiæ, filii Henrici VII. Imperatoris*. Et Cap. VIII. ubi de Carolo IV. *Quo* (Ludovico Bavaro) *defuncto, Electores Imperii elegerunt Carolum Regem Bohemiæ, filium Joannis Regis, filii Henrici VII. quondam Imperatoris*. Quibus adjungo Chronographum Scriptorem Aulæ Regiæ Cap. XXVII. *Nonne Principum pissimus Venceslaus Rex Bohemiæ, fundator Aulæ Regiæ, propter quem præcipuè hæc descriptio primò facta est, & latam Virtutum, & Pietatis administravit omnibus loquentibus, & scribentibus materiam? Nonne & Henricus Rom. Imp. magnificus gestabat præ omnibus honorem, & gloriam? Horum duorum nobilis propago, & prosapia generosa, bujus (inquam) Joannes Rex filius, illius Elisabeth Regina filia, nonne obtinuerunt sibi nomen grande, juxta nomen Magnorum, qui sunt in terra?* Hocsemium in Theobaldo de Barro, Leodiensi Episcopo LXXIV. Cap. XXXII. *Anno Domini MCCCX. Rex Bohemiæ moritur, unica filia hæredè relicta, quam Henricus Rex Joanni filio suo, nunc Regi Bohemiæ, matrimonio copulavit*: Æneam Sylvium Cap. XXXI. Hist. Bohemicæ. *Successit Alberto Henricus VII. Comes Luzelburgensis consilio, & animo juxta potens. Hic Elizabeth alteram VVenceslai sororem, decem & octo annos natam, clam jussam ad se venire apud Spiram Galliæ civitatem, Joanni filio suo quatuor annis minori matrimonio conjunxit*: Dubravium Lib. XIX. *Cæsar conspecta puella* (Elisabeth VVenceslai Bohemiæ Regis filia) *bilarem vultum præseferens, illam mediam humanissimè complectitur, ac continuò ad Augustam deducit, Augustæ uxoris calculo aut retenturus, aut remissurus. Ambo dein parentes pariter Joannem filium accersunt, eumque rogant, an ei Sponsa placeret? &c.* Et Lib. XX. *Ibi adhuc subsistentem Legati Brixiani ex Gallia Cisalpina adeunt, commemorantes deditionem, quam Henrico Cæsari Joannis patri, nuper fecerint, &c.* Sethum Calvisium, *Filius Henrici Joannes factus Dux Luxeburgensis*: Cavitellium ad annum MCCCIX. *Joanni filio suo nupsit Elisabetham filiam Vincislai Regis Bohemiæ*: Paullum Æmylium Veronensem in Philippo IV. cognomento *Pulchro*, Francorum Rege XLV. *Filio ejus Joanni quatuordecim annos nato nupsit Venceslai Bohemiæ Regis, nullis liberis superstitibus defuncti soror, eadem alteriùs Venceslai vita sancti neptis, duodeviginti annos nata*. Et mox: *Unum exercitum* (Henricus) *duce Petro Pontifice Moguntino cum filio Joanne in Bohemiam misit*: Funcium Lib. X. Chron. ad an. MCCCVIII. *Filium Joannem Regem Bohemiæ in Comitiis Spiræ designavit, desponsata filia Regis Bohemiæ*: Nauclerum Volum. II. Chronographiæ, Gener. XLIV. ad an. MCCCIX. *Henricus Imperator Elisabeth, alteram Venceslai sororem, XVIII. annos natam clam jussam ad se venire, apud Spiram Joanni filio suo quatuor annis minori matrimonio conjunxit*: Lazium de Cimeriis Lib. III. *Joannes Henrici Imp. filius à patre Bohemiæ Rex constituitur, data illi in uxorem VVenceslai patrui Regis Bohemiæ filia*: Et, plures ne congeram, Keriandrum, qui in Annalibus Trevirensibus Part. XIV. pag. 157. ait: *Joannem Bohemiæ Regem, & Baldovinum Archiepiscopum Trevirensem admisisse multa adversùs imperium, contra existimationem, & instituta parentis eorum, gloriosissimi Principis, Henrici VII. Augusti*.

Ecquis contra consensum hujuscemodi tot, ac talium Rei literariæ Procerum, conspirare audeat? Fossardus tamen, quem alii constanter adeò Joannem vocant, Henricum nequaquam est veritus appellare. Sed oleum, & operam perdit, qui loquentibus adversùs Solem, facem accendit.

Fuit illi quidem cognomentum Cœci, quòd oculum unum in Lithuania ex gravi, & nebuloso aere amisisset; altero verò privatus fuisset à Judæo Arabo, se jactante medicinæ scientiam in curandis oculis præ cæteris possidere. Quam tamen cœcitatem ille dissimulare sic voluit, ut amissis oculis hastatorum ludrica, quibus in primis delectabatur; sæpiùs etiam, quàm soleret integris, spectare sibi permiserit, & nunc istum, nunc alium, quem in spectaculo superiorem evasisse ex nomenclatore audisset, magna voce laudaret, nihil minùs, quàm *Cæcus* videri volens, ut Dubravius scribit Lib. XXI. cui hæreo cum Reusnero in caussa cœcitatis. Nam Henninges utroque Joannem Henrici VII. F. oculo debilitatum asserit, dum acceptum venenum pellere conaretur. At hæc satis de Nomine, & Cognomine primæ virilis prolis Henrici VII. Cæsaris Augusti. *Osius*.

Hic Joannes dictus est Luxemburgicus, & fuit pater Imperatoris Caroli IV. occubuit autem in prœlio, anno MCCCXLVIII. dum Francorum Regi militat adversùs Britannos, cujus corpus adhuc sat integrum in capulo ligneo se vidisse Luxemburgi, in Cœnobio Franciscanorum testes sunt Ortilius, & Vivianus in Itinerario, pag. 37. fefellit autem nos Joannes Sleidanus, qui in Epitome Frossardi vocat hunc Henricum à Lutzemburgo, sed fefellit Sleidanum Frossardus. Videndi autem sunt Scriptores rerum Bohemicarum. *Pignorius*.

(56) *Unigenitum* dixit, qui Paralipomena rerum memorabilium adjecit Chronico Urspergensi, in Henrico VII Imp. *Henricus Comiti de Lutzelburg, filio suo unigenito, filiam illustris Principis quondam Regis Bohemorum matrimonio jungit*. Rectiùs Ferretus Libro II. initio: *Ille verò* (Carinthiæ Dux) *cùm molestus ex hoc dudum fieret, denique mitibus verbis, spequè retributionis magna convictus liti cessit, & virginem Bohemiæ Reginam primogenito Cæsaris Joanni copulari non adversatus est*. Georgius Merula Lib. VII. Antiq. Vicecomitum: *Despondetur puella Elisabeth Joanni Henrici primogenito*. Imò præter hunc, virilem ullam aliam prolem Henrico VII. fuisse, legisse nullibi me recordor, præterquam in Stemmate Lucemburgensi Emmii, qui nescio quo ex fonte, Joanni fratrem anonymum tradit. Abrahamus Ortelius in Itinerario penes Virum Cl. Laurentium Pignorium, cujus, & Eruditionem,

nem, & Candorem animi diversarum quoque partium sectatores admirari solent, eum *Venceslaum* vocat, facitque patruum Caroli IV. ac tandem, auctoritate nepotis, primum Lucemburgici Ducatus titulo decoratum scribit: sed hoc ejus dictum quale, quantumque sit expendimus supra.

De Filiabus ejusdem Cæsaris lis adhuc apud Genealogicos, & Historicos nonnullos viget. Meyerus enim, *Joannem*, & *Mariam* solam ab Henrico VII. relictam asserit: Emmius *Joannem*, *filium alterum*, & *Mariam*: Reusnerus, & Carrio, *Joannem*, *Beatricem*, *Mariam*, *& tertiam innominatam*, quæ nupserit Rodulpho Palatino ad Rhenum: Henninges *Joannem*, *Beatricem*, *Mariam I.*, *Anonymam*, *Catharinam* conjugem Leopoldi, cognomento *Equitum Gloria*, Ducis Austriæ, & *Mariam II.* uxorem Henrici VI. Comitis Vadanimontis. Hæc de filiabus Henrici VII. varietas paginis adhuc inest, & Lectorem in iis morantem seriò, & agentem circumspectè, quod agit, angit, & detinet ingrata mora. Conemur itaque nos fastidium istud (quoad ejus fieri poterit) ex animis amovere, eorum præsertim opera, qui, quò propiùs attigerunt Henrici VII. tempora, eo certiùs imbecillioris illius prolis numerum tenere ipsi, posterisque tradere potuerunt. Sequar enim hac in parte duos in primis, supra recensitis omnibus antiquiores, Regiæ scilicet Aulæ Chronographum, qui regnante Joanne ipso primogenito Henrici VII. vixit & scripsit, & Carolum IV. Joannis ejusdem filium in Commentario ab eo, de vita sua, rebusque tum à se, tum à patre gestis accuratè conscripto. Iis ergo ducibus duas, quod certò constet, filias Henrico VII. Cæsari fuisse pronuncio, quarum natu major Maria fuerit, Beatrix minor. Nupsit prima Anno MCCCXXII. Carolo, cognomento *Pulchro*, Francorum Regi, & Anno sequenti Parisiis Regii diadematis insignibus est ornata. Ecce, tum de nuptiis, tum de coronatione ista verba ipsissima Cronographi laudati meridiano ipso jubare clariora, Cap. XI. *Eodem Anno IV. Idus Aprilis elegantissima puella Maria, Henrici Imperatoris filia, Johannis Bobemiæ Regis germana, de Regno Bobemiæ, in quo tribus ferè annis cum Elizabet Regina decenter permanserat, in Lucelburg decentia, qua oportuit, est reducta. Demum in festo B. Bartholomæi eadem puella Karolo Regi Franciæ in conjugio legitimè copulatur: & anno sequenti in die Pentecostes Parisius in Reginam Franciæ solenniter coronatur. Verumtamen Reginæ priori Ducis Burgundiæ filiæ, per eundem Regem antea repudiatæ, Apostolicæ Sedis conceditur dispensatio, ut & ipsa nubere valeat alteri viro.* Et infra Cap. XII. ad Annum MCCCXXIII. *Prædicta Maria, fœmina simplex, simplicitate columbina in die Pentecostes in Reginam Franciæ solemniter coronatur.*

Habes de Mariæ nuptiis, quæ, qui vidit, scripsit. De Beatrice eadem oculata fide loquitur idem Scriptor Cap. V. & cum ejus nuptiis, & ætate Mariæ quoque laudes, & ætatem nectit: *Eodem Anno (MCCCXVIII.) Karolus, filius Karoli Regis Siciliæ, factus Rex Hungariæ, prima sua absque liberis viduatus uxore, Thomam, ac Simonem Comites Hungariæ, cum Stephano interprete, & cum decentia familiæ, misit ad Joannem Regem Bobemiæ, petens, ut unam de suis sororibus velit pro conjuge sibi dare. Hac legatione amicabiliter suscepta, Johannes Rex Bobemiæ certis nunciis suas sorores de Lucelburgensi evocat Comitia. Quarum major vocabatur Maria, junior verò Beatrix proprio nomine est vocata. Neutra harum puellarum attigit quartum decimum ætatis suæ annum. Ad fratris itaque sui vocationem istæ ambæ virgines venerunt, & XII. Kal. Julii Pragam cum sua familia ingressæ sunt. Quarto autem die, post istarum adventum puellarum, cum Rege, & Regina Bobemiæ ad Monasterium Aulæ Regiæ hæ pariter venerunt. Debuit enim tunc solemniter peragi dies anniversarius fundatoris illius loci. Veniunt quoque illuc Legati Regis Ungariæ, &, ut eorum exaudiatur petitio, incipiunt cum instantia postulare. Quorum petitioni Rex Johannes annuit, &, ut unam de suis sororibus eligant, liberam optionem eis dedit. Stabant igitur Ungari in suis desideriis exauditi (me præsente, & videntes) coram ambabus puellis, intendentes in illas mente tacita, & oculis apertis, facies delicatas istarum virginum diligenter inspiciunt, conditiones corporum discutiunt, gressus describunt, & quæ sit eligibilior sagaciter inquirunt. Tandem Beatricem juniorem puellam sibi assignari postulant Dominam Ungariæ, & Reginam. Rex Johannes consentit, & congratulatur; puella ad Ecclesiam deducitur, & mox coram summo Altari B. Virginis in Aula Regia, Karolo Regi Ungariæ, sed absenti, ad manus Comitum præsentium legitimè desponsatur. Campana duplex pulsatur, & per Conventum Monachorum, qui omnes ibi aderant, Te Deum laudamus, altisonis vocibus decantatur. Nec longè post per Nuntios solemnes Regis Karoli hæc tenella puella in Metis Moraviæ, & Ungariæ reverenter suscipitur, & in Ungariam deducta, infra Octavas B. Martini Episcopi coronatur, statimque cum eadem vice nuptiarum festiva solennitas per Regem Ungariæ celebratur.* Verùm enim verò majus his accedat, si potest pondus, ex verbis Caroli IV. in Commentario dicto pag. 89. *Habuit prædictus Rex* (Johannes Caroli IV. pater) *duas sorores desponsatas: unam (Beatricem) tradidit Ungarorum Regi Carolo I. quæ sinè liberis mortua est; secundam verò (Mariam) dederat Carolo Francorum Regi, ipso regnante in Francia Anno Incarnationis Domini MCCCXXIII. misitque me meus pater jam dictus ad dictum Regem Franciæ, me existente in septimo Anno pueritiæ meæ. Fecitque me dictus Rex Francorum per Pontificem confirmari, & imposuit mihi nomen suum æquivocum, videlicet Carolus, & dedit mihi in uxorem filiam Caroli* (Comitis Valesii) *patrui sui, nomine* Margaretham, *dictam* Blancam. *Mortuaque est uxor sua, soror patris mei, Anno illo sinè prole. Demum idem Rex aliam sibi in matrimonio copulavit. Nimirum sororem Cazimiri Cracoviæ Regis.* Nec apertè minùs idem Carolus infra pag. 96. *His peractis, arripuimus iter versùs Ungariam ad patrem nostrum, quem invenimus in VVisegrado super Danubio apud Regem Carolum I. qui ante habuerat sororem patris nostri; ipsa verò defuncta, acceperat sororem Regis Cracoviæ Cazimiri, cum qua genuerat tres filios, primogenitum Ludovicum, secundum Andream, tertium Stephanum.* Obiit verò Beatrix, Anno ferè primo post nuptias, Martinalibus. Ejus mihi rei testis Aulæ Regiæ Cronographus Cap. VIII. *Hoc quoque Anno circa festum B. Martini, obitus Dominæ Beatricis Reginæ Ungariæ Johanni Regi Bobemiæ suo fratri certis est nuntiis intimatus.* Brevi quoque mensium intervallo Mariæ vitam, & nuptias terminatas eodem ex auctore disco Cap. XIII. *Hoc Anno (MCCCXXIV.) circa festum Annunciationis, Maria Franciæ Regina, Johannis Regis Bobemiæ germana, cum partu moritur, & apud S. Dionysium honorificè sepelitur. Post cujus sepulturam, Johannes Rex Bobemiæ Parisius venit, & cum Karolo Rege Franciæ suo sororio exequias dignas fecit. Hujus Reginæ juvenculæ obitum hic jam annotavi, quia cum ipsa plurimùm conversatus, eam esse fœminam virtutis consideravi. Et vehementer expavi, cùm hunc florem juventutis, morem senectutis habentem, tam subitò præcisum audivi. Hæc Henrici Imperatoris filia, Franciæ Regina, XVIII. ætatis suæ Anno mortua est.* Mitto pia carmina, quibus idem Scriptor hujus Heroinæ virtutes alias studiosè persequitur, & pios veneratur manes, ne paginas impleam alienis, & hæc etiam aliis reliquissem, nisi & ad hæc illustranda, quæ scribimus, & ad alia necessaria maximè judicassem.

Facibus nimirum istis monstra quædam latentia deprehendes in Rei literariæ Sylva. Latens enim Monstrum est, & capitum multorum Hydra, quod Henninges prodit in Genealogicis, pag. 158. *Beatricem nupsisse primò Balduino Hennino IV. Fontaniæ, & Bosui domino, mortuo A. C. 1295.* (quod ipsum repetit pag. 416.) *Secundò verò Carolo Ungariæ Regi, & in partu obiisse?* Nempe tam Aulæ Regiæ Chronographus, quam Carolus IV. ejus nepos, solius Caroli meminit Ungarorum Regis: & inter ἀδύνατα censendum est, eam nubere potuisse Balduino, qui obierit A. C. 1295. cùm eo Anno Beatrix, aut nondum, aut recens nata foret, ob nuptias biennio tan-

tantùm ante celebratas (ut diximus) inter patrem ejus Henricum VII. Aug & Margaritam filiam Brabantini Ducis. Monstrum etiam est, Aperque culta veritatis vineta depascens in eadem Sylva, quod extat in Chronico Carrionis, *filiarum Henrici VII. Cæsaris natu maximam Beatricem; minorem verò Mariam extitisse*, reclamante Chronographo, qui ambas probè noverit, cum iisdem (ut ipsemet loquitur) plurimùm conversatus. Cave, cave hæc Monstra, quisquis Sylvam istam ingrederis: videque præterea, quàm tutò pedem in Elia Reusnero figas, quà scribit, Mariam *Henrici VII. filiam à Joanne fratre promissam Henrico Tyrolio; sed quæ connubio illo repudiato, se devotam esse Christo, bellum indixisse matrimonio tum causata, Carolo Pulchro Regi Occidentalis Franciæ in manum postea venerit*, cùm Henricus ille Tyrolius ab aliis fileatur. *Osius*.

(57) Vicentinus Codex. *Eaque solita*, quod non probo. *Osius*.

(58) Turbavit ea me vox prima fronte, non hìc tantùm, sed alibi creberrimè repetita, fecitque, ut à mala manu corruptam fuisse ducerem aliquando, delendamque spongia præpositionem *ex*, cum una, vel altera consonantium iteratarum, ita prorsus, ut pro *exennia*, xenia legeretur, quod apud Græcos, quorum è fontibus in arva Latina defluxit, totidem elementis constet. Ad eum modum negotio facili tollebam id monstri, licèt Hercules haud forem, & carerem clava. Stabant à me præterea hujus ævi multi, quibus ea vox minimè probabatur. Nicolaus Villanus eruditionis Græcæ pariter, & Latinæ promus, quid ea de voce sentire verbis hisce per otium literis consignabat, antequam scribendis in Nostrum Notis animum adjecisset.

Libro I. Rub. III. *Treverienſibus vectigalia quædam, certaque solita domui de Lucemborc exennia denegantibus, &c.* Et paulò inferiùs; *Ad exhibendorum exenniorum antiquum fœdus obstrinxit*. Videndum, *exennia* quæ sint. Hæc nonnulli parva munera interpretantur, auctoritate freti nescio quorum Jurisprudentum. Qui quidem si hoc verbi usi sunt, minimè id mirandum videri debet, cùm ipsorum monumenta, belluata ceu tapetia, hisce verborum monstris tota conscribantur. At ego, vera ut dicam, sicuti neque apud Græcos, neque apud Latinos auctores hoc verbum reperiri existimo; ita nec illos eo usos esse, ac pro exeniis xenia ubique reponendum censuerim. Quæ vox Græca quidem, sed latinitate jampridem donata, munera, eaque præsertim, quæ hospitibus darentur, significat. Et fortassis harum similitudo vocum Librariis imponere potuit. Sed esto, sint *exenia* parva munera, certè Auctor noster non de *exeniis*; sed de *exenniis* mentionem facit. Quod verbi quid sit, uti clarè mihi non liquet, ita facilè conjectu erit Græco-latinam vocem hanc existimanti: aptamque ex verbis ἕξ, quod Latini vertere *sex*, atque *annus*, ut unum, idemque sit *exenne*, ac *sexenne*; compositione minimè apud Nostros insolente. Quod si probaveris, *exennia* erunt vectigalia, vel munera quædam sexto quoque Anno præstari solita. Hoc quidem ratio sibi postulat; sed cùm Auctor noster alibi etiam hoc nomen usurpet, & de *muneribus* tantùm; non autem *de sexenniis* intelligat, manifestò inde patet, *exenia*, atque *exennia* idem planè esse. Barbaræ utræque voces, & quibus dicam scribi oporteat de turbata *Xeniorum* possessione.

Hæc mihi, Musisque carissimum caput. Jactavit ob id etiam hìc me fluctus diu. Sed demum visum est *exennia* retinere, probareque cum ævi prisci Scriptoribus, & usu vocum arbitrio, uti nos docuit Venusinus. Fuit enim ea Latii, in quod Noster incidit, corrupti vox, & aliquot etiam ante illum seculis usurpata. Monachus Anonymus Cœnobii D. Justinæ Patavinæ Lib. I. Chron. de rebus tam in Marchia, quàm in Lombardia, & alibi Terrarum gestis, ut habent à me visi Codices MS. ad Annum MCCXXXIX. *Interea dum Imperator in prædicto Monasterio* (S. Justinæ) *resideret, & Imperatrix filia Regis Angliæ Noentæ mansionem haberet, memoratus Abbas, curialitatis, & largitatis amator, Augustum domis gratissimis honoravit. Obtulit namque ei duo tapetia pretiosa, & solium cum suo apparatu, & scabello subpedaneo artificiosissimè insignito; duo plaustra ita pretiosissimi vini, ac si esset de vineis Engaddi. XXX. modios ordei, & XXXIV. plaustra fœni; Sturiones etiam maximos ei dedit, quos sibi fecit de partibus Ferrariæ apportari. His & aliis donis, & exenniis* (pro quo in vulgaribus editis à Christiano Urstisio cum illustribus Historicis Germaniæ, *Enceniis*, corruptè legitur, ex Codice Ramingiano) *tam Augustum, quàm Curiales frequentissimè honoravit*. Anonymus alter nondum editus, qui Carrariensium Stemma confecit, in Ubertino, & Bonifacio filiis Jacobi Carrariensis, ad an. MCCCXXVIII. *Vitalianus Dente, filius Gulielmi Dente, procuravit veneno interficere Dominum Ubertinum. Sciens enim Medicum quendam de Venetiis amicissimum Domino Ubertino, cum quodam ejus Familiari, inscio dicto Medico, tractatum habuit, mittere prædicto Domino Ubertino, parte dicti Medici, quædam magna exenia cum confectionibus venenatis, quæ exenia Familiaris prædictus accepit; sed Paduam veniens accepta exenia subitò præsentare non potuit, cùm tunc Dominus Ubertinus in lecto jaceret infirmus*. Legum Longobardorum Codex Lib. II. Tit. I. L. 6. *Si quando pater filiam, aut frater sororem suam alii ad uxorem tradiderit, & aliquis ex amicis, accepto exennio, ipsi mulieri aliquid dederit, in ipsius sit potestate, qui mundium de ea fecit*. Baldericus, sive Baldricus, Historiæ Hierosolymitanæ Lib. III. *Condito corpore, quibus potuerunt aromatibus, imperialibus exennis illud prosecuti sunt*. Testamentum S. Remigii ex MS. quod asserit se vidisse Ludovicus Cerdius in Adversariis Sacris, Cap. CXXVII. *Et incolæ illius loci multiplicibus exeniis gravati obnixè deprecantes, quod Regi debebant, Ecclesiæ meæ solvendum, me petere compulerunt*. Paullus VVarnefridus Lib. IV. de Gestis Longobardorum, in literis Gregorii Papæ Arigis Duci, uti se habent in meo vetustissimo Codice MS. *Nos enim promittimus, quia, dum res perfecta fuerit, dignum vobis exennium, quod non sit injuriosum, transmittemus*. Et infra Lib. VI. *Multa idem regnator contra Romanos bella gessit, in quibus semper victor extitit, præter quòd semel in Arimino, eo absente, ejus exercitus cæsus est; & alia vice, cùm apud Vicum Pilleum, Rege in Pentapoli demorante, magna multitudo horum, qui Regi munuscula, vel exenia, vel singularum Ecclesiarum dona deferebant, cæsa, vel capta est*. Nam in excusis, qui ex Bibliotheca Bon. Vulcanii prodierunt, utrobique *exenii* locum, nescio quo jure, *xenium* occupavit. Quare nihil erat caussæ, cur Dempsterus cùm in antiquo Vulpiani J. C. Codice ex Epistola D. D. Severi, & Antonini L. 6. ff. de Offic. Proconsulis legisset, ut ipsemet fatetur in Paralipomenis ad Lib. I. Antiquitatum Rom. Rosini, in Urbis regione Quarta, ubi de Dea Strenia: *Non verò in totum euxeniis abstinere debebit Proconsul; sed modum adjicere, ut neque morosè in totum abstineat, neque avarè modum exeniorum excedat*: ab antiqua, sed sana lectione recederet, proque *euxeniis*, *xeniis*, pro *euxeniorum*, *xeniorum*, sibi reponendum duceret, cùm secus eam vocem amassent Veteres scribere, & efferre.

Fuit igitur, ut apparet, *Exennium* in usu olim, nec semper in *Xenii* possessionem iit. Cùm enim xenium, *donum* perpetuò sit: exennium, & *donum*, & *servitium* est. De Exenio, præter laudatos Rei literariæ Patres, Glossæ pro me Vett. non obscurè. *Exenium*, *servitium*: Clarè quoque Papias, & disertè. *Exenium*, *servitium*, *donum*. De Xenio idem Papias: *Xenia*, *præmia*, *dona*, *munera*, *beneficia*: Cæterique Scriptores omnes, quibus *Xenia*, aut hospitalia munera sunt (ξένος enim *hospitem* Græcis sonat) aut ea, quæ a Provincialibus offerebantur Prætoribus, Proprætoribus, Proconsulibus, Rectoribus suis. Primum illud notum, & certum ex vocis ipsius etymo jam allato, & Vitruvio Lib. VI. Cap. X. *Nam, cùm fuerunt Græci delicatiores* (verba ipsius sunt Libro, & Capite laudatis) *& ab fortuna opulentiores, hospitibus advenientibus extruebant triclinia, cubicula cum penu, cellas. Primoque die invitabant ad cœnam, postremò mittebant pullos, ova, olera, poma, reliquasque res*

res agrestes. Ideo pictores ea, quæ mittebantur hospitibus, imitantes, Xenia appellaverunt. Alterum ex L. 6. ff. de Offic. Proconf. L. Un. *Ne damna provincialibus infligant*, in Codic. Theod. Magnoque Cassiodoro VII. Var. *Unusquisque per solemnitatem commonitus offerat voluntarium munus. Xenia enim non sunt debita*: Et Plinio Lib. V. Epist. ad Valer. *Quam me juvat, quod in causis agendis, non modò pactione, dono, munere; verùm etiam Xeniis abstinui*. Utitur & hac voce idem Auctor Lib. VI. Epist. ad Cornelianum, sed vitanda satietas est. Mox factum, ut etiam illa, quæ Saturnalibus amici amicis donare consueverant Xenia dicerentur, ut Suidas tradit: Sæpè enim conjunguntur ξένοι, καὶ φίλοι, *hospites & amici*, præsertim à Demosthene in Oratione περὶ στεφάν. Et Tullio pro Sex. Roscio Amerino: *Fama, & vita innocentis ab hospitibus, amicisque paternis defenditur*. Eamque ob caussam Vatum lepidissimus Martialis, Distichis suis, quibus ejus exemplo possent & alii donare amicos suos, quoties sibi res aliæ deessent, *Xeniorum* nomen indidit eruditè. Sed hæc de Xeniis, & Exeniis satis. *Osius*.

Joannes de Janua in summa Catholica Exenium munus parvum, & quodcunque munus mittitur alicui, quod vulgo dicitur, & Gallicè present. Papias dicit Exenia, & præmia, dona, munera, beneficia: Eccl. XX. *Exenia, & dona excæcant oculos Judicum*. Et ita legit Auctor Mamotrepti. Ibi tamen editio Romana, num. 31. reposuit Xenia, quomodo habet & Cæsarius, lib. 4. cap. 15. *Norandinus verò, ut vidit Xenia transmissa, cum multa devotione suscepit, & singula, idest loricam, clypeum, galeam, gladium, necnon & dextrarios deosculans*, &c. ubi tamen Cæsarium Exenia scripsisse quovis sacramento contenderim, at hæc sunt minima eorum, quæ sibi indulgent Correctores, audaciæ, & licentiæ mancipia. *Pignorius*.

(59) Iniquus Henrico VII. Sethus Calvisius fuerit necesse est, aut certè memoriæ veteris non peritus, cùm in Chronologicis suis scripsit, pag. 736. Henrici patrem anno MCCCI. nutu Imperatoris contra Episcopum Treverensem duxisse exercitum Julio mense, & omnia circa Treveros vastavisse, urbemque obsedisse, undecimo tamen die obsidionem solvisse. Nimirum hæc ille scribens adscripsit, nescio quo consilio, patri, quæ filius gessit, eoque anno, quo carebat patre, jam amisso triennio ante in VVoringana clade. Æquior igitur hac in parte eidem Henrico Vetus rerum Boemundi, & æqualis illorum temporum Scriptor, disertè narrans, Henricum Comitem Lutzenburgensem infesto exercitu Treverim petiisse anno Christi MCCC. Quare rem ejusdem verbis intererit retulisse: *In vigilia* (inquit is Auctor) *B. Mariæ Magdalenæ Henricus Comes Lutzenburgensis, cum electa militia, & ingenti multitudine armatorum vallem Trevericam intravit, seductus in opinionem, quòd Civitatem Treverim vi, vel dolo posset subjugare. Castra fecit circa Villam, quæ Urium nuncupatur, non longè à civitate sitam, domos & turres incendens, cuncta subvertens, fructus terræ conculcans, & depascens, ligna fructifera, & vineas abscindens, Populus verò Trevericus non exiens ad campale prœlium, transitus viarum ultra pontem potenter observabat. Comes autem, quia ulteriùs procedere non valebat, cùm diebus aliquot stetisset in eodem loco, retrocessit, & juxta Villam Mertzelich flumen Mosellæ transvadavit, aliquibus de suis submersis ibidem sistens, Demum appropinquans civitati castra sua locavit in campo spatioso juxta S. Crucis villam, & iterum in abscissiones arborum, & vinearum crudeliter exarsit. Ipsam villam S. Crucis, & omnia torcularia in circuitu, & in ripa Oleviæ juxta Montem-Novum sita incendio devastavit. Die autem duodecima adventus sui, scilicet in die S. Petri ad Vincula, cùm ulteriùs progredi proponeret ad exterminationes innocentum, Dominus, qui cuncta disponit, Sanctorum conculcationem ampliùs non ferens, in sequentis noctis tenebris, dum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, suborta est in exercitu Comitis gravis dissensio. Omnes repentè ruerunt in arma, & acriter prœliantes mutuò se occiderunt. Non paucis prostratis, & vulneratis, territi & stupefacti statim moverunt castra: terruerat enim eos Dominus, &c. Deinde unusquisque rediit ad propria, mente consternata*, Eodem ferè sensu sed breviùs eandem expeditionem Trithemius memorat in Chron. Hirsaug. ad sequentem annum: *Eodem quoque anno* (MCCCI.) *in die S. Mariæ Magdalenæ, Henricus Comes Lutzenburgensis civitatem Treverensem cum magna pugnatorum turba debellaturus, exercitum retro civitatem juxta Ecclesiam S. Crucis locavit, omniaque in circuitu, villulas, domos, vineas, torcularia, pomeriaque desolavit: ulteriùs progressurus, nisi omnipotens Deus, meritis Sanctorum suorum Treveris quiescentium, in ipsa nocte undecima, posteaquam advenerant, spiritum in eos vertiginis misisset, adeò ut se se mutuò percutientes fugerent, nemine persequente*. Innuit id ipsum horum vestigiis insistens brevissimè Keriander, Part. XVII. Com. de Orig. & Statu August. Trever. pag. 236. *Porrò Ditberi hujus tempore, non solùm Comes Lutzenburgius infesto exercitu Augustam Treverorum obsedit, maximisque damnis monasteria præsertim, & Sacrificos, & Ordinis cujusque devotos affecit; verùm etiam pacem, nec diu post æternum fœdus cum civitate iniit, &c.*

Caussa porrò hujus sive belli, sive dissensionis inter Henricum Comitem Lucemburgensem, & Ditherum Archiepiscopum Treverensem ea fuisse traditur à supra laudato Scriptore vetere rerum à Bohemundo gestarum, quòd Comes ædificare cœpisset quoddam Castrum in quadam Insula fluminis Mosellæ, juxta villam de Machra, positis ibi telonariis, & prædonibus, qui indifferenter religiosos, & peregrinos, mercatores, ac alios quoscumque per alveum Mosellæ navigantes, timore Dei postposito sinè misericordia spoliarent. Hæc enim totidem ferè verbis laudatus rerum à Bohemundo gestarum Scriptor. Verè ne omnia? Ambigo. Nam, qui raptores & grassatores summè oderit, ut ostentum supra, adeò patentem iisdem aditum aperuisse, quis credat, nisi Comitibus Lucemburgensibus infestus, & iniquus Henrico? Chronica sanè VVormatensia, quæ citat qui Paralipomena adjecit Chronico Urspergensi, in hoc ipso Henrico longè honorificentiùs de illo sensit, nec dissensit à Nostro. Habent illa scilicet: *quòd in eo via Justitiæ, & trames æquitatis bases suas fixerit. Nam per Comitatum Lutzelburgensem mercatoribus, mercibus, & aliis peregrinantibus major fuit securitas, quàm sit in aliquibus Ecclesiarum immunitas*. Quæ planè respondent illis Albertini nostri, *Justitiam tanta coluit observantia, &c.* Sed hæc aliis relinquo integra. Verior omnino Noster (ut ut ea se se res habuerit) & accuratior Calvisio, dum bellum Archiepiscopo Treverensi ab Henrico Com. Lucemburgensi, qui postea septimus ejus nominis Imperator extitit, non autem ab illius patre, illatum literis consignavit. Verior pariter, & accuratior Joannes Bertelius Epternacensis Monasterii Abbas in Historia Luxemburgensi, quæ nunc mihi tandem ad manus, curante Magno illo Præside Literatorum à me sæpe; sed nunquam pro meritis, & virtute laudato satis Dominico Molino. Nullus enim tibi bellum istud, ejusque caussam, & eventus omnes ad Critolai libellam æquè descripserit, dignus ut omnino sit, qui audiatur in tam alto aliorum ea de re silentio, & obscuritate tanta. Ad hunc igitur ille modum rem omnem oculis repræsentat:

Henricus natu maximus proximè factorum (VValrami, & Balduini) *frater, cùm in adolescentiæ annis aliquos fecisset progressus, & ætatis suæ annum circiter decimum octavum ageret, robusto erat corpore, & animo virili, adeò ut vicinis quibusque terrori foret, & horrori. Subiit autem ejus mentem, Castrum quoddam, quantitate quidem exiguum; at fortitudine præstans satis, in quadam Mosellæ insula, non procul à* Machren, *ædificare, unde à transeuntibus isthac naucleris, & mercatoribus telonium exigere; imò & extorquere valeret. Qua ex re Treverenses non parùm indignati, quòd inde sibi haud parùm incommodari existimarent, opus ejusmodi diabolicum appellantes, illud omnino demoliendum sibi constituerunt, eamque ob caussam magno numero conglomerati ad locum accesse-*

cesserunt, & manum inferentes violentam, Castrum recens excitatum demoliti sunt, soloque adæquarunt. Offendit istud Treverensium facinus mirè Henrici Comitis animum, qui ejus ulciscendi gratia, collecta militum multitudine ingenti, in D. Mariæ Magdalenæ profesto, primùm vallem Treverensem ingressus speculabatur, ut in brevi urbem ipsam vi, terrore, dolo, aut proditione in suam subigeret potestatem. Castra verò circa vallem, quæ adhuc hodie Uririum *nuncupatur, fixit, & domos, turresque civitati viciniores igne succendit, nulli denique rei, ac ne quidem ipsis fructuosis arboribus, & terræ frugibus parcens, omnia circumquaque vastabat, perdebatque Treverenses tum magnis angustiis perculsi, nec non de suis ad propellendum hostem viribus diffisi, saltem eum, ne ponti proximior, & urbi fieret infestior, compita viarum diligenter custodiri fecerunt. Unde Comes Henricus propiùs accedere prohibitus, retro ad partes Treverensium alias depascendas se se convertit, & juxta villam* MerKelich, *quæ vulgò* Mertert, *& olim Latinè* Merchodichta *dicebatur, Mosella trajecto, cum suorum etiam aliquo dispendio, qui fluctibus ejus fluminis obruti perierunt, Villam* Contz *nomine petiit, & quibus potuit modis cuncta per gyrum igne, & ferro devastavit, Urbi denique appropinquans castrum in Campo spacioso circa S. Crucis villam constituit, exercens interea militum suorum manu arborum, vinearum, & aliarum frugum vastationem inexplicabilem: Ipsam etiam villam (Ecclesia ipsa ob religionem servata) & torcularia quamplurima circumposita, & in Oliviæ ripa reperta, juxtaque novum montem sita incendit, subvertit, destruxit.*

Dum jam duodecimum diem ea in grassatione attigisset Henricus Luxemburgensis Comes, Deus malis tantis finem impositurus, ne terra illa Sanctorum corporibus, & sanguine tincta & sacrata in exterminium daretur, permisit in ipso noctis medio, dum in Castris summum esset silentium, magnum exurgere tumultum, dissentientibus nimirum inter se Luxemburgensibus militibus, & mutuis se armorum compressionibus interimentibus. Quæ res adeò Henrici Comitis animum perculit, ut citra moram dimissis, quos offendere nisus fuerat, Treverensibus, solutoque exercitu ad propria remeare disponeret; Treverenses tamen, non sibi ideo tutum futuro tempore confidentes, quosdam ad Luxemburgensem componendæ pacis gratia destinarunt.

Solus dicitur, idest sinè auxiliis Principum, & Amicorum, de quibus statim. *Osius.*

(60) Quæ tum parandæ, tum firmandæ potentiæ ratio firmissima perhibetur. Nihil enim est tam validum, aut potens, quod amicorum copias simul junctas, opes copulatas, sociatas manus vincere, aut dissolvere possit. Quare cum Romanis rerum olim Dominis, vicinorum societatem suadeo Principi, & cum Atheniensium Oratore Principe Orat. III. in Philip. Πόλεως ἴσχυε πλοῦτον ἡγοῦμαι, συμμάχους, πίστιν, εὔνοιαν:

Urbis opes esse existimo, socios, fidem, benevolentiam;

Nam glomerare manum bello, & concurrere in arcem,

Cùm sociis ardent animi; furor, iraque mentem
Præcipitant,

Magno Vate teste magni Operis secundo. Adi, qui me isthic audis, Scriptores Politicæ facultatis, & hos inter Joannem à ChoKier Lib. II. Thesauri Polit. Aphorismorum, Cap. XI. quo toto doctè aperit Moderatori rerum cum necessitatem, tum modum percutiendorum fœderum cum vicinis Principibus ad stabiliendas, & amplificandas opes Imperii parti. Eo sanè Capite nobis ad hæc affulsit delibatus ille doctrinæ radius è Lipsiano Sole. *Osius.*

(61) Quæ aliis *Treverorum civitas, Treveri, Treveris, seu Augusta Treverorum dicta*: sed *Trevir* initio vocari meruit, quasi *Trebir*, sive *Treber*, à Trebeta Nini filio (malè suo in Lexico Geographico Philippus Ferrarius Regius olim Mathematum interpres in Academia Ticinensi *fratre*) quem habuit conditorem. Clarè Marianus Scotus, qui deligentissima Chronica reliquit, Lib. I. Ætat. III. Cap. XVI. anno Abrahæ 16. *Trebeta filius Nini à Semiramide expulsus de Regno, Treverim urbem condidit in Gallia, ante Romam conditam annis MCCL.* Scoto quoque clariùs, & uberiùs Nauclerus Gen. XX. Vol. I. *Semiramis, cùm haberet privignum Trebatam dictum, suspicione affectandi regnum ducta, insidias illi parare cœpit. Qui classe facta è regno fugit, ex Asiaque in Europam profectus, idest per mare in Rhenum, ac inde per Mosellam fluvium, in valle pulcherrima Galliæ consedit, ibique florentissimam urbem, totius Galliæ caput, fundavit, ac Treverim, quasi Treberim, ex suo nomine appellavit.* Testatur id etiam monumentum vetus in eadem Urbe repertum ætate Frisingensis Episcopi, qui Lib. I. Chronici Cap. VIII. Trebetæ historiam perinde, atque Nauclerus refert. Ejus verò monumenti versus erant hujusmodi.

Nini Semiramis, quæ tanto conjuge felix
Plurima possedit; sed plura prioribus addit,
Non contenta suis, nec totis finibus Orbis,
Expulit à patrio privignum Trebeta regno,
Insignem profugus qui nostram condidit urbem
Treveris, &c.

Laudat idem monumentum Conradus Urspergensis Abbas initio sui Chronici, & in narratione rei ita convenit cum Nauclero, ut æquè lac lacti simile non existat. Inquit enim. *Hæc* (Semiramis uxor Nini) *privignum suum Trebetam regno expulit, qui per mare, & Rhenum, & Mosellam classe vectus, Treverim primus construxit, & eam ex nomine suo, ut ajunt Treverenses, appellavit.* Facilis quippe transitus à B, in V, ut pro *Treber* efferretur *Trever*, aut *Trevir*, quo postremo usus præter Nostrum Lucanus Lib. I. Pharf.

Tu quoque lætatus converti prœlia Trevir,

Et Auctor Versiculi perantiqui, quem affert doctissimus Brovverus in Notis ad Lib. III. V. IX. Venantii Fortunati:

Accipe primatum post Alpes Trevir ubique

Ad hæc Sigebertus A. C. 413. Treberum Nini filium à facie novercæ suæ Semiramidis profugum condidisse olim, atque à se nominasse Treverim perhibet. Quem, sicut & alios supra recensitos omnes, secutus Æneas Sylvius in Germania sua Cap. II. cujus est titulus, *de Treveri Metropolitana sede: Auctorem ejus*, inquit, *asserunt Trebetam Nini, & Semiramidis filium &c.* Senserunt id ipsum Joannes Enen Germanico Libello ad Archiepiscopum Richardum, Franciscus Irenicus in Exegesi Germaniæ Lib. XII. Andreas Althamerus in Germania Taciti: & Albertus Crantzius Ecclesiasticæ Historiæ Lib. V. Cap. V. Sebastianus quoque Munsterus in descriptione Germaniæ, Treverim vetustissimam urbem, Abrahæ temporibus primò conditam multos asserere testatur à Trebeta Nini Babylonici Regis F. idemque pluribus repetit Lib. II. Cosmographiæ. Præter hos Gotfridus Viterbiensis, olim sub Henrico VI. Imp. præfectus Sacrorum, & Augustalium scriniorum, carmen ea ipsa de re tale condidit, quod extat Parti illius Chronici tertiæ consignatum, subjecto Trebetæ, quod superiùs productum est, monumento ex Chronico Pontificis Frisingensis:

Filius est Trebeta de Nini se nine Regis,
Cedere quem regno Regina noverca coegit:
Ut pater elegit regna noverca regit.
Pulsus ab hinc Trebeta subiit Germanica regna;
Fundat ibi Treverim fluvio præsente Mosella:
Post eadem Treveris Belgica Roma fuit.

Addo ex Keriandro in Præfatione Com. de Orig. & Statu August. Trever. pag. 16. Gulielmum Eisengrinium prodidisse literis, vidisse se Treveris antiquos versus de subactis quinque Rheni urbibus juxta Treverorum Augustæ effigiem cum inscriptione hac, ALTERA ROMA, nominibusque Rhenensium Civitatum, atque etiam aliis versibus Trebetam Nini F. conditorem Treverorum testantibus. Quæ cuncta pro veris habenda existimat Joannes Enen. Quamobrem mitto H. Mutium asserentem Lib. I. de Germania, Treverim, & Coloniam Agrippinam dici vetustissimas Imperii Civitates a Trebeta ante Christum natum Abrahami temporibus ædificatas, aliosque sexcentos. Satis enim, quod volui, probatum ivi.

Volui verò id pluribus, non tam, ut Etymon inquirerem hujus urbis, quam ut, nostra qui legeret, miraretur, Jo. Aventinum, scriptorem recentiorum omnium sinè controversia politissimum, & insignem, transmisisse posteris

Lib. I. Annal. Bojorum, *Trever condidisse Treveros urbem, ac gentem in Gallia Belgica ad Mosellæ ripam*. Quem idcirco solidè Keriander rationes non solidas secutum prodit, Parte I. Com. de Orig. & Statu August. Trever. pag. 25. quam, cùm lubet, inspiciat curiosus Lector. Nos enim ad alia hinc vocamur. *Osius*.

(62) Alias Galliæ Belgicæ. Ait enim Marianus Scotus, eam a *Trebeta conditam in Gallia*; Nauclerus *in valle Galliæ*; Aventinus *in Gallia Belgica ad Mosellæ ripam*. Ea re Frinsingensis, Treverim *Galliarum nobilissimam* dixit Lib. VI. Chron. Cap. VIII. Eandemque Ammianus Marcellinus, qui Galliarum statum probè descripsit, *in prima Belgica* collocavit Lib. XV. Sic in Provinciarum Libro Itinerario (quod Antonini vocant) adjecto, Galliarum Provinciæ XVI. recensentur, & in iis Belgica prima, cujus IV. Civitates, scilicet Metropolis civitas *Treverorum*; civitas Mediomatricorum, idest *Metis*; civitas Leucorum, idest *Tullum*: & civitas *Verodunensium*. Illud quoque inter res stupendas narrant, qui de illis scribere studuerunt, Galbam viatorem Lucinio Sophistæ retulisse, Treveris *Galliæ nobili civitate*, visam sibi ferream effigiem Mercurii volantis magni ponderis, in aere pendentis magnetis vi supra in fornice Templi, atque infra in pavimento ferrum medium æquabiliter trahere, unde versus ille fluxerit,

Ferreus in vacuis pendet Caducifer auris.

Idcirco de Treveri sic locutus Salvianus Massiliensis Lib. VI. de Provid. Dei. *Denique expugnata est, quater urbs Gallorum Treveris opulentissima*: Et alibi. *Excisa ter continuatis eversionibus summa urbe Gallorum, cùm omnis Civitas bustum esset, &c.* Nec aliter Pomponius Mela, quem Vadianus sub Claudio Imp. vixisse conjicit, Lib. III. Cap. II. *Aquitanorum clarissimi sunt Ausci, Celtarum Hedui, Belgarum Treveri*. Sejunxit etiam Treverim à Germania Hirtius, cùm scripsit Lib. VIII. *Treverorum civitas propter Germaniæ vicinitatem quotidianis exercita bellis, cultu, & feritate non multùm à Germanis differebat*. Secus enim esset, Germanorum vicinitas, & ejusdem originis, atque sanguinis affectatio non bella quotidiana cum propinquis, non differentiam cultus; sed quietem, sed eandem feritatem, eosdem mores effecisset. Quamobrem rectè doctissimus Rodulphus Agricola in Rebus gestis Burgundiæ Regis. *Treveri rerum gestarum magnitudine, & vetustate Urbs præclara, Gallica gens, nunc Germanica*. Ritèque multijugæ lectionis Barthius Lib. XIII. Adversf. Cap. III. ad illud Ausonii carmen,

Dignata imperio debent cui mœnia Belgæ,
Augusta Trevirorum caput tum ejus oræ, Belgicæ, ut nunc quoque; quamvis Belgicæ non adscribatur jam.

Abit ab his tamen, ut video, Gotfridus Viterbiensis, qui ait Trebetam subiisse Regna Germanica, & ibi Treverim condidisse, post eandem urbem Romam Belgicam fuisse. Aventinus etiam narrat ex Tacito, Treveros in affectatione Germanicæ originis ambitiosos esse, & ipsos Gallos Julio Cæsari retulisse, Belgas à Germanis ortos. Quin famam constantissimam hucusque manasse, Treveros primos Germanos esse trans Rhenum, qui etiam nunc lingua, moribus, imperio Germani sint. Sed Taciti locus suspectus est, Cæsaris auctoritas nihil necessarium probat, fama multò minùs, uti pluribus adstruit Keriander, Parte I. Commentarii de Orig. & Statu Aug. Trever. pag. 23. Gallica gens igitur initio Treveri, mox Germanica, non è contra. Clarum hoc ex dictis: sed incertum illud, ac dubium, quandonam gens illa Germanica cœperit appellari. Constat enim circa tempora Valentiniani Senioris, qui A. C. CCCLXIV. imperare cœpit, Alemannos maximis copiis irrupisse in Gallias, deinde Anno CCCCIII. sub Honorio Imp. cum Vandalis & Alanis, seu Vandalis Suevis, Rege Carolo, apud Maguntiacum Rhenum transgressos, per Gallias insigni strage vagatos esse Arelatum usque, sicuti Sigebertus ad Annum CCCCXI. & omne prope Scriptorum reliquorum vulgus apertè docet. Perque ea tempora Treverim captam, direptam, deformatam fuisse, quod itidem plurimi Auctores tradunt: & additur in Gest. Trever. Lib. II. Cap. XII. Civium partem in Urbis amphitheatro, quod munitum insederant, tum hostilem impetum evasisse. Post hæc Sigebertus ad Ann. CCCCXIII. *Franci*, inquit, *sæpe Gallias incessere, diripiunt primò, & secunda irruptione incendunt urbem Treverim, quam condidit Treber filius Nini*. A quo fortè non discrepat, quod ex D. Hieronymo Aventinus refert Lib. II. Annal. Bojor. *Hac vice, Francis in Galliam irruentibus, Augustam Treverorum cum aliis urbibus Galliæ in Germaniam translatam: Franci enim prædas ingentes per Gallias egerant*. Verùm enim verò suspicari licet; imò par est etiam credere, ante Valentinianum majorem, Magnentio in Galliis imperium occupante, Treverim calamitatem aliquam perpessam esse, cùm Marcellinus Lib. XV. scribat, Treveros Civitatem clausisse Decentio Cæsari, tumque Pomœnium quendam electum ad defendendam plebem, eamque rem se in prioribus, qui non extant, libris posteris transmisisse. Illud etiam ab Aventino Annal. Bojor. Lib. II. proditum accepimus, imperante Gallieno, Germanos, qui vocabantur Alemanni, Gallias omnes pervagatos esse, unàque Treverorum Augustam vastatam, quod ita testatum reliquit Einsegrinius Spirensi Chronico. *Treverorum præpotens Civitas ab Alemannis solo æquata*.

Alii tandem Lucii Senatoris, & Patritii Treverensis opera, cujus uxorem Præses Romanus Avitus stupraverat, Augustam Treverorum Francis cessisse asserunt, Anno Christi CCCCLXXVI. cùm ipse profectus ad Franconas in Germaniam magnam, eos adversùs Romanos acerrimè concitasset; Anno scilicet 527. postquam primò per T. Labienum devenerat ad Romanos. Firmatur hæc postrema validissimo calculo Leupoldi de Bebenburg Cap. I. Tractatus de Jur. Regni, & Imp. Rom. *Post hæc Franci è Thuringia Rhenum transgressi, Romanos, qui eo tempore in Gallia per suos magistratus usque ad Ligerim fluvium imperabant, bello aggressi, partim ipsos occiderunt, partim etiam fugaverunt: sicque illatam sibi à Romanis injuriam acriter vindicabant. Postea captis urbibus Tornaco, & Cameraco, atque paulatim progressi, & regressi, Remos, Suessionam, Aurelianum, & Coloniam (quæ tunc dicebatur Agrippina,) & Treverim, ac postremò totam Galliam, & Germaniam ab Aquitania usque in Bavariam sibi vindicant, atque subjiciunt. Et hi, qui Teutonicis commisti sunt, proprio vocabulo* Franci: *qui verò per connubia à Gallis sunt progeniti, proprio vocabulo* Francigenæ *sunt appellati*. Ad quæ Vir Cl. & eruditissimus Freherus: *Barbarorum irruptionibus, & Francorum in primis armis, urgente Romanos totius Orbis prædones justo Dei judicio, Galliæ omnes occupatæ fuerunt: & in his Treveris, ob Aviti illius libidinem in consularem fœminam commissam, primùm prodita, & spoliata (Beda, Aimoino, Thoromacho, aliisque Authoribus) deinde eversa tandem, & incensa fuit*. Sed nemo tibi Trithemio meliùs progressus Francorum in utramque partem Rheni, Gallicam, Germanicamque descripserit per seriem ipsam temporum in Annalibus Francorum, quos cunctis obvios non exscribo.

Hinc planè factum, ut Treveris inter Alemanniæ civitates cœperit recenseri, & à Scriptoribus, qui ad ea tempora respexerint, Ænea Sylvio, Sebast. Munstero, And. Althamero, aliisque multis in descriptione Germaniæ collocari. *Osius*.

(63) Nobis Italis, qualis Mussatus erat; nam Gallis *trans Rhenum* est: ob idque Germani Cæsares Gallicis Scriptoribus *Principes trans-Rhenenses* dicti, in quibus Frodoardus, qui sub annis 920. 922. 928. Henricum primum de natione Saxonum, Anno Domini DCCCCXIX. electum in Regem, æquè *Principem trans-Rhenensem*, ac *Germanicum Principem* vocat. Quomodo priùs Ludovicum Pii F. Regem Germaniæ Hincmarus in Epistolis *trans-Rhenensem* dixerat apud Papir. Masson. in Annal. pag. 164. & Arnulphum Imp. Fulco ibidem, pagg. 172. & 179. Faciunt huc etiam Dionis illa. *Eodem tempore Germani, qui trans Rhenum incolunt, venere usque in Italiam, attulereque Romanis maxima, & gravissima incommoda, quibus Marcus occurrit, &c.* Jul. Cæsar Treveros neque *trans*, neque *citra Rhenum*

Digitized by Google

num statuit ; sed Rhenum scribit attingere, quod & Keriander fecit Part. II. Com. de Orig. & Statu August. Trever. initio. *Treverorum civitas Rhenum tangens, longè plurimùm totius Galliæ valebat equitatu, magnasque habebat copias peditum, &c.* Ausonius in Claris Urbibus.

Trevericæque Urbis solium, quæ proxima Rheno.

Pertinet huc ipsum *Alemanniæ* nomen, quod à vicino Rheno, qui *Lemannus* antiquis erat, deductum ferunt Gottefrido Viterbiensi teste Parte IX. Chronici,

Rhenus ab antiquis describitur esse Lemannus,
Indeque nonnulli dictos referunt Alemannos.

Nam quod Otho Frisingensis Lib. I. de Gest. Frid. I. Cæsaris Cap. VIII. *Alemannos* à *Lemanno* fluvio, quem eum esse dicit, qui ex lacu Tigurino egressus in Rhenum exoneratur, *Limagum* nunc potiùs vocant, haud omnino peritis rerum Alemanniæ Scriptoribus placet. Vide sis ea de re Francisci Guillimanni Lib. II. de rebus Helvetiorum. Nam ego manum hic de tabula non Alemannus. *Osius.*

(64) Illustrabant hanc partem ii, qui tum Urbis, tum Regionis Treverensis ambitum uberiùs expressere. Ausonius de Urbe.

Lata per extentum procurrunt mœnia collem,

Cui visus est hærere Venantius Fortunatus Lib. X. Versu IX.

Perducor, Trevirum qua mœnia celsa patescunt.

Ad quæ doctissimus Brovverus. *Aptissimè utitur voce* Patescit, *nam prona Mosella labentibus ex Mediomatricum, & Lucelburgiorum regione, post anfractuosos fluvii gyros, aperit se vallis, in qua Treviris olim mœnium amplitudine emicuit.* De eadem, atque adeò de Regione tota regiè, egregièque H. Nuenarius in Commentario de Gallia Belgica. *Deinc Treviri superiorem claudunt Belgicam usque ad Navam, vel Obrincbum. Neque verò dubium est, tam amplam fuisse aliquando Trevirorum ditionem, ut trans Navam flumen ad ipsos usque Ubiorum agros excurrerint.* Et infrà. *Jam Treviri succedunt, quos C. Cæsar, atque Corn. Tacitus tradiderunt reliquos ferè Galliarum populos imperii amplitudine, atque potentia superasse. Hi itaque trans Navam flumen, quidquid circa Moguntiacum, & ad Nemetes usque terrarum fuerat, occupabant. Quare Bonconia, sive (ut quidam Codices habent) Bonconia, & Moguntiacum mihi videntur, ante Cæsaris in Germanias adventum, sub Treverorum imperio extitisse. Bonconia autem fuit proculdubio, ubi nunc Oppenheim est. Quamvis autem nominum nulla penitus congruentia sit, tamen Itineraria supputant undecim milliaria Italica, quæ tria ferè constituunt nostra, hoc est, Germanica. De Mediterraneis Trevirorum oppidis, atque ipsa Metropoli, quæ postea Augusta Trevirorum à Romanis dicta legitur, supervacaneum fuerit hic tractare, cùm eam rem, post Ausonium Burdegalensem, multi etiam alii viri doctissimi, abundè persecuti sint. Hoc solùm dicemus, Treviros ab Oriente Nemetibus, à Meridie, & Occidente Mediomatricibus, à Septentrione autem Menapiis esse contiguos. Secundùm autem flumen Rhenum ad ipsos Ubios usque omnia sub Trevirorum ditione fuerunt. Quare à Moguntiaco ad Agrippinam versùs descendendo usque ad Bonam Treviros consedisse constanter ausim asserere.* De Treveri hactenus Nuenarius, cujus sententiæ suffragatur apertissimè Keriander. Ait enim primò in Præfatione Comment. de Orig. & Statu August. Trever. haud absimile verò, & a multis proditum, Treverorum imperium juxta Rhenum longissimè quondam patuisse, regionemque, quam posteriore demum seculo possidere cœperunt Ubii, postremum Agrippina Colonia facti, prisco ævo in ditione, finibusque Treverorum fuisse comprehensam. Quibus addit in Commentario ipso Part. I. ad finem. Quamquam monumenta Jul. Cæsaris, Tacitique, & Ausonii, & Ammiani Marcellini, & Sebastiani Munsteri, ac aliorum id abundè præstent, constetque Treverim nobilem, & frequentem omni ferè memoria Civitatem, Imperatorum quoque, ac Cæsarum Rom. olim sedem, domiciliumque, & eorum triumphis illustratam fuisse, documentum tamen haud vulgaris opportunitatis insigne esse, quod nulla quavis Germaniæ parte plura spatio non ampliore Monasteria, vel ædes sacræ extare credantur, atque Treveris, quas enumerat ex Schecknanno pag. 28. nullibi plura Mystarum, Monachorum, ac Virginum contubernia, & fana uno propemodum cumulo se se, veluti una nidulatione, contingentia, ex quibus, quæ fuerit ejus loci conditio, ubi Augusta Treverorum à Trebeta condita, haud difficulter æstimari possit.

Post Trebetam conditorem Urbis, majora quoque Treverim in dies tum loci, tum rei, tum populi incrementa sumpsisse tradunt venerandæ antiquitatis, & auctoritatis Viri, ac Urbes Rheni quinque ad ejus dominatum pertinuisse testabantur hi versus in summo Civitatis templo vetustissimo peristomati inscripti,

Treveris Urbs, multis bello quòd compta triumphis,
Cum populis fortes quinque subegerat urbes,
A quibus immensum consuevit tollere censum,
Quò locupletari cœpit, & dominari.

Ad hæc Gallici Chronographi, Dionysius Strator, Jacobus de Guisa, Lucius Tungrensis, aliique pluribus commemorant, quam latis olim finibus Treveri potiti sint, quantæque fuerint eorum opes, ac vires, aliaque permulta, quæ longum esset omnia recensere, nec instituti nostri.

Pertinent illuc tamen Urbis ejusdem Elogia, quæ vel ex amplitudine, vel ex nobilitate, vel ex virtute illius ducta leguntur passim. Tradit enim Egidius Corrozeus Annal. Francicorum scriptor, *non solùm Galliæ Belgicæ; sed etiam totius Europæ primam Urbem, & caput Treverim fuisse. Nobilissimam* vocavit eandem Otho Frisingensis Pont. Lib. VI. Chron. Cap. VIII. & Jac. VVimphelegius in Epitoma Rerum Germanicarum Cap. LXX. *Florentissimum totius Galliæ caput* Nauclerus Gen. XX. Vol. I. *Domicilium Principum clarum* Ammian. Marcellinus Lib. XV. & ex eo Aventinus in Annal. Bojorum. *Nobilem, & æquè Nobilium caput* Venantius Fortunatus Lib. X. V. IX. *Metropolim Belgicæ* Itinerarium, Antonini quod vocant: *Insignem* Epitaphium Trebetæ: *Summam, excellentissimam, opulentissimam Gallorum urbem: præcipuam inter Gallorum urbes; quæque & pretium, & nobilitatem pro tempore retinuerit, atque à cladibus denuo surrexerit* Salvianus Lib. VI. de Provid. Dei. *Belgarum clarissimam, & opulentissimam* Pomponius Mela Lib. III. Cap. II. *Rerum gestarum magnitudine, & vetustate præclaram* Rodulphus Agricola de rebus Gest. Burgundiæ Regis: *Armipotentem* Ausonius in de Cl. Urbibus; imò *Regiam Urbem*, ubi *Solii Trevirici* meminit, & clariùs, cùm in eodem Epigrammate subjecit, illam alere Imperii vires,

Imperii vires quòd alit, quòd vestit, & ornat,

Quibus Imperium Romanum etiam designari possit, observatore Cl. Barthio in supra laudato Adver. Libro: *Præpotentem* Guielmus Emlegrinius Chronico Spirensi: *Nobilem, & frequentem omni ferè memoria; Imperatorum, & Cæsarum olim Rom. sedem, & eorundem triumphis illustrem* Keriander: *Secundam* Romani *Romam* propter antiquam ejus nobilitatem, & Civium sibi parem quodammodo dignitatem, ut asserit Boemundi XC. Trevirorum Pontificis rerum gestarum Scriptor antiquus, diligens, eruditus: *Romam Belgicam* Gottfridus Viterbiensis, *Romam demum alteram* Inscriptio laudata supra ea in peristromatis antiqui parte, in qua Augustæ Treverorum effigies cernebatur. Romani siquidem, cùm totum pæne terrarum Orbem armis, & potentia domuissent, fœdus, & amicitiam cum Treveris iniere: ac tum Treveri ab illis accepere leges, quibus usi feruntur postea, illud eodem ex fœdere consecuti, ut, honoris ergo, insignis olim apud se cognoscendarum caussarum Populi Romani Curia esset, *Trevirorum Curia* nominata, cujus in Floriano meminit Vopiscus. At in antiquitatem hujuscemodi pluribus inquirere non necesse, quod sine sensu doloris aliquo facere non valemus. Quo nempe antiqua illa recidit Treveris amplitudo *quadruplici*, ut ait Salvianus, *eversione prostrata*, Hunnica, VVandalica, Gothica, Francicis repetitis, jure ut a Venantio, vel ævo suo, non Mœnium, Basilicarum, Theatrorum, Circorumque tenus; sed ruinarum potens fuerit appellata, Ostentata nempe, raptaque ferè momento illa amplitudo fuit, ceu in theatro peracta fabula, ut nusquam nunc mi-

minùs possit amplissima illa Treviris, quàm in ipsa Treviri inveniri. *Osius*.

(65) Ea quoque laus inter Elogia Strenuissimorum Principum recensita. VVilhelmus Heda Præpositus Arnhemensis in Jo: III. Ultrajectinæ Ecclesiæ Episcopo XLV. de VVilhelmo Comite Hollandiæ: *VVilhelmus Comes statuit recuperare Frisiam, quæ ad Lanicam fluvium sita est, quam terra, ac mari infestabat: & ad tributa, & solita pacta servanda compulit*. Guntherus Lib. VI. Ligurini de Federico I. Imp. cognomine *Ænobarbo*, metris illis, in quibus de Polonis Cæsari rebellibus sermo:

Ast ubi felici Federicus regia gessit
Sceptra manu, patruique loco suscepit agendum
Quidquid inexpletum, dubiumve reliquerat ille:
Sæpiùs ammoniti, nec tunc quoq; rapta jubentem
Reddere germano, timuerunt spernere regem,
Nec jurare fidem, nec prisco more tributa
Annua, quingentas curabant pendere marcas:

Et paullò post de hoste jam coacto ad solvenda tributa, quæ pendere recusarat.

Sæpiùs accitos affatu supplice cœpit
Compellare patres, & deditionis apertæ
Principis arbitrio legem, veniaque pacisci.
Quam miser hoc pacto tandem tulit, ut duo Regi
Millia marcarum, bis centum verò ministris
Penderet argenti, marcas bis mille probati,
Mille alias Proceres studiorum præmia ferrent,
Bis centum sacræ daret Officialibus aulæ, &c.

Pantaleo Candidus de Ferdinando III. Castellæ Rege,

---------- *Sed Betica regna*
Annua rite sibi solvisse tributa coegit,
Materiam linquens venturis illa triumphis.
En decus, & veræ magnum virtutis honorem.

Joannes denique Sommerus Pirnensis de Sigismundo, Caroli IV. nepotis Henrici VII. Cæsaris, filio;

Victa pii Regis sensit Modoaria vires,
Annuaque insolito more tributa dedit. Osius.

(66) Nulla re validiùs id firmabo, quàm si produxero ipsiusmet fœderis Documentum, quod idiomate Gallico perscriptum Keriander vidit, & hisce verbis Latio commune fecit Part. XVII. Com. de Orig. & Statu August. Trever. pag. 236.

„ Henricus Comes Lutzenburgi & Rupis, „ Marchio Arluni, & Magister Scabinorum: „ Scabini, Consules, Senatus, totusque populus Augustæ Treverorum fœdus pepegere hisce „ legibus. Comes factus est Civis urbis Treverensis, eique ac populo ejus fidelitatem, atque benevolentiam addixit, uti civem decet. „ Ipsos cives Treverenses, & quiquid ad eam „ civitatem pertineat; vitam eorum, ac fortunas in suam fidem, atque tutelam suscepit, „ sinè periculo fluminibus, terraque tota in „ ipsius ditione commeaturos, quò mercimonia, „ facultatesque suas in urbem Treverim, & „ ex ea securè sub illius protectione, præter „ ullum impedimentum ejus, subditorumve suorum ducere queant: neq onera inde nova exigere fas sit. Quòd si externus ipsos cives „ damno, injuriave quavis afficiat, opem eis „ suam, & defensionem Comes bona fide haud „ aliter, ac suis civibus Lutzenburgicis præbere teneatur, nec indicta faida, seu absque „ bello manifesto. Si quid ejus subditi per vim, „ vel injuriam adversùs Treverenses committant, ipse præstabit, & quo præstetur efficiet. Neminem intra suæ ditionis fines feret, „ admittetve, qui Treverenses infestare, bellosque petere cogitet. Nomina verò, cæteræque „ controversiæ subditorum ejus cum Treverensibus, uti expediantur finianturque, bona fide „ operam dabit: cæterùm, quæ deinceps credentur, ad eorum justam solutionem suos adiget. Ubi populus Treverensis ad custodiam, „ & defensionem civitatis præsidio indigeat, „ Comes quinquagi ita cataphractos sumptu civitatis, exinde, cùm in eam advenerint, „ mittet adversùs quemvis, præter Regem Germaniæ, Pontificemque Treverensem. Quòd si „ is Pontifex bellum cum ipso Comite haberet, Treveri uti intra suam bannicam leucam, seu territorii sui fines Pontifici opem „ ferent, & si Pontifex adversùs populum Treverensem bellum gereret, tum Comes, ut „ Pontifici intra civitatis territorium auxilio „ 40. cataphractorum adesse queat, exceptum „ est huic fœderi fraudi non fore, quandiu „ iste Pontifex, qui tum erat, Treverorum „ Archiepiscopatum obtineret. Porrò fas haud „ futurum Comitem, adversùs Populum Treverensem, vel Treverenses adversùs Comitem „ Pontifici opem præbere extra urbis ipsius bannicum milliare, seu territorium. Si opus sit, „ ipse Comes petentibus civibus Treverim venire, vel Consiliarios suos mittere debeat „ civitatis sumptu, tantisper dum in ea negotiorum ejus caussa degant. Pacem etiam inter „ Comitem, & civitatem initam ita, uti tabulis conscripta esset, ratam fore cautum est. „ Decedente Comite fœdus istud, & jus civitatis Treverensis hæredes ejus Lutzenburgi „ Comites intra proximum annum ineant, nisi „ minores ætate sint: atque interim vicibus eorum tutores fungantur. Quod nisi fiat, nec „ populum Treverensem hisce conventis teneri „ placuit. Magister Scabinorum, Scabini, Consules, Senatus, Populusque Treverensis eam „ ob caussam, gratiamque Comitis, quòd civis „ factus esset, fœderisque supra comprehensas „ leges servare recepisset, domum illi in Augusta Treverorum, quæ ad Aquilam vocatur, „ donarunt; insuper trecentas libras æris, seu „ denariorum Treverensium quotannis ipsi, & „ hæredibus ejus Lutzenburgi Comitibus in perpetuum pendere addixerunt. Mercatum justum omnium rerum necessariarum in civitate Treveri, Comes habeat. Pactis si non „ stet, neque domo, nec annua pensione potiatur. Cæterum, ubi ipse, vel hæredes ejus „ denuo ad fidem conventorum redire velint, „ civitas quoque deinceps, & domum, & pecuniam præbeat. Utrinque hæc æterna fore „ sinceriter, bonaque fide promissum est, & „ appensis sigillis confirmatum, Anno gratiæ „ MCCCII. Die Lunæ post mediam Quadragesimam, mense Aprili.

Vidisse quoque videtur hujusce fœderis Documentum Bertelius Epternacensis Abbas, & angustioribus hisce limitibus inclusisse, ut ejus quasi breviarium haberent, qui brevitatem amant. *Treverenses tamen non sibi ideo tutum futuro tempore confidentes, quosdam ad Luxemburgensem componendæ pacis gratia destinarunt, quæ ea ratione rata, & firma evasit, ut Senatus, populusque Treverensis Comitem Luxemburgensem in suum concivem Treverensem adsciscerent, domumque insignem, ad Aquilam vulgò dictam, in sua Metropoli donarent: atque insuper trecentorum aureorum pensionem ipsi, & hæredibus ejus in Comitatu Luxemburgensi annis singulis in perpetuum, solvendam addixerunt: utque justo mediante pretio omnium mercium in eadem urbe prostantium eis facultas foret emendarum concesserunt. Hæc, inquam, inter partes ejusmodi transacta, & sigillis appensis munita, & firmata fuere, Anno millesimo trecentesimo secundo*. Ita Bertelius in Hist. Luxemburgensi pag. 45.

Hinc factum, ut annis post hæc labentibus Henricus Luxemburgensis Comes hisce ferè titulis gauderet. *Henricus Lutzenburgius, Augustæ Treverorum Civis, Patronus, & fœdere conjunctus*: ejusque fœderis ratione Treverensibus adfuerit adversùs Reichardum Dominum de Duna, & Joannem Praudom, uti videre est in tabulis alterius Documenti, quod supra laudatus Keriander affert pag. 238. Sartum porrò, tectum, & integrum permansisse hoc fœdus usque ad VVenceslai, Joannis Bohemiæ Regis filii, tempora, verbis hisce testatum reliquit idem Keriander pag. 249. *In Lutzenburgicum VVenceslaus Joannis Bohemiæ Regis F. Cæsaris Caroli IV. frater, jam tum ab eo Lutzenburgici Ducis titulo auctus successerat, Civis Augustæ Treverorum, & Patronus, & Protector eodem modo, quo pater Joannes, & avus Henricus Imper. factus erat, sicuti literis illius constat datis Anno Christi MCCCLIII. die XIII. Maji*. Nec plura hoc de Fœdere, ne contra Bertelii brevitatem peccem. *Osius*.

(67) Ob excessum è vita Dietheri de Nassavv, fratris Germani Cæsaris Adolphi, qui anno uno tantùm Ecclesiæ Treverensi præfuit, Archiepiscopus illius numero nonagesimus primus. Cùm enim eam in Sedem evectus fuisset à Bonifacio VIII. Pontif. anno Dom. MCCCVI. anno verò sequenti MCCCVII. ad examen Sedis Apostolicæ in Galliam (malè *Romam* Trithemius Chronico Sponheimensi ad annum MCCCVII. jam enim eò translata fuerat Romana Sedes, quod factum à Clemente V. qui Boni-

Digitized by Google

Bonifacio ejus nominis Octavo successit) citatus esset, deferentibus eum Clericis suis, quòd homo inquietus, & bellicosus bona Ecclesiæ, propter expensarum apparatus bellici multitudinem (ut habet modò laudatus Trithemius in Chronico Hirsaug.) priusquam terminus comparendi advenisset, morbo correptus est, diemque postremum clausit die XXIII. Novembris, sepultus in Ecclesia Prædicatorum, quorum Ordinis, & professionis antea fuerat, in civitate Treverensi. *Osius*.

(68) Dicam hac de voce Ecclesiæ Trevirensi concessa in Notis Rubricæ proximè consequentis. *Osius*.

(69) *Balduinum*, sive *Baldevvinum* intelligit, Argentinensi ad an. MCCCXLIX. *Baldevvium* mendosè dictum, qui cùm primitus in Canonicorum Treverensis Ecclesiæ numerum cooptatus fuisset, & post aliquod temporis intervallum, defuncto Sedis ejusdem Præposito, in illius locum legitimè subrogatus, demum fati viam ingresso Deithero Archiepiscopo Treverensi nonagesimo primo, Capituli consensu in Treverensem Archipræsulem nonagesimum secundum VII. Decembris nominatus, & electus est absens, quòd tunc temporis, studiorum gratia, Lutetiæ Parisiorum degeret, anno Domini MCCCVII. Clementis verò V. Pontificis Maximi tertio, ut Annales Treverenses docent. At, cùm ætatis defectum illi plerique objicerent (agebat quippe tum annum vitæ vicesimum secundum) & ob id electionem ejus infirmare pro viribus conarentur, adversariorum sive querelis, sive molitionibus occurrens Clemens, de plenitudine, quod dicitur, Apostolicæ potestatis, tum ætatis defectum prona dispensatione supplevit, tum electionem ipsam ratam habuit, & confirmavit. Quamobrem anno proximè consequenti, mense Martio, die VI. Iduum per Cardinalis administrationem Sacerdotio Balduinus initiatus est, & postridie ab ipso Summo Christi in terris Vicario Episcopali dignitate Pictavii insignitus. Unde demum cum ejusdem benedictione dimissus Treverim se recepit eodem anno, die celebri Pentecostes, ubi, matre, fratribus, sorore, nec non aliis consanguineis, & amicis præsentibus, à suis Capitularibus, & aliis utriusque status Proceribus magna omnium gratulatione susceptus est. Hæc fermè, etsi non iisdem verbis, rerum ab eo gestarum Scriptor, & Encomiastes vetus, æqualis illorum temporum, ut apparet, quem laudat Keriander: Keriander ipse Part. XV. Com. de Orig. & Statu August. Trever. pag. 183. Bertellius in Historia Luxemburgensi, & nonnulli alii, qui tamen inter se alicubi varii, & diversi.

Scherckmannus enim, sive Joannes Enen, quem sequitur Magni Chron. Belgici Concinnator, Balduino locum inter Archiflamines Treverenses nonagesimum tertium assignat. Dissidet etiam à supra laudatis Historicis, qui res Treverenses accuratiùs exequuti sunt, Trithemius Abbas, cum asserit, tum in Hirsaugiensi, tum in Sponheimensi Chronico ad annum MCCCVII. à Patre Sacrorum summo Balduinum Archiepiscopum consecratum ætatis anno XXXIII. cùm ob minoritatem Moguntinam eidem Ecclesiam denegasset biennio ante. Bzovius in eadem est navi Tomo XIV. Annal. Ecclesiasticorum Col. 98. eodem sibi Trithemio moderante clavum. Henninges veritati propior in Stem. Lucemburgensi literarum prodidit monumentis, Henricum VII. Imperatorem à Clemente V. Pontifice Balduino fratri annos decem & octo nato Archiepiscopatum Moguntinum impetrare minimè potuisse A. C. MCCCIV. factum tamen Archipræsulem Treverensem; ita prorsus, ut is Scriptor velit, Balduinum anno Christi MCCCIV. ætatis anno fuisse XVIII. ex quo demum fit, ut anno MCCCVIII. quo Treverensi Infula, & pallio donatus est, vigesimum secundum ætatis annum decurreret, ex veteris rerum ab eo gestarum Scriptoris mente, cui hæreo non invitus, quòd ei Scriptori maximæ res ejus Pontificis omnes patuisse videantur, minimæ, ac privatæ. Residet tamen adhuc etiam apud Henningem macula ea in parte, qua Henricum jam electum in Romanorum Regem impetrasse asserit Treverensem Sedem Balduino fratri. Id enim anno MCCCVII. ab Henrico factum, imperante Alberto I. quo sanè tempore Henricus Comes tantùm erat, & Lucemburgensis Princeps, nondum admotus Imperio Romanorum, sive Germanorum Regno.

Balduinus igitur Sacris Treverorum aris, ac focis Archymista datus, in eam sedulò curam statim cœpit incumbere, ut Ecclesiam sibi commissam supra prædecessores omnes ornatam, & amplificatam vellet. Ea re pacem primò Vir per omnia strenuus restituit violatam, prædonibus in ordinem redactis: quorum arcibus validissima quoque Castra opposuit, ne quid, ori frœno quod ajunt injecto, moliri contra quietem, & securitatem publicam auderent. Ad hæc nomina decessoris sui cuncta dissolvit, dissipata & obligata quæque redemit, abstracta denique ad Ecclesiæ suæ jus, & proprietatem (ut hanc mihi vocem de suo accommodent Jurisconsultorum patres) viriliter revocavit. Duplicavit & ejusdem Ecclesiæ redditus, nec non & Castris, ac Privilegiis amplissimis auxit, exornavit. Bopardiam enim, & VVetaliam, & additionem Galginschidt; Bacharacenses, & Rotibula cum huldis Ecclesiæ Treverensi in pignus acquisiit, vel recepit: Sternerberg aliis legatum redemit, Stirberg à Landgravio de Luchtenberg emptum, Scadeckke, & Kirburg à Simone de Spanheim Comite acquisitum, VVellenstein prope Creutzenuch, Nevvenberg prope Kyr Federici Sylvestri castra, & turrim Scinheim sui juris legitima emptione factam. Smiedtburg, & VVinterburg à Joanne Comite Spanheimensi altero comparatum: totum item S. VVendelini castrum, & districtum: Vallem sub Homberg sitam, renovationem VVeisKirch, & Liesheim: Solmetz, medietatem Dominii de Limpurg, Vermich cum pertinentiis, castra & territoria Freudenberg: Freudenstein, Coppa, Castrum & Dominium de Coverna cum castrensibus & pertinentiis: Bobingen, VVindechKh, Arvveltz, Tryss, aliaque Castra feuda ligia, & aperibilia Ecclesiæ suæ Treverensi esse constanti animi virtute voluit, & perfecit. Comitem etiam de Hennenberg XXXXI. marcarum argenti annuorum redditum feudalem fecit, eosque redditus in sua terra Ecclesiæ Treverensi adscripsit: &, pace cum Eltz & Sociis inita, Castri sui de Baldereltz perpetuum juratum, & fidelem Burggravium statuit Joannem de Eltz. Quod ad Privilegia spectat, Nundinas, Nundinarumque libertates ab Henrico VII. fratre, & Cæsare impetravit utilitati publicæ Treverorum. Juris quoque monetæ cudendæ confirmationem obtinuit ab eodem, & Privilegium perpetuum super telonio Confluentino: quòdque Bopardienses, & VVetalienses in statis & aliis Treverorum Archiepiscopo obediant, & intendant. Balduino quoque Pontifice Treverensi, Anno MCCCXLV. concessum Ecclesiæ Treverorum ferunt, & Diœcesi toti Privilegium perpetuum alterum contra Mendicantium Ordines, super quarta parte Legatorum Parochialibus Ecclesiis concedenda, aliaque multa imperante Carolo IV. Balduini nepote ex fratre, Anno MCCCLIII. in Curia Maguntina. Quæ ne perirent, uno ille Volumine privilegia Papalia, Imperialia, Homagialia, aliaque perpetua comprehendi voluit, ejusdemque confici exemplaria tria, quorum unum penes Ecclesiæ Capitulum esset in capitulari loco, alterum Successorum cameræ crederetur, tertium ab eorundem feriato Camerario, quò se cumque ferret Archiepiscopus deferretur, ut ubicumque locorum esset, jura, privilegia, & homagia sua recognoscere posset, & unicuique quoties ferret occasio exhibere.

Studuit ille nihilominus pietati, eòque refero jejunia frequentata, obitas Canonicarum horarum sacerdotales preces, privatum divinarum laudum pensum, Missam ab eo quotidie celebratam unam, auditam alteram, horariarum precum totius anni Codicem, *Breviarium* vulgò, ab eo recognitum & emendatum, singularem in obeundis Ecclesiæ muniis omnibus alacritatem, modestiam, & humilitatem miram: solitudinis studium incensissimum, sub ipsum præsertim occasum vitæ, & in eos, qui studio simili tenerentur, propensionem animi non vulgarem. Carthusienses enim eo complexus amore dicitur ob instituti solitarii disciplinam, ut duo illis Monasteria condiderit,

rit, unum apud Treveros D. Albani juxta Confluentiam, alterum D. Beati cultui nuncupatum.

Strinxit quoque ferrum non rarò dextera Balduini, nec indecorè Martium ille pulverem collegit, æquè ut galeæ natus, & infulæ videretur. Pacavit ille scilicet armatus Alemanniam omnem cum Henrico VII. Augusto fratre, ejusdem mox expeditionis Italicæ comes cum insigni bellatorum manu. Afflixit idem ille gravi bello Bavariæ Ducem, Dosvvillenses satis Ecclesiæ suæ Capitulo facere compulit, Metenses obsedit, Furstenberg ad deditionem egit, Moguntino Pontifici Matthiæ expugnando Oppido Zuden Giessen auxilio fuit, eoque defuncto, Moguntinos se in tutorem Ecclesiæ suæ recipere infesto exercitu coegit. Circumsedit idem Eltz, Erfordiensibus adversùs March. Misnensem adfuit, Dunam obsidione cinxit, & Velsberg (nequaquam tentante obsidionem propellere Lotharingiæ Duce) multaque circa Dunam, & Ulmenam raptorum latibula devastavit. Diffidatus ad hæc à Reinhero de VVesterburg, instructis copiis Scadece, & Grentzavv arces expugnatas obtinuit, Confluentenses insigni clade cecidit, Hosolmetz æquavit solo: nec multò post Vilmar, fortiori adversùs illud ædificato Castro, *Sarestein* nomine, in allodio S. Petri. Moncler quoque Castrum obsessum diu cladibus innumeris afflixit, Villam Ham navali irruptione cepit, tandemque Rhenum ultra progressus, Sasroth, & Hoselebath delevit funditus, & ElKershusen opinione invictum, ad deditionem compulsum incendit. HacKenberg etiam validum Balduini robur semel expertum cessit, ruitque ad ejusdem adventum armati Liesshem, libertate donatis Bohemis omnibus, quos in auxilium Regi Franciæ missis cœperat, eoque castro inclusérat Johannes SchonecKh. Quippe torrentis instar obstantia quæque perfringere nitebantur Balduini copiæ, quas etiam Ludovico Cæsari, cognomento *Bavaro*, contra Federicum Austriacum in Ezzelingensi prœlio fortem operam navasse lego, antequam Pontificis ille Summi diras incurreret, & ab Imperio depositus audiret, Cæsaribus semper obsequiosas, & gratas. Unde Balduino tale scripsit Elogium Lupoldus Bambergensis olim Episcopus in Nuncupatoria Tractatus de Juribus Regni, & Imp. Rom. *Balduinum Sacri Rom. Regni, & Imperii præcipuum, experientia docente, cognitum zelatorem, exemplum in hoc recolendæ memoriæ Dn. Henrici Rom. Imperatoris VII. germani sui, qui jurium Regni, & Imperii zelator, ac persecutor ardentissimus extitit, laudabiliter imitando*, Taleque Huld. Mutius Lib. XXIII. Chron. Germanorum. *Aderat cum illo* (Ludovico Bavaro) *in castris Reverendissimus Archiepiscopus Trevirensis, vir ad bellum natus.* Hæc foris, & in acie Balduinus adversùs hostes: at domi sedatis bellorum fluctibus, & procellis degens, Ponte uno lapideo ripas Kile juxta TrancK, altero ripas Ruveræ junxit: Esch prope Clothen, VVitlich, & Meyen muris circundedit, eòque Canonicos Regulares de Lenche transtulit, quibus & claustrum ædificavit. Itinera juxta Cochme, Trys, Stupam, & Neve, per quæ vix inanis equus duci poterat, ampliavit: Eltvvil inter Maguntiacum, & Bingiam condidit: VVinteravv, & Rusenberg ad tuitionem suæ Ecclesiæ communivit, & Ham Villa capta Turrim inibi ob eundem finem, quam *GrineK* appellari voluit, excitavit.

Nituit inter hæc Magnus is Præsul, non una Virtutum face, cùmque numeros Pietatis omnes expleret, Justitiam eo tenore coluit, ut fratrem ipsum, à quo prima uxor de medio sublata fuerat secundæ melioris spe, rotali supplicio condemnarit, nec à lata sententia transversùm, quod ajunt, unguem potuerit amoveri.

Ob hæc ille talia longè latèque propagata nominis sui fama, Petro Moguntino Pontifice terræ reddito, ad Ecclesiæ ab eo relictæ clavum votis Capituli communibus accersitus est. At is gratiis Capitulo actis effecit, ut Matthias Monachus niger, à Romano Pontifice eo Archiepiscopatu donatus, eam in sedem reciperetur statim. Cùmque, Matthia mortuo, iterum ad eandem sedem unanimiter postularetur, Anno salutari MCCCXXVIII. tum etiam Henrico Comiti de Virneburg cessit, ne sponsam suam primam desereret Trevirensem. Moguntinæ tamen Diœcesis tutor, & administrator factus, ei triennio præfuit summa fide. Postulante quoque Episcopo, & Capitulo Spirensi, Episcopatum illum in temporalibus regendum accepit: & Anno MCCCXXIX. rogatus à VVormatensibus Canonicis, curam ut Ecclesiæ suæ susciperet, non negavit, ita ut unus de quatuor Archiepiscopatibus bene meruerit Balduinus.

At tandem tot ille Ecclesiarum administratione fessus, ut aliquando quiesceret, qui nunquam antea conquierat, solitudinem celebritati prætulit, & sibi ipsi constructa peculiariter cella in D. Albani Cœnobio, eò se recipere identidem consuerat, ubi contemplando sibi totus vacaret, & Deo, Jo: de Liechtenberg Argentinensi Præposito tum in spiritualibus, tum in temporalibus Administratore, & Vicario Ecclesiæ suæ dato, cùm aliquot ante annis aliarum Ecclesiarum tutelam, ac regimen resignasset.

Fuerunt ejus quoque Tituli multi, ac varii meritis omnes, & virtute parti, jure ut S. Treverensis Ecclesiæ Archiepiscopus, Dominus de Moncher, Archicancellarius Regni Arelatensis, Elector Imperii, Sacri Romanorum Regni per totam Galliam, & Germaniam Tutor, & Manburnus fuerit appellatus.

Hæc apis ego instar ex variis Historicorum hortis, & Catalogo Pontificum Ecclesiæ Treverensis. Alia alii, quibus magis esse lynceis datum. SchecKmanni fidem ego præ cæteris, & operam hic commendo, quippe qui nihil auribus dedisse visus, cùm ista de Balduino scriberet in Medulla Gestorum Treverensium, Cap. IX. Joannis Enen interpres fidus, & probus. *Misit tum Deus virum omnibus imitabilem, & honorabilem cunctis, Dn. Baldevvinum Comitem de Lutzenburgio, juniorem quidem ætate, moribus verò ipsos etiam senes gravissimos transcendentem. Hic itaque constitutus est communi omnium assensu nonagesimus tertius Archiepiscopus.* Subdit dein hæc alia, quibus staturam ejus, & formam, mentemque ipsam, ac mores penna, quasi pennicillo, pingit. *Erat (ut historia vitæ ejus recitat) haud longioris staturæ, vivacis ingenii tenacisque, dulcis eloquio, maturus consilio, aspectu decorus, affectu desiderabilis.* Redit inde ad laudes tanti viri, in quas ita se statim effundit. *Hoc non utilior Episcopus fuit in Diœcesi. Bella gessit multiplicia (invaserunt enim gregem Trevericum Lupi rapaces) in bellis semper fortunatus. Impignorata redemit, castella, pagos, territoria cum exitibus, & reditibus, reditus cum proventibus maximis conquisivit Diœcesi.* Et post digressiunculam in laudem Petri de Caliga Archiepiscopi Maguntini. *Idem Balduvinus pontem super Mosellam Confluentiæ construxit. Et quòd religiosus religiosos deligebat, cùm jam variorum Ordinum Treveris essent Monasteria, Ordinem Carthusianum ibidem plantavit extra portam mediam, consecrans Ecclesiam sub honore S. Albani Martyris: quod ea de causa factum putant, quoniam consenserit in expulsionem Monachorum Maguntiæ ad S. Albanum, ad introductionem autem Secularium Canonicorum. Conflavit præterea Confluentiæ ejus Ordinis Carthusini conventum in monte S. Beati Confessoris, quibus omnibus victualia affatim providit.* Affert his similia Trithemius, & alia multa de Præsulis hujus laudatissimi gestis in utroque Chronico, Hirsaugiensi scilicet, & Sponheimensi. Ejus quoque laudibus plenus est Keriander Part. XV. de Orig. & Statu August. Trever. ex veteris illius Scriptoris penu, cujus meminimus supra, quique tribus libris prolixè complexus res à Balduino gestas, vel minimarum actionum illius laudator extitit operosus. Scripsit demum hæc ejus in laudem Reusnerus. *Balduinus Archiepiscopus, & Elector Trevirensis: princeps vivacis ingenii, memoriæ tenacissimæ, morum gravitate, & consiliorum prudentia singulari: Diœcesi suæ cum summa, & fide, & laude annis præfuit XLVI. Etenim castella, territoria oppignorata redemit: pacem diu per ditionem suam violatam restituit: prædones compescuit.*

Verùm enim verò tot ille laudibus clarus tandem Orbi nitere desiit, relicto cum ingenti mœ-

Digitized by Google

mœrore omnium grandi desiderio sui. Desiit autem inter Mortales esse vir immortalitate dignus ex morbo, quo statim ac Treverim attigit, reversus è Curia Moguntina, premi simul, & languere cœpit, XV. Kal. Febr. Anno Domini MCCCLIV. Ætatis LXVIII. Pontificatus XLVI. adjectis hebdomadibus VI. diebus IV. successorem nactus Boemundum, ejus nominis secundum, de Edendorff. Exequiæ Treveris solemniter actæ XIV. Martii præsente Carolo IV. Rom. Rege, Magnatibus, & Principibus multis. Corpus in Ecclesia Majori situm ad posteriorem Sancti Nicolai chorum. Ei quoque tale scriptum Epitaphium constat.

Hic Baldovvinus jacet antistes Treverinus:
Magnificus, justus, patriæ lux, mente venustus.
Lutzenburg natus: septeni denique gratus
Cæsaris Henrici germanus, juris amici.
Utilis Ecclesiæ pater hujus, dote Sophiæ
Quàm bene respexit, augens permultaque rexit
Sex quadraginta ferè sic annis, queis tibi verè
Guerra frequens crevit graviter, raròque quievit
Vincere prædones, & castra per obsidiones.
Anno milleno, C. ter, L. I. ter, duodeno
Carne Calendarum fuit exutus Februarum.

Inconditum ædepol hujus Epitaphii carmen: at ejusmodi, possis ut hac face prævia Scriptores aliquot emendare, qui tempus discessus ejus è vita variè signant. Magni siquidem Chronici Belgici Concinnator, pag. 286. Balduvinum terris ereptum asserit *Anno Domini MCCCLIII. Pontificatus verò XLVII.* Trithemius, & Henninges *Februarii Calendis*. Keriander *XII. Cal. Martii*. Auctor Chronicæ Monasterii S. Blasii sub Gestis Caroli IV. Imp. ex MS. Pal. *Januario mense*. Alii aliter haud planè rectè, certè contra fidem Tumuli jam allati. *Osius*.

(70) Habuit ille scilicet, præter Balduvinum Archiepiscopum Treverensem, fratres alios duos, VValeranum, quo de mihi pro veris comperta producentur in Notis ad duas Rubricas ultimas Lib. IV. & Anonymum alterum, quem rotali supplicio damnatum fuisse diximus imperio Balduini. Unde noster in calce Rub. I. *Cum tribus reliquis eodem Patre natis superstes mansit paternæ domus major, &c.* Licèt Bertellius duos ejus tantùm fratres agnoscat, VValramum unum, alterum Balduinum. Cæterùm, quod ad hunc postremum attinet, aberrant ab Historica fide, quicunque adversantes Nostro *patruum* illum, aut *filium* faciunt Henrici VII. Augusti. Errorem primum errasse video Meyerum, à quo Balduinus, Ecclesiæ Treverensis Antistes, inter eos Cæsaris hujus patruos relatus est, quos amisit in prœlio VVoroncano. Sic enim ille de Isabella Lucemburgensi loquens. *Hæc amita erat Henrici VII. Imp. fratrem enim habuit Henricum Augusti patrem, & Valeranum, & Balduinum Trevirorum Pontificem, qui tres simul prœlio VVoroncano occubuerunt*. Sed eo se errore postmodum liberavit, cùm ista prodidit ad An. MCCCVIII. mente majori adhibita scriptioni. *Duo erant Augusto fratres, Valeranus Lucemburgensis, & Balduinus Treverorum Pontifex*. Errore altero se obstrinxit, qui posteris supra laudatam Chronicam Monasterii S. Blasii sub Gest. Caroli IV. dedit. Loquuntur id ipsius verba, quæ produxit è MS. Pal. Matthias Berneggerus, & immiscuit elogiis Leupoldi Episcopi Bambergensis, præfixis ejusdem Tractatui de Juribus Regni, & Imp. Romanorum. *Dominus Balduinus Archiepiscopus Treverensis, ad quem D. Leupoldus de Bebenpurg hunc libellum scripsit, Comes fuit de Luzelborg, filius scilicet D. Henrici Imp. avi Caroli IV.* Ecce quàm apertè sonent hujus Scriptoris verba, Balduinum Pontificem Treverensem Henrici VII. Filium extitisse, quem reliquus omnis Historicorum consessus inter fratres illius locat. Abstineo testimoniis singulorum, indicasse contentus solis cum illorum nominibus loca, in quibus talis apud eos audit Balduinus, satis ut rerum hujuscemodi curiosis indagatoribus fiat. Carolus igitur eius consessus princeps (quippe qui, Quartus ejus nominis Imperator, & Balduini, quo de loquimur, nepos) in Commentario de vita sua. Locum alii proximum tenent, Vecerius in Henrici VII. Augusti Historia, Lupoldus Bambergensis Episcopus in Nuncupatoria Tract. de Jurib. Regni, & Imp. Romanorum, Schecmannus in Medulla Gest. Trever. Cap. IX. Trithemius tum in Hirsaugiensi Chron. pag. 209. tum in Sponheimensi pag. 302. Continuatores Steronis ad annum MCCCXXXIV. Magni Chron. Belgici Concinnator pag. 285. & 290. Hocsemius in Theobaldo de Baro, Episcopo Leodiensi LXIV. Cap. XXVIII. Keriander Part. XV. Annal. Trever. non uno in loco, Antonius Albizius, Ubbo Emmius, Volfangus Lazius, Elias Reusnerus in Stemmate Lucemburgensi, Cario Lib. V. Chronici, Christophorus Lehmannus Lib. XI. Cap. XXXIII. Chronici Spirensis, Bruschius de rebus Episcoporum. Cavitellius in Annal. Cremonensibus ad Annum MCCCVIII. Corius Mediolanensis Historicus ad Ann. MCCCIX. Abrahamus Bzovius Tom. XIV. Annal. Ecclesiast. Col. 97. & 213. ex Richardo Monacho Cluniacensi, Georgius Heruvartus in Ludovico IV. Imperatore defenso, aliique permulti subsellii non minoris, quorum auctoritati accedunt Codicilli Regales Henrici VII. Rom. Regis, quos Balduinus ipse ad incrementum, & confirmationem dignitatis, & opum Ecclesiæ suæ impetravit à fratre, deditque Keriander in laudato loco, ac tandem ipsemet ejusdem Balduini Tumulus, in quo capitalibus literis germanus Henrici Septeni Cæsaris appellatur. *Osius*.

(71) Vecerius in ipsius Vita: *Romam* (legerem longè libentiùs *in Galliam*) *profectus, & Balduino fratri Treverensis Ecclesiæ Archiepiscopatum confecit, & summis Antistitibus, ac bono cuique sapientiæ, & comitatis ingens argumentum edidit*. Hocsemius in Theobaldo de Barro, Episcopo Leodiensi LXXIV. Cap. XXVIII. *Hoc anno Henricus Lutzilburgensis, postmodum Imperator, quem tunc in Curia* (Parisiensi) *vidi magnificè se gerentem, pro fratre nunc Archiescopo Trevirensi illius Archiepiscopatus impetrat dignitatem*. Idque opera cum primis Petri de Caliga Archiepiscopi Moguntini. Trithemius in Hirsaugien. Chron. ad An. MCCCVII. cui hæret Abrahamus Bzovius Tom. XIV. Annal. Ecclesiast. Col. 98. *Quo mortuo* (Diethero Archiepiscopo Treverensi XCI.) *Dominus Petrus Archiepiscopus Maguntinus tantùm apud Papam Clementem V. potuit, & egit, quòd Baldevinum fratrem Henrici Comitis de Luxenburg Juvenem XXXIII. annum ætatis agentem, cui Maguntinam Ecclesiam ante biennium ob minoritatem* (*sicut diximus*) *denegaverat, in Archiepiscopatum Treverensem sublimavit*. Nec obfuit ei tum minoritas, eam supplente Pontifice Summo, quod & aliàs factum. Siquidem Ottoni II. Trajectens. Ecclesiæ Episcopo XXXIV. idem olim muneris impertitum lego apud Jo. BeKam his verbis in Ottone I. ejusdem Ecclesiæ Episcopo XXXIII. *Hic Otto juvenis XVIII. annorum super minoris ætatis dispensatione Romanam Curiam anno Domini MCCV. visitare proposuit*. Et obtinuit quod habebat in votis, renunciatus ejusdem Ecclesiæ Episcopus XXXIV. ut apparet statim ex Episcoporum Sedis illius serie apud eundem BeKam, & VVilhelmum Hedam, qui ambo stadium unum, & idem feliciter decurrere. *Osius*.

(72) Accedit his è verbis ad supra recensita Henrici laudes multas Elogium novum, cui simile delatum Antonio Brabantiæ Duci, quo de Barlandus in ipsismet Ducibus Brabantinis, Cap. LXXIII. *In omni re agenda solers, & labore indefatigabilis erat*: Et Alberto Leoni Carrariensi, Francisci F. quo de nos supra ex Anonymi MS. qui Carrariensium Stemma confecit: *In sermone parcus, sed ad quæque velocissimus opportuna*. Ineit enim sua quoque, nec levis solertiæ laus, & ob id maximè, quod ex diametro adversetur *Inertiæ*, quæ probro non caret, ut *Inerti* Solers. Glossæ Philox. *Solers* σωφὸς πρόσοχος. *Solertia* σωφοδύ, ἐντρέχεια. Glossæ Cyr. ἐντρεχὴς *Strennus, vegetus, solers, navus*: ἐντρέχεια, *instantia solertia, strenuitas*. Onomasticon. *Solers* δεινὸς, ἱκανὸς. Papias: *Sollers dictus, quòd sit sollicitus in arte, & utilis*. Et post: *Sollers enim antiquitus dicebatur, qui erat omni arte instructus*. Perottus: *Solers in omni re prudens, quasi totus ars*. Item: *Solers, quasi totus ex arte consistens, à quo solertia: quod modò pro artificio, modò pro diligentia accipitur*. Etli diligentiæ So-

Solertiæ præstet. Cicero in Catone; *Tum eum dixisse, mirari se non modò diligentiam; sed & solertiam ejus, à quo essent illa dimensa, atque descripta*. Joannes Passeratius: *Solers, ingeniosus, acutus: Solertia ingenii acumen, & dexteritas ad rem aliquam agendam*. Quæ quidem omnia mirum in modum in Henricum VII. Aug. cadunt, quem in primis hujus Rubricæ Notis strenuum. Instantissimum. Prudentem. Ingeniosum contemplati sumus. Quare nunc eundem Solertem propriè, hoc est Diligentem, sive Industrium juvat alienis in tabulis intueri. Aptè siquidem, & appositè Nauclerus Vol. II. Gen. XLIV. lineas aliquot ea de re duxit, cùm scripsit: *Nominant Electoribus Comitem de Lucemburg, Virum magnanimum, Industrium, atque Catholicum, &c.* Parique ductu idem Cæsar Trithemio dictus in Hirsaug. *Princeps ab opibus non magnopere instructus; sed Industrius, magnanimus, &c.* & ante Trithemium, & Nauclerum ab æquali illius Historico Ferreto Vicent. scriptum Lib. II. Historiæ suorum, & paullò ante actorum Temporum: *Hic enim, licèt ambobus potentia, opibusve inferior haberetur, non ideo animi, corporisve minor illi virebat Industria*. Verus itaque, non fucatus Noster tum hic, tum infra Rub. XII. Lib. III. cùm inquit: *Cæsar in agendis Impiger Goleranum fratrem natu majorem, militiæ, armorumque strenuum, &c. cum militum manu transmisit*. Osius.

(73) Non unus ejus mihi rei testis. Paulus Æmylius Veronensis de rebus gestis Franc. in Philippo IV. cognomento *Pulchro*, Rege XLV. *Henrici nomen ingens erat, & augustum*. Leonardus Aretinus Historiæ Florent. Lib. IV. pag. 87. *Henrici Fama per id tempus in dies magis crescebat*. Huldrichus Mutius Lib. XIII. Chron. Germanorum. *Ad imperium inclinabant omnes hoc Imperatore, qui tam bene audiebat ubique, etiam apud Imperii hostes*. Jacobus Gavatius Historiarum Cœnobii D. Justinæ Pat. Lib. III. ad annum MCCCVIII. *Cæsar ipse, licèt opibus ac ditione inter Germanos Principes minor; tamen belli, pacisque artibus longè major, ingentem de se opinionem excitaverat*. Joannes Bertolius Epternacensis Abbas in Historia Luxemburgensi pag. 45. *In tantum porrò successu temporis Henricus noster in Virtute, Prudentia, & rerum gerendarum peritia profecit, ut, Fama ejus usquequaque per Germaniæ fines diffusa, omnium voto in Romanorum Imperatorem exoptaretur*. Verè, verè. Auxit nimirum, ut ante, sic & post Imperium partum Henrici VII. Aug. Famam rerum ab eo subinde fortiter, probèque gestarum successus eximiis incrementis. Hinc illa Nostri infra Rub. XI. *Mediolani deditio non minùs Henrici Romani Regis Famam auxit per omnes Italiæ fines, quàm ut altera Roma diceretur*. Et initio Rubricæ hujus: *Qui jugiter, & in dies accrescente tempore famam fama auxit, &c.* Inde *Claræ* eidem *Memoriæ* Titulus jure delatus, & meritò à Carolo IV. Imp. in Privilegio concesso Jacobo Carrariensi anno MCCCXLVIII. quod alias exhibebo; Joanne XXII. Pontifice Max. in literis evulgatis adversùs Ludovicum IV. Imp. *Bavarum* cognomento; Lupoldo Bambergensi Episcopo Tract. de Jurib. Regni, & Imp. Rom. Cap. IX. & aliis, quorum è numero plures non advoco in re clara. *Osius*.

(74) Vicentinus Codex: *Unius & opes creverant*. Siquidem *illæ* primitus *tenues, & angustæ*, quales omnino Domino suo parere poterat exigui Comitatus ager. Vide me ad Rub. I. in Verbo *Pauper*, & inopem illam Notam nova ista suppellectili Scriptoribus ex aliis locupletata, & his in primis: Ferreto Lib. II. *Licèt ambobus potentia, opibusve inferior haberetur; non ideo animi, corporisve minor illi virebat industria*: Vecerio in ipsius Henrici Vita. *Quippe cujus ærarium (ut veris agamus) virtute esset, quàm numis instructius*: Carrione Lib. V. Chronici. *Qui* (Balduinus Archiepiscopus Treverensis) *in fratre Henrico non opes, quæ exiguæ erant, sed alia ad justam, & salutarem gubernationem magis necessaria præsidia, atque ornamenta veriora prædicabat*: Meyero in Annal. Belg. *Deque ejus consilii sententia* (loquitur de Cardinali Pratensi) *electus est statim Henricus, ejus nominis Septimus, qui Comes erat Luceburgensis, Vir non modò bello strenuus, sed pius etiam, vitaque sanctus; sed opibus tenuis*. Munstero: *Henricus VII. F. Henrici Comitis Lutzelburgensis, & Beatricis Comitissæ Hanoviæ paternis opibus, non quidem magnus; Justitia autem, & Prudentia, tum rerum gestarum gloria inter Principes ævi sui præcipuus*. Quæ quidem vidisse, & arripuisse videatur Georgius Merula, cùm iisdem ferè verbis differat Lib. VI. extremo Antiq. Vicecomitum: *Ubi persuasum Clementem vidit, de Henrico Lucimburgi Comite subjecit. Huic paternæ opes haud magnæ sanè erant; Justitia Prudentiaque, tum rerum gestarum gloria, quàm natalibus, aut gentili regno illustrior*. Sed huc etiam pertinent ejusdem Scriptoris illa Libri VII. *Cæterùm Henricus cognita Pontificis sententia, pertemptatisque Etruscorum, & Longobardorum animis, priusquam biennium exiret, quod perscriptum à Clemente fuerat, duo sibi in primis proposuit: unum, comparare ea, quæ itineri cum dignitate peragendo idonea forent: alterum, ut domesticas opes, quæ mediocres erant, & proinde infirmæ, muniret; tum verò fines affinitate aliqua latiùs proferret*. Quæ demum illi cuncta feliciter obtigere, nec longum post temporis intervallum, Crevere scilicet huic Henrico Vires, & Opes simul ob affinitatem maximè, quæ illi cum Magnis Principibus intercedere cœpit, desponsa Joanni primogenito filia VVenceslai Bohemiæ Regis, Rodulphi Rom. Cæsaris Nepte, cum regni paterni dote. Clarè idem Merula post excursum brevem connubii recensiti: *Novarum opum adeptione, splendidoque conjugio magna virium accessio facta. Quo autem plus opum, atque potentiæ quæsisse novus Cæsar nuntiabatur, eo majori in metu Turrianus, atque Italiæ Guelphi erant*. Auxit & illius opes benevolentia Principum, qua florebat, carus omnibus, & jucundus. Factum inde scilicet non uno ex Scriptore discu, ut Viri Germaniæ principes multi expeditionem ejus Italicam, tum milite, tum pecunia juverint, nec non & ipsorum multi in ejus extiterint comitatu. Ea re Benevenutus, quem *Parvum* in ejus Vita *Comitem* dixerat, mox in Carolo IV. *Henrici Magni* titulo decoravit. *Osius*.

(75) Ea quæ sint, docebit ex parte Possevinus junior in Gonzagis, ubi de Caroli IV. gentilitio insigni Gonzagorum stemmati inserto: *Et sanè manifestum erat non aliud Gonzagos, quàm potentiam deficere: sed majestatem, famam, & si quæ supra reliquos tollunt, in nobilitate habere*. Osius.

(76) Venetus, *Primates*. Osius.

(77) Magnus olim, & eximius Titulus *Excellentis*, nec indignus habitus Imperii majestate. Literæ Coss. & Judicum Civitatum superioris Germaniæ ad VVilhelmum Rom. Regem, quæ apud BeKam extant in Ottone III. Episcopo Trajectensi XXXVI. *Gloriosa Domino suo Rom. Regi Vilhelmo Coss. & Judices plusquam LXX. Civitatum Germaniæ reverentiam, & obsequium perbennale. Excellentiæ Vestræ tenore præsentium declaramus, &c.* Alias *Excellentissimi* Reges iidem Romanorum dicti. Literæ Responsoriæ Innocentii Papæ ad modò laudatum Vilhelmum Rom. Regem, apud eundem BeKam in Henrico Episcopo Trajectensi XXXVIII. *Innocentius servus servorum Dei, Excellentissimo filio Vilhelmo Rom. Regi salutem, & Apostolicam benedictionem, &c.* Et aliæ Literæ, sive Diploma Joannis Comitis Lucemburgensis, filii Henrici VII. spectans ad Monasterium Munsterienſe, quod exhibuit Bertellius in Hist. Lucemburgensi pag. 46. *Universis præsentium inspectoribus Joannes Comes de Lucemburch Excellentissimi Domini Henrici Romanorum Regis primogenitus Salutem, & notitiam subscriptorum, &c.* Osius.

Digitized by Google

RUBRICA IV.

Prima ad Regnum promotio.

ORbis itaque (78) Terrarum (79) vacante Imperio (80), cùm de novi Principis (81) electione (82) instaret agendum, convenere (83) Primates (84), quibus jus eligendi concessum est (85) ex Imperialibus institutis (86). Inter quos Maguntinus (87) Episcopus (88) domui de Lucemborc fidelitatis astrictus homagio (89) unà cum Treverienſi Archiepiscopo (90) aspirans in HENRICUM sublimandum, dudum subticuit (91) dum reliqui, quos jam præsenserat in diversos intendere (92), concepta depromerent. Sic itidem (a) per triduum (93) ferme habita de compromissis in plurimos mentione, calescentibus in dissensiones animis (94) ad scrutinia declinavere. Scisciatis itaque clandestinè, (ut assolet) vocibus (95) HENRICI vox edita est (96) quaternis assensibus (97); binis scilicet Treverienſis (98), & Maguntini (99) ad idem innitentium; & binis, qui ob aliorum invidias (100) animos diverterant, non votis; sed aliorum contemtibus (1) in HENRICUM. Sive autem sic (2), seu Divinitatem (3) humanis anteponamus conatibus (4), declaratus est (5) HENRICUS Romanorum (b) Imperator semper Augustus (*) convenientibus porrò (6) & reliquis (7). Res hæc per fines vulgata Germaniæ (8) nonnullis admirationi fuit (9), nec priùs credita (10), quàm per patentissima documentorum monumenta manarent edicta, quæ Provincias communi assertione complerent. Suberat & admirationis occasio, cùm ad summos Alemanniæ Principum apices (11) hoc supremæ dignitatis fastigium (12) applicari mos esset Et equidem mira res, ut quantò humilius habuerit ipse (c) primordium (13), tantò celerius volaverit in sublime, Natura (14) Fortunaque (15) faventibus, ut mundanis (16) utamur vocabulis, non abnuentes, Dei nutum in excelso consistere (17).

RU-

(a) *Cod. Est*, identidem, *& ita Cod. Amb.*
(b) *Cod. Amb. addit* Rex.
(c) *In omnibus*, ipsa, *sed malè*.

NOTÆ AD RUBRICAM IV.

(78) Aget hic primò Mussati interpretem Ferretus Scriptor rerum, & temporum eorundem; partes mox nostri nos muneris exequemur. Ait Lib. II. Ferretus à nobis alicubi leviter emendatus: *Defuncto itaque Alberto, confestim Germaniæ Principes, quibus potestas tradita est, pro statuendo sibi Rege conveniunt. Cùmque sobrii molis tantæ curam superstitiosè gerentes Primorum hortatu, compulsuve sæpenumero convenissent: multùmque illis justi, strenuive Principis, qui ad augendos Imperii fasces avidus niteretur, cura vigil inesset: tandem multis Germaniæ Ducibus, ne quid indiscussum maneat, menti occurrentibus, præ cæteris Hainricus Lucemburgensis Comes assensu claro decernitur. Fridericus tamen Alberti memorati natus, Bavariæque Dux Rodulphus, quoad potuere, nixi sunt hujusce titulum vendicare; sed res in certamen excussa, ut neuter invidia laboraret, Hainrico, ferè omnium Principum judicio, contigit. Hic enim licèt ambobus potentia, opibusve inferior haberetur, non ideo animi, corporisve minor illi virebat industria. Nam ex clara satìs prosapia ortus, inter cæteros bello strenuus, & consilio prudens valde putabatur.* Expende nunc mecum Ferreti singula, Studiose Lector, & ejusdem ævi Scriptores ambos eandem trivisse semitam deprehendes. Ferreti siquidem illa, *Defuncto itaque Alberto*, respondent his aliis Mussati nostri, *Orbis itaque vacante Imperio*. Illius illa, *Confestim Germaniæ Principes, &c.* his Nostri, *Convenere Primates, &c.* Illa: *Quibus potestas tradita est*, istis, *quibus jus eligendi concessum est ex Imperialibus institutis*. Alia, *Cùm sobrii, &c.* illis, *Dudum subticuit, &c.* Quæ sequuntur, *Tandem ex multis Germaniæ Ducibus, &c. menti occurrentibus*, his, *Sic itidem per triduum ferme habita de compromissis in plurimos mentione, &c.* Denique illa, *Assensu claro*, affinia planè sunt, *quaternis assensibus* Albertini. Quid quòd alias hujus quoque Rubricæ partes Ferretus illustrat. Dum enim ait Noster, Maguntinum Archipræsulem præsensisse, Electores Septemviros *in diversos intendere*, ex Ferreto discis, horum in numero fuisse Federicum Alberti filium, & Rodulphum Bavariæ Ducem, & *ob horum invidias* ad Henricum etiam, qui secus ante senserant, animos divertisse. Sed nos jam nostri muneris admonemur. *Ossius*.

(79) *Universi* scilicet, sive *totius Mundi*, qui quo jure dicatur Imperio subjacere, unus è multis aperit Matthias Stephanus Pomeranus J. C. & Antecessor insignis in Academia Gryphisvvaldensi, Parte I. Tract. de Jurisdictione Cap. I. Num. 48. Fuit & hæc olim agitata Roncaliæ Quæstio, jussu Federici Ænobarbi Cæsaris, à Jurisprudentiæ Doctoribus Academiæ Bononiensis, & uniuscujusque Civitatis Lombardiæ Judicibus, *Utrum Romanorum Cæsar de jure esset Dominus Mundi*. Qua de re Ottho Morena Laudensis in Historia Patria, & alii, quos in nuperis nostris ad eum Scriptorem Notis, & Emendationibus exhibemus. Alii non *Orbem terrarum omnem*; sed *Romanum tantùm* Imperii circumscribi juribus asseverant, cujus ergo Carolus Magnus, primus ex Germanorum gente Imperator designatus, *Gubernator* duntaxat *Imperii Romani* in suis scriptis, & monumentis voluerit appellari, Imperator nunquam, etiam cùm præter Germaniam, & Galliam Italiæ magnam partem teneret, Lupoldo teste Cap. III. Tract. de Jurib. Regni, & Imp. Rom. & Munstero Lib. III. Cosmographiæ, Tit. *de Germania*, Capite *Osnaburgi*: & reliqui ab eo Cæsares dici *Romanorum Reges*. Patet verò, quod de Carolo Magno diximus, cùm ex diversis ejus Diplomatis, tum ex titulo ejus in Opere de Imaginibus. *Opus Illustrissimi, & Excellentissimi, seu spectabilis viri Caroli Magni, nutu Dei Regis Francorum, Gallias, Germaniam, Italiamque, sive harum finitimas provincias, Domino opitulante regentis, contra Synodum, &c.* Et Numini ejus conspiciuntur his literis: Karolus R. F. E. L. Illud etiam constat ex *L. Unica de Off. Prætor.* Imperatoribus per Legem Regiam gubernationem tantùm, & regimen Imperii Romani cùm generali Jurisdictione fuisse commissum; sed hanc omnino rem Jurisconsultorum Patres explicatam uberiùs te docebunt. *Ossius*.

(80) Formula Scriptoribus etiam aliis usitata. Lupoldus in Tract. de Jurib. Regni, & Imp. Rom. Cap. VI. *Nam ipsi* (Electores) *vacante Regno, & Imperio, juxta consuetudinem antiquam circa hoc observatam, conveniunt in villa Remis, &c.* Anonymus, qui Chronico Urspergensis rerum memorabilium Paralipomena adjecit, hac ipsa de re, qua de Noster hoc loco, in ipsomet Henrico VII. *Vacante Romano Imperio morte Alberti Regis Rom. primi Ducis Austriæ, concordi sententia Principum tam Ecclesiasticorum, quàm Secularium in loco, qui dicitur Reinsen Treverensis Diœcesis electus fuit* (Henricus Comes Lucemburgensis) *in Regem Romanorum, & futurum Imperatorem*. Ex quibus illud etiam liquet, qua de caussa Romani tum Imperii sedes vacarit, nimirum ob Alberti necem, quam narrare juvat, tum ut primus inde constet hujus Interregni dies, quo latente, lateant pariter necesse est annus & dies, quo deligendi successoris ergo, qui fuit Henricus VII. unum in locum convenerint Electores.

Erat Alberto ex fratre Rodulpho Sueviæ Duce nepos, Joannes nomine, qui & ejusdem in aula fuerat educatus. Defuncto Rodulpho nepoti eidem patruus tutor datur, & omnis illius patrimonii custos scribitur extremis ceris, ne

Digitized by Google

ne quid illi, donec adolescceret, interiret. At Cæsar, cùm Joannis oppida omnia haberet in manu, Cheburgum illi, sive Ciburgum ademisse dicitur, hincque primam mali labem ad utriusque pernitiem erupisse constanter Historici, plerique scribunt. Simul ac enim adolevit nepos, sive suo, sive alieno consilio ductus, à Patruo cum Ducatu patrio reliquum patrimonium omne repetit, & nominatim Ciburgum oppidum occupatum, quod morte matris sibi obvenire legibus asserebat: nihil tandem ille non agere, ut è tutela exeat, se jam idoneum affirmans ad moderandum patrii Ducatus clavum. Hic Cæsar, gravi indignatione commotus, Joanni omnia denegat, nec caussam affert, ob quam illius oppida juris esse sui velit: aut certè verba nepoti dat, ut producat tempus, reddere dissimulans, quæ debebat. Instat nihilominus per amicos nepos, &, siquidem patruus reddere sibi nolit omnia, rogat, uti se vel in quamcunque patrimonii sui sortem admittat. Abnegat adhuc appetens nimium dominii patruus, & sedibus in iisdem hæret, nec adduci potest ad partem ullam imperii nepoti, uti prædicabat, prodigo resignandam. Hinc Juvenis precibus valere jussis, conjuratione facta Procerum paucorum, de patruo interficiendo cogitat: fuereque conspirationis illius præcipua capita, Rodulphus de VVarth, VValtherus de Eschelbach, & Ulricus de Palma, quos mendosè Cavitellius *Rodulphum de Viadra*, *Gualterium de Exaltiot*, *& Oldericum de Paleno dixit*. Aderant Calendæ Maji Anni millesimi trecentesimi octavi, cùm Rex à prandio è Clusa (*Scafusa*, & *Schaffhause* Trithemio, nec non & Æmylio Veronensi in Philippo IV.) Helveticorum vico ad Reginam tendit in Reinfeldam, pro qua *Rayfredum* apud Cavitellium leges. Jamque trajecto Rusa fluvio (*Rheno* alii) in ulteriorem ripam evaserat, & sinè ulla sui custodia equitabat per sata, uno secum tantummodo colloquente milite de Casteln, cùm illi Joannes, & Socii conspirationis occurrunt, primusque Rodulphus: *Quandiu*, inquit, *cadaver istud equitare permittimus?* Nec mora, Rulassingen Rodulphi famulus, frœnum equi Cæsarei apprehendit, facitque nepos patrui cædis initium cultro collo Regis infixo. Secutus Rodulphus pectus ejusdem pugione confodit, Ulricus medium caput dissecuit, & divisit. Hunc exitum habuit Albertus Rom. Rex potens, ac magnus, ipsis Calendis Maji, die Divis Philippo, & Jacobo Apostolis sacro, Anno Domini millesimo trecentesimo octavo, Regni X. Ætatis LX. inter amnes Rusam, & Arulam, ubi sepultus primò in Monasterio Konigsfeld, sive Kingsfeld, Ordinis Minorum, Spiram Anno sequenti translatus est, & inibi in Ecclesia majori, IV. Kal. Septembris (uti Trithemius habet, factum id asserente Ciacconio *Junio mense*) perhonorificè inter Reges alios situs, relicta post se sobole numerosa ex unica conjuge Elisabetha, filia Raynaldi Comitis Tyrolensis & Goritiæ, ac Ducis Carinthiæ, sorore uterina Cunradini, quæ patrem illum fecerat liberorum viginti & unius, quorum undecim ad ætatem justam pervenisse ferunt. Firmantur ista porrò, quæ de Alberti nece, ejusque causa, die, & anno complexi sumus, calculo *Benevenuti de Rambaldis* in Alberto ipso *Jo: Villani* Lib. VIII. Cap. XCV. *Conradi Vecerii* in Henrici VII. Cæs. Vita: *Argentinensis* ad an. MCCCVIII. *Tritbemii* tum in Sponheimensi Chronico ad eundem annum: *VVerneri RolevvinK* in Fasciculo temporum, Ætat. VI. *Ludovici Cavitellii* in Annal. Cremonens. pag. 104. *Matthæi Palmerii Florentini* Libro de Temporibus: *Naucleri* Gen. XLIV. Vol. II. quem sequitur *Abrahamus Bzovius* in Annal. Ecclesiasticis, Tom. XIV. Col. 95. *Pauli Æmylii* Veronensis in Philippo IV. Francorum Rege XLV. *Meyeri* in Annal. Fland. *Hulderici Mutii* Lib. XXII. Chron. German. *Æneæ Sylvii* Hist. Bohemicæ Cap. XXVIII. *Io: Dubravii* ejusdem Historiæ Lib. XIX. *Concinnatoris Magni Chronici Belgici* in Imperialibus anni MCCXCIX. *Onuphrii Panvini* in iisdem: *Pignæ* de Principibus Athestinis Lib. IV. *Georgii Merulæ* Antiq. Vicecomitum Lib. VII. extremo: *Alphonsi Ciaconii* in Clemente V. Pontifice Max. *Keriandri*

A

B

C

D

E

Parte XIV. de Orig. & Statu August. Treverensis. *Carrionis* Lib. V. Chronici: *Jacobi Gordonii* in Opere Chronologico, aliorumque propemodum omnium, qui Romanorum Cæsarum vitas, & obitus accuratè literis consignarunt. Neque enim audiendi hac in parte sunt Hocsemius in Theobaldo de Barro, Leodiensi Episcopo LXXIV. Cap. XXXI. Florentinus apud Magni Chronici Belgici Collectorem in Imperialibus ad annum MCCXCIX. nec Appendicis adjectæ Martini Poloni supputationibus Scriptor, quorum primus loco citato, & secundus anno Domini MCCCIX. Albertum à nepote de medio sublatum tradunt: tertius biennio ante, nempe MCCCVII. quod observo Abrahamo quoque Bzovio placuisse, Tom. XIV. Ann. Ecclesiasticorum, Col. 94. Repugnant enim supputationes istæ aliorum omnium calculis, ut apparet: illudque magis, quod modò laudatus Hocsemius secum pugnans prodidit in Hugone de Cabilone, Leodiensi Episcopo LXXII. Cap. XXIV. Albertum Anno MCCXCIX. à nepote suo justo Dei judicio trucidatum. Hæreant igitur, quæ vera vidimus, menti, ut ex fatali Alberti Cæsaris luce certum electionis Henrici VII. in ejus successorem tempus, in tanta opinionum, quæ mox producentur, varietate sinè lapsu, quoad ejus fieri poterit, eruamus. *Osius*.

(81) Adhibita vox ista in hac, & superiori Rubrica propriè pro Romanorum Rege. Notat illa scilicet *Monarcham* absolutè sumpta; abusivè de cæteris usurpatur. Guntherus Lib. VI. Ligurini de Federico Ænobarbo Cæsare.

Inde Ratisponæ rursus revocata potentum
Principis accitu convenit turba virorum.

Ratio porrò, cur tum his in locis, tum *Arg. Rub. & toto Tit. D. constit. Princ.* §. *Sed & quod Principi Instit. de Jure Naturali, Gentium, & Civili. C. unico de feud. March. Duc. Cap. unico. Quis dicatur Dux Marchio, &c.* Imperator ritè, ac verè dicatur Princeps, ea videtur esse, quòd ille sit Christiani Orbis, Romaniq; Imperii primum caput, primumque locum teneat, sive primas partes capiat, juxta Etymologiam nominis, quam D. Augustinus affert, ut asserit Pomeranus. Hinc, quod dicitur, Principem esse solutum legibus, *L. Princeps D. de Legibus*, id de solo Imperatore accipitur, in quo major potestas, quàm in ullo alio Rege, teste Purpurato in *L. Quicumque Num. 116. D. de Offic. ejus*. Nec alia de caussa videtur Pontifex Imperatorem summum Principem appellasse *in C. ad Apostolicæ de re Judic. in 6.* & Baldus *in L. pen. in pr. C. de bon. quæ liber, superiorem summum*. Osius.

(82) Inter legitimas Imperii consequendi vias locus etiam *Electioni* datus, cùm aliàs propagari *Successione* soleret. Erat autem *Successio*, cùm jure quodam gentilitatis in liberos, vel agnatos derivabatur Imperium; *Electio*, quæ Successioni successit, & etiamnum viget, cùm is honos jure sanguinis neglecto, suffragiis deferebatur eorum, ad quos id juris, & muneris attinebat. Qui alia via potitus fuisset Imperio, is non tam Imperium sibi quæsisse dicebatur, quàm certum sui exitium invenisse. Quippe *Imperia malè parta, malè gesta, malè retenta obrui*, edoctus magistra ipsa rerum experientia dixit Livius, nec verè minus apud Tacitum Imperator Otho Lib. I. Hist. *non posse Principatum scelere quæsitum diu retineri*. Placuit nihilominus Prudentiæ Civilis Institutoribus, ac Magistris, duas etiam vias illas legitimas inter se conferre, &, utra præstaret alteri, quærere differendo. Ne omnes nominem, quod operæ majoris, quam frugis esset, cùm multi strenuè presserint arenam istam, palmam ego detulerim Joanni à Cochier, cujus mentis acumine difficilis ea Quæstio revocata sub incudem styli, ejusdem quoque calculo definita extat. Canones illud planè habent, *Principatum non sanguini deferendum esse, sed vitæ*. Quod si quæras, verène, an secus *Successio* præiverit *Electioni* in creando Romanorum Rege, satis tibi hac in parte fecerit cumulatè Hieronymus Balbus, Episcopus Gurgensis, Libro singulari de Coronatione ad Carolum V. Imperatorem, palam asserens, Imperium olim successorio edicto fuisse delatum, idque haberi *in C. denique*

Digitized by Google

que VII. Q. I. ad quam Glossa refert, filios Regum jure Reges esse oportere, & David Salomonem sibi successorem instituisse. At cur olim *Successionis serie*; deinde verò ex *Electione* deferri cœperit Imperium, facilè te docebunt Andreas *in Addit. Spect. Tit. de Rescrip. præsenta.* §. *fi.* Baldus *C. I. de pace te. in usib. feu.* & Petrus de Ancharano *Consi. CCCLXXXI.* Osius.

(83) De anno, & die Conventus hujus, pro deligendo Alberti demortui successore, varii varia tradidere, nec eadem de Loco ejusdem Conventus omnes. In *anno* hallucinatus insigniter Hocsemius fuit, cùm ad annum MCCXCIX. in Hugone de Cabilone, Episcopo Leodiensi LXXII. Cap. XXIV. effutiit ista potiùs, quàm effudit. *Eodem anno 1299. Rex Albertus Monoculus, cùm cujusdam sui nepotis patrimonium occuparet, in die Philippi, & Jacobi Apostolorum ab eodem nepote suo justo Dei judicio trucidatur, testante Poeta,*

------ nec enim lex æquior ulla,
Quàm necis actores marte perire suo.

Eodem anno Henricus Comes Lutzilburgensis in regno successit eidem: ita prorsus, ut eo quoque anno, ex hujus Scriptoris mente, pro deligendo novo Cæsare convenire debuerint Electores. At quis hæc sanus, & siccus ferat, cùm neque ferre potuerit ipsemet illorum Scriptor? Idem enim Hocsemius non multò post, in Theobaldo scilicet, Leodiensi Episcopo LXXIV. sibi veroque proprio à quo longissimè diverterat in Hugone, eadem decennio post contigisse protulit hisce planè verbis, Cap. XXXI. *Anno Domini MCCCIX. in die Philippi, & Jacobi, prima die mensis, Albertus Rex occiditur à nepote suo, cujus patrimonium occupabat. Eodem anno Henricus Comes Lutzelburgensis in regno successit eidem.* Eruditissimi quoque Vossii sententia fuit Lib. II. de Latinis Historicis Cap. LXIII. Albertum Austriacum decessisse anno MCCCIX. cui successerit Henricus VII. qui post eum quinquennio imperarit. Eadem Henricus Calderius scripsit Lib. V. de Origine, & Gestis Patavinorum. Cap. XC. Conficiunt classem alteram Vecerius, Palmerius, Nauclerus, Philippus Bergomas, Rubeus, & alii omnes, qui vel annos Regni quinque, menses octo, novem, decem: vel annos sex integros Henrico VII. tribuunt. Siquidem hi Conventum electionis ejus in annum millesimum trecentesimum septimum conjecisse videntur, cùm annus trecentesimus decimus tertius supra millesimum, quo quidem anno Cæsar iste decessit è vita, memoratorum annorum, & mensium intervallo ab anno millesimo trecentesimo septimo justa supputatione distet. Mens eadem Abrahamo Bzovio, nec occulta; sed expressa clarissimè his verbis, Tom. XIV. Annal. Ecclesiast. Col. 94. *Non assentior iis, qui in annum insequentem (1308.) rejiciunt cædem Alberti, eo quòd extet Epistola Clementis Quinti Pontificis, data Pictavis, II. Idus Augusti, Pontificatus anno III. & Incarnationis Dominicæ anno MCCCVIII. ad Henricum Regem Romanorum, qua invitatur ad Concilium Viennense. Itaque oportet asserere illum electum esse hoc anno MCCCVII. in vigilia D. Catharinæ Martyris, quemadmodum auctores de die electionis conveniunt: ac proinde hoc ipso anno MCCCVII. cæsum fuisse Albertum.* Hæc Bzovius ex scriptis, ut arbitror, Antonini.

Placuit nihilominus nonnullis aliis, anno trecentesimo decimo supra millesimum, electum in Cæsarem Henricum Comitem Lucemburgensem scribere, & his maximè Alberto Krantzio Lib. VIII. Saxoniæ Cap. ultimo, & Libro sequenti Cap. I. & Gulielmo Hongarellio Historico Patavino nondum edito ad illum annum: Tursellino verò Lib. IX. Epit. Historiarum circiter eundem annum. Quid aliis ex eodem albo? Annus ille nobilis Alberti prædecessoris cæde, quem millesimum trecentesimum octavum fuisse firmavimus pleniori numero calculorum. Quamobrem, cùm secundùm plures lites etiam soleant æstimari, censuerim ego pariter, hunc Henricum salutis anno MCCCVIII. Romanorum Regem electum, & eodem anno Septemvirum Electorum conventum ea de re habitum cum *Joanne Villano* ejus ævi Scriptore, studiosissimo veritatis Lib. IX. Cap. CI. *Argentinensi* in Chronico ad annum illum: *Appendice* Martini Poloni supputationibus adjecta: *Trithemio* in utroque Chronico, Hirsaugiensi scilicet, ac Sponheimensi: *Magni Chronici Belg. Concinnatore*, in Imperialibus: Onuphrio Panvino in iisdem: *Paulo Langio* in Chronico Citizensi: *Ludovico Cavitellio* in Annal. patriis: *Meyero* in Flandricis: *Ciacconio* in Clemente V. *Keriandro* in Annal. Augu. Trever. Part. XIV. *Donato Bossio* in Chronicis; *Jo: Dubravio* Hist. Bojemicæ Lib. XIX. *Jacobo Cavatio* Lib. III. Hist. Cœnobii D. Justinæ Patavinæ, *Canisio Cocc.* in Catalogis suis Chronologicis: *Jacobo Gordonio* in serie rerum gestarum per universum Orbem: Jacobo Gualterio in Chronographia Status Ecclesiæ, seculo XIV. *Elia Reusnero, Hieronymo Henninge*, & *Ubbone Emmio* in Stemmate Lucemburgensi: *Antonio Possevino* in Gonzagis Lib. III. *Benedicto Jovio* Lib. I. Historiæ Novocomensis, ac iis demum omnibus, qui cum Nostro regnasse volunt Henricum VII. Augustum annis omnino quinque. Tot enim inter annum millesimum trecentesimum octavum, & millesimum trecentesimum decimum tertium, quo regnare desiit, anni alii penitus intercessere.

Gradior igitur ab hujus Electionis, sive Conventus Anno ad ejusdem diem, in quo si convenirent Auctores, ut inquit Bzovius in supra laudato loco Tomi XIV. non admodum ea pro re solidè statuenda nobis laborandum foret: at cùm illi hoc in die dissideant inter se maximè, laboriosæ prorsus opus est aleæ id tentare. Quod ne gratis a me dictum Bzovius putet, ecce Scriptorum ipsorum dissidium repræsento, ut si possim tollam. Habet Argentinensis: *Occiso itaque Alberto Rege, Hainricus Comes de Lutzelburg strenuus, & acer, eodem anno in festo omnium Sanctorum* (hoc est die prima Novembris) *concorditer in FrancKfurt est electus.* Eique subscribunt Cavitellius, & Gordonius nil hærentes. Primus in Annalibus patriis verbis istis: *Die prima Novembris electus fuit Cæsar* (Henricus) *ex voto Præsulis Treverensis fratris sui*; Alter his in Serie rerum gestarum per universum Orbem: *Albertus Imperator à fratris filio Joanne, aliisque paucis comitibus impiissimè trucidatur, magnus Princeps 1. Maji. Electores Francofurti 1. Novembris renuntiant Imperatorem Germaniæ Henricum VII. Comitem Lucemburgensem.* Nec alio, quàm Argentinensi, duce Henninges scripsit in Stemmate Lucemburgensi: *Henricus VII. ex Comite Lucelburgensi X. Imperator electus de consilio Balduini fratris, 7. mense ab interitu Alberti I. Imperatoris, Cal. Novembris (aliis Cal. Decembris) A. C. 1308.* Unde Carrio Lib. V. Chronici. *Ita cùm Septemviri convenissent Francofurti, conjunctis suffragiis elegerunt Henricum Comitem Lucelburgensem, Calendis Novembris, septimo ab interitu Alberti mense*: Et Keriander in Annal. August. Trever. Part. XIV. *Albertus occisus 1308. post septem pæne menses interregni successorem nactus Henricum VII. Lutzenburgensem.*

At enim Dubravii margo ad pag. 157. Lib. IX. Hist. Bojemicæ, ita nos a Calendis Novembris ad alium tum mensem, tum diem vocat: *Henricus Comes Lucemburgensis Imperator appellatus anno 1308. Cal. Decembris, aliis 15. Novembris.* Videtur etiam Cavatius extremum Decembrem potiùs, quam ineuntem Novembrem ob oculos habuisse, cùm huic electioni signandæ calamum sic admovit: *Vergente anno (1308.) Henricus Comes Lucemburgensis Romanum Imperium capessivit*: Et Meyerus, cujus illa sunt in Annal. Fland. *Mense Novembris, post 6. Mensium interregnum, nondum creatus erat Augustus*: Nec non Magni Chronici Belgici Concinnator, cùm Imperatorem eundem regnasse protulit Annis IV. Mensibus VIII. Siquidem tot Anni, ac menses Decemb. extremum An. MCCCVIII. cum Augusto nectunt An. MCCCXIII quo mense una cum regio diademate vitam poluit hic Henricus: etsi idem Scriptor mihi paullò ante, diem ejus electionis in Cæsarem minimè separet à B. Catharinæ luce, quæ est vigesima quinta Novembris in Divorum Fastis. Et sanè recedant ægerrimè alii à Novembri; sed ejus in die nutant. Trithemius enim in Chron.

Chron. Sponheimensi, diem hujus conventus attulit septimum supra vigesimum ejus mensis, quod & Calvisius fecit. Reusneri calamus in vigesimo tantùm stetit; ad vigesimum quintum D. Catharinæ sacrum alii processere: nec defuere (quod vidimus ex Henninge) quibus magis arriserit decimus quintus. Unum Bzovium meminisse video vigesimi quarti, hoc est Vigiliæ Divæ Martyris & Virginis Catharinæ.

Meam si sententiam rogas, in eam tribum pedibus eo, in quam accuratissimus Lucemburgensis Historiæ Scriptor Bertelius iit, proque illa suffragium fero. Censuit porrò Bertelius cum iis, qui Henricum ex Comite Lucemburgensi Romanorum Regem renuntiatum asseruere die celebri D. Catharinæ cultu, vigesimo nempe quinto Novembris, anni millesimi trecentesimi octavi, & his sanè verbis paginæ 46. revocatis ad trutinam, ut opinor: *Anno Domini millesimo trecentesimo octavo, Francfordiæ, ipsis Divæ Catharinæ feriis, à Septemviris Electoribus in Regem Romanorum electus est* (Henricus) *ex quo Regis Galliæ consilia omnia in eam rem impensa in nihilum fuere deducta*. Respondet Bertelio Ciacconius in Clemente V. *Principes ex Pontificis literis periculo cognito, statim Francfordiæ (aliàs Midelburgi) conveniunt, ubi communi suffragio Regem Romanorum, VII. Kal. Decembris, Henricum ipsum designant, Henrici filium, tunc Comitem Lucemburgensem*. Ita prorsus, ut interregnum fuerit mensium VI. Dierum XXVI. ex calculo Ciacconii ejusdem. Quamobrem ritè cum amborum dictis congruit Appendix Martini Poloni Supputationibus annexa ex Codice Fuldensi: *Henricus Septimus imperavit annis quinque. Hic, cùm Comes fuisset Luxenburgensis, electus fuit in Francofordia, anno Domini millesimo trecentesimo octavo, in festo S. Catharinæ*. Nec abludit Magni Chronici Belgici Concinnator in Imperialibus An. MCCCVIII. *Henricus hujus nominis Septimus, inter Imperatores verò VI. Comes Lutzenburgensis, fuit electus in Regem Alemanniæ, & Romanorum in die B. Catharinæ Virginis, &c.* Quid quod nec his adversari videntur ii, qui diei vigesimi septimi mentionem habent. Non enim id illi sibi voluisse videntur, Cæsarem hunc eo die lectum; sed publicè proclamatum, cùm electionis comitia peracta fuissent biduo ante. Clarè modò laudatus auctor Magni Chronici Belgici in memorato loco: *Fuit* (Henricus) *electus in Regem Alemanniæ, & Romanorum, in die B. Catharinæ Virginis, in quadam Villa prope Confluentiam, quæ Reynse nominatur, Anno Domini MCCCVIII. Et deinc Electores in Francofordiam procedentes eum publicè Regem nominaverunt*. Nec aliud in Trithemio Hirsaugiensi leges. Siquidem hæc illic habes: *Eodem anno* (MCCCVIII.) *in mense Novembris, convenerunt Principes Electores ad Villam dictam Rense, non longè à Bopardia, juxta sedem regalem, &, procurante domino Petro Archiepiscopo Moguntino, in Regem Rom. unanimiter elegerunt Henricum Comitem Lutzenburgensem, fratrem Baldevini Archiepiscopi Treverensis, virum bonum, strenuum, & imperiali honore dignum, cujus electionem 27. die Novembris devulgari FrancKofordiæ solenniter fecerunt*. Faciunt huc etiam illa, quæ ex probatioribus Scriptoribus collecta prodidit, qui Urspergensi Paralipomena adjecit, in hoc ipso Henrico: *Vacante Romano Imperio morte Alberti Regis Rom. primi Ducis Austriæ, concordi sententia Principum tam Ecclesiasticorum, quàm Secularium, in loco, qui dicitur Reinsen, Treverensis Diœcesis, electus fuit* (Henricus) *in Regem Romanorum, futurum Imperatorem, & postmodum Francofordiæ more solito proclamatus*.

Ex quibus illud etiam apparet liquidò, quinam fuerit hujus Conventus, & Electionis Locus, curque alii Villam *Rense*, sive *Reinse*: *Francofurtum* alii, sive *Francofordiam* fuisse dixerint veritate salva. *Electoris enim vacante Regno, & Imperio* (ut cum Lupoldo Bambergensi Episcopo loquar Tract. de Jurib. Regni, & Imp. Rom. Cap. VI.) *juxta consuetudinem antiquam hactenus circa hoc observatam, convenire solebant in Villa Remis* (lege *Reinsse*, quod nomen adhuc retinet, Frehero teste, in Notis ad locum istum, & ad Andloum pag. 80. etsi *Reyse* scripserit Jo. Andreas Lupoldi præceptor in Notis ad Speculator. Tit. de rescrip. præsent. §. ult. versic. Item quod est obtentum ab Imperatore nondum coronato, vel infulato, Num. 18.) *Treverensis Diœcesis, ubi more aliorum Collegiorum, vel Universitatum statuebatur terminus ad electionem Regis Rom. in oppido FrancKfurt per eos communiter faciendam*. Habet nihilominus Vecerius, ista horum de Comitiorum loco, quæ cum eodem, quanti lector voluerit æstimabit: *Authores habeo Luceburgi transacta fuisse comitia. Quod adscribendum putavi magis, ne ignorasse eam rem crederer, quàm ut morem, locumque vetustum, tam tumultuario præsertim tempore, prætermissam existimarem*. Osius.

(84) *Primores* legitur in Codice Vicentino. *Proceres* eosdem Guntherus dixit de electione Friderici I. Imp.

Acturi sacra de successore coronæ
Conveniunt Proceres, totius viscera regni.

Alibi. *Ad Proceres electio pertinet*.

Et Gulielmus Brito de Friderici filio Henrico, Philippidos IV.

Est etenim talis dynastia Theutonicorum
Ut nullus regnet super illos, ni priùs illum
Eligat unanimis Cleri, Procerumque voluntas:

Primates, sed eosdem, ut Noster, appellavit VVippo Conradi Salici electionem describens: *Inter confinia Moguntiæ, & VVormatiæ conveniunt cuncti Primates, & (ut ita dicam) vires, & viscera regni, &c. Septemviros* alii nominarunt, quòd septem omnino numero Proceres, sive Primates essent, qui jus istud tandem habuerint Cæsaris eligendi. Probat hoc Sabinus in Cæsaribus Germanicis, ubi de Othone III. ita canit;

Ut penes immensi nos tota potentia Mundi
Semper, & Imperii gloria summa foret:
Regia constituit quibus est electio curæ
Præcipua septem nobilitate Duces:

Erantque Archiepiscopi tres, *Moguntinus*, *Treverensis*, & *Coloniensis*, Imperii *Cancellarii* primùm, deinde *Archicancellarii* dicti, primus per Germaniam, secundus per Galliam, tertius per Italiam: Principes seculares quatuor, Rex Bohemiæ Pincerna, Dux Bavariæ, qui *& Palatinus Rheni Comes*, Dapifer, Dux Saxoniæ Ensifer, Marchio, seu Marcgravus de Brandenburch Camerarius. Unde versus:

Moguntinensis, Treverensis, Coloniensis,
Quilibet Imperii sit Cancellarius horum:
Et Palatinus Dapifer, Dux portitor ensis
Marchio Præpositus Cameræ, Pincerna Bohemus.
Hi statuunt Dominum cunctis per secula summum;

Vel, ut alii malunt,

Hi sunt, qui faciunt Dominum per secula summum.

Et extant de singulis testimonia seorsim, quorum aliquot isthic apponere non gravabor. De Moguntino Guntherus Lib. VI. Ligurini:

Imperium geminis disponitur, inquit, habenis,
Legibus & veterum servato tramite morum,
Cujus ab æterno tantùm collatio Rege
Provenit, ad Proceres electio pertinet, in qua
Præcipuam vocem Præsul de more vetusto
Moguntinus habet, Pastori prima recentis
Agrippina tuo conceditur unctio Regis.

Pro Coloniensi dicent testimonium infra Acta Concilii Lugdunensis sub Innocentio Quarto, & Albertus Stadensis in Chronico. Pro Treverensi fidem facit Lupoldus Bambergensis Episcopus, à quo disertè vocatur *Sacri Imperii per Galliam Archicancellarius* in Nuncupatoria Tractatus de Jur. Regni, & Imp. Rom. videturque hæc illi delata dignitas ob primatum, quem inter Antistites Galliæ reliquos, beneficio Sylvestri Pontificis, obtinebat, cujus rei testes versiculi perantiqui:

Accipe primatum post Alpes Trevir ubique,
Quem tibi Roma nova lege dat, & veteri;

Et alia multa, quæ proferrem, nisi jam eadem evulgasset doctissimus Brovverus in Notis ad illa Venantii Fortunati de Nicetio Episcopo Treverensi,

Splendor, apex fidei, veneranda mente Niceti,
Totius Orbis amor, Pontificumque caput.

Quod attinet ad Bohemiæ Regem habes clarissimas de jure Electoratus illi concesso in Imperio Romano attestationes Rodulphi, & Karoli Roman. Regum, necnon & Ruperti Palatini senioris inter Scriptores antiquos Bohemicarum rerum, qui annis ab hinc XXVI. è Bi-

Digitized by Google

è Bibliotheca V. Cl. doctissimique Marcquardi Freheri, bono Rei literariæ publico prodiere VVichelianis typis. Hoc ipso jure fruens Bavariæ Dux, uti Comes Palatinus Rheni, Albertum Austriæ Ducem unà cum Electoribus reliquis Regem Romanorum creat apud Ptolomæum Lucensem ad annum MCCXCVIII. & ob id Rodulphus electus à Septemviris in diplomate quodam dato anno MCCLXXV. meminit fratrum Bavariæ Ducum voces pro una in septem Principum jus in electione habentium numero computatas. De Saxoniæ Duce scribit Krantzius Lib. IX. Saxoniæ Cap. V. Electivam dignitatem permansisse in linea Rodulphi Saxoniæ Ducis, cujus successio fuit in Principatu superioris Saxoniæ in terra de VVintenburgo, qua deficiente justo ordine rediret ad proximos agnatos inferioris Saxoniæ Duces. Quò respiciens Nicodemus Frischilinus in Aulæo Principum Anhaltinorum, Electorum Brandeburgiorum, & Saxonicorum, ita cecinit:

Dive Rodulphe, tua gener hic Agnete superbus
Suscepit patri similem virtute Rodulphum
Imperii Ensiferum, qui Parthenopæa subegit
Mœnia, & hostilem vastavit milite terram.

De eodem demum, & Marchione Brandeburgensi; habet Chronicum Carrionis Lib. V. sublatis è vivis sinè prole Alberto Saxonum Duce, & VVoldemaro Marchione Brandenburgensi, utroque ex Alberti posteris, Sigismundum Imp. Saxoniam Friderico Misniæ Marchioni, Marchiam Friderico Burggravio Norimbergensi tradidisse adjuncta dignitate Septemvirali. De omnibus simul junctis meminere quamplurimi, nec plurium, quàm horum Septem. Quare necessariò mihi monendus hoc loco Lector, usque ad annum millesimum ducentesimum sæpiùs plures, quàm septem Electores fuisse, nempe omnes Germaniæ Principes, & Præsules, qui Comitiis intererant, uti pluribus Baronius ostendit. Nam (ne nesciamus) cæteris etiam Principibus jus aliquod Comitiorum adeundorum, & dicendæ sententiæ fuit, quod è speculo Saxonico Lib. III. Art. LVII. non obscurè discimus, cui concordat & Suevicum Lib. II. Cap. VIII. Sed Electorum septenorum vota, & sola necessaria erant, & cæteris omnibus præponderabant. Donec tandem & illud tempore Caroli IV. per Auream (quam vocant) Bullam est mutatum, & ordinatum, ut solis Septemviris convocatis electio transigeretur: cæteri Principes, nec ad Concilium, neque ad urbem electioni destinatam admitterentur. Hinc Conradum non ab Electoribus, sed ab omnibus ferè Regni Principibus electum asseruit Keriander anno MCXXXVIII. ubi de Adalberone Pontifice Treverensi: *Conrado Regi intimæ familiaritate, atque amicitia conjunctus* (Adalbero) *fuit, adeò ut post mortem Lotharii, contradicentibus omnibus Regni Principibus, Adalbero tamen industria sua Conradum ipsum in Regem creari effecerit, accitis in colloquium ad Confluentiam Federico Duce Conradi fratre, Bocboque Vangionum Episcopo, accedenteque Coloniense Archimysta Arnoldo, quorum votis Conradus Rex dictus, & mox Aquisgranis est confirmatus.* Et VVippo ipsius Conradi coævus de ejus electione: *Inter conjunia Moguntiæ, & VVormatiæ convenerunt cuncti Primates, & (ut ita dicam) vires, & viscera regni.* Et eisdem verbis de electione Friderici I. Guntherus,

Acturi sacræ de successore coronæ
Conveniunt Proceres, totius viscera regni

Deque ejus filio Henrico. Brito in loco laudato supra,

Eligat unanimis Cleri, Procerumque voluntas.

Ita cùm post Henricum Cæsares duo creati fuissent in schismate pernitiosissimo, Otho Saxo, & Philippus Suevus, illum hinc Pontifici commendarunt *Principes, & Barones Alemanniæ, Clerici, & Laici*; hinc *Germaniarum Principes, & Magnates*. Addo illud etiam ex Haræo in Othone, Duce Brabantiæ XVIII. non semper Senatum Septemvirum Electorum effectum ex Archipræsulibus tribus Moguntino, Treverensi, & Coloniensi; & ex Principibus secularibus quatuor, Bohemiæ Rege, Bavariæ Duce, Marchione Brandenburgensi, & Comite Palatino Rheni; sed & alios quandoque Principes eundem in ordinem fuisse lectos. Anno quippe MCCXLV. in Concilio Lugdunensi, sub Innocentio V. ut habent Acta ejus Concilii apud Matthæum Paris in Historia Anglicana, Electores Imperatoris verbis hisce produntur. *Laici, Dux Austriæ, Dux Bavariæ, Dux Saxonum, Dux Brabantiæ, qui & Lovaniæ: Prælati Archiepiscopi, Coloniensis, Moguntinus, & Salsburgensis.* Ita ibi. Et sequitur. *Isti ducentur in Insulam quandam Rheni, & dimittentur soli in ea, & amovebuntur omnes naviculæ, & ibi tractabunt de electione Imperatoris. Nec adveniat aliquis ad eos, donec sint concordes. Huic negotio præerit Archiepiscopus Coloniensis, secundus Moguntinus, tertius Salsburgensis*, ita prorsus, ut etiam tum per solos Septemviros Imperatoris electio transigi videretur, multò nempe ante tempora Caroli IV. à quo id sancitum fuisse diximus legibus Bulla, quæ dicitur Aurea, comprehensis. Sed hæc cum dictis ea de Bulla nequaquam pugnant. Cedentibus enim paulò post quatuor ex recensitis in Actis Concilii Lugdunensis (sive quòd ab eo onere liberi esse voluerint, vel fortè etiam eligi magis, quàm eligere desiderarint) alii subrogati sunt, de quibus hæc Albertus Stadensis, qui Chronicon suum perduxit usque ad Annum MCCLVI. *Ex prætaxatione Principum & consensu, eligunt Imperatorem Treverensis, Moguntinus, & Coloniensis: & de secularibus Palatinus eligit, quia Dapifer est; Dux Saxoniæ, quia Marescalcus; & Marggravius de Brandeburch, quia Camerarius; Rex Bohemiæ, qui Pincerna est, non eligit, quia non est Theutonicus*: nec aliud egisse videtur Carolus IV. quam eandem potestatem septem iisdem Principibus indulsisse, & accuratiùs eorundem officia distinxisse, datis legibus cum Electoribus, tum cæteris Principibus, & etiam Imperatoribus ipsis.

At hæc usquequaque omnibus non probantur. Nam quod attinet ad *Numerum* Electorum, ut, quantùm ex historiis ea de re didici, in medium afferam, primùm in Chronico quodam Saxonico legitur, Carolum Magnum quatuor instituisse Electores, tres scilicet Archiepiscopos, Moguntinum, Coloniensem, Trevirensem, quartum verò Majorem domus, sive Comitem Sacri Palatii ad Rhenum; vidisse nimirum prudentissimum Imperatorem, quòd, tametsi hæreditaria filiorum, & posterorum suorum in Romano Imperio futura sit successio; tamen, si plures essent, qui simul Imperium expeterent, facilè magnum excitari possit diffidium: ac proinde optimum fore ratum, Principum Electorum judicio Electionem committi. Post Ludovici IV. mortem, in quo familia Caroli Magni desiit, Electores etiam quatuor convenere: at, cùm hi in consilium adhibitis Saxonibus petiissent, ut sibi ad obtinendum Imperium essent adjumento, responderunt Saxones, perquam mirum sibi videri, eos sibi solis electionem Imperatoris vendicare, eòque rem adductam ferunt, ut duo Principes è Saxonibus electioni adhiberentur, qui tandem, tametsi variarint vota in electione Imperatoris, Conradum Ducem Franciæ designarint.

De *Sanctione* Septemvirum nec eadem usquequaque omnium sententia est. Cùm enim eam plerique referant ad tempora Gregorii Quinti. Onuphrius Panvinius tum in Annotationibus ad Gregorium V. Platinæ, tum in Libro de Comitiis Imperatoris, quæ à Gregorio X. instituta sunt, ea temerè adscripta fuisse prodidit Gregorio V. In monumentis etiam Aquilejensis Ecclesiæ traditum invenitur, Sanctionem de Imperatore a Germanis deligendo, Sylvestri II. qui Gregorio V. successit, temporibus institutam, quod dictum eam ob causam explicat Nauclerus, quòd tum ea Sanctio cœperit moribus utentium approbari, confirmante scilicet Pontifice Sylvestro Cæsaris electionem primam, factam juxta Gregorii Sanctionem: qua responsione salvari quoque posse existimat, quod scribitur à nonnullis, Sanctionem eandem institutam fuisse anno salutis MII. quòd scilicet eo anno, virtute istius Sanctionis, prima facta fuerit per Principes designatos electio in persona Henrici Bavari.

Alia his omnino contraria deprehendes in Munstero, Carrione lib. IV. Pomerano lib. II. de Jurisdictione Cap. V. & aliis, manasse videli-

delicet Sanctionem istam ab Othone III. qua omnis eligendi Imperatoris Romani potestas in solos Germanorum Proceres transferretur, auctore Villigiso, præceptore suo, viro prudente, qui & primus fuisse perhibetur ex Diœcesi Moguntina Septemvir, accedente consilio Principum Germanorum, atque adeò consensu Gregorii V. cùm hæredes ex se descendentes masculos non haberet, ne post ejus mortem de Imperio certaretur, aliisque de causis, quæ à Carrione libro laudato antea recensentur. Inde clarè Antonius Bonfinius Lib. X. Dec. I. Annalium Hungariæ, factam fuisse scribit Sanctionem istam de Septemviris Imperii Germanici ab Othone III. circa annum Christi MV. confirmante eam Gregorio V. Pontifice Romano, è Ducibus Saxoniæ oriundo. *Primus*, inquit, *Gregorius V. Pontifex Max. natione Germanus, Saxonum genere ortus, Othonis III. Imp. frater, de Imperatorum electione Sanctionem promulgavit, qua cautum est, solis licere Germanis, quibus eligendi potestas data est, Principem creare: qui statim Cæsar, & Romanorum Rex salutatur: & cùm à Romano Pontifice Max. corona donatus approbatur, Imperator Augustus appellatur. Ex Metropolitanis Electores hi sunt, Moguntinus, Trevirensis, & Coloniensis: è Principibus tres, Palatinus, Saxo, & Brandenburgensis: è Regibus unus tantùm, Bohemiæ Rex. Sanctio facta salutis anno secundo supra millesimum. Distincta inter Electores officia. Tres primi Cancellarii sunt, Germaniæ primus, secundus Galliæ, Italiæ tertius. Brandenburgensis Camerarius, Palatinus Dapifer, Saxo Marescballus* (Janitor) *Rex Bohemiæ Pincerna est.* Faciunt huc etiam Sabini versus, laudati supra in Cæsaribus Germanicis, ubi de hoc ipso Otthone III. hæc habentur.

Ut penes immensi nos tota potentia Mundi,
Semper & Imperii gloria summa foret,
Regia constituit quibus est electio curæ,
Præcipua septem nobilitate Duces:
Theutonicaque genus qui non ab origine ducunt,
Hæredes vetuit nominis esse sui.

Cùm demum in Privilegio Othonis III. scripto anno 999. & præfixo Juri Saxonico municipali, aperta fiat mentio Electorum Ecclesiasticorum, & Secularium; & in alio Privilegio anno 973. concesso, Electorum idem Imperator clarè meminerit, vel ex eo evincitur, Ordinem Electorum Othoni III. cognitum fuisse, nec à posterioribus Cæsaribus institutum.

Joannes Dubravius Lib. VI. Historiæ Bohemicæ, Sanctionem istam æquè utrique tribuit, Othoni nempe III. & Gregorio V. quòd ambo Germani essent, sibique invicem innexi, ac pariter in hoc proni, ut honor summæ dignitatis in Germania perpetuò resideret.

Martini Poloni Appendix, & alii præterea pauci, electoriam Septemvirum dignitatem, nec à Pontifice Gregorio, nec ab Othone Cæsare profectam asserunt; sed horum quidem ætate, quæ in eadem tempora incidit, à Primoribus Imperii decretum, ut cùm Imperium apud solos Saxones ferè per annos centum perduraſſet, in posterum per Principes Officiales Imperii, seu Curiæ Imperialis Imperator eligeretur.

In Gerbrando à Leydis Lib. IX. Magni Chron. Belgici clarè legere est, Ordinationem hujuscemodi nequaquam initiatam Othone III. imperante; sed renovatam tantùm, eo quòd tempore Caroli Magni primò fuerit incœpta ab ipsomet Carolo Magno, eamque ob caussam totum id, quod post ejus mortem multis in locis legitur: *Ille, vel ille Rex Francorum, vel Imperator Romanus illum, vel illum filium suum substituit imperio*, intelligi debere factum, ut innuit Albertus Stadensis laudatus alias, *ex prætaxatione Principum, & consensu*, quam tamen sententiam nequaquam approbat Pomeranus, qui negare ait Historicos ab Imperatoribus, qui antecesserunt Othonem, institutum Senatum Electorum septem.

Verùm enim verò non pauci quoque dubitant, Petro Hegio teste, num Othonis tempore Electoria dignitas fuerit instituta, & hos inter Freherus in Notis ad Lupoldum Episcopum Bambergensem, Jac. Spiegelius in Scholiis ad Lib. I. Ligurini Guntneri, & alii, eas ob causas, quas præter Freherum in laudato loco, Carrio retulit Lib. IV. Sabellicus etiam fassus est, se parùm compertum habere, fuerintne tum primùm creati, qui Imperatorem legerent, an postea res inducta sit. Germani sanè habent id commenti loco, mirè ea de re silentibus suorum Annalibus, & historicis monumentis.

Retrahunt tandem alii ad Rodulphi Regis, alii ad Caroli IV. ævum Septemvirum institutionem; sed Rodulphus ipse electus à Septemviris satis eos refellit. Itaque plerisque omnibus verisimile fit, tempore interregni, & schismatum à Federico Primo, ad Federicum II. Electorum institutionem natam, sive usurpatione quorundam, inter cæteros potentium; sive etiam mutuo consensu, & cum conventione, cùm præsertim Innocentius III. Pontifex *in C. Vener. de Elect.* duobus locis dicat, *ad eos Principes jus eligendi Regem de jure, & antiqua consuetudine noviter pertinere*: ac demum à Carolo IV. qui ordines Imperii accuratiùs distinxit, & leges cum Electoribus, tum cæteris Principibus imposuit, & Imperatoribus ipsis, quæ quidem extant in Bulla Aurea, sancitum, ut solis Septemviris convocatis electio transigeretur: cæteri verò Principes nec ad Concilium, neque ad Urbem electioni destinatam admitterentur.

Placet ob id mihi præ cæteris hac de Septemvirum Electorum Imperii institutione, quidquid alii conjecerint, Simonis Majoli, Episcopi Vulturariensis, sententia, rem istam omnem hoc ordine ab Othone III. usque ad Caroli IV. tempora perducentem. Electores quidem esse voluit in Imperio, eosque etiam instituit Otho III. Imperator: at, quòd Electionis jus certis Ordinibus assignaverit, id verò nulla historia loquitur, longèque ab eo tempore filios semper parentibus, proximosque sanguine, & affinitate in demortuorum locum successisse, ab omnibus item communiter Ducibus, Dynastis, Satrapis, Episcopis, Præsulibus, populo Germaniæ designatum fuisse Rectorem Imperii legimus: nec in vetustioribus monumentis ulla reperitur mentio, vel Septemvirum, vel etiam inter Ordines, qui Imperatorem crearunt, Palatini ad Rhenum, Marchionis Brandeburgici, & Regis Bohemiæ; sed saltem generatim, *Cunctorum Ordinum Imperii*. Nec enim iis in monumentis certi aliqui exprimuntur; nec à communi deliberatione, & suffragiorum jure cæteri Germaniæ Proceres excluduntur. Et profectò, ad Bohemum quod attinet, nec regium nomen, nec istam dignitatem eum tunc obtinuisse satis constat; tantumque abest, ut Bohemiæ Duces iis comitiis, quibus Henricus Glaudus, Conradus Saliquus, & Henricus Niger Cæsares renuntiati sunt, interfuerint, ut etiam Imperio Germanorum, cui tributum pendebant, essent infestissimi: in quos Spitigneus tanto exarsit odio, ut non modò omnes alios Bohemia excedere juberet; sed nec matri quidem Juthæ, Othonis II. Imp. filiæ, in ea commorandi potestatem faceret. Hujus patrem *Bisetislaum Henricus II.* fratrem *Uratislaum Henricus IV.* domuerunt, & imperata facere coegerunt. Utrum verò his ipsis comitiis Marchio Brandeburgicus interfuerit, Krantzius omnino ambigit, utpote, qui à Mistivojo Obotrito ditione sua ejectus, in perpetuo exilio ex fructibus Sacerdotii Magdeburgi privatus vixit, Vandalis Marchiam per annos quinquaginta tenentibus.

In sequentibus verò seculis, cùm magni in Imperio nascerentur tumultus, ipsis Principibus in Cæsarum electione gravissimis contentionibus, quæ in latrocinia, & bella civilia desinebant, mutuò dissentientibus: ubi sæpiùs plus valuit potentia, & auctoritas, quàm consultationes, & calculi suffragantium, tunc horum numerus in pauciores contrahi cœpit. Et verisimile videtur in summa ista Ordinum Germaniæ confusione, rerumque omnium perturbatione, ne in extremum discrimen Respublica adduceretur, jus hoc eligendi Imperatorem, de consilio Cæsarum, & voluntate Procerum ad eos præsertim fuisse delatum, qui vel dignitate, vel auctoritate, vel potentia, vel ingenii dotibus animique virtute excellerent: atque ita ad certum, & quidem Septenarium numerum esse redactum, alia tunc & penè nova Germaniæ discerptæ, exhaustæ, atque enervatæ existente facie. Aliæ siquidem familiæ in priorum vestigia successerant, quarum

Digitized by Google

rum nonnullæ erant novæ; nonnullæ de veteribus reliquiæ, ex obscura humilique conditione rursus excreverunt, atque inclaruerunt. Bellis præterea intestinis Proceres Germaniæ ea tempestate impediebantur, quominus frequentes ad Imperatoris Electionem comparerent: quidam etiam Procerum (ut auctor est Aventinus Lib. VII.) sedem, & domicilium Imperii ex Germania in Italiam transferri cuperent, ut tandem aliquando optata pace frui, & à libidine hominum perversorum immunes esse possent, quippe quos à vicino Imperatore in ordinem redactum iri sperabant.

Horum tamen è numero, cùm ex ordine Ecclesiastico *Moguntinus*, *Coloniensis*, *& Trevirensis*; ex ordine politico *Palatinus*, *Saxo*, *& Brandeburgicus*, ut plurimum permanerent constantes: & his se nunquam *Rex Bohemiæ* adjungeret (id quod factum fuisse in conventu VVurceburgico scribit Krantzius) proculdubio contigit, ut hi ipsi, cæteris exclusis, sibi potissimum jus & potestatem eligendi Imperatorem, consiliique publici auctoritatem vendicarint: atque ita, quòd ante consuetudinis fuit, id jam juris esse cœperit, accedente non tantùm approbatione; sed & ordinatione Imperatorum. Qua de re licèt nihil reperiatur cupiditate nostra dignum, aut pro tali mutatione referendum literis, & monumentis traditum; tamen ut ita sentiamus, in illis auctoritas, in his potentia, qua cæteros Principes tunc superarunt, suadet.

Atque ita sublata aliqua ex parte sunt incommoda, quæ ex suffragiorum multitudine, atque diversitate, & concessa omnibus horum ferendorum potestate provenire consueverant, Imperioque ruinam ferè attulerant: quemadmodum fieri solet, quando in magna suffragantium multitudine sententias alii dicunt magis affectu, quàm judicio (nec enim in multitudine certum esse potest judicium, nec constans electio) alii ambitione, & aliorum gloriæ invidia: alii mercede, & pretio conducti: alii factionum studio, & amore: alii denique spe majorum opum, atque dignitatum ex meliorum, & præstantium ruina, & interitu. Singulari certè Dei Opt. Max. transferentis, & stabilientis regna, bonitate & impulsu videtur hic Electorum Senatus post longos intestinorum bellorum conflictus constitutus, & ejusmodi potestate armatus, atque circumseptus: ut nutantes tunc, & prope collapsæ Occidentis reliquiæ instaurarentur, atque fulcirentur, & his quasi metis simul tyrannis, & furiosæ plurimorum molitiones constringerentur, & amputarentur occasiones turbandi publicas deliberationes, quod tandem perfectum *Carolo IV.* ad Imperii clavum sedente. Etenim is, dissentientibus Electorum suffragiis Imperator electus, post Italicam expeditionem, in Germaniam reversus, Conventum egit Principum celeberrimum, & frequentissimum in Urbe Metensi, in quo re cum præcipuis Imperii Ordinibus sapienter, & multùm deliberata, de antiquis, & recentioribus institutis, atque moribus, ad Imperii, singulorumque Principum decus, & majestatem pertinentibus, in unum contractis, in ordinemque digestis, condidit *Legem Carolinam*, *Aureæ Bullæ* nomine celebrem, quæ leges, & ritus comprehendit in Imperatoris electione observandos: Ordinumque potestati, auctoritati, & dignitati consulit, atque cavet omnia, suo singulis loco, pro ratione circumstantiarum. Inter Principes autem Septemviros, dignitatum gradus idem primus in hunc modum distribuit. Ex Archiepiscopis tribus S. Rom. Imperii legit Cancellarios *Moguntinum* Germaniæ, *Coloniensem* Italiæ, *Trevirensem* Galliæ: ex Principum verò ordine *Palatinum Rheni* mensæ præfectum, *Saxonem* stabulo, *Brandeburgicum* cubiculo: singulos singula præferentes insignia, majestatis effigiem: ita ut *Pomum aureum* gestaret Palatinus; *Ensem* justitiæ vindicem Saxo; *Sceptrum* gubernationis signum Brandeburgicus: *Regem* verò *Bohemiæ* præsidem Imperii honorarium, supremumque haberi arbitrum, & Archipincernam esse voluit. Estque horum Principum inter se æqualitas arithmetica: hoc tantummodo munus Maguntinus habet proprium, ut cæteros convocet, & sententias roget; ipse verò interrogatur a Saxone. Ex hoc tempore Principes Septemviri, privilegiis Cæsareæ amplitudinis paribus donati, titulum electoratus, antea non usque adeò frequentem, officiis, quæ gerunt, addere, auctoritate crescere, & bonis sibi per Imperatores collatis ditari cœperunt: ita ut, nec luminibus ipsorum, quibus antea multitudo aliorum Principum offecerat, quidquam hodie illustrius, nec auctoritate ampliùs sit. Hæc Majolus, qui mihi necessariò quodammodo exscribendus fuit, quòd inter cæteros totam hujusce rei seriem ob oculos clarissimè ponat. Vedesis tamen etiam elegantem ea de re Nicolai Cisneri Orationem, Libellum peculiarem Sim. Schadii I. C. nec non & Michaelis Beuter Animadversiones Historicas, Cap. XIII. & eos, qui de Majestate Rom. Imperii monumentorum aliquid Posteris tradiderunt.

Cur porrò Electores Imperii septenario numero fuerint definiti, rationibus aliquot eleganter adductis, probè factum aperit Andreas Knichen in Commentariis ad jus Saxonicum, Verbo *Electorum* Cap. I. Eo sanè fine constituti videntur ex singulis Ordinibus, Clericis nimirum, & Secularibus, ut per hoc indicaretur Imperium Romanum semper in portu fore, si ex togata & armata militia constitueretur. Unde & Imperium Romanum dicitur Sacrosanctum. Moguntinus enim, Coloniensis, & Trevirensis Archiepiscopi, quòd alios potentia semper antecesserint, Cancellarii ipsius Imperii munere, quod locum Principi proximum obtinet, exornati sunt, eoque pacto inter se in eadem obeunda provincia distincti, ut unus per Germaniam Cancellarius esset, per Italiam alter, per Galliam tertius, licèt deficiente tota Galliæ, & Italiæ parte (qua de re Petrus Hegius) Cancellariorum etiam, qui per Galliam & Italiam instituti fuerant, potestas diminuta sit, adeò ut nihil ferè nisi nomina restare videantur, & omnia, quæ ad Archivum Imperii spectant, in solum Germaniæ Cancellarium collata. Seculares quidem quod attinet, nemo non illos omnium esse Ordinum videt, cùm unus horum sit ex Regibus, unus ex Ducibus, unus ex Marchionibus, unus item ex Comitibus, qui omnium Ordinum, & Statuum Imp. Rom. jus, & dignitatem præ se non obscurè ferunt. Hinc graviter, & eleganter Joannes Sturmius in Dialogis Turcicis, numeri & ordinis hujus præstantiam admiratus, scripsit his verbis. *Quid pulchrius, quid honestius dici, aut cogitari potest, quàm unum ex omnibus Imperii Principibus eligi à Septemviris Imperii, quorum magna in Imperio potentia est, & auctoritas, eaque præcipua post Imperatoriam Majestatem: & hos septem ita designatos esse, ut utrinque terni Imperatori assistant, terni sacri ordinis, terni popularis; ita ut alteris sacræ res curæ essent, alteri populi curationem susciperent, & his septimus advocetur, si in maximis, & gravissimis disputationibus divisa in contrarias partes existerent paria suffragia: tum hisce septem minores Ordines esse assignatos, eodem modo & jure partitos, ut alteri profanis, alteri sacris assisterent: ab his verò utrisque populos, civitates, Comites, Barones, Equites Imperii munera, & commoda hæreditaria accipere; & in his possidendis, atque fruendis in horum Principum patrocinio acquiescere?* Hæc de Electorum Romani Imperii Origine, ac Numero ad hunc locum. *Osius.*

(85) Ferretus auditus ante in primis hujus Rubricæ Notis, de hac ipsa Henrici VII. Cæsaris electione: *Quibus potestas tradita est.* Vecerius: *Quorum legendi Cæsaris jus est.* Pigna lib. IV. de Principibus Athestinis: *Quorum id munus erat.* Quin ob id maximè Septemviri Proceres Imperii Romani, *Electores* dicti, *quod Imperatorem eligendi jus habeant*, ut apertè constat ex Aurea Bulla, Titulis IV. VII. & X. nec id amittant, nisi pecuniam acceperint pro suffragio ferendo. Præter hoc, juris etiam Electorum est, Imperatorem justis de caussis Imperio exuere cum consilio Statuum, ut accidit tempore VVenceslai, qui propter suam ipsius ignaviam per Electores, & Status Imperii Anno MCCCC. die XX. Augusti legitimè depositus est ab Imperio, & omnia rescripta privilegiaque ejus deleta, assentiente, & confirmante postea Rodulpho Comite Palatino Rheni, in ejus depositi locum suffecto pro Romanorum Rege. Alia sunt etiam Electo-

ctorum eorundem jura ac privilegia, de quibus multa egregiè constituta leguntur in laudata Bulla, partes ut illorum sint non tantùm Imperatorem ipsum eligere, vel electum deponere; sed eundem etiam ex capitulatione obligare Imperio, aliaque omnia peragere, quæ ad tutandam Imperii Majestatem spectent. Quamobrem ad eosdem etiam pro oppressorum sublevatione recurri solitum, & querelas de violatione jurium ipsis proferri, exempla superioris ætatis passim docent. At hæc latè, & doctè tractavit Hegius, quem adeant rerum hujuscemodi studiosi. *Osius*.

(86) Difficultatibus multis, & variis involuta sunt, quæ de Jure Præsulum, & Procerum Imperii tradita literis invenimus. Lupoldus, & Balbus Episcopi, Bambergensis unus in Tractatu de Juribus Regni & Imperii Romanorum, Gurcensis alter in libro de Coronatione, clarè testantur jus, & potestatem eligendi Regem Romanorum in Imperatorem promovendum ab Ecclesia Romana pervenisse ad Principes Electores, ut habetur in C. *Venerabilem*, §. *Verum extr. de Eccl.* & *Clementina Romani de jurejurando*. Idque sedente Gregorio V. qui cognita Imperii imbecillitate, varietateque fortunæ, quo diutius apud Germanos summa potestas remaneret, illeque cæteris præesset, qui virtute, & dignitate cæteris præstaret, Sanctionem tulerit de Imperatore eligendo, Othone III. qui tunc Imperium tenebat, non refragante, qua scilicet solis Germanis liceret Principem deligere, ex quo nomen *Electoris* haberent, quique ab his delectus esset appellaretur Cæsar, & Romanorum Rex; ubi verò Romani Pontificis auctoritas accessisset, & ab eodem coronatus foret, tum demum Imperatoris & Augusti nomenclaturam ferret. Totidem ferè verbis hac de Sanctione locuti Nauclerus Volum. II. Generat. XXXIV. Krantzius Lib. IV. Saxoniæ Cap. XXV. Tursellinus in Historiarum Epitome Lib. VII. Platina in Gregorio V. & Haræus in Othone XVIII. Brabantiæ Principe: Divus verò Thomas his aliis in libro, qui de regimine Principum inscriptus est. *Imperium transfertur à Græcis ad Francos, deinde per Adrianum Papam ad Germanos, apud quos per Gregorium V. similiter genere Theutonicum, instituta est electio Imperialis, ut scilicet per septem Principes Alemaniæ fieret, quæ usque ad ista tempora perseverat, & tandiu durabit, quandiu Ecclesia Romana, quæ supremum gradum in Principatu obtinet, Christifidelibus expedire judicaverit*. Firmatur hæc ipsa D. Thomæ sententia his, quæ Platina scripsit in Adriano V. *Adrianus cogitaverat Constitutionem Gregorii de Imperatore eligendo non quidem omnem tollere, sed in meliorem formam immutare*, ut Balbus legit, nam aliter hæc in vulgatis extant: Eademque moverunt Petrum de Ancharano, Zabarellam, Paulum, & alios qui interpretati sunt Clementinam dictam, *Romani* de jurejurando, ut faterentur Imperium prima sui origine à Deo emanare, & eo postea de Græcis in Germanos translato, Pontificem Romanum novæ quasi genituræ habere auctorem, atque parentem, C. *Venerabilem de Elect.* Idem sentiunt Æneas Sylvius ad Gravamina Germaniæ Cap. LXXXI. & Stapletonus Lib. II. de Magnitudine Rom. Ecclesiæ Cap. I. Adeòque ista sententia pervagata est, ut etiam ad Græcos auditione pervenerit, teste Laonico Chalcondyle Atheniensi Libro II. Turcicarum, ubi Germaniæ, & Sigismundi Imp. mentionem habet. Quæ de Lege Regia huc aliqui afferunt, & ad Electores Imperii transferunt, nimis altè repetita sunt.

Ut ut ea se res habuerit, sentire videtur hoc loco Noster cum iis, qui censebant, nequaquam institutionem istam Principum Septemvirorum Romanis Pontificibus adscribendam esse, nec in hoc actu partes ullas eorum esse, quorum in numero Guntherus, qui Imperii Romani leges, & jura non ab aliis, quà ab Othone III. & Carolo M. profecta voluit in his Lib. VII. Ligurini.

—— Et antiquis à Regibus edita jura,
Quæ cum legifero statuit reverendus Othone Carolus

Et Lib. VIII.

Sed veterum leges, edictaque regia longa
Justitio suppressa silent, quæ Carolus olim,
Quæ noster vulgavit Otho.

Et ibidem.

Carolus, & Magni regnum surrexit Othonis.

Non errarit tamen, qui latius hæc *Imperialia instituta* cœperit, de quibus Noster, ut scilicet his comprehendantur jura omnino omnia, quæ faciant ad eligendum Imperii Caput, sive illa solis è Cæsaribus de consilio Procerum Germanorum, sive ex ipsis etiam Romanis Pontificibus emanarint. *Osius*.

(87) *Moguntinus* alii. Nempe scribebant una, vel altera ratione. Prima facie ut Noster scripsere Lupoldus Cap. III. Tractatus de Jur. Regni, & Imp. Rom. *Sunt enim quatuor Principes Electores Imperii in hac Francia, scilicet Maguntinensis, Trevirensis, & Coloniensis Archiepiscopi; item Comes Palatinus Rheni*. Et alibi de Pipino. *Per manus Bonifacii Archiepiscopi Maguntinensis elevatus est in solium Regni, in Suessionum civitate*. Anonymus MS. qui de Carrariensibus scripsit. *Maguntinus Archicancellarius Imperatoris*. Joannes à BeKa in S. Bonifacio, Vltrajectensis Ecclesiæ Episcopo II. *Et quoniam Maguntinensis Antistes diebus illis obdormivit in Domino*. Et paullò post: *Igitur idem Venfridus Maguntinensis urbis Pastor electus pro pontificali benedictione Romam ascendit, &c.* Annalium Dominicanorum Colmariensium Scriptor, ad Annos MCCLXXXVIII. *Rex Rodulfus congregavit exercitum, ut obsessum castrum Magontinensi Archiepiscopo liberaret. MCCLXXXXII. Prima Maji Electores reliqui electionem in Maguntinum tum præsentem transferunt. Maguntinus Comitem Adulfum de Nassovv, cognatum suum eligit. MCCXCIX. Dominus Archiepiscopus Maguntinus in mensa sedens, & lætus velociter expiravit, & MCCCI. circa Kalendas Junii cœpit Albertus Rex Rom. infestare Archiepiscopum Maguntinum, &c.* Otho Magnus in Diplomate apud Keriandrum in Commentariis historicis Augustæ Treverorum Part. XI. *Proinde agnoscat omnium fidelium nostrorum conventus, qualiter nos Proceres nostri adeuntes, scilicet Magonciacensis Episcopus Federicus, &c.* Nec temerè *Maguntinum* isti hunc Antistitem vocavere. Nam & Urbs ipsa, cujus Sacris præerat, *Maguntia* non paucis dicta, quam alii *Moguntiam* dicere maluerunt. Venantius Fortunatus Lib. IX. Carm. IX. ad Sidonium Maguntiacensem Episcopum:

Reddita ne doleas felix Maguntia casus;
Antistes rediit, qui tibi ferret opem.

Et apud eundem Lib. II. Epigraphe Carminis XII. ita se habet: *De Baptisterio Maguntiæ*. Jo: SchecKmannus in Medulla gestorum Trevir. Cap. IX. *Quod ea causa factum putant, quoniam consenserit in expulsione Monachorum Maguntiæ ad S. Albanum*. Alia facie vocatum ejus Urbis Antistitem videre est in Othone Frisingensi Lib. I. Federici Primi Cap. XIII. Langio in Chron. Citizensi, Nauclero, Auctore anonymo Notarum ad Martyrium D. Abundii, aliisque multis, quorum scripta operæ nullius fuerit hic afferre.

Fuit autem Maguntinus Antistes, quo de hic sermo, *Petrus de Achtzpalt*, sive *de Archspaldio*, sive *de Aspbelt*, sive *de Caliga*, ut aliis placet, ex Treveri oriundus, antea Medicus Henrici VII. Cæsaris, Comarchæ tunc temporis Lucemburgi, cujus in Archiepiscopatum Maguntinum evectio sic à Trithemio proditur in Hirsaug. ad ann. MCCCV. quo illam contigisse ferunt. *Ad hunc Clementem Papam Henricus Comes Lutzenburgensis, Pictavis commorantem, misit Magistrum Petrum de Achtzpalt, medicum suum expertissimum, pro Archiepiscopatu Moguntino, qui eo tempore post Gerhardi Archiepiscopi obitum vacavit (sicut jam diximus) fratri suo Baldevino impetrando. Qui cùm in Gallias ad Pontificem venisset, legationem Domini sui Comitis memorati exposuit, & pro impetrando Archiepiscopatu Moguntino fratri Domini sui prædicto preces multiplices effudit. Sed Papa causis allegatis complurimis noluit exaudire precantem, & Ecclesiam Moguntinam dare Baldevino Comiti recusavit. Contigit autem interea ipsum Pontificem graviter infirmari, qui arte, & ingenio ejusdem Petri curatus, de consensu Cardinalium, eum in Archiepiscopum sæpe dictæ Ecclesiæ Moguntinæ ordinavit; datisque literis & provisionibus necessariis, ipsum cum pallio ad Moguntiam remisit: quem Clerus unà cum*

Digitized by Google

cum universo populo, mandatis Apostolicis obedientes, cum honore, & reverentia susceperunt, & in possessionem Ecclesiæ Moguntinæ pacificè admiserunt. Erat enim vir doctus, & magnificus, ipso Pontificatu dignus, qui multa in Synodis utilia moribus statuit, præfuitque strenuè annis XV. Audiens hæc Henricus Comes Lutzenburgensis, qui illum pro suo fratre Baldevino ad Papam miserat, iratus est, quamquam divina factum ordinatione totum postea confiteretur. Nam procuratione ejusdem Magistri, & Baldevinus postea factus est Archiepiscopus Treverensis, & ipse Henricus Rex Romanorum, sicut dicemus. Narrantur hæc eadem a Joanne SchicKmanno in Medulla gestorum Trevir. Cap. IX. his omnino verbis: *Juvat rem Treverensium laudem exprimentem inserere. Circa id temporis erat quidam Petrus de Caliga dictus, ex Treveri oriundus. Hic cùm esset Doctor Juris, Medicinæ Physicæque habebat peritiam. Missus fuit Romam pro obtinendo pallio Maguntinensi Archiepiscopo jam noviter electo. Aliquandiu morans, ad conspectum nequierat venire Pontificis. Audit infirmari Papam forti febre, petit se admitti: observat quodnam sit febris genus, datque medium: & sanatur Papa Treverico medico, quem omnes Physici Romani curare non poterant. Miratur Pontifex Maximus, & collaudat hominem: quare venerit, quid peteret percontatur. Ille, Beatissime Pater, inquit confirmationem peto pro Electo nuper Maguntino Episcopo. Pontifex ad hæc. Petre roga pro te, & quare tibi ipsi non impetras. Ille, Domine Pater, non sum dignus. Tum Pontifex, dignum te facimus. At ille; ea propter missus non sum. Pontifex; nihil officit. Ego te constituo Archiepiscopum Moguntinum: Esto potestatem habens super sedem illam: Fer curam: Te excusabo. Tum confirmatus, consecratus, & benedictus ad Moguntinos missus est, arctissimo vinculo amicitiæ Baldevinus illi Petro connexus erat non Archiepiscopo; facto sit tum conjunctior.* Habet his quid amplius Argentinensis in Chronico: mortuo nempe Petro Divitis Episcopo Basiliensi, Petrum hunc de Treveri Physicum per Sedem in Episcopum Basiliensem; inde occasione artis Medicæ in Archiepiscopum Maguntinum, fuisse promotum, suffecto in Episcopatu Basiliensi Othone de Grandisone Gallico. Idem in Munsteri Episcopatu Moguntino leges. Præfuit autem Ecclesiæ Maguntinensi Petrus annis XV. (XVI. alii) vir sagax, industrius, & qui multas Constitutiones edidit. Ecclesiam suam satis magnificè rexit, Carthusiam extra muros Maguntinos de novo fundavit, & Collegium Canonicorum Ecclesiæ S. Catharinæ in Oppenhein (quam illi Civitatem Imperialem in pignus postea dedit Henricus VII. Augustus, ut auctor est Nauclerus) primus instituit, & dotavit. Eo mortuo Anno MCCCXX. sive MCCCXXI. Canonici Maguntini Baldevinum Archiepiscopum Trevirensem in suum Antistitem postularunt: sed Joannes XXII. Pontifex recusans eorum postulationi præbere consensum, eis in Archiepiscopum dedit Matthiam de BossecK, Monachum Ordinis S. Benedicti, professum Cœnobii Morbacensis, supra laudato Trithemio teste in utroque Chronico ad Annos MCCCIV. & MCCCV. Langius enim in Chronico Citizensi triennio post Petrum Archiepiscopum Moguntinum, Anno nempe MCCCXXIV. obiisse tradit.

At cur primo loco laudatus à Nostro ex omni Electorum Rom. Imperii numero Moguntinus? Ea re maximè, quòd illi de jure vetusto concessa prima vox in electione Romani Regis. Guntherus Ligurini VI.

—— ad Proceres electio pertinet, in qua
Præcipuam vocem Præsul de jure vetusto
Moguntinus habet.

Præcipuam, inquam, *id est primam*, ut indicat Radevicus. Et hæc olim. Nam hodie postremam habet, ut apparet ex Capite Constitutionis Carolinæ, quam Auream Bullam vocant, de Principibus Electoribus in communi. Primus autem Elector Moguntinus fuisse dicitur Villigisus, cujus ergo Moguntini Archiepiscopi insigne etiamnum hodie sit Rota, ut ostendam infra.

At cur olim Moguntinus Antistes donatus primæ vocis prærogativa in eligendo Romanorum Rege? Factum id asserit Aventinus, & ex eo Claudius Faulchet in Carolo M. ob Pipinum Francorum Regem elevatum in solium per manus Bonifacii Archiepiscopi Moguntini, & eo merito prærogativam Moguntinæ Sedis, jus eligendi Germaniæ Regis, & primæ vocis in electione adeptum. Hinc illa clarissima Lupoldi Beenburbegensis Epis. in Tract. de juribus Reg. & Imp. Rom. Cap. XII. *Pipinus à Francis electus in Regem, per manus S. memoriæ Bonifacii Archiepiscopi Maguntinensis, elevatus est in Regni solium in Suessionum Civitate. Dictus verò Hildericus, qui falsò Rex dicebatur, attonsus est, & in Monasterium missus, prout hæc omnia in Chronicis Eusebii, Francorum, Godfridi, & Martini prædictis, ac etiam in vita B. Burchardi Episcopi antedicti planè narrantur.* Accedit his calculus Keriandri Part. VI. extrema Commentariorum Augustæ Treverorum. *Cùm sub Hylderico ultimo, passim etiam tum externis hostibus Regnum tentantibus, Francos tædere cœpisset. Pipino autem aulæ Præfecto ob eximias virtutes Regium nomen destinaretur, is ejus rei causa Legatos ad Zachariam Pontif. Romanum misit, percunctatum, fasne esset, & liceret Francis, Germanisque Rege socorde, ac inutili repudiato, creare sibi alium, qui pace belloque populum gubernare: conjuges, liberos, parentes, omnium denique vitam, & fortunas tutari, ac defendere valeret. Id Pontifex per exempla, scriptaque Sacræ Historiæ licere respondit, simulque D. Bonifacio Maguntino Archiepiscopo, commissis illi hac in re partibus suis, per litteras aperuit. Quæ cùm in conventu Procerum Maguntiaci reddita, reversique Roma Legati auditi fuissent, sic ad Augustam Suessionum in dicto Concilio, ibi Regium nomen Hylderico abrogatum, Pipino tributum est: quem mox deductum in Templum D. Bonifacius ritu solemni inunxit; eaque propter Maguntinus Archiepiscopus deligendi Imp. Germani, quem Regem Romanorum vocant, primas hactenus tenere creditur.* Adstipulatur his allatæ vulgari sententiæ Keriander, sed dubiè, ut apparet. Dubitat etiam de Aventini fide, qui hoc ipsum testatus est, Freherus in Notis eruditissimis ad Lupoldum, nec caulam suæ dubitationis affert. Crediderim ego fuisse illam, quòd non nisi sub Othone III. primus omnium ex Diœcesi Maguntina Septemvir fuisse perhibeatur Villigisus, præceptor ejus, quo auctore Ordinem Septemviralem instituerat. Unde etiamnum hodie (ut innuebam supra) Archiepiscopatus Moguntinensis insigne Rota perduravit, quod Villigisus, ut suæ conditionis, qua natus erat, patre rhedario, ex pago Saxoniæ Schoningen, memor esset, Rotam multis in locis depictam sibi velut imaginem modestiæ probandæ proposuit cum hac Inscriptione. *Villigis Villigis recole, unde veneris, & prioris fortunæ memor, qui nunc sis, considera.*

Quæ cùm dubia sint, & suos utrinque habeant fautores, oppugnatoresque, non alia ego de causa factum fuisse censuerim, ut Maguntinus Antistes primus olim in Electione Romani Cæsaris suffragium ferret, quam ipsammet præstantiam Maguntinæ Sedis, qua longè supra Diœceses reliquas emineret. Fuit enim hæc olim Metropolis in Germania prima, stativis Legionum Romanarum; Prætorio Ducis ripæ, seu limiti imperantis; Religione demum, & Christiani populi Martyrio longè clarissima: jam inde verò sub Francis è ruinis emicans, & mox à S. Bonifacii reparatione efflorescens, petmultis & Ecclesiis mater esse cœpit, & Provincialium Episcoporum obsequiis majorem in modum meruit etiam frequentari. Ea re Maguntinæ Ecclesiæ, uti Principi reliquarum, ex spolio Caroli M. præter alia pretiosissima munera, Crux Benna contigit, cui erat insculptus versiculus,

Auri sexcentas tenet hæc Crux aurea libras,

Mille nempe CC. auri marchas, quam Conradus Episcopus Moguntinus suo in Chronico, cum reliqua Donariorum ejusdem Ecclesiæ multitudine infiniti pretii descripsit. Bonifacius quidem Geboblibi Moguntini Præsulis exauctorati ob cædem hostis, militiam, aves, canes venaticos, &c. successor, Legatus Germaniæ per Zachariam Pontif. designatus est, & ejus successores omnes Archimystæ Franciæ perpetuò declarati. Lege quoque sancitum

fuit tunc temporis, Moguntiacum semper fore Francorum, & Germaniæ caput, atque Metropolim, id quod Carolomannus, & Pipinus postea edicto perpetuo roborarunt. Inaugurabatur etiam à Moguntino, ob ejus dignitatem, Bohemiæ Rex, quod juris in Pragensem postea translatum accepimus à Carolo IV. Parco pluribus Moguntiæ decora commonstrare supra reliquas Diœceses, quòd existimem, nihil hac in parte prætermissum à Serario, immensi ingenii, doctrinæque multijugæ viro, in libris Moguntiacarum rerum emissis in lucem. Nondum enim ii se se nostris luminibus obtulere. *Osius*.

(88) *Archiepiscopus* aliis LVII. Moguntia siquidem Archiepiscopatus est, cui duodecim Episcopi tanquam suffraganei subsunt, Argentinensis, Spirensis, VVormatiensis, Herbipolensis, sive VVrceburgensis, Augustanus, Constantiensis ad Lacum Podamicum, Curiensis Rhætorum, Eichstetensis sive Dryopolis ad flumen Alemanum, Halberstadensis, HildesKeimensis, Padebornensis, & Verdensis. At olim, vel ipsos Ecclesiarum principum Antistites modò *Archiepiscopi*, modò *Episcopi* titulo, sinè ullo discrimine, liberè denotabant, & signatè Moguntinum ipsum. Anonymus auctor Annalium Dominicarum Colmariensium ad An. MCCCI. *Archiepiscopus Moguntinensis, Archiepiscopus Coloniensis, & Archiepiscopus Treverensis Alberto Regi Rom. Castrum Reinsperg post Regis recessum obsederunt. Quod ut Rex intellexit revertitur, & Episcopi recesserunt*. En ut in fine unius ejusdemque brevis verborum ambitus unus & idem Scriptor *Episcopos* vocat, quos ante non multò *Archiepiscopos* nominarat? Sed & aliis Moguntinus Præsul modò Episcopus, modò Archiepiscopus appellatus. Joannes SchecKmannus in Medulla Gestorum Trever. Cap. IX. *Beatissime Pater, confirmationem peto pro Electo nuper Maguntino Episcopo*. Et mox ore Pontificis respondentis. *Ego te constituo Archiepiscopum Maguntinum. Episcopum*, qui eundem tantùm dixerint, ut fecit Noster, hi mihi in promptu. Anonymus Erphesfordiensis, Scriptor Historiæ Landtgraviorum Thuringiæ Cap. VIC. *Ideo Episcopus Moguntinus, Landtgravius Hassiæ, Marchio Misnensis, Castrum, & Civitatem discordiam obsederunt, & ceperunt anno Domini MCCCXXVIII.* Et Capite sequenti: *Tandem aliquibus annis transactis, Erffordensibus in sua pertinacia manentibus, Fridericus Marchio ob favorem Ecclesiæ Dei, & Episcopi Maguntini, & ad mandata Imperatoris, collegit aliquem exercitum*. Otho Magnus in Diplomate anni DCCCCXLVI. ad Ruthbertum, sive Robertum LXIX. Trevirorum Antistitem apud Keriandrum Part. XI. Com. Augustæ Treverorum. *Proinde agnoscat omnium fidelium nostrorum conventus, qualiter nos Proceres nostri adeuntes, scilicet Maguntiacensis Episcopus Fredericus, &c.* Brovverus in Scholiis ad Poemata Hrabani Mauri, pag. mihi 134. *Sed illam Civitatis gloriam facilè nobis, opinor, incolæ condonabunt, cùm etiam Villigiso sedente Moguntinæ sedis Illustri Episcopo, cujus liberalitate Cleri fortunæ majorem isthic in modum auctæ, Civitatis, vel Oppidi nomen haud meruerit*. Osius.

(89) *Vassallus*. Duplex enim est Fidelitas, una, quæ à Vassallis, & quasi Vassallis; altera quæ à Civibus præstatur. Federicus in Lege de Pace Constantiæ. *Vassalli nostri à nobis investituram recipiant, & fidelitatem faciant, sicut Vassalli; cæteri omnes sicut cives à XVI. annis usque ad XX.* Præstabatur autem jurejurando. Unde *sacramentum fidelitatis* apud Radevicum Lib. II. Cap. XX. & *jusjurandum fidelitatis Vassallaticæ*, quod ab Imperatore Papa contendit in Cap. I. de Jurejurand. in Clem. Fulbertus Garnot. Episcopus Epist. LXXXV. *Fidelitatem dicimus jusjurandum, quod à Vassallo præstatur Domino*. Urspergensis sub anno MCXCI. *Procurante Imperatore, factum est, ut Principes Alemaniæ pæne omnes filium parvulum ipsius, adhuc in cunis vagientem, assererent in Regem, & ei fidelitatem jurarent*. Et in Vita Pipini Regis. *Illuc & Tassillo Dux Bajoariorum cum Primoribus gentis suæ venit, fidelitatemque tam ipsi Regi Pipino, quàm filiis ejus jurejurando promisit*. Ptolemæus Lucensis ad an. MCXXVI. *Hic vadens in Aquilam, & malitiam Baronum cognoscens, Rogerium Siculum, facto sibi homagio, juramento fidelitate firmato, ipsum de Ducatu Apuliæ, & Siciliæ investivit*. Et ad annum MCLVIII. *Isto eodem anno Rex Guillielmus Ecclesiæ facit homagium, & Adriano juramento fidelitatis se obligat*. Capitula Lib. III. Cap. VIII. *Ut nulli alteri per Sacramentum fidelitas promittatur*. Habesque hujus Sacramenti formulas in Glossario Fed. Lindenbrogii ad Cod. Antiq. Legum. Inde *Fideles* iidem, qui *Vassalli*; qui scilicet feudo accepto in Patroni fide, & clientela sunt; vicissimque suam ei certi obsequii nomine fidem adstrinxerunt, uti Fidelitas ipsum Vassallitium est.

Rectè verò *Homagium* cum *Fidelitate* nectitur. Homagium enim idem est quod *Ligium hominium*. *Ligium* autem à *Leode* deducitur, quæ fides est, sicuti *Leudes*, de quibus Idacius in Appendice Gregorii Cap. LXXXVII. Aimoinus Monachus Lib. III. Cap. LXXXI. Leges Goth. Lib. IV. Tit. V. & signatè apud Gregorium Turonensem Lib. IX. Cap. XX. in pactione Regum apud Andelaum, dicuntur ii, qui fideles Regis sunt, nullique, præterquam Principi obnoxii, quos sequens ætas *Barones* dixit. Unde etiam feudum, *Leudum*, sive *Leben* hodie quoque Germani vocant, quod ab incomparabili Cujacio initio Feudorum, & alibi observatum scio; etsi non desint, qui inter *Homagium*, & *Fidelitatem* id existiment discriminis intercedere, quod *Homagium* de temporalibus, *Fidelitas* de Spiritualibus præstetur. Sed Homagii species variæ hanc difficultatem tollunt. Homagium sanè vel ab *Hominio* generaliter sumpto nihil omnino differre censuere multi, cùm *Hominium* nihil sit aliud, quàm veneratio, quæ Patrono à Vassallo tribuitur, accepti beneficii gratia, cùm Vassallus eo se nomine hominem, idest clientem ipsius fore profiteatur. Ea propter Jo. Picardus in Notis ad Lib. III. Epistolarum Anselmi, in illis Epist. XLV. Paschalis ad Anselmum. *Indignum est igitur, ut Clericus, qui jam in Dei sortem est assumptus, & jam Laicorum dignitatem excessit pro terrenis lucris hominium faciat Laico, ne fortè dum reperitur servi secularis obnoxius, vacet, aut gravetur Ecclesia*: idem esse ait *Hominium*, quòd *Homagium*, & præterea notat aliquando dici de eadem re *hominatum facere*, & *esse hominem*, & *fieri hominem alicujus*; hæc enim omnia propria Vassallorum sunt. Verùm enim verò reperti sunt etiam, qui Homagium ab Hominio sejunxerint ex eo, quòd Homagium Hominio posterius sit. Albertus reipsa Krantzius in ea fuisse sententia videtur, cùm scripsit Lib. III. VVandaliæ Cap. XXXVI. *Cæsarem immenso auro in satisfactionem, & hominium, quod nunc vocant homagium, præstito, indemnitatem coemit*. Immo etiam ex eo, quòd Hominium veneratio quædam planè servilis sit; Homagio verò adstringantur Vassalli tantùm, non Servi, sed αντίδουλοι, ut Æschylus vocat. Capit inde robur hæc sententia, quòd in Longobardorum libris, & alibi, *Homines* pro servilis conditionis hominibus accipiantur, ut apud Græcos interdum ἀνθρωποι (quemadmodum videre est apud Constantinum in Oratione de administrando imperio) procuratores scilicet prædiorum, clientes, custodes, conductores, emphyteuticarii, chartularii, à Græcis Προβήκοντες, & Διαφέροντες dicti. Joannes VIII. Pont. Anselmo Episcopo Epist. CCXCIX. *Quidam sceleratus Longobardus nomine N. homo VVidonis Marchionis*. Helmodus in Hist. Slav. Cap. LXVIII. *Quicunque voluisset fieri homo Etheleri, veniebat, ut acciperet byrrum, clypeum, vel equum*. Et mox: *Sicubi reperti fuissent homines Etheleri, aut renuntiarent hominio, aut provincia secederent*. D. Augustinus Epist. LVI. *Homo tuus*. Ennodius Ticinensis Epist. XXIX. Lib. IX. *Domine mi, salvationis servitia dependens, rogo, ut portitorem præsentium, hominem meum, Deo vobis inspirante ad meum effectum Eminentia vestra jubeat commeare*. Jo. BeKa in Federico II. Episcopo Ultrajectensi XLIII. *Castrenses namque de Lienden, homines sui Episcopatus exactionantes, pro magna parte Castrum Dullenburch incenderunt*. Sic in L. *fin. C. ut nullus ex Vican. De suo jure vel per se, vel per homines suos non crediderit actitandum*. Erat ob id Hominii nota, ut dextras tantùm in fœderibus jungerent; plerumque etiam, ut dextris aversis osculum præberent; interdum, ut ambas

Digitized by Google

bas manus junctas Patrono contrectandas darent, supplicum & deditiorum more, qui relatas manus porrigebant. Sed hos nodos omnes facili negotio solvit Vir omnino magnus Jac. Cujacius in Observationib. Lib. VIII. Cap. XIV. aliique multi allata multiplici specie Hominii, *Obsequialis*, scilicet, *Feudalis*, & *Socialis*, quibus aliqui *Vadaticum* addunt.

Homagium ita sanè describitur apud Jurisconsultorum patres. Homagium est adstrictio servitutis facta Domino per pactionem, promittente homine libero fidelitatem. Sicque videmus etiam in re Dæmoniaca factum apud Cæsarium in Historia illustrium Miraculorum, ut cùm ait Lib. I. Cap. XXXII. *Contigit, ut die quadam infirmaretur, & ecce Satan adfuit, qui diceret ei, vis mihi facere homagium* (idest, te mihi adstringere) *& ego tibi dabo scientiam omnium literarum?* Et in eodem Capite. *Non ut ei faceret homagium consentit*. Et Lib. V. Cap. LVI. *Ad quod Diabolus: Fac mihi homagium, & ego te deponam, daboque tibi divitias multas*. Hominii, & Homagii humani exempla, præter allata superiùs ex Paschalis Epistola ad Anselmum, Libro III. Vandaliæ Krantzii, & Helmodi Cap. LXVIII. Hist. Slav., hæc alia occurrunt. Et Hominii quidem talia mihi sponte suggerunt Federicus I. Imp. ad Othonem Episcopum Frisingensem. *Hominio, & fidelitate nobis facta, coronam Regni de manu nostra Petrus Rex Danorum suscepit*. Otho ipse libro Federici primo Cap. XX. *Ad pedes Imperatoris, satisfactionem offerens, humiliter Dux venit, hominiumque sibi cum sacramento fidelitatis exhibens, Ducatum ab illo suscepit*. Radevicus Lib. I. Cap. II. *Tunc ad Curiam venientes, Friderico fidelitatem fecerunt, atque hominium, & beneficia sua de manu illius reverenter susceperunt*. Et Lib. II. Cap. Adriani Papæ, de concordia inter ipsum, & Federicum Primum. *Episcopos Italiæ solum sacramentum fidelitatis sinè hominio facere debere D. Imperatori*. In Epistola etiam Emmanuelis Græcorum Imperatoris apud Krantzium Lib. VI. Saxoniæ Cap. XXXVII. ita scriptum est. *Sultanus Imperio nostro se dedidit, & missis Legatis misericordiam postulavit; fecitque imperio nostro hominium, & juramenta, pollicitus servire nobis adversùs omnem hominem, ita ut sit amicorum nostrorum amicus, & hostis inimicorum*, ut scias Hominiorum institutum in ipsam quoq; Græciam posterioribus seculis irrepsisse.

Homagii voce longè plures usi: at hi in primis. Segebertus in Chron. An. MCLXXVI. *Rex Scotiæ pacificatus est cum Rege Angliæ hoc modo. Fecit homagium ei de omni terra sua*. Et mox. *Et concessit ei, ut omnes Episcopi, & Abbates hoc idem facerent. Episcopi verò, & Abbates homagium non fecerunt; sed sacramento se constrinxerunt, se hoc observaturos*. Argentinensis. *Ascendens autem* (Henricus VII. Augustus) *homagia, & fidelitatem Dominorum, & civitatum capiens, cùm non abundavit, concepit in Italiam proficisci*. Trithemius Cap. XX. *Eodem die Federicus Coloniensem civitatem ingressus, cum honore magno suscipitur, & homagio fidelitatis suscepto per dies septem commoratus, &c.* Ptolemæus Lucensis ad An. MLXXI. *Quia dicta terra manualiter erat Ecclesiæ tradita per Constantinum, & Carolum M. ideo volebat Ecclesia, ut dictam terram Robertus ab ipsa recognosceret, & de ea homagium faceret*. Petrus Blesensis Epist. CII. *Detestabile quippe est in Monacho, ut sub quocunque coloris habitu, honore, aut titulo potestatis habeat feuda, servos, & ancillas, homagia, & fidelitates*. Charta S. VVilhelmi Regis Scotiæ producta à Dempstero Lib. I. de Juramento Cap. XI. *VVilhelmus, Dei gratia Rex Scotiæ, devenit homo Ligius Regis Angliæ contra omnes homines non de Scotia; sed de omnibus terris suis, quas habet in Anglia; & fidelitatem ei fecit, & ligio Domino suo, sicut alii homines ipsi facere solent, similiter fecit homagium Henrico filio Regis, salva fide Domini Regis patris sui*. Jo: a BeKa in Andrea, Episcopo Ultrajectensi XXV. *Ministeriales verò jam dictæ juvenculæ, Florentii probitatem intuentes, decreverunt omnes eidem homagium exhibere*. Othone III. Episcopo ejusdem Sedis XXXVI. *Accedentes quoque singulatim Primates ad regale solium, præstiterunt eidem debitæ fidelitatis homagium*. Joanne II. Episcopo XL. *Comes autem pro sumptuosis laboribus ab iisdem complicibus fidelitatis acceptaret homagia*, Ludovicus Bavarus, initio Epistolæ ad VVilhelmum Hollandiæ Comitem, apud eundem BeKam in Joanne III. Episcopo XLV. *Cùm ex divinæ largitatis munificentia longè plures civitates, & Castra nobis, quàm D. memoriæ quondam Henrico prædecessori nostro fidelitatis homagia præstiterunt*. Carolus IV. Bullæ aureæ Cap. XXIII. *Terræ districtus, homagia, vassallagia, & alia quævis ad ipsa spectantia, scindi, dividi, seu quavis conditione dimembrari non debeant*. Leonhartus Presbyter in Chron. Bavariæ. *Civitates autem Bavariæ, quarum principalior fuit Amberg, puero homagium fecerunt, procurante patre ejus*. Magni denique Chron. Belgici Concinnator in Hollandicis Anni MCCCLXXVIII. *Quo facto præstabatur homagium magna cum lætitia per annos dictos Comitatus*. Et ut finiam, habes ex his non tam proprias *Fidelitatis*, *Hominii*, & *Homagii* notiones, quam uberem interpretationem ejus, qui alteri *fidelitatis homagio sit astrictus*. Astrictus autem Henrico Comiti Lucemburgensi Moguntinus hoc pacto, quòd ejus ex Curia prodiisset, ut in eo ostensum supra ex Trithemio, & SchecKmanno; aliisque fortè nominibus, quæ nos latent. *Ossus*.

(90) Balduinum intelligit, Henrici, quo de hìc scribitur, fratrem. Recurre ad Notas Rubricæ proximè præcedentis.

Ut infra Rub. VII. Lib. II. Rub. IX. Lib. V. & Rub. VI. Lib. XIV. Habent nihilominus Codices aliquot MSS. *Episcopo*, quod omnino non placet. Licèt enim olim non semper *Metropolitani* (quorum in numero Treverensis, cujus suffraganei sunt Metensis, Dolanus, & Virdunensis) *Archiepiscopi* dicerentur, ut ante mox vidimus in Maguntino, & præsertim in Occidente, ubi soli initio Patriarchæ hoc titulo soliti designari: & *Balduinus* Trevirensis Præsul in Charta Curialium Henrici VII. Cæsaris Augusti, grato penes me munere Munificentissimi Serenissimæ Reip. Venetæ Senatoris, *Dominici Molini*, disertis *Episcopus*, non *Archiepiscopus* literis appelletur; multò tamen ante illius tempora Trevirensis ejusdem Ecclesiæ Præses sibi Archiepiscopi titulum vendicarat. Cùm enim post Valentinum ab Euchario Treverorum Episcopum XXVI. annis novem vacasset Episcopatus, instantibus apud Sylvestrum Pontificem Rom. D. Helena Augusta, ejusque filio Imperatore Constantino Magno, eò missus est Agritius Antiochenus Patriarcha cum Primatis, & Archiepiscopi titulo, idque fundatæ Treverorum urbis Anno MMCCCLXXXIV. Romæ conditæ MXLIV. Christi CCCXXXIII. Imperii Constantini Magni XXIII. Pontificatus Sylvestri XIX. Olympiadis CCVII. ut habetur in literis Agritio à Sylvestro datis. Paullò obscuriùs hac ipsa de re Matthias Stephanus Pomeranus in Tractatu de Jurisdictione Lib. III. Part. I. Cap. VII. *Trevirensis Archiepiscopatus ita dicitur à Treveri civitate, in qua tempore Regum Francorum cœpit esse Archiepiscopatus ex Episcopatu Trevirensi*. Talis itaque titulus jure, ac meritò præfixus Nuncupatoriæ Epistolæ Lupoldi Bebenburgensis Episcopi ad Balduinum ipsum. *Reverendissimo in Christo Patri, ac Domino Baldevino S. Trevirensis Ecclesiæ Archiepiscopo, sacrique Imperii per Galliam Archicancellario, &c.* Septemviralis autem dignitas videtur ab initio statim per Othonem III. autorem, & fundatorem ejus, ad hujus Ecclesiæ Archiepiscopatum translata, quanquam ordo ille Electorum, qui nunc est, servatus non fuerit. Datus demum a Nostro Archiepiscopo Trevirensi locus à primo primus, ob illius Ecclesiæ primatum inter Ecclesias cæteras Galliæ, quo de primatu Lupoldus in Nuncupatoria laudata nuper, Keriander passim in Commentariis Augustæ Treverorum, & ante utrunque Venantius Fortunatus non uno in loco, & post omnes Clariss. Brovverus. Quid quod olim jus coronandi Imperatorem spectabat ad Trevirensem, quòd Ecclesia ejus cæteris antiquitate præstaret: Coloniensis autem hodie id officii fungitur, quòd & Consecratio, & Coronatio in suis finibus fiat, ut Hervvartus refert in Ludovico Bavaro defenso Lib. I. Cap. VI. ex Sigo-

Sigonio Lib. VII. de Ital. Regno. *Osius*.

(91) Licet ad eum, uti vidimus ex Majolo in Electorum Nota, ex proprio munere pertineret non tam Electores reliquos cogere, quàm rogare sententias eorundem. *Osius*.

(92) Federicum in primis Alberti filium, & Rodulphum Bavariæ Ducem ex Ferreti scriptis. Fuerunt etiam, qui Philippum Pulchrum Francorum Regem dignum Imperio judicarent, & qui Carolum illius fratrem. *Osius*.

(93) *Intra octo dies, postquam Pontificis Nuncius applicuit*, Nauclerus. *Osius*.

(94) Nauclerus idem Vol. II. Generat. XLIV. *Interfecto Alberto secundùm Chronicam Florentinam anno MCCCVIII. Electores Imperii erant in magna altercatione de eligendo*. Paulus Æmylius Veronensis in Philippo IV. *Proceres Germani in deligendo Cæsare contrariis studiis scindebantur. Perdiu interregnum tenuit. Tandem Henricum Comitem Luceburgensem delegere*. Georgius Merula in Vicecomitibus. *Coivere subinde Proceres, ut Cæsarem novum crearent. Discordes erant animi, studiaque contraria, nec quem unum rebus præponerent, satis inter se conveniebant*.

Caussa verò potissima dissensionis hujuscemodi Philippus Galliæ Rex, inhians ipse Romanorum Regno, vel certè curans id ipsum Carolo Valesio fratri, Lehmanus in Chronico Spirensi Lib. VII. Cap. X. *Post Regis Alberti obitum sparsa erat in Imperio fama de Electorum in Romani Imperatoris electione dissensu, quem tempora iniqua exciperent. Hanc discordiam amplis Largitionibus, & promissis seminavit, ac promovit Philippus Galliæ Rex, quum totus ad Imperium adspiraret, eaque de caussa ad Clementem V. Pontificem Avinionem iter institueret, ut coram negotium pertractaret*. H. Mutius Lib. XXIII. Chronici Germanorum initio. *Post occisum Imperatorem Albertum, Imperii Electores Francofurdiæ convenerunt. De eligendo Imperatore multa controvertuntur. Rex enim Galliæ Philippus turbabat eos: quosdam enim ex Principibus pecunia corruperat (nam ambiebat Imperium) & in certam spem ductus erat ab iis, quibus munera dederat. Totis igitur viribus hoc agebat Rex*. Bertelius in Historia Luxemburgensi pag. 45. *In tantum porrò successu temporis Henricus noster in virtute, prudentia, & rerum gerendarum peritia profecit, ut fama ejus usquequaque per Germaniæ fines diffusa, omnium voto in Romanorum Imperatorem exoptaretur, nec verò frustrati sunt suo desiderio. Nam etsi Philippus Valesius Caroli F. Franciæ Rex, ei hanc gloriam magno molimine præripere conaretur, multumque fiduciæ in Summo Pontifice tum temporis Avinione agente collocasset, &, ut certius ejus in hoc favorem aucuparetur ampliorem, sex ei millia hominum in obsequium destinarat: etsi inquam Philippus prælibatus nostri Henrici promotionem impedire, suam verò istis mediis moliretur procurare, Deo aliter disponente, anno Domini MCCCVIII. Francfordiæ, ipsis D. Catherinæ feriis, à septem viris Electoribus in Regem Romanorum electus est, ex quo Regis Galliæ consilia omnia in eam rem impensa in nihilum fuere deducta*. Hinc Noster Epist. V. ad Jambonum de Andrea, quæ est de adventu hujus Henrici in Italiam.

Jambone rumores audis Aquilonis ab oris,
Expetat Italiam quòd Rex Germanus, & omnis
Ab Rhodano longum quæ lustrat Theutonis Istrum,
Augustum Diadema petit, quod Papa secundus
Annuit, & Magni nulla est contentio Galli.

Unus itaque Vecerius, quod meminerim, Philippum Gallorum Regem hac nota liberat, eamque in Germanos ipsos Principes transfert. Ita nempe Scriptor is disserit ad ann. MCCCVIII. *Rege Romanorum Alberto per insidias nepotis occiso, nuntiatum est, Principes, quorum legendi Cæsaris jus est, de sufficiendo Imperatore parùm conventuros. Philippus discordiam Germanorum cœptis suis optimè conducturam existimans, secretiorum modò consiliorum arbitros coire jussos, de nova dispositione interrogat*. Ita Vecerius, unus in hac sententia, ut scribebam ante. Nam, quod Ciaconius habet in Clemente V. *Philippus Francorum Rex, Alberti morte, & Electorum discordia in novo Cæsare deligendo cognita, Pontificem cum magno exercitu adire constituit*, manavit ex eodem fonte. *Osius*.

(95) In hoc enim ratio Scrutinii sita. *Osius*.

(96) Vicentinus Codex: *Audita est*; sed *edita* magis placet. *Osius*.

(97) Etsi nulli ad hos assensus alii accessissent, delatum nihilominus Henrico fuisset Imperium Orbis. Electus enim à majori parte, ritè censetur electus, ut habent in Tractatu de Juribus Regni, & Imp. Rom. Lupoldus Cap. VI. in Libris de Jurisdictione Pomeranus passim, Joannes Georgius Hervvartus in Ludovico IV. Bavaro defenso, & alii alibi ejusdem notæ. *Osius*.

(98) Cavitellius ad annum MCCCIX. *Henricus VII. die prima Novembris electus fuit Cæsar, ex voto Præsulis Treverensis fratris sui*. Carrio in Henrico ipso. *Cùm Septemviri convenissent Francofurti, conjunctis suffragiis elegerunt Henricum Comitem Lucelburgensem Calendis Novembris, septimo ab interitu Alberti mense, de commendatione Balduini Archiepiscopi Trevirorum*. Ita Reusnerus in Genealogia Regum Bohemiæ. *Henricus Comes Lucemburgius, de fratris Balduini Trevirensis Archiepiscopi commendatione, Francofurti in Comitiis Imp. electus VIII. Kal. Decembris A. C. MCCCVIII*. Henninges in Genealogicis Tabellis. *Henricus VII. ex Comite Lucelburgensi X. Imperator electus de consilio Balduini fratris*. Et Albizius Florentinus in Stemmate Lucelburgico. *Henrici Plundeli filius Henricus, fuit Comes Lucelburgensis, fratris Balduini Archiepiscopi Trevirensis promotione Romanorum Imperator electus, &c.* Locus SchecKmanni affertur in Nota proximè consequenti. *Osius*.

(99) Trithemius in Chronico Hirsaugiensi: *Eodem anno, & mense Novembri convenerunt Principes Electores ad Villam dictam Rense, non longè à Bopardia, juxta sedem regalem, & procurante D. Petro Archiepiscopo Moguntino in Regem Romanorum unanimiter elegerunt Henricum Comitem Lutzenburgen fratrem Baldevini Archiepiscopi Treverensis, virum bonum, &c.* Et ante ad annum MCCCV. *Nam procuratione ejusdem Magistri* (Petri scilicet Archiepiscopi Moguntini) *& Baldevinus postea factus est Archiepiscopus Treverensis, & ipse Henricus Rex Romanorum*. Joannes SchecKmannus in Medulla gestorum Trevirensium, Cap. IX. *Habuit Baldevinus fratrem Henricum, justum, prudentem, honestum, Catholicum, dilectum omnibus, quem, cooperante Petro illo Maguntino Præsule, ad Imperii culmen promovit, appellatum Henricum VII. Imperatorem*. Osius.

(100) Vicentinus Codex: *Ad aliorum invidias*. Alii quidam: *Ob aliorum invidiam*, quod non damno. Et hæc caussa una ex mente Nostri, ob quam Henricus renuntiatus Romanorum Cæsar, Concordia scilicet Electorum quatuor, hoc est majoris partis, simul uni faventium ob aliorum invidiam, & contemptum. *Osius*.

(1) Philippi cum primis Galliæ Regis. Possevinus Junior in Gonzagis. *Sublato è vivis Alberto consensu Electorum Imperator salutatus est Henricus VII. Comes olim Luceburgensis, irritis Philippi Galliæ Regis conatibus, qui Avenione habitum Pontificem, sparsosque per Germaniam Electores Principes pecunia, ac promissis corruperat, & verti in se Cæsaream potentiam inani fastu præsumpserat. Illi pecuniarum avidi, fidei negligentes, documentum dedere, vix eodem pecuniam, & constantiam esse. Id in annum salutis 1308. incidit*. Et Federici Austriæ Principis. Dubravius Lib. XIX. Hist. Bojemicæ. *Eodem tempore Henricus Luceburgiæ Comes, Federico Austriæ Principi in Comitiis antelatus, Imperator à Germanis Principibus eligitur*. Addatur his Rodulphus etiam ex Ferreto. *Osius*.

(2) Intellige, *se se res habuerit*, aut tale quid. *Osius*.

(3) Piè, doctè, catholicè Electionis ejusdem Henrici, Comitis Lucemburgensis, in Romanorum Regem caussam affert alteram, *Divini Numinis voluntatem*, quam eandem non obscurè signat in illis extremæ hujus Rubricæ ceræ; *Non abnuentes Dei nutum in excelso consistere*. Imperium enim, sicut alia omnia, à Divino fonte, quod firmandum nobis proposuimus in superioribus Notis pag. 56. Col. II. Testantur autem id in primis utriusque Instrumenti Tabulæ, quarum fidem nemo, nisi qui sit ἄθεος, in dubium vocare ausit. Ecquid enim hac in re clariùs, Oraculo illo capitis Proverbiorum octa-

Digitized by Google

octavi, *Per me Reges regnant?* Quid illustriùs illo D. Pauli ad Romanos, *Non est potestas, nisi à Deo?* Quis demum sacris in literis adeò peregrinus, & hospes existit, ut nesciat in Hebræis Regibus Davidem unum è multis Regem à Deo electum ex I. Reg. Cap. XVI. ejusque filium Salomonem magnificè professum, à Domino se constitutum Regem, in illis Regum III. Cap. II. & Paral. II. Cap. II. *Vivit Dominus, qui firmavit me, & collocavit me super solium David patris mei?* Inde Poetæ, divinorum Oraculorum interpretes, & ex Græcis quidem Callimachus: Ἐκ δὲ Διὸς Βασιλῆες: *Ex Jove sunt Reges*, qui passim ob id Patri Poetarum Homero, aliisque Διογενῆς, *Jove editi*; & Διοτρεφέες, quasi *Jovis alumni* nuncupati sunt: ex Latinis verò Guntherus Ligurini VI.

Imperium geminis disponitur, inquit, habenis,
Legibus, & veterum servato tramite morum,
Cujus ab æterno tantùm collatio Rege
Provenit.

Et post aliqua in eodem Libro.

—— Hujus collatio Regni.
Authorem sortita Deum, contingere nulli
Jure potest hominum. Collator muneris hujus
Est Deus, hoc summis Regnum confertur ab astris.

Hinc illa Magni Tertulliani in Apologetico. *Inde est Imperator, unde & homo, antequam Imperator: inde potestas illi, unde & spiritus.* Et hoc ex fonte illa Joannis Ravennatis, nondum editi, in Origine Nationis, ut ipse vocat, Carrariensis, quam inscripsit Rodulpho de Carraria, F. Francisci Senioris. *Deus Romani auctor fastigii.* Et Carrionis illa Lib. IV. *Non casu accidere tantas mutationes cogitemus; sed respiciamus, & ad Deum authorem Imperiorum, & ad mutationum caussas.* Unde Augustinus Lib. V. de Civit. Dei. Cap. XXV. *Quæ cùm ita sint, non tribuamus dandi Regni, atque Imperii potestatem, nisi Deo vero, qui dat felicitatem in Regno Cœlorum solis piis: Regnum verò terrenum & piis, & impiis, sicut illi placet, cui nihil injustè placet.* Quid alios post hos testes proferam, cùm Justinianus Novel. 73. disertè pronuntiet. *Deum Imperium de cœlo constituisse*, quod ipsum habetur, & declaratur in Auth. *quo mo. oper. Epi.* Col. I. & Auth. *de fide inst.* Col. VI. Et Cap. *Si Imperatori* XCVI. scriptum reliquerit Joannes Pont. *Si Imperator Catholicus est, habet Privilegia suæ potestatis, quæ administrandis legibus publicis divinitus est consecutus*: & mox adjunxerit. *Ne contra Dei beneficia pugnare videatur, à quo propriam consecutus est potestatem.* Ac tandem in L. *Quæsitum XXIII. Q. IV.* & *d. l. in nomine Domini* definiatur apertè, *jura Imperii à cœlesti Numine tradita esse.* Quid quod res ista nec Ethnicos latuit. Romulus enim, ne se id ignorasse posteris aperiret, postquam ipse, Deo sic providente, imperio potitus est, legem hanc inter alias tulit, *ut nemo Regnum, Magistratumque iniret, nisi auctor fieret Deus ipse*: ipseque per auspicia voluit confirmari. Titus etiam Vespasianus, amor ille & deliciæ humani generis, ut insigni facinore publicè testaretur, Principatus, & Regna nequaquam adiri, aut dari, nisi Providentia, cùm duos Patritii generis convictos in affectatione Imperii comprehendisset, nihil ampliùs, quàm ut desisterent monuit, *Principatum fato dari*, inquiens, *frustraque tentari facinus potiundi spe, vel amittendi metu.* Spectavit huc etiam C. Cestius in Oratione, quam habuit ad Senatum, cùm illam sic exorsus est ex Tacito Lib. II. Ann. ut diceret, *Princeps instar Deorum esse*: & Artemidorus Lib. II. Cap. XXXVII. apud quem memini me legisse, *quidquid dominatur vim habere Dei.* Non alia sanè de caussa Imperatores Græci, θεοστεφεῖς, *à Deo coronatos*, se se solebant inscribere; atque hac forma Nicolaus PP. ad Michaelem Imperatorem scripsit: *Sciat à Deo redimitum Imperium vestrum*, quod & indicant Numismata Græca, in quibus expressè vidimus Imperatori diadema Christi manu imponi, & insigne illud, quod observatore Frehero, vulgò civitati Constantinopolitanæ Pictores tribuunt, duas nempe manus protentas è nubibus cum corona. Ea quoque re apud Impp. nostros mos ille jure ac merito inolevit, ut se *Dei gratia, divina favente clementia Rom. Impp. semper Augustos inscribant, & dicant*, notandi gratia, Rebuffo teste, quòd à Deo Regnum vel Imperium habeant, *de Dieu*, ut ipse loquitur, *& de l'espèe.* Notarunt ad hæc alii, cœlestem illam, totque seculis celebratam ampullam Chrismatis (qua de Gaguinus Lib. I. de gestis Francorum, & Baronius in Annalibus) Columbæ ore D. Remigio cœlitus missam, quo Clodoveum sacro Baptismatis fonte Paganismo mundatum inungeret, cæterique post eum Reges sacrarentur, ut hoc veluti Symbolo, & cœremonia Deus testatum Gallis, adeòque omnibus Nationibus faceret, per se Reges regnare, & à se Regna omnia constituta? Ne multis in re notissima excurram, discant hinc Mortales omnes, quantùm deceat subditos Imperatoribus suis, Regibus, atque Principibus cultum, & obsequium exhibere, quod fama inclytus Historicus non nescivit Annal. IV. cùm inquit. *Principibus summum Dii judicium dederunt; subditis obsequii gloria relicta est*: fateanturque tum ex his, tum ex allatis supra, Henricum *Deorum, hominumque consensu* vocatum ad Imperii Romani culmen, quod de Galba idem Historicus multò ante prodiderat libro Historiarum primo. *Ossius.*

(4) Dictum id præcipuè cum respectu ad operam à Treverensi, & Moguntino adhibitam, ut Henricus ex Lucemburgii Comite salutaretur Romanorum Cæsar. Nam huc etiam aliorum conatus, & studia pro viribus accessere, Romani cum primis Antistitis, Clementis Quinti, de Nicolai Pratensis Cardinalis Ostiensis consilio, qui fuerat ante in caussa, ut Clemens ipse Pontifex eligeretur, licèt Mutius, Lib. XXII. Chron. Germanorum initio, hujus illi consilii laudem invidisse videatur, nomini illius parcens, eamque toti Patrum Purpuratorum cętui impertiri. Ita præter Villanum Lib. VIII. Cap. CI. Vecerium in Henrico ipso, Mutium Lib. XXIII. Chron. Germanorum, Lehmanum in Spirensi Chronico, Libro & Capite laudatis ante, Ciaconium in Clemente V. Bzovium in Annal. Ecclesiasticis ad Annum MCCCVII. Col. 95. Marcum Guatium in Chronico pag. 258. qui facti totius seriem copiosè narrant, Nauclerus paucioribus Vol. II. Gen. XLIV. *Rex Philippus, audita vacatione Imperii, cogitavit quomodo Imperium ad se reduceret: & id quidem facilè fieri existimabat, si petitionem contra Bonifacium postulatam, de qua supra, in illam commutaret. Igitur secretum desuper habebat consilium eum Carolo de Valesio fratre suo, & Consiliariis suis. Quod omnibus placuit, qualibuscunque expensis id fieri posset. Unde dictus Carolus ad Pontificem, qui tunc erat cum Curia Avinione, iturus, se præparavit pro Rege ad solicitandum, quòd Bonifacii memoria condemnaretur, re autem vera ad obtinendum Imperium. Ordinaverat autem illò ducere sex millia armigerorum, ut nullus auderet se opponere postulatis. Sed Deo providente, etsi consilium secretissimum de ea re habitum fuerat, tamen unus ex Concilio intimavit secretò Pontifici rem conclusam. Mox Pontifex id intimavit Cardinali Ostiensi, Pratensi scilicet. At Cardinalis, qui jam indignationem contra Regem conceperat, propter postulationes inordinatas, inquit: Pater Sancte, hic non est aliud remedium ad obviandum, ne Ecclesia subjiciatur Regi Franciæ, nisi illud, quod sinè mora significetur Electoribus Imperii, quòd procedant ad electionem, alioquin Imperium devolvatur in Galliam, & id, ait, totum expediri potest antequam Rex veniat. Placuit Pontifici consilium, & simul cum Cardinale nominant etiam Electoribus Comitem de Lucemburg, virum magnanimum, industrium, atque Catholicum, Pratensi tum bene notum. Placuit etiam, ut secretò omnia fierent, ne alii Cardinales quicquam de hoc adverterent. Hoc totum impletum est, & missis literis, Electoribusque redditis, postquam applicuit nuntius, intra octo dies congregati Principes in Rens, nemine discrepante, elegerunt in Regem Rom. Henricum Comitem Lucemburgi, qui fuit Henricus VII. Admoniti enim erant per Cardinalem Pratensem, & de omnibus Regis Franciæ callidis commentis informati.* Inde Carrio Lib. IV. Chronici in Henrico ipso. *Gallos ex translatione Sedis* (Pontificiæ Avinionem) *non exiguam spem de Imperio concepisse Philippi Pulcori, & fratris Ca-*

Caroli Valesii consilia ostendunt. Quòd enim in sua potestate haberent eum, qui jus sibi arrogaret tradendi Imperium, cui vellet; quin per eundem id recuperarent, nihil impediturum sibi persuadebant. Quare cùm à cæde Alberti esset dilata electio successionis, Carolus Valesius de sententia fratris exercitum comparat, ut vel invito Pontifici Imperium extorqueret. Pontifex etsi à suo Rege non esset alienus, tamen quia mutationem hanc prospiciebat fore exitiosam Italiæ, & Hierarchiæ Romanæ, fieri eam nolebat. Et ut Gallorum conatus anteverteret, clam de his monuit Principes Germaniæ, cohortatus eosdem ad electionem solennem maturandam. Ita cùm Septemviri convenissent Francofurti, conjunctis suffragiis elegerunt Henricum Comitem Lucelburgensem Calend. Novembris, septimo ab interitu Alberti mense, de commendatione Balduini Archiepiscopi Trevirorum, &c. Et Meyerus in Annalibus Flandriæ. *Mense Novembri, post sex mensium interregnum, nondum creatus erat Augustus. Clemens Princeps Sacerdotum à Pulchro Rege, & Carolo Valesio vehementer solicitabatur, profectusque est Carolus cum sex millibus armatorum Avinionem ad Clementem, ut ejus auctoritate Augustus crearetur, Romanumque Imperium in Galliam transferretur. Ea res cordi non erat Pontifici. Ingrata erat nimia Galli ambitio, & potentia. Suspectas semper habent Gallorum opes Episcopi Romani. Missus occultè Francofordiam ad Germanos Nicolaus Pratensis Cardinalis, vir prudens, & callidus, qui Gallorum consilia patefaceret. Hic suasit, ut absque mora Imperatorem unum aliquem ex suis Germanis eligerent; deque ejus consilii sententia electus est statim Henricus, ejus nominis VII. qui Comes erat Luceburgensis, vir non modò bello strenuus, sed pius etiam, vitaque sanctus, sed opibus tenuis. Refrixit ob hanc rem inter Philippum, & Clementem V. amicitia, & charitas. Minimè enim ad stomachum Gallo erat iste Augustus, tum quòd propter eum repulsam ferret Carolus, tum quòd Henricus iste arcta necessitudine jungeretur Flandris, quorum mirandum in modum & incrementis, & gloriæ Galli omnes invidebant.* Et egregiè, præsertim quod attinet ad Pratensem, Georgius Merula in Vicecomitibus, Lib. VII. extremo. *Dum hæc in Liguribus, & Longobardis geruntur, erectique essent ad nova imperia animi, in Germanis Albertus ad fastigia rerum designatus juxta Rheni ripas à fratris filio interficitur. Coivere subinde Proceres, ut Cæsarem novum crearent. Discordes erant animi, studiaque contraria, nec quem unum rebus præponerent satis inter se conveniebant. Fuere, qui dicerent, Philippum Francorum Regem imperio dignum esse. Jamque in eum quidam inclinabant; res tamen aliquandiu, non idem sentiente Collegio, extracta fuit. Interea Nicolaus Pratensis Cardinalis, Gibellinæ factioni metuens, quam tegere & defendere non cessabat, Clementem Pontificem periculi, & ingruentis calamitatis commonefecit, si Philippo, cujus animus per recentem Bonifacii offensam, & contumeliam, irritatus fuerat, rerum summa deferatur: neque eum, qui potentissimus esset à vi, & maleficio temperaturum, donec opes, & auctoritatem Romani Sacerdotii ita diminueret, & extenuaret, ut dehinc filii atque nepotes majestati, & potentiæ Pontificum impunè illudere, & adversari possent. Quare si securitati suæ cavere, resque Sacerdotum incolumes esse velit, summum Imperium à Philippo avertat, intercedatque illorum studiis, qui ad potentissimum alioquin Tyrannum inclinent. Ubi persuasum Clementem vidit, de Henrico Lucemburgi Comite subjecit. Huic paternæ opes haud magnè sanè erant. Justitia, prudentiaque, tum rerum gestarum gloria, quàm natalibus, aut gentili regno illustrior. Quòd si, quæ sit voluntas Pontificis, Proceres noverint, consensu omnium facilè Henricum Cæsarem creatum iri, qui Pontificum imperata obedienter facturus esset. Prudens & salutare visum consilium, atque confestim per internuncios suffragiorum Dominos hortatur & monet, ut Henrico rerum gubernacula tradant. Qui, ut Pontificis votis obsequerentur, tum etiam quia dignitatis Germanæ, & veteris retinendi juris magnopere intererat indigenam potiùs, quàm advenam rerum potiri, Henricum Romanorum Regem creant.*

Juverunt igitur electionem Henrici, rem ut istam omnem in capita contraham, *Moguntinus*, quòd ei fidelitatis adstrictus homagio teneretur. *Balduinus*, quòd frater eidem esset. *Romanus Pontifex Clemens*, quòd Gallorum Regi infensus aliàs, ob domum, & affines suos bello Aquitannico vexatos à Carolo Valesio Philippi fratre, licèt ante Pontificatus initia cum eodem in gratiam (ut auctores sunt Æmylius, & Carrio) rediisset: sive quòd illi ingrata; imò & suspecta nimis esset Galli Regis ambitio & potentia, timeretque maximè, si Philippo, cujus animus per recentem Bonifacii offensam, & contumeliam irritatus fuerat, & infensus redditus Romanæ Aulæ, rerum summa differretur, is, qui potentissimus esset, Romanam sibi sedem subiicere conaretur, nec ante à vi & maleficio temperaret, quàm omni divino humanoque metu, atque pudore rejecto, opes & auctoritatem Romani Sacerdotii ita diminueret & enervaret, ut dehinc filii atque nepotes majestati, atque potentiæ Pontificum impunè illudere, & adversari possent; tum se se ad damnandam Bonifacii memoriam omnibus modis conferret: laxis demum & effusis habenis se in omne flagitium, atque in primis ad tyrannidem exercendam præceps daret: sive, quòd alia etiam ex parte pessum iturum esse videret Romanæ aulæ majestatem, nempe quia Germani hanc dignitatem armis vindicaturi essent: sive demum, quòd securitati suæ cavere, resque Sacerdotii incolumes sartas tectas tueri nulla ratione meliùs posset, quam si Henricum eò celsitudinis efferret, quòd certò sciret, eum nulla non in re vel pontificiis, obtemperaturum mandatis, vel immunitatem ac dignitatem Ecclesiæ propugnaturum. *Cardinalis Ostiensis*, non tam, quòd Philippum exosum haberet ob insectationem Bonifacianæ memoriæ, quæ si tolleretur è medio, & acta quoque illius, in quibus Cardinalatus censebatur, quem Octavus illi contulerat, convulsum iri videbat, quàm ut Gibellinos erigeret, de quibus videbatur actum, si Galliæ Rex Imperatoris titulum consequeretur; ac ipsi faveret Henrico, quem habebat sibi longa consuetudine familiariter notum. *Cardinales omnes*, tum quòd omnes oderant Francorum Regem ob iniquas, & inordinatas petitiones ejus, & litem, quam pro cremandis Bonifacii ossibus excitarat; tum ipsius Romanæ Ecclesiæ libertatis respectu, & consuetudinis in Urbe quondam institutæ, mutationem istam fore exitiosam rati Hierarchiæ Romanæ, verentesque maximè, ne si ille sibi Romanam Ecclesiam subjecisset, nullum ipsi postea jus haberent Sacrorum in ipsius Regno, quæ propterea magnopere timebant, quòd in suo Regno Ecclesiarum facultates, & Ecclesiasticos irreverentiùs sæpe tractaverat. *Principes ipsi Germani*, de omnibus Regis Francorum callidis commentis per Cardinalem Pratensem probè edocti, primò odio ipsius Regis (quo de Noster Rubrica VII.) propterea quòd sibi per vim, & clanculum Cæsarei fastigii apicem extorquere, & transferre niteretur ad Celtas, id quod magnam libertatis jacturam universæ Germaniæ portendere videbatur. Secundò, quòd viderent sibi quoque dedecori futurum & probro, si Galliæ Rex Philippus, Romanorum Imperator, vel suffragiis eligeretur, vel armis (quod exercitu conscripto præferebat) sibi vindicaret Regnum, & Imperium Romanorum. Tertiò, quòd veteris retinendi juris sui, pacisque servandæ gratia magnopere intererat, indigenam potiùs, quàm advenam potiri rerum. Demum, ut Pontificiis votis obsequerentur, cujus ergo Cavitellius ait, *Henricum in gratiam Romani Pontificis electum Rom. Regem*, Mutius, *ad votum, & voluntatem Papæ*, Merula, *ut votis Pont. obsequeretur*.

Addo, mantissæ loco, quòd hujus Notæ gratia notabam alias ex Ferreto, *Brabantini* quoque Ducis opera promotum Henricum VII. ad Imperii Rom. culmen, quòd ejus filiam Margaretam haberet uxorem. Hoc enim illi me Scriptori debere arbitror, si memoria utor. *Ossius*.

(5) Anno MCCCVIII. Die XXV. Novembris D. Catharinæ sacro ex superioribus Notis. *Ossius*.

Hæc

(*) Hæc electio incidit in Annum MCCCVIII. teste Meyero. H. Suero addit electum in FrancKfurt in festo sanctæ Catharinæ, ambo asserunt coronatum Aquisgrani in festo Epiphaniorum, Lib. VIII. Cap. CI. Villanus scribit electum Middelburgi. Albertus Argentinensis in FranKfurt, die omnium Sanctorum: *Pignorius*.

(6) Haud hic probo *conniventibus* Codicis Vicentini. Cunctis nempe suffragiis Electorum omnium, & assensu claro Romanus Imperator semper Augustus acclamatus hic Cæsar, eaque suffragiorum concordia Scriptorum propemodum omnium suffragium tulit. Habent enim eum *concorditer* electum Argentinensis, Trithemius, Mutius, *Principum tam Ecclesiasticorum, quàm Secularium concordi sententia* Paralipomena adjecta Chronicis Urspergensis: *concordi Electorum suffragio* Funcius: *cunctorum suffragiis, ac ne uno quidem repugnante* Vecerius: *nemine discrepante* Villanus, & Nauclerus: *concordi electione* Literæ Pontificis apud Bzovium. *Unanimiter* Langius: *communibus suffragiis* Carrio: *omnium voto* Bertelius: *consensu Electorum* Possevinus Junior in Gonzagis: *communi suffragio* Ciaconius: *ferè omnium Principum judicio* Ferretus. Quod mirandum maximè, nec nisi Divino Numini adscribendum, cùm pauci consentientibus Electoribus omnibus electi fuisse tradantur, indeque Hervvartus inferat in Bavaro defenso, electum à majori parte, locatum in solio fuisse, perinde ac si nullius suspenso calculo electus esset, quòd rari admodum cunctorum Electorum suffragia ferrent. *Osius*.

(7) *Tribus*. Tot enim, adjecti quatuor recensitis ante, totum Septemvirum Electorum ordinem absolvunt: fuereque tunc temporis hi septem, *Petrus*, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Sanctæ Moguntinæ Sedis Archiepiscopus, Sacrique Imperii per Germaniam Archicancellarius: *Balduinus*, S. Trevirensis Ecclesiæ Archiepiscopus, Sacrique Imperii per Galliam Archicancellarius; *Henricus*, Archiepiscopus Coloniensis, Sacrique Imperii per Italiam Archicancellarius: *Rodulfus* Comes Palatinus Rheni, Bavariæ Dux: *VValdemarus* Marchio Brandeburgensis: *Joannes* Saxoniæ Dux: *Henricus* Karinthiæ Dux, loco Bohemiæ Regis, cujus tunc temporis Imperium occuparat.

Quæcumque porrò in hac Electione contigisse traduntur à Nostro; ita ferè ante contigerant in electione Adulphi, ut unius electio alterius imaginem undique repræsentet. En illa Adulphi, Ferreti verbis, quasi coloribus, adumbrata. *Defuncto itaque Rodulpho memorato, magnus apud Germanos Principes rumor increbuit. Hæsitabant enim, quem sibi denuo Regem efficerent. Multi quidem ad hoc Cæsareæ sublimitatis fastigium vehementi desiderio ferebantur, &c.* Et paullò post. *Convenientibus igitur in unum Principibus Alemaniæ, qui decernendi Cæsarem potestatem habent, ut de Rege sibi dignissimo providerent, magnus inter ipsos tumultus, magna animorum dissimilitudo variis studiis orta est. Nam priusquam illic, ubi loci congrua exigit opportunitas, pro futuro Cæsare convenissent, quidam amore, vel odio ducti, in quem potiùs obsequantur, mente conceperant. Favebant enim Archiepiscopus Coloniensis, & Treverensis Duci Saxoniæ, de cujus prosapia olim bonæ memoriæ Otto, vir fama illustris, ad Germanos Rom. Imperii regimen transtulit: Palatinus verò Comes pro Venceslao cognato suo viriliter contendebat. Dux autem Saxonum, & Rex Boemiæ, ne quis præter ipsos tolleretur Monarcha, verbis rigidis adversùs Collegas suos utique decertabant, præsertim de Alberto malè judicantes, dum in Imperium sui genitoris, quem avara labes & dolus in vitium deflexere, non eum dignum tantæ sublimitatis objiciunt. Archiepiscopus autem Maguntinus, vir versutus, & fallax nunc uni, modò alteri, ut omnium vota tacitus intelligeret, obsequi videbatur. Sicque cùm sæpe numero ad examen hujusce rei dubii convenissent, nihil de iis, quæ statuti temporis necessitas exigebat, votis effecere disparibus, donec tumultus propter eorum iners decretum apud Germanos Duces rigidis verbis increbuit, &c. Tandem, cùm alter alteri per supremos apices Alemaniæ favere dedignaretur, ad eos, quibus media generis, & opum fortuna respexit, sermo dirigitur, quos inter vir strenuus satis, & fortis Adulphus de Maxio fama præclarus, gratior visus est, &c.* Age per te modò, Lector, electionem istam cum illa Henrici, Mussati calamo literis consignata, confer, dicesque tandem, nullam unquam aliam ad alterius similitudinem propius accessisse. *Osius*.

(8) Imò *Galliæ*, imò *Italiæ*. Mutius. *Electio statim promulgata est per Germaniam, Galliam, & Italiam, &c.* Osius.

(9) Reticet Mussati calamus caussam hujus admirationis primam, secundam attulisse contentus in iis, quæ sequuntur statim: *Suberat & admirationis occasio, &c.* & tertiam in illis: *ut quantò humilius habuerit ipse primordium, &c.* Quare nos quæramus illam, & prodamus in medium, ut hujus loci sententiam, quoad ejus fieri poterit, expleamus. Videtur prima admirationis hujus caussa fuisse illa, quòd Imperii clavus delatus esset adolescenti, deferendus iis, quibus major mens, & ratio, & consilium fuisset. *Florenti* nempe *Juveni delata Regni Romani sceptra* Vecerius scripsit, cum hoc de Cæsare loqueretur. Adolescentibus autem idcirco minimè committendæ videntur habenæ rerum, *quòd* (ut est a Tullio traditum in Opere de Senectute) *maximæ Respublicæ per Adolescentulos labefactatæ sint; à Senibus autem sustentatæ, & restitutæ*: & ab Augustino signatè de Romanorum Regno, Sermone XIV. ad Fratres in Eremo, *Regnum Romanorum tandiu perseveravit, quandiu Sapientes regere permiserunt; sed dum Juvenes inexpertes elegerunt, tamquam Justitiam ignorantes, acceptores personarum facti sunt, & justitiam perdentes, dominium Orbis terrarum amiserunt*. Inde illa Metii Falconii querela adversùs Tacitum Imperatorem in Vopisci scriptis. *Quæ malum ratio est, habere Imperatorem, qui eos faciat Consules, Duces, Judices, quorum vitas, merita, ætates, familias gesta non norit?* Et admonitio illa Tiberii ad Senatum: *Ne quis nobiles adolescentum animos præmaturis honoribus ad superbiam extolleret. Ut enim novelli citharædi* (ait exactæ sapientiæ scriptor Xenophon) *multas citharas perdunt, ita cupidi juvenes Rempublicam ut plurimùm evertunt*. Verùm enim verò juvenibus quoque multis viam communivit ad Romanum Regnum, quæ canos incana Prudentia sæpissimè præit, jure ut cum Comico dixerim in Trinumo.

Non ætate, verùm ingenio adipiscitur sapientia. Mitto verò singulos exhibere. VVilhelmus unus, Hollandiæ Comes, electus Romanorum postmodum Imperator, dignus est planè, qui paria hac in parte faciat cum Henrico. *Nam, & idem electus est* (verba BeKæ sunt in Otthone III. Ultrajectensi Episcopo XXXVI.) *vicesimum agens annum, adhuc imberbis, rubore decorus, cute candidus, crine nigerrimus, & in dispositione totius corporis collaudandus*. Non igitur sic expendenda ætas in deferendis imperiis, ut ab his continuò Juvenes arceantur. Neque enim is fuit Ciceronis, Augustini, aliorum sensus: sed eatenus, si virtute nulla defectus suppleatur ætatis: secus autem, si ætate Juvenes, virtutibus polleant, scientiaque civili, vel militari cæteris præstent. *Indignum est enim*, teste Valerio Maximo Lib. III. *eum honori nondum tempestivum videri, qui jam virtuti maturus est*: ideoque in sapientissima Republ. Romanorum, Valerium Corvinum tertio, & vigesimo ætatis anno, ante legitimum tempus, ad Consulatum promotum legimus, & Martio Juniori, Scipioni Africano, Pompejo Magno, Octaviano Augusto, aliisque Ducibus, ob singularem rei militaris disciplinam, & ob candorem ingenii, ante tempus Consulatus, aliosque honores delatos scimus. Neque enim ætatis magnam habebant rationem Romani, quo minùs suffragantibus meritis, Dictaturas, & Consulatus, aliosque maximos honores meritis civibus demandarent. Quos enim amplissimis ornamentis dignos putabant, satis annorum, & ætatis habere ducebant. *Apud Majores* (inquit Tacitus Annal. XI.) *virtutis id præmium fuerat, cunctisque civium, si bonis artibus fiderent, licitum petere Magistratus, ac ne ætas quidem distinguebatur, quin prima juventa Consulatum, ac Dictaturas inirent*. Et M. Tullius ipse jam senex Philip. V. *Ab excellenti eximia-*

Digitized by Google

miaque virtute progressum ætatis expectari non oportere sapienter scripsit. *Ibi enim perfecta est ætas, ubi est perfecta virtus*, Ambrosio teste Oratione, quam habuit in obitu Theodosii Imperatoris; tametsi apud Romanos L. Julius Trib. pleb. Q. Fulvio Flacco, & Manlio Acidino Cos. rogationem ad Populum tulerit, qua declaravit, qui, & quibus annis nati quemque Magistratum peterent, caperentque. Qua de re plura videre est apud Alexandrum ab Alex. Lib. Genialium Dierum III. Et Cujacium XVII. Observationum Cap. XXXIV. *Osius*.

Admirationi, quia Henricus licèt nobilis, non tamen æquabat multos Alemanniæ proceres, penes quos Imperium residere solitum erat, & hæc fuit causa, ut Benvenutus Grammaticus Imolensis, Henricum parvum Comitem (in Augustali) vocet, quod possumus interpretari ex iis, quæ scripta reliquit Joannes Villanus; Lib. IX. Cap. I. *di piccolo stato che fosse di suo lignaggio, fu di magnanimo cuore*; quibus tamen reclamat Meyerus loco citato, affinitates Henrici accuratè & data opera scriptis prodens, ut Vecerium incassum redarguat, & nostros. *Pignorius*.

(10) Vecerius. *Ille, ut contra opinionem hominum per Celtas, perque Comitatum Pontificis renuntiatus Rex fuit, &c.* Immo nec ipsi Henrico res ea credita, si credimus eidem Historico, sic pergenti: *Itaque statim is, qui nihil minùs, quàm Cæsarea gubernacula sibi credenda cogitaverat, omnium primùm gratias immortali Deo, Lectoribusque agendas censuit*. Firmantur eadem his Lehmanni: *Comiti Henrico oblata ab Electorum Senatu dignitas, nova quidem, & inexpectata videbatur*. Osius.

(11) Admirationis electi Henrici in Romanorum Regem causa altera ex mente Nostri. Re vera siquidem Henricus, Lucemburgensis Comes, competitoribus suis potentia, & opibus inferior habebatur, eratque status illius longè infra fastigium Cæsareæ majestatis. Vide me supra ad Rubricam I. in Verbo *Pauper* & ad Rub. III. in illis, *Cujus & opes creverant*.

Discimus illud etiam hoc è loco, cum iis sensisse Nostrum, qui censebant ex sola Germanorum natione deligendum esse Romanorum Regem, qua de re Baldus *in Cap. Venerabilem extra de Elect.* Martinus Laudensis in Tract. de Principe Singulari. Joannes Feraldus de Juribus, & Privilegiis. Lancellotus in Templo suo omnium judiciorum Lib. I. Cap. I. §. II. Quæst. I. & III. Fulvius Pancianus Lib. II. de Prob. Cap. XXXV. Num. L. & seq. Henning. Gæden. Simon Pistorius, Petrus de Andlo. Petrus Hegius. Pomeranus de Imperatore Romano Lib. II. Part. I. Cap. I. Majolus in Canicularibus Diebus Tom. VI. Colloquio I. quod est de majestate, atque amplitudine Imperii Romani pag. MCCXV. aliique complures, qui & Quæstiones alias his affines eruditè tractant: *Quo* nempe *pacto activè, & passivè translatum Imperium fuerit ad Germanos, juxta Cap.* Venerabilem, *&c. Germanus quis verè putandus sit, ut præfici jure Imperio queat. Possune cum Germano Gallus concurrere, & in Imperatorem eligi*, & alias generis non diversi. *Osius*.

(12) *Apex Imperialis* aliis. *Osius*.

(13) Ostendi in primis Rubricæ II. Notis, *antiquos Henrici VII. stipites extitisse*. Unde Ferretus ad imitationem Nostri; *Nam ex clara satis prosapia ortus, inter cæteros bello strenuus, & consilio prudens valde putabatur*. Extant & à Carrione hæc ea de prosapia scripta Lib. IV. Chronici in Lothario Imperatore Primo: *Ex hac concubina* (Baldrada) *Lothario nati sunt duo filii, Lotharius tertius, & Hugo Dux Lotharingiæ. Hoc Hugone nati, Hugo filius, & Lotharius nepos, Italiæ regnum obtinuerunt accersiti contra Berengarium. Ab eodem Hugone descendit stirps Comitum Lucelburgensium, quæ produxit Imperatorem Henricum VII. & ex hoc natos Bohemiæ Regem Joannem, & hujus filium Carolum IV. Imperatorem, & ex Carolo natos VVenceslaum, & Sigismundum Imperatores*. Et infra eodem libro, in Lothario altero, cognomento Saxone: *Sed cùm Brabantinorum stirps interiisset, translatus est Ducatus ad Hollandiæ Comites. Inde ad Comites Lucelburgenses, qui originem trahunt ab Hugone Comite, nepote Lotharii, qui filius fuit Lotharii primi Imperatoris*.

Videtur nihilominus hic Mussatus persequi caussam admirationis tertiam, quòd Henricus attigisset Imperii Rom. culmen, eamque tribuere generis ipsius humilitati, quæ res idcirco mira, quia penitus aliena receptis à moribus Germanorum, qui, Tacito teste, *Reges suos ex nobilitate, Duces ex virtute* sumere consuerant. Nec immeritò: *Siquidem enim ignavis, & parvi pretii hominibus Rempublicam committas*, (inquit Dio Cassius ore Agrippæ Lib. LII.) *mox Nobilium iram, propter contemptam eorum fidem, in te provocabis, & maximis in rebus clades patiebris. Quid enim præclari homo ignavus, aut ignobilis gerat? quis eum non despiciat hostis? quis ei socius obtemperet? quis militum non dedignetur sub signis ejus esse? Sed nec hoc omittendum est, hujusmodi virum, si rem perperam gerat, plus tibi damni daturum, quàm ab hostibus sit expectandum; sin rectè aliquid egerit, statim ejus animum bonarum artium expertem, amentia completum iri, eumque postea tibi ipsi formidabilem fore*. Legimus itaque Deuteronomii Primo, *nobiles cum sapientibus judices populi constitutos à Moyse*: &, si profanis in Historiis disquiramus, haud dubiè reperiemus, Solonem, inclytum Athenienſium legislatorem, Magistratus omnes constituisse *ex nobilibus*: Areopagum *ex iis, qui honesto loco nati essent*: Tiberium denique Cæsarem, id observare solitum, ut *mandaret honores, nobilitatem majorum, claritudinem militiæ, illustres domi artes spectandas, ut satis constaret non alios potiores fuisse*.

At enim, quæ Mussatus hìc de Henrico scripsit, scripta mihi potiùs videantur respectu pauperis olim Comitatus ejus, & exiguarum opum, quàm humilis ejusdem stirpis. Ut ut senserit, ac scripserit ea de re Noster, in Henrici genus ampliùs non inquiro, haurio potiùs id inde moniti: *Humilitatem generis obesse debere nomini, quo minùs ad apices bonorum evolet, ei si virtus adsit*. An non enim vocatus *Abdolominus* ob ornamenta virtutum à ligone suburbani horti ad Sidoniorum sceptrum? rogatusque postea Alexander, cur ejus consilio vir adeò humilis multis aliis potentia, & generis fama longè clarissimis, prælatus esset, scitè respondit, *ne quis fortè existimet, me non virtuti, sed generi, potentiæque Regnum tribuisse: atque ut is, qui Regnum accepit, intelligat, se id à me, non à Majoribus suis accepisse, hocque beneficium grata memoria prosequatur*? Fuere *Tulli Hostilii* incunabula sordida in agresti tugurio patris: at hæc illi neutiquam obstitere, quo minùs valida, & matura ætate Imperium Romanum caperet, regeretque. Pari gradu *Varro* ex macellaria patris taberna apicem dignitatis ascendit. Pari *Cicero*, pari *Ventidius Bassus* ex plebeja, & ignobili familia Consulatum, adepti sunt. Ea re *Maximino*, Opilioni à puero, Imperium delatum est; nec impedimento fuit *Bonoso* ignobilis, & peregrinus sanguis, quin ad Augustale solium eveheretur. De *Valentiniano* restione, *Flavio Valerio Justino* bubulco, *Martiano* fabro ferrario, qui summo tandem cum imperio Romanæ Reipub. præfuere, res est notior, quàm ut à me pluribus debeat illustrari. Bohemi quidem *Primislaum*, patre licèt rustico natum, uno eodemque omnium Ordinum assensu Regem sibi, ac Dominum præfecere. *Tamburlanus* è pastoritia casa ad Imperii Turcici culmen emersit. *Bamba*, aratro deposito, in Hispaniarum Regem assumptus est. Adjice his *Rodulphum*, creatum Romanorum Regem, quia strenuissimus; licèt parvi & ipse dominii, ac Comitatus, ut *Henricus*, esset. Ita nempe de illo Ptolemæus Lucensis ad Annum MCCLXXIII. *Eodem Anno Comes Rodulphus de Abisburg in Imperatorem eligitur. Qui quidem fuit parvi dominii, & Comitatus; sed strenuissimus in rebus, sicuti facta pro Lucensibus probaverunt*. De *Agrippa* consulatur Tacitus, de *Severo* Spartianus, de *Curtio Rufo*, Africæ Proconsule, Fulgosus, de aliis, numero propemodum infinitis, qui humili loco nati, virtute duce ad honorum, & imperiorum culmina pervenere Valerius Maximus. Enimverò, ut unà cum Paschalio desinam in Gnomis politicis, excerptis ex Tacito, *quem penes est virtus, huic ad ea, quæ meritus est, nitenti generis ignobilitatem obesse planè iniquum est*. Osius.

La-

Digitized by Google

(14) Latet hac in voce caussa tertia promotionis Henrici ad Romanorum Regnum. Natura quippe parens rerum omnium habita, credita quoque Fasces, Regna, Principatus, Imperia mortalibus elargiri. Sensit hoc C. Jul. Cæsar, qui apud Dionem Lib. XLI. clarè, nec ambitiosè dixit, *Naturam duas necessarias res, easdemque salutares humano generi comparasse, ut alii cum imperio essent, alii eis subjicerentur, nihilque esse, quod, citra hæc, ne minimo quidem queat spatio perdurare*. Sensit & Tullius iis in libris, quos de Legibus edidit, cùm inquit: *nihil tam aptum esse ad jus, conditionemque naturæ, quàm Imperium, sinè quo nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse Mundus potest. Naturam ipsam* denique *Regem esse commentum* apertè testatus est Plinius Lib. II. Nat. Hist. Cap. XVII. *idque cùm ex omnibus animalibus clarè cognosci, tum ex Apibus, quæ sinè Rege esse non possunt*. Creant illæ scilicet sibi Regem cæteris magnitudine excellentem, & mansuetudine clariorem: undè & sinè aculeo est, ut nonnulli volunt, & alas cæteris minores habet. Ex alveario non exeunt, nisi ipse egrediatur; eo exeunte totum conglobatur agmen, & Regem circundat undique, ut vix videri possit. Singulæ se ejus obsequio offerunt, & ei proximæ esse contendunt: fessum humeris sublevant, aliquando & totum portant. Ubicunque Rex sederit, ibi totus exercitus castra figit. Illo viso, totus animatur grex: eo amisso examen dilabitur. In alveario dum resident, Rex solus à labore immunis est, cæteræ omnes perpetuò mel colligunt, vel collectum disponunt. Circa Regem quædam semper adsunt Apes, fortem aculeum habentes, & tanquam lictores Regem custodientes, quæ & offendentes, vel vitiosas puniunt. Mortuo Rege, nisi corpus ejus auferatur, cæteræ Apes fame se necare permittent potiùs, quàm ab eo recedant. Sola voce, quasi imperio, cæteras in officio continet, unde & hanc cæteris magis vocalem habet. O Bestiolæ providentem industriam! quæ tanta cum virtute, ut sic dicam, politica conjuncta, sapientissimum quemque meritò rapiat in admirationem sui.

Sonat eadem *naturæ* vox ipsiusmet *naturæ bona*, quorum aliqua sunt animi, alia corporis: ideoque retulerim non invitus ad hæc ipsa bona caussam tertiam electionis Henrici. Sublatus ille scilicet ad apicem Cæsareæ Majestatis *ob virtutes*, quæ animi bona sunt, *roburque corporis, & strenuitatem miram*, quà longè supra Proceres Germaniæ reliquos eminebat. Ab his sanè dotibus commendatus ille Pontifici Clementi V. fuit, prælatusque cæteris à Pratensi. Ne multis. De *virtutibus* ejus ita clarè locutus Pratensis apud Conradum Vecerium ex Villano. *Quum Clemens, quem præcipuum crederet, tantæque successioni idoneum quæsivisset, Pratensis, Ecclesiarumne libertatis respectu, an studio Gibellinarum partium, an consuetudinis in Urbe quondam institutæ memor, Henricum, ait, Luceburgiæ Comitem, nulli Germaniæ Principum cedere arbitror, sive Religionem, sive Fidem, seu certè Magnitudinem animi spectaveris*. Et paulò post: *Juvit assertionem Cardineam Henrici quoque integritatis gloria, quam ex rebus fortiter, probèque gestis fama jampridem exorta, ad Clementem quoque pertulerat*. Et infra. *Sed & maximè spectata virtus Henrici profuit, ut cunctorum suffragiis, ac ne uno quidem repugnante, Rom. Regni sceptra florenti juveni deferrentur*. Accedit Vecerio Mutius, qui diserte. *Legati celeriter mittuntur, jubenturque festinare, antequam Rex Avinionem veniat, & incipiat turbam, quam parturiebat. Et simul statuerunt communi consilio, quem potissimum eligendum Principibus proponerent. Censuerunt autem nominandum Comitem de Lucelburg, Religionis Ecclesiæque amantem, & strenuum cum moderatione in rebus agendis, & bello*. Adstipulatur his etiam Merula non obscurè. *Ubi* nempe *persuasum Clementem vidit* (Pratensis) *de Henrico Luceburgi Comite subjecit. Huic paternæ opes haud magnæ sanè erant. Justitia, Prudentiaque tum rerum gestarum gloria, quàm natalibus, aut gentili Regno illustrior*. Ita Merula. Sed & Bertelius de virtutibus Henrici suffragium in hac Tribu tulit. *In tanto porrò successu temporis Henricus noster in virtute, prudentia, & rerum gerendarum peritia profecit, ut, fama ejus usquequaque per Germaniæ fines diffusa, omnium voto in Rom. Imperatorem exoptaretur*. Adi Scriptorum aliorum Elogia, quæ de virtutibus tanti viri dedimus supra, in primis Notis Rubriæ III. Quibus ego scilicet testimoniis aliis pluribus firmare validiùs possim, præluxisse Henrico nitentes virtutum illius multarum, & maximarum faces ad Imperii Rom. decora promerenda?

De *Strenuitate* ejusdem nihil hìc haberem pariter, quod adjicerem superioribus Notis, nisi pollicitus fuissem ante ostensurum me, non ultimum inter caussas Electionis illius præcipuas in Romanorum Regem deberi *Strenuitati* locum. Missis igitur Strenuitatis illius Præconibus, quos audivimus supra, ecce tibi lectum illum ob Strenuitatem maximè in Romanorum Regem, testimonio luculentissimo Virorum Cl. trium, Naucleri, Cavatii, Carrionis, quos, ut hìc laudarem, missos ultro in allatis aliàs Elogiis *Strenuitatis* feci. Fatentur hi scilicet uno & eodem ore, cùm Virum strenuum, magnanimum, industrium, belli pacisque artibus clarum inquirerent Electores, quem unum ex omni Principum Germaniæ numero summæ rerum præficerent, lectum unum è multis Henricum, quòd is unus talis inter cæteros eluceret. Ad rem igitur appositè Nauclerus. *Placuit Pontifici consilium* (Pratensis) *& simul cum Cardinale nominant etiam Electoribus Comitem de Lucemburg, virum magnanimum, industrium, atque catholicum, Pratensi tum bene notum*. Appositè pariter Cavatius Lib. III. Historiarum Cœnobii D. Justinæ Patavinæ ad annum MCCCVIII. *Vergente anno Henricus Comes Luceburgensis Romanum Imperium capessivit, cui Pontifex insignia Romæ per Legatos dare pollicebatur, si ante biennium armatus in Italiam descenderet. Arbitrabatur idem ebullientes ubique factiones Welphorum, & Gibellinorum posse restingui ipsius Cæsaris prudentia, vel armis. Cæsar ipse licèt opibus, ac ditione inter Germanos Principes minor; tamen belli pacisque artibus longè major, ingentem de se opinionem excitaverat*. Sed omnium uberrimè, & honorificentissimè Carrio *Strenuitatem* Henrici cùm omni reliquarum Virtutum illius agmine copulavit Libro IV. Chronici, & ejus quoque intuitu præfectum fuisse docuit Imperio Romani clavi. *Cùm Septemviri convenissent Francfort, conjunctis suffragiis elegerunt Henricum Comitem Lucelburgensem, Cal. Novembris, septimo ab interitu Alberti mense, de commendatione Balduini Archiepiscopi Trevirorum, qui in fratre Henrico non opes, quæ exiguæ erant; sed alia ad justam, & salutarem gubernationem magis necessaria præsidia, atque ornamenta veriora prædicabat, generositatem naturæ, ingenii præstantiam, excelsi animi magnitudinem, moderationem in omni vita, justitiam, peritiam rei bellicæ, vigorem ætatis & corporis, robur, ac firmitatem ad tolerandos militiæ labores*. Quæ possit hac de re fax isto Sole clarior? quod Elogium plenius? quæ copia verborum uberior reperiri? Ea propter jure Trithemius, ut alibi differebam, cùm Henricum *Strenuum* appellasset, statim eundem *dignum Imperio* nominavit: jureque ante illum *Rodulphus*, & *Adulphus*, & post eundem *Ludovicus IV.* præfecti fuerunt Imperio rerum Strenuitate duce. Quippe de *Rodulpho* talibus Ptolemæus. *Comes Rodulphus de Abisburg in Imperatorem eligitur, qui quidem fuit parvi dominii, & Comitatus; sed strenuissimus in rebus*. De *Adulpho* Ferretus. *Tandem cùm alter alteri, per supremos apices Alemaniæ favere dedignaretur, ad eos, quos media generis, & opum fortuna respexit, sermo dirigitur, quos inter vir strenuus satis, & fortis Adulphus de Maxio, fama præclarus gratior visus est*. De *Ludovico IV.* Joannes Villanus Lib. IX. Cap. LXVI. *Eodem anno à Principibus Germaniæ facta est electio duorum Germaniæ Regum, fratris nimirum Ducis Bavariæ, Ludovici nomine, viri strenui, & egregii &c.* Miles enim debebat is esse, qui præficiendus erat Imperii Rom. clavo, testimonio BeKæ in Othone III. Ultrajectensi Episcopo XXXVI. nec qualicumque Miles; sed strenuus,

nuus, secundùm etymologiam ejusdem nominis, quod est Miles, Hinc, apud laudatum BeKam, Cardinalis, à quo Miles renuntiatus est VVilhelmus Hollandiæ Comes, in Imperatorem postmodum eligendus: *Oportet*, inquit, *unumquemque militare volentem esse magnanimum, ingenuum, largifluum, egregium, & strenuum. Magnanimum in adversitate, ingenuum in consanguinitate, largifluum in honestate, egregium in curialitate, & strenuum in virili probitate*. Qualis re ipsa idem VVilhelmus fuit, ejusdem BeKæ præconio in laudato loco, nempe, *fidelis* is fuit, *catholicus*, *animo prudens*, *militia strenuus*, *propriis potens viribus*, *multorum Principum consanguinitate*, *& affinitate connexus*, *juventute fervidus*, *experientia moderatus*, *gratus moribus*, *& specie corporis in oculis omnium gratiosus*, quibus quasi numeris probus absolvitur Imperator. *Osius*.

(15) Fortuna & ipsa sibi fasces, regna, & imperia vendicat in ore Vulgi, eaque caussa quarta promotionis Henrici ad apices Imperii summos ex Vulgi mente. Sed & alii sic loquuti ad vulgarem captum, Virgilius in carmine de Fortuna:

Fortuna immeritos auget honoribus

Seneca Tragicus in Thyeste.

Habere regnum casus est, virtus dare.

Sallustius in Catilinario Bello. *Fortuna in omni re dominatur*. Et in Jugurthino. *Humanarum rerum pleraque Fortuna regit*. Nec alio pertinet Simulacrum Fortunæ aureum, quod Romani Orbis Monarchæ, Cæsares Augusti, semper in cubiculo ad extremum usque vitæ habitum servare solebant, moriturique suum ad successorem cum Imperii honore, onereque transmittere. Ea re scilicet id fiebat, ut indicaretur, reverenter ab iis habendam esse Fortunam, cujus arbitrio, imperia dari, stare, cadere putarentur. Meminit ejus moris Capitolinus, qui Antoninum Pium Augustum moribundum hoc officii genero suo M. Aurelio Antonino, quem successorem sibi designaverat, præstitisse scribit his verbis: *Tertia die cùm se gravari videret, M. Antonino Rempublicam, & filiam præsentibus Præfectis commendavit. Fortunamque auream, quæ in cubiculo Principum poni solebat, transferri ad eum jussit, signumque Tribuno, Æquanimitas, dedit, atque ita conversus, quasi dormiret, spiritum reddidit*, Et in M. Aurelii Antonini Vita. *Ob hoc*, inquit, *Antoninus Pius, cùm sibi adesse finem vitæ videret, vocatis amicis, & præfectis, eum uti successorem imperii omnibus commendavit, statimque signo, Æquanimitas, Tribuno dato, Fortunam auream, quæ in cubiculo solebat esse, ad Marci cubiculum transire jussit*. Hæc ille. Sed & apud Ælium Spartianum leges, L. Septimium Severum Imp. suum aureæ Fortunæ simulacrum ante mortem geminare decrevisse, ut duobus filiis M. & P. Antoninis Bassiano, & Getæ, quos æquo jure successores sibi destinaverat, unicuique suum, relinquere posset. Sed Eboraci in Britannia morte præventus, quod animo conceperat, non peregit. Sic igitur rem istam omnem Spartianus expressit in ejusdem L. Severi Vita, *Fortunam* Capitolini *auream*, *Regiam* vocans. *Ultima verba ejus dicuntur hæc fuisse. Turbatam Rempublicam ubique accepi, pacatam etiam Britannis relinquo senex, & pedibus æger. Firmum imperium Antoninis meis relinquo, si boni erunt, imbecillum, si mali. Jussit deinde Tribuno signum dari, Laboremus, quia Pertinax, quando in imperium adscitus est, signum dederat Militemus. Fortunam deinde Regiam, quæ comitari Principes, & in cubiculis poni solebat, geminare statuerat, ut sacratissimum simulacrum utrique relinqueret filiorum. Sed cùm videret se perurgeri, sub horam mortis jussisse fertur, ut alternis diebus apud filios Imperatores in cubiculis Fortuna poneretur. Quod Bassianus priùs contempsit, quàm faceret parricidium*. Sic Spartianus rectè, verèque. Non enim adeò diu postea Romæ Bassianus impius ille fratrem suum minorem P. Getam in Palatio, manu propria, in sinu matris subitò trucidavit, ut Herodianus tradit. Et hoc de more cum Spartiano, & Capitolino satis. *Osius*.

(16) Frequens ea vox apud Nostrum, ut & apud Auctorem Chronicæ Aulæ Regiæ. Occurrit enim primò Cap. IX. in laudibus supra memorati Petri Archiepiscopi Maguntini: *Eodem anno, Nonis Junii, Reverendus Pater Dominus Petrus, natione Treverensis, Moguntinus Archiepiscopus, expertus & excellens Medicus, sapiens Principum Consiliarius, vir in omnibus eventibus mundanæ conversationis fortunatissimus, præsenti seculo vale faciens, ætate senili confectus, de carnis ergastulo spiritum exhalavit extremum*. Secundò, Cap. XIII. in Carmine, quo deploratur obitus Mariæ Reginæ Franciæ, Henrici VII. F.

O mens, mundana videas quòd & omnia vana
Sunt, quæ tu cernis, tu verè labantia spernis.

Tertiò, Cap. XVI. in deploratione status Regni Boemici.

Ex istis vanis, mundanis cottidianis
Actibus & factis, nobis nunc, & priùs actis
Dignè debemus nos emendare, &c. Osius.

(17) Non solùm his Mussatus piè claudit Rubricam istam, Deum supra *Naturam*, & *Fortunam* locans; sed & illi, uti caussæ potissimæ, electionem Henrici rursus adscribit. Itaque *Deo res aliter disponente*, ac alii cogitarant, Bertelius; *Deo providente* Nauclerus, clarum illum ad Imperium scribunt: nec temerè ipsemet Henricus, renuntiatus præter opinionem Cæsar, *primùm omnium*, ut est à Vecerio scriptum, *immortali Deo*, auctori præcipuo sublimitatis suæ, *gratias egit*. Osius.

Digitized by Google

RUBRICA V.

Alemaniæ placatio (18).

HENRICUS hic titulum nactus Imperii, universorum Principum ferventioribus assensibus (19), Plebis clamoribus (20), & Clericorum (21) Antistitum (22) applausibus in sedem Augustam delatus est (23). Cujus & jugum (24) subiere libentes (*), qui trans, & cis (25) Rhenum accolunt (26), & omnes Theutones (27) ad hunc se se referentes, ut ad perspicuum columen Cæsareæ Majestatis.

RU-

NOTÆ AD RUBRICAM V.

(18) Hæret difficulter hic Titulus Rubricæ V. quòd inde nulla ferè ratio placatæ Alemaniæ constet. Hæret ille tamen ex eo, quòd uni Henrico se se Alemania subjecerit universa, quæ bellis, & diffidiis inter se scissa præstare id minimè potuisset. Sed apparebit idipsum clariùs ex auctario nostro ad primam Notam Rubricæ proximè consequentis. *Osius*.

(19) Ob id maximè, quòd Germanorum Principum Optimus haberetur, brevi magna facinora patraturus, quibus Imperii Romani decus excresceret. Vide me supra in ejusdem Elogiis. *Osius*.

(20) De more. Solitum enim olim, ut hodie, ubique terrarum, ac gentium recens creatis Principibus à cunctis Ordinibus acclamari. De minore Ordine, quo de Noster hoc loco, Plinius in Panegyrico Trajani: *Et Populus quidem Romanus dilectum Principem servat, quantoque paullò ante concentu formosum alium, hunc fortissimum personat, quibusque aliquando clamoribus gestum alterius & vocem, hujus pietatem, abstinentiam, mansuetudinem laudat. Tibi ascendenti de more Capitolium, quamquam non id agentium Civium clamor, ut jam Principi occurrit &c.* Symmachus Epist. XXXI. in auctario ad Honorium: *Acclamationibus, quæ subjectæ sunt, gaudii sui causas Plebs Romana testata est, ac Serenitati vestræ in dies singulos gratias agere tum destitit*. Procopius latinè redditus Lib. I. Goth. ubi de Justiniano, qui tanti faciebat acclamationes istas, ut sibi caverit clamores populi primò dari Romæ, deinde Theudato: *Et ut Populus Rom. semper Imperatori, deinde Theudato in Theatro, & Circo, & sicubi acclamari contigerit &c.* Nicetas Lib. I. Andronici: *Accipiter volavit ad magnum palatium, & supra domum, sedens, in qua designatos Imperatores moris est ab universo populo bonis verbis appellari. Renuntiationem incipiunt, & ita ordinant: Alexii, & Andronici Magnorum Impp. Rom. Comnenorum multos annos, & apertis faucibus canentes*.

Ritè verò tributus Plebi *clamor* à Nostro, non *Plausus*, sive quòd acclamationes Plebis ut plurimùm cum clamore, sive quòd re ipsa ingenti sonitu, *apertis*, uti modò vidimus ex Niceta, *faucibus*, *contentisque vocibus* ederentur. Talem, præter Plinium laudatum ante, clamorem Vulgo tribuit Seneca Epistola XXIX. extrema: *Cæterum si te videro celebrem secundis vocibus Vulgi, si intrante te clamor, plausus, & pantomica ornamenta obstrepuerint, &c.* Ideoque Plinius ibidem loci, ut clamoris ejusdem magnitudinem palam faceret, usus est *personandi* verbo, pro quo Seneca in laudata Epistola *obstrepere* maluit usurpare. Vocabant ob id etiam acclamationes Vulgi κραυγὰς, & θορύβους, hoc est, *vociferationes*, & *tumultus*, ipsumque acclamare βοᾶν, ἐκβοᾶν, ἀλαλάξαν ἐπιχράξαν, ἐπικραυγάξαν, quod est *vociferari*, ac *perstrepere*, nominabant. Sed ingentem clamoris vim in acclamante Populo signatè tetigere Græcorum, & Latinorum multi. E Græcis inter cæteros Libanius, & Nicetas: è Latinis Sidonius, Diaconus, Victor, tradentes sic à Populo acclamatum interdum, ut ipsimet Dii clamorem illum audirent, palatia præ sonitu disrumperentur, Populus ipse deveniret ad ravim usque, hoc est, ad defectum vocis. Adscribam singulorum verba, ne videar supra fidem loqui. Primi ea sunt, quæ profero ex Legatione ad Julianum: *Ubi autem hæc quidem finem habuerunt, tua verò incrementum acceperunt, & occasio se se obtulit mentem tuam aperiendi, Dii clamorem audiverunt, quantum antea nunquam, tum Virorum, qui non theatrum tantùm compleverant; sed etiam montis sinus, tum Fœminarum, cùm pro more suo singulæ ex ædibus suis acclamatione fausta prosequerentur ob ea, quæ hic gesta fuerant*. Subjicio quæ Nicetas habet in Isacii, & Alexii libro; *Angebatur animo, quòd proclamationis ordo immutatus esset, filio enim priori loco contentis vocibus acclamabatur, ita ut sonitu Palatia disrumperentur; ille autem posteriore clamore filii acclamationes firmiores sequebatur*. Tertium sibi locum Sidonius vindicat, cujus ista sunt in Epist. III. Lib. IX. ubi de acclamationibus, & plausibus Fausto Rejensi Episcopo concionanti datis: *Licèt prædicationes tuas nunc repentinas, nunc cùm ratio poposcisset elucubratas raucus plausor audierim, &c.* Claudit reliquorum agmen Aurelius Victor in Pertinace, & ex eo Diaconus Lib. X. Miscellæ Historiæ, de dicto Pertinace loquentes ambo: *Huic mortuo Divi nomen decretum est, ob cujus laudem ingeminatis ad vocis usque defectum plausibus acclamatum est*. Eratque proprium adeò Populi contentis ad defectum usque vocibus acclamare, ut apud Svetonium in Caligula Cap. VI. Tiberius è somno faustis acclamationibus populi fuerit excitatus: & Poetæ acclamantem alicubi Populum inducentes, vocem, & clamorem ejus ad Cœlum usque pertingere perpetuò canant. Quòd si fortè fortuna Populus aliquando remissiùs acclamasset, admirationi res erat illa, ut nova, & lasciviæ plena; eaque acclamatio æquabatur concentui potiùs, quàm clamori. Disertè Theodoricus apud Cassiodorum Lib. I. Var. Epist. XXXI. de acclamante Rom. Populo in theatro: *Profertis voces organo dulciores, & ita sub quadam harmonia citharæ concavum Theatrum per vos resonat, ut tonos possit quilibet credere potiùs, quàm clamores*. Eas sanè voces Plinius *clamores teneros*, & *Cantica* nominabat. Scribit ille scilicet Epist. IV. Lib. II. *Pudet referre, quæ quàm fracta pronuntiatione dicantur, quibus quàm teneris clamoribus excipiantur: plausus tantùm, ac potiùs sola cymbala, & tympana illis canticis desunt*. Evincunt ista clarè omnia, clamores ritè tributos Plebi acclamanti Henrico VII. Cæs. Augusto: at quid hisce tandem illi clamoribus acclamatum? Non dubium, id, quod ab eadem Plebe reliquis solitum ubique Principibus acclamari, Vita nempe, Victoria, Felicitas, Salus, Æternitas, & id genus alia, quæ subnectam.

Acclamabatur in primis à Plebe Regi suo Vita, hac formula, *Vivat Rex*. Sic olim Sauli uncto, & creato Regi *clamavit omnis populus, ut apertè liquet ex Capite X. primi Regum, & ait, Vivat Rex*. Sic Regum eorundem III. Cap. I. de Salomone legitur: *Tollite vobiscum servos Domini vestri, & imponite Salomonem filium meum super mulam meam, & ducite eum in Gibon, & ungat eum ibi Sadoc Sacerdos, & Nathan Propheta in Regem super Israel, & canetis buccina, atque dicetis, Vivat Rex Salomon &c.* Et Lib. IV. Cap. II. de Joe Rege uncto pariter, & creato: *Produxitque filium Regis, & posuit super eum diadema, & testimonium, feceruntque eum Regem, & unxerunt, & plaudentes manu dixerunt, Vivat Rex*. Quæ quidem sic iterantur Lib. II. Paralip. Cap. XXIII. *Et eduxerunt filium Regis, & imposuerunt ei diadema, & testimonium, dederuntque in manu ejus tenendam Legem, & constituerunt eum Regem, unxitque illum Joiada Pontifex, & filii ejus, precatique sunt ei, atque dixerunt, Vivat Rex*. Manavit inde mos idem in Gallias. Sicquidem eo in Opusculo, quod *Coronatio Christianissimi Galliæ Regis* inscribitur, in Tertia Thesauri Politici parte, ita scriptum extat: *Statim coronato Rege, atque in Throno sedente, Rhemensis Archiepiscopus ad illius amplexum, & osculum accedit: moxque ad populum conversus acclamat, Vivat Rex, Archiepiscopo autem sic acclamanti*,

ti, *Cantorum Schola illico succinit*, *Vivat Rex in æternum*, *& post Cantores populus universus contentis vocibus formulam eandem*, *Vivat Rex*, *iterum ac sæpiùs repetit*. Romani pariter, sectatores omnis laudabilis instituti, *Vitam* acclamare soliti Principibus suis ad Hebræorum morem. Lampridius in Antonino Diadumeno de acclamatione Macrino, & Antonino facta: *Imperator Optime Maxime*. *Macrino*, *& Antonino Vitam*. Et in Alexandro Severo. *Dii Immortales Alexandro Vita*. Et paullò post: *Antoninorum Alexandro Vitam*. Inde Corippus Lib. III.

Augusti Vitam lætis clamoribus optant,
Post senium dicunt se se juvenescere, *Mundus*
Gaudet, *& antiquæ repetit primoraia formæ*.

Defluxitque mos idem in Sacros ritus. Quamobrem in Actis Ordinationis Erodii, cùm eum Populo coram, & astante Clero sibi in Episcopali dignitate successorem fecisset Augustinus, à populo acclamatum patet, *Deo gratias*, *Christo laudes*; *Augustino Vita*. Et in Creatione, & Consecratione Rom. Pontificis, ex vetusto instructissimæ apud Mediolanenses Ambrosianæ Bibliothecæ Pontificalium, & Ritualium Codice. *Domino Nostro N. à Deo Summo Pontifici decreto*, *& universali Papæ Vita*. Quibus habentur hæc affinia in uno Vaticanæ Cæremoniali prisco; *Expleta Oratione à Pontifice*, *antequam Lector in ambonem ascendat*, *pronuntiat secundò Diaconus*, *& tertiò Cantores*, *respondente illis Schola hoc modo*. *Exaudi Christe*. *Respondet Schola*. *Domino Nostro N. à Deo decreto Summo Pontifici*, *& universali Papæ Vita*. Et in altero: *Tunc Archidiaconus cum Diaconibus*, *& aliis sic incipit laudem alta voce*, *Exaudi Christe*: *Scriniarii respondent*, *N. Domino Nostro Papæ Vita*.

Quia verò acclamatio Vitæ, longæ vitæ votum cum precibus includebat, idcirco spectat huc proximè formula illa altera, qua Multos Principibus suis Annos in acclamationibus publicis exoptabant. Evagrius Lib. II. Cap. IV. Ὀρθόδοξε βασιλεῦ, σαυτὸν ἐνδίκνυον. Ἀέοντος πολλὰ ἔτη. *Orthodoxe Rex*, *te ipsum vindicato*. *Leoni multos annos*. Nicetas laudatus ante: *Renuntiationem incipiunt*, *& ita ordinant*. *Alexii*, *& Andronici magnorum Impp. Romanorum Comnenorum multos annos*. Lampridius in Severo: *Alexander Auguste*. *Dii te servent*. *Cæsar noster*, *Augustus noster*, *Imperator noster*, *Dii te servent*. *Vincas*, *valeas*, *multis annis imperes*. Tertullianus etiam hujuscemodi vota pro Imperatoribus profanis persoluta dicit à Christianis in Apologetico Cap. XXX. *Precantes sumus semper pro omnibus Imperatoribus Vitam illis prolixam*, *Imperium securum*. Quin & multos de suis annos iisdem adprecabantur. Ambrosius in Oratione funebri Valentiniani Imperatoris: *Quòd si me ad illum revocatis dolorem*, *quod citò excessit è vita*: *nec ego abnuo*, *immatura obiisse ætate*, *quem Nostræ Vitæ temporibus fulcire cuperemus*, *ut de nostris annis viveret*, *qui non potuit frui suis*. Facit huc etiam tritum illud Populi in congiario, quo de Tertullianus in Apologetico laudato nuper, Cap. XXXV. ad hunc modum scribens: *Jam si pectoribus ad translucendum quandam specularem materiam natura obduxisset*, *cujus non præcordia insculpta apparerent*, *novi ac novi Cæsaris scœna in congiario dividendo præsidentis? etiam illa hora*, *qua acclamant*,

De nostris annis tibi Jupiter augeat annos,

Unde Ovidius Fastorum I.

Augeat imperium nostri Ducis, *augeat annos*.

Quod & precabantur Amicis. Seneca de Beata Vita Cap. VIII. *Dicere solent eis*, *quos validissimè diligunt*, *paratos se partem annorum suorum dare*. Plautus Argyrippi ore, respondentis ad illa Philenii, amice Curtii, objecto immerito meo, me morti dedere optas? *Ego te? quem si intelligam deficere vita*, *jam ipse vitam meam tibi largiar*, *& de mea ad tuam addam*.

Tibullus, etiam eodem spectans, ita blanditur Aniculæ Lib. I. Eleg. VI.

Vive diu, *mi dulcis anus*; *proprios ego tecum*,
Sit modò fas, *annos contribuisse velim*.

Nec alio voto Priscilla moriens amantem Maritum consolatur in Papinii Sylvis:

Pars animæ victura meæ, *cui linquere possim*,
O utinam, *quos dura mihi rapit Atropos annos*.

Cujus sanè voti compotem factam Alcestidem, Admeti Thessaliæ Regis uxorem ferunt, quippe quæ sola potuit ac voluit, fata permutando, Mariti vitam morte sua producere, teste Platone in Symposio, Juvenale Sat. VI. Ovidio de Ponto, Euripide in Alcestide, Seneca in Medea. Val. Maximo Lib. IV. Cap. VI. Hygino in Fabulis, & Euripide, qui morientem illam superstiti marito vale dicere fecit his verbis:

O vir salutem prætuli meæ tuam
Præ me tibi ut lucem liceret cernere.
Emorior pro te, *cùm liceret mihi non mori*.

Spirant hæc, ædepol, adfectum merum; sed illa me formula, *multos annos*, rapit ad se rursus in Synodis, in quibus & Imperatorum, & Patriarcharum saluti acclamari consueverat ad hunc ferè modum, uti videre est in Concilio Chalcedonensi Act. IV. *Multos annos Augustis*. *Patriarchis multos annos*. *Multi sint anni Patriarchæ*. *Multi anni Imperatoribus*. *Multi anni Augustæ*. Sed appositè de Patriarchis, & hac illis acclamatione facta, Georgius Codinus in Libro de Officiis Aulæ, & Ecclesiæ Constantinopolitanæ Cap. XX. *Reperto intra septum Patriarchali sceptro*, *Imperator*, *ministerio nobilis adolescentis ex iis*, *qui sinè pileo in Aula obambulant*, *accipit illud*, *stansque magna voce ita fatur*: „ *Sancta Trinitas*, *per* „ *Imperium ab ipsa nobis concessum constituit* „ *te Archiepiscopum Constantinopoleos*, *novæ* „ *Romæ*, *& Oecumenicum Patriarcham*: „ *moxque universi multos annos acclamant*. Et uberiùs Georgius Phranza Lib. III. Chronici Cap. XIX. *Erat munus*, *& consuetudo Christianorum Imperatorum*, *ut electo Patriarchæ pedum*, *seu virgam pastoralem auream*, *lapillis & margaritis distinctam*, *donarent*, *&c.* *Finito autem tropario*, *Imperator surgens habet in manu dextra pedum*. *Accedit candidatus*, *cujus unum latus Cæsar*, *alterum Heracleæ Metropolita tegit &c.* *Deinde ad Imperatorem accedit*, *& consueta adoratione illum prosequitur*. *Imperator paululum attollens pedum*, *ait*. „ *Sancta Trinitas*, *quæ mihi Imperium donavit*, „ *te in Patriarcham novæ Romæ deligit &c.* „ *Deinde Chori psallebant*, *& acclamabant*, *ad multos annos Domine*, *idque tertiò*, *& illud* ἀπόλυσις, *hoc est*, *Ilicet*. Sed ego hac in formula fortasse multus, quam ipse quoque Plinius afferret tum in Panegyrico, tum in Epist. ad Trajanum, Firmicus etiam Lib. I. Math. Cap. I. Ovidius XV. Metam. Propertius, Pedo, Martialis non uno in loco, si plurium calculis indigeret.

Præter vitam, victoriam Regi suo Populus acclamabat.

Corippus Lib. I. ------ *Sic vulgus amore*
Undique conveniens lætarum more volucrum
Tu vincas, *Justine*, *canunt*.

Capitolinus de Gordianis. *Imperatores de Senatu Dii conservent*. *Imperatores nobiles victores videamus*. Lampridius in Severo: *Alexander Auguste*, *Dii te servent*. *Cæsar noster*, *Augustus noster*, *Imperator noster*, *Dii te servent*, *vincas*, *valeas*, *&c.* Interdum victoria simul Regi poscebatur, & vita. Mussatus Noster Lib. VIII. Rub VII. quæ est de inauguratione Romana Henrici VII. *Coronam auream capiti ejus imposuere*, *multis Cleri*, *Populique applausibus Inclyto Imperatori Henrico semper Augusto vitam*, *victoriamque conclamantibus universis*, ubi hac de duplici acclamatione plura.

Vocor enim ad tertiam ex propositis, omine felicitatis plenam, cujus in secundo Corippi vestigium non obscurum:

Justinum, *Sophiamque pares*, *duo lumina Mundi*
Esse ferunt. *Regnare pares in secula dicunt*,
Felices annos Dominis felicibus orant.
Insonuit vox illa diu, *tandemque quievit*.

Hinc illa Nicephori in Breviario Hist. καὶ κατήρχοντο ἀνεμφημοῦντες τοῖς βασιλεῦσι. *Ita Imperatoribus feliciter comprecantes recesserunt*. Svetonius etiam huc respexit, cùm in Claudio scripsit Cap. VII. *Præsedit nonnunquam ludis in chori vicem*, *acclamante Populo feliciter*. Et in Domitiano Cap. XIII. *Acclamari etiam in Amphitheatro epulari die libenter audiit*, *Domino*, *& Dominæ feliciter*. Narrat ob id, hoc ipso ex more, Capitolinus in Gordianis, cùm quadam die fatum Imperatorum Gordianus in Africa legeret, atque à Proconsulibus

Sci-

Digitized by Google

Scipionibus cœpisset, acclamatum ab Afris: *Novo Scipioni, vero Scipioni, Gordiano Proconsuli*, postque concionem cujusdam Decurionis Mauricii, acclamatum à Populo: *Æquum est, justum est. Gordiane Auguste Dii te servent, feliciter, Imperator es, cum filio imperes*. Nec alia fuit acclamatio Senatus in electione Probi, qua de Vopiscus his verbis in eodem Probo: *Probe Auguste, Dii te servent. Olim dignus, & fortis, & justus. Bonus ductor, bonus Imperator. Exemplum militiæ, exemplum Imperii, Dii te servent. Assertor Reip. felix imperes, Magister militiæ, felix imperes*. Et post aliqua: *Tu Francicus, tu Gothicus, tu Sarmaticus, tu Parthicus, tu omnia. Et priùs fuisti semper dignus Imperio, dignus triumphis, felix agas, feliciter imperes*.

Et his quidem postremis ex locis Vopisci, & Capitolini liquet, qua quoque formula Romanis olim Cæsaribus acclamaretur *salus*. Constabat illa scilicet hisce verbis: Dii te servent, quibus nihil obvium magis in eorumdem historicis monumentis. Habet nempe primus in eodem Probo: *Quasi divino nutu undique ab omnibus acclamatum est: Probe Auguste, Dii te servent*. Et in Tacito Senatus ore: *Auguste, Dii te servent*. Alter in Maximo, & Balbino: *Æquum est, justum est. Sententiæ Sabini omnes consentimus. Maxime, & Balbine Augusti, Dii vos conservent*. Accedit his Lampridius in Antonino Diadumeno: *Macrine Imperator, Dii te servent*. In Alexandro Severo: *Auguste innocens, Dii te servent. Alexander Imperator, Dii te servent*. Et mox: *Antonine Alexander, Dii te servent. Antonine Aureli, Dii te servent. Antonine Pie, Dii te servent, In te salus, in te vita, ut vivere delectet*. Et infra: *Alexander Auguste, Dii te servent*. Nec multò post: *Alexander Auguste, Dii te servent. Cæsar noster, Augustus noster, Imperator noster, Dii te servent*. Lego pariter in Antonino Vvulcatii: *Antonine Pie, Dii te servent, Antonine Clemens, Dii te servent*. Et ubi non occurrit hæc formula: Adeò sanè clarè locus ille Codicis Theodosiani Lib. VII. Tit. XX. qui de Veteranis est, acclamationis hujus meminit, ut omitti non possit. Ita scilicet is ad verbum scriptus: *Cùm introisset* (Constantinus) *principia, & salutatus esset à Præfectis, & Tribunis, & Viris eminentissimis, acclamatum est, Auguste Constantine, Dii te nobis servent: Vestra salus, nostra salus, verè dicimus, jurati dicimus*. Formula illa alia Trebellii in Claudio, Dii te nobis præstent, ejusdem est notæ, nec interpretationem poscit. Acclamabant interdum etiam *gloriam* cum *salute*. BeKa de VVilhelmi Coronatione scribens in Othone III. Ultrajectensi Episcopo XXXVI. *Post hæc circunstantes Principes, adorantes Majestatem Regiam, acclamaverunt ipsi salutem, & gloriam*.

Eò demum progressa fuit assentatio Populi blandientis Principibus suis, ut iisdem precaretur Æternitatem ipsam, mansuramque diuturni sedem Imperium in immortalitatem omnem. Lampridius in Severo: *Auguste innocens, Dii te servent. Alexander Imperator, Dii te servent. Dii te nobis dederunt, Dii te conservent. Dii te ex manibus impuri eripuerunt, Dii te perpetuent*. Josephus de Salomone novo Rege facto Lib. VII. Antiqq. Judaic. Cap. II. *Hoc autem munus* (declarandi Salomonem Regem) *Sadoco Pontifici, & Nathani Prophetæ injunxit, mandavitque ut invecto per medium urbem, præcinente tubicine, prosequentium multitudo acclamaret: In æternum Salomon Rex in Solio sedeat*.

Dimitto pensum istum cum Acclamatione illa, *Deo Gratias*, quæ fortè manasse quoque potuit ex ore Germanæ plebis, applaudentis Henrico, cùm apud Capitolinum in Maximinis affinem ei formulam observare sit in illis: *Juppiter Optime, Tibi Gratias. Apollo venerabilis, Tibi Gratias. Maxime Auguste, Tibi Gratias. Tibi Gratias Gordiane Auguste, &c.* Osius.

(21) *Maguntini* cum primis, & *Balduini* fratris; sed & *Præsulum* aliorum. Addictus enim universæ ferè Germaniæ Clerus Henrico, Religiosissimo Principi, delatum eidem Imperium applaudens, gratulatus est. Pari plausu Clerus illum Romanæ Sedis excepit, cùm in Urbe Sacrorum Domina coronatus est, testimonio Nostri, qui ea de re scribens Lib. VIII. Rub. VII. meridiana luce clariùs *Coronam*, inquit, *auream capiti ejus imposuere, multis Cleri, Populique applausibus, Inclyto Imperatori Henrico semper Augusto vitam, victoriamque conclamantibus universis*. Tributi verò *applausus* utrobique sapienter Clero, quòd hi clamoribus mitiores sint, magisque deceant compositam Sacrorum Hominum majestatem. *Osius*.

(22) Nihil additum hic à Nostro frustra. Clericorum enim non una est species, & qui Sacris nondum Ordinibus initiati sunt, horum in numero recensentur. Fragmentum pervetus de Conversione Bojariorum, & Carinthanorum ad Christianam fidem, quod exiit è Bibliotheca Freheri unà cum antiquis Scriptoribus aliis Bohemicarum rerum: *Ad augmentum servitii Dei primitus illuc post obitum Dominici Presbyteri, Sunarnagel Presbyter, ac præclarus Doctor illuc missus est cum Diacono, & Clericis, &c.* Osius.

(23) *Electionem* Cæsaris, *Inaugurationis* ejusdem *solemnia* consequebantur statim. Ea re Noster ritè, & ordine Henricum VII. Electoralibus è Comitiis deducit in Augustam Sedem. Verùm enim verò multa inter *Electionem*, & *Inaugurationem* Romani Cæsaris intercedere consuerant, quæ juvat hic, loco suo, persequi, &, uti ad me hinc inde pervenire notitia potuere, transmittere posteris hac opella.

Electione Cæsarea peracta, statim Divorum Ambrosii, & Augustini Hymnus, *Te Deum laudamus*, elatis de more vocibus canebatur; dein rogabatur Electus, ut electioni de se factæ præberet assensum, divinæ nolens resistere voluntati. Clarum id ex literis Moguntini de Ludovici Bavari renuntiatione in Romanorum Regem, Romano Pontifici datis his verbis, IV. Cal. Novembris Anni MCCCXIV. *Electione hujusmodi celebrata, eam nos omnes, & singuli Electores prædicti præsentes approbavimus, &* Te Deum laudamus *alta voce fecimus decantari, & dictum nostrum electum, qui præsens extitit, & electioni de se facta, divinæ nolens resistere voluntati, interpellatus cum instantia à nobis, reverenter consensit*. Eadem habentur ad verbum in literis Trevirensis, hac ipsa de re Pontifici eidem missis, X. Cal. Novembris ejusdem Anni. *De Hymno* clarè quoque meminit Chronicum Dominicanorum Colmariensium in Electione Alberti. *Albertum Ducem Austriæ in Dominum, & Regem eligimus Romanorum, & potestate nobis tradita similiter confirmamus, &* Te Deum laudamus *solemniter cantaverunt. Cùmque Dux præsens non adesset, extra Civitatem ad tabernacula perrexerunt, & ibi pannum pretiosum supra equum projecerunt, Regemque desuper sedere præceperunt, &* Te Deum laudamus *cum magna lætitia cantaverunt*.

Recepto assensu novi Cæsaris, evulgabatur ejusdem electio: mox Francofurtum ibant in D. Bartholomæi Templum, novoque Cæsare posito super Altare majus, iterabatur Divorum Ambrosii, & Augustini Hymnus. Moguntini literæ laudatæ nuper. *Deinde* (nempe post consensum ab Electo datum) *electionem ipsam Clero, & Populo solemniter fecimus publicari. Post nodum verò ipsum electum in Civitatem FranKenfordensium introducentes, in Ecclesiam S. Bartholomæi deduximus, & ipsum super Altare majus, prout moris & consuetudinis est, adhibitis solemnitatibus in talibus debitis, & consuetis posuimus*, Te Deum laudamus *denuo decantantes, &c.* Majolus in electione Potentissimi, & Invictissimi Principis Matthiæ. *Interea electus novus Rex ad Altare abductus, flexis in superiori gradu genibus, ad orandum se composuit, Electoribus ad latera utrinque consistentibus. Tum verò statim*: Adjutorium nostrum in nomine Domini: *Psalmusque*: In virtute tua lætabitur Rex, *cum pertinentibus ad eum precatiunculis super novo Rege, dicta sunt. Quibus finitis, Rex in Altare ab Electoribus elevatus, & collocatus, Hymnusque Ambrosii, & Augustini*, Te Deum laudamus, *tribus choris in organis, canticis, tubisque, & tympanis à cantoribus, buccinatoribus, & æneatoribus regiis electoralibus decantatus est*. Proclamationem quod attinet, testatus idipsum est Trithemius, & qui Paralipomena adjecit Chronicis Urspergensis. Ac primus hisce planè verbis, ad annum MCCCVIII. *Cujus electio-*

ctionem 27. die Novembris divulgari Francofordiæ solenniter fecerunt. Alter hisce fermè similibus in ipsomet Henrico VII. quo de Noster. *In loco, qui dicitur Reinsen, Trevirensis Diœcesis, electus fuit in Regem Rom. & futurum Imperatorem, & postmodum Francofordiæ more solito proclamatus*.

Locatus cùm esset Electus super Altare D. Bartholomæi majus, fidelitas eidem à populis jurabatur. Literæ Reipublicæ Francofurtensis ad Aquisgranenses datæ VIII. Kal. Novembris anni 1314. de juramento à se præstito Ludovico Bavaro, ut apud Hervvartum extant in ejusdem Regis vindiciis, Cap. II. *Secunda feria proximè subsequente, prædicti Principes sex ad nos, in Civitate FranKenfordensi existentes, suos idoneos Legatos, & Nuntios miserant, notificantes nobis per eosdem, electionem ab ipsis celebratam, & rogantes quàm intimè, ut prædicto Domino ritè electo in Regem Rom. Civitatem FranKenford. reseraremus, sibi reverentiam, & obedientiam debitam exhibendo. Nos deliberatione diligenti præhabita, & usi prudenti Dominorum nostrorum consilio, qui nos taliter informarunt, feria IV. proxima, post diem B. Lucæ, Serenissimo Domino nostro, Domino Ludovico Romanorum Regi, Civitatem FranKenfordensem reseravimus, sibique, postquam super Altare Sancti Bartholomæi exaltatus fuerat, quemadmodum vero Domino nostro, homagium & obedientiam debitam duximus generaliter faciendam*.

Præsentabatur hinc Electus Clero, & Populo, & ejusdem electio denuo solemniter enuntiabatur. Moguntini literæ memoratæ ante. *Deinde in cœmiterio Ecclesiæ antedictæ Clero, & Populo ipsum electum præsentavimus, & ejus electionem fecimus solemniter publicari*. Majolus in electione Matthiæ. *His omnibus peractis, porta Chori, quæ versùs dextram est, iterum aperta, & Rex ab Altari levatus, inter medios Electores per Chorum ad pegma, vel theatrum quoddam, extra Chorum in Templum excitatum, & tapetibus pretiosissimis undique exornatum, uti omnibus se se sisteret, processit. Erant in theatro isto subsellia septem pro Electoribus, holoserico nigro obducta, & præterea unum unico gradu reliquis magis elevatum, & panno aurato stratum pro Majestate Regia, posita. Rege iterum in sedem suam collocato, Electores etiam, Moguntinus, & Palatinus ad ejus dextram, Coloniensis, Saxo, & Legatus Brandenburg ad sinistram, Trevirensis verò coram in medio consederunt: Palatino quidem orbiculum regalem, Saxone districtum gladium, & Legato Brandenburg sceptrum regium manibus tenentibus. Interim verò, dum loca sua Electores occuparent, tubicines, & æneatores cantibus indulgentes, clangore universum templum maximo repleverunt, quibus cessantibus publicatio, & proclamatio ad populum ab admodum Reverendo Domino Georg. Frider. Greiffencloe à Volrath, Præposito Moguntinense, & VVormatiense in hanc fermè sententiam facta est*. Et sequuntur ipsius proclamationis verba, quæ missa facio non invitus. Et hæc quidem omnia ad *Electionem* Romani Cæsaris attinebant. Nempe, proclamatione solemniter facta, Electores cum Majestate Cæsarea discedebant è D. Bartholomæi Templo, & eandem in Aulam regiam, eo, quo ad Templum accesserant ordine, deducebant.

Dabatur inter hæc opera, ut Electio Regis ad Romani Pontificis, & aliorum, quorum intererat, Principum aures illico deveniret. Nauclerus de Henrici, ejus nominis Septimi, electione scribens. *Facta electione, mox curabatur divulgari in Curia Papæ, & Regis Franciæ*. Exarabantur igitur ea de re literæ, erantque hæ Archicancellariorum Electorum partes, ut Electionis Cæsareæ fama Germaniam, Italiam, Galliamque compleret. Sancitum etiam per Bullam Carolinam fuit, ut ritè Electus in Romanorum Regem, peracta statim electione, priusquam in aliquibus caussis aliis, sive negotiis virtute Sacri Imperii administraret, confirmaret Electoribus omnia privilegia, & quidquid ad ipsorum dignitatem, decus, libertatem, & immunitatem spectaret.

In aula verò Regia potissimùm agebatur de prima novi Regis Coronationis die, quam cùm Electores unanimes delegissent, simul ac appulisset, novus Aquisgranum Cæsar unà cum Electoribus accedebat, ut in Augusto Caroli Magni solio locaretur. Expressit morem istum Beka, VVilhelmi Coronationem verbis hisce narrans in Othone III. Ultrajectensi Episcopo XXXVI. *Postera verò die, quæ est omnium Sanctorum festiva solemnitas, universa multitudo Prælatorum, & Principum deduxit electum Regem ad Basilicam perpetuæ Mariæ Virginis, ut solemnem benedictionem acciperet secundùm ritum antiquæ consuetudinis, quem Monasteriensis, & Mundensis Episcopi similiter ordinarunt, infra Sacrarium; sed eundem Leodiensis, & Trajectensis Episcopi vestitum ornamentis leviticis in modum Diaconi perduxerunt ante regale solium, quem ex tunc Coloniensis Archiepiscopus, Cancellarius Italiæ collocavit in sede Majestatis, ita dicens. Super Thronum regni gloriosè sedens, Judicium, & Justitiam in terra facias, &c.*

Aquisgrano verò habitus is honos, ut illic novo Germanorum Regi primi diadematis insignia deferrentur, ex Sanctione Caroli M. qui cùm Urbem illam vivens in amoribus habuisset, eandem Regni Romani sedem haberi voluit, ibique reliquos à se Reges in augusto suo solio collocari: quamquam certis de caussis Romani Cæsaris coronationem primam alibi quandoque celebratam ex Historiis constet, utpote Francofurti Anno MDLXII. & MDCXII. Ratisbonæ Anno MDLXXV. &, ex Argentinensi Bonnæ Anno MCCCXIV. quo Federicum inibi coronatum tradit. Emicuit ista mihi ratio è Fragmento, quod modò laudati Argentinensis Chronicum præit, hac verborum face. *Carolus creatus Imperator, Galliarum fines adiit, & locum qui aquis, ob aquarum calidarum adeptionem, traxit vocabulum, solito more venandi caussa aggressus est, & perplexione sylvarum, & errore viarum à sociis separatus, thermas calidorum fontium, & palatia inibi reperit, quæ quondam Granus, unus de Romanis Principibus, frater Neronis, & Agrippæ, construxerat: quæ longa vetustate deserta, ac demolita, frutetis quoque, ac vepribus occupata, pede equi, quo sedit, inter saltus rivos aquarum calidarum percepit, & reperit. In quo loco sub titulo & honore B. Dei Genetricis Mariæ fundavit Ecclesiam miri decoris, quam auro, & argento, & vario ornatu soli, æreis cancellis quoque & januis magnificè, & mirificè adornavit. Ad cujus etiam fundationis structuram cùm columnas, & marmora aliunde habere non posset, Roma, Ravenna, ac Treveri devehenda curavit, nullum laborem, ac sumptum recusans. Consecrationem verò ejusdem Basilicæ quanta solemnitate Episcoporum, & Prælatorum, quanta totius Regni, & Imperii Primatum, & Principum numerositate celebraverit, adscito etiam B. Leone, Sanctæ Romanæ Sedis Præsule, series gestorum principalium manifestè dictavit. Illius namque Ecclesiæ celeberrima dedicatio sub præsentia Metropolitanorum, & Episcoporum numero CCCLXV. excepta innumerabili multitudine Ducum, Marchionum, Comitum, Baronum tam Italiæ, quàm Saxoniæ, tam Bavariæ, quàm Alemaniæ, & utriusque Franciæ, ab omnibus est gloriosissimè solemnizata. Illic igitur Domino Apostolico, & omnibus prædictis Nobilibus, & egregiis personis congregatis Imperator meruit ab omnibus obtinere pro nimia devotione, quam erga ipsum locum, & Matrem Christi habebat, ut in Templo eodem sedes unctionis regiæ locaretur, & locus regalis, & Caput Galliæ trans Alpes haberetur, & in ipsa sede Reges successores, & heredes Regni initiarentur, & sic initiati jure debinc imperialem benedictionem Romæ à Domino Apostolico, sinè ulla interdictione, planius assequerentur. Confirmatum, & sancitum est à D. Apostolico Leone, & à Carolo Rom. Imperatore semper Augusto, quatenus ratum, & inconvulsum hoc statutum, & decretum maneat, ut Aquisgranum Sedes Regni trans Alpes habeatur, sitque caput omnium Civitatum, & Provinciarum Galliæ. Acquieverunt universi voluntati Imperatoris, qui ad hoc solenne dedicationis ex diversis regnis confluxerant, ac bonum, & acceptum coram Deo, & hominibus Apostolici, & Imperatoris decretum astruxerunt, & omnium graduum Episcoporum, Abbatum quoque banno corroborari hanc petitionem universi acclamaverunt*. Lumen etiam aliquod mihi Lupoldus accendit his verbis, in Tractatu de Juri-

Digitized by Google

Juribus Reg. & Imp. Romanorum Cap. X. *Quod autem bis Rex Rom. ungitur, & coronatur ante unctionem, & coronationem Imperialem (ut est dictum) hoc reputo propter duo Regna principalia, quæ habet, fuisse introductum. Primum est Regnum Germaniæ, cui accessit Regnum Lotharienſe, ſeu Lotharii, ut patet ex dictis ſupra in Capitulo V. Et idem dico de Regno Arelatenſi, vel Regno Burgundiæ, quod Otbo primus, (ut refert Chronica Francorum) in ſuam poteſtatem accepit: unde ratione hujus Regni Germaniæ, cui dicta regna acceſſerunt, Rex Romanorum primò ungitur, & coronatur Aquiſgrani. Hic enim locus eſt caput Regni, ut etiam notat Hoſtienſis in Summa de princip. & reg. §. Cui confitendum, ſub §. Cui Imperator. Cui etiam concordat dicta Chronica Godfridi dicens, quòd Carolus M. ibi principalem Sedem Regni Francorum conſtituit. Secundum Regnum eſt, Regnum Italiæ &c.* Ptolemæus Lucenſis Epiſcopus ad annum MCCI. de Othone loquens, cauſſamque Coronationis ejus Aquiſgrani notans: *Coronatur*, inquit, *Aquiſgrani Otbo ad majorem ſolemnitatem, & ad refræanandum impetum Theutonicorum ex cauſſa jam dicta.*

Aquiſgranenſis demum coronationis Cæremoniæ peculiares, ac propriæ fuerunt iſtæ. Simul ac affulſiſſet illi decreta lux, deferebatur in Deiparæ templum Cæſareus omnis habitus, & ornatus. Eò ſe deinceps conferebant Septemviri, electorali amictu clari, quique ex Eccleſiaſticis Electoribus tribus futurus erat novi Cæſaris Conſecrator, is Epiſcopalem, ſive Pontificalem habitum aſſumebat. Nulli Præſulum electorum has ego partes adſcripſi definita nota, quod legerim, Trevirenſem olim jus iſtud ſibi vendicare ſolitum, quòd Eccleſia ſua cæteris antiquior haberetur; Colonienſem verò poſtmodum eodem fungi munere conſuetum, quòd & Conſecratio, & Coronatio ſuis in finibus fieret; primò denique Moguntinum, tanquam Germaniæ Metropolitanum, & Regni Cancellarium, hoc officio functum. Scilicet hæc apud Sigonium extant Lib. VII. de Italiæ Regno. *Conſecrationis, quæ cum Coronatione conjuncta eſt, jus ad Moguntinum Antiſtitem, qui Germaniæ Metropolitanus, & Regni Cancellarius erat, delatum eſt: quamvis Trevirenſis id munus ſibi vendicaret, quod Eccleſia ſua cæteris antiquitate præſtaret; Colonienſis verò, quòd ea conſecratio in ſuis finibus fieret.* Itaque coronatus miro Scriptorum omnium conſenſu Henricus, ejus nominis Septimus, à Colonienſi, ut liquebit infra: à Moguntino, & Trevirenſi ſucceſſor ejus Ludovicus Bavarus ex Argentinenſi; ſeu potiùs à Treverenſi ſolo, ut Hervvartus probat Lib. I. Bavari ejuſdem defenſi Cap. VI. quemadmodum à Moguntino ſolo Matthias ex Majoli fide.

Repeto poſt excurſum iſtum Coronationis Aquiſgranenſis ritus. Morantibus in æde Deiparæ ſacra Septemviris, ibique præſtolantibus adventum Regis, Regni Comites, Proceres, & Barones huc illum pompa celebri deducebant, cujus ſanè pompæ imaginem Majolus adamuſſim expreſſit oculatus teſtis. Accedenti ad templum Regi Conſecrator Archiepiſcopus occurrebat, uſque ad illius portam, cum Electoribus reliquis, Suffraganeis, & omni Clero: cùmque Rex ad Conſecratorem veniens, in ipſo templi veſtibulo preces aliquot effudiſſet, prodibat Altare versùs, præcedentibus Secularibus Septemviris cum inſignibus Imperii, & ornatu Cæſareo; pone verò ſequentibus Eccleſiaſticis, inter ſacros Hymnos, quibus omne Templum undique perſonabat. Septemviri ſimul ac attigiſſent Altare, traditis hæreditariis ſuis Mareſcallis inſignibus, paratis in ſuis ſedibus conſidebant: Rex autem humi ſtratus initio, mox, ubi precatiunculæ quædam fuiſſent à Conſecratore ſuper eum dictæ, elevabatur in ſolium, obductum attalico, ſive aurato panno, in eoque coram Altari poſitus aſſidebat. Interim ſe ſe Conſecrator accingebat ad Officium Miſſæ, quæ inchoabatur, & celebrabatur ſtatim, cùmque *Sequens*, ut vocant, abſolutus eſſet, antequam Evangelii duceretur initium, Rex abjecta, quam hactenus tulerat, electorali veſte, ad Altare ductus procidebat in genua, eoque facto Litania ſuper eundem proximè legebatur, cùmque ad verſiculum illum deventum eſſet: *ut nos exaudire digneris*, Conſecrator ſurgens, baculumque Epiſcopalem manu tenens addebat: *ut hunc famulum tuum N. in Regem eligere digneris*; itemque: *ut eum benedicere ſublimare, & conſecrare digneris*; ac tandem, *ut ad Regni, & Imperii faſtigium perducere digneris*, Choro ſubinde ſubjiciente, & reſpondente, *Te rogamus Domine, &c.*

Finita Litania, ſurgebat Rex, ſtatimque Conſecrator quærebat ex eo latinis verbis: *Vellet ne Chriſtianam, & Catholicam religionem retinere; Chriſtianam Catholicam Eccleſiam defendere; Juſtitiam adminiſtrare; Imperium augere; Viduas, & pupillos tueri, & Pontifici Romano debitum honorem præſtare, atque exhibere?* Cùmque ad quæſtiones ſingulas affirmando reſpondiſſet Cæſar, ex ſede precatoria progreſſus paululum Altare versùs, omnia ſe ſe iſta conſtanter ſervaturum jurejurando confirmabat.

Poſt hæc Conſecrator ad præſentes Electores, Principes, Comites, Barones, & univerſum populum converſus, latino ſermone pariter alloquebatur eoſdem: *Vellentne Majeſtati Regiæ ſe ſubmittere, ejus Regnum confirmare, mandatiſque, & præceptis ejus obedire, juxta doctrinam Apoſtoli, jubentis omnes ſubditos eſſe Magiſtratibus, ſive Regi, tanquam præcellenti, ſive Ducibus, tamquam ab eo miſſis &c.* Cùmque Electores, & Principes, & univerſus populus, *Fiat, Fiat, Fiat*, reſpondiſſent, traducebatur ab Altari Rex ad humilem ſuam ſedem, indeque benedictione à Conſecratore accepta, deducebatur per Chorum in Sacrarium ipſum, unde mox prodibat aſſumpto Levitici, ſive Diaconi habitu, ut Evangelium publicè recitaret.

His ita peractis, fiebat Unctio triplex, Regum Hebræorum more, quòd ritus unctionis Chriſtianorum Regum inductus ſit ex præcepto veteris Teſtamenti, in quo, Lib. I. Regum Cap. IX. legimus, Deum præcepiſſe Samueli, *ut ungeret Saulem Ducem ſuper populum Iſrael*, quod & fecit, ut indicat Caput ſequens: deque Davidis unctione in eodem Libro Cap. XVII. & Salomonis Libro III. Cap. I. deque aliis per Heliam unctis in eodem Libro Cap. XIX. & Ext. *de Sacra, unct. Cap. uno verſ. unde in veteri*: ubi etiam dicitur, *quòd in novo Teſtamento unctio Regis, vel Principis à capite ad brachium eſt translata.* Ungebatur itaque Romanorum Regi primo loco *Caput*, ſecundo *Pectus*, tertio *Manus*, ut hinc intelligeret, ſibi dandam eſſe operam, uti Mens ſua, Voluntas, & Actiones omnes Chriſtianam pietatem undique redolerent. Video nihilominus BeKam, in alias laudata Coronatione VVilhelmi, ſolius unctionis tertiæ meminiſſe, ab Archiepiſcopo Maguntino hiſce verbis, ac ritibus celebratæ. *Archiepiſcopus verò Maguntinenſis, Cancellarius Germaniæ, cum oleo ſanctificato dexteram ejus foràs unxit, ita dicens. Conſecrare te dignetur Omnipotens Deus in Regem Rom. qui David per manum Samuelis Prophetæ Regem inungi juſſit ſuper populum Hebræorum.* Sed unctionis multiplicis clara in Majolo mentio, ubi de Conſecratione Matthiæ in Romanorum Regem. *Nudato* ſiquidem *illo* (ut cum ipſo loquar) *Cathecumenorum oleum Conſecrator accepit, & ſignum Crucis vertici primùm capitis, poſtmodum cervici inter utrumque humerum, porrò pectori, & tandem dextro brachio inter carpum, & cubitum inunxit, verba iſta pronuntians: Ungo te in Regem oleo ſanctificato, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ſuccinentibus ſubinde Muſicis Hymnum*: Unxerunt Salomonem, &c. *Et Conſecrator manus etiam Regis inunxit.*

Sic unctus Romanorum Cæſar in Sacrarium denuo concedebat, ibique abſterſo oleo, & ornatu Diaconi, ſive Levitici, poſito, cum Electorali veſte redibat in Templum, &, antequam abſolverentur inchoata Sacra, Cæſareis inſignibus ornabatur. Hinc Electores duo, Trevirenſis & Colonienſis Matthiæ Regi gladium inſtar acinacis, ſive gladii Turcici, nonnihil incurvatum, qui Caroli Magni fuiſſe perhibetur, tradidiſſe ferunturin manus, Conſecratore dicente: *Accipe gladium per manus Epiſcoporum, &c.* cùmque Conſecrator diceret: *Accingere gladio, &c.* gladius

idem

idem in vaginam iterum reconditus per Seculares Septemviros alligatus est ad ejusdem latus. Anulo verò Consecrator idem cum certorum verborum pronuntiatione digitum ejusdem induit, Sceptrumque regium in dextram; orbiculum imperialem in sinistram tradidit, his adjectis verbis. *Accipe virgam virtutis, & æquitatis, &c.* Coronam tandem Imperialem Septemviri tres Ecclesiastici, capiti Regis simul, Consecratore dicente, *Accipe Coronam regni, &c.* imposuerunt, & aurato eum Caroli M. pallio condecorarunt. Quibus expletis, Rex Electoratus Palatini administratori Orbiculum; Legato verò Brandeburgico Sceptrum porrexit: moxque à Trevirensi, & Coloniensi ad Altare perductus, jusjurandum, quòd omnia, quæ bonum Imperatorem decent, facturus esset, præstitit. Sacramentum inde Cœnæ accepit, ac tandem abductus in excitatum versùs meridiem pegma, sive Theatrum, ab Electoribus Ecclesiasticis in solium regium eo in Theatro, loco Sedis Caroli M. quæ Aquisgrani erat (Matthiæ quippe Regis Coronatio celebrata Francofurti) collocatus est, Consecratore dicente: *Sta, & retine locum regium, quem non jure hæreditario, nec paterna successione; sed Principum electione in Regno Alemaniæ tibi noveris delegatum.* Accessit his precatiuncula, qua hymno, *Te Deum Laudamus*, excepta, Maguntinus suo, & Collectorum nomine Majestati Cæsareæ gratulatus est, eidemque universum Rom. Imperium, cum omnibus ejus Electoribus, Principibus, & Statibus commendavit. Dimisso denique Sacro, Rex in solio suo persistens Nobiles aliquot gladio Caroli M. percussos Equites auratos fecit: relictoque subinde Templo in Curiæ palatium iit, numos identidem inter eundum spargens, Septemvirum, Procerumque Regni, & Imperii comitatu septus. Isto planè ritu Matthiam Cæsareis ornamentis insignitum Majolus tradit, iisdemque conspicuum è Templo reductum in Regiam, ac illic instructam regalem mensam, juxta constitutionem Aureæ Carolinæ Bullæ.

Sed enim monendus mihi Lector meus hoc loco, non semper eo ritu tradita fuisse Regni Romani insignia novo Regi. Siquidem enim audiamus BeKam, longè secus ea se res habuit in VVilhelmo. Cùm enim illum Leodiensis, & Trajectensis Episcopi vestitum ornamentis Leviticis in modum Diaconi produxissent ante regale solium, eumdem exhinc Coloniensis Archiepiscopus collocavit in Sede Majestatis, dicens: *Super thronum Regni gloriosè sedens, judicium & justitiam in terra facias.* Maguntinus, Cancellarius Germaniæ, cum oleo sanctificato dexteram ejus foras unxit, dicens: *Consecrare te dignetur Omnipotens Deus in Regem Rom. qui David per manum Samuelis Prophetæ Regem inungi jussit super populum Hebræorum.* Treverensis, Cancellarius Galliæ, manus illi superimposuit, dicens: *Descendat in te Spiritus sapientiæ, intelligentiæ, scientiæ, pietatis, fortitudinis, & consilii, repleatisque spiritu timoris Domini.* Marchio Brandenburgiæ, Regis Camerarius, anulum ei tradidit, dicens: *Accipe signaculum Monarchiæ, ut Rom. Imperium in suo vigore conserves, quod ab incursione Barbarorum invicta virtute defendas.* Dux Saxoniæ, Regis justitiarius, donavit ipsi gladium, dicens: *Accipe sceptrum regium, ut rebelles severa correctione potenter affligas, omnesque benevolos in pace gubernes.* Dux Bavariæ, Comes Palatii, sive Dapifer, dedit eidem Globum aureum, dicens: *Accipe globum sphericum, ut omnes terræ nationes Rom. Regno subjicias, & gloriosus Augustus appellari valeas.* Rex demum Bohemiæ, Regis Pincerna, de consensu Coloniensis Archiepiscopi, coronam argenteam capiti suo superimpressit, dicens: *Accipe Diadema splendidum, & sis in virtuosis actibus adeò coruscus in terris, ut coronam æternæ felicitatis habere merearis in cœlis.* Post hæc autem circunstantes Principes, adorantes Majestatem Regiam, acclamaverunt ipsi Salutem, & Gloriam: accedentes quoque singulatim Primates ad regale solium præstiterunt eidem debitæ fidelitatis homagium. Quibus mira solemnitate peractis, idem Rex per plenam hebdomadam festivam explevit Curiam, cunctisque Principibus suæ ditionis patefecit excellentiam. Hæc totidem ferè verbis BeKa, cujus ex scriptis, ea dum accuratè verso, morem illum alterum hausi non protritum, spectantem ad inaugurationem primam Romanorum Regis, recens electum in Romanorum Regem Aquisgrani coronari minimè potuisse, si non esset miles. Itaque miles antea creabatur, idque præstitum in VVilhelmo, *qui cùm electionis suæ tempore Armiger fuisset, non miles* (verba sunt ejusdem BeKæ in Othone III. Ultrajectensi Episcopo XXXVI., ut ex his obiter *Militis*, & *Armigeri* discrimen notes) *cum repentina festinatione præparata sunt omnia, quæcunque sibi fuerant necessaria, ut secundùm ritum Christicolarum Impp. Miles fieret, antequam Aquisgrani diadema Regni susciperet, statimque creatus est Miles*, solemni, quem inibi videre operæ pretium fuerit, ab aliis æquè non expresso Militum creandorum ritu.

Illud etiam nosse juverit, plenior ut inaugurationis hujus cognitio mentes instruat, ex Gherardaccio Bononiensi Historico, qui ritus ejus Lib. XVI. Historiæ suæ patriæ persecutus est, defuncto Cæsari parentari solitum in Aquisgrani Templo, simul ac recens Electus in illius locum, Templum idem inibat, acceptur us primæ Coronationis decus. Recenset idem quoque Scriptor ibidem loci inter insignia, novo Cæsari Aquisgrani tradita, *Crucem*, *Lanceam*, & *Pomum aureum*, de quibus altum apud alios silentium extat.

Adjicio, elationem Germani Cæsaris in augustam sedem, receptam ante multò fuisse moribus Romanorum, ut Hydatius docet, qui Fastorum initio de Aureliano loquens, *Antiochiano*, inquit, & *Orfio. His Coss. levatus Aurelianus Imperator.* Et mox de Tacito. *Et levatus est Tacitus Romæ.* Bono nempe jure, & optima ratione lectus. Nam qui secus (modo nempe non bono) ad idem fortè fortuna fastigii devenissent, ii non *levati*; sed *levantes se* potiùs dicti. Liquet id apertè ex iis, quæ de Eugenio Tyranno idem Hydatius habet, ut hac illum ratione non bona delatum innueret ad Imperii culmen. *Valentinianus Junior apud Viennam est interfectus, & levavit se Eugenius Tyrannus, postmodum Theodosius Augustus interfecit Eugenium.* Alios alibi ritè ad Imperium evectos, *levatos in cathedram* idem Hydatius dixit, quòd eo pacto apud Milites auctoritas Imperatoria sumeretur. Tribunal etiam inscendisse eum, qui Imperator futurus esset, docemur exemplo Diocletiani apud Flavium Vopiscum in Numeriano. *Hic cùm tribunal ascendisset, atque Augustus esset appellatus, & quæreretur, quemadmodum Numerianus esset occisus, educto gladio, Aprum præfectum Prætorii ostentans percussit.* Hinc Hydatius mihi rursus ad manus. *Eo ipso anno levatus est Gratianus Augustus in Galliis apud Ambianos in Tribunali à patre suo Augusto Valentiniano, die IX. Kal. Sept.* Et paulò post. *Et levatus est Valentinianus Junior Aug. filius Aug. Valentiniani ab exercitu in Tribunali, die X. Kal. Decemb. in Civitate Acinco.* Et infra. *His Coss. levatus est Arcadius Aug. Constantinopoli in milliario VII. in Tribunali à Theodosio Augusto patre suo, die XVII. Kal. Febr.* Alia erat *Levatio in clypeum*, ut in eo stans Imperator futurus elevaretur, & ostentaretur, itaque iniret Imperii Majestatem. Meminit ejus Corippus Lib. I. de laudibus Justini Minoris, nobisque morem omnem egregiè repræsentat.

Quatuor ingentem clypeis sublimibus Orbem
Adtollunt lecti juvenes, manibusque levatus
Ipse ministrorum supra stetit, ut sua rectus
Littera.

Et possent ejusdem generis exempla ex aliis alia cumulari; sed ea dudum inserui Commentario de sepulcro, in quo morem istum adstruo pluribus, & illustro.

Nec omiserim, *Coronam* Aquisgrani deferri solitam, videri *argenteam*, non *auream* extitisse, licèt aliam animo, an oculis dixerim, sententiam imbiberit Hieronymus Balbus, Gurcensis Episcopus, qui se Carolum V. Corona aurea insignitum vidisse testatus est in Germania, cùm apud illum, Coronationis suæ tempore, Oratorem ageret Ludovici Pannoniæ, & Boemiæ Regis. Aliter enim alios ego Scriptores omnes sensisse video, & in his Ferretum, qui Lib. II. Hist. suorum tempo-

rum

rum in Adulpho, *Decoratus*, inquit, *argenteo Diademate, quo primùm D. D. Cæsares à Principibus vestiri solent, rem actu capiens, ad extollendos Imperii fasces totus enititur*. Et in Henrico VII. *Ut autem Cæsar decretus, de more Principum Aquisgrani locum attigit, assumpturus primam argentei Diadematis infulam, perfectis his, quæ Augustum Principem decent, assistentibus Procerum turbis, circa reformandos Imperii fasces, eorumque distributionem curas omnes advertit*. Sensit idipsum, & scripsit, de hoc ipso Henrico loquens, Georgius Merula initio Lib. VII. Vicecomitum Antiquitatum. *Agebatur annus à salutifero Virginis partu millesimus trecentesimus octavus, cùm Henricus pro vetere instituto argenteo Diademate in Germania insignitus, &c. ad Clementem, ea tempestate Avenione agentem, Legatos mittit, &c.* Ita BeKa. laudatus alias in Coronatione VVilhelmi, *Rex*, inquit, *Bohemiæ, Regis Pincerna, de consensu Coloniensis Archiepiscopi, Coronam argenteam capiti suo super impressit*. Et Marius Æquicola suis in Commentariis Italicis Mantuanarum rerum, de Carolo IV. scribens. *Aquisgrani Corona argentea, ferrea in Lombardia, Romæ aurea decoratus*. Inde disertissimè Albericus in Indice, Verbo Corona. *Imperator triplicem Coronam recipit, primam argenteam in Alemannia, ferream in Modoetia Comitatus Mediolani, & auream in diversis locis*. Videntur autem nullæ in usu fuisse argenteæ Coronæ ante Crassi tempora, *Divitis* cognomento, quòd is primus Coronas, argento auroque folia imitantibus, suis in ludis exhibuisse feratur, cùm ante, Theoprasto teste, vel ex floribus odoriferis, vel ex floribus sinè odore, vel ex arborum ramis, & frondibus conflari solerent. Et hæc à me dicta multis de metallo Coronæ imponi solitæ Cæsareo vertici Aquisgrani, ne cui fraudi sit Bzovius, qui de Federici Coronatione loquens ad annum MCCCXV. Num. II. tradit, illum in Germania Corona ferrea decoratum. Siquidem hæc illius sunt: *in Germania de summa Imperii Ludovicus Bavarus, & Fridericus Austrius depugnabant. Illum Archiepiscopus Trevirorum, qui non potuit, Aquisgrani: hunc Archiepiscopus Coloniensis Bonnæ, in loco, in quo non debuit, Diademate ferreo ornatum, Regem Rom. renuntiavit*: illius inquam, ea præsertim in parte, quæ ad *ferreum Diadema* spectat, cùm Argentinensis, totidem ferè verbis hac ipsa de re loquutus, antequam Bzovius de scribendis Ecclesiasticis Annalibus cogitaret, nullius omnino Diadematis fecerit mentionem. Habet ille scilicet ad Annum MCCCXIV. *Ludovicus itaque Aquisgrani à Moguntino, & Trevirensi in loco, in quo debuit, sed non à quo debuit: Federicus verò in Bunna à Coloniensi, à quo debuit; sed non in loco, in quo debuit, coronati sunt*. Incidi tamen, postquam hæc scripseram, in Magni Chronici Belgici Collectorem, notantem ex alio Collectore, Imperatorem Romanorum futurum, coronatum fuisse quadruplici Corona, prima *ferrea* per Maguntinensem, secunda *ex variis metallis composita* per Trevirensem, tertia *argentea* per Coloniensem, quarta *aurea* per Papam Romæ, quæ quanti quisque voluerit æstimabit, habebitque verba Collectoris hujus in Notis Rubricæ XII. ad illa, *Ferrea corona, &c.*

Cùm igitur Mussatus scripsit, Henricum suum, renuntiatum Romanorum Regem, *delatum in Augustam Sedem*, docere planè voluit, *cum juxta recensitos ritus Aquisgrani unctum, argenteo Caroli M. diademate coronatum, locatum in ejusdem Sede*.

Roges. *Quonam ista die; quove anno contigerint Aquisgrani?* Ad hæc, *cujus Electoris, sive Consecratoris manu?* Tertiò. *Solusne Henricus, an unà cum uxore fuerit coronatus?* Quartò. *Quinam è Proceribus Coronationem istam luce suæ præsentiæ decorarint* Postremò, *Quid hæc illi Coronatio contulerit juris, nominis, incrementi?*

Diem quod attinet, major me suffragiorum numerus in eam sententiam ducit, ut existimem, Henricum VII. Aquisgrani Regio primo Diademate coronatum solemni Epiphaniæ luce. Tale planè suffragium ea de re tulit Vecerius ex Villano, qui disertè. *Sabaudo reverso, volantateque Clementina perspecta, conventus Aquisgrani indicitur. Coierè anno insequente ad id Concilium, inter alios Proceres, Dux Brabantiæ, Comes Flandriæ, & Comes Raynaldus. Ibi, peractis solemnibus, generoso vertici Regium Diadema Archiepiscopus Agrippinæ, more majorum, ad octavum Idus Januarii imposuit. Quem diem, & Constitutiones Ecclesiæ celebrari ob memoriam Magorum voluerunt, & tum publica lætitia celebriorem reddidit*. Tulerunt & alii suffragium idem, hique potissimum, quasi ex eadem Tribu. Argentinensis in Chronico. Scriptor Appendicis, quæ Martini Poloni supputationes extendit. Trithemius in Hirsaugiensi. Magni Chronici Belgici Concinnator. Nauclerus Vol. II. Generat. XLIV. Lehmanus in Spirensi Chronico Lib. VII. Cap. X. Henninges in Genealogicis Tabb. Ciaconius in Clemente V. Bertellius in Historia Luxemburgensi, Meyerus in Annalibus Flandriæ: in Ecclesiasticis Bzovius, aliique sexcenti, jure ut mirer, unum ex omnibus Cavitellium, nescio quo ex auctore, literis prodidisse, *Kalendis illum Januariis*, hoc est, *festo Dominicæ Circumcisionis die, Aquisgrani, invito Philippo Gallorum Rege, coronam primam Imperii retulisse*. Quod enim Elias Reusnerus scripsit in Tabula Lucemburgensis Domus, *eum quadragesimo tertio ab Electione die Aquisgrani armis, & insignibus Cæsareis exornatum*, à communi sententia non abhorret. Voluit ille scilicet, *Henricum electum Rom. Regem VIII. Cal. Decembris*, quem inter diem, & Feriam Sacrorum Magorum adoratione verendam, quadraginta trium dierum numerus intercedit.

Annus Coronationis ejusdem haud ita certus, ut *Dies*. Video nempe censuisse quosdam, celebratam illam anno millesimo trecentesimo octavo: nonnullos biennio post: alios demum eandem in trecentesimum nonum supra millesimum conjecisse. Eorum in numero, qui annum illi trecentesimum nonum supra millesimum adscripsere, fuerunt Anonymus, qui Paralipomena condidit, adjecta Chronicis Urspergensis, Georgius Merula initio Lib. VII. Vicecomitum Antiquitatum, & Abrahamus Bzovius in Annalibus Ecclesiasticis ejusdem anni, quorum ego sententiæ non subscribo. Cùm enim electus ille fuerit adulto jam anno MCCCVIII. hoc est occidente Novembri, die D. Catharinæ sacro, quod alibi firmatum est satis, qui fieri poterat, ut eodem ineunte anno coronaretur, hoc est initio Januarii mensis, cùm eo nondum ille mense fuisset electus Romanorum Cæsar? Haud ego quidem his ita sentientibus unquam assenserim; longè verò minus approbaverim quæ Bzovius peracta commemorat eodem anno, ante coronationis decus, reversos nempe tum fuisse Legatos Cæsareos à Romana Sede cum mandatis Pontificis, *ut Henricus intra biennium Romæ esset*, cùm ea tempestate nondum Legati Cæsarei Romanum Pontificem adiissent. Qui Coronationem Regis ejusdem primam rejecerunt in Epiphaniæ diem, anni millesimi trecentesimi decimi, id illa ratione ducti fecisse videntur, quòd, non nisi post reversos Legatos suos à Romana Sede, Aquisgrani fuerit coronatus: illi verò non nisi post *Aprilem* mensem, ut Vecerius habet: aut *Julium*, ut est apud Magni Chronici Belgici Concinnatorem, anni MCCCIX. Avenione discesserint, cujus ergo, Feria Magorum trium, consequuta reditum Legatorum, nulla alia esse potuerit, quàm quæ anniversaria celebritate colenda redierit Januario mense anni MCCCX. Talis Vecerii, talis Cavitellii mens in eorum scriptis, quam nec improbare audeo, nec probare. Sequor ego scilicet Mussatum nostrum, scribentem, delatum illum in Augustam sedem post Electionem ipsam, anteque multo, quam Legatos suos Rom. Pontifici delegasset. Sequor autem non invitus Nostrum, quòd & is, æquævus Henrico Scriptor, longè minùs, quam cæteri recessisse putandus sit a tempore rei gestæ: & frequentes alii eandem omnino sententiam sint amplexi. Ferretus, ejusdem ætatis Historicus, eorum familiam ducet. *Ut autem Cæsar decretus, de more Principum Aquisgrani locum attigit, assumpturus primam argentei Diadematis infulam, &c.* Sequuntur Ferretum isti. Paralipomena qui condidit, adjecta Chronicis Urspergensis. *In loco, qui dici-*

dicitur Reinsen, Trevirensis Diœcesis electus fuit in Rom. Regem, & futurum Imperatorem, & postmodum Francfordiæ more solito proclamatus, Aquisgrani corona Caroli M. Coronatus, Argentinensis. *A Principibus concorditer in Francfurt est electus, & Aquisgrani in sequenti anno* (hoc est 1309.) *in Epiphania coronatus*, Trithemius. *Cujus electionem 27. die Novembris divulgari Francofordiæ solemniter fecerunt, ac deinde in festo Epiphaniæ Domini anni sequentis Aquisgrani in Regem Rom. unctus, & coronatus est per manus Archiepiscopi Coloniensis*. Auctor Appendicis editæ post Martini Poloni Supputationes in hoc ipso Henrico, quem Sextum ipse nominat ob rationem, quam alibi producemus. *Henricus VI. imperavit annis quinque. Hic, cùm Comes fuisset Luxemburgensis, electus fuit in Francofordia anno Domini 1308. in festo S. Catharinæ, & in Epiphania sequenti coronatus fuit Aquisgrani*. Magni Chronici Belgici Concinnator. *Henricus, hujus nominis Septimus, fuit electus in Regem Alemaniæ, & Romanorum in die B. Catharinæ Virginis, in quadam Villa prope Confluentiam, quæ Reinse nominatur, anno Domini 1308. & deinc Electores in Francofordiam procedentes, eum publicè Regem nominaverunt. Qui in festo Epiphaniæ Domini immediatè sequentis apud Aquisgranum fuit coronatus, anni 1309. secundùm stylum Curiæ Leodiensis, quem communiter in hac Chronographia sequimur*. Urgebat quippe Coronationem istam periculum, quod imminebat. Ciaconius in Clemente V. *Principes ex Pontificis literis periculo cognito, statim Francofordiæ (aliàs Midelburgi) convenerunt, ubi communi suffragio Regem Rom. VII. Kal. Decembris Henricum ipsum designant, Henrici F. tunc Comitem Lucemburgensem, qui proximo die Epiphaniæ Aquisgranum profectus, ab Archiepiscopo Coloniensi coronatus est*.

Idcirco res ea peracta, antequam Legati Cæsarei, petendæ Confirmationis ergo, Avenionem ad Pontificem se conferrent. Hi quippe, ex sententia Nostri, aliorumque complurium Rei literariæ Patrum, post Coronationem eo loci missi. Nauclerus. *Verùm, peracta solemni de more Coronatione Regis, missi fuere ad Papam Clementem V. Dux Bavariæ, &c. pro Electi Regis confirmatione*. Mutius. *A Coronatione Clemens V. statim confirmavit Apostolica auctoritate quidquid Principes in Electione, & Coronatione fecerant*. Magni Chronici Belgici Concinnator post allatum Coronationis diem. *Eodem anno Rex Henricus misit ad Papam Clementem V. apud Avenionem solemnes Nuntios, & Ambasciatores, &c. petens Coronam Imperii à Papa sibi dari*. Ciaconius in Clemente V. *Aquisgranum profectus, ab Archiepiscopo Coloniensi coronatus est, & statim Legatos suos ad Pontificem Clementem Avenionem misit, qui Electionis de se factæ confirmationem peterent*. Georgius Merula initio Lib. VII. Vicecom. Antiqq. *Henricus pro vetere instituto argenteo Diademate in Germania insignitus, statim viros, partim illustri genere editos, alios Sacerdotio venerandos, ad Clementem, ea tempestate Avenione agentem, Legatos mittit, qui peterent, ut, quod Germani Principes jussissent, Pontifex auctor esset, &c.* Pigna de Principibus Athestinis *Qui* (Henricus) *prima corona ornatus, per Legatos à Pontifice auream poposcit*. Possevinus Junior in Gonzagis Lib. III. *Ut Aquisgrani primo diademate insignitus est, tanquam in Pontifice magnum momentum esset, missi supplices Legati sunt, orantes, firmaret, quæ Electores statuissent*. Quin imò fuere, qui tradiderint, non nisi post elapsum à die primæ Coronationis annum, impetratum à Pontifice Romanæ Coronationis decus. Poloni Appendix post ea, quæ superiùs sunt allata. *In Epiphania sequenti coronatus fuit Aquisgrani. Anno sequenti misit Avinionem ad Papam Clementem Quintum*. Bzovius nutat. Cùm enim ad annum MCCCVII. num. VI. dixisset, *electum Henricum Oratores ad Clementem Pontificem destinasse, iisque reversis, nulla mora interposita, primam coronam à Pontifice Agrippinensium accepisse*: ad annum MCCCVIII. num. VIII. videtur sentire cum Nostro, coronatum illum scilicet Aquisgrani; antequam Legatos ad Pontificem mitteret. Ait enim ibi loci, *Henricum post acceptam coronam primam serio cogitare cœpisse in Italiam pedem movere, ut antiqua Imperii decora restitueret, alterumque, & tertium diadema ex ritu solemni acciperet*: quæ quidem omnia Noster etiam attigit, cùm asseruit, hunc ipsum Rom. Regem, *postquam in Augustam Sedem delatus est, Alemania pacata, se coronas utrasque adepturum permetientem, Italorum tentare partes in animum induxisse*: ante verò captum hujuscemodi consilium, Legatos ad Clementem Pontificem destinasse, nusquam.

Maneat igitur, Aquisgrani coronatum Henricum VII. Epiphaniæ festo, electionem ejusdem proximè consecuto, hoc est Januario Mense anni MCCCIX. cùm præsertim, eodem anno celebratam illius Coronationem primam, apertè velint Corius, Lehmanus, Henninges: & etiam ex iis, qui celebratam illam asserunt post reditum Legatorum, Villanus temporum illorum Scriptor Lib. VIII. Cap. CI. palamque Rebdorfius hisce verbis tradat, idipsum Ludovico Bavaro contigisse, ut post electionem statim Aquisgrani fuerit coronatus: *Præfatus autem Ludovicus statim post hæc* (nempe post electionem anno MCCCXIV.) *in die B. Catharinæ Virginis immediatè sequenti, Aquisgrani per suos Electores etiam extitit coronatus*.

Coronam autem Aquisgranensem accepit Henricus VII. ab Henrico altero, Coloniensi Archiepiscopo & Electore. Clarum id, quàm quod clarissimum, ex Vecerii, Trithemii, Ciaconii locis laudatis ante, quibus accinunt Paralipomena adjecta Chronicis Urspergensis, Naucleri & Mutii Chronica, quæ adducam infra, & hi præterea mihi nunc ordine laudandi. Meyerus in Annalibus Flandriæ. *Ad S. Epiphaniæ diem Aquisgrani Henricus primam accepit coronam, operante Archiepiscopo Agrippinensi*, sic enim Coloniensis Archiepiscopus quandoque dictus, quòd esset Archiepiscopus Coloniæ Agrippinæ. Henninges in Genealogicis Tabellis. *Coronatus Aquisgrani VIII. Id. Jan. A. C. MCCCIX. ab Archiepiscopo Coloniensi*. Bzovius ad Annum MCCCVII. num. VI. *Henricus, primam Coronam à Pontifice Agrippinensium accepit*. Et ad annum MCCCVIII. num. VIII. *Hoc anno, cùm in festivitate Epiphaniæ Dominicæ primam Coronam à Pontifice Agrippinensium Henricus accepisset, serio cogitare cœpit &c.*

Coronata pariter Aquisgrani cum Henrico VII. *Uxor* ejus, nomine *Margareta*. Paralipomena adjecta Chronicis Urspergensis. *Aquisgrani corona Caroli M. coronatus cum ejus D. Conjuge Margareta, per Archiepiscopum Coloniensem de VVirneburt*. Funcius. *Henricus VII. Lutzelburgensis dictus, in locum Alberti Imperatoris eligitur concordi Electorum suffragio. Aquisgrani cum Margareta uxore corona Caroli M. coronatur*. Nauclerus. *Electus igitur Henricus de Laucemburgo in Regem Romanorum, regnavit annis VI. Aquisgrani à Coloniensi Archiepiscopo corona magnifica Caroli M. cum Conjuge coronatus*. Mutius. *Post electionem Henricus venit Aquisgranum cum sua Uxore, ibique ambobus illis est Corona imposita ab Archiepiscopo Coloniensi*.

Interfuere præterea Coronationis ejusdem solemniis *Duces, Comites*, & *Barones* multi. Vecerius inter alios ex Villano nominat *Brabantiæ Ducem, Comitem Flandriæ, & Comitem Raynaldum*, quem *Analdum* Cavitellius vocat, addens Proceribus istis Secularibus tribus, Cardinales duos *Pratensem, & Fliscum*. Censet enim is (quàm verò rectè liquebit è Nostro infra, & Notis in eundem nostris) Aquisgrani coronatum Henricum vel post ipsum Legatorum Pontificis adventum ad ejus Imperialem Aulam, Romanæ coronationis ergo. Meyerus in Annalibus Flandricis plures omnino recensuit, dignus, quem hic præ cæteris audiamus. *Ad S. Epiphaniorum diem Aquisgrani Henricus primam accepit Coronam, operante Archiepiscopo Aggrippinensi, quibus Sacris, præter Proceres Germanos, multa interfuit Flandricæ domus nobilitas. Aderant enim Robertus Comes Flandriæ, & fratres ejus Joannes, & Guido Namurcenses: Gulielmus Terenmundanus, qui & Nigellanus: Henricus RiKenburgius, filiusque Roberti Ludovicus Nivernensis: Joannes Dux Brabantiæ, socer Augusti: Gulielmus, & Joannes Comites Hanoniæ: Amedeus, & Ludovicus Comites Sabaudiæ: Reginaldus Comes Geldriæ, cum aliis multis. Nam Henrico Guido Comes Flandriæ non uno modo sanguine junctus erat.* Hæc Meyerus.

Consequebantur demum *Id Juris* Aquisgrani Corona Magni Caroli redemiti, *ut deinc Imperia-*

tem

Digitized by Google

lem benedictionem Romæ à Domino Apostolico sinè ulla interdictione planiùs obtinerent, uti nos supra docuit Fragmentum Vetus, quod Argentinensis Chronicum præit: *Id* verò *Nominis*, & *Incrementi*, quod eo primo diademate coronati dicebantur *Cæsares*, sive *Romanorum Reges*, quemadmodum id præstabat Coronatio Romæ, ut sic coronatus ex *Rege* fieret *Imperator*. Ita Blondus, & Platina censuere. Hinc illa Extr. *de Elect. Romani*: *Verus*, *Postquam de Jurejurando in Clement. Ego enim Rex Romanorum*, *& futurus Imperator*. Et Innocentii illa: *Jus*, *& auctoritas examinandi personam electam in Regem & promovendum in Imperatorem ad nos spectant*, *&c.* Quibus clarè monemur, nomenclaturam *Regis* in electo Cæsare, *Imperatoris* in eodem Titulum præcessisse: quò respiciens qui Paralipomena condidit adjecta Chronicis Urspergensis, in Henrico Nostro; *Vacante*, inquit, *Romano Imperio morte Alberti &c. electus fuit in Regem Romanorum*, *& futurum Imperatorem*: & Electores sex, qui Ludovicum Bavarum Cæsarem designarunt, Benedicto XII. in hæc verba scripsere: *A majore parte Principum Electorum fuit ritè*, *& rationabiliter in Regem Romanorum electus*, *in Imperatorem postea consecrandus*: ob idque tandem ex Appendice Poloni, & Naucleri, Gen. XLIV. Clemens V. Henrici VII. electione admissa, voluit ipsum de cætero vocari *Romanorum Regem*. Librans nihilominus Blondi, Platinæque sententiam Marius Æquicola suis in Commentariis Italicis Mantuanarum rerum, putavit Aquisgrani regio primo diademate coronatos, neutiquam dictos *Romanorum*; sed *Germanorum*, sive *Alemaniæ Reges*, quòd sic viderit appellatos veris in Chronicis, adeòque in Blondi, aliter sentientis, historicis monumentis multos, & in primis, eos, qui post Carolum M. Imperium moderati sunt, *Ludovicum* nempe, *Carolum III. Henricum Othonis patrem*, *Othonis filium*, & alios. Nullis quidem in privilegiis Cæsarum, ante Federici II. tempora, repertum à se memorat titulum *Romanorum Regis*, cujus ergo censet, eum non nisi à posterioribus Cæsaribus usurpatum. Inde est, quòd Federicus idem apud Ptolemæum Lucensem Epist ad ann. MCCXXXIV. *Conradum filium suum Regem Alemaniæ facit*, & Adulphus in ejusdem Scriptoris Annalibus, ad annos MCCXCVI., & MCCXCVIII. vocatur *Rex Alemaniæ*, & *Romanorum* simul, non secus ac Henricus noster apud Magni Chronici Belgici Molitorem. *Regis* itaque Titulus delatus perpetuò Romanis Cæsaribus Aquisgrani; *Romanorum*, sive *Germanorum* non semper; sed interdum unus, interdum alter; uterque nonnunquam, juxta varietatem temporum, quam Marius adnotavit.

Tu verò mecum interim, Lector, ex his, quæ de prima Henrici VII. Coronatione diximus, duplicem Cavitelli lapsum observa. Unus est ea in parte, in qua bis illum in Germania coronatum scribit, nec uno in loco; sed *Aquisgrani* primò, prima Januarii die; in *Alsatia* secundo Aprili mense. Alter in iis, quæ proximè subjicit de Lucemburgo in Ducatum evecto ab eodem Henrico, post acceptam coronam primam, cùm id neutiquam ille præstiterit; sed ejus Nepos Carolus IV. Imp. an. MCCCLVI. in urbe Metensi, quod apertè satis Notæ nostræ superiores astruunt ad illa Rubricæ II. *Comitum de Lucembore*, contra Vecerium, tradentem idipsum in Henrici Vita.

Caroli Magni ex dictis. *Sedes* enim, sive *Sella* semper inter præcipua Regum insignia recensita. Poetarum facilè princeps Maro.

Et Sellam regni, trabeamque insignia nostri.

Idcirco *Sella* præcipuè confecta Venetiis, quæ Coronationi Henrici VII. tertiæ deserviret. Videbatur enim in *Sella* tota ferè Majestas ipsius Cæsaris insidere. Hinc eadem dicta *Majestatis Sedes* BeKæ in Othone III. Episcopo Ultrajectensi XXXVI. ubi de Coronatione VVilhelmi: & *Augusta* Nostro: nempe *decus amplissimum Augusti*, *& insigne præcipuum Regni*, quod epitheti placuit etiam Ferreto, qui & illud arripuit, & usurpavit cùm scripsit. *Huic* (Henrico VII.) *Brabantiæ Dux Margaritam*, *natam ejus*, *dum pubes foret*, *matrimonio copulavit*, *qui & illi ad obtinendos Augustæ Sedis apices multùm valuit*. Osius.

(24) Nescio quo consilio primordia rerum ab Henrico gestarum post Coronationem primam Mussatus omiserit, seculorum alioquin omnium memoria digna. Habe illa paucis, & hoc ex ungue metire maximum hunc Leonem. Aquisgrani primo regio diademate coronatus Magnus hic Cæsar, ascendens Rhenum, Spiram accessit, ibique Conventum habuit, eo fine maximè, ut animos omnium Principum, & Civitatum erga se exploraret, tentaretque VVirtenbergensem Comitem Eduardum, possetne illum adducere, ut officium suum faceret, sinè bello. Egit inibi de confirmatione petenda à Romana Sede rerum omnium, quæ de se Germani Septemviri statuissent. Egit & de suo transitu in Italiam, servitiisque præstandis Cæsareæ Majestati: ac demum circa reformandos Imperii fasces, eorumque distributionem curas omnes advertit. Locupletissimi horum omnium testes *Argentinensis in Chronico*, *Tritbemius in Hirsaugiensi*, *Mutius Lib. XXIII. Chronici Germanorum*. Porrò mensem Conventus hujus *Augustum* fuisse tradidit, qui Paralipomena condidit adjecta Chronicis Urspergensis.

Ibi verò loci sex hebdomadibus mansisse fertur, quo spatio temporis ad se venientem Comitem Eduardum, ita comitatum, ut totus Conventus ab eo timeret periculum mansuetè excepit, salutavit comiter, verbis utique blandis, ac mollibus allocutus est, ut eum, si posset, in viam reduceret animi lenitate. Nihil assecutus hac via, rebellem illum Imperii declaravit, & acerrimum bellum eidem indixit, auctore H. Mutio, qui rem istam omnem suis accuratè Chronicis consignavit.

Nunciis ad hæc Civitatum, & Principum sui copiam fecit, complexus omnes humaniter; sed in primis Argentinensium Oratores, quos apud Columbariam *favorabiliter exauditos* eorum Historicus scripsit, cùm illos antea *Dominos* appellasset.

Alberto pariter, & *Adolpho* Cæsaribus occisis, justa persolvit, cadavere utriusque Spiram translato, & honorificè condito in D. Dionysii templo prope Rodolphum; *Alberto* quidem in monumento conjugis Friderici Imperatoris, *Adolpho* in vicino filiæ ejusdem. Attigere multi pietatem istam; sed vicit Ferretus omnes, pompam omnem funeris exequutus. Narrat rem eandem Carrio; sed extra Spiræ Conventum effectam asserit, dum, sublatis Alemaniæ diffidiis, copias cogeret, quas secum adduceret Italiam ingressurus.

Joannem quoque *percussorem Alberti*, cùm à Pontifice commissi sceleris veniam pœnamque petiisset, ad Henricum, Spiræ commorantem, rejectum Ferretus modò laudatus asseruit, bonorumque proscriptione damnatum. Quæ cum Fisco Cæsareo prorsus applicari vellet, nequaquam id passi sint Fridericus & Leopoldus primogeniti Alberti, prætendentes ambo, parricidam ipsum nullam in bonis Avi, Patruive portionem capere potuisse. Damnationis hujus nulli, quod sciam, alii meminere; prodidere tantùm, inclusum illum Cæsaris Henrici jussu Monachorum septo, ibique reliquum vitæ suæ spatium transegisse: monasticam verò vitam dignum tanto parricidio supplicium habitum, primò, quòd satis ille pœnarum dedisse judicaretur, coactus post Alberti cædem errare in egestate multa; deinde, quòd Dux esset ex nobilissima familia natus; postremò, quia videbatur justas iræ caussas habuisse adversùs Patruelem suum. Ita *Cavitellius*, *Mutius*, *Tursellinus*, & alii, quibus tamen in tempore adversatur palàm *Æneas Sylvius* Cap. XXIII. Hist. Bohemiæ, judicium hujuscemodi Pisis actum asserens, cùm eò concessisset Henricus: jussumque tum Joannem Religionem Eremitarum D. Augustini ingredi, in eaque perpetuò pœnitere. Sensit id ipsum Bertelius in Historia Luxemburgensi pag. 48. alii præterea nulli, quos viderim hac ætate.

Habebat jam tum etiam in animo Henricus, juris sui facere Ducatum Austriæ, quod & ipsimet Austriaci populi exoptabant; sed, cùm illum Germaniæ Proceres liberrimis vocibus ab hujuscemodi consilio deterruissent, memorantes ob unum Austriæ Ducatum quinque Cæsares interemptos: verendum itaque illi, si pergeret opes alienas appetere, ne Sextus Cæsarum numeraretur, Austriæ caussa interempto reliquit, & confirmavit possessionem Austriæ, conditione adjecta, ut apud se Italico

belle

bello militaret cum ducentis equitibus cataphractis : quam ob caussam reversus in Austriam Federicus expeditionem Italicam adornanti Leopoldum fratrem adjunxit. Traduntur hæc ab *Argentinensi loco supra laudato*. *Nauclero Vol. II. Gen. XLIV. Bzovio in Annalibus Ecclesiasticis anni MCCCVIII. Num. VIII.* Addit Carrio, Federicum jam tum etiam jussum cedere jure Regni Bohemici, quod ille cùm annuisset, Imperator consensu Procerum, ejecto Henrico Carinthio, Regnum cum Elisabetha filia VVenceslai Senioris, nepte Rodolphi Imperatoris, desponderit Joanni filio, eoque pacto Bohemia devenerit sub Lucelburgensium Comitum potestatem. Verùm enimverò, cùm hisce nuptiis Bellona pronuba prætulerit faces, & Henninges tradat, *Federicum Austriæ Ducem Bohemia cedere coactum*, non ego ea in parte subscripserim Carrioni, in qua prodidit eumdem Ducem facilè adeò eo in Conventu de jure suo Bohemico recessisse, cùm bella, Bohemiæ pacatè potiundæ gratia, Duce Petro Maguntino gesta, Conventum illum fuerint consecuta. Spiræ quidem Joanni Henrici Septimi filio desponsatam fuisse VVenceslai filiam, unà cum Bohemiæ Regno, negarit nemo, cùm id apertissimè fateantur Historici quique melioris Notæ, quos in Notis Rub. VII. loco suo proprio laudabo. Trithemius bis Henricum Spiram convenisse vult, ac primò quidem, Anno MCCCIX. in eoque conventu Adolphi, & Alberti ossa tumulo condidisse; in altero verò, habito Anno MCCCX. Elisabeth, VVenceslai F. & hæredem Bohemici Regni, in uxorem Joanni filio tradidisse, & ab eo conventu statim pro Imperiali Corona iter in Italiam direxisse.

Spiræ denique degentem Henricum adiisse feruntur Matthæus Mediolani, & Theobaldus Brixiæ Magnates, & alii plurimi Lombardorum. Miles ibi quoque creatus ab eo dicitur Theobaldus Argentinensi teste. Nam alii, & hos inter Caroldus & Bzovius, negant Theobaldum extra Italiam occurrisse Henrico; sed in Asti tantùm ei se, suaque omnia detulisse volunt.

Et hæc quidem omnia Spiræ gesta post Aquisgranensem Coronationem primam, in ipsomet Imperii rudimento, ut in primis præsentis Notæ versiculis asserebam. Post hæc Alemaniæ pacandæ impensæ cogitationes omnes, quarum talis fructus extitit, ut brevi se se illi libentes lubentesque Germani subjecerint universi, verèque scripserit Noster: *Cujus & jugum subiere libentes, qui trans, & cis Rhenum accolunt, & omnes Theutones, ad hunc se se referentes, ut ad perspicuum columen Cæsareæ Majestatis*: indeque statim adjecerit, pacatam ab eodem Alemaniam fuisse, initio Rubricæ proximè consequentis.

Talis quippe ordo in his enarrandis arrisit *Anonymo, qui Paralipomena condidit, adjecta Chronicis Urspergensis, Ferreto, Argentinensi, Trithemio, Mutio, Bertelio, aliisque multis*, apertè testantibus, post Coronationem primam celebratum ab Henrico conventum prædictum Spiræ; licèt, auctore Villano, Scriptores alii duo, *Nauclerus*, & *Carrio*, post Coronationem primam pacatam ab Henrico statim Alemaniam velint: imò post impetratam jam à Clemente V. Pontifice confirmationem accepti Cæsarei sceptri, qua de confirmatione Noster non nisi in calce Rubricæ proximè consequentis, pacatis ante Germaniæ, & Bohemiæ Regnis. Quò verò loci se se relicta Spira receperit Henricus Noster, ex Argentinensi constat, tradente patriam illum suam, Lutzelemburg, accessisse statim, ibique de auxilio tractasse cum terræ illius Dominis, & amicis. Habet idipsum Scriptor vetus rerum à Baldevvino Archiepiscopo Treverensi gestarum, quem Lib. II. laudat Keriander, & ampliùs quid etiam affert de fratris illius (Henrici nempe VII.) accessu Coloniam, Confluentiam, & Treverim, antequam Comitatum Lutzenburgensem adiret. Anno quippe II. Regni, *Coloniam*, iterum adiisse, conventu solemni feuda sua requirentes ibidem investivisse, contumaces ritè pro Tribunali condemnasse tradit, & à Coloniensibus haldas accepisse, confirmatis privilegiis eorumdem. Inde digressum ad *Confluentiam*, Baldevvino petente perpetua thelonii privilegia Treverensi Ecclesiæ, anno Regni sui primo, Christi autem 1309. 6. die Februarii, favorabiliter indulsisse, urbemque ipsam, quam priùs ob injuriam, & offensam sæpe numero sibi illatam, nec dum adepto Regno, hostiliter obsederat, visitavisse benignè, eidemque nundinas, nundinarumque libertates, uti Francofurdienses habebant, sub Sigillo Regio concessisse. Tamdem cum eodem Baldevvino fratre *Comitatum Lutzenburgensem* ingressum, solatiis plurimis insistendo, ad Civitates Regias visitandas, easque Regno coadunandas, se quamplurimùm disposuisse. *Osius*.

(*) Palàm facit lubens ista subjectio Germanorum omnium Henrico Nostro, pacatam fuisse priùs Alemaniam universam illius robore, & virtute, quod apertiùs inscripto Rubricæ Titulo declaratur. Dabant enim operam novi Cæsares, vel ab ipsa Coronatione prima, ut pacatos haberent, quacunque ratione possent, Imperii sui fines, sibique Primores ejus, ac subditos, accepto fidelitatis homagio, devincirent. Fecit hoc Henricus simul ac Corona prima coronatus est, ut aperiemus uberiùs in primis Notis Rubricæ proximè consequentis, arbitratus se, tali fundamento jacto, rerum planè omnium, adversante nemine, potiturum. Quæ verò, de fidelitatis homagio ei præstito diximus, firmantur hisce potissimùm, quæ leguntur in Paralipomenis Urspergensis. *Conciliis habitis* (Henricus) *Francofordiæ cum Principibus, & Magnatibus terræ, Alemanniam terram Imperii circuivit, & præcipuè Rhenensem provinciam Alsatiæ, Austriæ, & Suevia superioris usque Norimberg. Quibus perlustratis, cum decenti comitatu armatorum, & recepto homagio fidelitatis Principum, Ducum, Marchionum, Comitum, Potestatum, Civitatum, anno sequenti, &c.* Et his aliis, quæ prodidit Argentinensis. *Ascendens autem, homagia, & fidelitatem Dominorum, & Civitatum capiens, cùm non abundaret, concepit in Italiam proficisci*. Qua porrò alacritate Henrico Rheni totius accolas se se subjecisse Mussatus edidit, pari se se alias Reges ejusdem Rheni dediderant imperio Stiliconis. Disertè ea de re I. laudum illius Libro facundissima Claudiani Musa.

-------- ingentia quondam
Nomina, crinigero flaventes vertice Reges,
Qui nec Principibus donis, precibusque vocati
Paruerant, jussi properant, segnique verentur
Offendisse mora, transvecti lintribus amnem
Occursant ubicunque velis, nec fama fefellit
Justitiæ, videre pium, videre fidelem.
Quem veniens timuit, rediens Germanus amavit:
Osius.

(25) Quod neutiquam contigit Ludovico, successori Henrici, quippe cui adhæserunt tantùm civitates inferiores Rheni usque Seltz: Federico autem Seltz, & superiores Rheni civitates, exceptis Borna, & Solodora, quæ neutrum curabant, ut Argentinensis inquit. Sapienter igitur Mussatus Noster, universos Germaniæ populos expressurus, quod ante se fecerat Argentinensis, eos *citerioris* & *ulterioris*, ut ille *superioris* & *inferioris* Rheni limitibus circumscripsit. Nec solus facem hanc Nostro prætulit Argentinensis; sed & ipsa statio Germanorum, quòd à fontibus ad ostia usque Rhenum Germani habitent, Danubio in Pannonas & Dacos exeunte, qui vi, cursusque longitudine multò Rhenum superat: at ille, quia maximis Oppidis frequens est, & fortissimarum Gentium terminus censetur, claritatis quadam prærogativa poller. Unde Propertius Eleg. penultima de Virdomaro Germanorum Duce.

Virdomari, genus hic Rheno jactabat ab ipso:
Nobilis erectis fundere gesa rotis.

Et Strabo Lib. VII. *Trans Rhenum in ortum vergentia, Germani colunt*. Et Tacitus. *Cæterum Germaniæ vocabulum recens, & nuper additum, quoniam qui primum Rhenum transgressi Gallos expulerunt, nunc Tungri, nunc Germani vocati sunt: ita nationis nomen, non gentis evaluisse paulatim, ut omnes primum à victore ob metum, mox à se ipsis invento nomine Germani vocarentur*. A Rheni quidem vicinitate nomen Alemannis factum nonnulli asserunt, quòd is *Lemannus* Antiquis esset, quam in sententiam venisse Gotfridus Viterbiensis videtur his versibus,

Rhe-

Digitized by Google

Rhenus ab Antiquis describitur esse Lemannus, Indeque nonnulli dictos referunt Alemannos.

Ut ut sit de Alemannorum etymo (nam alii aliud tradunt, & in his Franciscus Guillemanus Lib. II. de rebus Helvetiorum Cap. III.) ita Rhenus incolitur à Germanis, ut apertè Germania suum illum esse pronuntiet Guntheri ore, Ligurini I. ubi quoque loci Germanici juris Civitates aliquæ recensentur cis, & trans Rhenum sitæ. Audiatur Guntherus ipse in laudato loco.

Quos perfusa suo pugnans Germania Rheno
Misit, & à Magno tellus signata Luthero,
Vindelici, Rhetique ruunt, quos Suevia mittit,
Quotque Carentinis collimitat Austria campis,
Quas Lycus, & tumidis Ister perlabitur undis,
Quique suas Urbes huc direxere potentes,
Claraque Theutonici coierunt nomina Regni.

Inde est, quòd in Paralipomenis Urspergensis, laudatis in superiore Nota dictus est Henricus Alemanniam, & præcipuè Rhemensem provinciam, lustrans *Alsatiam*, *Austriam*, *& Sueviam superiorem adiisse Norimberg usque*. Sed apertiùs, quæ Regna, quæ Provinciæ, qui Populi juris esse Germanici dicerentur, tradidit hisce verbis Trithemius in ea Epistola, quam præmisit libro à se de Origine Regum, & gentis Francorum inscripto, ubi de Sicambrorum in Germaniam adventu disserit ad fluenta Rheni, Marcomiro Duce. *Marcomirus Rex, & Suimo frater ejus Dux cum Sicambris, in Germaniam à Saxonibus ut fratres amici suscepti sunt; & sedes optatas inter Rhenum, & Saxoniam fertiles acceperunt. Ab Oriente habentes Vesaram fluvium, & Saxones. A Meridie Moguntiam, & Rhenum. Ab Occidente Rhenum similiter recurvatum, & Galliæ extremitatem. Ab Aquilone verò mare Germanicum, & Scotiam cum Orchadarum Insulis.* Et apertissimè omnium Matthias Stephanus Pomeranus I. C. Lib. II. de Jurisdictione Part. I. Cap. IV. & qui post illum dies caniculares scripsit, Simon Majolus Episcopus Vulturariensis Tom. VI. Colloquio I. quod est de Majestate, atque amplitudine Imperii Romani, pag. 1200. in accurato Censu Statuum Imperii, totidem ab utroque verbis confecto. Adeantur ipsi. Patebit inde scilicet, qui Populi sigillatim Cæsaris Henrici VII. jugum olim subierint non inviti. Sat enim Mussatus habuit docere, id omnes fecisse Germanos, eosque complecti generatim omnes sub eorum nota, qui trans & cis Rhenum accolunt, qui *Germani* omnes; quamvis Rheni accolæ gauderent aliis quoque nominibus audire. *Rhenenses* enim iidem Lupoldo dicti Cap. III. de Jur. Regni, & Imp. Romanorum in illis. *Hanc brevem digressionem, non tam ad commendationem Francorum, quàm ad detestandam in hoc ignorantiam multorum nobilium de partibus Rheni, facere volui, qui suæ originalis conditionis ignari, se potiùs nominari Rhenenses, quàm Francos inaniter gloriantur, &c. Rhenani* aliis, atque adeò *Rheni*, in his Stephani de urbibus: Ῥῆνοι, ἔθνος παρικὲν τῷ Ῥήνῳ τῷ ποταμῷ, ἐφ' ὅ τ' αὐτῷ καλούμενοι: & Persii, *ingentesque locat Cæsonia Rhenos*. Rhenanos etiam Populos Bohemi, & alii superiores Germani per contumeliam *Henchinos* vocabant, ut apparet ex illis Vitæ Caroli IV. Imperatoris. *Si pater noster arripuerit istas pecunias, disperget eas inter Rhenenses Henchinos.* Sed his iatis excrevit hæc Nota. *Osius.*

(26) Insignem utique fluvium, Germaniam à Gallia, quod ex Trithemio vidimus, dirimentem: ob idque *fluvium ἰσγενῆ* quodam in Poemate Nicobulo, & Gregorio Nazianzeno dictum, Gunthero *amnem*, Ligurini I.

——— *hæc quas præterfluit amnis.*

Altior ad fontem.

Ibi quippe *de Rheno* sermo, qui *fontem ad suum altior*, quòd ab iisdem prope Alpibus (*Curiensibus* scilicet) decidat, è quarum jugis non adeò magnis intervallis in meridiem fluvius Abdua, Athesis in Ortum, in Occasum Rhodanus; ipse verò maximus Rhenus in Septentrionem elabuntur. Facit nihilominus Guillimanus Lib. IV. de rebus Helveticorum Cap. II. tripliçem originem Rheni, indeque non unum, Rhenum; sed unum ab Ortu *priorem*, *posteriorem* alterum, *medium* denique tertium appellatum. *Insulas* ejusdem amnis recensuit Plinius Lib. IV. Nat. Hist. Cap. XV. & Petrus Divæus, laudatum Plinii caput illustrans in Antiq. Bel. Cap. XVIII. *Urbes autem, & Oppida* cis, & trans ipsum sita, Vadianus Commentariis suis eruditissimis in Pomponium Melam. *Osius.*

(27) Mussatus idem Epistola V. de adventu Henrici VII. Jambono de Andrea missa.

Jam bone rumores audis, Aquilonis ab oris
Expetat Italiam quod Rex Romanus, & omnis
Ab Rhodano longum, quæ lustrat Teutonis Istrum.
Augustum diadema petit, &c. Osius.

Digitized by Google

RUBRICA VI.

Causæ progressus in Italiam.

PAcatâ (28) Alemanniâ, finibusque Aquilonis (29) usque in Oceanum, ad majora direxit animum (30), desuetum jamdudum Regnum (31) per fines terræ revivisceré posse conjectans (32) insignibus argumentis: seque in horum initium coronas utrasque (33) adepturum permetiens, Italorum tentare partes (34) induxit in animum. Constiterat namque (35), plurimas Italiæ Civitates per Optimatum factiones arcuisse (36) in exilia Cives partium scismatibus (37), quæ hinc Guelforum (38) sub Ecclesiæ (39), hinc Gibolengorum (a) (40) sub Imperii clypeis (41) nomina (42) sibi quædam induerant, quarum nonnullæ etiam, & præsertim Longobardorum (43) passæ tyrannides (44) sive exiliis (45), sive coërtionum profligationibus, diu marcuerant. Cujus rei invidia (46) ad se, simile veri erat, extorres concurrere, sicque pacis ingenti suasione (47) alliciendos populos ad cultum novi (48), & speciosi nominis Imperatoriæ Majestatis. Nec hujus Regiæ virtutis (49) instinctum circumspecta (50) refellit opinio. Nam & Thuscorum quidam Optimates ex Gibolengis (51) partis antiquæ, nec non ex divisis Guelfis (52), qui Alborum (53) intolerantia (54) Gibolengi nominis sibi prænomen elegerant, ejusdem propositi complices (55) montes (56) transiluere (57) ad ipsum Regem eliciendum (58) muneribus, & subsidiis. Ad quæ etiam hortamenta suggessisse (59) acceptum est Albuinum (60), & Canem (61) Veronæ Dominatores (62): quæ res postea successu rerum ludibrio gentibus fuit, diminutionis statuum eorumdem consecutione, & gravium pecuniarum (63) exhaustu. His informatus conceptibus, & instinctu nobili, Clementem Papam (64). Cardinaliumque Cœtum (65), quos cum Philippo (66) Francigenarum Rege (67) litis caussa (68), quæ pro cremandis olim Bonifacii Papæ ossibus de hæresi accusati Regem urgebat, simultates gerere non ignorabat, accersiri statuit (69), impetraturus Coronationis suæ decus, & in actus quoscumque favores Ecclesiæ Triumphantis. Quod & facilè sui obtinuere Legati (70) literis patentibus, termino ad hoc in certam diem præfixo constitutione solemni, emologata etiam electione (71) cum sacræ Benedictionis præconio. Cujus & Diadematis appositioni se ipsum Romæ in Sedem Pontificalem compariturum, & (b) effecturum despondit.

RU-

(a) *Cod. Estens.* Gibelengorum.
(b) *Fortè* affuturum.

NOTÆ AD RUBRICAM VI.

(28) *Domita* alibi. Habet enim in Ovidio centone ad Filium,

Cui fera succubuit Germania, totus & Orbis
Restabat flexo succubuisse genu.

Locuti verò, ut hoc loco Noster, Scriptores alii quinque, Villanus, Benevenutus, Urspergensis Abbas, Laurentius de Monacis Venetus adhuc ineditus, Carrio. Primi verba sunt Lib. IX. Cap. I. *Henricus, sublatis Baronum Alemaniæ dissidiis, seriò Romam cogitare cœpit.* Secundi in Augustali: *Omnibus sedatis sollicitè discordiis Alemaniæ, alto animo disponebat reformare potentem Italiam, ut sic faciliùs redimeret Terram sanctam.* Tertii in Paralipomenis sibi adjectis: *Regnis Germaniæ, & Bohemiæ in pace dispositis, &c.* Quarti in Historia Patria MS. penes Amplissimum Serenis. Reipub. Venetæ Senatorem Dominicum Molinum: *Henricus, pacata priùs Alemania usque ad fines maris Oceani, venit Romam.* Postremi: *Pacata Germania, Imperator ad Italicas seditiones sedandas se convertit.*

Pacavit autem Germaniam Henricus, primò immissis ingentibus copiis in Eberardum (*VVelphinum* nominant Paralipomena Urspergensis) *Comitem VVitenbergæ*. Cùm enim Principes reliqui in ejus fidem convenissent, illum verò frustra lenire, & ad officium revocare Rex ipse tentasset in proximè celebrato conventu Spiræ, opum & oppidorum, quibus imperabat, fiducia liberiùs insolescentem (erat enim, ut scribit Jacobus Magontinensis, de domo Guelphorum, seu Camera Franciæ, & aliorum Thusciæ, & Lombardiæ Guelphorum originem trahens) persequutus armis, sic eum attrivit, majori ditionis illius parte aut omnino vastata, aut in potestatem recepta, ut pereundum illi fuerit, nisi clementia Victoris fuisset servatus. Pressus enim belli angustiis undequaque, & per Conradum de VVinsberg, Præsidem Regis, ex octoginta Castellis, & munitissimis Oppidis, quæ obtinebat, duorum & septuaginta ditione privatus, fortunisque propemodum omnibus spoliatus, satis habuit sibi fugæ remedio consulere, receptusque ab Hesso, sive Rodulpho Marchione de Baden in Oppido BesicKhen, illic in turri usque ad Henrici VII. obitum latitare, unde tamen Rex illum educere potuisset, nisi eum servare, quàm perdere maluisset. Ita, præter *Langium* in Chronico Citizensi, ad an. MCCCVIII. *Æneam Sylvium* Hist. Bohemicæ Cap. XXXI. *Meyerum* Lib. XI. Annal. Flandriæ. *M. Guatium* in Chronico, *Reusnerum*, *Henningem*, *Albizium* in Stemmate Luceburgensi, *Bzovium* in Annal. Ecclesiasticis anni MCCCVIII. num. VIII. *Possevinum Juniorem* in Gonzagis Lib. III. *Nauclerus* Vol. II. Gen. XLIV. qui & addit Eberardum repulsum à Richenbergensi Castro, quod obsederat, præ dolore redeuntem Stutgardiam, obiisse. Abit ab his leviter in fuga *Mutius* Lib. XXIII. Chron. Germanorum. Tradit ille scilicet, Eberardum gravi quidem bello peritum à Cæsare, & Ducatum ejus (*Comitatum* aliis) oppugnatum, expugnatum hostiliter, direptum, incensum, captis & occisis multis; sed fœdus demum utrinque percussum post parva prœlia, nec multa, cùm tandem se se recepisset in munitiores arces. Abit & ab iisdem in tempore *Argentinensis*, scribens, Eberhardum ad Henrici jam in Italia degentis mandata venisse Conradi Præsidis ejus opera, post Eslingam captam, & eversas jam omnes Sueviæ Civitates. Quæ sanè cum iis congruunt, quæ literis alii prodidere, nempe Henricum uno è tribus sibi comparatis exercitibus misso adversùs Comitem VVitenbergensem Sacro Imperio rebellem, commissoque negotio fortibus viris, quos sciebat Comiti infensos esse, expeditionem Italicam suscepisse. Quorsum enim, antequam discederet è Germania, suas in illum copias immisisset, si priùs mandatis suis audiens extitisset?

Pacavit secundò Germaniæ fines Henricus, ditione sua pariter exturbato *Conrado de Oetingen* dicto *Schimpff*. Cùm enim is quoque jugum Imperii detrectasset, in tantum illum Henricus depopulatus est, ut quasi mendicus iverit in Monasterium Kaiszhein, Ordinis Cisterciensis, ubi panem tribulationis usque ad mortem comedisse fertur. Ita nempe loquuti *Val. Anselinus*, *Nauclerus*, & *Meyerus* in supra memoratis locis, nec non & *Bertelius* in Historia Luxemburgensi, licèt is Oetinganum Comitem, sicut & VVitenbergensem domitos velit absente Henrico, jamque aureo Romano diademate coronato.

Præstitit idipsum tertiò, bello priùs subacto *Henrico Carinthiæ Duce*, fugatoque Bohemiæ regno, quod malis artibus occuparat: dein muneribus præclaris affecto, ne quid molestiæ postmodum se absente Joanni filio suo pareret, quem in ejusdem Regni solio collocarat, aut mali quippiam moliretur in Regnum. Ita me docuere *Mutius*, *Meyerus*, *Bertelius*, *Possevinus Junior* in Gonzagis, & *alii*, quos in primis Notis Rubricæ VII. recensebo.

Quartò, confirmatis in Ducatu suo *Ducibus Austriæ*,

Digitized by Google

ſtria, primogenitis Alberti, iiſdemque in verba ſua jurejurando adactis, conditione adjecta, ut ſibi ultra montes cum CC. galeatis adeſſe deberent, auctoribus *Argentinenſi*, *Nauclero*, *& Bzovio* in re, non ante multò, ſimili laudatis.

Suſtulit ob eundem finem bella Miſnica, his legibus, ut Fridericus Turingiæ, & Miſniæ poſſeſſione integra contentus, relinqueret Luſatiam inferiorem Bohemis, qui in belli ſocietatem acciti, jam ante eam arripuerant. Ita utriuſque Luſatiæ acceſſione uno, & eodem tempore crevit Bohemiæ regnum, & Miſnia difficili, ac diuturno bello liberata, ſe ſe ad quietem, & pacis opera recepit; ea mihi de re teſtibus *Carrione*, *Reuſnero*, *Albizio Florentino*. Oſius.

Alemanniam pacavit Henricus ſæviendo in contumaces, ut de Eberhardo Comite de VVirtemberg narrant Albertus Argentinenſis, & Martinus Cruſius, ſuperbos deprimendo, ut accidit Argentinenſibus, & Spirenſibus: homagia, & fidelitates à Dominis, & Civitatibus accipiendo. *Pignorius*.

(29) Nempe cùm, Germaniæ, Bohemiæque rebus in pace diſpoſitis, metueret idem Henricus, ne ab Aquilone ſibi, ob extinctum tunc Edovardum Regem Angliæ, malum aliquod portenderetur, hoc eſt, ne res Anglicanæ, & Belgicæ per id temporis turbatæ, nonnihil ſtatum Germaniæ concitarent, factum eſt, ut Edovardo mortuo ſucceſſerit Edovardus filius, metuſque ſtatim omnis evanuerit, ſive Henrici ipſius opera, qui nihil omiſerit eorum, quæ ad pacandam Alemaniam pertinerent; ſive Dei numine, qui pacatam tum omnem Alemaniam vellet, ut is Cæſar optatam dudum Gentibus Italis quietem, & pacem afferret. Movit enim paullò poſt Edovardus junior, ſpiritus paternos gerens, bellum, quod initio Regni tum Scotis, tum Belgarum aliquibus oſtentarat, eaque res illi infeliciter ceſſit, uti pluribus oſtendit Bzovius ad annum MCCCIX. à Num. XIII. uſque ad Num. XVI. Col. 133. 134. & 135. *Oſius*.

(30) Cujus ergo *altum* illi *animum* tribuit Benevenutus. Dirigendus autem ad alta Principis animus, maximè principiis agendarum rerum, quo ſibi famam paret. Mirum enim, quantum valeat ſecunda Principis exiſtimatio, Principatus initio parta, ad res omnes reliquas proſequendas. Docuit hoc *Domitius Corbulo* apud Tacitum Lib. XIII. Annalium, qui miſſus ad Armeniam regendam, egregia mox facinora aggreſſus eſt, *ut famæ inſerviret, quæ in novis cœptis validiſſima eſt*. Docuit & *Agricola*, Taciti ſocer, quem idem Tacitus in ejus Vita ſcribit rebus in Britannia ſedandis miſſum, ſtatim *obviam ire diſcrimini ſtatuiſſe, contractiſque Legionum vexillis, & modica auxiliorum manu, aciem erexiſſe: cæſaque prope univerſa gente, non ignarum inſtandum famæ, ac prout prima ceſſiſſent, fore univerſa, Monam Inſulam redigere in poteſtatem animo intendiſſe, &c.* Sic *Henricus*, pacata feliciter Alemania, majora ſecum agitans ſublimi mente, protinus *Italorum tentare partes* (ut cum Noſtro loquar) *induxit in animum*: imò & adversùs *Turcas tendere*, ut alii docent. *Oſius*.

(31) Ob Imperatorum abſentiam. Quippe pæne totos annos ſexaginta Imperatorem nullum Italia viderat. *Oſius*.

(32) Reſpondent his, & ſequentibus mirum in modum, quæ habet in Annalibus Eccleſiaſticis Bzovius ad annum MCCCVIII. Num. VIII. *Cùm in feſtivitate Epiphaniæ Dominicæ primam Coronam à Pontifice Agrippinenſium Henricus accepiſſet, ſeriò cogitare cœpit in Italiam pedem movere, ut antiqua Imperii decora reſtitueret, alterumque & tertium diadema ex ritu ſolemni acciperet. In primis iſtud à Clemente Pont. in mandatis expreſſum fuerat, ut is intra biennium Romæ eſſet. Quod enim nulli unquam Cæſarum datum eſt, id illi ultro oblatum. Itaque Henricus, cùm proximorum Cæſarum conſilia, qui vel per ignaviam, timiditatemque, vel per alias cauſas Italiam ingredi non fuiſſent auſi, vituperaſſet, id ſibi unum elaborandum propoſuerat, ut ad priſcum decus nomen Cæſarum rediret, reviviſceret, recoleretur*. Oſius.

(33) *Alterum, & tertium diadema* modò dixit Bzovius, Ferream *Mediolanenſem* coronam intelligens, & *Romanam* Auream, ut hoc loco Noſter. Ad has enim Henricum Romanus quoque Pontifex invitarat, uti tradidit Poſſevinus Junior in Gonzagis. Habet ille ſcilicet talia Lib. III. *Ut Aquiſgrani primo diademate inſignitus eſt tanquam in Pontifice magnum momentum eſſet, miſſi ſupplices Legati ſunt, orantes firmaret, quæ Electores ſtatuiſſent. Nec Pontifex abnuit. Data tantùm præcepta, ne perverti Italiam, diſtrahi Imperii provincias ulteriùs pateretur; ſed quàm citiſſimè accederet ferrea, aureaque corona donandus, &c. Romanæ* ſanè Coronationis ergo Henricum Italiam acceſſiſſe iteravit Noſter Epiſtola V. cùm cecinit.

Jam bone rumores audis, Aquilonis ab oris
Expetat Italiam quòd Rex Germanus, & omnis
Ab Rhodano longum quæ luſtrat Teutonis Iſtrum?
Auguſtum Diadema petit, quod Papa ſecundus
Annuit, & Magni nulla eſt contentio Galli.

Verè ſiquidem ad *Aurei* potiſſimùm *Diadematis* honorem Romanus illum Pontifex intra primum biennium fuerat adhortatus. Vecerius in eo: *Sunt, qui legem adjectam fuiſſe probationi affirment, ut intra primum biennium, ad motus Italiæ compeſcendos, Romam ſolita expeditione properaret, ſimul ipſe ſummos Imperatoris nominis faſces acciperet, quum tres proximè antecedentes Principes* (Rodulphum, Adulphum, & Albertum) *eum honorem prætermiſiſſe conſtaret*. Laurentius de Monacis: *Henricus Septimus de Lucimborc, electus Rex Rom. ſuaſu Clementis deſcendit in Italiam pro accipiendo coronam, & benedictionem Imperii in Roma*. Jac. Philippus in Suppl. Chron. *Hunc Clemens Papa ea lege confirmavit, ut intra biennium Italiam peteret, coronam ex more accepturus*. Quin & illam ipſemet Coronam à Pontifice petierat per Legatos. Clarè Pigna Lib. IV. de Principibus Atheſtinis: *Qui prima Corona ornatus, per Legatos à Pontifice auream popoſcit*. Et alii, quos ad alia commodiùs alibi laudabo. *Oſius*.

(34) Poteſt enim electus in Regem, ſeu Imperatorem Rom. à Principibus Electoribus in concordia, ſtatim ex ipſa electione licitè nomen Regis aſſumere, ac jura & bona Regni, & Imperii in Italia, & aliis Provinciis Regno, & Imperio ſubjectis adminiſtrare, ut eſt à Lupoldo Bebenbugenſi fusè traditum in Opere de Juribus Regni, & Imperii Romanorum. Cap. III. Imò & electus in diſcordia, modò ſit electus à majori parte, ut ab eodem aſſeritur, & probatur Cap. VI. Addit Frcherus, Italiam eſſe acceſſorium Imperii Germanici, ob idque jure ſuo quemcunque electum Romanorum Regem in Italiam tendere, ut in hoc etiam ab Italis agnoſcatur. *Oſius*.

(35) Nihil non ſuis libratum ponderibus, & momentis in literas Muſſatus miſit. Nempe talis erat, diſſidiis inter ſe diſcerptæ totius Italiæ ſtatus, qualis hic ab illo deſcribitur, cùm Henricus VII. de illa petenda cogitare cœpit: *Totum enim tunc Latium* (inquit Mutius) *tumultuabatur, inteſtiniſque bellis permitioſiſſimè laborabat. Non erat ulla Civitas, quæ non haberet bellum cum quapiam vicina, ita invicem ſe mordentes conſumebantur*. Inde alii non aliam tum Italiæ faciem tribuere. Meyerus in Annalibus Flandricis: *Res Italiæ à morte Federici II. in hunc Cæſarem* (Henricum) *valde fuerant turbatæ. Nam Rodulphus, Adulphus, & Albertus, ſuperiores Cæſares, ab Italia ob gentis perfidiam, abſtinuerant. Omnes pæne Italiæ Urbes, Imperio parere ſolitæ, excuſſo jugo Tyrannis ſubeſſe cœperant. Verona Scaligeros, Mantua Paſſarinos, Padua Carrarios patiebatur. Gibellini, & Guelfi totam Italiam diſcindebant.* Laurentius de Monacis in Hiſtoria Veneta: *Henricus VII. &c. deſcendit in Italiam pro accipiendo Coronam, & benedictionem Imperii, & pro reformando ſtatu Italiæ, ſævis diſcordiis, & pernitioſiſſimis factionibus lacerato*. Carrio denique, in hac exhibenda miſerrimæ tum Italiæ perſona, Scœna totius princeps: *Tali verò gubernatore* (Henrico) *opus erat non tam Germaniæ, quamquam recentibus bellis civilibus miſerè laceratæ, quàm Italiæ, quæ pæne totos annos LX. Imperatorem nullum viderat, ſuoque aſſiduè ſanguine reſpergebatur, & cædibus ac direptionibus exhauſta, redactaque ſub Tyrannos, jam ſervitutem pro libertate, quam intempeſtivè affectarat, ſerviebat duram, & triſtem. Pleraque enim Hetruſcæ, & Longobardicæ urbes, quæ, pertæſæ moderati ac juſti Imperii Germanorum,*

Digitized by Google

norum, ut ranæ Æsopicæ redemerant jura Imperii à Rodolpho multa pecunia, ut prorsus liberæ essent, aut laborabant seditionibus immanissimis, ac crebrò mutatis Dominis, nunc bos, nunc illos sequebantur victores, aut jam oppressæ parebant certis Tyrannis. Mediolani, Hastæ, Vercellis, Novariæ, Ticini, Laudi Pompejæ, Brixiæ, Cremonæ, Placentiæ tyrannidem exercebant Guelphi, Gibellini nominis hostes. Veronam, Paduam, Mantuam tenebant Gibellini. Guelphis conjunctus erat Robertus Apuliæ Rex. Osius.

(36) Vicentinus Codex. *Adduxisse*. Osius.

(37) Nullum in hac voce nuspiam aspirata mendum. Siquidem hac in scriptura consentiunt ad unum omnes Mussati Codices quos inspexi: & iisdem suffragantur non pauci Scriptorum aliorum libri, manuscripti pariter & excusi. Rolandini Grammatici MSS. duo vetustissimi, Venetus unus, Vicentinus alter, Lib. II. Cap. VIII. de factis in Marchia Tarvisina. *Post hæc in anno Domini MCCXXVII. quamvis Verona communiter regeretur, tamen scisma creverat ibidem.* Chronica Aulæ Regiæ de Joanne Rege Bohemiæ Cap. XIII.

Scismata fac cedant, hanc ne de cætero ledant. Ptolemæus Lucensis ad an. MCX. *Eodem tempore post Paschalis liberationem (ut Martinus refert) quidam ex Clericis Romanis fecerunt scisma &c.* Laurentius de Monacis ex Chronica, sumpta nescio quo ex loco, qui vocatur Male . . . . . ad S. Petrum. *Et anatematizabat omnem hæresem, quæ se extolleret contra Romanam Ecclesiam; præsertim scismata Octaviani, Guidonis Cremensis &c.* Et infra. *Non erat opus spirituali gladio contra Christianissimam, & Catholicam Civitatem, quo Hæretici, & Scismatici feriuntur.* Quemadmodum enim addebant quandoque Scriptores sequioris ævi loco non suo aspirationis notam, & *harva* pro *arva* scribere consuerant; sic eandem omittebant interdum, & *Scema*, pro *Schema* (quod fecit Cosmas, Pragensis Ecclesiæ Decanus in Prologo Chronicæ Bohemorum) *Scisma* pro *Schisma*, suis in paginis exarabant. Est autem *Schisma* propriè χίσμα, idest *Scissura* à χίζω, *scindo, finda, hiulca*; metaphoricè verò *animorum dissidium, concordiæ divulsio*. Isidorus Lib. VIII. Cap. II. *Schisma à scissura animorum nomen accepit. Eodem enim cultu, eodemque ritu credit, ut cæteri, solo congregationis delectatur dissidio. Fit autem Schisma, cùm dicunt homines: nos justi sumus, nos sanctificamus immundos, & cætera similia.* Non itaque temerè; sed cum respectu ad Græcum χίσμα, *Scissuram* pro *dissidio* supra laudatus Ptolemæus dixit, cùm ad annum MCCLXXXIX. in hæc verba scripsit: *Prius verò ad aliquod tempus occisus D. Dettus de parte Nigra de eadem domo. Postea Dominus Bertacca de parte Alba, & sic per eos tota Thuscia ponitur in scissura.* Vulgò nunc divisionem Ecclesiæ *Schisma* dicimus, quum ejus membra divisa diversa sequuntur capita, quod pueri vel ipsi puerrimi norunt. In Nostro *Schismata*, dissidia Guelphorum, & Gibolengorum sonant, quæ vel ipse Pontifex ab Henrico tolli posse crediderat, ob idque Romanum illi pollicitus fuerat Diadema. Aptè, si quis alius, Jacobus Cavatius, & apertè Lib. III. Hist. Cœnobii D. Justinæ Pat. pag. 129. *Vergente anno Henricus Comes Lucemburgensis Romanum Imperium accepessivit, cui Pontifex insignia Romæ per Legatos dare pollicebatur, si ante biennium armatus in Italiam descenderet. Arbitrabatur idem ebullientes ubique factiones VVelphorum, & Gibellinorum posse restingui ipsius Cæsaris prudentia, vel armis, &c.*

Verè caussa potissima Schismatum, quibus tum in partes discreta Italia laborabat, factiones duæ, *Gibellina*, & *Guelfa*. Cùm enim mater illas discordia genuisset, suas & ipsæ dissidiorum faces suis semper, & alienis vicinis in Urbibus accendebant, Furiarum potiùs ab inferis excitatarum agmen, quàm Hominum Orbis incolarum cœtus. Crescebat & cum illis semper odium vetus, ob idque factum est brevi spatio temporis, infaustis incrementis, ut nullum foret in tota Italia Oppidum, in quo non aliquod illius vestigium appareret. Longè, latèque diffusa pernicies ista tœdabat omnia cladibus, crudelitate, perfidia cumulabat. Civitas civitati contraria, Provinciæ provinciis adversæ erant. Familiæ quoque dividebantur pestifera istius factionis labe. Non filio, non patri, non fratribus unus in una domo consensus, non consanguineis eadem voluntas suberat. Urbes excidio, domus incendiis hauriebantur, tamquam, propria crimina in aliis persecuti, semetipsos absolverent, virtutisque ac gloriæ loco ducerent, si ad ostendendum insigne factionis studium maximè sævirent in alteros. Venetiæ solæ, Prudentiam suam perpetuò retinentes, contagione teterrima caruere. Reliquæ urbes unius, vel alterius factionis erant, & Henrico VII. imperante, Cæsaris partes agebant, testimonio Nostri Lib. VII. de Gestis ejusdem Rub. VI. *Taurinum, Novaria, Vercellæ*, Philippo de Sabaudia Principe Achajæ. Vicario Mediolani, *Pergamum, Cumæ, Brixia, Verona, Vicentia, Mantua, Mutina, Laudum, Placentia.* At contra in fidem partis Guelfæ, quam Sanctæ Ecclesiæ nuncupabant, *Alba, Hast, Alexandria, Papia, Parma, Rhegium, Cremona, Padua* (quam Gibellinis Urbibus malè nexuit Carrio) *Tarvisium*: & è Civitatibus Hetruscis, ut habet Vecerius in eodem Cæsare, *Florentia, Bononia, Luca, Pistorium, Sena*. Osius.

Repone *Schismatibus*. Villanus.

(38) Nata pari tempestate Guelforum, & Gibellinorum infausta nomina, seu potiùs pestifera schismata ad pernitiem humani Generis, & nostræ cum primis Italiæ vastitatem: sed, ea quæ tempestas fuerit, haud clarè liquet, perspicuis ea de re latentibus monumentis. Dum enim harum in Factionum origine tradenda juniores Historici haud seciùs inter se sententiis, quàm illæ gladiis & animis, diffident; majores verò, minùs in eadem investiganda curiosi, nihil ferè mandasse memoriæ videntur, sive tœdio subeuntium malorum; sive, ne res adeò tetra & funesta ad posteros transiret, ita fortè putantes nepotum otio, concordiæ civili, & Urbium tranquillitati consuli potuisse, si nulla certa & constans facti detestabilis memoria maneret, in eas nos utrique angustias conjecere, ut difficulter affirmatè quidquam de primis illarum natalibus afferre possimus, aliis illos deducentibus aliunde.

Indefinita nonnullorum sententia fuit, tum primùm cœpta hujuscemodi discrimina Factionum, quum Germani Cæsares cum Romanis Pontificibus graves discordias, & terra bella, divisis in partes Civitatibus, gerere conati sunt: definita magis illorum, qui Federici II. temporibus eadem emersisse contendunt. Cùm enim is Cæsar Innocentium IV. Honorium III. & Gregorium IX. Romanos Pontif. acriter insectatus esset, & ob id Civitates omnes Italiæ magno in tumultu existerent, nec haberet ille compertum satis, qui partes suas, quive Pontificias sequerentur, tum primùm, pertentatis singulorum animis, duas Italos in factiones scidit, effecitque, ut, qui Pontifici faverent, dicerentur *Guelfi*; qui verò sibi & Imperio, *Gibellini*, quòd ea tempestate Ecclesiasticæ factioni præesset Dux quidam Theutonicus, nomine *Guelph*; factioni verò Imperii frater ejus *Gibel*. Ita planè sensit Jac. Philippus in Suppl. Chron. An. MCCXXXIV. cùm scripsit, *Guelphorum, & Gibellinorum pernitiosissima, & diabolica nomina ex duobus Alemannis fratribus, tumultuantibus invicem Romano Pontifice, & Imperatore Federico, Pisis initium habuisse*, quem postea secuti sunt Ælias Capreolus Lib. VI. Brixianarum rerum. Langius in Chronico Citizensi ad An. MCCXXXIX. Platina, & Ciaconius in Gregorio IX. Mutius Lib. XX. Chron. Germanorum. Blondus Lib. VII. Dec. II. Krantzius Lib. VIII. Saxoniæ Cap. VIII. Carrio Lib. V. Chron. ad An. MCCXXVIII. in Federico II. Possevinus Junior in Gonzagis Lib. II. Benedictus Jovius Lib. I. Novocomensis Historiæ ad An. MCCXLIV. & omnium apertissimè, & elegantissimè Cavatius Lib. II. Historiarum Cœnobii D. Justinæ Pat. qui & inter Proceres *Gibellinos* ejus temporis, in sua Provincia dominantes, recenset *Salinguerram* Ferrariæ Tyrannum, *Monticulos* Veronenses, *Eccelinos* ex Honaria familia: inter *Guelphos*, *Marchiones Atbestinos*, *Comites S. Bonifacii*, *Proceres è Campo S. Petri*, quibus & *Carrariensis* addit, aliis quampluribus prætermissis. Quippe horum etiam in numero *Passarinus de Bona-*

Digitized by Google

Bonacolsis Mantuæ Dominus, Marii Æquicolæ testimonio in Commentariis suis Italicis Mantuanarum rerum, libro I. extremo. Docere nos idipsum etiam voluit Nicolaus Siculus, Panormitanus Abbas, ubi loci prodidit, Gregorium Pontificem fovisse Lucenses ob id maximè, quòd hærentes Pontifici dicerentur *Guelfi*, Imperio verò, sive Federico Cæsari, *Gibellini*. Blondus Flavius Decade II. Lib. VII. Historiarum ab inclinatione Romanorum, id ipsum ut credat, facile adducitur auctoritate Ptolemæi, Lucensis Episcopi, quòd is paulò post ea tempora scripserit, ea infausta rebus Italiæ nomina primùm apud Pistorium audita fuisse. Ego sanè hæc in Ptolemæo memini me legisse ad An. MCCXV. *In die Resurrectionis occisus fuit D. Bondelmonte Ugutionis ab Ubertis, & ex tunc pullulavit divisio Guelfa, & Ghibellina*, quibus adstipulatur Villanus, accuratissimus rerum Hetruriæ Scriptor Lib. VI. Cap. XXXIV. palàm asserens Federicum II. privatum Imperio à Florentinis, utriusque factionis obsides accepisse, sed unam priùs, & alteram factionem viguisse Florentiæ propter interitum Bondelmontis. Hinc Emmius Lib. V. Rer. Chronologicarum, in temporibus Florentinorum, ad supra memoratum annum. *Dein res Civitatis quietæ fuere usque ad annum à nato Christo MCCXV. Tum, cùm jam civium opes crevissent, occasione violatæ promissarum nuptiarum fidei à Bondelmontio viro nobili, in factiones discessit Nobilitas: quæ cùm semel erupissent, tam pertinaces Civitati inhæsere, ut omnem modum earum, quæ in reliquis Italiæ Civitatibus fuere, superarent. Nobilitas sæpe cum nobilitate commissa est, sæpe cum eadem nobilitate plebs, non raro plebs, & nobilitas simul in partes scissæ. Guelphi cum Gibellinis, Nigri cum Albis contenderunt, contentionesque civiles non semel in pugnas, & cædes, adeòque in bella civilia exarserunt, & factiones se mutuò ex urbe expulerunt.* Narratur res eadem uberiùs ab Aretino Lib. II. & aliis Scriptoribus Florentinarum rerum, quorum hic testimoniis non egemus. Nauclerus igitur, ut ad Blondum, & unà cum illo ad *Guelfos, & Gibellinos* redeam, horum de nominibus loquens Gen. XLII. Vol. II. *Nomen hoc*, inquit, *apud Pistoriensis ajunt primò auditum*. Et clariùs Platina in Gregorio IX. cujus non tam vestigiis, quàm verbis insistit Ciaconius in eodem. *Hæc quidem teterrima Factionum nomina, ad perniciem humani Generis inventa, primùm apud Pistoriensis audita sunt, cùm Cancellarii* (Guelphi) *Pazantinos* (Gibellinos) *ad urbe ejecissent. Cùmque alteri factioni Guelph, alteri Gibel, Theutonici fratres, faverent, inde tantæ perniciei nomina indita sunt.* Sed hæc omnia præstat ex Georgii Merulæ, & Jacobi Cavatii monumentis historicis audire, antequam in aliorum sententias inquiramus. Ait primus Lib. VI. Vicecomitum Antiquitatum pag. 72. *Honorius Pontifex, Otboni iratus, Rogerium Federicum jam imperii maturum, deposito Otbone, regni titulo & imperialibus ornamentis exornat. Qui simul atque imperium adeptus est, ab Avo non degenerans, Honorium armis, & gravi contumelia lacessit: mox insolens, & gravis Tyrannus, paterni sacrilegii hæres, templorum jura & redditus usurpat, Gregorium, Cælestinum, & Innocentium bello, & quibus potuit injuriis afficit. Immanis sanè Barbarus, quippe qui amplitudinem Pontificiam violare nunquam destitit. Tunc viguere odia, cæpta dissidia aucta sunt, & recenti injuria irritatis animis, eò domesticus furor, atque sævitia progressa est, ut miseri mortales abjecta ea caritate, quam sanguis, & patria ingeneravit, humanitatis penitus obliti, atrociùs, quàm feræ inter se dimicarint, non victoria contenti, aut inimicorum exitio satiati, nisi iis cum tota prole extinctis, qui diversa sensissent. Tunc ferox & impotens Barbarus quòcunque in populo eos discerni voluit, qui suæ, quive Pontificiæ factionis forent. Unde consuetudo tenuit, ut in omni negotio publico nihil citra factionum discrimina geratur, quæ exitialis consuetudo ferè in Urbibus, Oppidis, Præfecturis Italiæ in hæc usque tempora durat. Hæc autem pestis, & pertinax hic animorum habitus ab Hetruscis primùm cœpit. Gens ea seditionibus, & domesticis armis jam inde agitata, ex quo Rom. Populus bella in Hetruria fecit. Scribit Livius Lib. X. ab V. C. Hetruscos ab Aretinorum seditionum exorto motu de rebellione cogitasse. Tunc Aretio genus Licinium præpotens, ob divitiarum invidiam, armis popularium patria ejectum fuit, neque Hetruria ipsa priùs ab Romano Dictatore pacari, Aretinorumque seditiones componi potuere, quàm gens Licinia cum plebe in gratiam reducta fuit. Sed Pistorii post mille, & quingentos fermè annos Cancellarii, & Panciatici auspicatoria in cladem Italiæ seminaria (quod equidem nollem) dissensionum, & civilium armorum dedere.* Hæc primus, cui sic alter Lib. II. succinit doctè pariter, & ornatè. *Florentini pecunia potentiores, quamvis sæpe intestinis seditionibus laborarent, tamen armis & astu vicinarum urbium imperium affectabant. Quæ propriis finibus continebantur haud quiescebant. Potentiores cives ex diutino Pontificum, & Cæsarum dissidio in alterutram partem dilapsi, variis studiis distrahebantur. Factiones his apud Principes benevolentiam, apud cives clientelas, potentiamque comparaverant. Ipsi sub ea factionis larva privatas ulcisci injurias, sæviora adversùs æmulos moliri, impunè exequi. Sed inter cæteras maxima earum caussa extitit impietas Friderici Junioris, qui Imperator renuntiatus, quandiu Constantiam matrem superstitem habuit, se pium Principem gessit: ea defuncta Majorum scelera æmulatus Romanos Pontifices afflixit. Cisalpinas urbes Romano Imperio restituere orsus factionum studio easdem minuit, vel divisit. Occultos emissarios habuit, qui ubique civium mentes ad Cæsarianas partes pellicerent. Tunc etiam fato quodam in Italiam invecta sunt execranda nomina Velphorum, & Ghibellinorum, quibus Cæsaris assectæ à Pontificiis dignoscerentur. Pistorium, Hetruriæ Urbs, pessimum malum cæteris communicavit, nempe ut aversæ jam à Deo hominum voluntates mutua cæde conciderent. Tunc privatis ædibus turres adjectæ sunt, quibus Patavium, Ticinum, Cremona, & aliæ Urbes hactenus abundant. Tunc vicatim præliari, adversæ factionis ædes incendere, ac demoliri pulchrum fuit.* Quis ausit probè adeò communitam tot Rei Literariæ Patrum suffragiis sententiam infirmare? Haud ego quidem id fecerim; sed aurem mihi Nauclerus vellit, & apertè clamat: *Utriusque sanè appellationis antiquior est origo?*

Placuit igitur aliis, altiori mente præditis, nata Factionum ista discrimina tradere sub Federico I. *Ænobarbo* dicto, posteaquam is Romanis Pontificibus adversari cœpit. Discordasse nempe tum miseros cives, & arma in se convertisse ferunt, ab Optimatibus desciviſse Plebem, seque totam, ut à se procul vim omnem, & maleficia propelleret, Rom. Pontifici tradidisse: qui verò nobilitate, divitiis, armis, clientelis in Urbibus eminentiores erant, eos, ut cæteros obnoxios sibi facerent, popularibusque interim imperarent, & sinè metu judiciorum, aut pœnæ quicquid libitum foret agere possent, ad Cæsaris vires, & gratiam respexisse: ideoque Cæsarianos *Gibellinos* dictos, quòd is Cæsar esset è *Gibellina domo*. Appositè, si quis alius, Benedictus Jovius Lib. I. Historiæ patriæ pag. 39. *Horum originem nominum, hac tempestate vir quidem doctissimus è Germanis Historiis eruta, à duabus antiquissimis Germanorum Principum familiis fluxisse scribit, è quibus invicem Imperatores creabantur. Fuitque Federicus è Gibellina domo, quòd & ipse in vetustis quibusdam Annalibus reperi, ubi Federicus iste* de Gibellengo, *corrupto fortasse vocabulo, nuncupatur.* Subscribit eidem sententiæ Turſellinus in Epit. Hist Lib. VIII. in Ænobarbo ipso. *Atrox inde ex parvis initiis inter Augustum, ac Pontificem orta dissensio ingentium malorum caussa, & origo fuit. Federicus ab Alexandro III. Pont. petierat, ut Ravennæ Antistitem, ab se designatum, consecraret. Id cùm non impetrasset, se totum à Pontifice avertit; & Gibellinorum, & Guelphorum nominibus, ex veteri Germaniæ discordia repetitis, pestiferas factiones tota Italia exagitavit. Qui Augusti partes sequerentur Gibellini, qui Pontificis Guelfi appellati.* Et ante multò, totidem ferme verbis, eadem tradiderat Sigonius Lib. XIII. de Italiæ Regno, quo ex fonte sua Turſellinus hauſit. Habet ille scilicet in ipsa libri laudati fronte. *Hinc* (nempe *ex Federici I. contentione cum Ecclesia*) *Gibellinorum, & Guelphorum nominibus, ex veteri*

teri Germaniæ dissensione desumptis, exitiales Italis factiones manarunt, quæ sub Federico patre exortæ, neque sub Henrico filio obliteratæ, demum sub Federico nepote effusiùs erumpentes, ingentes in multos post annos strages in Italia edidere. Videtur autem his omnibus prætulisse facem Bartholus, JurisConsultorum Primas, à quo scriptum accepimus, Ænobarbi hostes, cùm bellum adversùs Ecclesiam gereret, appellatos *Guelfos*, idest *amantes fidei*, quòd *Guelf* hebraicè sonet *Os loquens*: ipsius verò Cæsaris Sectatores, *Gibellinos*, quòd is originem duceret è *Gibellina domo*. Sed & Bartholum originem istam docuerat Otho Frisingensis Episcopus, qui Lib. II. de Gestis Federici I. Capp. I. & II. in hæc verba scripserat. *Anno Dom. MCLII. decedente ab hac luce piissimo Rege Conrado III. cùm de eligendo Principe Primates consultarent, tamdem ab omnibus Federicus Suevorum Dux, Federici Ducis F. petitur, cunctorumque favore in Regem sublimatur &c. Duæ in Romano Orbe apud Galliæ, Germaniæque fines famosæ familiæ hactenus fuere; una Henricorum de Gueibelinga, alia Guelforum de Altdorfio; altera Imperatores, altera magnos Duces producere solita. Istæ, ut inter Viros magnos, gloriæque avidos assolet fieri, frequenter se se invicem æmulantes, Reipub. quietem multoties perturbarunt. Nutu verò Dei, ut creditur, paci populi sui in posterum providentis, sub Henrico V. factum est, ut Federicus Dux, pater hujus* (Fiderici I.) *qui de altera* (Gueibelinga) *idest de Regum familia descenderat, de altera* (Guelfa) *Henrici scilicet Noricorum Ducis filiam, in uxorem acciperet, ex eaque Federicum generaret. Ita non Regis Conradi zelo; sed Universitatis boni intuitu, hunc Federicum, ejus filio item Federico adhuc parvulo præponere maluerunt.* Fatetur idem Scriptor alibi, hæc ipsa *Guelforum*, & *Gibellinorum* nomina turbas ingentes inter Proceres Bajoariæ, & Sueviæ Dominos excitasse, exortaque inter utrosque contentione caussa finium, pro Suevis stetisse *Henricos è Gueibelinga*; pro Bajoariis *Guelfos de Altdorfio* dimicasse.

Facit hæc sententia *Guelforum*, & *Gibellinorum* originem uno ferè sæculo antiquiorem prima: sed arundineo, quod ajunt, calamo innixa facilè corruit. Licèt enim infestus Ænobarbus Alexandro Pontifici fuerit, nulla tamen tunc inter populos contraria studia, nullæ diversæ voluntates erant, neque factionibus inter se decertabant ullis; sed populariter hi à Pontifice stabant, illi Cæsaris partes sectabantur. Talique pacto se rem habuisse testatur Formula Constantiæ pacis, quam Juniores I. C. instar Legis recepere. Societatem, & amicitiam unanimes, & idem sentientes sinè differentia ordinum, & factionum Longobardi universi, Papiensi dumtaxat excepto, servabant, atque paciscendæ pacis gratia ii Constantiam convenere, qui triginta antea annis fœdus inter se percusserant, Federicumque ipsum, acrem & inexorabilem Alexandri Pontificis hostem, acie aliquando vicerant, & trans Alpes fugaverant; neque post mortem Alexandri dissolvi ea societas, aut dissociari animi potuere. Nullis demum in Annalibus, vel Actis Urbium leguntur hæc nomina imperante Federico I.

Quamobrem, ut in hac sententiarum varietate minùs aberrem à vero, aut certè cum iis errem, quos animadverto acriore ingenio, genioque grandiore præditos extitisse, ea sibi primùm Germanos nomina peperisse censeo, antequam ad nostras Italorum aures pervenirent. Factum id ex Naucleri mente Gen. XLII. Vol. II. pagina mihi 826. sub *Conrado III.* Suevo, qui circiter annum MXXV. (pro quo in Nauclero mendosè, 1138.) imperium iniit, in pugna, quam gessit cum *Guelfo* Bavariæ Duce, quem alii *VVelphum*, alii *VVelphonem* vocant. Cùm enim ea in pugna *Guelfi* Bavariæ Ducis auxiliares copiæ Symbolum hoc haberent, *Hic Guelff*; qui verò sub Conradi Cæsaris signis erant, *Hic Gueibelin*, clamarent, quòd Conradus in vetustæ nobilitatis pago VVainbligen nutritus esset, inde primùm Cæsarianis *Guibelini*, Pontificiis *Guelfi* nomen hæsit, quòd Guelfus Italica Pontificis auxilia contra Conradum Cæsarem adduxisset: ut temerè nequaquam fecisse videatur Hermanus, cùm dixit, Innocentium Pont. unà cum Rogerio fuisse contra Conradum istum. Consentiunt cum his Naucleri illa Merulæ Lib. III. *Conradus prior jussu Procerum imperat, à quo Auctores quidam tradunt Gibellinæ factionis orta nomina; etsi non protinus per Italiam dispersa fuere*: & plerique omnes. Sed horum etiam è censu quidam, nominum istorum natales in *Henrici*, Conradi prædicti filii, tempora rejicere maluerunt. Narrant enim, vice altera, ab hoc Henrico Guelfonem supra memoratum, prope VVinsperg, & ante villam Elnhofen bello victum; cùmque in prœlio ex more, qui Guelfo hærebant, clamarent, *Hic Guelff*: vicissim verò Regales, *Hic Gibelin*, quòd Henricus in villa ejus nominis ablactatus esset, significare volentes, quòd potentia lactis pugnaret: Italicisque, Longobardis, & Siculis cum Guelfo pugnantibus, & interrogantibus, quid esset dictum, *Hic Gibelin*, declaratum fuisset, quòd Papales eo die significati fuerant per Guelfum propugnatorem, & Imperiales per Gibellinos, ab illo eventu Papæ adhærentes in Italia significatos per Guelfum; Imperio verò per Gibellinos. E Gotfridi Viterbiensis penu tota ista narratio, cujus intuitu Antoninus asseruit, multos existimare, ab isto *Guelfo* appellatos Guelphos: & hæc scripsit Merula Lib. II. Vicecomitum Antiquitatum. *A quibusdam Scriptoribus Henricus hic Gibellinus nuncupatur, de nomine Oppiduli, ubi ortus traditur.* Et Lib. III. *In Henrico IV. Gibellina domus defecit.* Et uberiùs Lib. VI. *Porrò ea factio, quæ præsidio Pontificis incolumitatem, & salutem suam tuebatur, Guelfa appellata fuit; qui verò opinione, & potentia Cæsarum eminere, & regnare studebant, hi Gibellini se appellare voluerunt; quæ appellatio ab eo Henrico, qui primus Germanorum Procerum suffragiis ad Imperium evectus est, fluxit. Gibellinus enim dictus est Henricus, de Vico videlicet, ubi ortus erat.* Et hæc alia de *Guelfis* non multò post: *Guelphos nuncupatos quidam tradunt ab eorum Duce, qui secundo Conrado in Sicilia primùm, tum alibi restitisset. Huic Guelfo nomen erat, quo cæso, si qui descendentes in Italiam Cæsares, Romamque subinde petentes, non modò intra urbes non reciperent; sed finibus quoque arcerent, eos Guelphos appellari invenio.* Accedit Merulæ VVanderburchius Lib. I. Historiæ Gentilitiæ Sabaudorum Ducum, in Amadeo III. sic loquutus: *Guelphis Guelphus, Bavariæ Dux; Gibellinis, natus in Gibellino Oppidulo, Henricus, hostes inter se infestissimi, ingrati mortalibus omnibus nominis dederant originem.* Et Poggius, hoc uno diversus ab aliis, quòd is *Gibellinis* nomen inditum censet à Vico, juxta quem Conradus, & Velfo conseruerint manus, cùm id nominis alii in acceptum ferant ipsimet Conrado, vel Henrico F. cognomine *Gibellinis*, ab Oppido, in quo nati, vel educati fuerant, ut ostensum. Cæterum, quæ de Guelfo, Conradi & Henrici Cæsarum hoste, Pontificum & Ecclesiæ propugnatore, dicta sunt hactenus, firmantur validè luculentissimo testimonio Altorfensis, sive VVeingartensis Monachi, qui de Guelfis Principibus Chronicon scripsit, à Canisio nuper editum ex MS. Codice Augustano, Tomo Lectionum Antiquarum primo. Tradit ille scilicet Cap. VIII. VVelfonem istum, nominis ejus IV. Imperatori, antequam machinationes in mortem suam parasset, & Ecclesiam Dei manifestè impugnasset, fidelissimè adhæsisse, eique, cùm contra Saxones dimicaret, strenuissimè militasse. At ubi multa inhonesta de eo in medium proferri cœpere, &, quod majus est, Dominum Apostolicum Gregorium VII. Guniperto Ravennensi Archiepiscopo intruso, de sede sua expulit, ipsum cum aliis Catholicis Principibus ab eo declinasse, & amodo eum multis modis inquietasse; indeque cum Sigefrido Augustensi Episcopo, qui parti, immo inhumanitati ejus favebat, diu & acerrimè dimicasse, donec comprehensum in vincula conjecerit, & in Castro Ravenspurch catenatum multo tempore conservarit. Hæc ille, nec aliis ferè verbis, de Velfone, primo Bavariæ Duce.

Quæ quidem erroris insimulant non obscuri eos, qui censuere post obitum Mathildæ, nobilissimi ac ditissimi Italiæ Marchionis Bonifacii filiæ,

Digitized by Google

filiæ, qui Mantuæ contigit die XXIV. Julii, salutis anno MCXV. ætatis LXX. aut certè non multò post enatas, quibus de loquimur, Factiones ex eo, quòd cùm illa Pontificiam Sedem bonorum suorum scripsisset hæredem, eidemque Sedi Tutoris titulo præfectus fuisset Vir ejus VVelfo, suborta postmodum contentione inter Pontifices ipsos, & Cæsares, Pontificii à VVelfone Guelfi, Cæsarei à Duce nescio quo, assumpto ad Imperium è Gibellina villa, Gibellini fuerint appellati. Siquidem Mathilda haud illi se VVelfoni tertiis (ut ferunt) nuptiis illigarat, anno (ut creditur) MXC., qui cum Imperatoribus, Ecclesiæ Romanæ caussa, bellum & inimicitias gessit; sed alteri, prædicti VVelfonis & Juditæ Angliæ Reginæ filio, ut indicat laudatus Monachus Capp. VIII. & IX.

Arguitur ex his etiam non unius mendi Riccobaldus: quippe qui libro IV. Pomærii sui VVelfum inter aulicos Mathildæ retulerit, cùm ejus Maritus esset; eundemque, quum post Mathildæ obitum partes Ecclesiæ tueretur contra Gibellinum è Maguntia, secum Imperii nomine decertantem, Mediolani periisse tradiderit, cùm illum naturæ legibus paruisse in villa Cufringen ex laudati Monachi Chronico colligamus. Habemus domum, beneficio ejusdem Chronici, notionem propriam nominis istius *Vvelff*, caussamque triplicem, ob quam Majores VVelfonis IV. cui primo è Principibus Guelfis Bavariæ Ducatus obtigit, eo fuerint insigniti, indeque transierit ad Nepotes, liquidò ut appareat, Bartholum in ejus etymo proferendo somnia somniasse. Talem quippe Nominis ejus originem, & caussam attulere nonnulli. Cùm quidam è VVelfi IV. Majoribus Romani Senatoris filiam, *Kathalinam* dictam, in uxorem duxisset, & filium ex ea progenitum *Kathalinam* de Matris nomine nuncupasset, quod theutonizatum sonabat *Guelff*, placuit omnibus, ut lingua naturali satisfacerent, &, Romano nomine refutato, *Guelfum* eum theutonicè nominarent. Narrant rem eandem alii ad hunc ferè modum. Dum VVelfi IV. Major quidam alter apud Imperatorem degeret, eique Uxor absens absenti filium edidisset, peteretque à Cæsare facultatem abeundi domum, caussa nulla prolata, subjecit Cæsar. *Pro Guelfo, qui vobis natus est, repatriare festinatis?* Cui VVelfus respondit: *Nomen, quod jam Infantulo dedistis, postea plenius dare debetis. Nisi enim Deus aliter ordinare voluerit, eum sub hoc nomine de Lavacro Sancto suscepturus estis*: id quod est factum. Alii demum utrumque verum fuisse conjiciunt, nempe primitus enatum id Nominis primo modo; deinde, cùm multo post tempore refutatum & oblivioni quodammodo traditum fuisset, ab Imperatore denuo renovatum. Et hæc Origo Nominis ejus propria & germana, Scriptoribus nostris hactenus ignorata.

Patet hinc, certis jam ex monumentis, Guelphorum antiquitas, quod negabat Merula: nec erit, cur quis ampliùs asserat, quòd olim Gregorius X. Pontifex in Oratione, quam habuit ad Magistratus, & Principes Florentinos, Aretino teste Lib. III. Florentinarum rerum, *Gibellinos, & Guelphos nomina esse, ne ipsis quidem, qui illa proferunt, nota*: aut Sigonium audiat, antiquiora Conradi, vel Henrici filii temporibus factionum istarum incunabula facientem in illis Lib. IX. de Italiæ Regno. *Conradus, Saxoniæ Bavariæque caussa, gravi est, ac diuturno VVelfonis bello implicitus, renovataque vetus est concertatio, quæ Gibellinæ fuit familiæ cum ea, quæ VVelphorum est appellata, quarum illa quatuor continuatos Imperatores, hæc plurimos Duces tulit*. Nullis enim in Veterum monumentis legere est, ante Conradi, & VVelfonis ævum, Factionum istarum nomina, & sicubi fortè fortuna leguntur, pervelim id doceri.

Habuere deinceps Factiones eædem, ut alia quæque, decrementa quandoque sua, quandoque sua pariter incrementa. Referunt Annales prisci, non multò post natales illarum primos, gravi inter Guelphum Ducem, Henricumque Gibellinum; qui Patrui sui (melius *Patris*) Conradi III. Imperatoris copiis præerat, commisso prœlio, cùm superatus tandem Guelphus, in urbem quandam suam se recepisset, in eaque obsessus, quas hosti placuisset, deditionis conditiones accipere fuisset coactus, fœminas (quibus solis exitus concessus, permissumque uti quantum ex rebus suis maximè sibi caris ferre possent, secum asportarent) veritas, ne in maritos suos victoris exercitus sæviret crudelitas, sublatis in humeros maritis, charissima sui parte, in hostium conspectum (fide amoreque conjugali affectum erga res quantumvis pretiosissimas superante) prodiisse. Quam optimarum Matronarum admirabilem in viros suos pietatem exosculatus Imperator, neque eam fraudem habens ingratam, recepto in gratiam Guelpho, reliquis omnibus ignovit. Ita vix nata, denata statim partium illarum, sibi graviter ad invicem infensarum, odia quievere. Atqui Gibellinum nomen, Conradum, & Henricum secuti Cæsares, usque ad Lotharii tempora servavere. Lotharius enim Gibellinæ familiæ hostis fuit: nomenque, & appellatio Gentis per annos ejus undecim consenuisset, nisi eam renovasset, & instaurasset in Italia Federicus Junior, qui *Gibellinos* omnes palam coluit, quotquot à se adversùs edicta, & opes Pontificias stetissent. Hinc illa Vanderburchii in Amadeo III. Sabaudiæ Principe ad annum MCCXLVI. *Guelphorum, Gibellinorumque infestæ per Italiam factiones, quæ aliquanto jam tempore conquieverant, Federico, ejus nominis Secundo, Imperatore eas denuo resuscitante, vehementer sub hæc tempora recrudescunt, seminibusque ejus motus haud fermè ulla Civitas intacta fuit*. Krantzii Lib. VIII. Saxoniæ Cap. VIII. *Sed Imperator* (Federicus II.) *non quievit, partium studia in Italia excitans, quum nascerentur nova illa nomina factionum, quæ in hodiernum usque durant: quum studiosi Ecclesiæ Guelphi, Imperatori autem faventes Gibellini vocitentur: à Germanis fratribus (ut putant) initia ducentes, quorum Guelph Ecclesiæ, Gibel Imperatori militabat*. Benedicti Jovii Lib. I. Novocomensis Historiæ ad annum MCCXLIV. *Tunc & non antea* (nempe tempore Federici II. ab Innocentio IV. Imperiali dignitate privati) *ut diligentiores Historici tradunt, Guelfi, & Gibellini, nova & pestifera factionum nomina, in Italiam vulgò introducta sunt, quorum originem nominum hac tempestate Vir quidam doctissimus è Germanicis historiis erutam, à duabus antiquissimis Germanorum Principum familiis fluxisse scribit*. Et Merulæ Lib. III. Vicecomitum Antiquitatum. *A Conrado auctores quidam tradunt Gibellinæ factionis orta nomina, etsi non protinus per Italiam dispersa fuere*. Carrio pariter Lib. V. Chronici, funestarum hujuscemodi factionum nova nomina sub eodem Federico II. in Italia primùm audita commemorat, *incendio ex Hetruria in reliquam Italiam omnem celeriter dispersso, studioque acerrimo partium aucto, & confirmato*. Sigonius idipsum docere voluit, cùm Lib. XIII. de Regno Italiæ memoriæ prodidit, sub eodem Cæsare *Guelphorum, & Gibellinorum nomina ex veteri Germaniæ dissensione fuisse desumpta*: & Lib. XVII. *factiones easdem ex Germania traductas, Italiam multos post annos obtinuisse, atque ad ultimum exitium redegisse*: Turtellinus etiam, Sigonii vestigia proximè persecutus: & Cavatius, auditus ante hac ipsa in Nota, cùm scripsit, *fato quodam à Federici II. temporibus in Italiam invecta fuisse execranda nomina VVelphorum, & Gibellinorum, quibus Cæsaris asseclæ à Pontificiis dignoscerentur*.

Mortuo Federico II. (obiit is anno MCCL. jam exituro) lego, *Florentiæ*, ex qua factiones istæ in Urbes Italiæ reliquas emanarunt, reconciliatos Guelphos, & Gibellinos ad tempus, tumque Civitatem distributam in Classes VI. electosque Cives XII. quorum bini, & bini singulis Classibus præfecti, summam potestatem annuam in Rep. tenerent. At, cùm Aretinus Lib. II. Florentinarum rerum, ad annum MCCLXV. Lucam Sabellum, Bertuldum Ursinum, Thomam Severinum, suo quemque anno, ducem Guelpharum partium Florentiæ fuisse tradat, vel inde colligere possumus, eo quoque anno inibi viguisse factiones istas, nec ante Arbiensem pugnam, ut idem verè Scriptor alibi docuit, desiisse. Nempe anno MCCLXXXVIII. Nicolaus Pontifex Guelforum Florentinorum partes invalidas tutandas suscepit, ut asserit Paullus Æmilius Veronensis in Philippo IV. secutaque tunc temporis

poris fuit cædes Girardasci, Pisani civis, facilè Principis inter Guelfos. Et anno MCCXCIX. Ubbone Emmio teste Lib. V. Rerum Chronologicarum, Factionum earundem furiæ fortunam propemodum omnem Hetruriæ perdiderunt, cùm non tam Guelfi in Gibellinos, quàm Albi in Nigros, plebs in nobilitatem, nobilitas in se odia exerçerent, & se mutuò attererent.

Patavii quoque videntur hæc olim nomina defecisse anno MCCLXXV. quo sancitum Calderius scribit, ne quis Guelphorum, aut Gibellinorum impunè nominari posset. Quando verò rursus in eadem Urbe, hi, vel illi prævaluerint, qualesque ac quantæ totius Reip. mutationes extiterint, ut Euripus aliquis videretur esse Patavina Civitas in reciprocandis motibus, & politiæ conversionibus, haud nos ignorare patietur Noster Lib. II. Rub. II. de Gestis Italicorum post Henricum VII. Augustum.

Ivreæ pariter, non ignobilis Oppidi, in agro Pedemontano siti (*Invream* appellant alii, *Eporediamque* olim dictam asserunt) anno MCCLXXXVIII. superfuisse pristinas quasdam veteris inter Guelphos, & Gibellinos factionis reliquias, pari viris, fœminisque obstinatione in mutuas cædes ruentibus, Vanderburchius literarum memoriæ consignavit in Amadeo IV. Et anno MCCLXXXX. *Brixiæ*, ut auctor est Capreolus Lib. VII. Historiæ patriæ, pace cum finitimis vallata, intestinum bellum Civitati exortum est, & suggestione plebejorum, ac popularium quorundam factiones inibi excitatæ quinque, Ferriolorum, quæ tunc cæteris prævaluit, Gibellinorum, Bardellorum, Grifforum, & Guelphorum, ex qua primam ipsam Ferriolorum exceptam ferunt.

Secuta sunt Henrici VII. tempora, de quibus hoc loco Noster, adeòque late tota tunc Italia grassatum fuisse fertur hoc malum, ut, illo obsidente Florentiam, Guelphorum in ea centum millia fuerint, (si Mutio fides,) qui quotidianis eruptionibus castra Cæsaris impugnarent. Ludovico Bavaro imperante, latius hæc labes, serpsit, irrepsitque, testimonio Nostri in eo, pæne per universum Orbem, secta in duas partes Christianitate nostra, ut paucos invenire contingens esset, quos una ex duabus optio non inquinasset, aut illa, quam ajunt Gibolenga, vel Guelfa. Propter hæc Genebrardus verè prodidit anno MCCCXV. pugnasse graviter in Italia Guelfos, & Gibellinos simul. Tunc enim Rex Apuliæ Robertus, qui multa contra Imperium, & Gibellinos egerat diu, Dux Guelforum, & eorundem impulsor ad facinora quæque, & rebelliones omnes, non cessabat patrocinari Pontifici. *Haud enim dormitans* (ut habet Mutius) *latentes per Italiam, quiescentes, & semimortuos ad spem, & fiduciam magno studio revocabat Guelphos; factumque est brevi, ut revixisse quodammodo viderentur*. Cadunt ob id apertè in hæc ipsa tempora Naucleri illa Gen. XLV. Vol. II. ad annum MCCCXX. *Admiscuit se quoque his certaminibus Joannes Papa XXII. qui, cùm Regi Roberto suisque faveret, litem antiquam contra fautores Imperii renovavit. Facta tum est etiam magna liga Gibellinorum in Lombardia. Exules tunc erant à Janua Oriensis, & Spinolæ, factione Gibellina, cum suis sequacibus moram trahentibus in littore Januæ in possessionibus suis. Præfuit eodem tempore Maphæus Vicecomes Mediolanensibus, cum quo, & filiis ejus, & cum tota liga Lombardiæ partis Imperialis, & Gibellinæ tractabant hi exules. Erat tunc Canis Scaliger, cognomento Magnus, Veronæ sibi dominium vindicans, Capitaneus: eodem modo Castrutius Vir strenuus Lucensibus dominans de parte Gibellina*. Nec illa minus Cap. XVI. Chronicæ Aulæ Regiæ ad an. MCCCXXV. *Istis temporibus in Italiæ, & Lombardiæ partibus homines Ecclesiæ, & homines Imperii, videlicet Guelphi & Gibellini, odium antiquum plus solito innovant, & contra se acerrimè pugnant. Tantus sanguis inter eos modò frequenter effunditur, quòd pia mens hæc audiens meritò conturbatur. Quidam de Verona civis, qui dicitur Canis, audaciam, & caput*

Dat Gibilinis, hoc dicitur à peregrinis:
Hoc ipsum referunt, qui pro lucro fora quærunt.
Perdit Papalis pars, prævalet Imperialis.
Cum plerisque malis durat contentio talis.
Tantum duravit, quòd plurima millia stravit,
Sedis in armatis, hoc ab Imperii galeatis.
Ut gladii gemini pugnant Guuelfi, Gibilini;
Contra se turbæ campo pugnant, & in Urbe.

Et mox.

Roma sub his morbis infirmatur, caput orbis
Intus bella gerit, nec eam velut antea quærit
Tantum plebs Christi, quia Præsul defuit isti.
Tempora per multa, &c.

Et ne multis ego? Anno quoque MCCCLIII. reformato Florentiæ statu, exclusis Nobilibus, Justitiæ Vexillifero restituto, populum in partes tres divisum, factiones novas *Albiziorum, & Ricciorum* exortas, rursumque *Gibellinos* cũ *Guelphis* commissos ait Emmius in aliàs laudato libro. Et anno MD. Luganenses sub *Gibellinorum*, Sonvicenses sub *Guelphorum* nominibus, seditionibus agitari cœpere, quas ne sub Sfortiadum quidem imperio dimiserunt. Imò anno MDI. cùm Helvetii Luganum adhuc tenerent, jam diu obliterata nomina *Guelphorum*, & *Gibellinorum* sub Gallico, & Imperiali titulo renovata sunt, Benedicto Jovio teste Lib. I. Historiæ patriæ, luci nunc publicæ redonatæ. Et utinam saltem his nostris temporibus penitus extincta forent hæc semina discordiarum, cædium, rapinarum? Res enim adhuc eadem alicubi occultè viget, etsi rarò nomina eadem usurpentur. Et hæc mihi de *Guelphorum*, & *Gibellinorum Origine*, & *Antiquitate* memorata pluribus, tum; ut aliorum Scriptorum labes eluerem, tum, ut nostram de utraque sententiam roborarem firmiùs, reque omni, ab aliis minus accuratè tradita, ritè & ordine (absit verbo jactantia) pertractata, docerem juxta Mussati scripta, quod est Interpretis, verè sub initia Imperii Henrici VII. partium hujuscemodi Schismatibus divulsas, & discerptas inter se fuisse plurimas Italiæ Civitates.

(39) Non solùm *Nominibus*; sed & *Studiis* discernebantur inter se *Gibellini*, & *Guelphi*. Nimirum illi, ut ait hoc loco Noster, sub Imperii; isti sub Ecclesiæ clypeo militabant, quod adeò clarum, ac certum, ut vel à prima sui origine utrosque nota ista præcipuè separarit. Mussatus iterum Lib. VII. Rub. VI. *Cæsaris quidem partes agebant Taurinum, &c. at contra in fidem partis Gelfæ, quam S. Ecclesiæ nuncupabant, Alba, &c.* Et in Ludovico Bavaro pag. 5. *Hoc in errore, & contentione ferè omnes, qui Guelforum nomen, animumque servabant, Ludovicum hunc detestabantur, & actus Joannis Papæ laude commendabant. Gibolengi verò & sermone, & quo poterant etiam opere innitebantur è contra* Chronica Aulæ Regiæ Cap. XVI. *Istis temporibus in Italiæ, & Lombardiæ partibus homines Ecclesiæ, & homines Imperii, videlicet Guuelfi & Gibellini, odium antiquum plus solito innovant, & contra se acerrimè pugnant*. Nauclerus Vol. II. Gen. XLII. *Et divisæ sunt factiones etiam nominibus. Nam, qui Pontifici & Ecclesiæ favebant, Guelfi dicti sunt, qui Cæsaris arma sequebantur, Gibellini*. Et XLV. *Præfuit eodem tempore Maphæus Vicecomes Mediolanensibus, cum quo, & filiis ejus, & tota liga Lombardiæ partis Imperialis, & Gibellinæ, tractabant hi exules*. Langius in Citizensi. *Ob dissidium inter Papam, & Imperatorem, orta & inventa sunt illa teterrima, & factiosa Guelforum, & Gibellinorum vocabula, ad differentiam partialitatis, ut videlicet adhærentes Pontifici, Guelphi; Imperio autem, sive Cæsari faventes, dicerentur Gibellini*. Helias Capreolus Lib. VI. *Paullò post Honorio III. & Gregorio IX. illius successore Pontificibus, Federicoque ejus nominis Secundo Imperatore, Ecclesiæ adversario, duæ sævissimæ factiones in Urbe, & alibi sunt exortæ. Quarum altera, Guelforum nuncupata, rei Ecclesiæ; altera, scilicet, quæ Gibellinorum est appellata, Imperatori penitus favebat*. Blondus Lib. VII. Dec. II. Histor. ab inclinatione Romanorum. *Factum est stupenda celeritate, ut studia partium, factionesque, & populorum sectiones per omnem Hetruriam pæne dinosce entur. Cui infectioni, à Federico ut diximus disseminatæ, nomina quoque aut ipse, aut ex suis Germanis aliqui indidere. Verbo enim, quod certè Germanicum est, studiosos Ecclesiæ Guelfos, & Imperatoriæ factionis Gibellinos placuit appellari*. Et Lib. VIII. Dec. II. *Exinde Brixiani Guelfos, Ecclesiæ studentes Gibellini, partim cæde confectos, partim ejectos*

in

in maximam calamitatem, miseramque conjecerunt. Platina in Gregorio IX. *Imperator, cùm non satìs sibi constaret, qui partes suas, quive Pontificis sequerentur, Civitates Italiæ in duas factiones tum primùm divisit. Nam qui Pontifici favebant, Guelfi; qui verò Imperatori, Ghibellini appellati sunt*. Paulus Æmilius, Veronensis Historicus, in Ludovico IX. *Guelfos in Gibellinos, ut nefarios, & sceleratos arma veluti sacra gerere. Gibellinos jura sacri Imperii, Augustamque majestatem tutari se gloriantes*. Georgius Merula Lib. VI. Vicecomitum Antiquitatum. *Ea factio, quæ præsidio Pontificis incolumitatem, & salutem suam tuebatur, Guelfa appellata fuit; qui verò opinione, & potentia Cæsarum eminere, & regnare studebant, hi Gibellini se appellare voluerunt*. Mutius Lib. XX. Chron. Germanorum. *Tum apud Pisas nomina factionibus imposita. Pontificios Guelfos, Cæsarianos Gibellinos*. Albertus Krantzius Lib. VIII. Saxoniæ Cap. VIII. *Studiosi Ecclesiæ Guelphi: Imperatori autem faventes Gibellini vocitantur*. Leonardus Aretinus Lib. VI. Florent. rerum. *In Aretinis, quemadmodum & in aliis Hetruriæ Civitatibus, factiones erant duæ. Earum, quæ adversatrix Imperii, Ecclesiæque fautrix, quos Guelfos dicimus, fuit major, &c.* Sigonius Lib. XVII. de Regno Italiæ. *Hoc tempore Italia apertè in duas partes distracta, aliis Imperii, aliis Ecclesiæ auctoritatem sequentibus, Guelfi hi, Gibellini illi vulgò vocati*. Jac. Cavatius Lib. II. Historiarum Cœnobii D. Justinæ Pat. *Tunc etiam fato quodam in Italiam invecta sunt execranda nomina Welphorum, & Ghibellinorum, quibus Cæsaris assecla à Pontificiis dignoscerentur*. Carrio ad annum MCCXXXVIII. *Divisæ sunt Urbes studiis, ut dixi, aliis Gibellinorum nomine, à stirpis Suevicæ origine, Imperatorem Dominum jactantibus; aliis contrariam Pontificum factionem Guelphorum titulo profitentibus*. Possevinus Junior in Gonzagis Lib. II. *Cùm ministros prælitorum, quique partes juventute, & pecunia foverent, inquirit* (loquitur is ibi Scriptor de Federico) *magna illa, & toti Italiæ minata pestis, orta est, Guelforum & Gibellinorum, his Cæsarem, illis Pontificem sectantibus*. Mitto Tursellinum in Ænobarbo, & alios alibi rem eandem pari ferè stylo testantibus luculentè.

Dicti verò fautores Ecclesiæ, *Guelfi*: Imperii, *Gibellini*, si Jacobum Philippum sequimur in Suppl. Chron. à duobus fratribus Alemanis, quorum unus, *Guelfus* nomine, præerat factioni Pontificis Gregorii IX. alter, *Gibel* dictus, factioni Federici II. Si Corium, *Gibellini* Cæsarum studiosi, accepere nomenclaturam suam ab uno Cæsareo Duce appellato *Geneblich*: amantes Ecclesiæ *Guelfi*, ab alio nominis ejus Duce; vices Ecclesiæ gerente. Si Platinam, à duobus Ducibus Alemanis, quorum unus *Guelph*, aderat factioni *Cancellariorum* Pistoriensium, qui res Ecclesiæ tuebantur; alter verò *Gibel*, factioni alteri *Panzaticorum*, qui partes Imperii sectabantur. Si Propagatores ejus sententiæ, qui primùm exorta contendunt hæc nomina sub Federicis duobus, Primo scilicet, & Secundo, fautoribus Cæsarum *Gibellinorum* titulum peperere Federici ipsi duo, quòd ambo essent è Gibellina domo; *Guelforum* verò Ecclesiæ jura propugnantibus, Dux ejus nominis, Federicorum hostis: sive res ipsa ex Bartholo, quòd *Guelf* hebraicè *fidei amatorem*, & *os loquens* sonet. Si denique Veritatem, & eos, qui nobiscum nominum istorum originem vel ab ipsis Conradi III. & Henrici ejus filii temporibus repetendam censent, *Gibellini* ab laudatis Cæsaribus indigetati sunt, quòd ambo hi Cæsares nati, & ablactati tradantur in *Gibellino* vico, ideoque auxiliares eorum copiæ uti solerent in bello hoc Symbolo, *Hic Gibelin*; *Guelfi* verò à Guelfone Bavariæ Duce, qui contra prædictos Cæsares Italica Romani Pontificis auxilia duxit, cujus ergo Socii ejusdem in acie hanc quasi tesseram adhiberent, *Hic Guelf*. Neque enim nobis hic hærendum censeo Poggio, qui *Gibellini* nomen deduxit a Vico, juxta quem Guelfus Bavariæ Dux pugnam iniit cum Henrico.

Indicabant porrò tum hi, tum illi diversa sua studia partium non obscurè diversitate signorum, ita ut fallere non daretur. Nam & insignia bellica gerebant adversa, & colores, terræ fructus, habitus corporum, ipse hominum incessus, digitorum concrepitus, & oris hiatus suam habuere partium significationem. His exprimebatur palàm voluntas, & professio singulorum; his in seriis ac ludis, profanis ac sacris, domesticis & externis distinguebantur. Brixiana plebs, sicut & Bergomensis, allium quo scinderet modo, existimabat plurimùm interesse; auditumque aliquando est, in Bergomatum montibus extitisse, qui advenas ex Calabris, Apulisve, aut Hetruscis viatores hospitio receptos, allium (quod suo ipsius hospitis judicio in nucleos natura distinctos dividi oportuit) gladio scindentes, tamquam diversarum partium, interfecerint. Habemus & in Veterum monumentis diversas alias factionis utriusque notas. Quippe *Gibellina* factio, ut ex illis constat, colores adhibet varios, eosque lævæ parti accommodat, cui plumas etiam ipsas affigit: attollit eadem indicem, cùm jurat, eundemque superimponit rebus omnibus, quas attingit, pomaque scindens, extensa scindit: ad hæc vasa, quibus utitur, levia omnino sunt, cælata nuspiam; rosa demum candida, nativique coloris animantibus delectatur. Ea contra, *Guelfa* plumis & coloribus suis dexteram partem exornat, fidem suam cùm obligat, pollicem erigit, & alias supra res omnes apponit. Scindit eadem poma transversa, rosam amat purpuream, animaliaque nativi coloris expertia, & arte laborata vasa. Clemens IV. Rom. Pontifex, Florentinis exul bus Guelphis, quòd unà cum Carolo, Ludovici Francorum Regis fratre, adversùs Manfredum Siciliæ tyrannum strenuè dimicassent, insigne suæ Gentis proprium perpetuò ferendum indulsit, quod erat imago Aquilæ, prementis cæruleum Draconem unguibus, cujus vertici Guelphi dein ipsi purpureum Lilium adjecere. *Osius*.

(40) Haud mirum est, dici *Gibolengos* Nostro, quos alii *Gibelinos*, sive *Gibellinos*: *Ghibilinos* etiam, sive *Guibelinos* dicere maluerunt. Fuit enim eorum è número Noster, qui censebant, natum id nominis à Federico II. quem veteres quidam Annales à Benedicto Jovio Novocomensi visi, *de Gibollengo*; Otho Frisingensis Episcopus, & alii, *de Guibelinga domo* fuisse testantur, quibus è vocibus facili negotio potuit ævo illo Nostri, semilatino & barbaro, corruptum *Gibolengi* pro legitimo *Gibellengi*, sive *Gueibelingi*, vocabulum emanasse. Putasse verò Nostrum, enata hæc nomina imperante Federico II. neminem dubitare sinunt illa, quæ hac de re literis consignata reliquit in Ludovico Bavaro pag. 5. *Hæc à tempore Federici II. vocabula duo* (Gibolenga, & Guelfa) *inseparabilia germina, seu potiùs pestifera scisinata, pullularunt, atque invaluerunt, quæ semper tenuere Italiam inquietam*. Osius.

(41) *Tutela*, translatione nota. *Osius*.

(42) Propriè. Nam & Historici cæteri sic loquuti, &, quomodocumque ea se res habuerit, omnis factionum, & schismatum illorum caussa solis inesse nominibus videbatur. Hinc illa *factiosa* dicta, *calamitosa*, *pernitiosa*, *pestifera*, *tetra*, *fœda*, *noxia*, *funesta*, *plena funerum*, *execranda*, *diabolica*, *infausta*, & aliis talibus epithetis insignita, quæ horret animus meminisse, refugitque ad eorum commemorationem solam. *Osius*.

Guelphi, & Gibellini detestanda nomina à Friderico II. in Italiam invecta sunt, eaque Pistorii primùm audita inquit Michael Ricius, Lib. II. de Regibus Siciliæ, quod & placuit Blondo inquit Crusius, Lib. I. p. III. Cap. XIV. Ann. Suevicor. Idem sensit Georg. Mer. Lib. IV. Antiq. Vic. & Justinian. Lib. III. Histor. Genuen., ut jure Pistoriensis Cives perversos appellarit Petrarca; fuerunt enim geminæ furoris faces hæc nomina, queis concitata Italia sæviit in præcordia sua, & nullo non scelere se contaminavit. At de etymis horum nominum ego sanè Bartolo. In tract. de Guelf. & Gibell. num. I. non assentior, qui nescio quid somniavit è sacris libris petitum, utpote nomen Guelphi legi Cap. XXX. Genesis, cùm sit Zelpha ancilla Liæ; & Montem Gibellum, I. Reg. Cap. ult. cùm sit mons Gelboe, ubi Saul occisus est, potuit sanè Bartolo imposuisse, quoad primum, sonus prolationis, G, nostratium nominum, qui ut, Z, enunciant, at de secundo non habeo quod excusem: nisi confugiamus ad tenebras ætatis,

Digitized by Google

tis, quæ bona etiam ingenia transversa agebat. Rem actu tetigit Crusius, Lib. X. p. II. Cap. III. qui narrat, Anno 1140. Castrum Vvinsberg à Conrado Rege obsessum fuisse, ubi commisso prœlio in exercitu Velfonis fratris Henrici Ducis inclamatum fuisse ad sumendos animos Hie VVelph. è contra copias Friderici Conradi Regis fratris adclamasse Hie Bibeling, aliàs Hie Guaibelin, vel Hie Gibling, quod esset nomen Villæ Vvaiblingæ, in qua nutrix ipsum infantulum lactaverat: innuebat nimirum, se hostem, non Regiis viribus patris, non Ducatus Sueviæ præstantia, velle Vvelphoni exitium parari, sed lacte nutricis suæ, idest auxilio rusticorum, quod & præstitit. Siculos, Italos, Longobardos exponi sibi ista voluisse, & responsum fuisse illis, Pontificios designari per vocem Vvelf, Imperiales per Giblingen. hæc ille, ut refert, hausit ex Hermanno Ædituo. Et hinc datur intelligi, cur Gibellinos Gibolengos appellet hic noster; voluit nimirum ad inflexionem Germanicam, Giblingen propiùs accedere, notavit autem Krantzius, Lib. X. Saxon. Cap. X. habuisse Guelfos & Gibolengos inter se non modò signa bellica adversa, sed ut colores, terræ fructus, habitus corporum, incessum, digitorum crepitus, oris hiatum, Brixianos item & Bergomates Allii scissionem ex ratione partium commentos fuisse, eosdem hospitibus vim extremam intulisse, quòd Allium gladio scindi viderent: diversarum partium esse ratos. Videndus & Equicola in fine Lib. I. Histor. & Merula Lib. VII. Et hoc portentum, licèt aliunde illatum, vernaculum Italiæ evasit, adeout Georgius Merula, Lib. IV. Antiquit. Vicec. verè, & non sinè stomacho scripserit, *adeòque in animis nepotum hæc mali labes, & perniciosa appellatio propagata est, ut in nostra, i. Ann.* 1480. *usque tempora, ista dominante peste, violato sanguinis jure, cædes passim per urbes fiant, bona diripiantur, domus ad solum æquentur, cives in exilium alii agantur, trucidentur alii; & dum quisque sibi aut parti suæ reponi injurias, & maleficia formidat, in eam plerumque ætatem gladios distringit, cui inhumanissimus quisque barbarus parceret*, hæc ille horroris plena, sed tamen vera, in Germania certè hæc seges non excrevit admodum, ut seriò adnotavit Bartolus num. 17. in fin. in Tractatu citato, inquiens; *cùm possibile sit, & de facto sunt multi homines, & multæ terræ, quæ nulli prædictarum afflictionum adhærent, quod saltem clarè apparet in Civitatibus ultramontanis*, Pignorius.

(43) Ea nempe labes, tabesque tunc temporis in Lombardia maximè grassabatur. *Osius*.

(44) *Tyrannidem* legere est in quibusdam aliis Cod. MS. Sed habes eandem vocem elatam numero plurium Rub. ultima Lib. II. ubi loci cùm tyrannos appellat Gibellinos, Lombardiæ dominos, clarè firmat, & illustrat hanc partem. Inquit igitur. *Cremonenses, hunc non Regem, sed Tyrannum divulgabant, cùm tam tyrannides in urbibus exercentes decreverit, antiquatos Tyrannos titulis Imperialibus approbans, &c.* Verùm enim verò egregiè præ cæteris scripsit ad mentem, lucem, & fidem Nostri Carrio in iplomet Henrico VII. renuntiato Romanorum Rege. *Italia cædibus, ac direptionibus exhausta, redactaque sub Tyrannos jam servitutem pro libertate, quam intempestivè affectarat, serviebat duram ac tristem*. Et mox. *Pleræque Hetruscæ, & Longobardicæ urbes, aut laborabant seditionibus immanissimis; aut, crebrò mutatis Dominis, nunc hos nunc illos sequebantur victores; aut jam oppressæ parebant certis Tyrannis. Mediolani, &c. tyrannidem exercebant Guelphi, Gibellini nominis hostes: Veronam, &c. tenebant Gibellini*. Osius.

(45) Inter cætera damna, quæ plurima secum hæc schismata partium attulere, locum Cædi proximum *Exilium* habuit. Unde mox ante clarius Noster: *Constiterat*, inquit, *plurimas Italiæ Civitates per Optimatum factiones arcuisse in exilia cives partium scismatibus, &c.* Capreolus idem damnum attigit, cùm scripsit Lib. VII. Hist. patriæ. *Invalescentibus factionibus ipsis, multi urbe cives depelli, plures capi, & ut obsides coguntur detineri*. Præstitit idipsum Emmius in Florentinorum temporibus. *Guelphi cum Gibellinis, Nigri cum Albis contenderunt, contentionesque civiles non semel in pugnas, & cædes, adeòque in bella civilia exarserunt, & factiones se mutuò ex Urbe expulerunt*. Et alii, inter quos Merula Lib. V. Vicec. Antiqq. *Quo furore Volaterani, Miniatenses, Aretini, & Lucenses acti, qui contraria sensissent, eos patria ejecere*. Paullò post. *Regis præsidio nixi Gibellini in nomen Guelphum debacchabantur, nullus damnis, & exiliis modus*. Et infra de Albis & Nigris, Pistorii recens ortis. *Disceptator ille populus, contagione infectus, bifariam & ipse scinditur; ita funesta orta dissensio, crudeleque certamen inter cives suscitatur, domo & patria pelluntur Albi, quorum etiam bona publicata fuere. Novi exules, partim profugo Gibellino adhærere; alii in propinquas urbes, vicinaque oppida demigrantes, quærendæ dumtaxat rei, tuendæque vitæ occupati, factionis atque civilis ambitionis obliti quievere*. Et mox: *Carolus Romam petens, Florentiam fortè diverterat, & dum furorem domesticum sedare tentat, Nigros secutus, ut pars altera patria ejiceretur, auctor fuit*. Et post verborum aliquod intervallum, de Mastino Scaligero loquens. *Guelphis infestus, non priùs ab exilio, cæde, rapinis &c. destitit, quàm eos ferè omnes sustulit*. Et de Cremonensibus. *Cremonam hic morbus atrociter invasit, gravia fuere intestina vulnera, incredibilis profugorum multitudo*. Hinc crebra *Exulum* mentio in aliis ejus ævi Scriptoribus, quo viguere factiones istæ. Jamque supra audivimus ex Blondo Lib. VIII. Dec. II. initio, *Gibellinos Brixienses, Guelphos partim cæde confectos, partim ejectos, in maximam calamitatem, miseriamque conjecisse*: & *olim Aretio genus Licinium præpotens armis populorum, ab eo dissidentium, ejectum*, ut inquit Livius, *ad cujus facinoris imitationem post mille & quingentos annos Cancellarii Guelphi, Pazantinos Gibellinos Pistorio coegerint emigrare*. Osius.

(46) *Odio*, ut in his Quintiliani. *Ne ei tot scelerum commemoratione concitarem invidiam*. Terentii, *Sinè invidia laudes invenias, & amicos pares*. Plinii. *Ego & modestius, & constantius arbitratus immanissimum reum non communi temporum invidia, quàm inertiæ & nequitiæ pertimescenda*. Et Tullii, *Senatus religionis calumniam, non religione; sed malevolentia, & illius regiæ largitionis invidia comprobat*, cujus tamen interpretationem vocis in Tullio Manutius non addit, & mittit. *Osius*.

(47) Quam idcirco voluit Italis omnibus, antequam Italiam ipsam ingrederetur, per Oratores suos regios nuntiari. Consulantur ea de re Notæ Rubricæ proximè consequentis, & Rubrica ipsa. *Osius*.

(48) *Italis*, & *Lombardis*, quippe qui trium superiorum Cæsarum, Rodulphi, Adulphi, & Alberti, aspectu pæne totos annos sexaginta caruerant. *Osius*.

(49) *Magnanimitas* ea Virtus est, quam hic Regiam vocat, ut quæ Leoni regnum quoque detulerit inter feras omnes. Unde Ovidius:

Corpora Magnanimo satis est prostrasse Leoni.

Sed nos ubertim Virtutem istam extulimus in Henrico nostro supra. Non igitur actum iterum hic agendum. *Osius*.

(50) Latet hic etiam Henrici VII. *Prudentia*, brevi voçis istius ambitu comprehensa. Patet eadem latius in Notis nostris ad illa Rubricæ proximè laudatæ: *Ut circa incumbentia, &c.* quibus nil idcirco addo. *Osius*.

(51) Obruit horum Optimatum nomina, quæ nulli *Vetustas* parcit; at illos in Henrici VII. fide stabiles permansisse; quin & eidem auctores fuisse, ut Florentiam imperio suo subigeret, latere nos minimè voluit Noster in illis Rub. VIII. Lib. VIII. *Nec deerant hujuscemodi aggrediendæ vicissitudinis promotores. Erant Gibolengæ partis vetustissimi, Imperium uti signum cœleste colentes, &c.* Utrobique scilicet Nostro de Optimatibus iisdem Thusciæ Gibellinis sermo. Meminit etiam Aretinus Lib. IV. Florentinarum rerum Thuscorum accessus ad Henricum VII. ultra montes, idemque, suppressis nominibus singulorum, una omnes Florentinorum exulum appellatione designat. *Henrici fama per id tempus in dies magis crescebat, varisque rumores afferebantur. Et jam ex Germania in Galliam transisse asseverabant, circaque Rhodanum, Lemanumque lacum audiendis*

Digitized by Google

diendis Civitatum Legationibus, comparandisque copiis, quas traduceret, immorari. Legati verò frequentes ab Italia ad illum currebant. Exules Florentini, quoscumque non impediebat egestas, ad eum confluere dicebantur. Osius.

(52) Habes ex his breviter *Alborum* originem, quam Rub. VIII. Lib. VIII. pluribus sic expressit. *Erant Albi genus hominum superstitionis novæ, qui nati ex Gelfis, ejusdemque factionis, ex civilibus dissidiis à suorum communione discesserant, unitique Gibolengis ad omnia Gelforum irritamenta, pernitiesque. Et horum magna pars exiliis afficiebatur. Nactique hi Alborum agnomina à primis Pistoriensibus, Gelfos Nigros vocitantibus; quæ dispersa per Italas gentes adolevere vocabula.* Verè siquidem, ut olim Pistorii initium habuere Gibellini, & Guelphi; sic in eadem Urbe, quæ tunc, quantum vel alia Hetruscorum Civitas, florebat, emersit hæc alia pestis è stygiis pæne paludibus excitata. Enimvero parum malorum inesse videbatur in Gibellinorum, Guelphorumque partibus, nominibusque, nisi Guelphi bifariam divisi, ac in contraria studia abeuntes, intestinis odiis, armisque inter se contenderent, aliique dicerentur *Albi*, alii *Nigri*, ab una & eadem radice nati, quod isto planè pacto contigisse ferunt. Erat tum Pistorii genus hominum admodum florens, nec divitiis modò; verùm etiam potentia, & auctoritate conspicuum; haud longo tamen, fumosoque Majorum stemmate nobile; sed felicitate opulentissimi Mercatoris ante paucos tantùm annos enatum, vulgò *Cancellarios* appellabant ab ipsomet ultimo Generis autore. Adeò verò creverat illa Gens clientelis, & numero, ut centum & ampliùs sibi potentissimos homines numeraret. Abiere mox illi, natis inter se discordiis, in diversum: jamque inimicitiæ graves & rixæ ad plagas usque, & vulnera manus impulerant, pollutique sanguine proximorum Patriam omnem turbinibus involverant, diviserantque in factiones novas, Clientibus & Pistoriensi populo in favorem, ut erat affecto, concurrentibus undequaque: placuitque unam illarum partem *Albos*, *Nigros* alteram appellare. Ob has Sectas extremum pæne discrimen imminebat Urbi, cùm ejus cura suscepta Florentini, quo id malum latè jam erumpens, si qua posset ope comprimeretur, capita factionum amovenda, quoad refrigesceret impetus, factu optimum judicarunt. Ita dedita opera partes ambæ Florentiam deductæ sunt. Verùm enim verò ea res non tam Pistorium purgavit, quàm Florentiam ipsam infecit. Simul ac enim eam in Urbem locupletissimi homines admissi; multisque ac magnis affinitatibus in illa subnixi, à propinquis hospitio variè suscepti, ac mox favore sublevati sunt, ejusdem incendii faces in hospites injecerunt. Et ea quidem labes in Nobilitatem primùm irrepsit, alio aliis favente; nec ulla fuit domus paullò insignior, quæ non illic etiam bifariam scinderetur. Inde, quoniam hujuscemodi controversiæ in Rep. tractandæ sæpius erant, in Populares quoque, veluti tabes aliqua, diffusa, eo validiùs exarsit, quo ampliorem Florentiæ, quàm Pistorii, materiam fuerat consecuta. Quamobrem ea quoque Civitas tota divisa est, divisæ domus, divisæ familiæ: fratres quoque reperti sunt, quorum alius alia sentiret. Ita se Florentini, dum alieno morbo facere medicinam student, protinus infecere, statimque factio *Guelphorum* apud illos vetus anceps dissolvitur, duæque aliæ ex una, *Alborum* scilicet & *Nigrorum*, ibidem emergunt. Fervebant inibi pridem contentiones quædam inter *Circulos*, & *Donatos* ex vicinitate, qua se pæne intra Urbem, extraque in prædiis contingebant, exortæ. Ad eas potissimùm incendendas incubuit discordiarum flamma Pistorio allatarum. *Nigra* quippe Pistoriensium pars, plurimùm apud *Donatos* diversata, cum immodico familiæ ejus favore, ut propinqua, & hospitio suscepta juvaretur, *Albis* quicunque favebant ad *Circulos*, jam pridem Donatorum adversarios, accessere. Ita his, aut illis omnes cohæserunt, veritique Duces *Guelpharum* partium, ne ob hanc divisionem, inter suos homines coortam, *Gibellinorum* factio in Civitate resurgeret, coacti sunt per Oratores Bonifacium Pontif. rogitare, ut ad se purpuratum Legatum, pacis inter eos domesticæ componendæ gratia, mitteret: missusque est Nicolaus, Cardinalis Episcopus Ostiensis, qui serpenti malo occurreret. At is etiam infecta re, à Circulis spretus, urbe sacris interdicta, discessit. Ita Villanus Lib. IX. Cap. XXXVII. & sequentibus, & ex eo Jacobus Philippus in Suppl Chron. ad annum MCCCXIII. Blondus Lib. IX. Dec. II. Arerinus, & Ammiratus Lib. IV. Florentinarum rerum. Bzovius Tom. XIV. Annal. Eccles. ad ann. MCCC. Num. XIX. Col. II. & alii Recentiores omnes, rem eandem literis persecuti.

E quibus apparet liquidò eorum lapsus; qui *Albos*, & *Nigros* ex utraque factione, *Gibellina* scilicet, & *Guelpha* manasse tradunt, quorum in numero Platina, qui in Bonifacio VIII. *Legatum*, inquit, *in Etruriam misit, qui novas seditiones compesceret, nam à Gibellinis, & Guelphis ad Albos, & Nigros transierant.* Bzovius, qui loco laudato nuper in hæc verba scripsit: *Hoc malum, licentiosè Florentiæ serpens, ita omnibus animos subitò infecit, ut maxima ex parte. Gibellinorum, & Guelphorum pestifera vocabula, obrepentibus novis Alborum, Nigrorumque nominibus abusi, declinarint.* Et Tursellinus, qui disertè Lib. IX. Epit. Histor. ad ann. MCCC. *Novæ factiones Alborum, Nigrorumque Pistorii exortæ sunt, ac tota pæne Italia propagatæ. Pro Gibellinis Albi, pro Guelphis Nigri appellati.* Nati quippe utrique ex solis Guelphis; sed inter se divisis, ut habet hoc loco Noster, & Jacobus Philippus in Suppl. Chron. ad an. MCCCXIII. *Pistorii factiones Alborum, & Nigrorum, sicut à principio Guelphorum, & Gibellinorum partes, initium sumpsere, eo quòd in ipso Cancellarii, gens ditissima, multiplicata in duas partes se diviserit, & altera earum pars Albi vocati sunt, altera Nigri.* Quibus suffragatur Blondus, cujus illa sunt. *Florentia, Gibellinis exterminatis, novam invenit labem, quæ Guelfi bifariam sunt divisi.*

Fuit demum annus, quo nati hoc pacto *Albi*, & *Nigri*, millesimus trecentesimus ex Villano, & Sectatoribus ejusdem multis: ex Ptolemæo verò Lucensi Episcopo, millesimus ducentesimus octuagesimus nonus. Florebant enim & furebant eo jam anno ambæ illæ pestes, ut hæc illius indicant ad annum illum. *Isto eodem anno* (MCCLXXXIX.) *D. Albertinus Vergelensis de Pistorio occiditur à parte D. Simonis de Pantano, quæ Nigra vocabatur, alia verò Alba; unde facta est in Luca, & Florentia.* Imò & ante aliquod temporis spatium, ex ejusdem Ptolemæi mente, qui propterea non multò post scripsit. *Prius verò ad aliquod tempus occisus est D. Dettus de parte Nigra, & de eadem domo. Postea D. Bertacca de parte Alba; & sic per eos tota Thuscia ponitur in scissura*: quanquam in Lucensium Actis nati prodantur an. MCCXCV. ut idem ad annum illum Scriptor expressit his verbis, quæ libuit hic afferre, possent ut cum aliis conferri commodius, & expendi. *Item in gestis Lucensium inveni, hic incœpisse ferventem discordiam Cancellariorum de Pistorio, ut nominarentur Albi, & Nigri, quod nomen fermentavit Florentiæ, & Lucæ.* Quippe controversiam istam libens ego lubensque permitto dijudicandam aliis non gravatè. *Osius.*

(53) Ex dictis facilè est docere, *Albos* istos, qui properanti in Italiam Henrico VII. ultra montes obviam processere, non alios, quam ex *Circulis* aliquos extitisse: aut certè ex iis, qui se adversùs *Donatos* cum *Circulis* copularant. Siquidem hi primi Florentiæ tum temporis *Alborum* sibi nomen induerant; & studiosiores pacis, quàm *Nigri*, (ut Aretinus inquit) ejus assequendæ spem in solo adventu Cæsaris collocarant; invisi denique Rom. Pontifici, ob spretum Legatum ejus, ad quem alium confugerent, non habebant. *Osius.*

(54) Caussa ista potissima, quam in aliis frustra requiras, cur deficientes à Guelphis, procul abdicato veteri nomine, non transierint ad Gibellinorum castra, *Albique* dici maluerint, quam *Gibellini*. Cæterùm *Albi* semper Gibellinis nexi. Itaque apud Nostrum intra Lib. VIII. Rub. II. favent Henrico Romæ ex Thuscis, Albis & Gibolengis, mille trecenti. Libro eodem Rub. VIII. uniuntur Gibolengis Albi ad omnia Gelforum irritamenta, & damna.

Lib.

Lib. XVI. Rub. II. adsunt Albi unà cum Gibolengis Cæsari usque ad defectionem numorum. Libro I. de Gestis Italicorum post Henricum VII. Rub. I. qui Cæsarem eundem sequuti fuerant, Gibolengi, & Albi, ad suas amicasque terras confugiunt: & Lib. V. Rub. IX. Uguccio Fagiolanus contra Philippum Taranti Principem habuisse dicitur ex Italicis exulibus Gibolengis, seu Albis DC. Nexuit & utrosque simul Blondus, cùm inquit. *Defensabatur* (Pistorium) *ab extorribus, non magis Florentinis, quàm cæterarum Etruriæ Urbium Albis, & Gibellinis*. Et Merula de Albis exulibus loquens. *Novi exules partim profugo Gibellino adhæsere, partim, &c.* Hinc *Albi* à Platina in Bonifacio VIII. *Gibellini* dicti, quod animadversione dignum. *Carolus Valesius, eò Pontificis mandato profectus, continere Florentinos non potuit, quo minus Albos non sinè magna cæde ab Urbe sua pellerent. Albi enim Gibellini tunc appellati sunt*. Porrò sic interpugnendus totus hic Mussati locus. *Qui Alborum, intolerantia Gibolengi nominis, sibi prænomen elegerant, &c.* Osius.

Hic Mussatus loquitur de re (ut videtur) satis nota. At qui nam hi fuerint Optimates ex Gibolengis mihi planè non constat. Auctor certè Anonymus Historiarum Pistoriensium, sermone vernaculo, scribit pertimuisse Florentinos, Lucenses, & alios socios Guelfos Henricum adventantem, *però ch' avea con seco molti Caporali* (hi sunt Optimates Mussato) *al suo Consiglio della parte Ghibellina di Toscana*. Et Jugurtha Tomasius recens Historicus Senensis, Lib. 8. refert Nicolaum Bonsignorium Senensem, Ducem Gibolengorum, trans alpes profectum ad novum Cæsarem, cùm primum Senas perlatum est, Henricum rerum potiri. His accensendus est Simon de Philippis Pistoriensis, cujus meminit Joannes Villanus, Lib. 8. Cap. 120. non semel, Gibolengi autem partis antiquæ fuerunt, ut videtur, qui novitios Guelforum transfugas non agnoscebant, rigidos Gibolengos diceremus. Divisos Guelfos appellat hic noster eos, qui sectis, & factionibus ab invicem divellebantur, quorum meminit Villanus, Lib. 8. Cap. 38., & Borghinus, p. 2. pag. 323., quorum ille singillatim notat Regem Robertum, reversum Avenione, eo consilio Florentiam profectum, ut Guelfos dissidiis sejunctos reconciliaret, at nihil profecisse, Lib. 9. Cap. 8. Alborum intolerantiam non frustra notatam videmus: quia opibus, virorum vi, & necessitudinibus Florentiæ Albi rerum pæne potiebantur, ut asserit Villanus Lib. 8. loco citato, & Cap. 39. 43. & 48. At valde novum est quod adjicitur, Guelforum nonnullos Gibolengi nominis sibi prænomen elegisse, quod ego sanè non capio: nisi dicamus Guelfos, nomine tenus, factos Gibolengos, ut Albos fallerent, qui ad Clavum sedebant, alioquin inquit Bartolus, Tractat. cit. nemo potest Guelfus simul, & Gibolengus esse: verùm nimis portentosum fuisset hæc monstra jure coerceri: & portenta non fuissent, nisi extra orbitam juris exerrassent. Bellorum Civilium prima lex est Insania, & Furor. Albi & Nigri (ut hoc etiam demus exterorum doctæ curiositati) Pistoriensis fuerunt è gente Cancellaria, qui luxu diffluentes è rixa domestica in civicum tumultum, & odia lethalia proruperunt. Ea longum esset pertexere, quibus recensendis immorati sunt Auctor Anonymus Annalium Pistoriensium, & Jo: Villanus, Lib. 8. Cap. 37. Hi cùm sejunctim adoptassent sibi colores hinc Album, & hinc Nigrum, veluti anno 1308. Aretini Prasinum, Villan. Lib. 8. Cap. 99. & nos Patavini, non ita diu Prasinum, & Venetum, ea factione Hetruriam universam infecerunt, veteribus sectis Guelforum, & Gibolengorum, rei novitate, vel abolitis, vel intercisis. Et hæ quidem appellationes Alborum, & Nigrorum non Pistorii primùm ortæ sunt, ut videtur asserere Villanus, sed adultas, & ab alia origine petitas traxere Cancellerii in partes insaniæ, quam fovebant. Quod acutè pervidit Vincentius Borghinus loco superiùs citato, & initium Annalium Pistoriensium clarè innuit. Et hæc semel dicta sint in gratiam eorum, qui peregrinis hisce vocibus afficiuntur; non ut refricemus vulnera illa, quæ jam cicatrices obduxerunt. Acta in Bonifacium viventem Parlamenti, ut vocant, Papirius Massonius, in vita Philippi, maledictis plena appellat, & data opera omittit; captivitatemque detestatur. Regem ipso mortuo, à Clemente Pontifice petiisse scribit, ut memoriam damnaret, ossaque ejus in ignem mitti juberet, hæc Pontifici non placuisse scienti decessorem suum à Fide Catholica non recessisse, Villanus Lib. 8. Cap. 91. & tria supra XL. hæreseos capita, quæ Rex à I. Canonicis suis objici mortuo curarat, conficta existimasse, demum in Synodo Viennensi, Rege ipso præsente, Episcopos decrevisse Bonifacium, Monaldus Lib. 8. Com. Historic. Catholicum fuisse, & nulla hæresis labe infectum, cùm tres Cardinales, Theologus hic, illi Juris Consult. multis argumentis hoc factum comprobassent, adessentque Equites duo Catalani, qui armis instructi memoriam defuncti propugnarint; in Concilio autem illo sive Parlamento Parisiis habito, hæc Bonifacio objecta sunt; *crimina, & titulus hæresis, suoque prædecessore vivente intrusio, & ingressus illegitimus ad Papatum, & quod ei non erat parendum*, inquit Archiepiscopus Consentinus. Quibus addit Henricus Stero Altahensis contra ipsum Papam factam fuisse provocationem ad Concilium Generale; ut minùs mirum sit, abstinuisse hisce referendis Massonium. *Pignorius*.

(55) Occurret pari sensu vox ista in Mussato crebrò. Non idem nunc illius usus, quippe nec eadem hodie est ætas, nec hominum idem gustus, & stylus. *Osius*.

(56) Nequaquam hic approbo *in dies* pro *montes* ex Codice Vicentino. *Osius*.

(57) *Transiliere* MS. quidam, quod admitto: nec repeto, quod ex Argentinensi docuimus in Conventu ab Henrico VII. celebrato Spiræ post Coronationem primam, ad eum Conventum, ejus è Scriptoris mente, Matthæum Mediolani, & Theobaldum Brixiæ Magnates, nec non & Lombardorum quamplurimos accessisse. *Osius*.

(58) Major hac in voce vis, quàm in *alliciendum* Codicum aliquorum. *Osius*.

(59) *Per literas*. Siquidem Scaligerorum Legati ad eum Cæsarem accessere non nisi post illatum ab eo pedem in Italiæ fines. Adi Rub. X. hujus libri, & Nos ad illam. Pari quoque studio Cæsarianarum partium, Canis Albuino superstes, post Henrici mortem Ludovicum Bavarum in Lombardiam accivit, ut in eo clarè liquebit ex Nostro. *Osius*.

(60) Alberti filium, Bartholomæi primogeniti, & Canis Francisci, (qui *Joannes* perperam appellatur à Lazio Lib. XII. de Migratione Gentium, in Marchionibus & Principibus Veronensibus) natu minoris fratrem, sic dictum, deducto (ut opinor) nomine ab *Albuino*, qui circa salutis annum CCCCLXII. primus Longobardorum Regum in Italiam venisse dicitur. Missum nempe hoc in loco facio Theodebertum, Clotarii F. qui ante discedens in Italiam, omni pæne Gallia Cisalpina potitus fuerat, quod & Capreolus fecit. Nimirum Albuinus ille Imperii sui sede Veronæ posita inibi vitæ finem sortitus est, à Perideo cæsus, insidiis Rosemundæ uxoris, & sub cujusdam, scalæ ascensu, quæ Palatio erat contigua, sepultus, Paulo VVarnefrido teste Lib. II. de Gestis Longobardorum Cap. XXVIII. Non alio ego ex fonte, quàm ex isto regio, originem *Albuini* nominis, in posteris Veronæ Principibus propagati, manasse crediderim, nec aliunde *Scaligeri* cognomentum. Amasse quippe Veronæ Proceres nomina Longobardorum Regum, argumento quoque fuerit *Turisendus de Turisendis*, ejus olim Urbis Primas, sic dictus de nomine Turisendi, filii Turismondi, quo de VVarnefridus Libro I. laudati Operis Cap. XXIII. Cæterùm *Albuinus Scaliger*, Cane fratre mitior, ut est à Torello Sarayna proditum Lib. II. Hist. patriæ ad an. MCCCIII. & Cavatio Lib. III. Histor. Cœnobii S. Justinæ Patav. ipse domi probè curavit publicam, foris autem, & militiæ Canis. Curavit autem ab anno MCCCIII. ut ante memorato Saraynæ placet, sive MCCCIV. ut asserit Pajarinus, firmatque Monumentum pervetus Responsionis, nomine Petri Gradonici Ducis, Consilii, & Communis Venetiarum mense Martio ejusdem anni Legatis Veronensium data, post acceptum ab iisdem nuntium electionis hujus, quo de scribimus, Albuini in Capitaneum, & Dominum populi

Digitized by Google

populi Veronensis, quod producemus infra, usque ad MCCCXI. quo decessit, die XVIII. Novembris ex morbo, quem in castris Brixiæ contraxerat, ut è Nostro liquet Lib. V. Rub. II. terræque redditus ad Sanctæ Mariæ, *Antiquæ* cognomento, templum, inibi nunc etiam loci tumulum & effigiem habet, quæ Civium, & Advenarum oculos in se convertunt. *Osius*.

(61) *Seniorem* intellige, divisum habentem Veronæ imperium cum Albuino fratre. *Canis* enim alter *Junior* in eadem familia fuit, secundogenitus Mastini, nepotis Canis Scaligeri Senioris, qui Ludovici Bavari filiam uxorem duxit. *Canis* autem nomen una cum *Francisci* nomine Cani Seniori impositum in sacro fonte, si credimus Saraynæ: sin Lazio, ab insignibus, in quibus supra galeam Canem magnum gerere consuerat. Solo *Canis* ille quidem nomine contentus fuisse videtur, quandiu Albuinus Reip. præfuit; at ubi ad unum illum rerum omnium summa delata est, *Magni* sibi tum cognomen adscivit. Censet nihilominus Sarayna, *Magnum* illum potiùs ob magnitudinem cum animi, tum corporis, quàm ob amplitudinem ditionis, & imperii meritò nuncupatum: idemque cognominis rebus ab illo strenuè, præclaréque gestis Jac. Philippus adscribit Lib. XIII. Suppl. Chron. ad annum MCCCVIII. In Nostro nemo sanè non videt, Canem istum nuspiam, nisi post Rubricam VII. Libri VII. nuncupari *Grandem*. Fuit planè *Vir acer & intractabilis, nullos coercens impetus; sed ad quæcunque illum ira provocasset præceps, & inexorabilis: nec non habitu, gestuque immanior videri mallens, quàm sua valuisset exercere severitas, nec plus quidquam pensi habens, quàm si eidem, quæcunque voluisset, licerent*. His enim illum omnino coloribus affinxit Noster Lib. III. Rub. I. Et his aliis Rub. VIII. Lib. XIV. *Juvenis insolens, in tyrannide natus, educatusque*. Et Lib. XII. de Gestis Italicorum post Henricum VII. Rub. II. *durus, & fortis*. Cavatius loco laudato supra, *ferociorem illum* indigetat *Alboino fratre*, Capreolus, *avidum dominandi*. E contra Jac. Philippus in ante memorato libro; *Canis*, inquit, *Scaliger, qui ex rebus multis strenuè gestis Magnus cognomento est appellatus, Alberti Scaligeri Capitanei filius, Vir utique magnus, & rebus bene gestis omni præconio dignus, his temporibus* (anno MCCCVIII.) *Veronæ, Galliæ Cisalpinæ Urbis, dominium sibi vendicans, regnavit in ea annis ferme XX. Quam quidem Civitatem tanta Justitia, Sapientiaque ac Pietate gubernavit, ut etiam Picenum, & Romandiolam omnem potiùs sua bonitate, quàm armis, aut aliis bellis sibi subegerit. Erat namque Canis hic multæ eloquentiæ particeps, comis, ac omnibus perhumanus: nec non & in omnibus admodum liberalis: atque etiam doctorum Virorum, tum Ecclesiasticorum, tumque Oratorum, & Historicorum, ac Poetarum assidua familiaritate conjunctus. Inter quos Dantem Florentinum præstantissimum Poetam, ob ejus doctrinam, & rerum multarum experientiam, apud se sedulò habere voluit, & magnis honoribus, præmiisque semper eum prosequi voluit*. Quid hoc Eulogio grandius fingi, vel excogitari possit? Nulla profectò Viro Principe dignior est laus, tutela patrocinioque Doctorum hominum, in quos adversa præcipuè Fortuna, Virtutis inimica, sævit. Noluit itaque Petrarcha, literatorum ævi sui Phœnix, eam in Cane Scaligero laudem tacitus præterire; sed æternitati consecratum ivit his verbis Lib. II. Memorandarum Rerum: *Dantes Aligherius, & ipse concivis nuper meus, vir vulgari eloquio clarissimus fuit, sed moribus parùm per contumaciam, & oratione liberior, quàm delicatis ac studiosis ætatis nostræ Principum auribus, atque oculis acceptum foret. Is igitur exul patria, cùm apud Canem Magnum, commune tunc afflictorum solamen ac perfugium, versaretur, primò quidem in honore habitus, deinde pedetentim retrocedere cœperat, minusque in dies Domino placere*. Hinc Platina in Bonifacio VIII. *Verùm abeunte ex Hetruria Carolo Valesio, Albi Florentia pulsi, Forumlivii populariter commigrarunt: quorum de numero habitus est Dantes Aldegerius, vir doctissimus, & sua vernacula lingua Poeta insignis, qui postea redire in patriam persæpe conatus est, sed frustra, adjuvantibus etiam Bononiensibus, & Cane grandi Veronensium domino, quo cum postea familiariter aliquandiu vixit*. Delectabatur Canis idem plurimùm aucupio & venatione, testimonio Nostri Lib. XII. de Gestis Italicorum post Henricum VII. laudato supra: dignusque visus est Serenissimæ Reip. Venetæ, qui inter Cives illius Nobiles cooptaretur, ex Caroldi fide. Tandem, cùm urbem suam Veronam maximis ædificiis, & aliis quamplurimis beneficiis mirum in modum illustrasset, potitusque Vicentia, Patavio, Feltro, Belluno, Brixia, Parma, Rhegio, Luca, acceptum à Majoribus imperium multis ac multis partibus auxisset, anno Domini MCCCXXIX. Undecimo Kal. Augusti, quarta post ingressum Tarvisii die, hora sexta, morbo correptus, quæ est rerum humanarum conditio, sinè virili prole defecit, ætatis anno XLI. Patavina urbe cum districtu suo Carrariensi dono quodammodo elargita; Verona verò nepotibus duobus ex fratre, Alberto scilicet & Mastino. Cadaver insigni pompa, magnoque sumptu Tarvisio Veronam delatum est, & apud Albuini cineres, intra Forum urbis, & S. Mariæ Antiquæ templum, perhonorificè conditum cum Imagine, & Epigrammate ejusmodi, à Gratiadeo Grimano, ejusdem scriba, confecto, ut asserit Pajarinus.

Hic decor, hic probitas, hic nobile corpus humatum,
Hic sunt magnanimi membra sepulta Canis,
Impia quem multis Patavi de gente Tyrannis
Abstulit è summo mors sinè cæde loco.
Annua tunc, lapsis memorabat mille trecentis,
Tempora Virgo Parens tertia, bisq; decem. Osius.

(62) *Comites* aliis, & in his Vecerio; Lanzio verò *Principes*, & *Marchiones*. Inde Cavatius Lib. III. *Scaligerorum genus ex Germanis prodiit, & Veronæ receptum inter populares, multis deinde opibus, & magistratibus honestatum, etiam Cæsarianarum partium studio ad supremam Urbis dignitatem, ac Imperium emersit*. Eoque distinctiùs Sarayna Lib. IV. de his, qui potiti sunt dominio Veronensis Urbis. *Ob Eccellini mortem ad populare regimen redacta est Civitas, Nobilibus sublatis, sub umbra Rom. Ecclesiæ. Unde, quum in Civitate familiæ essent Scaligeræ appellatæ, à populo Mastinus Scaliger ex eis est electus Prætor. Et sic effecta est nobilis familia ipsa. Comites verò S. Bonifacii, in patriam revertentes, Mastinum ipsum interfecerunt ann. MCCLXII. Quibus Comitibus expulsis, ab eodem populo, & Albertus Scaliger, jam dicti Mastini frater, totius Populi Dux est delectus die XXVII. Octobris MCCLXXVI. Cui tertio loco successit Bartholomæus septimo Maji MCCCI. Deinde Albuinus MCCCIII. Et post ipsum Canis Grandis Urbi dominatus est, qui corporis fluxu obiit*. Et sic de cæteris Veronæ Dominis pari stylo narrare pergit, usque ad annum MCCCCV. quo se Venetis, mira justitiæ fama in Italia regnantibus, ea Civitas ultro tradidit die B. Joanni Baptistæ sacro. Licèt enim anno MCCCCXXXVIII. à Nicolao Picenino, Præfecto exercitus Ducis Mediolani, noctu urbem ingresso, tribus illa diebus vexata fuerit, eo tamen fugato, & rursus ejusdem dominio à Venetis acquisito (nam arces nondum expugnatæ in fide manserant) in eorundem sub statu pacifico potestate fuit usque ad MDIX. & mensem Maji, quo imperio Maximiliani Cæsaris addita est illi, septem demum annis imperantis finitis, mense Januario MDXVII. ab ipsomet Maximiliano Cæsare Venetis eisdem est restituta, qui Deo, totique Populo pergrati, usque in præsens illius dominio potiuntur. Narratur eadem ab eodem Sarayna pluribus Lib. II. Historiæ patriæ Italico sermone conscriptæ, magnaque illi ex parte subscribit Pajarinus, & in primis iis, quæ de Scaligerorum, *Bartholomæi*, *Albuini*, & *Canis Grandis*, dominatu diximus, sic de primo scribens. *Anno MCCCIV. D. Bartholomæus obiit die Dominico, intrante Martio*. De altero. *Anno eodem D. Alboinus ejus frater factus est Capitaneus, & Dominus Veronæ, & die Mercurii factus est perpetuus Potestas Ancianorum, & Mercatorum*. De tertio. *His duobus annis* (MCCCVII. & MCCCVIII.) *in consilio majori Ancianorum, & Gastaldionum Communis Veronæ D. Canis Grandis della Scala factus fuit Capitaneus Generalis Communis, & Populi Veronensis, pone D. Albuinum ejus fratrem. Juravitque super Capitello fori in Mercato Capitaneatum suum, ac datum illi fuit in manibus*

bus vexillum Communis Veronæ per Ancianos, & Gastaldiones Communis Veronæ. Plura si quis expetat, ei cumulatè satisfecerit Sarayna. Sed & cumulatiùs Monumentum vetus responsionis, nomine Ducis Petri Gradonici, Consilii, & Communis Venetiarum Legatis Veronensibus datæ anno MCCCIV. mense Martio, post acceptum ab iisdem nuntium obitus Bartholomæi Scaligeri, Capitanei populi Veronensis, & elationis Albuini fratris in defuncti locum, quod olim mihi longè jucundissimum, & auro contra carius Monumentum meas devenit in manus è Musæo Senatoris amplissimi, Dominici Molini, juvandis nostrum omnium, qui Musas amœniores colimus, studiis nati, planèque dignum, quod publici juris fiat, tum, ut anni ipsi dominatus Bartholomæi, & Albuini Scaligerorum fratrum; tum, ut amor, quo se se invicem perpetuò prosequuti sunt Veneti, & Veronenses, seris quoque nostris Nepotibus innotescat. Sequitur illud igitur in hæc verba:

„ MCCCIV. Mense Martio. Ad Ambaxatam „ factam Illustri D. Petro Gradonico Duci, „ Consilio, & Communi Venetiarum per sa„ pientes viros DD. Bonamentem Judicem de „ Mambertis, Omnebonum Militem de Sacro„ mosio, Franciscum D. Aprilis, & Dolfinum „ Notarium à Campanea Ambaxatores DD. Po„ testatis, Capitanei, Ancianorum, Gastaldio„ num, Consilii, & Communis Veronæ; res„ pondetur per supradictum D. Ducem pro se, „ Consilio, & Communi Venetiarum, quòd ca„ sus lachrimabilis, & amarus decessus Magni„ fici D. Bartholomæi della Scala, olim Capitanei „ Veronæ, quem iidem Ambaxatores exposue„ runt, tanto ipsius D. Ducis, & omnium Ve„ netorum mentes exasperavit acerbiùs, quanto „ ipsum teneriùs, & sviscceratis affectibus dili„ gebant. Sed ex quo suo placuit Creatori, hanc „ ejus visitationem transmittere, ipsum ad se „ vocando, non superest aliud, quam laudare „ sanctum nomen ejus, & de omni eo, quod „ sibi placet facere, contentari. Ad aliud, quod „ dicti Ambaxatores annuntiaverunt de unani„ mi, & grata promotione D. Albuini della „ Scala, fratris ejus, ad Capitaneatum, & „ Communis, & populi Veronensis dominium, „ & ad Potestariam perpetuam Mercatorum, „ respondetur, quòd hic Ancianorum, Gastal„ dionum, Consilii, Populi, & Universitatis „ Veronæ gestus laudabilis, veniens ipsius D. „ Ducis, & Venetorum mentibus multum gra„ tus, concepti jam doloris vehementiam mi„ tigavit, & grandem eis consolationem addu„ xit, tum quia propter magnum dilectionis af„ fectum, quem ad Genitorem, & Fratrem ejus „ bonæ memoriæ habuerunt, & habent ad præ„ sens ad ipsum D. Albuinum, tum propter „ amorem, quem ad Civitatem, & Cives Ve„ ronæ, & antiquis, & novis temporibus ha„ buerunt, tum quia valde cessit cordibus eo„ rum acceptum, quòd Homines Veronæ, re„ cognoscentes beneficia, honorem, & statum, „ quem ipsi & Civitas Veronæ à DD. della „ Scala continuè receperunt, suam, quam ad „ ipsos Dominos della Scala habuerunt & ha„ bent devotionem, & reverentiam, ostende„ runt pridem decedente Magnifico D. Alberto „ in personam dicti D. Bartholomæi, filii sui, „ & nunc deficiente dicto D. Bartholomæo in „ personam dicti D. Albuini, fratris ejus, qui „ talis est, & tantus per Dei gratiam, quod „ meritò sperari potest, quòd damnum, & per„ ditionem ex morte fratris habitam restaura„ bit, & cunctos, qui sumpserunt de fratris „ perditione mœstitiam, consolabit. Ad obla„ tionem suam, quam fecerunt dicti Ambaxato„ res de voluntate, quam dicti DD. Potestas, „ Capitaneus, Anciani, Gastaldiones, Sapientes, „ Consilium, & Commune Veronæ habent de te„ nere, servare, & augere in melius (dante Deo) „ omnem amicitiam, benevolentiam, & amorem, „ quem prædecessores ipsius D. Albuini Capita„ nei, & Commune Veronæ habuerunt, & habent „ cum supradictis D. Duce, Consiliariis, Con„ silio, & Communi Venetiarum, & tanto me„ liùs, quanto melius esse potest, respondetur, „ quòd D. Dux, & Commune Venetiarum hanc „ de ipsis firmam credulitatem habebant, & ha„ bent, tum quia eorum sunt voluntatem ex„ perti per opera per tempora præterita acta, „ tum quia tam ipse D. Dux, quam omnes, „ & singuli Veneti, adeò sunt unanimi volun„ tate dispositi ad cuncta, quæ honorem, & sta„ tum prædicti D. Capitanei, & Domus della „ Scala, & Communis Veronæ contingerent, „ quòd imaginati sunt, quòd honor, & status „ ipsorum sit honor, & status suus, & Com„ munis Venetiarum, ita quòd de ipso Duce, „ & Communi Venetiarum dictus D. Potestas, „ & Commune Veronæ in omni statu, & con„ ditione occurrentibus eis semper, utinam pro„ speris, credere possunt firmiter, & sperare „ de iis, quæ possent & eorum favorem, & „ statum, sic quòd (ut dictum est) statum ip„ sius D. Capitanei, & Communis Veronæ re„ putant proprium, sicut possunt, & omnes „ eorum eventus, qualescumque sunt, partici„ pant, & ideo intendunt eis in omnibus eo„ rum votis reddere se conformes. *Osius*.

(63) Non displicet Scriptura Veneti MS. quæ *gravium pœnarum* pro *gravium pecuniarum* habet. *Osius*.

(64) Nominis ejus Quintum, *Bertrandum* antea (pro quo nomine *Reyterandum*, & *Raymundum* corruptè in Vecerio, & Ciaconio leges) *Gottum* sive *Gotthonem* dictum, quem Cardinalis cum primis Ostiensis sagacitas, & Philippi Francorum Regis studium ad Pontificiæ Sedis apicem ex Burdegalensi Archiepiscopo evexere, post longum dissidium Purpuratorum Patrum, qui Prætorio Perusino diutissimè inclusi, in deligendo Romano Pontifice pæne per annum convenire minimè potuere, sacro omni Collegio duas in æquas factiones, Gallicam, & Italicam distracto. Obtigit ea sors Bertrando Nonis Junii, anni MCCCV. quo Pontifex renunciatus absens, Cardinalibus Lugdunum excitis, Romanam Curiam in Gallias, id urgente Philippo Rege, transtulit, ubi ad annos septuaginta, & ampliùs mansit non absque incommodo Romanæ Urbis, & Italiæ universæ, ut non immeritò translationem illam suis in Epistolis deplorarit Petrarcha, nobilis ejus ævi Vates, Philosophus, & Orator. *Vitam* hujus Pontificis, præter Platinam, Onuphrium, Ciaconium, & alios, qui res gestas Romanorum Pontificum literis edidere, scripsit ex professo Bernardus Guido, Ciaconio teste: *Mores* nos ejusdem in Notis nostris ad Rub. VIII. Lib. III. de Gestis Ital. post Henricum VII. loco suo proprio describemus. Adumbrabitur ejus quoque *Creatio* post duas sequentes Notas. Cæterùm Claudius Robertus, Lingonensis Presbyter, in sua Gallia Christiana, Clementem istum, nominis ejus Quintum, Bertrandum, Gothumque de Guth appellatum ante Pontificatum notat, & ante Burdegalensem Archiepiscopatum, unde illi proximus ad Pontificatum gradus, Convenienti Ecclesiæ Episcopi titulo præfuisse, quod postremum tradidit etiam Auctor Appendicis adjectæ Supputationibus Martini Poloni, Archiepiscopi Consentini in Clemente ipso (pro *Comisenarum* enim apùd Auctorem illum, *Conventientium* reponendum liquet) Magni Chronici Belgici Concinnator in Romanis anni MCCCV. pag. 283. nec non & Ciaconius in Clemente V. *Osius*.

(65) Licèt hac voce comprehenderit Noster Cardinales omnes, haud omnes tamen credat cordatus Lector animo alieno fuisse à Francorum Rege in Bonifaciana lite. Erant quippe tum in Patrum Purpuratorum cœtu factiones, ut ante mox innuimus, duæ, Italica una, Gallica altera, quæ partes illum in duplices distrahebant. Unius Principes erant *Matthæus Rubeus*, Sanctæ Mariæ in porticu Cardinalis, Diaconorum Prior, & *Franciscus Cajetanus* (non rectè *Gatarius* Papyrio Massono dictus in Annalibus Flandricis) Sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis, & Octavi ex fratre Jofredo nepos: alterius *Neapoleo Ursinus*, Sancti Hadriani in tribus foris Diaconus Cardinalis, & F. *Nicolaus Pratensis*, Episcopus Card. Ostiensis, & Veliternus. Hi Philippo Regi favebant: illis, amantioribus Italici nominis, & suarum rerum, insedebat altè animo memoria injuriarum Bonifacio VIII. P. M. illatarum: quamquam Pratensis non semper eundem erga Galliarum Regem animum præ se tulit. Stabant & à Bonifacio, quotquot ille Sacrum in Ordinem cooptarat, *Theodorus Raynerius* Urbevetanus, Cardinalis Tit. Sanctæ Cucis in Hierusalem, Epi-

Digitized by Google

Episcopus Prænestinus: *Leonardus Patrassus de Guerrino* Hernicus, Bonifacii ipsius avunculus, Episcopus Card. Albanus: *Joannes Minius de Murro Vallium*, Episcopus Card. Portuensis, & S. Rufinæ, unus ex iis, qui se Bonifacii memoriam in Viennensi Concilio defensurum Theologicæ facultatis opibus professus est adversùs Galliarum Regem: *Petrus Hispanus*, Episcopus Card. Sabinus: *Gentilis Monteflorius* Picenus, Presbyter Cardinalis Tit. SS. Sylvestri, & Martini in Montibus: *Franciscus Ursinus Romanus*, Diaconus Card. Sanctæ Luciæ in Silice: *Jacobus Cajetanus de Stephaniscis Anagninus*, Bonifacii ipsius nepos ex altero fratre, Diaconus Card. S. Georgii in Velabro. *Lucas Fliscus, è Lavaniæ Comitibus, Genuensis*, Diaconus Card. S. Mariæ in Vialata, is qui, Bonifacio Anagniæ capto, populum ad arma concivit, fuitque in caussa, ut libertati pristinæ redderetur: *Richardus Petronus Senensis*, S. Eustachii Diaconus Cardinalis: nec non & *Episcopus Ostiensis*, quod apparebit ex Nota, quæ proximam illico consequetur. Fovebant è contra Pulchrum *Columnenses* Diaconi Cardinales duo, *Jacobus*, & *Petrus*, quos Octavus sacro Ordine moverat, ut ex ejus Constitutione patet, quæ est de Schismaticis, & habetur Lib. VI. Decretalium; Clemens verò V. eidem Ordini redonarat: aliique nonnulli, & in primis *Cardinales Galli*, qui adeò multi Anno MCCCV. ab eodem Clemente creati sunt, ut facilè quivis tunc posset assequi conjectura, Pontificem Romanum deinceps non nisi ex Gallicis Patribus eligendum: ii demum omnes, qui *Gibellinæ factionis* erant. Diversis hujuscemodi studiis, quasi contrariis fluctibus & procellis, agitabatur tunc temporis augustissimus Patrum Purpuratorum cœtus. *Ossius*.

(66) Nominis ejus *Quarto*, cognomento *Pulchro*, qui Regni Gallici gubernacula suscepit Anno MCCLXXXVI. Adeantur Paulus Æmylius Veronensis, & Papyrius Massonus Francus, utrique in eo. Primus Lib. VIII. de rebus gestis Francorum à Pharamundo Rege I. usque ad Carolum VIII. Secundus Lib. III. Annalium, quibus res easdem breviùs exequutus est. *Ossius*.

(67) Loco, & numero quadragesimo quarto, præstantissimo forma, prudentia, & virtute, ut habent ejus in laudem Historici Gallicarum rerum. *Ossius*.

(68) Quæ res hinc inde Bonifacium inter Romanorum Pontificem, & Philippum Galliarum Regem, cognomento *Pulchrum*, litis hujus incendium excitarint, docebunt Scriptores aliquot ejus, & sequentis ævi, quorum adhuc integra, nec corrupta monumenta extant. Succcenturiabuntur iisdem è Recentioribus, qui per illorum vestigia recto processisse tramite dignoscentur. Haud enim desunt, quos hic studia partium transversum egerint: nec unam & eandem omnes tanti dissidii caussam, & originem tradunt.

Ordiri placet ab iis, qui caussas illius tradunt erutas è mente Pulchri, quique rei gestæ tempora propiùs attigere. Villanus igitur, illustris ejus ævi Scriptor, Lib. VIII. Cap. LXII. duplicem tanti mali caussam evulgavit, primamque tribuit cladi, quam apud Tornacum maximam, non absque consilio Pontificis, Pulcher à Flandris accepit: secundam fidei, quam idem Regi dederat Pontifex, de procurando Romanorum imperio Carolo Valesio fratri, minimè conservatæ, electione Alberti publicè confirmata. Ita verò in Bonifacio ipso latinis utramque verbis ex illo Ciaconius publici juris fecit. *Regis indignationem auxit magna clades à Flandris accepta: item elusio fratri Valesio Comiti habita, quem Bonifacius Octavus ex Gallis in Italiam evocaverat, eique Constantinopolitani Imperii; aut, si difficilis ea provincia esset, Occidentis diadema promiserat, vacans, ut ipse dicebat, Adolfi morte. Adolfus enim Rex Romanorum occisus est circa Kalendas Julii Anni Domini MCCACIX. Albertus Cæsar Rex Romanorum creatus VI. Kal. Augusti anni MCCACIX. regnavit annos VI. menses IX. dies V. Albertum enim Cæsarem designatum ad eum diem, ut homicidam, & Imperii invasorem rejecerat. Ex tunc verò omnia secus fecerat. Nam in Philippi odium Alberti legatione suscepta, eum Romanorum Regem confirmarat. Has igitur ob caussas Rex Francorum, se à Pontifice delusum, & spretum existimans, ferali in eum odio exarsit.* Et ante de prima caussa scripserat. *Pontifex, nihil Rege demissior, verbis atrocibus facta adjunxit, & clam Flandros bello potentes, quorum Comitem Rex cum filiis in vinculis habebat, in eum concitavit.* Et fuit ea planè clades ingens. Interiisse quippe scribuntur eo in bello supra trecenta millia lectissimorum in Gallia virorum, duravitque (ut hoc etiam obiter moneam) annos undecim, post quos finitum est demum clade Flandrorum, quorum ad Fanum Odomari quindecim millia, ad Ariam octingenti, ad Tornacum quingenti cæsi fuerunt Anno millesimo trecentesimo quarto. Redeo ad ejusdem dissidii caussas recensendas, ut annotatum reperi in notæ melioris historicis monumentis. Hæsit enim Villano Vecerius in Henrico VII. caussasque similes, posteriorem priùs, priorem posteriùs attulit in hæc verba. *Anno à Christo Salvatore genito MCCCII. Francorum Rex Philippus, cognomento Pulcher, grave adversùm Pontificem Max. Bonifacium Octavum conceperat odium; tum Gibellinæ factionis studiosiorem existimans, tum, quòd fidem temerè prævaricatum contenderet. Promisisse enim sibi paucis ante annis, cùm alia quædam, tum de summa Rom. Imperii potestate ab Germanis ad Gallos traducenda, atque adeò Carolum fratrem disertè fuisse in conventis nominatum, cui id primum decus assignaretur. Hæc videlicet pollicita nunc cecidisse ad nihilum, Alberto Austrino Teutonico Principe palàm nuper decretis ejus comprobato.* Hæc ille primo loco de posteriore tanti dissidii caussa, ut apparet. Quam enim initio retulit *de studio nimio Gibellinæ partis*, nequaquam illam ego secreverim à studio Alberti Cæsaris Augusti, cùm Gibellina pars Romanis, ut ostensum alibi, Cæsaribus adhæreret. De priore caussa Scriptor idem hæc alia tradidit, quæ sequuntur, non longum post versiculorum aliquot intervallum. *Pontifex, ne nullam non rationem coercendi Pulchri tentaret, Flandrorum partes tueri aggreditur. Ea tum Gens, quòd superbius imperatum sibi diceret, Gallicum jugum detrectabat.* Meyerus in Annalibus Flandricis unam ex his tantùm caussam, eamque postremam, verborum hisce coloribus adumbravit. *Suspecta nimis Papæ, Germanisque erat Gallorum potentia, & superbia. Ideo mox electus Austricus non absque invidia Regis Gallici, quòd Carolo fratri Austrinum videret prælatum. Fuitque hæc origo inimicitiarum inter Episcopum Romanum, & Regem Pulchrum.* Eandem quoque caussam, solamque tetigit Moguntinus, quem sic in Alberto laudat Nauclerus Gen. XLIV. *De Alberto sic scribit Jacobus Moguntinus, quòd Bonifacius eum in odium Regis Franciæ approbaverit; & cùm eum Papa contra Regem Franciæ incitaret, ille se hoc non facturum respondit, nisi sibi, & hæredibus suis Regnum, & Imperium confirmaret. De quo cùm multum tractaretur per Sedem, in contrarium tandem resedit Concilium. Siquidem dixisse Papam referunt. Non fiet istud vivente Jezabele, denotans Reginam, quæ ex matre soror fuit quondam Conradini Ducis Suevorum.* Et hæc quidem longè clariùs, & expressiùs ita Chronico suo, seculo uno ante crediderat Argentinensis. *Occiso Adolfo, Albertus Dux Austriæ, occisor, ab omnibus Principibus est electus, & Aquisgrani solemniter coronatus. Quem Papa Bonifacius diu odio prosequens, & læsæ Majestatis crimine reum dicens, tandem similiter in odium Regis Franciæ approbavit. Quem Albertum cùm Papa contra Regem Franciæ instigare vellet, ille se hoc non facturum, nisi sibi, & hæredibus suis Regnum, & Imperium confirmaretur per Sedem, respondit. Quòd si hoc sibi fieret, aut se Francum expulsurum de Regno, aut se per hoc moriturum promisit. Noluit enim in hæredum destructionem se tanto periculo exponere pro incerto. Recensuerunt enim, quantùm à tempore promotionis Rudolphi Regis, patris sui, illa fuerit progenies exultata in servitutem redigi se timentes. Dixit ei Papa. Non fiet vivente ista Jesabel, denotans Elisabeth Reginam, quæ ex matre soror extitit Conradini.* Quamobrem istam præ cæteris concitationem Alberti contra Galliarum Regem ab aliis quoque multis relatam in literas, & æternis earundem monumentis passim inscrip-

inscriptam lego. Vecerius in Henrico VII. non multò post illa, quæ superiùs attulimus ex eodem. *Cum superis quoque Germanis amicitiam interiorem conjungit, jusso Alberto, quibuscumque posset viribus, fines Belgarum, quatenus Philippici juris essent, incursare.* Faciunt huc ipsa quoque Paralipomena Urspergensis. *Bonifacius titulum Regni Gallici Alberto Imperatori Germanico dedit, ut ita Germaniam, & Galliam committeret.* Accedunt his alii. Mutius Lib. XXII. Chron. Germanorum. *Hæc ubi Romæ Legatus nunciavit, continuò congregatis Patribus Regem Gallorum excommunicat, & Regnum ejus cuilibet occupanti concedit. Simul in Germaniam ad Principes scribit, quæ putavit Regem odiosum facere, & onerare invidia.* Et iterum, haud multò post. *Mittunt ex ea Synodo* (Romani Patres) *in Germaniam Legatos ad Albertum, qui eum exhortentur ad cogendas copias, & in Galliam ducendas: Romanum Pontificem quoque suas copias missurum per Alpes in Galliam, ut unà conjuncti membrum Ecclesiæ putrefactum abscindant.* Krantzius Lib. VIII. Saxoniæ Cap. XXXVI. *Alberti electionem comprobavit eo pacto, si Regem Franciæ impugnans, se Regem gereret Romanorum, & Francorum.* Massonus in Annalibus Flandricis Lib. III. *Erat Bonifacio propositum, si modò posset, Philippum Regno exuere. Propterea fœdus cum Flandris iniit, Albertumque Cæsarem hortatus est ad bellum Francis inferendum.* Carrio Lib. V. Chronici. *Imperatorem Albertum, &c. donatum insignibus, & titulo Regum Franciæ, ad Regnum bello asserendum incitavit, confidens fore, ut inter se hac occasione Franci, & Germani colliderentur, & vires Franciæ, jam antea longo bello Anglico, & Flandrico præconsumptæ, prorsus everterentur.* Et ante. *Albertus, etsi Italiam ingressus non est, gubernandam tamen patris, & Adolphi exemplo vicariis ducibus commendavit. Sed à Bonifacio VIII. solennem renuntiationem petivit, quam ille furens ambitione, insano stolidoque fastu gladio femur accinctus; & corona redimitus caput, ac se Imperatorem, simul & Pontificem barbara jactantia professus, initio denegavit, mox conversa voluntate obtulit, odio Philippi Pulchri Regis Franciæ.* Ciaconius in Bonifacio ipso. *Albertum Regem Romanorum ad Imperii diadema sumendum sollicitabat, quo duce bellum in Francos meditabatur.* Et Joannes Marius Belga Lib. de Schismatibus universalis Ecclesiæ, & Gallicanæ Conciliis Part. II. Cap. XVIII. *Bonifacius autem ex altera parte, quantum poterat, &c. inimicitias, ac dissensiones inter Regem, & Imperatorem serere studebat, &c.* Sed & alii meminere confirmationis Alberti in odium, & exitium Pulchri. Reticent id, quod sciam, Dominicanorum Colmariensium Annales soli, ea de confirmatione breviter sic loquuti. *Venerunt nuncii Alberti Regis Romanorum, nuntiantes ei, quòd D. Papa prædicasset in manifesto, quòd esset verus Rex Romanorum, & dilectus filius ejus.* Dubravium consultò prætereo, nec invitus, quòd Alberti confirmati caussam nec obtegat, nec revelet. Habet ille scilicet Lib. XVIII. Bojemicarum rerum. *Accessit ad cumulum, quod eodem tempore Bonifacium Romanum Pontificem ulcus, quod dicunt,* Noli me tangere, *offenderit. Is igitur, non diu expectato, Albertum Austriæ Principem, suffragantibus nonnullis Germaniæ Principibus, Imperatorem declaravit, qui Adolphum apud Vangonias prælio superavit, & occidit.* Hæc de una, & altera tanti dissidii caussa ex Villano, aliisque sentientibus cum eodem.

Verùm enim verò, nec sola Francorum clades à Flandris accepta consilio Pontificis, ut ferebant; nec sola Alberti confirmatio, Pulchri Regis animum ad indignationem accendit: sed major ejusdem Pontificis conatus alter, quo nempe is eidem Alberto Regem ipsum Galliæ & illius Regnum subjecerat universum. Classici ea mihi de re testes, nec rogati multi. Ducit ecce classem aliorum Supplementi Chronicorum auctor ad annum MCCXCIV. in Bonifacio ipso *Concilium Bonifacius Generale habuit, in quo Philippum prædictum Francorum Regem, & Saram cum omnibus suis Columnensibus anathemate notavit, ac Francorum Regnum, propter violatum jus gentium, Alberto Imperatori subjecit.* Eadem leguntur apud Joannem Stellam, Sacerdotem, & Historicum Venetum, in eodem. Ideo Platina. *Bonifacius, habito Generali Concilio, Philippum, ejusque Regnum Alberto Imperatori subiicit, quem initio Pontificatus repulerat.* Et eo vetustior, & uberior Blondus, cujus ista sunt ex Dec. II. Lib. IX. *Sarram Rex, Pontificis perniciem machinari cupientem, non priùs exaudivit, quàm ex Italia est allatum, Pontificem ipsi Alberto Austriæ Duci, à Germanis Electoribus declarato, Imperii Romani titulum, priùs multoties denegatum, ita spopondisse, ut Rex quoque Francorum fieri pateretur. Quod cùm Albertus consensisset, Pontifex una eademque celebritate, hinc Philippum Franciæ Regno privatum, inde Albertum Romano, & illo ornatum pronuntiavit.* Sequuntur recentiores alii, quorum è numero Vincentius in Historiali Speculo Lib. XXXI. *Bonifacius ira percitus, Concilio habito, non solùm Albertum confirmavit; sed etiam Philippi Regnum Alberto huic subjecit. Quæ res multas discordias, & occisiones inter Christianos suscitavit.* Nauclerus ex Platina totidem ferè verbis rem eandem expressit Gen. XLIV. *Interea temporis Pontifex Philippum Regno Franciæ per sententiam privat, ejusque Regnum Alberto Imperatori subiicit, quem initio sui Pontificatus repulerat.* Suggerit & hoc ipsum Appendix Archiepiscopi Consentini in Alberto Romanorum Rege. *Postmodum verò suborta gravi discordia inter eundem Papam, & Philippum Regem Franciæ, idem Bonifacius Albertum Imperatorem approbavit, eidem subiiciens Regnum Franciæ, sicut & alia Regna.* Et in Bonifacio VIII. *Anno Domini MCCCII. Kal. Novembris, Romæ Bonifacius Papa celebravit Concilium contra Philippum Regem Franciæ, quia pecuniam extra Regnum suum portare non permisit, & Alberti Regis Romanorum electionem admisit, subiiciens sibi Regnum Franciæ.* Favent huic etiam sententiæ Christianus Massæus Lib. XVII. Chronici Mundi, sive multiplicis Historiæ utriusque Testamenti. *Anno deinc proximo* (millesimo trecentesimo secundo) *excommunicavit eum, ejusque Regnum Alberto Imperatori, quem nuper supplicem spreverat, ultro tradidit.* Mutius Lib. XXII. Germanicarum rerum. *Hæc pessimè habuerunt Bonifacium Papam. Quare, Synodo congregata, iterum accusat Regem. In qua Synodo Romæ habita decernitur, Philippum Regem Franciæ Regno deturbatum: & Albertum, electum Imperatorem, Regem Gallorum Patres ejus Synodi appellant.* Æmylius in Philippo Pulchro. *Jam Bonifacius Pulchrum hostem judicarat, Franciæ sacris interdixerat, Francorum Regnum, velut solio vacuo, juri, ditionique Imperii, Augustorumque attribuere, adjudicare, & addicere se effatur: quodque ad eam usque diem denegarat, Albertum, aliquot ante annis electum, tunc primum Cæsarem appellat: eò majore illius gratia, quòd fama erat, Carolum Comitem, ut ante paùlò petierat Orientis Imperium, ita nunc dissimulatis consiliis spem Germanici concepisse. Convenit, ut Germanus Pulchrum Regno exuere conaretur, ac Francos ad Imperii venerationem, legesque ab Augustis accipiendas evocare.* Genebrardus in Bonifacio ipso. *Excommunicavit Regem Galliæ Philippum, & totum Regnum donavit Alberto Austriacæ domus Cæsari.* Et Ciaconius in eodem: *Regem Franciæ, in publico Concistorio maxima hominum frequentia excommunicatum, Regno privavit, illudque Alberto Cæsari, ab se tum pridem* (mavelim *tum primum*) *approbato, beneficiario jure contulit.* Jussus ob id Albertus idem, se disertè scribere Romanorum, & Francorum Regem. Krantzius Lib. VIII. Saxoniæ Cap. XXXVII. *Bellum autem, quod volente Pontifice Albertus Romanorum Rex suscepit adversùs Philippum Regem Francorum, quum se ex decreto Papæ scribere juberetur Regem & Romanorum & Francorum, desiit in nuptias.* Et nos hic etiam hac de caussa tanti dissidii tertia plura testimonia congerere desinemus.

Accessit nihilominus his caussa quarta, & inde sanè, quòd Bonifacius non tam Flandros, ac Germanos Alberto duce conciverat in Philippum; sed & Proceres aliquot Gallos ad illi struendas insidias animarat. Signatè Ciaconius in Octavi Vita. *Sed & pollicitationibus aliquot Procerum Francorum animos tentavit, ut*

Regi

Regi insidiarentur. Quin, & Angliæ Regem Eduardum I. interpellaverat, ut Pulchrum bello lacesseret, quod Anglus facere recusavit. Clarè Matthæus VVesmonasteriensis in Historicis Floribus anni MCCCI. ex monumentis Anglicis VValsinghami. *Eodem tempore Papa Bonifacius per literas suas Regem Anglorum interpellavit, ut Regi Francorum bellum commoveret, pollicens sibi ingens subsidium; sed Rex Angliæ, aliàs D. Papæ erga se affectum expertus infidum, rem distulit, mallens sua per aliam viam recuperare, si posset*. Æmylius ea de re quoque breviùs sic loquutus in Philippo Pulchro. *Anglus & ipse sollicitatus in Pulchrum, nihil tamen movit, morbo primùm, deinde Scotico bello implicitus, &c.* Nec plures ejus rei testes mihi nunc ad manus.

Cæterùm aliæ quoque caussæ, nec leves, multæ Philippi Regis adversùs Bonifacium Pontificem animum irritarant, quas ipsas præstat ex iis, quorum è scriptis ad hæc usque tempora devenere, id quod hactenus consultò fecimus, audire. Nihilominus enim Tornacensium Pontifex, quem sequitur Joannes Marius Belga in supra laudato Capite XVIII. libri de Schismatibus, posteris hanc transmisit: *Bonifacium jus dedisse Regi Pulchro, ad belli necessitates, pecuniæ etiam à Sacerdotibus cogendæ, idemque jus eundem mox abrogasse, Sacerdotum querimoniis permotum*. Et hæc alia Dominicanorum in Colmariensium Annalibus extat: *Papam Regis Franciæ, nec non & Principum ejus Privilegia totaliter omnia delevisse, quòd Rex fratrem suum Carolum, quem præcedenti anno in adjutorium Papæ cum multis militibus armatis transmiserat, simpliciter revocasset*: sive, *quòd Apameensem Episcopum, libertate donatum, jussisset unà cum Apostolico Nuntio Regnum evacuare intra certum terminum utrique præfixum*, uti VValsinghamus habet in Eduardo I. quod & repetit in Ypodigmate Neustriæ pag. 490. complexus caussam unam, & alteram utrobique.

Sed & aliis caussas debemus alias indignationis hujus in regio Formosi pectore, quas producam, & hanc quidem Hoctemio in Theobaldo de Barro, Leodiensi Episcopo LXXIV. Cap. XXVIII. *quòd videns Bonifacius, propter potentiam Regni Franciæ, suam se non posse exequi voluntatem, & considerans Regis Formosi simplicitatem; & quòd totum Regni regimen à suis Consiliariis dependebat, ad Regis, & Regni humiliationem pro viribus niteretur*. Ferreto, *quòd idem neminem sibi parem compati dignaretur*: Item, *quòd à Pulchro de primitiis, sibi certa lege concessis, adventante triennio restitutionem exposceret, quas longiore spatio Rex cupidus usucapere destinarat*. Æmylio, *quòd Bonifacius in Franciam literas ad Pulchrum Regem de bello sacro redintegrando dedisset imperiosas, ac, nisi continuò pareretur, minarum & fulminis plenas*. Bzovio ad annum MCCC. Num. XVIII. *quòd, anno nondum elapso, Pontifex decimas in Regno Galliæ Carolo Comiti Andegavensi, in Italiam venienti in subsidia Ecclesiæ Romanæ contra Federicum Arragonium, decrevisset: Apameamque, per eos dies in libertatem Ecclesiasticam vindicasset, & Civitatem esse jussisset, suumque illi Pontificem ac Sedem dedisset, invito Galliarum Rege*. Verè siquidem Bonifacius Apameam Provinciæ Narbonensis eodem, quo aliæ in Asia urbes nomine, sed tunc contributum Diœcesi Tholosatium Oppidum, civitatem esse jusserat, suumque illi Pontificem, ac Sedem dederat, ut domi haberent, à quo sacra jura peterent, Æmylio modò laudato teste. Plerisque omnibus, & in primis VVernero de RolevvinK, & proximè memorato Æmilio, *quòd Bonifacius Dominum totius Mundi se diceret tam in temporalibus, quàm in spiritualibus; ob idque vellet, Pulchrum à se recognoscere Galliarum Regnum*. Primi nempe sunt, quæ profero ex illius Fasciculo temporum Ætate VI. ad an. MCCXCIII. *Bonifacius, quia parem non habuit prudentiæ suæ, ultra modum in tantam arrogantiam erexit se ipsum, ut Dominum totius Mundi se diceret tam in temporalibus, quàm in spiritualibus*. Secundi. *Addebat* (Pontifex) *id, quod omnibus permirum fuit, Regem Franciæ non sacro modò, Pontificioque jure Pontificem Romanum, ut animorum parentem, oportere observare; sed civili jurisdictione, profanaque re ac causa, & dominatu Principem, authoremque agnoscere*. Quod admirationi cùm esset Joanni Filleto sic in Breviario Chronicorum exclamavit: *Mira hominis impudentia fuit, qui Regnum Gallorum Pontificiæ Majestatis beneficium asserere ausus est*. Prodiderat & hanc mentem suam Prælatis Galliæ Bonifacius ipse suis in Literis, quarum exemplar apud Hocsemium ante memoratum extat, ibique maximè, ubi talibus ad illos scripsit: *Nonne diu nituntur principia* (legerim longè lubentiùs *præcipitia*) *ponere, qui dicunt temporalia spiritualibus non subesse?* Et in Responso, quo rejecit electionem Alberti, nempe, *quia sine sua auctoritate facta, roboris nullius esset, affirmans utriusque penes se unum gladii potestatem esse*. Ac demum in apparatu ipso solemni, quo se in Urbe toti terrarum Orbi spectandum obtulit tempore Jubilæi. Primo die siquidem benedictionem in Pontificalibus populis impertitum: secundo in Imperiali habitu, & insula Cæsarea redimitum apparuisse, delatoque præ se nudato gladio, clara & elata voce testatum ferunt: *Ecce duo gladii hic*, ea me de re docentibus Paralipomenis Urspergensis in Alberto Rom. Rege, nec non & Alberto Krantzio ex iisdem Lib. VIII. Saxoniæ Cap. XXXVI. Ne multis Missæ quoque sunt ea de duplici potestate à Pontifice Romano literæ ad Galliarum Regem, eædemque mox igni traditæ, & combustæ, cujus mihi dicti tibicen Ptolemæus Lucensis, qui tum vixit, & scripsit, ad annum MCCCII. *Eodem anno D. Bonifacius transmisit literas cum bulla, ad perpetuam rei memoriam Regi Francorum, in quibus mandabat eidem, quod volebat, cùm ipse esset Dominus temporalium, & spiritualium Mundi, quòd recognosceret Regnum ab ipso, & contrarium tenere judicabat hæreticum: quas literas Rex recipiens, de consilio suorum Magistrorum coram multitudine populi fecit comburi*. Totidemque omnino leges in Append. Supputationum Archiepiscopi Consentini ad annum MCCCI. Pari quoque forma ea de re Massæus scripsit ad eundem annum, cujus verba, quia nec omnino eadem, nec in promptu omnibus, adscribere non pigebit. *Bonifacius scripsit Philippo Franco, se esse Dominum omnium tam temporalium, quàm spiritualium per Orbem terrarum, consequenter & Regnum Franciæ à se debere suscipi. Rex autem contemptis Legatis, literas ipsorum igni publico tradit*. Naucleri verba, tradentis hæc eadem Generat. XLIV. reservo caussæ offensionis, ex parte Bonifacii quartæ. *Direxerat tum etiam Pontifex, secundarias Regi Angliæ literas* (uti VValsinghamus habet) *in quibus asseruerat, Regnum Scotiæ ad jus Romanæ Ecclesiæ pertinere, Regemque Angliæ subjectionem ejus contra Deum, & Justitiam, & in præjudicium Sedis Apostolicæ vendicare*: sed hæc ad alios spectant. Earum sanè literarum tenor, quas Bonifacius ad Philippum dedit, ne oleas extra saliam, talis extitit, ut affertur a Laurentio Bochella, Capite II. Tituli XVI. Libri II. Decretorum Ecclesiæ Gallicanæ.

Bonifacius Episcopus servus servorum Dei Philippo Francorum Regi.

„ DEum time, & mandata ejus observa.
„ Scire te volumus, quòd in spiritualibus,
„ & temporalibus nobis subes. Beneficiorum,
„ & Præbendarum ad te collatio nulla spectat:
„ & si aliquarum vacantium custodiam habeas,
„ fructus earum successoribus reserves. Et si
„ quæ contulisti, collationes tales irritas decer-
„ nimus, & quantum de facto processèrunt,
„ revocamus. Aliud credentes hæreticos repu-
„ tamus. Dat. Laterani IV. Nonas Decembris,
„ Pontificatus nostri anno VI.

Quibus id responsi Philippus dedit.

Philippus Dei gratia Francorum Rex Bonifacio se gerenti pro Summo Pontifice salutem modicam, seu nullam.

„ SCiat maxima tua fatuitas, in temporalibus
„ nos alicui non subesse, Ecclesiarum, &
„ Præbendarum collationem ad nos jure Regio
„ pertinere, & fructus earum, vacatione du-
„ rante, nostros facere. Collationes a nobis ha-
„ ctenus factas, & in posterum faciendas, fore
„ vali-

„ validas, & illarum vigore possessores contra „ omnes viriliter nos tueri. Secus autem cre„ dentes fatuos, & dementes reputamus. Dat. „ &c.

Docet nos præterea VValsinghamus, missum quoque fuisse Pontifici Nuntium à Galliarum Rege, qui conaretur illum ab hujuscemodi proposito dimovere; sed evenisse rem aliter, ac speraret. Quare proferantur, quæ nobis in hanc ille sententiam suis in Chron. Anglicis exaravit. *Misitque* (Pulcher) *D. Papæ Nuntium, dictum Petrum de Flote, qui mandata Regis constantissimè coram Papa prosequebatur. De cujus audacia Papa exasperatus, dicto Petro respondit. Nos habemus utramque potestatem. Et illico Petrus respondit. Utique Domine; sed vestra est verbalis; nostra autem est realis. Quo responso in tantùm excanduit ira Papæ, ut diceret se movere velle contra eum cœlum, & terram.* Hinc illa VVestmonasteriensis in Floribus historicis anni MCCCI. *Hoc anno orta est dissensionis materia inter Papam, & Regem Franciæ, utroque confidente de sua potentia magna, ita ut D. Papa diceret Nuntio Regis Francorum, Petro de Flote. Nos habemus utramque potestatem. Et ille pro Domino suo respondit. Utique Domine; sed vestra est verbalis; nostra autem realis.* Et Carrionis ista Lib. V. Chronici in Alberto Romanorum Rege. *Caussa odii fuit, quòd, cùm Bonifacius jugum tyrannidis Pontificiæ Regno Franciæ imponere conaretur, &c. Rex, ne id posset perficere, maturo consilio providit.* Narravit eadem, ut video, Mutius Lib. XXII. Chron. Germanorum; sed & mitiùs, ut observo, præeunte sibi, facemque præferente Villano Capite LXXII. Libri Octavi. Nam & Bonifacium provocatum à Rege, & ex aliorum Pontificum decretis memorati argumenti literas exarasse narrat is Scriptor; nec illas igni traditas, ut alii scribunt. Sed enim, allatis, ejusdem verbis, agatur res ista pariter tabellis, ut asserunt, obsignatis. *Qua Regis temeritate Pontifex magis irritatus est. Quare statim ad eum mittit Legatum* (fuit is Archidiaconus Narbonensis) *per quem auctoritate, & jure Apostolico præcepit illi, ut recognitionem Regni sinè mora faciat, alioqui in promptu esse fulmen anathematis, & Galliam universam interdicto se suppositurum. Nam in decretis Pontificum habebatur, Regem Galliarum à Romano Pontifice oportere recognoscere Regnum in temporalibus quoque. Ubi hic Legatus Lutetiam venit, Rex jussit illi eripere bullas, literasque Apostolicas, & Legatum ex Regno ejicere, & mandare illi, ut Pontificiis nuntiet, Regem suspensurum omnes, qui è Roma postea veniant.* Minorem & hæc Platinæ Bonifacio Pontifici invidiam hac in parte conflant, quàm quæ literis alii consignarunt. *Quod ubi Bonifacius rescivit* (verba ejus sunt in Bonifacio ipso, deque Apameensi Præsule loquitur jussu Pulchri carceri mancipato) *eò statim misit Narbonensem Archidiaconum, virum certè insignem, qui Pontificis nomine Philippo mandaret, ut missum faceret Episcopum Apameensem: id si non impetraret, diceret audientibus omnibus, Regnum Franciæ ad Ecclesiam devolvi ob contumaciam Philippi, & violatum jus gentium: adderetque anathema.* Hæc Platina, cujus è suppellectili crevisse Ciaconii libros apparebit intra in caussa offensionis ex parte Bonifacii quarta.

Caussa denique potissima, ob quam Pulcher non tam animum à Bonifacio Pontifice penitus avocare, quàm ultioni de illo sumendæ studere validiùs cœpit, fuit contortum in illum excommunicationis fulmen, quo de passim hac ipsa in Nota loquuturi sumus. Jam enim eæ nos ad se vocant caussæ, quibus adductum Pontificem ipsum ferunt, ut tali in illum fulmine desæviret.

Offensio Bonifacii prima manasse fertur ex eo (si Villano rerum hujuscemodi scriptori vetustissimo, planèque Pontifici, quo de loquimur, coævo, fidem habendam ducimus, ut habendam Massonus censet rebus quidem in omnibus maximam, sed in Gallicis sui temporis majorem multò, quippe qui in Gallia diu vixerit) quòd ejus odio Pulcher, & in Regnum, & in amicitiam suam receperat Columnenses, & ex his Stephanum, præcipuum illius hostem comiter in primis habuerat, longèque liberaliùs, quam exulum fortuna ferret. Appositè planè Vecerius in Henrici VII. Imperatoris Vita ejus è Scriptoris penu. *Eas Rex causas graviùs secum considerans, rationem irarum exequendarum perquirit. Neque difficilis mox via Bonifacii irritandi inventa. Columna gens Romæ opibus, & clientelis insignis, Octavo inter Comitiorum arcana, suffragii jure ne legeretur, obstiterat. Itaque eis quoque Bonifacius, per speciem expilati thesauri Ecclesiæ, effecerat, ut & ædes & suburbana familiæ publicè diruerentur, & qui eorum Cardinales jam essent, venerando Collegio exciderent. Interea Stephanus, ex ea gente profugus, in Gallia agitans, idoneus Philippo visus est, per quem initia malorum fierent. Cœptus comiter humanèque haberi, liberaliùsque, quàm fortuna exulantium est.* Subscribit Vecerio Ciaconius, rem eandem ad Villani mentem tum breviùs, tum propiùs eloquutus. *Has ob causas Rex Francorum, se à Pontifice delusum, & spretum existimans, & ferali in eum odio exarsit, & hostes ejus Columnenses, Stephanumque præcipuè suscepit, & fovit.* Subscribunt & alii, & horum cumprimis è numero Massonus Lib. III. Annalium in Philippo Pulchro. *Vir clarissimus* (Stephanus Columna) *cognito Bonifacii in Regem odio, ad eum in Franciam venit, humaniterque susceptus, consilium hostis capiendi dedit.* Quamvis Blondus idem honoris Sarræ, non Stephano tributum putet, & hisce verbis Lib. IX. Decadis II. prodat. *Fortè paucis ante mensibus Sarra Columnensis Romanus in Gallias fuerat à Rege sustentatus, qui horrendo illum remigandi servitio liberaverat. Cùm enim Cathelana triremis, in qua miser Sarra detinebatur, littoribus magis, quàm portui Massiliæ adhæsisset, Sarra nobilis casu prope in scapha adnavigantem paucis, & perproperè allocutus, quis esset admonuit, & facie ipsa, oculisque magis, quàm verbis liberationem suam, salutemque oravit. Quod cùm Rex rescisset, fama viri, & Pontificis odio adductus, multas immisit triremes, quæ repertum Sarram bis, qui detinebant, etiam, dum liberaretur, ignotum, eduxerunt.*

Adnectit huic proximè Villanus idem caussam offensionis alteram, quam ita latinè, Ciaconius extulit post allatam: *Sed & Episcopum quendam locupletem cepit, &, crimine hæreseos illato, eum Episcopatu, & omnibus bonis exuit, alterique eam, & alias Ecclesias vacantes arbitratu suo dedit.* Verumenim verò nimis hic Ciaconius brevis. Quorsum enim tum Episcopi à Pulchro capti, tum hæresis eidem affictæ formam à Villano proditam, sua nobis ille brevitate nimia non expressit? Ea mihi certe caussa tota latinè producenda castiùs ad Villani ductum: *Ad hæc igitur* (Villanus inquit) *Episcopum Palmiæ in Carcasso capere fecit, opponens ei, quòd esset Patarinus hæreticus, eum privans Episcopatu, & bonis suis. Vacantes Episcopatus diripiebat spoliis, & investituras eorum facere volebat.* Idcirco caussam non aliam attulit Nauclerus, & huc alludens Vecerius scripsit: *Ad hoc Philippus, ne quid impotentiæ prætermitteret, Sacerdotales Galliarum titulos à Pontificibus antea pro decretis, proque more S. Matris Ecclesiæ componi solitos, ipse ordinare citra consensum Præsidis Romani statuit. Quæ ubi Summus Antistes intellexit, gravissimè tulit injuriam, pessimi exempli id, quod erat, existimans, si vel antecessorum rectè instituta temerè rescinderentur, vel auctoritatem Pontificiam laicus Princeps propbanasset.* Et Mutius Lib. XXII. Chron. Germanorum: *Rex, ubi intellexit Pontificis animum à se alienatum, qua erat parrhesia, vel, ut quidam vocant, arrogantia, jus Ecclesiasticum, quod Papæ erat, sibi vindicabat; sacerdotia, & Episcopatus conferebat, quibus placuit: quos Prælatos cognoverat Pontifici patrocinari, deposuit, eorum prælaturas aliis conferens: diripuit etiam opulentiores Episcopatus.* Quamobrem inter excommunicationis in illum latæ caussas, hæc etiam fuit; *quòd bona Sedium vacantium fisco suo intulisset: jusque sacrarum vestiturarum sibi arrogaret*, luculentis testimoniis Æmylii, & Massæi.

Progreditur Villanus ultra, & indicat, offensionem Bonifacii tertiam natam ex eo, quòd à Pulchro prohibiti Prælati Galliæ fuerint Romam ad Generale Concilium, ab illo decretum

tum inibi, se conferre. Vecerius, eò quæ pertinent, Villanum latinè loqui voluit hisce verbis: *Augebatur indignitas ipsius Bonifacii supra quàm dici potest ambitiosa magnitudine animi, & contumeliarum insolentiis. Itaque, quo partes suæ vulgò justiores noscerentur, lege potiùs agere, quàm armis instituit. Prælatos Gallicos majores convenire Romam universos jubet ad publicam Synodum celebrandam. Hi, ne Regno decederent, Philippi prohibitione intercluduntur.* Ciaconio labor idem arrisit, ut indicant quæ sequuntur: *Pontifex, audax, imperterritus, in eum, ut contra Ecclesiæ apertum hostem, Concilium Generale cogere, & maximè ex Galliarum Sacerdotibus, & extrema quæque minitari cœpit. Rex ditionis suæ Prælatos è Regno discedere gravi pœna inhibuit.* Sed & ante multo placuerat Nauclero hisce verbis scribenti Gener. XLIV. *Bonifacius, ut magnanimus, cœpit contra eum agere, tamquam contra inimicum Ecclesiæ. Et ad id efficaciùs procedens, vocavit omnes Episcopos, & Prælatos Franciæ ad Urbem, ad celebrandum Concilium. Sed Rex non permisit eis accessum.* Quod autem attinet ad hoc ipsum Regium interdictum, insedit & in aliorum scriptis, VValsinghami cum primis, cujus ista sunt in Eduardo I. *Fecit etiam Papa citari Prælatos omnes de Regno Franciæ, nec non & omnes Magistros in Theologia, & in Jure tam Canonico, quàm Civili, ut coram eo Romæ in Kal. Novembris compararent. Rex verò Franciæ publico prohibuit edicto, ne quis aurum, vel argentum, seu merces quascumque asportaret de Regno sub foris factione omnium bonorum, adjecta nihilominus pœna gravi.* Et Pauli Æmylii Veronensis, cui debemus ista: *Edicto etiam proposito, jussi sunt à Bonifacio Pontifices, Patresque Francici ad Concilium, certam in diem, in urbem Romam convenire. Vetuit Pulcher è Francia discedi.* Addit VValsingamus, *fecisse præterea Pulchrum omnes Regni sui exitus, & introitus ubique diligentissimè custodiri.* Qua de re loquens etiam Ptolemæus ad Annum MCCCII. *Arctavit* (inquit) *omnes vias Regni, ut nullus equus, nullaque pecunia, nullaque litera inde exire posset.* Et habebis hæc eadem in Appendice Archiepiscopi Consentini. De Prælatis autem, & qualitate pœnæ iisdem propositæ, seorsim & distinctè Mutius scripsit Lib. XXII. Chron. Germanorum: *Quibus rebus motus Pontifex, &c. convocat Romam Concilium: etiam totius Galliæ Prælatos Ecclesiasticos vocat ad Urbem; sed Gallus, ne quis Romam iret, prohibuit sub pœna amissionis vitæ, aut saltem, si cui contingeret misericordia, Beneficii.* Nec immunes à prima graviore pœna Laici, si fortè fortuna Prælatorum quispiam eorum incuria Regni Gallici finibus excessisset. Ecce dictis fides ab Annalibus Eberhardi: *Idem autem Rex prædictos Nuncios Papæ, infra XV. dies mandavit exire terminos Regni sui, alioquin contra personas eorum procederet nimis durè. Præcipiens per totum Regnum suum sub pœna capitis, & omnium bonorum confiscatione, ne aliqua persona, parva, vel magna, literas D. Papæ reciperet publicè, vel occultè: ponens custodes in omnibus finibus Regni sui, ne aliquis importare posset literas, vel mandatum Papæ, & ne aliquis Prælatorum exire posset, vel ad Papæ præsentiam literas destinare.* De Pecunia, & Prælatis conjunctim loquutus disertè Platina in Bonifacio ipso: *Rex, aliqua ex parte injurias sibi à Pontifice illatas ulturus, edictum proposuit, ne quisquam è Regno suo Romam proficisceretur, aut eò pecunias mitteret.* De Pecunia, Virisque reliquis Æmylius in Rege dicto: *Regnicolas edicti monuit, ne Romam quis se inscio aut accederet, aut pecunias quacumque caussa transmitteret.* De Prælatis demum, & Magistris Regni Annales Eberhardi laudati nuper: *Eodem Anno* (MCCCII.) *mandavit idem Papa Bonifacius omnibus Archiepiscopis, & Episcopis, & majoribus Prælatis, & Magistris Theologiæ, Juris Canonici, & Civilis, oriundis de Regno Franciæ, ut ad ipsum Romæ accederent circa festum omnium Sanctorum. Sed ipse Rex, volens eos ab hoc itinere retardari, fecit Parisiis in Ecclesia B. Mariæ publicum Parlamentum, mandans, ne ad ipsum Papam aliquis Prælatorum, vel Episcoporum accederet cum equis, vestibus, vel pecunia.* Ea re Joannes Hocsemius in Theobaldo de Barro Cap. XXVIII. *Prælatos Galliæ domi retentos asserit à Consiliariis Regis.* Placuit nihilominus eidem Regi Episcopum Altissiodorensem ad Pontificem mittere. Miserunt & Episcopi, Patresque Franci communem Legationem, tres sui ordinis Patres permissu Regis, qui Pontifici satisfacerent, purgarentque reliquos Patres, quòd Flandrico bello retenti in Francia, in Urbem ire jussi, dicto audientes esse non potuissent, ut Æmylius docet, qui & addit, excusationem Patrum à Pontifice sic acceptam, ut à Rege vetiti, non prohibiti bello Flandrico, viderentur. Sed alias pro se quoque caussas, proque Regni sui commodis attulisse Pulchrum meminit Eberhardus: & super his, & aliis non unum Episcopum, sed Nuncios sex mississe Romam: nec ad Pontificem, sed ad Cardinalium cœtum, qui palam illis facerent, se non posse mandatum Pontificis adimplere. Fuere porrò caussæ prædictis à Legatis expositæ numero tres. Prima, quòd si Rex permisisset Prælatos abire Regno cum equis, vestibus, & pecunia, Regni sui terminos spoliassent. Secunda, quòd si illinc Archiepiscopi, & Episcopi recessissent, futurus non fuisset in Regno, tamquam concussis Ecclesiæ columnis, qui consecraret Chrisma, ordinaret Clericos, ministraret Ecclesiastica Sacramenta. Tertia, quòd si Magistri Theologiæ cum Archiepiscopis, & Episcopis aliò concessissent, nullus inveniretur in Gallia, qui periculosis Hæreticorum quæstionibus responderet: si denique Magistri utriusque Juris, per eorumdem abientiam indiscussæ manerent litigantium omnium quæstiones. Quibus auditis respondit Pontifex: *Nolle se Prælatos, & Magistros Regni in Curia perpetuò retinere; sed habito eorum consilio super statu Regni, eosdem ad suos brevi fore tempore remissurum.* Ita sinè fine intento Regii Nuncii à Romana Curia recessere. Et hæc quidem omnia pari stylo, & ordine Eberhardus. Sed & VValsinghamum Legationis a Prælatis Galliæ ad Pont. Rom. missæ video meminisse. Scilicet hæc apud illum legi: *Per id temporis Prælati Franciæ, missis ad Papam tribus Episcopis, de non veniendo ad diem citationis præfixum, se per eosdem excusaverunt. Papa verò, Prælatis Franciæ non comparentibus, misit in Franciam Joannem Monachum, Presbyterum Cardinalem, qui convocatis Prælatis Parisius secretum consilium habuit cum iisdem.* Observo denique hinc à Pontifice ad Prælatos Gallos, inde ab his ad Pontificem hac ipsa de re literas exaratas, & Pontificiarum quidem exemplar Hocsemius edidit in Theobaldo de Barro Cap. XXVIII. aliarum verò Bzovius ad An. MCCCII. Num. VI. Gradum itaque facio ad offensionem Bonifacii quartam: *Magis irritatus in Pulchrum Pontifex* (inquit ex Villano Ciaconius,) *cùm in vetustis Gregorii VII. monumentis, Francorum Regnum ad Ecclesiam Romanam beneficiario jure pertinere reperiisset, Clericum quemdam Romanum ad eum ablegavit cum Apostolicis literis, Regi mandans, ut Sedem Apostolicam ejus Regni dominam cognosceret, id si non impetraret, publicè affirmaret, Regnum Francorum ob Philippi contumaciam ad Ecclesiam devolvi. Aderat anathema, & Francos omnes à juramento Regio absolverat. Is Parisius accedens, publicè loqui impeditus, ereptis ei Bullis, & combustis, è Regno ignominiosè expulsus est. Rex, ne quis anathema in se à Pontifice ictum referret, viarum aditus custodiri jussit, ne quis nuncius, vel literæ ex Curia Romana ad eum deferrentur.* Hisce verbis Ciaconius in Latium offensionem Bonifacii quartam, Hetruscis è Villani fontibus haustam, derivabat ex parte: nimirum id uberiùs, & absolutiùs Nauclerus fecit. Quamobrem audiatur rursus hæc ipsa offensio ex illius ore: *Bonifacius, ut magnanimus, cœpit contra eum agere, tanquam contra inimicum Ecclesiæ. Et ad id efficaciùs procedens, vocavit omnes Episcopos & Prælatos Franciæ ad Urbem, ad celebrandum Concilium, sed Rex non permisit eis accessum. Unde Papa magis turbatus, cum invenisset ex quibusdam decretis Regem Franciæ à Sede Apostolicâ debere recognoscere etiam in temporalibus Regnum, destinavit Archiepiscopum Narbonensem, mandans Regi recognitionem Regni facere Sedi Apostolicæ, alias eum execrarat, & terram suam inter-*

Digitized by Google

interdicto supponeret. Postquam ergo ille applicuit Parisius, Rex non permisit Bullas publicari; imò familiares Regis literas Apostolicas ei abstulerunt, ipsum de Civitate ejicientes, & Regno. Comes autem Artensis, qui adhuc in humanis fuerat, literas in ignem projecit. Exinde Rex custodiri fecit omnes vias, per quas esse posset ingressus ad Regnum Franciæ. Propter hoc Papa execravit Regem. Parùm hercle phaleratus Naucleri stylus: at propior Villani menti Ciaconii verbis, quod facilè deprehendet quisquis unum cum altero, & utrumque cum Villano contulerit hac in parte. Nam quæ idem inibi Nauclerus subdit: *Protestatus etiam fuerat Archidiaconus Narbonensis, Regnum Franciæ ad Romanam spectare Ecclesiam, Regemque admonuit, ut à Regalibus abstinens, à Regno se abdicaret: quin etiam astantes Prælatos, Principesque, ac cæteram Nobilitatem à juramento fidelitatis, quo Regi fuerant obligati, absolvens, jussit, ut se Romam ad Pontificem conferrent*, haud in Villano legere est; sed in Blondo Lib. IX. secundæ Decadis laudatæ supra, ubi & videre est, Archidiaconum eundem pronuntiasse, *indulgentias, concessiones, indulta, & gratias, quotquot id Regnum ad eam diem à Pontificibus Romanis habuerat, tandiu suspensas censeri, quoad singulas quique à Bonifacio Pontifice denuo impetrassent.* Mutii, & Platinæ quæ huc facerent, attulimus ante in offensionibus Pulchri Pauli Æmylii eodem spectantia hæc omnino sunt, quæ subjicio eo fine, quòd is paulò secus ac alii Narbonensis legationem narret: *Majore accensus ira Pontifex, Philippum Regem Francorum nominatim execratur, quòd diceret, eum in Episcopum manus injecisse, ac bona Sedium vacantium fisco suo inferre, jusque sacrum* (lego *sacrarum*) *vestiturarum sibi arrogare. Addebat id, quod omnibus permirum fuit, Regem Franciæ non sacro modo, Pontificioque jure Pontificem Rom. ut animorum parentem, oportere observare; sed civili jurisdictione, profanaque re, ac causa, & dominatu, principem, authoremque agnoscere. Simul scribebat, se Franciæ Proceres solvere fidelitatis jurejurando, quo se Pulchro devinxissent, ac ei jus Regni abrogare. Harum rerum frequenti Procerum, Patrumque Francorum cœtu enuntiandarum munus Archidiacono mandarat Pontifex: diplomaque, ut id sacrum monumentum foret, dederat.* Et mox, *Diploma, priusquam coactis ad id Lutetiam Patribus recitaretur, raptum Atrebas igni dedit, facessere Archidiacono procul jusso.* Hæc Æmylius. Sed & apud alios aliis cum mandatis Archidiaconum Narbonensem missum ad Philippum noto, nempe, quo dimitteretur Apamensis Præsul, quem Rex apud se jusserat custodiri, quo ex facto Scriptores iidem caussam indignationis alteram Bonifacio natam non exilem volunt. Eam verò rem accuratè persequutus est Platina in hæc verba: *Pontifex, Hierosolymitanam expeditionem jam pridem meditatus, Apameensem Episcopum ad Philippum Regem Francorum mittit, qui hominem ad eam rem cohortaretur. Is itaque eò profectus, cùm nil precibus impetraret, minas quidem addidit. Hanc itaque ob rem iratus Philippus, hominem subitò in carcerem conjicit. Quod ubi Bonifacius rescivit, eò statim misit Narbonensem Archidiaconum, virum certè insignem, qui Pontificis nomine Philippo mandaret, ut missum faceret Episcopum Apameensem. Id si non impetraret, diceret, audientibus omnibus, Regnum Franciæ ad Ecclesiam devolvi ob contumaciam Philippi, & violatum jus gentium; adderetque anathema, & omnes Francos à juramento Regio absolveret. Fecit omnia quàm diligentissimè Archidiaconus, ac Regem compulit Episcopum Apameensem dimittere.* Atqui Nauclerus narrationis hujus auctorem facit, & agnoscit Blondum, quòd hæc apud illum extent: *Bonifacius interea Pontifex destinato mente & animo sui exercitus accersendo Duci manus apponens* (nota caussam alteram Legationis ab Apamensi susceptæ, longè diversam ab ea, quam ante mox attulimus ex Platinæ monumentis) *Apameensem Episcopum ad Philippum Francorum Regem miserat Oratorem, qui Episcopus Pontifici, a quo missus erat vehementia, atque etiam fastu adsimillimus, postquam suasiones precesque parum visæ sunt movendo Regi, & in sententiam ducendo efficaces, quæque extrema, excommunicationem, Regnique privationem non timuit comminari. Sed par fuit illius arrogantiæ Regis levitas. In carcerem enim conjectum jussit parùm civiliter custodiri. Sed alter à Pontifice veniens Nuncius, Narbonensis Archidiaconus, postquam dimittendo Episcopo Regem durum vidit, duriora & ipse Pontificis mandata protulit.* Et subjicit, quæ nos illum protestatum fuisse Pulchro paullò ante tradidimus ex Nauclero, & eodem Blondo. Tandem his absolvit Blondus narrationem suam: *Liberavit itaque Rex Apameensem Episcopum, & Regnicolas edicto monuit, ne Romam quis se inscio aut accederet, aut pecunias quacumque causa transmitteret.* Hinc illa Naucleri ipsius non audita supra: *At Bonifacius, Hierosolymitanam expeditionem parans, Ariminensem Episcopum ad Philippum Regem Francorum mittit, qui hominem ad eam rem cohortaretur. Is itaque eò profectus, cùm precibus nihil obtinere potuisset, minas addidit. Sed par fuit illius arrogantiæ Regis levitas. Hominem subitò in carcerem conjicit, ex quo Rex indignationem Papæ acquisivit, ut Blondus, & sequaces referunt.* Sed his è fontibus omnium uberrimè Marius Belga libro de Schismatibus universalis Ecclesiæ, Parte, & Capite laudatis ante, suos, ut liquebit, hortulos irrigavit: *Bonifacius, nominis ejus VIII. jampridem expeditionem Hierosolymitanam meditatus, Apamensem Episcopum ad Philippum Regem mittit, non instar cohortantis; sed præcipientis, serioque mandantis, ut statim, omnique cunctatione remota, se se ad expeditionem pro recuperanda terra Sancta accingat, tempore, si quo aliàs, alienissimo, utpote quòd Rex bello Flandrico occuparetur. Legatus videns, quòd responsum ex animi sui sententia ferre non posset, verbis acerbis, atque minacibus dicens, ni dicto obediens Rex foret, Papam eum regno privaturum. Rex ad hæc verba Legatum in carcerem conjicit. Quod ubi Bonifacius rescivit, bonæ natura iracundus, biliosus, & præter modum arrogans, admodum excanduit, & eò statim misit Archidiaconum Narbonensem, qui Pontificis nomine Regi mandaret, ne ulla ratione in posterum subsidium à bonis, & redditibus Ecclesiarum exigeret, id quod Philippus fecerat ob maximas bellorum necessitates, quibus premebatur, ut regnum defenderet, ac tueretur. Præterea idem Archidiaconus dixit. Ob contumatiam Regis, & violatum jus Gentium in captione Legati, regnum Galliæ devolutum esse ad Ecclesiam Romanam, &, ni obtemperaret mandatis, & prohibitionibus Papæ, eum unà cum omnibus fautoribus, atque amicis in numero hæreticorum habendum. Ad hæc Archidiaconus complures Episcopos, Abbates, Theologos, & Juris Canonici peritos nominatim citavit, ut certo quodam, atque præfixo die Romæ coram Papa comparerent, omnibus privilegiis, ac indulgentiis, concessis à Papa Gallis, penitus abolitis. Rex, cognito duro, ac rigido Pontificis processu, in præsentia omnium Baronum, ac Præcipuorum regni, summa cum temeritate, ac arrogantia publicato, præter modum indignatus est, idque non immeritò. Jussit ergo, matura deliberatione habita, ut Episcopus Apamensis, quem violasse ferebatur, dimitteretur, & uterque nulla interposita mora, vel cunctatione, regno excederet.* Hisce verbis Marius legationis istius seriem ordine referebat, quam his aliis redegit in epitomen Tursellinus: *Jamque* (Caissanus Schylo) *Hierosolymam ipsam petebat, cùm subita defectio Persarum eum domum evocavit. Ergo Oratores ad Bonifacium Pontificem, & ad Francum Regem destinat, de sacra urbe communibus viribus recuperanda. Cæterùm missus à Pontifice ad Pulchrum Franciæ Regem Apameensis Antistes nimio ardore animi cuncta turbavit. Nam Francum ad sacram expeditionem impellens, dum precibus miscet minas, adeò Regis accendit iram, ut is atroci edicto vetaret, quemquam è suo regno Romam ire, aut pecuniam mittere. Hinc iræ exarsere inter Pontificem, Regemque.* Hæc ad aliorum, qui ante se scripserant, ductum suis in Epit. historicis Tursellinus. At quorsum insistens Blondi vestigiis Nauclerus, uti fatetur ipse, *Ariminensem* Episcopum pro *Apameensi* substituit, cujus in Blondo solius mentio non obscura? Crediderim, id à Nauclero factum, quòd è vetustioribus monumentis fortè constaret, legationem illam ab Ariminensi Prætule, non ab

ab Apameensi susceptam, quod potuit etiam ob oculos habuisse Mutius, qui disertè Lib. XXII. Germanicarum rerum. *Pontifex quoque miserat Legationem in Gallias, ut auxiliares manus mitteret socero fratris sui* (Balduino scilicet Imperatori Constantinopolitano, sed ab Imperio depulso) *addidit esse opus bonum, & sanctum; nam, restituto Imperatore Constantinopolitano, statim se exercitum missurum in Turcas. Et erat id propositum Pontifici; sed Rex Galliæ audito Pontificis Legato, qui erat Episcopus Ariminensis, nihil respondit pro voluntate, & proposito Pontifici. Quare Legatus, quemadmodum in mandatis habebat, minatus est Regi anathema, & à Regno depositionem, fratremque Regem futurum, quem jam nolit juvare. Nam, non Balduinum; sed fratrem, & Christianam Ecclesiam ut juvet, se petere. Rex Episcopum in vincula jubet conjicere. Ex qua re magna inimicitia inter Regem Galliarum, & Pontificem est orta.* Et Bzovius, qui signatè de Ariminensi ad annum MCCCI. Num. VII. *Non magis æquiorem hoc anno Bonifacius Gallorum Regem Philippum expertus est. Is anno superiore Ariminensem Episcopum, Sedis Apostolicæ pro expeditione in Terram-Sanctam in annuntium destinatum, in vincula conjecerat.* Sed ego nec Judex, nec Arbiter hac in parte, cùm præsertim aliam omnino ob caussam Apameensem in ergastulum conjectum, quàm propter libertatem dicendi nimiam, qua usus fuerit in obeunda legatione sua, nomine Sedis Apostolicæ suscepta pro expeditione in Terram-Sanctam, VValsinghamus, Æmylius, & Bzovius, calamo non suspenso tradant. Suis suam quisque verbis pronuntiet, ne fraudi ea res cuippiam sit. Ait primus ad annum MCCCII. *Hoc tempore Appamensis Episcopus de conspiratione contra Regem Franciæ accusatus, & ad Regis vocatus Curiam, in custodia detinetur. Mense verò Februario, ad mandatum D. Papæ liberatus, jubetur cum Nuntio D. Papæ regnum evacuare intra certum terminum à Rege præfixum.* Secundus ex Annalibus Francicis in Philippo Pulchro: *Annales Francici tradunt, Episcopum Apamensem solitum fando malè sentire de Rege Pulchro, eumque verbis allatrare: Regem ad se illum evocasse, tradidisseque velut in custodiam Archiepiscopo Narbonensi, ut de eo se consulto statueret. Bonifacium id indignè tulisse, misisseque ad Pulchrum Regem Archidiaconum Narbonensium (is civis Romanus erat) qui Pontificem Apamensem dimitti juberet.* Tertius ad supra laudatum annum, & numerum, Col. 23. *Apamiensem Episcopum, calumniis intolerandis oppressum, quòd audaciam Palatinam paulò animosiùs increpuisset, officiique sui erga Romanam Ecclesiam Regem, & Aulicos liberè admonuisset, in ergastulum concluserat.* Adde ab Æmylio secundo loco laudato tradi, nullum prorsus Episcopum in Galliam à Bonifacio missum, caussa belli sacri; sed *literas imperiosas tantùm, ac, nisi continuò pareretur, minarum & fulminis plenas.* Inde Carrio Lib. V. Chronici de hoc ipso bello, & caussa indignationis exinde nata inter Pontificem, & Galliarum Regem *Franciæ regnum tentavit Bonifacius Octavus, imperata pecunia ad bellum sacrum, quam cùm pendere recusaret Philippus Rex, Pontifex furore percitus regnum illi abrogatum Sedi Romanæ asserere, tonare, fulminareque, & subditis, ne excommunicato parerent, præcipere cœpit.* Judica Lector, qui judicio polles, usque adeò variè res ista, literarum monumentis inscripta, pervenit ad notitiam præsentis ævi.

Juvat igitur in Villani semitam, tamquam è diverticulo, me referre, eoque duce & comite progredi ad offensionem Bonifacii quintam. Peperit illam finè dubio Concilium Parisiis habitum adnitente Pulchro, quòd in eo non tam multa pro Rege dicta, quam contra Pontificem pronuntiata innumera, & sancita. Ea verò quæ fuerint, docebunt nos, & alios, Scriptores ipsi, qui res ejus Concilii credidere literis, ut liquebit. Præit ecce Dux noster, & Comes, Latinis Naucleri verbis incinctus, & caussam istam edisserit in hunc modum: *Rex Franciæ congregari fecit Parisiis omnes Prælatos Franciæ, nec non Barones, & facto Concilio pro sui justificatione* (jam enim sacris illum interdixerat Pontifex) *appellavit ab illa sententia, se excusando, & contra Bonifacium invehendo; plura scelera, scilicet hæresis, simoniæ, homicidii, & aliorum illi improperando: ideo de jure deponendum esse à Papatu.* Sequitur Vecerius, deque caussa ejus Concilii prima, nempe de justificatione Pulchri, loquitur in hæc verba: *Neque eo minùs Prælatis regni ipse* (Philippus) *Lutetiam accersitis, causam quoque suam approbare nititur.* Quemadmodum in hæc alia Mutius de secunda, nempe de criminatione Pontificis, Lib. XX. Chronici Germanorum: *Rex Gallorum execrationes Pontificias contemnit, non esse Pontificia Sede dignum, esse hæreticum, simoniacum, & omnibus vitiis contaminatum hominem. Quare ejus sententiam non morandam; sed jure à Pontificatu deponendum.* Et ante Mutium tradiderat idipsum Scriptor Annalium, quos Dominicanorum Colmariensium vocant: *Rex Franciæ Parlamentum in festa Joannis Baptistæ dicitur habuisse, in quo significavit, D. Papam in pluribus articulis fidei graviter excessisse.* Et post utrumque Calvisius suo in Chronico ad annum MCCCIII. *Anno MCCCIII. Synodus Parisiensis agitur, in qua decernitur, Bonifacium VIII. esse simoniacum, homicidam, hæreticum, epicureum, qui Sarracenos allexerit ad invadendam Siciliam.* VValsinghamus rem eandem in Historia sua Anglica persecutus, objecta Bonifacio Parisiis, Militibus nescio quibus adscribit. Clarum id, quàm quod clarissimum, ex ipsius verbis: *Circa festum S. Joannis Baptistæ, Milites quidam, in præsentia Cleri, & populi Parisiensis congregati, Papæ Bonifacio multa imposuerunt enormia, puta, hæresim, simoniam, homicidia, propter quæ pro Rege Franciæ appellatum est contra eum ad illum, cujus interest, donec convocato Concilio, se à criminibus purgaret objectis.* Sed, quales hi quoque Milites fuerint, constabit haud multò post ex aliorum dictis. Cæterùm inter ea, quæ tum objecta fuere Pontifici, repertus mihi pariter est ingressus illius illegitimus ad Papatum. Prodit id Appendix adjecta Supputationibus Archiepiscopi Consentini: *Postea idem Rex* (Philippus) *convocatis Prælatis, Baronibus, ac Comitibus regni, Parisiis Concilium celebravit, petens consilium, & auxilium contra Papam prædictum. Et objecta fuerunt eidem Papæ crimina, & titulus hæresis; suoque prædecessore vivente intrusio, & ingressus illegitimus ad Papatum: & quòd ei non erat parendum. Fuitque facta contra ipsum provocatio ad Concilium Generale.* Indicat & Vincentius Belvacensis Antistes, in Historiali Speculo Lib. XXXI. quem hic quoque juverit audisse: *Verùm, cùm inter Philippum Francorum Regem, & Bonifacium ipsum* (*ut erat animo ambitiosus*) *postmodum suborta fuisset dissensio, eo quòd Philippus apud Parisius magnum congregasset Conventum, ubi Bonifacii commemoratis injuriis sibi illatis, ac etiam ejus fraude in Papatu occupando commemorata, ad futurum Concilium appellaverat, Bonifacius ira, &c.* Nec involvit silentii tenebris Massæus, sed protulit in apertam historiæ lucem Lib. XVII. Chronici laudati supra: *Rex, Concilio Parisiis convocato, Pontificem ipsum schismaticum, hæreticum, Sedis invasorem nominans, ad Generale Concilium adversùs eum appellavit.* Fluxere porrò hæc, & his similia ex Platinæ monumentis in Bonifacio ipso, ubi loci narratur res eadem hisce verbis: *Philippus Rex Franciæ, Bonifacii arrogantiam iniquo animo ferens, habito apud Parisios Ecclesiasticorum, & Nobilium magno conventu, commemoratisque injuriis à Bonifacio acceptis, ejusque ambitione, & malis artibus ad occupandum Pontificatum, quem injustè teneret, ad Sedem Apostolicam, tum, ut ipse dicebat, vacantem, futurumque Concilium appellavit.* Addit his Ciaconius, qui prædicta transtulit in Bonifacium suum: *Et capita quædam contra ipsum examinanda, publicandaque, quibus ipsum hæreticum, blasphemum, perjurum, simoniacum, homicidam, sceleratum esse publicavit* (*removendum* legerem longè lubentiùs) *& ideo removendum, quamquam de his criminibus testes opportuni non essent. Abbas Cluniacensis* (*Cistercienses* aliis) *coram quo appellaverat, provocationem rejecit, & in Burgundiam abiit. Coegit verò Rex Doctores reliquos Parisiensis religiosos dicta capita suscipere, examinari, & tueri.* Et hæc Ciaconii pariter ex Villano. Quin id ampliùs apud VValsinghamum memini me legisse, mortuo Bonifacio, Regem eundem offensum Abbati Cisterciensi, quòd in appella-

tionem contra Bonifacium non consenserat, omnia Monasteria ejusdem Ordinis, in regno Franciæ constituta, plurimùm molestasse propter quod Abbas ultro regimini Ordinis sui cessit. Meminit & appellationis prædictæ Blondus, cùm Dec. II. Lib. IX. scripsit: *Celebraverat interea Philippus Rex Francorum apud Parisios Provinciale Concilium, & Ecclesiasticis simul, ac nobilitatis Secularium primoribus æquè censentibus, ad Sedem Apostolicam, in se mitiorem æquioremque appellaverat.* Sed enim aliud etiam, præter appellationem, & justificationem suam, eo in Concilio pro se peregisse Pulchrum ex Æmylio disco. Cùm enim Bonifacius ei Galliæ Regnum, & Imperium ademisset, eo quoque in Concilio, qua quisque Procerum in se fide, ac voluntate esset studiosè voluit experiri. Quamobrem hæc ab Æmylio eo de Concilio scripta: *Quod constat, contractis Rex Lutetiam Patribus, commemorat Bonifacii in se, Franciamque novi exempli decretum; sed eum Pontificem Maximum non esse, eaque de re cognoscenda Sacrosanctam Sedem, suo Antistite tunc viduam, appellare. Ad hoc Proceribus coactis, Interrogo vos, inquit, cuinam fidelitatem præstare jus fasque sit, ac cujusnam beneficio unusquisque vestrum oppida, dominatus, imperia, honores habeat Undique consentiente voce responsum, illius unius se beneficiarios esse, proque ejus gloria, imperio, salute, mortem oppetituros, memores fidei suæ, ac Regiæ majestatis.* Docuit idipsum etiam post Æmylium Marius, cujus ubi verba dedero, pauca admodum desideranda suppererunt hac in parte: „ Ineunte vere (scribit de Pulchro Marius) „ Conventum omnium Ecclesiasticorum, atque „ Baronum regni Parisiis indixit. Concilio con- „ gregato Rex ipse præsedit: cùmque comme- „ morasset injurias sibi à Pontifice illatas, & „ qua ambitione ac fraude Pontificatum occu- „ passet, primò ex Ecclesiasticis scisciatus est à „ quo redditus, & beneficia sua tenerent? De- „ inde, oratione ad Principes, Barones, & „ Nobiles conversa, dixit: *Et vos Nobiles, &* „ *Vassalli, quem pro Domino vestro agnoscitis?* „ Tunc verò omnes una voce responderunt, „ quòd omnia bona sua à manu, & potestate „ regia penderent. Quibus Rex auditis, subin- „ fert ac replicat. *Anne itaque arrogantiam Bo-* „ *nifacii Octavi cognoscitis? quæ tanta est, ac si* „ *regnum Galliæ, & vos omnes ei subjecti essetis,* „ *quemadmodum & se Imperatorem Germaniæ esse* „ *gloriatur. Bonifacius siquidem ter coronam Im-* „ *perii Alberto Austriaco denegaverat, & gladio* „ *accinctus dixerat, se esse Cæsarem Augustum* „ *Imperatorem, ac Dominum Mundi, nec alium* „ *quemquam; nihilominus tamen postea titulum* „ *Imperii cum titulo regni Galliæ Alberto contulit.* „ *Nos itaque, Amici, atque Fideles, vestræ fidei* „ *atque virtuti confidentes, simulque gratias vo-* „ *bis pro vestra in nos propensione, ac benevolen-* „ *tia agentes, promittimus, daturos nos operam,* „ *ut vestra virtute adjutrice publicam regni liber-* „ *tatem conservemus, ac tueamur.* Rebus sic pro- „ positis, ac ad consultationem accuratam revo- „ catis, Rex à Papa ad Concilium futurum ap- „ pellavit, & edictum sub gravi pœna proposuit, „ ne quisquam è regno suo Romam proficiscere- „ tur, aut eò pecunias mitteret, simulque omnes „ portus, pontes, atque itinera custodiri curavit. Scripsit etiam de rebus, inibi contra se gestis, Bonifacius iis in literis, quas ad Galliæ Prælatos dedit, ediditque Hocsemius in Theobaldo de Barro Cap. XXVIII. & his planè verbis, quibus in promptu paucis, fraudare, nostra qui legerint, non debemus: *Scimus equidem multorum relatione fidelium, nec latet Apostolicæ Sedis notitiam, quæ & quanta fuerint in eadem Concione narrata, & maximè, quæ Belial Petrus de Flote, semividens, & mente totaliter excœcatus, & quidam alii prædicaverint sanguinem sitientes Christianum, qui charissimum Philippum, Francorum Regem illustrem, trahere nituntur in devium, prob dolor, propinquum, cùm tantæ Christianitatis sublimitas eironeo ducatu submergitur. Cui ducatus à cœcis miserabiliter ad mentis interitum, nisi ex alto succurrat divina pietas, propinquatur.* Et post aliqua. *Multa præterea superba, iniqua, & schismatica in eadem fideli Concione narrata fuerunt per Oratores ejusmodi, per quæ velle videbantur distrahere unitatem Ecclesiæ, inconsutilem tunicam Domini nostri, quæ per nos videbantur rejici, vel certè potiùs non audiri, quia vani nominis recitatur, nec effugit vanitatem.* Verùm enim verò nemo rectiùs Massono clauserit dissertationem istam. Ea quippe tradidit, quæ vel ob id etiam proderit attulisse, quòd longè secus à Bzovio, nescio quo jure, quave fiducia, sint allata. *At Philippus, vocatis Lutetiam ad Concilium Proceribus Regni, & Episcopis, Abbatibusque, & OEconomis templorum, coram eis primùm se excusavit. Deinde recriminatione usus est, Bonifacio per VVilhelmum Nogaretum hæresis, & simoniæ accusato. Postremò voce VVilhelmi Pletiani testatus est, se à Bonifacio ad successores ejus, aut ad futuram Synodum provocare, eique appellationi Ecclesiastici Ordinis viros adhærere coegit, Abbate Cistercienſi, qui factum non probaret, Lutetiæ detento, ut Villaneus ait.* Massoni hæc omnino sunt in Philippo Pulchro: at Bzovii, quæ sequuntur, ad annum MCCCIII. Num. V. *Philippus, vocatis Lutetiam ad Concilium prophanum Proceribus Regni, & Episcopis, Abbatibus, Prælatis, & OEconomis templorum, coram eis primùm frivolè se excusavit: deinde iniqua recriminatione usus, Sole ipso ad audaciam, & impudicitiam erubescente, per VVilhelmum Nogaretum, Franciæ Cancellarium, hominem ex Patarenis hæreticis natum, eorumque moribus imbutum, in Bonifacium Pontificem innocentem multis criminibus avaritiæ, rapinæ, simoniæ, & hæresis confictis, voce VVilhelmi Plesiani protestatus est à Bonifacio ad ejus successores, aut futuram Synodum provocare: eique appellationi omnes Ecclesiastici Ordinis viros adhærere coegit, Abbate Cistercienſi, qui factum non probaret, Lutetiæ detento.* Vides planè, qui vides, Lector, quot, & quanta Massono Bzovius de suo fuerit elargitus? Modum itaque faciant dissertationis hujus Massoni reliqua, quæ subnecto. *Accusationis, & provocationis Acta habemus. Nogaretus militis, ac legum professoris titulos præfatur. Pletianus verò militem, ac Dominum Vicenobii se vocat. Sed acta illa, quia maledictis plena sunt, hic omittere præstat. At Nangius Nogaretum Franciæ Cancellarium in Chronicis fuisse dicit. Ex aliis Bonifacii literis* (signat eas, quas Hocsemius edidit, à nobis alibi laudatas) *ad Episcopos, & Sacerdotes Franciæ, perspicio in Concilio Lutetiæ habito, Petrum Flotum Equitem multa adversùs eum probra protulisse. Verùm hæc spicula, quæ in absentem frustra jaculabantur Bonifacius contempsit. Fortunatus procul dubio Pontifex, si, quàm facilè minas ridere erat solitus, tam facilè vim & insidias vitare potuisset.* Hæc Massonus de hac tota re, qui cùm Acta illius Concilii viderit, ut fatetur, ei quoque plurimùm par est credere sic scribenti. Credimus & Villano plurimùm, quòd is sub hujus dissensionis initia in Gallia fuerit, ut idem Massonus tradit, & anno Jubilæi MCCC. Romæ, ut ipsemet Villanus extremo Cap. XXXVI. Lib. VIII. clarè testatum iit. Quare rebus in his Villani fidem requirere non debemus; longè verò minùs in dubium revocare.

Adscribam nihilominus, quas & alii, præter Villanum, offensionis Bonifacii caussas attulere, ut omnibus Lectori positis sub aspectum, faciliùs possit, cui maluerit, assentiri. Nos enim asymboli prorsus esse volumus hac in Nota.

Refert Nangius ore Massoni laudati nuper, anno MCCXCVI. Philippum exegisse à Laicis, & Clero Regni omnium bonorum centesimam, mox quinquagesimam, ut sumptus belli Anglici sustineret. Id Bonifacio displicebat: itaque sanctione vetuit, in ordinem Ecclesiasticum hujusmodi exactiones fieri, ac per Legatos Regios Philippum non obsequentem monuit, ut à Clero vexando abstineret. Non parenti literas per Jacobum Normanum Notarium suum acrimoniæ plenas misit, quibus præfatus, Reges omnes Romano Pontifici, & Ecclesiæ subesse, plurima ab illo contra æquitatem, & juris ordinem fieri querebatur: Plebem, & Clerum exactionibus opprimi: Ecclesiasticas dignitates conferri: bona Sacerdotum occupari: jurisdictionem suam illis eripi: Lugdunensem nobilem Ecclesiam ad inopiam pæne redactam, in qua ipse Bonifacius in minori fortuna Canonicus fuisset: annuos fructus Sedium vacantium fisco inferri: monetæ depravatione subditis, atque extraneis injuriam

riam fieri. Philippus nuntium illum, qui literas attulisset, malè acceptum dimisit. Pontifex Joannem, SS. Marcellini, & Petri Presbyterum Cardinalem, genere Gallum, nihilominus in Galliam ad Regem venire jussit, qui illum, ut amicus benevolè moneret, Romanæ Sedi meritò succensenti ultro audiens esset. Hunc datis custodibus observari jubet. Insuper mandat, ne quis cum eo colloqui, ne cui literas dare, aut accipere à quoquam possit. Qua re cognita Bonifacius, per Nicolaum Benefractum, Cardinalis servum, misit literas, quibus mandabat Regi denuntiari, sacris ipsi interdictum esse. Nicolaus, antequam literas dare Domino suo potuisset, apprehensus atque in carcerem conjectus est, Cardinali frustra, ut dimitteretur, petente. Tandem Bonifacius, Ecclesiastica pœna in contumacem usus, ipsi interdixit, subditosque ejus omnes sacramento solutos pronuntiavit. Attulit & hæc ipsa Bzovius ad annum MCCCIII. Num. IV. & V. ubi totum huc locum Nangii; sed auctum ab illo nimis, ut aliorum alia non pauca, deprehendes. Quæ nos dedimus, pura puta sunt, & ipsissima Nangii ex Massono.

Caussas offensionis ejusdem ex aliis alias investigo. Apud Ferretum, Bonifacii συνχρόνον, hanc offendo, Legatos Pontificis à Galliarum Rege, primitias Regni, quas illi per triennium concesserat Pontifex in Terræ-Sanctæ subsidium, hæcce verborum formula petiisse. *Non tua nos ad te, Philippe, majestas; sed Cleri Princeps optimus, venire coercuit, dum, rebus suis providens, ea vult uti solertia, quam sobrium Principem decet curis advertere. Nosti quidem, & ipse non negligit, primitiarum regni tui usum in tempore sibi promissum spatio instantis anni finito, ad verum dominum necesse converti, quod dum ferè præsto sit, te vult priùs certis anticipare sermonibus, ut, si fortè ignarum te dicas, eo nuntiante non dubites. Restat quidem ambitus Lunæ ternarius, quem tibi comparans, inde munus conditionale restituas, nec putes sibi denuo precibus ullis adscribere. Fixum est enim illius cordi, non ultra tibi competere. Quòd si rem negas, flammatum erga te senties Apostolicum repetendorum actione justissima.* Negasse verò Regem, & verbis hisce, veluti excandescentis ira dictabat ab impetu, respondisse: *Si Cleri Princeps infidus vos ad aulæ nostræ Tribunal legavit, istbinc reduces ad illum cita suggestione remittimus, ut sciat, nos arma sua, præter Dei cultum, non metuere. Quòd si quidquam paret molestum, velut dabitur nobis, viribus resistemus. Non debuit enim munus concessum, priusquam jactura nostra refecti sponte reddamus, ipse repetere. Scit bene, qua vi est Caroli successor, quidve possit, sobria mente discutiat. Ite nunc, & illi nostra verba referte. Quod tenemus, adhuc prorsus tenere volumus, donec restitui dignum putabimus, ut non indigeat matris auxilio fidelis alumnus Ecclesiæ.* His auditis Pontifex sic exarsit, ut non minor illum ira vexarit, quam Regem. Cùmque anno perfecto rursus, ut primitias illi concessas in tempore prorsus sibi redderet, per Apostolica dicta mandasset: nec ideo Rex tumidus Sacræ Religionis custodem vereri dignatus, humilem se reddidisset, de justitia meditans, Philippum, & ejus complices Sacræ Communionis interdicto tenaciter innodavit, ut, ni certum intra temporis spatium Pastori suo devotè paruerit, anathematis supplicium certus expectet. Demum, cùm nec reddere munus acceptum, nec ulla pactionis lege cum Apostolico Rex tumidus flecti vellet, non minùs cornua erigens, in adversum Principem æstuans Bonifacius, illum, qui claves sacras in contemptu fidelium neglexisset, truci judicio condemnavit, locumque Studio liberalium Artium temporibus multis aptissimum, & lanificio congruum, ac gentibus & divitiis opulentissimum, doctrinæ cultu privavit. Hæc Ferretus.

Laurentio de Monacis caussam eandem placuit assignare. Tetigit & eandem Bzovius ad an. MCCCI. Num. VII. talibus verbis omnino: *Pulchrum neque rebus Syriacis auxilium ferre, neque pecuniam sacram, toto triennio in usus belli Syriaci authoritate Pontificia collectam, in Fiscum autem Regium illatam, postulanti Bonifacio restituere voluisse.* Quorum partem repetit ad annum MCCCII. Num. III.

Caussam aliam duplicem nobis in hæc verba suggerit Eberhardus. *Papa Bonifacius misit Regi Franciæ quasdam literas, & nuntios, monens ipsum, ut ab offensione Cleri desisteret, & monetam, quam fabricari denuo in præjudicium Regni fecerat, immutaret. Idem autem Rex prædictos nuntios Papæ infra XV. dies mandavit exire terminos Regni sui, alioqui contra personas eorum procederet nimis durè: præcipiens per totum Regnum suum, sub pœna capitis, & omnium bonorum confiscatione, ne aliqua persona parva, vel magna literas Domini Papæ reciperet publicè, vel occultè: ponens custodes in omnibus finibus Regni sui, ne aliquis importare posset literas, vel mandata Papæ: & ne aliquis Prælatorum exire posset, vel ad Papæ præsentiam literas destinare.* Duas hasce causas attulit Eberhardus ob idque Ciaconius respectu primæ. *Per hos*, inquit, *dies discordia inter Bonifacium Papam, & Franciæ Regem Philippum exorta, utrisque exitialis fuit. Ejus aliquot caussæ referuntur. Nonnullas Pontifex Constitutiones ediderat contra quoscumque, etiam Reges, qui immodica tributa, & iniquas exactiones Ecclesiis, non sinè Ecclesiasticæ libertatis detrimento, imponerent. Is Francorum Regem, pecuniarum indictionibus Ecclesias Gallicanas vexantem, etiam perculit. Iratus Rex in minas, & probrosa verba contra Pontificem (ut Gallorum natura est) irrupit.* Et Bzovius intuitu secundæ ad annum MCCCII. Num. VII. *Monetarium, in damnum Ecclesiarum exercebat, &c.*

Rebus aliis alii indignationem Pontificiam referunt in acceptum. Et horum quidem è numero VValsinghamus, quem loquentem audivimus alias, *responso Petri de Flote, nuncii Regis, qui asserenti Pontifici, se habere utramque potestatem, Regis sui nomine subjecit: Utique Domine, sed vestra est verbalis, nostra verò realis.* Æmylius, *promisso Pontifici facto à Pulchro, de numerandis illi sexaginta millibus aureorum, quæ postea non fuerint numerata.* Mutius, *mandato Regis, quo nempe jusserat, Sedis Apostolicæ Legatum exire è Regno, & nuntiare Pontifici, se suspensurum omnes, qui venissent Roma.* Alii aliis. Nimirum ista quoque continent Paralipomena Urspergensis ad annum MCCXCIV. *Implacabiliter Rex Franciæ Pontificem offenderat, quòd, Pragmaticam sanciens, Apostolicæ Sedi suum per Franciam minoravit honorem.* Eaque transcripsit Krantzius Lib. VIII. Saxoniæ Cap. XXXVI. quibus & hanc caussam aliam præmisit, ob quam scilicet implacabiliter Rex idem Pontificem offendisset, nempe, *quòd nuptias Eduardi Anglorum Regis, & filiæ Comitis Flandriæ disturbasset.* Qua de re non paucis Bzovius Tom. XIII. ad annum MCCXCVI. Num. VIII. qui & inter offensiones Pontificis hanc recenset Num. XV. præcedentis anni, *quod Pulcher à Bonifacio commonitus officii sui, non modò Rogerium Fuxi Comitem à multo tempore Abbatis, & Cœnobii S. Antonini Apameensis hostem, ab injuriis, quas illi intulerat, deboriatus esset, Apameæ universæ tutor institutus à Patre: sed ad graviores etiam alias iisdem inferendas injurias Regius suis literis animasset.* Addit & ibidem loci. *Regem eundem violasse Laudunensem Cathedralem Ecclesiam per administros suos.* Et Numero sequenti subdit, eundem Regem pecunias, *à Rom. Pontifice Hierosolymitanis militibus assignatas: pro tutela Cypri, eò vetuisse transmitti.* Ad hæc Tom. XIV. ad an. MCCCII. Num. VI. & VII. *Regem eundem traxisse ad se collationem, & administrationem beneficiorum regni, testatum, nihil in eo juris esse Romano Pontifici: quin imò cavisse, ne Prælati Ecclesiarum gladio spirituali uterentur, palamque dixisse, Legatos, & Nuntios nusquam posse à Romano Pontifice destinari.* Scribunt alii, Ecclesiarum facultates, & Ecclesiasticos irreverentiùs sæpe tractatos ab eo Rege: nec non & ignominiosas literas, & contumeliarum plenas sæpe Summum in Antistitem emanasse, si modò veræ illæ literæ fuere, ab ipsoque compositæ, non ab aliis connectæ, quod Æmilius verosimiliùs arbitratur.

Has ob caussas, & si quæ fuerunt aliæ (dolet enim modò laudatus Bzovius, ad an. MCCCI. Num. VII. eraiam fuisse è libero Bonifacii literarum eam Epistolam, quam is ad Philippum, Non. Decembris Lateran. dederat, signatam

tam in ordine numero 101. pag. 135. expeditionum Pontificis ejus anno VII. quòd ea complures injurias alias contineret, quibus Pulcher majestatem Pontificis offendisset) immani inter Bonifacium, & Philippum concitata discordia, alter alterum oppugnare, æquè solio dejicere conabatur. Ea re Pontifex, cùm in maximo Sacerdorum conventu, coacto Romæ Kalendis ipsis Novembris anni MCCCII. coram universo Clero, & Populo Romano, jurejurando interposito, de objectis sibi criminibus in Parisiensi Concilio se purgasset, utraque potestate utens, censuras priùs immissas in Pulchrum denuo confirmavit, novasque deinde promulgans, ipsum quoque Romanorum Regem ad bellum illi movendum, satis utrinque diffidiis, incitavit. E contra Pulcher nequaquam sibi quiescendum ratus, in id omni conatu potissimùm incumbebat, ut inviso sibi dudum Pontifici noceret. Aderat fortè tum in Galliis Stephanus Columna, quem unà cum universa Gente (ut verbis Petrarchæ utar libro Rer. Memorandarum secundo) duobus lustris vagam egerat, ac toto Orbe dispersam, fulminans de terris, & ad exemplum Tonantis ætherei, cujus vires gerebat, edictis minacibus intonans. Is cognito Regis adversùs Bonifacium odio, ad eum se contulit, humaniterque susceptus consilium hostis capiendi dedit. Mittitur illico, rei conficiendæ gratia, VVilhelmus cognomine Nogaretus, calliditate & astutia præstans, unà cum Musciato Francesio, Florentino cive: dantur & iisdem literæ ad Petrucios mensarios Regis, ut quantum pecuniæ ad regia negotia peterent, illis numeraretur. Consedere primùm Regii Ministri Staggiæ, quod erat Musciati castellum in Hetruria, ibique per occultos nuntios, specie pacis inter Pulchrum, & Bonifacium serendæ, conjurationem clam alibi decretam in ignarum mali Pontificem promovere, sedulò corruptis multo auro Ceccano, & Suppino Proceribus, ex ipsaque Anagniensium urbe Massii potentis viri liberis, aliisque nobilitatis præcipuæ Gibellinis. Fama est, Cardinales etiam aliquot, factionis ejusdem, conjurationis hujuscemodi participes extitisse. Inde Dux Conjuratorum Sarra Columna mense Septembri, anni MCCCIII. equites numero trecentos, & peditum cohortes aliquot summo mane Anagniam duxit, ubi tum Pontifex unà cum Curia considebat. Occupatur urbs statim, discurritur cum vexillis Pulchri, istique Vita, Mors contra Pontifici passim ab omnibus acclamatur. Ingratissimus Anagniæ populus, rebellionem secutus & vexilla Regis, velut amens, & ipse Pontificis hostibus se conjunxit. Capitur primò repentino impetu Bonifacii regia, tale quippiam suspicante nemine, nemine resistente. Hic Pontifex ad rumorem primum, Cardinalibus, ac Ministris dilapsis metu, se mortuum illico judicavit. At enim collecto spiritu Vir in omni calamitate semper se ipso major: *Quandoquidem*, inquit, *factum est, ut, quod Jesu Christo contigit, proditoriè capiar, & in manus inimicorum ad occidendum tradar, fixum est animo, sic omnino mori, ut Papam decet*. His dictis, Pontificium omnem ornatum assumit, solium sacrum insidet, conjuratos expectat. A Sarra comprehensus est. Nogareto illudenti, ac minitanti, se illum in Galliam pertracturum, ut Lugduni, in Synodo Patrum, Pontificia dignitate spoliaretur, constantissimè respondit. *Patienter feram quidquid in me egerint Patareni*. Patareni vox hæreticum hominem significabat, cujus criminis reus Nogareti avus igne crematus fuerat. Illo responso VVilhelmi ferocia concidit. Tridui spatio in potestate hostium custodia sub honesta fuit, qui prædæ intenti sat habuere thesauros ab illo congestos abripere, nec ei mali præterea quippiam intulere, non permittentibus Superis, Vicarium Christi gravioribus injuriis violari. Interim Anagnini, divinitus excitati, &, qui incorrupti erant, miseratione moti, &, qui cum hoste senserant, pœnitentia subeunte, metu quoque dedecoris, & infamiæ perculsi, ne Romanorum Pontificem, Civemque suum, publico consensu prodidisse dicerentur, arma capiunt, totaque proditores inquirentes Urbe, *vivat*, clamant, *Pontifex: moriantur hostes*: multisque eorum cæsis, interceptis multis, Sarram, cum Sociis Anagnia pellunt, Pontificem, magna prædæ parte recepta, pristinæ libertati reddunt. Hinc ille regressus haud multò post Romam, dum vindictæ modos altiùs investigat, & adversùs Philippum, & Conjuratos concilium parat, injuriæ sibi, & Ecclesiæ illatæ contumeliam gravissimè ulturus, animi mœrore, ex ingenti calamitatis vi concepto, in gravissimam ægritudinem incidit, qua per plures dies ira fervidus, manusque sibi visus arrodere, migravit è vita Vaticanis in ædibus IV. Id. Octobris Salutis Anno MCCCIII. Ætatis LXXXVI. Pontificatus VIII. mense IX. die XVII. quinta verò & trigesima post tantam acceptam calamitatem luce, Corpus apud D. Petrum, die mortis proximo, secus Altare S. Andreæ more Pontificio sepultum est in Sacello, quod ipse sibi vivens inter duas portas extruxerat, & ornarat vermiculato opere, crate hinc inde ferrea communito.

Hæc mihi de Bonifacii VIII. Rom. Pontificis captione, & interitu Villanus Lib. VIII. Cap. LXIII. & ex eo Massonus, Bochellus, Ciaconius, alii suggerebant. Verùm enim verò, quoniam alicubi Ciaconium locupletiorem Villano, locupletiores & alios in his enarrandis extitisse video, aut certè non omnino eadem literis prodidisse, placet his adscribere Commentarii loco, quæcumque alia his diversa alibi me legisse meminero de iisdem.

Occurrit statim *captionis ipsius Bonifacii dies*, de quo video laudatos omnes Historicos consultò quodammodo tacuisse. Fuit is Septembris septimus, ut apud alios lego. Appendicis auctor adjectæ supputationibus Archiepiscopi Consentini ad Annum MCCCIII. *In Vigilia B. Mariæ Bonifacius Papa in Anagnia Civitate suæ originis cum Curia residens, in gente sua, consciis aliquibus domesticis suis proditus fuit, & à suis quasi solus derelictus, ab inimicis, vexillifero Guilelmo Nogareto de S. Felice, Diœcesi Tholosana complicibus, & consentaneis Colonienſibus captus, & detentus fuit*. Ea siquidem vigilia non alia, quam quæ festivitatem Deiparæ antecessit. Declarat id Vesmonasteriensis suis in Floribus historicis ejusdem Anni. *Sub his quoque diebus, & hoc anno* (1303.) *quo ista in Scotia ea tempestate, in vigilia Nativitatis Papa Bonifacius, procurante ut creditur Rege Francorum Philippo, quos inter horrenda dissensionis per longum tempus extitit materia, à quibusdam inimicis suis, & specialiter à quodam, nomine Sarra de Campania atrocissimè, irreverenterque deprædatus fuit in palatio Anagniæ Civitatis suæ, &c.* Ea verò vigilia, dies sinè dubio Septembris septimus, si fatis ratione utor, & Massæus mecum, qui disertissimè Lib. XVII. Chronici ad Annum MCCCI. *Paulò post*, inquit, *Anagniæ à gente sua (erat enim Anagninus) & à domesticis suis captus 7. Septembris, omnisque thesaurus ejus prædæ patuit*. Variat nihilominus, & ab his diffidet Eberhardus, factum istud rejiciens in Occasum memorati mensis. Hæc enim ab illo sunt. *Bonifacio Papa manente cum Curia sua in Anagnia, circa festum B. Michaelis, quidam de Anagnia, & Serra* (lege *Sarra*) *de Columna ipsum invaserunt, & capta domo sua, omnibus servitoribus suis fugientibus, irruerunt super eum, &c.* Sed enim Scriptores primi suffragium reliquorum propemodum omnium meruere. Inde Valsinghamus. *Circa festum Nativitatis Beatæ Virginis, videlicet in vigilia Nativitatis ejusdem, venit summo mane magnus exercitus hominum armatorum, missus ex parte Regis Franciæ, & Cardinalium Columnensium damnatorum, repentè ad portas Civitatis Anagniæ, in quam Papa confugerat pro tutela, quia ibi natus fuerat*. Et sequitur de captione: Nominat & Ciaconius eos ipsos. *Omnibus porrò conjurationis Capitibus accitis, intempesta nocte diei Sabbathi, ante VII. Idus Septembris, Guillelmus, Sciarra, & Rainaldus cum armatorum equitum, & peditum copiis Anagniæ muros adeunt, &c.*

Video secundò, quæ nos Stephano Columnæ tribuimus ex Villano, Sarræ Stephani Germano quosdam adscribere, & in his Ferretum, qui & addit, sollicitatum illum à Pulchro, de perdendo Bonifacio Pontifice cogitasse, accedente Neapolionis consilio, & auxilio Stephani ex eadem Gente. Verborum apud

apud illum ambages ea de re longæ, quas tamen aliquando eo in Scriptore leges, si Deus vires, & otium dederit, quas requirit, ut emendatum luci publicæ se committat. Cæterùm de sævitia Pontificis in Columnenses, deque Stephani exilio Petrarcha multis Lib. II. Epistolarum familiarium, Epistola ad Severum.

Progredior hinc ad *Nogareti nomen, cognomen, & titulos* inquirendos. In nomine planè procul ab aliis abeunt Hocsemius, qui *Petrum*; Æmylius, qui *Hilermum* vocat. *Longaretus* etiam eidem Æmylio; *Longarrecius* Carrioni, *Ungaretus* Ferreto dicitur, pro quo *Nogaretium* aliqui constanter scribunt. At ille quis? *Clericus* Villano *sapiens, & acutus*: Ciaconio *vastus*, cujus postremi verba proferam, ut emendem. *Guillelmum Nogaritum, vico Tolossatis S. Agri filius, &c.* Lego, & corrigo. *Guillelmum Nogaretium Tolosatem, agri Sancti Felicis, &c.* Nempe facem ad hæc illi scribenda prætulisse videtur Appendix Archiepiscopi Consentini, in qua Nogaretius, *de S. Felice, Diœcesi Tholosanus* audit, ut ostensum in captionis die: nec aliud, præter Impressorum inscitiam, loco corrumpendo fuit. At enim Nogaretus ipse in Actis accusationis Bonifacii, quibus se subscripsit, *Militis, & Legum professoris*, titulos præfatur, ut ante vidimus ex Massono. Nangio in Chronicis, *Cancellarium Franciæ*; Ferreto, *Præfectum Militiæ Regiæ*, placuit appellare. Inde Hocsemius. *Tandem auxilio Regis Franciæ, duce D. Petro de Nungareto, milite & legum eximio professore, ejusdem Regis summo Consiliario, Anagniam, unde Papa duxit originem, intraverunt.* Blondus. *Philippus interim, à Sarra edoctus, Guilelmum quendam Nogaretum, equitem sibi fidum, &c. Romam petere jussit.* Platina. *Tum verò Philippus superbiam hominis domiturus, Sciarram Columnensem, in portu Masyliæ cognitum, à Piratis redemptum, cum Guillelmo Nogaretio Gallo, equite fidissimo, Romam mittit.* Et ex eo Nauclerus Gen. XLIV. Vol. II. *Et Bonifacii quidem arrogantiam iniquo animo ferens Philippus, Anagniam, quò se Pontifex receperat, Sarram è Columnensium familia cum Nogaretio, equite Franco, mittit, &c.* Et Bzovius ad Annum 1303. Num. IV. *In eam rem* (Sarra) *à Philippo socium accepit VVillelmum Nogaretum, Aquitanici generis nobilem militem, calliditate, & astutia præstantem, &c.* qui tamen in proximè superiori Numero *Cancellarium* eundem *Franciæ* nominarat. Video pariter, Nogareti socium, *Mucietum* à Ciaconio, *Francinum* à Massono dici, quod monitum dumtaxat velim.

Cùm asserui, conjurationem contra Pontificem à Nogaretio fuisse promotam specie tractandæ pacis inter Bonifacium, & Galliarum Regem, ejus dicti testem habui Ciaconium ex Villano, cujus illa sunt in Bonifacio ipso. *Guillelmum Nogaretium, &c. & Mucietum Francesium, &c. clam in Italiam misit, ut re vera Pontificem incautum, & supinè nihil metuentem, Anagniæ commorantem, caperent. Spem verò pacis inter Papam, & Regem tractandæ interponebant.* Nec moveor, id ut moneam, frustra. Blondus enim Lib. IX. Dec. II. colorem alium ei Conjurationi quæsitum asserit in hæc verba. *Philippus interim à Sarra edoctus, Guillelmum quendam Nogaretium, equitem sibi fidum, ea per omne Regnum disseminata profectionis caussa, Romam petere jussit, tamquam appellationis, Parisiis concilio à se factæ, libellum ferret Pontifici, vel à Cardinalibus sibi amicioribus exhibendum.* Sensit & hoc ipsum Platina, cùm scripsit. *Philippus, hominis superbiam domiturus, Sciarram Columnensem, &c. cum Guillelmo Nogaretio, &c. Romam mittit, hac ratione* (*ut ipse palàm dicebat*) *ut appellationem suam publicarent. Verùm ei longè alia mens erat.* Sensit & postmodum Nauclerus, cùm inquit Gen. XLIV. *Bonifacii quidem arrogantiam iniquo animo ferens Philippus, Anagniam, quò se Pontifex receperat, Sarram, è Columnensium familia, cum Nogaretio Equite Franco mittit, ob caussam insinuandæ provocationis, qua adversùs Bonifacii injurias de Regni depositione Philippus se tuebatur, &c.* Æmylius utrumque prætextum complexus est, cùm dixit. *Audacior tamen Hilermus Longaretus Tolosas extitit. Is enim, acceptis à Pulchro mandatis, ut appellationem, quam ille à Synodo Parisiensi nuncuparat, Cardinalibus, ac, si potestas fieret, ipsi Bonifacio effaretur, in Italiam se contulit, atque in agro Senensi substitit, causam moræ simulans, quòd fortè oblata spes esset gratiæ inter Regem, Pontificemque reconciliandæ.* Credat, quibus maluerit, Lector.

De corruptis auro Gallico, *Ceccano* scilicet, *Suppino, Maffii liberis, aliisque nobilitatis præcipuæ Gibellinis*, varii varia tradidere. Quippe *Ranaldus Ceccani* locum obtinet in Ciaconii scriptis, *Sapinus* Villani *Suppinum* refert, & ambo vocantur inibi *Nobiles de Ceccano*. Ferretus *Rainaldum* nequaquam separat à *Xopino*. Sic enim ille Suppinum nuncupat, ubi loci à Neapolione, Sarræ Columnii patruo, sollicitatum eum fuisse memorat contra Bonifacium Pontificem, in hæc verba. *Tunc, ne Regis meditatio vana fieret, Rainaldum Xopinum inter Campanos illustres virum satìs nobilem, & ad nefas pronum festinus accersit, illique rem pandit, utque armatos clam congreget, sedulus Orator imposuit, aurum argentumve ad virorum comparationem prodigus erogavit, pollicitus ad rem nihil deesse.* Inde Vecerius huc alludens. *Missi clanculum in Italiam, qui Campanos, si qui forsan privatas ob iras infensi essent Antistiti, corruptos auro traherent in sententiam, cæteraque comprehendendi ejus idonea maturè appararent.* Et fuerat Suppinus, sive Xopinus ille, à Romano Pontifice renuntiatus Miles. Observo dilucidè in Ferreto. *Qui* (Bonifacius captus) *ut Sarram agnovit, Rainaldumque Xopinum, quem equestris militiæ titulo decoraverat, ne moreretur, gladiis obtruncatus, supplex oravit.* Atque hæc mihi de primis auro Gallico corruptis, *Ceccano*, & *Suppino*, hactenus observata. *Maffii* quoque *liberis*, in Ferreto pater est *Matthæus*, iidemque custodiæ suæ creditum Bonifacium servant. Nimirum & hæc alia in illo sunt. *Illum* (Bonifacium respicit) *ne per fugam evaderet, Matthæi natis duobus, ex prosapia nobili hujus patriæ, tradidit custodiendum.* Ciaconius etiam his ipsis Matthæum patrem, & primum inter Bonifacii proditores locum adscripsit. Porrò *Gibellinos aliquot nobiles* conjurationis adversùs Octavum initæ participes extitisse, præter laudatos Historicos, Jac. quoque Philippus in Suppl. Chron. ad annum MCCXCIV. Platina in Bonifacio VIII. Nauclerus ad annum MCCC. aliique multi non dubiè testati sunt. Locarunt & alii quidam horum in Conjuratorum numero *Cardinales aliquot*, signatèque nominantur a Ciaconio duo, *Richardus Senensis*, & *Neapoleo Ursinus*, magnis à Pontifice beneficiis affecti non sinè insigni ingratitudinis nota. An verò *Valesius*, etiam, Philippi frater, conscius facinoris hujusce fuerit, aliis alia tradentibus, fatetur se candidè Mutius ignorare.

Alia quod attinet, Anagniam occupatam à Sarra, & sociis negotio nullo, nemo non asserit: occupatæ rationem in paucis deprehendas. Ferretus enim occupatam asserit Neapoleonis dolo, qui statuta sceleri patrando die claves urbis, quas Sigonfredus de Bulso, Papæ armiger strenuus, asservabat, fallax minister jussit afferri, simulans id ab Apostolico noctis in tempore suscepisse, ut eo cum Scriptore loquar. Ciaconii verò ab his ita dissident, quæ subnecto. *Adinulpho verò, Matthiæ filio, Civitatis portam aperiente, Urbem, nemine resistente, occupant.* Deliberent & hic Lectores ipsi.

Feruntur ad hæc Conjurati, occupata Anagnia, non tam *Mortem* Pontifici acclamasse; quam, *Pontificatu* Maximo ut abiret, quemadmodum eodem abire coegerat Cœlestinum: ad hæc verò Pontifex, *se id factuum esse minimè, quòd Papa esset, & Papa mori cuperet*, respondisse: quin audacter vitam ipsam, his verbis: *En caput, en collum*, cunctis discriminibus objectasse. Narrat hæc Bochellus in Notis Decretorum Ecclesiæ Gallicanæ.

Cardinalium fugam Blondus etiam attigit, eosque Perusium concessisse tradit. Ciaconius, alios quæsitis saluti suæ latibulis prospexisse vult, alios aliò mutato habitu profugisse, duobus exceptis, Nicolao Ostiensi, & Petro Sabino Hispano, qui nunquam Pontificem intre-

Digitized by Google

trepidi reliquere. Eundem verò Pontificem sacris indutum insignibus operiisse Conjuratorum agmen, classici mihi quoque testes Ferretus, Polonus, Hocsemius, Eberhardus, Æmilius, Collenutius, Costus, Ciaconius dicunt: unusque *in solio* indutum *consedisse* negat ultimus, tradens *accubuisse lecto*. Ferretus, ad aram flexis genibus deprehensum narrat, nec paratum mori; sed, ne moreretur, Conjuratorum capita supplicem exorasse, quamquam parum absint à Ciaconii dictis, quæ subdidit idem ibi Scriptor: *Dein surgens, apud thorum suum non aptè consedit*. Massonus perspicuè Bonifacium assumpto Pontificio ornatu in Solio consedisse refert, ut in sacra veste captus, atque occisus diceretur, si hostes tantùm auderent. Genebrardus nec thori, nec solii meminit; sed captum, cùm dormiret, tradit.

Ut ut ea se res habuerit, Octavum a Sarra comprehensum constat, si plurium sententiis hæreamus. Blondus. *Sarra interim, eodem quo abierat mentito servili habitu, in Latinam redierat regionem, qui cùm Nogaretium, quid acturus esset certiorem factum, Ferentini tanquam ex improviso adesse jussisset, Ananiam ingressus est, &, Ananinis veteribus amicis operam navantibus, Bonifacium Pontificem in paterna domo, & in eodem, in quo genitus fuerat cubiculo, valvis vi refractis, obstupescentem, & unde, à quibusve impetus fieret ignorantem, primus Josue propria manu cepit*. Platina. *Sciarra servili habitu Latium ingressus, collectis undique amicis, Nogaretium cum CC. equitibus Gallis, mercede conductis è militia Caroli Valesii, Ferentium præmittit, qui inde ei, si opus esset, auxilium ferat; Ipse verò Anagniam clam noctu ingressus, adjuvantibus Gibellinis, quos Bonifacius diu, multumque vexaverat, Pontificem, nil tale metuentem, in domo paterna capit*. Nauclerus. *Sarra mutata veste, ne ab Italis agnosceretur, quot potest amicos colligit, & conductis CC. è militia Valesii, Nogaretium præmittit, qui auxilium rei, quam tacitus secum statuerat, afferret. Sarra noctu Anagniam ingressus, Guibellinorum ope Bonifacium in domo paterna capit*. Vecerius. *Anagniæ agens Pontifex, à Sarra Calumnio, duce Gallicæ multitudinis, non prævisso irrumpente, summa luce circumvenitur*. Magni Chronici Belgici Concinnator ex Martini Florentini historicis monumentis. *Sciarra Columnensis, præparato satis magno armatorum numero, Bonifacium Pontificem, Anagniæ consentiente populo, capit, & custodiri jubet*. Tursellinus. *Sarra Columna, unus è Romanis proceribus, deformatus, atque ejectus à Pontifice, apud Pulchrum erat. Hic igitur Regis instinctu Anagniam, ubi tum erat Pontifex, servili habitu venit, & noctu à suæ factionis hominibus receptus, per ultimum nefas Bonifacium Pont. comprehendit*. Et his omnibus antiquior Dantes, eam omnem historiam versibus hic complexus:

Veggio in Anagnia entrar lo fior d' Aliso
Et nel Vicario suo Christo esser catto.
Veggiolo un' altra volta esser deriso,

Veggio rinovellar l'aceto, e'l fele,
E tra vivi ladroni esser anciso.
Veggio'l novo Pilato sì crudele,

Che ciò no'l satia; ma senza decreto
Porta nel tempio le cupide vele.

Præcesserat autem captionem istam prodigium, quod eò Villanus trahit Lib. VIII. Cap. LXII. Captos etiam priùs fuisse nepotes Pontificis duos ex fratre, *Jopedum*, & *Benedictum*, in Ciaconio leges. Adjicit VValsinghamus, Pontificem captum, impositum à persecutoribus fuisse effræni equo, ad caudam versa facie, atque ita discurrere, ferè ad novissimum halitum, coegisse.

Haud desunt tamen, qui manus injectas Bonifacio negent, velintque tantùm liberæ illum custodiæ traditum, & honestæ. Ea in sententia Ferretus: *Sarra autem, de hoste suo multùm anxius, timens, ne fugeret, illum inter omnes aulæ recessus quærens, comprehendere flagitabat, donec ad thalami secreta loca perveniens, illum ante aram flexis genibus studiosus invenit. Ingressus itaque, & cum eo turbæ multæ, non illum ideo cædere, aut in eum manus injicere ausi sunt, sed vigili servandum custodiæ loci hujus commendavere Primoribus*. Eadem Ciaconius, & Costus ad Collenutium scribunt. Fuit verò Bonifacii custodia Matthæi Anagnini liberis commendata: Ferretus nuperrimè laudatus: *Illum, ne per fugam evaderet, Matthæi natis duobus, ex prosapia nobiliori hujus patriæ, tradidit custodiendum, qui, ne offensam ullam pateretur, in tuto servavere solliciti*. Locum custodiæ, Cubiculum ipsum Pontificis fuisse Eberhardus docet: *Serra de Columna, & sui complices detinuerunt eundem Papam captum in camera sua*. Auctorem præter hæc habeo Nauclerum, Nogaretio quidem, & Sarræ in mandatis datum, ut si Pontificem caperent, eum ad Regem ducerent; sed sanctitate Pontificia deterritos, partim etiam Anagniensium occursu prohibitos, cœpto destitisse. Addit Mutius, non ausos longiùs ducere propter morbum, quo periculoso cœperat laborare. Abit nihilominus & ab his Vestmonasteriensis, Bonifacium per triduum in carcere custoditum tradens, cùm ante fuisset irreverenter, & atrocissimè deprædatus.

Multa quidem in illum convitia conjecisse Sarram, multisque minis illum rigidis exprobrasse: dein omnes, qui ob nefas perficiendum convenerant, prædonum more suppellectilem illius omnem diripuisse, Ferretus scripsit, cui Ciaconius hæret. Æmylius, quo se pacto Sarra cum Pontifice gesserit, & cum illo Pontifex, sic expressit: *Sarræ cum vociferatione irrumpenti; sed intra linguam sævienti, reticuit*. Intercessere tamen haud multò post inter utrumque colloquia mutua, & amica, se excusante, & veniam deposcente Sarra, quæ sanè colloquia videre juverit in Ferreto, si lucem aspexerit, quam meretur.

Nogaretii convitia non eadem apud omnes extant. Eberhardus talia fuisse narrat: *Tu, vilissime hæretice, modò tu es in potestate nostra, & de te, quidquid voluerimus, faciemus. Respondit Pontifex: Ego non sum hæreticus, sed pater tuus (avus* aliis) *fuit hæreticus, &, sicut constat, fuit etiam pro hæresi condemnatus*. Hocsemius ista: *Papa, fremitum audiens, timore commotus, ornamentis Papalibus infulatur. Ad quem prædictus Petrus accedens, jubet, ut cedat Papatui, alioquin imminere intimat sibi mortem. At Papa constanter maledixit eidem*. Æmylius solam responsionem Pontificis attulit in hæc verba: *Patienti animo feram, quod Sancto Pontifici Sylverio usuvenit. Avus verò tuus Albanæ impietatis convictus, condemnatusque, igne meritas scelerum pœnas Deo, Mortalibusque dedit, ne mireris, indebitas me impietati tuæ luere*. Subditque Nogaretium his auditis ferocia posita discessisse. Ciaconius ad Æmylii ductum responsionem eandem literis ita consignatum iit: *Patienter feram, quidquid in me catholicum, & legitimum Pontificem, & Christi Vicarium iniquè agent Hæretici, & Patarenl*. At hæc quoque patientia a Bonifacii responsis exulat in aliorum scriptis. Quamobrem sic in Appendice Poloni lego: *Dicitur* (Bonifacius) *maledixisse Regi Francorum, quo procurante capiebatur, usque in quartam generationem*. Et in Argentinensi: *Tentus, nec dum illos* (Columnenses) *absolvere voluit; imò ampliùs maledixit*.

Qua verò ratione totum illud triduum transegerit, quo penes custodes fuit, hisce verbis Hocsemius indicabit: *Cùmque timore veneni triduò jejunasset, quidam de suis cocta sibi porrigit ova tria, quæ propter testarum integritatem veneni suspicione carebant. Cui Papa, quasi alienatus. Talia, inquit, prandia tibi consuevimus ministrare*. Quin ipsemet Pontifex in fine Sermonis, quem habuit ad Anagninos, à quibus libertatem acceperat, ut apud VValsinghamum extat; sic enim sermonem illum absolvit: *Boni homines, & mulieres, constat vobis, qualiter inimici mei venerunt, & abstulerunt omnia bona mea, & non tantùm mea; sed etiam omnia bona Ecclesiæ, & me ita pauperem, sicut Job fuerat, dimiserunt. Propter quod dico vobis veraciter, quod nihil habeo ad comedendum, vel bibendum, & jejunus remansi usque ad præsens*. Quid Sarra tum pariter egerit idem aperit VValsinghamus: *Remansit autem Papa, & Nepotes sui sub custodia militum, & custodum Sciarræ usque in diem tertium. Medio tempore Sciarra tractavit cum suis, quomodo Papam morti*

morti traderet, vel mitteret ad Regem Franciæ corpus ejus. De jejunio Bonifacii locutus etiam Eberhardus; sed ejus aliò relata caussa. Siquidem ita se illius, habent. *Sarra de Columna, & sui complices, detinuerunt eundem Papam captum in camera sua per tres dies sinè cibo, & potu, & totum thesaurum Ecclesiæ abstulerunt.* Quorsum igitur scriptum reliquerit Vesmonasteriensis, *Bonifacium spoliatum bonis suis omnibus in carcere fuisse per triduum custoditum*, viderint alii, cùm Anagninos libertatis Bonifacio redditæ auctores unà cum Villano disertè faciant Vecerius, Palmerius, Hocsemius, Appendix Archiepiscopi Consentini, Magni Chronici Belgici Concinnator, VValsinghamus, Æmylius, alii. Eique facto Ciaconius *Lunæ diem ad V. Id. Septembris*, assignet, ejusdemque caussam, & originem, non tam è mirabili Dei providentia, ingrati cordis duritiem ab Anagnino populo amovente, cùm nemo esset, qui eam rem procuraret, ut Villanus ait, quàm è Columnensium sævitia, & rapacitate ducat. Verùm enim verò Ferretus, in facti caussa diversa planè consignata literis transmisit ad posteros, cùm scripsit, Anagninos partim ad id agendum à Marchione, nepote Pontificis, excitatos, amici veteris opera, qui populi multitudinem ad arma sumenda compulerit sermonibus animosis: partim à Luca Januensi, qui Bonifacio fidus semper comes affuerat, violentos Regis prædones ex Anagnia viribus expellente, quam ob caussam, liberatum illum rectè dixisse videatur Langius *per amicos*. Agnovit se quoque deceptum Anagniæ populus, ut Hocsemius habet, ob idque *pœnitens* (ut cum illo loquar) *quamvis tardè, clamare, moriantur Columnenses, & Francigenæ incœperunt, addentes continuò, Papa vivat*. Cæterùm ad decem millia populi Pontificis comprehensi palatium irruisse traduntur, eumque, pulsis, & peremptis custodibus, liberasse, si vera VValsinghamus tradit, captique tum Rainaldus, & filius: Nogaretius gravi vulnere saucius in fugam versus, vexilla Pulchri disjecta, perque terram tracta: Nepotes ipsi Pontificis, qui in Matthiæ ædibus capti erant, vindicati, Ciaconio teste. Romanos etiam, Bonifacii calamitate cognita, arma pro illius liberatione sumpsisse, traditum ab eodem, cui Bzovius sic subscribit, ut quadringentos ad illum cives Romanos equites, ducibus Matthæo, & Jacobo de Ursinis, convolasse narret, quibus stipatus redierit Romam. Quin ab Argentinensi scriptum, solos per Romanos libertatem Bonifacio redditam, quam ob caussam in Anagniæ egressu sic illam fuerit allocutus: *Si non meminero tui, oblivioni detur dextera mea.* Sed enim his quoque validè refragantur, quæ prodidit VValsinghamus. *Tandem pæne fame necarunt, donec eum populus Anagniæ, ut præmittitur, liberasset. Sciarra verò, propter id offensis villæ Communibus, cum exercitu de villa recessit. Tunc populus fecit Papam deportari in magnam plateam, ubi propè lacbrimando populo prædicavit, inter omnia gratias agens Deo, & populo Anagnino de vita sua.* Quamquam Anagniæ res in pejus ruisse semper à Bonifacio capto, quòd eo se gravissimo scelere devinxisset, Alexander Bononiensis in descriptione Latii, Mansonus in Bonifacio ipso, & ex utrisque Bzovius ad an. MCCCIII. Num. IX. luculenter admodum indicarint. Diem quod attinet, reditus Bonifacii Romam, Ferretus nobis illum, aperuit hisce verbis: *Tertia die, Lucas Januensis, qui Bonifacio fidus semper comes affuerat, in populo tumultum excitans, violentos Regis prædones ex Anagnia viribus expulit, sicque Papam tutum diebus octo servavit. Octava verò die, Papa excandescens summa iracundia, ut tutiùs imperaret, ad Urbem, comitantibus multis per dietas tres, vehiculo impositus, tandem se corripuit. Quod Ursinorum primi, Matthæus & Jacobus, præscientes, ne hostis Urbem intraret, neve Bonifacius de ipsis malè conciperet, magna virorum copia fulti, obviam exierunt, & Apostolicum adventantem inter se capientes, illum ad Sedem juxta templum Apostolorum magno impetu perduxere.* Et hæc sanè, multa licet, placuit attulisse, quòd, non tam Bzovii fidem in dubium vocent, qua Matthæum, & Jacobum de Ursinis in auxilium Bonifacii Pontificis Anagniam properasse narrat, sed & ipsi Laurentio de Monacis adversentur, tradenti liquidò, Matthæum de Ursinis unà cum Sarra de Columna Anagniam per insidias ingressum esse, morique comprehensum Pontificem coegisse: & aliis, Urspergensi potissimùm, Carrioni, & Langio, disertè testantibus, Bonifacium Anagniæ captum à Sarra Columnio, carceri subinde traditum ab eodem, in quo vita tandem excesserit: etsi Langius haud multò post, quasi palinodiam canens, eundem post paucos dies per amicos eductum de carcere memoret, & deductum Romam: Joanni Trithemio demum in Hirsaugiensi Chronico ad annum MCCCIII. Supplementi Auctori ad MCCXCIV. Blondo Dec. II. Lib. IX. Platinæ in Pontificibus Romanis, Stellæ in iisdem, Mutio Lib. XXII. Chron. Germanorum, Genebrardo, Costo, Tursellino, aliis, fatentibus liberè, Bonifacium vinctum ductum Romam, ibique mancipatum carceri defecisse.

Quæ dixerit, simul ac Romanos alloquendi facultatem habuit, Anagnia redux, Ferretus modò laudatus dedit una cum ejusdem gestis usque ad occasum vitæ, quem adiit brevi dierum aliquot intervallo, ut indicat Epistola, *Flagitiosum scelus*, cujus meminit Eberhardus, & Scriptores omnes, inter se diversi tantùm in assignando spatio temporis, quod inter diem captionis illius, & obitus intercessit, tradente Supplementi Scriptore, & ex illo Blondo; decessisse Bonifacium *quarto & vigesimo* post captionem *die*: Appendice verò Poloni, & Mutii Chronico *trigesimo*, sive *post mensem unum*: aliis demum omnibus, quos inspexerim, *V. Id. Octobris, die* nempe *quinto & trigesimo* cum Villano. Ejus quoque mortis caussæ ab aliis aliæ memorantur. Nimirum illam *mœrori animi* referunt in acceptum Vecerius, Platina, Appendix Archiepiscopi Consentini, Magni Chron. Belgici Concinnator, Vestmonasteriensis, Palmerius, Massæus, Langius, Tursellinus, Costus: Montortinense Chronicum *mœrori*, & *timori* simul: *mœrori, timori, & fami* VValsinghamus: *furori verò denique* Argentinensis, Hocsemius, Anonymus rerum in Hetruria gestarum Scriptor ab anno MCCC. usque ad MCCCXLVIII. laudatus à Costo, Bochellus, Massonus, & alii, quos ire per hunc callem juvit. Ea re Blondus, cùm videret adeò variè mortis ejus Pontificis caussam, & genus tradi, non nisi violentam fuisse ut crederet, inclinavit animo, nec alia prodiderat Chronicum Supplementum, quod Stella, suam uti Cynosuram spectat. Cæterùm, quæ Ferretus de morte Bonifacii scripsit, planè singularia sunt, eum nempe Pontificem, cùm sibi vim inferri cerneret à Neapoleone de Castello, Sarræ Columnii duce, per quam, vellet nollet, cogeretur Sarram ipsum, & Columnenses reliquos diris innexos exolvere, aut certo certiùs sciret, ademptam sibi facultatem omnem adeundi Lateranensem ædem, quam voto suæ salutis aptissimam judicarat, in adeò præcipitem insaniam delapsum esse, ut & sibi manuum extrema corroserit, & furenti similis, invocato Dæmone, capiteque parieti frequenter illiso, inter thorum & stramen obierit suffocatus. Hæc illo tum vivens, & plura, quibus non invitus parco, faceretque dictis illius ex parte fidem quod Argentinensis scripsit, *Bonifacium*, scilicet, *vel Anagniæ captum, sibi corrosisse manus*: & vulgò jactatum in eundem illud: *Intravit ut Vulpes, vixit ut Leo, mortuus est ut Canis*, quod ita circumlatum quoque fuisse carmine deprehendi:

Ingreditur Vulpes, regnat Leo, sed Canis exit.
Re tandem vera, si sic fuit ecce Chimæra.

Et alias ad hunc modum,

Vulpes intravit, tamquam Leo pontificavit,
Exiit utque Canis, de divite factus inanis.

Nisi aperto Bonifacii sepulchro (quod factum anno MDCV. cùm antiquior D. Petri Basilica, jussu Pauli V. Pont. Max. novæ construendæ gratia, diruta est, & aliò translatæ sunt Rom. Pontificum sepulturæ) repertum Corpus ejus fuisset integrum adeò, & incorruptum, ut in illo sola nasi pars extrema desideraretur; manus verò adeò extuberantes & vividæ, fuisque cum digitis omnibus, nullibi vitiatis, ut in iis vel tum apparerent venæ ipsæ, ac nervi, pelle, & carnibus adoperti. Ita nempe se rem illam habuisse docent ejus aperitionis

Acta,

Acta, quæ Bzovius edidit ad annum MCCCIII. Num. VIII. Col. 49. & Epitaphium ejusdem Pontificis arcæ novæ verbis istis insculptum à Ducibus Cajetanis,

I H S.

CORPUS BONIFACII VIII. CAJETANI PONT. MAX. EX VETERI IN NOVAM BASILICAM TRANSLATUM, HIC REPOSITUM JACET. DE QUO ILLUD MEMORABILE ACCIDIT, QUOD EODEM DIE, QUO OBIIT, QUINTO SCILICET IDUS OCTOBRIS, JAM INDE TRECENTUM, ET DUOBUS ELAPSIS ANNIS, INTEGRUM, ATQUE INCORRUPTUM REPERTUM FUIT. AN. DOMINI MDCV.

At enim Petrarchæ verba de hoc ipso Pontifice juvat etiam hic afferre ex libro de Otio Religiosorum. *Ubi nunc est Bonifacius Octavus, Romanus Pontifex, verus populorum, & Regum, atque (ut dicitur) Orbis stupor?* Quò respiciens Langius: *Leonina mente magis tyrannizans, quàm papisans; universo Orbi metum sui, & terrorem incutere moliebatur. Quare per quendam stupor Mundi appellatur in carmine*, quod quidem, *in carmine*, non ferendum nisi alium respiciat Langius à Petrarcha, cùm in laudato Petrarchæ libro, oratione soluta, non vincta, *stupor Orbis* Bonifacius audiat, ut apparet. Massonus etiam oculos huc intendit, cùm scripsit. *Bonifacius tanta non partarum opum congerie; sed ab exteris hominibus in urbem allatarum audacior factus splendebat in Italia, cæterisque provinciis, eratque Regum terror, utar enim verbo Petrarchæ, aut Benevenuti Bononiensis, cui Petrarcha scribit, qui Bonifacium tyrannum Sacerdotum vocat.* Ut ut ista sint, sic ille moriens, ut ostensum, exemplum cunctis Prælatis dedit, ne alta sapiant; sed forma facti gregis, ex animo curam gerere subditorum, plusque amari appetant, quam timeri, ut est in Fasciculo temporum, quem habens in manibus Tursellinus dixit. *Exitus hic utique Pontificali fastigio indignus; etsi dignus alicui videri fortasse possit eo Pontifice, qui Regibus terrori, quàm venerationi, esse mallet.*

Indoluit itaque Bonifacii morte, vel ejus capitalis hostis Sarra, Ferreto teste, ac ne dolis comprehensus pœnas admissi sceleris pendere cogeretur, aliò procul abiit, ubi securus esset. Lætatus è contra Philippus Galliæ Rex, vexillum suum præ foribus ejus appendi per triduum jussit, partæ sibi victoriæ monumentum, ut Annales Colmariensium Dominicanorum habent, quos hic corrigas licèt in nomine *Ludovici Galliarum Regis*, pro quo *Philippum* reponendum liquet. Verùm enim verò tum Morianensis Episcopus (*Ausoneusis* aliis) vir sanctitate inclytus, vaticinatus dicitur, pestiferum id gaudium Franco Regi futurum, quippe imminere ipsi, sobolique ejus, ingentes clades, ac dedecora ab irato Deo, cujus Vicarium tam atroci injuria deformasset. Adeantur hac in parte Villanus, Ciaconius, Eberhardus, alii. Mihi nempe satis, ac super de Bonifacio dictum, deque primordiis ejus litis, cujus hic meminit Albertinus. Progressum nunc ejusdem, & exitum sub proximè consequutis Pontificibus ordine videamus.

Successit *Bonifacio Benedictus Undecimus*, planè vir probus, & Pontificiæ dignitatis fastigio dignus, quem ipsemet Bonifacius de Ordine Fratrum Prædicatorum, cujus Magister erat, assumptum, fecerat Episcopum Ostiensem. Damnavit is inito Pontificatu statim spoliatores, & percussores decessoris sui, cùm ante commissum in illum memoratum abominabile facinus publicè deplorasset, quod ita Vesmonasteriensis suis in Floribus historicis exaravit. *Anno gratiæ 1304. Papa Benedictus, dum apud Perusium verbum Dei populo prædicaret, inter cætera deploravit abominabile exitium in Vicarium Jesu Christi, & Petri commissum. Nec tantum casum personæ deflevit, quin imò ipsum Christum à militibus Pilati iterum spoliari asserens, captum, damnandum, & tanquam remortuum planxit in carcere, velut in sepulcro, triduò à militibus custoditum. Nam, ut dicit Apostolus, Christus resurgens à mortuis jam non moritur, &c. verùm est in carne jam glorificata; sed, sicut dixit Dominus Jesus Christus Petro interroganti: Domine quò vadis? ait. Venio Romam iterum crucifigi. Intellexit hoc Petrus de sua dictum passione, quod in ea Dominus esset passurus, qui patitur in Sanctis misericordiæ pietate. Et sicut idem alio loco dicit. Quod uni ex minimis meis fecistis, sive honoris, sive dedecoris, hoc noveritis me passurum. Cùmque hæc, & plura his similia de occasu Papæ Bonifacii recitaret, spoliatores ejus, vel omnes ipsis assentientes, vel qui hujus conscii* (adde *facinoris*) *extitere, duplici contritione anathematis irretivit. Insistens, & immoratus quamplurimum huic verbo. Si quidem in viridi ligno hæc fecerunt, in arido quid facturi sunt?* Hæc ille, quibus his aliis accinit Æmylius in Philippo Pulchro. *Novus Pontifex Longaretum, & Sarram, & qui Anagninorum cum eis senserant, cùm die dicta non adessent, absentes Sacræ Majestatis, parricidiique damnatos, execratus est.* Idemque sanè ante multò Platina scripserat. *Inito Pontificatu Nogaretum, & Sciarram, omnesque Anagninos cum his in capiendo Bonifacio sentientes, & citatos antea ad judicium, nec apparentes, graviori anathemate notat.* Et ex eo Nauclerus. *Nogaretium, & Sarram, omnesque Anagninos, cum his in capiendo Bonifacio sentientes, citatos ad judicium, nec comparentes graviori anathemate notavit.* Et utroque antiquior Auctor Appendicis adjectæ Supputationibus Archiepiscopi Consentini, in Benedicto ipso. *Hic denunciavit publicè excommunicatos generaliter authores sceleris Bonifacii prædecessoris sui; & nominatim Guilielmum de Nogareto, & Sciarram de Colona, cum quibusdam aliis.* Et adhuc illo uberiùs Florentinus apud Magni Chron. Belgici Conditorem in Romanis anni MCCCIV. *Benedictus Papa denuntiavit excommunicatos publicè, & in scriptis, auctores scelerum, & captionis prædecessoris sui Bonifacii Papæ Octavi nominatim, & expressè, videlicet Vilhelmum de Nogareto, Sciarram de Columna, & quosdam alios nominatim, & generaliter omnes alios complices captionis ejusdem, quam ipse Benedictus viderat fide oculata.* Ea re Vincentius in Historiali Speculo ex Blondi Dec. II. Lib. IX. quinque tantùm è civibus Anagninis una cum Gulielmo excommunicatos tradit, tradentibus aliis, & in his Ciaconio, *Anagninos omnes, & Campanos, & cum his in captione Bonifacii sentientes, citatos antea ad judicium, nec comparentes*, fuisse tum Benedicti fulmine de cœlo Vaticani tactos. Accedit Ciaconio Bzovius, omnes ejus tragœdiæ actores anathemate gravissimo fixis ad ostia Basilicæ Lateranensis literis, damnatos scribens, & hosce cum primis, quos nominat ex Ep. & Proces. Perusii habito VII. Idus Junii anni 1304. *Guilelmum de Nogareto, Reginaldum de Supino, Thomam de Morollo, Robertum filium Reginaldi, Petrum de Genuazano. Stephanum ejus filium, Adenulphum, & Nicolaum natos quondam Matthiæ, Gyffridum Bussam, Orlandum, & Petrum de Luparia cives Anagninos milites, Sciarram de Columna, Joannem filium Landulphi, Gotthfredum natum Joannis de Ceccano, Maximum de Trebiis*, & alios omnes, qui in Bonifacio capiendo consenserant cum iisdem. Chronici Supplementi Scriptor huc etiam advocat auctores mortis. *Pontificatu inito, eos omnes sacris mysteriis statim abdicavit, quos auctores esse constabat, ut Bonifacius prædecessor suus moreretur.*

Quod attinet ad *Galliarum Regem*, reddidit illum Ecclesiæ sacris Benedictus, & interdicto Bonifaciano solvit. Consentiunt hac in parte Scriptores omnes. Platina. *Cognita Regis Philippi causa, hominem Bonifacii censuris irretitum absolvit.* Nauclerus ex Villani Lib. VIII. Cap. LXVI. *Subitò post coronationem suam ad pacem ubique componendam animum suum adjecit, unde & Regem Franciæ Ecclesiæ reconciliavit.* Joannes Marius. *Benedictus vir pacificus, & in omnibus actionibus antecessore suo melior, ac remissior. Nam Philippum Pulchrum ab anathemate, quo eum Bonifacius VIII. notarat, absolvit.* Æmylius. *Regem Francum per Oratores purgantem se, nihilque durius statuisse se, cogitasseve in Bonifacium, quàm ut Concilium appellaret, nec se authore vim factam contendentem, Ecclesiæ sacræ reconciliavit, Franciamque interdicto solvit.* Imò nec petentem absol-

absolvisse VValsinghamus asseruit hisce verbis. *Papa Benedictus per idem tempus considerans pium esse etiam ovem errantem, licèt invitam, perducere ad ovile, Regem Francorum, non petentem, à sententia excommunicationis, per decessorem suum lata in eum, absolvit.* Verùm enim verò præter Æmylium, petitam per Oratores Regios absolutionem Pulchri, Scriptorum alii tradidere, & in his Bernardus, & Ciaconius, quos audies infra. Restituit tum etiam Philippum Benedictus Regno, quod Alberto Imperatori subjectum fuerat ab Octavo, quò respiciens Chron. Suppl. Auctor de Benedicto scripsit: *Regem ab illo Franciæ ad dignitatem pristinam restitutum*: Et in Fasciculo temporum RolevvinK Æt. VI. Blondus Dec. II. Lib. IX. & Vincentius in Historiali Speculo: *eidem Regi titulum, libertates, & privilegia, quæ Bonifacius abstulerat, omnia restituta.* Ea verò res Perusii gesta, hebdomada Pentecostes. Bernhardus apud Magni Chron. Belgici Conditorem in Romanis anni 1304. pag. mihi 280. *Anno Dom. MCCCIV. post Pascha Benedictus Papa recedit de Roma, & vadit Perusium cum Curia sua. Iste quoque Benedictus Papa simultatem, & dissidium, quæ suborta fuerant inter Regem Franciæ Philippum, & Bonifacium Papam, sedavit: & privilegia, & libertates, quibus Regem privaverat Bonifacius, prædecessor suus, eidem Regi restituit, & concessit, sicut antiquitus, in hebdomada Pentecostes, præsentibus Regis nuntiis, Perusii in Concistorio, anno Domini prætaxato.* Quæ totidem quoque verbis legi in Appendice adjecta Supputationibus Archiepiscopi Consentini, & in Massæo breviùs in hæc verba: *Benedictus Philippum absolvit ab anathemate Bonifacii in hebdomada Pentecostes apud Perusium, ubi & obiit Non. Julii.* Et in horum Epitomatore Ciaconio, qui confecta dictorum propemodum omnium hac in parte summa: *Regis*, inquit, *Francorum causa cognita, & per literas, & nuntios informatus, eum Bonifacii censuris Sedis Apostolicæ mulctatum publico in Consistorio, præsentibus ejus Oratoribus absolvit.* Cùm igitur Vecerius scripsit in Henrico VII. *Philippum exolutum fuisse censuris, quibus eum Bonifacius nexuerat, à Clemente V.* id eo fine scripsisse putandus est, quòd Philippus ipse exolutus à Benedicto priùs, pleniùs iterum exolvi voluerit à Clemente V. Nimirum inter ea, quæ Philippus à Clemente V. petierat, antequam illi Pontificatus honorem Maximi procuraret, primùm id fuit, ut ampliorem sibi veniam capti Bonifacii, læsæque Pontificiæ Majestatis indulgeret, ut apparebit infra. Rescidit denique Benedictus Pontifex, quæcumque Bonifacius egerat in Philippum, Massono teste. *Bonifacio Benedictus successit, in Philippum clementior Pontifex. Solvit enim interdictum, & decessoris in illum sui acta rescidit.* Moderatusque cum primis est Constitutionem, cujus erat initium, *Super Cathedram*, per aliam, *Inter cunctas*. Recepit itidem in gratiam Cardinales Columnenses duos, Jacobum & Petrum, & ad unitatem Ecclesiæ revocavit, restitutis iisdem bonis omnibus, præter galerum rubrum. Æmilius. *Petrum, & Jacobum, expertes se ejus sceleris edocentes, in gratiam recepit; ex sanctione tamen Bonifacii rubro pileo uti vetuit, haud dubiè Bonifacii apud eum memoria sancta, & actorum approbatione.* Et Æmylio vetustior VValsinghamus. *Columnenses, mortuo Papa Bonifacio, de suis egressi latibulis, ad Papam Benedictum venerunt, misericordiam implorantes, quos ille benignè suscipiens, absolvit, ac bonorum suorum tribuit facultatem; sed eos ad gradum Cardinalatus tam subitò restituere non decrevit.* Et Platina, corrigendus in *Joannis* nomine, pro quo *Petri* nomen fuerat afferendum. *In gratiam præterea recepit Joannem, & Jacobum Cardinales Columnenses, quos ingenti odio Bonifacius, factionis Guelphæ studiosus, plusquam Pontificem decebat, persecutus fuerat. His quoque bona restitut; à galero tamen rubro, quo à Bonifacio privati fuerant, sed breve tempus* (corrigendus & hic Platina, legendumque cum Nauclero, *ad breve tempus*) *abstinere sunt jussi.* Sed in Blondo pariter primus error, *Petrique* locum *Joannes* obtinet manifesto mendo. *Gulielmum cum quinque Civibus Ananinis excommunicatos pronuntians, eadem actione Joannem* (lege *Petrum*) *& Jacobum Cardinales, tamquam injustè damnatos, ad dignitates, patrimoniique, & beneficiorum possessionem ea restituit conditione, ut capello, Cardinalatus insigni, aliquandiu abstinerent.* Tale quoque mendum in Auctore Suppl. Chronicorum, Nauclero, Vincentio, Langio, aliisque nonnullis, & indubiè palmare mendum. Clarè quippe Florentinus apud Magni Chron. Belgici Conditorem, Appendix adjecta Supputationibus Archiepiscopi Consentini, Hocsemius in Theobaldo de Barro, Massonus in Bonifacio VIII. ipsaque cum primis Bonifacii Constitutio, qua Cardinales istos privavit pileis, & uti schismaticos, blasphemos, & hæreticos condemnavit, ut habetur Lib. VI. de Schismaticis: nec non & Reconciliationis eorumdem forma, quam edidit Bzovius ad an. MCCCIV. Num. III. non alios è Columniis Cardinalitia dignitate tunc temporis spoliatos agnoscunt, quàm *Jacobum*, & *Petrum*. Ea re Ciaconius pro *Joanne*, qui Platinæ verbis istis insederat: *in gratiam præterea recepit Joannem, & Jacobum Cardinales Columnenses, &c. Petrum* substituit non gravatè, ut inde removeret gravissimum mendum, scripsitque *in gratiam itidem Petrum, & Jacobum Cardinales Columnenses recepit.* Origo porrò talis, ac tanti mendi ex eo, quòd una cum Cardinalibus Columniis duobus, *Jacobo*, & *Petro*, Joannes etiam gentis ejusdem primas, Sacris, & Ecclesiæ redditus à Benedicto, quemadmodum ex laudata Reconciliationis illorum forma manifestò liquet. At enim longè gravius in mendum incidit Langius, qua parte prodidit, *Cardinales Columnios à Benedicto Pont. restitutos in dignitatem omnem.* Si quidem enim illis denegata Cardinalitia dignitas, qua privati fuerant ab Octavo, ex aliorum, quot quot ante produximus, Historicorum veterum, & recentum fide: quei fieri potuisse credamus, ut in omnem dignitatem fuerint restituti? Juvit hæc obiter observasse, ne Scriptores legisse tantùm existimer; sed & suis inter legendum momentis, & ponderibus expendisse, qui verus est fructus, & solidus lectionis omnis. Pari fine placet adjicere, quæ de Columnensium restitutione Massonus attulit in Benedicto ipso. Nimirum nec intelligendus ille de Columnensibus omnibus, cùm asserit receptos illos in Sedis Apostolicæ gratiam; sed de *Petro Columnensi* potissimùm, & *Jacobo*: nec utique spernenda cætera, quæ subnectit. *Cæterum à Benedicto error Bonifacii decessoris statim agnitus est, qui Columnas, & Regem Francorum ab Apostolica Sede abalienasset. Itaque illos restituit in gratiam, edita ob id Constitutione, quæ extat, revocans Bonifacii decessoris contrariam, planèque pugnantem, quamquam incertum, metune id fecerit, an exempto alienæ sortis, ut qui Bonifacii calamitatem repentinam viderat, similes à se ærumnas avertere cuperet, magnum telum ad res bene gerendas existimans benevolentiam Principum.* Hæc in Bonifaciana causa Benedictus. Siquidem non multò post veneno sublatus est, octavo nempe mense Pontificatus sui, die decimo quinto, ingenti post se relicta sanctitatis fama, quam & miraculis, per illum editis, illustravit Deus. Ita quippe vixerat (testimonio Platinæ) ut post mortem inter Beatos meritò censeatur. Nec latebunt, nostra qui legerint, veneni tanto Pontifici præbiti auctores. Optimum enim religiosissimumque Pontificem Cardinales nescio qui, cur enim nomina eorum ab Historicis omissa sunt, nec omni probo, ut æquum erat, denotata? Sed, ut verisimile videtur, gentiles Bonifacii, qui tunc multum poterant, & hunc oderant, fortasse propter Bonifacii hostes restitutos in gratiam, viventem diu ferre non poterant. Cùmque Perusii, non procul a Lacu Trasimeno, ubi Annibal Romanos olim vicit, vir pius mensæ accumberet, juvenis quidam, mentitus fœminam se esse, & ancillam Abbatissæ Virginum D. Petronillæ, triclinium ingressus est cum argenteo vase, ficus in eo recentes, variis florum generibus intermixtis, afferens, quos cùm illi protinus obtulisset, avidè comedit, nihil eis mali subesse ratus, licèt intermixtum venenum esset. His artibus Benedictum miserrimo fato sublatum Villanus Lib. VIII. Capit. LXXX. Massonus, Ciaconius, Bzovius, & alii tradunt, etsi

nulla in aliquibus mentio florum occurrat; sed ficuum tantùm. Placet nihilominus aliis, venenum per Pincernam Benedicto Pontifici mixtum, eorum hortatu solùm, quos anathemate graviori percusserat ob Bonifacium captum, Nogareti cum primis, & Sarræ, qui vocati renuerant apparere. Ita clarè prorsus, & antiquè Vesmonasteriensis, post allata superiùs ex eodem in primis Benedicti gestis: *Cùmque fulgor, & coruscationes divinæ ultionis flagitiosos viros inopinatè occupare assereret, & se ad hoc electum, & in cathedra Seniorum collocatum, ut annuntiaret populo scelera eorum, diceret ut resipiscerent satisfaciendo de commissis commonuit, alioquin ad radicem maledictionis, & stirpis pestiferæ securim amputationis, & evulsionis se positurum necessariò, & quàm citiùs præconizat. Hujuscemodi igitur interminationibus exterriti Viri venefici cum alio Caipha captantes consilium, expedire, quòd unus homo moreretur, quàm tota gens, vel Tribus Columnensium deleretur, corrupto per pecuniam Pincerna Domini Papæ, impotionatus non post dies quindecim supervixit.* Hæc mihi de Benedicti morte non animadversa reliquis, aut certè dissimilia traditis ab iisdem, Vesmonasteriensis suis in Floribus historicis exhibebat.

Progredior hinc ad extremum actum Bonifacianæ litis sub Clemente V. Vacavit Benedicto XI. Cælitibus adjuncto Petri Sedes diu propter dissidia partium tum exorta inter Purpuratos Patres. Gallici quippe generis Cardinales permultum & numero, & authoritate valebant: Italici contra & sui memores erant, & vereri poterant, quod usuvenit. Alterum jam annum illud interregnum tenuit, partis unius principibus Matthæo Rubeo, & Francisco Gajetano nepote Bonifacii ex fratre; alterius Neapoleone Ursino, & Pratensi simul. Hi familiæ Columnensium, & Philippo Regi favebant: illi amantiores Italici nominis, & rerum suarum erant. Nono tandem mense, postquam inclusi fuerant, convenit, ut Matthæi factio tres Gallos idoneos ad Pontificatum homines nominaret, modò in illis nemo numeraretur actorum Bonifacii adversarius, è quibus altera pars, infra XL. diem, unum eligeret, quem liberet. Data, acceptaque utrinque fide, Matthæus tres Archiepiscopos Gallici generis, quos Bonifacius creaverat, quique Pulchrum oderant, nominavit. Erat in illo numero Bertrandus (*Raimondus* aliis) Gortus, Archiepiscopus Burdegalensis alieno prorsus animo à Galliarum Rege, propter vexatos Aquitanici belli caussa à Carolo Valesio illius fratre propinquos, & agnatos suos. Hunc, etsi ita res habebat, Pratensis nominandum duxerat, quòd facillimum Regi futurum esset hominis ambitiosi, spe Pontificatus oblata, gratiam adipisci. Quare clam pacta partium, & literas statim ad Pulchrum misit, quibus XI. post die acceptis, rogabatur, ut si decus suum, & Columnensium nomen amaret, Bertrandum Archiepiscopum Burdegalensem quamprimum ex inimico amicum faceret, quem norat à contraria Cardinalium parte Pontificem electum iri propter odium, quo illum prosequi credebatur. Philippus, nil cunctandum ratus, per expeditos nuntios Bertrandum accersit, rogatque ut sibi in Santonibus ad Angelinam oppidum occurrat, se cum eo de re ambobus utili, & necessaria loquuturum esse. Affuit Bertrandus ad VI. diem, statimque Pulcher, productis Pratensis epistolis, sua in potestate sita esse Papalia comitia edocet, seque daturum operam, ut is Summum in Pontificem evehatur, modò fidem ille sibi vicissim obliget suam de postulatis suis aliquot minimè negligendis, simul atque fuerit in Petri sublimi solio collocatus. Bertrandus nihil minùs, quam quæ sibi dicerentur, vel sperans vel cogitans, illudique sibi existimans, cunctari primùm; mox ubi seriò Regem agere deprehendit, actis in præsens gratiis, odio in amorem verso, Regi procubuit ad pedes, seque ei perpetuò amicum, atque adeò obsequentem fore ostendit. Jussum surgere osculatus Pulcher, capita, quæ sequuntur, ab illo stipulatus est.

I. Ut ampliorem ille sibi veniam capti Bonifacii, læsæque Pontificiæ Majestatis indulgeret.

II. Ut socii, & fautores, quos habuisset, restituerentur in gratiam.

III. Ut decimas in annos quinque exigere permitteretur.

IV. Ut Pontifex Bonifacii memoriam damnaret.

V. Ut Jacobum, & Petrum Columnios Cardinales pristino honori restitueret: & ex amicis regiis aliquot Cardinales crearet.

Sextum caput loco, & tempore se dicturum promisit. Bertrandus hæc jurejurando pollicitus, obsides præterea dedit fratrem, & nepotes duos, quos Rex ipse Lutetiam secum adduxit, ac per fidelissimum nuntium literas ad partem Cardinalium sibi faventem misit, quibus significabat, ut Bertrandum eligerent. Ita Gallicis Patribus nomen ejus edentibus, recipientibus Italis, consentientibus omnium animis electus est in Pontificem Summum Burdegalensis Antistes Non. Julii 1305. *Clementisque* nomine voluit in posterum appellari. Habet hæc Villanus Lib. VIII. Cap. LXXX. placuitque in illius ire sententiam Æmylio, Ciaconio, Bzovio, & Massono.

Caput autem illud regiæ petitionis ultimum, quod Pulcher se loco, & tempore proditurum dixerat, ne quem ampliùs lateat, fuit, *de Carolo Valesio fratre ad Romanorum Imperium evehendo*, ita me docente Vecerio in Henrici VII. vita. *Anno à Christo nato MCCCVIII. Rege Romanorum Alberto per insidias nepotis occiso, nuntiatum est, Principes, quorum legendi Cæsaris jus est, de sufficiendo Imperatore parum conventuros. Philippus discordiam Germanorum cœptis suis optimè conducturam existimans, secretiorum modò consiliorum arbitros coire jussos, de nova dispositione interrogat. Venisse aliquando tempus suo quoque seculo exornandi Regni Gallici: sextum antea postulatorum caput, quod ad eum diem consultò noluisset Clementi prodere, id verò nunc expromere statuisse, de Carolo fratre substituendo in Imperium, deque ea dignitate per Senatusconsultum in perpetuum transponenda in Galliam.* Hæc Vecerius, qui & caussam subjicit petitionis ejus eatenus occultatæ, rursumque post aliqua verbis hisce referat arcanum idem: *De consilii sententia decretum fit, ut & Philippus, & Carolus primo quoque tempore, ante etiam, quàm Germani irent in suffragium, Clementem numeroso comitatu adeant, rumore quidem dispersо, quasi ad persequendam Bonifacii criminationem veniant: re vera autem, ut protinus quàm Avenionem ierint, Pontificem de sexta, & ad id tempus ignota petitione, commonefaciant. Eam occultationem nihil fuisse aliud, quàm de Imperatorio apice publicè transponendo in Celtas. Abdere verò rem placuisse eatenus, quam apud Bonifacium quoque tentavisset, ut ne vivum regnantemque Albertum affecisse videretur injuria.* Inde Massonus in Philippo Pulchro, de Cæsaris Henrici VII. electione loquens: *De Alberto Cæsare supra diximus. Illo mortuo Philippus Carolum fratrem ad Imperatorium honorem evehi cupiebat, ut Imperium à Germanis ad Gallos transiret. Clemens Avenione erat, ejusque auctoritate uti in ea re oportebat, ut Electores id facere juberentur. Rex ad sex equitum millia convenire jubet, Avenionem profecturus tanto comitatu, ut Pontifex, & Cardinales assentiri petitioni suæ cogerentur. Hoc enim esse sextum caput conventionum inter se, & Pontificem, quod implendum adhuc restaret.* Et Ciaconius in Clemente ipso respiciens ad hoc postulatum Pulchri. *Sextum arduum, & difficile opportuno tempore aperiendum rejicio. Hoc translationem Imperii è Germanis ad Gallos fuisse multi opinati sunt.* Et infra ad an. 1308. *Philippus Francorum Rex Alberti morte, & Electorum discordia in novo Cæsare deligendo cognita, Pontificem cum magno exercitu adire constituit, ut sexto postulato exposito, ab eo extorqueret, ut fratrem Carolum Valesium Romanum Cæsarem designaret, Imperiumque à Germanis ad Gallos transiret, quod antiquitus à Gallis ad Germanos translatum fuerat.*

Ea re, statim atque Pontificatum adeptus est Clemens, promissorum memor, Philippo tria pactionis suæ capita servavit, Rege ampliori venia donato, quod erat postulatorum primum: amicis ejusdem, fautoribus, sociis restitutis, quod locum postulato primo proximum obtinebat: Cardinalibusque duodecim creatis, qui Galli, Regiique ministri, aut amici erant, quod quinto loco fuerat postulatum,

Digitized by Google

latum, maturè se deinceps promissorum reliqua pollicitus effecturum. Cùmque plurimi non deessent, qui Bonifacium calumniarentur, quasi is edita illa famosa Constitutione, *Unam Sanctam*, in Regem, Regnumque Franciæ plus, quàm par esset juris sibi, Romanisque Pontificibus vendicaret, Clemens, ut eum scrupulum Pulchro eximeret, ejusdem in gratiam evulgavit Declarationem illam, cujus est initium: *Meruit charissimi filii nostri Philippi Regis, &c.* patetque publicis in Annalibus Bzovii ad an. MCCCV. Num. IV.

Instare nihilominus, & urgere non his contentus Pulcher. Quocirca, nec alia, quæ petierat, sibi posthabenda ratus, mense Junio anni MCCCVII. Pictavos ad Rom. Pontificem magno comitatu iit rogatum, ut sacramenti sui memor, quintum è postulatis præstaret, damnataque Bonifacii memoria, ignibus ejus ossa tradere, & acta rescindere ne tardaret. Quippe sibi in promptu esse tria supra quadraginta capita hæresis, quæ posset adversùs illum facillimè comprobare. Perculit ea petitio graviter Clementis animum, nec, quid in re tam inexplicabili consilii caperet, occurrebat. Inde scilicet ejus in oculos incurrebat sacramenti interventu firmata promissio; hinc innocentia Pontificis, & ab eodem in se profecta merita occurrebant, cùm ab illo primùm Convenensis Episcopus; mox & Burdegalensis Archiepiscopus creatus esset, testibus ea de re locupletissimis Claudio Roberto Lingonensi Presbytero in Gallia Christiana, Andrea de Chesne in Summorum Pontificum vitis, & Almarico Augerio nondum edito in Actis Pontt. Romanorum. Verùm enim verò sollicito inter hasce curas Quinto Pratensis opportunè admodum intervenit, qui, ut erat ingenio ad subita etiam quæque moderanda dexterrimo, confirmato primùm Pontificis animo, id ei consilii dedit, quo neque adversari velle videretur voluntati Regis, neque damnationi Catholici Pontificis assentiri, quod si fieret, movendi quoque loco essent Cardinales ab eo creati omnes, ac proinde magna pars eorum, à quibus Clemens ipse fuisset Summus Romanorum Pontifex acclamatus. Id igitur Clementi consilii Pratensis dedit: Alendas ei primùm esse dissimulanter spes Regis, dehinc monendum eundem, damnari Summum Pontificem nequaquam posse, nisi ab Oecumenica Synodo accusatus antea fuerit, & convictus: aut certè, quo magis rata fierent, quæ ad damnationem ejus Pontificis attinerent, longè consultiùs fore, si res tanta non nisi Senatus aliquo consulto consilii publici firmaretur. Eam ubi sententiam adprobasset Pulcher, deligendam tum habendo publico Patrum conventui sedem extra jurisdictionem Regis, ubi scilicet Episcopi ex omni Europa collecti Pontificis mentionem damnaturi non essent, talemque sibi videri Viennensem urbem inter Allobroges, aliamve Civitatem liberam, & ad excedendum è regiis finibus opportunam. Placuit Quinto Pratensis suggestio, eaque usus sic elusit Regem, ut diceret, ad eam rem opus esse Generali Concilio, quod ipse brevi Viennæ indicturus esset, seque in eo daturum operam, ut defuncti Pontificis ossa ex Patrum inibi coactorum sententia cremarentur. Hoc responso utcumque Regi satisfactum est, deque illius consilio Encyclicæ pro Viennensi Concilio literæ missæ sunt ad omnes Christianos Reges, Antistites, & Prælatos. Inde Rex Parisios rediit, mox & Pontifex Regis extra potestatem positus Avenionem in Narbonensi tunc primùm accessit, quæ in Regis Caroli (*Roberti* aliis) ditione erat: seque interim in futuro Concilio Bonifacii memoriam Theologicæ facultatis opibus propugnaturum obtulit F. Joannes Minius de Murro Vallium Episcopus, Cardinalis, Theologorum ejus ævi princeps. Hinc illa Naucleri ad ann. MCCCVI. *Tum & satisfieri voluit* (Philippus) *petitionis suæ summæ, ut Bonifacii memoria tolleretur, ejusque improbarentur acta, quam rem Clemens Pratensis Cardinalis consilio ad Conventum proximè celebrandum distulit.* Et Platina in Clemente V. *Regi Franciæ, apud Pictavum inhonesta quædam petenti, quominus id impetraret, restitit. Nam & damnari Bonifacium, & absolvi Nogaretum, & Sciarram petebat. Primum certè nunquam obtinuit, secundum postremò impetravit, pollicente Nogareto, se iturum pœnitentiæ gratia contra Sarracenos. Quam quidem expeditionem Clemens ipse maximè optabat, ut ex ejus Conciliis apparet.* Et hæc quidem postrema attuli prætermissis aliis, quæ in eandem sententiam Vecerius, Ciaconius, Meyerus, Bzovius, & alii tradidere, quòd hæc neutiquam Ferreti probem: *Clementem V. cùm Philippi noxam, quam olim Bonifacium perfus in contumeliam regiæ dignitatis molestè susceperat, prorsus tollere destinasset, quoad potuit, nisum esse, ut si non jure, saltem æquum, & dignè factum videretur, hocque tali suo judicio patefecisse, ut Bonifacius in captione sola, nec ante, vel post, hæreticus haberetur, sicque justè potuisse capi, & ob hoc, cùm neque in Christianissimum Francorum Regem nodosum anathematis fulmen conjicere quiverit, ipsum eundem Philippum restituisse prioribus Catholicæ fidei argumentis* (*Sacramentis* fortè) *& ab crimine objectorum liberum promulgasse.* Quæ quidem Laurentium quoque de Monacis in fraudem induxere. Habet ille scilicet, paucioribus quidem, at ex Ferreti, ut apparet, schola, *Clementem, gerentem omnia ex Philippi sententia, rescidisse Bonifacii gesta, declarando, ipsum* (*utpote Hæreticum*) *non potuisse in Regem Christianissimum torquere excommunicationis fulmen, eumque ab objecto crimine liberum esse.* Nullus enim, duobus istis exceptis, alius, Clementem ea mente in Bonifacium fuisse tradidit, ut eum reum hæresis judicarit: *Occurrebat enim Clementi* (verbis ut Vecerii loquar) *innocentia Bonifacii, qui ut neque forsan insons prorsus criminum haberetur, ita non ullum extare de objecto admisso judicium: quin exemplis, decretis, constitutionibusque declaratum abundè reliquisse, quanto studio, quantaque fide gubernacula culminis Apostolici procurasset. Sciebat ad hæc,* (ut inquit ex Massono Bzovius) *Antecessorem suum nunquam à Catholica fide recessisse, & tria supra quadraginta capita hæreseos, quæ Rex à Jurisconsultis suis in mortuum scribi curaverat, malitiosè à malignis fuisse conficta.* Quid quod, *suadentibus Clementi malæ fidei consultis*, Ferreto teste, *quatenus Bonifacio de hæresi damnato, cætera contra Francorum Regem nefandis indiciis acta revocarentur in irritum, non passi sunt Ricardus Senensis, vir magnæ auctoritatis, & opulentissimus, ac Petrus Hispanus, prætendentes illud nequaquam sine injustitia fieri posse, idque Peritorum omnium, Vulgique dissonum opinioni, si tantus Pontifex post factum ejus tam abhorrendæ vitio turpitudinis obfuscaretur. Addiderant etiam, multa per eum illustria facta eventu carere, si sceleris tanti reus, itaque* (fortè *utique*) *vocaretur.* Tulit itaque tum petitionis suæ repulsam Pulcher, quod neque nos Meyerus voluit ignorare. Scriptum enim ab illo est: *A Clemente Pontifice Rex Pulcher petiit Bonifacii VIII. memoriam* (*in odium*, quod Noster *simultatem* dixit) *è Catalogo Pontificum deleri, corpusque ejus, & ossa cremari, confirmans se posse probare per suos Sacerdotes, schismaticum, & hæreticum fuisse Bonifacium.* Testatum idipsum etiam Hocsemius sit, hoc uno diversus ab aliis, quòd is à *Nogareto* petitam Bonifacii damnationem dixit, quod alii factum asserunt ab *ipso Pulchro*, vel a *Consultis malæ fidei*, cum Ferreto. Si quidem hæc illius sunt in Theobaldo de Barro, Leodiensi Episcopo LXXIV. Cap. XXVIII. *Coram isto* (Clemente V. Pontifice) *Dominus Vilhelmus de Nungareto, qui dudum Papam Bonifacium ceperat, de Hæresi hunc accusat, petens hujus memoriam condemnari: sed, Fratribus contradicentibus, est repulsus.* Osius.

AMICE LECTOR.

Hic Osii mox interituri supremus calamus resedit. Tu Amplissimo Senatori Dominico Molino acceptum æquè referas, quòd & hæc omnia scripta fuerint, & postrema hæc ex immanis hujus naufragii demersis, ac pæne consumptis reliquiis eruta.

(69) Quomodo accersiri? hic mihi aqua hæret: scio quidem Joannem de Janua scribere in Summa Catholica, *inventur ergo arcessio ab arcio, arcessio ab arceo, accerso ab accio, accessio ab acce-*

RUBRICA VII.

Annuntiatio progressus.

HIs ita compositis, filioque ejus primogenito in Boëmiæ Regnum (72), quod tunc Romano vacabat Imperio, summoto Henrico Karinthiæ Duce ad id Regnum aspirante, præfecto, coronatoque, & Boëmis regia censura pacatis, ut populorum amores sibi conciret, nuntios cum Majestatis suæ literis maturè annuntiari (73) jussit felicem adventum ipsius, seque pacem Mundo daturum: jura, libertates lapsis restituturum (74): Universitatum in pace degentium mores approbaturum, & reliqua regalibus extollentia suasionibus corda fidelium. Intereaque confœderationes cum Principibus Regionum Teotonici (75) nominis, privatasque amicitias sibi sponsionibus & ceteris, quæ Mortales alliciunt, conquirens; Spe etiam suffultus Amei Sabaudiæ Comitis, alteram ex filiabus Ducis Brabantiæ uxorem habentis (76) (a) cui & Delphini frater adhæserat (b) ejusdem Sabaudiæ Comitis gener, inque socias vices & Guidone Flandriæ (c) Comitis fratre ineunte. Hi qui-

accedo, legerem igitur accessiri ex norma Canonum Grammaticorum ejus ævi. *Pignorius*.

(70) Martinus Polonus scriptum reliquit hos Legatos fuisse duos Episcopos, & tres Comites, quæ totidem pæne verbis repetit H. Stero. Mayerus (Annal. lib. 11.) meminit Guidonis Namurcæi, & Joannis Bavariæ Comitis, qui pro confirmatione Henrici Pontificem adiverint, quibus si addas Comitem Sabaudiæ Villano (lib. 8. cap. 102.) numeratum fient tres Comites, uti prodidit Martinus. Conradus tamen Vecerius Princeps hujus legationis renunciat Sabaudiæ Comitem, cujus nomen ignorat, & Guidonem Namurcæum Flandriæ Comitis Fratrem, nulla habita ratione Joannis Comitis Bavariæ, nunc de Episcopis quærendum, quos nemo ignorabit, qui Georgium (lib. 7. in princ.) Merulam legerit, *statim viros partim illustri genere editos, alios sacerdotio venerandos, ad Clementem ea tempestate Avenione agentem Legatos mittit*. O præclarum Historicum! ego maluissem hæc narrari à barbaro, & bardo quopiam, qui simulatione nomina Legatorum retulisset, quàm à centum comptulis, & pulchellis istis, qui Historiæ decus, & majestatem, lenocinio verborum, & faleris nescio cujus structuræ aucupantur. Bzovius (lib. 14. Annal.) nominat Sifridum Episcopum Curiensem, Amedeum Allobrogum Ducem (Comitem voluit dicere) Joannem Delphinum Viennensem, Guidonem Comitem Flandriæ, & Joannem Comitem Serrapontii. Adhuc quæramus si libet. Chronicon manuscript. quod Auctor ipse appellavit Manipulum Florum, hæc habet, *isto anno Henricus Comes de Lucemberg deligitur in Imperatorem, & in Aqui-Grani Corona argentea coronatur, qui pro confirmatione Episcopum de Cruara, Comitem Sabaudiæ, Dalfinum de Vienna, & Guidonem filium Comitis Flandriæ Legatos Avenionem ad Clementem Papam mittit*, quis hic Episcopus de Cruara? Ego Davus sum (ut ille inquit) non Oedipus. *Pignorius*.

(71) Emologare verbum (inquiunt Lexicographi) nec Latinitas, nec Græcismus agnoscit, usurpatur ab hujusce ætatis Scriptoribus pro confirmare, vel laudare, infra, hic noster, *lib. 3. te ut decus sublime venerandum emologatis pertentatis, & actis per nos Antonium, & Mussatum, & lib. 10. ac prolixis emologando præconiis*, & lib. 16. *nisi singillatim super reportandis propositum emologaverit* part. 2. lib. 2. *ictumque inter utrumque fœdus est jurejurando emologatum*. Veteres Tabulæ Tergestinæ, anni MCCCXXXVIII. in quibus eligitur per Commune Tergestis Floravans de Bursio, ad comparendum coram Domino Bertrando Patriarca Aquilejense, ad impetrandam misericordiam de commissis, inter cætera hæc habentur: *& ad promittendum pœnam conventam inter partes de stando, & parendo laudo, diffinitioni, & arbitrationi præfati Domini Patriarchæ, & ad emologandum, & expressè approbandum*, &c. ubi lego *emologandum*. Notant autem Magistri emologare propius ad suam, quæ græca est, originem accedere. *Pignorius*.

NOTÆ AD RUBRICAM VII.

(72) Joannes hic fuit, cui admodum puero, ut inquit Meyerus, Regnum cum Isabella soror Regis Venceslai thori socia assignavit. Villanus (lib. 9. cap. 1.) autem filium vocat, uti & Henninges. Æneas Sylvius (Hist. Bohem. c. 31.) Venceslai sororem, XVIII. annos natam fuisse scribit, & matrimonio junctam Joanni quatuor annis minori. *Pignorius*.

(73) Ex horum Nunciorum numero excerpsit Corius (parte 2. pag. 390.) Episcopum Bassi, quem ego arbitror Basiliensem, & Aloysium de Sabaudia, quibus Jugurtha Tomasius (lib. 8.) addit Archiepiscopum Constantiæ, qui fortè fuit Eberhardus III. ut enumeratur à Petro Berrio. Florentinos quidem convenerunt Aloysius jam dictus, designatus Senator Romæ, & Simon de Philippis, cum Prælatis Germanis duobus, ita prodidit Villanus (lib. 8. cap. 120.) Mediolanum profectus est Episcopus Constantiæ ad Guidonem de la Turre, inquit Manipulus Florum, & sanè de Archiepiscopatu apud Veteres nulla mentio. *Pignorius*.

Corrige, *annuntiare*, pro *annuntiari*. Villanus.

(74) Lego, *jura libertatis*, l. r. Recti hæc præponebat Augustus, *reputans justi esse finem Imperii obedientium commodum, & salutem*, ut olim differebat Julianus Imperator (apud Ammian. lib. 25.) morti proximus. Et sanè Pax, Libertasque bonis semper Principibus obversatæ sunt; hinc in nummis veteribus, data opera ad contestandam Principum mentem, legebatur PAX ÆTERNA. PAX AUGUSTA. PAX ORBIS TERRARUM. PAX PERPETUA, & LIBERTAS non semel, hinc ipsi Principes FUNDATORES PACIS, PACIFERI, & LIBERATORES, VINDICESQUE LIBERTATIS. At sic ferentibus fatis, Henricus sibi pacem eripuit, bellis Italiam involvit, liberos populos in miserrimam servitutem conjecit, & accessionem præclarissimarum rerum gerendarum præterlabi passus est. *Pignorius*.

(75) Scribe *Theutonici*, vel *Teutonici*. Villanus.

(76) Mussatus perpetuò Ameum nominat, quem Amadeum alii, & hoc à Gallica pronunciatione *Amè*. Comitem rectè, ut minùs rectè qui Ducem. Duces enim non nisi ab Amadeo Sexto, vel Octavo auspicantur Scriptores rerum Sabaudicarum Vander-Burchius, & Massonius, quorum ille in Amadeo Quarto hæc habet. *Sunt qui scribant, Amadeum, hunc, ejusque Successores hæredesque ab Henrico Luxemburgensi Imperatore, quòd ipse Majoresque ejus Imperatorio orti sanguine, ita de Imperio meriti essent, quidque in Italiam euntem Imperatorem per ditiones suæ fines concesso transitu, regio ubique apparatu, in omnibus Imperio suo subjectis locis excepisset, & Berna usque Romam, ejus coronationem augustiorem sua præsentia uti faceret, deduxisset, Imperii in Astensi oppido renunciatos Principes*, quæ planè omnia, & ipse Massonius videtur referre ad Amadeum Quartum, veluti & Pingonius. Altera autem ex filiabus Ducis Brabantiæ fuit Maria Amei uxor, uti quidem habent Henninges, & Vander-Burchius, ubi obiter admonendus est Lector Typographos apud Meyerum lapsos esse, Annal. lib. II. pag. 133. editionis Francfurtensis MDLXXX. *per fines Comitis Sabaudiæ, qui Augusti sororem (ut diximus) habuit in matrimonio, Italiam ingreditur*, lego, *Augustæ sororem*. Fuit enim Maria soror Margaritæ, & ambæ, Joannis (non Antonii, ut habet Pingonius) Ducis Brabantiæ, Limburgique filiæ, nupsit autem Maria Ameo anno MCCCIV. obiit MCCCXX. II. Nonas Januarii, mater natarum sex, ut Pingonius in litteras retulit, quarum unius oportuit virum fuisse, notatum Delphini fratrem. *Pignorius*.

(a) *In V.* cui & Dalphinus adhæserat, inque socias &c. *cetera desiderantur, ita & Cod. Ambr.*

(b) *Cod. Est.* adhærebat.

(c) *In P. & R.* Comiti fratre.

Digitized by Google

quidem & Imperatoris adventum ob ſtudium exoſi (d) eis dicti Philippi Francorum Regis, (77) affectabant. Statutam inde diem tranſgrediendarum Alpium præfixit in Lauſannam vicinam deſcenſui ad Lombardiæ planiciem (78), indeque ſe ſe cum copiis promoturum enuntiavit. Præmiſiſque iterum ex latere viris ſtrenuis ad partes Italiæ Epiſcopis, & Laicis (79) ad univerſos, & ſingulos Imperii fideles diem nuntiantibus, qua citra montes deſcenſurus erat, ut occurrerent ſuffecturi viribus Regalis adventus, & parituri ſalubribus ejuſdem monitis, ut Regia Majeſtas appeteret, (80) compoſitiſque rebus, utcumque componi potuerunt.

RUBRICA VIII.

Colloquia cum Principibus Germanorum.

IPſe inter Regni Principes, inſiſtente Regina Margarita conſorte, (a) ibidem colloquium habuiſſe fertur (81), inquiens: *Ut ſi* (82) *humanorum actuum auctor, & productor Deus ipſum uti voluiſſet communi vitæ ſolatio, privatus ut viveret, ut liber animus, & ſui juris foret, ſibi privatæ vitæ parendum eſſe dumtaxat officio. Nunc autem dum ſtatuerit, ut rerum omnium ipſe potiatur, infallibiles fore effectus eorum, quæ Providentia Divina providerit, ſe jugum non excuſſurum, ut ſervum pecus, quod ſua ipſius conſumit inertia: ſed executurum commiſſa divinitus. Exhortans commilitones ſuos, quibus Mundum ſponſum patere ait, jam bene fauſtis aſpirare principiis, inſpectante Deo ſecum ire, Principatus Mundi ſe offerentis accipere. Vacantes Curules, Præfecturas, ſummaſque poteſtates Senatus Populique Romani ſe dedentes amplectantur. Se illos antecedere, illos ſequi, ut Miles, ut Dux* (83) *in omnes fortunas, & caſus.* Ad hæc inter ſe (b) diffidentium militum murmur intonuit, objurganſque vulgus per varia ſuas (c) cujuſque diſcrepabat in facies, dum ex Principum choro proſiliere, qui plurimorum aſſenſu Regem alloquerentur, præmaturum aſſerentes tantarum rerum exordium, Germanorum animos non ad tantos motus infractos, non paratos ad tam ſupremæ aggreſſum rei; hybernandum potiùs (84) interim, nivibus liqueſcentibus in Kalendas Martias proficiſcendum, ut cùm pecus omne per ampla luxuriet, ſata exercitus repleant, quæ omnia formidoloſum Regem, & præpotentem efficient. His parum ſuffectus in Reginæ converſus amplexus, ait, *illam ſe ſaltem non relicturam, comitemque futuram in omnes caſus. Et prodeant, inquit, Aquilæ, Italiam petant, progrediantur; faveat Fortuna, quam Deus, Naturaque fulciant.* Sic fatus arma, equos, farcimenta, ſarcinas, & vehenda quæque expeditioni ſuppetentia parari juſſit.

RUBRICA IX.

Tranſgreſſus in Italiam.

INde movit iter trecentis ferme haſtatis militibus, peditibuſque totidem, (a) & per juga, & colles ſummotis nivibus in Taurini Civitatem deſcendit. (b) Cujus portæ patuere, quemque Cives (c) libentes accepere, (d) quibus Vicarium ſtatuit, & novas leges dedit (85); & ad id loci nonnulli ex Thuſciæ, Lombardiæque partibus confluxere advolante fama, Romanum Regem adventare: in reſcriptiſque Cardinali datum, cui Pellagruæ cognomen erat, apud Bononiam tunc Apoſtolicæ Sedis Legato, qui & Fer-

(d) *In V. deeſt* eis.

(77) Hi Philippum exoſum cur haberent videndus Rubertus, Gaguinus, Jo: Villanus, Meyerus, & Maſſonius. *Pignorius.*

(78) *Henricus Spira digrediens*, inquit Albertus Argentinenſis, *per Provinciam Sabaudiæ Comitis intravit Lombardiam.* Hac refert Conturbius deſcendiſſe in Italiam Carolum Magnum, ad debellandos Longobardos, alioqui via Tridentina Cæſares in Italiam proficiſcebantur. Guntherus (lib. 11.).

Altera ſaxoſum tetigerunt Caſtra Tridentum.
Inde per anfractus rigidos, anguſta locorum
Saxoſis horrenda jugis, fauceſque malignas
Carpit iter: tandem longo magnoque labore
Alpibus invictis, campos, & plana jacentis
Aſpicit Auſoniæ, ſtagnoque propinqua jacenti
In campis Verona tuis tentoria ponit.

Rolandinus (lib. 3. cap. 9.) *& taliter pertractavit, quòd Fredericus Imperator Auguſtus venit Tridentum, in anno Domini MCCXXXVI.* Aut alia via, prout ferebat occaſio, uti obtigit Ludovico Bavaro, & ipſius uxori Margaritæ, *quæ per Alpes Cumanas venit*, ut refert Manipulus Florum. Cumanas, ideſt Comentes, ut infra. *Pignorius.*

(79) Ex latere, ideſt Conſiliariis, & Aſſeſſoribus; civilibus, vel militaribus. Martialis (lib. 6.) eadem pæne notione.

Ille ſacri lateris cuſtos, Martiſque togati.
Credita cui Summi Caſtra fuere Ducis, &c.

Et hinc noſtris moribus Legati de Latere, & Collaterales, an autem iidem nunc qui ſupra Legati Italiam adierint mihi incompertum eſt. Epiſcopus certè Conſtantienſis *ad Guidonem de la Turre Mediolanum veniens in Palatio Communitatis ſic eſt allocutus. Principes Alemanniæ elegerunt in Imperatorem illuſtrem Principem Henricum de Lucemberg, quem Papa confirmavit, poſtulat Imperator ipſe, quòd ſicut eſt in Alamania corona argentea coronatus, ita in Mediolano coronetur per Archiepiſcopum Mediolani corona ferrea, iſtud autem ſignificat, quòd ſicut ferrum cætera domat metalla, ita per Italorum & præcipuè Mediolanenſium auxilium, & armorum claram potentiam, Imperator poteſt cunctas ſubjicere barbaras nationes. Surgens Bonifacius de Farra Juriſperitus reſpondit, negocia quæ ſunt maxima magnam deliberationem expectant (fortè expetunt) ideo ſuo vobis reſpondetur in tempore*, lego, *ideo ſuo vobis reſpondebitur in tempore.* Hæc ex Manipulo Florum fuit Legatio Henrici ad Mediolanenſes, prima an ſecunda alii viderint. *Pignorius.*

(80) Hic interpungendum eſſe videtur, & inchoanda octava rubrica a verbo, *compoſitis.* Villanus.

NOTÆ AD RUBRICAM VIII.

(a) *In V.* ibidem in colloquium fertur.
In R. ibidem collegium habuiſſe fertur.

(81) Eſt oratio blanda, & generoſi ſpiritus plena. *Pignorius.*

(82) *Sibi privatæ vitæ parendum eſſe* &c. Anacoluthon. Quare vel tollerem, *ut*, vel pro, *eſſe*, cuderem, *eſſet*. Quanquam, *fuiſſe*, vel, *fuiſſet*, dicendum. *Villanus.*

(83) An potiùs, *ut militem, ut ducem?* Villanus.

(b) *In R.* diſſidentium.

(c) *In P. & R.* ejuſque.

(84) Non omnino malè monebant. Henricus enim *tranſactis Alpibus cum magno apparatu pervenit Aſt circa Feſtum Sancti Michaelis*; inquit Manipulus Florum, ergo movit copias, & Alpes transjecit Æſtate dilapſa, & adulto pæne Autumno. *Pignorius.*

NOTÆ AD RUBRICAM IX.

(a) *In V.* Deum &c.

(b) *Fortè* Cui.

(c) *In V.* libenter.

(d) *Deſiderantur hæc in V. uſque* & ad id loci.

(85) Meyerus (Annal. lib. 11.) *primùm Taurini, & Haſtenſes ſe ſuaque Henrico permiſerunt.* Conradus Vecerius, *Septembris exitu movit è Lauſano, ſuperatoque monte perquam arduo, Seniſium vocant accolæ, Taurinum eſt invectus.* Pignorius.

Ferrariam expugnatis Venetis in Ecclesiæ ditionem redegerat, ut obviam Regi pergeret, & commeatum præberet in omnes vias, & actus. Qui Pellagrua iis intendere creditus, literis in aperto sic nuntiantibus, diverso tamen itinere Avinionem ad Papam contendit. Cui quantum de persona mutato Papa proposito subrogavit Cardinalem ad ejusdem Regis conductus officium (86), qui cœpto jam itinere proficiscens vita defecit (87). Dispositis Taurini rebus Rex idem vicinam Astensium Civitatem vênit, communi obedientia susceptus, ibique pace confœderatis Majoribus Civium, Senatu novo, ceterisque ad nutum ordinatis, Nicolaum de Bonsegnoribus Vicarium constituit, cui & meram regendi potestatem tribuit.

RUBRICA X.

Conventus optimatum Lombardiæ ad Cæsarem.

INcrebescente (88) itaque fama per universas Italiæ Civitates ab infero superoque mari in utriusque Galliæ montes, Germaniæ Principes, Populorumque Theutonicorum frequentias, Alpes transiliisse in Regis conductum (89), infremuere undique contraria in studia, variisque oblocutionibus decertantes. Formidolosum namque id novum (90) dominia, statusque quietos tenentibus, & præsertim, qui propulsatos extorres tenebant, gratissimumque exulibus, iisque quos oppresserant diuturnæ tyrannides, nova exoptantibus suis casualiter profutura calamitatibus. Unde concussiones, fragores, strepitusque resultabant, hinc palàm verba jactantium, quos diuturnus metus taciturnos fecerat obmutescere; (a) inde quos potentiarum tuendarum (91). Regi se remediis quibuscumque conciliaturos erigebantur. Ex his primi Longobardorum Magnates (92) Philipponus Papiæ Comes, Simon de Colubiano Vercellarum, (b) Gulielmotus Bruxatus Novariæ, & Antonius di Fisiraga Laudi Dominatores, paribus votis, consiliisque cum delectorum Civium legationibus ad Curiam perrexere, ibique comiter suscepti, ad Regisque consilia vocati, dierum plurium spatio diversa versantes, denuo Regem allocuti sunt. Status instantes Civitatum præfatarum salubres Populis suadere conati, illum se suis producturos potentiis, suffragiisque ad reliquam Longobardorum obtinendam provinciam propriis spondebant, animum Regis, quibus poterant attrahere suis studentes votis. Quibus & ipse virtute regia responsa reddidit. Bono animo esse (93). Se populis suis, ipsisque quietem daturum; vicinos exules ipsorum gratiis restituturum;

(86) Scriberem, *conductum*. Villanus.

(87) Hic fuit, (ut habet vir nobilissimus in suo Nomenclatore S. R. E. Cardinalium) Thomas Joyce alias Jorsius, Ord. Prædicatorum, Anglus Cardinalis, Philosophiæ studiosus, & in paucis peritus, veluti Scriptorum non contemnendis argumentis testatus est; obiit autem apud Allobroges, anno MCCCXI. Apostolicæ Sedis ad Henricum VII. Imperatorem Legatus, jacetque Oxonii in Monasterio Prædicatorum. Ciacconius addit fuisse Eduardo Regi Anglorum à confessionibus, Magistrum in Theologia, & sex uterinos fratres habuisse, Ordinis Prædicatorum omnes, porrò quod de Hastensium Civitate habet Mussatus confirmatur ex Vecerio, Meyeroque & Corio. Nicolaum de Bonsegnoribus Manipulus Florum præclaris Encomiis ornat, virum pestilentem, arrogantem, & magnæ fatuitatis vocans, cujus etiam meminit (Annal. Cremon.) Cavitellius, Mediolanensibus ab Henrico Prætoris constituti, anno Domini MCCCXI. ut habet etiam Manipulus Florum. *Pignorius.*

NOTÆ AD RUBRICAM X.

(88) Emenda, *Increbrescente*. Villanus.

(89) Conductus est vernacula ejus sæculi vox, veluti, & salvusconductus. Italicè *condotta*, & *salvo condotto*. Gallicè *Sauvegarde*, paulò superiùs, *ad ejusdem Regis conductus officium*. Pignorius.

(90) Italicismus, *nova spaventosa*, infra, *nova exoptantibus suis casualiter profutura calamitatibus*. Pignorius.

(a) *Sic habent R. & Pat. V.* inde quos potentiarum tuendarum rerum si remediis quibuscumque &c. *Fortè* inde quos potentiarum tuendarum spes Regi se remediis quibuscumque conciliaturos erigebat &c.

(91) Intricatus locus, qui videtur extricari posse hac ratione; *inde quos portendarum rerum spes, Regi sese mediis quibuscumque conciliaturos erigebant*. Pignorius.

(92) Antequam hi perrexerint ad Curiam narrat Auctor Manipuli Florum, quisquis ille fuerit, postquam Bonifacius de Farra respondit Episcopo Constantiensi, deliberasse, inter se eos, quorum intererat, hoc pacto; *tunc pro responsione facienda convocatis Comite Philippono Domino Papiæ, Antonio de Fecilaga Domino Laudæ, Guilielmo Cavalcaboe Cremonense, Simone de Advocatis Vercellense, Comes Philipponus sic ait, ego sum satelles Imperatoris, & domus mea per Imperium multis gratiis, & dignitatibus est donata, absit à me quòd Imperatori sim rebellis, alii omnes contradixerunt. Guido de la Turre magni cordis per Palatium fremens discurrebat dicens, existimo Deum nobis iratum esse: tandem sinè alia determinatione Frater Albertus Corbella, & Frater Otto de Porta Romana Ordinis Prædicatorum electi ad Imperatorem mittuntur. Hi sic concordaverunt statum Civitatis Mediolani, quòd in Curia Imperatoris nullus diceretur amicus Imperatoris, nisi Guido de la Turre & Comes Philipponus.* Hæc omnia vidit Corius, & pleraque eorum in suas Historias retulit, vidit, & Georgius Merula. (lib. 7.) Simonis de Colubiano unus, quod ego quidem viderim, meminit Cavitellius; de Advocatis indigitat Manipulus Florum; veluti, & Corius, meminit autem hujus gentis Laurentius Schraderus Monumentor. Italiæ, lib. 4. par. 327. his verbis, *afflicta quondam miserè civium intestinis factionibus, partibus divisa, & Advocatorum*, ubi operæ typographicæ ex ingenio omiserunt vocem *Titionum*, ut legendum sit, *partibus divisa Titionum & Advocatorum*, quod res ipsa loquitur. Et sanè oportuit Vercellas fuisse pessimè habitas à Civium dissidio, majorum nostrorum ævo; cùm Scriptor nescio quis, apud me, MS. hæc habeat, *cùm magis deflendus sit miserabilis hodie status tam nobilis Civitatis prædictæ. Nam civilis in ea Civitate discordia, rerum prodiga, hominumque perditio in tantum inter partem & partem prævaluit, ut unam Civitatem seditiosi Cives in duo castra redegerint, igne, & ferro cuncta vastantes, & sic unitate profligata Civitas gloriosum nomen significatum amisit, est enim Civitas secundùm Isidorum hominum multitudo societatis vinculo adunata.* Hæc ille de Vercellis, Urbium aliquot Orbis primariarum ortum & statum enarrans. *Pignorius.*

(b) *In V. nulla mentio* Gulielmoti Bruxati.

(93) *Bono animo essent*, videtur legendum. Ibid. *paces Manfredo, & cæteris petentibus non derogandas omnino.* Hic erat Manfredus de Becaria, cujus & meminit intra in fine lib. 4. quem Gibolengum fuisse constat ex Jo: Villano (lib. 6. cap. 67.) cùm scribat de Abbate Vallis Umbrosæ, *ed invero si disse che 'l religioso uomo nulla colpa avea, con tutto che di suo lignaggio fosse grande Ghibellino.* Neque ingratum puto erit nobilissimæ Genti, & studiosis rerum Italicarum, si hic recensuero nomina aliquot Illustrium hujus familiæ virorum, quæ latuerunt hucusque in optimo Codice scripto in membranis, quem possidet eruditissimus vir, idemque mihi amicissimus *Janus Rhodius Danus*, ibi enim legitur. *Infrascriptus Liber, sive Volumen Librorum Senecæ est Becarii de Becaria Imperatorii militis, & Legum Doctoris filii quondam Domini Nicoleti*

Digitized by Google

turum; beneficia impensurum; & tamquam primis sibi mansuetis, & obsequentibus complaciturum. Resignanda Dominia honori Regio, paces Manfredo (c), & ceteris petentibus non denegandas omnino. Quibus, sive spe capti, sive formidinibus Concivium, quos domi zelotypos Majestatis Imperii reliquerant, assensere, paruereque claves dedentes, singulasque detentiones re, & verbo remittentes. Et hos quidem ad animorum erigendorum informationes more regio condonavit. Philippono Castri (d) Salvazii dominium, & gubernationem, quod tunc vacabat Imperio, concessit in feudum, antiquumque sui stipitis (94) Comitatum innovans in eumdem, ceterosque prædecessorum privilegiis singularibus, ac justis titulis conquisitis regali beneficentia, & largitate donavit, majora pollicitus in posterum facultatibus se offerentibus, & meritis eorumdem. Accessere, & Albuini, ac Canis *della* Scala Veronæ Dominatorum viri solemnes legati (95), quos Aquilas, clypeumque Romani gestasse Imperii, servasseque constare ajebant personarum discriminibus, per quorum prædecessores, & in mortem itum fuerat (96). Nec ob id desiisse superstites magnitudines, & dominatus non suos, sed Imperii, quorum ipsi Procuratores existunt, non minui, sed augeri (97), proprium offerentes Imperii domicilium urbem Veronæ. Quibus & se congratulabundum læto, & singulari non celavit aspectu, proposita vera annuens, gratiarum eos dignos profitens, quæ regiam decuerint liberalitatis congruentiam; progressurum se, & proximum, vel præsentem Veronæ affuturum; nec iis deesse, qui justa petierint. Illo & Pisanorum advenere Legati in pretiosissimarum ornatu vestium equis provecti sublimibus cum famulorum ordinibus, & armis fulgentibus aspectui congruentes Imperatoriæ Majestatis, quibus ex confidentia continuò personæ Regis commissa custodia, & ut ex Conscriptorum numero Consularium haberentur, decretum est. Ex thesauris Urbis suæ publicis dona tulere Regi millium LX. aureorum cum totidem sponsione conferendorum in suæ Civitatis accessu felici. Thuscorum quoque Nobilium, eorum præcipuè, qui Imperialis zeli agnomina ab antiquo tenuerant, videlicet ex Ubertorum (98) Florentina progenie plurimi, aliisque Prosapiarum Etruriæ strenuissimarum militaribus fulcimentis. Tumescente identidem Curia Regia Gallorum, Germanorum, Italorumque turmis, ut jam magnitudine laboraret sua, Guido *della* Turre vir egregius (99) Mediolanensium Præpositus intra Mediolani fines cives continuit, ipsosque in armis sub custodiarum vigiliis tam in Urbis, quàm ceterorum ditionis suæ locorum præsidiis sollicitos habebat. Vir magnanimus, acer, & implacabilis (100), quamdiu sibi suppeteret defendendi, vel ulciscendi facultas. (e) Hujus conatibus Maphæi Vicecomitis, ejusque factionis Potentum Regem sollicitantium obstabat sedu-

coleti militis Regii, filiique Domini Rycardi, filiique Domini Nicolæ, filiique Domini Villani, filiique Domini Lanfranchi, omnium de Becaria, de Civitate Papiæ, sive Ticinensi, Provinciæ Lombardiæ, & reddatur eidem per quemlibet ad cujus manus pervenerit. Et ipsum scribi fecit, & fieri per Gybinum de Solario de Pergamo ejus Domicelum, dum Mantuæ esset Potestas idem Becarius, in qua Civitate Mantuæ fuit Potestas tribus Regiminibus MCCCXXXI. & MCCCXXXII. &c.

Becarius prædictus manu propria scripsit prædicta. Ne verò hic prætermittamus illustrem ex eadem Gente fœminam facit nostri Spicilegii lex. Est autem Johanna de Becaria uxor q. Domini Raphaelis Fulgosii de Placentia Juris Consulti Clariss. quæ obiit 1439. die XVII. Julii: hujus monumentum extat apud nos in D. Nicolai, illius in D. Antonii, & sanè percommodè accidit, ut hic moneamus. Aquilam nigram coronatam insistere decem monticulis rubris, in scuto cujus area tota aurea est; in programmate inciso tabulæ marmoreæ, quæ affixa est parieti Oratorii ab eadem Johanna fundati. Sunt enim hujusce familiæ insignia, aliquando XIII. monticelli rubentes in aurea parma, aliquando Aquila, ut refert Antonius Maria Spelta (in Conrado Becario Ep.) in Historia Papiensi, qui tamen de vario numero monticulorum nihil omnino prodidit, ut sanè debuerat. *Pignorius*.

(c) *MS. Amb. addit* de Beccaria.

(d) *Cod. Est.* Salvarii.

(94) Rectè dixit *sui stipitis*. Languschi etenim non uno Comitatu, neque uno stemmate claruerunt, alios Comites fecit Fridericus I. an. 1164. alios Fridericus II. an. 1218. & eosdem variis cognominibus interstinguit Antonius Maria (in Guidone Languscо) suprascriptus, cui quoad Comitatum adstipulatur etiam Bernardus Saccus (de Papiens. Eccl. dign. c. 18.) *Pignorius*.

(95) Viros solemnes novè dixit, voluit dicere viros viris majores. Et hos in apertum proferunt Torellus Sarayna, & Hieronymus Curtius, ille lib. 2. hic 10. Historiar. videlicet Bailardinum de Nogarolis, cujus apud Mussatum est celebris mentio, & Paganottum, de Paganottis. *Pignorius*.

(96) Innuit Mastinum, qui factione Guidonis Maltraversi de Lucio Patavini cæsus est una cum Antonio de Nogarolis, ut narrat Curtius. (lib. 9.) *Pignorius*.

(97) Meliùs, *non minuere, sed augere*. Villanus.

(98) Villanus (lib. 4. c. 12.) *ma i maggiori erano gli Uberti venuto il loro antico d'Alamagna*, nec dispari loquendi ratione, Petrarcha (Son. XXII.)

Il Successor di Carlo, che la chioma
Con la Corona del suo Antico adorna;

ubi Caroli Successor Carolus IV. est, quod vult etiam Alexander Tassonus, & Antiqui nomine designatur Henricus hic, de quo agimus, quod enim Carolus ad Carolingos pertinuerit ego sanè non assentiar. *Pignorius*.

(99) Villanus (lib. 8. cap. 61.) Item Annales Pistor. Guidottum nominat; *il dotto Messer Guidotto si fece fare Capitano di Milano, e menò aspramente Sua Signoria, e fu molto temuto, e ridottato*, & alibi (lib. 9. cap. 9.) *uomo di gran senno, e podere*, magni cordis appellat Manipulus Florum, ut vidimus, & profectò non jure carpunt Guidonem Germani Scriptores, & Paulus Jovius, ipse enim libertatem Patriæ assertum ibat, quam videbat oppressum iri à Vicecomitibus Henrico innixis. Obiit autem Cremonæ, anno 1313. teste Cavitellio. *Pignorius*.

(100) Hæc adamussim conveniunt cum illis Villani, *temuto, e ridottato*, quorum posterius Gallicum est; dicunt enim illli *redoubter* & *redoubtable*, pro formidare, & formidabile, & *redoubtè* & *tres redoubtè*, quod nostri dicunt, dicerent *ridottato, e traridottato*: & hoc ex imperitia Gallicismi, ut alias dixerunt *tranobile, tresnoble*, etenim nobilissimus, & generosissimus est, non *tranobile*. Quam sanè notitiam ego acceptam fero nobilissimo, & eruditissimo olim viro Io: Vincentio Pinello, qui anno 1598. me docuit, Interpretem Libri Ægidiani, de regimine Principum, ut minùs peritum Gallicæ dialecti, ubi erat *tresnoble* vertisse *tranobile*. Omnes ferè Libros ille ajebat Latinorum Auctorum, qui Ethrusci nunc leguntur, è Gallico idiomate conversos esse: quod mihi fiebat admodum verisimile, cùm dialectus Provincialis, quam appellant, in maximo tunc precio esset apud Italos nostros. Hinc iidem arripuerunt *dotta, dottaggio, dottanza, dottare*, & *dottante*; quæ sunt illis, *doubtè, doubter, doubteux, doubtance*, & similia. *Pignorius*.

(e) *In P.* Hujusmodi.

Digitized by Google

dulitas (1), nec non Nepotis ejus Mediolanensis Archiepiscopi (2), cujus fratres ipse Guido, ut suæ dominationi suspectos, compeditos habuerat. Quem & urgebant intrinsecorum multorum odia (3) partes (f) Maphæi clandestinè tenentium, penesque hos vacillantis, semperque nova exoptantis Plebis inconstantia. Sicque sub hujus ambiguitatis dubio stetere ferme triginta intervallo dierum, hinc inde exercitus, spesque diversæ Regis, quippe ut dissensionibus intra Mediolani urbem excitatis, commotisque in se ipsum absque aperti belli commixtione Guido corrueret. Guido autem corde strenuo Civitatum Lombardiæ, Thusciæque præstolabatur suffragia (g) in spem etiam ductus, instabilem fore Regis exercitum. Nec utriusque meditatio futilis, vel inanis; procul enim dubio in summis discriminibus adeò res constituta erat, & anceps hinc inde, ut in fortunæ curriculo veheretur. Captato tempore Rex exhortationibus Archiepiscopi præfati, Maphæi, & aliorum consciorum internæ factionis per transfugas moto exercitu, relicto in Ast præsidio (h) ad Casale Salvazium se contulit, ibique paucis moratus diebus per internuntios Guidonem interpellari fecit, ut jussis pareret regalibus. Quo cunctante Populi in concitationem facilis timore, nondum tamen obsequente, sed rem diffugiis produ-

(1) Permirum sanè est hunc, qui Mussato, Villano, & Facio de Ubertis Maphæus est (lib. 3. cap. 4.) evasisse Matthæum, quomodo passim à nostris, & ab exteris appellatur. Petrarcha (Rerum mem. lib. 4. tract. 6. cap. 19.) sanè qui Mussatum viderat, religiosè Maphæum appellat, oscitanter Fulgosius (lib. 1. c. 4. Exempl.) qui Mussatum, & Petrarcam legerat, Matthæum vocat: neutrarum partium, Volaterranus (lib. 4. Gregor.) cùm scribat, *in Matthæo res se primùm extollere cœpit, qui & Maphæus est appellatus*. Ejusdem sententiæ fuit & Sansovinus in Genealogiis. Mihi ab Antiquitate non recedere consilium est; & cum Annalibus etiam Pistoriensibus Maphæum retinere, accedente insuper auctoritate Augustini Justiniani Episcopi Nebiensis (Histor. lib. 4.) & Chronici Parmensis MS. *Pignorius*.

(2) Innuit Castonum Turrianum nepotem Guidonis, qui aliquibus est Cassonus, *cujus fratres ipse Guido, ut suæ dominationi suspectos compeditos habuerat*, fratres dixit signanter, ipsos enim tantùm compeditos habuit: Cassonum in libera custodia. Rei seriem satis accuratè narrat Corius: perstringit Manipulus Florum hisce verbis, *interim Guido de la Turre capit Castonum Archiepisc. & Paganinum, qui fuit Servator Romanus, & Edoardum, & Muschinum fratres ejus, quos in castro Angleriæ in arcto carcere clausit: tandem Archiepiscopum dimisit reddito castro Trigii, quod Rainaldus frater ejus occupaverat, ista divisio fuit destructio Turrianorum; nam Caseonus Archiepiscopus cum suis complicibus Imperatoris adventum totis viribus procuravit in odium Guidonis, sed per duos annos Imperator stetit in Alemannia, propter captionem Archiepiscopi Terra interdicta fuit per Pellagruam*. Pignorius.

(3) Studium nobilium enixum, & præcipitem plebis favorem notat & Merula. Verùm operæpretium erit hoc loco exscripsisse, quæ de Maphæo scribit Manipulus Florum. *Eodem tempore Matthæus Vicecomes* (sic ille, quem alii Maphæum) *exul, & pauper quærebat si quem inveniret amicum, quem mitteret ad Imperatorem, & nullum in tota Italia invenit, nisi Franciscum de Garbagnate, qui exul erat, & Paduæ scholis vitam pauperem ducens: hic venditis libris pro expensis, ivit in Alemanniam ad Imperatorem, commendans Matthæum Vicecomitem, quantum potuit*, hactenus Auctor Manipuli. Porrò Francisci hujus meminit non solùm & Corius Maphæo summa necessitudine conjunctum, & Gibolengarum partium tutorem acerrimum indicans, in Liguria; mentionem ejusdem faciunt, & Paulus Jovius (In Matthæo M.), Morigia (lib. 1. Histor.) alicubi, Curtius Veronensis, & Inscriptio sepulchralis Mediolanensis, in qua Joannes Thomas Garbagnatus dicitur Octavus Francisci Garbagnati descendens, qui Henrico Luceburgensi Imperante legibus & armis maximè floruit, & sanè notandus venit Curtius hic, cùm Garbagnatum refert Mediolani copiosum & affluentem opibus tunc fuisse, cùm exul, & pauper alibi degeret. At hic idem Franciscus successu temporis in Maphæum hostilem animum (ut sunt humana) induit, uti narrant Corius & Jovius, apud quos causæ hujus mutationis requirendæ sunt, seu æquæ, seu iniquæ, velut huic, vel illi visum est eas designare. Cæterùm Hastæ Maphæus Henrico de facie innotuit, quod Manipulus Florum satis accuratè prosequitur, hisce verbis: *Cui primò occurrit Tibaldus Bruxatus de Brixia exul, Philipponus Comes de Langusco Dominus Papiæ, Antonius de Ficilaga Dominus Laudæ, promittentes personas, pecunias, & suas Civitates, quos Imperator benignè suscepit. Quo audito Guido de la Turre infremuit dicens, Philipponus & Antonius sunt proditores, in quibus nihil certi, vel ratæ fidei inveniri numquam potuit. Sed Matthæus Vicecomes, qui in Brixiensibus partibus privatim vitam ducebat, audito Imperatoris adventu, uno contentus socio pervenit in Ast cum omnibus Gibelinis Italiæ, & ingressus ante Imperatorem, deposito capucio*, (Capite aperto, & rejecta in tergum pericula inquit Merula) *rejectaque post tergum clamyde, occurrit ante pedes Imperatoris, & ait, ò Domine pater exulum Gibelinorum advenisti reconciliator: & amplexatus Imperatoris pedes, dans oscula cum lacbrymis, se, & suos recommendavit: & accepta Imperatoris benedictione surrexit. Videns autem Comitem Philipponum Imperatori astantem bracbiis extensis in ejus amplexus irruit: sed vertit terga comes, volens etiam Antonium de Ficilaga amplexari ab eo repulsus multas audivit injurias. Imperator ridens dixit: Jam inter vos dimidia pax facta est. Et tunc Imperator Matthæum reputavit virum prudentem: illos verò satis viles judicavit. His visis Philipponus & Antonius ad mortem doluerunt, quòd ivissent in Ast ad Imperatorem reputantes se fatuos eo quòd consiliis Guidonis non acquievissent, qui noluit umquam, quòd Imperator intraret Italiam: tunc Matthæus Vicecomes instare cœpit, ut ad Civitatem Mediolani convolaret Imperator, & tantum fecit, quòd Imperator Novariam venit, & transacto Ticino intravit Comitatum Mediolani: cui omnes Gibelini occurrerunt, & pervenienti ad Civitatem Guido de la Turre cum vexillo in altum extenso obvius fuit, & descendens de equo Imperatoris pedem est osculatus, intravit ergo Civitatem Imperator, sequentibus eum omnibus exulibus, ut Castonus de la Turre, Matthæus Vicecomes, & alii quamplures. Intravit autem Civitatem Mediolani Imperator anno Domini MCCCX. die Mercurii XXIII. Decembris*. Hæc ille satis accuratè, ut videtur. Vidit autem omnia hæc & Corius, qui & addit à Germanis Henrici militibus vexillum Guidoni abreptum, & ad terram afflictum fuisse. Jovius non Guidoni, sed signifero Turrianorum vi extortum signum narrat: dixisseque Henricum Guidoni ea de re non occulta bile percito, ne contra stimulum calcitraret, quod à Corio mutuatus est: aliam tamen verborum seriem refert Merula (lib. 7. cit.), cui sanè quantum credam non video; cùm & parùm verisimiliter Guidonem referat manus intulisse signis Imperatoriis, eaque humi stravisse; & Garbagnatem antea asserat jus civile Patavii docuisse, cùm addiscentem referant Manipulus, Coriusque licèt politissimus Ripamontius (Histor. Eccl. Mediol. lib. 7.) Merulæ partes tueatur, de die ingressus, controversiam movent Villanus (lib. 9. cap. 9.), & Ammiratus (lib. 5. Histor. Flor.), notantes Vigiliam Nativitatis Dominicæ. At biduum ante Natale Domini cum Merula constituunt Corius, & Manipulus Florum. *Pignorius*.

(f) *In P.* Maphæi prædicti.

(g) *In V.* in spem ductus etiam &c.

(h) *Cod. Est.* præsidio, adductis secum septuaginta ex prioribus Civitatis, ad Casale &c. *& ita Cod. Ambr.*

Digitized by Google

ducente, Rex permotus Civitatem Vercellarum adiit, ut propinquior Guidoni metui esset, Factiosisque intrinsecis (i) exaltationi: dumque impulsu datæ spei potiundæ urbis Mediolanensis concitus & ipse incalesceret, militum copias è Novaria eduxit, ficto astu se (K) Papiam.... ostenden, divertitque iter citra Guidonis spem Mediolanum properans; tuncque perculsus ingenti & inopinato motu Guido nuntios ad Regem transmisit, qui se pariturum edant, ipseque inermis, dimisso licentiatoque omni exercitu, ac præsidio, Regi obviam vênit, seque Urbisque omnem potestatem tradidit.

RUBRICA XI.

Mediolani deditio.

MEdiolani deditio non minùs Henrici Romani Regis famam auxit per omnes Italiæ fines, quàm ut altera Roma diceretur, & ut alterius Italiæ partis rerum omnium potiretur. Tum (a) animos Imperium non affectantium novus terror invasit: obsequentium spes extulit. Hinc mœrores occulti, tacitique inde gaudia, & lætitiæ apparentes in tuto, dissimulatèque (4) (mirabile dictu) omnes ferme Lombardiæ Civitates ab Alpibus hinc Veronam usque, inde Mutinam inclusivè, Regi fidelitatum juramenta præstitere. Vicarios suscepere novis legum sanctionibus ad Regis placitum, vitæ necisque potestatem habituros. Alexandriâ dumtaxat exceptâ (5). Hæc enim Roberti Apuliæ Regis præsidio tenebatur, cui & sponte Rex ipse cessit, forsan & illum caussa non latente. Regum nempe consilia non omnia nota populis. Patavini, Vicentinique, quos Friderici Imperatoris sævitia, nefandaque Eccerini de Romano tyrannis Imperii vices obtinens necaverat à stirpibus, longaque deinde freti quiete (6), substitere, nihil arrogantiæ, contemtus, parumque obedientiæ ostendentes, faventium exemplis, rerumque successibus salubria resumturi consilia. Bononienses secus (7). Nam & ipsi novorum vallorum, fovearumque munimentis Urbem cinxere (b); plebiscita, legesque in Regem, Regique obsequentes statuere, in quibus, & Imperatoris nomen proferenti capitale sit supplicium.

(i) *Cod. Amb.* exultationi.
(K) *Fortè* iturum ostendens.

NOTÆ AD RUBRICAM XI.

(a) *In V.* Tunc.
(4) Videtur hic, *dissimulatè*, sumptum pro, apertè, ac palàm: cùm tamen contrarium significet, nam dissimulare est astutè aliquid celare, ne intelligi possit. *Villanus*.
(5) Manipulus Florum Merulæ concors excipit Civitatem Albensem & Alexandriam, quòd essent sub dominio Regis Roberti; & concinit Corius. Mussato tamen videtur adstipulare & Ludovicus Cavitellius. *Pignorius*.
(6) Sententia exigit, ut inducatur copula, *que*; pendente hactenus oratione. *Villanus*.
(7) Hæc omnia & ratio itineris, qua Henricus Romam versùs usus est, apertè dissident ab iis, quæ C. Sigonius (lib. 3. de Ep. Bono.) vir clarissimus tradit, Hubertum Episcopum Bononiensem *hospitem apud se habuisse Henricum Cæsarem Romam ad coronam Augustalem accipiendam euntem*, neque enim Henricus Bononiam attigit, neque passi essent Bononienses illum apud se divertere, cujus nomen pæne proscripserant. *Pignorius*.
(b) *In R.* auxere.

NOTÆ AD RUBRICAM XII.

(a) *In V.* Modociæ.
(8) Mirum est quod narrat Ripamontius, maturasse Henricum ex oppido Modoeciæ petere ferream coronam, & jussisse suo nomine dari literas ad Archipresbyterum, & Canonicos ejus Ecclesiæ, moxque illò profectum. Modoeciæ item parata fuisse omnia celebrandæ coronationi, in Templo D. Jo. Baptistæ: verùm apparatum omnem ad irritum cecidisse, & Henricum repetiisse Mediolanum re infecta, & Corius sanè eadem literis mandavit, quæ tamen hic noster non agnoscit. Verùm Modoeciæ inquiunt Annales Pistoriensis sumptam ab Henrico coronam Paleæ (*della Paglia*) uti moris est, & Mediolani ferream. Nam litem componere meum non est, referam tamen stare ab hoc nostro Merulam, Meyerum, Villanum, Ammiratum, Manipulum Florum, & Lodovicum Cavitellium. At quam hi omnes ferè vocant ferream, manuscr. apud me Codex argenteam appellat, hisce verbis, *Imperator debet coronari tribus coronis, prima esse debet de ferro, quæ significat potentiam & fortitudinem, & de ista corona ferrea debet coronari per Archiepiscopum Coloniensem in civitate, quæ dicitur Aquisgranum, Aych, Leodiensis Diocesis, secunda est de argento, quæ significat quòd in ipso est clara justitia, & munda, & de ipsa corona argentea coronatur per Archiepiscopum Mediolanensem in Ecclesia S. Ambrosii Mediolani*, &c. Quomodo hic (quisquis ille fuit) argenteam vocet ipse viderit. *Pignorius*.
(9) Negat disertè Villanus (lib. 9. c. 9.) at Mussati potior fides; siquidem & ipse in numero Legatorum interfuit, si audimus Guilielmum de Certosiis nostratem Historicum: *cui coronationi* (inquit ille) *Legati Paduæ interfuerunt honorificè* Henricus Serovegnus, Rolandus de Guarnarinis, Joannes de Vigontia, Petrus de Muffis milites: Jo: Henricus de Capite-Vaccæ Judex, Baricus de lingua de Vacca Legum Doctor, & Mussatus Poeta. *Pignorius*.
(b) *Cod. Ambr.* mirè.
(10) Videtur asserere ambos coronatos fuisse corona ferrea, quod tamen Manipulus Florum disertè negat, scribens Imperatricis coronam fuisse auream, & sanè fieri potuit, ut ambo ferrea coronarentur, quod Cæsar ferream domum gestaret, Augusta auream; & quidem passis capillis, ut Manipulus notat, à forma autem, & figura lauream appellet Mussatus, quia ut animadvertit Villanus, sive alius quispiam apud ipsum fuit è chalybe lævi, & polito, in coronæ laureæ morem, insertis multi pretii gemmis, uti olim Cæsares gestabant. Minister verò coronationis fuit Castonus de la Turre Archiepiscopus, super Italiam, Normandiam, & Saxoniam. Ita enim describit Manipulus Florum. Sceptrum graphicè expressit Mussatus, quod

dulitas (1), nec non Nepotis ejus Mediolanensis Archiepiscopi (2), cujus fratres ipse Guido, ut suæ dominationi suspectos, compeditos habuerat. Quem & urgebant intrinsecorum multorum odia (3) partes (f) Maphæi clandestinè tenentium, penesque hos vacillantis, semperque nova exoptantis Plebis inconstantia. Sicque sub hujus ambiguitatis dubio stetere ferme triginta intervallo dierum, hinc inde exercitus, spesque diversæ Regis, quippe ut dissensionibus intra Mediolani urbem excitatis, commotisque in se ipsum absque aperti belli commixtione Guido corrueret. Guido autem corde strenuo Civitatum Lombardiæ, Thusciæque præstolabatur suffragia (g) in spem etiam ductus, instabilem fore Regis exercitum. Nec utriusque meditatio futilis, vel inanis; procul enim dubio in summis discriminibus adeò res constituta erat, & anceps hinc inde, ut in fortunæ curriculo veheretur. Captato tempore Rex exhortationibus Archiepiscopi præfati, Maphæi, & aliorum consciorum internæ factionis per transfugas moto exercitu, relicto in Ast præsidio (h) ad Casale Salvazium se contulit, ibique paucis moratus diebus per internuntios Guidonem interpellari fecit, ut jussis pareret regalibus. Quo cunctante Populi in concitationem facilis timore, nondum tamen obsequente, sed rem diffugiis produ-

(1) Permirum sanè est hunc, qui Mussato, Villano, & Facio de Ubertis Maphæus est (lib. 3. cap. 4.) evasisse Matthæum, quomodo passim à nostris, & ab exteris appellatur. Petrarcha (Rerum mem. lib. 4. tract. 6. cap. 19.) sanè qui Mussatum viderat, religiosè Maphæum appellat, oscitanter Fulgosius (lib. 1. c. 4. Exempl.) qui Mussatum, & Petrarcam legerat, Matthæum vocat: neutrarum partium, Volaterranus (lib. 4. Gregor.) cùm scribat, *in Matthæo res se primùm extollere cœpit, qui & Maphæus est appellatus*. Ejusdem sententiæ fuit & Sansovinus in Genealogiis. Mihi ab Antiquitate non recedere consilium est; & cum Annalibus etiam Pistoriensibus Maphæum retinere, accedente insuper auctoritate Augustini Justiniani Episcopi Nebiensis (Histor. lib. 4.) & Chronici Parmensis MS. *Pignorius*.

(2) Innuit Castonum Turrianum nepotem Guidonis, qui aliquibus est Cassonus, *cujus fratres ipse Guido, ut suæ dominationi suspectos compeditos habuerat*, fratres dixit signanter, ipsos enim tantùm compeditos habuit: Cassonum in libera custodia. Rei seriem satis accuratè narrat Corius: perstringit Manipulus Florum hisce verbis, *interim Guido de la Turre capit Castonum Archiepisc. & paganinum, qui fuit Servator Romanus, & Edoardum, & Muschinum fratres ejus, quos in castro Angleriæ in arcto carcere clausit: tandem Archiepiscopum dimisit reddito castro Trigii, quod Raimaldus frater ejus occupaverat, ista divisio fuit destructio Turrianorum; nam Caseonus Archiepiscopus cum suis complicibus Imperatoris adventum totis viribus procuravit in odium Guidonis, sed per duos annos Imperator stetit in Alemannia, propter captionem Archiepiscopi Terra interdicta fuit per Pellagruam*. Pignorius.

(3) Studium nobilium enixum, & præcipitem plebis favorem notat & Merula. Verùm operæ pretium erit hoc loco exscripsisse, quæ de Maphæo scribit Manipulus Florum. *Eodem tempore Matthæus Vicecomes* (sic ille, quem alii Maphæum) *exul, & pauper quærebat si quem inveniret amicum, quem mitteret ad Imperatorem, & nullum in tota Italia invenit, nisi Franciscum de Garbagnate, qui exul erat, & Paduæ scholis vitam pauperem ducens: hic venditis libris pro expensis, ivit in Alemaniam ad Imperatorem, commendans Matthæum Vicecomitem, quantum potuit, hactenus Auctor Manipuli. Porrò Francisci hujus memini non solùm & Corius, Maphæo summa necessitudine conjunctum, & Gibolengarum partium tutorem acerrimum indicans, in Liguria; mentionem ejusdem faciunt, & Paulus Jovius (In Matthæo M.), Morigia (lib. 1. Histor.) alicubi, Curtius Veronensis, in qua scriptio sepulchralis Mediolanensis, & Inscriptio Joannes Thomas Garbagnatus dicitur Octavus Franciscus Garbagnati descendens, qui Henrico Lucebugenti Imperante legibus & armis maximè floruit, & sanè notandus venit Curtius hic, cùm Garbagnatum refert Mediolani copiosum & affluentem opibus tunc fuisse, cùm exul, & pauper alibi degeret. At hic idem Franciscus successu temporis in Maphæum hostilem animum (ut sunt humana) induit, uti narrant Corius & Jovius, apud quos cautiæ æquæ, seu iniquæ, velut huic, vel illi visum est, eas designare. Cæterùm Hastæ Maphæus Henrico de facie innotuit, quod Manipulus Florum fatis accuratè prosequitur, hisce verbis: *Cui primò occurrit Tibaldus Bruxatus de Brixia exul, Philipponus Comes de Langusco Dominus Papiæ, Antonius de Ficilaga Dominus Laudæ, promittentes personas, pecunias, & suas Civitates, quos Imperator benignè suscepit. Quo audito Guido de la Turre infremuit dicens, Philipponus & Antonius sunt proditores, in quibus nihil certi, vel ratæ fidei inveniri numquam potuit. Sed Matthæus Vicecomes, qui in Brixiensibus partibus privatim vitam ducebat, audito Imperatoris adventu, uno contentus socio pervenit in Ast cum omnibus Gibelinis Italiæ, & ingressus ante Imperatorem, deposito capucio,* (Capite aperto, & rejecta in tergum pericula inquit Merula) *rejectaque post tergum clamyde, occurrit ante pedes Imperatoris, & ait, ò Domine pater exulum Gibelinorum advenisti reconciliator: & amplexatus Imperatoris pedes, dans oscula cum lacbrymis, se, & suos recommendavit: & accepta Imperatoris benedictione surrexit. Videns autem Comitem Philipponum Imperatori astantem brachiis extensis in ejus amplexus irruit: sed vertit terga comes, volens etiam Antonium de Ficilaga amplexari ab eo repulsus multas audivit injurias. Imperator ridens dixit: Jam inter vos dimidia pax facta est. Et tunc Imperator Matthæum reputavit virum prudentem: illos verò satis viles judicavit. His visis Philipponus & Antonius ad mortem doluerunt, quòd ivissent in Ast ad Imperatorem reputantes se fatuos eo quòd consiliis Guidonis non acquievissent, qui noluit umquam, quòd Imperator intraret Italiam: tunc Matthæus Vicecomes instare cœpit, ut ad Civitatem Mediolani convolaret Imperator, & tantum fecit, quòd Imperator Novariam venit, & transacto Ticino intravit Comitatum Mediolani: cui omnes Gibelini occurrerunt, & pervenienti ad Civitatem Guido de la Turre cum vexillo in altum extenso obvius fuit, & descendens de equo Imperatoris pedem est osculatus, intravit ergo Civitatem Imperator, sequentibus eum omnibus exulibus, ut Castonus de la Turre, Matthæus Vicecomes, & alii quamplures. Intravit autem Civitatem Mediolani Imperator anno Domini MCCCX. die Mercurii XXIII. Decembris. Hæc ille satis accuratè, ut videtur. Vidit autem omnia hæc & Corius, qui & addit à Germanis Henrici militibus vexillum Guidoni abreptum, & ad terram afflictum fuisse. Jovius non Guidoni, sed signifero Turrianorum vi extortum signum narrat: dixisseque Henricum Guidoni ea de re non occulta bile percito, mutuatus est: aliam tamen verborum seriem refert Merula (lib. 7. cit.), cui sanè quantum credam non video; cùm & parùm veri similiter Guidonem referat manus intulisse signis Imperatoriis, eaque humi stravisse; & Garbagnatem antea afferat jus civile Pataviii docuisse, cùm addiscentem politissimus Ripamontius Corius, quique licèt Merulæ controversiarum Eccl. Mediol. lib. 7.) Merulæ tues tueatur, de die ingressus, contra Manipulus (Histor. Flor. lib. 9. cap. 9.) & controversiarum Villanus (lib. 5. Histor. Flor. lib. 9.) & Jovius, & Manipulus Florum, at Natale Nativitatis Dominicæ, & Natale Domini cum Merula. At Natale Domini in Ipem prædictis Florum ductus, ut Maphæi in præsidio Cod. Est. ex prioribus Cod. Ambr. Cit.

(f) In P.
(g) In V.
(h) Cod. Est.

Digitized by Google

ducente, Rex permotus Civitatem Vercellarum adiit, ut propinquior Guidoni metui esset, Factiosisque intrinsecis (i) exaltationi: dumque impulsu datæ spei potiundæ urbis Mediolanensis concitus & ipse incalesceret, militum copias è Novaria eduxit, ficto astu se (K) Papiam.... ostenden, divertitque iter citra Guidonis spem Mediolanum properans; tuncque perculsus ingenti & inopinato motu Guido nuntios ad Regem transmisit, qui se pariturum edant, ipseque inermis, dimisso licentiatoque omni exercitu, ac præsidio, Regi obviam vênit, seque Urbisque omnem potestatem tradidit.

RUBRICA XI.

Mediolani deditio.

MEdiolani deditio non minùs Henrici Romani Regis famam auxit per omnes Italiæ fines, quàm ut altera Roma diceretur, & ut alterius Italiæ partis rerum omnium potiretur. Tum (a) animos Imperium non affectantium novus terror invasit: obsequentium spes extulit. Hinc mœrores occulti, tacitique inde gaudia, & lætitiæ apparentes in tuto, dissimulatèque (4) (mirabile dictu) omnes ferme Lombardiæ Civitates ab Alpibus hinc Veronam usque, inde Mutinam inclusivè, Regi fidelitatum juramenta præstitere. Vicarios suscepere novis legum sanctionibus ad Regis placitum, vitæ necisque potestatem habituros, Alexandriâ dumtaxat exceptâ (5). Hæc enim Roberti Apuliæ Regis præsidio tenebatur, cui & sponte Rex ipse cessit, forsan & illum caussa non latente. Regum nempe consilia non omnia nota populis. Patavini, Vicentinique, quos Friderici Imperatoris sævitia, nefandaque Eccerini de Romano tyrannis Imperii vices obtinens necaverat à stirpibus, longaque deinde freti quiete (6), substitere, nihil arrogantiæ, contemtus, parumque obedientiæ ostendentes, faventium exemplis, rerumque successibus salubria resumturi consilia. Bononienses secus (7). Nam & ipsi novorum vallorum, fovearumque munimentis Urbem cinxere (b); plebiscita, legesque in Regem, Regique obsequentes statuere, in quibus, & Imperatoris nomen proferenti capitale sit supplicium.

RUBRICA XII.

Coronatio apud Mediolanum.

TRiumphans igitur in Mediolano Rex HENRICUS Corona Ferrea insigniri juxta legis Imperialis sanctionem antiquam statuit, evocarique undique populos dimissis edictis ad diem certam in ipsa Mediolani urbe, & Sanctissimi Ambrosii æde, seu Oraculo. Quamquam disceptatum, an (a) Modoeciæ id fieri oportuerit, ut plurimum moris antiqui fuerat (8); decisum tamen & illico fieri nihil interesse. Illud quoque Principum, Baronum, ac Populorum jam subjectorum frequentia, & alacritate effectum est. Ad id ex nondum parentibus invitati, vocatique interfuere Patavinorum, Vicentinorumque Legati (9) Regiam Coronationem præsentiis honorantes, seque non ex fidelibus minimos zelis bonis, & cùm se captaret temporis opportunitas, operibus offerentes. Quibus mite (b) responsum gratificandi, cùm sibi, Imperioque (ut decuerit,) se devotè summiserint, reddidit. Coronati itaque Henricus Cæsar, Augustaque Margarita (10) Anno ab ortu Do-

(i) *Cod. Amb.* exultationi.
(K) *Fortè* iturum ostendens.

NOTÆ AD RUBRICAM XI.

(a) *In V.* Tunc.
(4) Videtur hic, *dissimulatè*, sumptum pro, apertè, ac palàm: cùm tamen contrarium significet, nam dissimulare est astutè aliquid celare, ne intelligi possit. *Villanus.*
(5) Manipulus Florum Merulæ concors excipit Civitatem Albensem & Alexandriam, quòd essent sub dominio Regis Roberti; & concinit Corius. Mussato tamen videtur adstipulare & Ludovicus Cavitellius. *Pignorius.*
(6) Sententia exigit, ut inducatur copula, *que*; pendente hactenus oratione. *Villanus.*
(7) Hæc omnia & ratio itineris, qua Henricus Romam versùs usus est, apertè dissident ab iis, quæ C. Sigonius (*lib.* 3. de Ep. Bono.) vir clarissimus tradit, Hubertum Episcopum Bononiensem *hospitem apud se habuisse Henricum Cæsarem Romam ad coronam Augustalem accipiendam euntem*, neque enim Henricus Bononiam attigit, neque passi essent Bononienses illum apud se divertere, cujus nomen pæne proscripserant. *Pignorius.*
(b) *In R.* auxere.

NOTÆ AD RUBRICAM XII.

(a) *In V.* Modociæ.
(8) *Mirum est quod narrat Ripamontius, maturasse Henricum ex oppido Modoeciæ petere ferream coronam, & jussisse suo nomine dari literas ad Archipresbyterum, & Canonicos ejus Ecclesiæ, moxque illò profectum. Modoeciæ item parata fuisse omnia celebrandæ coronationi, in Templo D. Jo. Baptistæ: verùm apparatum omnem ad irritum cecidisse, & Henricum repetiisse Mediolanum re infecta, & Corius sanè eadem literis mandavit, quæ tamen hic noster non agnoscit. Verùm Modoeciæ inquiunt Annales Pistorienses sumptam ab Henrico coronam Paleæ (della Paglia) uti moris est, & Mediolani ferream. Nam litem componere meum non est, referam tamen stare ab hoc nostro Merulam, Meyerum, Villanum, Ammiratum, Manipulum Florum, & Lodovicum Cavitellium. At quam hi omnes ferè vocant ferream, manuscr. apud me Codex argenteam appellat, hisce verbis, *Imperator debet coronari tribus coronis, prima esse debet de ferro, quæ significat potentiam & fortitudinem, & de ista corona ferrea debet coronari per Archiepiscopum Coloniensem in civitate, quæ dicitur Aquisgranum, Aych, Leodiensis Diocesis, secunda est de argento, quæ significat quòd in ipso est clara justitia, & munda, & de ipsa corona argentea coronatur per Archiepiscopum Mediolanensem in Ecclesia S. Ambrosii Mediolani*, &c. Quomodo hic (quisquis ille fuit) argenteam vocet ipse viderit. *Pignorius.*
(9) Negat disertè Villanus (lib. 9. c. 9.) at Mussati potior fides; siquidem & ipse in numero Legatorum interfuit, si audimus Guilielmum de Certosiis nostratem Historicum: *cui coronationi* (inquit ille) *Legati Paduæ interfuerunt honorificè* Henricus Serovegnus, Rolandus de Guarnarinis, Joannes de Vigontia, Petrus de Muffis milites: Jo: Henricus de Capite-Vaccæ Judex, Baricus de lingua de Vacca Legum Doctor, & Mussatus Poeta. *Pignorius.*
(b) *Cod. Ambr.* mirè.
(10) Videtur asserere ambos coronatos fuisse corona ferrea, quod tamen Manipulus Florum disertè negat, scribens Imperatricis coronam fuisse auream, & sanè fieri potuit, ut ambo ferrea coronarentur, quod Cæsar ferream domum gestaret, Augusta auream; & quidem passis capillis, ut Manipulus notat, à forma autem, & figura lauream appellet Mussatus, quia ut animadvertit Villanus, sive alius quispiam apud ipsum fuit è chalybe lævi, & polito, in coronæ laureæ morem, insertis multi pretii gemmis, uti olim Cæsares gestabant. Minister verò coronationis fuit Castonus de la Turre Archiepiscopus, super Italiam, Normandiam, & Saxoniam. Ita enim describit Manipulus Florum. Sceptrum graphicè expressit Mussatus, quod

Digitized by Google

Domini nostri Jesu Christi undecimo trecentesimo millesimo, VIII. Idus Januarii Ferrea Corona, quam Lauream appellabant, in Equis phaleratis rubro scarleto cum purpureis tegumentis supra vertices latis se Populis exhibuere per Urbem, Rege Sceptrum manu dextera gestante, videlicet Scipionem aureum lilio supra renitente (11): quorum imagines, effigiesque hoc loco conscribi consequens visum est.

RUBRICA XIII.

Regis, & Reginæ descriptio.

HOmo gracilis, statura prope justa, colore, capilloque subruffis, eminentibus superciliis, sinistri oculi albuginem detegit plus æquo mobilitas. De planicie in acutum apicem nasus se porrigit. Ore venusto, mento terete, coma Gallica, quantum pollex operiret, conspicit occiput (12). Cervix humeros à capite congrua æqualitate discriminat. Nulla tergorum obesitas. Ventris, & pectoris veluti linealis æqualitas, pedumque, & crurium (13) commensurata conformitas. Loquela tarda, succinctaque, Idioma Gallicum, satisque se conferens intelligentiæ Latinorum. Magnanimitatem concomitari mansuetudo videbatur, & divini cultus instans sedulitas. Cujusquam cum subjectis pactionis impatiens, Gibolengæ, Guelfæve partium mentiones abhorrens, cuncta absoluto amplectens Imperio. AUGUSTA annum jam sextum, & trigesimum (a) agens, impuberis habet aspectum, cui color albus, fusca cæsaries, maxillæ teretes, nasi rubra acies, os pusillum facie & ocellis ridenti simillimis. Labellum inferius, (b) mentum, & colla velum tegit (c) circumductum Germano ritu, amictus laxior Gallico more, statura paulò breviore mediocri. Consilii non ignara, arrogantiæ expers: affabilitatis in inferiores plusquam Regiæ quidam esse dixerunt, quod & mansuetudini plerique attribuere. Cæremoniarum, divinique cultus tantæ assiduitatis, ut solemnium festivitatum dicta sit pernoctare vigiliis. Lapsorum miseratrix, amoris in Virum supremi, prolationis facundæ, nec prolixæ.

quod enim olim ligneum fuit, ornatum ære, vel oriehalco Regum gestamen, postea Consulum & Cæsarum antiquorum imposita eburnea Aquila, id demum Germani Cæsares aureum effecerunt Lilio in sedem Aquilæ subrogato: quod & Regibus Gallorum audio solemne fuisse, ut visitur in tumulis Chilperici, & Fredegundæ apud S. Germanum. Georgius Merula sceptrum describit præfixum pomo parum aptè, & a rei veritate aberrans. Equorum phaleras noster è scarlato rubro non inconcinnè commemorat: quod enim nunc Scarlatum coccinum tantummodo est, tunc temporis non fuit, alios enim colores præter coccinum recepit, hinc legimus apud Villanum, (lib. 8. c. 13.) *tutti giovani vestiti co'l Re d'una partita di scarlatto verde bruno*. Pignorius.

(11) Meliùs, *renidente*. Villanus.

NOTÆ AD RUBRICAM XIII.

(12) Nescio, quid hoc rei sit: quare mendum subesse reor. *Villanus*.

(13) Crurum, dici constat, crurium, non memini. *Villanus*.

(a) *Cod. Amb.* trigesimum algoris impuberis habebat aspectum &c.

(b) *Cod. Est.* inferius tegebat mentum, & colla velum circumductum &c.

(c) *Cod. Amb.* tegebat.

De gestis Henrici VII. Cæsaris Liber Albertini Mussati Paduani Historiographi Primus explicit.

ALBER-

Digitized by Google

ALBERTINI MUSSATI
DE GESTIS
HENRICI VII. CÆSARIS
LIBER SECUNDUS.

RUBRICA PRIMA.

Exortæ in Regem Mediolanensium simultates; Cremæ, & Cremonæ rebelliones cum expulsione Guidonis della Turre.

HIs Mundi Principibus ad sublimis gloriæ columen sic feliciter prodeuntibus Fortuna secundis adversa permiscuit, solis hucusque dulcibus usa blanditiis. Accidit quippe, (1) ut dum re cogente pro instantibus Imperii, Reique publicæ necessitudinibus (a) ad incumbentes actus, utilesque progressus de subjectorum populorum contributionibus oportere conferri, annuntiatum populo Mediolani (b) ut offerrent ipsi juxta Communis, & Populi agnitas facultates; conventu adhibito (c) conscriptorum Decurionum, Primores, quos vetus agitabat intestina dissensio hinc Guidonis, inde Maphæi instinctibus, utrinque ambitiosis studiis ostendendæ potioris dilectionis in Regem, certatim majores summas offerri suasere, ut demum pollicitatio summam caperet centum millium florenorum (2). Hoc publicatum jam prioribus oneribus defesso populo perquam grave visum: jam Regem detestari per fora, phana, & plateas: jam Teotonicorum furores insoportabiles (3): jam status mutationem, quam gaudio esse putaverant, mœrori, onerique fore. (d) Hæc querelæ in dies invalescebant in plebem, nec anto sedatæ, sed potiùs delatæ, quam Cæsaris clementiâ manaret edictum, alteram partem exigendam, alteram differendam, effectumque est, ut pro dimidia foret (e) exactio, dum super reliqua aliud Princeps statueret. Nec dilatio hæc, si distulit odia, tamen abstulit, quin tumidi præcordiis conceptus insisterent. Insuper & majores (f) futuri scandali subiere caussæ. Nam illis pæne diebus Cæsar Papiam promoturus, delectos ex Majoribus secum ire decrevit ad L. circiter numerum (4), quibus de publico stipendia dari statuerat, ex quibus duplex dissidium exortum est, alterum Plebis prægravatæ solvendi æris: alterum utriusque factionis Nobilium, hunc extra Urbem exitum non tantùm militiæ, comitivæque Regiæ indicium, sed futuri exilii (g) meditantium esse principium. Inde & Plebs excandescens in Principem, jam solis concitationibus egens susurrabat infrendens. Nec hæc Guidonem Turrianorum, sibique adhærentium: nec Maphæum (h) Vicecomitem, ceterosque ejusdem partis Principes latuere. Se namque (i) Cæsari magnitudinum suarum formidine exosos, suspectosque noverant. (K) Verùm hic diversorum diversa certabat opinio. Plurimi namque Maphæum à Cæsare tutum omnia fiducialiter agere, quamquam astu Francischinum Guidonis filium tentandum à Galaaz filio extra (l) .... prope Sancti Dionysii prædia (5) ad colloquium traxisset, ne sic amotis arbitris, quin & manum in fidem dare Galaaz Francischinus compertus (m) fuerit. Alii verum colloquium fuisse inter se sinè fraude dictitabant, Cæsarem re cogente Maphæi culpam ad tempus dissimulasse. Sed hic veritati locus superfit. Intumescentibus igitur Plebis, insigniumque in Cæsarem simultati-

NOTÆ AD RUBRICAM I.

(1) Hæc syntaxis non unam præfert offensam. Primò illud, *recogente oportere conferri*, subdurum videntur. Deinde post verbum, *Mediolani*, videtur non nihil desiderari. Ad hæc illud, *ut offerrent ipsi*, non potest defendi, nisi figura, πρὸς τὸ σημαινόμενον. Sed hæc omnia æquari, tollique possunt, si pro *oportere*, scribas, *oporteret*; post, *Mediolani*, adjungas, *foret*, vel *fuisset*; & pro, *offerrent ipsi*, reponas, *offerret ipse*: quanquam postremum hoc ferri, ut ajebam, potest. *Villanus*.

(a) *Cod. Est.* vicissitudinibus, *& ita Cod. Amb.*

(b) *Deesse videtur* foret, *vel quid simile*.

(c) *Cod. Amb.* ad hoc habito.

(2) Rem hoc ordine enarrat Auctor Manipuli, *Hic* (Nicolaus de Bonsegnoribus) *convocato consilio Nobilium de Mediolano scisitatus est quid donaturi essent Imperatori pro coronatione. Guilielmus de Pusterla libras quinquaginta millia Florenorum. Matthæus dixit congruum, ut etiam Imperatrici dentur Florenorum decem millia. Guido de la Turre obtulit centum millia Florenorum darentur Imperatori, quod & factum fuit*. Rectè ergo dixit Mussatus, *utrinque ambitiosis studiis ostendendæ potioris dilectionis in Regem*, testatum esse, quod & alii (Merula) tradiderunt. At de Edicto Cæsaris, *ut pro dimidia foret exactio*, non satis conveniunt, Georgius Merula stat à Mussato, & Meyerus, qui tamen summæ majoris non meminit: ducentorum millium summa quòd recensuerit Cavitellius in eo hallucinatum putamus. *Pignorius*.

(3) Primò corrigendum, *Theutonicorum*. Deinde illud, *insoportabiles*, adeò grave est, ut ferri minimè possit. Saltem, *insupportabiles*, dixisset. Repone fis, *intolerabiles*. Villanus.
Cod. Est. importabiles, *& ita Cod. Amb.*

(d) Hæc *pro* hæ *more seculi*.

(e) *Cod. Est.* fieret, *& ita Cod. Amb.*

(f) *Cod. Amb.* majoris.

(4) Variat Auctor Manipuli; *tunc Imperator pro tertia coronatione vadens proposuit ex nobilibus de Mediolano centum ducere pro sua comitiva Romam usque*. Pignorius.

(g) *In P.* judicantium.

(h) *In P.* Maphæum Vicecomitum, ceterorumque.

(i) *MS. Amb. addit* jam.

(K) *Desiderantur hæc in P. usque* Intumescentibus.

(l) Urbem.

(5) Ex Manipulo Florum hæc supplentur *Franciscus & Galeaz extra portam Ticinensem in pratis occultè colloquium habuerunt, deditis invicem dextris & osculis, indignatus est contra ipsos Imperator*, &c. *Pignorius*.

(m) *Cod. Est.* conspectus, *& ita Cod. Amb.*

Digitized by Google

tatibus, dum instante (n) N. de Bonsignoribus (o), quem suffecto altero Astensibus Vicario (6), urbi Mediolanensi præfecerat, ut impositio solvendi stipendii, pecuniæque aggregandæ fieret, ad idque sibi ægrè responsum foret, infra Prætorii forum, ubi Broletum vocant, exaudita vox est arma conclamans, extemplo plures in eumdem clamorem (p) exacuens; sicque brevi Urbs universa commota est. E consilio vocati sinè ordine discessere se se ad domos proprias proripientes. Populus, & omnis Plebs per vicos ad suas quisque domos perrexere. Nonnulli arma capescentes in tribubus stetere ancipites (7), quidnam hoc esset hæsitantes. Cæsaris Principes Francorum ex Ducibus (q) Ameus Sabaudiæ Comes, (r) Marescalcus Flandrensis Comes Guidonis Comitis frater, Dux Austriæ (f), Goleranus Cæsaris frater, ceterique ad arma (t) prosiluere, non compositis, centuriatisve cohortibus hinc inde pallantes (8), quorum plerique suspectioribus urgentibus causis ad Turrianorum loca discurrentes, quæ Vasta appellant, Guidonis vicina domui circiter XXX. in equis hastatos invenere ibidem consistentes, seu quicquam pensi habentes, sive quænam hæc esset res hæsitantes, inter quos Francischinus Guidonis major natu fuisse constitit, in quos aggressu facto, victi cessere Germani plurimis cæsis, sauciisque. Dumque ad id loci tantæ resistentiæ infamis Franchi, Germanique confluerent ibidem infestiùs concursum est, ubi pæne pari, & ancipiti certamine Cives terga vertêre cæsi, fugatique. Quo statim conflictu Guidonis domus excisa est, ipso non comperto, supellectilia direpta, ænea, argentea vasa, (9) gravis æris arma, equi, ceteraque quæ divitiosa ætas in domum egregiam aggregaverat, exustis, conflagratisque desuper terram ædificiis. Nec hoc substitit loco Regia Militia seditionum exterrita pavoribus; sed per Urbem hinc inde perambulans vix inermibus parcens, quos in armis inveniebat, confodiebat. Marescalco Galaaz Maphæi filius major natu in has necessitudines se cum sequacium turma ut (u) suffragantem exhibuit. Occidente Sole nox cædem, conflictumque diremit. Regiæ Cohortes in Theatrorum plateis, locisque triviis pernoctavere sub armis, succensis facibus, alternis vigiliis. Illucescente die jussa quies, clamatæque fiduciæ voce præconia; ferunt tamen, à præda, & violentiis per vicos non esse desitum. Quin & Teotonicorum plerique, (10) quibus se, & Maphæi Vicecomitis nonnulli complices adjunxerant, in Turrianos, eorumque partis consortes desævierint partiariis nuncupationibus, ut si (x) se Guelfos aliqui (y) profiterentur, animadversum in eos (z); si quidem Gebellinos, illæsi abirent (11). Per Colonias (a) quoque Vicecomitum fideles aggressi Turriani nominis plurimos cecidere (b), domos & villas incendêre, ut in ardentibus victoriis mos est victoribus, (c) idque multum pertransire. Post hoc trium, vel quatuor dierum lapsu Edicto Regio conclamatum est, his abstineri excessibus, ablata restitui, Guidonem, filiosque intra dierum octo spatium comparituros ad se de impositis purgandum, æris & personarum pœnis adjectis. His terroribus confusi Cives per domos, & vicos se continuere: nec satis fiduciæ fore Maphæo, familiæque vulgatum. Cæsarem namque non latêre perlatum est, in se per factionem utriusque partis conjuratum; alloquia locis abditis inter utriusque partis Primores habita; conjugia desponsa; hæc non nisi, ut privatim unanimiter conspirantes Cæsarem oppeterent, urbe pellerent, communionem integrarent. Hæ favillæ inter urbis penetralia sic ferventes flammas extulere, ut omnis Italia novarum rerum jam excita (d) motibus incaluerit, prodiitque famæ ventilabrum mixtim veris, falsisque promiscuum, jam Regem in Tyrannum versum facultates Populorum dissipare, partiarium se palàm ostendere; Teotonicorum rabies, Francorumque insolentias (12) in Latinos insanire. Verùm divulgantium pars, Regem non corruptum, sed domesticis suis violatum ajebat; occisis tamen pulsatisque id parum prodesse. Viciniores perculsæ his terroribus Civitates, & præsertim partis Ecclesiæ nomen ex antiquo tenentes, omni potiundæ quietis spe exutæ rebellavere. Crema, Cremonaque viciniores (13), pulsis Vicariis, præsidiisque Regiis jugum excussere.

(n) Nicolao.
(o) *Cod. Est.* Bonsegnore.
(6) Georg. Merula, (lib. 7. p. 84.) *præficitur deinde Hastensibus Nicolaus*, & hoc antequam Cæsar Mediolanum attingeret. *Pignorius*.
(p) *In P.* excutiens.
(7) Hæc omnia accuratè exequitur Merula, quem consulere operæ pretium est. Illud sanè notandum culpam domesticam bene vertisse Maphæo, & Turrianos vafro hosti, & omnes occasiones captanti nimium credidisse. *Pignor.*
(q) *Sic R. & Pat. V.* Ameus Sabaudiæ Comes, Henricus Marescalus Flandrensis Comitis frater, Ducis Austriæ frater, Goleranus Cæsaris frater, ceterique &c.
(r) *MS. Amb. addit* Henricus.
(f) *Cod. Amb.* Ducis Austriæ frater.
(t) *In R. & P.* prosiliere.
(8) Corrige, *palantes*. Villanus.
(9) Auri nulla hic mentio, & profecto vetusta majorum nostrorum frugalitas hoc non ferebat: notat enim Franciscus (de reb. Firmanor. lib. 2. c. 41.) Adamus, tanto post, anno MCCCCXIX. in Nuptiis Ludovici Principis Firmiani, & Thadeæ filiæ Pandulfi de Malatestis, Firmi, nocte, arsisse cellam *in Palatio cum DCCC. libris Bellariorum, & DC. cerea, & vasibus omnibus stanneis, & argenteis, aliaque supellectilia maximi pretii*. Pignorius.
(u) *In P.* suffragante.
(10) Corrige *Theutonicorum*, & paulò post pro, *desævierint*, ponendum, *desævierunt*: nec longè ab his pro, *cecidere*, lego, *cædere*. Villanus.
(x) se *deest in P.*
(y) *In R. & V.* profitentur.
(z) *Fortè* foret.
(11) Hoc demum est, quod narrat Georgius Merula, *invenio tunc primum tetra & perniciosa factionum vocabula Mediolani audita. Gibellini à Vicecomite stabant: hi ut Germanos sanguini & prædæ alioquin imminentes in adversarios magis incitarent, eos Guelphos dictitabant. Guelphum nomen Cæsari invitissimum & societas, & amicitia reddebat, quam illa factio cum Roberto Regi fecerat*: nec dissimilia tradit Corius. *Pignorius*.
(a) *In P.* Per Colonias Vicecomitum.
(b) *MS. Amb.* occidere.
(c) *In omnibus* idque, *scribe meo periculo* nilque.
(d) *In P. deest* motibus.
(12) Petrarca.

Quando de l'Alpi schermo
Pose fra noi, e la Tedesca rabbia.

Villanus (lib. 7. cap. 61.) *un Francesco per suo orgoglio prese una donna di Palermo per farle villania*, rectè *orgueil*, enim fastus & impotentia est, & insolentiæ non aliud sunt, quàm impotentis animi notæ, quæ vox etiam hodie apud nos proba, & legitima est, dum dicimus *egli è insolente, egli usò insolenza*. Insolentia (inquit Joannes de Janua) idest superbus, fatuus, moribus non conveniens. *Pignorius*.
(13) Georgius Merula (lib. 7.) narrat Venturinum Benzonum, & Forinovi Comites, tum alios, qui antea Crema exulaverant, ultro Othorinum Soresinam delegisse Cremæ Cæsaris Vicarium, comprobante Henrico, fuisse ibi per ali-

Digitized by Google

sere. Regini plus æquo (14) exultantes partis Imperii fautores, seque ob nova Regiæ militiæ in partem detegentis (15) extollentes, expulere, fugæ remedio Vicario cedente.

RUBRICA II.

Defectio Brixiæ.

HIsque talibus Mediolani novis elati Mazii (16) Brixiæ paulò ante Dominatores, in Thebaldum de Bruxadis, ceterosque qui nuper jussu Regis Brixiæ Civitatem intraverant, insultum movere; sed Fortuna præsumtos eorum divertens affectus Populo, Plebeque, quos jam veteris Dominii pertœsum fuerat, nova affectantibus, vices mutavit, ut pluribus cæsis, multisque captis Maphæus de Maziis, & Brixiensis Episcopus ejusdem nepos vix fugam arriperent, ad Castrum Urceorum se proripientes. Sicque Thebaldus, qui Cæsaris beneficio nuperrimè in Civitatem restitutus fuerat (17), suique sequaces, fulciente Populo primum locum obtinens, ut ceterorum ejusdem partis Princeps (18), exclusis ad libitum Maziorum amicis urbem Brixiæ possedit. Albertus (*) de Rogolone (19), quem Rex Vicarium ibidem præfecerat, nullis suffultus, patratis cessit; comiter tamen habitus à Thebaldo, & suis, non abscedit.

RUBRICA III.

Cumarum commotio.

CUmarum (a) Civitas (20) his tumultibus paulisper commota; Gebennensi tamen Episcopo illò jussu Cæsaris ad reconciliationem properanti, (b) subsedit.

RU-

aliquot dies omnia pacata, & tranquilla: deinde Comites Forinovi, dum sua recuperare studerent omnia turbasse, hos à Benzono ejectos vi, Soresinam stationem deseruisse Mediolanum reversum eo eventu, ut Benzonus reditum abnuerit, & ad Cæsarem ire sæpe accitus renuerit semper Jo: Bapt. Pigna (lib. 4. Hist. Ates.) hæc habet, *Cremona, Crema, Brixia ejusmodi Præfectos vix dum Magistratum auspicatos ejecerunt, quippe Sacramento Cæsari dicto in speciem potiùs obsequi; quàm quod unius Imperium affectarent, cujus nullo modo poterant capaces esse, nisi insigni aliquo exemplo coercitæ, aut magna temporis diuturnitate.* De Cremona, & Crema eadem habet Cavitellius, qui & addit fuisse Cremam à Cæsare expugnatam, & mœnibus exutam, Merula (lib. 2. in princ.) deditam scribit Jo: Villanus (lib. 9. cap. 11.) in literas retulit, Cremonam factione Florentinorum inductam, ut rebelles animos sumeret, quò Cæsarem tot hìc distinerent jurgia, ut animum rebus Etruscorum intendere vix posset, exemplumque mox secutam Brixiam, ut infra videbimus apud hunc nostrum. *Regini* sunt Regienses in Æmilia, qui anno 1305. Azonem Aretinum rejecerant, & asseruerunt se in libertatem, ut narrat Villanus (lib. 8. cap. 33.), eorundem autem Vicarii meminit & Corius, qui fuit Spineta Malaspina, Auctore Curtio lib. 10. *Pignorius.*

(14) Scribe, *Regienses*: nam inter Rheginos, & Regienses hoc interest; quòd Rhegini dicuntur à Rhegio Calabriæ, Regienses à Regio Lepidi, Galliæ Cisalpinæ Civitate, de qua loquitur hic Mussatus. *Villanus.*

(15) Nescio, quid sit hoc. Suspicor, addendum, *se*, post verbum, *partem*. Villanus.

NOTÆ AD RUBRICAM II.

(16) Hanc Maziorum ejectionem literis consignarunt Georgius Merula, qui Maciones appellat, Helyas Capreolus, Cavitellius, Curtius, Octavius Rossius, & Chronologus antiquus, Anonymus, Manuscriptus, qui latebat in Bibliotheca Cl. Viri, & numquam satis laudati A. Querengi. Hic eadem ætate fuit, qua Henricus; & summa cum libertate styli hæc tempora perstrinxit, hujus hæc sunt, *Brixiæ Tebaldus Brusatus expulsis fraude concivibus, qui eum jussu Imperatoris pacificè receperant, Imperatori rebellat, ac adversarios Imperatoris recipit, & amicos illius expellit*, idem Auctor, quod de Regiensibus nuper retulimus, sic explicat; MCCCVI. *Mutinæ populus tyrannidem Azonis Estensis perhorrens, cum omnibus sævus esset, atque terribilis, à cervicibus suis jugum servitutis excussit, quo audito populus Regii idem fecit postridie. Arces, quæ in eis urbibus erant ad præsidium servandæ tyrannidis confestim diruptæ sunt à populis avidis libertatis.* Hæc licèt non hujus loci sint æqui bonique consulet, qui censet antiqua monumenta promereri, ut improbo etiam labore asserantur in lucem, quantumvis alieno loco inserantur. *Pignorius.*

(17) Auctores verò omnes quotquot ego vidi Thebaldum incusant, quòd Cæsari obstrictus Cæsarem fefellerit. Anonymus A. Q. ita scribit, *reduxit in Brixiam Thebaldum hominem sibi fidum, ac benevolum, & compatrem*, & paulò infra notat ut fraudulentum quemadmodum vidimus. Corius perfidum, & ingratissimum appellat. Georgius Merula (lib. 8. in princ.) defectionis sollicitatorem vocat, beneficio Regis in patriam nuper receptum. Villanus (lib. 9. cap. 19.) proditorem, uti & Auctor Historiarum Pistoriensium, cui Albertus dicitur, qui aliis Thebaldus, studio partium pessimè omnium accipit Facius Ubertus. (Dittam. lib. 8. cap. 30.

O d'i Brugiati, ò nato maledetto
Quanto facesti far male contra lui
Benche la morte tua ponio el defetto.

Historici Brixiani excusant, neque injuria fortasse, eas enim strages ediderat Mediolani Henricus, & quidem nolenti similis, ut omnes, qui res suas pacatas vellent, secum rectè agi putarent, si eum procul haberent, mirum verò est quod tradit Blondus è nescio quibus Annalibus erutum, Theobaldum Bursatum à Magiis Brixianis ejectum, paulò ante jussu Regis reductum, quæsitumque ad necem, se de fuga ad Henricum recepisse, cujus nulla ampliùs mentio apud Blondum extat. *Pignorius.*

(18) Principem hìc accipio pro primario, & eminentiore, non pro domino, ut apud Plinium juniorem (lib. 3. cap. 2.), *Arrianus Matarius Altinatium est Princeps*: quod nonnulli apud Capreolum (lib. 7. Hist.) parùm cipientes scripserunt, Berardum, Federicum, & Maphæum Magios Brixiæ Principatum tenuisse; consultior Blondus, qui Brusatum adversæ factionis Principem appellat; parùm cautus Jugurtha Thomasius (lib. 8. Fist. sen.), qui nominat Tyranum. *Pignorius.*

(*) *In P.* de Roglogone.

(19) Hujus nomen novit Capreolus, cognomine abstinuit. *Pignorius.*

NOTÆ AD RUBRICAM III.

(a) *In P.* Comarum.

(20) Comum intelligit, seu Novo-Comum, quod illo sæculo Cumas appellare soliti erant, ut etiam notavit Philippus Ferrarius in nova Topographia in Martyrologium Romanum. Cæsarius (lib. 11.) *in Pergamo, in Cumis, in Venetia, in Cypro, in Papho, & in aliis multis Provinciis, atque Civitatibus eodem tempore multos terruerunt terræmotus.* Otto Frisingensis, *ubi à Mediolanensibus, qui tunc Cumanum bellum per decem annos, pro afflictione populi utriusque Civitatis miserrimè protractum, &c.* Fridericus Imperator scribens P. Aquilejæ Patriarchæ, *quòd Mediolanenses Castrum quoddam nomine Sartianum (fortè Carcanum) situm juxta Cumas, cum sua fortitudine obsederunt.* In Epitaphio Joannis Archiepiscopi Vicecomitis.

Cumarum tellus, novaque Alexandria pinguis.

Annales Incerti Auctoris ex editione Pitoei aliter inflectunt, exemplo non satis obvio; *& in territorio Cometense Italicæ Civitatis, in vico Gradabona, in Ecclesia S. Joannis Baptistæ, &c.* Pignorius.

(b) *Cod. Est.* obediens subsedit, *& ita Cod. Amb.*

Digitized by Google

RUBRICA IV.

Expulsio Rubeorum de Parma.

RUbeorum pars in Civitatem Parmensem (21) Cæsaris imperio adducta pacem cum Giberto de Corrigia initam rupit, congressuque impari cum Giberto victa fugataque cum strage multa occisorum captorumque ex Urbe discessit.

RUBRICA V.

Procurata cum Mediolanensibus reconciliatio.

HI strepitus undique increbescentes Regiam Curiam perplexam curis ingentibus, sollicitudinibusque fecere; in consilia publica, privataque Cæsarem coëgere non suffectura diurnis lucibus. Privati consilii coibant à latere domestici Amæus Sabaudiæ Comes, Treverensis Episcopus Cæsaris frater minor natu (nam & Goleranum alterum fratrem plurimum armis, militiæque intentum expediebat) Episcopi Leodiensis, Basiliensis, Gebennensis & Tridentinus Bibliothecæ Regiæ (a) Cancellarius (22), Henricus de Coldonia (b) Protonotarius secretorum conscriptor, ac Referendarius (23). Primis decretis domesticos corripere, emendare cautum; se Mediolanensibus conciliare; Guidoni *della* Turre diem dictam prorogare, ne quid in insontem fortè animadvertatur; curæ esse partiaria vocabula detestari, abolere (c) causas commotionum mansuetè dignoscere; animos perterritos conciliare, mitigare; collectiones, ærisque gravamina minuere, sublevare; deviantes suasionibus mansuetis ad subjectiones elicere. His stabilitis sollicitus Cæsar Amæum Sabaudiæ Comitem, Dalphinum fratres geminos, Ducem Austriæ, Joannem de Calcia Flandrensem Marescalcum (24) Curiæ Flandriæ Comitem, (d) fratrem, aliosque Germanos, & Francos ex Principibus sevocasse dictus est, in eosque vultu, verbisque nunc tristibus, nunc horridis, ardentibus in iram oculis sermones intendisse, sic inquiens:

A „ Deum meum, Cœlum, Sidera testor, o „ Franci, Germanique Socii, Commilitones, „ Necessarii mei, Fratres, Agnati, Cognati- „ que, mea caro, sanguisque Meus, nulla me „ Mundi gloria, nullique mortalium cupidinum „ affectus ad has Mundi motiones adducunt. „ Si sursum aspiciam, Motorem Deum; si in- „ fra, Clementem Papam intueor. His Duci- „ bus vehor. Et quis contra me? nisi ipse igna- „ rus, ingratusque facinoribus assentiam, ut cœ- „ cus à cœcis ductus delaber in foveam? An „ ille supremus justi, & æqui præceptor Deus „ quidquam sanctius statuit, quàm ut proxi- „ mum diligam, ut me ipsum? Ullane discre- „ tio, vel differentia inter Christicolas? quis B „ ille sit proximus? Germanus, Francus, Wan- „ dalus, Suevus, Longobardus (e), an Thu- „ scus? Et quisquam vestrûm respondeat Ge- „ bellinos (f)? Proh facinus! Ad quid veni? „ ad quid missus? ut prædecessorum cujuspiam „ errores impius successor exequar? Scismata „ jam antiquata suscitem? Clemens, & Dei Se- „ dem in terris obtinens nostrum ad id pro- „ gressum movit in plumbo consculpiens, ut „ Gibellinis Guelfos subjiciam, vel è contra? „ Quænam hæc paritas? Hi Imperii, illi Ec- „ clesiæ velaminibus invidiosa induere nomina, „ quibus hæc suggessit Lucifer ille, qui cecidit. Ergo & Clementis Papæ Nuntius, cujus sub signaculo in me Christicolæ, ut in alterum Dei luminare, conspiciunt. alterum C „ eorum genus insecutus (g) progrediar, alte- „ rum proditurus? Non sic temerarii nostrorum „ actuum perversores, præsertim quos ex vobis illud præcordiale scelus invasit. Præmoriar ipse, priusque hujus corporis compagine, quàm mente dividar. Et si quos ex vobis illa prorsus urgeat cordis ansietas (vos „ siquidem mecum progeniti fratres) *in fratres* „ *aspiciens*, abite hinc retro, cædem (h) ap- „ petite, sævite vobis auctoribus, non me Du- „ ce, non Principe. Per Deum Immortalem „ nostras evitate secures, quas primus hujusce- „ modi concitationis tumultus suo sanguine „ cruentas excipiet. En jam Longobardiæ (i), D „ Ita-

NOTÆ AD RUBRICAM IV.

(21) Vincentius Carrarius Ravennas, qui res Rossiorum quinque libris lingua Italica, prosecutus est, narrat Gulielminum Rossium Mediolani cum Giberto Corrigio pacem contraxisse, & Parmam reversum esse cum gentilibus suis, Lauru, & Olea caput singulos redimitos, & hoc an. MCCCXI. venisseque Parmam Cæsaris Vicarium Guidonem Cocconatum Taurinensem, in cujus comitatu fuisse Ptolemæum Pellicionem, itidem Taurinensem Papiniani Episcopi Parmensis fratrem, quem Henricus vice sua Burgo Sancti Domnini præfecerat: verùm mox Rossios & quidem tertium à Corrigio ejectos, cum cæde capitum formæ LX. Et Chronicon Parmense Italicum, apud me MS. Auctore Joanne q. Zilioli, q. Bertoli, hæc habet, *in quel medesimo anno li Rossi con la sua parte sono la terza fiata cacciati gagliardamente fuora della Città di Parma, per Messer Giberto da Correggio*. Et hoc videtur esse Chronicon Joannis Zilioli, quod se nactum esse Carolo Sigonio, testatur Carrarius. *Pignorius*.

NOTÆ AD RUBRICAM V.

(a) *Cod. Est.* Vicarius, seu Cancellarius.

(22) Hic fuit, si Jano Pyrrho Pincio credimus, Henricus III. de Onetis Onetensis videlicet, excellentis vir ingenii, quem in subscriptionibus literarum suarum se fratrem vocari solitum fuisse ajunt, Onufrio etiam Bibliothecarius & Cancellarius pro eodem accipiuntur. *Pignorius*.

(b) *Cod. Est.* de Celdonia.

(23) De Referendariis optimè omnium Hieronymus Bignonius amicus noster

---- cujus se pectore cuncta Vetustas,
Condidit ---- ad Marculfum in notis.

de Protonotario Guidus Pancirolus præceptor meus lib. 1. Variar. cap. 85. qui rectè ab Aula Constantinopolitana hæc muneris derivat, ut clariùs ostendit Meursius in Glossario: hic autem Protonotarius secretorum conscriptor videtur esse, quem recentiores dixere Secretarium. *Pignorius*.

(c) *In V.* causas commotionum Civitatum, *& ita Amb.*

(24) Manipulus Florum hominem ornat hoc Elogio, *post hæc Imperator fecit suum Vicarium quendam Joannem de la Calzon Gallicum, qui licèt esset nobilis, tamen nullius valoris homo fuit, quapropter ab officio amovetur*. Subscribunt autem Corius, & Merula certatim, Cavitellius appellat militiæ Magistrum. Mareschalcus enim est præfectus Equitum Germanici, ut probat Volphangus Hungerus in notis ad Caroli Bovilli Tabulas. Qua ratione autem hic esset Gallicus, & Flandrensis ego nescio, nisi dicamus Flandros tunc usos fuisse Gallica lingua propter commercia, viciniamque Regionum, sive ob exemplum Aulæ principalis, quæ sola Gallica jam tum utebatur. *Pignorius*.

(d) *In P. deest* fratrem.

(e) *Cod. Est.* Lombardus.

(f) *Cod. Est.* Gibellinus? *& ita Cod. Amb.*

(g) *Cod. Est.* insecuturus, *& ita Cod. Amb.*

(h) *MS. Amb.* callem oppetite.

(i) *Cod. Est.* Lombardiæ.

Digitized by Google

„ Italiæque Civitates justissimis accensæ iracundiis (si vulgata fidem teneant) nos ut famosos Tyrannos detestantur, & fugiunt. Quid ni? singula quoque (K) animalia mortem, perniciemque devitant.

Fine iis verbis facto, Regina Augusta genis madidis Regis animum demulcere conata, „ placandum viri animum, *ait*, non omnia vera, quæ singuli referunt; & si quæ comperta (25), non à gravibus, fidisque profecta, sed vulgi vilissimi hæc sordida, ineptaque vulgaria. Principes talium innoxios, ignarosque, erigendos animos ad fortia, hæc adversantia subitò tolli. (l) Parabit unusquisque animum; omnia auctore Deo votis accommodari. Consiliarii itaque super instantibus diu inter se plura versantes salubre fore (m) ab radice morbum curandum; Guidonem Cæsari conciliandum, indulgendum ei, ut tuto ad Principem accedere sit fas, ut bonis restitutis extra Mediolani fines (n) indemnatus cohabitet, (o) & Castrum Orphanum (26) suspicionis tollendæ causa cuiquam utrinque fido resignet. Harum conditionum tractatores Philipponum Comitem Guidonis Socerum, Simonem de Colubiano Vercellensem, & Antonium de Fisiraga Laudensem interponendos, qui & Cremonenses pertentent, qui defectionum suarum motus fuerint, dissensionum causas auferant, & ad gratiam mansueti Cæsari redigant. Extemplo missi Cremonam (nam & illo profugus Guido perrexerat) retulere, Guidonem respondisse, se à Cremonensibus, ut hospitem ad vitæ refugium susceptum, omnia in ipsorum arbitrio consistere, se nihil aliud pensi habere, nisi sicut ipsi de se, suisque statuerint: Cremonenses quoque, onerosum Vicarii jugum, populum pauperie, inediaque profligatum, impotentem contributionum, quas Cæsar ipse jam conferendas decreverat, præterea ipsum Cæsarem, (quod intolerabilius erat) Teotonicos in Latinos dimissa licentia sinere (p) insanire. Jam Guelfos ubique delendos ex præsumtionibus inultorum excessuum in ipsos commissorum apparere. Cujus & Cæsaris partiariæ mentis indago significat in singulis Civitatibus, & locis Vicarios Gibellini nominis institutos; parti Ecclesiæ jam timendum esse, innovatum Friderici scisma vetus, & demum consilium capiundum ab amicis, sociisque Longobardis, & Tuscis, & respectu habito respondendum.

RUBRICA VI.

Januensium obedientia.

INterea Legati ad Cæsarem ex Janua magnificè profecti juravere mandata, navigia spondentes impensis propriis ad Coronationis conductum. Lucenses destinatis Legatis diu in Curia retentis, multisque diu hinc inde pertentatis, ære multo promisso, ut immunes Imperialium obsequiorum suis exclusis exulibus liberi manerent, nullisque aliis obstricti contributionibus, quamquam & non rejecti, longis admissi, auditi colloquiis tamdem frustra tempus trivere.

RUBRICA VII.

Concessa Patavinis libertatum Privilegia.

HIsdem ferme diebus à Paduanorum Magistratibu Religiosorum Minorum, & Prædicatorum Viri duo ad Curiam transmissi sunt (27) per Secretariorum Cæsaris intercessiones in-

(K) *MS. Amb.* quæque.

(25) Vel duo verba, *& si*, in unum coalescere debent, ut conjunctionem adversativam faciant; vel pro, *quæ*, reponendum, *qua*. Villanus.

(l) *In P.* Parabat.

(m) *Intellige* putavere, *vel quid simile.*

(n) *Deest in V.* indemnatus.

(o) *In P.* dum & Castrum.

(26) Manipulus Florum Montorfanum appellat. *Anno Domini* 1309. *sub dominio Guidonis de la Turre: exulante Castono: Terra existente interdicta, Matthæo Vicecomite exulante Franciscus de Gisieriis* (*F. Ghisleriis*) *Bononiensis fuit CLVIII. Potestas Mediolani, isto tempore Guido de la Turre fecit fieri sallam, quæ est in dextera parte Palatii Communitatis, juxta Palatium nuncupatorum XII. item Castrum de Montorfano reædificavit.* Et infra, *Turriani occiduntur, expoliantur, Franciscus in Montorfanum fugit*: quod & tradidit lib. 8. Ripamontius. *Pignorius.*

(p) *Supra Rub. I. hujus libri.*

NOTÆ AD RUBRICAM VII.

(27) Hoc ab initio ipsarum ferè Religionum, moribus receptum fuit, ut viri sanctissimi, bono publico res publicas felicissimo eventu componerent. Hinc Bernardi, & Catharinæ Senensis, item Jordanis Forzatei, & Joannis, (quorum ille Benedicto, hic Dominico nomen dederat) præclara in pacandis privatis, & publicis simultatibus conamina enituere: hinc vidimus à Mediolanensibus Prædicatoriæ familiæ duos ad Henricum ire jussos. Verùm, ut præclara instituta facillimè ad pravos exitus dilabuntur, & ipsi Religiosi viri in partes, & factiones, nec opinatò concessere; cùm enim veluti secreti à rebus humanis advocarentur ab eis, qui publica tractabant, ut Comitiis, (Jo. Villanus lib. 10. cap. 112.) & Consultationibus interessent, difficilè erat eo æquilibrio res suspendere, quin ad alteram partium inclinarent: cùm præsertim (& id quidem non rarò) dominationis avidè Religionis prætextu obtenderent cupiditatibus suis; hoc æstu abrepti olim sunt Helias, Michael Cæsenas, & Marsilius Patavinus Franciscani, Nicolaus Fabrianensis Augustinianus, Dominicanique nonnulli, qui, vel Friderico (huc pertinet fortasse Jacobus Augustinianus, ad quem extat Fran. Petrar. Ep. lib. 10.), vel Ludovico Bavaro adhæserunt. Verùm missas faciamus has vomicas, & Religionum carcinomata. Legationes certè viri Religiosi, ut diximus, & olim, & deinceps obiere consilio non pœnitendo eorum, qui destinarunt. Anonymus Franciscanus apud me Manuscriptus hæc de se tradit, *anno Domini* 1384. *stabam novicius in Conventu Paduæ, in quo anno Populus Ferrariæ surrexit contra Marchionem Ferrariæ Nicolaum, & interfecit Dominum Thomam de Tortona: eodem anno fuit captus Dominus Bernabos à Comite Virtutum, & in ipso anno, & mense ego ivi pro socio cum Fratre Luca de Placentia, Papiam ad Dominum Comitem Virtutum ex parte Domini Francisci de Carraria Paduæ Domini, Tarvisii, Feltri, Civitatis Beluni, Civitatis Austei, & majoris partis Forojulii, &c.* Hujus autem tumultus Ferrariensis (ut & hoc obiter animadvertamus) non meminit Gaspar Sardus, qui satis accuratè res Ferrariensium decem libris præscripsit. Jo. Baptista Pigna obliquam tantùm mentionem injecit, & scripsit non fuisse nisi leviter tumultuatum: at huic solemne est, Principibus suis ut gloriam conciliet, Historiæ leges parvipendere, & qua fictis monumentis oppidi Atestis dignitatem attollere, & qua fabulosissimo scripto, cui Thomæ Aquilejensis nomen indidere, nobilissimæ domus & certis monumentis illustrissimæ seriem doctis exteris traducendam exhibere: scilicet illustrissimæ gentis exordia fulcienda erant Liliis, Janis, Lælliis, Genuliis, Aureliis, Tiberiis, Forestis, Marcellis, & Altorestis, quos ociosa periergia nescio quorum malè feriatorum Scriptorum

inquisituri, quænam salubria libertatis remedia, concedente Cæsare, cum obsequiorum utrinque congruentium exhibitione interponi valerent. Qui inter se dissidentes, commissa parùm diligenter executi, spes mittentium fefellere. Quorum alter à Cæsare (a) sciscitasse (28) retulit, nihil omnino pactionis intervenire posse, nisi Sindico justis quibuslibet parituro ad Cæsarem transmisso (29); ceterùm supplicationi locum non fore; at his obtemperatis (30) animum Regis in Commune Paduæ pronum ad gratiarum contributiones. Solliciti insuper Magistratus cum Tribunis Plebis, quos Gastaldiones appellant, (31) Duodecimque secretorum conscii (32), in quos super instantibus per Decuriones ex Senatus consulto translata agendorum potestas, duos Plebejos probatæ fidei viros Antonium de Vicoaggeris, & Albertinum Muxatum illò etiam proficisci jussere, eadem, quæ præfatis Religiosis commissa fuerant, perquisituros. Hi paribus affectibus Curiam ingressi, cum Regis Archariis exordia summo opere nacti tractatuum, interdum & Cæsarem allocuti de conditionibus agere cum deputatis ad id Amæo Illustri Sabaudiæ Comite, Archiepiscopo Trevirense, Leodiense, (b) Basiliense, & Tridentino Episcopis cœperunt, pluriumque dierum spatiis assiduis solertiis, & hinc inde conventibus simul habitis cum ipsius Cæsaris conscientia, Paduanis Majestate Regia salva de ipsius Domini liberalitate posse concedi, ut singulis semestribus terminis, quibus & Comitiorum dies eligendorum Rectorum instare solebat (33), optio sit Patavinæ Communitati quatuor eligere, quos maluerint, fideles dum-

torum in Italiam clarissimarum familiarum genitricem invexit. Ad Religiosos viros porrò revertamur. Franciscanus quispiam Joannes de Mauleon à Regibus Castellæ ad Carolum Regem Galliarum Legatus proditur à Cominæo (lib. 1.), & nostra ætate Joannes Nei Seraphici Ordinis Commissarius in Belgio generalis, pacem inter Regem Hispaniarum, & Provinciarum fœderatarum Ordines auspicatus est. At hi nostri inter se dissidentes legationem everterunt; & sanè nullum certius exitium rerum gerendarum excogitari potest uti ego Romæ non semel in illo Orbis terrarum Theatro animadverti, magno Principum malo. *Pignorius*.

(a) *In P.* scitasse.

(28) Puto, scribendum, *scivisse*. Quid enim esset, *interrogare Cæsarem, nil pactionis intervenire posse?* Villanus.

(29) Sindici sunt actores Universitatum, Collegiorum, Societatum, & aliorum corporum (inquit Brissonius) per quos tanquam in Republica quod communiter agi fieri oportet, agitur, & fit. Par & gemina huic prope jussio ab eodem Henrico facta Florentinis apud Jo: Villanum (lib. 9. cap. 28.), *che se in fra quaranta dì non li mandassero dodeci boni bomini con Sindico, e pieno mandato a ubbidire suo commandamento, &c.* Thomas Fiortifiocca Scriba Senatus in Vita Nicolai Rentii; *puoi peteva, che li mannassero Scinnichi sufficienti*. Et ab his Syndicis manavit officium, quod hujusce ævi Scriptores appellant Syndicatum. Ptolemæus Lucensis; *eodem anno hoc est* 87. (lege 1287.) *fuit Potestas Dominus Bernardinus de Parma, qui de nocte fugit de Luca, timens officium Sindicatus;* hoc nimirum erat inquirere in Acta Magistratuum, & pecunia (prout res ferebat) vel carcere, vel aliis pœnis mulctare eos, qui in Prætura deliquerant, tunc demum cum Magistratu functi erant. Villanus lib. 8. cap. 95. dimittebantur verò aliquando Potestates inhonesta missione: & tradunt Annales Patavini Manuscripti apud me his verbis, 1279. *Dominus Jacobus de Gonzolino de Auxirno Potestas Paduæ. Hic Paduæ Potestas ejus malitia dominante compulsus est in Padua suum regimen non finire*, & hæc est germana notio verbi vernaculi *sindicare*, quæ est notare, & acri censura carpere. *Pignorius*.

(30) Stribligo hic esse videtur, verbo neutro passione donato. Potest corrigi sic, *bis si obtemperaverint*. Villanus.

(31) Gastaldio vox Longobardica est, ut notat Sigonius; (Lib. 11. de R. Ital.) apud nos remansit hæc appellatio, præfecturam urbanam, & rusticam designans, urbana est in Collegiis, & Fratriis, quas Frataleas appellamus, quarum Præfecti etiam nunc *Guardiani* & *Gastaldi* appellantur: rustica Villæ Custodum est, Petro etiam Crescentio teste; (Lib. 1. de Agricul. c. 7.) *& si tanta sit dominorum nobilitas & potentia, quòd dedignantur in eadem Curia cum suis habitare colonis, poterit commodè in prædicto loco, si dispositio patitur, morari custos, qui vulgo Castaldio nominatur*. Pignorius.

(32) Hic fuit tunc temporis status & legitimus numerus Consiliariorum, & vidimus supra apud Villanum duodecim bonos viros ab Henrico unà cum Syndico Florentinorum postulatos. Mussatus infra Rub. VI. appellat duodecim sapientes Reipublicæ præpositos, quos ipsemet Henricus pag. 80. Ancianos Consiliarios, Sapientes, & Rectores. *Pignorius*.

(b) *Cod. Est.* Leodiense, Argentino, Basiliense.

(33) Veteres membranæ apud me hæc habent; *nota quòd tempora Potestatibus antescripta dicunt tempus electionis cujuslibet Potestatis, sive Rectoris, aut Consulis; unde quilibet Rector, sive Potestas tenet medium annum suæ electionis, & medium sequentem; quarum Potestatum electio fit circa Festum S. Petri de Junio*. At cur hæc ratio Comitiorum incideret potissimum in mensem Junii, nostrum est videre; ut hac etiam in parte Antiquitates patrias illustremus. Ego arbitror enatam consuetudinem ex ejectione Vicariorum Imperialium, quæ contigit olim in nostris hisce Regionibus mense Junio. Et quidem veteres schedæ Pinellianæ rem sic enarrabunt. *Imperante Federico Primo quondam Sueviæ Ducibus nato, Comes Paganus tunc Vicarius ejus in Padua, multa gravia Paduanis onera imponebat. Magnatibus quidem odiosus, quoniam consuetos sibi honores à rusticis quo minus fierent impediebat: sed sibi rapiebat indebitè, invidus erat plebejis, quia vectigalibus, exactionibus, & aliis gravibus eos vexabat, inter alia, quæ Nobilibus molesta fecit de raptu Virginis acerbius habitum est; nam Speronellam virginem sororem Dalesmanini, & filiam quondam Dalesmani ex Mabilia olim filia nobilis & potentis Rolandi de Curano, visam, dilectamque rapuit, & in arce Pendicis recondidit. Hoc factum altè descendit in cor, & præcordia Dalesmanini; & omnis benevolentia, quæ priùs fuerat inter Comitem Paganum, & ipsum, ultra alios proceres Paduanos, conversa est in odium, sagaciter tamen Dalesmaninus incœpit ordiri depulsionem Tyranni modis omnibus; primò cum Alberto de Barno, quem sciebat non amicum Tyranni, clanculum firmat amicitias, Tyranno struit insidias cum Alberto de Jaussano, cum Rambaldo Comite Colalti, denique cum proceribus aliis Civitatum Marchiæ, per internuncios sapientes ordinatur, ut una die Imperiales Vicarii ab Urbibus singulis depellantur, & ita factum est & tractatum, ut Azotto de Altcheriis, Conrado de Transalgardis, & Benedicto de Deculis Proconsulibus in Padua, nono Kal. Junii, dum fieret solemnitas Festi Florum, sumpta occasione Festi, populus consultè armatur, Priores & Signiferi ordinati latitant, ut confestim ad aggressum contra Tyrannum prodeant. Comes Paganus hoc sentiens quàm celerius potuit fugit ad arcem Pendicis, ubi se defendere arbitratus est. Populus Paduanus dato vexillo Azotto ad obsidionem Pendicis cum equitibus, & peditibus properant, arcem circumdant. Comes se non ibi diu stare diffidens* (lego *confidens*) *cognitum quoque habens se ab aliis Vicariis Imperatoris, qui Vincentiæ, Veronæ, & Tarvisii residebant, auxilium habere non posse, quoniam eodem die de Regiminibus fuerunt expulsi, pactis intervententibus, sese & arcem Paduanis in deditionem tradidit*: hactenus schedæ illæ. Recenet autem hoc factum compressiore narratione Scardeonius, (Lib. 3. classe 13.) & ex Scardeonio Crusius, (Suevicor. Annal. Lib. 11. p. 2.) qui refert ad annum MCLXIV. &

dumtaxat Imperii (34), quorum unum Cæsarea constituat Auctoritas, qui Vicariatus Imperii nomen obtineat, si inter Montes, & Urbem fuerit: aliàs eadem unius eligendi optio sit Præsidis Lombardiæ. Idemque in Vicentinæ Civitatis gubernatione Paduanis indultum sit feudalibus investituris perpetuò valituris. Ii quoque Rectores seu Vicarii Civitatis utriusque leges, mores, statuta, consuetudines, franchisias (35), libertates obtentas per prisca tempora incorruptè conservent, imposterum obstricti Sindicatibus Populi utriusque. Horum sit recognitio gratuita Populo Paduano, ut per se, suosque successores annuus Cameræ Regiæ census præstetur quindecim millium Florenorum auri. In instanti quoque pro promotionis, & progressus Cæsarei apparatibus, proque coronationum exe-

A niis serviatur de LX. millibus Florenorum auri. Insuper & militiæ Præsidis Provinciæ pro stipendiis portio quinque millium Florenorum auri Communi Paduæ singulis quinque mensibus attributa præfigendis offeratur semper in terminis. Iis Legati duo præfati acceptatis, quatenus Paduanus approbasset Populus, non ob aliud missi, à Cæsare licentiati cum multis beneficiorum sponsionibus, quàm citò responsuri, discessere. Paduam autem applicantes novitatum mole adversùs Cæsarem ingruentium elatum invenere Populum. Præstiterant siquidem suspicionis habendæ cumulo additamenta occasiones novæ, ut citra spem omnium de Rege fidentium Albuinus, & Canis della Scala obaudito, rejectoque

B è Curia Vinciguerra Comite Veronense (36), quem in Veronam introduci Regis vulgato proposi-

& rectè: verùm quis fuerit hic Paganus neuter eorum explicat. Ego sanè hanc Historiæ jacturam æquis oculis non aspicio, & majorum nostrorum oscitantiam incuso, qui hæc perire passi sunt, rideant, & ringantur, ut volent harumce rerum incuriosi, ego sanè aliorum ingenia meo genio metior, & probè scio rectè factorum, vel secus, in hac vita præmium esse, vel infamiam, vel bonam famam, & publicè interesse memoriam accuratam existere apud posteros proborum & improborum, ut alii excitentur, alii deterreantur: reponet quidem Deus alibi præmia, & pœnas; ut interim verissimum est contemptu famæ contemni, & virtutes, & ex Antiquitatis notitia pendere eruditionem omnem; sinè qua Doctrinæ graviores claudicant, & pæne ludibrio habentur, at de his jam satis. *Pignorius*.

(34) Fideles intelligo subjectos, & vassallos, apud Mussatum nihil tritius, & apud monumenta ejus ævi, hinc fidelitatem facere, idest jusjurandum præstare: cujus species elegans & alibi passim, & apud Sebastianum Tengnagel (Lib. 2. Feudor. tit. 4.) in veteribus, ut appellat monumentis, quam hic ascribere operæ pretium puto,

Adjuratio, seu promissio, quæ Regibus debet fieri.

Ab hac hora in antea fidelis ero N. Imperatori per rectam fidem, secundùm meum scire, & posse, non ero in consilio, ut vitam, aut membra perdat; Italicum Regnum & suam rectam potestatem infra Regnum adjutor ei ero secundùm meum scire, & posse, ad tenendum, & defendendum contra omnes homines, qui sibi tollere voluerunt.

Allocutio ei qui juravit.

Si ea quæ suprascripta sunt jurasti, aut juraveris, & per rectam fidem adimpleveris, senior meus neque per se, neque per subjectam personam tollet tibi vitam, aut membra, nec te capiet propter hoc, quod usque modò contra eum fecisti, nisi in antea sis contra eum, & convictus fueris. Prædia, & proprietates, quæ justè, & legaliter habes, non tibi tollet, nisi justo judicio per veram legem sit judicatum, si beneficium de Regno, aut de Ecclesia non habueris, & legem, & justitiam ante Missum mei senioris feceris, non te distringet ad curtem venire, nisi tu spontè volueris.

verùm, & hic spicarum aliquid legamus, *ab hac hora in antea* Italicismus est, *da quest' ora innanzi, fidelis ero*. Torquatus Tassus mirificè. (Can. 6. v. 74.)

Crudel sei tu, che con sì pigra voglia
Movi a portar salute al tuo Fedele.

per rectam fidem, quod dicitur, explicatur in serie sacramenti, quod extat in Annalibus Incerti Auctoris ex collectione Pitœana, in pace firmata inter Ludovicum, Carlum, & Lutharium; *& ad legis, ac justitiæ & rectè rationis conservationem*, quod antiquiores duabus voculis exprimere soliti erant, *per rectè, per rectum, per dreit*, ut in eadem collectione comparet, *secundùm meum scire, & posse, quantum mihi Dominus scire, & posse donaverit*, inquiunt Annales proximè citati, *in quant des savir & podir mè dunat, quantum mihi Deus intellectum, & possibilitatem donaverit, secundùm meum Savirum*. Hæ sunt receptæ formulæ fidelitatis, & origines Italicorum verborum

savere & podere, quæ manant, ut vidimus, à fontibus Gallicanis: *contra omnes homines, qui sibi tollere voluerunt*: tollere hic est auferre, & abripere, Italicè *togliere*, & *torre*. Allocutionis verò exemplum cernere est in sacramento Fidelitatis apud eumdem Pitœum: *Senior meus*, Joannes Biclarensis, *loci seniores cum uxore, & filiis captivos ducit*. Tabulæ Gauslini Episcopi apud Gavacium, *pro remedio animæ senioris nostri Otbonis*. Synodus Bavarica; *& de quo pago sint & nomina eorum, & qui sunt seniores eorum*. Hinc vox Italica *Signore*, Hispanica *Senor*. Gallica *Sieur*. Vide Bignonium ad Marculf. Et hinc arbitrantur aliqui profluxisse appellationem Principis Assassinorum, quem Senem, & Vitulum nominabant. Tassus (Libro 17. Histor. adquis. Cant. 31.)

Venne con gl' Assassini il Vecchio mastro,
Che tra Fenici per honor s' elegge.

Nostris *il Vecchio della Montagna*, de quo omnium optimè Jacobus de Vitriaco, & Benjamin Tudelensis. *Pignorius*.

(35) Franchisiæ sunt Libertates, Exemptiones & immunitates. Quæ omnia Dantes unica hac voce complexus est, cùm scriberet de misso Romæ in compendium bello, quod inter Romanos & Albanos exarserat: *Et non puose Iddio li man proprie alla battaglia, dove gli Albani con gli Romani dal principio per lo Campo del Regno combattevano? Quando uno solo Romano nelle mani hebbe tutta la franchigia di Roma*: Vox autem Gallica est, dicunt enim ipsi *garder sa franchise, debouter de franchise, se mettre en franchise & lieu di franchise*; quod est Asylum. Et sanè Romæ patrum & avorum nostrorum memoria Franchisiæ celebres erant, quas Jovius (In vita Pomp. Column.) ita describit: *Postquam ea atria superbo ausu violasset, quæ damnatis & perfugis, propter inveteratam familiæ existimationem, saluti securitatique esse consuevissent*. Has autem Pius V. & Sixtus V. & Clemens VIII. omnino sustulerunt, veluti & olim Asylis præscriptus fuit modus, auctore Tacito: (Paliar. Obi. in Tac. 156.) *Crebescebat* (inquit ille Lib. 111. Annal.) *Græcas per urbes licentia, atque impunitas Asyla statuendi*. Ubi politissimus Politus ita vertit, *perochè crescendo per la Città della Grecia la licenza e l'impunità di fare franchigia*. Vox ut diximus è Gallia est, inflexio autem Latina, more illius sæculi, & concinit carmen Adeleidis matris Ecelini apud Rolandinum (Lib. 11. c. 15.)

En quia fata parant lacrymosos pandere casus,
Gentem Marchisiam fratres abolere potentes, &c.

Et sanè Rustici nostrates hanc inflexionem sæpe usurpant, quod quos audimus *Grutisia, sporchisia, e desprisio*, quod Gallicum est *Desprix*. Adeò ut majores nostros videatur traxisse in sententiam suam Brunettus Latinus (Libro 1. Thes. c. 1.), *che la parlatura Francesca è più dilettevole & più communa, che tutti li altri linguaggi*. Pignorius.

(36) Si hic (ut arbitror) è gente San-Bonifacia est, hallucinatur protectò Curtius (Lib. 10. Histor. Veron.), qui non nisi post annum MCCCXX. hoc nominis in clarissimam Domum invectum scribit, occasione Victoriæ, quam Patavini de Scaligeris retulerunt; Guerra Comite San-Bonifacio, qui Patavinis militabat, Vinciguerra tunc appellato, ob fortem operam in prœlio

posito creditum omnis fiducia deseruerat, declarati Vicarii Cæsaris, Imperiique fuerint patentibus literis Cæsareæ Majestatis. Nonnullisque innotescere Plebem incendebat, & Riziardum de (c) Canino eadem in Civitatibus Tarvisii, Feltri, & Belluni privilegia consecutum, (37) & hoc contigisse non nisi dati æris neglecta justitia (38), coruptelis (d) omnia venalia fore. Sic itaque Vulgi caussas ignorantis voces (e) non vanæ, nunc quiquam veri autumantes regia judicia famosis insinuationibus diffamabant. Hæc inter varia (f) spes ambiguas divertentia Legati primò Magistratibus, deinde Senatui tractata retulere, conditiones detexere, vixque eis dicentibus à risu, sibilis, immaturoque murmure (g) plerique abstinuere; factoque dicendi fine fremitus obstrepentium præsidenti Potestati consilium super relatis (h) quæsituro pæne concessere. Demum autem quid agendum instaret propositione facta, ut quisque consuleret, fuere qui singula sigillatim veluti non modò salubria; sed iniqua, Urbique perniciosa detestarentur (39), præsertimque illud abominabile, (i) ut Marchia Tarvisii cuiquam sit subjecta Vicario publico, vel privato; ærisque onus prorsus importabile; sanius asserentes defendendarum Urbium Paduæ, & Vicentiæ munimentis intendere, cum Vicentinis coire, unanimitates novis fiduciis reformare, fossas in confinibus dilatare, vallare Castra, fortiliciasque utriusque Comitatus munire, arma & equos parare, se se ad quoscumque belli casus accingere, & præ-

A parare; nec minùs ad Regem remittere qui transigant, seu tractent utramque Civitatem liberam suis moribus, & legibus, (K) ut hactenus, vivere, nihil innovari: hoc dumtaxat assensu concesso, ut electi Rectores per Commune Paduæ in utraque Imperatoris Vicarii nuncupentur, nec ob hoc quicquam spondeant, (40) nisi duarum partium mille Decurionum exquisito consensu. Nec alter Legatorum tacuit, quem instructum in Curia Regia visa, & sciscitata reddiderant (l), ut arrogans visa sit (41) ad Regem tantæ discordantiæ reportatio, ut nullis assensum foret Regis articulis; formam non prorsus irritandam; sed qua liceret, & possibile Communi foret conformandam honori B Regio, & Paduanorum votis, animadvertendumque fore, quàm dubii bellorum eventus futuri sint. Rursus, & aliis visum inducias dare, supersedere in dies quindecim, interea novorum successuum mutatione salubria exoriri consilia (m) documentoque forsan esse, quæ ab Legatis ad Romanam Curiam transmissis acta expectabantur. In hanc ultimam sententiam Senatus resedit.

RUBRICA VIII.

Constitutio Vicarii in Parma.

C His sic se habentibus Cæsar Nobilem quemdam de Malaspinis (42) Parmæ Vicarium constituit gratum Giberto de Corrigia.

RU-

lio navatam. Et sanè Marchia nostra vix habuit quidquam hac gente, in publica Libertate propugnanda, aut fortius, aut illustrius. Neque verò rejectus tantùm est Vinciguerra, sed & cum tota Domo ejectus Verona est, & jussus exulare ultra omnes Imperii fines. Quod (ut ajunt Sarayna, & Curtius) & à Scaligeris manavit, & San-Bonifaciis non parvam existimationem conciliavit, quòd videretur Augustus ab his longè imparibus, sibi non perfuncto in timore.

An autem huc pertineat Comes Bonifacius, qui pretio Librar. C. auri Scaligeris suo jure cessit, alii viderint. (Cavitell. Ann. Crem. Ann. MCCCX.) *Pignorius*.

(c) *Cod. Est.* Camino, *& ita Cod. Amb.*

(37) Hic fuit Rizardus Dantis carmine nobilis (Par. cant. 9.)

Et dove Sile e Cagnan s' accompagna
Tal signoreggia, & và con la test' alta,
Che già per lui carpir si fa la ragna.

Ubi late Interpretes. Et hunc dicimus pari modo fuisse (ut de Scaligeris dictum est) declaratum Vicarium. Quia ante Cæsaris in Italiam adventum hasce Urbes imperio (ut ita dicam) premebat. Testes sunt veteres Tabulæ apud Georgium Pilonum (Lib. 9. Histor. Bellun.), quæ ita habent, *In Christi nomine amen. Anno MCCCVII. Indictione III. die VI. Aprilis Magnificus & excelsus, & egregius miles & Comes D. Rizardus de Camino intravit Civitatem Feltri, generalis Dominus Civitatis Tarvisii, Cenedæ, Civitatis Belluni, ac contratæ Cadubrii, cum nobilibus Civibus, videlicet egregio milite D. Rombaldo de Romagno, D. Viventio de Romagno, D. Rocbesano milite de Lusia, D. Hendrigetto, & D. Francisco filiis q. militis D. Diemini de Curte, D. Jacobo de Raynonis, qui dederunt dictam Civitatem Domino dicto cum voluntate & consensu totius populi.* Et infra enumeratis omnibus Civibus de Consilio, qui aderant, hæc sequuntur, *qui omnes prædicti electi fuerunt ad jurandum esse fideles & legales Domino nostro Rizardo & ejus filiis.* At hunc Gerardum appellat Cavitellius, nominum & cognominum, nostratium incuria nobilissimus. Verùm hic videtur textus leviter corrigendus hoc pacto; *Ut hoc contigisse non nisi dati æris, neglecta justitia, corruptilis. Omnia venalia fore. Sic itaque Vulgi caussas ignorantis voces nunc vanæ, nunc quicquam veri autumantes, regia judicia famosis insinuationibus diffamabant.* Pignorius.

(38) Quænam sit neglecta hæc dati æris justitia, mihi obscurum. Dicendum certè fuit, *dato ære*, vel aliter, eadem sententia. *Villanus*.

(d) *MS. Amb.* corruptibilis.

(e) *In V.* voces nunc variæ, nunc quidquam &c. *In R.* voces verò vanæ, nec quicquam &c. *Lege* voces nunc vanæ, nunc quidquam &c. *cum MSto Ambrosiano*.

(f) *In R. & P.* spes ambi.

(g) *In V.* plerisque. *In R.* populique.

(h) *In P.* quæsitum.

(39) Primò corrige, *singillatim*. Deinde ante *salubria* videtur deesse, *non*. Villanus.

(i) *In V.* ut in Marchia, *malè*.

(K) *Cod. Amb.* ut hactenus vixere.

(40) Proprius, *respondeant*, quod pertinet ad judices. *Villanus*.

(l) *In V.* redierant, *malè*.

(41) Hoc temporis præteriti nescio, quo modo referendum sit ad futurum. Ratio postulabat, ut diceret, *fore, ut arrogans videretur*. Villanus.

(m) *In P.* documentaque.

NOTÆ AD RUBRICAM VIII.

(42) Chronicon Italicum Parmense MS. hunc Vicarium non agnoscit; sed loco ejus Gibertum de Corrigia substituit (Histor. Ruboar. Parm. lib. 2.). Cui assentitur & Corius, nec non & Carrarius, qui addunt ab Henrico donatum fuisse Gibertum oppido Guastallæ. At Guardastallum adscribit Gerardo de Corrigio Cavitellius (in Gente Corrig.), auctor in hisce referendis sanè parum fidus. Sansovinus autem à Mussato videtur stare, cùm dicat Anno MCCCXI. Gibertum Henrico elapsum, cùm eum dolo Genuam secum avehere cogitaret, Parmam reversum fuisse, unde Parmenses Vicarium Cæsaris expulerint, seque Giberto tradiderint. Hujus verò Vicarii nomen diu frustra quæsivi. Scio equidem Moroellum Henrico in pretio habitum, teste Thoma Porcacchio (In Orig. Gent. Malasp.); at Mussatus, qui eum noverat, hic nomini non pepercisset. Cætera quæ sequuntur de rebus Brixianis & Cremonensibus si cum Scriptoribus earum Urbium, qui extant, conferantur, videbunt omnes Mussatum operam non lusisse. *Pignorius*.

Digitized by Google

A

RUBRICA IX.

Tractatus inter Cæsarem, & Brixienses.

INstantibus quoque Maphæo (a) de Maziis, & aliis paulò ante expulsis, Ameum Comitem Sabaudiæ cum militibus circiter mille Curiæ Regiæ, & Mediolanensium ferme CC. ad Castrum Urceorum transmisit, cum Thebaldo de Bruxiadis, & Populo Brixiæ, vel compositurum, vel bellum indicturum. Misso ergo inde Legato Moroello de Malaspinis in Brixiam, ante omnia quæsivit Bartolinum de Maziis, aliosque captivos relaxari, ut ista sint compositionis initia. Senatus habitus, Populique conventus negavere. Thebaldus de Bruxiadis cum Nobilioribus intercedentes, captivos consuluere relaxandos, si quidem Urceorum, ceteraque Brixianorum Castella quæcumque Mazii invaserant, dederentur. Utque ex Coloniis Brixiæ, ceterisque confinibus damno infecto Comes Sabaudiæ abscedat, utque per ipsum Cæsarem ab hostilibus invasionibus intra dictos fines abstineatur. Vixque hæc obtenta, Plebe concita memoratæ Tyrannidis contumeliis, excandescente in Mazios, adeòque exardescente, ut cum telis, & missilibus solutis jam captivis, ut traderentur Legatis Regiis, ad plateas concursum sit. Retroductis ergo intra palatia captivis, Thebaldus cum Nobilium cœtu in Plebem egrediens allocutione longa, verbis mansuetis si non assentientem, conniventem tamen sedavit, & furore utcumque remisso captivos hora captata per avia Legatis redditos, extra Urbem ad tutum Urbis exitum sociavit, sicque Castris Populo (b) Brixiæ restitutis, Ameus, omnisque secum adducta militum expeditio discessit. Tunc & idem Ameus per Terras, & Colonias Cremonensium transitum faciens, populabundus ignes ponere, prædas, cæteraque hostilia Centurii Militibusque suis quibuscumque concessit. Qui insultu in Soncinum facto cohærentia omnia Castro ædificia concremavere; inde per Villam, quam . . . . vocant, pertransiens occupatum locum natura ad munitionem aptum foveis vallavit Stipendiariorum phalangem. qui ad populandos Cremonensium agros concurrant, dimittens. Quibus sic gestis Mediolanum ad Cæsarem contendit.

(a) *In R.* de Macis.
(b) *In S. & P.* Brixiæ non restitutis.

NOTÆ AD RUBRICAM X.

(a) *In V. & P.* subjectas.

B

C

D

RUBRICA X.

Cremonensium rebellium damnatio.

CÆsar ad debellandam, convincendamque Cremonensium rebellionem intendens, hostes illos ex sententia judicavit, edicta pronuntians, ut tamquam Sacri Imperii rebelles insequi, pulsare, occidere uniuique fas esto: Bona eorum, jura, mancipia, pecora occupantium sunto: Ad hæc Sacri Imperii obsequia per Civitates, & loca transire volentes à pedagiis, ceterisque exactionibus liberi abeunto. Et promulgato ad XIV. Kal. Majas exercitu Gebenensem Episcopum Veronam, Mantuam, & ad cæteras Civitates, & loca Romano Imperio (a) subjecta legavit. Qui annuntiatis edictis, Vicarios, Populosque in dictam diem in Cremonensium agris Castra posituros invitavit, Imperialibus monitis Papalia subjungens anathemata, ut tamquam extra Christicolarum communionem constituti Cremonenses loco eorum habeantur, quos ab Orthodoxæ fidei semita devios error abduxit, & idcirco persecutores eorum dignis Dei obsequiis, qui ad ipsorum damna & pernicies, opes, & operas interponent, accepturi centuplicia laborum merita ad abluenda crimina divinitus pro delictis. Cremonenses in adversùm opinionibus freti suis, quas justas putabant, (b) vallabantque rationibus, hunc non Regem, sed Tyrannum divulgabant, cùm jam Tyrannides in Urbibus exercendas decreverit, antiquatos Tyrannos titulis Imperialibus approbans, alios ad libitum Dominantium constituens, dejici populos, quos introduci fecerat, jubens, & pellentes subsidiis fovens, totumque parti Gibellinæ deditum, Guelfam in Lombardiæ (c) partibus opprimens, ad Tuscos ejusdem partis elevandos ferventiùs aspirans (43). Hæc dictitabant Cremonenses, per literas Populis nuntiabant, subsidia quærebant à finitimis, à longinquis, quorum excidia iis ajebant agi principiis. Hæc Cremonensium per Italiæ Urbes vulgata rebellio non solùm expectantium Cæsaris tumultus ad suorum finium tuitiones; verùm & eorum, qui se summiserant, ad defectiones animos allexit: quæ res suspendit Regios ad singula quæque peragenda progressus.

(b) *In P.* vallabant.
(c) *MS. Amb.* finibus.
(43) Bona syntaxis exigit, ut scribatur, *opprimentem, atque, aspirantem*. Villanus.

Albertini Mussati Paduani de gestis Henrici VII. Cæsaris Liber Secundus explicit.

ALBER-

Digitized by Google

ALBERTINI MUSSATI
DE GESTIS
HENRICI VII. CÆSARIS
LIBER TERTIUS.

RUBRICA PRIMA.

Vicentiæ à Patavinis ad Cæsarem defectio.

CÆsar autem Longobardiæ subigendæ sequentias videns, quamquam (a) labore nonnullo rebellionum tollendos amphractus, jam ad ulteriores terminos laxavit (b) intentum, utque tota Gallia, quam Cisalpinam vocant Antiqui, ante Padi transgressum mandata recipiat, sinum Adriaci maris, qui angulus est Venetiis (1), ditioni suæ subjungendum constituit. Hujus itaque tractus Civitas Padua principatum obtinebat, cujus opulentia, longævæ pacis obtentu circumstantium finium Urbes præcellebat. Servata namque in publicum fer-

A me annos quinque & quinquaginta post Eccerini de Romano tyrannidem creverat in immensum armis, Populisque numerosa. Per hanc & Vicentia suæ per ipsos Cives suis urgentibus necessitudinibus commissa custodiæ regebatur (2): defessa tamen, seu longævæ quietis fastidita dulcedine, seu Paduanæ Plebis insolentes dominatus abhorrens, quibus sæpe veris plerumque & falsis criminationibus ex Factionum suspicionibus nunc relegati Cives, nunc securi percussi occubuerant. Nec omnia hæc lacessitum jam Cæsarem Paduanorum ingratitudine quadam despectarum conditionum acceptandæ pacis, quibus se mitissimum exhibuerat, latebant. Ipsum namque stimulabat ipsorum vesana temeritas,
B & hinc Vicentinorum clandestina Factio suadebat, in quam ferè assentiebat omnis cum Plebe No-

NOTÆ AD RUBRICAM I.

(a) *In V.* laborerio ullo.

(b) *In P.* intendit.

(1) Livium nostrum imitatur, qui lib. 5. hæc habet; *quæ trans Padum omnia Loca, excepto Venetorum angulo, qui sinum circum colunt maris &c.* alioqui suffecisset Horatium dixisse

Ille terrarum mibi præter omnes
Angulus ridet ----- ut missos faciamus Ciceronem, & Claudianum eadem notione usos. *Pignorius.*

(2) Veteres membranæ apud me rei seriem ita explicant: *Dominus Jacopinus Rubeus Bernardi Rolandi Rubei de Parma, Paduæ Potestas, anno*
C *Domini millesimo ducentesimo sexagesimo sexto, Indictione nona: tunc Paduani cum magno exercitu obsederunt Castrum Leonici Vicentinorum datum Veronensibus, qui tenebant dictum Castrum Leonici valde bene ad defensionem ornatum, tunc ivi* (Auctor membranarum horum temporum æqualis) *per omnes villas de ultra Brenta cum Becello præcone die Lunæ undecimo intrantis Octobris, præcipiendo omnibus hominibus dictarum villarum, quæ erant LXIV. & de Quarterio Pontis Altinati. Qui iverunt, & ibi steterunt, donec ipsum habuerunt, de mense Octob. unde illa de causa Vicentini dederunt claves suæ Civitatis in manibus Communis Paduæ, & suæ Potestatis; & supposuerunt se sub dominio Communis Paduæ; nunc Paduani elegerunt Dominum Henrigettum Caput-Vaccæ in Potestatem & Rectorem Communis & hominum Vicentiæ, & sic ab inde antea iverunt elegentes*
E *successivè.*

At quia, quæ de Leonico attinguntur non satis perspicua sunt, in subsidium advocemus Annales manuscriptos. Qui ita habent. MCCLXVI. *D. Jacobinus Rubeus de Parma Potestas Paduæ, in hoc anno Castellani Vicentini sua castra Veronensibus dederunt: unde Commune, & homines de Vicentia se Civitati, & Communi Paduæ reddiderunt, & Paduanus exercitus Leonicum ivit hostiliter, & ipsum per vim de Veronensium manibus extirpavit*, &c. neque verò nostri Annales tantùm, sed & qui res Vicetinas literis consignarunt eadem fusiùs tradiderunt, & in his Baptista Pajarinus solers & accuratus Historiæ patriæ scriptor, qui & potestates enumerat Patavio quotannis Vicetias missos, Patavinos omnes. At quæ habet ineditus hic Scriptor confirmat Jacobus Marzarius lib. 1. Historiarum Vicetinarum, quas in lucem emisit, anno MDCIV. typis Vicetinis. Imò & statutorum vetus liber, qui extat in publico Tabulario Urbis nostræ, habet Rubricam, *de potestate Vicentiæ*, ita diserte perscriptam, in qua multa sinciuntur, & perscribuntur illis, qui eligebantur quotannis in Senatu Potestates Vicentiæ: & hæc præcipuè, (Potestate D. Roberto de Roberto de Robertis, millesimo, ducentesimo sexagesimo sexto, Indictione quarta) *ut qui electus fuerit Potestas Vicentiæ faciat se fieri militem adobatum*; miles autem adobatus est miles armatus, uti quidem elicimus è notione vocis sive ea Gallica, sive Italica sit. Galli sanè *addouber* interpretantur, *s'armer de toutes pieces, & mettre en estat de combattre*; atque hoc abusu verbi antiquo ut ipsi ajunt. Villanus autem nostras hæc confirmat; *e quando i Francescbi si scontrarono con loro, parve loro sì bella gente, e sì riccamente à cavallo, e ad arme, cbe molto si marivigliarono, cbe usciti di loro Terre potessero essere così nobilmente addobbati*. Præterea ibidem exaratur formula juramenti, quæ perscribebatur Potestatibus illò euntibus, hujus tenoris. *Juro ego Potestas Vicentiæ regimen Civitatis Vicentiæ ab hac die in antea, usque ad annum unum boc modo, quòd toto tempore mei regiminis regam Civitatem Vicentiæ & districtum, & homines ejusdem Civitatis & districtus, salvo semper omni bonore, voluntate, & utilitate Potestatis, Communis, & Paduæ Consiliorum. Et omnia, quæ mibi fuerint injuncta per Potestatem, & Commune Paduæ de voluntate Consiliorum pro dicto regimine faciendo, attendam, & observabo omni dilatione remota, & attendi, & observari faciam, bona fide, sinè fraude, toto posse meo, & ipsam Civitatem, & districtum manutenebo in custodia, & protectione, ac forcia Communis Paduæ*, &c. Quæ sanè omnia faciunt, ut gratuler temporum illorum felicitati, quæ nobilissimam Urbem pellexerit, intestinis malis concussam, & exagitatam, ut reciperet sese in majorum nostrorum fidem, quos dignos illa tutela faceret non solùm gloria publica rei, sed & privatarum opum cum virtute conjunctarum magna vis, finitimis ipsis probè cognitæ. *Pignorius.*

Digitized by Google

Nobilitas. Accersito itaque Gebennense Episcopo ex Curiæ Consiliariis uno, cui Aymo nomen erat (3), strenuorum actuum non ignaro, Urbis Vicentiæ in deditionem accipiendæ negotium, quoquomodo habiliùs res agi posset, commisit. Is solers cohorte militum secum ducta, Mantuam se transtulit, insinuans se Regis jussu populos Imperio faventes in Cremonensium agros ducturum ad obsidionem. Qui & deinde Veronam veniens idem nuntiabat. Subinde admissis Vicentinorum conspirationibus, tradendæ sibi Vicentiæ diem statuit. Composita itaque ad id omnium apparatuum necessitudine, Canem Grandem Imperii Veronæ Vicarium secum trahens cum Mantuanorum & Veronensium legionibus, nec non & cohorte Regia, statuta die Vicentiam tradentibus Civibus, patentibus portis ex Paduanorum desidia occupavit. Jamque Aquilis in forum expositis, Paduanorumque Præside Joanne de Vigontia Episcopo reddito (4), Paduani milites, qui præsidio urbis erant, hinc inde per urbem discurrentes tamdem singillatim per fana, & vicos, ostiatim per Domesticorum latebras delituere. Pars ad Castrum, quæ Insula dicebatur, ubi Militum stationes erant, concurrêre, portas claudentes, ad quas festinus Canis cum phalangibus, ceterisque levis armaturæ peditibus cucurrit, & ignes portis subduxit (5). Occupati ergo intrinseci terrore novo vix arma capescere valentes, parùm validæ resistentiæ audentes, dubii ad portas traxere (6), pauci muros conscendentes nonnullam repugnantiam ostendere. Canis eorum diffidentias Vicentinis suggerentibus prænoscens, Castrum reddi postulavit. Trepidantes Oppidani, parùmque in tutela spei habentes, loci deditione, rebus salvis, Personarum salutem pepigere. Reseratis portis agmina introiere, & Canis ingressus rupto fœdere datæ fiduciæ milites ad prædas dimisit, occupantibus quæque rapienda concedens. Nec ipse idem se se continuit, quin & (c) delectos quosdam, quos postea gravis æris pondere redimendos coëgit, in funibus alligatos absque ullius cum Paduanis Sodalitii, vel amicitiæ reverentia Veronam transmisit. Erat siquidem Vir ille acer, & intractabilis, nullos coërcens impetus; sed ad quæcumque illum ira provocasset præceps, & inexorabilis: nec non habitu, gestuque immanior videri malens, quàm sua valuisset exercere severitas; nec plus quidquam pensi habens, quàm si eidem, quæcumque voluisset, licerent. His ergo modis Civitas Vicentiæ de Paduanorum exemta gubernatione (7) ad Cæsarem defecit Anno à Domini Nostri Jesu Christi ortu undecimo trecentesimo millesimo, XVII. Kalendas Majas. Quintodecimo videlicet die mensis Aprilis.

RUBRICA II.

Mantuæ commotio.

HIsdem pæne diebus inter introclusos à Cæsare in Mantua exules, & alterius Factionis Principes Bonacosos novæ exortæ suspiciones. Hos vetera odia, illos ægrè deposita Dominia stimulabant. Succrescente itaque in dies contumacia, concussi utrinque terroribus animi, Imperii Vicarium Lapum Farinatam de Ubertis (8) alternis delationibus inquietabant. Ipse quidem rumores nunc blandis suasionibus, nunc minis acerbis propulsabat. Inculcatum tamdem in aures Cæsaris exstitit verisimiliori præsumtu, sive veris, sive falsis assentationibus, exulum elatiores ad pellendos Bonacosos vulgi rerum novarum cupidi suggestione fore conceptus: quod quidem animum Regium vehementiori molestia perturbabat. Indignum quidem ingratos viros abuti restitutorum larium beneficio censebat. Sic occasione captata Aymonem Episcopum Gebennensem transmisit illò cum militum

(3) Cebenam, sive Gebennam, tunc temporis appellabant, quam nunc dicimus Genevam, non ferendo Geographiæ errore. Petrarca etiam ipse in Triumpho Divinitatis ut vocant.

A riva un fiume, che nasce in Gebenna.

ubi Rhodanum innuit, cui cum Gebenna nihil commune est: verùm ignoscendum est Clarissimo viro decepto suæ ætatis errore: veluti etiam aliquot ejusdem enarratoribus & quidem acutissimis, ut ipsi sibi videntur; qui hæc non animadverterunt, habenda etiam est magna gratia Henrico Glareano, (In Annot. ad Cæs. lib. 1.) qui ingenuè nos monuit, Genuam, Genevam, Genabum & Gebennam multum obscuritatis Lectori ingerere, ac non attentum sæpè fefellisse, quæ ipsa longè diversa sint. Genuam enim Ligurum caput in Italia ad mare esse; Genevam Allobrogum ad ostia Lemani lacus, ubi Rhodanus exit; Genabum Carnutum oppidum ad Ligerim amnem, hodie ut quidam putant Aureliam; denique Gebennam esse montem, qui Helvios ab Arvernis separat. Ceterùm ab annis, ut putat octingentis, literarum ac soni similitudine Genuam ab indocto tunc seculo Gebennæ nomen invenisse plurativo numero, & quosdam ita etiam Aureliam ineptè Gebennam nominasse pro Genabum, & Gebennense studium pro Genabense, ineptiores autem hos, qui Genuam Ligurum caput Januam nominari putant, quasi Italiæ, & maximè Liguriæ janua sit. Hæc ille eisdem ferme verbis. Aimonis autem meminerunt hic noster non semel, Villanus, Vecerius, & alii. *Pignorius.*

(4) *Dedito*, erat dicendum. Sed autor hic, ut plerunque alias ad vulgarem loquendi modum respexit, quo dicimus *rendersi*, vel *arrenderſi*, pro dedere se. Quam tamen sententiam Latina vox non admittit. *Villanus.*

(5) Acyrologia. Nam subducere, est subtrahere, cujus contrarium, subdere. Omnino reponerem, *subdidit*, & paulò post, *capessere*, pro *capescere*. Villanus.

(6) Merus Italicismus *trassero altro Porto*. *Pignorius.* Hoc quoque tractum à vulgari loquendi consuetudine, qua dicimus, trahere, intransitivè, quod ajunt, pro, ire, seu accedere. At si hic non addas, *se*, fortè post verbum, *dubii*, Etruriismus erit. *Villanus.*

(c) *In P. & V.* deletos.

(7) Auctor Chronici septem ætatum manuscriptus, mihi commodatus è Bibliotheca Cl. Viri, & nunquam satis laudati A. Quærengi, Vatum nostri ævi facilè Principis; eximio studio & propensa opera Reverendissimi Viri Flavii Quærengi accedentibus, qui Antonium patruum non magis sanguine, quam moribus, & doctrina propius attingit, hic inquam Auctor hæc habet; *eo anno* (MCCCXI.) *Vicentia à Paduanis defecit, ut longinqua Paduanorum oppressione liberi forent.* Ceterùm Elogium Canis, quod Mussatus paulò superiùs rescripsit, ab eodem Auctore ita concipitur. *Vicarius Augusti, Princeps Veronæ, cui nomen est Canis de Scala, vir juvenis, acer, & severus in prœliorum discrimine*, quæ sanè, ut & alia multa Auctoris ætatem indicant. *Pignorius.*

NOTÆ AD RUBRICAM II.

(8) Hic Lupus videtur fuisse idem cum illo, qui anno MCCXC. Dux sive Capitaneus Ghibellinorum Clusinorum, cum Guelfis itidem Clusinis infeliciter pugnavit; Auctore Jo: Villano (Lib. 7. cap. 135). Cætera quæ pertexuit Mussatus de Bonacosis & Casarolis satis accurata sunt, & quæ apud alios non ita passim extant, de Laude, & Cremona, quæ in Literas retulit digna profectò sunt, quæ cùm Urbium illarum Historicis conferantur. *Pignorius.*

cum cohorte, qui vel pacem iniret; vel, si quorum temeritas exigeret, animos eorum debita animadversione retunderet. Is solers mandatorum Regiorum executor, accersito ad se Salinguerra Ferrariense, cui Tarvisinæ Marchiæ conditiones notæ fuerant, nec talium audendorum audacia deerat, Mantuam ingressus cum Lapo, disquisitione facta de singulis, in partem Bonacosorum, veluti Regi fideliorem, sovendam, reliquamve ejiciendam declinavit, idque ingeniosè cautioribus, utriusque scilicet Episcopi, & Lapi solertiis sinè strage effectum est. Pulsi quidem Cortesia de Casarolto, ac Venaticus de Gaffaris cum complicibus fuere: paulòque post (a) hoc missus à Passarino de Bonacosis, conniventia Populi Mantuani, ad Cæsarem Beraldus Passarini frater Vicariatum pro Passarino petiturus, citra commissa & Populi, & Passarini, seipsum præfici procuravit, quo frustratus proposito vetitus intra mœnia ingredi, instante Passarino suffulto Cane Grandi, & Albuino della Scala versutias ejus in Curia (b) detestantibus, abrogatus est, suffectusque Passarinus.

RUBRICA III.

Laudi deditio.

CÆsar Longobardiæ potiundæ reliquiis totus intentus, Longobardorum inconstantiis jam diffisus, quas multifariam expertus deprehenderat, in animum statuit illos eorum astibus refellere, ne jam ex proviso Gallicum à Ligure superetur ingenium. Antonium itaque de Fisiraga Laudensem miræ circumspectionis virum, cujus industria pæne Laudensium, Cremonensium, Cremensiumque Consortia clanculum regebantur, cum pluribus earumdem Civitatum Primoribus ad colloquium secum adscivit, spe reformandæ pacis, iniendorumque fœderum congruentium votis eorum, & Regiæ Majestati. Namque idem Antonius dedendæ sibi Civitatis Laudi potentiam deesse, seque non modò non creditum fratribus, populoque Laudensi; sed ob fidelitatem, quam Regi (a) obnoxius observaverat, vehementer suspectum dictitabat. Cùm igitur ad Regis colloquium ventum esset, spe redeundi ademta ipsi Antonio, suisque Primoribus cum animadversionis in eos comminatione, nisi Civitas Laudi Cæsari dedatur, convictus Antonius (b) ceteris curis, ingeniisque cedentibus, veritus etiam, ne mediantibus Electo Salernitano, & Ugone Guascone Papæ Capellano, qui jussu Papæ Cremonenses de pace interpellabant, ipsum prævenissent, Civitatem dari jussit, cui extemplo intrinseci paruere. Potitus itaque Civitate Laudi Cæsar, Cremonensibus eximio terrori fuit, Germanis, ceterisque militibus agros eorum depopulandos concedens. Tantus quippe terror illos invasit, ut se se munitionibus Urbis, vallisque non crederent inter se etiam (c) diffidentes. Proceres eorum plurimi, quos rebellione notatos sui cujusque actus patefacerant Urbe cessere, quos & Guido della Turre, qui se illò contulerat, comitatus pari fuga (d) Bononiam perexit, inde quisque, quò sors detulit, abscedens. Destituta Plebs cum Tribunis, Senatoribusque hinc latens, hinc per fora discurrens, Prætorii curias dereliquere, nihilque jam ex Plebiscito, vel Senatus consulto agebatur. Dum ex Patribus tremebundis aliqui, concione in forum extra ordinem aggregata, supplicationi locum fore suasere; Regem suscipiendum, placandumque; spes in ejus Clementia ponendas.

(a) *In P.* hæc.
(b) *MS. Amb. addit* Regia.

NOTÆ AD RUBRICAM III.

(a) *Cod. Amb.* obnixius.
(b) *In V.* ceterisque.
Desiderantur hæc in P. & R. usque Civitatem.

RUBRICA IV.

Cremonæ ad Cæsarem defectio, & exitium.

POpulus igitur cum Plebe, funereis veluti habitibus, apertis portis, præmissis ad Cæsarem Nuntiis, obviam exiit distinctis Ordinibus cum palmis ad passuum millia quinque à suburbiis, aureum ferentes tegumentum hastis sublevatum, quo velaretur Regiæ Majestatis sublimitas. Procedens autem Cæsar cum agminibus, & Centuriis, stipatus Principibus, renuit subire operimentum illud, non mansuetudinis, sed timoris ostentum ab illis, quorum pertinacias expertus fuerat, autumans; nihilque differens, ad numerum trecentorum (eorum videlicet, qui ceteris potentiis, industriisque præfuerant) vinciri jubet, vinctosque per Municipia custodiendos distribui. Ingressus itaque Civitatem Prætorio metuendus consedit, adhibitisque his, quos jura, consuetudines, ac rigores Imperialium Constitutionum nosse constabat, sedens in solio sententiam promulgavit. *Portas, munitionesque Civitatis funditus demoliendas; Honores, Libertates, & Privilegia quæque Civitatibus* (9) *ab Imperio concessa adimi; ultra suburbiorum continentias quemquam huic Communitati non parere; Castra omnia, Colonias sui juris esse; Civem unumquemque Cremonensem Romani servum Imperii fore, contumacibus dumtaxat exceptis, hosque hostes judicatos.* Suprema Turris in forum sita, quam Turracium vocant, cum supposita (10) Leonis effigie conspicuum Civitatis decus, excidenda erat, nisi Reginæ Clementia pro Plebe supplicantis placatum Cæsaris propositum fecisset; ejusdemque Reginæ obtentu à præda, populationibus, domorumque ruinis desitum est. (a) Suncini, Rimenengi, ceterorumque Castrorum Municipes, audito Civitatis excidio, continuò ad Cæsarem defecere. Hoc Cremonæ excidium finitimos undique conterruit. Cæsar truculentus asseritur. Plura nuntiata, falsaque veris subjuncta, ut vulgantis Famæ proprium est. Formidolosus adeò gentibus Rex, ut Populi jam variis tumultuarent sermonibus, diversisque studiis decertarent.

RUBRICA V.

Brixiæ rebellio.

THebaldus de Bruxiadis Brixianorum Primas, ceterique Nobiles cum Plebe unanimes, uti extra omnem placandi Cæsaris spem ob contem-

(c) *In V.* discedentes *pro* diffidentes.
(d) *Cod. Est.* Brixiam perrexit, *& ita Cod. Amb.*

NOTÆ AD RUBRICAM IV.

(9) Fortè, *civitati*. Villanus.
(10) Credo, legendum, *superposita*. Villanus.
(a) *In P.* Succini.

Digitized by Google

temtus præteritos, præmatura fata meti, & quidquid terra virens attulerat, succidi, cæsisque arboribus ac vitibus cum grano veteri undecunque collecto, ceterisque quæ ad victum vestitumque hominis accommodantur, intra mœnia reduci, reponique studiis fecere solertibus, exclusis senibus, ac puberibus, retentisque dumtaxat ad bella opportunis, constructisque machinis per propugnacula ad muros dispositis, portas clausere. Ad quos obsidendos festinus, & instans Cæsar evocatis omnium parentium Civitatum Populis, Francorum, Germanorumque copias eduxit, inseditque circumpositis castris per planitiem, & omnes adversos colles passibus occupatis (11). Interea ab Legatis, quos ad Papalem Curiam direxerat, Summi Pontificis rescripta suscepit, præfixam diem Coronationis in Mariæ Virginis Dei Genitricis Assumtione mensis accedentis Augusti indicantibus (12) in Urbe celebrandæ, adstantibus à Latere Legatis Sacrosanctæ Ecclesiæ Cardinalibus tribus jam nominatis in rescriptis, quæ res festiva Italicis, Gallicisque nomen Regium diligentibus fuit lætitiæ summæ, ceteris mœrori.

RUBRICA VI.

Paduanorum obedientia, & Privilegiorum concessio.

PEr hosque dies veluti excitati tanti concussione tumultus Paduani, jam palàm cernentes solam post Brixiæ excidium Paduam excepturam incursus, non ultra differendum statuere cum Cæsare remedia quærere, in pœnitentiam adacti, quòd saluberrima pacta per Antonium de Vico-aggeris, & Albertinum Mussatum impetrata sprevissent, nunc ea collaudantes, ut salutifera, ipsorum Antonii, & Albertini Mussati prudentias, bonitates, solertias ad cœlum tollentes, in adversum aliàs oblocutos increpantes, ac detestantes. Quibus ferme diebus per internuntios acceptum est, Paduæ Aymonem Episcopum Gebenensem (cujus mentio superiùs habita est) duodecim sapientibus tunc Reipublicæ præpositis insinuari fecisse, ut si Communitati Paduæ libuisset, vellentque Regi obsequi cum sui libertate status, hoc facilè impetrari posse ex Regis clementia, ipsiusque Aymonis obtentu pro Paduanis intercessuri, si tantum id velint, & gratum habeant. Si quidem etiam, quas conditiones postulare intendant, impetrabiles eidem Aymoni præcognitas esse fecerint. His demum sic per Secretarios hinc inde pertentatis, colloquium stabilitum fuit apud Barbanum Vicum penes Paduæ, Vicentiæque confines (13). Itidem ipse Episcopus cum paucis cum sex Paduæ Legatis convenit: dumque ab Episcopo (a) quæsitum, quas conditiones Paduani impetrare desiderent, expositum ei est

A per Albertinum Mussatum, cui omnia priora nota in Curia Regia pertractata, & ea quidem tamquam rationabilia libuere ipsi Domino Gebennensi, suasitque habilia ad impetrandum, seque personaliter pro Paduanis ad Cæsarem profecturum sub spe præcipua obtinendi narrata, aliasque obtenta, vel similia spopondit, totumque se ad id dispositurum. Gratiarum inde actionibus per Legatos Episcopo prolatis, finis colloquio fuit, redierequeque hinc inde, Aymo Vicentiam, hi verò Paduam. Super quibus habitis primò duodecim Præpositorum, Tribunorumque Plebis, deinde (b) Senatorum Consiliariis mille, ex consilio Albertini Mussati id

B exhortantis, multisque inductionibus cum validarum rationum assignationibus approbantis, obtentum ex Senatus Consulto est, Legatos ad Cæsarem destinandos, in quorum numero sint duo præfati Antonius de Vico-aggeris, & Albertinus Mussatus sub ductu Aymonis Episcopi pro gratiarum, pacisque conditionum remediis omnino conquirendis à Clementia Regia, quibus in tranquillo quies, statusque Paduanorum consistat immobilis, proque parendo mandatis Regiis cum fidelitatis juramento juxta consuetudines, ac constitutiones Majestatis Augustæ, extemplò delectis ex Ordine militum N. (c) Scrovegno; ex Plebe A. de Rogatis, Belcharo de Brognachis, Antonio de Leo Judicibus, prælibatisque Antonio de Vico-aggeris, & Albertino Mussato notitia priorum conditionum industribus subjunctis, quo utiliùs res agerentur.

C Hi duo turbationibus malè cognitorum operum, imò potiùs in se objectorum criminum, quòd ignaviter, parùmque prudenter egissent, recusabant instanter legationis obsequium, quod tamdem Decurionum, Tribunorumque Plebis mitigantium instantiis subiere, pereuntis Reipublicæ (d) conterriti discriminibus, iterque arripuere cum ceteris. Acciditque, ut apud Bononiam, cùm per passuum mille ferè spatium accessissent, inhibitum illis per obvios Bononiensium Nuntios foret, ne, cùm ad exosum eis, inimicumque Regem intenderent, mœnia sua ingrederentur; sed confestim finibus abscederent. Non patentibus aditibus reversi sunt,

D sed rursus impetratis passibus, sive transitibus per speciales Legatos ab iisdem Bononiensibus, ex præfatis Legatis sex ægrotante N (e) Scrovegno, & altero A. de Rogatis ex caussa occupato, quatuor reliqui ad Regiam Curiam perrexere. Procedentes itaque die statuta ante Cæsaris Tribunal Albertinus Mussatus jussus à Collegarum consortio sic proposuit:

„ Tertia mihi sors (MAGNANIME CÆSAR)
„ Dei Cœlitumque munere condonata est serenam intueri Majestatis tuæ faciem, Christianorum decus, per quem inspectante Deo Reges regnant, & Dòmini dominantur. Et si

E „ has vices, quibus ante Te asto, ut Reipu-
„ bli-

(11) Passus hic significat transitum, pag. proxima, *sed rursus impetratis passibus sive transitibus*. Italicè *li Passi*, est autem Gallicum, *pas*, *un passage, ou destroict par ou on passe*; notant autem magistri Gallicæ dialecti, in Libris fabularum Equestrium, veluti Amadisiis, Lisuartibus, Splandianis & reliquis ejusdem farinæ; Passum esse semitam quandam, quam qui arriperent necesse haberent, vel redire cum ignominia, vel pugnare cum vitæ discrimine, & sanè nostrates Poetæ, & Historici frequenter usurpant. *Pignorius*.

(12) Scio, illud, *indicantibus*, referri posse ad, *legatis*. At sententiæ melius consultum foret, si, *indicantia* legeretur, relatione ad, *rescripta*. Villanus.

NOTÆ AD RUBRICAM VI.

(13) Lege, *confinia*, vel *confinium*, atque illico pro, *itidem*, repone, *ibidem*, vel *ibi*. Itidem enim, quod neminem latere arbitror, valet, similiter, sed Mussatus usurpat pro, ibi, non tantùm hoc in loco, sed & alibi sæpius; vitio, reor, seculi. *Villanus*.

(a) *Intellige* esset.

(b) *Fortè* Senatorum mille consiliis.

(c) *Cod. Est.* Henrico de Scrovegno, *& ita Codex Ambros.*

(d) *MS. Amb.* contriti.

(e) *Cod. Est.* Henrico.

Digitized by Google

„ blicæ Paduanæ rem in effectum adduxerim, „ ut tuis sit compos votis illa Respublica, beatum me (f) dixerim (14), sicque Deo gratum, ut me hac quamquam ultima felicitate consoler (g). Ad commissa procedo. Paduanæ Civitati longævæ pacis Alumnæ, studii ac Sapientiæ Matri, dissidii partialis (h) expertis, Tyrannorum impatientis Tuus in Lombardiam transitus fuit lætitiæ singulari. Testes adduco Curiæ, & Constantiæ Episcopos Principes tuos acceptos ibidem, ut Angelos, non modò terrena, sed cœlestia nuntiantes. Coronationis Tuæ gaudio spectabili invitasti mansuetudine regia Paduanos, ex quibus delecti Primates interfuere, tantum decus inspectantes, in quibus pusillus & ego. Paulò post hæc Antonium de Vico-aggeris, hunc scilicet hìc adstantem, meque sic minimæ (i) consistentiæ, ut ecce conspicior, Populus ille direxit, indicaturos Clementiæ Regiæ, quibus ad tranquillè, beatèque vivendum opus erat, quæque ex ea necessitudine appetebat illa Communitas. Annuisti Cæsar quibusque petitis. Te liberum obligare voluisti, ut Tibi ipse leges indiceres, quas etiam voluntariò transgredi non liceret. Ipsis nobis Rectores eligere; nostris legibus vivere; consuetudines, moresque servare; Civitati Vicentiæ imperare fas esse censere voluisti; tuum merum, mixtumque Imperium in eum tradere (15) (parce Cæsar) ut prodigus. Et quid, inquam, plura petitis Regia munificentia tribuat? A facie tua læti, saturesque (16) discessimus reversuri ad diem certam cum tantarum acceptationibus gratiarum. At cur in statutam diem, inquies, redire desiisti? quæ moræ? Adivimus, Clementissime Cæsar, non ad Tyrannum, cujus solius ore responsa darentur. Adivimus Populum numerosum, quem ex Coloniis, Castellis, Municipiis, Vicisque difficilè congregari, quibus diu, multisque admodum opportunis induciis aggregatis annuntiata tantorum beneficiorum liberalitas lætitiæ tantæ fuit, ut clamor ad cœlum sublatus, populariumque suffusa gratulatio in universum tua triumphali largitione satiaret (17). Quid verò reditus nostri præfixi termini distulit executionis effectum? Audiat mansuetudo tua, Cæsar. Exequendi forma, quæ magìs Majestati Tuæ congrueret. Non quia impetrata unanimes non amplecterentur affectus; sed quia non uniformis opinio in recognitionum modis exuberantium animorum flagrabat in tantæ tuæ liberalitatis munificentia, quo magìs Tibi pateret desideriorum, & operum manifesta sinceritas. Has quidem Tribuni, has Decurio-

A

B

C

D

E

„ nes, has Conscripti mille Patres vias, formasque certatim contemplandæ, honorandæque Majestatis singillatim decernebant: dum tamdem paulò latioribus, quàm opportunitas expetebat induciis (18), concordibus opinionibus (K) decreverunt, Tibi obsequendum, parendum, Te ut decus sublime venerandum, emologatis pertentatis, & actis per nos Antonium, & Mussatum. Et ecce subiit repentina, insperataque novitas Paduanis, ut Canis de Verona Vicentiam occupaverit, pulso captoque præsidio Paduano. Hoc habile Cani nostro Civi, fratrique fuit, cui & sic venienti Paduanæ portæ patuissent nostris favoribus aucto, cum quo nobis societas, & civilitatis unitas. Sed, o Deus, meliùs si Paduanis innotuisset jussio tua Cæsar, quia nobis parêre intensius fuerat, quàm Tibi mandare, propositum. Et ad quid Populis in pace degentibus, ut de Te superstite Divinitas summa providit, optanda Paduanis Civitatis Vicentiæ Imperium, vel Potestas? At si quisquam dicat, honori cedet. Honorem nempe, Cæsar, superabat onus ad pondo auri quinquaginta. Sint sui juris Vicentini tantummodo volentes, nec ad sermonem nostrum res illa pertineat. Venimus, Civitatem, Civesque ditioni tuæ subjecimus. Sacri nos fideles Imperii profitemur, velis tantummodo, piissime Cæsar, nostris vivamus legibus, quarum sanctionibus diutiùs liberi viximus. Prætores habiles, utilesque nostris moribus nobis eligere sit fas, ex quibus unum ipse decernas, cui jus nobis dicendi summam tribuas semestribus terminis singulis potestatem. Prædiis, rebusque suis ex improviso spoliati gaudeant Paduani. His secundùm vota disponimus, his nostra contenta Communitas, Tuque vive, valeque, Rex Invictissime, salus viventium Christianorum. „ Postquam huic finem fecit Orationi Mussatus, Rex sevocatis Principibus, amotisque inde Legatis, triduum ferè maturè deliberans, intercedentibus Augusta Serenissima Margarita, Ameo Sabaudiæ Comite, geminis Regis fratribus, ceterisque Secretariis, ac præcipuè Aymone Gebennensi Episcopo, protulit hæc, jussitque his Regiis authenticè annotari Rescriptis.

Henricus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus (19) universis Sacri Romani Imperii fidelibus præsentes literas inspecturis gratiam suam, & omne bonum.

„ TUnc fidelium & devotorum Imperii multipliciter accenditur devotio, cùm Mu-
„ ni-

(f) *In P.* duxerim.

(14) Perplexa sintaxis, atque ἀναχόλουθον. Fortasse id voluit Mussatus, *Et si hac vice, qua ante te asto, Reip. Paduanæ rem in effectum adduxerim, ut suis sit compos votis, beatum me dixerim* &c. *Villanus*.

(g) *In P. & R.* consolet.

(h) experti, *meliùs*, & impatienti.

(i) *Cod. Est.* constantiæ, *& ita Cod Amb.*

(15) Nescio, quem significet illud, *eum*. Scribendum fortè, *in eam*, idest, urbem Vicentiæ. *Villanus*.

(16) *Satures* nuspiam legi, quòd sciam. Quare, ni falsus sum, repone, *saturi*. Villanus.

(17) Nescio, quid rei sit hoc *satiaret*. Depravatum credo, atque obelo jugulandum. *Villanus*.

(18) Nemo non novit, quid sint induciæ; cessatio scilicet à bello in certum tempus, quam ab abstinendis manibus ἐκεχειρίαν dixere Græci. Sed Mussatus hic deficiens à Latinis ad Italos posuit inducias pro mora, ac dilatione, quam hi appellant, *indugio*. Quod verbum licèt ex parte significationem induciarum, cessationem scilicet, repræsentet; cùm tamen cætera non amplectatur, mancus erit, ac barbarus qui inducias pro cessatione usurpaverit. Atque hoc persæpe iis continget, qui non ex latinitatis autoribus, sed ex vernaculi sermonis usu latinorum verborum sententias desument. Venia tamen danda Mussato, qui tantæ barbariei tempore vixit, ut vel Tullius haberi potuerit. *Villanus*.

(K) *MS. Amb.* optionibus.

(19) Henricus in Epigraphe Literarum suarum se appellat semper Augustum, sicut consuevit & Fridericus in Vet. Monumentis apud Radærum. Et sanè hæc nuncupationis formula non est ita recens: verùm valde antiqua: & quæ mille fortè annis excedat Henrici ætatem, rectè enim observavit. Habertus Goltzius in Thesauro rei Antiquariæ, ex antiquis Inscriptio-

Digitized by Google

„ nificentiam Regiam, & (l) in Justitia facilem, & in exhibenda gratia senserit liberalem. Hinc est, quòd Sapientum Virorum Consilii, & Communis Paduæ dilectorum fidelium nostrorum tranquillitati favorabiliter prospicere cupientes, concedimus, & de benignitate Regia indulgemus eisdem, ut singulis sex mensibus quatuor probos Viros idoneos Nobis, & Imperio fideles eligere valeant, & eorum electionem notitiæ nostræ suis patentibus literis sigillatis sigillo dicti Communis intimare, si in partibus Lombardiæ, vel Tusciæ, aut aliis citra montes Lombardiæ, vel in urbe Romana fuerimus constituti. Nosque de prædictis quatuor unum, quem volemus, dabimus, & præficiemus in Vicarium, & Rectorem dictæ Civitatis Paduanæ dumtaxat ad sex menses, nostrisque patentibus literis sigillo Regio munitis Episcopo Paduano, qui pro tempore fuerit, vel alii personæ idoneæ Paduæ commorantì committemus, qui ab eodem Vicario sic auctoritate Regia præfecto sacramentum recipiat (20) nostro nomine, quòd (m) regimen prædictæ Civitatis, & districtus ipsius bene, legaliter (21), & fideliter ad honorem, & uti- „ lita-

tionibus, Diocletianum, & Maximianum appellatos fuisse semper Augustos. Quæ sanè formula apud ipsum, qui hæc valde studiosi collectum ivit, in anterioribus Principibus non comparet. Atque ab hoc tempore deinceps æterni & perpetui videntur fuisse dicti Imperatores. Quod sanè probatur ex iis, quæ exscripserunt Goltzius, & Gruterus. Scio equidem Grutero ipsi aliam mentem fuisse, ut qui ad Antoninum usque Caracallam referat vetus marmor, in quo legitur præter cetera.

VICTORI. AC
TRIUMFATORI
SEMPER. AUG.

Verùm vir ille accuratissimus ibi hallucinatus est, ut patet ex Dedicatione ipsius Aræ, in qua Consules leguntur Arbetio & Lollianus vox enim *Arbitroni* somnium exscriptoris est, & ejus vice legendum *Arbetione*. Quod sanè Consulum par incidit in annum XIX. Constantini Augusti ex Baronio, & Panvinio; illo quidem Annal. Tom. 3. hoc autem in Chron. Ecclesiastico: ut alios prætermittam. Quare illa Inscriptio alio est ableganda; accedenti etiam ratione novitiæ ortographiæ, quæ non nisi post Constantini tempora videtur inolevisse in voce *Triumfatori*, in Nummis, & Marmoribus nisi ego valde fallor. Semper Augustum vocat Constantinum Publilius Optatianus Porphyrius in suo Panegyrico. Valentem perpetuum Augustum appellat Eutropius initio suæ Historiæ. Perpetuum dominum Valentinianum Imperatorem & semper Augustum Rufus Festus, in principio Breviarii sui. Ab Octaviano autem Cæsare (quod nemo non novit) cognomen hoc ad reliquos Cæsares transiit; Etymique rationem animadvertit Svetonius (August. cap. 7.). Verùm quod sibi voluerit Sextus Aurelius Victor hoc enarrans ego sanè non assequor. Svetonius quidem scribit ab avium gestu gustuve, sive ab auctu dictum esse Augustum. Gestus autem avium erat (ut & hæc obiter explicemus) cùm aliquid ex ore avium pascentium cadebat; idque erat Tripudium sollestimum (Cicer. 11. de Divin. & Festus). Gustus autem erat pastio ipsa, ideoque pullos edaces vocat Minucius Felix in Octavio. Prudentius in Hymno Romani Mart.

Quum Consulatum initis ut vernæ solent
(Pudet fateri) farre pullos pascitis.

Ne dicamus cum Grammatico non ita novitio; *Augustus idest nobilis, illustris, insignis, præclarus, exgrex, segregarius, celticus, heroicus, & est compositum ab aut & gusto, stas; quia solis nobilibus licebat olim gustare aves*; O criticum acumen! Scripserunt autem Svetonius Octavianum appellatum fuisse cognomine Cæsaris ex testamento majoris avunculi. Quæ breviter uti solet Sextus Aurelius (Edit. A. Schotti) Victor ita commemorat: *Namque Octavianus patre Octavio, atque adoptione magni avunculi, Cæsaris; ac mox procerum consulto ob victoriam partium placidè exercitam, Augusti cognomento dictus*. Quid cognomini Augusti cum victoria placidè exercita? ego sanè non video, & relinquo aliis divinandum. Neque melior sanè Victor alter, cujus hæc sunt, *Deinde ob victoriam Augustus cognominatus est*. Nisi uterque respexerit ad *auctum* uti loquitur Svetonius; & videtur attendisse Dion Libro LIII. dum hujus cognomenti ratione reddit auctum, videlicet Octavianum, ex illa victoria, opibus & dignitate. Græci autem cùm necesse haberent id cognominis exprimere, ΣΕΒΑΣΤΟΝ interpretati sunt: idest veneran-

dum, ut interpretatur Dion loco nuper citato, vel sanctum & numinis in morem colendum, ut explicat Pausanias (Lib. 3.). Hinc effluxere Sebastiani, & Sebasti nomina; cùm nemo sanus temerè usurparet nomen Augusti; velut invidiosum, & fastigio tantùm Principali adaptatum. Hinc alia ratione manaverunt nomina Sebastæ, Sebastenorum, Sebastiæ, & Sebastopolis, imposita videlicet Urbibus à conditoribus in honorem Augusti, vel Augustæ cujuspiam. Verùm ut & hanc veluti peregrinitatem exuerent, sub Septimio Severo, quod ego quidam animadverti, cœperunt & ipsi scribere in Nummis AVGOYCTOC & AYGOCTA, cùm & alias voces merè Latinas adoptassent, & ab hac voce nomen impositum est nummo aureo, qui pendebat Florenum & quid ampliùs, dicto *Agostaro*, cujus mentio est apud Jo. Villanum non semel. Hujus typum ego memini me videre è Musæo Alphonsi Ducis Ferrariæ. Verùm ut è semita redeamus in viam, appellatio illa SEMPER AUGUSTI videtur placuisse recentibus Cæsaribus, quando Maximilianus I. in nummo argenteo duplici Taleri pondere, apud me inscribitur DEI GRATIA ROM. IMP. SEMP. AUG. Et Mariæ Austriacæ. Item argenteus Nummus, quem ego servo, habet MARIA IMPERATRIX S. A. & notavit ab Austriacis receptum fuisse Bertius in Breviar. Orbis. At Cæsares Constantinopolitani, recentes illi quidem & satis novitii, Augusti cognomine repudiato, videntur maluisse dici Reges & Imperatores Romanorum: uti habet & lemma Henrici (ROMANORUM REX.) & sanè apud Georgium Codinum Imperator coronandus appellat se Regem, & Imperatorem Romanorum, in formula professionis Fidei, & Nummi veteres non pauci extant apud me græco-barbari, veluti LEON EN ΘEO BASILEUS ROMEON. Et Joannis Palæologi maximus æreus, qui inscribitur ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΚΑΙ ΑΥΤΟ ΚΡΑΤΟΡ ΡΩΜΑΙΩΝ. Et verò non Augusti ab augendo, sed Minutii à minuendo erant jure vocandi. Verùm pro Gentis superbia neque his suis titulis dignabantur Imperatores Latinos, uti scribit Luitprandus (in Legatione) At redeamus ad Henricum, qui pro more sæculi & gentis, in limine ipso rescripti annunciat inspecturis *gratiam suam & omne bonum*. Gratiam, salutem, & omne bonum inscribebat Henricus IV. (Edit. Basil. 1932. Edition. Grotser. Ibid. Rub. lib. 6. Hist. Raven.) idem Gratiam & omne bonum; idem salutem & omne bonum. Henricus V. Gratiam & omne bonum. Henricus II. Gratiam suam & omne bonum. *Pignorius*.

(l) *In V.* Justitiam facilem.

(20) Dixerim, *recipiant*; nam persona, *qui*, subdurum videtur, nec bene aptum. *Villanus*.

(m) *Cod. Est.* qui regimen.

(21) Legaliter est quod dicimus Italicè *Lealmente*: Rolandinus lib. 7. cap. 2. *Qui erat honestus homo, & propter legalitatem personæ suæ pecuniam multam, licèt invitus, de toloneo vini multis annis collegerat*. Vita S. Udalrici editionis Augustanæ; *Arnolfumque ducem Bavariorum adhuc viventem, de destructione multorum Monasteriorum, quæ in beneficia laicorum divisit, de multis sanctis accusatum legaliter judicantem*. Præceptum Chuonradi Imperatoris apud Georgium Pilonum; (Lib. 2. Hist. Bilan.) *Concedimus & confirmamus etiam eidem venerabili Episcopo legali auctoritate &c.* Pign.

Digitized by Google

„ litatem nostram, & Imperii exerceat, & gu-
„ bernet. Si verò extra terminos Lombardiæ,
„ ac Tusciæ, aut alios citra montes Lombar-
„ diæ, vel urbis Romæ nos existere continge-
„ ret, electio prædictorum quatuor Generali
„ significetur nostro Vicario Lombardiæ, qui
„ unum ex eisdem præficiat in Vicarium Civi-
„ tatis (n) Paduæ, quem voluerit, modum,
„ & formam nostram prædictam per omnia ser-
„ vaturus. Hanc autem concessionem, & in-
„ dulgentiam à data præsentium tantummodo
„ per sex annos immediatè sequentes volumus
„ in suo robore permanere, nisi ex uberioris
„ dono gratiæ dictum terminum deliberaveri-
„ mus ampliandum. Idem quoque Vicarius di-
„ ctam Civitatem, & districtum suum, prout
„ (o) jure tenet, & possidet, in statu com-
„ muni, & pacifico nostro nomine regat ad ho-
„ norem Dei, nostrum, & Imperii secundùm
„ leges, & consuetudines, & juxta statuta, &
„ ordinamenta approbata, & approbanda, quæ
„ statuta, leges, & ordinamenta contra Deum
„ non sint, nec in præjudicium honoris nostri,
„ & Imperii memorati. Volentes autem Civi-
„ tatem Paduæ prædictam desiderato tranquil-
„ litatis gaudere commodo, & ab incommodis
„ per Regalem providentiam præservare, ipsam
„ Civitatem, & districtum, homines, & status
„ ejus in nostram protectionem, & defensio-
„ nem specialiter duximus assumendos, ipsosque
„ ab omni Salario Præsidis nostri Provinciæ exi-
„ mendos mediantibus viginti millibus flore-
„ norum boni & puri auri annis singulis no-
„ stræ Cameræ ab iisdem tradendis, & etiam
„ applicandis. In cujus rei testimonium præ-
„ sentes literas scribi, & (p) nostro Majestatis
„ sigillo jussimus communiri. Dat. in Castris
„ ante Brixiam V. Idus Jun. Indictione Nona.
„ Anno Domini millesimo trecentesimo undeci-
„ mo, Regni verò nostri Anno tertio.

Rursus.

Henricus Romanorum Rex semper Augustus universis Sacri Romani Imperii fidelibus præsentes literas inspecturis gratiam suam, & omne bonum.

„ DEcet Majestatem Regiam caussas, quæ
„ dissensionum & errorum inter fideles
„ Imperii producere (q) poterunt discrimina,
„ diligenti sollicitudine removere, ac pacifico
„ statui commendare. Nam dum quietis ani-
„ mis, ac mentibus sunt conformes, ad nostrum
„ obsequium, & Imperii devotionem utilius se
„ disponunt. Volumus igitur, & ordinamus,
„ quòd singulares homines Paduani spoliati suis
„ bonis, juribus, & possessionibus immobilibus
„ per quoscumque homines Civitatis, & distri-
„ ctus Vicentiæ die decima quinta mensis Apri-
„ lis proximè præteriti, qua die Vicentia re-
„ sumta fuit de custodia Civitatis Paduæ, & ab
„ eodem die citra restituantur ad bona, (r)
„ & possessiones suas immobiles sinè placito,
„ vel querela (22). Qui iidem restituti (23)
„ utantur, & fruantur absque quolibet onere,
„ vel gravamine indebito, salvo tamen, quòd
„ dicti Paduani bona, jura, & possessiones hu-
„ jusmodi Communi Vicentiæ, aut singularibus
„ personis Civitatis, vel districtus ejusdem justo
„ pretio vendere teneantur, si dictum Com-
„ mune Vicentiæ, vel singulares personæ Civi-
„ tatis, vel districtus ejusdem voluerint com-
„ parare. Reservato omni jure cuilibet, ita
„ quòd per prædicta nulli in jure suo præjudi-
„ cium generetur. De mobilibus verò Padua-
„ norum, quæ habent, vel habebant in Civi-
„ tate, territorio, vel districtu Vicentino, quæ
„ ad manus Vicentinorum pervenerint, eisdem
„ fieri volumus per Vicarium Vicentiæ Justitiæ
„ complementum. Eodem modo per omnia in
„ restitutionem possessionum, jurium, & bono-
„ rum immobilium, & mobilium, quæ Vicen-
„ tini in Civitate, & districtu Paduæ, vel alibi
„ per dictos Paduanos occupata in prædicto die,
„ vel ab eodem citra habuerint, vel habent,
„ sancimus, & volumus observari. Ordinantes,
„ & (f) dicentes omnes, & singulos Cives Pa-
„ duanos captos in præfata die, vel postmodum
„ in ipsa Civitate Vicentiæ per nostros, vel per
„ Cives Vicentinos, vel advenas, relaxari.
„ Adjicimus insuper, & jubemus, quòd Com-
„ mune Vicentiæ, & singulares personæ, ac
„ Universitates ipsius debita, in quibus ipsis Pa-
„ duanis obligati noscantur, ut omnis quæstio-
„ nis materia conquiescat, satisfaciant, ut te-
„ nentur; & Vicentinis per Paduanos modo
„ simili de suis debitis satisfiat. In cujus rei te-
„ stimonium præsentes literas exinde conscribi,
„ & Majestatis nostræ sigillo jussimus commu-
„ niri. Dat. in Castris ante Brixiam V. Idus
„ Jun. Anno Domini MCCCXI. Indictione No-
„ na, Regni verò nostri Anno tertio.

His impetratis Legati pro Regia munificentiæ recognitione, pro Augustæ exeniis, proque impensarum supportatione, quas incumbens Brixiensis obsidionis expeditio ampliores effundi coëgerat, jussi intra præfixas dies millia florenorum auri centum Regiæ Cameræ assignare, rediere. Acta in Senatu Collegarum jussu Mussatus per singula recitans mirè collaudatur. Hanc Patriæ salutem singuli profitentur. Quinquaginta enim, & quingentis uno conventu aggregatis ad Paduanæ consuetudinis pixides cum plumbeis calculis, quas Ballottas appellabant (24), quas clanculum deponere cuivis licebat, ut

(n) *Cod. Est.* prædictæ Paduæ.
(o) *Cod. Amb.* justè.
(p) *Cod. Est.* nostræ.
(q) *In R.* potuerunt.
(r) *MS Amb. addit* & immobilia.
(22) Placitum est lis & controversia, à quo Gallicum Plaid. Est etiam Judicium, ut patet ex Capitulari Caroli Magni (Lib. III. 83.) *ceteris verò mensibus unusquisque Comitum Placitum suum habeat, & justitias faciat*. Porrò placitare est concedere. Capitulari Caroli Calvi; (XXXV. 10.) *& filium vel talem propinquum habuerit, qui Reipublicæ prodesse valeat, suos honores prout melius voluerit, ei valeat placitari*. Significat etiam obtinere causam. Cæsarius; (Lib. 4.cap. 61.) *Postea Cellerarius Abbati secreto dicebat, domine bene hodie placitavimus: sciatis tamen causam nostram non ex omni parte fuisse justam*. Pignorius.

(23) Restituti scilicet ad bona, & possessiones suas immobiles, quod paulò ante dixerat, *utantur iis* &c. *Villanus*.
(f) *Fortè* decernentes.
(24) Senatus Patavinus constabat Patribus conscriptis millenis. Auctor ipse superiùs *hos conscripti mille Patres vias*: & alibi, *deinde Senatorum consiliariis mille*. Et sanè de hoc numero nullus dubitat. Verùm non omnes poterant semper interesse, veluti qui aberant Reipublicæ causa, qui rei privatæ, qui rusticabantur, qui decumbebant &c. ita me docuit Albertinus Barisonus Abbas vir nobilissimus, & Patriæ Historiæ peritissimus. Verùm quod ad plumbeos calculos attinet, nostra monumenta m. s. constanter habent, Turrim quandam Antianorum, quam veterem vocabant, extructam fuisse à Campisanperiis. in ea appensam fuisse Campanam ad pulsum hora-

ut ex numeris eorum liqueret tuta singulorum clandestina voluntas, septem & decem in adversa pixide dumtaxat repertis, omnia ex S. C. approbata. Postque dies circiter quindecim ab Rege missus Aymo Gebennensis Episcopus, qui à Senatu, singulisque Senatoribus, & Tribunis juramenta fidelitatis suscepit, factaque est Civitas Paduana Imperio fidelis, Henrico VII. præfato regnante Anno à Jesu Christi ortu XI. CCC. millesimo, XII. Kal. Julii. Et si ad siderum, constellationumque revolutiones aspectum quisquam direxerit, notabilis hæc rerum identitas. Nam & hac ipsa die post annos sex, & quinquaginta, quæ ab Imperio ad Ecclesiam Romanam defecerat, ad Imperium rediit. Interea duo de transmissis à Patavo (*) ad Romanam Curiam Legatis Baricus de Lingua de Vacca legum Doctor, & Anselminus de Anselminis miles, quamquam in castris Regis compediti per transitum ob sui Communis contumaciam, quodque famosum quid in Regem in conspectu Pontificis erupisse dicti fuerint; relaxati tamen mitigatione tractatus sic pendentis Paduam demum applicuere, Senatuique Papale responsum retulere, ut scilicet Inclito Regi Ecclesiæ Sanctæ filio (t) pareatur omnino, nec prius cuiquam locum supplicationi, (u) tum demum admittendas Paduanorum petitiones Pontificali clementiæ, regio culmini, & ipsorum statui congruentes. Nec multis itidem diebus lapsis Joannes de Vigontia Judex (25), & Rolandus de Guarnerinis miles collegæ reversi integravere relata.

RUBRICA VII.

Brixiæ obsidio cum Thebaldi de Bruxiadis morte.

CÆsar in castris ante Brixiam cum Longobardiæ populis ad obsidionem intentus, machinis, arietibus, omnique tormentorum genere assiduè interiores fatigans, & ipse ab iisdem nonnullis incursionibus, machinarumque grandinibus (a) impetebatur, fortuna (ut assolet) vices hinc inde alternante, in quibus & hoc obtigit memorabile. Thebaldus de Bruxiadis, qui Brixiensibus præerat, in rupe montano Castro proxima, qua undique Cæsaris (b) conspiciebatur exercitus, speculam quamdam, quam Longobardi Bitifredum (c) appellabant, construi fecerat, non modò ad conspiciendos Cæsariensium motus, sed ad defendendi collis Castro contigui opus accommodam. Ad hanc visendam cùm se hastatorum manu ferè triginta contulisset, seu fortè, seu quovis indice, à Germanorum ala, quæ se in medium aditum per (d) exesum jugum proripuit, circumventus est. Nec ille, quamquam insperatæ vitæ jam certior, pugnam detrectavit. Concurritur telis, cruentaque fit utrinque cædes, paucisque ex Thebaldi militibus fuga in vicinum Castrum prodeuntibus, ceteri cæsi, captique inter quos & Thebaldus pæne ab Germanis agnitus indice famulo Longobardi idiomatis, qui hunc jam ex equo procumbentem, jamque occidendum Thebaldum proclamavit. Captus itaque, & vulneribus quinque confossus, ex quorum uno consciso sinistræ arteriæ craneo oculus confluebat, ad Cæsarem deducitur. Infremuit exercitus, clamor triumphantis Regis sublatus ad æthera. Quem Cæsar, Augusta satis superque frustra pro illo supplicante, Procerum, Principumque consiliis adhibitis, moderato regio examine percontatus, confessum, convictumque læsæ Majestatis (e) more Majorum condemnavit. Corio itaque bovino insutus, ut vivus diutius pœnæ servaretur (nam & vulnerum angustiis profligato paululum vita respirabat) Onagrorum caudis annectitur, tractusque circa Castra ad bovum quatuor colla lacertis pedibusque in diversum colligatis membratim dividitur, caputque hastæ confixum acumine ad proximos muros ostentatur intrinsecis, donatis per singulos exercituum manipulos membris, intestinisque (f) à conclamante popello concrematis. Hicque Thebaldi finis.

---

horarum, asportatam è Castro olim Atestino: & hac disrupta repositam aliam, imperante Henrico de Lucimborg, in eadem Turre prostitisse tabernam Silvestri cujusdam Aurificis, cujus erat quotannis præstare Senatui Ballottas plumbeas. *Pignorius*.

(*) Notissimum illud Hemistichium.

Hic tamen ille urbem Patavi.

In causa fuit, ut nomen Urbis nostræ transiret è Patavio in Patavum. Quod & placuit Venantio Fortunato (2. Lib. 8. 4.)

Justinam Patavum, Euphemian hinc Calerdon effert.

Imò & è substantivo, ut vocant, formarunt adjectivum. Patavus. a. aum. Epitaphium hujus nostri Auctoris, qui passim usurpat,

In mare fert Patavas unde Timavus aquas.

Benvenutus Campesanus Poeta Vicentinus, cujus carmina ad me pervenerunt ex munere politissimi J. C. & perveteris amici Marci Antonii Romiti.

Et jam Cæsarea moderator missus ab aula
Venerat ac pressam Patavis intraverat urbem.

Ipse Franciscus Petrarca, sub quo majestas Linguæ Latinæ caput exerere visa est, in Epitaphio Marini Donati.

Florentina mihi generosæ stirpis origo,
Cara domus Patavum ---------- idest Patavium more ut vidimus Venantii Fortunati.

Distichon Antonii Baratellæ Lauregii præfixum Arti rithmandi vulgaris Dictaminis, Antonii de Tempo, apud me manuscriptæ,

Edidit Antonius rithmandi Tempeus artem
Scaligero Patavus -----

& deinceps nihil tritius. *Pignorius*.

(t) *MS. Amb. addit* Christianissimo.

(u) *Intellige* fore.

(25) Judices erant Jurisconsulti, Legum Doctores, cujusmodi Baricus de Lingua de Vacca, cujus fit mentio proximè anteriore pagina, erant Juris professores. Judicum extat satis antiqua mentio apud Anastasium Bibliothecarium in Hadriano; *Direxit* (*Hadrianus*) *in ejus* (Caroli) *occursum universos Judices, ad ferè XXX. milla ab hac Romana urbe in locum, qui dicitur Novas, ubi eum cum Bandora susceperunt*. Quæ verba Anastasii parum intellexit Platina, cùm dicat Judices fuisse, qui nequaquam sordidis artibus impliciti essent, idemque spatium occursus detorquet ad numerum Judicum, qui essent ter mille: consultè sanè quòd non dixerit triginta millia, & Glossographum ipsius Anastasii est quod arguamus, qui *Bandoria* militare signum interpretatur, ut Judices togatos in aciem militarem transformet. *Bandora* est effusa lætitia, nobis *Bandoria*, Tuscis Baldoria. Differentiam autem inter Doctores Legis, & Judices quam nos attulimus multa sunt, quæ comprobent, ut infra videbimus; & illam ipsam videtur asserere Otho Morena in suo Chronico. *Pignorius*.

NOTÆ AD RUBRICAM VII.

(a) *Cod. Est.* in castra impetebantur, *& ita Amb.*

(b) *Cod. Est.* prospiciebatur.

(c) *Cod. Est.* appellant.

(d) *In V.* excetum, *fortè* excelsum.

(e) *In P.* more majorum judicio condemnavit.

(f) *Cod. Est.* igne a conclamante, *& ita Amb.*

Digitized by Google

finis (26). Hujusmodi tam terribilis successus ostentum sive dissimulantes, sive virtutibus exuperantes intrinseci, se seque eo magis extollentes, continuò captivorum hostium ad singula propugnacula murorum centum circiter numero (g) peditum colla laqueis fregisse allatum est. Ex insignibus quatuor Præpositos unius loco efferentes, quibus summa in omnium capita tributa potestas, Thebaldi ignaviam detestantes, qui in Hostium potestatem improvisus abiisset; nemini illum nominare fas esse. Deo, Sanctisque immolandum, quod in caput ejus condescenderat promeritum exitum (27). Quadripartitæ in ipsos quatuor conclavium, Civitatisque custodiæ, multaque cautiùs decreta, audentiùs, frequentiùsque deinceps extra mœnia proruptum.

(26) Thebaldi exitium omnes notant quotquot ego viderim. Sed variant in ratione pœnæ, huic nostro ut præcipuam fidem adhibitam multa faciunt. Verùm quid prohibet aliorum etiam dicta referre? Auctor Chronici septem ætatum, qui synchronus fuit Mussato, in quattuor partes corpus ejus dissectum, & hinc inde suspensum ait. Manipulus Florum ita scribit. *Hic in Rota ponitur, & in frusta concisus in machina positus in urbem projicitur*. Vecerium etiam in nomine errantem, & alios nihil motor. *Pignorius*.

(g) *Cod. Est.* pendentium, *& ita Amb.*

(27) Jam non barbariem hoc sapit, sed solos. Scribe, *promeritus exitus*, ne risum excutiamus Transmontanis. *Villanus*.

NOTÆ AD RUBRICAM VIII.

(a) *Meliùs* Ad Venetos.

(28) Clariacus nunc forsan est *Nostre Dame de Clery*: cujus meminit Carolus Saussyus in Annalibus Ecclesiæ Aurelianensis (Lib. 3. 27. & alibi.): præterea Papyrius Massonius (Descr. Fr. perfluxu.) in hæc verba *igitur Blesas naviganti à ripa Biturigum primo occurrit Clariacus distans ab Aurelia tribus tantum millibus, ubi Ludovicus XI. Rex noster sepulchri locum delegit*. Pignorius.

(b) *In V.* Gradenico.

(c) *In V.* cum comitiva obviam transmissa comiter &c. *& ita MS. Amb.*

(29) Ducatus (inquit Joannes de Janua) *est dignitas Ducis, vel ejus terra*. Apud hunc nostrum est quod alii appellant Ducarium, Palatium Ducis, & hic Auctor alibi

Tum quis fortè putat Venetum vidisse Ducatum

Proverbium jure usurpavit pro re jucunda, & quæ cum voluptate spectetur: & videtur sanè Ducatus ipse par fuisse illi Foro, quod tantoperè prædicat Franciscus Petrarca; apud Petrum Justinianum (Lib. 5. Histor. Ven.): & aliàs Palatium appellat locum celeberrimum, omniumque clarissimum atque pulcherrimum: de dignitate Ducis idem Petrarca eadem Epistola; *Ducatus honor non petenti, imò quidem ignaro sibi obtigit*. Ad Terram quod attinet (ut vocat Joannes de Janua) animadvertendum est Terræ nomine ditionem intelligi; & hanc bifariam accipi. Vel pro quadam ut ita dicam portione ditionis, quæ etiam nunc dicitur Ducatus, cujus extat mentio in Statutis inclytæ Urbis illius; *Si autem querimonia Veneti fuerit, quòd sit bonis spoliatus, vel deturbatus foris Venetiis, vel in districtu Ducatus Venetiarum &c.* Qui districtus Ducatus ibidem definitur *à Gradu usque ad Caput aggeris*. Vel pro universa ditione, quam Jacobus Theupulo Dux, & alii ita consueverunt explicare, *Dei gratia Venetiarum Dalmatiæ, atque Croatiæ Dux, dominus quartæ partis & dimidiæ totius Imperii Romaniæ &c.* Porrò ab hoc Ducatu nomen accepit aureus nummus Venetiis primùm percussus, ut inquit Marquardus Freherus (De re Venet. Imp. Rom.), nunc Zecchinum appellamus, ob officina monetaria ducto nomine, ideoque legimus in ejusdem anteriore facie etiam hodie.

Sit tibi Christe datus, quem tu regis, iste Ducatus.

Quam inscriptionem & formam etiam alii æmulati sunt, ut memini me videre in aureo quodam Rhodio Religionis ut vocant Sancti Joannis. *Pignorius*.

(30) Ad honorificabilitudinitatem quod attinet quovis pignore contenderim, ea voce data opera fuisse usum Mussatum, ut Legationis imaginem exprimeret.

Dantes enim Aligerius Libro II. de vulgari Eloquentia, ita scriptum reliquit, *Posset adhuc inveniri plurium syllabarum vocabulum, sive verbum, sed quia capacitatem nostrorum omnium carminum superexcedit, rationi præsenti non videtur obnoxium, sicut est illud Honorificabilitudinitate, quod duodena perficitur syllaba in vulgari: & grammatica terdena perficitur in duobus obliquis, &c.* Grammaticam autem appellat Linguam Latinam, in qua duo obliqua in plurali sunt, Honorificabilitudinitatium, & Honorificabilitudinitatibus, quæ sanè secunda visa est digna notatu ipsi etiam Joanni de Balbis, qui in verbo Honorifico, hæc habet; *Unde hæc honorificabilitudinitas: & hæc est longissima dictio, ut patet in hoc versu.*

Fuget honorificabilitudinitatibus iste.

De Pedum osculo scripserunt satis superque viri docti, mihi illud adnotandum est, Bajulum Venetorum, quo primum dio Imperatorem Constantinopolitanum salutaturus accedebat, genua flectere solitum, ab osculo pedum abstinuisse, ceteris diebus, cùm ad Palatium iteret, Capucium tantùm deposuisse, at genua non flexisse, ut notat Georgius Codinus (De Offic. Corost. cap. 14.)

Capucium autem deponere fuit detegere, & aperire caput. Manipulus Florum, de Maphæo Vicecomite, *& ingressus ante Imperatorem, deposito Capucio, rejectaque post tergum chlamyde, occurrit ante pedes Imperatoris*.

At in Italia nostra, uti & hujusce pravi instituti aliqua in hisce nostris tumultuariis adnotationibus extet memoria, Genua sibi flecti instituit primus Joannes Galeacius Vicecomes, ut cum ejusdem insectatione retulit Marius Acquicola, & id quidem à subditis, quibus & manum porrigere solitus erat deosculandam, cum magno, ut Acquicola inquit, probro gentis dedecoreque. Notavit sanè Svetonius, (Cap. 12.) insolenter olim fuisse Domitianum, qui Cænidi Patris Concubinæ ex Historia revertenti, osculumque uti assueverat offerenti manum præbuisset, quid nunc ille consilii caperet si Bajulos inter se salutantes audiret, interjecto ferè semper osculo manus? *Pignorius*.

(d) *In P.* ajebat, *mendosè*.

(e) *Cod. Est.* Communitati.

RUBRICA VIII.

Venetorum legatio. (a)

PEr hosque dies Aymo Gebennensis Episcopus, Grato Dominus Clariaci (28), & Andreas Judex Gareti Astensis à Cæsare transmissi Venetias se transtulere. Quos Petrus (b) Gradonico Dux Venetiarum (c) cum Comitiva obviam navigans, comiter honorificèque admodum excepit, in Ducatum adducens (29). Nec ab illo, seu Venetis fidelitatis, vel obedientiæ cujusquam fœdus petitum. Nam & maturiùs cùm Rex prima Italiæ ostia contigisset, Legatos illò Dux ipse direxerat cum regalibus exeniis honorificabilitudinitatis, nec obsequentiæ ullius causa, quibus etiam inhibitum pedes osculari regios (30). Sic (d) ajebant indultum Venetiarum (e) dignitati communibus Ecclesiæ, Imperiique largitionibus antiquatis. Munera tamen, juvamentaque ad Coronationis progressum,

Digitized by Google

ſum, Galêarumque corpora, ſeu vaſa (31), ſi quidem navigio in quoquam mari opus fuerit, quæſiiſſe dicti ſunt. Ad quæ Dux ſe tamquam amico Henrico Romanorum Regi captatis opportunitatibus ſervitia, & honores juxta Primatum ſuorum capiunda conſilia impenſurum deſpondit. Per triduum ergo ibidem morati Legati cum commeatu Venetiis egredientes ad Civitatem Tarviſii profecti ſunt.

RUBRICA IX.

Tarviſii obedientia.

AD hos ſuſcipiendos cum Illuſtribus Tarviſinis prodiit Vir egregius Riciardus de Camino jam Regiæ fidelitati cenſu dato ſubnixus, quem (ut ſupra demonſtravimus) Tarviſii, Feltri, & Belluni Vicarium Rex præfecerat, qui Legatis gratulabundus læta, feſtivaque gaudia cum tripudiis, Populique Tarviſini applauſibus fecit: concioneque habita ipſe prior, reliquique ſingillatim jurejurando mandata regia obſequi firmavere. Biduoque illic perſiſtentes, ſublimibus donati equis, Paduam pro tollendis ſciſmatibus, ſcandalorumque cauſis, quæ vehementes inter Patavinos, & Vicentinos diſſidentes diutiùs incendebantur, rediere.

RUBRICA X.

Tacta per tranſitum Hoſpitaliorum (a) *damnatio.*

INque harum procinctu rerum Octobonus Aquilegienſis Patriarcha ad Generale Concilium vocatus à Papa, quod in ſubſequentibus Octobris Kal. in Civitate Viennæ ſtatutum erat, per Venetias, Paduamque tranſiens Cæſarem primò viſurus, Longobardiæ directum callem tenuit. Concilium quippe in eas Kalendas Papa ſtatuerat, omnibus Chriſticolarum evocatis Prælatis, præſertim ſuper Apoſtaſiæ ſcelere, nefandique ac deteſtabilis Idolatriæ vitii, execrabiliſque facinoris Sodomorum, & abominandæ Hæreſis, in quibus convicti, confeſſique Magiſtri, Præceptores, & Milites Domus Militiæ Templi Hieroſolymitani ſeptuaginta duo circiter numero plectendi Apoſtolicis inſtabant cenſuris. Et, proh pudor! Quamquam ne (b) hæc noſtri thematis nefanda relatu: ſed fanda quidem in ſimilium tranſgreſſorum (quod abſit) exitium, ut quæ noſtra vidit ætas, cautior fiat evitare Poſteritas. Abominandæ feræ formam humanam indutæ Fratres, imò Hoſtes illi Crucis armati ſignaculo, in ſuæ Communionis Fratrum receptione cum abnegatione Chriſti, & ſpuitione ſuper Crucem, aliiſque ſubticendis, ut verecundiæ parcatur humanæ, erroribus ſuis, ſuorumque complicium animas ſuas diutiùs deſponderant Sathanæ. Hi namque Franciæ terræ Ultramarinæ, (32) Normanniæ, Aquitaniæ, & Pictaviæ Provincias hac ſuperſtitionis ſorde tabefecerant. Illa (ut prædiximus) Concilium potiſſima aggregabatur cauſa, pro fidei roboratione, proque hujuſmodi erroribus (c) elimandis, deducendiſque ad tramitem veritatis. Hujuſque inquiſitionis, & elucidationis indaginem attributam conſtat conſpicuo Philippo Regi Francorum Chriſtianæ fidei fervore Progenitorum ſuorum veſtigia clara (d) ſequentis, cui horrendum illud facinus intimatum exſtiterat, nec (e) luxus avaritiæve typo, ut nonnulli ex illorum aſſeruere Conſortio, cùm nihil inde in ſui proprium vindicaverit; ſed ab intactis (f) eorumdem ſubſtantiis manus prorſus amoverit, ſua ſponte, (g) juſſuque in Sacroſanctæ Eccleſiæ, à qua defluxerant, patrimonium reſervandis.

RUBRICA XI.

Prodigia.

GRandia hæc, mirandaque, vixque crediti antequam fierent, motus ii, qui nec cœleſtibus caruere prodigiis. In ipſis quidem tantorum ſucceſſuum principiis de Cœlo apparitiones Pariſiis, perque contiguas Francorum terras conſpectæ ſunt. Solis, & Lunæ par Eclipſis ex telluris umbra per biduum. Novum, ignotumque viſum ſidus irradians. Lunæ imago triplex, (33) & in æthere Cieli quidam cum incluſa Crucis effigie, novæque formæ, ac variæ per aëra; Inſuperque ex tellure advolantes in Cœlum faces (a) in partes Italiæ conflagrare; Polorum Axes (b) increpantes ſereno Cœlo auditi (c) veluti tonitrua edentes abſque præmicantibus

(31) *Corpi de Galere, & Vaſelli.* Italicè diceremus. Galeas autem ab Hebr. Gallim, ideſt fluctibus, & inundationibus, ſunt qui originentur; alii à Galea & Caſſide, quæ eſſet tutela Navis; alii à γαλεάγρα. Quæ omnia ego nimis operoſa eſſe arbitror, & exiſtimo vocem eſſe Græcobarbaram, quæ in noſtratia Navalia irrepſerit veluti alia multa ejuſdem generis ab eadem Gente. *Pignorius.*

NOTÆ AD RUBRICAM X.

(a) *Corrige* Templariorum, *& vide notas.*
(b) *Fort.* non.
(32) Quænam eſt hæc Francia terra Ultramarina? ego legerem *Franciæ & Terræ Ultramarinæ.* Jacobus à Vitriaco (Hiſt. Or. cap. 65.) de iiſdem Templariis ſcribit; *Amplis autem poſſeſſionibus tam citra mare, quàm ultra dilatati ſunt in immenſum.* Sunt autem dicti Milites Templi *quia in porticu Templi Sedem ſui ordinis ſtatuerunt. Hic autem Ordo* (inquit idem iple Auctor) *centum octoginta quatuor annis aut circiter militaverat: dives & multum privilegiatus fuerat.* De Templariis autem nemo non ſcribit: & Joannes Villanus, Papyrius Maſſonius, Hieronymus Rubeus, injuria damnatos aſſerunt. Alii, cum quibus ſtat Muſſatus, ſecus: ego cum Turſellino ſentio, qui falſis criminibus circumventos noviſſimè ſcriptum reliquit. *Pignorius.*

(c) *Melius* eliminandis.
(d) *Melius* ſequenti.
(e) *Sic in P. in V.* luſus, *in R.* luxiis, *utrobique malè fortè* lucri.
(f) *In R.* eorum.
(g) *In R.* niſuque.

NOTÆ AD RUBRICAM XI.

(33) Franciſcus Petrarca, rer. memorandarum lib. 4. Tract. 6. cap. 18. totum Muſſatum compilavit. Quod enim hic Solis & Lunæ parem Eclypſin notat, &c. *Solis ac Lunæ ſimul Eclypſin, & minacem inſueti ſideris faciem viſam*, quod Muſſatus *novum ignotumque ſidus irradians.* At quid ſibi volunt apud Petrarcam arculi cœlo ſparſi? an non ex Muſſato legemus circulos cœlo ſparſos? pergit porrò Petrarca Lunam trigeminam recenſere, Crucis imaginem, deflagrantes Poli partes, tonitrua ſereno cœlo: equam novem pedibus præditam; & Aves ignotas, Stellas novas duas vidit ætas noſtra; alteram me puero in ſidere Caſſiopejæ; alteram me annos nato tres ſupra XXX. anno MDCIV. quam ego primùm aſpexi die XXII. Octobris, Jovi proximam, Meridem, & Occidentem inter. *Pignorius.*
(a) *Cod. Eſt.* & partes.
(b) *Sic P. & R. Ven.* increpitationes.
(c) *Deſunt hæc in Ven. uſque* fulgoribus.

Digitized by Google

bus fulgoribus. Sic de Gallicis enuntiatum est terris, repletæque Italiæ Civitates, Mundoque fama insistente patens habitum est. In Colonia (34) Patavii, quam Curte vocant (35), natura adeò in animante vagata est, ut Equa Pullulam novipedem enixa sit. Inter Patavii, Tarvisiique fines (36) Arcis Trivillæ Palatium, opus laterum vetustissimum (d) in momento terræ subsedit, ut supremi tigni, domusque fastigium solo æquatum sit. Avium quoque genus ignotum (37) per Longobardorum agros visum, deprehensumque plumæ cineritiæ cum rubris maculis, & crista in vertice magnitudinis harum, quas Frixones Patavini vocant. Has tamen visas Friderici Imperatoris tempore quidam retulere. Anni hujus hyems pluviosa crebris imbribus, nivibusque affluens. Ver alluviosum, Æstas arida, grandinosa. Unde per omnes Patavi fines tanta sterilitas (38), ut vix sementes arva retulerint, adustique palmites uvis excussis futuri anni præjudicavere vindemiis per universos colles Euganeos. Et si quidem à vetere majorum more, Romanorum præcipuè, quorum adhuc legum, dogmatumque institutis vivimus (39), ad Deorum placationem in similibus se referentium exempla traheremus. Nos scilicet, qui Dei Unigeniti Filii illustrati lumine, Omnipotentis Patris Majestatem vivaciùs deprehendimus, expianda procurandaque nobis fuerunt illa votis, suppliciisque prodigia, emendandaque (e) crassantium Mundo crimina. Ne quisquam neget, ut veluti illi Gentiles jam iratum, paratumque Jovem ad fulmina, victimis persæpe placatum substitisse, vexatosque illos, quos Deos vocabant, hominum insolentiis, in eosdem insæviisse, opes evertisse, exitia, mortesque intulisse, profiterentur; uti in arrogantem Niobem in Deos proferre ausam,

Major sum, quàm cui possit fortuna nocere,

Phœbi, Phœbesque parens vindictas Latona constituit. Illi super illusarum mentium nubilo, quos Deos arbitrabantur, colebant (f) venerabanturque: Nos certum visumque negligimus, nec signa ejus, cujus potentias, virtutesque palpavimus, in excelsis visa formidamus. Unde profectò (g) nimirum, si dispensantis Dei plagæ Cœlo dimissæ justa plectunt animadversione Terrigenas. Ad propositum revertamur.

RUBRICA XII.

Pergamensium captio.

IN Castris ad Cæsarem clandestina insinuatione delatum est è Pergamo (40) per Optima-

(34) Colonia Mussato est ruralium hominum habitatio, ut infra. *Pignorius*.

(35) Curtes autem olim Villas vocabant, sed alodes & liberi juris ut inquit doctissimus & amicissimus *Sirmondus* in Notis ad Goffridum Abb. Vindocinensem. Et hæc Colonia etiam hodie Curtis appellatur; situ ultra Castrum Plebis Sacci ut vocant, & Coloniæ vocem eodem sensu usurpavit Paulus J. C. in l. 27. §. colonus ff. loca. & condit. de Curte item Bignon. ad Marculf. *Pignorius*.

(36) Hoc demum est fundum Chasmate perire, ut legimus apud J. C. Chasma enim hiatus terræ est, dum rumpitur terra inquit Papias: ad cujus imaginem & Chasma in Cœlo fit, *Cùm aliquando cœli spatium discedit* (inquit Seneca Lib. 1. natural. Q.,) *& flammam debiscens velut in abdito ostendat*. Quod Servius interpretatur, *subditam aeris disruptionem & quendam recessum*. Terreni Chasmatis horribilem & miserabilem speciem edidit hoc anno MDCXXVII. terræ motus, in Apulia; die XXX. Julii circa meridiem. Multa oppida terrarum hiatus absorpsit, obrutis mortalium circiter decem millibus, Lesinæ locus exaruit, retrocessit mare, fluviorum aquæ in capita revolutæ agros inundarunt. Quisquis vidit ille planè exhorruit. Quid non ibi tunc diffractum, disjectum, convulsum?

Apud nos sanè Festum Conversionis S. Pauli, etiam hodie, à terræ motu cognomen sortitum est, ab eo videlicet, qui memorandis ruinis vexavit Patavium, & Venetias, anno MCCCXLVIII. quem descripsit Joannes Villanus extremo Libro 12. De alio hinc. *Pignorius*.

(d) *Cod. Est.* uno momento.

(37) Nos frustra quæremus de Avibus ignotis. Verùm, quid si Fridericus ipse, cujus tempore visæ sunt, prodat eas nobis? ille lib. 1. Cap. 23. de arte venandi, hæc habet; *& sicut sunt quædam aves aquaticæ habentes rostrum rubeum, crura & pedes, dictæ Anates de Faraone, quæ sunt variæ ex albo, nigro, & rubeo. Habent enim inter nares & frontem quoddam tenue carneum rubeum elevatum ad modum cristæ, &c.* Quod si hæc alicui minus placent, disquirat ipsi me volente & favente.

Pæne simili Chasmate extant hæc verba apud Leonem Baptistam Albertum lib. 3. de 31. Ædific. cap. 111. *Vosque vidimus Turrim apud Mnestorem, Venetiarum oppidum, quæ post annos aliquod, quàm absoluta extitit, pondere sui perforato cui incumbebat solo, uti res monstravit, tenui & imbecilli, ad summa usque propugnacula immersum ierit.* Quæ repetita sunt a Gaudentio Merula, lib. 4. Memorab. cap. 4. Mnestor autem sive Mnestrum hodie dicimus *Mestre*, de quo & nos non nihil in Orig. Patavinis. *Pignorius*.

(38) E sterilitate mox nata est Annonæ caritas anno sequente, cujus meminit Auctor Chronici septem ætatum, in hæc verba. *Hoc anno ferè per orbem, in Italia maximè caristia annonæ & vini & aliorum fuit, etiam hominum mortalitas maxima magis virorum, quàm mulierum, & locupletum, quàm egenorum.* At hic idem Auctor anno MCCC. notat ostentum dignum planè, quod hìc inseratur. *Ipso etiam anno fructus arborum ultra solitum præmaturi: mense Aprili vidi Rosas, & Cerasa edi, non tamen plure mature* (forsan *non tamen plenè matura*) *mense Julio bibi Mustum ex uvis.* De Rosis & Cerasis hodie nihil est quod miremur, de Musto est sanè quod miremur. *Pignorius*.

(39) Carolus Sigonius cujus tamdiu perennabit memoria, quam diu erunt Litteræ, & Litterarum amor, scriptum reliquit lib. 11. Ann. 1139. de Regno Italiæ, Lotharium Regem, ut ex uno jure civili Romano, posthac judicia fierent lege sanxisse. Ante hoc tempus Italicos alios Longobardica, alios Salica, alios Romana lege usos, cujus rei exemplo sunt veteres Tabulæ apud me Annorum MLXXXV. MCXIII. & MCXI. in quibus alii profitentur vivere lege Bavariorum, alii lege Romana, alii alia.

Major sum quàm cui possit fortuna nocere

Ovidianum est ex lib. 6. Metamorphos. contra Pedo Albinovanus in Elegia, ad Liviam.

Cæsaris adde domum, quæ certè funeris expers
Debuit humanis altior esse malis.
Ille vigil summa sacer ipse locatus in arce,
Res hominum ex tuto cernere dignus erat.
Nec fleri ipsi suis, nec quemquam flere suorum,
Nec quæ nos patimur vulgus & ipse pati.
Vidimus erepta mœrentem stirpe sororis
Luctus ut in Druso &c.

Ceterùm de Latona, & Niobes filiis ne pigeat videre Pausaniam in Corinthiacis, & in principio Arcadicorum, ejusdem autem simulacrum visitur in Nummis veteribus æreis Tripolitarum, quod quia nescio an alibi extet, hic delineandum duxi in gratiam eorum, qui hujusmodi notitiis afficiuntur. *Pignorius*.

(e) *Fort.* grassantia.

(f) *In V.* venerabantur.

(g) *Lege* nil mirùm.

NOTÆ AD RUBRICAM XII.

(40) Pergamum tunc fuit, quod nunc Bergomum, apud omnes omnino Scriptores illius ætatis. Notitia Urbium m. s. apud me. *Pergamum Italiæ civitas olim in Venetia provincia sive Gallia Cisalpina, nunc in Longobardia provincia*

Digitized by Google

matum factionem novas res pertentari ; hostes Brixienses intrinsecos sollicitari per literas , & internuntios ; se se tutari viriliter ; bono animo esse ; juvamenta , præsidiaque ad eorum succursus parari Guidone della Turre cum fidis Longobardiæ , Tusciæ , Romaniolæve (41) partibus in unum coire ; in exercitu Cæsaris seditiones jam serpentes concitari ; Pergamensium Communitatem ad rebellionem apertam jam se coaptare , munire . Cæsar in agendis impiger Goleranum fratrem natu majorem (42) militiæ , armorumque strenuum , fortem , & quòcumque se offerret necessitudo , celerem , cum militum manu (a) transmisit , quem formidabilem noctu tremebundi apertis portis excepere Cives . Is verò , quem diffiducia suggestarum rerum , conceptorumque facinorum urgebat constrictis aditibus , ne quis abire inde posset , exploranda tecta , domosque per singulos vicos instans jussit , nonnullis conjectantibus , & Guidonem della Turre intra (b) Civitatem penetralia delitere . Ex Primoribus Civitatis duos & viginti vinctos postera die ad Castrum secum adduxit , quibusdam etiam in ipsis Castris existentibus in eadem vinculo conjectis , quos multis quæstionibus percunctatus Rex Veronam custodiendos transmisit .

RUBRICA XIII.

Mors Golerani fratris Cæsaris .

SEd ecce diebus his fortuiti casus deplorandus eventus qui Golerani Regis fratris ad spectaculum immissi ignis per Brixianos interiores in ligneum propugnaculum , quod ad superandos (a) Urbis muros Germani construxerant , occurrentis tragula gulam trajecit , lethalque hoc vulnus illum (b) paucos post dies vita exuit . Cujus corpus (c) Veronæ delatum magnificis exequiis humatum est (43) . Mirumque , ac memorabile , quòd Cæsar constanter hoc tulerit , ut nullius prorsus indaginis in illo vultus , actusque deprehensa molestia , cujus imitatione , & taciturna Curia tantum funus silentio dissimulatum præteriit (44) .

---

vincia sita est , & infra , *quare autem Civitas bujusmodi sit sortita vocabulum non legi , ratione tamen loci , & situs , & ædificiorum causa sic autumo* , rectè . Pergama enim erant loco edito , uti graphice repræsentat Nummus argenteus Frederici Imperatoris apud me , in quo cernere est Urbem Prætorio magnifico , & celsis turribus insignem , montique impositam , inscriptam utrimque *PERGAMUM* . At eadem urbs in Epitaphio Joannis Archiepisc. Vicecomitis , (Apud P. Jov.) cum prædicatione situs montani dicitur .

Bergoma magna satis lapidosis montibus altis . Pign. Mussatus hic , & sæpe aliàs ponit *Pergamum* , & *Pergamenses* pro Bergomo , & Bergomatibus . Quod vel corrigendum , vel notandum . *Villanus* .

(41) Hanc nos hodie appellamus *Romagna* , est autem Exarchatus Ravennæ , quem a Carolo usque Magno Romaniæ , sive Romaniolæ nomine constitum fuisse scribit Carolus Sigonius : *ex vobis Romæ nomine* (inquit Volaterranus Lib. 4. Geogr.) *cui fidissima semper conjunctaque fuit.* Quod sensit & Blondus (Dec. 11. lib. 1.) . Comitatum Romagnolæ appellat Ptolomæus Lucensis , & Ptolomæo antiquior Anastasius Bibliothecarius (In Hadriano.) Romanorum Provinciam .

Cæterùm Romanorum Imperium olim Romanitatis & Romaniæ nomine venisse notat Casaubonus ad Historicos minores . Et sanè Idacius Episcopus in Fastis non semel Romaniæ meminit , quam tamen ipse pro Romania Europæa accipit , Thracia videlicet , Achajaque & conterminis regionibus ; cùm & altera fuerit Romania Asiatica , ut rectè notavit Leonclavius in Pand. Hist. Turc. *Pignorius* .

(42) Mirum est quomodo in hoc nomine variant Scriptores ; VValramum Comitem de Lutzellemburg , & VValramum juvenem nominat Cæsarius , (Lib. 7. cap. 43.) & eodem pacto Vecerius . Valeramum Mainoldus , Valeranum Curtius in Histor. Veron. (De Tit. Reg. Phil.) Galleranum Villanus . Goleranum hic noster . *Pignorius* .

(a) *Videtur esse* illò .

(b) *Sic in omnibus mendosè , ut arbitror , pro* Civitatis .

NOTÆ AD RUBRICAM XIII.

(a) *Desunt hæ duæ voces* Urbis muros *in V.*

(b) *In P.* paucos dies .

(c) *Melius* Veronam .

(43) Galerani Cadaver elatum fuit ad D. Anastasiæ , ubi ad annum usque MDLX. loco edito parieti insertum conquievit . Quo anno sepulchrum disturbatum est , & humi conditum cadaver , quod etiam tunc aurea Cæsarie insigne erat ; conspectumque per tres circiter horas fuisse passim , abiisse deinde in cineres retulit mihi Vir antiqua nobilitate studiorumque ingenuorum amore clarissimus *Fernandus Comes Nogarola* . Videtur autem fuisse Verona Regalium funeribus destinata . Domnizo lib. 11. Vitæ Mathildis .

Dum geritur bellum ruit unus filius ejus ,
De quo Rex latè doluit , misitque cadaver
Veronam , pulcrum fabricatur eique sepulcrum .

Meque sanè non jure , cùm & Marchiæ suæ nomen Verona olim & indiderit , Longobardis regnantibus ; præclaris murorum munitionibus , esset insignis ; ut Anastasius tradidit , ideoque selectam ab Adalgiso Desiderii Regis filio : ut in ea servaret Autcharium Francum , & uxorem , atque filios Carolomanni . Vecerius autem & Capreolus Goleranum in agro Brixiano , ad D. Barnabæ sepultum ajunt . *Pignorius* .

(44) Curia olim quid significarit valde ambiguum non est , ast hujusce nostra ætate nomen variæ significationis fuit , veluti Palatium Regale , seu Imperiale , uti apud Mussatum non rarò aliquando Ducale , Henricus Dux Austriæ apud Radærum ; *præfatus Conversus imò perversus , Curiam meam clanculo introivit* . Aliquando Forum est , & locus in quo Jus dicitur , lib. 2. Feudor. tit. 10. *Sed hodie eodem jure utuntur in Curia Mediolanensi , quo & Valvasores* . Aliquando est domus privata , ut apud Cæsarium (Lib. 8. cap. 19.) ; *& circa crepusculum in Curia propria illum sine læsione deposuit* . Alias domus rustica Petro Crescentio (Lib. 1. c. 6. & 7.) ; *Curiæ sive tumbæ faciendæ in rure occasione habitationis domini & rusticorum* . Nonnunquam Ludi & Choreæ . Rolandinus (Lib. 2. cap. 14.) *erat nempe constituta Curia quædam causa solatii Venetiis , ubi fuit Azo Marchio pater Marchionis istius , & alii de Marchia nobiles & potentes . Quam Curiam pater meus honorare desiderans , &c.* Pignorius .

Albertini Mussati Paduani de gestis Henrici VII. Cæsaris Liber Tertius explicit feliciter .

ALBER-

Digitized by Google

ALBERTINI MUSSATI
DE GESTIS
HENRICI VII. CÆSARIS
LIBER QUARTUS.

RUBRICA PRIMA.

Adventus legatorum Cardinalium ad Cæsarem, & tractatus cum Brixiensibus. (a)

BAsiliensis Episcopus (b) unus ex Regiæ Curiæ Principibus (1) Avinionem, ubi tunc Papalis Curia residebat, transmissus à Cæsare, benignè à Papa susceptus, totum Cæsaris progressum, difficilesque vicissitudinum anfractus, pertinaciamque Brixianorum, compliciumque, ac fautorum seriatim dictavit; qualiter etiam ob Bononiensium, Florentinorum, Tuscorumque (c) ejusdem factionis res, argumenta habebantur, statuta die Beatæ Mariæ Virginis jam jam accedentis Augusti, Coronam præsertim in Urbe assumi non posse, prorogandum terminum hunc, quandocumque se captaret facultas, fore. Idque non modò (d) ipsius Basiliensis desiderio instantis, sed eadem optantis Papæ proniore instinctu obtentum est; decretique à latere Legati Arnaldus de Frangeriis Sabinensis Episcopus (2), hicque principalis ad coronam capiti Cæsaris imponendam Legatus, Nicolaus Ostiensis & (e) Velocrensis Episcopus (3), Leonardus (f) de Guercino Episcopus Albanensis, Lucas de Flesco Sanctæ Mariæ in Via-lata Diaconus Cardinalis, quos inter (ut prædiximus) constitutus, & prælatus absentis Papæ loco Sabinensis Episcopus, disceptatione in Consistorio habita, quisnam eorum ad eam dignitatem præferendus foret, allegante Ostiense, quod dum Papam coronare suum esset (4), sic & consequenter Imperatorem. Sabinensis ex adverso dictitabat, certum esse, ut Imperatorum Coronationibus Sabinensis semper Papæ proximior coronam erigat officiosior aliis illico (g) præsertim: sicque Papa pronuntiante obtentum est, ut Sabinensis illo fungatur officio, Legatusque ceteris præsit. Jussi ergo in Italiam quàm maturè proficisci, illud celebre Coronationis obsequium captata in ejusdem Regis optione temporis habilitate executuri, celerrimè iter arripuere; duo tamen facilioribus aditibus Alpes transilientes, scilicet Sabinensis, & Albanensis in Regis castra circiter Augusti Kalendas applicuere, ibique summa recepti lætitia, Regem, Reginamque Papali benedictione consalutantes, indultum Regi annuntiavere Coronationis terminum ob justissimas caussas prorogatum ad tempus: jamque sancitum totius Coronationis officium in Urbe, & redactum in formam cum omnium præordinatione solemnium. Ipseque confidenter ad solitam virtutem exsurgat, vires animumque indeficienter intendat; seque, ac Confratres alios, non ad aliud præmissos, nisi, ut se adjuvent, foveant temporalibus, & spiritualibus fulcimentis, & ipse quidem tantum circumspiciat se, poscat, requisita summopere impleturos. Solliciti igitur iidem duo ad portas Brixiæ præmissis nuntiis accedentes alloquia petunt. Ingressos Brixianus populus suis quibusque Ordinibus, vocibus altis, applausibusque prosequuntur vociferantes: *Vivat Mater Ecclesia: Vivat, vivat Dominus Papa, Sanctique Patres Car-*

NOTÆ AD RUBRICAM I.

(a) *Meliùs* Adventus legatorum Cæsaris ad Papam, & Cardinalium à Papa legatorum ad Cæsarem.

(b) *In V.* Basiliensis, & Novariensis Episcopi duo ex Regia transmissi &c. suscepti &c. dictavere &c. *& ita Cod. Amb.*

(1) Petrus Bertius in Commentariis rer. Germanicarum, Lib. 3. Episcopum Basiliensem Ottonem scribit inivisse anno 1299. cui Gerardus successerit 1325. Alii (quos ego quidem viderim) satis habent Episcopatum nominasse. *Pignorius.*

(c) *In V.* ejusdem factionis resistentias.

(d) *In V.* ipsorum Basiliensis, & Novariensis desiderio instantium, *& ita Cod. Amb.*

(2) Hunc Arnaldum Felguerium appellat Ciacconius, Vasconem Gallum ex Archiep. Arelatense Cardinalem Sabinum, & S. R. E. Camerarium, quem Pontifex principem Legationis Pontificiæ esse voluerit, uti narrat & Mussatus, quem ibi Ciacconius Albertum Musselum perperam videtur nominare. Cavendum autem Lectori est ab accuratissimo Panvinio, qui hunc Arnaldum cum alio ejusdem nominis permiscuit. Videtur autem notatione dignum quod est inter Ciacconium & Mussatum discriminis. Ille enim ait a Pontifice quinque Legatos pro coronatione Henrici designatos fuisse; hic quatuor tantùm enumerat. *Pignorius.*

(e) *In V.* Veletrensis *meliùs*, *& ita Cod. Amb.*

(3) Hic fuit Frater Nicolaus Martinus Pratensis, Tuscus, ordinis Prædicatorum, uti indigetat Ciacconius. (vulgò apud nostros *il Cardinale da Prato*) Prudentiæ laude illustris & Doctrinæ, qui obiit anno 1321. sepultus Avenione. *Leonardus de Guercino Episcopus Albanensis.* Hunc omnino omisit Ciacconius, qui tamen meminit Leonardi Episcopi Card. Albani, qui Avenione obierit 1308. Non. Decemb. Quem si temporum ratio pateretur eumdem esse cum hoc nostro facilè crederem. At hunc ipsum memorat Panvinius in secunda Cardinalium creatione à Clemente celebrata. *Pignorius.*

(f) Reginaldus *aliis.*

(4) Allegabant Pratensis rem explorati Juris. Ideoque Arnolphus Laxoviensis scribebat: *Porrò illi de carcere beneficio Senatus educti, ad locum, quo Apostolica insignia servabantur, Domino miserante, perducti sunt, ut electio manciparetur effectui, & electus gratiam consecrationis per manum Ostiensis Episcopi, ad quem hoc jure speciali pertinebat acciperet.* Et huc facit assertio Hieronymi Manfredi J. C. Bononiensis (in Resp. de nomin. Card.) *quod etiam si Rex Hispaniarum esset in Urbe in Consistorio Papæ sederet post Card. Decanum S. R. E. Qui nuncupatur Card. Episcopus Ostiensis.* Pignorius.

(g) *Fort.* illic.

Digitized by Google

Cardinales. Itaque ad Prætorium adducti reverentissimis inclinationibus aggregata Concione frequenti eorum. alter Ostiensis jusso silentio Crucis signaculo sic infit:

O devota semper Deo, & Sacrosanctæ Ecclesiæ Brixiana Communitas, quæ (h) *vos ab ipsius Ecclesiæ vestræ Matris vera semita tam cœcus, tamque pertinax error abduxit, ut venientem in Nomine Domini* (i) *benedictum ejusdem Ecclesiæ filium Henricum Romanorum Regem Augustum neglexeritis, vosque contra Omnipotentis Dei nutum, contraque Sanctissimi Clementis Papæ monita infelices erexeritis? Nonne scitis, ipsius filii Dei vocis Oraculo responsum*, Cæsaris imaginem reddendam Cæsari. *O imbecilles! o miseri! o jam humana, divinaque censura damnati! Quænam hæc vestra cœcitas, quæve calamitas? Pergitisne alterum Mundo luminare constitutum obstruere hac clausi rupe, laterumque strue, quam Deus ipse superna animadversione, ut olim Sodomam, & Gomorram, evertet? Tollite ecce vos, infausta Infidelium secta, & ad pedes Benedicti Regis in ciliciis & cineribus vos sternite humiles, & peccata deflete, Nosque Dei, ac Trinitatis, nec non & Patris nostri Clementis Papæ Sanctissimi contemplatione freti pro Vobis assistemus, ut parcat, & in Vos, quamquam immeritos, Regia benignitate conspiciat.*

His postquam prolatis Ostiensis assedit, assurgens veniâ petitâ Pinus de Vernaciis Cremonensis, tunc Brixianorum Præpositus, seu Potestas, Vir eloquens, maturi ingenii, ætatis jam vergentis ad senium jussus à Populo sic respondisse dictus est:

Nulla Creaturarum humanarum abneget tot, & tantis edocta scripturis, visibilibusque monimentis summam Potestatem in terris Petro Ecclesiæ petræ successoribusque tributam; nec non & singularem Mundi Ministrum, quem Imperatorem ab ipsius officii nomine Universi nuncupant, divina etiam Mundo conniventia (K) *præstantem; sed non abneget quis in se tantùm divinam retinuisse præstantiam, ut quem injustè Judex damnavit humanus, illa* (l) *reum non habeat, quæ etiam Reges terræ fudit iniqua judicantes, & debita animadversione punivit. Et ignotum nostro Papæ Clementi dignissimo, hunc immanem Virum Augusti nomen* (m) *inductum prorsus videmus. Hunc scilicet, qui non Imperator, sed Expilator, Civitates per fines omnes destruit Lombardiæ, scismata Friderici suscitat, partes innovat Gelfas, Gibolengasque, in exilia Gelfos ducens, Gibellinos extollens, quod & palàm notat in Mediolano, Parma, Verona, Mantua, Tervisio, ceterisque Urbibus Tyrannos effectos in perniciem Populorum, miserorumque Civium à propriis jamdudum exclusorum laribus, quorum & sterique extorres ipsos numquam videre lares. Et ad quid aliud, nisi ad pecuniarum extorsiones sedulus intendit? quarum semper egens, atque exhaustus, subjectos Populos semper sitibundus sugit. Et, ah Deus! quid in nos sævus constituit hanc Civitatem dedere semper volentes, ut Imperio serviat, Vicarium accipiat, censum reddat? Certè hæc nihil reputans exitia, Cruces, sanguinem nostrum petit, quò, ut immanis bellua se saturum repleat, hæc mœnia Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ stationes diripiat. Sed ubi illa* (n) *Sacrorum Augustorum nostrorum prænomina JUSTUS, PIUS? Quonam cessit hæc Pietas? Vosque Apostolici ordinis Petri Confratres, attulistisne huic domui pacem, quam Vobis semper suadendam, cùm Cœlum repetiit, testatus est Generis Salvator humani? Volumus, petimus, imploramus; aperite redeuntibus, si quidquam peccavimus, gremium Antistites nostræ fidei, nostræ spei, ne voremur, ne leo rugiens nos arripiat, animas nostras exterminet. Gregem devium, desolatumque fovete. Si quidem hæc Dei nostri vivi instinctu feceritis, Creatori nostro gratias agemus, Vosque & Sacrosanctam venerabimur Ecclesiam Matrem nostram, à qua numquam præcordia divertemus. Sin autem: patet & nobis adhuc terrestris, demumque cœlestis cibus, & refectio. Terrestris quidem ab hinc in semestre curriculum, quo absumto, edenda nobis Bruta, & singula quæque etiam esui non accommoda: post & nati, conjuges, ceterique imbelles, quorum carnibus, cruoribusque vescemur. Et si fortè hostium prædas venabimur, corpora præsertim immania Suevorum, Vandalorum, nationibusque cujusque Germanæ, recreabimur, reficiemurque ad Christi nostri statuendum finem, cujus futurum in proximo judicium in obstinatum, severumque Regem, sicut vos, & omnis caro repentè viderit, expectamus.*

His stupefacti Cardinales alloquiis, concione dimissa, per horrea, & penus, ubi recondita grana, vina, & singula quæque victui competentia, se duci permisere, pertinacias eorum, verbaque instantia auribus percipiente, sicque malè conciliati è portis digressi sunt. Cæsari audita, visaque retulere. Magnanimus autem Cæsar maledictis Brixianorum nihil permotus, multa diu in se versans, spemque vultu simulans,

Premit altum corde dolorem.

Turbatus quidem, ut se plus, quàm in mentem piam veniat, oporteat in Brixianos animadvertere, in se se distinguens. Si quidem pacta compulsus ineat, Majestatis suæ adeò remissam, debilitatamque (o) auctoritatem, ut superbiendum sit Populis nondum parentibus, ademta præ contemtibus pœnarum formidine. Innotescebat namque illi liquidò, Tusciæ, Romandiolæve (5) usque pæne in Urbem Populos arrectas ad hanc obsidionem aures intendere, (p) ut si malè hinc sibi succedat, illorum elevandas, extollendasque ad contemtus insolentiores audacias, ne dum & ipsos Longobardos, quamquam jugo summissos, se tamquam in principiis desides in pœnitentiam versos, quòd se subegissent, & forsan aliquando captato exemplo colla retrahere. Angebat & curam Regiam ibidem tam-

(h) *MS. Amb.* quis.
(i) *Deest in V.* Domini.
(K) *Cod. Est.* convenientia, *& ita Cod. Amb.*
(l) *In omnibus est* rerum, *præterquam in P. ubi supra* rerum, reum *legere est, quam vocem arripuimus, ut rectam.*
(m) *Fortè* indutum.
(n) *In P. desideratur* Sacrorum.
(o) *Puta* fore.
(5) Dantes Vatum clarissimus hisce diebus Epistolam scripsit Henrico, quam nacti in pervetusto Cod. nostro manuscripto publici juris facere decrevimus, & describi curavimus seorsum in calce Spicilegii nostri, cum aliis nonnullis ejusdem ævi monumentis; & ejusdem Epistolæ meminit Jo. Villanus, lib. 9. cap. 35. Quam etiam Italicè redditam vidimus, & editam Florentiæ, anno 1547. *Pignorius.*
Alibi appellavit Romaniolam, quam modò Romandiolam. Et pro conjunctionis particula posuit disjunctionis, *ve*, nimirum, pro, *&*. Ergo scribendum *Romandiolæque*. Villanus.
(p) *Melius* & si.

tamdiu fatigatos Populos inedia, egestateque intolerabili vix castris contineri posse. Et si jam jam mitescente autumnale tempus Sole, imbribusque decidentibus, quod nunc intolerabile, tunc impossibile ipsis contingat Populis stationibus insidere (6). His circumventus Cæsar vix cujusquam salubris opinionis solamen sibi ipsi conformabat. At Regina gravissimis affecta doloribus: hinc Cognati necem, multorumque Procerum (7) deflebat interitus, quos tam instans bellum, quàm lethalis aëris pernicies morbo consumserat: hinc amati mariti sedulæ afflictiones, amaræque nobilissimi cordis torturæ, & anxietates. Verùm utriusque demulcebant, protelabantque successuum angustias altariorum (q) orationes, incessabiles divinorum celebrationes, nocturnæ orationes, & vota. Sicut quippe omnibus notum Principibus, ac Populis, ab Aurora Missarum instaurationes ad altam diei horam tertiam de mane perdurabant, tempestivèque Vesperæ in crepusculum Curiam vacantem tenebant (8), vixque horum temporum intercapedines victui, capiundisque consiliis suppetebant. Hæc vita Regia. Hæ Augustæ deliciæ.

RUBRICA II.

Exennium Paduanorum Cæsari transmissum.

IN hoc pæne procinctu rerum nec hoc memorabile subticendum. Minimum namque accidens cor humanum in lætitiam nunc dilatat, nunc angit. E Patavo antè conspectum Regis octo adducti Dextrarii sub rubeis phaleris (9) tan-

(6) Clauda, & inconsequens videtur hæc syntaxis. Ego verò illam sic restituerem: *Et jam jam mitescente autumnale per tempus Sole, imbribusque decidentibus, quod nunc intolerabile, tunc impossibile ipsis continget populis, stationibus insidere*. Villanus.

(7) Cognatum appellat Goleranum noto Italicismo eum, qui erat viri frater. Joannes de Balbis in Catholic. *& est Levir cognatus, scilicet frater mariti vel uxoris*. Scripsit autem hic Auctor anno MCCLXXXVI. Multi Proceres, quos Augusta deflebat, & deinceps deflevit, fuere Guido Flandrensis, ut ajunt Meyerus, & Marchantius in descript. Flandr. (Lib. 11.) Quem Guidonem singulari elogio prædicant Villanus lib. 9. cap. 19. & Conradus Vecerius, & Georgius Merula (Lib. 8.), qui Papiæ defunctum, & Derthonæ sepulchri honore affectum scribit: quòd Papia esset sacris interdicta. Aliorum nomina neque sanè paucorum, scribentium incuria intercepit; cùm & Nepos Henrici apud Curtium (Lib. 10. Hist. Vero.) legatur prorsus anonymus Veronæ periisse, ex vulnere ipsi illato in obsidione Brixiensi. Verùm hujus memoria, quæ olim extabat in Templo Sanctorum Firmi & Rustici, prorsus intercidit: translata Arca marmorea in hortum Monasterii, oleribus irrigandis. Et sanè indignum facinus videtur, & principali censura plectendum, sepulcra demoliri, & veterum monumenta abolire, quibus & ipsi hostes aliquando pepercerunt. Apud nos istiusmodi grassatorum licentia (ne dicam audacia) præclarum Soraneæ Marchionum monumentum sublatum est prorsus; & vidit nostra ætas in altissima pace, quod nostri majores in bellicis cladibus minimè viderunt. Et conquerimur non semel pagellas non multas ævi prioris abolitas omnino, cùm patiamur moles marmoreas, memoriæ insignium virorum magno impendio erectas, disjici nobis videntibus, & in ignobiles usus transferri? ò Abdera? ò Abdera? *Pignorius*.

(q) *MS. Amb.* ornationes.

(8) Insignis est locus, & qui nos possit admonere Ecclesiastici abstrusi moris atque adeò consuetudinis, quæ moderabatur actiones majorum nostrorum. Hora diei Tertia dicta erat Judicum Tribunalibus, & Causidicorum labori; ut notavit Martialis. (Lib. 4. Epig. 8.)

Exercet raucos tertia Causidicos.

Idemque ille sibi blandiens (lib. 12. Epig. 18.)

Ingenti fruor improboque somno,
Quem nec tertia sæpe rumpit hora.

Et jure D. Petrus (Actor. c. 11.) Nebureorum calumniam amolitur; non enim Apostoli hora diei tertia ebrii poterant esse; cùm non nisi hora octava vel nona discumberent omnes, qui tertia foro vacabant. Quod etiam hodie Venetiis est in usu positum: cùm hora tertia pateant Dicasteria, ad quæ convolant Litigatores & Patroni, ejusdemque Urbis quæ vocatur semitertia celebris est ab ipso usque Dante Aligherio (In Convivio.), qui meminit & seminonæ.

Jam verò Tertia tantùm hora Missa olim celebrabatur, idque legitimum tempus scribit fuisse Amalarius Fortunatus Episcopus Treverensis. lib. 3. de Eccl. Offic. Cap. 42. Decretum videlicet à Thelesphoro Papa: respectu horæ tertiæ, qua Dominus noster ascendit in Crucem, repetitque idem lib. 4. (Cap. 40.) cum VValafrido Strabone in Commentario, de Exordiis & incrementis rer. Ecclesiasticar. Neque omnino silendus Jo. Stephanus Durantus doctissimus Præses Tolosani Senatus lib. 3. de ritib. Eccl. (Cap. 2. & 8.) Ideoque recepit usus, ut etiam hodie post Tertiæ horæ Psalmodiam recitatam celebrentur Missæ solemnes; veluti non nisi post Nonam eædem de tempore, ut vocant, diebus Jejuniorum. Hora enim nona ad summum, ut diximus, accumbebatur. Mussatus enim in fine hujus Libri narrat, Henricum hora ferme nona epulatum. Ut scilicet corporis refectioni vacare possent, peracto usquequaque toto penso precum matutinarum. Quamobrem diebus ferialibus Quadragesimæ instituit Ecclesia Romana, ut Vesperæ, quæ olim hora verè vespertina celebrabantur, ante comestionem recitentur. Die verò Dominica, uti & ceteris anni vertentis diebus, post prandium. Quod innuit Auctor noster illis verbis, *Tempestivæque Vesperæ in crepusculum Curiam vacantem tenebant*. Alioqui Vesperæ ut diximus in diurnæ lucis occasu olim celebrabantur. Ut loquitur Hræbanus Maurus de Instit. Cler. Amalarius (qui ad hoc citat & Isidorum) lib. 4. cap. 7. & Hugo de Sancto Victore, Eruditionis Theologicæ lib. 2. cap. 5.

Lectorem autem meum monitum volo, ut animadvertat, indultum fuisse ab Ecclesia humanæ imbecillitati, ut Nonæ hora transferretur ad Meridiem, ratione forsan Jejuniorum; & Vesperæ ut recitarentur haud longo intervallo post Nonam, ut fideles luce convenirent ad Synaxes, ad quas nocte itare non perinde tutum visum esset. Neque verò errabant qui Augusto, & Augustæ Missas ab Aurora instaurabant, ut narrat noster Auctor. Quia Amalarius Fortunatus loco superiùs relato, narrat se vidisse Leonem Apostolicum diluculo intrare ad Missam: & sanè ita recepit consuetudo, quæ est optima Legum interpres: de qua Scholastici latè. *Pignorius*.

NOTÆ AD RUBRICAM II.

(9) Italicis *Destrieri*. Cæsarius lib. 7. cap. 39. *Erat Monasterio Poledrus pulcherrimus, & tanti valoris, ut tam Episcopus Treverensis, quàm Dux Lotharingiæ quadraginta, ut puto, marcas argenti offerret pro illo. Species enim optimi Dextrarii in eodem erat Poledro*. Dextrarii autem erant Equi militares. Cæsarius lib. 11. Cap. 19. *Erat, inquit, in Saxonia miles quidam Alardus nomine, qui vir fuerat tantæ probitatis, ut in primo torneamento, in quo miles factus est, manu propria quatuordecim Dextrarios acquireret*. Et hoc nomine veniebant quandoque Equi admissarii. Idem Cæsarius (Lib. eodem cap. 17.), *habebat Conventus proletarium pulcherrimum, quem Equariciæ suæ propter fœtum nobilem deputaverat*. Et infra Dextrarium appellat, quem supra proletarium vocarat. Equaricia verò, seu Equiricia est armentum equorum inquit Joannes de Janua. Idem porrò Dextrarium dici ait, quia per dexteram ducatur: quasi non & Asinus & Bos dextera minentur. Palifridus fuit equus delicatus, & curialis uti appellabant; Gallici *Palifroy*, Italici *Palafreno*. In Legibus Fri-

Digitized by Google

tantæ proceritatis, tantæque congruentiæ, & pulchritudinis, ut vix alios totidem sub nostro climate tam integræ consistentiæ natura ediderit, omnes ferè quinquennes ætate, quorum quatuor in exenium à Patavina Communitate Cæsari præsentati, duo Illustri Ameo Sabaudiæ Comiti, reliquique duo strenuo viro Guidoni Flandrensi Comiti, quos facie serena suscepit gratulabundus Cæsar, continuòque singillatim divisit, donavitque Principibus, suosque Sabaudiensis, & Flandrensis acceptavere libentes, gratiæque actæ pretiosi muneris largitoribus Paduanis. Refectaque die illa lætitia universi exercitus ad spectaculum concurrentis frequentia conspectu admirabili bestiarum.

RUBRICA III.

Aggressio, & repulsa Germanorum à mœniis Brixiæ.

NEc remissus ad incumbentia Cæsaris animus aggrediendi montani Castri, quod mœniis Civitatis contiguum est, fortunam tentare in sequentem diem constituit, quàm primùm illuscesceret. Ordinatis itaque in ipso crepusculo Centuriis peditum, militumque suis singulis Ordinibus totam veluti insultaturus Civitatem, ne intrinseci in Castri succursum convolarent, fundibularios, levisque armaturæ pedites, quorum ferè quingentos & mille Januenses direxerant, ceterosque ad expugnationem cum balistarum, tormentorumque omnis generis apparatibus ingeniosos (10) ad Castri oppugnationem serò præordinat, summoque mane lituum, ac tubarum clamoribus universi exercitus (a) copias mœnia circumeduxit. Perterriti tanto fremitu Brixiani per propugnacula quæque assilientes, muros corona cinxere. Ad Castri munitionem solitas bellicosorum excubias misêre, seque ad sua quisque loca coaptavit. Assurgentes itaque Galli, Germani, Tuscorum, Longobardorumque distincti ordines cum tegmentis, ceterisque instrumentis accessere ad Castri foveas citeriores, excisasque rupes circumquaque. Accessum concessere Oppidani asperitatis loci fiduciis quamdiu clanculum obticentes, latentesque post aggerum, vallorumqne munitiones, tum demum clamor utrinque exoritur. Hinc inde res telis, sudibusque, saxis missilibusque geritur; sed loci tutela superiores Oppidanos per quam nocuos efficiebat, saxorumque copia in inferiores collapsa solo impulsu interimebat. Fit cædes, sed impatientia Germanorum, (b) Sociorumque cor per grandines, sudesque excipientia major. Conflictus is à prima luce in horam meridianam, fatigatis hinc inde partibus, constitit, dum tamen defessi cessere Germani, Sociique plurimis eorum, & præcipuè levis armaturæ Januensium occisis, sauciisque. Castrum ea die defensum, non sinè Oppidanorum gravissimis suppliciis, & occisionibus. Confecto prœlio Rex (c) campis discessit, per castra milites, populosque dimittens exprobratus ab iis, qui muros insidebant plebeis ululatibus. Congratulantes ea noctis vigilia Brixienses facibu. gaudia multifariam expressere. Cardinales, ne cædium inspectores adjudicentur (11), Cremonam se ea die proripuere. Ast in sequentibus ad hæc diebus Venerabilis Octobonus Placentinus Aquilegiensis Patriarcha, qui & in iisdem castris erat (12), Cæsaris obtenta ægrè licen-

Friderici Aug. Brixiæ sancitis, ut ait Crusius Annal. lib. 10. *Si extraneus miles pacificè ad castra accesserit, sedens in Palefrido sinè armis, qui eum læserit pacis violator judicabitur. Secus si læserit sedentem in dextrario, scutum in collo habentem, lanceam in manu.* Rectè igitur Joannes de Balbis Palafredum, quem Gradarium, & Mannum etiam vocat, deducit à passu & leni & freno, & ducendo, à Paraveredis deducit Pitœus in Glossario Capitularis Karolini, & mea quidem sententia minus rectè: sunt qui à Palla & freno, neque omnino malè, cùm fuerit moris valde prisci, Equos honorarios palla inseratos frenis ductari, ut legimus in Libro Esther de Amane, & Mardochæo. Quod & hodie fieri audio in solemnibus Principum inaugurationibus, & in militari Equitum transvectione passim fit. *Pignorius.*

NOTÆ AD RUBRICAM III.

(10) Ego legerem, *Tormentorumque omnigenis apparatibus ingeniosos.* Dicitur *Machina* inquit Joannes de Janua, *omne quod ingenio paritur, ut Manualis Ballista & similia.* Ingeniosus igitur hic est *Ingegnere* ut nos vocamus. Torquatus, cant. 18.

Et era questi infra i più industri ingegni
Ne' mecanici ordigni buom senza pari.

Et Ingenia tunc temporis erant Machinæ Bellicæ, ut constat ex Epistola Comitis Sancti Pauli ad Ducem Lovaniensem, anno MCCIII. apud Godifridum Monachum in Annalibus, edente Marquardo Frehero: *Respondit nobis, quòd cùm juxta catbenam antedictam faceret Naves suas protrahi, suas erigens Petrarias, cum instrumentis variis super naves: nos quoque nostra faceremus Ingenia erigi super terram.* Nostratibus *Ingegni di Guerra.* Veluti quæ vocabant Mangana, Carcamusas, Vineas & Gattos.

Ingenium item usurpabant notione astus & doli, ut quidem notant Pitœus in Glossario Capitularis Karolini, & Bignonius in notis ad Marculfum. *Pignorius.*

(a) *In P.* copias circumeduxit.

(b) *Sic P. Venetus verò* sociorumque per grandines &c. *melius.*
In R. sociorumque corpora per grandines &c.
Lege itaque sociorumque corpora grandines &c. *sublata particula* per.

(c) *Cod. Est.* prœliis.

(11) Lego *Cardinales, ne cædium.* Est autem omnino operæ pretium videre cap. reprehensibili, & cap. si in morte. 23. q. 8. Quo fortè respiciebat Clericus ille Parisiensis apud Cæsarium (Lib. 2. c. 29.), qui ajebat, se vix credere posse, quòd unquam aliquis Episcopus Alemanniæ possit salvari. Quia, ut ait ibidem Auctor, *de sanguine judicant & bella exercent.* Neque sanè mitior fuit sententia Joannis Nider, in Formicario (Lib. 1. c. 6.); *Pænes omnes Ecclesiæ in Theutonia adeò pressæ sunt spinis, & mole rerum temporalium & negociorum sæculi, ut quidam eas regentes, non sicut olim procuratores pauperum, & animarum pastores, sed esse videantur Capitanei militum.* Pignorius.

(12) Episcoporum hoc ævo ea dignitas fuit, ut venerabiles appellarentur, & hujusce rei specimen passim extat apud Scriptores. Verùm & Fridericus Imperator, quod maximi facio, scribens Peregrino Patriarchæ Aquilejensi, dilectum & fidelem suum, & venerabilem appellat. Neque sanè tunc temporis, titulorum valde copiosa seges fuit, quam nunc in immensam sylvam excrevisse cognovimus. Quando Amalricus Ecclesiæ Sanctæ Resurrectionis Episcopus, Alexandrum Summum Pontificem dignè Reverendum vocat, & Joannes Nider (Lib. 1. Formic. cap. 6. & 8.) qui floruit anno MCCCCXXX. Episcopos Reverendos; & Cardinales Legatos Sedis Apostolicæ, Dominos appellat. Quomodo, & Cæsarius (Lib. 9. c. 51.) Dominum Veridonem Cardinalem. Octobonus autem Placentinus, quem Orthonem appellat Capreolus, videtur fuisse primùm Episcopus Patavinus, anno MCCXCIX. deinde Patriarcha: veluti & Paganus Turrianus ejusdem in Episcopatu, & Patriarchatu successor. Quòd autem hic noster scripserit *Aquilegiensis*, videtur eos secutus, qui Aquilegiam, juxta sen-

Digitized by Google

centia, ingressus in Brixiam multa diu intrinsecos percunctatus, ut se in mansueti, justique Principis manus dedant, nec crimina augeant, hortatus est; se prorsus pro eorum salute intercessurum despondens; sed nequicquam tempus trivit. Hæc inter varia Cæsar animo constantiori accitis ad concilium Curiæ Principibus, quæsivit quidnam agendum instaret ad hos exterminandos Brixienses totius Mundi expectationes morantes. Plerisque igitur consilia super propositis exprimentibus, sciscitatisque consultatioribus eloquiis edictum est, ne tantarum rerum progressum differat Civitatis hujus obstaculum, Ameus Comes Sabaudiæ Provinciæ Longobardiæ Comes mille quingentis sibi deputatis jam ante militibus, additisque eis peditum tresdecim millibus & balisteriorum duobus millibus per Longobardiæ Communitates, conferente ad hunc numerum Tarvisina Marchia pro facultate debitam portionem, huic expeditioni præsit, quem numerum suffecturum constabat ad coërcionem, oppressionemque Brixiensis pertinaciæ. Hoc edictum exiit ab Henrico Cæsare per universas, & singulas Lombardiæ, ac Marchiæ Tarvisinæ Civitates, utque singulæ singulos mittant ad hujus rei æquandam collationem.

RUBRICA IV.

Præfectus Paduanis Vicarius.

IN hos dies IV. Kal. Oct. ex quatuor nominatis à Paduanis ex indultorum Rescriptorum tenore Cæsar unum præfecit in Vicarium Gerardum de Henzola Parmensem (13), qui statuta die Paduam ingrediens, susceptus est. Ex insueta tamen translatione agnominis Potestatis in Vicarium Imperatoris, aliisque juramenti solemnibus antiquam formam in plerisque (a) immutantibus fluctuavere animi populares, infremuereque hæsitantes paulatim, neque tamen reconciliati Primorum Nobiliorumque communibus assensibus, sic oportere asserentium, & ipsi obsequentes acquievere. Aderat & ibi Venerabilis Aymo Gebennensis Episcopus, Regis Princeps, & Secretarius, totus benevolentiæ Paduanorum deditus, transmissus à Cæsare ad statum Civitatis conformandum honori Regio, pacique communi, qui & illos ad semitas dirige-

A bat strenuo animo ad amorem Regis capescendum se se uniendos absque dissidiis, (b) tollebatque causas Regio jussu, ne Paduani, Vicentinique insimul colliderent alternis zizaniis, insistens, ut prædia Paduanorum inter fines consistentia Vicentinorum juxta Regia edicta Paduanis restituerentur cum literis ad hæc, rescriptisque Regiis; utque Bachilionis fluentum à Vicentinis obstrusum deflueret per Patavorum alveos antiquo more. Is quippe Gebennensis mansuetudine multa, ut cujusque generis homines, sic & Paduanos ad suos, Regisque amores alliciebat. Vir hilaris faciei, verborum cuique gratissimorum, & effector studiosus eorum, quæ spondebat, laudem multam emeruit in his comerciis memoriæ æternæ Paduanis commendandam. Rebus autem inter Paduanos, & Vicentinos in dissidium omnino vergentibus, Albertinum Mussatum à Paduana Civitate Legatum ad Curiam Regiam secum duxit, Regique præsentem commendavit, de Paduanorum mansuetudinibus, ac fidelitatibus se testem adhibens: sed hoc imperfecto negotio morbo correptus salutis nanciscendæ causa de Castris delatus, ut in Gebennam transferretur, apud Iporegiam vita defecit.

RUBRICA V.

Pestilentialis Epidimia.

SEd hic instat memoranda è summo Cœlo demissa pestis, exemplo carens ab omni rerum memoria (14), seu irati Dei plaga in emeritum genus humanum ex judicio addicta fuerit, seu causantibus equorum à primordio cadaveribus extra stativas Castrorum Cæsaris abjectis, quorum putredines tunc despissatum imbribus aërem instanti Solis adustione (ut in autumnali assolet tempore) tabefecerant, in corpora humana defluxit Epidimia ad cordiales radices penetrans, tamque lethales morbos inferens, ut infectis nulla salutis remedia comperirentur; hæcque serpsit tam brevi corruptio, ut omnes in Castris interirent. Hæc (a) interruptio Gallos, Germanosque sinè fine absumsit, quos etiam ad has impressiones immoderata ciborum disponebat ingluvies (15). Cecidere ex Ducibus Germanorum, Gallorumque quatuor (b) millia &

sententiam magistri in Historiis, dictam ita esse ajunt, quasi aquis ligatam. Nummi sanè argentei apud me tres RAIMONDI, seu RAIMUNDI Patriarchæ habent *Aquilegiensis*, per G. & E; extrita I. Quod verò dicit Patriarcham in Castris fuisse, hoc eò pertinet, ut in militia, & expeditione fuisse denotet, quas Romanis Imperatoribus Patriarchæ præstare tenebantur, unà cum subditis, quos & aliquando indebitè vexabant, ut patet ex rescriptis Apostolicis, quæ Abbatem Rosaciensem militia eximunt. *Pignorius*.

NOTÆ AD RUBRICAM IV.

(13) Ego non ambigo huc pertinere verba Ptolemæi Lucensis in Annalibus (Ann. MCCLXXXV.) *eodem anno fuit Potestas Lucensis Dominus Thomasius de Lanciola de Parma*. Et lego *de la Henzola*. Fuit autem Henzola oppidum in agro Parmensi, penes quod Gibertus Corrigia, anno Domini MCCCVIII. die XVIII. Junii, Parmenses fudit, ut habent Annal. m. s. Parmenses Italici, quorum aliàs meminimus. *Pignorius*.

(a) *In P.* immutarionibus. *In R.* immitationibus.

(b) *In P.* tolerabatque.

NOTÆ AD RUBRICAM V.

(14) Auctor Chronici VII. Ætatum scribit anno Domini MCCCXII. Ferè per orbem, in Italia maximè, caristiam annonæ & vini & aliorum fuisse, & hominum mortalitatem maximam, magis virorum, quàm mulierum, & locupletum, quàm egenorum. Meminit ejusdem & Villanus (Lib. 9. c. 19.), qui etiam causam importunæ luis rejicit in putorem Equorum, & diuturna Copiarum stativa. Capreolus (Lib. 6.) ejusdem vi, unico mense, hominum septem millia & ampliùs desiderata fuisse scribit. Vecerius ac Meyerus struem cadaverum, & fœtorem cæsorum hominum causantur. Cæterùm Henricus Scero Monachus Altahensis, subscribens Auctori Chronici VII. Ætatum, recenset Epidemiam maximam anno MCCCXII. & caristiam vini & bladi in partibus Oceani; quam Archiepiscopus Consentinus in annum insequentem obligat. *Pignorius*.

(a) *Fort.* interemptio, *& ita in MS. Amb.*

(15) Jacobus de Vitriaco (Cap. 67. & 68.) in Historia Orientali, de Hominibus Italicis hæc perscribit; *Et quoniam in potu & cibo modesti sunt, diutius in Orientali regione vivunt, quàm aliæ Occidentales nationes*. Et. *Alemanni autem & Francigenæ, Anglici, & alii transmontani &c. in cibis & potibus magis superflui, &c.* Pignor.

(b) *In MS. Amb. non legitur* millia.

Digitized by Google

& LXX. ut in conscriptorum registro compertum est; Militum hastatorum septem millia septingenti; è Plebe numerus infinitus; nec sacris locus sepulturis, ullarumque exequiarum fiendarum commoditas, cùm noctu magna cadaverum pars in agrorum secessus extra Castra traherentur, quæ agrestibus belluis exposita relinquebantur. Pars in ipsis Castris per foveas, quæ agros Brixianorum disterminant, sternebantur super tractis riparum crepidinibus de die in diem, dum solo æquarentur. Nonnulli miserabiliter sociorum corpora humo sepelientes, & ipsi postea insepulti per agros occumbebant. Nec hujus perniciei inexpertes Longobardi, quamquam illis continentioris vitæ temperantia conferret. Multi Nobilium è Castris fugientes, dum versùs propria lecticis veherentur, in ipsis defecere meatibus, paucis evadentibus, ut Duce Leopoldo Austriæ, qui Venetias delatus, per Illyricos sinus transiens, in Alemanniam deductus est. Defluxit & Pestis hæc intra Brixianorum mœnia, assumsitque omnis ætatis, & sexus mortales; sed eos præcipuè, quos rerum penuria, instansque fames affecerat. Quique supererant, ante oculos instantis mortis imaginibus terrebantur. Deficientibus namque locis sacris, quæ Cimiteria (16) vocant, in publicis viis corpora sepeliebantur: sicque extra, & citra mœnia Civitatis ubique fletus, & dolor: mœror siquidem superstitibus morientium, (c) urgensque capitalis belli sævitia, cùm pæne omni die homicidia, vulnera, rapinæ, & cetera hostilia undique circa mœnia committerentur.

RUBRICA VI.

Defectio Brixiæ ad Cæsarem.

HIs in angustiis circumventi Principis, intrinsecorumque Brixiensium necessitudines aspiciens Vir nobilissimi generis Lucas de Flesco Januensis, Ecclesiæ Sanctæ Cardinalis, cujus supra mentio facta est, inter Italicos dilectissimus, eximiæ auctoritatis (17), (a) seu connivente, seu non contradicente Cæsare, in Brixiam ingressus, factum suscepit, ut arbitror, consummandum, allexitque Brixienses suis stare jussionibus ad ipsius ejusdem libitum. Qui tamdem vitas rogantes, ac Civitatis non delendæ remedia cum suorum statuum quietudinibus assensere. Is egrediens Regi suasit jam quasi defectam obsidionem tolli, afflictorum intrinsecorum misereri, Coronæ suscipiendæ tempus instare, nec ulteriùs diferri oportere. Rex Principum consilio permotus Cardinali assensit, nihil omnino in publicum paciscens, vel spondens, nisi Cardinali complaciturum in his, quæ Majestati Regiæ congruentia fuerint in sui tamen libitum; quamquam & aliter divulgatum per plurimos exstiterit. Sed hæc Populis prorsus ignota fuere, qui dicerent in secretis pacta percussa, ut scilicet mœnia starent ea parte dumtaxat aperienda, diruendaque, cujus in propugnaculis quidam ex Teutonicis mortes suspendiis perpessi fuerant, nec ea tractus balistæ metam excedebant: quosdam ex Primoribus, seu Insignibus secum ducendos: nullos bonis, nec civilitate privandos. Hæc ex post facto per multos ex Curialibus negata; verumque hoc repertum est, Cardinalem conquestum nonnullis, Regem non in totum obtemperasse pollicitis. Hæc eadem Brixienses deplorabant, non de Rege, sed de Cardinali querelas privatim effundentes. Consummato itaque tractatu, Ameo Comiti Sabaudiæ, G. Flandrensi, (b) ceterisque Regis Principibus portæ aperiuntur; ingressique omnes, qui in Castris cum Cæsare remanserant; multi enim Longobardorum jam penuriis, ac valetudinibus propellentibus Castra reliquerant. Cæsar autem ex Majestatis, ac Magnificentiæ suæ sublimatu non nisi apertis ruina muris (18) cum Regina intra mœnia ingressus est, subsequen-

(16) Genuina vox erat *cœmeteria*. Sed autor ad vernaculi sermonis usum respexit. *Villanus*.

(c) *In P.* ingruensque, *fortè* ingensque.

NOTÆ AD RUBRICAM VI.

(17) Ciacconius in Bonifacio VIII. cùm Albertinum Mussatum, quem etiam citat, vidisset; hæc de Luca Fleico memoriæ prodidit, *ab Italicis multum dilectus, eximiæque auctoritatis fuit. Obiit Avenione sub Joanne XXII. sepultus ad Minores*. Pignorius.

(a) *In V. planè mendosè* seu conveniente, seu contradicente Cæsare.

(b) *In V.* ceterisque Cardinalibus Regis Principibus, *sed* Cardinalibus *notatur inibi punctis, ut glossema*.

(18) Hæc murorum disjectio Hieronicarum præmium antiquitus fuit, de qua consulendi sunt Vitruvius in prolvera. Libro 9. Cap. 25. Svetonius in Nerone; & novissimè omnium Bulengerus. Verùm hæc demolitio honoraria & festiva, illa inhonora, & tristis, quam experti sunt etiam Mediolanenses; uti narrat Fridericus Imperator, sævitiæ, quam patraverat locupletissimus testis; *Fossata complanavimus, muros subvertimus, turres omnes destruximus, & totam Civitatem in ruinam & desolationem ponimus*. Consultiores sanè nostri, qui Urbes muniunt, non æquant solo. Olivarum autem rami pacem prætendebant, ut nemini non notum: & tetigit doctissimus Petrus Victorius in Libello elegantissimo de Cultu Olearum & Helmonorsthius lib. 3. Met. April. latè explicat. Obsidenti insuper Brixiam Henrico sunt qui tradant, oblatam fuisse Coronam Augustalem, quam Parmenses eripuerant Friderico Cæsari, post urbem Victoriam captam, & dirutam: testantur hoc Notitia Urbium m.s. apud me; Carrarius lib. 2. Histor. Rubeor. & cum Georgio Merula Corius, & hanc quidem Joannes Gryphiander J. C. (In Commentar. de VVeichbild. Saxon. c. 70. num. 10.) eruditissimus ait fuisse Conradi Friderici II. filii; quam Conradi nomen præferentem se vidisse testatur Norimbergæ, post coronationem D. Matthiæ Cæsaris, antequam in scrinium reponeretur. Dubitat tamen an illa ipsa sit. Et illam obtulisse Gibertum de Corrigia ferè omnes consentiunt. Qui profectò debuit, quando altero Giberto Duce Parmenses eam sibi habuerant, ut inquit Sansovinus in gente Corrigia. Qui præterea notat, fastigium tunc temporis impositum Corrigiorum insignibus gentilitiis, Canem venaticum è Corona prosilientem. Ut esset indicio Coronam acquisitam occasione venationis, in quam profectus fuerat animi causa Fridericus. Ejusdem Obsidionis tempore narrat Petrarca (Lib. 4. rer. memor. cap. 18.) visa fuisse portenta, Eclypsis, novi Sideris, Lunæ tergeminæ, & illa præterea omnia, quæ hic noster superiùs retulit lib. 3. Rub. XI. ante ipsam obsidionem homines exterruisse. Quinimo & prodigium Equitis in vestibulo domus Maphæi Vicecomitis videtur in eundem temporis articulum conjecisse, quod Mussatus narrat in fine lib. 12. Verùm in eo Vir Clarissimus veniam non demeretur, quòd nonnulla prodigiorum illorum se puero evenisse scribit, ut memoria proinde labasse appareat. Illud sanè parvam excusationem meretur, quòd à Mussato se hæc accepisse scribit. Ubi Veteres Editiones Mixtatum habent pro Mussato. Quæ Lectio Josiam Simlerum in errorem etiam induxit, qui quem debuerat Mussatum Mixtatum appellat: Quod acutè pervidit Gerardus Joannes Vossius, orbis historici Atlas, & Sol, in suo immortali Commentario de Historicis Latinis. At Petrarcam secuti sunt Georgius Merula, & Cavitellius. *Pignorius*.

quentibus Brixiensibus, qui pulsi ante fuerant cum Olivarum ramis sub applausibus, & vocibus regiæ victoriæ; tuncque continuò mœnia circumdata populis demolienda dimisit, inque foveas fragmenta trahi.

RUBRICA VII.

Digressio Cæsaris versùs Lombardiæ fines.

AT ibi paucos moratus dies, consilio expediendorum Longobardiæ negotiorum, ut ad Coronam maturiùs pergeret, emisso per subjectas Civitates edicto, ut se ex unaquaque delecti tres, aut quatuor ex industrioribus sequerentur, secum septuaginta ex intrinsecis Brixiæ dumtaxat, Papiæ Concilium in certam diem statuens, ubi præfatos adesse jussit, Cremonam perrexit.

RUBRICA VIII.

Acta Cremonæ.

CRemonæque ferme biduò residens literas citandorum Longobardiæ Primorum per subditas Civitates direxit, ut se ad Coronationem sequerentur, nominatis in literis singulis his, quos secum adesse in Coronatione volebat. Deinde Cremonæ res, utcumque tam brevi valuit, pro temporis opportunitate composuit, inter quæ & Reginæ supplicationibus permotæ mulierum piè conclamantium deplorationibus vinctos, qui in Municipiis Rimenengi, Castri Leonis, & ceteris tenebantur, relaxari pronuntiavit, discedensque infecto negotio ex subitò ortis inter (*) Cremonenses dissensionibus, Placentiam versùs gressus direxit, vinctis in carceribus derelictis.

RUBRICA IX.

Acta Placentiæ.

PLacentini obviam prodeuntes ad millia passuum circiter duo extra mœnia, procidentes ad pedum oscula claves obtulere, se suaque omnia jussui suo despondentes, Albertum Scotum de protervia, tyrannideque in se, & suam Patriam iniquè diu patratis accusantes, nec ullam futuram quietem ipso in Civitate persistente asseverantes. Cæsar ingrediens, Civium opiniones scrutatus, majoris discensionis excitandæ occasiones videns, rebusque fore non sic repentè tractabiles, si super ipsis discutiendis institisset, Vicario instituto Petro de Mesa Veronense discessit. Albertus verò Scotus Regem sub spe introductionis suæ in Placentiam ad metas, seu fines districtus Placentini secutus, intentione sua collusus, per amicorum, fideliumque sibi Castella discurrens, Civitati paulò post bellum movit.

(*) *MS. Amb. addit* intrinsecos.

RUBRICA X.

Concilium Papiæ.

DIgressus è Placentia Cæsar Papiam applicuit, ubi & Concilii causa Longobardorum Legatos jam ibidem pro die statuta invenit absentes, per dies pæne septem præstolatus. Fuere ibidem (a) Gherii Legati (19), Iporegiæ, Novariæ, Vercellarum, Cumarum, Mediolani, Papiæ, Pergami, Placentiæ, Brixiæ, Mutinæ, Rhegii, Parmæ, Cremonæ, Laudi, Mantuæ, Veronæ, Vicentiæ. Jussi, citatique Legati in Prætorio convenientes Regio ante Tribunal considentes, vocatique singillatim ad auditoriam attenti stetere obticentes. Assurgens igitur Joannes de Cancellariis Januensis, Judex Palatii Regis, Cæsare permittente concionatus est.

Regem pro Longobardia pacanda, componendaque ad vias pacis multa perpessum: nec tantùm consiliis, studiisque invigilasse, sed & armis decertasse, omneque suum, & suorum ingenium, ac vires intendisse; verùm odia civilia, partiumque veterum factiones non adeò exstirpare valuisse, ut plura non restent, solemnibus loco suo & tempore componenda remediis. Instare tamen tempus profectionis in Tusciam, expectantesque alias maris, & terræ nationes Italicas adire, visitare; Coronationem à Papa decretam perficere. Ad hæc consilio opus esse fidelium præsentium, quod unicuique pro singula Communitate in scriptis edere fas sit. Eritque cujusque secreto maturiùs sibi (b) *perspiciendum, effectuique mandandum Principum Consiliariorumque sententiis.*

His propositis exhortati Legati ab Ostiensi Cardinali juxta Regem assidente, cujus & facta fuit oratio (20), termino ad hoc triduano dato dimissi recessere (c) Legati. Adveniente autem die conventus idem habitus est, consiliis sub sigillis Cancellario datis, (d) nec Paduanorum Legatis, quorum animos patria fovebat, extollebatque libertas, curæ fuit pro cujuspiam libitu, seu forsan impensa aliud Regi consulere, quàm si pacatam dissidiis Provinciam linquere velit; Urbium sedibus Tyrannos deponat; extorres earum in lares proprios restituat; ex alienigenis probatæ fidei Viros in eis præficiat; justis legibus, consuetudinibusque Populos vivere sinat: hæc Inclyto Regi, & Pio expedire, sicque prosperè omnia cedere. Sin autem, ex nunc, cùm absens hinc fuerit, auditurum se noverit Civitates cum Civitatibus, Municipia cum Municipiis, Viros cum Viris ad oppressiones, occisiones, prædas, incendia, & hostilia quæque exitia procursuros: unde & nova veteribus cumulanda odia, interioraque scelera patranda; ipsumque Regem, quem partiarium ex primis pollicitationum præconiis se Mundo prædicari fecerat, flagellum divinitus emissum (e) verbis satis communis promulgata sit assertio,

NOTÆ AD RUBRICAM X.

(a) *Cod. Est.* Cherii, *& ita Cod. Amb.*

(19) Lego Cherii; ut supra, *absentes per dies pæne septem præstolatus*: deleto commate post *absentes*. Pignorius.

(b) *Fortè* prospiciendum.

(20) Malim ut in V. legitur; *cujus & faceta fuit oratio*. Facetus enim est curialis & urbanus, ut interpretatur Joannes de Balbis: qui & addit Etymon facetus, quasi favens cœtui. *Pignorius*.

(c) *Delerem hic* Legati *vocem, aut ante post* exhortati.

(d) *Habentur hæc omnia usque* Iterum ergo ad tribunal &c. *in Veneto MS. & Ambros.*

(e) *MS. Amb.* versis fatis.

Digitized by Google

tio (21), utque concessa sigillo Regio Paduanis sponte, & liberè privilegia super fundis, & aquis restituendis, quæ in dies dilata executione protrahebat obnixè servanda juberet; his exemplis allici subjectos ad venerationes, ad cultum Regiæ Majestatis. (f) Iterum ergo ad Tribunal loco, quo & nudius tertius consederat, Cæsar alto astitit solio, jussitque per Oratorem eumdem Joannem Januensem enuntiari: *Se fidelissimis subjectorum ibi præsentium gavisum admodum consiliis, ex quibus se ab iisdem dilectum agnoscebat. Hæc cordi sibi fore, & semper inter singulares commemoranda lætitias: grates agere de tantis affectibus.* (g) *Super his autem, quæ in Longobardia agenda incumbebant, quamquam ardua, & peropportuna, tempus nunc non accommodari ex ingruentis motus sui necessitudine; Verùm permittente quamprimùm poterit tempore, se reformando statui operam dare cum omni efficacia.*

Hoc responso sic promulgato, dum Regem illico ad discessum paratum quisque præsentiret, exules, qui contradictionibus, ac potentiis adversariorum restituti non fuerant, in spem tamen hucusque deducti, ante Tribunal procidentes, vociferationibus multis lamentabantur, inter quos memorabiles Manfredus de Beccaria Papiensis, A. de Fisiraga Laudensis (22). G. de Rubeis Parmensis, multique inferioris ordinis erant, quorum strepitus aures non modò Cæsaris, (h) sed & assistentium offendebant.

(21) Qui sententiam aliquam ex his verbis extorquere potest, idem & clavam ex manibus Herculis extorserit. Corrigendus igitur omnino hic locus, ita fortasse, *Ipsumque regem, quem minimè partiarium ex primis pollicitationum præconiis prædicari fecerat, flagellum divinitus emissum verbis satis comunibus promulganda sit assertio.* Atque hic interpungendum. *Villanus.*

(f) *In R.* Verùm ergo.

(g) *In P.* Super his, quæ &c.

RUBRICA XI.

Transitus per Terdonam Januam versùs.

DUmque horum multis (a) affabiliter, & benigno, ac mansueto respondisset alloquio, ex auditorio tamdem se se surripuit. Hora quoque ferme nona epulatus, de Papia exiens, Terdonam versùs iter arripuit. A. verò de Fisiraga gressus ejus Terdonam usque secutus, spe vana sui intentus in derelictum omissa (23), in reditu versùs Papiam ab Ruralibus Vogariæ Coloniæ Papiensis, Manfredi de Beccaria partes tenentibus, circumventus, ac detentus est; ibique in vincula conjectus, sic ferente infortunio, stetit infeliciter.

(22) Hic est Joanni Villano lib. 8. cap. 61. Antonius de Fosseracco. Blondo lib. 9. Dec. 2. Antonius Visceragus. *Pignorius.*

(h) *In R.* sed assistentium.

NOTÆ AD RUBRICAM XI.

(a) *In R.* favorabiliter.

(23) Italicè prorsus, *lasciata in abandono la vana speranza del suo intento.* De captivitate Fisiragæ legendus & Merula (Lib. 8.). *Pignorius.*

Albertini Mussati Paduani de gestis Henrici VII. Cæsaris explicit Liber Quartus.

ALBER-

Digitized by Google

ALBERTINI MUSSATI
DE GESTIS
HENRICI VII. CÆSARIS
LIBER QUINTUS.

RUBRICA PRIMA.

Januensium status, partium dissensio, & reconciliatio.

DImissâ in his amphractibus Longobardiâ, nulla inde mora Cæsar Gabii colles exsuperans in Januam descendit. Abbas (1) scilicet plebejus Vir, more Patriæ Populi Præfectus, cum Potestate, ac Primoribus Civitatis, Plebeque tota obviam procedentes millibus ferme quinque (a) inductis similis amictus ornatu (2), introëuntem supremis excepere gaudiis, (b) nitente purpura supertectum, Regina pari honore subsequente; qui in Episcopali Palatio (c) à Communitate locatus subsedit (3). Civitas hæc Partium Gelfæ, ac Gibolengæ ignita scismatibus, diuque variis agitata fortunis (d) nunc sub parte Gibolenga, seu Imperiali (idem enim sonant vocabula) consistebat, Gelfis quamquam pluribus, ac ditioribus succumbentibus, seu segnitie, seu sic rerum occurrentibus successibus. Hujus principantis Imperialis Partis Prosapiarum duarum factiosi Principes erant, Auriæ scilicet, & Spinolæ. Ex Auriis major Barnabas, ex Spinolis Opicinus. Horum duorum de pari contentio Rempublicam in dissidium, ac præcipitium traxerat. Nam plebis Principatum obtinentem Opicinum Barnabas, Gelforum admisso subsidio, è Civitate dejecerat, Populique majoris, cui Opicinus exosus erat, suffultus obsequiis, regimini gubernaculisque Civitatis præerat. Quocirca usque in Astensem Civitatem venienti Regi Opicinus occurrerat, spemque ab eo in Patriam redeundi exauditus acceperat. Accensæ igitur odiis partes, Cæsaris aures alternis allocutionibus, clandestinisque susurriis inquietabant. Altera scilicet, quæ Barnabæ, (e) Opicinum Urbem per tyrannidem diu oppressisset (4), qua intolerabilis depositus fuisset, quodque Colonias, appendiciaque Urbis, tamquam hostis viribus Regis Caroli, seu & Roberti Primogeniti ejus conquisitis concremaverit, pæneque & Urbis exitio fuerit, incusante: ex his offensam Rempublicam, Populum, Plebemque, & quod execrabilius est, ipsam Majestatem Cæsaream, habitâ in socias partes Regis Caroli, & suorum amicitiâ. Deferebatur & Montisferrati Marchio Opicini Gener, quòd suis subsidiis Socerum in Januæ perniciem fovisset. E contra Opi-

NOTÆ AD RUBRICAM I.

(1) Hunc Abaum vocat Villanus (Lib. 9. c. 93.) inflexione omnino Genuensi. E quo dicimus etiam Savonam eodem magistratu usam. Ejus, qui Genuam moderabatur meminit Petrus Bizarrus, Genuensis Histor. lib. 4. sub anno Domini MCCLXXXIX. & Plebis Rectorem appellat; & Bizarro antiquior Justinianus lib. 3. eodem anno & lib. 4. anno MCCCVII. Fuit autem hic Abbas, qui Henrico obviam venit, Robertus Benavia, teste Justiniano lib. 4. anno MCCCX. *Pignorius*.

(a) *Pro* indutis, *ut alibi*.

(2) Tradit Justinianus (Lib. 4.) processisse obviam indutos vestibus aureis, & sericis; item virgatis tum purpuræ, tum citrii coloribus sagis. *Pignorius*.

Cùm dixerit, *procedentes*, oportet ut sequatur, *inducti*, vel *induti*. Et paulò post pro *scismatibus*, repone, *schismatibus*, & pro, *susurriis*, *susurris*. Villanus.

(b) *In V. deest* nitente.

(c) *Abest ab eodem* à Communitate.

(3) Palatia Episcopalia tunc temporis videntur fuisse diversoria Imperatorum, in nostro certè Patavino, haud uno loco, hujusce hospitii gratia, comparent Imagines Henrici IV. & Bertæ Augustæ. Veteres membranæ habent hæc, *Dominus Thebaldus Franciscus Apul. Potestas Paduæ pro Imperatore an. Domini MCCXXXIX. Indictione XII. intravit Imperator Paduam, die sequenti exeunte Januario, & descendit ad Episcopatum: in sequenti die ad Sanctam Justinam*. Ubi rerum patriarum curatores monitos velim, ut cogitent an non turpe sit, sacris diebus Divorum Prosdocimi & Justinæ, Clerum, & populum à Monachis arceri, ne solemni supplicatione, ut mea memoria factitatum est quotannis, ad illud Templum accedant, quod olim primarium fuit, Dominicum videlicet primitivæ Christianæ plebis in nostra urbe, quo loco Episcopi residebant, ubi sacras synaxes celebrari moris erat, ubi fideles terræ mandari, ubi alia munia Ecclesiastica peragi.

Fridericus sanè Imperator utrobique in Episcopatum divertere se arbitratus est; non quia amplitudine & laxitate ædificiorum caperetur, ut inquit amicus noster Cavacius (Lib. 3. Hist. pag. 96.), sed quia Episcoporum plures, ut res ipsa loquitur, apud Oratorium Beati Prosdocimi residerent, ac tumularentur inquit idemmet Auctor (Lib. 1. pag. 14.). O munificas & pias liberalitates vestras Rosi, & Gausline Episcopi nostrates, per quas factum est, ut ad excludendam religiosæ urbis plebem, ne suos tutelares statis & legitimis conventibus veneretur, jam de temporariis præscriptionibus agatur. Et tu Patavium sub religiosissimo & æquissimo Principe tuo hæc vides & fers? *Pign.*

(d) *Fortè* tunc. *A R.* tamen, *& in P. abest* nunc.

(e) *In V.* Opicinus Urbem tyrannide diu oppressisset *legendum fortè*. Opicinum, quòd Urbem tyrannide diu oppressisset.

(4) Hæc latissimè exequitur Justinianus, qui etiam nobis velut digito commonstrat Theodorum Palæologum Andronici Imperatoris Constantinopolitani filium, qui fuit Opicini Spinulæ Gener, & Marchio Montisferrati. Justinianum supplere possunt Interianus & Folieta, quibus nonnihil lucis addit Villanus lib. 9. cap. 514. Quod autem Opicino exprobratur Regis Caroli, & suorum amicitia, hoc illò respicit, quòd anno MCCCV. Dux Calabriæ filius Caroli Regis, Genuam cum uxore profectus, hospitio Opicini usus est; ut tradit Justinianus. *Pignorius*.

Digitized by Google

Opicinus, & sui, Conradi de Auria, & Barnabæ cum Gelfis consortium parti Gibolengæ, seu Imperiali pervium, noxiumque criminabantur, (5) quodque eum, suosque extorres fecissent propriæ Patriæ, Gelforum scilicet Fliscatorum, (6) Grimaldorum, (f) Salvaticorum (hæc enim erant aliorum Optimatum agnomina) freti suffragiis, Plebemque Januensem adeò in servitutem redactam, ut turpi terra marique servitio premeretur, nullis Patriæ, ut moris ante fuerat, suffulta favoribus. Cæsar his, aliisque molestatus progressum ultra Januam, quem maturiorem conceperat, distulit pro his sedandis, & si non in unionem, saltem per dilationem in quamdam veluti temporaneam quietudinem, reducendis. In harum rerum primordio regimen, gubernationemque Civitatis, Potestate, qui ei de more præerat, amoto suscepit; Abbati, dimisso tantùm vocabulo, satellites abstulit; Vicarium constituit. Ad sexaginta millium florenorum contributionem Populum, & Commune coëgit, sibique jurisdicendi, mulctandi, damnandi, absolvendi authoritatem omnem retinuit. Verùm Civium odiis remedia perquirere studiis solers intendit, nunc Aurias, nunc Spinolas singillatim alternis percunctatus vicibus, Comite Sabaudiæ Viro summæ virtutis, ac providentiæ juvante, quibus & Ostiensis Cardinalis magno adjumento erat, in quo omnis spes eorum, qui Gibolengi erant, consistebat. Nam & ipse omnium ejusdem factionis Princeps habebatur, Tuscorum præcipuè. Ipse quidem Pratensis erat Pagi juxta Florentiam urbem, plebejo genere, magnæ virtutis, ac sapientiæ vir (7). Ejus consilio omnia ferè pertractabantur. Horum demum assiduis collocutionibus ad conventiones, certaque pacis fœdera partes inductæ sunt, Rege Reipublicæ honores, ceteraque munera communia inter ipsas compartiente.

RUBRICA II.

Nova Regi delata de motibus Longobardiæ.

INterea dum de Longobardiæ partibus fama priùs increbuisset, deinde Regi verum nuntiatum est, Gibertum de Corrigia Parmensem cum Tuscis, ac Longobardis conjurasse, novaque sponsalia inter Guidonem della Turre, & (a) Philippum Comitem de Languscо celebrata, Marchiones de Cavalcabò cum Tuscorum, Bononiensium, ac Longobardorum cohortibus, favente Giberto prædicto, jam bellum Vicario, ac Cremonensibus intrinsecis intulisse. In Placentiaque res novas contra Regem attentari, ad cujus Cremonæ subsidium Galaaz primogenitus Maphei Vicecomitis (8) Vicarii Mediolanensis subitò (b) convolasse (9). Quòdque intra Brixiam seditio clandestina adversùs Mazios in ipso Urbis sinu oriretur: quòdque huic seditioni Mazii sibi providissent, introducto in Civitate præsidio, quod Pergami erat, cum Vicario Pergamense, & conjurationis Principibus pluribus necatis, ex Urbe omnes plebejos suæ factionis expulissent. Itemque, quòd iisdem diebus Marchionis jam dicti Giberto prædicto suffulti cum exterioribus Cremonæ de Castro Casalis Majoris egressi, in quo pluribus diebus cum suis se collegerant, bellum acre Civitati intulissent, in Civitatem ingredientes, victis fugatisque Gofredo (c) de Vercellensibus Pistoriense Vicario, ac Galaaz prædicto, nonnullisque occisis, & captis Civitatem obtinuissent. In Ast, Vercellis, ceterisque Longobardiæ Civitatibus partis Gelfæ factiosos elatos in Gibolengos insævire, (d) & Philippum Sabaudiensem Lacedæmoniæ Principem Papiæ Vicarium favorabiliorem eorum ausibus fore (10), Philippone præfato Comite de Languscо suadente, ac suggerente. Albuinum quoque della Scala morbo, quem in Castris Brixiæ nactus fuerat, decessisse Veronæ, cujus funeris causa Canem Grandem ejus fratrem, qui Regem apud Januam comitabatur, (e) oportuit Veronam proficisci (11) celeriùs, ne quid sinistri eidem eventurum fuisset exoso Populis, ac Primoribus Gelfæ partis, ac præcipuè ex concepto odio Paduanis.

RU-

(5) Mihi certè, *perjura*, illud minimè patet, nec scio, quid rei sit, fortasse, *perniciosum*. Villanus.

(6) Lego, *Guelforum scilicet*, *Fliscatorum*; ita monente Villano (Lib. 9. cap. 85.). Qui unus (ni falior) Fliscatores nobis recensuit: de quibus sanè nihil habeo quod in medium afferam. *Pignorius*.

(f) *Cod. Est.* Silvaticorum.

(7) De Cardinali à Prato egimus satìs superque supra. Hoc unum hic adjicimus ex nobilissimo Viro, qui pertexuit Nomenclatorem S. R. E. Cardinalium, Pratensem scripsisse.

De Paradiso, &

De Pontificalium Comitiorum habendorum ratione.

Ut meritò jure in ejus Epitaphio legatur,

Eloquium bona vita vireus, discretio fulta
Consilium, doctrina vigens, prudentia multa
Ista silent; hic illa docent sunt cuncta sepulta &c.

Pignorius.

NOTÆ AD RUBRICAM II.

(a) *Cod. Est.* Philipponem, *& ita Amb.*

(8) Hæc gemina est germanaque hujus nominis inflexio, propiusque accedens ad Etymon, quod accuratus scriptor Paulus Jovius consulto descripsit, his verbis. *Galeacius Matthæo magno genitus, novum id nomen quod postea manavit ad posteros, primus familiæ intulit, à matre Burrajoco inditum, quum ea fortè in multo Gallorum cantu enixa puerum, apertis oculis altè vagientem, Gallacium appellasset, idque arridentes ancillæ sæpe repeterent, nec abnueret pater, tamquam ab ave martia militari augurio jucundè accepto*, ita Jovius. *Pignorius*.

(b) *Meliùs* convolarit.

(9) Georgius Merula (Lib. 8.) scribit sero advenisse: ita Cremona Cavalcabovem patitam. *Pignorius*.

(c) *MS. Amb.* Soffredo.

(d) *Cod. Est.* nedum & Philippum, *& ita in Amb.*

(10) Manipulus Florum de Philippo hæc habet; *Ibidem Philippum de Sabaudia, qui se Principem Achajæ falsò titulabat, suum Vicarium dimisit, similiter super Vercellas & Novariam. Hic contra Imperatorem tamquam proditor omnia mala ordinavit. Nam propter ejus auxilium Comes Philipponus Manfredum de Beccaria cepit, Gulielmus Cavalcabos contra Cremonenses prœlia multa movit, Civitatem ingreditur, Jacobus de Redenasco interficitur, Galeaz Vicecomes qui in Urbis expeditionem venerat in servitium Imperatoris expellitur. Sicque Gulielmus Imperatoris dominatur, dominatur Passarinus de la Turre, ibidem Potestas efficitur*. Pignorius.

(e) *Meliùs* oportuerit.

(11) Si pro, *oportuit*, legamus; *oportuerit*, videbitur hoc pendere à verbo, *nuntiatum est*, quod Zeugmæ hujus à superiori caput est: Ea sententia, ut nuntiatum fuerit Cæsari, Canem profectum fuisse Veronam. Id quod concipi non potest, cùm ille regem comitaretur. Retinerem igitur, *oportuit*, salva tamen doctissimi glossographi, quicunque ille sit, reverentia. *Villanus*.

Digitized by Google

RUBRICA III.

Constitutio Præsidis in Longobardia.

HIs Longobardiæ tumultibus Cæsar, quamquam satis attonitus, Regio, ac Imperioso animo circa contingentia minimè remissus, Guarnerium de Ocmborc (12) militem strenuum Provinciæ Longobardiæ Præsidem, omniumque bellorum in eadem Provincia exorientium constituit, expeditèque cum ea, qua valuit, militum Gallorum, seu Germanorum ala, illorsum (a) transmisit. Is in Placentiam priùs petens jam jam de subcrescente in ea rebellione suspectam à Civibus ante ingressum facultatem intrandi cum centum dumtaxat Viris habuit, optione sibi ad hoc conditionaliter data, nec aliter sibi intrandum fore. Viderant enim, ut ajebant, à quibuscumque Regis Vicariis Gelfos opprimi, & Gibolengos extolli; hujus scismatis omnino patientes esse nolle; ne violari possent, hanc partem elegisse, communiter vivere, Vicario parere. Conditionibus his molestus Guarnerius hac veluti repulsa abscessit, ad Regem se conferens.

RUBRICA IV.

Mors Imperatricis.

PEr eosdem dies natura corruptibilis nullum passa humani ingenii, seu speculationis effugium, in Serenissimam, ac Clementissimam Margaritam Augustam suæ ostendit perpetuæ alterationis officium. Nam sex ferme dierum spatio aëris pestilentis apud Brixiam, ut asseruere Physicorum optimi (13), cordialiter infecta, quamquam tamdiu sub latente serpigine (proh dolor) vita subtracta est apud Januam in Palatio Heredum Benedicti Zachariæ (14) in Urbis appendiciis, ubi Besagnum dicunt, ad partem Orientalem juxta mare. Cujus corpus more regio purpura (a) inductum cum aurea corona capiti superposita ad Fratrum Minorum Cœnobium sub frequentia mirabili delatum est, ibique cum exequiarum, cœremoniarumque solemnibus in Choro Ecclesiæ juxta Altare depositum in Sarcophago plumbeo, non tamen lapidibus, auroque stabili conclusum, cùm & inde in tempore tolli, & in Alemanniam deferri debere putaretur, sicque fama prædicaret. Hujus insignis memoriæ dies festus erat Beatissimæ Luciæ Virginis (15) Anni Domini nostri Undecimi trecentesimi millesimi. Mortem ejus strenuè ferens inclytus Rex nullam in patulo effudit lacrymam, licèt ante hujus conjugii copulam Jugales reperisse duos amoris invicem tam supremi nec creditum, nec relatum.

RUBRICA V.

Legatio Pisanorum.

AD Regem visendum in Janua sic observantem venere Pisanorum Primores Legati ad quatuor & viginti numero, Præposito, ac Duce Facio Comite nato olim Gherardi Comitis Pisani (16), illius videlicet (quamquam & rei hor-

---

NOTÆ AD RUBRICAM III.

(12) Hic Guarnerius apud Crusium legitur fuisse Vvaltherus Comes Hohenbergensis. Apud Merulam est Guarnerius Aspurgensis. Apud Jacobum Philippum Bergomatem est Comes OEnipontanus. Militem strenuum (velint & hic noster) appellat Manipulus Florum. *Pignorius.*

(a) *In P. & R.* transmisit, Placentiam priùs petens, &c.

NOTÆ AD RUBRICAM IV.

(13) Physicum pro Medico cœpisse dici à temporibus Caroli Magni nobis auctor est Joannes Filesacus ad Joannem Eroardum (Lib. 7. cap. 25.) Ideo Cæsarius aptè dixit, in Monte Pessulano (hodie *Monpelier*) esse fontem artis Physicæ. Quam laudem (uti audio) etiam nunc Academiæ non paucæ frustra illi invident. Thusci non rectè carmen Petrarcæ

Et se non fosse la discreta aita
Del Fisico gentil-----

Interpretati sunt, ibi enim Physicus Medicus est, non Physicæ scientiæ peritus. Velut & in voce *Fisiciano*; quæ origine Gallica *Fisicien*, Medicum denotat, parum cognita Villano (Lib. 6. c. 44.), *Facendoji curare à Medici Fisiciani*. Nisi peccaverint Librarii, quod proclivius puto. *Pignorius.*

Illud, *aeris pestilentia*, non habet, unde regatur. Debebat autem dici, *aere pestilenti*, vel *aeris pestilentia*. Villanus.

(14) Justinianus & Bizarrus in omnia alia abeunt. Verùm quid sibi voluit Mussatus in illis verbis. *Non tamen lapidibus auroque stabili conclusum?* Et quid illud aurum stabili? fortè scripserat *muroque stabili*. In morte autem Margaritæ Aug. insigniter falsus est Franciscus de Rosieres, dum scribit To. V. Stemm. Lothor. Duc. *Genuam deinde cum Regio apparatu movens* (Henricus) *inibi conjugem morte salutam offendit*. Quæ sanè paria sunt illis, Beneventi mortuam Augustam. Voluit enim dicere Boncortium. *Pignorius.*

(a) *Pro* indutum, *ut alibi.*

(15) Eumdem diem notat & Manipulus Florum, qui sanè fuit capitalis & Friderico II. ut notavit Rolandinus, si rectè memini, & vulgavit ex vetere narratione manuscripti mei Codicis Radærus vir doctus, & ab universa eruditione bonis omnibus commendatissimus. Exerravit autem Villanus (Lib. 9. cap. 27.), qui Margaritam mense Novembri decessisse memoriæ consignavit. Neque videtur omittendum Elogium Margaritæ, quod extat apud Bizarrum, eximiis dotibus & præclara pudicitia fœminam nominantem. *Pignorius.*

NOTÆ AD RUBRICAM V.

(16) Hujus Facii monumentum hucusque visitur Pisis in Æde Sancti Francisci, perhibente Schradero:

Florida qui miro tenuerunt culmina cursu
Fletibus aspicitis mente doloris opus.
Gloria fulgentis urbis protensa Pisanæ.
Clauditur in tumulo stirps generosa nimis.
Hic genitor genitus Facius jacet, & quoque Gaddus,
Quos Donoraticæ protulit alma domus
Kaltræ sublimes Comitatus sede nitebant,
Et Gaddus placidè præfuit ipse Pisis.
Quo claudente sua dum ferret lumina curam
Plorat adhuc tanto plebs viduata viro.

Hic jacent Domini Comites Bonifacius & Dn. Gaddus ejus filius Comites de Doneratico, domini sextæ partis Regni Kallæretani, quorum primus obiit anno MCCCXIII. die XXV. Novemb. Secundus verò obiit die prima Maji anno Domini MCCCXXI. Comitis autem Gherardi meminit Villanus lib. 7. cap. 29. & Facius de Ubertis lib. 2. cap. 29. & 31. & Ptolomæus Lucensis an. MCCLXVIII. apud quem an. MCCXCIV. Comites de Dennorice Pisani videntur esse Comites de Donoratico.

Alterius autem Facii (nisi fuerit hic noster sed tunc minor natu) meminit Ptolomæus Lucensis anno MCCLXXXIV. capti videlicet à Januensibus in conflictu navali, *alla Milora*. Regnum verò Kallaretanum idem auctor biennio post vocat Regionem Callaritanam hodie *Cagliari* in Sardinia. Cujus Regni initia, & sectiones cum earumdem nomenclaturis nemo (quod ego quidem viderim) exequitur meliùs, quam Jacobus Maynoldus in aureo Commentario, de titulis Regis Philippi. Et quia hi primitus Judices vocati sunt, dein Reges, jure scripsit Ptolemæus Lucensis anno MCCXCIV. *Comes Guelfus infirmatus est & mortuus præ dolore, videns se ita depressum, qui priùs in Sardinia altus Rex videbatur.* Pignorius.

Digitized by Google

horribilis antiqua, nondum tamen deleta memoria) (17) qui capitali, ac pari morte cum Corradino de Stoph Alemannorum Rege (18) campestri bello victus, & adjudicatus à Carolo tunc Hierusalem, & Siciliæ Rege occubuerat. Ii ad pedes strati Cæsaris oculis madidis ex visuali exultatione conspectus Cæsareæ Majestatis, quam expectatam, desideratamque diutiùs dictitabant, pergraves, ac prolixos exigentibus rerum materiis exposuere sermones.

Mundo videlicet hoc Luminare obstruso, Generi humano in calamitatibus occumbenti, nunc Deo reminiscente provisum ad Populorum oppressorum Imperialis culminis lucem affectantium consolationem, iniquarumque Gentium contusioni, ac dignæ propulsationi perquam necessarium, ad quorum consequentias Mundus se offert volente Deo. Ad se veniant orantes, uti ad domum, & thalamum Regium (19), *in quo omnis tutela, singularisque fidelitas: omnia sua esse: ibi habile ad ceteros progressus receptaculum: nihil inde, terrave, marive obstare ad Urbis Romæ accessum cum fidelium comitiva ibidem aggreganda: copias suas ibi contrahi, ad quas fovendas omnes suppetebant apparatus, offerebantque tentorii super admirabilis exenium* (20) *decem millium capacis militum cum stativis: tempus advenisse Justitiæ tempus ultionis in detestabiles Imperii contemtores, tempus restituendorum larium* (a) *exulibus, tempus alacritatis, & quietis his, qui sacrum & venerabile contemplantur Imperium.*

Ad quos Cæsar humano, ac mansueto, brevique (ut moris sui erat) eloquio respondit, se eorum visione lætari, multùmque cordi applicuisset relata. Sui, aliorumque fidelium venisse (b) caussa, ad quos consovendos tanto insudabat labore, quanto fragili, ac mortali corpori perpeti possibile sit: Universos Christicolas sibi cordi esse in pace, quatenus poterit, componendos. Hoc refocillati responso in Curia residentes galêas quatuor, ac vasa, onerariasque naves cum armamentis, apparatibusque tenuere magnis impensis in portu Januensi.

RUBRICA VI.

Legatio Roberti Regis Apuliæ (21).

INterea ex Apulia Riciardus (a) Gambatesa Roberti Regis Apuliæ Secretarius Januam vê-

(17) Extat Epistola Petri Regis Aragonum ad Carolum Regem Siciliæ, in qua hæc leguntur præter cætera, *inflatus etiam tenor tuæ Epistolæ præfatæ continebat, Regis Manfredi soceri nostri nobilem potentiam fuisse tuo Marte præclusam, nec non Regis Conradi secundi nostri affinis floridam adolescentiam, spiculatoris gladio, tuo protervo & iniquo judicio fuisse destructam, &c.* Et hæc sanè dictata fuerunt à Petro de Vineis, quem ego legebam olim in veteribus membranis fuisse origine Paduanum. Neque erat profectò cur hanc notitiam Patriæ meæ invidérem, quæ Virum sua ætate qua stylo, qua rerum magnarum usu maximum, fortè hucusque pro Cive non agnovit, ejusdem natalibus jactet se utcumque Capua, nos certè originis primordiis contenti erimus, qui meminimus rem sacram esse fontium capita, ut aquarum decursus patere promiscuo mortalium usui. *Pignorius.*

(18) Quare Mussatus dicat Comitem Gherardum capitali ac pari morte cum Corradino occubuisse, cùm in alios non paucos tunc fuerit gladio animadversum, explicabit nobis vetus Chronicon m. s. anonymi Auctoris, in quo hæc leguntur: *Item obiit Dominus Papa Viterbii in die Sanctorum Vitalis & Agricolæ: & infirmatur mense Novembri juxta horam nonam die Sabbati nono exeunte, & jacet ad Ecclesiam majorem Sancti Laurentii, & in sequenti die mortis Papæ decapitati fuerunt Corradinum Regem & Ducem Austriæ, & Gerardum Comitem Pisanorum: & duo in una fovea & alter ad pedes.* Contigerunt autem hæc, ut habet idem Scriptor, anno MCCLXVIII. cui etiam debemus diem animadversionis, qui sanè Joannem Villanum (Lib. 7. cap. 29.) latuit. Nunc autem perquirendum videtur quid permoverit hunc nostrum, ut Corradinum insigniret appellatione de Stoph. Manipulum Florum (ita enim neutro genere habet vetus Chronicon m. s. quo sæpius usi sumus) narrat; *Mortuo Henrico IV. Gibelino sinè hærede totum genus Gibelinum defuit. Sed remansit isti Henrico IV. una soror, quæ tradita fuit Comiti de Scoph, & genuit duos filios, scilicet Conradum Comitem de Scoph, qui postea fuit Imperator, & Fredericum de Scoph Barbam rubeam &c.* Petrus Bertius Regius Cosmographus (Lib. 2. pag. 244.), qui Germaniam nobili opere illustravit, Comitem de Scoph, sive de Stoph Fridericum de Straufen appellat, cui modò jungit uxorem Agneten, modò Sophiam filias Henrici IV. Agneten nominat Hieronymus Henninghes in Theatro Genealogico: qui gentem de Hohen Stauffen indigetat, monetque diversam esse ab illa, quæ in Brisgoja nominatur à Stauffen. Martinus autem Crusius in Annalibus Suevicis (Lib. 12. p. 2.), describit Literas Mariæ Augustæ viduæ Philippi Romanorum Regis, datas apud Stophen XIII. Kal. Sept. Indictione XI. quibus subscripserunt Bertoldus & Egeno de Stophen; idem alibi, de morte Conradini loquens, *jacuit vetus & inclyta Hoben Stauffensium familia.* Imò & lib. 12. p. 3. arcis ipsius Hohenstauffensis parietinas graphicè describit nobis. At Joannes etiam Gryphiander in accurato Commentario de VVeichbildis Saxonicis promiscuè Fridericum Stauffensem nominat, & familiam Hohen Stauffensem. Ubi etiam asserit certum esse in jure Saxonico per Fridericum à Strauffen Fridericum Secundum designari, & hæc satis de cognomine hoc. *Pignorius.*

(19) Pisæ nunc temporis quantæ celebritatis fuerint hæc verba Legatorum indicio sunt. Benjamin Tudelensis, qui hæc tempora propiùs attigit, hæc de Pisis: *Ingens urbs, in cujus domibus ferè decem mille Turres numerantur, ad pugnandum aptæ & instructæ &c.* Notitia Urbium m. s. apud me, *ditissima & opulentissima est Civitas, & honorabilem habet Archiepiscopatum.* Porrò Aulam Regis ita describit Petrus Chrysologus (Serm. 42.); *Aula Regis fulget auro, nitet marmore, picturis splendet, grandescit spatiis, levatur culmine, amœnatur vinetis, ipso terribilis est secreto.* Verùm

Nescia mens hominum fati, sortisque futuræ.

Rectiùs siquidem invitassent ad sepulchrum. *Pignorius.*

(20) Tentorium hoc jure conferri poterat cum illo Alexandri apud Polyænum, & altero Ptolemæi Philadelphi apud Athenæum (Lib. 3. Annal. Pitoeani.): *Anno DCCCVII. Aaron Rex Persarum Papilionem & tentoria atrii vario colore facta miræ pulchritudinis Imperatori misit.* Et sanè viros militares hæc mirum in modum semper affecerunt. Ut etiam de Carolo Burgundii Duce narrat Cominæus. *Pignorius.*

(a) *Cod. Est.* miseris exulibus, *& ita in Amb.*

(b) *In P. deest* causa.

NOTÆ AD RUBRICAM VI.

(a) *Cod. Est.* Gambatensa.

(21) In principio hujus rubricæ, quæ *Genua* antiquitas est nunc, & *Janua* vocatur; barbarie sæculi. Ita habet notitia manuscripta, quæ sæpe nobis sese obtulit: ita Joannes de Balbis: ita omnes hujusce ætatis Scriptores. *Quòd esset Janua idest porta* (inquiunt ipsi) *quasi sit Lombardiæ introitus*: Vel à conditore Jano ut jactant. Et quidem utriusque etymi notionem habuit, qui Epitaphium conscripsit Joanni Vicecomiti Archiepiscopo Mediolanensi. (Apud Jov. & Schrader.)

Janua quæ antiquo quondam jam condita Jano
Dicitur, & vasti narratur janua Mundi.

Itaque rectè aliquando amicus noster carmine Pentametro lusit

Quæ

vênit se (22) altero dumtaxat socio, qui magno introductus Principum amplexu in colloquiis cum Rege diutiùs erat. Arcana tamen hujuscemodi tractatus ignota prorsus erant Populis; Verùm ex susurriis, ac conjecturis (23), & diversorum arbitrationibus vulgabatur, de Sponsalibus agi (24) inter ipsum Regem, Regisque filias cum Rege Roberto, fratribus, ac nepotibus hinc inde: plerasque tamen conditiones utrobique tantarum rerum impedire processus, puta, pro parte Regis Roberti Senatoriam, Vicariatumque Tusciæ in alterum ex fratribus peti; ex adverso hoc Regem impertiri æquum non fore fidelibus suis, & Imperii consequenter in exiliis permansuris, quorum præcipuè causa in Italiam venerat, ipsis revera promotoribus, vixque possibile fore odiis sic intensis partium adeò incensarum remedia quæri. Dumque de his in Curia Regia ageretur, & ecce ab Nuntiis ex Urbe venientibus ad Stephanum de Columna, qui fortè tunc in ipsa Curia compertus est, exauditum est novum (25): Joannem Regis Roberti fratrem in Urbem cum magna armatorum manu adventasse, ut scilicet præoccupata Senatoria sede, Urbeque tota Regi prohiberet ingressum. Sed hoc quidem, dum clariùs innotuit, per quosdam in bonum præsumtum, vulgatumque est, ut scilicet Regi benevolentiæ, honorificentiæque causa obviam venerit, putans illum ad Urbem advenisse maturiùs. Sed his diu murmuratis & pro libitu proferentium, ut sæpe solet, variè (b) propalatis, periit illius obsequentiæ, (c) seu benevolentiæ, & factum, & fama. Nam ipsæ rebellionis (d) causa venerat per ipsos actus ostensæ. Opitulabantur & ipsi Joanni omnibus, quibus poterant fulcimentis, Ursinorum alta potensque progenies, sive Columnensium odiis, quorum ductu (e) res agi ferebatur ad Urbem, sive etiam Gelfæ partis amore, quam pro posse coaluerant, foverantque. His in Curia sic enuntiatis, Ri-

A ciardus Gambatesa una dierum absque Regis scientia quadriremi sibi parata in crepusculo è portu Januæ exiens in Apuliam rediit.

RUBRICA VII.

Legatio Cæsaris ad Urbem.

CÆsar sollicitus Ludovicum de Sabaudia virum illustrem, qui & anno instanti Senator Urbis vocatus à Romanis fuerat, ad Urbem quacumque via in galêam paratam jussit accedere: qui tempestate maris per plures Pisis remoratus dies, tamdem tranquillo captato tempore in maritimas terras descendit, ibique in
B Oppidis Comitis Sanctæ Floris (26) se recolligens pluribus diebus, tamdem ex acceptione ductuque Columnensium ad Urbem permeans, in Lateranum conscendit. Deinde Stephanum de Columna fautorum cum suis properè summisit. Partes itaque Romæ per suos quasque vicos munitionibus, propugnaculis, ceterisque ad bella, oppugnationesque necessariis præparavere. Fama tamen per Italiæ Civitates increbescebat, Populum Romanum, præsertimque Plebem commodis suarum rerum Regem exoptare. Hoc Romæ dissidium Gentes Italicas, Gallicasque, & unde umque Imperii nomen agnoscitur, in varias spes erexit.

C

RUBRICA VIII.

Legatio Regis Siciliæ ad Urbem.

PEr hosque dies Vir nobilis Galvaganus Lancea Friderici Siciliæ Regis Consiliarius, & Admiratus cum Legatorum cœtu in duabus galêis portum Januæ applicuit, missus à Friderico præfato, ibique comiter susceptus à Cæsare, consalutavit eumdem sui Regis jussione, tabulaque argentea magni ponderis (27), aliisque regalibus

---

Quæ Genua indigitor, Janua sum rudibus.

Genua enim (inquit Hermannus Torrentinus in Elucidario carminum) *nobilis urbs Liguriæ, quæ vulgò Janua dicitur.*

D Verùm prudenter & apertè ad veritatem scripsit Mussatus, Legatos Apulum & Siculum non uno & eodem tempore Genuam venisse. Ut proinde falsum fuisse appareat Cavitellium, qui Henricum audivisse Legatos Regis Neapolis, ac Federici Siciliæ sibi adversantes, in Literas retulit.

Jugurta Thomasius cautior (Lib. 8.), qui illorum adventum aliquo temporis spatio discriminat, cognomine autem Apuli Gambatesæ hoc accidit, ut ferè ab omnibus malè haberentur, quotquot ipsius meminere. Joannes Villanus lib. 9. c. 97. Historiæque Pistoriensis Gambatestam; uti & Folieta lib. 6. Historiar. Paulus Interianus lib. 3. & Petrus Bizarrus lib. 5. Gambasiesam.

Augustinus Justinianus lib. 4. Gambacessam, & memini me videre qui Gambatosam appellaret (Blondus Dec. 11. lib. 3.); rectum est Gam-
E batesa, quod Latini dicerent *Crus rigidum*: ita enim Gentem hanc indigitant Familiarum Neapolitanarum scriptores, inter quos Angelus Constantinus lib. 5. Historiarum Neapolitanarum. *Pignorius.*

(22) Tollendum, *se*. Et paulò post, pro, *susuriis*, lege, *susurris*. Nec longè ab his, *sed bis diu murmuratis*. Planè barbarum. *Villanus.*

(23) Joannes de Balbis, *Susurrium*, *murmur*, *latens locutio*. *Job. 8. & quasi furtivè suscepit auris mea venas susurrii ejus*. Atque ita capite quarto Job, non octavo legit olim etiam Auctor Mammotrepti: *Susurrii*, *idest latentis locutionis.* Pignorius.

(24) Si Gambatesa de Sponsalibus egit (ut potuit egisse) non puto egisse bona fide Robertum. *Sparguntur enim*, ut indicat vir summus Christophorus Forstnerus, in Notis ad Tacitum, *à Regibus Filiæ aut Sorores in eos, quos fallere amicitiæ specie volunt; vel ad tempus placare.* Fabulæ ipsæ (si modò fabulæ, & non potiùs Historiæ sunt) istiusmodi tragicis eventibus ad satietatem scatent. Hypermnestra apud Ovidium.

Ducimur Inachides magni sub tecta Pelasgi:
Et socer armatas accipit ipse nurus.
Undique collucent præcinctæ Lampades auro:
Dantur in invitos impia thura focos.
Vulgus Hymen, Hymenæe, vocant, fugit ille vocantes,
Ipsa Jovis conjux cessit ab urbe sua.
Ecce mero dubii, comitum clamore frequentes,
Flore novo madidas impediente comas
In thalamos læti, thalamos sua busta feruntur &c.

Floridè & ornatè. *Pignorius.*

(25) Italicismus. *Fu sentita una nova.* Joannes Nider lib. 3. cap. 8. *Quæ nova statim ad omnes adjacentes volabant regiones.* Pignorius.

(b) *In V.* prælibatis; *omnino mendosè.*

(c) *In P.* seu etiam benevolentiæ.

(d) *In P.* cum, *non benè.*

(e) *Fortè* Rex.

NOTÆ AD RUBRICAM VII.

(26) *Sanctæ Floræ*, dicendum fuit, & paucis ab hinc versibus, *Partes itaque Romæ per suos quasque vicos* &c. legerem, *suas quæque vicos*. Nec porrò ab his pro, *increbescebat*, substitue, *increbrescebat*. Villanus.

NOTÆ AD RUBRICAM VIII.

(27) Mensam interpretor, quæ Italicè dicitur *Tavola*, & sanè moris fuit etiam antiquioris haberi istas inter Regia clenodia. Eginartus in vita Caroli Magni: *Inter cæteros thesauros, atque pecuniam tres Mensas argenteas, & auream unam præcipuæ magnitudinis & ponderis esse constat. De quibus statuit atque decrevit, ut una ex iis, quæ*

Digitized by Google

bus exeniis donavit. Ad quæ autem cetera venerit, per Curiam, fortè paucis ex Regis Secretariis consciis, ignoratum est; multa tamen narrata per pulpita, & plateas. Quidam, ut (a) quæsitum venissent Regi Siciliæ titulum, utque statum, conditionesque Regis Romanorum scisci arentur, quibus in (b) juribus consisteret. (28) Quidam, ut utrinque fœdera colligarentur adver ùs Reges Franciæ, & Apuliæ; sed horum opinio subitò evanuit, Galvagnusque cum Regis assensu scientiaque suas post paucos dies ingressus galêas, in Siciliam reversus est.

RUBRICA IX.

Acta Januæ.

CÆsare sic Januam obtinente, Curiamque ibidem tenente Florentinorum Communitas cum sociis Universitatibus, Tusciæ scilicet, Senarum, Perusii, Civitatis Castelli, Lucæ, aliorumque locorum adjunctâ eis partis Gelfæ Bononiâ, Dego Marescalcum Regis Roberti cum mercenariis militibus quadringentis, seu circiter ad terram Sarzani in Lucensium finibus cum regiis, partisque Gelfæ insignibus transmisere, ne inde Romanorum Regi transitus pateret, juramentis invicem firmatis, se sibi invicem non defecturos ad Henrici de Lucemborc, (a) Gibolengorumque necem. His circumventus Cæsar animo constantiori Principum suorum, scilicet Amei Comitis Sabaudiæ, Roberti Flandrensis Comitis, Treverienſis Archiepiscopi fratris ejus, Episcopi Tridentini Cancellarii, Episcopi Leodiensis, Henrici de Flandria Marescalchi (hi enim ex cunctis sibi supererant) consilio, suffragiisque adjutus, Cardinalium, & præcipuè Ostiensis (Albanensis namque jam apud Lucam morbo migraverat) se se quibus poterat exhortationibus contuebatur. Verùm tantùm Januenses sexaginta millium Florenorum auri collectione prægravaverat, ut jam nulla sibi spes exactionis ab eis foret; sicque repentè ingruentibus sui, & suorum impensis, cœperant non suppetere facultates, unde egens, atque exhaustus suis stipendia differens, in vanas, fallibilesque spes tenuerat anxius, & impotens, ærisque jam alieni necessitatibus sui à Januensibus impetebantur, querela clamosa in aures ejus non modò absentis, sed præsentis infusa: ex quibus odiorum subiit in ipsum Regem conceptio plebis universæ, ac populi Januensis. Subortæ & vehementes scandalorum causæ sunt. Communes enim querimoniæ per Civitatem universam jam effundere palàm audentium (b) frequentabantur. Januam liberam ab omni seculo Civitatem, quæ Friderici de Stoph dominium spreverat, ipsumque viribus contulerat (29), nunc cœco lumine colla jugo summisisse nullo bello, nulla tutela; nunc deformem esse, suis carere ordinibus, legibus municipalibus, ac plebiscitis recisis, & coactis (30), populum, plebemque obcœcandos fore, quòd se sic vinctos præbuere, ut servos, mancipiaque fecere. (c) Addebat & his querelis id, quod jam se omnibus bonis privatos agnoscebant, cùm de maris navigiis veluti pisces alerentur, nunc subtractas eis navigandi facultates, emolumentaque omnia defecisse. Mercatoribus Longobardis, Tuscis, Siculis, & nedum Alexandrinis (31), cete-

quæ forma quadrangula descriptionem urbis Constantinopolitanæ continet, inter cætera donaria, quæ ad hoc deputata sunt, Romam ad Basilicam Beati Petri Apostoli deferatur, & altera, quæ forma rotunda Romanæ urbis effigie insignita est. Episcopo Ravennatis Ecclesiæ conferatur. Tertiam quæ cæteris & operis pulchritudine & ponderis gravitate multùm excellit, quæ ex tribus orbibus connexa totius Mundi descriptionem subtili ac minuta figuratione complectitur, & auream illam, quæ quarta esse dicta est, in tertiæ illius & inter hæredes suos atque in eleemosynam dividendæ partis augmentum esse constituit. Nostro ævo celeberrimæ fuerunt Mensæ binæ Augustales. Gemmia videlicet Rodolfi Imperatoris, quæ inter Mundi miracula recenseri, ac cum templo Dianæ Ephesiæ comparari absque injuria potest. Uti refert Anselmus Boetius de Boodt. lib. 2. de Lapidibus ac Gemm. cap. 103. qui etiam alibi Octavum Mundi miraculum appellat. Lignea altera Uratislaviæ, in ædibus Jo. Cratonis Cæsarei Medici, qua sunt usi Ferdinandus Imp. & Maximilianus II. qui in ipsa sententias plenas pietatis & humanitatis sua manu inscripsit.

Et hæ quidem ab arte nobiles; illa à naturæ ingenio, cujus meminit Georgius Agricola lib. 8. de natura fossilium; his verbis, *Grandes autem ejus* (Argentis) *massæ sunt erutæ ex nonnullis fodinis; una è Snebergi Georgio, cujus videndæ gratia cùm Albertus Saxoniæ Princeps, vehemens ille bellator, in fodinam descendisset, & cum stipatoribus corporis pro mensa usus, dixisse fertur: Fridericus Imperator potens & dives est, hodie tamen ejusmodi mensam non habet.* Nanceji autem in Lothoringia (ut ad Mensas arte elaboratas revertamur) duas pretiosissimas, alteram marmoream, alteram argenteam se vidisse testatus est Jodocus Sinceres in Itinerario Gallicano. Verùm quid prohibet hisce omnibus adnumerari Mensam Isiacam, eam, quæ Mantuæ in Gazophylacio est Serenissimi Ducis, quam nos olim Commentario illustravimus? eam sanè Antiquitas, & Eruditio studiosis æternùm commendabunt. *Pignorius.*

(a) *In P.* quæsituri.
(b) *Alii* viribus.
(28) Lego, *quibus in viribus consisterent.* Villanus.

NOTÆ AD RUBRICAM IX.

(a) *In V.* Gibellinorumque.
(b) *Alii* frequentabant.
(29) Præclarum Encomium, cui etiam adstipulabitur ipse Fredericus scribens Friderico Grilli, & Joanni Stricaporci, apud Paulum Pansam sive Thomam Costum, in vita Innocentii IV. Summi Pontificis; *Dedimus quoque per Literas nostras Marino de Ebulis sacri Imperii à Papia superiùs Vicario & fideli nostro firmiter in mandatis, quòd ipse cum fidelibus nostris & Imperii de Jurisdictione sua, faciat Januensibus, qui rebelles sunt Imperii, vivam guerram. Uberto etiam Marchioni Pallavicino Vicario in Lunexana & partibus cumvicinis fideli nostro, de facienda guerra ex hac parte mandatum facimus speciale.* Et hactenus Fridericus, neque minor ea laus est, quam Genuensibus ex hoc eodem capite impertitus est, quisquis ille fuit, qui Narrationem pertexuit de morte Friderici, stylo, prout illa ferebant tempora, neque inerudito neque ineleganti; quam ex meo vetusto Codice publici juris fecit eruditissimus Gretserus; illius hæc sunt verba: *sanè inter alios Christianæ Fidei & sanctæ Matris Ecclesiæ zelantes, vos, quos indissolubili ligatura ligat in fidei firmitate Liguria, præcipuè gaudere debetis, quod post longa sudoris certamina acquisivisse probemini nobis, vestrisque posteris salutem. Demum qui pro vitæ vestræ conservatione noscimini tam strenuè propugnasse, lætari debetis, quòd hostes vestros, qui, quantum libet, vos læserint, libertatis titulis reservastis per mortem dicti Frederici, qui, sicut præmisimus, in festo B. Luciæ spiritum exhalavit, viribus mortificatus & spiritu.* Et cætera præclara admodum & insignia. Pign.
(30) Meliùs, *rescissis*, hoc est abolitis, atque abrogatis: qua forma utitur infra. *Villanus.*
(c) *Meliùs* Addebant.
(31) Auctor Summæ Catholicon. *Item à Janua porta dicta est Janua quædam Civitas potens, nobilis, pulcra & dives, juxta mare sita, & est quasi introitus ut porta Lombardiæ, Tusciæ, Provinciæ &c.* De antiqua Navigatione Alexandrina copiosè disserit, eruditèque, ut solet, Isaacus Casaubonus ad Svetonium, & nescio quid tetigimus & nos in epistolicis Symbolis nostris, in

Digitized by Google

ceterisque marinas Insulas incolentibus ob hanc pestem Regis hujus mercium (d) usibus defecisse, intolerabiliaque prorsus hæc omnia populo Januensi. In dies rumor invalescens augmentabatur, nec Regem latebat vociferantibus, & per sæpe rerum venalium creditoribus ad ipsius Regis atrium sibi de acceptis pretia dari conclamantibus. Rex ambiguus, quibusnam sibi provideat remediis, cùm jam sibi ipsi concitata plebe timendum videret, Leodiensem Episcopum, & Henricum Flandrensem Marescalcum subitò Pisas transmisit, ab amicis, ac fidelibus Pisanis subsidia in tantis necessitatibus quæsituros. Curia tum plus solitò vacua, ob mortes suorum diminuta, quorum multi, qui supererant, eadem peste, quam inclusam foverant, in Janua periere. Et miranda res hæc. Nam ipsi iidem illa laborantes pernicie sic Januenses infecere, ut & inaudita ab omni seculo hominum mortalitas in Janua terra saluberrimi climatis, & aëris dispositissimi (32), contagiosi morbi more, in Cives transierit, ex qua infiniti decessere. ipsaque frequentante Antistes (e) cum Clero, & Populi totius longissimis Ordinibus corpora Beatissimi Johannis Baptistæ, ac aliorum Sanctorum per Civitatem cum hymnis, & applausibus deferebantur, placandi Dei causa pro morbis tam lethalibus expiandis. Vacua quidem (ut prædiximus) Curia, non modò ipsa defunctorum causa; (f) verùm & excitatis nominatim ad Coronationis obsequium pauci aderant, excusatis ære dato plurimis, aliis in contemtu, rebellioneque persistentibus. Nam ex Magnatibus Longobardis solus Luchinus Maphæi Vicecomitis Mediolanensis minor natu cum paucis equitibus, Legatisque Communis Mediolani (g).

RUBRICA X.

Reditus Legatorum Paduanorum cum Privilegiis, & ipsa Privilegia.

EX Civitatum ceterarum Legatis aderant & Paduani quatuor Rolandus de Plaziola, Jacobus de Alvarotis, Johannes Henricus de Capitevaccæ Judices, & Albertinus Mussatus Laicus (33). Hi cùm pro obsequendo Regi venissent, maturiorem, ut ceteri putantes accessum ad Urbem. in Janua diebus circiter centum stetere. qui tamdem fatigati, gravatique longa residentia, & impensis, discedendi licentiam frustra, diuque implorantes (34), nec ad impetrandam Regem facilem reperissent. tamdem A. Mussato, quem singulari amore diligebat, instante ex rationibus necessariis, puta sibi. Collegisque per Commune Paduæ ex viarum discriminibus ipsum pro victu salarium transmitti non posse, sicque se arctatos fore, ut violenti causa ipsos remeare oporteat, redituros Coronationis tempore, cui & si non licentiam præbuit expressiùs, tamen non negavit: Hi quoque impetratis jam literis super decursu fluminis Bacchilionis, prædiisque Paduanorum in Vicentia, districtuque positis, quæ adhuc per Vicentinos occupata detinebantur, Paduam rediere.

Rescriptorum, seu Literarum forma hæc erat.

HENRICUS DEI GRATIA ROMANORUM REX SEMPER AUGUSTUS.

Vicariis suis Civitatum Paduæ, & Vicentiæ, qui nunc sunt, vel pro tempore fuerint, & omnibus Fidelibus Romani Imperii, & Vicariis, & Officialibus suis quibuscumque, ad quos præsentes literæ pervenerint Fidelibus suis dilectis gratiam suam, & omne bonum.

„ CUm juxta nostræ decentiam Majestatis
„ causas dissensionum, & errorum, qui,
„ & quæ inter Fideles nostros Paduanos, &
„ Vicentinos, eorumque Communia, & singu-
„ lares personas poterant generare discrimina,
„ curantes diligenti sollicitudine removere, &
„ ad pacificum statum reducere super bonis,
„ juribus, & possessionibus (a) immobilibus
„ Paduanorum sitis in Civitate Vicentiæ, &
„ districtu, & è converso super bonis, juribus,
„ &

in Epistola ad Jo. Hieronymum Bronzerium. Benjamin sanè Tudelensis scribit Alexandriam esse commerciis omnium populorum frequentissimam, ac celeberrimam, in quibus ille enumerat, præter alios, Tuscos, Longobardos, Apulos, Siculos, Provinciales, Genuenses, & Pisanos, & hujus commercii apud Genuenses causam eam esse refert Jacobus Stunica in Itinerario (In Biblioth. Hispan.), edito ab A. Schotto clarissimo viro, *quòd cùm asperrimam terram incolant, qualis omnis est Liguria, victumque haud regio facilè præbere possit, necesse est, ut aliunde quærant, quàm ob causam omnes ferè Orbis provincias mari adeunt*. Et huc pertinet (ut ad Alexandrinos mercatores redeamus) quod Petrus Martyr ab Angleria scriptum reliquit in calce Libri primi Legationis Babylonicæ; *Galeacearum* (Venetarum) *ex Ægypto præcipuè vel Syria redeuntium, ducentorum interdum millium Ducatorum summam singulæ reportare creduntur. Inde namque Gemmarum, Aromatum, Arabicorum odorum, referunt omne genus, & quidquid lasciviæ hujusmodi est in natura ad effœminandos homines: simul & Medicamentorum copiam ingentem per totam Europam disseminandorum*. Pignorius.

(d) *Fortè* usus.

(32) Facius de Ubertis ideo cecinit, (Lib. 3. c. 5.)

Questa Città è tutta en poggie & piano
Richiusa tra Bisagno & Pecevere
Con lei Palagi, e'l sito dolce & sano. Pign.

(e) *Lege* Antistite.

(f) *Fortè* verùm etiam quia ex citatis.

(g) *Intellige* aderat.

NOTÆ AD RUBRICAM X.

(33) *Laicus* hìc opponitur Judicibus & Jurisconsultis, quòd videlicet non esset adeptus gradum (ut vocant Doctoratus. Quo sensu apud Joannem Villanum legitur (Lib. 9. cap. 135.), de Dante Aligerio; *questi fu grande Letterato quasi in ogni scienza, tutto fosse Laico*. Mirum etenim admodum esse videbatur, tot Literas callere, & Doctrinis ferè omnibus imbutum esse, neque tamen ad Magisterii apicem pervenisse. Alioqui Laicus alibi distinguitur à Clerico. Ut apud Domnizonem;

Hunc Clerici flebant, valde Laicique dolebant.

In Commentariolo Hessonis Scholastici edito à Gretsero: *Post eum Episcopus Lausanensis & Comes Palatinus, & cæteri Clerici & Laici, qui cum eo erant, &c.* & alibi non semel: nihil, enim tritius; at hæc notio nihil facit ad Mussatum illustrandum; illa sanè propiùs accedit, quam attingit Joannes de Janua: *Laicus à laos quod est lapis, inde Laicus idest lapideus, quia durus & extraneus à scientia Literarum*. Pignor.

(34) *Licentiam frustra, diuque implorantes*, usque ad, *cui etsi* nutat hìc sententia, & proculdubio aliquid desideratur. Explerem sic lacunas, *Discedendi licentiam frustra diuque implorantes, ad eam impetrandam regem facilem non reperissent, ni tandem à Mussato, quem &c. impetrata*, seu *obtenta foret: cui etsi non licentiam præbuit expressius, tamen*, & quæ sequuntur. *Villanus*.

(a) *MS. Amb.* mobilibus.

Digitized by Google

„ & possessionibus immobilibus Vicentinorum „ sitis in Civitate Paduæ, & districtu, necnon „ & super aqua, seu flumine Bacchilionis Privilegia quædam hinc inde duxerimus concedenda, super quorum executione facienda „ venerandum virum Aymonem Gebennensem „ Episcopum Principem, & Secretarium nostrum illò duxerimus transmittendum, qui „ certo super hoc facto processu, sententiam „ tulit, prout in instrumentis publicis, quæ super his conscribi jussit, pleniùs continetur. „ Nec (ut pro parte Paduanorum nobis insinuatum est) Privilegia prædicta, & sententia de facto, ut nostræ intentionis fuit, & „ est, juxta ipsorum tenores, & formas suos „ sint sortita effectus, & executioni mandata, „ volentes omnino ipsa Privilegia, & concessiones in totum, prout concessimus, & conscribi, atque sigillari fecimus, inviolabiliter observari: Prudentem virum Bassianum de Guaziis legum professorem, & Johannem de Castione nostri Palatii Auditores, Familiares, „ & Consiliarios nostros dilectos ad partes, & „ loca Paduani, & Vicentini districtuum præsentialiter duximus transmittendos, quibus „ deliberato consilio nostrorum Judicum, & „ Sapientum, tenore præsentium dedimus in „ mandatis, ut dicta Privilegia (b) impleant, „ & exequantur, prout scripta sunt, integraliter cum effectu. Jubentes, ut ad locum communem inter Civitates Paduæ, & Vicentiæ, „ seu alibi prope ipsas, ubi tutiùs, & commodiùs sit partibus convenire, secundùm discretionem eorumdem accedant, & vocatis ad se „ omnibus, & singulis Paduanis, & Vicentinis dicentibus, seu dicere volentibus, se spoliatos fuisse suis bonis, juribus, & possessionibus immobilibus (c) temporibus in dictis „ Privilegiis contentis, recipiant capitula, & „ probationes à singulis super bonis, juribus, „ & possessionibus immobilibus, & juribus, ac „ rebus, quæ dicere, & ostendere voluerint se „ possedisse, & tenuisse temporibus contentis „ in Privilegiis antedictis, & quibus se asserere

(b) *Cod. Est.* Privilegia tamquam justa, & rationabilia, & juri consona, & sententiam prædictam, *& ita in Amb.*

A „ voluerint fuisse eisdem temporibus spoliatos. „ Et veritate reperta ipsos de ipsis bonis, juribus, & possessionibus, super quibus fecerint „ justas probationes, ponant, & inducant auctoritate nostra in vacuam, liberam, & expeditam possessionem, & in statum pristinum „ ipso facto, prout ante erant. In quibus prædictis omnibus, & dependentibus ex eisdem „ plenam, & liberam eisdem concedimus potestatem, arbitrium, & auctoritatem quævis „ solemnitate, vel solemnitatibus juris omissis. „ Volumus autem, quòd dicti Bassianus, & „ Johannes in prædictis, & circa prædicta, & „ dependentibus ex eisdem summariè procedant, „ & procedere possint, & debeant absque libello, de plano, & breviter, & sinè strepitu, & B „ figura judicii, & per omnem modum, & „ viam, per quem, & quam sibi meliùs, & „ celeriùs videbitur posse fieri ad executionem „ omnium prædictorum pro favore spoliatorum; „ & contradictores, inobedientes, & rebelles „ punire, & cohercere possint, & condemnare, & pœnas eisdem imponere, & ipsos mulctare, secundùm quod (d) sibi ipsis meliùs „ videbitur faciendum. Mandantes vobis, & „ cuilibet vestrum, quatenus in prædictis omnibus, prout vobis dicti Bassianus, & Johannes „ dixerint pro executione prædictorum omnium „ facienda, pareatis, & efficaciter intendatis. „ Quibus in prædictis omnibus, & dependentibus ex præmissis committimus vices nostras, „ rejectis excusationibus, allegationibus, impedimentis, & appellationibus quibuscumque. C „ Quòd si ambo, seu uterque eorum his exequendis interesse non poterit, alter eorum, „ ea nihilominus exequatur. Volumus quoque „ quòd factis restitutionibus supradictis, ad plenum omnino jus cuilibet reservetur, ita quòd „ per eas restitutiones nulli in jure suo præjudicium generetur. Data Januæ VI. Calendas „ Februarii Anno Domini millesimo trecentesimo duodecimo, Regni verò nostri anno „ quarto.

(c) *In Cod. Est. deest* temporibus. *MS. Amb.* temporalibus.
(d) *In P.* sibi meliùs.

Albertini Mussati Paduani de gestis Henrici VII. Cæsaris explicit Liber Quintus.

ALBER-

Digitized by Google

ALBERTINI MUSSATI
DE GESTIS
HENRICI VII. CÆSARIS
LIBER SEXTUS.

RUBRICA PRIMA.

Acta in Senatu Paduanorum post reditum Legatorum.

REversi Paduani Legati cum his Regiis rescriptis, primò Sapientibus octo, qui agendis præerant, ceterisque Primatibus Civitatis ad hæc vocatis retulere, quæ in Curia egerant, deinde (a) Senatu habito, mille scilicet Virorum, relatio per Albertinum Mussatum seriatim exposita, in qua & status Regis declaratus, conditionesque omnes cum totius Italiæ motibus, ac successibus in notitiam (b) addactæ. At postquam assedit Mussatus, infremuere variis allocutionibus Consiliarii hujus congregationis. Plurimi namque in omnem eventum, quatenus & ipsi possent, quietem, ac pacem affectabant, ad novas res segniter, ac pigrè horrentibus animis discurrebant. Plerique casum Regis, præcipitiumque instans, ac verisimile sperantes, ad rebellionis audacias, ac præsumtus extollebantur; sicque ea die tanti negotii decisio delata est. In sequentem verò insperata nova pæne (1) credita, sed ex literis Canis Grandis de Verona Communi Paduæ transmissis acceptum est, ipsum Canem Civitati Vicentiæ Vicarium auctoritate Regia constitutum, & veris falsa ipsa eadem instans fama permiscuit, ut Rex iniquiùs illum non modò Veronæ, sed Paduæ, Tarvisio, Feltroque præfecerit. Grande hoc Paduanis, horrendumque negotium: additæque vero voces, animos eorum novis terroribus (c) concussere, parum ulterius boni affectus in Rege præsumentium, ipso opere eorum judiciis omnem Regis pravitatem indicante. Extemplo igitur conclamante populo Senatus habitus, in quo, quidnam agendum foret tanto in discrimine, propositum est. Ex Legatis Rolandus de Plaziola Judex re tam horribili non mediocriter commotus, astitit conspiciendus in eminentia auditorii, sic fatus (2):

„ E Curia illa (d) Duce Deo dimissus, ubi
„ ipsam fandi facultatem formido negaverat,
„ ad patrios ductus lares, hosque vestros dulces
„ aspectus, utar libera fiducia mea, o Cives,
„ ore jam soluto loquar, qui centum prope dies
„ silentio præteriens, taciturnus obmutui. Vidi
A „ hunc Regem, vidi mores, & vidisse piguit,
„ desuper, ut puto, datum hoc Mundo exi-
„ tium, & viderunt quippe carnei oculi faciem
„ illam, quam intueri cordialis negabat affe-
„ ctus. Et quid mirum, o Cives, illum vide-
„ re, cujus progressum elementa ipsa abhor-
„ ruere, terra fructus denegavit, glebe, pal-
„ miteque hac peste sterilibus infectus aër ir-
„ respirabiles animantium vitas suffocavit; Ignis
„ ædes, & subsistentia quæque solo consumsit.
„ Vidi Urbes paulò ante florentissimas pulsis
„ Civibus ruinosas, Colonias desertas insolenti-
„ bus jam cicutis opertas, Rusticanas inedia
„ visas nobilium facies, plebe fame exanimata.
„ Proh pudor! Longobardia terra ferax, nunc
B „ inculta ad silvestres comparabilis vastitates.
„ Et qui incolæ nobilium oppidorum? Incolæ
„ nempe Tyranni veteres, Vicariorum Imperii
„ induti vocabulis: his hodie Longobardiæ re-
„ liquiæ consumuntur. Ultra hæc progressa cla-
„ des, Januam veluti ignis edax incendit. Ja-
„ nuam, inquam, Cives, divitiis, virisque, ac
„ omni bono valentissimam, vidi formosam,
„ vidi deformem in triduum, formosam hilari-
„ tate Civium excipientium hanc felicitatis ef-
„ figiem: vidi deformem mutata facie populi
„ in communione viventis, conversis moribus
„ patriæ ad voluntarios Principatus. Veluti,
„ ut si amoto hoc nostro Præside, Cives, sub-
„ stitueretur ignotus, recissaque ac sublata ve-
C „ stra forent plebiscita cum legibus; hicque
„ Senatus dissolutus Tribunis vestris, quos Ga-
„ staldones appellatis, turpiter, ac ignominio-
„ sè depositis: Sic ibi cassus, Potestatis nomen
„ obtinens, ensifer unus Abbas Civitatis (e)
„ saluberrimus conservator (3). Sic dispersi
„ Ordines popularium à primo Civitatis ævo
„ consuetudinum. Sed quid? Has immutatas
„ vitæ conditiones frustra, seròque videre, Ci-
„ ves, in se has jacturas deflentes, socordias
„ suas accusantes, quòd Fridericum Imperato-
„ rem à suis finibus repulissent, hunc inermem
„ admisissent. Sed inanes hæ querelæ. Nam
„ suis enervati viribus, accepto jugo, millia
„ Florenorum sexaginta fisco Regio contribue-
D „ re. At de Civium illorum calamitatibus omit-
„ tamus, o Cives: hoc de Rege loquamur.
„ Quænam hunc ratio formidabilem facit. Non-
„ ne ipsius Dei flagello (f) perclusus copiis
„ om-

NOTÆ AD RUBRICAM I.

(a) *In V.* deinde ex Senatu. *Pat.* deinde & Senatu.
(b) *Fortè* adductæ.
(1) Pæne hic valet quod Latini dicunt *vix*, Italicè *à pena*. Pignorius.
(c) *MS. Amb.* timoribus.
(2) *Auditorium* (inquit Joannes de Janua) *locus ubi consilia & responsa audiuntur*. Superiùs *Vocatique sigillatim ad Auditorium attenti stetere obticentes*. Hic videtur significari Audientia quam vocant. *Pignorius*.
(d) *Cod. Est.* Deo dante.
(e) *MS. Amb. addit* illius.
(3) *Cassare* apud hunc nostrum & alios coævos fuit frangere, destruere, annichilare, vanum facere; cassus, privatus: de Abbate populi dictum superiùs est satis. Hic notandum est usum fuisse ente, qui & nostris Potestatibus magistratum ineuntibus ex antiqua consuetudine præferri solet. *Pignorius*.
(f) *Cod. Est.* percussus. *MS. Amb.* perculsus.

Digitized by Google

„ omnibus exutus est? Ducentis siquidem su-
„ perstititibus militibus, ducentis? pæne, in-
„ quam, ducentis Mundo ruinam minatur, hos-
„ que semestris expectata merces in Regem ob-
„ jurgari (g) cœpit instante opportunarum re-
„ rum angustia. Vidi vociferantem popellum
„ ad fores atrii de creditis sibi, suisque escu-
„ lentis, & poculentis satisfieri, ipsumque ob-
„ audisse simulantem ex ipsa rei familiaris in-
„ digentia, qui nec sibi, nec aliis suffecturum
„ sentiebat, & idcirco venumdari fasces, Præ-
„ sidatus, & officia, (h) quemque corruptum
„ inopia non pudebat. Puduit ne hunc Canem
„ virum nefarium mutato sodalitio Vicentiæ,
„ & Paduæ in pace degentium, Vicarium Vi-
„ centiæ constituere, scilicet ostio hujus Floren-
„ tissimæ nostræ Urbis? Non quippe puduit o
„ Cives, immo ex partiariorum consulto, ut
„ vos hic Canis in Tyrannidem trahat, bellum
„ intestinum propinquis in hujus Civitatis sinu
„ moveat. O in memoriam veniat Patrum no-
„ strorum fera, ac fœda ipso relatu clades. Ille
„ scilicet Sathanæ filius Eccerinus de Romano,
„ (4) quem hujus Henrici de Lucemborc sce-
„ lestus Fridericus prædecessor ad solas neces
„ ministrum hoc falso Vicariatus Imperii no-
„ mine constituit. Proh dolor! (i) quantum
„ reminiscentia animadvertere opus est vobis;
„ qua solertia has reservare reliquias. Hæc sunt
„ vestigia, Cives, illis simillima, si vos ad vi-
„ tam, & mores hujus ab infantia Canis vos
„ retuleritis: hic nempe Eccerino illo ferocior.
„ Taceo, quàm maturior ævo sanguine suorum
„ manus pollutas habuerit, nec vobis parcitu-
„ rus semper invisis, semper exosis, illo natus,
„ illo educatus loco, quo undecim millium pa-
„ trum vestrorum funera una simili nece defun-
„ ctorum adhuc vivens memoria non abjecit.
„ (5) Sed, o quanta memorandorum exuberat
„ materia! Sed ad salutiferum agendorum con-
„ silium me converto. Censeo huic Regi obe-
„ diendum non fore, cum resistentibus paribus
„ juribus (K) resistendum, cum adversantibus vos
„ adversari, Aquilarum effigies è quibuscum-
„ que communibus, & privatis fastigiis abole-
„ ri, Mœnia, Castella, Coloniasque vestras

A „ tuitione, rebellioneque coaptari (6), vitas
„ pro libertate in omne discrimen exponi. Te
„ Gherarde, *ad Vicarium dirigens oculos*, (si
„ quidem tibi sic ipse consulueris) Vicariatui
„ abrenuntiare, dulceque, ac sacrum Potesta-
„ tis nostræ officium, nomenque resumere, &
„ per semestre tempus Civitatem hanc in liber-
„ tate regere (7), sicque continuò jures obni-
„ xè; sin autem, stipendium tuum discessurus
„ habeto: præsto habemus de Sancto Miniato
„ Rodulfum virum optimum, quem ad hanc
„ liberam, beatamque potestatis sedem vocan-
„ dum, sumendumque adjudico. „ Fine facto,
fremens Senatus in altum voces tulit pari assen-
su, hæc omnia sancienda dijudicans. (l) Tunc
B Albertinus Mussatus, alter scilicet ex Legatis
assurgens paulisper, Consiliariorum clamore ex
affectu, fiduciaque rerum gestarum exauditus,
tamdem sic cœpit:

„ Adjudicetur in tanta votorum vestrorum
„ identitate insana, & pertinax audacia mea,
„ Cives, si tam impressos, tam infixos Rolan-
„ di suasione conceptus distrahere ausim, vel
„ saltem moderatiùs rem aggredi per quam
„ duram persuaserim, nec audire pigeat, quem
„ aliàs obaudisse pœnituit (8); vincat incensas
„ (m) efficax ratio voluntates. Nec (n) ab-
„ negem, malè Regi suggestum, hunc Canem
„ Vicentinis præfecisse, sed profectò nescius
„ Rex, quantum ponderis, quantumve scisma-
C „ tis hæc attulerit Præfectura discrimen. Sed
„ quidnam hoc in commercio verius dici po-
„ test, quàm, ut sua de re, quod sibi libuerit,
„ fecerit? Nihil utique. Quid verò attinet,
„ quid agendum restat? hic discutiendæ rei
„ constat articulus. Disseruit Rolandus ad re-
„ bellionis exhortationem, hunc Regem ege-
„ num, destitutum, exosum suis populis: &
„ hæc quidem vera affirmo, assentio allegatis,
„ dum non tantùm illum adversis demersum
„ fatear, nec sic sua facta opprimi, ut nequeat
„ relevare caput. Si quidem defectus illius ani-
„ mos vestros extollat, affectus, si qui sunt,
„ vos continentes, & moderatos efficiant. Il-
„ lum ne Ecclesia Romana coadjuvat? fovet?
D „ sublevat? Attestetur hoc Rolandus, cujus
„ oculi

(g) *Fortè* coegit.
(h) *Cod. Est. & Amb.* quæque corruptum.
(4) Indulsit sibi Mussatus in hoc nomine, ut ad Tragœdiam suam respiceret Lector, cujus nomen conflavit ex Eccelino, & Erynni; uti vocaretur Eccerinis, & sanè perbellè accidit, ut illius nomen vexaretur mortui, qui omnes vivus vexaverat. Eccelinum appellant Rolandinus, & auctor vitæ Sancti Antonii apud Henricum Sedulium; Icilinum Sigonius lib. 17. de Regno Italiæ; Ezzelinum Hieronymus Rubeus Histor. Ravennat. lib. 6. Ezelinum Pigna lib. 3. Eccellinum Tursellinus, Epitome Historiarum lib. 9. Acciolinum Jovius in Elogiis; Azolinum Tursellinus loco citato; Acciolinum Valerius Muscheta in Vita B. Joannis; Eccelinum vetus marmor apud Angelum Roccam, in lib. de Campanis. Verùm hæc pertractabit eruditè & copiosè Vir Reverendissimus & patriarum Antiquitatum scientissimus Albertinus Barisonus Abbas, in editione Rolandini, quam in gratiam Illustrissimi Herois Dominici Molini, orbe Literato universo præstolante, adornat; Historiæ genio & afflante & plaudente. *Pignorius*.
(i) *In R. & P.* hac quantum, *fortè* hoc quanta.
(5) Unam similem fuisse necem negat Rolandinus lib. 9. cap. 8. affirmat Villanus lib. 6. cap. 74. Qui asserit, in illo prato, ubi vivicomburium celebratum à viro teterrimo est, nunquam ampliùs germinasse herbam virentem: ut appareret innocentia peremptorum. Et hoc fortè sibi voluit Rolandus, cùm adhuc viventis memoriæ meminit. Simile quid audivi ego à viris fide dignis accidisse in Collibus nostris Euganeis in villa Tramontis, ibi Pratum olim fuit (quod etiam nunc Rustici duorum Compatrum appellant.) in ipso duo Compatres Fœnisectores falcibus se interemerunt multa bile perciti; eo sanguine perfusis in locis, quia pugna stataria non fuit, sed desultoria, nihil usquam segetum maturescit; licèt multa tellure aggresta & fimo comportato situs ille telluris è prato in agrum excreverit, imò si quid in illis plagis, quas calidus sanguis infecit, herbidum luxuriaverit, mense Majo vel circiter, totum exarescit. Fundus autem est Ascanii Zabarellæ viri lectissimi, qui extorsit mihi Inscriptiunculam lingua vernacula, secus viam reponendam aliquando. *Pignorius*.
(K) *MS. Amb.* viribus, *& infra* vires, *pro* jures.
(6) Videtur exprimere quod Italicè dicimus, *ad offesa & à difesa*. Pignorius.
(7) Hinc confirmatur quod de semestri spatio Præturæ superiùs diximus. *Pignorius*.
(l) *In P.* Tum.
(8) Videtur legendum *non pœnituit*. Sed ex sæculi notione abundabit negotio; obaudire enim tunc erat malè audire, & sanè Mussatus hic Ammianum Marcellinum imitatus est, quem etiam in totius operis syntaxi videtur studiosè expressisse. Julianus enim Apostata lib. 22. dictitasse legitur, *Audite me quem Alemanni audierunt & Franci*. Pignorius.
(m) *In R. & P. deest* efficax.
(n) *In R.* abnegare.

„ oculi videre assidentes à Latere quatuor Cardinales Papæ monitu pro viribus obsequentes. Ad hæc, si Franciæ, Apuliæve Reges de Sponsalibus, ut accepimus, non convenere, tractatus si quidem non rejecere. Si enim Regalia quædam petita munera conferre velit eisdem, puta Regi Franciæ Regnum Arelatense, tractumque Rhodani usque in Alemanniæ fines (9); Roberto Apuliæ Regi Tusciæ & Longobardiæ præsidatum, nonne concessus patet ad Urbem limes? Corona nempe conceditur in Urbe (o) summa. Quid si his Rex assentiat, cujus Patrimonii hæc non fuere? cui, ut vim ingenio pellat, fortè ista licuerint, cui etiam resipiscere fas erit sedenti in Suæ fortitudine Majestatis. Non probet Rolandus, o Cives (10), hunc Regem sic dejectum, sic oppressum, ut asseruit, quem Gibolenga Italiæ pars, ut sidus contemplatur, quem intestinæ factiones per Gelfas Urbes clandestinè desiderant. Habetote semper hunc supra verticem metuendum (11), dum spiraverit, dum Regem, Imperatoremque Romanorum vivere noverint nationes. Vultisne justum, efficax, omnique juri, & æquitati consonum vobis adhibere remedium? Ne dicite, Rolandus suadet Regi rebellandum, neve vos verbis rebellantes efficite: laudate rescripta, indultaque Paduanæ Communitati super fluvio Bacchilionis deducendo in vestros alveos; Castra, & bona in Vicentia, & districtu sita, ut mandavit Rex, suscipienda; Regi, ut justo, obediendum omnino. Et quid ex his continget, o Cives? Profectò Canis iste, obstinatique calamitosi Vicentini non obtemperabunt; nam si vobis ablata restituant, quisnam potentiæ vestræ resistet, possidentibus Castra, & fortilitias

A

B

C

„ singularium Paduanorum per Comitatum Vicentiæ sparsa, inque ipsius Urbis sinu vestra erit potentia. Sin autem ista denegata contra Regis jussum fuerint, ad Regem hunc quæstus æquos effundite, declamate, hasque interim, quibus sic fiditis, vires extendite in Sacri Imperii nomine fluvium aperituri, fundos vestros quæsituri. Agite sub juris clypeo, quæ Rolandus fieri suadet sub contemtu Regiæ Majestatis. Et quid refert huic Vicario Imperii, dum eadem sit potentia, idem præsidatus, Potestatis nomen imponere? Quid abolere imagines Aquilarum? Virtuosos astus verbis proponite. Innitamini operibus, non ventosis ostentibus; fovete semper jus, etiam iniquo sub Rege. Jus quippe constans, & immortale; Rex mobilis, mortalisque, ut verni flores decidunt, evanescit. Censeo Regiæ Majestati obsequendum, rescriptis Regiis implendis instandum verbis & opere, ex quibus non modò insecutor iste Canis, hostisque vester propulsatur; sed ipsum Regium judicium, si devium ab jure fuerit, ipsa sua fallibili censura, & iniquitate convincetur. „ Hac oratione nonnulli Civium permoti, præcipuè quibus maturior ætas, quique plus pensi habebant, stetere dubii per sedes circum certantes, hoc consilium non sic repentè capiendum; sed differendum in dies aliquot, dum successus agenda edocerent: At plurimorum clamor Rolandi consilio inhærebat. Dumque ad calculorum scrutinia per pixides ventum esset, à duabus ferè partibus Rolandi consilium approbatum.

RU-

(9) Regnum Arelatense olim portio Romani Imperii fuit, quod indicare satis potest Archi-piscopus Treverensis, qui inscribit se Archi-Cancellarium Regni Arelatensis, ut in Bullæ Caroli IV. cap. 2. & 3. Testantur hoc & Joannes Villanus (Lib. 10. cap. 198. & 225.), qui Philippum Franciæ Regem à Joanne Pontifice titulum expetiisse scribit Regni Arelatensis & Viennensis, filio conferendi: & N. Stero Altahensis in Chronico, quod edidit Freherus; qui sub anno MCCXCIV. hæc habet, *& Adolphus Romanorum Rex, plus favens Regi Angliæ, repetivit à Rege Franciæ Regnum Arelatense, & quasdam alias terras & provincias, quas dicebat esse Imperii*, & cætera: & Ptolomæus Lucensis, qui Steronis verba nobis interpretabitur, qui alias terras & provincias, quas tetigit nobis non explicuit. *Eodem anno* (MCCLXXIII.) *Filius Rodulphi primogenitus intravit terras Comitis Sabaudiæ pro jure Imperiali, & devastavit*: Hermannus Nuenarius, de Origine & sedibus priscorum Francorum, qui hæc retulit ex Procopio; *Idem Auctor Libro tertio scribit, Germanos Galliam debellasse, permissuque Justiniani Cæsaris possidendam accepisse: unde inquit & Arelate nunc habitant*. Sed omnium clarissimè homo Gallus Robertus Gaguinus, qui in Carolo V. ita tradit; *Traditum à Gallis Scriptoribus comperio, Imperatorem quibusdam castellis terræ Delphinatus donasse Delphino: eumque in Arelatensi Regno Imperio Vicarium instituisse; Arelatem enim Regni Burgundorum primariam civitatem & caput fuisse, Imperioque paruisse certum est. Quam, ut Gervasius scribit, Arcam latam prisci appellabant, &c.* Ubi animadvertat Lector Gervasii nomine citari Gervasium Tilleberiensem, quem ex Orci faucibus produxit in luminis auras Mercurius alter Gerardus Joannes Vossius lib. 2. de Historic. Lat. Qui fuit Arelatensis ditionis Marescha lus, & scripsit Originem Burgundionum. Ex quo opere Gaguinus hæc sua illustravit. At satis dictum nobis est de Regno Arelatensi. De tractu Rhodani usque in Alemanniæ fines, quod erat alterum petitionis Regiæ membrum, sic intelligo, ut Rex sui juris fieri vellet Delphinatum, & Sabaudiam, quas tractu dextro, à mari sursum, Rhodanus describit usque ad fontem suum, qui est in Lepontiis, ut notavit Papirius Massonius. Tractum autem Rhodani ea specie dixit Mussatus, qua Joannes Nider lineam Rheni, lib. 1. c. 4. *Pignorius*.

D

(o) *In P.* sumenda, *id legit MS. Amb.*

(10) Videtur commodè posse legi, *nunc probet Rolandus*: & videtur dilucidior oratio. *Ut sidus contemplatur* & hoc Ammiani est lib. 21. *Per alias quoque civitates ut sidus salutare susciperetur*; & lib. 22. *publicas miratus voces multitudinis magnæ, salutare sidus inluxisse eis partibus adclamantis*. Et alias notarunt ad Svetonii Corium viri docti multa copiosè. Hic etiam noster Solem appellavit Henricum, Luminaris nomine, in oratione Legatorum, qui Pisis Genuam advenerant, à Dante fortè mutuatus, qui ad hunc ipsum Henricum ita scripsit, *Verùm quia Sol vester, sive desiderii fervor, hoc sive moveat fama, sive facies veritatis, aut morari jam creditur, aut retrocedere suspicatur, quasi Josue denuo, vel Am... filius imperaret, &c.* Pignorius.

E

(11) Policraticus, (Lib. 4. cap. 1.) *procul dubio magnum quid divinæ virtutis declaratur inesse Principibus, dum homines nutibus eorum colla submittunt*. Principes enim sunt imagines Dei omnia servantis; Jove nati; Jovis alumni; ornatores & pastores populorum; imagines animatæ Dei; homines à Deo secundi, quidquid sunt à Deo consecuti, & solo Deo minores: uti quidem allatis Auctorum insignium locis Lectorem perdocet Balthasar de Vias in Sylvis, in Viretis Regiis; Sylva 9. Principum etenim salus, publica salus est, quos facto, dicto, cogitatione violare est nefas, ut erudite & luculenter ostendit vir maximè solertiæ Janus Gruterus in Discursib. var. ad Tacitum. *Pign.*

Digitized by Google

A

RUBRICA II.

Rebellio eorumdem.

PLebs novarum rerum zelatrix, exauditis ante Senatus digressum vocibus, per summa Prætorii communis fastigia, è muris pictas Aquilas diripuere (12), die tota per vicos discurrentes easdem per singulas Civitatis Portas, ac domos privatorum cum ignominiosis clamoribus abolentes. Deinde omnia cœpta hostilia hinc inde, ignes, populationes, prædæ, rapinæ. & quæcumque furor hostilis administrat. Ex Nobilibus autem Paduanis inter Vicentinorum fines Paduam versùs duo munitas ad resistentiam domos habebant.

B

RUBRICA III.

Motæ expugnatio.

DEmetrius de Comitibus Motam juxta Montem Gardam, & Martinus Canis Camisanum. Motam aggressus Canis Grandis cum Vicentinorum, & Veronensium bellatoribus subductis ad implendas foveas materiis (13), fundibulariisque, ac levis armaturæ peditibus ex segnitie Demetrii indefensam Motam in deditionem accepit, ipso Demetrio capto, pluribusque mercenariis peditibus, quos Paduani ad ejus loci præsidium miserant, cæsis. Inde Camisanum, copias educens instructis bellatorum Ordinibus, ceterisque ad momentaneam oppugnationem utilibus, insultans, viribus, audaciaque Martini de Canibus repulsus cessit, nonnullis ex suis cæsis, pluribus sauciis.

C

NOTÆ AD RUBRICAM II.

(12) Moris fuit Aquilas Augustorum insignia, tunc temporis collocari in locis editis publicè; & privatim per domos eorum, qui Cæsaribus favebant. De locis publicis hæc legimus in vetere Chronico sæpiùs citato, nomine Manipuli Florum; *Marcas Auri pro jam sibi suisque præcessoribus denegato tributo recepit: Aquilas Imperiales super altissimum Campanile Ecclesiæ majoris erigi jussit*. Loquitur autem de Friderico Ænobarbo: qui Mediolanensibus fictè reconciliatus fuerat, de privata verò Aquilarum pictura narrat Georgius Merula initio Libri 8. Antiquitatum Vice-Comitum, VValramum fratrem Henrici, quòd a fratris mansuetudine & clementia longè abesset, hospitem Laudensem, quòd in ejus domo, ipso planè inscio, Aquilæ collo appictæ parieti laqueus carbone adjectus fuisset, pronunciasse suspendii reum, & eò adegisse, ut necem quingentis aureis redimeret. Corius verò mulctatum asserit Jacobum Ardeatem quinquaginta florenis, quòd eo loci, ubi olim Aquila in illius ædibus visebatur, nescio quis furcam & suspendiosum carbone, nihil conscio hero, notasset. *Pignor.*

D

NOTÆ AD RUBRICAM III.

(13) Rescriberem, *adductis*, vel quid simile. *Villanus.*

E

NOTÆ AD RUBRICAM IV.

(14) Meliùs, *unde*, pro, *ubi*. Et paulò post, pro, *redimebantur*, substituo, *redimebant*. Villanus.

(15) Usurpat hoc verbum Auctor non rarò pro suburbiis. Et inflectebant Grammatici tunc temporis hoc appendicium, cii. Uti quidem indicat Joannes de Janua in verbo appendix, qui declarat fuisse mansiunculam, quæ magnæ domui adhæret, scilicet quæ appenditur parieti, non habens tectum divisum in duo latera. Satis graphicè; nostri Rustici appellant *Sozonta*, quasi Sejunctam. *Pignorius.*

RUBRICA IV.

Munitio Montis Gardæ per Canem Grandem.

HIs diebus Montis Gardæ apicem propugnaculis, valloque cinxit, ubi (14) & ad agro Paduanorum depopulandos militum alam dimisit. Horum in hac specula stantium aggressuræ usque in Urbis appendiciis (15) tum rapinis tum & occisionibus, tum incendiis infestabant nonnullos, & raptos in Castellum trahebant, qui se se ære constituto, prout torti, flagellatique offerebant, redimebantur. Incendiis quoque inter utrasque Civitates ex procurrentibus hinc inde latronibus, mercenariisque militibus nullus modus, aut finis, dum ab Urbibus stadiis ferme quinque nulla tecta restarent Inquilinis ad ipsas Urbes profugientibus.

RUBRICA V.

Depopulatio Agrorum Veronensium.

PAduani Vicentinorum exurendis finibus non contenti, instructis militum aciebus è Castro Montagnanæ prodeuntes cum Vinciguerra (a) Comite, quem Montagnanæ, ut bellum hostibus inferret, præfecerant, per Colonias Veronensium, ædes cunctaque solo superposita concremavere, Villas Sancti Zenonis, Minerbium, Pressianam, aliaque cis Alphonem usque ad Lignagii portum (16), ipsumque portum Lignagii uno superstite palatio, quod pontem protegebat. Sicque in Padua omnis bellorum, armorumque tumultus; in Vicentia omnis generis calamitas. ipsum scilicet dominium acerbissimum. Ex diffidentia namque Gelforum Ci-

NOTÆ AD RUBRICAM V.

(a) *In P.* Comite Veronense, *ita & MS. Amb.*

(16) Hodie *S. Zenon*, *Menerbe*, *Persana*, *Alpon*, *Porto & Legnago*. Menerbe est Minervia apud Domnizonem lib. 2. Vitæ Mathildis.

Hac & in æstate capitur Minervia sanè
Hancque fame cepit, nonnullis denique telis.

Et alibi

Nam postquam magna fuit arx Minervia capta,
Tempore Rex hyemis Athesis trans flumen abivit.

Alphon fluvius est, qui montibus Vicentinis ortum suum debet: non longè ab ea regione, quæ fert lapides scissiles, quorum crustæ referunt Piscium variorum, Plantarum, & Florum ectypas figuras, quæ sanè lapidi nigro fossili Eislebiano, celebri illi & naturæ lusibus memorando, nihil habent quod invideant.

Portus & Legnagii, qui nunc solo Legnagii nomine censetur, meminit Rolandinus nostras, (Lib. 3. cap. 4.) *motus est Paduanus exercitus, & Carrocium Paduanum; & discursurus absque ullo obstaculo per Veronensem districtum, congregavit primò gentem suam, & guarnimentum magnificè, vir strenuus, Dominus Stephanus Badoarius, Paduana Potestas egregia, in loco, ubi dicitur Tricontay: exinde gloriosè procedens in manu potenti & brachio excelso, ivit ad Portum & Legnagum. Tricontai* vox vernacula sunt Tres Comitatus, ut me docuit Domnizo, qui hæc habet in capitis Rubrica (Lib. 2. cap. 6.): *Item de eodem Rege, & eadem Domina Mathilde, & de bello militum Comitissæ cum Rege, apud tres Comitatus*, & in ipso capite sexto. *Iste quidem pagus vocitatur tres Comitatus.*

At Legnagum (si quem hoc etiam scire delectat) pontem Alimianum vocat Jovius in Elogio Joannis Cottæ Vatum recentiorum politissimi. Tres autem Comitatus ex ratione pago nomen dedere, qua alibi Tres Turres, Tres Tabernæ, Tres villæ, nunc *Treville*, Tres Basilicæ, hodie *Tribaseleghe*, aliisque locis Tricrena, Trifanum, Tricastrum, Trimontium, &c. *Pignorius.*

Digitized by Google

Civium, quos Canis suspectos habebat, timor tremorque cunctos invaserat, dum & sic intumescentibus rerum conditionibus hoc contigit memorabile.

RUBRICA VI.

Conflictus Vicentinorum apud Quartesolum.

PAduani Vicentinos, quòd parùm prudenter statum immutassent, in pœnitentiam addactos existimantes ex conjecturis nonnullis, erexere præsumtus, ut si mœnibus Civitatis potenter sub militum populique frequentia proximi fierent, pristinumque statum, seu acceptabilius cum sodalitii mansuetudine pollicerentur, datâ veniâ de commissis, suæ tam patenti forsan calamitati consulerent, & per spontaneam irruptionem discusso jugo se se, Urbemque traderent. Hac spe igitur allecti directis agminibus per directum callem Vicentiam versùs perrexere usque ad Pontem Quartesoli, unde Ticina defluit; ibique post obsistentiam Bitifredi (17) supra pontem eminentis remorati, non patente aditu in dextrum amnis latus in agrum proximum vexilla reduxere supra ejusdem fluvii decursum; deliberatoque Primorum consilio, Cursorum manipulum ad explorandum, si qui extra Civitatem promovissent, cum passuum tribus millibus à mœniis distarent, transmisere per arctissimum, declivemque vadum. Hi transilientes, scilicet ex exteris Beltramus Gulielmi, Bernardus Cerviani Cathelanorum ductores cum paucis ex suis; Ex Paduanis Martinus Canis, Sublimanus de Rubeis, Johannes Cavalerius de Canibus, Jacobus de Tergula, cum quibus & Bonincontrus de Bravis ex Vicentinis exulibus, peragrato amne ad mille passuum tractum in pago, qui Quartisolus vocatur, Vicentinorum militiam ex adverso venientem sub vexillis Imperii, Communitatisque Vicentiæ, & cum Scalarum insigniis videre, duæ siquidem erant acies, prima ejus ordinis, quem feritorum vocant (18), ad numerum centum quinquaginta; reliqua amplioris tercentum ferè passibus distante. Cursores hi, quorum supra mentionem fecimus, Paduanæ Potestatis injussu, & extra ordinem ad imparem congressum venere, veluti præcipites, & clamore utrinque sublato prœlium iniere. Tunc res gladiis acta est. Vicentini, qui in prima acie consistebant, sive quia Paduanorum copias eximias adventare, ibique præsto adesse arbitrarentur, timore perculsi; seu belli eventu sic fortè ferente, terga vertere. Tunc ibi strages eorum in suos collidentium fuit, quo in conflictu pæne omnes cecidere; altera majore cohorte in fugam versa. Ex occisis occubuere Vanni Comes de Bagnacavallo, Canis Vexillifer, qui Regium vexillum, Aquilamque gestabat, Masius de Scanabicis Scalarum Lator, & ex stipendiariis socii plurimi (19). Ex Vicentinis Corradus de Vivario, Trivixolus (a) de Trivixolis, Gherardus de Protis filius Bugamantis, Hieronymus de Monte-bello, Nicolaus de Luicis, Montorius Mascarelli, Petrus de Mora Notarius: E captis (b) . . . . . filius Marchabruni de Vivario (nam, & pater in conflictu stratus in proximi nemoris latebras perfugit, inermisque fortunæ subsidio Vicentiam saucius tamdem se proripuit) (c) Guidonus Nantor, & alii ad numerum viginti. Canis autem Grandis hanc cladem evenisse suspicatus ex factione Gelforum Vicentinorum, clausis portis captos multos quæstionibus subjecit, plerosque securi percussit, nonnullos suspendiis damnavit, pluribus vinctis pœnas adjecit æris in capitales recasuras, ut si intra certam diem non solverint, moriendum esset eis. Contumaces omnes, qui se fuga subtraxere, bonis publicatis hostes Imperii judicavit. Hæcque omnia mense Aprilis acta Domini Nostri Jesu Christi sub annis XII. millesimo trecentesimo.

RUBRICA VII.

Exitium Marosticæ.

HIsque eisdem diebus Paduani exercitum generalem cum omni expeditione Marosticam duxere, ibique circumsidentes Burgum expugnavere, Pagum scilicet totum cum omni subsistentia, & occisis, captisque terrigenis, ablatis substantiis ædes omnes incendio consumsere, arcem (a) expugnare experti per biduum, quam, ne impensæ ob residentiam longiorem victoriam supererant, invictam reliquere. Dumque sic positis castris operam darent, missâ interim militiâ per Vicentinorum rura, Tienas, Breccantium, Maxonem, Sclavonem, planiciem, & quæcumque inde per valles habitacula montibus adjacebant, perque ipsorum montium juga igne populationibusque diripuere. Illo itaque expedito, exustoque calle, qui ad emigrandum de Bassiano per Vicentinos agros Paduanis patebat, incensis Castris Paduam rediere. Nam Bassianenses Castrum Angrani auctore Marsilio Polafrixana, qui ibi pro Paduanis Potestas præerat, expugnaverant, occiso, captoque Vicentinorum præsidio.

RUBRICA VIII.

Depopulatio Agrorum Paduanorum per Canem Grandem.

VErùm dum apud Marosticam hæc agerentur, Canis Grandis cum Vicentinorum, Veronensiumque cohortibus per directum callem in Paduanas Villas aggressum fecit, exussitque Arlesicæ reliquias, Rubanum, & Mestrinum, (20) perterritis admodum Paduanis, qui Urbis

---

NOTÆ AD RUBRICAM VI.

(17) *Bitifredum*, seu *Bilfredum*, seu *Battifreddum* ut Ethrusci amarunt dicere, Gallicum est *Beffroy*, quod Turrim & speculam significat. Videndus Rolandinus lib. 1. cap. 3. & lib. 6. cap. 6. *Pignorius*.

(18) Feritores gerebant vexillum quadratum *il Pennone*, ut placet Vincentio Borghinio; & legitur apud Villanum lib. 7. & lib. 9. cap. 70. Vexilla Regia, seu Imperii cum Aquila (nobis *Bandiere*) ductabant cæteras turmas. *Pignorius*.

(19) Stipendiarios vocant Scriptores vernaculi *Provisionatos*. At ævo Mussati stipendiarii videntur fuisse qui ære conducti militabant. Joannes de Balbis, in verbo stipendium; *Propriè quidem stipendium dicitur, quod datur militibus soldariis pro pretio*. Pignorius.

(a) *Jo. Baptista Pajarinus MS. In Chronicis Vicentinis lib. 1. ad An. 1312. pag. 42.* Trivixolum *hunc cognominat* de Repetis.

(b) *Lacunam hanc sic supple ex Jo. Baptista Pajarino supra laudato* Albertus, *quem tamen casum ait fuisse, non captum.*

(c) *Reticetur hic à Pajarino.*

NOTÆ AD RUBRICAM VII.

(a) *In V.* expugnavere.

NOTÆ AD RUBRICAM VIII.

(20) Hic ordo topographiæ videtur claudicare, cùm Tabulæ nostrates inter Arlesicam & Rubanum collocent Mestrinum. *Pignorius*.

Digitized by Google

bis custodiæ erant, excurrente fama, ut ad ipsas Urbis portas procursurus fuisset. Post hæc idem Canis populo, militiaque & stipendiariis cum Mantuanorum subsidio de Veronensium finibus velox exiens, Burgum Montagnanæ totum cum appendiciis circa Castrum flammis, prædaque consumsit defenso Castro per Riciardum natum Vinciguerræ Comitis Veronensis, ad cujus insultus occursum Paduana militia procurrens, aucto in Castro eodem præsidio, ad Este se contulit, ubi stipendiarios dimittens, Nicolao de Lucio Noventam Vicentinorum Coloniam diripiendam deputavit, Paduamque remeavit. Nicolaus in diem sequentem, antequam illucesceret, evocatis Pedevendæ Colonis (21) cum stipendiariis retentis, Noventam, impetu in eam facto, in deditionem recepit, exustam, dirutamque relinquens. Canis Grandis Paduanorum molem perferre non valens, ad Guarnerium de Ocmborc Longobardiæ Præsidem confestim nuntios direxit, ut se adjuvet cum Imperialibus copiis ex singulis Civitatibus Longobardorum Regi (*) Romanorum obsequentium.

RUBRICA IX.

Exercitus Guarnerii Præsidis in Agros Paduanorum.

ISque Guarnerius velociter cum cohorte Regia, & contribuentium Civitatum novem numero subsidiis Vicentiam se contulit, ubi oneratis vehiculis cum apparatibus ad hostilia opportunis in campos, qui Monti Gardæ adjacent, apud Motam stativas posuit, celeriterque instructis, centuriatisque aciebus in Paduanum districtum populabundus exiit, & Villas Rovoloni, & Covoni cremavit, & in castris pernoctans per dimidiam & unam diem his confectis incendiis abscessit. Canis his exutus copiis (nam & urgentibus Longobardiæ Gelforum bellis sua quisque ad loca profectus est) diffisusque viribus suis arcem Montis Gardæ, ex qua Paduani abscessuri erant (a) singulis paratis ad id machinis, & tormentis exustam in derelictum omisit.

RUBRICA X.

Exercitus Paduanorum in Agros Vicentinorum.

PAduani accersitis sibi Viris Illustribus Francisco Marchione Estense concive suo, ac Veceli de Camino Dominatore Tervisii, Feltri, & Belluni (is enim præfato Riciardo fratri per eosdem pæne dies per (a) ignotum ruralem virum agresti harpe (22) nequiter interfecto successerat, antiquamque cum Paduanis societatem inierat) exercitu generali in campos Vicentinorum recto itinere prodiere, apud pontem Quartisoli, cujus mentio superiùs habita est, castra ponentes, instructis itidem peditum Ordinibus cum subsequentibus militum aciebus, præmissis etiam, qui sata, vineta, & frutices vastarent (23), cuncta, quæ solo eminebant æquantibus usque in Urbis appendiciis vallum inexpugnabile cum fovea latissima, quæ suburbiorum ædes cingebat, Lanceariis, fundibulariisque ac munimentis circum (b) operti constituere. Speculati itaque præmissi Proceres è Paduanis Tiso de Campo Sancti Petri, Nicolaus de Lucio, Jacobus de Carraria, Pantaleo de Buzzacarinis, & Albertinus Mussatus plebejus: E Tarvisinis Rambaldus Comes de Collealto, Biaquinus, & Tolbertus de Camino, Odoricus de Cuchania, relatione de his oculis subjectis prænuntiata Gherardo de Henzola Paduano Potestati, ac præfatis Francisco Marchioni Estensi, & Veceli, expugnationi nequaquam insistendum decrevere, loco natura, manuque fortissimo, cùm & cœcum certamen, & inhabile tantis cohortibus foret (Canis enim intra mœnia cum (c) octigentis ferè hastatis militibus, peditum millibus circiter quatuor erat Urbis tuitioni subsistens) versis denuo aciebus in castra rediere. Ibi ferè triduò percunctati, quibusnam viis hostibus damno, exitioque esse potuerint, nequaquam proficientes, castra dimovere.

RUBRICA XI.

Duplex prœlium apud Longare.

ANte quem digressum contigit, ut dum multi Ruralium cum ligonibus, & securibus pro agris hostium pervastandis ad Pontem de Longare usque pervenissent, cum palantibus ex juvenibus Paduanis plerisque in equis lucri causa discurrentibus ad id loci, ex impræmeditato proposito ad pontem concursum foret, inermis turbæ clamore, & in Bitifredum, qui primæ custodiæ præerat, insultu facto perventum, intrinsecis sive astu, sive improvisis nil contra certantibus, reclamante tamen Benaduxio Parmensi, uno scilicet ex Potestatis Paduæ Collatera-

(21) *Et ecce quidam in apparentia satis descretus homo retulit, quòd nocte præterita, per Castra de Pedevenda ubicumque erant, visus est ignis per merlos Castrorum ardere diu, &c.* Pedevendæ igitur Coloni erant milites rusticani è collibus Euganeis evocati, & ad hanc nominis formationem composuerunt nostri Pedemontem, quæ fuit olim ditis Eccelini, ut habet Rolandinus lib. 3. cap. 8. ubi recensentur terræ, castra, & confinia Pedemontis. Ab eadem originatione est Pede-montium Ducatus Sabaudiæ. *Pignorius.*

(*) *In V.* Romano.

NOTÆ AD RUBRICAM IX.

(a) *In P.* singulis paratis machinis.

NOTÆ AD RUBRICAM X.

(a) *In P.* incognitum.

(22) Joannes de Janua in verbo *Arpax*, ita hæc illustrat: *Arpe enim græcè rapere, & est instrumentum Orci* (Plutonem intelligit) *Ferreus uncinus dictus, quia arripiat quod in puteum cadit secundùm Papiam.* Hunc uncinum etiam nostri appellant *Rampicone*. Et sanè accedit ad figuram Harpes, quæ fuit Persei gestamen, ut videre est in Arateis Grotianis pag. 41. & in Notis 53. At germanam Harpen, quam intelligit hic Auctor nostrates Rustici vocant *Ronchetto*. De facto autem hujusmodi necis narrat Bartholomæus Burchelatus Physicus Tarvisinus & Philologus scriptis editis clarissimus, & amicus noster, lib. 4. Commentarior. memorabilium, Ricciardum anno MCCCXII. ob patratum indecens facinus, à conjuratis cum latrunculis luderet, rustici percutientis manu, cæsum fuisse, indignum hoc facinus aperiunt Georgius Pilorius lib. 4. Historiæ Bellunensis, & Joannes Bonifacius V. Clarissimus: sollicitatam videlicet uxorem viri Nobilis Altenerii de Azonibus. *Pignorius.*

(23) Noluit dicere, *præmissis vastatoribus*. Quod sanè Rolandino religioni non fuit, lib. 10. cap. 5. *Ergo die Mercurii penultimo Mensis Augusti, in supradicto anno Domini* MCCLVI. *Movit militiam suam totam, movit etiam magnam peditum quantitatem, præmisit Balisterios, & VValdanam, omnesque Guastatores cum illis.* Pignorius.

(b) *In P.* circum opertum. (c) *In P.* septingentis.

Digitized by Google

teralibus, qui vastandi, ac depopulandi officio præerat, ut resilirent, factumque temerarium non insequerentur; hic tamen frustra, diuque non exauditus in ancipiti fortuna cum ceteris, qui in equis erant, ad pontem accessit turma stipatus. Tuncque extemplo ex interioribus foribus irrupit militum, acies in priores pedites, ac rurales ruinam educens, ibique percussorum, ac in se se collidentium strages, quorum pars in flumen demersa, in qua & ipse Benaduxius. Ex equitibus Paduanis, qui Ponti superstabant, occidit Trondus de Capitevaccæ sive demersus, sive confossus. Capti Bartholomæus à Palatio Veronensis exul, Johannes Antonii de Andrea, cæteris in fugam versis; Delato itaque ad Paduanum exercitum novo, Gherardus de Henzola Potestas confestim in suffragium Beltramum Gulielmum (24), Lanceam de Opicengis Pisanum, cum stipendiariis illico transmisit, quos & effrenes Paduanorum juvenes ultro subsecuti, fugatos fugantesque obvios cum clamore invenere, quorum pars magna Paduanorum præfatorum immixta fugantibus, Scalam vivere cum victoribus conclamabant, ut errore personarum frustrati victores ab occisione desisterent. Incursu itaque Beltrami, & ceterorum fortunâ mutatâ, Veronensium acies continuò retroversa est, quorum terga cedentes Paduani, & Beltramus præfatus, ac Lancea stragem fecere. Cæsi ibi Matthæus Miles Lucensis cum aureis militiæ insignibus, Panceta de Rovolone natus olim Bartholomæi de (a) Schinellis ex nobilibus Paduanis exulibus (b) *filius Cauliveti Militis præsumtus*, aliique quamplures. Hi quippe (c) de intimis Canis consociis erant, ceterique in equis circiter XXV. peditum magnum numerum flumen absorpsit. Indesistentes Beltramus, & socii victores in ipsas Pontis valvas cæsis tergis illos insecuti sunt. Paduanus exercitus nihil ex Procerum arbitratu apud Quartisolum proficiens, ex indirecto viam arripuit, cuncta pervastans, & ad Villam Longare cis flumen Bacchilionis stetit, metatoribus castrorum (d) sic disponentibus. In oppositum, ut prædiximus, ripæ crepido erat, ubi trans ipsum flumen in Paduanorum injuriam Vicentini decursum ex assueto alveo diverterant, ubi & ligneas Turres ex fluminis adverso in ipso obtusionis ore cum propugnaculis firmaverant munitissimis, ad quem locum, & celer Canis cum omni armatorum manu, solo Vicentiæ relicto præsidio, convolavit. Dispositisque per propugnacula pro loci tutela præsidiis, & ipse cum militia solers opportunitates supplebat. Itemque amne Bacchilionis aditum prorsus exercitui denegante secessit, infra exercitus ex Castenerii opposito stativis positis. Quem subsequutus Canis cum copiis contra stetit, omnes adducens bellorum apparatus, salvis locorum præsidiis; ibidemque paulatim hæsit Paduanorum instinctus quicquam potiundæ ulterioris ripæ existimantium; sed (e) pontibus altisque ad superandos hostes propugnaculis, quæ Bitifredos dicunt, erectis, Canis ulteriorem ripam interrupit, & alveum, qui viam à campis adjacentibus distinguebat, aqua ejusdem fluminis replevit, quò naufragior receptus, Paduanos præcipites ageret; sicque vana peragrandi spe Paduanos amovit.

RUBRICA XII.

Munitio Montis Gardæ per Paduanos.

HI multùm, diuque hæsitantes, quid nam hoc in casu agendum instaret, depopulato omni terrestri fœtu à parte, quæ Orientem respicit, ab ipsis Vicentiæ Mœniis quantum Bacchilio non præcingit, & ab ipso Bacchilione usque in agros Paduanos, nil videre (magis) agibile, quàm Castrum Montis Gardæ reficere, præsidioque munire equestri, pedestrique in tutelam finium Paduanorum, molestiam & depopulationem Vicentini districtus usque in ipsius Civitatis portas, vel præcipuè à Ticina fluvio versùs fines Paduanos; sicque consilio inito apud ipsum Montem Castra posuere, ipsumque Castrum erexere fortissimum præsidiis munientes.

RUBRICA XIII.

Varii concursus inter Paduanos, Veronenses, & Vicentinos.

VErùm ne interea segniter tempus tererent, milites mercenarios cum Ducibus eorum, & maximè Cathelanis, Bernardo scilicet Cerviani, & cohorte Beltrami Gulielmi tum fortè ægrotantis, ac Lancea de Opicengis Pisano, & (a) Burgarutio de Sartiglano cum numero CCL. vel circiter direxere ad Septemtrionale Civitatis Vicentiæ latus. Qui per Camisanum, & Villam Quinti transeuntes, in cetera Pedis montium Colonias aggressum fecere. Ex quibus prædas abduxere rerum mobilium, animalium, ac virorum in funes existimationis eximiæ. Fuere viri captati LXXX. numero, Bassianumque iter divertentes, ibi se se collocavere, ubi relictis prædis remeabant. Contigit dum Canis (25) è Civitate Vicentiæ cum militibus ferme CC. cursoribus dimissis ad Castrum Camisani, qui raptas de pascuis equas adducebant, supervenientes Bernardus Lancea, & Burgarutius illos insecuti fuere per millia passuum ferè duo sinè ordine discurrentes, quos Bernardus inermis se tertio antecedebat cum sola lancea, & clypeo, qui improvisus, & ignarus itineris in gentes Ca-

(24) Beltramus Gulielmi fuit Cathelanorum ductor, ut paulò superius asseruit Auctor. Lancea de Opicengis videtur fuisse exul Pisanus: tum quia militabat Gelfis: tum quia narrat Ptolemæus Lucensis, anno MCCXCIII. Comitem Guidonem de Montefeltro, Pisarum dominum, Calcinariam proditione cepisse ex negligentia Opizingorum. Accedit Joannes Villanus, cap. 120. qui lib. 7. asserit Ubizingos Pisanos, post Comitem Ugolinum carceri mancipatum, cum aliis nobilibus Gelfis fuisse Pisis ejectos. *Pignorius*.

(a) *In R.* Schiellis.

(b) *Habentur hæc in P. cum nota supra posita vacat.*

(c) *In P.* ex intimis.

(d) *In V.* scilicet.

(e) *In R. & P. si.*

NOTÆ AD RUBRICAM XIII.

(a) *In P.* Bulgarutio.

(25) Hæc periodus inconnexa, & manca cuipiam, ut credo, videbitur, eam sic fortasse quis restituerit. *Contingit, ut dum Canis è civitate Vicentiæ cum militibus ferè CC. exisset, cursoribus dimissis ad Castrum Camisani, qui raptas de pascuis equas adducebant, supervenientes Bernardus Lancea, & Burgarutius illos insecuti fuerint* &c. Neque longè ab his, *paucis se per vallum irrepientibus*, scribendum, *paucis per vallum irrepentibus*. Et statim, pro, *tranatibus*, corrige, *tranantibus*. Et deinde, pro, *ex quaque familiæ*, repone, *ex quaque familia*, & paulò inferius rub. XIV. pro, *expositurí*, exigit ratio, ut scribatur, *expositurum*, seu *expositurus*. Villanus.

Digitized by Google

Canis incidit continuò confossus. Dumque Lancea, & Burgarutius (26) subsequentes in eamdem necem ruituri fuissent, detentâ equorum hinnitibus militum Canis assistentiâ, fugam arripuere, insigniis, quæ ferebant, hostium impulsu derelictis. Remansere itaque insignia victoribus Vicentiam relata. Duobus sociis Bernardi Cathelanis occisis, ceteri ad exercitum se contulere. Insuper viri nobiles Biaquinus de Camino cum Tarvisinis Proceribus suasione Vinciguerræ Comitis Veronensis, ductu Nicolai de Lucio, cui & patebant viarum aditus, noctu è castris clandestinè progredientes cum hastatis militibus ferè quadringentis per vias abditas Montagnanam se contulere, ibique epulati, cum peditibus quingentis in agros Veronenses exivere, & versùs Colognæ Castrum se in locis opertis ponentes divisim, ut eis vicissitudines appetebant, quò magis Oppidanos ad egrediendum elicerent, cursores præmisere. Improvisi Oppidani in equis L. pedites CCC. vel circa exeuntes ad agros versùs præmissos se exposuere. Cùmque ab Oppido tanto (b) elongassent meatu, ut retrocessus iis difficilis foret. Biaquinus & Vinciguerra Comes cum cohorte majori detectis vexillis in illos concursum fecere pari clamore. Circumventi Veronenses, negato fugæ remedio, in quam partem abirent ignari, gladiis objecti ferè omnes cecidere, multis tamen usque in Oppidi foveas gurgitibus assumtis, paucis se per vallum irrepientibus. Ex equitibus tamen XXV. numero periere, capti, cæsique (c) ceteris per fugam fluentum tranatibus. Captorum numerus circiter centenus inter victores divisus. Postera autem die prælibati Nobiles in Castrum (d) cum quatuor advectis Scalarum insigniis advenere. His confectis Paduanus exercitus munito præsidiis Castro Montis Gardæ Paduam se contulit Anno Domini nostri Jesu Christi XII. MCCC. III. Kal. Julii. Hoc in exercitu Paduano fuisse constat ex conscriptis Civibus Paduanis equites mille ducentos; hastatos verò ex Nobilium, locupletumque comitivis septingentos, scutiferos sexcentos, equas (e) ruralium, quas (f) Bertolatas Longobardi vocant, circiter mille, mercenarios milites CCC. peditum conscriptorum ex Urbe, suburbiisque quinque millia quadringentos. Ex coloniis sex millia nongentos, omissis tamen in Urbe, municipiisque Præsidiis, uno quoque solo ex quaque familia dumtaxat, sive milite seu pedite in exercitum adacto, Currus oneratos cum bubulcis duplicibus tribus millibus ducentis. Cum Veceli Tarvisino venere in equis viri mille, (g) *quos inter nobilium, locupletumque* quadringenti, hastatorum sociorum ducenti, ceteri scutiferi. Equæ ruralium hastatorum LXX. pedites cum lanceis summæ longitudinis sexcenti (h). Currus onerati trecenti. Franciscus Estensis, & Anconitanus Marchio septuaginta in equis habuit, quos inter lanceatos quinquaginta, pedites centum, balistas cum tormentis miræ grossitudinis duodecim.

RUBRICA XIV.

Mors Tisonis de Campo Sancti Petri.

POst hujus exercitus digressum in Paduana Civitate Marchiæ Tarvisinæ flos, & supremum decus Tiso de Campo Sancti Petri natus olim Magni Tisonis (27) morbo dysenterico correptus diem obiit, II. scilicet Non. Julii, cujus funus Paduani tanto mœrore, tantoque luctu prosecuti sunt, ac si ipsa Respublica vidua, omnique consistendi spe destituta fuisset. Verùm post exequias refocillata (a) conspectu Nepotis jam ferè adulti, cui Gulielmus nomen erat (28), antiquum paternæ domus, uxorisque Tisonis ejusdem jam maturæ prægnanti, allecti spe, Oratorum præconiis animos erexere.

Longobardiæ autem motiones, quæ ob nostri Regis momenta obtigere, seriosiùs expositurì, incussas Civitates, ac loca, resque per eam gestas ante Cæsaris saltus ad Urbem pertingere non pigeat, indulgeatque paulisper Cæsarea Majestas contemporaneis sic ferentibus rerum successibus, nos veluti per mediterraneas aquas cymbam nostram dirigere, quò sublimioribus velis Tyrrheni maris procellas fortioribus impulsibus percurramus (29). Longobardiam siquidem Moderni accipiunt (b) sicut ab Oriente Montes Gallicorum (30), seu interjacentes Alpibus Regiones distinguunt (c), ut Sabaudia, Fortiniacum, Gebenna, & eis terræ contiguæ, quarum incolæ olim Allobroges vocabantur; Ab

(26) Scribo; *Bernardus, Lancea, & Borgarutius*; & infra, *detecta equorum hinnitibus*, non *detenta*. Pignorius.
(b) *Cod. Est.* se elongassent.
(c) *In V.* ceteris per fluentum fugam tranantibus.
(d) *MS. Amb.* Castra.
(e) *In R.* ruralium hastatorum.
(f) *In P.* Bertolotas.
(g) *In P.* supra has dictiones appositum est verbum, *vacat*.
(h) *Cod. Est.* longitudinis, cum arpibus sexcenti. *MS. Amb.* longitudinis sexcenti, cur arpibus sexcenti.

NOTÆ AD RUBRICAM XIV.

(27) Hæc omnia Bernardinus Scardeonius transtulit ad Tisonem Novellum lib. 3. class. 13. pag. 291. parum pensiculatè: & ratione temporum insuper habita. *Pignorius*.
(a) *Cod. Est.* refocillati.
(28) Rolandinus lib. 2. cap. 9. meminit Gulielmi senioris, & Scardeonius tres ejusdem nominis recenset. *Pignorius*.
(29) Amabant tunc temporis scriptores conatus suos aptare hujuscemodi artis nauticæ translatis. Rolandinus Mussato antiquior, in ipso statim Prologo; *ut me qui parva navicula vectus, lacum tantæ profunditatis quasi præsumptuosus ingredior, faciat in sequentibus periculorum transire procellas, & ad portum salutis absque naufragio devenire*. Joannes Boccaccius vir amœnissimi ingenii totos ferè quindecim Libros de Genealogiis Deorum non aliter exorsus est. Dantes ipse politissimo carmine auspicaturus 2. Cantic.

Per correr miglior acqua alza le Vele
Homai la navicella del mio ingegno,
Che lascia retr' a se mar sì crudele.

Benedictus Cæsenas in Libello de Honore mulierum,

Vedi Madonna che'l mio Legno à porto
D'alta letitia spiega le sue vele.
Fuggo la notte oscura e'l camin torto.

Et Antiquiores passim Poetæ præsertim. *Pignorius*.
(b) *In V.* sicut ab Occidente.
In R. sic ab Oriente.
Fortè sic ut ab Oriente.
(30) Mendosus locus, quod & vidit oculatissimus Scholiastes. Sed levi negotio fortasse illum emendaveris, si dixeris, *Lombardiam siquidem moderni accipiunt sic, ut ab Oriente montes Gallicorum, seu inter jacentes Alpibus regiones distinguant* &c. Posterior autem locus cujus initium, *Is namque ambitus* &c. corrigi quidem posset, sed à vulgata lectione nimis fortè recedendum foret. Quare crisim hanc potiori Aristarcho relinquimus. *Villanus*.
(c) *MS. Amb.* distringunt.

Digitized by Google

(d) Ab Occidente Mare Adriaticum, seu Venetiarum. Ab Austro Alpes Lunæ, quæ ab Janua in Bononiæ fines exclusivè juga protendunt. Ab Aquilone Tridentinæ, Aquilegiensesque oræ. (e) Is namque ambitus duas olim veluti Regiones Æmiliam scilicet, & Liguriam nostra posteritas nuncupabat; quamquam & antiquorum assertionibus ab Atice, qui Veronam dividit, Tarvisina Marchia suum per se nomen obtinuerit. At hodiernis (f) ubique per Italiam vulgaribus Marchia illa agnomine Longobardorum includitur.

(d) *In V.* A mare Adriaticum.
(e) *Locus mendosus.*

(f) *In R.* utique.

Albertini Mussati Paduani de gestis Henrici VII. Cæsaris explicit Liber Sextus.

ALBER-

Digitized by Google

ALBERTINI MUSSATI
DE GESTIS
HENRICI VII. CÆSARIS
LIBER SEPTIMUS.

RUBRICA PRIMA.

Dissensio inter Principem Achajæ, & Optimates Longobardiæ.

PHilippus Lacedæmoniæ Princeps in discessu è Longobardia (1) Cæsaris, instantia de se fidentium Philipponi Comitis de Langusco Papiensis, Simonis de Columbiano (a) Vercellensis, & Gulielmoti Bruxàdi Novariensis Vicariatus Papiæ, Vercellarum, ac Novariæ à Rege petiit, ac obtinuit, dato ære Cameræ Regiæ trium & viginti millium florenorum pro earum Civitatum contributione, provisioneque debita ad coronationis progressum, præfatis Philippone, Simone, ac Gulielmoto tantumdem æs in dies certos Principi jam dicto restitutos (2) despondentibus. Hoc Princeps proposito Civitates easdem gubernandas susceperat, ut nominatis Optimatibus earumdem favores impenderet. Ipsi namque titulo Vicariatus servato Principi, honorificentiaque præstita, populis præerant, & pro libitu, ut ante Cæsaris adventum, dominatus

NOTÆ AD RUBRICAM I.

(a) *Cod. Est.* Colubiano.

(1) Longobardiam siquidem Moderni accipiunt. Joannes de Balbis. *A modus dicitur modernus, idest istius temporis*. Videtur legendum à modo. *Sicut ab Oriente montes Gallicorum*. Librarius videtur invertisse situm plagarum Cœli, ut etiam in ora Libri monuit Cl. Qsius. *Sabaudia, Fortiniacum, Gebena*. Sabaudia per se nota est, de Gebena dictum supra. Fortiniacum videtur esse *Foucigny*, seu *le pays de Foucigny* apud Paradinum in Chronico Sabaudico, cap. 4. 10. 25. lib. 1. Pingonio Foucigniacum, in Indiculo Provinciarum Sabaudicarum. *Ab Oriente mare Adriaticum, seu Venetiarum*. Ea fuit dignitas inclytæ, & nunquam satis laudatæ Urbium Urbis, ut mare, quod antea Hadriaticum appellavit Antiquitas universa, Mussati ætate Venetum appellaretur, ut ex Johanne Boccaccio Lib. de Maribus, discimus, ringente licèt, factumque improbè calumniante. *Ab Austro alpes Lunæ, quæ ab Janua in Bononiæ fines exclusivè juga protendunt*. Alpes Lunæ vocat hic noster Apenninum: cujus rei testem advoco Rutilium Numatianum in Itinerario, ubi Ligurum Etruriæque meminit. lib. 11.

Excubiis Latiis prætexuit Apenninum,
Claustraque montanis vix adeunda viris.
Invidiam timuit Natura, parumque putavit
Arctois Alpes opposuisse minis.

Quem eumdem elegantissimis versibus Urbem Lunæ celebrantem, illustrabat pluribus amicus olim noster Josephus Castalio piæ, & recolendæ memoriæ; cujus eruditionem æquè ac ingenuitatem septem gemini colles adhuc suspirant. Lunam verò, cùm hæc perscriberet Mussatus, dirutam fuisse testatur Joannes de Balbis, in V. Luna. Cæterùm videtur Mussatus Apennino Alpium nomen indisse, quia hisce est ad Vada Sabbatia annexus, ut testatur accuratissimæ diligentiæ vir Philippus Cluverius Introduct. Georg. lib. 3. cap. 32. *Ab Aquilone Tridentinæ, Aquilegiensesque oræ*. Has Alpes, seu potiùs earum aditus graphicè descripsit Joannes Jacobus Conturbius Mediolanensis Libello vernaculo. *Is namque ambitus duas olim veluti regiones Æmiliam scilicet & Liguriam nostra posteritas nuncupabit*. Hæc verba neque ipsa fortè sanitas poterit sanare: non ideo tamen disperandum, sed audendum potiùs aliquid, veluti si legamus; *Id namque ambitus duas olim veluti regiones Æmiliam scilicet & Liguriam nostra posteritas nuncupabit*. Scio equidem conscriptas fuisse ab hoc nostro Historias non Vaticinia. Verùm cùm ille videret sive à consuetudine, sive à scriptoribus hanc denominationem invalescere, eam fortè sententiam animo complexus est, ut & posteri hoc approbarent. Certum illud est Mussato scribente immutatam fuisse ferè omnem antiquorum rationem, qua Italicas Provincias distinxerant, & testatur difertis verbis Cluverius Italiæ antiquæ lib. 1. Exemplo sit Guntherus lib. 11. de Italia scribens.

Æmiliæ primam fama cognovimus urbem,
Quæ velut ex Aquila, cunctarum Rege volucrum,
Nomina clara trahens, Aquileja ritè vocatur.
Metropolin Ligurum dicunt, sedemq; supremam.
Quam Mediolanum Ligus incola nominat urbem:
Sive quod in media quadam tellure, medulla
Omnibus ingenuis acerrima rebus abundat,
Seu quod ab invento trahit ista vocabula Porco,
Linea qui medio portabat vellera tergo,
At quam præcipuo Venetus colit ordine sedem
Nomine non alio quàm tellus ipsa vocatur:
Urbs opulenta nimis, quamvis circumsonet illam
Pontus & Hadriacis ingressus fluctibus agger,
Elisso modicam concesserit æquore sedem.

Hactenus Guntherus, qui scripsit res gestas Friderici primi, multò antiquioris Mussato ipso. *Quamquam & antiquorum assertionibus, ab Atice, qui Veronam dividit, Tarvisina Marchia suum per se nomen obtinuerit*. Hæc etiam Auctoris nostri sunt, quæ illustrantur è Cluveriano lib. 1. Ital. antiq. cap. 17. Aticem vocant politiores Athesin. Mussatus autem secutus est consuetudinem ævi, quo scribebat; à qua legimus in vetere Sigillo Urbis Patavinæ, Muso, Mons, Atex. Pontem Atacis scripsit Rolandinus lib. 3. cap. 4. Notitia Urbium m. s. apud me hæc tradit de Athesi; *hanc præterea urbem præterfluit fluvius Athesis nomine, secundùm quod dicit Papias, licèt aliqui eum Athacen vocent, dicentes illum esse de quo meminit Lucanus, alii dicunt Athacem esse Ticinum, sed Papias dicit, quòd Atbax est fluvius inter Laudunum & Remos juxta Rhenum. Atbesis verò Veronæ est fluvius.*

Hæc autem in Papia, quem edidit Boninus Mombritius non comparent: ut perinde credam pervenisse ad nos non Papiam integrum, sed Papiæ epitomen; quam tamen si quis emacularet, ut Vir clarissimus & ad illustrationem veterum Auctorum natus Gaspar Barthius, multis in locis & admodum feliciter fecit, maximo bono rei Litterariæ faceret. Est enim Auctor recondita doctrina refertus, & qui multa habet aliis Lexicographis omnino indicta, pergit Mussatus. *At hodiernis ubique per Italiam vulgaribus Marchia illa agnomine Longobardorum includitur*. Vulgaria hic sunt Dialecti, & Idiomata Italica quæ appel-

tus obtinebant. Dumque in dies tempus procederet, egresso è Pisis Cæsare ad Urbem passim properante, Philipponus Comes, Simon, & Gulielmotus, seu ex insolentia ob remotum Cæsarem ausus extollentes, seu fortè populorum impotentia, quos affecerat instans annua sterilitas, Principi desponsum æs restituere differebant frustratoriis pollicitationibus, nec ipsi Principi rerum familiarium facultas ad ordines satellitum, quibus opus erat, retinendos suppetebat. Nausea, seu dedignatio ex his magnanimo increvit Principi, dum se, quem dominantibus præpositum, extollendumque condignè existimabat, parvipendi cerneret, ab his præsertim, quos oppressos, abjectosque sustulerat. Ad hæc Maphæus Vicecomes Mediolani Vicarius, quem amara odia adversùs præfatos agitabant, Principem stimulabat, quos & facilè suis refellendos astutiis, ac prorsus nequitiis posse suggerebat. Tandem invaluisse credita sunt ipsius Maphæi continuata susurria. Ipse namque Princeps veluti fraudem fraude vindicaturus, dum Turinum sponsalium cum Delphini filia contrahendorum causa profecturus esset, Ricciardinum Philipponi de Languscо primogenitum, & Simonem de Columbiano (b) secum ducens, vinctos detinuit, adjiciens, illos, nisi ære soluto, in sui vel parentis potestate futuros, cum pœnarum etiam adjectione, & debito interesse. Simon de Columbiano paucis dierum intermediis se se, ut Principi libuit, soluto auro redemit. Ricciardino interim in vinculis remorante, Maphæus Vicecomes in adversariorum studia pervigil has, quæ inter Principem, & præfatos simultates serpsisse præsenserat, sibi profutura inspiciens, accitis sibi Montisferrati, & Salutiarum Marchionibus, exercitum in agros Papiæ ad Lomelinam terram feracissimam (3), dum præmatura sata jam messes exposcerent, præposito Galaaz primogenito suo direxit. Hi agros, Coloniasque cum satis, & vinetis vastantes, ac depopulantes Castella quæque indefensa diripuere. Quibus & Mortara Castrum à præsidio, (c) quem Princeps Lacedæmoniæ in illo tenuerat, ultimo redditum est, circumpositisque ante (d) Gaarlatum Castrum fortissimum Nativis, præsidium, quod pro Philippono Comite in ejusdem custodia præerat, fame affectum ad dictum Galaaz defecit. Philipponus autem Comes cum Papiensibus, Astensibus, Alexandrinis, ac Regis Apuliæ Roberti Senescalco, qui Albæ præerat, in Lomelinam frustra, seroque contra egredientes copias circa Gaarlatum (e) recuperandum eduxere. Nam Galaaz cum suis potitus jam illo, actisque populationibus, inexpectato congressu redierat. Sed castris sic metatis contingit, ut Alexandrini instantis annuæ sterilitatis famæ pæne consumti, ex impotentia ulterioris residentiæ, castris incensis, exercitum omisso Gaarlato redire coëgerint.

RUBRICA II.

Mors Gulielmi Cavalcabò apud Suncinum.

INtra autem Longobardiæ viscera in Civitatibus hac tempestate variæ partes, hinc Gelfa, (a) hinc Gibolenga decertabant bellis assiduis. (b) Guido de Corrigia, Guido della Turre, Gulielmus (c) Cavalcabò cum Gelfis sequacibus factione Venturini, & aliorum de Suncino cum equitatu, ac peditibus Suncinum perrexere, castroque dedentibus indigenis potiti sunt, Rebellibus, qui parti Gibolengæ adhærebant, occisis, arce dumtaxat excepta, (d) cujus deditione vitas pacisci volentes intrinseci, admissi non fuere. Pro hujus ergo arcis expugnatione Gulielmus Cavalcabò insistens, pro peditibus CC. Cremonam misit. Dumque ii pedites præsto Suncinum proficiscerentur, in Guarnerii de Ocmborc Lombardiæ Præsidem in occursum arcis Suncini cum militiis Mediolani, Pergami, & cohorte Regia venientem incidere, à quibus (e) cæsi, fusique sunt. Gulielmus autem

lamus. Rolandinus in Prologo; *nam fortè non erit inutile, vel delectabile minus aliquibus, & præcipuè Literatis id quod de Modernorum injuriis & laboribus scriptum per Latinum invenient, quàm quod de Gestis nobilium Antiquorum audiunt per vulgare.*

Joannes Villanus lib. 9. cap. 135. cùm recenseret Dantis Aligerii scripta, & præsertim aureum Libellum de vulgari Eloquentia, hæc notavit; *che riproca tutti i volgari d'Italia.* Ibi enim omnes Italicæ dialecti ad examen revocantur, & profectò, cùm hæc proderet Mussatus, loqui vulgariter fuit Italicè loqui, Literaliter loqui non nisi de Latino sermone accipiebatur. Abstinebo ab Auctoribus congerendis. Unus mihi sufficiet Antonius de Tempo Judex & Civis Paduanus, in Summa Artis Rithmici vulgaris dictaminis, scripta anno 1332. ad illustrem Principem Albertum de la Scala: cujus operis duo sunt apud me Volumina manuscripta multo auctiora, quàm illud quod Venetiis olim prodiit, typis Simonis de Luere 1509. Hic igitur Auctor in Anteloquiis sic habet, *nam dictaminum Literalium secundùm Rhetoricum tria sunt genera, quorum materias ad præsens literaliter tractare non expedit, quia per Grammaticos & Rhetoricos satis tractatum est. Sed quia de vulgaribus est rithmis dicendum, primò quærendum est quid sit rithmus. Ad hoc literaliter dic, quòd rithmus secundùm Grammaticos &c.* Et hæc satis de hoc Auctoris nostri implexo & obscuro loco, in quo præpostera illa *posteritas* vix patitur, ut aliquid inde sani eliciamus, nisi per posteritatem ipse intellexerit majores & ante se natos, quod seu per incuriam scribentis, seu per ævi barbariem potuit fortasse accidisse. *Pignorius.*

(2) *Corrige* restituturos. *Villanus, & ita Cod. Est. & Ambros.*
(b) *Cod. Est.* Colubiano.
(3) Laumellinæ nomine, situ, feracitate latè egerunt Bernardus Saccus Ticinensis Historiæ lib. 4. cap. 3. 4. 5. & deinceps. Maphæus autem eo consilio in Lomelinam duxit, ut Philippono Languscо ægrè faceret, qui hæreditario jure jam inde à Patre Ricardo, Comes fuit Lumelli. Indicium hujusce rei mihi fecerunt carmina sepulchralia Comitis Ricardi, quæ attulit Antonius Maria Spelta in Historia Ticinensi Italicè scripta; cùm de Guidone Languscо Episcopo Philipponi fratre pertractaret ea sunt

Eximium locus iste virum, speculumque virorum
Claudit is hinc locus est specimen speciale locorum.
Languschi dominus fuit iste, Comesque Lumelli
Quem non attingit præsentis forma libelli;
Italiæ regionis bonor, Comes iste Ricardus,
Cardo fuit Comitum, redolens quasi cœlica Nardus.

&c. Quod & Sigonius animadvertit anno 1277. in Libris de R. Italiæ.

Et hinc discimus Riccardinum Philipponi de Languscо primogenitum, Ricardi avi paterni nomen retulisse. Quod sanè nominis ad Gentis prima initia trahit quem citavimus Spelta, quem videre ne pigeat. *Pignorius.*

(c) *Pro* quod.
(d) *In V.* Guarlacum.
(e) *Cod. Est.* Gaarlacum.

NOTÆ AD RUBRICAM II.

(a) *In P.* hincque.
(b) *Cod. Est. & Amb.* Guibertus.
(c) *Cod. Est.* Guilielmus.
(d) *In V.* cujus vitas pacisci.
(e) *Cod. Est.* quibus continuò cæsi.

Digitized by Google

tem Cavalcabò, nuntiata suorum clade, confestim copias suas in campos adversùs Guarnerium eduxit, ubi & prœlium anceps (f) exstitit. Denuo Gulielmus (g) equo, quem confederat, stratus occiso (4), in alterum prosiliens, signo dato, versa acie in Suncinum se contulit. Ingredientem Oppidani, qui in arce erant, erumpentes insultavere, Guarnerio cum suis mixtim in Castrum introëunte, & terga cædente. Circumventus igitur Gulielmus iterum confosso equo corruens cum magna suorum strage capitur, & ad Præsidem Guarnerium adducitur. Præses illo agnito, & de nomine, quod ab eodem quæsierat, certior factus, non inquit, ulterius in bove, vel equo equitabis, & demtâ galeâ, cum clava, quam gestabat, caput ejus confregit, illumque necavit, cæsis ibi ex Gulielmi hastatis militibus circiter L. captis LX. Ex peditibus cæsi CC. capti C. ceteri fugientes Cremonam advenere. Tum Cremonenses magnus pavor invasit, per Urbem totam luctus, ac mœror. Vixque se Urbe continere in spem retinuerant. Mediolani verò, & ubicumque Gibolenga pars per Longobardiæ Civitates præerat, exultatio.

RUBRICA III.

Fanonis de Drisimo Vicarii Laudensis privatio (a).

LAudensem Civitatem dum Fano de Drisimo Imperii Sacri pro Romanorum Principe vices agens regeret, factione partis de Summariva, ac præcipuè Antonii de Fisiratico, res novas moliebatur, ut Visterinam scilicet partem, quæ Gibolenga ab antiquo fuerat, Urbe pelleret, ac (b) Guidone (5) de Corrigia, & Guidone della Turre, ceterisque Gelfis adhæreret. Sic compertum inquisitione Guarnerii Præsidis apparuit, Fanone præfato per ipsum Præsidem in vinculis conjecto, & data Visterinæ parti Civitatis Laudi potestate, dispersis, ac oppressis omnibus Summarivis.

(f) *In R. & P.* constitit.
(g) *Iidem* equo conscedebat stratus.
(4) Legam, *demum Gulielmus equo quem confederat stratus occiso*, nisi quis pro *considerat*, malit *conscenderat*. Cæterùm infelix Gulielmi eventus indicat Guarnerii barbariem, qui Henrici auctoritatem sævis & tyrannicis moribus imminutum ibat. Nostrates enim tunc temporis sævitiem ferre haud amabant. Guntherus sanè hæc cecinit de tota gente

Libertatis amans, pro qua nec tristia rerum
Damna, nec extremam solet exhorrescere mortem:
Nec Regis, dominive jugo cervice volenti
Subdita ----

Otto Frisingensis (lib. 2. de Gest. Frid.) addit & ipse, magnoperè libertatem affectare Longobardiæ accolas. *Pignorius*.

NOTÆ AD RUBRICAM III.

(a) *In epitomatis*, Privatio Vicariatus Laudi.
(b) *Cod. Est.* Guiberto de Corrigia, & Guidoni.
(5) Pro *Guidone*, corrige bis, *Guidoni*. Villanus.

NOTÆ AD RUBRICAM IV.

(a) *In P.* Sancti Joannis.
(6) Dixi alias, debere scribi *Regienses*, non *Reginos*, cùm de Regio Lepidi fit mentio. Item, *Pergamum*, esse civitatem Asiæ, *Bergomum* Italiæ. Quare hac in rub. & in sequenti videntur hæ voces corrigendæ, & si quando alias occurrent. Quod mihi satis fuerit hucusque annotasse. *Villanus*.

RUBRICA IV.

Placentiæ commotio.

PLacentiæ Potestatem in Longobardiæ discessu Civibus Gibolengis Rex ipse tradiderat, Alberto Scoto non admisso, qui statim Castro (a) Arquadi, & Florenzolæ potitus, bellum Civitati movit, tamdemque ultimò receptus introivit. At Guido de Corrigia, & Guido della Turre cum Cremonensium, Brixiensium, ac Parmensium, & Reginorum exulum (6) cohortibus Placentiam coëquitantes, Gelfos sibi præordinata factione prævisos in Civitatem posuere.

RUBRICA V.

Pergamensium in fide Cæsaris perseveratio (a).

PErgami Civitas Bailardino de Nogarolis Veronense Vicario pro Romanorum Rege Gelfis exclusis per idem tempus (b) cum Maphæo Vicecomite, ac Mediolanensibus, Veronensibus, ceterisque Imperii fidelibus perseverans stetit.

RUBRICA VI.

Defectio Astensium à Cæsare ad Robertum Regem Apuliæ.

AStenses à Cæsare, pulso Imperii Vicario factione Primatum Gelforum, ad Regem Robertum, seu ejus Marescalcum, qui Albæ præerat, defecere. Divisi igitur Longobardi, partium accensi furoribus, quibus poterant bellorum studiis, alternisque prœliis, ferro, & igni sibi, populisque acerbè adversabantur. Cæsaris quidem partes agebant Turinum, Novaria, Vercellæ Philippo de Sabaudia Principe Achajæ Vicario, Mediolanum, Pergamum, Cumæ, Brixia, Verona, Vicentia, Mantua, Mutina (a), Laudum, Placentia. At contra in fidem partis Gelfæ, quam Sanctæ Ecclesiæ nuncupabant (7), Alba,

NOTÆ AD RUBRICAM V.

(a) *In epitomatis*, Pergamensium perseveratio in Cæsaris fidelitate.
(b) *MS. Amb. addit* in amicitia.

NOTÆ AD RUBRICAM VI.

(a) *In MS. Amb. non legitur* Mutina.
(7) Ita nuncupat Jo. Villanus centies & ampliùs: & nominibus Imperii, & Ecclesiæ nihil frequentius apud hujus seculi Scriptores. Noster Auctor Libro Secundo, in Oratione Henrici Cæsaris; *bi Imperii, illi Ecclesiæ vocaminibus invidiosa induere nomina, quibus hæc suggessit Lucifer ille qui cecidit*. Et Vincentius Carrarius lib. 2. Historiæ Rubriorum, ex Paulo Castrense asserit, in Statutis Capitanei Populi & Communis Florentiæ, partem Gelfam vocare partem sanctam, quæ tamen nomenclatura noluerunt carere & illi qui alteri parti favebant. Quod vel unus testabitur Dantes (Parad. Cant. 17.)

E'l primo tuo refugio, e'l primo hostello
Sarà la cortesia del gran Lombardo,
Che'n su la scala porta il santo uccello.

Sanctam Avem appellat Aquilam ab ea mente, qua Rolandinus, Mussatus ipse, ceterique omnes Synchroni Scriptores, Sacrum Imperium omnibus versibus, omnibus paginis inculcant. Apud eosdem ipse Imperator sacer audiebat, Franciscus Petrarca (Familiar. lib. 12. epist. 7. ex editione 1. Chalasii) scribens Carolo IV. Imperatori; *Nam si omnis justus amor proximi sacer est, ille profectò multò dignus habet hoc nomen quo Romanus princeps amatur, verè Christus domini, verè sacer*. Pignorius.

Digitized by Google

Alba, Aſt, Alexandria, Papia, Parma, Rhegium, Cremona, Padua, Tarviſium.

RUBRICA VII.

Mutinenſium Gibolengorum clades.

FRanciſco autem della Mirandula Mutinæ Vicarium gerente pulſis Gelfæ partis valentioribus, qui per municipia hoſtes adjudicati, bellum Civitati incurſionibus aſſiduis inferebant (8). Bononienſes partis ejuſdem Gelfæ inſtinctibus, exulibus Mutinenſibus peropportunis ſuffragiis opitulabantur. Illi autem iis freti ſubſidiis, agros Mutinenſium uſque in ipſius Urbis appendicias vaſtabant, depopulabanturque. Sicque Civitas pæne obſeſſa fame ac inedia ſic afficiebatur, ut exilium civilitate tolerabilius foret. His in anguſtiis contigit, ut dum prælibati exules cum Bononienſium ſubſidiariis militibus ad Bajoariam exurendam, pagum ſcilicet ab oppido duorum ferè millium paſſuum diſtantem, concurrerent, ac prædâ raptâ ædes concremarent, Franciſcus Imperii Vicarius cum nobilibus, ac militia, & mercenariis militibus, qui & Mutinæ præſidio erant, eductis copiis in illos fecere impetum (9), & congredientium utrinque pugna atrox duarum ferè horarum ſpatio commiſſa eſt. Fortuna, ac belli eventu, cujus finem mortales ignorant, exulibus victoriam parientibus terga dedere intrinſeci. Illico & Franciſcus captus cum ſuorum ſtrage, occiſique hi viri inſignes, Prendiparte Vicarii filius, (a) Thomaxinus de Gorzano, Johannes, & Ubertus de Fredo, Nicolaus (b) de Alcardis, Johannes Zacagnus, aliique ex populo, plebeque Mutinenſi ferme centum quinquaginta: capti circiter centum: Ceteri mœnia repetentes magno diſcrimine ſuſcepti ſunt. Et acta ſunt hæc Anno Domini noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo trecenteſimo duodecimo, VIII. Idus Julii. Nec intrinſecis pavori modus, per fora, plateas, & vicos diſcurrentium mulierum ululatus, puerorum vagitus, ſuſpirantium ſeniorum tremores, ut vix argumenta defendendæ Urbis, vireſque ad claudendas portas ſuppeterent, dum & denuo tranſmiſſis ad Canem Grandem Veronæ, ac Paſſarinum Mantuæ Vicarios viciniores, denique & ad Maphæum Mediolani Vicarium, ceteroſque Imperio faventes literis, ut ſe naufragos adjuvent, ſe languentibus viribus, vixque deſperatis continuere. Victores ad Caſtrum Saxioli cum præda, & captivis regredientes, ſigna militaria, vexillumque Regium ad victoriæ ſpectaculum Bononiam tranſmiſere, ſubjicientes, nunc potiundæ Urbis Mutinæ tempus habile inſtare, ſi quidem properè Bononienſes cum copiis circum mœnia percurrant. Illi nulla mora cum militum centuriis, peditumque ordinibus ſarcinas advehentes ſupra Mutinæ foveas inſtructis aciebus, poſitiſque ſtativis cum machinis, & omni tormentorum genere, ad oppugnationem ſe ſe coaptavere. Ex adverſo impiger Canis, & Paſſarinus de Bonacoſis cum Veronenſium, & Mantuanorum, ac ſtipendiariorum cohortibus ad tuitionem amicorum Imperii ſe Mutinam contulere. Paduani verò nuntiata Mutinenſium clade cum Militum ala, & magna peditum ſequela pro Cane revocando Montagnanam feſtinantes, in agros Veronenſium populabundi exivere, cuncta ferro, ignique vaſtantes, exuſtis, ac vi Colognæ vicis Caſtro adjacentibus captis, cum præda Paduam rediere.

RUBRICA VIII.

Contumelioſa contentio inter Præſidem Longobardiæ, & Principem Achajæ.

PErque idem tempus ex conventu Vercellis exiſtentibus Guarnerio de Ocmbor Longobardiæ Præſide, Marchionibus Montisferrati, Balatrono Maphæi Vicecomitis filio (10), aliiſque compluribus pro Imperii agendis opportunis, accidit, ut lis ſubitò inter ipſos oborta ſcandalum pareret. Philippo namque Achajæ Principi Caſtrum cum Baſilica Sanctæ Mariæ, quod in ipſo Urbis ſinu poſitum eſt, Præſes poſtulavit, magnificentius, ac congruentius fore aſſerens pro Imperii Majeſtate, ut idem, qui Provinciæ Præſes erat, in præſtantiori, eminentiorique loco conſederet. At contra Princeps, qui illud idem obtinebat, ſe ejuſdem Imperii in ipſa Urbe Vicarium, privatamque poteſtatem habere allegabat, adjiciens, quòd & ad tempus ipſum Vicariatum dato Imperatori magno ære coëmerat, ſuique eſſe juris ad tempus exemto, (11) & indulto. Succreſcentibus itaque verbis excandeſcens Præſes arma conclamavit, inque Principem excurrens in equo conſiſtentem manu ad cervicem ſuperjecta unà cum equo ſummo impetu versùs Tizonum palatia trahebat invitum, ubi & ipſe in munitionibus (a) condeſcenderat. At ex Principis militibus aſſiſtens unus Aymo de Aſperomonte, arrepto pugione, Præſidem petiit, inque ejus latus vulnus magna vi intulit, quo tardatus, occupatuſque vulnere Præſes Principem dimiſit. Immixti igitur Francis Germani, manus invicem immiſcuere, Præſide tandem ſaucio in proximas Tizonum ædes cedente. Princeps nactus in manu dextra vulnus ad Advocatorum Palatia profugus conceſſit. In Platea quoque plures ex gente Principis occubuere. Continuò itaque inteſtinè in novam diſ-

NOTÆ AD RUBRICAM VII.

(8) Poſt, *inferebant*, diſpungendus videtur punctus. Nam ſuperiora videntur conſtituere colon, non periodum. Et poſt, *exulibus*, abradenda omnis diſtinctio. *Villanus*.

(9) Scribendum videtur, *fecerint impetum*, ne ſit ἀναχολουθον. Villanus.

(a) *In P.* Thomas.

(b) *In P.* de Adelardis, *ita & Amb.*

NOTÆ AD RUBRICAM VIII.

(10) Certatum videtur tunc temporis inter noſtros utri magis incondita & barbara nomina imponerent. Turriani Cuſionum, Vice Comites Balatronum, alii Butironum, nonnulli Bardeſionum adamarunt, Balatrones ſanè noti carmine Horatiano erant quiſquiliæ, & bullæ, & feces. At indulgeamus & hoc Italiæ noſtræ, & clariſſimarum Gentium magnis ſpiritibus, per quos factum eſt, ut hiſce nominibus tantum dignitatis conciliaretur, ut regia & pæne auguſta cenſerentur, & eſſent. Verùm Vicecomites Scriptori noſtro hoc nominis debebunt, veluti & alia multa hujuſmodi Italiæ reliqua. *Pignorius*.

(11) Commodè legetur, *exempto*.

Manu ad cervicem ſuperjecta unum cum equo &c. Servius ad illa lib. 11. Æn.

Direptumque ab equo dextra complectitur hoſtem,
Et gremium ante ſuum multa vi concitus auferr.

Ita ſcribit, *hoc de hiſtoria tractum eſt, nam Cajus Cæſar cùm dimicaret in Gallia, & ab hoſte raptus equo ejus portaretur armatus, occurrit quidam ex hoſtibus, qui eum noſſet, & inſultans ait Cæſar Cæſar (alii legunt Ceſſe ò Cæſar) quod Gallorum lingua dimitte ſignificat: & ita factum eſt ut dimitteretur, &c.* Citantur autem hæc ex Ephemeride ipſius Cæſaris. *Pignor.*

(a) *In V.* conſcenderat, *lege* conſederat.

Digitized by Google

dissensionem accitæ Imperatoris partes, novas res exorsæ sunt, recollectis hinc inde in Vercellis undecumque viribus, accersitis & (ut perlatum est) Philippono cum Papiensibus, aliisque Longobardis ejusdem ligæ in socias partes adversùs Præsidem, (b) Maphæoque Vicecomite cum suis, & Imperii fidelibus Præsidi adhærentibus. Ingentes igitur in Vercellis simultates, causæque scandali in hoc rerum procinctu exortæ sunt. Ad hanc judicandam contumeliam fratrem Lugdunensem Archiepiscopum, Guidonem Dalfinum Levirum, ac Dominum de Pulchro Lido Princeps adscivit. Occurrit & sponte Sabaudiæ Comitissa Magni Amei Comitis uxor: ubi convenientes ob Majestatis Imperatoriæ contemplationem de pace propensiùs actum est. (c) Arbitrationibus itaque ad conditiones redactis, stabilitum est, ut Vercellarum Vicariatu, plenoque dominio Principi reservato uterque inde abscedat. Decem octo ex Tizonum Primatibus, ac duodecim ex Advocatis ab Vercellis abeuntibus mandatis Imperii parituris. Tizonibus Præses, Advocatis Princeps confinium loca ad libitum constituerent, sicque Turinum Princeps, Laudum Præses contendit.

RUBRICA IX.

Captio Vercellarum per Philipponum Comitem de Languſco.

REbus Vercellarum sic se habentibus, Philipponus (a) hac allectus, lætusque desidia, Tizonum diminutas ex conditionibus vires prævidens, cum Papiensibus, ceterisque amicis Longobardis maturavit iter, utcumque potuit, Vercellas, eductis illò copiis, susceptusque ab Episcopo Vercellensi Simone de Columbiano (b), ejusque sequacibus intra mœnia in partem Tizonum irruit, & multa cæde, prædaque Civitatem invasit, palatia, munitionesque illorum demoliens, & in Advocatorum, suamque, & suorum partem cuncta disposuit Anno Jesu Christi Domini Nostri Millesimo trecentesimo duodecimo, mense Julii.

RUBRICA X.

Deletio Bericæ facta per Paduanos cum Bacchilionis aperitione, & captione Pojanæ.

TArvisina interim Marchia, & præcipuè Paduana Civitas, instantis Canis Grandis offensa insecutionibus, nec non & retentæ Bacchilionis aquæ ad communis vitæ commodum intolerantia, ipsa impellente necessitate in hostes sævire propensiùs impellebatur. Paucis inde diebus dum inutiliter, frustraque fluminis transgressum tentasset, ut prænonstratum est, tamdem una dierum circa (a) Augusti Kalendas nonnullis illius (b) profluvii exploratoribus edocentibus incustoditum Pontem, qui Narto præest, Villæ scilicet, quæ ad collem montis Bericæ dependet, refici posse, repente Paduana militia, populusque per noctis tenebras adductis tabulis, omnique trabium apparatu in ripa Bacchilionis rutilante Aurora constitit, nulloque tumultu veteris Pontis affixis ad fundum aquæ pilonibus trabes adjacere, deinde tabulis superpositis in ulteriorem ripam egressi sunt. Tunc clamore tubarum, multaque exultatione Vicentiam versùs patente itinere direxere acies, omnesque populares ordines, dum ceteris Coloniis post terga omissis, ac illæsis ad Villam, quæ Longare dicitur, accederent, ubi munitissimum Castrum erat, quod supra obicem obstrusæ aquæ Vicentini construxerant; sed illud à præsidiis desertum profugis ad montana invenere. Hoc itaque occupato, cursoribus præmissis totus processit exercitus usque ad Pagum, qui Longare dicitur, qui passuum ferme duobus millibus à Civitate distabat, signis collatis. Subsistensque (c) itidem militia præstolata cursores non ultra progressa est, jam poscente recreandorum equorum hominumque hora ab æstu laboreque defessorum, dum jam septima diei pars præteriisset (d) præeunte nocte tota in vigilia peracta. Cursoribus autem advenientibus, qui ad speculandum, si qui motus ab Urbe apparuissent, præmissi fuerant, qui quidem è gente Canis quinquaginta ferme in equis, (e) obvii eis occurrerant, partim fuderant, partim captos adducebant, posuere bipartita Castra. Stipendiarii siquidem in Longare, Paduani in Custoza se locavere. Continuò à Potestate ex Senatus consulto edictum, promulgatumque est, ut Vicentinis cum Paduanis societas, constansque amicitia tantummodo volentibus concessa, permissaque sit cum omni offensarum indulgentia: Tyranno tamen Cane omni exuto Dominatu, abstinereque interim in biduum omni injuria, ac (f) depopulatione; sed hujus edicti tenorem non admittentibus Vicentinis, seu contemtibus, seu potiùs ademtæ sibi libertatis obstantiis, ad omnia incendiorum, depopulationumque damna discursum est. Captis miserrimis Ruralibus (proh causarum, malorumque inexpertibus) qui montis totius Colonias incolebant, olivis, palmitibusque cæsis, cunctisque ædibus incendio consumtis, & ut nominandas (g) in memoria Villas, quas septem, & viginti fuisse constat, unicum indicet posteritati compendium, totum quicquid ædium terræ subsistentium Mons, quem Bericam vocant, à primo meridiei colle, ubi Oriani primæ Villæ nomen est, usque ad Civitatis (h) suburbia ab utroque montis latere cum angulo incluso, quem Vallem (i) Granconem nominabant, ignis assumsit, devectis inde suppellectilium, omnisque generis utensilibus Paduam per manus publicas, & privatas. Et ne notabilem eventum conscriptio digna prætereat, in Custozæ vico orificium montis est, latissimusque in concavo saxo cuneus, hinc per trivia, inde per quadrivia meatus educens, ubi & inexpertis irremeabiles latebræ. Cujus cunei latitudo passuum mille capax est.

Ex hocque æterni (K) *efflant cum frigore venti.*

Locum hunc si continuatæ per Colonos ab antiquo famæ credamus, Romani in metallum damnati

(b) *Melius* Maphæo Vicecomite, sine que.
(c) *In V.* Arbitrationibus ad conditiones &c.

NOTÆ AD RUBRICAM IX.

(a) *Cod. Est. & Amb.* Philipponus Comes.
(b) *Cod. Est.* Colubiano.

NOTÆ AD RUBRICAM X.

(a) *Cod. Amb.* circa X.

(b) *Cod. Est.* fluminis.
(c) *In P.* identidem.
(d) *In V.* prætereunte nocte itaque.
(e) *Pro* qui obvii.
(f) *In P.* populatione.
(g) *In V.* in memoriam.
(h) *MS. Amb. addit* Vicentiæ.
(i) *In P.* Grancone.
(K) *Melius* perflant.

Digitized by Google

nati fodere (12). Unde ex Custoditorum itidem vocabulo *Custozam* in hunc diem vocant, quasi *Custodiam* dicant. Sed, o anxius, o inexpletus rei familiaris mortalibus amor! In hunc tam terribilem, tenebrosumque inclusi locum plurimi incolarum cum multis rerum suarum sarcinis, omnisque ætatis, & sexus familiis hac tutela confisi sunt. Strue namque lignorum in orificio adacta cum sarmentis, igne, stuppa, & aquæ respersione, cujus copiam naturalis (l) fons in eo loci administrabat. Fumorum tum densitatem evomebant inclusi venti, ut accedere volentibus extrinsecis prorsus intolerabilis esset accessus. Hujus facti admiratione stupefacti Paduani vix per triduum excogitantes quidnam remedii ad hos educendos reperiri posset, tamdem à prudentioribus cautum est, ut ex cæmento, lateribusque solida confecta pariete os Cavernæ hujus obstrueretur, idque effectum est. Extemplo respirantibus (m) ventis, exclusoque aëre destillans desuper humiditas cum frigore humana afficiebat corpora ex vitalium elementorum carentia, sicque vitas magnis rogavere clamoribus, deditique sunt. Consummatis his postremò, & Bacchilionis flumen ad solitum alveum convertere novo dirupto opere, Castro, munimentisque à Vicentinis multo labore antea constructis. Hoc eodem exercitu per montana Alontia pro Coloniis exurendis coambulante in terra Leonici fumus conspectus est, ac si Villa ipsa conflagraret, Leonicum signa vertêre, insultum cum clamore facientes. Ex intrinsecis Oppidanis nonnulli, qui partes Comitis Sancti Bonifacii agebant, exhortati in eamdem Villam ignem injecere, ut terrore concussi, qui præsidio Arcis erant, ipsam dederent Paduanis. Tunc ingens ultro citroque clamor exortus rem in discrimine posuit. (n) Intra Arcem quidem Canis Grandis jussu, Leonicensibus suspectis, Veronenses dumtaxat inclusi erant ad loci tutelam;

(12) Nos olim Commentarium nostrum de servorum ministeriis hæc eadem Annotatione insignivimus, cùm nondum Historias Mussati vidissemus, & sanè locus etiam ipse apud bonos Auctores Custodiæ nomine significatur. At Lapidicinas hisce prorsus similes notaverunt & alii; veluti Jodocus Sincerus in Itinerario Gallico, & Papyrius Massonius, (Pag. 70. 116. 118.) in descriptione Franciæ per flumina, in Curantono: cujus verba hic subjungimus, ob loci ingenium Custodiæ Vicetinæ persimile.

Sub qua spatiosæ cellæ visuntur ingressu stricto, nec quicquam in iis potest videri, nisi funalia, aut laternas, aut paleas accensas præferri jusseris, intus autem spectantur variæ imagines seu figuræ, aut hominum, aut ferarum, aut vestium, aut columnarum, aliarumque rerum, quas magna voluptate, atque delectatione animi, qui præsentes sunt, aspiciunt, cùm subterranea loca illa ingrediuntur. Labyrinthus etiam ipse, quem Creticum appellant, nihil aliud est, quam Lapidicina; uti observat, & describit Petrus Bellonius Observation. lib. 1. cap. 6. ut proinde falsus fuerit Petrus Martyr ab Angleria, (Lib. 11. Legat. Babyl.) qui Labyrinthum appellat. Verùm exactam Custodiæ delineationem si quis requirat, sumat in manus Epistolam Johannis Georgii Trissini viri suæ ætatis doctissimi, quæ extat apud Leandrum Albertum. At fumus, qui nostros olim arcuit ab ingressu Speluncæ, fecit ut isthæc latibula avorum nostrorum memoria minus essent tuta, anno videlicet MDX. Germanis agrum Vicetinum diripientibus; uti narrant Andreas Mocenicus Leonardi filius lib. 3. Belli Cameracensis; qui Latomias appellat: Petrus Bembus lib. 10. patriæ Historiæ, qui Concamerationem, antiquitus effodiendis ad ædificationes lapidibus factam: Petrus Justinianus lib. 11. qui Cavernas & Specus: Franciscus Guicciardinus libro 9. qui Criptam vocat, nunc Cubalum appellamus voce Latina barbara originis Germanicæ, cujus meminit & Facius Ubertus. (Lib. 3. cap. 3.)

La maggior novità, che li si pone
Se è a vedere el Covol de Costogia
La dove el Vin si conserva & ripone.

Quod etiam hodie fit æstivis præcipuè temporibus, quibus Vinum algore adversùs sitim excitatur: & sanè habent viri Patricii, qui illos tractus delicatis Villis excoluerunt, unde se jactent, obruantque vernaculis Ventorum ductibus iisdemque salubribus, luxum, & fastum in hoc genere Italiæ universæ, Cubalum autem, ut diximus, vox Latina barbara est, ut patet ex Notitia urbium m. s. quæ portio est Bibliothecæ meæ, quamque sæpè citavi. *Est locus* (inquit) *in Civitate Veronæ vocatus Arena, rotundus, per totum magnis saxis undique constructus & perfilatus: cum Cubalis intus, & multis Antris multiformiter redimitus.* Cobel dictio Germanica est, qua insignitur Arx in Alpibus Tridentinis, cujus accurata descriptio extat apud Petrum Bembum lib. 9. Historiar. ubi hæc leguntur, *ea quoque Arx, quam Covolum appellant, eorum deditione, qui illam custodiebant, ad Rempublicam rediit.* Bembo adiici potest Itinerarium Francisci Schotti J. C. & Senatoris Antuerpiani, quod inscripsit Italiæ Germaniæque Libris quattuor.

Ceterùm hæ nostræ Latomiæ (uti eas appellat Mocenicus) Syracusanis fortasse non absimiles fuerunt, quarum meminerunt nostras Pedianus, Varro, & Festus, referente Francisco Mario Grapaldo, in Libello, quem edidit hoc titulo; *de verborum explicatione, quæ in Libro de Partibus Ædium continentur.* Varro sanè vocem Custodiæ illustrat his verbis, *Carcer à coercendo, quod exire prohibentur, in hoc pars quæ sub terra Tullicanum, id eo quod additum à Tullio Rege, quod Syracusis, ubi simili de causa custodiuntur, vocantur Latomiæ*: & hasce Syracusanas describit Thomas Fazellus, de rebus Siculis, prioris Decadis lib. 4. qui hodie tagliatas appellari nos docet. Qui & plures recenset, ut quæ præter cæteras specum, in quo Echo non modò vocis editæ, sed & submissæ quoque, neque natura ut alibi, sed arte certa responsa referuntur. Idemque ejusdem Decadis lib. 6. tres Lapidicinas Selinuntinas in Literas retulit, in quibus spectantur adhuc rudes columnæ, & impolitæ moles, multa cum jucunditate eorum, qui illò accedunt, addit insuper has Lapidicinas non modò ab eruditis, sed & à rudi quoque vulgo, & ab accolis Latumias ad hanc usque ætatem appellari, & mirum esse, quòd ea vox cùm Græca sit, tot annos & inter barbaras, quæ Siciliæ postmodum imperarunt, tot nationes, rusticosque ipsos, incorrupta perseveraverit: post Fazellum novissimus omnium, quod ego sciam, de Latomiis Syracusanis perscripsit Vincentius Mirabella & Alagona Eques Syracusanus, & quidem Italicè, qui loca Ciceronis, Varronis, Diodori, Thucydidis, Plutarchi, Æliani, & Suidæ aptè coagmentavit, idemque citat Turnebum Adversarior. lib. 22. cap. 17. & Andream Schottum ad Controversias Senecæ, Controv. 17. desserentes an Latomias vel Lautumias scribere rectius sit. Et ab istarum Latomiarum ingenio videtur Jo. Barclayus Mythistoricorum eruditissimus Antesignanus, arripuisse ansam confingendi, in sua politissima Argenide, Antrum illud in domo Timocleæ, in quo subterranea porticus in longum porrecta abibat in varios colles, nisi quis malit arripuisse Monitum à Leone Baptista Alberto, qui Arces Cuniculis instruit, qualem delineavit Torquatus Tassus Poetarum nostri sæculi princeps, Hierosolymæ Liberatæ Cantu 10. ad tutelam videlicet locorum, effugiumque hominum; quod tamen malè cessit C. Mario juniori, uti indicant Vellejus Paterculus lib. 2. Histor. & Plinius in Viris Illustrib. Et hæc nimis multa sufficiunt in gratiam Loci exteris curiosis celeberrimi. *Pignorius.*

(l) *Cod. Est. & Amb.* fomes.
(m) *MS. Amb. legit* intrespirantibus.
(n) *In V.* In Arcem.

lam; Extra verò utriusque factionis Terrigenæ pernoctabant. Circumdatis igitur munitionibus, Potestate Paduæ à meridie signa firmante, Vinciguerra Comes Sancti Bonifacii cum stipendiariis à Septemtrione montem conscendit ad Sancti Firmi locum, quem continuò obtinuit. Omnia in certamine constituta sunt; sed Arce viriliter ab Veronensibus defensa, nihil ultra obtentum, patratumque est, quàm ipsius Villæ partes ferè tres exustæ, Soleque jam discedente recollectæ acies ea die Orianum ad Castra reversæ sunt. Verùm Leonicenses, qui factionis præfati Comitis erant, desperatis rebus expectatione Canis defisi cum familiis omnis sexus, & ætatis in eadem Castra venere ad Comitem Vinciguerram. Abolita Berica, exustisque Castris, vertentes iter Paduani Pojanam Terram fortissimam circumvallatam fovea duplici cum Castro munitissimo aggressi sunt. Locus enim hic Paduanos fines à Vicentinis, Veronensibusque distinguebat, adeòque formidolosus ipsorum Finium Ruralibus, ut in hoc veluti angulo inclusi latrones, aggressoresque cunctos circum stantes præda, rapinisque assiduis impeterent, & si quando Paduani in Veronensium, Vicentinorumque fines permeare tentaverant, per hunc locum sublata facultas foret. Plebe igitur præmissa cum omni superstite militia, insultu repentè cum clamoribus facto, undique circum stetere. Oppidani per diurnam resistentiam cum lapidum jactibus, & frequentibus sagittis vulnera plurima intulere oppugnantibus, eademque & perpessi sunt. At demum declinante Vespere, impellente Albertino Mussato, cui fortè (o) vehendo vexillo Quarterii Pontis Molendinorum sors obvenerat (13), trabibus longis ultra foveas utrasque (p) adactis, ingenti exhortatione, impulsuque via ferro aperta est, Vexillumque inter foveas illatum. Qua violentia, terroreque confusi intrinseci retrocedentes, igne tectis subitò immisso, derelictisque Villæ stationibus, in arcem se proripuere. Tum & ceteræ irrumpentes populi cohortes ad Arcem usque Oppidanos insequuti sunt. Altera verò die intenti ad oppugnationem Castelli Paduani, delatis in foveas cratibus cum sarmentis, omnique ad eas replendas materia, pugnam intrinsecis intulere, ibique ballistrarum impulsibus cum conviciis, & hinc inde tumultibus tota peracta dies prœlio est, semiplenis foveis, quas jam per inferiores meatus aquis exsiccaverant, seroque impellente in Castra rediere. Sed ea nocte omni spe frustrati Capitanei, qui præsidio erant, Cane Grande non aliud, quàm multæ pollicitationis literas destinante, arce deserta, proditis stipendiariis, ac custodibus ceteris, furtim profugi ad Canem se contulere. Stipendiarii autem, ceterique, qui in præsidio manserant, luce prima pactionibus impetratis, obtentisque, ut vivi dimitterentur, evasere capita numero sexus utriusque trecenta, Castrumque illico crematum est, præda partim in commune redacta, partim adusta. Tuncque multa alacritate felicissimis congratulationibus Paduani reversi sunt Anno Domini nostri Jesu Christi Millesimo trecentesimo duodecimo, mense Julio.

RUBRICA XI.

Exustio Curtaroduli per Canem Grandem.

VErùm Canis Grandis Paduanorum exercitu apud Pojanam remorante, cum militibus circiter quingentis, peditibusque mille in Paduanum districtum populabundus exiit, Coloniamque locupletem Curtarodulum vi capiens, ferro, igneque vastavit non absque ruralium incolarum cæde. Quamquam & in digressu terrore perculsus advenientium (a) Veceli de Camino, qui Paduam fortè in Paduanorum subsidium venerat, ac Pagani della Turre Episcopi Paduani, & Gualpertini Mussati Abbatis Sanctæ Justinæ, qui in succursum (b) Curtaroduli excurrisse dicebantur, prædam dimisit, profugusque Vicentiam contendit.

RUBRICA XII.

Deletio Coloniarum Vicentini districtus per Pedem Montis.

NEc inde Paduanis Canem sibi viribus imparem sentientibus persequendi propositum (a) desistit. Diebus siquidem eisdem Augusti Kalendis, viribus resumtis, accersito viro egregio Veceli de Camino concive ac socio, iterum in campos Vicentinorum magnis copiis exivere à Calle Canfreduli per ampla prædia educentes acies, plebejasque catervas, in Villa Sandrici, & Lupiæ diviso ex copiis exercitu Castra ponentes, quibus in sequentem lucem igne abolitis, exusto, diruptoque Castro Monticuli de Precalcino cum omnibus appenditiis, in Villa Verla metati sunt; nec per dies octo prædæ, populationique finis. Ab suburbanis quippe Vicentiæ munitionibus, sicut montana continebant, quæ Vallem Drismi excludunt, usque per Occidens à parte utraque Vallis (b) Legoure per suprema, & infima pedis montis à Scledo inclusivè usque in Bassiani fines nihil substans relictum est. Consumta siquidem omnia ferro & igni, captis, (c) victisque incolis omnibus, quos montium apices fugæ remediis non sustulere. (d) Vixque Canis Grandis ipsa suburbia defendit, quæ adorti Paduani sunt eductis aciebus ad valla cum tubarum lituumque stridoribus, & in ipsum Canem lacessitum ad prœlium conviciis, rumoribusque plebeis. Indeque se referentes per agrorum latitudines ad Citadellam, deinde Paduam rediere Anno eodem, mense (e) Septembri.

(o) *Cod. Est.* vehendi vexilli.

(13) Quarteria sunt Regiones urbanæ, quarum extat mentio apud nos sanè frequens, & perantiqua, ita Florentiæ actitatum testes sunt Villanus, & Borghinus ille lib. 3. cap. 2. hic Discursuum part. 1. pag. 280. alibi Sexteria, Villano *Sestoria*: ut Venetiis & Florentiæ. Romæ Regiones, hodie Rioni. Quarteria apud nos quattuor numero sunt, quorum hæc sunt nomina, Pontis Molendinorum, Pontis Altinatis, Domus, & Turricellarum. Domum, Cathedralem Ecclesiam intelligimus, patente Italicismo, qui & alibi obtinuit, veluti Augustæ Trevirorum, docente Ortelio in Itinerario: ubi summum Templum Dom appellant. *Pignorius*.

(p) *Cod. Est.* adjectis.

NOTÆ AD RUBRICAM XI.

(a) *Cod. Est.* Guecili.

(b) *Cod. Est.* Curtisroduli.

NOTÆ AD RUBRICAM XII.

(a) *Fortè* destitit. *Villanus*, *& ita Cod. Est.*

(b) *Cod. Est.* Lovegre, *& ita Amb.*

(c) *Cod. Amb.* vinctisque.

(d) *In V.* Vixque, & Canis G.

(e) *In P.* Septembris.

Albertini Mussati Paduani de gestis Henrici VII. Cæsaris Liber VII. explicit. AL-

Digitized by Google

ALBERTINI MUSSATI
DE GESTIS
HENRICI VII. CÆSARIS
LIBER OCTAVUS.

VEniam profitenti non abneget lectura posteritas, si res gestas nostri Cæsaris à meis remota (1) notionibus, ab hinc minùs seriosè descripserim, cùm investigationi per internuntios, amicorumque, & peregrinorum documenta sollicitudo non defuerit (2). Ea propter operæ pretium sit saltem veritati studiosiùs attenta fidelitas. Malui quippe, si quid demeruerim, de omissis argui, quàm de maledictis.

RUBRICA PRIMA.

Egressus Cæsaris de Janua, & acta Pisis.

JAnuam egressus magna classe Cæsar in portu Veneris magna tempestate dies circiter quadraginta perstitit (3), inde Pisas applicans, Curiam auxit concurrentibus undique Tuscis. & Romandiolis, ceterisque, qui sub Alborum, & Gibellinorum vocabulis partem Imperii in Italia foverant (4). Per menses duos Martium, & Aprilem (a) Anni millesimi trecentesimi duodecimi à Domini ortu, quo in spatio multa inter Pisas, permulta & extra, præsertim intra Romæ penetralia, orasque maritimas tractavit, tentavitque. Compositisque, utcumque valuit, necessitudinibus, nullo strepitu, paucis concomitantibus, summa spe allectus ex Romanorum factionibus dies noctesque perambulans, per Plombinum, ac Maritimam (5) Kalendarum Majarum die occidente Sole, Viterbium petiit, comiter à Præfecto Urbis, & Anguillariæ Comite susceptus. Hunc Cardinales cum ceteris Comitivis multa defessi celeritate, viæque gravedine subsequebantur, utque Pontem, qui Molis dicitur (6), quem occupandum Johannes Roberti Regis Apuliæ frater statuerat (quod & Cæsar ipse præsenserat) ipse præoccuparet, iter nocte maturavit, inexpectato Pandulpho de Sabellis, quem ad Johannem præfatum tractaturum de compositione præmiserat, (7) extemplo, ut juxta Urbem pervenit, cohor-

(1) Planius, *remotas*. Villanus.

(2) Ammianus Marcellinus initio libro 15. profitetur & ipse quæ videre non licuit per ætatem, se ex interrogatione eorum, qui versati essent, cognovisse. Verùm hoc eo periculo fit, ut veritas quandoque corrumpatur. Quod sibi accidisse conqueritur seriò Paulus Jovius in Epistola Italica ad Hannibalem Raymundum; in iis quæ de Azalio tradiderat Cherium propugnante lib. 38. Historiarum suarum. Quod autem in vestibulo Libri legitur *nostri Cæsaris*, hoc ab aliis etiam Scriptoribus, & quidem non ignobilibus usurpatum est. Plinius: (lib. 6. Epist. 11.) *evocatus in consilium à Cæsare nostro*. Hinc apud Ælium Lampridium in Alexandro Severo, solemnis illa Adclamationis species; *Cæsar noster, Augustus noster, Imperator noster, Dii te servent*. Et in antiquis Epigraphis notæ illæ *Caes, nostri Serv*, quo sunt *Cæsaræ nostri Servus*. Cæterùm hæc loquendi ratio indicat Mussatum affectum Cæsarianum fuisse. Quòd & ipse non uno in loco prodidit; & quidem disertis verbis. Loquendi sanè ratio sibi hoc vult, & satis superque tritum est Virgilianum illud
Noster eris ------ Pignorius.

NOTÆ AD RUBRICAM I.

(3) Jacobus Bracelleus in descriptione Oræ Ligusticæ, Portum Veneris à Templo divo Venerio sacro dictum esse autumat. Quòd tamen refellitur ex antiquo Itinerario maritimo Antonini ut vocant; in quo Portus Veneris disertè scribitur. Ubi Surita Portum hunc eumdem esse cum Portu Lunæ manifeste tradit, quod & Bracelleus non abnuit; addens insuper, objecisse illi naturam Insulæ cujusdam veluti antemurale, quod illum ex Austro, & Africo totum præstet. Ut mirum non sit, si magna tempestas Cæsarem ibi tot dies detinuerit, in tuta nimirum statione. *Pignorius*.

(4) Post, *foverant*, removenda est interpunctio, ea sententia, *Cæsarem auxisse Curiam Pisis per menses duos*. Aliter mutila erit. *Villanus*.

(a) *In P.* Anni duodecimi post mille trecentos.

(5) Rectè, & Chorographicè, à Plumbino enim deinceps Maritima est. Quam dicunt hodie *Maremma*: antiquiores verò dixerunt *Marettema*. Thomas Fiortifiocca Scriba Senatus, in vita Nicolai Rentii, *babbe l'obbedientia de la Toscana, Campagnia, e Marettema*. Nimirum à voce Latina, quam usurpavit & Sanctus Bonaventura in vita S. Francisci lib. 1. §. 8. *In Maritima mulier quædam mentis alienationem per quinquennium passa*. Pignorius.

(6) Hic Pons antiquitus fuit Milvius, seu Molvius, ad quem de Maxentio victor evasit Constantinus. Qui plura quærit adeat Urbis æternæ Topographos. Unus hic mihi citabitur Andreas Fulvius lib. 2. de Antiquitatibus Urbis,

Milvius à Scauro pons primum conditus extat
Sæpius eversus sæpe instauratus ibidem
Flaminiæ appositus: tyrrhenos ducit in agros
Ponsq; frequens, quamvis reliquis distantior urbi.
In quo præclari Ciceronis consulis arte
Legati Allobrogum intempesta nocte fuere
Deprehensi insontes: interceptæque tabellæ,
Conjuratorum fraudes, ac tela repulsa;
Quo Constantini Maxentius arte tyrrannus
Concidit, & finis datus est civilibus armis.

Henricus autem cùm è Tuscia Romam properaret, ideo Pontem Milvium attigit, quia ut ait Fulvius, *Tyrrhenos ducit in agros*. Cur autem Pontem Emulum appellat Villanus alii viderint. *Pignorius*.

(7) Franciscus Sansovinus lib. 3. Historiæ, quam de gente Ursina perscripsit, ait Pandulphum missum fuisse, ut cum Gentile Ursino tractaret. Qui etiam addit Henricum fuisse comiter Viterbii exceptum ut hic noster prodidit: redarguuntque ambo Conradum Vecerium, qui & in multis aliis minùs accuratus, Viterbium nullo negotio captum asseverat; indulgebimus, tamen viro occupato, ætateque multa annorum longè ab his, quæ narrat, dissito: cùm fuerit à secretis Carolo V. Cæsari, ut liquido constat, tum ex Epistola Gerardi Noviomagi, apud Petrum Scriverium eruditissimum virum, cui Musæ æternum debe-

Digitized by Google

hortem militum per ipsum Pontem Molem (8) in Urbem transmisit. Verùm ex ligneo propugnaculo ad Pontis latus extructo, quem Tripizonem vocabant, sagittarum jactus exivere, (9) illataque vulnera introëuntibus, ex quibus equi occisi quamplurimi, & nonnulli hominum in transitu interemti.

RUBRICA II.

Ingressus Cæsaris in Urbem (a).

CÆsar interea in locum tutum extra Urbem se se recolligens, sibi & suis habiliorem, cum intrinsecis Columnensibus præparavit ingressum, quem non omnino furtivum fore suapte magnanimitas passa est, etiamsi ferro viam aperire expediens sit. Sabbato autem (b) (10) II. Kalendas Majas ibidem subsistens in Dominicam sequentem, luce prima Romanorum cohortes Columnensibus præviis cum multa plebis caterva, horum scilicet, qui Imperii partes agebant, obviam cum exultationibus (c) exivere, Clero multo concinente per Columnensium patentes introitus induxere, inque Papali Palatio Lateranensi locavere. Ex familiaribus tunc, sociisque Germanæ, ac Gallicæ linguæ ferme septingentos habuit hastatos. Ex Tuscis Albis, ac Gibolengis milites trecentos. Quem & Comes Sanctæ-Floris cum centum quinquaginta, Comes Anguillariæ Stephani de Columna (d) Generalis cum centum, Corradus de Antiochia cum quinquaginta (e) millibus prosecuti sunt. Existens in Roma Cæsar omnia tentare, antequam bellum cum Roberto Rege Apuliæ ineat, A præmeditans, scisciitavit, quamquam & ad ipsum Regem in Apuliam Johannem de Justiga, & Religiosum (f) unum ex Prædicatorum Ordine præmisisset (11), ut scilicet Cæsari ad Coronam suscipiendam auxilium præstaret, neve contra attentaret, innitereturque, cùm id in Basilica Principis Apostolorum Petri & Pauli fieri & antiquus mos, & Apostolicæ literæ contineant, ac præfigant; perquirique ac expeti ad hoc fecit Ursinorum Primores altæ prosapiæ. (12) Ad quem Cæsaris internuntii nil obtentum, cùm diu percunctati fuerint, retulere. Hæc præter, ut omnia in solius Roberti Regis voluntate consistant, illius hoc esse judicium, hujus velle, hujusque nolle, ipsum adeant, nihil ad hos attinere de perquisitis. B

RUBRICA III.

Expugnatio Tripizonis.

CÆsar non oblitus contumeliæ in transitu Tripizonis acceptæ, illud expugnandum jussit, circa quod obsidione firmata, expugnationibus circumpositis cum ballistis, aliisque ad propugnaculum, quod ex tabulis erat, dejiciendum opportunis, pacta personarum salute, locum in deditionem accepit in Pentecostes Vigilia vespere jam declinante. Dumque ad planiciem loco vicinam Regis Roberti milites, ut subsidium intrinsecis ferrent, se exposuissent, illico prœlium commissum, quod crepusculum diremit, occisis ex utroque congressu circiter X. In diem sequentem Jordanus de Columna cum ducentis quinquaginta (a) Anargninis, Tudertinis, ac Spoletinis (13) in succursum Cæsaris adve- C

bebunt, in Batavia illustrata: tum ex iis: quæ ipsemet Vecerius tradit, in calce vitæ Henrici, de Amurathe Turcarum Imperatore & de Henrico Britanniæ Rege. Narrat porrò ibidem Sansovinus, ex adventu Henrici tentasse Gibolengos Urbevetanos, si qua possent expellere Gelfos. Verùm hoc illis minùs prosperè cessisse; adeò ut ipsi Gibolengi solum verterint. Quod Alphonsus Ciccarellus Mævanas lib. 2. Historiæ Monaldescorum pluribus tradit. Filippeschis enim & eorum sectatoribus quibuscumque ejectis bona adempta sunt, domusque solo æquatæ, publico Urbis decreto, anno Domini (ut habent veteres Tabulæ) millesimo trecentesimo tertiodecimo, Indictione undecima, tempore Pontificatus Sanctissimi Patris domini Clementis Papæ V. Mensis Augusti die 29. instante, & quidem hæ turbæ Urbevetanæ videtur excepisse Coronationem Henrici; quas tamen Mussatus non attigit sibi fortè ignoratas, ideoque rectè præfatus est in limine hujus Libri, malle se, si quid demeruerit, de omissis argui, quàm de maledictis. *Pignorius*.

(8) Hic pons, qui primo ferè lapide ab Urbe distat, *Milvius* ab antiquis, *Mollis* à nostris appellatur. Auctor noster sequutum vulgarem appellationem, *pontem Molem* dixit, cùm debuisset dicere, *Mollem*. Sed causam hujus rei alibi monstrabimus. *Villanus*.

(9) Sansovinus hos sagittarum jactus, non è propugnaculo, sed ab Ursinis exisse pronunciavit. Et verò Sansovinus hunc nostrum cùm viderit, valde miror cur in Historia Gentis Ursinæ dignum non existimaverit, quem nominaret, imò potiùs diverterit aliquando in alia omnia, nimirum tantò turpius gratia non refertur, quanto honestior est causa referendi. Vidit enim Sansovinus Albertini Mussati Historiam calamo exaratam, ut ipsemet de se testatur in Stemmate San-Bonifaciano, ubi de Vinciguerra clarissimo Imperatore sermonem habet. At nos deinceps judicabimus loca, per quæ Sansovini copiæ auctæ sunt. *Pignorius*.

NOTÆ AD RUBRICAM II.

(a) *In epitomatis*, Ingressus ejusdem in Urbes.

(b) *In R. & P.* II. Nonas Majas, *& ita Amb.*

(10) Laborat hæc periodus ἐκτῷ ἀναχολούθῳ. Quare sic sananda videtur, ut pro, *subsistens*, reponatur, *eo subsistente*, & post, *concinente*; apponatur conjunctio copulativa, *&*, vel, *ac*. Paulò post, *Comes Sanctæ Floris*, dixi alibi, debere scribi, *Sanctæ Floræ*. Nec longè ab his, *Corradus de Antiochia cum quinquaginta millibus*, Profectò tot non fuere Myrmidones. Corrige me auctore pro, *millibus*, *militibus*. Et rub. III. pro, *Anargninis*, suspicor, legendum, *Anogninis*. Et rub. IV. pro *Columnensium*, substitue, *Columnensium*, & pro, *Campofloris*, *Campo Floræ*. Villanus.

(c) *MS. Amb. addit* multis.

(d) *MS. Amb. legit* Gener, *pro* Generalis.

(e) *MS. Amb. legit* militibus, *pro* millibus.

(f) *Cod. Est.* virum.

(11) Sansovinus Joannem Usticam, & Religiosum, qui sibi esset à sacris Confessionibus, missos ab Henrico ad Robertum scribit. *Pignorius*.

(12) Supra dixerat *Ursinorum alta potensque progenies*. Quæ de multis nominibus clarissima stirpe summo jure dicta sunt. Verè enim anno MDCXVII. Monspelii Trophæo honorario inscriptum est.

Insuber Ursinis, Venetusq; & Gallus, & Umber,
Gens & Hetrusca duces, & sacros inclyta debet
Roma Patres; Europa decus, Latiumq; salutem.

Verùm hic textus videtur desiderare Nomen proprium alicujus ex Ursinis, ita enim reposcunt illa *ad quem Cæsaris internuncii &c.* & Sansovinus certè Gentilem nominat, ad quem Nuncios misisset Henricus rogatum ne Coronationem turbaret. *Pignorius*.

NOTÆ AD RUBRICAM III.

(a) *In V.* Anarginis, *meliùs* Anagninis.

(13) Per Anargninos dubium est num significet Anagninos quos ut inquit Virgilius

--- dives Anagnina pascit;

Vel Narnienses ad quos inclinat conjectura, in Ducatu namque Spoletano fuere Narnienses, Tudertini, Spoletani. Narniam appellat Virgilius, Narnium Sanctus Bonaventura, lib. 1. de Vita Sancti Francisci §. 6. infra Rub. 6. Spoletini, Tudertini, Narnienses. *Pignorius*.

Digitized by Google

advenere, per quos eosdem dies transmissi Legati Cæsaris ad Regem Robertum in Apuliam cum responsis ad Johannem, & Ursinos rediere, quæ ad Cæsarem relata sunt, quòd videlicet Tuscis fidelibus, ac Longobardis dilectissimis defecturum se non decreverat, poscentibus in se, suosque prædecessores obsequiis meritisque. At assentiente, emologanteque Philippo Francorum Rege (b) assensu Apostolico, sponsalia forsan has mitigarent, sedarentque controversias in Italia verisimiliter obventuras, tradita Cæsaris filia primogenito Roberti prædicti, eodemque genero in Longobardiam, & Tusciam Vicario per Romanum Imperium constituto. Cæsar Tuscis, Longobardisque fidelibus, quorum subsidiis, obsequiisque, ac ductu res magnas, progressumque è montibus fecerat, indeficiens Regiâ constantiâ ad omnis belli fortunam tentandam animum erexit; primoque proposito Urbis fortilitias captare, loca munita præoccupare, ut si in Urbe, quæ caput Mundi, Imperiique Romani est, se continuerit, ceteras Terras tamquam appendicias suum veluti caput respectare.

RUBRICA IV.

Comessatio Cæsaris cum Romanorum Principibus, (a) & cohortatio ad dandas fortilitias.

INstinctu itaque suorum, & præcipuè Columniensium, veluti comessationem cum Romanis facturus, absque differentia Nobiliores in convivium vocavit (14), ad quod hilaritate multa convenere Insignes fiducialiter, quos inter Annibaldus de Annibaldis, Johannes de Sabello, & Thebaldus de Campofloris. Hi quidem, quamquam Ursinis affines, ejusdemque prosapiæ, Imperatori non adhæserant; quin imò adventum renuerant, ac contra præsumserant, & se in tantas res novas immiscuerant. Gratulabundum se Cæsar inter hos, aliosque convivas exhibens, demum epulatus lectis fragmentis, amotisque tabulis inter eos sic fatus est:

Fari mihi inter vos tanto in rerum discrimine (15), causa, ratioque movet, o Quirites, vixque stupor, atque admiratio loquendi facultatem occupat, cùm excogitem: quid me ex Augusta Urbe Regia in hanc Italiam adduxerit, & quid nisi jam desueti extollendi amor Imperii? ut jam vix notus Romanus à Barbaris Mundo imperet sub clypeo, tituloque Cæsareæ Majestatis. Quid frequentes literæ, quid Nuntii celeres toties expetivere (b), nisi ut meum carum visitem Senatum, Populumque Romanum? quo exultante in Capitolium vehar (16)? Venione violentus invasor, qui ab Apostoli Petri limine repellar (17)? A Clementissimo, ac Sanctissimo Papa missos testes adduco tres à latere Cardinales. Hi Duces, hi Nuntii, executoresque legum, Canonumque, & Imperialium sanctionum. Ad vos itaque revertor, vos alloquor, o Qui-

(b) *Cod. Est.* assensuque.

NOTÆ AD RUBRICAM IV.

(a) *In epitomatis*, Primatibus.

(14) Eadem habet Sansovinus: in eo tamen dispar, quòd Annibaldum de Annibaldis; Joannem de Sabello, & Thebaldum de Campo Floris Columnensium factioni immiscet, qui revera partiarii Ursinorum erant. *Lectis fragmentis, amotisque tabulis*. Pransos & cœnatos legere fragmenta apud nos, etiam me puero, in usu fuit, idque ab antiqua dubio procul institutione, cujus origo videtur fuisse ab illis Evangelii, *Colligite fragmenta ne pereant*. Hodie tamen, ut ab antiquis consuetudinibus patriis in barbaros mores degeneravimus, qui legeret fragmenta ridendus veniret, occinereturque illi cantio Syrophœnissæ, *nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum*. Amoveri autem mensas antiquissimum fuit: veluti ex Virgilio discimus (Lib. 1. Æn.)

Postquam exempta fames epulis, mensæque remotæ
Amissos longo socios sermone requirunt.

Et

Postquam prima quies epulis, mensæque remotæ

erat enim locuturus Æneas. *Pignorius*.

(15) Hæc oratio Henrici, (quam etiam Blondus (Decad. 2. lib. 9.) in his quæ de Henrico digessit, vidisse visus est,) nihil habet eorum, quæ commentus est Sansovinus. Qui Henricum ita differentem inducit, ac si Pontificem Roma ejicere voluisset. *Quid me ex Augusta urbe Regia in hanc Italiam adduxerit*. Hæc Augusta urbs Regia videtur esse Aquisgranum ex Petro Bertio lib. 3. Germaniæ suæ. Qui etiam citat veterem, & inde à Caroli ipsius temporibus positam Inscriptionem.

Carolus insignem reddens hanc condidit urbem
Quam liberavit post Romam, constituendo
Quod sit trans Alpes hic semper Regia sedes

&c.

Æneas Silvius in Apologia ad Martinum Mayer, *omisimus Aquisgranum Germanici Regni Sedem, ubi Palatium illud tota Germania nobilissimum, Cæsarum, qui ex Theutonicis rerum potiti sunt, egregias ex lapide statuas ostentat &c.* Videndus & Philippus Cluverius Introductionis Geographicæ lib. 3. cap. 9. *Pignorius*.

(b) *In P.* expectavere?

(16) Huc facit Epistola editionis Gretserianæ, alterius Henrici Regis Romanorum, Consulibus, Senatui, populoque Romano; *Divina disponente gratia, postquam regnum patrium nostrum intravimus, urbem, caput & sedem nostri Imperii pro affectu visere optavimus*. Eodem spectant verba Legatorum Romanorum apud Frisingensem lib. 2. cap. 21. *Cur enim suum visitaturus populum non pacificè adveniret?* De populi exultatione prosequentis Imperatorem in Capitolium veterum Scriptorum testimonio consignata res est. Juvenalis (Sat. 10.)

---- hinc præcedentia longi
Agminis officia, & niveos ad frena Quirites.

Propertii, (Lib. 3. el. 3.)

Qua videam spoliis onerato Cæsaris axe
Ad vulgi plausus sæpè resistere equos.

Claudiani, (6. Cons. Honor.)

Hinc te jam patriis Laribus via nomine vero
Sacra refert, flagrat studiis concordia vulgi,
Quam non illecebris dispersi colligis auri.
Nec tibi venales captant æraria plausus
Corruptura fidem: meritis offertur inemptus
Pura mente favor ----

In quibus tangit Poeta Cæsarum Congiaria; quæ Populus Romanus his etiam temporibus aliquando non destitit flagitare; ut indicat Oratio Romanorum, cujus antea meminimus, ad Fridericum Augustum, ex Othone Frisingensi, *Officialibus meis, à quibus tibi in Capitolio adclamandum erit, usque ad quinque millia Librarum expensam dare*. Pignorius.

(17) De Liminibus Apostolorum doctam & accuratam animadversionem videre est apud Illustris. Card. Baronium in Annotationes ad Martyrologium Rom. 18. Novembris. Dixit autem invidiosè Henricus se repelli ab limine Apostoli Petri; tum quia illud limen cunctis Christianis patebat; tum quia limen in universum nemini non patebat. Juvenalis Sat. 3.

Limine summoveor: perierunt tempora longi
Servitii ----

Ad quem locum Interpres apud me manuscriptus hæc habet: *limine summoveor, hoc vult inferre, nullus est confirmatus in alicujus amore, quem detrahendo inimicum non reddant. Limine enim ponitur pro intima familiaritate. Sic Virgilius de Turno dolet de limine pelli.* Locus autem Virgilii est in 7. Æn.

Stirpem admisceri Phrygiam: se in limine pelli.

Ubi Servius vulgatus hæc tradit: *se limine pelli, interiore familiaritate*. Juven. *Limine summoveor*. Hæc tamen interior familiaritas Liminis nomine Senecæ (Libro 6. de Benef.) usurpata non est. *Est proprium superbiæ magno æstimare introitum ac tactum sui liminis, pro honore dare ut ostio suo propius assideas, in gradum*

Digitized by Google

Quirites. An frustra vocatus venerim tamquam Mundo ludibrium. Sciturus sum in hujusmodi caritate convivii, quæ vos vota alliciunt, quid geritis in arcanis, quibus ex vobis fulcientibus adjuver, declaret, edatque optio singulorum. Hoc sic succincto, brevique sermone paululum vultu submisso subsistit metuendus. Stephanus de Columna vir insignis (18) se, suaque, & suorum despondit, nec defecturum, quoad posset, morte non exclusa, si casus, fortunaque poposcerint. Nicolaus de Comite (19) se gratuitum decus, cingulumque militiæ à Rege Carolo Roberti Regis genitore suscepisse ait (*), adversùs quem, & posteros non iturum subnixè proposuerat. Annibaldus verò, Johannes de Sabello, & Thebaldus de Campofloris Regi Romanorum parituros se se obtulere in omnem casum, & adversùs omnes cognationis suæ, singulis dumtaxat exceptis. Cæsar exceptiones has ægrè admittens, potiùsque eis turbatus, cujusque assistentium in scriptis dicta redigi imperavit. Demumque Stephanum, suosque obsidibus datis abire concessit, ceteros deprehensos privatim tenuit. Annibaldumque militiarum palatia, munitionesque ac Turrim Sancti Marci, & Coliseum, quorum possessor erat (20), reddere coë-

dum prior intra domum ponas, in qua deinceps multa sunt ostia, quæ receptos quoque excludunt. Uti nec Horatio

Forumque vitat & superba Civium
Potentiorum limina.

Servius tamen ad illa 2. Georgic.

—— penetrant aulas & limina Regum.

Per limina interpretatur interiorem familiaritatem, & hæc sint obiter dicta de Limine. *Pignorius.*

(18) Præconium hujusce Stephani, & laudante & laudato sanè dignum exstat apud Franciscum Petrarcam (Lib. 10. ep. 4.), scribentem Carolo IV. Cæsari, Henrici nepoti, in hæc verba; *siquidem magnanimus olim vir & memorabilis Stephanus de Columna, cujus erga gloriosissimum Avum tuum Romanum Imperatorem fides toto orbe notissima est, & qui diem tuum, teque, quem non aliter, quàm Christum Simeon expectabat, videre senio victus & præventus morte non potuit.* Et paulò inferius: *Joannes de Columna illius Stephani magni nepos &c.* Pignorius.

(19) Fortè *de Comitibus*, quæ gens inter Romanas illustris. Et pro *Campofloris*, repone *Campo Floræ*. Et pro *Colisæum*, recta scriptio erat, *Colossæum*. Villanus.

(*) Hic Nicolaus videtur fuisse

—— Comitum de gente latina

Ut cecinit Andreas Fulvius (Lib. 1. Antiquar.). Quæ Gens tres Pontifices summos continuata pæne serie effudit, Innocentium III. Gregorium IX. Alexandrum IV. quos Onufrius in Chronico Ecclesiastico Comites Signiæ appellat. De Comite autem quòd nominat ad illam cognominandi normam factum est, qua etiam alibi usus est; veluti de Cortarodulo, de Lucio, de Fleico, de Collubiano, de Fisiraga: licèt lib. 6. Col. 421. Demetrium de Comitibus, non de Comite extulerit. At quid in mentem venit Sansovino, cùm de Nicolao de Comite fecit Comitem Nicolam de Ursinis; cui etiam affinxit Orationem, à Mussati vestigiis omnino abeuntem. Quòd autem Nicolaus obstare sibi Cingulum militiæ à Carolo Rege collatæ affirmaverit, quo minùs Henrico obtemperaret, id poterat sanè hominem excusare. Philippus enim Rex Francorum, audiens expeditionem parari ab Henrico contra Regem Robertum, Cæsaris progressum non multisecit, *quòd* (inquit Mussatus Lib. 16.) *sibi hunc Henricum fidum militem creatum, educatumque dilexerit, redamatumque se non veritus fuerit, nec se adversùs ulla insolentia elatum prorsus reputaverit, &c.* Ubi notandum est Henricum Fidum militem dici: ac si ex collatione Cinguli fidelitas aliqua (ut tunc temporis loqui consueverant) collatori à suscipiente esset præstanda, & profectò huc facit quod sequitur de Annibaldo, Joanne, & Thebaldo, *Regi Romanorum se parituros, in omnem casum*, & adversùs omnes *cognationis suæ, cingulis* (non singulis) *dumtaxat exceptis*. Cingulum porrò militare fuit solemnis rei militaris symbola, & patet ex his Martyrologii verbis (18. Nov.): *Item Antiochiæ Sancti Hesychii Martyris, qui cùm esset miles & præceptum audisset, ut quisquis non sacrificaret idolis, cingulum militiæ deponeret, repentè cingulum solvit.* Veluti & illa antiquiora apud Virgilium (Lib. 18.)

—— infestat humero cùm apparuit alto
Balteus, & notis fulserunt cingula bullis.

Unde factum est, ut Mussati sæculo, norma & ritu satis antiquiore, cingerentur, qui Equestrem militiam auspicabantur. Manipulus Florum, *facti sunt in ista Coronatione pro Imperatore Milites accincti LXXX.* Joannes Saresboriensis in Policratico (Lib. 9. cap. 10.); *Unde jam inolevit consuetudo solemnis, ut ea ipsa die, qua quisque militari Cingulo decoratur, Ecclesiam solemniter adeat, Gladioque super Altare posito & oblato, quasi celebri professione facta, se ipsum obsequio Altaris devoveat.* Et hæc erat Cinctura Equestris, cujus meminit Epitaphium Joannis Cacii Episcopi Patavini, apud nos, in Canonica Templi Cathedralis.

Qui cum prole sua cinctura fulsit equestri,
Inque Sacerdotum Canone Doctor erat,
Hic jacet Antistes Cacii de stirpe Joannes
Cujus nomen humi, mens viget astra super.

Damus autem hos versus exscriptos oculata fide, non fide Laurentii Schraderi, qui secundum & quartum, prout ipsi libuit, mutavit. Successit autem in Episcopatu Joannes Bellino Martyri, anno 1149. Cacciaguida apud Dantem (Parad. Cant. 15.)

Poi seguitai lo 'mperador Currado,
Et ei mi cinse de la sua militia
Tanto per ben oprar li venni in grado.

Ubi, quod se cinctum a Conrado militiam refert, de Equestri militia intelligendum est absque controversia. Joannes enim Episcopus, cujus Inscriptionem sepulcralem retulimus, fuit miles & doctor; ut habet vetustus Indiculus Episcoporum Patavinorum, manuscriptus apud me. Et quæ leguntur apud Joannem Boccaccium in præfatione Genealogiæ Deorum; *si satis ex relatis Domini Parmensis egregiis militis tui &c.* perperam Italicè versa sunt: ibi enim Miles Equitem significat, non quem nos dicimus *Soldato*. Pignorius.

(20) Andreas Fulvius (Lib. 1. Antiquar.)

Inde per antiquæ vestigia prisca Suburræ
Ad fora deducor quondam pulcherrima Nervæ,
Turris ubi assurgit Comitum sublimis ad auras,
Quas modò distantes modico discrimine Turres
Pontifices summi Comitum de gente latina
Fundavere ambas, decus & monumenta suorum.
Altera quæ major Comitum cognomine dicta est
Altera Militiæ quæ surgit ad æthera Turris
Dicta à militibus, qui illic quandoque fuere
In statione: Fori Trajani in parte suprema.

Marlianus (Lib. 4. c. 22.) etiam in Urbis Romæ Topographia asserit Turri Militiarum illud cognomen ex eo inditum esse, quia milites Trajani ibi stationem olim habuerint, extitisseque, ipso scribente ejus ædificii bonam partem. Blondi (Decad. 2. lib. 9.) autem verbis hoc Henrici consilium illustratur. *Arces verò Urbis, quas Ptolemæum secuti Imperatorem petivisse diximus, ædes erant in Theatris, Thermis, & vetusti operis ædificiis in Arcis formam, quod etiam nunc facilè intelligitur, communitæ.*

Consueverunt etenim nostri homines ejusmodi opera publica munire in Castellorum morem, hoc ævo; inde fit, ut sepulcrum Cæciliæ Metellæ, quod Romæ situm est, extra Portam Capenam, etiam hodie Pennas Murorum ostentet, vocabant autem (uti & nunc) Capo di Bove. Moles Hadriani meliore fato in eumdem usum concessit & ipsa. Loci enim opportunitate, & munimentorum rationibus, Arx nunc demum est rei Romanæ firmissima, tutissimaque. Annibaldi autem majores videntur cum Ursinis atrocia ante hac gessisse bella, & narrat Archiepiscopus Contentinus, post mortem Nicolai III. Hannibaldenses statim, Romæ, par-

coëgit. Jussit etiam invito, & reluctanti Johanni de Sabello, ut subarras ad domos viciniamque suam firmet (21), quarum obstaculis Ursinorum genti demta sit migrandi ad Capitolium, quod tunc ipsi tenebant, facultas, seu etiam ad Militiam, Turrimque Sancti Marci, & Coliseum. Inde enim in eas Fortilitias erat meatus; hocque volente Cæsare prorsus factum est, (c) circiter XII. Kal. Junii, quo & die ad subarras Cancellarii, qui Ursinorum partes tenebat, per gentes Cæsaris decertatum est, in quo plures utrobique cæsi, captique, quos inter Petrus Malabranca ipsius Cancellarii nepos (22) à Ducis Bavariæ satellitibus. Sequensque dies majori certamine acta est prope domos, & subarras Riciardi Petri de Annibaldis cum multa cæde, ac vulneribus, procedentibus Ursinis usque in vicinas domos Columnensium. Captusque ea die Comes de Biserno (23) cum plerisque Consociis; flagravereque ruina domus eædem cum turri funditus mandato Cæsaris. Vigesimo autem Maji die, VIII. scilicet Kalendas Junii, Capitolium omni Ursinorum subsidio carens defecit ad Cæsarem.

RUBRICA V.

Mors Episcopi Leodiensis, & plurium Cæsaris Principum in Urbe cædes.

AT deinde succensis ad majora partibus increvit utrinque furor. Nam, & Cæsaris manipuli (a) prædianis exhortati victoriis intensioribus ausibus VII. Kal. Julias (b) insultum fecere ad subarras Laurentii Johannis Statii, Sole ad tertiam jam horam ascendente. Is Johannes vir nobilis Romanus partes Ursinorum summa vi agebat, qui occurrens ad subarras defendendas primo certamine sauciùs lethaliter occubuit; confractisque subarris discursum est per Ursinorum vicos, in quibus & ipsum Illustris viri Gentilis de Ursinis palatium erat situm, quod totum Germani, Francique, ac ceteri Cæsaris bellatores cum multorum strage depopulati sunt. Primates siquidem partis adversæ, Johannes Roberti Regis frater cum Romanis, ac Tuscis in Castro Sancti Angeli consultantes super agendis convenerant. Auditis itaque ruinarum fragoribus, & conclamantium vocibus, confestim ad arma concurrere, directisque aciebus ad occupatum vicum trahentes dispositos ad prædas Teutonicos cum Francis, ceterisque, qui jam omnia exuberanti victoria succedere sibi reputaverant, (c) insultum fecere. Tunc ibi strages, cædesque in fugam conversorum, quorum terga sinè intermissione cædebantur, pars intra domos rapinis onerata necabantur. Fusi itaque, fugatique ea die Cæsaris amici, & subsidiarii usque in Columnensium domos sunt. Occisa in viis publicis reperta capita centum quinquaginta, inter quæ occubuit vir (d) super Illustrissimus Episcopus Leodiensis Comitis (e) de Barri frater (24), Petrus de Sabaudia Ludovici Senatoris frater, Abbas de Nuncimborc, Robertus Flandrensis, pluriumque ex intimis Cæsaris Illustres, ex Germanisque Teutonicis, & Sociis Latini nominis. Regalia signa, & Sabaudiæ, ac Flandriæ ablata, & in spectaculum ad amico Florentiam delata. (f) Hunc conflictum Nicolaus de Bonsignoribus Senensis, qui tunc Capitolii sedem Ludovici Sabaudiensis Vicarius obtinebat, adnuntiatum est, flagrans, excandescensque, campanis undique per turritas Ecclesias ad certamen (g) pulsatis (25) per-

partem dominii invitis Ursinis obtinuisse. Inciderunt autem hæc in annum Domini MCCLXXXI. & non multò post (eodem teste) Ursinis Preneste occupantibus obviam iverunt Hannibaldi, non sinè cæde Ursinorum, & Villanus etiam Hannibaldenses (Lib. 7. c. 54.) recensuit inimicos Ursinorum. Qui tamen alibi Riciardum à Rota (Lib. 9. c. 17.) de Hannibaldensibus Ursinorum factioni addictum scribit. At hic Annibaldus huic nostro nominatus is fortè est, quem Romani ad mandatum Papæ reversi (ut inquit Martinus Polonus in Martino IV.) cum Pandulpho de Sabello Vicarium Senatoriæ susceperunt. Nominatur autem Annibaldus Petri Annibaldi. At Thebaldus de Campofloris (si Blondo credimus loco citato) licèt Ursinorum affinis, ut hic noster ait, illos tamen, sed irrito conatu, conviciis proscidit: *nec enim satis illi profuerunt maledicta petulanter in suos jactata*, ait Blondus, ut quotquot malebat ipse ab Henrico permitterentur abire. An verò hic Thebaldus idem fuerit cum Thebaldo Sancti Statii, quem recensuit Villanus, (Lib. 10. cap. 55. & 56.) ego sanè aliis perpendendum relinquo. Mussatus profectò hic Thebaldum de Campofloris secernit à Laurentio Joannis Statii, ut cuique licèt videre. *Pign.*

(21) Hoc Italicum est *le Sbarre*, quæ repagula appellat Blondus. Italica autem vox Gallicismum sapit, *une Barre*, quæ sunt Cancelli, Septa, Clathri. *Pignorius*.

(c) *MS. Amb. non legit* circiter.

(22) Eadem tradit Sansovinus iisdem pæne verbis, qui & Laurentium Joannis Statii nominat, recensetque arces Annibaldi quas dicimus, at oscitanter, & præposterè ut verum fateamur. Malabranca Gens Romana Latinum Cardinalem Ostiensem tulit, cujus frater fuit Joannes Sincii Capitaneus Urbis & Reipublicæ defensor, nominatus ab Archiep. Consentino in Martino IV. & hoc antiquiorem Joannem Cardinalem Sancti Theodori, uti habet Ciacconius. Qui pro hujus Insignibus Brancam, sive Pedem feræ cum uncis unguibus exhibet, appositè ad cognomen Malæ branchæ, quod ea ratione formatum est, qua nobilissimis familiis Malatestarum & Malaspinarum sunt indita cognomina. Latinum verò, cujus meminimus Nomenclator Cardinalium vir accuratissimus, dubitat num Malabrancam, seu Frangipanem appellet. Neque profectò apposuit huic Ciacconius Insignia Malabrancarum. Fuit hic Parisiensis Doctor, & ut ferebant illa tempora, illustris concionator, ediditque præter alia, Prosam, quæ canitur in Missa Defunctorum

Dies Iræ dies illa.

Huic autem Genti non nimis æquus videtur fuisse Dantes (Cant. 22. & 33.), qui Inferni accolas, & ejusdem nescio quam regionem hoc nomine insignivit. *Pignorius*.

(23) Sansovinus Comitem de Tiferno videtur legisse. Quid si legamus *de Piperno?* Privernum hic facit antiquitus Latii oppidum, Silio Italico & aliis nominatum. *Pignorius*.

NOTÆ AD RUBRICAM V.

(a) *Cod. Est.* pridianis, *& ita Amb.*

(b) *In P.* insultus factus est *malè*.

(c) *Cod. Est.* confestim insultum.

(d) *Cod. Est.* superillustris.

(e) *Meliùs* Barri.

(24) Meyerus Annal. lib. 11. retulit Henrico in Italiam descendenti adfuisse Theobaldum Episcopum Leodiensem. Et hujus cædem accuratè enarrat Jo. Villanus lib. 9. cap. 42. Qui virum vocat magnæ virtutis, nec minoris auctoritatis. Neque audiendus hic est Sansovinus, qui ipsum Comitem Barri cæsum fuisse pronunciat: improbandus etiam Cavitellius, cui est Episcopus Lugdunensis, qui Leodiensis esse debuerat. *Pignorius*.

(f) *Laborant hic Codd. omnes mendo, quod tollet, si legas:* Hoc conflictu Nicolao, &c. annuntiato flagrans &c.

(g) *In P. & R.* propulsatis.

(25) Italicè *suonare à stormo è suonare all'arme*. Patavii *campana à martello*. Quo pertinet vox illa insignis Petri Capponii, apud Franciscum Guicciardinum lib. 1. Historiar. vos inflabitis vestras tubas, nos pulsabimus nostras campanas.

Digitized by Google

percussisque, Populum Romanum elicuit præconiis vocibus: continuòque Urbem undique armorum fragor, plebejus clamor, strepitusque concussarum ædium invasere ad subarras concurrentium armatorum frequentia. Hoc die detectæ partes odia publica privataque detexere.

RUBRICA VI.

Copiarum Cæsaris in Urbe diminutio.

SEd (a) victoria jam in Ursinorum partem succrescente, famaque sic in publicum perferente, Cæsaris fautores, zelatoresque Regii culminis pœnitudine substracti, defessi, sauciique destitere, in tecta sua quisque remeantes, necatis per vicos, & angulos ad certamina multis, Stephano etiam in tibiam percusso acriter; conflictæque, ac confusæ ab inde Cæsaris partes ad subarras non prodiere, omni spe reparandarum virium destitutæ: diminutæque deinde Cæsaris copiæ Leodiensis Episcopi, ac Flandrensium occisorum Illustrium familiis desperatis, rebus (b) dispersis. Nec tamen & Præfectus Urbis, Comites Anguillariæ, & Sanctæ Floris eodem conflictu defecti discessere. Spoletini, Tudertini, Narnienses, ceterique Imperatoriæ fidei populi, & Corradi de Antiochia sequaces ad sua quisque reversi sunt. (c) Sic angustato, oppressoque & de Pisis adversa nova allata sunt, ut dum illò pro ballistrariis quingentis Romam per æquora ducendis pro opportuno subsidio destinasset, illique jam è Portu Pisano Vani Mascha Admirato septem Galêis vela pro eventu ere-

nas. De usu autem Campanarum in sacris, luculenter egit Angelus Roccha Episcopus Tagastensis, & Apostolici sacrarii Præfectus amicus olim noster, vir pietate, & discendi studio clarissimus. Qui tamen cap. 2. sui Commentarii, dum nomina perquirit Campanarum, Squillas ait vocari etiam Italicè. Improbatque sententiam Hieronymi Magii asserentis eam vocem è Gallia effluxisse, nullibi enim eam vocem inveniri, & à viris Gallis & quidem eruditissimis excludi tamquam spuriam. At pace amicorum Manium dictum sit, hæc dictio Gallica etiam nunc est apud Tholosates, qui dicunt *Esquil*, ut notat eruditissimus Legis Salicæ Glossator, Titulo 29. Videtur autem originem duxisse à voce Germanica SKel, cujus meminerunt Hermannus Barenarius ad Vitam Caroli Magni, & oculatissimus Barthius Adversarior. lib. 55. cap. 10. promiscui illarum usus est, ut diximus

Ære ciere viros, Martemque accendere

Præterea Signa lætitiæ odere, item & mœstitiæ: ut in funeribus, & capite plectendis. Horas ad hæc metiri, tonitrua fugare, cœtus hominum cogere. Horum omnium quia passim obvia sunt exempla, Lectorem non onerabo, illud tantùm animadversione dignum proponam, Signa appellari illarum pulsus à non malis Auctoribus, ut notat Glossographus ad Capitulare Caroli Magni: & advertimus nos olim apud Leonem Ostiensem, & incertum Auctorem Annalium Gallicorum, in collectione Pitoeana. Unde *Tocsin* Galliæ, Italicè *Segni*: Et apud nos nemo non usurpat *Segni de Messa*, *Segni de Predica*.

At dum hic noster hæc Literis consignaret, Carroccium prodibat in aciem, appensa Campana insignitum. Notavit hoc doctissimus Sigonius lib. 15. de R. Ital. sub anno MCXCI. in Carrocio Cremonensi, cujus Malum & Nolam Brixiani in patriam asportaverunt, trophæi vice. Et hinc fortè Antonius Campus (Form. 13.) Pictor Cremonensis lib. 1. patriæ Historiæ malo Carrocii, quod eleganter delineavit, appendit Nolam. Joannes quidem Villanus (Lib. 6. c. 77.) memoravit Campanam nomine Martinellam, sive Asinorum, quæ unà cum Carrocio in hostes educebatur à Florentinis. Verùm illa statuebatur seorsum in Turri lignea, ad cujus pulsum acies procedebant. Et quia de Carrocio confido ita tractaturum sollertissimum Fel. Osium, ut palmam aliis omnibus sit præreptu-rus, divina illa, quæ illi semper ad manum est, accurationis & diligentiæ virgula; ideo ab ejusdem instructissimo penu consulto abstinebo, expositis tantùm Analectis quorumdam Auctorum calamo exaratorum, quos publico invidere impium & diris propè dignum facinus esset, in Manipulo Florum non semel citato, non Carrocium sed Carrocerum perpetuò habetur. Ejus autem hæc sunt verba; de Heriberto Archiepiscopo Mediolanensi. *Carrocerum quoque excogitavit. Est autem Carrocerum currus quidam admirabilis, per circuitum à summo deorsum Scarlato vestitus. In cujus medio est arbor procera contingens cœlum: quam quatuor viri portare non possunt. Quæ à frequentia virorum recta tenetur, funibus hinc inde protractis, in summitate arboris est Crux aurea splendens nimio fulgore, sub Cruce est vexillum album Cruce rubea insertum, hunc Currum quatuor juga Boum trahunt, qui serico albo cum faleris, cum rubea Cruce per medium sunt cooperti, magister Carroceri est vir honorabilis, quem Civitas Ense, Lorica, ac continuis stipendiis dotare tenetur, insuper Communitas providere tenetur de Capellano, qui juxta Carrocerum semper Missam celebret, & vulneratis det pœnitentiam, hic etiam magno stipendio per Communitotem dotari debet, sunt insuper octo Civitatis Tibicines, cum totidem militaribus Deferariis, quibus Communitas providet de duobus tentoriis, & salario militibus consueto.* Hæc habuit optimum illud Chronicon. Guido etiam Carmelita, Pisanus; in Concordantiis (ita enim appellavit) Historiarum aliquot antiquarum, sermone Italico exaratis; cujusque ego Volumen manuscriptum domi habeo, ita inquit; *in prima poneano lo Tabernaculo con l'Arca, lo quale Tabernaculo era à loro come Tempio è come Carrocio, & intorno intorno stavano li Sacerdoti e li Leviti à custodia e à servigio del Tabernaculo.* Non potuit aptiùs expressisse. Carrocium etenim fuit Palladium (ut ita dicam) militare, quod omnes summo studio certatim tuebantur. Qui plura volent adeant Ricordanum Malespinum, cap. 164. & 205. Villanum lib. 6. cap. 67. & alibi; Vincentium Carrarium in Historia Rubrorum Parmensium lib. 2. Friderici Imperatoris Epistolam 41. ex editione Gretseriana; Marquardum Freherum in Glossario, ad editionem suam Scriptorum aliquot insignium rerum Germanicarum; Vincentium Borghinium prima secunda Discursuum & Pignam lib. 11. Historiar. Inventum autem videtur placuisse exteris etiam nationibus. Siquidem narrat Nicetas Choniates Annalium lib. 5. Hungaros in pugnam proficiscentes, statuisse Vexillum in crassa & procera trabe, quam rotis impositam quatuor juga Boum trahebant. Decertatum autem tunc est cum Græcis Manuele Comneno imperante, qui synchronus pæne videtur fuisse Friderico I. neque verò semper productum est Carrocium in horrorem Martii pulveris, sed & in festivæ Hilaritatis plausum, Honoris ergo & publicæ Majestatis, ita Florentini obviam iverunt Latino S. R. E. Cardinali, cujus paulò ante meminimus, ut prodit Villanus lib. 7. cap. 56. Eumdem honorem nostri præstiterunt B. Joanni Vicesino, Sigonio teste, in Libris reliquis de Regno Italiæ, anno MCCXXXIII. Necnon & Friderico Imperatori, sexennio post, ut notavit Rolandinus lib. 4. cap. 9. Nomen porrò etiam Carrocio inditum fuisse observavi. Cremonenses siquidem Bertazzolam, vel Bertam nominaverunt suum: uti perhibent Sigonius lib. 18. de Regno Italiæ, & Chronicon Parmense m. s. apud me. Parmenses Crevacerem, seu Biancandum, Sansovino & Carrario testibus, nostrates Bertam, & alii fortè aliter. In gratiam videlicet viri alicujus, vel mulieris, quorum ingentia beneficia in Urbem redundassent, vel ut Civibus utcumque libuisset. Pignorius.

NOTÆ AD RUBRICAM VI.

(a) *Cod. Est.* Hæc.
(b) *In R.* dispersisque.
(c) *Desunt hæc in P. & R. usque* Decrescentes.

erexisset, Raynerius de Grimaldis Roberti Apuliæ Regis Admiratus (26) Pisanæ motionis per exploratores præmissos edoctus, veloci delatus septem Galearum navigio invasit, fuditque incautos, multis contra certantibus necatis, ceteris cum vasis, & omni ballistrarum apparatu ad Regem suum Neapolim (d) adductis. Decrescentes videns copias suas Cæsar, instinctu nobili in se ipsum compressus, Deo immortali, fortunaque sic reprimentibus, dum Urbis potiundæ tempus, necessitudoque non appetant, soli Coronationi innitendum constituit, superos, inferosque favores aliàs accepturus, bonum, faustum, Deumque in se propitium de corde non abjiciens, sed eventuros successus mente usquequaque conjectans. Summissis itaque, qui ab Johanne Roberti fratre, ac Ursinis exquirerent, (e) ut concessa Principis Apostolorum Basilica præordinata per Papam sanctione Coronam accipiat, mitigatione adversariorum nil voto consonum assecutus est, referentibus his, in Roberti Regis hæc assensu consistere. Expectatusque is assensus frustra, diuque præmissis ac remissis ad Robertum Regem Legatis Laicis ac Clericis, nullatenus habitus est, nullaque exaudita à Rege vox est, nisi, ut se se præstolarentur, negotiaque interim singula differrent, pollicitus inde semper, & in dies iter maturare, in singulis deficiens terminis (27), qui dilatione Tuscos, Italicosque Gelfos non modò fatigabant laborum fastidiis, sed spei vanæ illusionibus perturbabant, ignaviæ, socordiæque imputantibus Regis feminei Roberti nomen in Regem Bertam vertentibus, sicque vulgò vocitantibus (28). Sed alii alia certatim adjudicabant. Vulgabant nonnulli, Apuliæ (f) Regem in se ipsum divisum factionibus multis agitari; plurimos Imperii nomen dominiumque zelare; multos Francigenas odire; Francorum mores Apulis exosos; vixque minus, quàm Siculis varios varia exoptare; Friderici olim Imperatoris gesta in abditis susurriis laudari. Et ea propter circumspectum Regem Robertum à Regno digressum non elongare. Satis superque esse, dum metui sit Cæsari, subsistere (g) extra Regni fines. Præterea formidolosum admodum Fridericum Siciliæ Dominatorem numquam votis Francorum accommodum, quem cum Cæsare magno fœdere adstrictum constabat. Hæc, aliaque à Romæ accessu Robertum tamdiu arcuisse.

RUBRICA VII.

Acta circa Coronationem in Urbe, & ipsa Coronæ assumptio (a).

CÆsar his pertentatis proposito deficiens, Cardinales, ut se apud Lateranum coronarent, sollicitavit. Illis asserentibus nefas esse à Papali constitutione, rescriptisque discedere, literarum contextum, moremque longævum allegantes (29): Replicanteque Cæsare necessitatem legem tollere, vimque facti vi sacrarum legum pellendam: per ipsum non deficere ad Urbem Papali missione profectum Coronam accipere; veritati, & æquitati obsequendum fore; nec dubium, Papam emologaturum etiam ex post facto, si quid inhabilitatis in tanti consummatione negotii fuerit. Cardinalibus verò non assentientibus, Cæsar Populum Romanum, illum videlicet, qui suas partes fovebat, in Concilium evocavit has proponens facti angustias, quidque expediat consultans. Ex plebiscito itaque obtentum est, Cardinales Reipublicæ suasionibus precibusque Coronam dare; sin autem coërcendos per Tribunos, Populumque Romanum (30). Reluctantibus itaque Cardinalibus Plebs commota est, in illos excandescens, jamque furore accenso intra militias Cæsarem in privato affati sunt, se ad Papam facti tenorem direxisse, responsumque speratum intra Julias Kal. præstolari. (b) Hæc velit in mansuetudine persistens Majestatem Cæsaream Sacrosanctæ Ecclesiæ monimentis, institutisque obtemperare, obsequi, sic

(26) Fuit vir planè militaris, & fortunatus; uti vocat Villanus lib. 8. cap. 77. *Cæteris cum vasis & omni Ballistrarum apparatu*. Hujusmodi Vasorum meminit superius Noster *Galearumque corpora seu Vasa*, & alibi Galeas quatuor ac Vasa, sunt autem *Vascelli* quos dicimus Italicè, origine Gallicana *Vaisseau*. Archiepiscopus Consentinus, in Martino IV. de Rege Carolo ita inquit; *Sed quod concepit tunc adimplere nequiens, multa Vasa in portum Brundusii*, ne per fluctus hiemales vastarentur, aut capetentur ab inimicis, reliquit. *Pignorius*.

(d) *Cod. Est.* advectis, *& ita Amb.*

(e) *Fortè* in concessa.

(27) Prudentissimus Rex noluit omittere caput rerum, aprè ad Taciti doctrinam, quam luculenter illustravit aureis notis omnigenæ Historiæ peritissimus Christophorus Forstnerus Austriacus amicus meus, ad Librum I. Historiar. ejusdem Auctoris, noluitque se & rempublicam in casum dare. Videbat se Romæ, in Thuscia, & in Marchia nostra avidè expectari. Cùm ubique esse non posset malebat nullibi esse: ne postpositi contumelia incenderentur, & res novas cogitarent. Qua ratione universi in officio continebantur. His non attendens Joannes Bohemiæ Rex Henrici Cæsaris filius, ut Francorum Regi militaret Bohemiam pessumdedit, & demum Vita mulctatus est, animadvertente Jo. Villano lib. 10. cap. 197. & Ortelio, in Itinerario. *Pignorius*.

(28) Idem dicterium adnotavit & Sansovinus, neque ideo tamen Mussatum laudare aliquid pensi habuit. At huic nominis jocosæ inversioni inest Italicismus non inelegans. Dicunt enim nostrates *dar la berta*, *berteggiare*, & *berteggiatore*, quod Latini dicunt deridere, & derisorem. *Pignorius*.

(f) *Medii* Regnum, *& ita MS. Amb.*

(g) *An potiùs* intra?

NOTÆ AD RUBRICAM VII.

(a) *In epitomatis*, Coronatio Cæsaris in Urbe, & acta circa Coronationem.

(29) Hæc sanè ut Canonistas decebat, non enim Legato liceat à contextu Literarum abire; sed ejus est interpretari qui scripsit; stylusque Curiæ (ut appellant) servandus est. Ut latè pluribus disserunt Canonum Interpretes, & Everardus in Locis Legalibus Loco 105. in principio. Graviter enim monet, quisquis ille fuit, qui Legatum Pontificium præceptis prudentissimis instruxit, quemque Auctorem edidit Academia Veneta anno MDLVIII. *In toto autem actionum genere studendum est, ne quid temerè, aut à nobismet ipsis agamus, sed diligenter attendentes mandata, illorum fines severè custodiamus*. At illud verum vicissim est, summam injuriam esse summum Jus, & Necessitatem ante rationem esse, maximè in bello, ut pronunciavit Rex seriò magnus apud Curtium lib. 7. *Pignorius*.

(30) Tribunicius magistratus etiam his temporibus viguit in Urbe. Neque verò ita recens fuit, ut huic tantùm sæculo ortum suum debeat. Guntherus sanè in Ligurino lib. 3. hæc cecinit de Arnaldo Brixiensi,

Quin etiam titulos Urbis renovare vetustos,
Patricios recreare viros, priscosque Quirites,
Nomine plebejo secernere nomen Equestre,
Jura Tribunorum, sanctum reparare Senatum; &c.

Post Henricum Tribunus fuit Nicolaus Rentius, cujus vita extat typis impressa; & testimonium Francisci Petrarcæ viri eminentissimi, in Libro Epistolarum, quem sinè Titulo inscripsit. *Pignorius*.

(b) *Puto* hæc *esse Glossema, legendumque*: Velit in mansuetudine.

Digitized by Google

sic omnia prosperari. Circumspectus Cæsar remisso animo dictis acquievit, concione sedata, dimissaque. At intra hos dies impensis tanto exercitui deficientibus, ipsaque Regia Camera exhausta pecuniis, contributionem Populo Romano decrevit. Edicto emisso impatiens Plebs ad scandalum jam nullis aliis auctoribus concitabatur, exinanivitque illius contributionis edictum, Judæis dumtaxat, qui trans, & intra Tiberim morabantur, obtemperantibus (31). Dum igitur dies vigiliæ Principis Apostolorum instaret, summa luce de Palatiis Militiarum egre-

A diens multo cœtu in Montem Aventinum concessit. Postquam autem illuxit sequens diei festum, Populo comitante, ac Principibus suarum partium, Lateranum vênit, Missarumque solemnibus peractis (32), protestantibus Cardinalibus, scilicet Legato, & Luca de Flisco non sua sponte, sed Plebis, Regisque impulsibus (c) coactis parere, Coronam auream capiti ejus imposuere, multis Cleri, Populique applausibus inclyto Imperatori Henrico semper Augusto vitam, victoriamque conclamantibus universis, (33) in Aventinum ad parata convivia, comessatio-

(31) Judæi olim Romæ trans Tiberim habitabant; Trans-tiberini ambulatores dicti etiam Martiali lib. 1. ep. 98. prout etiam alii adnotarunt. At Benjamin Cantaber in suo Itinerario innuit, semet Romæ degente, recutitum quempiam habitasse trans Tiberim, & alios ad ducentos, nulli mortalium tributum pendentes. Quos tamen Henricus hac vice tributarios esse, satis æquo animo, passus est. *Pignorius*.

(32) Notavit etiam Archiepiscopus Cosentinus, quem diversum à Martino Polono statuit Blondus Decadis secundæ lib. 5. non procul ab initio, Henricum in Templum Sancti Petri intrare non potuisse, *præpediente exercitu hostium*. Confirmant Blondus lib. 9. Villanus lib. itidem 9. cap. 42. H. Stero Altahensis in Annalibus. Cavitellius. Crusius duodecade 3. lib. 4. par. 3. cap. 2. Annales Pistorienses, & demum Matthæus Palmerius, cujus Chronicon extat apud me manu exaratum, qui scriptum reliquit, contra decus Imperii, Laterani per contentionem coronatum fuisse, & profectò non habeo ego, qua ratione Sansovinum excusem; cùm scripsit ex Pauli Æmilii sententia & recentiorum omnium peractam fuisse Coronationem in Basilica Lateranensi: & unum Albertinum Mussatum repugnare, qui in D. Petri referat Coronam accepisse. Hoc verò dormitare est, vel alienis oculis scriptores lectitare. Ubinam hæc tradit Mussatus? num in Annalibus Vervecinis? an in Elephantinis? Et hæc Sansovini oscitatio in errorem fortè impulit Nicolaum Vignerium, in Historia, quam pertexuit, de domo Luxemburgica sermone Gallico, scribentem Corona insignitum fuisse Henricum in Basilica Principis Apostolorum. Ritè quidem & legitimè ibi coronari debuit, ante Confessionem etenim (ut dicunt) B. Petri hoc fieri moris antiquissimi fuit, in ea statione Carolus cognomento magnus, Otho itidem magnus, ibi Henrici, ibi Conradus, ibi Friderici, secundus & tertius Imperiali diademate sunt redimiti. Cur autem Confessio dicatur explicat Franciscus Maria Torrigius, qui sacras Cryptas Vaticanas Italicè descripsit, pag. 80. Dies verò, in quem Coronatio incidit fuit Petro & Paulo Apostolis festus, 3. Kal. Julii, non Kal. Julii, ut habet hujus nostri Textus, pagina proximè sequente, concinunt Martinus Polonus, Henricus Stero; & res ipsa loquitur, si enim Henricus instante die vigiliæ Principis Apostolorum, summa luce in Montem Aventinum concessit, & sequente die in Lateranum venit, ibique Coronam accepit: non igitur Coronatio Kalendas Julias attigit. Imò per hæc erroris arguuntur quotquot hæc in Kalendas Sextiles rejecerunt, in quorum numero sunt Villanus lib. 9. cap. 42. Cavitellius, Scipio Ammiratus lib. 5. Histor. Florentinæ, Constantius Felicius in Kalendario Italico, Vignerius loco citato, Conradus, Vecerius & fortasse alii. Crusius sanè non ferendus, qui Duodecadis tertiæ lib. 4. par. 3. cap. 1. coronatum scribit die Pentecostes: secus atque ipsemet Henricus (apud eumdem cap. 2.) tradidit in Epistola, ad Abbatem VValdsassensem, hisce verbis; *per duos Cardinales, die festo beatorum Petri & Pauli Apostolorum, (quem ad hoc ut poteramus virtute commissionis per D. Clementem summum Pontificem elegimus) in Ecclesia Sancti Joannis Lateranensis, præsente Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, & aliorum Prælatorum, ac Ecclesiasticorum ordinum Urbis, Ducumque, Comitum, Baronum, Nobilium, ac Romani populi innumerosa caterva: oleo sacro unti fuimus: nec non Imperiali diademate coronati, ac aliis debitis ac consuetis solemniis insigniti, &c.* Pignorius.

(c) *Pro se coactos*.

(33) Annales incerti Scriptoris, ex editione Pitoeana idem acclamatum fuisse tradunt Carolo Magno. *Carlo Augusto à domino coronato, magno & pacifico Imperatori Romanorum, Vita & Victoria.* Eumdem ritum acclamandi complexus est Otto Frisingensis lib. 2. cap. 22. *Cunctis qui aderant cum magna lætitia acclamantibus, Deumque super tam glorioso facto glorificantibus.* Quæ sunt dicta de Coronatione Friderici, neque ingratum fore opinor his, qui Antiquitatis instituta rimantur, si dixero acclamatum fuisse alias Principibus, ut benedicti venirent in nomine Domini. Anastasius in vita Sergii II. de Ludovico Lotharii filio, *decantantes universus Clerus & cuncti religiosi Dei famuli extensaque voce adclamantes, Benedictus qui venit in nomine Domini*. Consuetudine dubio procul repetita à Sacerdotibus veteris Legis; cujus extat nobile vestigium in Psal. 117. vers. 24. Quamvis eam excludat doctissimus Genebrardus; quam sanè ego non improbaverim. Hinc apud nostrum hunc Henricus benedictus appellatur, supra lib. 4. in Paræneſi Cardinalis Ostiensis ad Brixianos, *Tollite ecce vos infausta Infidelium secta, & ad pedes benedicti Regis in Ciliciis & Cineribus vos sternite humiles.* Et hæc omnia ab Hebræorum institutis manarunt ad nos, lib. 1. Regum, cap. 10. *Et clamavit omnis populus & ait* VIVAT REX, & lib. 3. Reg. cap. 1. VIVAT REX ADONIAS, & alibi.

Quæ etiam fuit in Oriente olim legitima formula adloquendi Reges. Danielis cap. 2. *Rex in sempiternum* VIVE, & cap. 3. *Rex in æternum* VIVE. Ad quam normam conformata sunt verba Sinætæ ad Regem Artaxerxem, Mnemonem cognomento, apud Ælianum lib. 1. Var. Histor. cap. 32. *O Rex Artaxerxa regnes in æternum*.

Nostrorum autem nonnulli ad Reges cùm scriberent, Vitam in Limine epistolæ describere consueverunt. Hinc manus Archiep. Rhemensis ad Carolum Regem, *Domino glorioso sit semper laus & vita*. Leo Papa nonus Brittonum Principi &c. *Secundùm Deum vivere volentibus vita & salus*. Ivo Carnotensis Henrico Anglorum, & Lodovico Francorum Regibus, *in eo vivere & regnare per quem Reges regnant*. Et hic mos vitam acclamandi apud nos à remotiore usque Antiquitate adeò inolevit, ut nihil eo tritius. Joannes Gabellinus in Commentariis Pii secundi, in fine lib. 4. *Ad noctem universus populus in Equis, cum luminaribus ad ædes Pontificis occurrit, ductaque per gyrum pompa, ante fores Palatii, magno clamore, & ingenti gaudio Vitam & Felicitatem optavit Pio*. Et de Coronatione Hungarica Matthiæ 2. anni 1608. (ut in semitam redeamus) testatur Joannes Jessenius adclamatum fuisse, *Vivat Rex, feliciter agat, æternum vivat, vincat, triumphet*.

Item; *Populus intra Templi parietes, plebs foris conglomerata Vitam Regi, Salutem, Felicitatem, Victoriam exoptare*. Post Coronationem peractam moris olim fuit Missilia spargere in vulgus, ut omnibus notum omnino est. Observatum hoc fuisse Bononiæ, cùm Carolus V. Maximus Cæsar ibi Coronam acciperet anno 1530. testantur Paulus Jovius, & Laurentius Surius: effusam nimirum in populum, ad dimovendum turbam, excitandumque lætitiam, argenteam, atque auream stipem, signatam imagine Cæsaris, & in Coronatione Hun-

sationesque cum Nobilibus, & Plebe delatus est Anno eodem Domini Nostri Jesu Christi Millesimo XII. CCC. Kal. Julii. Nec sinè adversariorum molestiis tam festivum, tamquam celebre convivium peractum est. Missi quidem ad scopulum Aventini Montis fundibularii, ac plures cum ballistis, discumbentes ad pulpitum spiculis inquietabant, aliquibusque sauciis per pavimentum ad loca tutiora sub parietum tegminibus confugiebant. (d) Objurgabantque conviciis in Cæsarem clamore sublato; sed hoc veluti parvipendens Cæsar in sua magnanimitate, nihil palàm molesti in patulum (e) ostentabat. Annibaldus autem, & Johannes de Sabello, quorum mentio supra habita est, quibus detinebantur in his motibus, angusta egressi loca, custodibus improvisis, se de palatiis in vicos passim subterfugere, perque Urbis appenditias ad Castra sua duobus ferme millibus ab Urbe distantia confugientes. Tuncque Cæsari adversantes milites (f) sexcenti Roberti Regis in Castellis eisdem suscipientes, bellum Cæsari intulere. Prædas itaque, rapinas, incendia, & hostilia quæque ad ipsas Urbis portas committebant, & ne quidquam deesset injuriæ, quæ in eorum potentiis consisteret, decurrentem fluvium ad eas Urbis oras, ubi Cæsaris omnis aquabatur exercitus, (g) obstruere, diruptis etiam Molendinis, quorum usu idem vescebatur exercitus. Quòd si ad Tiberim potiundæ aquæ causa iter convertebant, Roberti Regis Ballistarii illos à fluminis aditu repellebant.

RUBRICA VIII.

Exitus Cæsaris ab Urbe, & ad Tiburim profectio.

Sic deinde arctatus Cæsar, vix se intra Urbis mœnia continebat, rebus ad victum necessarium denegatis. Ratus deinde mutandi loci cautelas honestiores, tutioresque, Nobiles præfatos in jus evocari jussit, ut justo juditio, si contemserint, hostes adjudicarentur, quibus contumacibus, veluti bellum illis indicturus, Urbe egredi meditatus est. Armatis scilicet copiis Castra illorum tamquam aggressurus, parare, tuncque iter extra Urbem versùs Tiburim divertere insciis inimicis. Tibur quidem Civitas est decem & octo millibus passuum ab Urbe distans, quæ quamquam (a) publicæ rei subdita, partes tamen Columnensium fovebat, Imperatoremque affectabat. Relicto ergo Romæ præsidio trecentorum militum cum Præside, qui Columnensium oras, vicosque ac subarras tuerentur, diruptisque in planum Annibaldi, ac Johannis de Sabello palatiis (34) cum Turri Sancti Marci, oriente Sole Urbem egressus est, & recto itinere Tiburim contendit XIII. Aug. Kal. Dumque identidem (35) dies ferme quatuor egisset, Dux Bavariæ, Dalphinus de Vienna, Ugo frater Dalphini, Dominus Fortiniaci (36) ex gentis Cæsaris Principibus, urgentibus his causis, inopiaque apparatuum inter tantos obtenta Cæsaris licen-

Hungarica, cujus nuper meminimus, hæc Jessenius, *postremas partes Regiæ custodiæ Præfectus Ferdinandus Elbogner habuit, cum aliquot militum manipulis: in quorum medio duo à Cancellis, aureis argenteisque partim Regis Leone, partim nominis hieroglyphico signata numismata spargentes equitarunt, factum ex prisco veterum Romanorum Imperatorum instituto; qui Vestes, Unguenta & id genus Missilia in vulgus jacere Coronati consueverunt; luxu hoc, futuræ Liberalitatis signum, ab inita statim dignitate statuentes*. Et hanc Largitionem planè regiam præscribit mos pervetustus Serenissimis Principibus Venetis recens creatis, ut habet Liber Ritualis, vel Ceremonialis Ecclesiæ Sancti Marci, quem penes me servo, manu elegantis Librarii descriptum; adscribam autem verba Auctoris, qui fuit Nicolaus Moravius Plebanus Sancti Pantaleonis, Vicarius Sancti Marci, & Auditor Jo. Baptistæ Egnatii, indicant autem ritum antiquum, & Ducum Venetorum majestatem penitus Regiam. *Et descendens in medium Chori, per Primicerium vel Vicarium, seu Canonicum eidem consignatur Vexillum rubeum Beati Marci dicendo, consigno Serenitati vestræ præsens vexillum Beati Marci in signum veri Ducatus: per suam Serenitatem responso, & ego ipsum recipio in nomine Domini, ac Protectoris nostri Sancti Marci, ipsumque dat Armiralio Arsenatus. Qui ipsum defert usque ad gradus extra Chorum, ubi parata est, quam vocant Galeam, cum Pulpito, in quem ascendit sua Serenitas cum duobus suis consanguineis, qui Denarios populo spargendos præparant, & cum sua Serenitate projiciunt, &c.* De Sparsione hac, sive aureo imbre, altum hic Silentium: veluti & apud Frisingensem, & Guntherum in Coronatione Friderici. Convivium & comessatio videntur vicario loco successisse largitioni illi, & profectò Pontificale Romanum post hujusmodi peracta solemnia, Convivium præscribit Imperatoribus, cujusmodi pro dignitate descripsit Carolinum Bononiense Paulus Jovius lib. 27. Historiar. & ex Jovio Surius. Quibus adcensuerim ego Regium Hungaricum Matthiæ, a Jessenio celebratum polito admodum stylo; qui potuit sanè & fortè debuit veniam a clementissimo Cæsare impetrare Auctori suo, ne Lingua Musis Sacra, funesto Carnificis ferro excinderetur: neve inter miseros spectaculo esset is, qui docta Panegyri immortales Gentis augustissimæ laudes prosecutus erat. Verùm ad nos. Summi Pontifices Romani & ipsi instituerunt post Coronam sumptam in Basilica Lateranensi Convivia agitare: quod Literis prodidit Fabricius Saleminus anno 1590. Pontificali Tyara insignito Gregorio XIV. neque verò non aliquando, sparsa & profusa stipe, publicæ Hilaritati litarunt, de Leone X. certè testatur Jovius lib. 3. Vitæ, quam de ipso conscripsit, sparsam à Quæstoribus per omnes regiones larga manu auream, argenteamque pecuniam, tanta Leonis liberalitate, ut ipsi centum millibus aureis eam pompam Pontifici constitisse faterentur. O planè dignum caput, cui Parnassus vertices suos inclinet, cui jam usu desita Liberalitas uni præ cæteris assurgat? *Pignorius*.

(d) *Cod. Est.* Objurgabanturque, *& ita Amb.*
(e) *In R.* ostendebat.
(f) *Fortè* sexcentos.
(g) *Meliùs* obstruxere, *& ita Amb.*

NOTÆ AD RUBRICAM VIII.

(a) *In P. & R. fortè* populo Romano.
(34) Dirumpere in planum apud hunc nostrum est Italicè *Spianare*, Latinè solo æquare, corrigo autem Martinum Polonum eadem de re loquentem; hæc verba; *& in direptione domorum tunc Roma graviter fuit deformata*: & lego *diruptione*. Planum autem Mussati sæculo fuit, quod dicimus vernaculi *la Pianura, & il piano, & la Campagna*. Quæ omnia denotant ipso vocis sono origines suas. Planuriam enim legimus, & Campanias & Campanea loca apud vetustos Limitum Auctores. Apud eumdem autem Martinum Polonum, quod est Planum Burdegalense, Villano est *Bordella*, hodie *Bordeaux*, & Burdigala Vibiscorum. Sanctus Bonaventura in vita Sancti Francisci §. quinto. *Subito Liberatoris sui virtute inveniens se in plano*. Et huc pertinent Pede-plana Turrium, quorum meminit lib. 13. Cod. Theodos. de Metatis unde vox nostras *à pepiano*. Pignorius.
(35) Meliùs *ibidem*. Villanus.
(36) Lego Fortiniaci, ut supra in fine lib. 6. Subaudiæ, Fortiniacum, Gebena. *Die tis celeribus* Italicè *à gran giornate*. In eadem significatione acceperunt Jo. Sarisberiensis lib. 5. Policratici, cap. 12. *Dicunt etiam præproperum esse viatorem, qui antequam Lucifer oriatur, crassis adhuc tenebris*

Digitized by Google

licentia, impetratisque ab Johanne Roberti fratre ex indulgentia rescriptis cum militibus circiter quadringentis discesserunt, diætis celeribus longisque Viterbium applicantes. Ex quibus causis divisa, extenuataque Curia intra Tiburis mœnia, utcumque poterat, subsistebat cum militum ferè numero nongentorum. Ad Johannem itaque Roberti Regis fratrem in Urbe undique ex Tuscia, Bononia, Apulia, & ex Patrimonii Terris confluebant militum peditumque copiæ, ubi jam ferme tria millia militum aggregata, pedites sinè numero. Nec minùs anxium sollicitumque Cæsarem Annibaldus, & Johannes præfati assiduis contumeliis vexabant, concurrentes ad Tiburis portas, & Regem Romanum conviciis increpantes ad prœlium evocabant. Sed hoc pro tempore locoque Cæsar mansueta æquanimitate tolerabat. Iisdem diebus circa mensis Julii exitum ad Legatum Papales literæ allatæ sunt, ut scilicet Urbe Cæsar, Robertusque Rex cum universis abscedant copiis, quodque dispositis in pace rebus ipse Romam proficiscatur, hæcque præconiis vocibus in Urbe, & Tiburi conclamata sunt. Arctatus, extenuatusque Tiburi omnibus copiis Cæsar, spe sublata potiundæ Urbis, ad motus alios proniore fortuna laxavit intentum. Suadentibus, angentibusque Etruriæ Primatibus (37), quos vetusta quærendorum, visendorumve larium stimulabat anxietas, in amicas Terras retrocedere constituit. Subeunte ratione, si Tusciam provinciam prosperiores largirentur eventus, ibi & sedem futuram Italiæ tamquam in centro positam accommodamque Cæsareæ Majestati. Provinciæ hujus, tamquam sortitam à re vocabulum, Florentiam (38) ceteris Civitatibus, ac Coloniis ingenti magnitudine præstare constabat, veluti Provinciæ dictæ fastigium, hujusque subigendæ causæ suberant, Regium allicientes animum. Nec deerant hujuscemodi aggrediendæ vicissitudinis promotores. Erant Gibolengæ partis vetustissimi, Imperium, uti signum Cœleste, colentes (39): Erant Albi, genus hominum superstitionis novæ, qui nati ex Gelfis, ejusdemque factionis ex civilibus dissidiis à suorum communione discesserant, unitique Gibolengis ad omnia Gelforum irritamenta, perniciesque: & horum magna pars exiliis afficiebatur. Nactique hi Alborum agnomina à primis Pistoriensibus Gelfos Nigros vocitantibus, quæ dispersa per Italas gentes adolevere vocabula. Genera hæc Cæsarem, & Imperium affectabant, perque Urbes has in ipsarum visceribus divisæ, auctæque factiones. Nam, sicut in omnibus politiis plurimum contingens est (40), ex minùs potentibus ad potentiores exoriuntur seditiones, sicque semper humanus vexatur instinctus, isque ad novarum rerum optiones inferiores inducit. Deinde nonnullos sanguinis vincula urgente natura relegatorum parentum sollicitabant, torquebantque præcordia, & horum plurimi consanguineos in patrias terras videre cupiebant. Nec Cæsarem fallebat hac quæsita Provincia, Longobardis rebellandi facultatem non fore multis suæ partis potiores Urbes constanter obtinentibus, sicque ab Tiburi usque in Alemanniæ ostia (b) limen patere.

(c) Hac tempestate Ferrariam conflictis, pulsisque Venetis, qui post obitum Magnifici Azonis Marchionis Estensis illam occupaverant, possidebat Dalmasius ex Cathelonia oriundus (41), à Clemente Papa præfectus. Is Magister militum,

nebris, luceque remota, diætam aggreditur. Cæsarius Heisterbacensis lib. 1. primæ partis cap. 40. *Inter Augustam verò & Veronam septem diætæ numerantur*. Illud verò admodum novum est, Vitam Caroli IV. Imperatoris appellari ab ejusdem Scriptore Diætam. Vita nimirum dies vel etiam hora est, nisi malimus diæculam, vel horulam appellare. Illam priorem notionem agnovit etiam Joannes de Balbis *& est die diei itineratio, unde diæto diætas idest per diætas ire*. Pignorius.

(37) Hos potiores fuisse è Gibolenghis, quos & nominat, scripsit Vincentius Borghinius, Discurs. parte secunda, pag. 331. Altovitos, Adimarios, Ubaldinos, Albos omnes, qui Nigros infensissimi oderant, noster Auctor in principio paginæ sequentis; *erant Albi genus hominum superstitionis novæ*, qui nati ex Gelfis &c. quem locum mirificè illustrat Borghinius, ead. prima pag. 40. & 41. *Pignorius*.

(38) Notitia Urbium manuscripta, quam sæpè laudavi, in hanc sententiam hæc disserit, *sed postea Senatus decreto à Floro, sive Florino, qui primus in loco illo fuerat Ædificator, & quia locus floridus, & idem Florinus in armis floruerat, & eo quòd à flore nobilium Romanorum inhabitata erat, deberet Florentia nominari, unde quidam*

Flos Florum floret Florentia semper honore,
Re vera Civitas ista magnificè ut populosa & opulenta, & ditissima inter Orbis urbes dici possit. Hæc autem cudit Monetam, cum qua ferè mundus omnis tunditur, imò per illam peccata hodie fiunt mirabilia. Demiror quid Sculpturæ significent Sigillo ipsius Civitatis impressæ, est enim in eo Herculis Imago Clavam manu gestantis, & versus

Herculea clava domat Florentia prava.
Nam adverti potest, quòd hodie Civitas ipsa aureis quos fabricat ab ipsa Florentia nominatis Florinis, majora longè, quàm Clava Herculis domat, & dominatur in Orbe. Pignorius.

(39) Palladium voluit dicere, quod antiquitus cœlo delapsum arbitrabantur, & ideo maxima religione colebatur, nec sanè potuit aptius exprimere studium Gibolengorum, vel insaniam

veriùs. Et inter cætera hujusce rei testimonia, quæ possem proferre, unum mihi selegam ex epistola Ecelini de Romano ad Fridericum Imperatorem, apud Rolandinum lib. 4. cap. 7. *Et ego cùm bonæ memoriæ Pater meus Ecelinus, dictus verè de Romano*, (quæ verba mysterio non vacant, dicta studiosè ut exprimatur devotio erga Romanum Imperium) *& ipse subditus & obediens extitisset Imperio, & Coronæ; spem vitæ meæ totaliter sub dominationis vestræ clypeo posui & tutela; pugno quoque & pugnabo dum vixero, quod honor & culmen Imperii de bono semper in melius augmentetur & crescat, hoc est enim ut video singulare illud justæ gubernationis remigium, per quod naves hujus sæculi transiens fluctus maris ad portum salutis adducitur; hoc est illud inclytæ Sapientiæ frænum, cujus loris Mundus, quasi currens sonipes moderatur*, & cætera venerationis plenissima. *Pignorius*.

(40) Aristotelica hæc sunt, lib. 5. Politic. cap. 1. & 2. Cæterum quid vox Politia significet, quisque fuerit ipsius apud probos Auctores usus eruditè pertractat Ludovicus Regius in Prolegomenis Politicis, cap. 5. *Pignorius*.

(b) *In V.* limenque.

(c) *In epitomatis hæc à superioribus distinguuntur, & Rubricam novam efficiunt hoc titulo*: Mors Francisci Marchionis Estensis.

(41) Hunc Dalmasium perperam Gallum faciunt Philippus Bergomas, qui hic hallucinatur: & Julius Faroldus in Annalibus Venetis, anno 1312. fuit enim Dalmasius domo Hispanus, ut etiam vidit Petrus Justinianus lib. 3. Historiar. in fine, hac in re Mussato & Sabellico adstipulatus. Ludovicus etiam Dominicus, qui Commentarios rerum Ferrariensium Jo. Baptistæ Gyraldi Italicè vertit, falsus est in eo, quòd Francisci Marchionatum veluti cognomen interpretatus est; pag. enim 65. ubi nominatur *Francesco Marchione*, scribere debuit *Francesco Marchese*. Porrò de Francisci nece, meritò an immeritò patrata varias sententias illa ætas tulit, & noster tantum sibi non sumpsit, ut rem definiret, licèt lib. 2. de Gestis Italicorum post Henricum Cæsarem pag. 7.

Digitized by Google

tum, virque bellicosus erat, qui mercede à multis Italicorum accepta vitam in armis exercuerat. Degebat & Ferrariæ, ut privatus, Illustris Franciscu Marchio, præfati Azonis olim frater, qui Præfecturæ, ac Dominatui ejusdem (d) Civitatis post ejus mortem, paternæ domus ut successor, ab intimis aspirabat. Sic igitur (e) utrinque obortæ simultates. Is livor diu latitans in dies incendebatur. Præoccupata tamdem loci, & temporis opportunitate, Dalmasius ex (f) prævisso conceptu, dum Franciscus in Silvam ad venationem exisset, Cathelanorum præsidia per vicos distribuens, Aldobrandinum alterum Francisci fratrem, ceterosque qui ejusdem factionis erant, publicæ rei gerendæ causa veluti consultaturus in Concilium evocavit. Hosque custoditos pro rei gerendæ cautela tenuit ad prædestinatam horam advenientis Francisci. Dumque jam declinante Sole adventaret è venatione Franciscus cum paucis inermis, ense dumtaxat ex more ad latus, nunciata jam rerum suspicione Francisco, ut subsisteret, non acquievit. Se nihil malè promeritum asseveranti, causasque non subesse, ob quas tutò ire fiducia, facultasque desint; Procedenti Porta Leonis patuit, sed confestim, ut ingressus est, ab ipso Dalmasii fratre, Cathelanisque circumventus, stipatusque est. Ajunt plerique, eum ex præordinato capiundum dumtaxat, ni ad capulum manu superjecta, vi-

A ribus uti, tutelaque demonstrasset. Alii jam necem præconstitutam fore. Lanceis itaque, ac pugionibus statim confossus concidit. Proh tantæ strenuitatis, Magnificæque Domus pudor! (42) denudatum in ludibrium nobile corpus in tabe lutoque paternæ Civitatis (43) non exportatum diu jacuit, quoad ex Religione viri prodeuntes, obtenta licentia humandum nullo necessariorum fletu deferrent. Visa, vulgataque res hæc perquam crudelis, horrendaque adjudicata est per Longobardiæ, Tusciæ, Marchiæque Tarvisinæ fines; hoc indignum funus ab alienigena tantique excessus indigno, vel præsumptus Viro. Fuere alii, qui certatim diversa dictitarent, causas scilicet subesse tantæ rei

B aggrediendæ, patrandæque. Vulgabant quidem in diversoriis, Franciscum in necem Dalmasii clandestinè per satellites molitum, quòdque illi capti, confessi, convictique suppliciis addicti forent, & hoc Papam non latere, quapropter exosum Franciscum habuerit. Itemque hoc ipso tempore res novas Franciscum in Ferraria exorditum adversùs Dalmasium cum suæ factionis viris; quodque in eum statuerat & ipse perpessus sit. Hæc, & alia optionibus variis per vicinas terras vulgata, multisque veluti confabulata susurriis. Veritati locum superfore censeat Judicantis auctoritas.

C

pronunciet Franciscum à Dalmasio cæsum fuisse per seditionem. Vetus sanè Auctor Chronici VII. Ætatum aliter sensit, hisce prorsus verbis, *ipso anno* (1312.) *mense Augusto Franciscus filius Obici .... postquam obtinere non valuit à Papa, ut constitueretur Vicarius in dominatu Ferrariæ, molitus est vi aut fraude occupare dominium, cum adjutorio Guelforum victorum, Damasius Præfectus Urbis per Summum Pontificem, in Portu Civitatis Franciscum interemit. Complices ejus aliqui capti, & aliqui aufugerunt.* Hæc ille Auctor, Estensibus (ut dicam quod sentio) minus æquus. Joannes Baptista Pigna, Gaspar Sardius, & Marcus Antonius Guarinus laudibus extollunt. Pigna Diegum & Dalmasium manifesto errore confudit, Guarinus Dalmasii fratrem Rinaldum nominat, Compendii Historici lib. 3. pag. 123. *Ab ipso Dalmasii fratre Catbelanisque circumventus*, inquit Auctor noster. *Pignorius.*

(d) *In P.* Civitatis Ferrariæ.

(e) *Cod. Est.* inter utrumque.

(f) *Cod. Est.* improviso.

(42) Citari solet hemistychium Ovidianum lib. 9. Metamorph. de Galanthide

Strenuitas antiqua manet ....

Est autem Strenuitas hoc loco Virtus, sed planè militaris, cujusmodi etiam Romani Cæsares in suis Nummis procudi curabant: militis schemate; cui Lactantius Firmianus facem scripto præfert lib. 1. *Virtutem esse dicunt, quæ hominem tollat in cœlum, non illam, de qua Philosophi dixerunt, quæ posita est in bonis*

D

animi, sed hanc corporalem, quæ dicitur Fortitudo, & alibi, *alia Virtutis quam eamdem Bellonam vocant.* Et eamdem notionem agnovit etiam Valerius Maximus lib. 3. cap. 2. *Strenuus ille quoque flos ordinis equestris, cujus mira virtute &c.* Curtius etiam lib. 7. in Elogio Parmenionis. *Pignorius.*

(43) Lego, *in tabo lutoque* satis patheticè expressit rem indignam, ita Virgilius

Nudus & ignota Palinure jacebis arena.

Nullo necessariorum fletu deferrent. Videntur expressa ex illis

Nos animæ viles inhumata infletaque turba
Sternamur campis ----

Lacrymas enim carorum in funere nemo nisi inhumanus inhibuit, & arguit velut insolitum Pedo etiam Albinovanus

Et quisquam leges audet tibi dicere flendi?
Et quisquam lacrymas temperat ore tuas?

Lacrymarum enim affectus longè vehementissimus est inquit M. Fabius lib. 6. Institution. Oratoriar. cap. 1.

--- mollissima corda
Humano generi dare se natura fatetur
Quæ Lacrymas dedit ---- Et
Naturæ imperio geminus — inquit Juvenalis Sat. 15. ubi manuscriptus Interpres meus, quem alias etiam produxi, hæc tradit, *fatetur Natura se dedisse homini cor misericors, quia dedit etiam lacrymas, quæ sunt signa misericordiæ.* Novi ergo punitores misericordiæ sunt, ut inquit Valerius Max. qui lacrymari vetant, & imperio minaci coercent. *Pignorius.*

Albertini Mussati Paduani de gestis Henrici VII. Cæsaris Liber Octavus explicit.

ALBER-

Digitized by Google

ALBERTINI MUSSATI
DE GESTIS
HENRICI VII. CÆSARIS
LIBER NONUS.

RUBRICA PRIMA.

Egressus Cæsaris è Tiburi, & adventus in Tusciam.

BEllum laturus in Tusciam Cæsar multis ad idem propositum recensitis, diuque permensis, properè (a) scilicet Tiburi accitis ab Urbe, compositisque copiis egrediens longo laboriosoque calle Viterbium petiit, inde Perusinos incutiens fines. Cùmque hanc Civitatem adversam sibi, suisque jam prænovisset, mœnia vitabundus per (b) colonias, populationes suis concessit, exacuitque motus in acriores actus, ut ceteris Tuscis timori foret, & veluti in arma furens (1), viasque Marte discindens. Nec Gallicus, Germanusve furor suis ipsis parcens, Castella, & Terras Comitum de Marzano damnorum contumeliarumque immunes fecit, quam-

A quam & hi Cæsaris partes fovissent. Communis clades cuncta igne ferroque vastavit; sicque populabundus tumultuariis gressibus copias omnes in Aretium contraxit. Ibi tamquam sponsus in thalamum suum (2) susceptus, exeunte congratulanteque omnium Gibolengorum frequentia, moras omnes sustulit trepidantibus vicinarum Urbium undecumque Gelfis. Cœptoque illico authoritatis Imperatoriæ primordio, Robertum Apuliæ Regem in judicium citandum jussit, emisso edicto in diem certam, mulctâque indictâ, si se contumacem reddiderit.

RUBRICA II.

B *Insultus Cæsaris in Florentinorum agros, & acta circa Florentiam.*

NEc minùs extemplò Aquilas, aureamque flammam explicans (3) in Florentiæ fines

NOTÆ AD RUBRICAM I.

(a) *In V.* properè è Tiburi, *& ita Amb.*
(b) *In V.* Colonias suis.
(1) Tollerem conjunctionis notam. Et paulò post, *Comitum de Marzano*, Appellatur hæc gens, *i Conti de Marciano*. Sed hic noster posuit, *z*, pro, *c*, more Longobardico. *Villanus*.
(2) Superiùs dixerat. *Ad se veniat orantes uti ad domum & thalamum Regium*. Thalamum vocamus Cubiculum, vel Cameram, vel conjugalem Lectum sponsi & sponsæ, ut nos docet Joannes Genuensis, ideoque notat Virgilium Servius, quia cecinerit lib. 6. Æn.

C *Ferreique Eumenidum thalami ----*

quia Furiæ nunquam nupserint, egregiè autem lib. 2.

Quinquaginta illi thalami, spes tanta nepotum.

Ut Apulejus lib. 4. Metam. Thalamum videtur secernere à Toro, & a Cubiculo. *Nam visa sum mihi de Domo, de Thalamo, de Cubiculo, de Toro denique ipso violenter extracta &c.* & sanè videtur Thalamus fuisse temporariæ structuræ. Claudianus de Nuptiis Honorii & Mariæ

Ast alii thalamum docto componite textu:
Stamine gemmato picturatisque columnis
Ædificetur apex ----

Virgilius tamen lib. 4. Æn. marmoreum statuit

D *Marmoreo referunt thalamo ----*

De Thalamo sanè non omnibus obvia notavit A. Janus Parrhasius in Commentario Claudiani de raptu Proserpinæ lib. 1. in princ. *Pign.*

NOTÆ AD RUBRICAM II.

(3) Aquilas Signis Regiis fuisse impressas quis non novit? hic noster lib. 6. Rub. 6. *qui Regium vexillum, Aquilamque gestabat*. Fuit autem biceps, & bicorpor ut ita dicam, vel aurea tota, uti gestarunt Imperatores Orientis, vel atra uti Cæsares Occidentales: & notat Borghinius Discurs. p. 2. Aurea flamma, sive Flammula fuit vexillum Gallicum, prolatum è templo D. Dionysii & sociorum; tradente Papyrio Massonio in vita Philippi Augusti, à Gallis videtur manasse ejusdem usus ad Castra Augustorum. Forma fuit quadratum, colore rubrum, ut asserit Vvilelmus Armoricanus citatus à Balthasare de Vias in Sylvis Regiis.

Vexillum simplex Cendato simplice tectum
Splendoris rubri, quali celebri Litaniæ
Utitur in certis Ecclesia Sancta diebus.

Ubi Cendatum est pannus sericus tenuis, qui apud nos etiam hodie nomen retinet *Cendado*: quo etiam Cruces in Processionibus, & Vexilla, seu Banderias in agminibus Militum ornamus, & hujusmodi Cendatum appensum etiam fuit olim sublimi Antemnæ Carrocii, sicut discimus ex Rolandino lib. 4. cap. 9. Robertus Gaguinus in vita Ludovici Grossi narrat Regem in prœlium euntem, sumpsisse ex Altari Auriflammam; id enim peculiare signum Regibus Francis esse, dum difficile aliquid in potentem quempiam hostem suscipiunt, describit autem his carminibus Balthasar de Vias

Vexillo invigilat Tritonia, bractea totum
Aurea format opus, lux hinc inimica per hostes
Fulgurat, & gelidos quatit Auriflamma timores.

Dantes & ipse divino ingenio vir, qui nihil prætermisit, quod modò Poema suum ornare posset, Paradisi Cantui 31. Auriflammam intexuit.

Così quella pacifica Oria fiamma
Nel mezzo s'avvivava e d'ogni parte
Per egual modo allentava la fiamma.

Ubi Virgo Beatissima aureo pennicillo describitur, appellaturque Auriflamma sed pacifica, ut enim illa Gallica, seu Cæsarea præibat in procinctu.

Omnibus in bellis habet omnia signa præire.

Inquit Armoricanus, ita MARIA præit beatorum omnium agmina. Qui plura cupiet de Auriflamma adeat Octavium Rossium, qui Brixiam Patriam eruditis Voluminibus illustratum it, is enim peculiari Libello sitim restinguet.

Quod verò Henricus aggressus sit Montem VVarchium primum, deinde Castrum Sancti Joannis; id sanè ratio Itinerum & præsidiorum postulabat. Siquidem contra Aretinos infestos nomini Florentino, Ancisa, Castrum Francorum, & Castrum S. Joannis excitata sunt. Quod tradidit

Digitized by Google

nes processit, exustisque ædibus, & singulis ad prædam concessis, Castrum Montis Varchi vix intro confugientibus, seque ad tutelas accommodantibus terrigenis undique circumsedit. Novo terrore perculsi, qui præsidio erant, stupefactique repentina obsidione tam validis, potentibusque hostibus ad pugnam jam se coaptantibus, vix capiundo consilio vacabant destinatis horis, inscii, ignarique quid & Florentiæ tanto in motu actum, præsumtumque sit, à qua parte nulla vera notio illos exhortabatur. Sic itaque circumventi, confusique ex diffidentia tutelæ, petitis, indultisque personarum, & rerum remediis deditione Castri ad Cæsarem defecere Anno D. N. XII. CCC. Millesimo circa Kalendas Septembris. Felici itaque usus successu Cæsar, Castris inde motis, Castrum Sancti Johannis aggressus est, quod Terrigenarum in partem Imperatoriam declinantium factione prodito præsidio, (a) qui custodiæ erat, continuò in deditionem accepit. Capta ibi Cathelanorum equitum capita (b) XL. peditum LX. Tantarum rerum tumultus Florentiam delatus admiratione terroreque multo quosque Cives concussit. Captatis tamdem opportunitatibus temporis, compositis militiis, centuriatisque aciebus cum plebeis manipulis occurrentes Cæsari, ad Ancisam substitere, quo advocatorum sociæ partis Lucensium, Senensium, & ceterorum Gelforum subsidiis ante congressum (c) unirent. Cæsar, seu spe intestinæ factionis, seu cautiori potiundæ Urbis ingenio Castra movens, vitabundus & ipse iniendi perperam congressus ad Civitatem iter divertit, spacioque mille circiter passuum à suburbiis substitit fixis Castris. Florentini (d) tanta rerum variatione perterriti, admiratique celeri meatu Florentiam regressi sunt. Tunc utrinque aggregandarum virium studia: Cæsari depopulandorum agrorum, ædiumque circum mœnia, ut & intrinsecorum præcordiis tanto improvisu terrores incutiat, feriatque facti admiratione mentes: Intrinsecis egregia in tanto anfractu, virilisque audacia, Tusca subtilitas, providere, vigilare (4), amicitias exteras evocare, sollicitare, mœnia circuire, vallare, nova fœdera inter se percutere, sponsalia (e) copulare. Quodque in Civitate Florentiæ vix eventurum pacis tempore existimabile, à plebe contra Magnates instituta ob violentias evitandas, ex plebiscito sublata sunt, abrogatis abolitisque decretis Tribunitiæ potestatis. Vulgata adventantis Florentiam Cæsaris, increbescenteque notitia per Tusciæ Urbes, Bononiamque delata ad arma capescenda, qualis antea non fuerat publicus privatusque concursus. Ad hunc non Imperatorem, non Romanorum Regem, sed humani generis hostem propulsandum communis earum gentium festinabat intentio: submovendum hunc non modò Tusciæ finibus, sed terra marique repellendum. Discurrêre confestim è Luca, Senis, Perusio, Castello, Vulterra, Sancto (f) Germiano, Colle, Pistorio, Bononia, Romandiola, earumque Coloniis militum turmæ, catervæque peditum, relictis duntaxat custodiendorum locorum præsidiis, quorum copias vix Florentina mœnia continebant. Cæsar palantes cohortes ab incendiis, populationibusque revocans in una castra coëgit, foveis circumvallavit, suburbanisque vicinas castrorum munitiones compressit, unde armorum, virorumque fremitus, hinnitusque equorum exaudiebantur. A Cœnobio quidem Sancti Salvi ad Florentiæ pæne appendicias Castra Regia protendebantur; nec jam (g) Musellum, aut Scarparia, vel quisquam ad Urbem aditus, à mane, meridieve, ad fulciendam Urbem patebat. Supervênit tunc in partem Cæsaris nova clades. Nam, ut Florentinis Pisani obvii infestique forent, ad vicinum Pisis Florentiæ Castrum exercitum duxere, stativis circumpositis; seu, ut partem copiarum à Florentia distraherent; seu, ut illo sublato Castello Castrum Sancti Miniati aggrederentur, sicque diverterent, minuerentque unitas Florentinorum vires. Tum Dego Marescalcus omnium bellicorum apparatuum cum ferme militibus mille, peditibus totidem, noctu iter movens, ante lucem insperatum, inexpectatumque prœlium in Pisanorum castris intulit. Improvisi Pisani pæne arma capescentes, jam multis in ipsis tentoriis trucidatis, nihil præter terga hostibus dedere. At militum consternatio minor, qui ad propinqua Pisarum municipia citatiores fugere. Tunc cædes, ac strages, quantam victoribus pro libitu fortuna, casusque administravit. Relictis siquidem castris in fugam omnes conversi, à tergo cæsi sunt. Eo die Pisanorum capita sexcenta occisa, (h) totidem circiter capta; Vexillaque, & signa Regia, multaque alia militaria cum tentoriis, & stativis grandis (i) existimationis Florentiam relata. Perque hos dies ipsis Kalendis Octobris paulò ante Luciferum ab Hesperia ad Hyperboream plagam sub Bootis temone in aërem infimum metuendum Regibus signum descendit. Igneus scilicet, & æstuans Cometes (5) faciem terræ magno collustrans fulgore, qui dimidia, & una ferme hora exustus, consumtusque est. Hujus erat flammeum corpus concretum longam ab Hesperia caudam protendens, tortuoso, convolutoque in sursum acumine, cujus altera linea latior, ipsa tamen cauda brevior in eam partem, quæ Occidens ab Aquilone dividit, protendebatur. Interea Florentini, ut gentibus Cæsaris pervagandi, prædandique saltus auferrent (6), utque frumentandi de Aretii finibus vias præcluderent, Fe-

didit Paulus Minius, in Discursu Italico, de Nobilitate Florentina, & Joannes Villanus perhibet lib. 10. cap. 100. adversùs Ludovicum Bavarum Aretium adventantem, præsidiis militaribus firmata fuisse Montem Vvarchium, Castra S. Joannis, & Francum, Ancisamque, quam bello Henrici Florentini insederunt. *Pignorius*.

(a) *Ut alibi*.

(b) *MS. Amb.* LX.

(c) *Fortè* unirentur, *aut* se unirent.

(d) *In V.* tantarum rerum variarum perterriti.

(4) Hujus loci sunt verba Bonifacii VIII. apud Matthæum Palmerium. *Celebrans adhuc Pontifex Jubilæum, in publico Prælatorum assensu, recensuit, se eo anno XII. Legationes, quarum Florentini extiterant Principes, à diversis Mundi Principibus accepisse, & Legatorum inde nominibus, atque familiis palàm exhibitis, injunxit, in gloriam igitur Florentini nominis affirmo, in gubernatione Orbis Terrarum Florentinos aliud elementum fore*. Pignorius.

(e) *In R.* capitulare.

(f) *Cod. Est.* Sancto Miniato.

(g) *Cod. Est.* Mugellum, *ita & infra*.

(h) *In R.* ac etiam totidem.

(i) *In R.* æstimationis.

(5) Hujus Cometæ neque Mizaldus, neque Mizaldo antiquior Joannes Vivianus Brixiensis meminere: neque Joannes Villanus curiosus hujusmodi Phasmatum adnotator. *Pignorius*.

(6) Italicè *levare li Passi*. Patavii dicimus *togliere li salti*. Et significat impedire, & auferre potestatem. *Fesulanam, Arcem Basilicamque Sancti Miniati in monte*. De Basilica, sive Templo Sancti Miniati graphicè Villanus lib. 1. cap. 57. Arcem verò Fesulanam Florentini à fundamentis diruerunt anno MCXXV. sanxeruntque ne

Digitized by Google

Fesulanam Arcem, Basilicamque Sancti Miniati in Monte, ac palatia filiorum Petri Benincasæ ad collem Ripolis sita, muniere præsidiis, ex quibus locis undique Cæsaris speculabantur exercitum, multæque pugnæ tumultuariæ intercedebant pallantibus Cæsaris persæpe militibus. Harum pleræque memorabiles. Brancharolus (K) de Eugubio Pisanorum miles mercenarius in Vulterranenses agros prædabundus exiverat, in quem Belaqua de Vicecomitibus, qui fortè cum militum ala, peditumque levis armaturæ manu, ut agros eosdem tueretur, obambulabat, incidit. Tuncque impari concursu improvisus Brancharolus, cui minor sociorum copia erat, concidit, fusis, occisisque tribus & nonaginta, in quibus quatuor & triginta in equis erant, captisque duobus & quinquaginta Gibolengi nominis Florentiam adductis. Ferèque iis diebus circum Octobrias Kal. à Florentinis stipendiariis annonæ centum quinquaginta Salmæ (7), quæ ab Aretio vehebantur sub ducentorum præsidio ablatæ sunt; fusoque ipso præsidio, tribus scilicet & septuaginta captis, & sexaginta interemtis. Bernardinus de Polenta cum militibus octingentis, & peditibus duobus millibus in Vallem Arni descendit, Castrum aggressus Leccii, quod Cæsaris præsidio tenebatur; idque primo impetu ad Bernardinum defecit, munitumque extemplo à Florentinis, ut itinerantibus, vel quidquam ad Cæsaris exercitum deferentibus, facultatem eriperet. Nullaque mora, Bernardinus præfatus ad Ancisam (l) copias eduxit, in quam insultu facto, turrim Bandinelli, quæ ponti Ancisæ eminebat, sponte deditam obtinuit, munivitque in Castri oppositum. Nec identidem persistens, noctu ad Gangaretum properavit, ubi cum eadem militum peditumque manu ad ejus callis custodiam, ne suffragantes ad Cæsarem inde succedant, se inclusit conniventibus ad hæc Comitibus Salvatico, & de Batifole ejusdem Vallis Optimatibus. His incursibus arctatæ undique ad Cæsarem viæ, solo Casentini patente aditu erant. Inde enim ultimus migrandi meatus. Nam & Muselli fauces, collesque à Florentinis occupati, Castro dumtaxat Burgii (m), quod Imperio serviebat. Contingit quoque inopinatus, infestusque Cæsaris gentibus eventus. In VI. eas Kalendas dum Arnum flumen Cæsaris milites, peditesque de more migrassent, repentina quippe à nocturnis imbribus excrevit alluvio, quæ illis ad castra repedandi facultatem ademit, unde & pervagantes hinc & hinc, frustraque vada passim investigantes, Florentinorum edoctus concursus præoccupavit, horumque pars magna cæsa, pars naufraga, pars in molendina, quæ fortè mediterranea in eo loci usui Cæsaris suppetebant, profuga, cum ipsis pariter exusta miserabiliter periit. Deleta ex hac sic casuali clade capita trecenta.

RUBRICA III.

Recessus Cæsaris à Florentiæ suburbiis cum depopulationibus Coloniarum.

Circumventus igitur Cæsar iis, aliisque impetitionibus, jam frumentandi sublatis aditibus, cùm jam, nec ad esum munda pecora sufficerent, equinis, onerariisque animalibus exercitum ali oporteret, castra ultra Arnum trajicienda constituit. Clanculum rebus compositis, ne quicquam sinistri (a) peragranti officeret, centuriatis distinctisque acierum ordinibus, repentino motu, nullo tubarum lituumve strepitu, Kalendis Novembris ante Luciferum absque ulla hostium insecutione transivit. Inde per Vallem Emæ perequitans diurno lucescente fulgore secus pontem Axis ab Urbe passuum fermè tribus millibus substitit. Motus hujus fama noctu in matutinas (b) horas subiit, rumoreque per vicos in plateis, & Theatris invalescente, subitò ad arma undique conclamatum est. Primates frequentium campanarum tinnitibus in forum signis expositis, non nisi luce diurna compositas cohortes portis eduxere. Tuncque varias Plebs & militarium Ordinum plurimi querelas effudere, Primorum ignavias, & nonnulli faciuora detestantes, quòd improvisi, & quòd fortè provisi, sed irretiti sceleribus, Regem sic abiisse permiserint. Hesterna die habita notissima digressus hujus indicia; hoc non socordia, sed conniventia contigisse. Judicia sic varia excandescentem plebem vix ad Centurias coire sinebant. Tamdem copias omnes, quà & Cæsarem ivisse prælenserat, direxere. Dumque ad Sanctæ Margaritæ locum quingentis ferè & mille passibus venissent, agmina ibidem contraxere; Conspicatores prævios, qui Cæsaris gressum, statumve decernerent, cunctasque ejus copias præmetirentur, præmisere. Ii speculati ad Pontem Axis consistentes acies Cæsaris, veluti prœlium aperto campo non detrectaturas, retulere, quòdque hastatorum militum mille (c) sexcentos haberet, peditum octena millia; adjicientes, quòd & circum circa palatia, Florentinorumque ædes ad duorum millia passuum subjectis jam flammis urerentur. Nec hæc Florentinorum exercitum latebant fumis turbulentissimum aërem, assilientibus ad Cœlum favillis, in patulum conficientibus. Florentinorum igitur, ceterorumque Sociorum jactantias & ausus Cæsaris vigor adeò contrivit, ut quamquam & militiarum triplicitas, & pedestrium ordinum infinitas imparem Cæsarem ostentarent, in equum descendere conterritas mentes non declinavere, potiùsque periculo stupefactis (d) fuisse, si Aquilas in se conversas ad congrediendum loci habilitas obtulisset. Cæsar paululum cum acierum,

ne umquam Fesulæ ampliùs munirentur, si Ricordano credimus cap. 77. Histor. Patriæ; ut proinde parum attentus videatur fuisse hic noster, & descriptionis hujus loci parum sollicitus; quod sanè externo homini condonandum, & quidem animo non invito. *Pignorius.*

(K) *In V.* Egubio:

(7) Salma Italica vox est, à sagma Græcæ notionis, ut habet Casaubonus ad Historicos minores, & ab utraque fluxerunt Saumæ, & Saumevii, sive Saumarii. Quæ sunt apud nos *Some*, *Somieri*, *e Somari*. Videndæ veteres Tabulæ apud Hieronymum Rubeum lib. 6. Histor. Ravennatis. Hæc autem omnia, quæ à Mussato enarrantur; Villano magnam lucem possunt impartiri. Ut verè demum executus sit, quod in principio Libri octavi pollicetur, sollicitæ investigationi per internuncios, amicorumque, & peregrinorum documenta se animum adjecisse. *Pignorius.*

(l) *In P.* copias easdem eduxit.

(m) *Intellige* excepto.

NOTÆ AD RUBRICAM III.

(a) *In P.* peragrandi.

(b) *Dubium, an hic* horas, *pro* oras, *posuerit cùm in MSS. omnibus* oræ, *quæ Loca, & Regiones sonant, scribantur cum aspirationis nota.*

(c) *In P.* sexcentorum, *malè omnino.*

(d) *Pro* declinaverint, *& mox* fuisse, *pro* fuerit, *vel* fuisset.

Digitized by Google

rum, & centuriarum ordinibus ſecedens, per ipſam Emæ (e) planiciem ad paſſuum ferme tria millia ab Urbe, ubi S. Maria in Paneta vocitatur, caſtra repoſuit, ibique curandorum corporum, reficiendarumque virium opportunitate unam moratus cum ſubſequente nocte diem, inferenda Florentinis damna, quibus magis afficerentur, quibuſque in lo is, cum Principibus conſiliis præmetitus eſt; indeque ſublatis caſtris à Porticu uſque in Marzaliam, & deinde per Vallem Gravem, ac Turrim uſque in Quadrantulam, & à Valdepeta (f) ad S. Romulum cum Monte (g) Spertuli, & Villa Pognæ, ac Sancti Lazari plebatu, municipiis, quæ ſe ſe fortiliciis contuebantur, dumtaxat exceptis, cremavit, vaſtavitque incendiis.

RUBRICA IV.

Caſtrum Cæſaris apud S. Caſſianum (a).

ET ad Burgum Sancti Caſſiani opulentiſſimum ferè (b) millibus paſſuum Florentiæ vicinum (8), nullis ex impotentia per viam reſiſtentiis, acceſſit, occupantibus quæque concedens. Ibique recreatis, repletiſque ad libitum pingui præda cohortibus, pallantes emiſit milites per omnes montium, & planitierum ambitus, per deſtitutas oras profugis undecumque incolis. Nec incendiis modus, flammis undique prodeuntibus ad ſpectacula mœrentium in ſe ſe convictorum Florentinorum. Futuraque erat illa dies Cæſari lætabunda, niſi & caſualiter ante ipſius diei occaſum fortuna vices variaſſet. Dum enim ex Florentinorum exulibus Gelfis Albiſque Aretinis, ac Teutonicis cohors una versùs Urbem, victoria ſuadente, vehenteque populabunda concurriſſet, exhortatione præcipuè Vanni (c) Barbarocii, & filiorum (d) Solate de Albizo (9), expoſitis juxta crucem Sancti Gadii Aquilis ad duo ferè millia ab Urbe paſſus, in egredientes ab Urbe conſpicatores, qui fortè ſciſcitaturi, quo in loco Cæſar ſubſtitiſſet, prodierant, incidit. Ibique continuò concurrentibus hinc & hinc abſque ordine manipulis, commiſſa cædes; ſed mage conterritis ex inſperato improviſu exulibus, quos plus fiducia temeraria, quàm belli expeteret cautela, illo provexerat, magna & ipſi ſtrage in fugam converſi ſunt. Cæſi ex haſtatis militibus circiter centum, capti quinquaginta, quos inter & Nobiles fuere quamplures, magno ex poſt facto à victoribus redemti. At unus Griffus de Lignaria quæſtionibus ſubjectus conjuratione detecta, qua intro, citroque Urbis mœnia cum pleriſque Civibus, & Agreſtibus ſe ipſum in Cæſaris obſequium ſeditionem molitum profeſſus eſt, Aſininæ caudæ annexus ad patibulum tractus (10), denique & laqueo appenſus eſt. Nec remiſſi Florentini, extemplo ut Cæſarem in Sancto Caſſiano compoſitis copiis reſediſſe acceperunt, Carrocium ex Cathelonia (11) cum mercenariis militibus, & cohorte Florentina ex vico ultra Arnum ſito, ac Senenſibus ſubſidiariis in Valdelſam tranſmiſere, ut in tuto Caſtella, & Coloniæ oræ ejuſdem forent, per quaſcumque, ut expoſcebant locorum capacitates, præſidia poſituros. Cùmque & iidem ſic deſtinati per indices ad Cæſarem ad Podii Bonici exitium in lucem ſequentem iturum cum exercitibus præſenſiſſent, prævenientes, delatis in Caſtrum, utcunque valuere mobilibus, vicum totum ipſi concremavere. Increſcentibus itaque ſic hoſtilibus contumeliis, ut atrociſſimi belli curſu omnia in furorem, & excidia verſa forent, Florentiam nova delata ſunt, jam Comitem Novellum Roberti Apuliæ Regis Levirum, Thomam de Marzano, ac Gibertum de Santillo Romandiolæ Comitem cum militibus quingentis Senas applicuiſſe, in inſtanti Florentiam profecturos. His in publicum (e) nuncupatis, plebejæ ſocietates accenſis animis, laceſſitis & in furorem undique Civibus ad commiſcendas per omnem prœlii fortunam cum Cæſare manus, Senatum haberi conclamavere, nec ultra prœlium differri, quàm integratis cum Regis Apuliæ ſubſidiariis ſecum copiis (f) evocandis, quæ cum fratribus circum loca, & Urbes, & collatis in unum viribus dimicandum. Habitus ergo Senatus eſt, paribuſque id votis decretum. Interimque Cæſar in Sancto Caſſiano perſiſtens, cunctis ad victum affluebat commodis, ſatis ſuperque exuberantibus rerum copiis; verùm fontibus pro ſereno tempore aquas non evomentibus, etſi humanis ſuppetebat unda corporibus, non tamen belluæ ſiccis derivationibus aquabantur; ſed per diſtantes à Caſtris valles Canti Gravis (12), Ultranenſis, Barberini, San-Donati in Podio (ſic ipſæ nuncupabantur convalles) magnis adducebantur periculis. Iiſdemque diebus ex Florentinorum Nobilibus, Gerardinis, Cavalcantibus jam domatis (13), pluri-

(e) *In P.* Lemæ.
(f) *In V.* Valde-penſa, *& ita Amb.*
(g) *Cod. Eſt.* Ficuli. *Amb.* Fituli.

NOTÆ AD RUBRICAM IV.

(a) *In epitomatis prolixior extat hæc Rubrica pluribus verbis hoc pacto concepta*: Caſtra Cæſaris apud Sanctum Caſſianum cum congreſſu apud Caſtrum Florentinum inter Piſanos, & contubernales Cæſaris, & Florentinos.
(b) *Cod. Eſt.* ſeptem millibus.
(8) Credo, hic deeſſe, *octo*, poſt *opulentiſſimum*. Tot enim lapidibus plus minùs diſtat oppidum illud à Florentia. *Villanus*.
(c) *In P.* Barrocii.
(d) *MS. Amb.* Sclate.
(9) Lego *Sclatæ*. Schiatta nomen proprium Florentiæ fuit: & tunc temporis celebre. *Schiatta Cancellieri*, *Schiatta delli Uberti*, *Schiatta Freſcobaldi*, *Schiattuzzo*: apud Jo. Villanum. Eſt autem proles, ſoboles, gens ut hoc & peregrini ſciant exterique. Nomen autem quod proximè præcedit *Vani Barrocii*, legerem *Vani Barrucii*. Barrucii etenim Gibolengi antiquitus fuerunt, ut perhibet Villanus lib. 7. cap. 39. *Pignorius*.

(10) Aſino quempiam imponi contumelioſum fuit olim, & nunc eſt. Quando apud nos Bigamis hæc pœna irrogatur; ab Antiquitate repetita exempla ſunt Argimundi cujuſdam, qui ob affectatam Tyrannidem verberatus, decalvatus, dextra amputata Aſello impoſitus fuit, tradente Joanne Biclarenſe in fine Chronici, & Thomæ neſcio cujus apud Joannem Curopalaten. *Pignorius*.
(11) Strenuus hic miles fuit referente Villano lib. 9. cap. 22. & cæſus in pugna ad Montem Catinum anno 1315. teſte eodem cap. 70. ejuſdem Libri. *Pignorius*.
(e) *Cod. Eſt.* nuntiatis, *& ita Amb.*
(f) *In P.* evocandis, qui cum fratribus circum loca, &c.
Deſiderantur hæc: quæ cum fratribus *in V. uſque* ſic ſors.
(12) Scribo *Cante*, *Gravis*, *Ultr' Arnenſis*: Chianti, Griovi, Oltr' Arno. *Pignorius*.
(13) Legendum *Cavalcantibus*, *Jan-Donatis*. Ut ſit nomen gentilitium, quod apud Scriptores rerum Florentinarum paſſim occurrit. Gerardini namque, Cavalcantii, & Jan Donati Alborum factioni accenſiti fuerunt, & infra *pridiana felicitas*; *& Orbis herus*. *In ſe aliquis per Hypothecas ſic objurgatus*. Lego *Apothecas*. Apo-

Digitized by Google

rimiſque aliis, quorum agri, Caſtellaque, & loca jam in Cæſaris manus inciderant, in fidem venere Cæſaris, ſe ſe ceteris identidem exulibus, Albiſque ad omnem Urbis oppugnationem, & intrinſecorum exitium adjungente; tuncque in Civitate per multos annos florente (14), cujus decus, & honorificentia aſſurgentibus inſolentiis ceteras veluti famulantes peculiaribus premebat obſequiis quamque, ut Italiæ apicem, populi Gallici, Germani, Ligures, Illyrici, Apuli, Siculi, Aragones, Hiſpani, & omne Latinorum nomen venerabatur, obſeſſa ſic repentè, veluti ſui ipſius pondere gravis, quatiebatur, diffidentibus in ſe ſe, ac diſſidentibus, qui ſimul una gloria, unaque freti ſucceſſuum amœnitate pullulaverant. O natura! o caſus! o fortuitum! Ubi (ut ſic jam eloquar) pridiana felicitas? te times, in te titubas, muris de te diffiſa vix crederis, vixque illis credita ſubſtas; hoſtem Teutonicum toties parvipenſum cominus minantem vereris, quæ animos rebus lætis credulos tantis aluiſti deliciis. Sed te non pudeat, o rerum ignara, jamdudum uſa fortunæ blandiciis: ſic ludicri ratio depoſcit. Deus meliùs (g) quàm te tanti non pigeat inſecutoris. En quis hic eſt? Cæſar. Quique Cæſar? Orbis Heros. In ſe aliquis per apothecas ſic objurgatus dictitabat tantis ſeptus anguſtiis. Jam molles de Rege ſermones ipſi paulò ante deteſtati depromſerant; ſed hinc infracti ad conciliationes animi, hinc offenſi Regis, veterumque exulum urgebat timor. Sic irremediabiles rerum, ambiguæque conditiones ad tuendum hunc ſtatum (h) ſolitum intenſiùs incitabant, invitabantque, ſicque in dimicatione ſpes poſitæ ferro rem ultimandam, factoque probandum cenſebant, juſtiora quis arma induerit. Nec minor extra mœnia in Cæſaris exercitu circumloquentium fremitus; ſed exuberantis victoriæ ſucceſſibus licentiores audaciæ, vehementioreſque ad congrediendum cauſæ, quòd in hunc ultimum irreparabilemque potiundæ patriæ, viſendorumque larium eventum Deus, fortunaque illos eduxerit; nullum recurſum conſummatis in unum rebus reſtare; cetera vitæ tœdia fore; mortes has, ſi ſubire oporteat, ſuarum fines calamitatum. Ad hæc veterum novarumque (i) igniti contumeliarum ulciſcendi infrendebant inſtinctibus, vixque tardum con-

A greſſum querebantur. Nec minores per ceteras Italiæ Civitates motus, ſtrepituſque, & conquaſſationes. Ad hunc veluti rerum ſuarum finem oculos ſinguli dirigebant, quibuſque poterant ſubſidiis, ſuarum partium vires augebant, privatim, & publicè mittere, ſuffragari, pollicери, ut hoc ſuum quiſque factum penſaret, utque ad cupientium, precantiumque commoda belli finis declinaret. Utrinque variis optionibus vota perſolvebantur. Vulgari, communique aſſertione nullum in dubium revocabatur ad hujus ſtateræ libram Mundi pendere judicium, ut ſi quidem victoriam alea facti Cæſari tribuat, rerum omnium potiatur. Interea ad Legolim Florentinorum pagum omnis Piſanorum exercitus
B cum ſalmariis pannorum, coriorum, ſagittamenti, ferri, & omnium belli apparatuum (15) ſe contulit, ut apertè (K) illos ſollicitos Florentinos agerent, utque Cæſaris copias fulcirent. Cùmque circum XII. Kal. Decembrias delatis ad Sanctum Caſſianum ad ipſum Cæſarem opportunis, inde reverſuri quinque centum ferè Onagros magna præda, quam ex Coloniis, agriſque Florentinorum gentes Cæſaris quæſierant, onuſtos conveherent ſub comeatu, tutelaque Centurionis Flandrenſis Comitis Flandriæ militis, ac cohortis Cæſareæ Teutonicorum, ac Flandrenſium circiter CL. Piſanorumque militum CC. peditum, ac levis armaturæ DC. Carrociu Cathelanorum ductor, & Tecla de Friſ-
C cobaldis (16) cum Florentinorum conſociis, qui Caſtri Florentini præſidio erant (17), in equis CXX peditibus tercentis magna vi in hos inſultum fecere, Piſanis extemplo in fugam verſis. Ac continuò Flandrenſis cum cetera cohorte Regia pugnam non detrectavit; ſed forti congreſſu prœlium atrox utrinque commiſſum eſt; ex delectis ſi quidem partis utriuſque (ſic ſors attulit) pugnam obvenire contigit. Confractis igitur in ſe ſe magno fragore lanceis, ceteris telis mixtim res acta eſt, dimidia & una ferè hora in hoc perhorrendo concurſu conſumta. Tandem belli ſic ferente ſucceſſu, Centurio confoſſo equo, quem conſidebat, in terram præceps corruit, ſicque deinde in infenſos regios
D milites cædes commiſſa eſt; ipſo tamen vivo cum triginta conſociis militibus capto (18), ceteriſque cæſis. Nec hujus cladis iis captivatis de-

Apotheca hoc ſæculo fuit Taberna, Italicè *Bottega*: ut notavit doctiſſimus vir Bernardinus Baldus in Commentario de verbor. Vitruvianor. Significatione, & ab Apothecario fluxit *Bottegajo* vox itidem vernacula. Alioqui Apotheca eſt Cella Vinaria, Oleariave, aut Frumentaria; Quemadmodum docent nos Grapaldus in accurato, quem edidit, Libello, de partibus Ædium, & Barnabas Briſſonius, de verborum ſignificatione. *Pignorius*.

Suſpicor legendum, *Cavalcantibus, ac Donatis*: quæ gens Florentiæ nobiliſſima. *Villanus*.

(14) Huic ſyntaxis principio nihil eſt, quod reſpondeat: ſequitur enim, *quatiebatur*, quod ἀνακόλουθον. Quare ſic fortaſſe illi conſulendum, *tuncque ea civitas, quæ per multos annos floruerat, cujuſque decus &c.* Et paulò exinde *prædiana felicitas*, corrige *pridiana*, pro *diſſiſa*, *diffiſa*. Villanus.

(g) *In P.* quod.

(h) *Fortè* ſolitò.

(i) *In P.* ignari.

(15) Aut ego inſigniter fallor, aut hæc ab Auctore noſtro huc translata ſunt ex Epiſtola quapiam Florentia ad ipſum ſcriptam. *Salmerie di Panni, Cuoi, Saettamento, Ferro, & d'ogni guernimento di Guerra*. Vel ita ſcripſerunt illi, vel ſanè paulò aliter. Amicos enim Florentiæ habuiſſe, qui cùm de belli eventibus redderent certiorem, inde conjicio, quòd Florentiæ (& quidem magna cum laude) Executor Juſtitiæ fuit Muſſatus, cujus rei indicium debeo Xicconi Polentono, lib. 4. Scriptorum illuſtrium Latinæ Linguæ. *Pignorius*.

(K) *Fortè* illo.

(16) Italicè *Teggbin Freſcobaldi*. Cujus meminit Villanus lib. 8. cap. 68. & lib. 9. cap. 219. *Teggbin* Florentinis eſt vas patulum ſive æreum ſive fictile ad coquendas Placentas, vel aſſandas Carnes: nobis dicuntur *Tecchii*. Muſſatus autem ideo Teclam Latinè appellavit, quia meminerat a noſtratibus Teclam Virginem & Martyrem Tecchiam corruptè appellari. Debuit autem Tegghiam nominare ut alibi Vanni, Teri &c cæt. Nomina enim propria ſcribenda & proferenda ſunt ad communem normam, qua hominum, qua urbium, ut animadvertit accuratiſſimus Barbarus in Notis Plinianis, cum aliis magni nominis Auctoribus. Et ab eadem origine eſt Tegghiaccius Aldobrandus, de quo Joannes Villanus lib. 6. *Pignorius*.

(17) Supra: *Ad vicinum Piſis Florentiæ Caſtrum exercitum duxere*. Etiam hodie *Caſtel Fiorentino*. Pignorius.

(18) Villanus lib. 9. cap. 47. memoriæ mandavit, Robertum de Flandria, propè Caſtrum Florentinum pugnaviſſe cum Florentinis acriter, & ipſum, partim cæſis, partim captis commilitonibus, aufugiſſe. Utri credimus? *Pignorius*.

Digitized by Google

destitit strages. Nam in dispersos Pisanos, qui fugas magno pavore hinc & hinc per prædia, & agros pererrantes arripuerant, infectatio est facta, qui pæne omnes irruentibus ad hanc consternationem ex Sancto Miniate, Castro Florentino, adjacentibusque circum Villis ruralibus cæsi captique sunt. Opima præda Salmarum quingentarum raptim ablata, advectaque est in Castrum Florentinum, & per cetera municipia, prout cuique surripiendi casus obtulit; signa quinque militaria cum Flandrensis vexillo Florentiam ad trophæum relata, Priorumque palatio appensa, ipsoque (l) inde Centurione cum ceteris captivis magno gaudio Florentiam transmissis, ex Florentinis, & aliis, qui cum Carrocio erant, quinque & viginti occisis, ipsoque Carrocio cum aliis circiter quadraginta gravirer sauciis. Felici itaque sic (m) offerente successu, Senatui Florentino, partisque Gelfæ Primoribus placuit, Deo, fortunaque sic secundantibus frui, evocarique amicorum undique sodalitia ad ultimum belli experiundum eventum, ut oblatas jampridem copias Florentiam unaquæque mittat Universitas, videlicet ex Senis milites octingentos, peditum millia quinque. E Luca milites octingentos, peditum millia (n) decem. E Bononia milites quadringentos, peditum millia (o) duo. E Perusio milites quingentos, peditum millia duo. E Civitate Castelli milites septuaginta, pedites quingentos. Ex Eugubio milites centum, pedites totidem. E Romandiola milites trecentos, peditum millia quatuor. E Prato, Pistorio, & Sancto Miniate milites centum, pedites mille. E Florentia milites mille ducentos, peditum millia quindecim.

(l) *Cod. Est.* ipsoque die, *& ita Amb.*
(m) *Cod. Est.* efferente, *& ita Amb.*
(n) *Cod. Est.* millia duo. *Cod. Amb.* quindecim.
(o) *Cod. Amb.* quatuor.

Albertini Mussati Paduani de gestis Henrici VII. Cæsaris explicit Liber Nonus.

ALBER-

Digitized by Google

ALBERTINI MUSSATI
DE GESTIS
HENRICI VII. CÆSARIS
LIBER DECIMUS.

RUBRICA PRIMA.

Prodigium, & mutatio ſtatus Tarviſii è ſingulari Dominio ad Communitatem.

IN hujus anni fine decimo nono Kal. Januarii humanum omne genus eclipſantis Lunæ prodigio perterritum eſt. Nam & illa in univerſo erubeſcens, ſanguinem portendere ab Aruſpicibus adjudicata eſt (1). Hocque horrendum, ac ſuper admirabile habitum, cùm illam paullo poſt crepuſculum ex Oriente à Septentrionali parte ſanguineus color obumbraverit, paulatim illam totam operiens uſque ad metam diurni Solis tertiam per naturales horas ferme quatuor (2). Cæſare autem ſic apud Sanctum Caſſianum caſtrum (a) tenente, nova in Tarviſina Marchia momenta exorta ſunt (3). Vecelus de Camino alter Gherardi olim filius minor natu ſuperſtes in Dominio Civitatis Tarviſii Riciardo fratre necato improviſo caſu, ut ſupra monſtratum eſt, cum Paduanis ſodalitium egerat rupto Imperii fœdere, quod cum Cæſare frater inierat, parti Gelfæ inſtanter adhærens, A ſociumque bellum Cani della Scala cum Paduanis inferens aſtrictus eis in communes (b) fortunas, & caſus. Cùmque verſo propoſito in dies Paduanorum vires permenſus eſſet, illas primò oneroſis fatigare petitionibus, preſſit, prætentavitque, majora deinde petiturus, ſi in ſe admodum proniores inveniſſet. Ædes ergo altiſſimas in ipſa Urbe, prædiaque ditiſſimorum rebellium per Comitatum ſita petiit, ſubjiciens ſe abſque ſuorum ſtipendiis, quæ ſingulis exercitibus Paduana Communitas conferebat, ſerviturum minori ipſius Communitatis onere, ſuppetentibus ſibi ipſorum prædiorum fructibus ad mercedes prædictas. His petitionibus, quamquam graviſſimis, & ſi non libentibus, conniventibus tamen nutibus aſſenſere. Elatus his Vecelus in ſummas neceſſitates arctatos Paduanos tantorum exhibitione munerum nihil, quamquam magnum, denegaturos exiſtimans, gradatim ad majora experiunda dilatavit animum. Suggeſſit quidem nonnullos Civium percunctari, ut ſe belli Capitaneum eligant cum omni mulctandi poteſtate militarium ordinum tranſgreſſores, adjiciens intractabiles Paduanos bellicis diſciplinis, periculoque Reipublicæ fore, ſi quem vereantur, cuive

B

C

D

NOTÆ AD RUBRICAM I.

(1) Aruſpices hic ſunt Arioli, & Divinatores, ut iſto ſæculo hac voce ſignificabantur: ita aſſerente Joanne de Balbis. Alioqui Aruſpices fuerunt inſpectores Ararum, & Extorum in Victimis; ut claudicare videatur dictum Joannis Salisberienſis in Policratico lib. 1. cap. 12. Aruſpices fuiſſe inſpectores horarum, & præter Exta, & Victimas reſpondebant conſulentibus, de monſtris expiandis, ut elicitur ex Juvenale Sat. 2. verſ. 121. de hæreditatibus; de procurandis fulminibus; deque omnibus illis rebus, quæ ſpem noſtram incertis, & dubiis eventibus fatigant, ut collegit omnia eorum munia eruditiſſimus Carolus Hannibal Fabrottus, ad Titulum Codicis Theodoſiani, de Paganis, Sacrificiis, & Templis. Luna autem vulgò fuit ſemper ominoſa, ideoque apud Joannem de Balbis extant verſiculi, in Coloribus (ut ipſe vocat Rhetoricis.

Fac tibi Fortunam, feſtines frangere Lunam;
Et contra Fatum faciet te cura beatum.

Quanto autem hoc magis ſanguineo colore perfuſa? talem certè videre in ſomnio, ex præſcripto Oniro Criticorum, periculum ſignificabat, ut perhibet neſcio quis pſeudo-Daniel. *Pignorius.*

(2) Jure Muſſatus Eclypſin portentoſam notavit. Umbra enim ingruere debuit ab Occidente, non à Septemtrione. Eclypſis enim (ut docent Aſtronomi) ex oppoſitione fit. At à Septemtrione nulla poteſt contingere oppoſitio Solis, qui illac non permeat. Illud etiam ominoſum fuit, illam totam partem cœli ab umbra invaſam fuiſſe, quam Sol occupaſſet hora diei tertia, cum jam toto

Corripit axe viam, & cœli ad faſtigia tendit.

Duratio etiam ipſa horarum quatuor admiratione non caruit. Verùm in textu duæ voculæ videntur in unam conflandæ ibi, *ex Oriente*, lego *exorientem*, ut referatur ad Lunam. Verùm huic Eclypſi omnino gemina fuit ea, quæ hoc ann. MDCXXVIII. me hæc ſcribente, apud nos contigit, die 20. Januarii, poſt horam noctis tertiam, per quatuor propè horas, diro & terroris pleno aſpectu, nigredine, & ſanguine totam Lunam inficientibus, & ſanè huic anno ventis Auſtrinis, & prodigioſis ubique alluvionibus infami, faſtigium, ſive coronidem impoſuit hic defectus Lunæ, quæ utinam

Non omnes pariter confundat ſidere Gentes.

Sed

Di meliora piis ---- Pignorius.

(a) *Cod. Eſt.* caſtra, *& ita Amb.*

(3) Non potuit magis vernaculè exprimere hæc, *nova di momento*, ſeu *novi movimenti*. *Ædes ergo altiſſimas in ipſa urbe*. Livius lib. 11. de Valerio Publicola, qui in ſuſpicionem vulgi inciderat, tamquam tyrannidem affectaret; *& ædificabat in ſumma Velia: ibi alto atque munito loco Arcem inexpugnabilem fore*. Cætera Veceli poſtulata gradus ad occupandam tyrannidem erant. Capitanei enim populi tunc temporis eo ſpecioſo titulo ad Libertatem opprimendam accedebant. Capitanei autem nomenclaturam in Italia tritam fuiſſe indicant hæc Jacobi de Vitriaco, Hiſtoriæ Orientalis c. 67. *Homines ſi quidem Italici graviores & maturi, prudentes & compoſiti, in cibo parci, in potu ſobrii, in verbis ornati, & prolixi, in conſiliis circumſpecti, in re ſua publica procuranda diligentes & ſtudioſi, tenaces & ſibi in poſterum providentes, aliis ſubjici renuentes, ante omnia Libertatem ſibi defendentes, ſub uno quem eligunt CAPITANEO Communitati ſuæ jura & inſtituta dictantes, & firmiter obſervantes &c.* Pignorius.

(b) *Cod. Eſt.* in omnes fortunas, *& ita Amb.*

Digitized by Google

cuive deferant, desit præceptor. Dumque his per Cives violandæ libertatis formidine pavidos ægrè responsum foret, pollicitis ad se valentiores ad gubernacula Civitatis allicere summopere nisus est. Iis quoque identidem nihil proficiens, tumescentem animum in comminationes prorumpens, detexit, dum sibi, ut asserebat, salubria populo Paduano tantummodo petenti denegata sint, sibimetipsi providendum, inquiens; sufficere sibi à suis finibus hostes arcere, agros Tarvisinos tutari, consultiusque sibi fuisse Imperatori obsequi successivo fratris vicariatu, quàm tres Civitates, quibus præerat, uni soli comparasse (4). Non sic se neglecturum pro ingratis. Hac motus cautela, ingenioque (5), ut pavefacti, diffisique suis viribus Paduani summam ei petitorum potestatem tribuerent, per quam & ipse denuo Civitate potiretur. At Paduani, quæ venabatur, jam (c) præsentientes, illudentesque, insanum virum abhorrere, ac abominari excandescentibus cœpere propositis; sed non ob id odia detegere, & pro tempore, rebus sic per belli discrimina se habentibus, dissimulare, differre. Vecelus ad ea, quæ diu ante conceperat, agenda non segnis, ad Henricum Levirum suum Goriciæ Comitem (6), qui paulò ante cum Cane Grandi ex sponsione Infantulæ filiæ ipsius ad filium olim Albuini della Scala conjugationes inierat, perrexit, uti cum eo super aliis incumbentibus colloquium habiturus. Accersitoque Archidiacono Aquilegiense, qui partis Gibolengæ zelo amore Canis flagrabat, de compositione cum Cane, utcumque id fieri posset, clanculum egit se solo, ac Leviro cum ipso Archidiacono, amotis arbitris. Id tamen per eos, qui cum Vecelo ad id loci con-

A cesserant subsequentibus indiciis prope præsumtum est. Sollicitus Archidiaconus hinc & hinc persæpe ambiens, demum ad sponsalium conventiones geminorum maris, & fœminæ Veceli filiorum cum geminis mari, & fœmina quondam filiis Albuini devenit paribus votis Veceli, & Canis, quamquam in fidem amicitiarum cum populis sibi faventibus obnixè obligarentur. Statutis itaque in dies certos exequendorum terminis, Tarvisium remeans, ut ea appetentibus opportunitatibus effectum sortirentur, propensiùs studuit. Cùmque paucos ex necessariis suis super amicitia cum Cane Grandi inienda, per quam sibi in tuto esse absque bellorum rancoribus consuluisset, idque ab eorum nemine

B ob Canis Grandis formidines, quem in suos severissimum ajebant, obtinuisset. Instanti tamen proposito, prædestinata die in Cœnobio Sanctorum Quadraginta adventante Archidiacono cum Canis Grandis nuntiis ad omnia constitutis, rem fœderibus obstrinxit. Invitum tamen Castellanum Tarvisinum Episcopum in eo loci adesse solerti coëgit instantia (7), cujus præsentia, quoad posset factum exoneraret; remotum tamen à verborum audientia stare altero colloquio fecit, ne palàm de his, quæ acta fuere, se testem profiteri valuisset. Neve hæc Populo Tarvisino prorsus ingrata (d) antequam innotescerent, quàm Canis Grandis, & Comes Goriciæ cum præsidiorum copiis, ut ultimò assentirent, præsto astitissent. Sed fatis, idest Dei

C nutibus, humanos conatus persæpe irritantibus (8), à præinstructis (e) Nobilibus serpsit in plebem Tarvisinam jam indagantis famæ ventilabrum, (9) Tarvisium Cani proditum cum plebis ac Nobilium strage ac nece, quod deletæ Vicentiæ

(4) Tres Civitates fuerunt Tarvisium, Feltria, Bellunum, & Ceneda quarto loco. Veteres Tabulæ apud Georgium Pilonum lib. 4. Histor. Bellonensis, ita conceptæ sunt velut aliàs etiam citavimus. *Magnificus & Excelsus, & Egregius Miles & Comes D. Rizardus de Camino intravit Civitatem Feltri, Generalis Dominus Civitatis Tarvisii, Cenedæ, Civitatis Belluni, ac contratæ Cadubrii*. Et hic fuerat ut vidimus Veceli frater. De eodem Rixardo hæc prodit vetus Chronicon Feltrense, *Anno Christi MCCLX. Rizzardus à Cammino generalis Dominus Civitatum Tarvisii, Cenedæ, Bellonæ, & Cadubrii cepit Civitatem Feltri absque manu bostili. Qua capta detulit juramentum Fidelitatis intervenientibus nomine publico, eis promittens, quòd non imponeret Angarias, & Gravedines aliquas in Civitate, & quòd ipsi Cives regerent ipsam Civitatem more solito*, & fortè Mussatus quattuor Civitates scripsit, non tres. *Pignorius*.

(5) Est idiotismus patrius *trovare cautele*. Et frequenter legitur apud hunc Auctorem. Galli dicunt *cautelle*. Pignorius.

(c) *Cod. Est.* jam jam.

(6) Hic fortè est Henricus ille, cujus extat præclarum Encomium apud Joannem de Ravenna, quem ego calamo exaratum domi habeo. Is enim, Libro, cui titulum fecit Memorandarum rerum, Capite de Liberalitate, & Clementia, sic ait, *Hac ita claruit Princeps magnificus Goriciæ Comes Henricus, qui oram quoque Tarvisinam suo adjecit victor imperio, cùm Aulæ, rerumque Procuratores impensis, quorum profusissimus erat parcere, atque ob id quamplurimis stipe Aulica militantibus subducere stipendia, dimissosque facere, ut quorum usui superesset opera, persuadere niterentur, augustissima illa voce tamque alio digna spiritu, avaros, crudelesque suggestus confutavit. Ita ne tandem, ait, exquisitè consideratis, exploratumque tenetis eorum me opera non egere? reddentibus ultro egregiè sinè his esse posse. Animadvertite inquit, pressiusque animo volvite, num æquè sinè me ipsi esse queant: & si ego eorum opera non egeo, an egeant ope mea*. Pignor.

(7) Hic erit (ni fallor) Castellanus Salomon. Quem recenset in brevi Catalogo Episcoporum Tarvisinorum Bartholomæus Barchelatus, cui solertia Literata, & Patriæ Antiquitates maximoperè debent. *Pignorius*.

(d) *Melius* ante innotescerent, quam &c.

(8) Pium sanè dictum; & quod Auctoris etiam bonam mentem, huc usque satis perspectam, enixè prodit. De Fato inter veteres egregiè Minuc. Felix in Octavio, Chalcidius in Timæum, & Boetius lib. 4. de Consol. prosa VI. inter recentiores Lipsius Civilis Doctr. lib. 1. cap. 4. & alibi. *Pignorius*.

(e) *Cod. Est.* Nobilioribus.

(9) Appositè ad Famam, cujus est inquirere, indagare, & ventilare. Est autem Ventilabrum Pala ruralis, ut perhibent Joannes de Janua, & Auctor Mammotrepti: græcè πτύον in vetere Glossario Græco Latino apud me; & legitur Matthæi cap. 3. ubi quod edidit Latinus Interpres, cujus Ventilabrum in manu sua, ita vertit Juvencus Presbyter lib. 1. de Evang. Historia

Illius & manibus ruralis Pala tenetur.

Ventilatorum & Ventilabrorum mentio est apud Columellam lib. 2. de R. R. cap. 10. Nostras autem Rolandinus lib. 2. cap. 8. hæc tradit, *Præmisit etiam ante se 40. prudentes homines, cum singulis Ventilabris, qui viam mundificabant à nivis multitudine, in illis montibus collectæ per plures annos*. Palas voluit dicere, quæ etiam hodie apud nos in usu sunt, ut vidimus Anno nivali MDCVI. & quotannis hyeme passim. Prudentes autem illi apud Rolandinum validos & robustos significant, veluti & lib. 7. cap. 1. in principio: adaptata voce Latina, prudentis, Italicæ dictioni *pro*, & *prode*. A quibus Gallicè *provesse*, Hispanicè *proeza*, Italicè *prodezza*. Et fortè Italicismus à Gallis est, apud quos *preud'homme* & *preud'hommie*. Trita sunt vocabula. Nisi hæc omnia ad vocabulum, *probus*, velimus referre. Qua notione apud Cæsarium Heisterbacensem lib. 9. cap. 48. legitur, *respondit Imperator; modò loqueris sicut probus vir*. Et in Decreto Consilii publici in Archivo Senensi, quod publicavit unicus meus vir eximius Christophorus Forstnerus, hæc habentur; *& quod Mariscialco & militibus Theutonicis, pro remunera-*

Digitized by Google

tiæ exemplo in Tarvisinos tantum prodeat facinus, sæviendum sit, jam præconstitutas in majorum capita neces, cruces, & exitia quæque. Nec segnis Rambaldus de Collealto Comes, accitis Episcopo præfato, Advocato Tolberto, & Biaquino de Camino, plurimisque aliis insignibus (10), ac plebeis in fidem unam coëuntibus rem extemplo turbandam, inhibendamque omnino decrevere, juramentis firmatis, præstitisque. Nec ultra distulere, præjudicantis moræ dispendia summoventes (11), in diem sequentem XVIII. Kal. Jan. prima luce plebe ostiatim noctu concita, ut per vicos quisque præsto in armis ad concurrendum existat. Effecereque id (e) flagitantibus animis (f) ingravescentis Dominii affecti tœdiis, multisque ex penuriis utiliter sibi res novas exoptantibus, si fortè ad prædas discurri sors permitteret. Nec præsentienti hæc in crepusculo Vecelo ad tot tantosque arcendos suppetiere vires, nec jam pœnitudini ad resiliendum locus, aut tempus aderat efferatis Civibus, incensisque ad ultimum odiis, aut nisi ferro decernenda res erat, si in plateas, vel fora conspiciendus prodiisset. Mane facto, prædestinatis concurrendi signis, triplex ad Sanctæ Mariæ Majoris Basilicam exauditus est Campanæ sonus, post quem Cathedralis Ecclesiæ, ac omnium Civitatis Capellarum increbuere tinnitus (12), quo strepitu Rambaldus cum armatorum manu ad plateam Prætorii se in patulum exposuit. Stipendiarii Veceli septuaginta circiter numero, qui ea nocte custodiæ vigiles fuerant, quorum major pars Paduanorum erat, adversùm Rambaldum aciem direxere. Rambaldus præmaturum sui & suorum concursum videns paulisper resiliit. At stipendiarii per viarum angulos, quibus ad plateam gressus erant, manipulos ceterorum conspiratorum in se ruituros advertentes è platea divulsi, migrato amne, ad Vecelum se contulere. Albertinus de Castro-Novo Paduanus, qui pro Vecelo Potestas Urbi præerat, cum paululum frustra restitisset, Prætorium populo resignavit. Vecelus desperatas res, nihilque ad ipsum præsidii confluere conspiciens, equo insidens phalerato, paucis comitantibus, Urbe digrediens ad proprias Serravallis terras contendit, sicque Tarvisina Civitas, quæ annis . . . Caminensium Principatui paruerat, ad commune regimen redacta est Anno à Domini Jesu Christi Nativitate XII. CCC. M. XVIII. Kal. Januarii.

RUBRICA II.

Seditio Nicolai de Lucio, & Castri Lucii traditio.

SEd hisdem diebus intestina, novaque Patavii clades orta est. Vir erat in Patavo nobilissimo genere natus, paterno ex Maltraversorum, materno ex Estensium Marchionum prosapiis Nicolaus de Lucio (13) miræ eloquentiæ, profundissimi ingenii, magnanimitatis immensæ, liberalitati profusæ. Sed has virtutes obliquabat stimulus agitantis invidiæ, & ambitio interminabilis civilia abhorrens instituta, nisi quæ ipso auctore condita fuerant. Intolerantia paris, vel majoris in Civitate clanculum afficiebatur. Alterius laus sua semper sibi visa detractio, quo vitio bonos odire, assentatores diligere (a) flagitabat. Nullus illo melior, si quando illum ad boni sectationem non virtus, sed occasio dirigebat; Ad nocendum nemo pejor. Mirum, quoties in Senatu ejus eloquentia causas roborabat invalidas. Nam in digressu è Prætorio Senatus consultum ejus sententia firmatum ipsi, qui calculis decreverant, detestabantur, nec, quin in idem reciderent, propterea frequens pœnitudo correxerat. Agnitus infidelis fidelium conatus (b) fallibili astutia superabat; Utque sibi suffragantes astu conquireret, muneribus commebat; hos sacrorum ædium præfecturis locupletans religione contemta, Dei cærimoniis per abusum ad commoda secularium erogatis; illos annuis (c) exeniis ex horreis propriis exhaustis, & penu; alios ex Reipublicæ jacturis; nonnullos ex miserorum fortunis ditabat. Egregiorum facinorum machinator, horum adjumentis singula quæque pro libitu in Civitate efficiebat: Multumque illius conatibus opitulabatur serviendi facilitas; sed quamquam factiosus, numquam in partem stabilis, fortunatiores semper secutus eventus, plebi adversùs insignes obsequens, dum plebiscita prævaluere: In Insignium consortio ferocior in plebem; si quidem illa succumberet, cum

---

ratione Probitatis, quam fecerunt heri contra inimicos Communis Senensis, debeant donari & dari de pecunia Communis D. Libræ denariorum Senensium. Et in Vesontionis parte 1. cap. 26. Joannes Jacobus Chifletius recitat Epitaphium monostichum hujusmodi.

Hic Renaude jaces vir amabilis & probe miles.

Sed hic est locus animadvertendi, rara sæculi nostri (felicitate an dicam infelicitate!) factum esse, ut improbissimi hominum, latrones & sicarii segnioris notæ, vulgò vocentur probi homines, *homini da bene*. Veluti etiam omnibus sceleribus contaminatos appellamus *galanti homini*, & circulatores agyrtasque *virtuosi*. Adeò verum est nos jam pridem vera rerum vocabula amisisse. At revertor. *Pignorius*.

(10) Joannes Bonifacius optimus senex, qui Patriam Radigium scriptis nobilibus quotidie illustrat, lib. 6. Historiæ Tarvisinæ, Tolbertum Caminatem facit. At hic noster Advocatum, seu Avogarium; & sanè potuerunt interfuisse ambo ejusdem nominis è diversis familiis. *Pignorius*.

(11) Præjudicantis moræ dispendia sapienter dixit; Curio etenim Cæsarem alloquens apud Lucanum lib. 1.

Tolle moras: semper nocuit differre paratis.

Et Jo. Vinc. Pinellus V. Cl. In circulo Annuli interiore gestavit (ut olim animadvertimus) Pindaricum illud Pythiorum Ode IV. in fine, ΜΑΚΤΝΩΝ ΤΕΛΟΣ ΟΥΔΕΝ, idest protelantium finis. Nam Occasio apud homines brevem mensuram habet, inquit ibi Poeta venustissimus. Quod videtur imitatus Silvius Italicus lib. 4.

Pelle moras: brevis est magni Fortuna favoris.
Sed mora damnosa est ----- inquit Ovidius lib. 11. Metamor: & cecinit Seneca Thyeste

Serum est cavendi tempus in mediis malis.

Moræ autem dispendia mutuatus est Auctor à Virgilio lib. 3. Æn.

Hic tibi nequa moræ fuerint dispendia, tanti
Quamvis increpitent socii, & vi cursus in altum
Vela vocent ----- Pignorius.

(e) *Pro* flagrantibus, *ut infra Rubrica sequenti* assentatores diligere flagitabat.

(f) *In P.* ignavescentis.

(12) Capellæ hic sunt Templa Paræciarum. Unde & apud nos Parochi antiquissima nuncupatione etiam nunc Capellani appellantur. De Capella Baronius, Bignoniusque. *Pignorius*.

NOTÆ AD RUBRICAM II.

(13) Hic fuit nostras Catilina, Reipublicæ Patavinæ Carcinoma Pestis & Fax, vomica Civitatis. Quo classicum inflante centena millia mortalium utrimque periere. Natus est Guidone patre, matre Constantia Atestina Lucium oppidum hodie est *Lozzo*. Pignorius.

(a) *Pro* flagrabat, *ut supra Rubrica præcedenti* flagitantibus animis.

(b) *Cod. Est.* affabili astutia.

(c) *In R.* expensis.

Digitized by Google

cum feliciore parte, seu Gelfa, seu Gibolenga alternè perambulans. Dominatorum Veronæ per varias temporum vicissitudines amicus, & inimicus. His mixtim virtutibus vitiisque magnus habebatur. Nec hujus tam singularis viri descriptio omittenda sit. Homo flavus, subrufus, oculis albentibus, mobilibus, ac eminentibus, labiis tumentibus, pectore lato, ventre obeso, cruribus tumidis, pustulatis, semper valetudinariis, staturæ brevis, sed robustæ, amictus in terram laxioris (14), multi ornatus (15), cibi & potus ultra communem appetentiam, in seriis ac luxu petulans. Hic natura, moribusque omnibus parem sibi votis, & congruentiis virum sibi ascivit (16) Antonium de Curtarodolo, cum quo omnis vitæ communio. Cujus non modò substantias auxit, verùm sibi pari domus dominio, thoroque absentis per vices uxoris sedula observantia copulavit (17), laborante, & fama (d) ut lasciviam majorem, quam viri ad virum conspicientes, ac conjectantes non probarent. Visi quidem in pulpitibus, & pavimentis se se junctis labiis, linguis in alterutra ora conjectis amplexari muliebribus osculis alternatim absque rubore, persæpe super comessationibus ante oculos plurimorum Civium. Vir hic in Reipublicæ perniciem alitus ad hujuscemodi nostri Cæsaris tempora trigenaria ferme ductus ætate pro Veronæ Dominatoribus regimen in Verona prælatus agebat, qui in primis Longobardiæ motibus quovis ingenio Albuinum, & Canem ab Cæsaris fide avertere primùm nisus est. Paduanos, quibus jam Cæsar libertates Patriæ amplissimo favore donaverat, ad eas aspernendas induxit, potioremque eis, reluctante Albertino Mussato, & fidelitatem, & pacem probante, pertinaciter rebellionem suasit, portas muris præcludendas, fameque corpora afficienda, ac potiùs interimenda, quam ipsi parere in Senatu mille virorum facundis ac prolixis emologando præconiis. Nec id ex post facto compertum est Patriæ servandæ causa; sed, (e) ut ad momentorum bellicorum discrimina status concussus in pendulo vacillasset, ipse seu in Padua, seu in Vicentia efferente fortuna magnificentior fieret, suopte confisus ingenio, nullaque prorsus civilitate contentus. Capta demum Vicentia per Canem Grandem, ut supra monstratum est, & ipse captionis complex vulgata fama, populique clamore multis argumentis dictus, præsumtusque est. At ex causa duplici, Primorum Civitatis suffragio ex ore vocitantis populi illum reum mortis, (f) adjutus est. Una, cùm non liqueret, ne insons morti, proscriptionive damnaretur; Altera, ne tanto in discrimine concussæ Urbis, quo vix quisquam mœniis se continere putabat, ipse potentissimus rebellis additamenta exitio Urbis ipsius cum hostibus contribuisset. Ex fiducia quippe data illi (18) jam rerum suarum diffiso in Civitatem adductus est. Hujusque consilii Albertinus Mussatus exstitit conciliatis ad hæc (g) T. de Campo Sancti Petri, Jacobo de Carraria, Gualpertino Mussato Abbate Sanctæ Justinæ, aliisque partis Gelfæ compluribus. At nil eò minus Urbi, Civibusque tectis odiis jugiter insidiatus, noctesque, diesque conspirationibus cum factiosis vacabat, (19) cum Gibolengis se Imperatorem zelare, cum Gelfis odire asseverans, utque faciliùs creditus ad subvertendum (h) patriæ Statum, ubi optatum defixerat, occasiones conquireret Canem Grandem in Auditoriis, Senatu, Concionibus-

(14) Svetonius de Julio Cæsare cap. 45. *Usum enim lato clavo ad manus fimbriato, nec ut umquam aliter, quàm super eum cingeretur, & quidem fluxiore cinctura*. Pignorius.

(15) Manilius lib. 5. in Libidinosorum genitura.
Taurus in aversos præceps ut tollitur ortus
Sexta parte sui, certantes lucis ad oras
Plejades ducit: quibus aspirantibus almam
In lucem eduntur Bacchi Venerisque sequaces:
Perque dapes, mensasque super petulantia corda,
Et sale mordaci dulces quærentia risus.
Illis cura sui vultus, frontisque decoræ
Semper erit, tortosque in plexum ponere crines,
Aut nodis revocare, & rursus vertice denso
Fingere, & appositis caput emutare capillis,
Pumicibusque cavis horrentia membra polire.
Atque odisse virum, sterilesque optare lacertos.
Fœmineæ vestes, noxæ sinè tegmine plantæ
Et species, fictique placent ad mollia gressus.
Naturæ pudet, atque habitat sub pectore cœco
Ambitio, & morbum virtutis nomine vitant.
Semper amare parum est, cupient & amare videri.
Nihil potuit concinnius huc afferri, aptiusque Auctoris descriptione, quam cum Manilii carminibus conferri, neque irriti laboris erit, neque operæ pœnitendæ.
Imò & Alcibiades Cornelii Nepotis in aliquam partem veniet collationis non sinè fructu. *Pignorius*.

(16) Salsè dictum veluti in fœminam, quæ viro indigeret; notum etiam est illud Licinii Calvi, qui Pompejum Magnum disticho notavit tamquam effœminatum
Magnus quem metuunt omnes, digito caput uno
Scalpit. Quid credis hunc sibi velle virum?
Tritissima quoque illa Juvenalis Sat. 2.
Traditur esse viro clarus genere atque opibus vir.
Pignorius.

(17) Mirum quòd non fuerit dicta Dos, signatæ tabulæ, dictum feliciter. Usque adeò omnis ætas monstrorum hujusmodi ferax fuit. Nos hæc propudia missa facimus; & notamus Gentem de Cortarodulo nostra ætate defecisse: uxorem verò Nicolai fuisse Agnetem Gerardi Caminensis (ut inquit B. Scardeonius) filiam; cujus & meminit, ut etiam Gerardi patris, Bonifacius lib. 6. *laborante fama*. Ita lego, ut mox. *Visi siquidem*. Et sanè hæc Neroniana, & Heliogabalina erant. *Pignorius*.

(d) *Aliquid desideratur, nimirum* exerceret, *vel quid simile*.

(e) *Pro* ubi.

(f) *Cod. Est.* adjudicatus.

(18) Hoc est (inquit Joannes de Balbis) quod vulgariter solet dici affidare, in V. Fiducio, as, & sanè in Statutis Inclytæ Civitatis Venetiarum, in Conf. major. Consilii, 1395. hæc habentur, *Ille talis fugitivus, quem considerandum est fugisse purè ex sola impossibilitate, & non fraudulenter, nec fictè ad usurpandum bona aliena, affidari debet secundùm usum per unum mensem, &c.* Pignorius.

(g) *Intellige* Tisone.

(19) Seditiosorum genituram hisce exprimit Manilius lib. 5.
Sed cùm bis denas augebit septima partes
Lanigeri, surgunt Hyades: quo tempore natis
Nulla quies placet, in nullo sunt ocia fructu.
Sed populum, turbamque petunt, rerumque tumultus.
Seditio, clamorque juvat, Gracchosque tenentes
Rostra volunt, Montesque sacros, rarosque Quirites.
Pacis bella probant, curæque alimenta ministrant.
Quem imitatus Pontanus lib. 3.
Queis chorus hic ipso nascentibus astitit ortu.
Hos tumidos populi favor, & plaudentia rostra
Sollicitant, serere arma inter plebemque patresque
Est amor, & positos rursum instaurare tumultus,
Civilesque manus armare, & stringere ferrum.
Tantum seditio placet, atque hæc pascit aventes.
Quid Gracchos tibi commemorem, aut civilia bella?
Non deerit populo luctus, forave ipsa quiescent
Turbinibus, quoties urbis moderentur habenas.
Hæc illi. Quæ adnotare volui, cum ut Lectoris tædium lepidissimis numeris levarem, tum ut Historiæ & Eloquentiæ studiosis characterem Seditiosi cum copia illorum, & hujusce nostri proponerem. Qui sanè pro ævi, in quo vixit, modulo, nulli ante se fato functorum concedit; quotquot Historicum stylum pertractarunt cum aliqua accuratione. *Pignorius*.

(h) *In P.* Paduæ.

Digitized by Google

busque tribunitiis detestabatur, illi conviciatus, ut ex sordido Olei venditorum genere editus fuerit (20), qui in tanta eminentia erat, ut atrox, scelestus, intolerabilisque foret. Ipse quidem edictum ex Senatus consulto exire ore proprio consuluit, pronuntiavitque, ut necantibus illum Canem sit decem millium Florenorum aureorum merces constituta ex ære communi cum amplissimis aliorum Privilegiorum indultis; Eo semper (ut ex consequentiis demum innotuit) clandestinè cum ipso Cane super prodendæ Urbis, aut Municipiorum vicissitudinibus diurnis ac nocturnis per internuntios conspirante, suggerente ac medio Bailardino de Nogarolis, cujus filia Guidoni nato ipsius Nicolai de Lucio diu ante nupserat. Dum tamdem plura conjectans, quàm successus afferrent, ad hæc, quæ jam scripturi sumus, cum conspiratorum unione convenit. Vecelum de Camino subornaverat cum Cane in amicitiam coire, ut exinde bellum Paduæ iniretur, quod (ut supra scripsimus) frustra tentatum, secus ac meditati fuerant, obvenit. Dalmasium quoque, ac Galardum (21) Ferrariæ pro Romana Ecclesia Rectores in sociam fidem Canis sollicitaverat, ut rebus Paduæ ex rebellione Nicolai ipsius in discrimine positis, belli materiam Paduanis moverent prætextu finium Ferrariensium, intra quos Colonias certas Paduani occupatas tenere ferebantur, (i) Venetiisque nonnullis Gibolengis accersitis relegatis Paduanis ordiendæ exequendæque proditionis seriem noctu tractavit, qui quidem sibi adjumento essent, & cum Cane rem frequentibus itineribus ad prædestinatum finem deducerent. Intereaque Antonius de Curtarodolo proditionis sedulus machinator tantò seditioni utilior, ac efficacior, quantò à Gelfis Paduanis dilectior, ex tempestiva cautela Regimen Terræ de Est præbentibus fiducialiter civibus petierat, obtinueratque, ut opportunitate captata illam Cani traderet, si rerum eventus proditorum spes non refellisset. Erat quippe in conditionum articulis, una simul die momentoque uno Castrum Lucii, Est, & Montem Silicem hostes introductos invadere, improvisoque Paduanos pæne ad mœnia obsessos urgere; sed interim Nicolaus Lucium Paduanorum se illi credentium impensis, quod Canem invadere opinatum suggerebat, munire, circumvallare, propugnaculis firmare dies noctesque studebat, præsidia equitum, peditumque inter Castelli claustra magna Paduanorum mercede timore infesti Canis sub simulatis vigiliis continens, quoad patrandorum facinorum finem habilitates appeterent. Verùm jam Paduæ oborta per fora, & tabernas popularium susurria, quæ in plebem, demumque ad Patres, & Primores invalescebant; in eum, cujus perfidia aliàs toties decepti fuerint, tantam spem ponere insanum esse, ut tantis operibus Castrum ejus munitum sit (22), Virum ad omne nefas semper promtum in hæc tempora suspectissimum avertendum esse, ne licentiosior his abutatur concessionibus timendum esse & Urbi, & Comitatui (23). Hæc ad Paganum della Turre Episcopum (24), & Gualpertinum Mussatum Abbatem Sanctæ Justinæ (25), ac Optimates relata, ad examen in ipsorum Conventu perducta sunt, nec inania visa,

(20) Merces Olearia sordidiuscula semper visa est: ex præscripto præcipuè Aristotelis, qui lib. 1. Politicor. cap. 7. pronunciavit, eas Artes sordidissimas esse, in quibus corpora maximè fœdantur; & sanè Nicolaus hæc proferebat ad mentem indigenarum, apud quos etiam nunc Olearii non bene olent; vocantque per ludibrium Podices unctos. *Pignorius*.

(21) Et quis hic Galardus? ego sanè non memini de hujusmodi aliquid uspiam legisse. *Pignorius*.

(i) *In P.* Venetiisque cum nonnullis.

(22) Majoribus nostris sat erat hominem non irritare. Verùm ultro fidere cœcorum fuit, & quibus ex merito, & dignè occineretur: *sero sapiunt Phryges*. Inveterata enim perfidia nullis meritis mitigari potest, & prudenter scripsit Aurelianus Aug. Mallio Chiloni. *Occidi passus sum, cujus quasi beneficio Tyanam recepi. Ego verò proditorem amare non potui: & libenter tuli, quod eum milites occiderint; Neque enim mihi fidem servare potuisset qui patriæ non pepercit*. Delatoribus, & Exploratoribus sepiendus erat Nicolaus, ut non modò quæ vigilans ageret, sed quæ somnians imaginaretur pernoscerent ii, qui Reipublicæ clavum tractabant. At certus perfidiæ fructus tunc consistit, cùm credulitatem nefariis vinculis circumdedit; ut inquit Valerius Maximus lib. 9. cap. 6. Et numquam satis ingeminatur illis, qui Principatus gerunt, *cui fidas vide*. Nemo enim celeriùs opprimi potest, quàm qui nihil timet; & frequentissimum initium calamitatis securitas est. *Pignor.*

(23) Comitatus est quem dicimus, *il Contado*. Et vidimus superiùs ex Domnizone, & Rolandino locum trium Comitatuum nuncupatum fuisse etiam tunc *Tricontay*. Comitatum autem propriè de Imperatoris Aula dici testatur A. Alciatus in l. pupillus §. territorium, de verbor. & rer. signific. Sed quia Imperante Carolo Magno, regnantibusque Berengariis, & Othonibus ad singulas Civitates regendas aliquis Comes destinabatur, cœpit Jurisdictio Territorii, & Districtus (quoniam illi Comes fuerat) Comitatus dici, & hinc in Legendas, quas vocant Sanctorum, irrepsere Comites Civitatum, qui intolerando Historiæ errore in illis passim leguntur. Scriptores enim hujusce ætatis, prout ferebat barbaries temporum, antiquam Magistratuum rationem minimè noverant, sed illam, quæ ipsis scribentibus vigebat, amplexati; multa scriptis insperserunt, quæ nitidis rebus nubeculas offundere consueverunt; magno cum Historiæ detrimento. Et à Comitatu ratio Analogiæ patitur, ut dicti fuerint Comitatini, & inde Italicè *Contadini*, veluti à Fisco Fiscalini, à Gallicis Scriptoribus recensiti: & à Duce vestes Ducalinæ, quæ appellantur, eadem inflexione. *Pignorius*.

(24) Paganus Turrianus Mediolanensis Episcopatum auspicatus est anno MCCCII. ut habent Epigraphæ Aulæ Episcopii Patavini. *Hic* (ut est in vetere Catalogo m. s. Qui ad me pervenit beneficio amici optimi, & eruditissimi Martini Sandellei) *Episcopatum novum magnum, Stabula, & plura egregia construi fecit; & postea factus Patriarcha Aquilejensis; suo tempore fuerunt magnæ novitates in Padua*. Quæ postrema verba digito indicant tumultus ex adventu Henrici suscitatos, & ea, quæ deinde subsecuta sunt atrocia, & detestanda facinora. *Pignorius*.

(25) Frater hic fuit Albertini Historici, quem præ manibus habemus. Docemur hoc à Siccone Polentono, cujus hæc sunt lib. 4. de Scriptoribus illustribus Latinæ Linguæ; *Fratrem quoque* (*Gualpertinus hic nomine vocabatur*) *Abbatem Sanctæ Justinæ constitui à Sede Apostolica impetravit, is corpus Ecclesiæ quàm maximè ampliavit, & in quibus sunt corpora Matthiæ Apostoli, & Lucæ Evangelistæ* (*sunt enim in ea Ecclesia Sanctorum Corpora multa*) *locavit*. Loquitur autem de Albertino, qui fratrem habuit hunc Gualpertinum. Cujus Gualpertini extat hodieque præclarum monumentum in Templo D. Justinæ carmine expressum, quod vulgavit ad calcem suæ Editionis hujusce, cujus parens & obstetrix fuit, Felix Osius accuratæ diligentiæ vir. Illud nos in vetusto exemplari membranaceo nacti hic reposuimus; tum ut vivat etiam hoc, quod paulò diversum est à vulgato; tum ut videant studiosi an ex eadem officina prodierint carmina ejusdem metri, quæ hucusque latuerunt; dicta (ut videntur) & affixa, cùm reliquiæ Matthiæ Apostoli transferrentur Gualpertini Abbatis opera, quod indicavit Polentonus. Prodierunt autem ex eodem vetere Libro. Et hæc etiam ipse Scardeonius opinatur Albertini esse,

visa, imò prorsus discutienda, & in tutum redigenda. Sed plerique rem adhuc dissimulandam, pro ipso Nicolao solemnes viros ex sibi fiducialibus mittendos, quorum suasionibus Paduam veniat Reipublicæ consulturus, cujus consilio omnia agenda erant. Sed Albertinus Mussatus Nicolai scelerum multa edoctus experientia jam ad traditionem omnia parata (26) violentis indiciis intuens, viros illos præmittendos approbavit, sed clam noctu partem militiæ Paduanæ, seu mercenariorum militum cum peditum manipulo summittendam, ut Castrum nondum hostibus repletum præoccuparent, consuluit, Nicolaumque nulla vi tunc arcendum; sed in ejus libitu esse Paduam advenire, vel in Castro resedisse. Hoc consilium ferox majori Consultorum parti visum est, rem humiliùs tentandam, conciliandum Civem altæ potentiæ (27), ne ultro exspes, ac molestatus à communione abjiciatur. Missi ergo, qui se ad id obtulere, multo sedandi viri zelo, M. Polafrixana miles, & Rolandus de Plaziola Judex, qui sponsionibus blandè acceptis veniendi Paduam in triduum, rediere. Remissus & Zambonetus de Capite-Vaccæ, ut præsidio, qui Lucii erat, præesset; sed hunc astutiis interceptum se Paduam venturum despondens, retromisit. Arctatus Nicolaus, cùm tardatum videret Guarnerium in Comitem de Ocmborc Longobardiæ Præsidem cum Longobardorum cohortibus, scilicet Mediolani, Pergami, Cremæ, Brixiæ, Mantuæ, ac Veronæ, quibus cum Cane Grandi Castrum primò Lucii, deinde Est tradi debuerant, stetit ambiguus, hæsitans quidnam faceret. Siquidem in adventum Longobardorum differret conjurationem detegendam, morti, exitioque sibi fore indefenso præoccupantibus Paduanis agendorum vices primas: Si verò rebellioni se coaptet, solius Lucii deditione citra latiorem spem Cani datam minoribus viribus rebellaturum illum primis pollicitis refellisse. Nam Terræ de Est defectione frustratus, quam custodiendam centum Paduanis militibus ipsius Civitatis Commune commiserat, in eos dies, & promissa, & intentum complere non poterat. Nec invadendæ Terræ de Est latissimæ, & accolis fœcundæ sibi, aut Cani facultas absque Longobardorum præsidiis suppetebat. Coactus ergo re cogente ad Canem Grandem maturiùs, quàm ipse disposuerat, propere misit, qui mercenarias cohortes ad se Lucium dirigerer. Ipseque non remissus, qualitercumque inconstantem virum ad proditionem exponat, Paduanosque intra intimos fines insultet, illos transmisit, unaque & Paduanos exules Veneris die prima luce X. Kal. Januarii Anni Domini Nostri XII. M. CCC. in quorum adventu equitum Paduanorum præsidia, quæ viginti erant, & peditum quinquaginta in vinculis conjecta, qui posthac ære redemti sunt. Lucium est Mons alti apicis, longæ pedis circumferentiæ, cujus ab Occidente unus viæ aditus, quem Valbonam vocant, ad Vicentinos per-

In Bovis effigie fidei certissimus index
Scriba Dei quartus jacet hic in corpore Lucas,
Vir fuit Anticha Syræ regionis ab urbe
Pictor in Cyroga, Medicus mirabilis arte.
Post obitus cujus Christi sub Lege fidelis
Græcia cum multis servabat corpora Sanctis,
Atque multa furens urebat Apostata Cæsar
Impius, & cineres vacuas spargebat in auras.
Sanctus ab Ecclesia Constantinopolis altè
Urius hæc profugus Patavi devexit ad urbem
Octo bis ac demum Domini labentibus annis
Tercentum post mille pia de Virgine nati.
Augendi cultus vir Gualpertinus amore
Composuit digno corpus venerabile Templo.
Urbis honoratos Padua cognomine cives
Mussatos habuit dignè memorabilis Abbas,
Cui mores, sacrasque dedit cognoscere Leges,
Gratia cui fratrem tribuit divina Poetam.

Et hactenus carmina duodeviginti, quæ videtur Albertinus primùm edidisse; limasse deinde & ampliasse tribus versibus, prout hodie leguntur. Nisi quis hæc interpolavit, & sategit ludere (ut in Proverbio est) de alieno corio. Quæ sequuntur eamdem venam sapiunt.

Claudit Apostolica duodenum sorte Mathiam
Marmor hic autorem fidei, succedit inepti
Christicolas Judæ cumulans vir sedibus ipse
Lux fuit, ac Christi populo quoque palma fideli
Summus honor Sithiæ tumulo veneranda Pelasgi
Frigida sacrifici jacuit dum morte dedere.
Urius & linquens Constantinopolis aulam
Latari profugus Patavos hoc corpore jussit.

De Gualpertino qui plura desiderat petat ex Historiarum Libris Jacobi Cavacii, & ex Bernardino Scardeonio. *Pignorius.*

(26) Traditio Italicè est *Tradigione*, *Tradimento*. Gallicè *Trabison*. Fridericus Imperator in Epistola scripta A. Frisingensi Episcopo, in Collectione Gretseri; *cùm Cœli stupeant, & totus Orbis contremiscat, & cuncta turbari constet elementa à facie scelestissimæ perfidiæ, à nece piacularis malitiæ, ab auditu nefandæ traditionis, quam quædam Civitates Longobardiæ &c.* In quibus verbis voculam inserere, alia amandata: *à nece piacularis malitiæ* corrigo in *voce*. Ut gradatio faciei, vocis, auditus sibi omnino constet. Arbitror autem (neque arbitrii pœnitet) designari hisce verbis ejectionem Vicariorum Imperialium, cujus meminimus lib. 2. & quam legimus non semel perscriptam in Manipulo Florum, anno 1164. *Pignorius.*

(27) Paulò supra. *Ipse potentissimus rebellis*, & lib. 2. *Ursinorum alta potensque progenies*. Et sanè hoc Epitheton fuit ævi promiscui usus, inde nomina muliebria *Altaflos*, *Altadonna*, nomen virile *Altobellus*: nomina corographica *Altacumba*, *Altavilla*, *Altopasso*. Domnizo in limine Libri primi.

Vivus si Plato foret hactenus ipseque Maro
Innumeros versus daret illis fingere tempus
Istud de nostris Ducibus, quos totus hic Orbis
Funditus esse catos non solùm novit & altos.

Et in fine capituli 21.

Muneribus magnis Attonem ditat & altis

Et alibi passim, uti & apud eos, qui Italicè scripserunt.

Et hinc manarunt composita Altithronus, Altigradus, Altiloquus & similia, a Scriptoribus horum temporum formata. Altitrhonus legitur apud Venantium Fortunatum lib. 1. de vita Sancti Martini

Altitbronus postquam repedavit ad æthera Christus.

Et altithronum altithroni pro alto throno dici testatur Jo. de Balbis in Catholico: illo nimirum sæculo, quo colluvies Idiomatum Latii larvam induerat. Altigradus est in carminibus ejusdem elegantiæ, apud Bernardinum Scardeonium libro 3. Classe 12. pag. 331.

Quum sedata fuit Patavi discordia Lucl
Hos inter cives altigradumque patrem.

Ubi Lucium videtur esse *Lozzo*, de quo nunc Mussatus sermonem habet; oppidum nimirum agri Patavini. Luciensis Arx vocatur in Epitaphio Guidonis, qui genuit Nicolaum,

Hic situs est Guido Luciensi notus ab arce

Apud Valerium Polidorum, in Memoriis, quas appellavit religiosas: meminit & Hieronymus Atestinus in carmine Elegiaco, quod inscripsit de laudibus oppidi Atestini,

Lucius & paribus curis vestigia solvet:
Cùm lux sidereas occulit alma faces.
Cynthius ipse suas tollat cacumine laudes,
Mons ubi prospectu metior astra meo:

Hæc omnia illustrantur carminibus Hieronymi Athestini Libro 4. de Gestis Athestinorum,

Sic fatus frigidam Fontanam deserit Heros,
Et sedes Rustæ, nimbosaque culmina Cynthi.
Luci sic turrem munitam collibus altis,
Atq; bonam vallem castrum, fluviumq; propinquum.

Ubi fluvius propinquus *Bachilio*, sive *Bachilo* est. *Pignorius.*

Digitized by Google

pervehens fines; ab Austro Estenses termini palude media; ab Oriente, & Aquilone Cintum, Rusta, Venda, & ceteri Montes Paduanorum finium; sed Bacchilionis fluentum Lucium à Montibus intersecat. In apice solitaria statio, sed in colle adjacente Nicolai palatium, rupe excesa, propugnaculis ex lateribus astructum. Expositis manè Aquilis Imperatorii culminis, ac Scalis insignibus Canis Grandis omnes cohærentes fugere coloni.

RUBRICA III.

Combustio Pendis-Vendæ, & conflictus sequacium Nicolai de Lucio.

NOvâ Paduam continuò relatâ, Paduani nullâ morâ ad Est coëquitantes manè rutilante Lucium versùs acies direxere. Dumque illò pergerent, & ecce fumum ardentis Villæ Arquadæ in aëre conspexere. Ipsa quidem Canis militia, adventus Paduanorum ad Est nescia, jam populabunda ductore Antonio de Curtarodulo exierat. Paduani igitur transitus illorum ex fumorum conspectu certi, ad montium angulos, per quos redeundum illis erat, objectis aciebus cum Estensibus peditibus stetere solliciti. Adventantes jam præscii imminentis cladis Antonius, & præfati de altis collibus in planitiem Paduanos aditus expectantes jam cominus videre; sed tunc nulla salutis via confisi, solutis aciebus, ac quibuscumque ordinibus ex equis desilientes (a) objectis armis per vastitates nemorum, & excesas rupes, ac montium saltus fugere. Sed vana illis fugæ spes erat. Nam viarum inscii in Paduanorum manus incidebant, vitas orantes, seque ultro dedebant: occisi per colles plurimi ignoti, cùm exteri ex mercenariis Canis essent. Equites ferme centum cum equis, & armis Est adducti. Per alias Pedisvendæ colonias multi pererrantium fame, frigoreque affecti in rusticorum manus sponte advenere. Pars in triduum per sentes delitescens, demum per rurales capta est. Ex trecentis hastatis, qui ea die è Lucio exierant, totidemque peditibus nocte insequenti duo & viginti Lucium reversi sunt. Pars per Rovolonis planities Fortuna advehente devoluta, migrato Bacchilione Vicentiam perrexit. Et ii centum duo conspecti sunt. Antonius de Curtarodulo viarum gnarus, altero comitante, per avia collium equo celerrimo provectus, pæne tamen ab insequentibus inrerceptus, Lucium introivit. Paduani multa gratulatione exultantes cum præda, & captis in Est sub crepusculo reversi sunt. Continuòque structis machinis, tormentisque omnium generum cum propugnaculis navalibus ac terrestribus ad Lucium oppugnandum instructis copiis perrexere; sed fortuna, rerumque successu sic ferente, dum vix desperatis rebus Oppidani ad locum desertum ex invalida resistentia se coaptarent, nox hyemalis prorsus viris, ac bestiis intolerabilis certamen diremit. In sequentes dies fama vera increbuit, Guarnerium de Ocmborc cum Longobardorum comitiva ad Canem Veronam advenisse. Solliciti Paduani arcem Estensem, Villamque totam vallo præcingere, munire, circumfodere, militibus ad eas operas poscente vicissitudine se ingerentibus, crates, sudes, & onera quæque humeris advehentibus, ipsisque ancilibus è foveis terra sublata efferentibus (28), loca tutelis firmavere, Bornio de Samaritanis de Bononia milite strenuo, qui tunc Potestas Paduæ erat, ad spectaculum (b) rupe ligone scindente (29), ut opus eodem exemplo capescentes ceteri libentiùs subirent. Idem altera militia ad Castrum, Villamque Montis Silicis vallandam, muniendamque eadem sedulitate effecit.

RUBRICA IV.

Ingressus Guarnerii Comitis de Ocmborc Præsidis (Longobardiæ) in Puaduanorum agros, & captio Castri Bacchonis (a).

CUm & in his Paduanorum solentiis Guarnerius (b) Comes cum cohortibus, & Cane Grandi comitante multis belli apparatibus onagrorum plaustrorumque fulcimentis, Vicentiam vênit, inde celeri meatu domum Mastini Canis in Camisano sitam (30), in qua Nobiles Vicentinos exules fore existimabant, insultavere multo impetu, illamque vi captam, captis, occisisque custodibus, cremavere. At Nobiles Vicentini, qui ab illa domo nocte egressi fuerant, populabundi per Pedis-montis Colonias multa præda, ruralibusque captivis abductis, Bassianum perrexere. Inde Comes, ac Canis ad Montem Vardam accedentes, insultu facto, nihil proficientes Vicentiam rediere. Sed Vicentia cum majoribus apparatibus in alteram diem digressi, Lucium introiere. Ibi Regia Teutonicorum ala Præsidi deputata, ibique Civitatum Longobardiæ Imperio parentium collatæ copiæ cum levis armaturæ peditibus, ac Lancearum longissimarum vibratoribus, ibique vis Provinciæ Imperialis nominis. Egredientes hæc phalanges, in montanas Pedisvendæ Colonias primum fecere impetum, præoccupantes Cinti custodiam, quam Paduani ad speculandum viginti quinque peditibus commiserant, diruereque id monumenti veteris, quod montis apici eminebat, captis occisisque custodibus. Inde Vallem Cornaledam, omniaque terræ cis Montem Vendæ subsistentia igni populationeque consumta relinquentes, in Lucium concessere. Postero die centuriati compositis aciebus ad Montem Bocconis pergentes, ubi Castellum Nicolai de Castronovo, qui ex Maltraversorum stirpe erat, Nicolai de Lucio consanguineus. Sed impetum Albertinus Nicolai filius sustinere non valens,

NOTÆ AD RUBRICAM III.

(a) *Cod. Est.* abjectis armis.

(28) Ancilia Scuta sunt hic militaria, quibus in opere tumultuario, quale describit Historicus noster, Milites usi sunt. Alioqui erat Scuta religiosa, de quibus videndus est Plutarchus in Numa Pompilio, & Nummographus Augustanus, ut mittamus interim Juvenalem, qui cecinit Sat. 2.

Arcano qui sacra ferens nutantia loro
Sudavit clypeis Ancilibus —— Pignorius.

(b) *Cod. Est.* rupem.

(29) Ligo, ut interpretatur Joannes de Balbis, est Sarpa, quoddam instrumentum rusticorum ad fodiendum aptum. *Pignorius.*

NOTÆ AD RUBRICAM IV.

(a) *Addi posset &* in Camisano.

(b) *In V. Rubrica hæc incipit verbo* Guarnerius.

(30) Lego *Martini Canis*. Ita enim appellatur lib. 6. rub. 3. & quem Bernardinus Scardeonius satis nobili Encomio prosequitur, lib. 3. classe 13. *Pignorius.*

Digitized by Google

lens, se Cani reddidit cum Matre, & familia miserabiliter adductis ad nunc inimicam scilicet, hostilemque domum, qua jam progeniti, alitique eodem sanguinis vinculo fuerant, increbescente proditionis auctore. Sed o illi, si non pudor, saltem internus (c) mœror, cui in biduo exustis sic hostiliter ædibus, ac depopulatis, non quota pars sua, suorumque fuerat, perque ejus viscera jam sui ipsius cœpta insævire proditio. His concrematis, depopulatisque, Guarnerius, ac Canis, quamquam proditore exhortante in æquos campos, vel ad obsidiones majorum municipiorum, vel ad congressus cum Paduanis exire, præmetiti, provisique (d) ad Paduanos sui, suorumque tutelas non inertes: imò si provocentur, cum numerosa militia prœlium non detrectaturos, abstinere à Paduanis finibus, ac abscedere consultiùs decrevere.

RUBRICA V.

Provocatio Paduanorum per Canem Grandem ad prœlium, & responsio.

EX jactantia tamen Canis, experiundique Paduanorum ausus causa, ex domesticis unum cum sigillatis literis ad Bornium Potestatem, Nobilesque prœlium in amplo campo petiturum transmisit. Bornius miles strenuus, ut ad summæ felicitatis festivum gaudium, virenti

A

B

serto exornatus, accitis ad consilium Optimatibus nuntium commissa præfari jussit, quo remoto non aspernari prœlium facunda validaque allocutione suasit, *Victoriam in promtu esse; hastatorum unanimium duo millia fulgentibus armis in robustissimis equis, quos sibi sua ipsorum patria progenuerat cum populo numeroso; tria millia alienigenarum in bestiis famelicis, vixque longo se itinere continentibus domo pellendos, necandosque, nullius discriminis hunc congressum fore*. Tum nullo reluctante responsum est, acceptabile prœlium fore, Canis ipse campum æquum edoceat, in quem exituri libentes se juramento dispondent. Canis in sequentem diem, se ante Tertias sub Monte Vardæ in Vicentino prædio cum suis affuturum respondit; illuc adeant, ibidem se se expositurum cum copiis. Paduani brevissimo, ac impossibili molestati termino, referri illi jussere sub majori Communitatis suæ sigillo (31) nuntioque nobili ex ipsius Potestatis sociis ut cùm sit apud Est Paduanæ militiæ pars una, altera apud Montem Silicem, pars quoque multa in Urbe, & per municipia cetera, velit ipse Canis, si prœlium exoptat, in tertiam præstolari diem, qua ad destinatum campum accedere facultas sit. Sed Canis his elusis cum Guarnerio, ceteroque exercitu è Lucio egrediens Vicentiam contendit, Guarnerium, ac Longobardos ad sua quemque remisit.

(c) *Intellige* fuisset, *aut ejusmodi*.
(d) *Fortè hic abundat particula* ad, *vel transponi debet sic*: Paduanos ad sui &c.

NOTÆ AD RUBRICAM V.

(31) Hoc Sigillum ad nostra usque tempora pervenit. Et in hoc mirum in modum hallucinatus est Laurentius Marrucinus, qui in Panegyrico Bassani oppidi scripsit, Sigillum Patavinum magnum fuisse argenteum, cum hac perigraphi

Muson, mons Athos mare certos
——— *dat mihi fines* Pignorius.

Albertini Mussati Paduani de gestis Henrici VII. Cæsaris Liber Decimus explicit.

ALBER-

Digitized by Google

ALBERTINI MUSSATI
DE GESTIS
HENRICI VII. CÆSARIS
LIBER UNDECIMUS.

RUBRICA PRIMA.

Defectio Casularum ad Cæsarem.

CONcussæ bellicis exitiis Tuscia, ac Longobardia, jam deformes ædium ruinis, agrorumque desolationibus solo intuitu miserabiles conspicientibus effectæ sunt, cùm extra cujusque Civitatis mœnia itinerantibus ante oculos mors, aut captivitas præsto forent, jamque virgulta, & sentes vias incognitas à nemorosis, palustribusque solitudinibus efficiebant, unaque provinciarum belli facies (a) classitis obstrepebat (1), sonitibus. Intra mœnia, municipiaque noctu vigiliæ sedulæ (2), die armorum fragores, solus Mars agibilia quæque sibi vindicabat. Casulani à Senensibus factione Gibolengorum indigenarum deficientes (3) Mareschalcum Regium cum Friderico de Montefeltro, Ugutione de Fagiola cum militibus septingentis in Castrum suscepere. Illòque extemplo Florentinæ, ac Senensis militiæ cum Regis Roberti subsidiariis concurrentes, angulos, quibus aditus exitusque ad Oppidum erat, circumstetere. (b) Nam exhaustum copiis Cæsarem, contemtumque, si se castris tantùm contineat, intuentes, illi insistendum decrevere; sed in dies longiori obsidione, quàm & ipsi meditati essent, fatigati, ad Urbes, & Oppida paulatim retrocedentes relictis stativis, patentes exitus militibus Regiis præbuere, illique præstita commoditate potientes, relicto Casulis præsidio ad Cæsaris contubernia magna Regis, & suorum exultatione suscepti sunt.

RUBRICA II.

Conventiones Florentinorum, Cæsare obsidente.

SEd in Florentia jam senescentis belli tœdio contentiones exortæ sunt. Fulcerius de Calbulis (4), qui magna mercede cum stipendiariis Romandiolæ in Florentinorum exercitibus fuerat, cum Degone Cathelanorum Primore, qui in ejusdem subsidiis erat, simultates agebat, quæ utrinque succrescentis dissidium intolerabile, exitialeque Urbi, & parti Gelfæ parituræ erant. Cùmque Florentinorum favor Degonem, ut (*) sibi Fulcerio cariorem, extolleret, abscessit è Florentia Fulcerius, & in Romandiolam cum suis se contulit. Nec hoc ingratum Florentinis, nonnullis dictitantibus ex conjecturis, Fulcerium accepto ære cum Cæsare clandestinè conjurasse, desiisseque Cæsarem insequi facultate sæpiùs se offerente. Multa deinde in Civitate susurria, litesque dissentientis à majoribus Plebis. Plebs namque fatigata defessaque longo bello, quo operum fulcimentis vacaverat, prœlium inferri Cæsari conclamabat; Majores tutiorem differendi partem laudabant, arcebantque pæne vociferantium furores.

RUBRICA III.

Digressus Cæsaris è S. Cassiano ad Podium Bonici (a).

IN Castris autem Cæsaris exinanitæ copiæ erant, Pisanis ceterisque, quos urgebat ex longa statione instans penuria, paulatim, & in dies ad refectionum loca secedentibus. In eisdem ex infecti aëris epidimia frequens mortalitas, quam abjecta extra castra equorum cadavera,

---

NOTÆ AD RUBRICAM I.

(a) *Sic in omnibus MSS. lege* classicis.

(1) Rectè monet accuratissimus Osius ita legi in omnibus manuscriptis; ea enim fuit hujusce ætatis in hac voce scribenda, orthographia; ut videre est apud Auctorem Catholiconis. Qui hæc tradit. *Classitarius idest Proreta, qui navi imponitur, & dicitur à Classis. Classitum à Kalo, las. Quod est vocare, dicitur hoc Classitum, ti, idest Cornu vel Tuba, vel aliud instrumentum causa convocandi factum. Classicum etiam dicitur signum bellicum, vel sonus Tubæ, vel alterius Instrumenti bellici.* Pignorius.

(2) De vigiliis latè, & ad mentem nostri Auctoris agit Joannes de Balbis in verbo Crepusculum; ex antiquis Apulejus, Macrobius, Censorinus, & alii. *Pignorius.*

(3) Jugurtha Thomasius Historiar. Senensium lib. 8. hoc mense Decembri contigisse scribit, suadente, & operam navante Raynerio Porrina Casulano, quod & animadvertit Mussatus infra. Et infelicem obsidionis exitum apud eumdem videat, quisquis hæc Mussati cum aliorum scriptis conferre volet. *Pignorius.*

(b) *Cod. Est.* Nec exhaustum.

NOTÆ AD RUBRICAM II.

(4) Hunc Joannes Villanus lib. 8. cap. 59. Ferum & sanguinarium hominem appellat. Nil mirum igitur si Florentinorum favor Degonem extolleret. Calbulorum meminit & Dantes Purgator. Cantu 14. *Pignorius.*

(*) *Cod. Est.* scilicet.

NOTÆ AD RUBRICAM III.

(a) *In epitomatis.* Et iter ad Podium-Bonici.

Digitized by Google

vera, coactaque intra locum arctissimum animantia despissaverant. Secesserat quoque per eos dies è castris Ostiensis Cardinalis ad Curiam proficiscens (5), Pontificem rogaturus, ut Robertum Apuliæ Regem ab Cæsaris insecutione summoveret. Tuscos quidem illius amoto suffragio pæne superatos videbat. Multis igitur molestatus incommodis Cæsar in his Sancti Cassiani Castris stativis disjectis, incensisque, repentè omnem exercitum amovens in diem Januarii tertium decimum Anni Domini Jesu Christi XIII. M. CCC. Barbarinum concessit, indeque in posterum ad Podium Bonici se contulit (6). Ibidemque moratus, Principum omnium consilio in ejus Montis apice se ad hyberna disposuit (7). In Podio si quidem Bonici locatus Senensium, Florentinorum, ac Lucensium finibus pariter bellis inferendis admodum accommodus erat; & si Pisas subeundi quoque casu appeteret vicissitudo, inde limes rectusque callis erat. His diebus ab Roberto Rege Apuliæ literæ Paduanis allatæ fuere per hanc seriem.

RUBRICA IV.

Concessio Papalis facta de Civitate Ferrariæ Regi Roberto (a) *significata, & responsio.*

Robertus Dei gratiâ Rex Hierusalem, & Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, Provinciæ (b) Folcaquerii, ac Pedemontis Comes.

N*Obilibus, & discretis Viris Potestati, Ancianis, & Communi Paduæ dilectis amicis, & devotis suis salutem, & sinceræ dilectionis affectum. Sincera Caritas Pii Patris Domini Clementis, Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Summi Pontificis de persona nostra tanquam sui, & ipsius Ecclesiæ præcipui filii, & devoti internè confidens, Civitatem Ferrariæ* (c) *Curiæ nostri Regiminis certo modo commisit* (8), *& administrationis gubernacula expressione concessit. Nos autem, quamquam ista foret commissio atque concessio nobis gravis, cùm ad præsens simus aliis Regni nostri arduis negotiis occupati; Considerantes tamen, quòd ipsius Domini Summi Pontificis requisitiones instantes refutare non possumus, & servitia Sanctæ Matris Ecclesiæ modestè, vel debitè declinare, commissionem concessionemque prætactas, tum ob zelum fervidæ* (d) *devotionis, quam ad Sacrosanctam Romanam Ecclesiam gerimus, tum ob affectum, quem ad prosperum statum vestrum, aliorumque amicorum, & devotorum* (e) *vestrorum habemus, acceptavimus reverenter. Quocirca dilectionem, & amicitiam vestram requirimus, & hortamur, quatenus advertentes sinceritatem nostræ intentionis hujusmodi velitis Vicario, & aliis Officialibus nostris Civitatis præfatæ, veluti repræsentantibus imaginem nostræ præsentiæ, ad honorem ipsius Sanctæ Romanæ Matris Ecclesiæ, nostramque pariter efficacibus auxiliis, & favoribus opportunis assistere, ac eos promta vestri exsforcii, si, & pro ut opus exstiterit, adhibitione* (9) *juvare, ut à mixtis* (f) *communibus viribus, & paribus affectibus colligati Civitas ipsa Ferrariæ sub sceptro nostri regiminis, in prosperi status*

(5) Fuerunt qui crederent Clementem Pontificem, & Robertum Regem ex compacto agere. Et profectò Dantes non semel notavit Clementem, quòd non bona fide ageret cum Henrico, velut Paradisi Cantu 17.

Ma pria, che'l Guasco l'alto Arrigo inganni

Et Cantu XXX. in fine.

Et fia perfetto nel foro divino
Albora tal, che palese & coverto
Non anderà con lui per un camino.

Tursellinus apertè in Epitome Historiarum, prodidit, Clementem, quòd videret Guelfos ejici ubique, & restitui Gibellinos, veritum etiam ne Cæsar Romam occuparet, Roberti Neapolitani Regis fidei Urbem commendasse, & Tursellino antiquior Conradus Vecerius Vasconicam inconstantiam notavit. *Pignorius.*

(6) Villanus lib. 9. cap. 45. Ammiratus lib. 5. Auctor Historiar. Pistoriensium hæc omnia luce aliqua possunt perfundere. Podium Bonici est hodie Poggi Bonzi: prædium Bonatianum vocat Vecerius. Bonitianum voluit dicere. Bonici autem nomen gentilicium est, etiam penes Rolandinum nostrum lib. 5. cap. 19. proprium verò apud Villanum lib. 5. cap. 7. Podium in editum collem significare ait Massonius, in descriptione Franciæ per flumina pag. 575. *Pignorius.*

(7) Amat hic Noster montium cacumina apices appellare. Sic *Lucium est mons alti apicis*, & *Diruereque id monumenti veteris, quod montis apici eminebat*, supra expressit. Et aptè, sanè Joannes de Balbis, *Apex, idest summitas. Quod enim in summo est à pedibus remotum est.* Et Papias ab eodem relatus, *Apex, cis, dictus, quod longè sit à pedibus, idest summa pars verticis, vel coni, vel Galeæ, vel Montis, vel Literæ &c.* Quæ sanè ad captum hujus ævi satis ingeniose excogitata sunt. Alioqui nomen Apicis, teste Servio lib. 10. Æn. ab apere quod erat ritu Flaminum adligare, dictum est. Hæc autem Mussati ætas hoc nominis ad summa quæque rerum quarumlibet fastigia & culmina transtulit, veluti in Epitaphio Raynerii de Forolivio

Livia quem genuit Raynerius alma quiescit
Hoc saxo legalis apex ---- apud Valerium Polydorum.

Et Francisci de Cesso, referente Scardeonio, cui & sequentia ferimus accepta

Quem Legum titulabat apex ----

Et Pauli de Titulo J. C.

Juris apex ----

Item Bartholomæi Campi

Eclipsatur apex Medicinæ ----

Cæterùm apex montis Bonicii à Gibolengis occupatus, dirutus olim à Florentinis est, incolis ad habitandum planitie tantùm concessa, ut tradit Volaterranus lib. 5. Geographiæ. Quod ex Joanne Villano lib. 6. cap. 65. videtur contigisse anno 1257. Ideoque notat Ammiratus Podii Bonicii accolas monuisse Henricum quanti olim fecissent Imperii Romani majestatem. Quapropter Castrum restitutum fuisse, quod in apice montis steterat, adjecta appellatione Castri Imperialis. *Pignorius.*

NOTÆ AD RUBRICAM IV.

(a) *Cod. Est.* Roberto Paduanis, *& ita Amb.*
(b) *In V.* Forcalquerii, *& ita Amb.*
(c) *Fortè* curæ.
(8) Literas Clementis Pontificis in calcem spicilegii nostri rejecimus; quas nacti sumus beneficio viri summi, & præclaros omnes conatus impensa opera adjuvantis Dominici Molini. Interim subit admirari, quomodo Robertus Regem se Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ nuncupet, non Ducem Apuliæ, & Principem Capuæ, ut hodie fit. Et sanè hæc titulorum proponendorum formula tunc temporis stata fuit legitimaque. Veluti & hæc *Karulus Dei gratia Rex Siciliæ, Ducatus Apuleæ, Principatus Capuæ, Angantoniæ, Provinciæ, & Solcariæ Comes*, in meo m. s. & apud Petrum de Vineis. Quæ sanè emendatiora extant in altero Codice scripta apud me, *Karolus Dei gratia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, Principatus Capuæ, & Anden. Provinciæ, & Folcb. Comes, Potestati, Consilio, & Communi Paduanis dilectis amicis suis, salutem & omne bonum.* Et hæc profectò casu gignendi (ut vocant Grammatici) enunciata esse arbitrabar; nisi Villanus lib. 7. cap. 73. casu nominandi vertisset. Scio equidem non defuturos qui criminentur morosam hanc rationem minuta quæque consectandi. At hos rogatos velim, ut nulla sui jactura hæc mea prætervolent. Ego illis scribo, qui in Historia illustrar-

Digitized by Google

tus tranquillitate refloreat, & consequenter ex quadam vicinitate connexa status vester in prosperitate continua perseveret. Præfati namque Vicarius, & Officiales nostri habent à nobis expressius in mandatis, ut versa vice quicquid pro bono statu vestro agere poterunt, promtè, ac efficaciter operentur. Data Neapoli die XII. Decembris XI. Indictionis.

Paduanorum Responsiva.

I*Nclyto* ROBERTO REGI (10) *Hierusalem, & Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, Provinciæ Folcaquerii, ac Pedemontis Comiti, Bornius de Samaritanis de Bononia Potestas. Quatuor Conservatores libertatis & status. Octo Sapientes à Credentia. Anciani Communantiæ, & Populi Civitatis* (g) *Paduæ reverentias subditas, & devotas. Majestatis Regiæ literas commissæ, ac susceptæ administrationis Civitatis Ferrariæ ex circumspecta pii Patris Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Summi Pontificis largitione suscepimus, eas tam flagrantibus amplexantes affectibus, quàm & extensivas Regiæ potentiæ, & nostræ salutis nuntias intuemur. Nec dubium, quin non modo Pontificali, sed Cœlestis Dei fuerit concessione provisum, ut qui Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ filii sumus, per tantum ejusdem Matris filium foveamur, ut in suorum consortiis ambulemus. Vicarium itaque, & Officiales Regios fratres nostros in ipsa Civitate, & ubilibet paribus venerandos affectibus humillima devotione suscepimus, nec non & juvandos, ac servandos sub sceptro Regii culminis communibus viribus pollicemur. Grates insuper Regi Inclyto tam munificæ oblationis auctori intima, ac præcordiali recognitione referimus, cui vitam, & victoriam exoramus. Data* (h) *Pridie Nonas Januarii.*

stranda nullam nimiùm diligentiam esse putant; & qui institutum Spicilegii mei approbaverunt. *Pignorius.*

(d) *Cod. Est.* dilectionis.

(e) *Cod. Est.* nostrorum, *& ita Amb.*

(9) Galli dicunt *Effort*, Itali *Sforzo*. Cujusmodi sunt illa itidem hujus ævi, *salvo eo, quòd quandocumque pervenerit in forciam Communis Paduæ &c.* In Rubrica Statutorum de Homicidiis, & in Rubrica de Assassinis, *si verò Assassinus non esset in forciam Communis Paduæ*, & ibidem, *Quælibet persona, quæ diceret, & arrengaret seu consuleret, aut tractaret in aliquo consilio, seu in concione aliqua &c. de accipiendo de forcia & manibus domini nostri seu Communis Paduæ, Civitatem Paduæ &c.* & apud Marculfum Monachum Formularum lib. 1. cap. 28. *Eo quòd Pagensis vester ille, eidem terram suam in loco nuncupante illo, per fortiam tulisset.* Ubi diligentissimus Bignonius. *Pignorius.*

(f) *Cod. Est.* communionibus.

(10) Domnizo lib. 1. Metro 2.

Imperioque suo Rex cunctis inclytus Hugo.

Idem Metrop. 6.

Chonradus ductor, Bonifacius inclytus ultor

Et carmen Sepulcrale Antenoris apud nos

Inclytus Antenor patriam vox nisa quietem.

Monuit autem Joannes de Balbis, vocem formatam fuisse ex *in*, & *clytus*: quæ valde nobilem significant. Qua dubio procul mente Q. Curtius scripsit de Clyto Macedone, quem Alexander in convivio ira percitus hasta trajecit; *Vetus Philippi Miles, multisque bellicis operibus Clarus.* Clytus enim hoc significat. *Pignorius.*

(g) *In V. deest* Paduæ.

RUBRICA V.

Conflictus (11) *Regiæ cohortis apud Abbatiam Spognæ.*

SIcque Ferrariæ status immutatus est in magnum Bononiensium, Paduanorum, ceterorumque Gelforum solamen, aucta per easdem oras Gelforum parte. Dumque interim frumentandi causâ sub comeatu Regiæ cohortis trecentorum onagrorum Salmarii per Galegnanum traducerentur, Zirimbertus de Syntilla Aragonensis Romandiolæ Comes, ceterique Florentiæ milites, qui in Sancti Geminiani, & Collis præsidiis assistebant (12), per internuntios edocti, in (a) Spognam convenere clanculum, delitescentes in planitiem secus Abbatiam Spognæ, dum remeans militia Regia ad ducentorum militum numerum, peditumque totidem desuper Scarnam scopulum descenderet versùs Collem. Pars Florentinorum substitit in insidiis prope Abbatiam eamdem, pars juxta porticulam, qua ad Sanctum Lazarum itur, similiter latitans stetit. cætera in primo calle, qui Senas vehit in patulum exposita constitit. Cohors Regia exploratores ex militibus sex ad ipsam visendam aciem direxit, ut quales, quantive forent, decernerent; sed ultra progressi, quàm postularet redeundi (b) facilitas, à Florentinis intercepti concidere. Indeque extemplo condescendens Regis acies in æquum campum, congressum cum eis fecit. At in utrisque insidiis positi militiam Regiam circumvenere, sicque statim confusa victaque in stragem cessit. Cæsa itidem militum capita duo & septuaginta, pauca in fugam versa, cetera capta cum peditibus, qui ad eam (c) percingendam, fulciendamve aciem ex belli more simul perrexerant. Ex Cathalonia quidem mercenarii Florentinorum levis armaturæ prædæ rapaces (13) illos corripuere. Signa militaria Florentiam relata. In his à Regio latere Germani, Flandren-

(h) *Cod. Est.* Data Paduæ pridie &c.

NOTÆ AD RUBRICAM V.

(11) Hanc pugnam attigit Villanus lib. 9. cap. 47. Ex quo discimus apud Mussatum scribi debere *& Collis præsidiis*, & *versùs Collem*. Collis enim nomen topicum est. *Pignorius.*

(12) Et paulò post, *descenderet versùs collem* &c. Utrobique scribendum, *Collis*, per primam literam majusculam; loquitur enim de Civitate. Et paulò inferiùs, *ex Comitibus Romæ*, lege omnino cum aliis duobus Codicibus, *ex Comitibus Romenæ*; quod Castellum hodie quoque extat, nec multis lapidibus longè à Florentia distat. Gens autem, in cujus ditione oppido, quàm longum tempus duravit, qui vulgò dicebantur, *i Conti da Romena*, superioribus annis extincta est, paulò post, *Sanctæ Floris*, dicendum, *Sanctæ Floræ*. Villanus.

(a) *In P.* Spugnam.

(b) *In V.* facultas, *& ita Amb.*

(c) *In R.* protegendam.

(13) Italicè *scorridori*, *ò saccomanni* diceremus nunc. Albertini ætate quomodo appellarent nostri homines compertum non habeo. Lectorem tamen admonitum volo, Zirimbertum de Syntille, quem vocat hic Noster, Villano lib. 9. cap. 18. esse Gilibertum de Santilia Vice-Comitem Regis Roberti, Hieronymo Rubeo lib. 6. Histor. Ravennatis Gilbertum Santillum Regis Vicarium, ita ut Comes, Vice-Comes, & Vicarius ab hisce Scriptoribus in unam veluti massam redigantur. Harum autem præfecturarum notitias pertexere, post Viros doctissimos, qui eas illustrarunt, mihi consilium non est. *Pignorius.*

Digitized by Google

drenses, & Franci ex insignibus Curiæ fuere, quos inter Aymo (d) de Braymonte Francus Cæsaris consobrinus, Raynerius Porine de Casulis, is, qui Casulas Cæsari tradiderat. Capti Teri Paganelli, ex Comitibus (e) Romæ unus; ex Comitibus Sanctæ Floris alius confossus, & alius ex Regiis Principibus de ipsius Cæsaris consanguinitate.

RUBRICA VI.

Mors Raymundi de Aspello Anconitani Marchionis apud Mutinam.

PEr eosdem dies Raymundus de Aspello Marchio Anconitanus Clementis Papæ Nepos multo recollecto thesauro, quem ad Curiam proficiscens deferebat, in Mutinensium finibus juxta Castrum Vetus à Guidone de Monte Cuculo, & Francisco de Menabovibus Ferrariense, tunc Mutinensium Præfecto, intrinsecisque Mutinensibus Gibolengis nefandi latrocinii conspiratoribus occisus est, ablatis aurea pecunia cum Salmariis, comitivaque ejus ad unum interemta; ditatique prædones nonaginta millibus Florenorum festivo gaudio in Mutinam rediere. Isque dies tertius decimus Februarii fuit Anni Domini Nostri XIII. CCC. Millesimi. Affectique mœrore Bononienses tanto crimine, lectum ex agris corpus Bononiam deferentes, magno exequiarum, cæremoniarumque honore, ac prosecutione in pretiosum sarcophagum locavere.

RUBRICA VII.

Concilium Roberti Regis Apuliæ de mittendo Fratre in Tusciam.

INterea ab Legatis partis Provinciæ Tusciæ Gelfæ patenter acceptum est, Robertum Apuliæ Regem Concilio Neapolis sub omnium Regni Principum assistentia celebrato, oblatum Tusciæ acceptasse dominium, sponsione obnixè facta, emologataque per Principes, nullo medio Petrum Victoriosum (*) majorem natu fratrem in Tusciam maturè transmissurum cum copiis tantæ expeditioni suffecturis, certissimis adjiciens pollicitis, hoc tantum aggrediendæ rei fore primordium. Se quidem ipsum nil eo minus omne in ipsam Tusciam certamen ac bellum in se suscepturum, affuturumque ut Ducem, ut Fratrem, nil interesse, quia adeò Tuscos fratres, fidelesque, ut sui ipsius Regnum Apuliæ tueatur; confestimque ipsum Petrum arma, fulcimentaque omnia cum Principum, Nobiliumque Regni cohortibus parari jussisse sublatis cujusque moræ dispendiis. Quàm festiva hæc per omnem Tusciam nova partem Gelfam diligentibus fuerint, similium his ætas nostra non recolit. Cernenda quidem erat uti ex nimbosa aëris tempestate clara serenitas; jam deletam Teutonicorum pestem, jam victum Cæsarem supputabant. Luctus omnium in jocos, ac seria versi sunt, diebus tripudia, noctibus autem *Sedula per summas ardebant lumina turres.*

(d) *In P.* de Biamonte.
(e) *In R. & P.* Romenæ.

NOTÆ AD RUBRICAM VII.

(*) *MS. Amb.* minorem.

NOTÆ AD RUBRICAM VIII.

(a) *MS. Amb.* promotore.

RUBRICA VIII.

Exhortatio Cæsaris ad Commilitones.

CÆsar in Podio Bonici Castris insidens regio animo Contubernalium qui apud Spognam conciderant, mortes tulit, constanti virtute mœrorem supprimens, multaque exhortatus suasione Commilitones bono animo esse, seque ipsos secundis rebus servatos sperare salubria; dum Ver jam frondes retulerit, omnem Germaniam novo socero Austriæ Duce (a) promoturo in Italiam; Bohemiæ Regem primogenitum suum paternas aucturum copias ditissimi Regni gazis, ac favoribus; Fridericum Siciliæ Regem jam vires in socias partes aggregare, eosque, qui ex hybernis discessere Italicos Imperialis nominis fratres, ac socios ex Aretio, Pisis, ceterisque Urbibus, ac Municipiis refectos resumtis facultatibus in contubernia redituros; pium Patrem Clementem Sanctissimum Pontificem, cui, ut oculi pupilla supremæ curæ est, Ecclesiæ favores sacris monitis subjunctis viribus præbiturum; Deum immortalem propitium, quo (b) suffultus, quo productus domitis Longobardis, maritimis faventibus populis terra marique, in Urbem profectus est, Roma sua, Capitolioque potitus, coronatusque, emologata insuper jam per Papam Coronatione solemnis institutione decreti; Hos rebelles, infidelesque Tuscos, & ceteros Longobardos (si qui sunt) igni, ferroque divina, ac sua punitione exterminatos, ac consumtos. Nimirum, qui Dei, Mundique Judicum temporanei, ac æterni temsere mandata, (c) adeò plagis percussi sunt.

RUBRICA IX.

Transmissio Comitis Claramontis per Fridericum Siciliæ in subsidium Cæsaris.

HIs, aliisque Imperator magnanimus, Principum militumque animos extollebat, peneque in his diebus Comes Claramontis è Sicilia cum ducentis circiter militibus, balistariisque tercentis, frumenti, ac coriorum salmis ducentis, à Friderico Siculorum Rege transmissis VIII. Kal. Martias in (a) Castrum ad Cæsarem concessit. Interea è Campania nova in Tusciam, & Longobardiam relata sunt: Riciardum Joannis de Cecano natum multis Gibolengorum Campanorum viribus Ciperanum Roberti Apuliæ Regis Oppidum occupasse, bellumque acre in Gelfos Provinciæ Campaniæ movisse, non nisi, ut distractas Roberti copias in Campania à Cæsaris impetitione summoveret. Quòdque obvii Palatini Comites olim celebris memoriæ Bonifacii VIII. Papæ pronepotes Provinciæ ejusdem unitis Gelfis, compositas undique copias in adversum in Ciperani campos eduxerint, ibique campestre bellum patratum fuerit, quòdque victoria Comitibus parta mille virorum stragem, cædemque fecerit. Dum enim ii, qui Oppidum occupaverant, in ipsum (b) fugitivum terga dedissent, cederentque, ad Pontem lapideum unum dumtaxat, per quem regressus illis erat, stipati è Pon-

(b) *In P.* fultus.
(c) *Sejunge* à Deo.

NOTÆ AD RUBRICAM IX.

(a) *MS. Amb.* in castra.
(b) *MS. Amb.* fugituri.

Digitized by Google

è Ponte in fluentem præcipites obruebantur. Dum denique cum conflictis per Comitum phalanges pariter in Oppidum itum est. Ex hoc certamine occumbentibus, cæsis, mersisque Gibolengi nominis partiariis, solum Roberti nomen cultum Campaniæ totius Provincia invocaverit.

RUBRICA X.

Transmissio Don Frenandi per Robertum Apuliæ Regem ad Tuscos.

PRidie Idus Februarias ecce Don Frenandus cum ducentis Cathelanorum militibus à Roberto præmissus in Tusciam vênit, præoccupaturus Cæsaris cursum, si mutatione Castrorum aliquò (a) digressus foret. Hujus D. Frenandi Viri superillustris Genealogiam perscribere affert nostri contextus habilitas. Rex Nansos (is bonus Rex Nansos Hispaniæ Rex, qui suapte industria, viribusque inter Mundi meliores claruit, cujusque præstantes virtutes æternam famam meruere) quinque genuit filios, primogenitum D. Frenandum ex D. Blanca Ludovici Francorum Regis filia, genitoris scilicet hujus Philippi nunc regnantis in Francia. Secundogenitum Sanctium, cui Infantulam Molinæ Civitatis Hispaniæ uxorem tradidit, ex qua Pitetum genuit, nunc Regnum obtinentem Hispaniæ. Tertiogenitum Don (b) Jannem, cui copulavit uxorem Gulielmi Montisferrati Marchionis filiam, ex qua Galiciæ nunc Dominatorem genuit. Don Petrum Quartogenitum, qui filiam Americi de (c) Verbona uxorem duxit. Quintogenitum Don Jacobum natu minorem. Is ergo Don Frenandus in Tusciam missus ex Don Frenando Nansos Regis Hispaniæ Primogenito. & Blanca Ludovici Francorum Regis filia natus est.

RUBRICA XI.

Genealogiæ Regum Aragonum, & Francorum.

ET quia Aragonensium Regum quoque in casu mentionem nostra fortasse feret Historia, modernum eorum genus in notionem deducendum quidquam evidentiæ Lectoribus afferet. Don Jacobus Aragoniæ Rex, idem videlicet, qui Regnum Majoricæ magno bello, ingenioque sibi subjecit, tres filios procreavit. (a) Don Petrum Cathaloniæ, & Aragoniæ Regem, qui Manfredi filii Friderici Suevi filiam uxorem (b) accepit. Ex qua hic Petrus tres filios assumsit. Primogenitum D. Nansos, qui eidem immediatè successit in Regno. Secundogenitum D. Jacobum, quem Regem nunc habet nostra modernitas. Tertiogenitum D. Fridericum nunc Regnum Siciliæ obtinentem. Secundo autem genitus D. Jacobi præfati, qui Regnum Majoricæ conquisivit, paternum nomen obtinens D. Jacobus, qui Regni ejusdem Majoricæ nunc obtinet Principatum, qui & Comes (c) Rusignonis est, & Dominus Montis Pesulani. Tertio genitus Jacobi, horum frater, Toletanus Archiepiscopus fuit, qui bellum grave Sarracenis inferens, prœlio interemtus, vitam meruit sempiternam. Francorum Regum (ne nostra sit longa retro series). (d) Constat, inclytam Regum Francorum prosapiam à profugis Trojanorum profectam virili sexu exhaustam, denuo ex Ugone Ciapeta ex Liguria plebejo, ex ea fœminina stirpe nato conjugium sumsisse propaginem (14), à qua Octavus successit Sanctus Ludovicus, quem de Sanctorum Catalogo Sancta profitetur Ecclesia, qui quinque filios habuit. Philippum Primogenitum, Carolum Secundogenitum hunc scilicet, qui Corradinum de Stoph more majorum supplicio damnavit. Tertiogenitum Philippum Comitem Atrabatensem, qui bello Flandrensi interiit. Comitem de Lanzone Quartogenitum. Quinto verò genitum Comitem Claramontis. Philippus Primogenitus Sancti Ludovici tres mares filios habuit. Philippum nunc Regem Franciæ, & Carolum ex eadem matre, ac Ludovicum ex altera uxore. Carolus Secundogenitus Ludovici Sancti unicum filium habuit Carolum. Hic Carolus septem filios habuit Archiepiscopum Tolosanum Primogenitum, Carolum Martellum (e) nunc Regis Ungariæ patrem, Robertum nunc Regem Apuliæ, Philippum nunc Principem Tarentinum, Raymundum, (f) Belezonium, Joannem, & Petrum Victoriosum. At hodiernus Philippus (g) Philippi filius Ludovicum Navarræ Primogenitum (h) Regem habet, cui filiam Ducis Burgundiæ copulavit. Altera ejusdem sorore adducta Carolo minori natu, scilicet Tertiogenito. Philippus quoque Secundogenitus Regis Britanniæ filiam duxit uxorem. Denique nostram prosequamur Historiam.

Sed o Deus! quàm admirabiles mortalibus Mundi motiones, ut Poëtæ verbis utamur:

Nescia mens hominum fati, sortisque futuræ.

RUBRICA XII.

Dissensio inter Romanos, & intestina commotio.

PRofectò nescia mens successuum futurorum. Sic (a) arridente fortuna in sui vertigine ludicri sors obtigit (si læva non fuisset) Cæsarem ad suæ productura columen Majestatis. Sed ea, uti ad statum progressa, decidit, omne frustrata rerum (b) appetentium argumentum. Ecce, sicut ex præmissis Romæ gestis habitum est, dum Cæsar inde digressus tamdem ultro in Tusciam divertisset, Roberto Apuliæ Rege frustra diuque ab suæ factionis Terrigenis expectato, Nobiles utriusque factionis Romani bello, quod nunc (c) illos in se dumtaxat conversum fue-

NOTÆ AD RUBRICAM X.

(a) *Cod. Est.* digressurus, *& ita Amb.*
(b) *In V. D.* Yanem.
(c) *Cod. Est.* de Nerbona, *& ita Amb.*

NOTÆ AD RUBRICAM XI.

(a) *Cod. Est.* primogenitum Don Petrum, *& ita in Amb.*
(b) *In P.* suscepit, *& ita Amb.*
(c) *Cod. Est.* Rusionis, *& ita Amb.*
(d) *Desiderantur hæc verbo* Constat *usque* Sanctus Ludovicus *in R. & P.*
(14) Illud, *conjugium*, mihi suspectum. Alii viderint. Tale quoque illud est in Rub. sequenti, *bello, quod nunc illos in se dumtaxat conversum fuerat, affecti, intercepere induciis.* Sufficerit indicasse. *Villanus.*
(e) *Cod. Est. & Amb.* Caroli nunc &c.
(f) *Cod. Est.* Raymundum, Belzerium. *MS. Amb.* Raymundum Bellenzerium.
(g) *In P.* Ludovici filius *habet in contextu, supra verò. Vel* Philippi primogeniti Sancti Ludovici filius.
(h) *In P. non habet* Regem.

NOTÆ AD RUBRICAM XII.

(a) *In R.* audente.
(b) *In R.* apparentium.
(c) *Fortè* illo.

Digitized by Google

fuerat, affecti, intercepere induciis, (d) dum sibi, suisque consulendi perquam opportuna temporis, ac conditionum vicissitudo causam daret. Mitigatis igitur propositis, de pace agi per alternos nuntios sustinuere. Re quoque ultraquam creditum paulò ante fuerat, ad mutatum actum progrediente, nutibus consonis cedendum assensere (e) libitibus publicis, & privatis, arma ponenda; pacem inducendam; inter insignes illustresque conjugia spondenda, inienda, civili more vivendum; duos Senatores creandos per utrasque Ursinorum, & Columnensium partes. Moxque hæc omnia hilaritate multa impleta sunt. Creati Senatores Franciscus Matthæi à Monte pro Ursinorum parte: Pro Columnensium verò (f) Jacobus de Sarra Joannis de Columna, dispositaque Respublica sub ipsorum Nobilium ad placitum institutis. At visa sibi Romana Plebs (g) quibuscumque sub Dominis premi servitiis, fatigata iis nunc Regum, nunc Nobilium exagitationibus in omnes variis circum querelis (h) destinata est, paulòque ante dissidentium plebejorum jam in unum coire videbantur conversæ variis affectibus voluntates. Hos Reges, hosque Nobiles non aliter plebe, Populoque Romano, quàm suis uti mancipiis, nil illis curæ esse, dum ipsorum vota percompleant. Hinc Robertum Romanis, ac Tuscis destitutis tempus trivisse pollicitis. Inde Cæsarem captatis occasionibus Urbe secessisse. Hos suos Nobiles sibi solis providisse, suis tantùm, non popularibus commodis, vel favoribus intendere. Suæ Reipublicę providendum (i), cùm hodie plebiscitis quàm legibus sibi jus dicere salubrius sit. Non sic inolevisse auctoritatem Tribuniciæ potestatis (15) ut Plebs violata intolerabile jugum ferens, indignis succumbat obsequiis. His conquestibus fora & vicos replentes ad Primores Ursinorum, ac Columnensium jam palàm exultante commotione hæc lamenta delata sunt. Ii per internuntios sic iratæ (K) plebis præsumtus non parvipendentes, plebi tamen assentiendum non fore adjudicavere; sed obsistendum. Accensis ergo, & Nobilium, & Plebis ardentiùs instinctibus, utrinque ad Capitolium concursum est. Sed despissatis, completisque undique ad Capitolium accessibus plebejorum catervis, quos jam omnis furor invaserat, in se se confracti, nec non & repulsi Nobiles, ad suas quisque domos secessere. Gratulabunda plebs, irremissaque per multitudinis concionem, veluti commotum in fluctus pelagus, Urbis fortilitias, Castrum scilicet Sancti Angeli, Militias, Insulamque Urbis præoccupantes suis muniere præsidiis. Unumque eligendum constituere, quem Dictatorem Romana vocabat antiquitas, sed Capitaneum nostra modernitas, in quem omne privatum publicumque jus tributum sit, à quo quemquam provocare ipso verbo nefas habeatur. Extemplo is declaratus est Jacobus Joannis Arloti de Stephaniscis, in Capitoliumque evectus, ipse agenda quæque dijudicet, id totum jus esse, quod dixerit. Jacobus hic animo non mediocri, nec Romanæ expers audaciæ, se vilipensum reputans, si tegnis tanto prælatus favore plebis, citra constituentium spem abutatur arbitrio, erexit animum, si se Magnatibus formidabilem faciat, ipsos opprimat, alliciendos intensiùs ad

(d) *In R.* donec.
(e) *MS. Amb.* litibus.
(f) *In P. deest* Jacobus.
(g) *In R.* qualitercumque.
(h) *In P.* obstinata est, *& ita Amb.*
(i) *MS. Amb. addit* fore.

A se plebejos, quos semper in Civitatibus Majorum impatientes constabat: non ignarus, quòd extensa in Majores judicia populis placent, æmulumque illis siquidem semper vulgus. Ad tribunal ergo conscendens, vultu, gestibusque metuendus, ad se accersiri undique jussit Insignes. Præsto assistentes omnes capti continuò, vinctique. Ex filiis Ursi (sic enim stirps illa nuncupatur) Gentilis Poncelus Ursi, Ponceletus Matthæi de Monte, Franciscus (is, qui Senator paulò ante à Majoribus delectus fuerat) abrenuntiare compulsus; Stephanus de Columna, Sarra ejus frater, Jordanis Agapiti, Joannes, & Petrus de Sabellis, Annibal de (l) Annibalis, plurimique per Romanas stirpes Insignium,
B quos tamdem pæne exorabilis multis cautionibus è vinculis ad municipia relegavit, capitali adjectâ inde degredientibus pœnâ. Nec hactenus substitit viri audentis acerbitas (ut si quidem Branchaleonem Bononiensem, qui Regum, ac Ducum per tot ab Urbe condita secula palatia, thermas, fana, columnas verterat in ruinas, ipse memorabilior superaret) ad demolienda eminentia quæque nova, ac vetera insurrexit, præsumsitque, Monzonem, Turrim scilicet secus S. Mariæ pontem cum oppositis ad alterum latus valvis uno momento sub plebis furore diripiens. Inde enim illi futurum iter trans Tiberim ad majores patebat conceptus, ad plebejorum perinde discursum; demoliendæque sic erant
C Branchaleonis reliquiæ. excelsaque Castri Sancti Angeli, Insulæ, & singula quæque mirabilia in Urbis antiquæ deformitatem, ipsorum contemptu Magnatum, in quos & illi animadvertendum erat captatis qualitercumque causis, dum sola Tribunitia, exterminatis Patribus, potestas adolevisset illo sub magistratu. Denuo quoque compertum est, dispositis ad hujus, plebisque libitum rebus, præcipuè potentioribus fusis, omnia hæc parari Cæsari, ipsum evocandum in Urbem, vehendumque triumphaliter in Capitolium. Principatum ab sola Plebe recogniturum. Sed secus ac præmeditati sunt, fortuna, successusque vota eorum distraxere. Nam Patres, Primoresque Nobilium, quorum
D exitium jam ultimari videbatur, si mora plebi aptitudinem præstitisset, exploratis per secretarios ex eis Plebejis (m) in actum producebantur, rem aggrediendam ad resistentiam clanculum consultavere, maturatoque ad diem constitutam processu, in Urbem diluculo cum cohortibus summa vi ad Capitolium concurrêre. Capitaneus horum ignarus, improvisusque dispersam per vicos plebem, simul & insciam aggregandam campanarum tinnitibus frustra conatus, præoccupatus est, concursuque satellitum captus vinctusque in carceres Patrum jussu detrusus. Vacillans tanto motu Plebs, per ædes delitescens, nusquam conventum habuit. Sicque amplissima illa Cæsaris spes, sorte, casuque sic ferentibus,
E sublata est.

RUBRICA XIII.

Digressio Cæsaris è Podio-Bonici Pisas.

LAborante apud Podium-Bonici in Castris Cæsaris peste, quæ repentinis mortibus corpora

(15) Dicendum fuerat, *exolevisse*. Nam, *inolevisse*, repugnat ex diametro sententiæ. *Villanus*.
(K) *MS. Amb.* irritatæ.
(l) *Alibi* de Anibaldis.
(m) *Addendum sinè dubio*, quæ in actum &c.

Digitized by Google

ra interimebat, non suppetentibusque ad victum escis, claustra, structuraque Podii præsidiis munivit, celerique cursu una die ad (a) Pezodem Castrum permeans, altera Pisas VI. Idus Martias contendit. Motus iste tumultum per Gentes Italicas varia loquentibus populis (b) pertulit. Infremuere Longobardi variis optionibus, si in Longobardiam illum forsan reverti contingat, timendum esse Gelfis, nonnullisque Gibolengis, dum illum sibi onerosum existimarent; nec minima illorum pars, si ipsos bellis continuis fatigatos ipse egens atque exhaustus, impressionibus urgeat instanti necessitate compulsus. Tusci lætabundi ad spes validas erecti sunt, illum copiis vacuatum, prostratumque, ac collapsum suo ipsius pondere in Alemanniam desperatis rebus

A reversurum dictitantes. Pars adhuc tremebunda, quòd secesserit in suas Pisas per hoc vernum tempus vires resumturus, utque tabefacta morbosis oppilationibus contubernalium corpora recrearet, refocillaretque sub restaurandi belli asperrima spe, nocentior futurus adversùs Tuscos, veluti allusis fastidio Apulis, qui frustra ad succursum in Tusciam venerint. Sic varii varia per Italiam certatim autumabant, differebantque. Florentini, veluti laxati retinaculis molossi, ad occupata municipia discurrentes, singula quæque continuò destituta recepere, Podio-Bonici dumtaxat excepto, quem fortius præsidium obtinebat. Illico namque bellicosos intra fortissima valla collocaverat.

(a) *Cod. Est. & Amb.* Pezolem.

(b) *Cod. Est.* protulit.

Albertini Mussati Paduani de gestis Henrici VII. Cæsaris Liber Undecimus explicit.

ALBER-

Digitized by Google

ALBERTINI MUSSATI
DE GESTIS
HENRICI VII. CÆSARIS
LIBER DUODECIMUS.

RUBRICA PRIMA.

Insultus Paduanorum ad Castrum Lucii præconstitutus, & progressus ad Leniaticum, & agros Veronenses trans Athesim.

PAduani rebellione Castri Lucii, uti in intimis confixi præcordiis, Coloniarum omnium Pedisvendæ adustione saucii, affectique, ad Est exercitum movere, cum architectorum ingeniosis fabricis, machinas, propugnacula, cuneos, testudines, cataphractas, instrumentaque omnium ad Castrum oppugnandum generum innixè struentes. Cum fundibulariis, ac sagittariis sub tegminibus navalium, terrestriumque vehiculorum in eos dies aggressuri locum fuerant: Sed (a) irremissus Canis illò præsidia Veronensium, Vicentinorum, Paduanorum exulum, ac stipendiariorum, quæ Castella, aditusque omnes circumplerent, properè summisit, ipseque sedulus Civitatis Vicentiæ custodiæ, quo valuit apparatu, perstitit, parum Vicentinorum fidens. Sed cùm aggressum Paduanis præsidiorum tantorum congeries, & inaccessibilis loci denegaret asperitas, resellendorum hostium cautelis ex insperato aliorum concurrere meditati sunt. Vexilla igitur versis aciebus, repentino itinere, ad medium Sole jam permeante ad Abbatiam Vangadicæ perrexere, curatisque identidem corporibus, annonâ datâ, per crepusculum quiescentes, post tertiam noctis egredientes eductis navigiis per Athesim cum ballistarum armamentis ipsi per directum aggerem, qui ad Leniaticum vehit, centuriati, præmissis cursoribus, exoriente Sole, in æquum campum sub Leniatico descendêre. Tunc clangore tibicinum, ac tubarum improvisos incolas conterritos, relictis ædibus, (b) quæ per circumferentias extra fortilitiarum foveas erant, intra ipsas tutelas coëgere. Continuò ergo exustæ circum ædes, prædâ eximiâ subreptâ, quam deferre vis repentina negaverat. Extra valla nil relictum est. Digressique per alas ad Coloniarum populationes dimissas, omnia igni ferroque subjecere, ab Anglario scilicet Villa fœcundissima, in qua pinguis præda comperta est, cum adjacentibus circum ad meridiem Villis, cum Sancto Petro, & Villa Bartholomæa, vinctis adductisque cum præda ruralibus, pecoribusque omnis generis, in quorum greges, armentaque per pascua dispersa vagabantur. Molendina per longos Athesis tractus usui Colonorum deservientia incensa adustaque, per torrentem dimissa, pars funibus cæsis ad Abbatiam demissa. Dumque advesperasceret, Victores multa alacritate præmissis prædæ sarcinis cum animalium armentis, & captivis magno cornicinum, tibicinumque stridore ad Abbatiam secessere, hicque fuit Purificatæ Virginis Mariæ dies IV. Nonas Februarias, Anni Domini Tertiidecimi CCC. M. In diem posteram Montagnanam permeantes, recollectis militiis, prima sequentis diei luce, discursuri in agros Vicentinos gressum cepere, coëquitantes ultra Paduanos terminos in Colonienſibus prædiis, ubi nivibus, imbribusque repulsi, Montagnanam à qua digressi fuerant, & inde die ipsa Est reversi sunt. Cùmque oppugnandi Lucii horrendum desuper tempus facultatem adimeret, servatis ad tempus apparatibus, Paduam se contulere. Canis Vicentiæ attentus persistens, è Lucio nova præstolatus, spe illa frustatus, non nisi in suismet finibus contumeliis, quæ gesta erant, accepit, mirabundusque stupefactione, ac mœrore, simul arctato impetu in Vicentia se continuit.

RUBRICA II.

Rebellio Sublimani.

SUbiit & Paduæ iisdem diebus turbatio formidabilis. Inter tutiores ex Oriente fines Civis erat dives æquè, ac nobilis Sublimanus de Rubeis, qui quamquam ex Gelfis ortus parti Gibolengæ adhæserat. Vir audax, parum prudens, suo fidens ingenio, ea non contentus civilitate, qua Civitas gubernabatur. Is ab juventa in Villa Bracioli materno prædio Turrim ædificaverat, quam in dies extremo desiderio paulatim muris, propugnaculisque muniverat latissimas circum foveas, istic applicans affectus, animumque ad ausus dilatans, se non modò à privatis inimicis, verùm & ab ipsa Urbe tutari, si ceteris belli inquietudinibus illa perplexa foret. Se igitur sic habentibus Paduæ successibus, contributiones instantium in Republica vicissitudinum ipse perpeti recusans, demoliri proprias in Urbe ædes passus est, ac veluti (a) contumaciter Bracioli rure subtractus, ad hostes ire cum ceteris desiit, plerisque mulctatus, damnatusque pecuniis, reputatis, (b) perditisque omnibus in contemtum; sed dilata per dies atque dies per Cives hujus arcendi viri occasio, tamdem increvit stimulantis Plebis, ac Majorum animis pæne jam autumantibus eadem, quæ obsti-

NOTÆ AD RUBRICAM I.

(a) *In R.* remissus.
(b) *In P.* qui *cum hac interpunctione* conterritos, relictis ædibus, qui per &c.

NOTÆ AD RUBRICAM II.

(a) *In R. & P.* contumaciter illo Bracioli rure.
(b) *MS. Amb.* proditisque.

Digitized by Google

obstinatus ille conceperat. At Primates octo, per quos cuncta ex bello instanti Urbi eminentia agebantur, illum per ejusdem necessarios primò ad Urbem evocandum, conciliandumque statuere. Ille quovis ductus ingenio ad Gualpertinum Abbatem Sanctæ Justinæ in Urbano Cœnobio se contulit, illi, ut Patri Urbis, & privato per fidem pollicitus bono animo Communitati (c) esse; nihil contra, nec meditatum, nec molitum, natumque jam puberem ipsi præsto commendaturum, flagellandum, necandumque, si quid in Republicam (1) rebellionis attentasse contigisset. Verùm orabat, precabaturque ab adversantibus privatis, ipsius Patris Abbatis patrocinio defendi, præsertim, ne suum de Braciolo palatium aliquorum insecutione demoliatur. Gratulabundus Abbas, & Sublimanum, & natum amplexatus in Prætorium ad Primates adduxit, ubi acceptatis, susceptisque utrinque fiduciis integrata res visa est, biduoque ferè inter cives obversatus, relicto Abbati filio, Braciolum reversus est. Dumque expedito ab Leniatico exercitu Bornius Potestas cum militiis, & populo in Urbem remeasset, intolerabile indignumque visum est, unum civem, dato obside, singulari vivere lege, contra communionis mores, institutaque. Citatus extemplo, ut pariturus se exhibeat, valetudinem finxit. Bornius octo Primatum decreto, ne ad instar Nicolai de Lucio, habiliùs rebellioni se coaptet, ejus noctis silentio Quarterii Turrisellarum Militiam illò transmisit, acceptumque Sublimani filium, qui in Abbatia erat obses cum quinquenni, & trimula filiabus furcis in patris conspectu appendendis, vel spiculis objiciendis paternis, nisi se, Castellumque dedat. Insultu primo, ac repentino improvisus Sublimanus, pertinax (d) tamen ruralibus Bracioli vi intrusis cum bannitis compluribus Paduanis, ac consanguineis ex Pitetorum genere (sic illorum vocabatur progenies) Paduanam militiam non admisit, ac potiùs spiculorum jactibus secedere coëgit. Nova hæc Paduam relata, non parvum momentum attulere, rumorque idem Venetias, Vicentiam, Veronam, perque ceteras adjacentes Urbes, (e) Paduanes in se se obsessos in intimis Civitatis attestabatur; exortaque Cani Grandi lætitia, dum implicitos hostes viderit jam commodiùs, ac faciliùs confligendos. Bornius confestim præmissis machinis, materiisque omnibus ad vineas struendas, ipse idem ad locum se contulit. Sed admirabilis, memorabilis ecce Sublimani calliditas, Abbatem Sanctæ Justinæ, ut patrem suum, ac Zambonetum de Capite-Vaccæ consanguineum consulendos petiit, Martinum de Canibus, ac Raynaldum Verlatum Levirum. Accedentibus ille vultu placido, posito ponte, cum instructis ad hæc sequacibus in Abbatis amplexus accurrit, raptumque cum Zamboneto sublato simul ponte sustulit. Stupefacti Paduani successu admirabili infremuere. Hæc res mœrori, ludibrioque fuit variis varia exoptantibus. Elatus hoc facinore Sublimanus filiorum mortes horum funeribus vindicandas clamabat. Paduani quamquam potentissimos, carosque cives in exitia expositos viderent, præponendum Reipublicæ commodum decernentes, ad foveas transiliendas direxere vineas, peditumque ordines cum missilium sagittarumque apparatibus. Sublimanus arctatus pacisci pro se, & suis postulavit, aliàs desperatis rebus in expiationem filiorum Abbatem, & Zambonetum ad interneciones gladiis missilibusque ipsorum Paduanorum expositurum. Bornius, Paduanorumque Primores in se se conversi, multùmque pensi habentes, quidnam hoc in terribili horrendoque articulo electuri sint, in partem adacti disseruere variis ad varia trahentes alloquiis. Primò quidem fœdum, ac Urbi præjudicabile fore, inultos nefarii viri ausus præterire ad scelestorum in Republica præsumentium audacias extollendas (f) prævaricando exemplo ceteris contributo. At in adversum, si ad Castelli asperitates, cujus foveæ profundissimæ erant, excelsæque turris, ac propugnaculorum supereminentium oppugnationes accedant, facilè, ut assolet evenire, nonnullos interire. Inde & perquam noxium Urbi Abbatem, cujus industria viribusque per belli tempora Civitas defensa fuerat, Zambonetumque nobilem Civem hoc in anfractu perituros. Accedebat & Albertini Mussati ipsius Abbatis fratris intima Populi, & Nobilium caritas, quamquam & ipse bonum commune semper præmittendum clamitaret. Denique, ut vivus cum suis Sublimanus abscedat, obtentum est. Susceptis itaque illæsis Abbate, & Zamboneto, Castroque resignato, Sole ad Occasum jam declinante Bornius, & ceteri milites ac pedites in Castra secessere. Cùmque jam clauso in tenebris die recessurus Sublimanus tutum commeatum à Bornio per nuncium postulasset, Zambonetus præfatus commeatus gratiam à Bornio petiit, non obtentam, nisi quatenus & Sublimano libuisset. Accedenti ad Sublimanum ex latere Potestatis socio, ac militi cum armatorum manu Zambonetus adhæsit, Sublimanoque se obtulit omnis acceptæ contumeliæ, ut ajebat, oblitus, nec ob id se illi defecturum consanguinitatis vinculo constringente. Sublimanus milite Potestatis, suisque licentiatis, se, & sua Zamboneto, & suis commisit. Cùmque è Castro progressus jam equum conscenderet, ingenti ignitus dolore Zambonetus ob sævitiam, fraudemque Sublimani, qui pro eo vitam salutemque impetrantem, quærentemque morti subjecerit, illum occidendum flagitantibus ad hoc amicis, qui secum erant, assensit. Multis ergo confossus, cæsusque vulneribus loco eodem, quo & Abbatem, & Zambonetum seduxerat, concidit, cadavere (g) per Zambonetum, & consocios in foveas Castelli devoluto. Mirum, quoties ipse sibi mortis speciem despondens prædicere exauditus sit, nusquam se, quàm in Bracioli foveis periturum. Insinuata properè Bornio Sublimani mors, mœrori indignationique fuit animadversuro in eum, nisi effugiens delituisset. At Paduanus profugum inconsus cum plebe Populus sustulere, rescipiscereque Bornium accepto processu arcuere, & fraudem fraude (h) vindicandam ex plebiscito comprobavere.

RU-

(c) *Cod. Est.* Communitati nihil esse, nec &c.
(1) Corrige *in Rempublicam*, & inferiùs, *rumorque idem Venetias*, meliùs *per Venetias*, & paulò post, pro *viderit*, *videret*. Villanus.
(d) *Cod. Est.* pertinax cum ruralibus.
(e) *In P* Paduanas, *meliùs* Paduanos.
(f) *In P.* prævaricandi.
(g) *Fortè* per Zambonetti consocios, *vel* per Zambonettum, & consocios.
(h) *Cod. Est.* vindicatam, *& ita Amb.*

RUBRICA III.

Spontanea Castri Lucii per Canem Grandem invito Nicolao de Lucio proditore exustio.

PEr hos dies Idibus Martiis Canis Grandis exustis undecumque ditissimis Coloniis Paduanorum, scilicet Vendæ ultro citroque, eo fretus favore in Paduanorum ostio, quem Lucii deditione præstiterant proditores, non ampliùs eorum servitium gratum accipiens, quòd non sui amore, aut dilectione, sed prævaricationis præcipitio id fecissent, Castrum Lucii cum palatiis proditoris concremari jussit; hocque duplex suasit, fecitque occasio. Intolerabiles Cani impensæ, & expectatæ oppugnationis, quam Paduani structis parabant machinis, ingentibusque apparatibus non inanis metus, sicque in cineres cum omnibus super solum substantiis versum est.

RUBRICA IV.

Civitatum Longobardiæ status, & conditiones.

UTque proditorem patrati sceleris mordacior pœna confligeret, Veronenses quidam Canis Grandis fideles inimicitiarum præteritarum memores, quas olim Guido de Lucio Nicolai genitor cum Mastino, & Alberto della Scala offensis capitalibus egerat, quibus satis constiterat, ipsum Guidonem mortis Mastini complicem, occisorumque fautorem, ea reminiscentia, sepulcrum Guidonis in eo loci situm violantes, corpus, ossaque dispersa cunctorum visibus obtulere, ut hujusmodi seditionis pœna, non modò proditorem, (a) & posteros; sed patrios manes molestaret. Interea Longobardi (b) atroci, assiduoque bello collidentes (2), Urbium mœniis, ut dudum ante, nullis immutationibus se continuere. Vercellas siquidem Advocatorum pars, exclusis Titionibus in Salizolo, ac Crasentino se continentibus, obtinebant: Novariam Cæsareus Vicarius Torniellis suffultus, Bruxadis, ac Cavalaciis pæne ceteros Urbis fines occupantibus. Pergamum (c) Soardi, & Coglones sub Regio Vicario Bungis (d) Rivolensibus, ac nonnullis ex Coglonibus exulibus (e) perseverabant. Cumas (f) Boscones Imperio faventes extrinsecis Vitanis tenuere Laudum Visterini possidentes (g) Guerganos, Fisiraticenses, & Fanonem de (h) Drisimo extra Civitatem arcuere sub Imperii clypeo. Albertus Scotus cum Confaloneriis intra Placentiam Fontanenses, Anditenses, ac Furgosios ab Urbe nomine Cæsareo prohibuere. Mutina Mirandulani sub Imperii Vicario potientes, Savignanos, Buschetos, Rangones, ac Saxolenses mœniis exceptos pressere. Canossienses, Roberti, cum Foglanis, ceterisque Gelfis, solis de Sesso nobilibus exclusis, Regium tenuere. Cremonæ, & Parmæ Gibertus de Corrigia Capitaneus Imperio obvius præsidebat. Brixiam pars Mazonum (i) vix solis mœnibus, cætera oppida tenentibus externis, magnis tutabatur angustiis. Inter Canem Grandem Veronæ, & Vicentiæ Vicarium, & Paduanos acre bellum assiduis populationibus, nullis intermissionibus agitabatur.

RUBRICA V.

Deditio Civitatis Parmæ Roberto Apuliæ Regi per Gibertum de Corrigia.

AFfectus longo bello Gibertus de Corrigia persequentibus & Rubeis exulibus, qui vico S. Dionysii (a) occupato, adjuti Maphæo Vicecomite, ceterisque Imperialis partis, assiduis incursionibus Parmenses fines turbabant, Roberto Apuliæ Regi Civitatem (b) protegendam supposuit, dominiumque ejus, ac gubernationem tradidit pridie Nonas Martias, accepto Regis præsidio intra Urbem. Hujus quoque exemplo defessi bellicis tœdiis Cremonenses, extrinsecique Brixienses, Pergamenses, Laudenses, ac Cremenses extorres (c) communi alloquio Parmæ habito idem subeundum dominium decrevere.

RUBRICA VI.

Adventus Archiepiscopi Treverienſis Cæsaris fratris in Longobardiam.

INterea Treverienſis Episcopus Cæsaris fratris jussu Pisis digressus in Longobardiam veniens Placentiam applicuit, cujus adventus in varias opiniones excogitatus, dictusque est. Dixere quidam, ut ibidem Germanorum expectatas copias commodiùs aggregaturus Januam, & deinde Pisas transferret; nonnulli (a), ut ad Curiam Romanam inde proficisceretur, ut Cæsaris coronationem, quam pro Regi Roberti parte calumniari allatum erat, defenderet; alii quoque exinanitas Cæsaris vires conjectantes, paulatim Curiam minui, ut commodiùs, tutiùsque, etiamsi clandestina expeteret opportunitas, ipse Cæsar in Alemanniam pergeret, circumlocuti sunt. Sed hujusce rei veritatem gradatim scribenti successus aperiet. Occurrit & his diebus in Italia fama, molestatum Pontificem nece horrenda Marchionis Anconitani ipsius Pontificis consanguinei, ab Latere Franciscum Gajetanum Cardinalem Legatum ad Civitatis Mutinæ excidium constituisse, ut occisores, & complices exterminans Urbem diriperet censura Apostolica, ut offensam Sacrosanctam Romanam Ecclesiam tanti viri internecione exemplifica punitione ulciscatur, (b) admiscendis ad idem Secularibus, & Ecclesiasticis brachiis sub Crucis vexillo, & temporalis, ac spiritualis executione justitiæ. Plures incensis sic per Longobardiam partibus per menses Martium, & Aprilem contigere congressus.

RU-

NOTÆ AD RUBRICAM IV.

(a) *In P. deest* & posteros.
(b) *Cod. Est.* Longobardi in se, *& ita Amb.*
(2) Fortè *se collidentes*, & paulò post, pro *Pergamum*, *Bergomum*, quod alibi, & pro *perseverabant*, fortè *perseverantibus*. Villanus.
(c) *In P.* Xoardi.
(d) *In P.* Rivalensibus.
(e) *In R.* perseverabatur.
(f) *In P.* Boschones, *melius* Roschones, *qui hodie* Ruschæ *dicuntur, ut legitur in MS. Amb.*
(g) *In P.* Overgnagos, *& ita Amb.*
(h) *In P.* de Pissino.
(i) *Cod. Est.* Maziorum.

NOTÆ AD RUBRICAM V.

(a) *Fortasse* Sancti Domnini.
(b) *In P.* protejendam.
(c) *In V.* cum alloquio.

NOTÆ AD RUBRICAM VI.

(a) *In V.* nonnulli ad Curiam.
(b) *In P.* admiscendus.

Digitized by Google

RUBRICA VII.

Congressus Guarnerii Præsidis cum Ugone de Albasio in terris Feliciani (a).

GUarnerius de Ocmborc Provinciæ ejus Præses, adactis secum Marchione Montisferrati, & Luchino Maphæi Vicecomitis filio, cum stipendiariis, & parte militiæ Mediolani ad exteros juvandos Astenses, qui Civitati acre bellum inferebant, ad partes Montisferrati veloci cursu tetendit. Præscius hujus transitus Ugo de Albasio Roberti Regis Sescalcus, qui Alexandriæ præerat, collectis Alexandrinorum, extrinsecorumque Mediolanensium viribus, ac aliorum sibi faventium undecumque, ad resistentiam contra perrexit. Ferente itaque casu dum digressus Guarnerius è Castro (b) Lunii ad Montem Calvum coëquitasset, ut inde ad Castrum Masii contenderet, Ugo vestigia assiduè persequens per campos Feliciani acies suas deduxit. Inde enim Guarnerio migrandum erat. Ubi dum paulisper substitisset, accedentis Guarnerii Aquilæ patuere. Hinc & Guarnerio, ac suis signa Regia in æquum campum nullo medio visa sunt. Protinus directis utrobique nuntiis prœlium assensibus communibus indictum est. Dispositis itaque, ac centuriatis militum, & peditum Ordinibus, signo belli dato, utrinque concursum est, Sole ferè ad decimam horam permeante. Tunc ibi lanearum, missiliumque fragor, stragesque collidentium virorum cum viris, contundentibus simul clypeis, totus æther pulsatus obstrepuit, dum primis vix, æquè jam defessis bellatorum aciebus, quos Feritores vocant, quorum pars major Alexandrinorum erat, superati secessere, Alexandrini jam terga dantes, quos insequens Ugo Marescalcus, exhortansque, ut prœlium restituerent, nequaquam profecit. Illi namque demissis in conflictum animis sinè ordine strati, victique, partim campo abjecti occubuere, partim irrevocabiles diffugere. Teutonici (c) matura nimium victoria potiuntes, jam ad spolia nanciscenda dilabentes, soluto aciei ordine, ab Ugone, qui in cornu dextro suæ majoris aciei cum Gallis, magnisque Proceribus erat, insultati sunt; nec illi, quorum pars jam ad prædas ex equis desilierant, impetum Ugonis (d) sustulere terga vertentes, consternatique, quos Guarnerius divertere cum subsidiariis majoris suæ phalangis primoribus frustra, diuque conatus, in se, & suos corruentes reintegrare non valuit: Quin imò tanta & suorum, & hostium strage saucius & ipse (e) cesserit (3): hæsitque fortuna in Ugonis Merescalchi partem, populi sui caterva in adversos milites missilia jaciente, transfodienteque equorum ilia. Dumque Guarnerius suorum cædem cautior cerneret, exitialemque sibi, & suis intolerabilis conflictus moram, coactis, utcumque potuit, Marchionis, & Luchini signis è campo se se proripuit declinante ad occasum Sole, & celeri cursu ad Castrum Quatuordecim confugiens, suorum reliquias eduxit. Campo, victoriaque potitus Ugo suis prædam concessit. Cæsa è parte Præsidis capita centum sexaginta duo, inter quæ & Procerum Teutonici nominis quadraginta: capta duo & nonaginta. E parte Ugonis cæsa duo & quinquaginta: Signa militaria decem Alexandriam, & Papiam ad triumphum relata. Nec segnis Ugo fortuna potitus campo pernoctavit, allicuitque fugitivos Alexandrinos mulctis pœnarum indictis, Guarneriique vestigia subsecutus circum Castellum Quatuordecim, in quo se recluserat, rutilante Aurora copias suas disposuit.

RUBRICA VIII.

Bailardini de Nogarolis accessus ad Casale, & ejus repulsa.

BAilardinus de Nogarolis Veronensis Pergami Vicarius suasione Corradini, & Gulielmi de Confaloneriis Brixiensium, qui ab extrinsecis Brixiensibus ad intrinsecos defecerant, noctu cum Brixiensibus interioribus in Burgum Casalis Majoris furtim (a) introiere. Hoc enim Castrum extrinsecorum præsidio tenebatur. Deducto igitur in strepitum certamine, qui in arce erant, campanæ sonitu per propugnacula ad arcis tutelam dispositi, præconstitutum signum flammeum in turris pinnaculo, his, qui Asulæ, Brixiensibus, erant, fecere. Militia igitur signo emonita cum pedestri ordine illò ad succurrendum coëquitavit. Bailardinus autem omissa ad arcem certandi opportunitate, contra venientes regressus, pugnam init; sed eo insperato succursu territus magis fugæ, quàm congressui intendit. Ex suis duobus & quadraginta captis, viginti interemtis. Papiæ exules, seu banniti diebus his in insidiis nocturno tempore secus Gravalonum prope Cavam pontis tribus millibus ferme passuum ab Urbe, ut locum occuparent, delituere. At Philipponus de Langusco Comes cum (b) extraneis edoctus hora prima noctis erumpens, clandestinè illos insultans fudit, quinquaginta circiter cæsis, captisque, cæteris in fugam versis.

RUBRICA IX.

Fortuitus Canis Grandis casus.

CAnis Grandis Veronæ, & Vicentiæ Vicarius sua insolentia cum pallantibus paucis per Paduanorum agros, dum ultra pontem Brentellæ solus se dumtaxat tertiò discurrisset, ferè à mœniis Paduæ passuum millibus duobus, à tribus ejusdem loci ruralibus circumventus, occiso equo, in terram stratus concidit; sed proclamantem duo alii sublatum è rusticorum manibus eripuere.

RU-

NOTÆ AD RUBRICAM VII.

(a) *In epitomatis*: De Albasio Roberti Regis Sescalco in terris, &c.
(b) *Cod. Est.* Luvii.
(c) *In P.* nã. *idest* natura. *Scribe* immatura.
(d) *Meliùs* sustinuere. *Sed alibi occurrit idem* sustulere *à* suffero.
(e) *In P.* secesserat.
(3) Meliùs *cessit*, & pro *jacente*, corrige *jaciente*, & rub. IX. pro *pallantibus*, *palantibus*: & pro *solus se duntaxat*, solus duntaxat, vel, solus ipse duntaxat quanquam ferri potest. Et rub. X. *numeroso agmine*, *quem*, corrige, *quod*: & rub. XI. *qui hora ferè una*, meliùs *qua*. Villanus.

NOTÆ AD RUBRICAM VIII.

(a) *Meliùs* introit.
(b) *Cod. Est.* Turrianis.

Digitized by Google

RUBRICA X.

Concursus Paduanorum ad Suburbana Vicentiæ.

ALlecti igitur ejus vesania Paduani, ut si forsan concitus à Vicentiæ mœnibus elongatus præceps excurreret, intercipi posset, sero iter moventes nocte tota per callem Canfreduli Sandricum prætereuntes, intra Theupesi nemoralia in auroram delituere, cursoribus præmissis, qui illum lacesserent; sed numeroso agmine, quem lucescente jam die Coloni concurrentes indicavere, subtractus mœniis se continuit.

RUBRICA XI.

Prodigia.

HOc Anno XIII. Kalendas Majas Mediolani prodigium apparuit. Armati scilicet viri effigies equo insidentis sub clauso crepusculo inter ædis Maphæi Vicecomitis vestibulum multorum visibus se obtulit. Eratque & sessoris, & equi moles supra communes mortalium mensuras perceptibilis, qui hora ferè una perstans evanuit. Postque triduum in eo loci prima noctis quietè visi duo ejusdem molis armati acri certamine simul congredientes, postque unam ferè horam, veluti defessi, pari digressu duellum dirimentes. Mense eodem IX. Kal. Junias liquido aëre Ciclus ad Cœlestis arcus effigiem summo Cœlo Solis orbem ambiebat.

A

RUBRICA XII.

Congressus apud Suncinum, & combustio Burgi.

PEr hos dies (4) Ponzinum de Ponzonibus Cremonensem belli Gelforum Longobardorum adversùs Gibolengos ducendum versùs Urceos cum manu militum coëquitasset (a) Bernardinus (b) de Mazonibus, & Corradinus de Confaloneriis cum Teutonicorum ala, quæ apud Suncinum pro loci custodia residebat, insultavere; sed obvius Ponzinus æquo campo stans contra directis aciebus insultantes excepit, majoribusque viribus sudit, cæsis ex eis centum sexaginta, nullo in captivitatem servato, ustoque Suncini Suburbio cum suis Cremonam reversus est. Quinto quoque Kal. Majas extrinseci Brixienses, qui Asulæ rebelles erant, sumtis adversùs intrinsecos viribus, Castrum de Cegulis occupavere, quod octo mille ferè passibus ab Urbe distabat, & cum ingenti animalium præda, relicto Cegulis præsidio, in Asulam regressi sunt. Paulòque post itidem residentes ex factione interiorum Castrum Paonis introiere, rebelleque Civitati fecere. Hac fortuna potiuntes exteri Brixienses celeri (c) gressu Cremonam acciti, properantes unà cum Pergamensibus, Laudensibus, ac Cremonensibus exulibus ad Pergamenses fines tendentes, Castrum Colonii occupavere, ubi dispositis ad rebellionem Pergamensibus (d) ceteris cum necessariis præsidiis, III. Idus Majas rediere. Hujus Castri captio Pergamensibus, Mediolanensibus, Brixiensibus, ceterisque Imperatoriæ partis Longobardiæ præjudicabilis admodum fuit, cui tota agrorum Pergamensium planities depopulanda vastandaque succumbebat. nec ullæ tutæ Mediolanensium cis Abduam fluvium Coloniæ patentibus, & hujus Castri cursoribus usque ad ipsa mœnia Brixiæ campis.

B

C

NOTÆ AD RUBRICAM XII.

(4) *Per hos dies*, usque ad *Bernardinus de Mazonibus*; nemo non videt, colon hoc mendosum, inconnexumque esse. Quod tamen sic dirigi possit: *Per hos dies Ponzinum de Ponzonibus Cremonensem belli Gelforum Longobardorum adversùs Gibolengos ducem, dum versùs Urceos cum manu militum coequitasset, Bernardinus de Manzonibus, & Corradinus &c. insultavere.* Villanus.

(a) *In V.* Bernardus. *Cod. Est.* Gerardus. *MS. Amb.* Berardus.

(b) *In R.* de Manzonibus.

(c) *In P.* congressu.

(d) *MS. Amb.* pro ceteris, *legit* exteris.

Albertini Mussati Paduani de gestis Henrici VII. Cæsaris Liber Duodecimus explicit.

ALBER-

Digitized by Google

ALBERTINI MUSSATI
DE GESTIS
HENRICI VII. CÆSARIS
LIBER DECIMUSTERTIUS.

RUBRICA PRIMA.

Introitus secundus Cæsaris in Pisas, & Lucensium Agrorum depopulatio (a).

PIsas profectus, acceptusque comiter à fidelibus Pisanis Cæsar, nulla mora ad depopulandos Lucensium (b) agros militias (c) dimisit. Hi ad pontem Tecti mille ferè passibus ab Urbe distantem celeri cursu coëquitantes, multa strage, prædaque Pisas reversi sunt. Sic & inde sedulò per Colonias pallantes ferro & igni cuncta (d) vastabant. Denique eisdem primis tumultibus Idibus Martiis filii Ceppi, & Gucciati (e) de Manzatoribus, prodito Camporenæ Castello, cujus præsidio erant, ad Cæsarem defecere, Pisas cum Regiis militibus se conferentes. Continuò itaque à Florentinis hostes adjudicati sunt, diruptis funditus illorum ædibus, bonisque in commune omnibus confiscatis. Sicque identidem varios casus varia utrinque præbente fortuna per mensem Majum, & Aprilem. hinc Lucenses Don Frenando Duce, hinc Regii milites Marescalco prævio cum Pisanis Colonias inter utraque consistentes igni subjecere. Accidit hoc inter plurimos concursus memorabile. Dum lacessitos persæpe Lucenses ad excurrendum per plures menses scilicet Aprilis dies paucis summissis, ut incautos extra mœnia traheret, Marescalcus Regis adeò frustra defatigasset, ut defessi variis concursibus non sic facilè egrederentur, clanculum absque lituum, vel buccinarum strepitu evocatis contubernalibus noctu Pisis egressus est, sparsim è diversis Urbis portis militum alas educens, ne per exploratores tanti apparatus Lucenses edocerentur; equitatuque clandestino rutilante Aurora IX. Kal. Majas Vicum advenere. Inde in Vallem Butti ingressos Turris Rotæ custodes videntes è summa Turre edidere. Hoc signo, quamquam hostilis motus notissimo, ægrè permoti Lutti de Opicengis (f) cum Pisanis exulibus ad speculandum parva militum manu Lucenses emisere. Dumque ad Vallem Butti pervenissent, jam regressos hostes, qui certas ædes concremaverant, invenere, nec magnas illorum turmas insequi imparibus viribus Lutti visum est; sed arcendos suos, ne progrederentur, constituit, jussitque. At exacerbatos Buttenses acceptis contumeliis, quin ad ulciscendum, præsertim adversùs Vicenses concurrerent, quorum ductu in eos Regia militia impetum fecerat, coërcere Lutti non valuit. Exosi quidem Buttensibus convicinis, & è contra Vicenses erant. Tunc Bandus Quartesanus miles Lucensis, qui Buttensium pro Communi Lucæ Potestas erat, livore quodam, quo in concivem Lutti, qui exercitui præerat, agebatur, cui tantum licere videbat, ut ejus nutu singula agerentur: *Indignum*, inquit, *ut ipse, æquè ut Lutti Lucensis Civis, cui vallis ejus, & incolarum demissum dominium erat, impunes abire hostes pateretur. Se, qui ejus amici erant, sequerentur*. Et concito equo viginti sex ferè hastatis equitibus ex ejusdem necessariis, ac Buttensi, & Compitensi Populo concomitantibus usque ad Vici foveas concurrere. Vicenses, & qui in propugnaculis speculabantur, hanc parvam hostium manum conspicientes, in eos erupere. Quartesanus tanti impatiens impetus terga vertens, interceptus, confossusque decidit. Cæsa ex eis memorabilibus capita XX. in æquis Vanni (g) Bachini, Angelus Negoci, Colucius Malataca, Bastardus Zarii de Fondo, Arigus Quartisani; ex Buttensibus, & Compitensibus (h) duo & sexaginta. Signum militare unum, plebejorum ruralium Signacula septem Pisas ad triumphum allata; plures verò ex Germanis profugos ferventiùs insequentes ad Turrim de Serra prolapsi à tergiversantibus Buttensibus repulsi sunt, cæsi ex eis duodecim, inter quos Coqui Mastri Regii filius concidit.

RUBRICA II.

Insularum Caprariæ, & Gorgonæ adustio.

PAulò ante Maji Kal. Roberti Apuliæ Regis Admiratus cum Galêis quatuor per portum Pisanum excurrit, vagantes inde, improvisosque Pisanos præda corripiens. Sequenti die Insulas Caprariæ, & Gorgonæ depopulatus exussit; sed majori damno in tertiam diem remigans, onerariam navem cum lembis decem septem eadem compage sustulit, ex qua Januensis monetæ millia quatuordecim cum omni remige rapuit. Ea enim moneta ex Sardinia magna collecta Sardorum contributione Cæsari deferebatur, cujus delatores æquore demersi sunt. Præterea his ferè diebus Cæsari innotuit, Gaducium Gallum Pisanum in Sardinia Vicarium, qui per montana Galuræ gravibus Sardos exactionibus vexabat, ab eisdem interfectum cum triginta suæ comitivæ sequacibus, ipsosque Sar-

NOTÆ AD RUBRICAM I.

(a) *In epitomatis*: Depopulationes cum variis hinc inde successibus.
(b) *In aliquibus* fines.
(c) *Cod. Est. & Amb.* milites.
(d) *In V.* vastantes.
(e) *Cod. Amb.* Guecciati.
(f) *Cod. Est.* de Opizis, *& ita Amb.*
(g) *In V.* Banchini.
(h) *MS. Amb. addit* peditibus.

Digitized by Google

Sardos violenta compulsos contribuendi molestia ad rebellionem erectos.

RUBRICA III.

Fani Commotio.

IN Provincia Romandiolæ circum Idus Majas Fani commotio prava, memorandaque suborta est. Dum enim Rodulfus de Sancto Miniate Fani Potestas Fridericum de Monte Feltro Comitem novas res molientem præsensisset, Fanenses Primores utriusque factionis Cives ad confinia ire jussit, Cesanellum, & fratres olim Jacobi de (*) Cassaro bastardos jussionibus arcens, ut ad diem constitutam mœniis abscederent. Illi, veluti parêre volentes, ad vicum suum apparatus equitandi fecere. Suæ factionis amici exitium status sui suspicati, tumultuaria concitatione recessum hunc detestati sunt; improperantes his, ut sic incauti, ac præcipites ad confinia tenderent, sese, & Urbe, ac amicis destitutis. Ii autem ex adverso, qui Gibolengæ factionis erant, hac permoti novitate de se, & statu diffidentes, dum se multitudine potentiores decernerent, præmaturo cursu ad Prætorium, & plateas armati concurrere, *Gibolengam partem, seu Imperialem vivere incenso furore vocitantes*. Gelfi hoc concursu conterriti, ad plateas sparsim traxere; sed primò adventantes continuò obtruncati sunt numero centum quadraginta. Cesanellus, & fratres majori turba ad forum concurrentes, certamen acre, & anceps cum Gibolengis iniere; nec par erat congressus. Cùm Rodulfus Potestas cum Satellitum, & armatorum familiarium comitiva equitum & pedestrium, *Gelfos, & Commune Fani vivere clamitans*, certamen subiit, Gibolengosque è plateis secedere compulit. Cesanellus, & Gelfi hoc tanto adjuti suffragio victores, Gibolengorum stragem fecere. Commissaque identidem cædes multis è summis Prætorii specularibus in præcipitium dejectis. Tunc sinè numero per vias, & angulos, inque ipsis ædibus omnes Gibolengi nominis jugulati sunt, clausis Urbis portis, omni denegato fugæ remedio, Civitasque Fani ad partem Gelfam redacta est.

RUBRICA IV.

Transmissio Vicarii in Florentiam per Robertum Regem Apuliæ.

PEr idem tempus Riciardus Gambatesa Roberti Regis Apuliæ Vicarius ad quinquenne Florentiæ possidendæ dominium Regi concessum vênit. Dumque iisdem diebus (a) Enorlum Castrum factione municipum Florentiæ rebellasset, duo ex Urbis Sextis ad obsidionem emissi sunt Degone Marescalco mercenariorum militum duce. Interea Cæsar Pisis Curia in auditoriis disposita, contumeliarum impatiens, quas Robertus Apuliæ Rex sibi, ac suis terra, marique, ut jam in patulum adversarius, intulerat, (b) discussisque, discursisque solemni Concilio contra illum articulis, ad tribunal consistens tulit in hac forma sententiam. (c)

RUBRICA V.

Sententia Cæsaris in Robertum Regem Apuliæ. (*)

Henricus VII. Dei gratia Romanorum Imperator, & semper Augustus. Ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum.

„ DEus Judex, justus, fortis, & longanimis, omnes secundùm sua merita judicans (a)
„ superbientem illum, qui dum ante suæ thronum
„ clementiæ se gloria, & honore sublimatum con-
„ spiciens, sedem suam (b) ab Aquilone, ut es-
„ set Altissimo similis, ponere cogitavit, de al-
„ tis Cœlorum (c) faustibus ad inferiora terræ
„ in opprobria sempiterna (d) demergens (1)
„ (Ipsum enim gratia, & spe (e) misericor-
„ diæ condignè privando, eum duxit æternali-
„ bus

(*) *In V.* Cessaro.

NOTÆ AD RUBRICAM IV.

(a) MS. *Amb.* Morlum.
(b) *Cod. Est.* disquisitis, discussisque solemni, *& ita Amb.*
(c) *Varias Lectiones in hanc Henrici sententiam hausimus ex Abrahamo Bzovio Tom. XIV. Annal. Ecclesiasticorum Col. 202. & seqq. Et ex Alberico de Rosate in l. Quisquis, C. ad leg. Jul. Majestatis pag. 189. Editionis Anni MDXXXIV. B. Bzovium, A. Albericum signat.*

NOTÆ AD RUBRICAM V.

(*) *In epitomatis post Regem Apuliæ* Reprobata in Concilio. *Quæ tamen videntur abundare, cùm hic ejus rei nulla mentio. Habetur hæc ipsa Sententia apud Albericum de Rosate in l. Quisquis, C. ad legem Juliam Majestatis, & apud Bzovium Rom. Annalium Tom. XIV. Col. 202. Ex quibus magna pars hujus Rub. emendatur, majorem ipse. Codex verò Alberici, quo usi sumus, est Anni MDXXXIV.*
(a) *In Bzov.* superbientem illum spiritum. Qui ante suum thronum demens se gloria, & honore ornatum conspiciens.
(b) *In Bzov.* ad Aquilonem.
(c) *In Alb. & Bzov.* fastibus.
(d) *Fortè* demersit.
(1) Hæc prima periodus hujus sententiæ mendosa est, & legi omnino debet juxta scripturam Bzovii, & Alberici, mutando solùm, *demergens*, in *demersit*, juxta emendationem doctissimi Scholiastæ. Et paulò post tollendum, *&*, ante *opprobrium sempiternum*, & pro *cujus etiam causa*, reponendum, *cui etiam causa*. Post hæc periodus, cujus exordium, *Ipse namque &c.* plus nimis turbida, &, quod pejus, inconnexa videtur. Ego verò fortasse sic emendarem: *Ipse namque inter ceteros suæ malignitatis conatus, licèt ante quàm Imperialis Coronationis causa proficisceremur ad Urbem, per suas literas speciales pluries culmini nostro scripsisset; quòd ipse (quod & ex causa prædicta debebat) erga nos, qui nec verbo, nec opere ipsum gravaveramus; nec gravare, sed potiùs gratiosè tractare intendebamus, eundemque ex puritate conscientiæ agere credebamus; ad exhibendam nobis debitam reverentiam, & honorem tam in dicta Coronatione, quàm alibi intendebat, & ad id pro viribus se parabat: confœderationes tamen, & conspirationes, uniones, & ligas in offensam, & impedimentum progressus Cæsarei unà cum Florentinis contraxit; literasque dedit Senensibus, & aliis nostri Imperii Romani subditis in Longobardia, & Tuscia; ut eos in rebellionis exitium, & cœcitatis foveat: omenque contrarium (sicut exercuisse dignoscitur) per se, suosque Procuratores, Nuntios, & Ambasciatores in nostræ majestatis injuriam, offensam, & impedimentum progressus Cæsarei facere procuravit, & fecit: ac etiam tractavit, &c.* Hoc modo inquam resarciri posset, utcumque, locus hic. Sed quoniam à Scriptura contextus nimium fortè recessum foret, satius duxerim, eam, qualisqualis est, relinquere. *Villanus.*
(e) *Ven. unus MS. habet:* Misericordiæ: *Pat. Alb. & Bzov.* minimè.

Digitized by Google

„ bus ultionibus exponendum) (f) sicut ad „ præsens Justitiam respicit, & æquitatem judicat. Ipse Cœlestium, terrestrium, & infernorum Dominus, qui novit occulta cordium, „ & ante cujus tribunal omnis calumnia cessat, „ & veritas nullius nequitiæ tenebris obscuratur, „ deponat nunc de sede potentem, qui tentavit, & exacerbavit ipsum, & concitavit eum „ in iram; perdat eum, qui (g) mala quærit; „ det illi, qui obstinato animo viam innocentiæ „ effugit, & gloriatur in malitia, & opprobrium „ sempiternum; faciat in eum judicium conscriptum, (h) & sit gloria omnibus Sanctis „ ejus. Nequitiæ siquidem, & (i) perditionis „ alumnus Robertus natus claræ memoriæ Caroli II. qui se Siciliæ Regem intitulat, ex „ Imperii Romani adipe impinguatus, incrassatus & dilatatus contra illum, (K) cujus etiam „ causa multorum feudorum, (l) & honorum „ ipsius Imperii, quæ hactenus tenuit, & quæ „ injustè (m) præsentialiter occupat, humiliter „ obedire deberet, (n) virus iniquitatis evomens, odia, dolos, & fraudes pro fidelitate „ retribuens, & detestando ingratitudinis vitio „ calcaneum rebellionis præsumsit erigere, ac „ contra stimulum indurata nequitia (o) calcitrare non cessat, nefandaque superbia tumefactus sedem ab Aquilone, videlicet ab opposito Majestatis Cæsareæ, quam ejus Dominam, & Magistram revereri, & honorare tenetur, (p) sibi ponere satagens, ipsam convitiis, & contumeliis provocavit hactenus, „ (q) & protervo animo continuò provocare „ præsumit. Ipse namque inter ceteros suos malignitatis conatus, licèt antequam (r) Imperiales proficisceremur ad Urbem, per suas „ literas speciales pluries culmini nostro scripsisset, (f) quod ipse .... & ex causa prædicta debebat, & nos, qui nec verbo nec „ opere (t) ..... gravaveramus, nec gravare, „ sed potiùs gratiosè tractare intendebamus „ eumdem ex puritate conscientiæ credebamus, „ ad exhibendam nobis debitam reverentiam, „ & honorem tam in dicta Coronatione, (u) „ quàm alibi, intendebat, & ad id pro viribus „ se parabat, confœderationes tam, & conspirationes, uniones, & ligas, (x) & offensas, „ & impedimentum progressus Cæsarei unà cum „ Florentinis literas Senensibus, & aliis nostri „ Imperii Romani subditis (y) in Longobardia, „ & Tuscia, ut eos in rebellionis (z) exitium, „ & cœcitatis foveat omen contrarium (sicut „ (a) exercuisse dignoscitur) per se, suosque

A „ procuratores, nuntios, & Ambasciatores in „ nostræ Majestatis injuriam, offensam, & impedimentum progressus Cæsarei facere procuravit, & fecit, (b) ac etiam tractavit, & „ ordinavit, quòd Civitates Cremonæ, Regii, „ & Parmæ, quæ sub nostra obedientia (c) existebant, contra nos. & Imperium rebellarent, „ inducendo tam Communia ipsarum Civitatum, quàm (d) alios subditos nostros prædictos ad rebellionem hujusmodi, & eis ad id „ pollicendo consilium, auxilium, & favorem, „ & nihilominus gentes dicti Roberti ejus fulti „ favoribus, suæque nequitiæ conscii, & ministri Civitatem Astensem, & Castra Valentiæ, „ & Casalis Sancti Evasii, & alias nonnullas B „ Civitates, & Castra Provinciæ Longobardiæ, „ quæ mandata nostra juraverant, & nos in eorum Dominum recognoverant, & Officiales „ nostros receperant, & habebant, Officialibus „ ipsis exinde violenter ejectis, (e) nequiter „ occuparunt, & occupatos, & occupata pro „ Roberto retinent supradicto. (f) Idem quoque Robertus Joannem fratrem, & stipendiarios (g) suos Romam, ea videlicet intentione transmisit (h) in Urbe, si posset, suæ perditioni dolo è subjecta, vel saltem turbare in „ ejus periculo nefandæ seditionis immisso dictæ „ coronationis solemnia impedire, pro ut dicti „ Joannes, & stipendiarii in ingressu nostro in „ Urbem prædictam, quamdiu imperantibus illis moram traximus, (i) efficaci operum argumento probantes unà cum copiosa dictorum „ subditorum multitudine, (K) qui per instigationem dicti Roberti (l) sub promissi eis „ sui subsidii, & defensionis fiducia, cum equis „ & armis ad se opponendum nobis, & exercendum (m) præcogitatam malitiam, simul „ cum Joanne, stipendiariisque prædictis convenit ibidem contra nos, & gentes nostras, „ hostiliter, posuerunt insidias, fecerunt insultus, spoliationes, violentias, & homicidia perpetrarunt, viasque publicas, & loca, per „ quæ ad tenendum Basilicam Principis Apostolorum de Urbe omnibus religionem profitentibus Christianam liber aditus patere (n) debebat, bellicosis apparatibus claudere, nobis, „ ac nostris gentibus ad Basilicam ipsam, ne „ ibi dicta Coronatio celebrari valeret, accessum totis viribus prohibere, ac aliis omnimodo, quo poterat, Majestatem nostram offendere (o) procurarunt. Aliaque præfatus „ Robertus committebat, (p) & erat in actu „ quotidie committendi omnia, quæ ad no- „ strum,

(f) *In Bzov. & Alb.* sic ad præsens. Justitiam respiciat, & æquitatem videat.
(g) *Idem* qui malè quærit, & det illi.
(h) *Malè Alb.* & sic omnibus Sanctis.
(i) *In Bzov. & Alb.* proditionis.
(K) *Melius* cui uterque.
(l) *In Bzov.* & bonorum.
(m) *Idem, & Alb.* principaliter.
(n) *Idem* vitiis, & iniquitatibus eminens.
(o) *In Alb.* nequitare, & calcitrare. *In Bzov.* recalcitrare.
(p) *Uterque* supponere.
(q) *Uterque* & continuò animo protervo continuè provocare.
(r) *Supple ex iisdem sic*, Imperialis Coronationis causa &c.
(f) *Supple ex iisdem lacunam hanc etiam*: quod ipse (sicut & ex causa).
(t) *In utroque*, nec opere, nec verbo gravavimus *nulla lacuna, quam tamen hic habet Noster, & sic tollerem*: ipsum gravaveramus.
(u) *Malè Bzov. & Alb.* quàm aliqui.
(x) *Pat.* & offensam. *Bzov. & Alb.* in offensam.
(y) *Bzov. & Alb.* unà cum Florentinis, Lucanis, Senensibus: *uterque* per Lombardiam *sinè mentione Tusciæ*.
(z) *Idem* præcipitium excitatos.
(a) *Idem* expressè dignoscitur.
(b) *Ibidem* tractavit etiam, quòd Civitas Cremonæ &c.
(c) *Ibidem* consistebant.
(d) *Bzov. & Alb. omittunt* alios.
(e) *In utroque* nequiter occupatis, & occupatas, & occupata pro Roberto detinent suprascript.
(f) *Ibidem* Denique Robertus.
(g) *Abest* suos *ab utroque*.
(h) *In utroque* ut Urbe, si posset, suæ proditioni.
(i) *Ibidem* efficaciter.
(K) *In Ven. MS.* qui per investigationem.
(l) *Alb. & Bzov.* submissi sui subsidii.
(m) *Uterque* per excogitatam.
(n) *Uterque* debeat.
(o) *In Ven. MS.* procuravit.
(p) *Alb. & Bzov.* & erat in situ contra nos quotidie committendi omnia, quæ ad nostri Imperii damnum tenderent, *sinè voce* jacturam, & ad eam modis.

Digitized by Google

„ ſtrum, & Imperii damnum, vel jacturam
„ tenderetur, & ad eam omnibus modis, quibus
„ poterat nitebatur. Hoc ſiquidem ad nos de-
„ creſcente clamore (z) notorio, & in pluri-
„ bus etiam rerum experientia edocente, licèt
„ ipſa tam publica, & notoria eſſent, quòd
„ nulla poſſent tergiverſatione celari. Et nos,
„ qui (q) legibus ſubjecti non ſumus, contra
„ dictum Robertum propter præmiſſa (r) non
„ requiſitum potuiſſemus procedere: Tamen ex
„ Auguſti Clementia, quæ libentiùs emendat in
„ ſubditis (ſ) peccata, quàm puniat, (t) nec
„ exerit ferrum præciſionis in morbos, quæ ſa-
„ nare poteſt mulcebris lenitas medicinæ, poſt
„ ſeceſſum noſtrum de Urbe prædicta ſuper di-
„ cto notorio, & prædictis per ipſum Robertum
„ contra noſtram Majeſtatem commiſſis ad in-
„ quiſitionem deſcendimus, quam, ut fidei vel
„ amoris (u) ſcintilla (ſi qua forſan remanſiſſet
„ in eo) ipſius viſcera tangeret, & ipſe interim
„ ſpatium ad retrocedendum haberet, uſque
„ in præſens gratioſis (x) deliberationibus du-
„ ximus protrahendam, Robertum prædictum
„ citari legitimè fecimus, ut (y) coram nobis
„ comparere curaret, ſuper his, ſi poſſet, ſuam
„ innocentiam oſtenſurus. Verùm idem Rober-
„ tus in ſua protervia perſeverans in terminis
„ (z) ad hæc ſibi præfixis, vel eorum aliquo
„ per ſe, vel alium comparere contumaciter
„ non curavit. Quare nos ſuper præmiſſis in
„ ipſius Roberti contumaciam fide dignis, &
„ ſufficientibus receptis, (a) & examinatis te-
„ ſtibus, & eorum dictis in ſcriptis redactis, &
„ per nos ſolemniter publicatis, & de mandato
„ noſtro (b) à peritis noſtri Palatii cum dili-
„ gentia recenſitis, & facta nobis de ipſis per
„ ipſos peritos relatione fideli, per ea, quæ
„ probata fuerant, prædicta omnia, & ſingula
„ publica, & notoria eſſe in ſcriptis interlo-
„ quendo pronuntiavimus, & declaravimus ju-
„ ſtitia exigente. Ac poſtmodum eum requiri,
„ & citari ſufficienter, & peremtoriè fecimus,
„ ut certo termino jam elapſo coram nobis,
„ ubicumque eſſemus, ad hanc noſtram ſenten-
„ tiam audiendam comparere curaret. (c) Quæ
„ ipſe præſcius, diffiſus meritis, & offenſis, &
„ in ſua obſtinatus contumacia, & fraudibus
„ perniciosiùs inductus, facere prætermiſit.
„ Quia igitur de præmiſſis omnibus, & ſingulis,
„ (d) prout in inquiſitione continetur prædicta,

A

B

C

D

E

„ ſpecialiter per dictos teſtes plenariè nobis con-
„ ſtant: Nos prædictos, & alios prædicti Ro-
„ berti exceſſus nefarios, & opera deteſtanda
„ (e) maturo librantes examine, ac illud no-
„ tiſſimum nullatenus (f) omittentes, quòd ipſe
„ Robertus, cùm in Urbe prædicta cauſa præ-
„ fatæ Coronationis eſſemus, & dilectiſſimi no-
„ ſtri Piſani, qui inter ceteros noſtros ſubditos
„ fidelitatis, & operis ſinceritate (g) renitent,
„ Galêas, & gentes Romam ad noſtrum ſervi-
„ tium, & honorem (h) mitterent, Galêas
„ ipſas in noſtræ Majeſtatis injuriam invadi,
„ ſpoliari & gentes prædictas capi, carcerari,
„ & in carcere detineri fecit, & nihilominus
„ (i) in hujuſmodi continuatione criminum per-
„ ſeverando, mala malis addendo, & pejora
„ (K) quotidie committendo, dum contra re-
„ belles noſtros direxiſſemus ſigna Cæſarea, re-
„ bellibus ipſis, ſicut publicum & notorium eſt,
„ & facti evidentia docebat, & docet, (l)
„ miſit pluries armatorum ſubſidium, ut eos
„ diutiùs (m) in ſuæ rebellionis erroribus con-
„ foveret: & attendentes, quòd ipſe, dum po-
„ tuit pacem & quietem habere, dum debuit
„ tranquillitatem expectare, ac noſtram bene-
„ volentiam, & dilectionem, quam ſibi ex ani-
„ mi ſinceritate paraveramus, (n) obtinere,
„ voluit bellum, quæſivit, iniquitates exercuit,
„ & pro poſſe procuravit, ſicut etiam procura-
„ re non ceſſat (o) Imperii populis ſeminare
„ zizaniam, ſuſcitare odia, immittere ſcan-
„ dala, concitare tumultus, nutrire ſciſmata,
„ & fovere diſcordias: & ſinè intermiſſione in
„ actu (p) continuandi, & committendi omnia,
„ quæ poteſt, in contrarium noſtrum exiſtit:
„ & non ſolùm in noſtrum, & Imperii contem-
„ tum, Reique publicæ detrimentum, ſed etiam
„ in perturbationem proſperitatis Eccleſiaſticæ,
„ quæ ad dicti Imperii ſtatum plurimùm ten-
„ dere dignoſcitur, & in retardatione Ne-
„ gotii Terræ Sanctæ, (q) à quo teſte illo,
„ qui omnia novit, (r) totis cordis affecti-
„ bus anhelamus: & videntes apertiùs, quòd
„ dictus Robertus irrevocabiliter (ſ) indi-
„ gnum erroris prolapſus, & obſtinatus in
„ dolis, viam veritatis (t) exſprevit omni-
„ no, &, tamquam Aſpis ſurda ſuum pervium
„ (u) obſtruens auditum, nec mandata noſtra,
„ nec legis pœnam, in quam ſuis (x) culpis
„ incidiſſe, ac incidere noſcitur, nec etiam
„ Im-

(z) Scribe omnino, *creſcente*, nam decreſcere eſt minui. Atque inferiùs pro, *difiſus*, corrige, *diffiſus*, & pro, *renitent*, fortè, *renident*; & pro, *voluit bellum*, *quæſivit*, *noluit*, *bellum quæſivit*; & pro, *ſciſmata*, *ſchiſmata*. Villanus.
(q) *Deſideratur dictio* legibus.
(r) *Ibidem* eo irrequiſito.
(ſ) *Ibidem* pœnas.
(t) *Alb.* nec exercet ferrum præciſionis in eos, quos ſanare poteſt illecebris lenitas medicinæ. *Bzov. omittit* illecebris.
(u) *Alb.* ſint illa.
(x) *Uterque* deliberationibus rationis.
(y) *Uterque omittit* coram nobis.
(z) *Uterque* ſibi ad hoc.
(a) *Abſunt ab iiſdem hæc*, & examinatis.
(b) *Alb. & Bzov.* à Proceribus.
(c) *Alb. & Bzov.* quod ipſe præſcius diffiſus injuriis, & offenſis, & in ſua obſtinatione, & contumacia, & fraudibus pernitioſis induratus facere, &c. *Ita Bzov. ſed pro* diffiſus, *legit* diffuſus.
(d) *Alb. & Bzov.* prout apertiùs in inquiſitione continetur, *omiſſa dictione* prædicta.
(e) *Uterque* maturo & juſto.
(f) *Alb.* committentes.
(g) *Bzov. nec* renitent, *nec aliud habet*.
(h) *Bzov.* miſerant.
(i) *Uterque* in hujuſmodi continuationis terminis.
(K) *Uterque* continuè committendo.
(l) *Uterque* miſit plures armatorum in ſubſidium.
(m) *Uterque* in eorum rebellionibus confoveret, & attendens.
(n) *Alb. & Bzov.* obtinere noluit, bella quæſivit.
(o) *Diſſident hìc Alb. & Bzov. primus*: Imperiis populos *pro Imperii populis* ſeminare zizaniam. *Alter* in Imp. populos ſeminare zizania.
(p) *Alb.* committendi, continuandi, quæ poteſt, contra noſtrum Imperium non omiſit. *Bzov.* committendi, continuandique præſtare contra noſtrum Imperium non omiſit.
(q) *Uterque* ad quod, *meliùs*, *quàm* à quo; *Iidem* teſte Deo.
(r) *Iidem* totis conatibus, & affectibus.
(ſ) *Iidem* in ſignum erroris.
(t) *Iidem* expiavit. *Deſunt hæc*, & tamquam *uſque* auditum *in Pat. MS.*
(u) *Alb. & Bzov.* non obtinens auditum.
(x) *Alb. poſt* culpis *per parenthesim hæc inſerit*: Nam omne, quod eſt ex Deo vincit Mundum, & hæc eſt victoria, quæ vincit Mundum fides noſtra. Omni cura cuſtodias cor tuum; nam ab ipſo vita procedit, & Prover. Capit. 11. *Fortè* ex *Prover. Bzov. verò hæc eadem; ſed tantùm uſque* fides noſtra, *& uterque poſt parenthesim* ſubdit, *incidiſſe*.

Digitized by Google

„ Imperatoriæ plenitudinem poteſtatis veretur, „ ſed quotidie cervicis durioris efficitur, (y) „ & quantum ipſum ad pœnitudinem expecta- „ mus, tantò majorem ſumit audaciam mali- „ gnandi. Conſiderantes etiam, quòd ipſe Ro- „ bertus de Imperii crapulatus pinguedine, (z) „ debacchatus, & ex licitis ſupra laxatis ha- „ benis furit, & nobis pro obedientia rebellio- „ nem, & pro fidelitatis debito (a) injurias „ facit; Noſque ad quoſcumque fideles Impe- „ rii nobis obedientes pro poſſe impugnare co- „ natur, ejuſque (b) poteſtas non in ædifica- „ tionem; ſed deſtructionem; non ad fructum, „ & juvamen, (c) ut deberet, ſed ad peſtem „ eſſe dignoſcitur. Et volentes periculis, & „ injuriis, atque ipſius (d) redant .... ob- „ viare, ac Evangelicam doctrinam ſequentes, „ quæ nos monet, quòd omnis arbor, quæ non „ facit fructum bonum, abſcindatur, & mitta- „ tur in ignem. Licèt Fideles, Reges, & Prin- „ cipes (e) præterit in ſuorum dignitatis emi- „ nentiam, libenter condignis honoribus, & „ gratioſis favoribus proſequamur: tamen, ut „ culpa ſupplicium timeat, & virtus retribu- „ tionem expectet: (f) Roberti eligimus do- „ mare ſuperbiam, & præſumtionem (g) ele- „ ctam conterere, ipſumque à ſtatu ſuo quan- „ tumcumque ſublimi deponere, (h) cum præ- „ miſſo ſuo læſæ Majeſtatis crimine reus uni- „ verſis, & ſingulis dignitatibus (i) quocum- „ que titulo comprehenſis, & quibus ſe intitu- „ lat, & decorat auctoritatibus, honoribus, li- „ bertatibus, immunitatibus, (K) Privilegiis, „ Provinciis, Contratis, Civitatibus, Caſtris, „ Terris, Villis, (l) feudis, bonis, rebus, „ juribus, & juriſdictionibus tam perpetuis, „ quàm temporalibus, quos, quas, & quæ ha- „ bet, tenet, & poſſidet, vel quaſi, (m) ſeu „ habuerunt, tenuerunt, & poſſiderunt quomo- „ dolibet hactenus ipſe, vel ſui prædeceſſores, „ privamus, eumdemque Robertum rebellem, „ proditorem, & hoſtem Imperii, dictæque (n) „ Majeſtatis reum de toto prædicto Imperio „ exbannimus, & diffidamus, & ipſum, ſi quo „ tempore (o) in noſtra terra, & Imperii for- „ tia venerit, vita per capitis mutilationem „ privandum, in his ſcriptis ſententialiter con- „ demnamus. Statuentes, & mandantes, quòd „ nulla perſona cujuſcumque nobilitatis, excel- „ lentiæ, ſtatus, conditionis, exiſtat, nullaque „ Civitas, Caſtrum, Villa, vel Univerſitas ei- „ dem contra nos, & Imperium præbeat pu- „ blicè, vel occultè auxilium, conſilium, vel „ favorem, ſub pœna centum librarum auri „ pro qualibet Civitate, (p) & quinquaginta „ librarum auri pro quolibet Caſtro, Villa, „ Marchione, Duce, Comite, Barone, & quo- „ libet Nobili in viginti librarum, aut pro qua- „ libet alia ſingulari perſona pro vice qualibet, „ qua contrafecerint, committenda. Quòdque „ cuilibet impunè liceat Cives, incolas, & ha- „ bitatores Civitatum, Caſtrorum, Villarum, „ & quaslibet alias ſingulares perſonas cujuſ- „ cumque ſtatus, & conditionis exiſtat, quæ „ contra noſtrum honorem ei obedirent, vel da- „ rent auxilium, conſilium, vel favorem, pu- „ blicè vel occultè, offendere in perſona, re- „ bus, & juribus, & ipſos, & ea capere, (q) „ reſtare, & detinere. Inhibentes etiam, & „ præcipientes expreſsè, ne aliqui debitores „ ejuſdem Roberti de bonis, in quibus teneren- „ tur, in aliquo eis ſatisfaciant, (r) vel præ- „ ſumant quomodolibet reſpondere: Alioquin „ tantumdem Cameræ noſtræ perſolvant, & ad „ id ſinè ſtrepitu, & figura judicii (ſ) com- „ pellantur. Univerſitates, & Provincias, (t) „ Civitates, Caſtra, Villas, & ſingulas Uni- „ verſitates, & quaslibet ſingulares perſonas „ cujuſcumque præeminentiæ, vel excellentiæ, „ etiam ſi præditi Regia (u) dignitate, & „ cujuslibet alterius nobilitatis, conditionis, & „ ſtatus exiſtant, quæ ex aliquo pacto, pro- „ miſſione, ſeu obligatione dicto Roberto, (x) „ aut ſuis prædeceſſoribus facto, vel pœna ap- „ poſita ſub quacumque aliorum forma com- „ prehenſo, vel comprehenſa ſinè ratione, cau- „ ſa, vel titulo, & ſpecialiter de aliquo ſervi- „ tio faciendo, vel omni modo, armatorum- „ que, aut aliud ſubſidium dandum per mare, „ vel per terram tenerentur eidem Roberto, „ ab ipſis pacto, promiſſione, obligatione, & „ pœna apposita: Vaſſallos quoque, feudato- „ res, & omnes, & ſingulos qui eidem (y) „ fidelitatis, & feudi, vel alia quacumque ra- „ tione, vel cauſa ad aliqua (z) paranda ſer- „ vitia perſonalia, vel realia tenerentur, ab „ omni (a) vinculo fidelitatis, ſubjectionis, & „ obedientiæ ei, vel ſuis heredibus faciendæ „ abſolvimus penitus, & in totum. Ita quòd „ nec (b) Civitas, Caſtra, Villæ, Univerſi- „ tates, & perſonæ prædictæ pacto, vel obli- „ gatione prædictorum, nec Vaſſalli, & Feu- „ datarii præfati, cujus fidelitatis, & ſubjectio- „ nis, vel obedientiæ, ratione, cauſa, vel ti- „ tulo ſibi, vel ſuis heredibus quomodolibet „ teneantur: (c) Provincias enim, Civitates, „ Caſtra, Terras, Villas, Feuda, Vaſſallos, „ bona, res, juriſdictiones, jura, ſervitia; & „ quæcumque alia (d) ſub noſtris compre- „ henſa privatione, & abſolutione hujuſmodi „ con-

(y) *Alb.* & quantò diutiùs ipſum.
(z) *Iidem* dilatatur, & ex illicitis ſibi laxatis habenis.
(a) *Iidem* injurias refert, noſque, ac quoſcunque.
(b) *Alb.* ejuſque pœnas *Bzov.* ejuſque pravitas.
(c) *Alb.* ut haberet. *Bzov. hæc omittit, & legit.* Juvamen, ſed ad peſtem.
(d) *Alb. & Bzov.* Et volentes præmiſſis injuriis, & ipſius fraudibus obviare, ac Evang. doct. ſequi.
(e) Præterit *deeſt in utroque & puto re vera eſſe gloſſema.*
(f) *Uterque* Robertum ipſum, cujus eligimus.
(g) *Uterque* erectam.
(h) *Uterque* cùm propter præmiſſa læſæ Maj. crimine reus ſit, univerſis, &c.
(i) *Uterque* dignitatibus, quibus ſe intitulat *aliis omiſſis.*
(K) *Uterque* etiam privilegiis, provinciis, comitatibus.
(l) *Iidem* feudis, vaſallis, bonis.
(m) *Iidem* ſeu habuerunt, & tenuerunt; *malè, cùm præcedant illa tria* habet, tenet, poſſidet.
(n) *Ibid.* Majeſtatis crimine reum.
(o) *Ibid.* in noſtram, & Imperii fortiam pervenerit.
(p) *Alb.* Lib. L. pro. *Bzov.* libras 50. pro *omiſſo* auri.
(q) *Iidem* arreſtare, & retinere.
(r) *Iidem* vel reddere quomodolibet præſumant, vel alioqui. *Bzov.* ſed alioquin.
(ſ) *Fortè meliùs* compellant.
(t) *Alb. & Bzov.* Civitates, villas, & ſingulares perſonas *aliis omiſſis.*
(u) In Cod. Amb. *Regia* non legitur.
(x) *Iidem* aut prædeceſſores ſui, &c. comprehenſi ſint ratione.
(y) *Uterque* fidelitatis vinculo.
(z) *Deſideratur hæc vox in utroque.* *Cod. Eſt.* præſtanda.
(a) *Alb. malè*, articulo.
(b) *Bzov.* Civitates.
(c) *Alb. & Bzov.* Ipſas etiam Contratas, Civitates Caſtra, Terras, Villas, Feudationes, &c.
(d) *Iidem* ſub noſtra contenta.

Digitized by Google

„ confiscamus; demum omnibus & singulis Mi-
„ litibus, (e) Auditoribus, Judicibus, Jurispe-
„ ritis, & Notariis, qui ejusdem Roberti do-
„ mestici, seu familiares existunt, (f) seu alii
„ in ejus servitio esse noscuntur, & quibuslibet
„ suis aliis districtè præcipiendo mandamus,
„ quatenus ab ipsius Roberti familiaritate, con-
„ silio, directione, & obsequiis quibuscumque
„ infra duorum mensium spatium ab hodie
„ computandum cum effectu recedant, num-
„ quam ad ejus consilium, vel servitium acce-
„ dere publicè vel occultè præsumant. Alio-
„ quin ipsos Milites honore, & dignitate mili-
„ tiæ, & Jurisperitos (g) omnia judicandi, &
„ assidendi ..... omnibus, & singulis privile-
„ giis, & immunitatibus, ac Notarios notariatus
„ officio, eos videlicet de dictis Militibus, Audi-
„ toribus, Judicibus, Jurisperitis, & Notariis,
„ qui hujusmodi mandato nostro non paruerint,
„ ex nunc, pro ut ex tunc, privamus (h) ter-
„ mino, & inhabiles, & infames reddimus, ita
„ quòd elapsis mensibus supradictis ad nullos
„ actus legitimos postmodum quocumque tem-
„ pore admittantur. Hujusmodi autem (i)
„ privationum, confiscationis, exbannitionis,
„ diffidationis, condemnationis, & absolutionis
„ sententias in his scriptis fecimus, (K) & alia
„ omnia, & singula facta, & instabilimenta
„ facimus existente justitia, & bono Reipubli-
„ cæ requirente, ac ex certa scientia, de ple-
„ nitudine potestatis. Supplentes omnem defe-
„ ctum, si quis forsan in inquisitione prædicta
„ de quibuscumque processibus propterea (l)
„ factis ob aliquam juris solemnitatem omis-
„ sam (m) esse habitis, non obstantibus ali-
„ quibus legibus, vel statutis, contractis, &
„ privilegiis sub quacumque verborum forma
„ concessis, etiamsi de ipsis oporteret de verbo
„ ad verbum in præsentibus fieri mentionem,
„ quæ contra præmissa, vel præmissorum ali-
„ quod possent quomodolibet objici, vel op-
„ poni, quibus specialiter derogamus. Actum
„ Pisis in præsentia nostrorum Principum, &
„ Baronum, populi multitudine copiosa VII.
„ Kal. Maji. Regni nostri Anno Quinto; Im-
„ perii verò Anno I.

RUBRICA VI.

Pugna apud Massam Marchionum Malaspinæ.

CUm (a) æstas instaret, & campi ad (b) maturitates ubique fruges edu.erent, conciti ad bella rebellibus inferenda contubernalium Cæsaris animi, ipsumque ad bellorum motus jugiter incendebant, Legatos, nuntiosque per amicorum Tuscorum, ac Longobardorum Civitates, & municipia mitti suadebant, quæ omnia summopere illo imperante omnibus solertiis effecta sunt. At proficiscentibus ab Cane Grandi, & Passarino de Bonacosis equitibus ducentis per Lunesanam, ductoribus Franceschino de Dallo Marchione, Paganico de Panico Comite, & Guidinello de Monte Cuculo, sors infesta obvênit. Nam venientes Vanni (c) Scornazanus Pisanus exul cum mercenariis equitibus, quos Lucenses illi ducendos commiserant, ad Massam Marchionum ex improvisu (d) circumvênit, incautosque dispersa eorum acie fudit, ubi cæsa eorum capita sex & octuaginta; capta sex & quadraginta, ceteris in fugam versis. Inter cæsos Franceschinus Marchio præfatus, Otholinusque frater captus. Signa militaria tria, unum Imperialis Aquilæ, alterum Canis Grandis, tertium Passarini Mantuanorum Vicarii Lucam ad spectaculum delata XI. Kal. Junias.

RUBRICA VII.

Apparatus Cæsaris terra, & mari adversùs Robertum Regem Apuliæ.

MUltis ergo curis implicitus Cæsar permulta ingenti animo versabat. Hinc suppetentibus terrestri bello viribus anxios Florentinos, multosque præteritis damnis affectos iterum invadere, exagitare; hinc Lucenses veluti (a) in ostium oppositos, mœnibus arctare, municipiis, Castellisque, ac Colonis undique exuere, denudare, facilèque tunc illi ad alias Tuscorum Urbes evincendas progredi, ob idque sparsas fidelium copias Pisas elicere. Nec minus & fortunam Mari tentare, si se captaret opportunitas, ut in Apuliam navigaret, ob quam causam Fridericum Siciliæ Regem totius navalis belli Admiratum suum in publicum pronuntiavit, constituitque, illo apparatum galêarum XXIV. remige aggregante. Nec desides Januenses quinque & viginti galêas cum armamentis ad hanc Cæsaream classem augendam, Lamba de Auria Admirato, præsto esse, Pisanosque galêas XII. multa impensa ad tantos progressus (b) offerre. His invadendum in Apulia Robertum, cujus oppugnatione Italiam totam subjici certissimum erat, Cæsari persuasum erat.

RUBRICA VIII.

Captio Petræ Sanctæ per Marescalcum Cæsaris, & Lucensium obsidio, & varii in finibus Lucensibus congressus.

VErùm ultimo Kalendas Junias sic tumescentibus bellorum incrementis Marescalcus Cæsareus cum cohortibus, & Pisanorum militiis, & peditum manipulis per Lucenses agros ad Petram Sanctam Aquilas tulit. Ea Colonia dives erat. Quæ, quamquam intra Pisanorum fines jamdudum à Lucensibus possessa fuerat, in ipsam insultu facto undique cum sagittarum missiliumque jactibus, frustra resistentibus Colonis, ac nonnullis Imperialis partis factiosis operam dantibus, eruptum est. Tunc locupletum incolarum captatis mercibus, pingui præda victores potiti sunt. Lucensium verò stipendiarii centum, qui præsidio erant, in ipso conflictus actu violenti per Orientalis partis portam erumpen-

(e) *Cod. Est.* adjutoribus, *& ita Amb. uti & infra.*
(f) *Alb. & Bzov.* seu aliis, qui in ejus servitio esse noscuntur, & quibuslibet aliis.
(g) *Alb. & Bzov.* ab omni judicandi, & assidendi omnibus, &c. *sinè ulla lacuna, quod esse potest.*
(h) *Iidem* termino suprascripto.
(i) *Iidem* privationis *melùs.*
(K) *Iidem* & alia omnia singula facta, & incerta facimus existente Justitia.
(l) *Iidem* habitis.
(m) *Iidem* esset habitus, non obstantibus a. l. constitutionibus contrariis, vel privilegiis.

NOTÆ AD RUBRICAM VI.

(a) *P. & R.* Dum quoque æstas.
(b) *R.* maturitatem.
(c) *Cod. Est.* Scornezatus, *& ita Amb.*
(d) *R.* circumventi.

NOTÆ AD RUBRICAM VII.

(a) *P.* in ostio, *& in Amb.*
(b) *P.* afferre.

Digitized by Google

pentes, fugæ remedium nacti sunt. Extemplo Marescalcus, & ceteri Cæsaris milites, Pisanique captivos terrigenas cum spoliorum, & prædæ magnis oneribus per callem, qui ad mare provehit, ad (a) plagias (b) Motronis vexere (3) (c) in galêas duas Pisanorum cum lembis tantarum rerum capacibus, ut Pisas (d) deferrentur, locavere. Dumque jam dolores (e) ad æquor remigassent, ecce inopinatus subiit eventus. Nam Roberti Regis Apuliæ Pyratæ, qui per eas oras, ut incautos Pisanos, seu circumvagantes Cæsareas rates circumvenirent, intenti procurrebant, Vasa, hujus duo cum lembis, & omni præda, ac ductoribus eripuere, rerumque omnium facili successu potiti sunt. Lucenses quoque per signorum indagines horum certiorati, maturantes iter cum militum peditumque phalangibus ad Vicum Camajoris duobus ferme millibus passuum à Petra Sancta distantem, auditâ hostium victoriâ, substitere, ibique pernoctantes ante Luciferum moto exercitu (f) Botharam perrexere (locus is à Petra Sancta passibus ferè mille quingentis distabat) Lucam confestim nuntios destinantes, ut ad id loci socios Florentinos, qui externa die Lucam in subsidium venerant, transmitterent. Ipsique ea die celeres in eadem Castra centum numero (g) pedites se adjunxere. Sicque conjunctis copiis confisi pontes, ac vias, (h) quæ montes à palude distinguunt, per quos hostibus reditus erat, dejecere, unde nec illis, (i) nec ferro aperiendus reditus pateret, nec suffragantes ab Cæsaris partibus accedere, nisi per medias Lucensium copias consequens erat. In Lucensium Castris (K) tunc post triduum fuere militum millia duo, peditum millia viginti, (l) Cæsarei milites mille ducenti, peditum millia decem. Tantis sub rerum utrinque apparatibus insperata Lucensibus occurrit novitas. Insinuatum quippe, Joannem de Porticu Vallis Arni pro Lucensibus Potestati (m) Fuscedum ejusdem Vallis Castrum munitissimum clandestina eorum, qui præsidii Primores erant, proditione prodendum Cæsari jam pæne ad actum rebus compositis, Comite Sabaudiæ cum Regiis copiis, apparatibusque omnibus ad portas excidendas noctu properante. Joannes vespere declinante conjuratione detecta, conspiratorum partem pluribus profugis (n) temp.... Robertumque Rubeum duplici ad eam portam, quæ Sancti Bernardi dicebatur, præsidio stare jussit, sic-

A

B

C

D

E

que haud aliter, quàm meditati fuerant, proditores verso successu Comitem adventu suo frustrati, convictique criminis, Lucam dimissi suspendio pœnas dederunt, Vexillaque duo versis Aquilis, quas illi ad proditionem paraverant, Prætorii Lucensis fastigio appensa. In digressu tamen à (o) Foscelo populabundus Sabaudiensis oram eam cum Coloniis singulis igni ferroque vastavit. Timore perculsi Vicenses ægrè obediebant Lucensibus, ubi & banniti relegatique Pisani defluxerant. Ipsumque Busiani Castrum superbè insolenterque mandata peragebat. Aranum per hos dies Gibolengi invasere, quod paulò post Græcus Bernarducius ejus oræ Vicarius introductis Gelfis accepit. Graphagnanæ incolæ detectis partium odiis diu contritis certamen singulare gessere. Obtinentibus tamen Gelfis earum dierum una, Nonis Juniis, quadraginta ex Gibolengis gladiis interiere, cæsis ex Gelforum parte XV. Hujus certaminis subsidiarii eo rumore excitati fuere Lucenses Populi Sancti Petri, qui tunc in (p) ea regione erant. Hoc congressu motuque elati in Graphagnana, & Terelio Gibolengi, deinceps Gelfos majoribus agitavere molestiis. Verùm Bartholomæus Passarelli pro Lucensibus itidem potentatum habens conniventibus oculis, ut res exposcebant, res præterire sinebat, dum tantùm ab rebellione expressa illos arceret. Sicque in Viciano Rectoris specie residens erat. In Lucensium Castris interea discors opinio. Ipsi quidem Lucenses instabilem exercitum præsentientes, horrentesque, ne expeditionis solutio illos ab hostibus indefensos destituat, misceri prœlium efflagitabant. Dego stipendiariorum Florentinorum Princeps, ac Subsidiarii Bononienses assentiebant. Soli Florentini moræ patientes, hostes inclusos in seipsos confici adjudicantes, prœlium detrectabant. Sicque in ancipiti in dies factum suspendebatur. Anxii Pisani suorum tœdio, quos angebat impermeabilis accessus, inde & rerum familiarium inopia, ut (q) unde irrumperent, quatenus & ipsi possent, machinas, testudines, cataphractas, onerarias barcas, quas Barbottas ipsi nuncupabant, cum (r) bancionibus frumentariis, omnique navali, terrestrique apparatu instruxere, ut ferro, (f) viribusque se objectarent, ad statutamque Junii diem XIV. egredi conjuravere. Sed ecce in summo Gorgonæ fastigio ignem emicare, quod signum *Falò* ipsi nuncupabant, (4) conspexere. Hujus indices signi Roberti Apu-

(a) *Mel.* plagas.
(b) *R.* Maturius vescere.
(3) Hic locus hodie quoque indigitatur, *le piagge di Mutrona*. Utitur autem auctor noster hic, atque alibi verbo, *plagia*, pro eo, quòd est vulgò, *piaggia*, quo nomine significantur omnia declivia, montium præcipuè, ac litorum. Et videtur id verbi unum esse ex iis, quæ à Græco idiomate in Thuscum se transtulere absque ut per Latinorum fines transirent. Quod genus permulta esse ostenderem, si vacaret. πλάγιον, autem Græcè obliquum, transversumque significat. Et cùm talia sint & montium latera, & riparum, litorumque tractus, ideo hac appellatione rectè donantur. Probo tamen oculatissimi glossographi emendationem, qui, *plagas*, pro, *plagias*, reposuit; quod nomen sicuti Latinum est, ita fortasse nimis videri possit hic generale, cùm tractum terræ omnem æquum, iniquumque significet. Paulò post, *vasa bujus duo*, pro, *bujus*, reponerem, *bujusmodi*, vel, *hæc*, vel quid simile. Et pro, *Joannem de Porticu*, scriberem, *Joanni*, & pro, *sicque baut aliter*, *sicque aliter*. Et pro, *ubi & banniti*, meliùs, *quò*, *& banniti*. Villanus.
(c) *Mel.* & in Galeas, &c.
(d) *R.* deferrent.

(e) *Deest hoc in V. lacuna aperta.*
(f) *V.* Rotaram, *& ita Amb.*
(g) *R.* peditum.
(h) *V.* quam montes, ac paludem districtus.
(i) *Cod. Est.* nisi ferro.
(K) *P.* tunc postque triduum. *R.* tuncque postque triduus.
(l) *P.* Cæsareæ militis. *R.* Cæsarii mille ducenti milites. *Hæc omnia* tantis, *&c. usque ad finem Rub. desunt in Pat. habentur in Ven.*
(m) *Infra* Foscelum *dicitur*. *Cod. Est.* Fosceclo.
(n) *Fortè* temptari.
(o) *Cod. Est.* Fosceclo.
(p) *Cod. Amb.* in Camajore.
(q) *Mel.* inde.
(r) *Fortè* barcionibus.
(f) *Al.* vicibusque.
MS. Amb. uncibusque se hostibus objectarent.
(4) Vox *falo* acuta accentiuncula notanda est, *falò*. Significat autem flammam, seu flammæ splendorem, vel potiùs repentinam flammæ apparitionem. Et videtur esse unum ex iis verbis, quæ à Græcis ad nos recta migrarunt. Illis enim φαλὸς denotat splendidum, vel album, derivatione à verbo, φάω, quod est luceo. Consimile huic verbo (quod obiter dixerim) est nauticum illud *fanò*, quod Græcis est φανός, &c

Apuliæ Regis galêas in Elbam declinasse declaravere, ibique identidem damna intulisse incolis, mox & in portum Pisanum descendisse. Verùm Falonis indicio Gorgonei classem Pisani in tutum redegere, illæsamque servavere; hæque in sequentem diem galêæ in plagias Motronis scopulo adhæsere. Aldemarius Calaber harum Vice-Admiratus (nam & Corradinus Spinola Januensis Superadmiratus Regis ejusdem erat) per callem, qui ad Camajorem vehebat, ad Lucensium exercitum se contulit, dimisso apud Motronem navigio. Hincque consalutatis exercitus Primoribus, pro Regia Majestate se itidem affuturum, missumque ab Rege indicavit, iis monitis, ut è ballisteriorum tribus millibus septingentis (t) tractis, qui in vasis illis erant, septingentos secum in Castris accipiant, ceteros præsto adesse, ubi meliùs se captaret opportunitas, Tuscorum suorum servitia suppleturos, terraque, marique galêas eas in maris ore catenatas subsistere, unde regressus, seu fuga hostibus futura esset. Nec his veluti tantæ opportunitati non suppetentibus contentum Regem; sed in mandatis Corradino adjectum, ut galêas alias sex illis conjungat. Ipseque (u) triginta

A

B

C

insuper armari jusserat, ut quinquaginta necessitudinem compleant amicorum. Pisani his perplexi, tardatique horum intercapedine dierum, consumtis, quæ ad victum, opusque, quod aggressi fuerant, inaniter frustra tempus illud trivere. Nec illis supplementa supplebant, dum è Lunæ finibus longo bello jam affectis frumentandi facultas deesset. Idque idem è Januæ Riperia obtigerat, quam veluti sterilem constabat. Nec suis opitulari terrave, marive possibilitatem adesse intuebantur, ad quos omnis ademtus accessus terrestris. Os quoque maris galêæ obstruebant. Angebatque Imperatoris, Pisanorumque animos, quòd jam victum penuria intolerabilis suos afficeret. præsertim vini defectus, cum minima ejus cessus mensura, quam Mitadelam (x) terrigenam vocant (ʒ), Pisanæ monetæ solidis duobus arrogatis venditoribus emeretur. Marescalcus Cæsaris solertia vigili in diffugium pronos membrorum mutilatione suos pæne arcebat, ad quos supremè arctandos cura Lucensium sedula dies noctesque fatigabatur, excubiis undecumque dispositis, pæneque, ut eos quamquam sic affectos prœlio incesserent, Castra continebant.

& significat lampadem, seu laternam, à verbo φαίνω, quod inter alia est luceo, seu appareo. Galli dicunt *falòt*, quod videtur affine τῷ *falò* Etruscorum. *Villanus*.

(t) *Malè* tractisque, *ut legitur in MSS.*

(u) *Cod. Est.* ipseque Rex, *& Amb.*

(x) *Cod. Amb.* terrigenæ.

(ʒ) Scribendum est, *Metadellam*, uti hodie quoque appellatur à Thuscis. At Mussatus per unam tantùm liquidam eam enunciavit, more scilicet Venetorum, qui bellum internecinum geminatis omnibus literis indixisse videntur. Quo fit, ut *quelo*, *elo*, *belo*, *fato*, *puto*, pro *quello*, *ello*, *bello*, *fatto*, *putto*, &c. tandem id genus omnia tenui hoc sono pronuncient. Hujus notæ vox illa est Venetis peculiaris, *goto*, cùm dici deberet, *gotto*, quod Latinis est guttus, arctiori licèt significatione. Tale quoque est, *catare*, pro, *cattare*, Latinis captare. Item *balota*, pro *ballotta*, quæ vox ex iis esse videtur quæ à Græco fonte in Italiam derivatæ sunt, Latinorum finibus minimè attractis. Deduci quippe ἀπὸ τοῦ βαλεῖν existimari possit, quod est jacere, ponere, immittere, intrudere. Significat enim calculos suffragiorum, de quibus propriè dicitur immitti, ac deponi in cadiscos, aut situlas, & apud Græcos ἐμβάλλεσθαι εἰς τὴς κάδισκον, injici in situlam. Sed nimium fortasse divertimus. Ad metadellam revertamur. Metadella duplex mensura est, altera solidorum, liquidorum altera. Nam apud Etruscos modius dividitur in XXIV. partes, quas illi vocant, *stuja*, Sextarius item dispescitur in duas, quas *minas* appellant, *quartinasve*: mina iterum secatur in duas, quas indigitant, *quarti*: quartarius hic deinde sicilitur in duas, quas dicunt, *mezzi quarti*, seu *metadelle*, post hæc metadella erciscitur in duas, quas nominant, *boccali*: baucalium rursus partitur in duas, quibus nomen, *mezzette*: quæ tandem in duas minuuntur, quarum, appellatio, *quartucci*. Vides igitur, metadellam esse octavam partem illius mensuræ, quam illi sextarium appellant; licèt nonnulli 16. esse velint, eandemque cum baucalio. Quod autem pertinet ad liquida, *metadella*, quæ idem est ac, *mezzetta*, est quarta portio illius œnophori, quod Etrusci appellant *fiasco*, Hoc enim dividitur primò in, *boccali*, tum in *mezzette*, vel *metadelle*; post hæc in, *quartucci*; ac tandem in, *quartuccini*. Accedit ergo metadella ad Ξ, idest, ξέστης Græcorum. *Villanus*.

Albertini Mussati Paduani de gestis Henrici VII. Cæsaris Liber Decimustertius explicit.

ALBER-

Digitized by Google

ALBERTINI MUSSATI
DE GESTIS
HENRICI VII. CÆSARIS
LIBER DECIMUSQUARTUS.

RUBRICA PRIMA.

Defectio Castrorum Romani, & Giselbæ ad Gelfos Longobardos.

CAstro Colonii Pergamenses exules potiti, ut præmonstratum est, intrinsecos, ceterosque, qui Urbi adhæserant, Municipes undique conterruere, in quo ipso motu Fridericus Coglonus, qui eatenus Vicario Cæsaris paruerat, egressus Civitatem in Martinengum confugit, confœderatusque extrinsecis bellum Urbi, accitis suis circum fidelibus, intulit, cujus rei causa sic ferentibus successibus Romani Castellum ad Giselbertum Carpionum Pergamensem jam dudum exulem defecit. Item & Gisalbæ Consules Castrum, & se victoribus applicuere. Sicque brevi mutatis vicibus Pergamensium Coloniæ, Municipiaque omnia inexpectatis concursibus sibi, rebusque suis consulentes in fidem Gelforum venere. Militia igitur, populusque Pergami compositis viribus per distinctas acies Vezanegam perrexere. Locus is à Colonio Castro millia passuum circiter quatuor distabat. Dum itaque ea fortè die, videlicet XVII. Kalendas Junias, iidem extrinseci Pergamenses, Laudenses, Cremenses, Brixienses, qui ducenti ferè hastati ad agros depopulandos exierant, præfatam militiam, ac populum in Vezanegam adventasse cognovissent, parva à loco distantia frondosis abditi velaminibus, ut intrinsecos lacesserent, præmisere cursores. Ii, qui in Vezanega erant, audentioribus, quàm providis animis continuò adversùs cursores incompositis ordinibus discurrêre. Signo extemplo dato, qui prope latebant jam cœpto cum cursoribus congressu magno, illos adorti sunt. Nec, qui exierant, primum sustulere impetum, quin fugati magna strage in Vezanegam regrederentur. Tunc & inde frequens extrinsecorum excursus fines Pergamenses ferro ignique vastabat, quosque incautos extra valla, & munitiones inveniebat, obtruncabat. Interfecti in Clusio Matthæus della Bora, & Morus Alexii ab extrinsecis cum Pergamensibus interioribus fermè quinquaginta, quorum internecione confusi, qui omnia montana Pergamensium incolebant, ad Gelfos defecere.

(a) *In R.* Caseranum.

RUBRICA II.

Defectio Castrorum Irmignani, Spirani, Calcinati, & Cisarani ad Gelfos Longobardos.

CAstraque multa per planitiem, inter quæ Irmignanum, Spiranum, Calcinatum, (a) Cisaranum, ex ipsis quoque montanis aquarum cuneos, quibus ipsa Pergami Civitas aquabatur, confregere, fontes aliò divertentes. Vix itaque pæne obsessa mœnia Vicarius Cæsaris cum intrinsecis continebat.

RUBRICA III.

Prælium inter Cathelanum Cozo Roberti Regis Vicarium apud Cassinas.

HOc eodem mense Majo Cathelanus Cozo Roberti Regis Apuliæ apud Alexandriam Vicarius cum exulibus Alexandrinis, Pedemontanis, ceterisque Imperialis partis, qui Cassinas tenebant, campestre prœlium iniit, quo victi fugatique Cassinenses, exitialem conflictum perpessi sunt. Ex quingentis quippe peditibus cum ferè triginta hastatis militibus, qui ad congressum venerant, captisque centum quinquaginta, in Cassinas rediere, ceteris cæsis captisque, inter quos (b) Raymundus Marchio de Ancisa, Romæus Lanzavegla, Galvagnus Merlanus, Lanzalotus Viciatus. Galvagnus Lanzavegla, aliique Primores, qui Cassinarum defectionis auctores fuerant, in captivitatem Alexandriam ducti fuere. Captivorum capita ducentum quinquaginta. Multa in Brumidam fluvium demersa.

RUBRICA IV.

Captio Castri Sermatiæ per Gelfos Longobardos.

HOs prope dies Paganus Raina Sancti Salvatoris Potestas cum subjectis Castrum Sermatiæ, opportunitate captata, violenti oppugnatione, custodibus, qui ejus præsidio erant, trucidatis, occupavit, dum ipsius Sermatiæ terrigenæ cum omnibus copiis ad Castrum Gezani debellandum perrexissent. In ea cæde Franciscus Canis, qui factionis Canum de Casali, aliorumque Imperialium inibi Princeps erat, obtruncatus est: plures quoque subita ignis injectione præoccupatos incendium consumsit. Hujus Castelli excidium vehementi gentium Imperialium læsioni fuit, in quo, tamquam circumvolantium, pallantiumque ex Alexandria, Casali, Ver-

(b) *In P.* Raymundinus.

Digitized by Google

Vercellis, Papia amicorum Cæsaris nido recipiebantur. Eratque prætereuntium de Casali Vercellas obex, ne cui liber inde transitus foret.

RUBRICA V.

Congressus Cavalaciorum, & Bruxiadorum de Novaria.

ITemque pene per dies eosdem apud Wastos aggerem æquo campo directis aciebus concurrerunt invicem Bruxiadi, & Cavalacii de Novaria exteri cum adversis Novariensibus, nec non & exulibus Vercellarum, ubi Novariensis, & Vercellarum exules terga victi dedere, cæsis ex eis tercentis sexaginta, ceteris in Urbem fugatis. Tuncque in Novaria (a) ingens trepidatio vix portis se se credentium audita suorum strage.

RUBRICA VI.

Captio Tribuli.

CRemonæ quoque lætabunda fors de Castro Tribuli obtigit. Nam rebelle, ac infestissimum Civitati, dedentibus Municipibus ad Passarinum della Turre Roberti Regis Apuliæ Vicarium defecit. His omnibus mensis hujus sic repentinis belli successibus Cæsareæ in Longobardia partes acribus vexatæ contumeliis, terrore multo concussæ sunt, de solo Germanorum adventu spem adjicientes, ad quos evocandos Trevirensis Archiepiscopus Cæsaris frater Alpes transilierat. Verùm ex Bavariæ Ducatu citra illorum spem nova per Italiam increbescebant, arctatum sola Regni sui tutione Joannem Boëmorum Regem Cæsaris filium, adversantibus nonnullis ex Regni Principibus factione Henrici Carinthiæ, qui & se Boëmiæ Regem nuncupabat, unde vix sibi suffecturus patri suffragari non valeret. Sic, aliterque varii per universas Italiæ Civitates certatim pro suo cujuslibet libitu sermones effudebantur; nullaque interim populis quies, hinc ab Aquilone, inde ab Austro in se ruituros populos expectantibus. Jam duo Capita Italiæ declarata, quorum alterum regnaturum oporteat, aut Cæsarem, aut Robertum Apuliæ Regem; ad hos duos omnium opinionum relatio; horum, cùm in Cæsarem jura omnia divina, & humana consentiant, ritè rerum omnium potiturum assertiones; illorum non diffitentium, si quidem non factiosus (b) alterum genus hominum sublevasset, alterum oppressisset adjectiones. Per hos dies la essitus in contumaces, indefensosque Paduanos multa exulum querela Cæsar, dum conceptum in dies distulisset, damnationi illorum intendit, sedensque ad tribunal juxta delatorum indagines, causis adjectis, nec ullius confutatione propulsatis, sententiam tulit in hanc formam.

RUBRICA VII.

Sententia Cæsaris contra Paduanos.

Henricus VII. Divina favente Clementia Romanorum Imperator, & semper Augustus ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum.

„ POstquam Reipublicæ tuitionem Divina „ Influentia nobis disposuit committendam,

(a) *In R.* ingens strepitus trepidatio.
(b) *Cod. Est.* facinorosus, *& ita Amb.*

NOTÆ AD RUBRICAM VII.

(a) *Cod. Est.* Romani Imperii.
(b) *Cod. Amb.* præstatione.

A „ pacatis seditionibus, quæ per Provinciam ini-
„ mico pacis pullulaverant operante, disposui-
„ mus necessariò partes Italicas reformare, in
„ quibus vacante Imperio universæ Communi-
„ tates, ac Civitates Italiæ jura Romani Impe-
„ rii occupaverant, & inter se intestinis bellis
„ duriter fatigatæ, cupiditate habitantium ex-
„ crescente, quibusdam Civibus captata occa-
„ sione nefanda ejectis more tyrannico regeban-
„ tur, & infinitis eorum Civibus exulantibus ab
„ eisdem, ac bonis propriis tyrannicè ab adver-
„ sariis occupatis, cogebantur per Civitates
„ exteras mendicare, ac multis etiam per di-
„ versas provincias dispersis, vitas eorum in exi-
„ lio peregerunt. Verùm ad ipsas partes Italiæ
B „ accedentes universis nostris, & Romani (a)
„ fidelibus de Lombardia, qui in fidelitatis
„ proposito perdurant, placatis, atque unitis
„ concorditer, dum nostra foret intentio præ-
„ parata ad incohanda itinera versùs Romam,
„ ut Diadema Imperialis culminis suscipere va-
„ leremus, Civitas, & Commune Civitatis Pa-
„ duæ, ac infrascripti Cives Civitatis ipsius, &
„ quilibet eorumdem in malum damnabiliter
„ obstinati post recognitionem spontaneam, &
„ fidelitatem nobis exhibitam cum (b) patra-
„ tione juramenti solemnis (c) inter ceteros
„ alias, cetera suæ malignitatis conatu deferen-
„ te clamore notorio, (d) qui nulla potuit,
„ neque potest, tergiversatione celari, commi-
C „ serunt tunc contra Regiam, & post Imperia-
„ lem Majestatem infrascripta crimina, & rea-
„ tus. Ipsa namque Civitas & Commune Pa-
„ duæ, & infrascripti (e) Cives, & districtua-
„ les ipsius Civitatis, & quilibet eorumdem si-
„ nistro & vigilanti animo effectualiter procu-
„ rarunt, ut Civitates Lombardiæ, & ceteræ
„ Civitates Marchiæ Tarvisinæ cum quibusdam
„ Civibus ipsarum Civitatum, ac Civitates Tu-
„ sciæ, & aliæ Universitates Castrorum nobis,
„ & Romano Imperio rebelles contra nos se
„ opponerent, & in rebellione persisterent ani-
„ mo indurato, ac promoverunt, & indu-
„ xerunt Consiliarios, Officiales, & homines
D „ ipsius Civitatis Paduæ ad expellendos fide-
„ les subditos, seu amicos Romani Impe-
„ rii, ac ipsos forbanniendum, ac quos-
„ dam occidendum, quosdam relegandum de
„ Civitate Paduæ antedicta, & nihilominus cum
„ ipsis Civitatibus rebellibus supradictis conspi-
„ rationes, & ligas contra nos, & Romanum
„ Imperium facere præsumserunt, & mala prio-
„ ribus aliis pejoribus cumulando, communica-
„ to consilio cum prædictis Civitatibus rebelli-
„ bus supradictis hominibus eorumdem ordina-
„ verunt (f) de transmittendo ad Urbem sub-
„ sidium armatorum pro impediendo, ne dia-
„ dema Imperiale suscipere valeremus. Item
„ communicato consilio tractaverunt, & ordi-
„ naverunt de accipiendo Civitatem Vicentia
E „ de dominio Imperialis culminis, & de sumit-
„ tendo eamdem prædictæ Civitati Paduæ re-
„ belli, ex quo tractatu cum operibus subsecu-
„ tis infiniti homines ad interitum sunt deducti.
„ Insuper infrascripti Civitatis ejusdem commu-
„ nicato consilio inter se, & cum supradictis
„ Civitatibus rebellibus partium supradictarum,
„ ipsam Civitatem Paduæ tunc temporis nobis,
„ & Romano Imperio subjectam, & re vera sub
„ no-

(c) *In P.* inter ceteros alios. *Legerem, & corrigerem* inter ceteros alios suæ malignitatis conatus.
(d) *In V.* quod ulla.
(e) *In V.* Cives districtuales.
(f) *In R.* transmittendo *sinè de.*

Digitized by Google

„ nostro dominio existentem seduxerunt ad re-
„ bellionem nobis, & Romano Imperio facien-
„ dam, in qua rebellione continuò perstiterunt,
„ & super adhæserunt Civitatibus rebellibus
„ antedictis; & dum essemus diademate Impe-
„ riali culminis insulati, & resideremus cum
„ nostro felici exercitu in castris ante Floren-
„ tiam, mittere Florentinis subsidium festina-
„ runt. Nos verò cupientes scire, utrum cla-
„ mor ille notorius adimpletus esset operibus sic
„ nefandis, de prædictis, & super prædictis ex
„ nostro voluimus officio diligenter inquirere
„ veritatem. Et commissione prædictorum te-
„ stibus omni exceptione majoribus notoriè le-
„ gitimè comprobata, de consilio nostrorum Ju-
„ dicum pronuntiatum fuit solemniter, crimina
„ supradicta in inquisitione formata contra eos
„ contenta, & quælibet eorumdem notoriè fore,
„ & esse perpetrata, seu commissa per Commu-
„ ne, & Civitatem Paduæ, & homines Padua-
„ nos in ipsa inquisitione contentos, & quemli-
„ bet eorumdem, & ita per patentem eviden-
„ tiam ipsorum criminum notoriam fuisse, &
„ esse commissionem reatuum prædictorum,
„ quod nulla possint tergiversatione celari: &
„ tamquam contra notoriè delinquentes hacte-
„ nus, & nullatenus postea desistentes commit-
„ tere similia & eadem, posse, & debere pro-
„ cedi contra ipsos Commune, & Civitatem
„ Paduæ, & homines infrascriptos, contra quos
„ inquisitio jam præcessit, & quemlibet eorum,
„ & ipsos, & quemlibet eorumdem diffinitivè
„ condemnari, & puniri de crimine & reatu
„ Legis Juliæ læsæ Majestatis notoriè perpetrato
„ per ipsos Commune, & homines Paduæ, &
„ quemlibet eorumdem in singulis capitulis in
„ ipsa inquisitione contentis, & quolibet eorum-
„ dem. Demum eamdem Civitatem Paduæ, &
„ Commune, & homines infrascriptos, &
„ quemlibet eorumdem (g) requisivimus, &
„ citavimus sufficienter, & peremtoriè, ut cer-
„ to termino jam elapso coram nobis, ubicum-
„ que essemus, & nostra Curia resideret, ad
„ hanc nostram definitivam sententiam audien-
„ dam comparere curarent. Quod ipsi (h) præ-
„ diffisi meritis, & offensis, & in sua obstinati
„ contumacia, ac fraudibus perniciosis indurati,
„ facere despexerunt. Quia igitur legitimè con-
„ stat, prædicta crimina, & reatus per prædi-
„ ctos, Universitatem, Commune, & homines
„ infrascriptos fore commissa, prædictos, &
„ alios quamplures dictorum Communis, & Ci-
„ vitatis Paduæ, & hominum infrascriptorum
„ excessus nefarios, ac opera detestanda in sta-
„ tera justi judicii appendentes, & attendentes,
„ quòd dum ipsi pacem & quietem habere po-
„ tuerunt cum tranquillitate, & Imperiali be-
„ nevolentia, bella proditionaliter (i) quæsive-
„ runt, iniquitates exercuerunt, & procurave-
„ runt pro posse (K) (sicut nempe adhuc pro-
„ curare non cessant) & in Imperii populum
„ seminare zizaniam, suscitare odia, immittere
„ scandala, concitare tumultus, ac fovere di-
„ scordias in nostrum ac Romani Imperii con-
„ temtum, & Universalis Reipublicæ detrimen-
„ tum: Ipsum Commune Paduæ, & quamlibet
„ singularem personam ipsius Communitatis,
„ Civitatem, & homines infrascriptos, & quem-
„ libet eorumdem, cùm sint crimine læsæ Ma-
„ jestatis rei, & multarum nefandarum prodi-
„ tionum malæ præponderationis in profundum
„ malorum demersi, in eorum contuma i ab-
„ sentia, quam Dei præsentia (l) repeleat,
„ omni jure, quo meliùs & pleniùs possumus,
„ ex certa scientia, tam de nostræ plenitudine
„ potestatis, quàm alio quocumque, sedentes
„ pro tribunali definitivè, sententialiter in his
„ scriptis tamquam rebelles, & proditores, ac
„ hostes Romani Imperii, & læsæ Majestatis cri-
„ mine reos, privamus mero & mixto Imperio,
„ ac jurisdictione qualibet temporali, omnique
„ jure eligendi Potestatem, Rectorem, seu Do-
„ minum perpetuum, vel temporalem ad regi-
„ men ipsius Civitatis Paduæ, vel ejus districtus.
„ Privamus etiam Civitatem eamdem, & pri-
„ vatam esse declaramus literali studio, ac li-
„ centia doctorandi, & omnibus franchisiis,
„ privilegiis, ac immunitatibus, honoribus,
„ (m) ac feudis, & omnibus quibuscumque
„ juribus à Nobis, vel Imperatoribus, seu Re-
„ gibus Romanorum prædecessoribus nostris con-
„ cessis, seu qualitercumque acquisitis, & ipsa
„ scienter revocantes cassamus, & irritamus,
„ & annullamus, (n) pronuntiantes, & decla-
„ rantes dictum Commune Paduæ, Civitatem,
„ ac ipsius Communitatis Universitatem, &
„ quamlibet personam ipsius Universitatis, &
„ omnes, & singulos homines infrascriptos, &
„ quemlibet eorumdem felloniam, proditionem,
„ & legis Juliæ læsæ Majestatis crimen contra
„ quondam Regiam, & demum Imperatoriam
„ Majestatem nostram, & totum Romanum Im-
„ perium ex prædictis excessibus commisisse,
„ veniendo etiam contra proprium juramentum
„ fidelitatis nobis præstitum per ipsum Commu-
„ ne, Consiliarios, Officiales, & homines ipsius
„ Civitatis, contra fidelitatem per eos (o) fa-
„ ctam. Et nihilominus ipsam Civitatem Pa-
„ duæ, utpote Majestatis crimine ream, quòd
„ muris, & fortiliciis quibuscumque denudetur,
„ ac totaliter deformetur, ita quòd solo Ara-
„ trum patiatur, ita quòd ex omni parte ipsius
„ Civitatis unicuique sit liber aditus & disces-
„ sus. Insuper ipsum Commune, & Universita-
„ tem ipsius Civitatis Paduæ in decem millibus
„ libris auri, Fisco, & Cameræ nostræ, seu Ro-
„ mani Imperii persolvendis, propter præsum-
„ tionem commissionis nefariæ, & excessuum
„ prædictorum. Singulares quoque personas
„ ipsius Communitatis de toto Romano Imperio
„ exbannimus, & diffidamus, decernentes, quòd
„ realiter, & personaliter quælibet persona ipsius
„ Communitatis licitè, liberè, & impunè possit
„ offendi, & capi, & capientium servi fiant.
„ Ipsos homines infrascriptos, & quemlibet eo-
„ rumdem, utpote Majestatis crimine madefa-
„ ctos, capitali pœna (p) plectentes, ut si quo
„ tempore ipsi, vel aliqui ex eis in nostram, &
„ Romani Imperii fortiam pervenerint, furcis
„ suspendantur, ita quòd ibidem penitus mo-
„ riantur, in his scriptis sententialiter condem-
„ namus. Ancianos quoque, & Consiliarios,
„ sive Sapientes, vel Rectores ipsius Civitatis
„ Paduæ, & quemlibet eorumdem, qui tempo-
„ re dictæ rebellionis erant, & successivè fue-
„ runt ibidem, & (q) in futurum fuerint, di-
„ cta rebellione durante, de toto Romano Im-
„ perio exbannimus, & perpetua notamus infa-
„ mia,

(g) *In V.* requisiturus sufficienter.
(h) *In R. & P.* prædifusi.
(i) *In R. & P.* hic etiam habet quæsierunt.
(K) *Iidem* sicut etiam propriè adhuc etiam procurare.
(l) *Scribendum puto* replet. *Cod. Amb.* replet.
(m) *In R.* feudis omnibus, quibuscumque juribus.
(n) *In V.* & pronuntiantes.
(o) *In V. deest* factam.
(p) *Cod. Est.* plectendos.
(q) *In P.* & futuri fuerint.

Digitized by Google

„ mia, privantes eosdem, & quemlibet ipsorum
„ omnibus privilegiis, honoribus, franchisiis,
„ & immunitatibus à nobis, vel à Romanis Im-
„ peratoribus prædecessoribus nostris concessis,
„ vel eisdem aliter acquisitis, inhabiles esse vo-
„ lumus (r) judicandi, & assidendi officio, &
„ cujuslibet Magistratus honore. Potestates quo-
„ que, Judices, & Notarios, qui tempore di-
„ ctæ rebellionis, & ab inde citra obnoxii (f)
„ fuerunt de prædictis, & qui deinceps in re-
„ gimine dictæ Civitatis præfuerint, absque
„ nostra, vel successorum nostrorum licentia,
„ & ad ipsius Civitatis regimen exercendum ac-
„ cesserint, privamus, & privatos esse volumus
„ ab officio judicandi, præsidendi, & (t) assi-
„ stendi, & Notariatus, & cujuslibet Magistra-
„ tus, & perpetuæ infamiæ volumus subjacere,
„ ac etiam omnibus privilegiis, franchisiis, &
„ immunitatibus, honoribus, & juribus à nobis,
„ vel prædecessoribus nostris concessis, vel ali-
„ ter acquisitis, eosdem privamus, ipsa privi-
„ legia, & honores ex certa scientia revocan-
„ tes, ipsosque exbannimus & tamquam rebel-
„ les Romani Imperii à cunctis nostris, & dicti
„ Imperii fidelibus volumus realiter & persona-
„ liter posse offendi. Judices quoque, Advoca-
„ tos, & Notarios dictæ Civitatis Paduæ Cives,
„ districtuales, atque incolas, judicandi, assi-
„ stendi, advocandi, & Tabellionatus officio
„ privamus, & perpetuæ volumus infamiæ sub-
„ jacere. Item quòd prædicta Civitas Paduæ,
„ Commune, & homines ipsius Civitatis in di-
„ ctæ rebellionis, & tam detestabilium scelerum
„ obstinatione publica sic longævo tempore nul-
„ latenus perdurassent sinè ipsorum Civium, &
„ incolarum patientia, & assensu, & ut pœnæ
„ metu coacti se, (u) & dictum Commune à
„ prædictis nefandis erroribus retrahant, & ad
„ debitam obedientiam nostram, & Romani
„ Imperii reducantur, Universos, & singulos
„ dictæ Civitatis, ejusque districtus Cives, &
„ incolas, tamquam nostri & Romani Imperii
„ proditores, & rebelles, de toto Romano Im-
„ perio exbannimus: decernentes, ac mandan-
„ tes, quòd nulla persona cujuscumque status
„ existat, nec aliqua Civitas, Castrum, vel
„ Villa, vel aliqua Universitas eidem Civitati,
„ seu Communitati Paduæ, vel personæ dictæ
„ Civitatis, vel hominibus infrascriptis, vel ali-
„ cui eorum, præbeat publicè, vel occultè au-
„ xilium, consilium, vel favorem sub pœna
„ centum librarum auri cuilibet Civitati, quin-
„ quaginta librarum auri cuilibet Castro, Villæ,
„ Baroni, Comiti, Marchioni, (x) vel alteri
„ sublimi personæ, & viginti librarum auri cui-
„ libet singulari personæ pro vice qualibet,
„ qua contrafecerint, committenda; & quòd
„ cuilibet sit licitum impunè Cives, incolas, &
„ habitatores Civitatum, Castrorum, Villarum,
„ & quaslibet alias singulares personas cujuscum-
„ que status & conditionis existant, quæ obedi-
„ rent eisdem, vel alicui (y) eorum; vel dede-
„ rint auxilium, consilium, & favorem, publi-
„ cè vel occultè, offendere in persona, (z) &
„ re, & ipsius res capere, arestare, & detinere.

A B C D E

„ Jubemus etiam expresè, ne aliqui debitores
„ prædictæ Civitatis, vel personarum prædictæ
„ Communitatis Paduæ, vel alicujus eorum,
„ seu hominum infrascriptorum, vel alicui
„ eorundem de debitis, quibus tenerentur eis-
„ dem, vel alicui eorum, in aliquo (a) satis-
„ facere præsumant, vel quomodolibet respon-
„ dere, alioquin tantumdem Cameræ nostræ
„ persolvant, & ad id summariè, & sinè stre-
„ pitu, & figura judicii, (b) & quaslibet alias
„ singulares personas cujuscumque conditionis,
„ & status existant, quæ tenerentur eidem Ci-
„ vitati Paduæ, vel alicui personæ de dicta Ci-
„ vitate, (c) vel hominibus infrascriptis, seu
„ alicui eorumdem (d) ad aliquem pactum,
„ vel eorum præstationem, vel restitutionem,
„ vel aliquod servitium faciendum, vel aliquod
„ auxilium præstandum ex aliquo pacto, seu
„ obligatione pœnali ex quacumque causa, seu
„ titulo facto cum eisdem, vel aliquo eorum-
„ dem, seu cum prædecessoribus suis, ab ipsa
„ promissione, obligatione, & contractu, seu
„ contractibus, & pœna apposita in eisdem in
„ tantum, in quantum eisdem, vel alicui eo-
„ rum, vel suis heredibus tenerentur, absolvi-
„ mus, & absolutos esse volumus ipso jure, ita
„ quòd ad ea præstanda eisdem, vel alicui eo-
„ rumdem, vel suis heredibus nullatenus te-
„ neantur. Prædicta autem bona prædictæ Com-
„ munitatis, & personarum ejusdem, & homi-
„ num infrascriptorum, ac etiam aliarum per-
„ sonarum, de quibus superiùs facta est men-
„ tio, cujuscumque conditionis existant, jura
„ etiam realia, & personalia servitia ex qua-
„ cumque causa, titulo, vel obligatione eidem
„ Civitati Paduæ, Communi, vel personis di-
„ ctæ Civitatis, ac etiam hominibus infrascrip-
„ tis, seu alicui ipsorum, vel etiam Officialibus
„ antedictis competentia, quocumque modo
„ (e) contrasistentes, & in fiscum Romani Im-
„ perii incorporantes. sententialiter in his scrip-
„ tis. Ab omnibus autem pœnis prædictis exci-
„ pimus illos omnes, qui essent de nostra fami-
„ lia, & illos, qui sunt exules à dicta Civitate
„ ratione partis, vel fidelitatis nobis exhibitæ,
„ quorum familias, & bona, & quos familiares
„ nostros, & exules fideles, eorumque familias,
„ & bona à dictis sententia, pœnis, & bannis
„ eximimus, & sub protectione nostra, & Ro-
„ mani Imperii reservamus. Nec non illos no-
„ stros, qui jam ad mandata nostra venerunt,
„ & sunt, vel qui intra duos menses proximos
„ subsequentes ad mandata nostra, & Romani
„ Imperii re vera, & præcordiali, & fideli di-
„ lectione studuerint pervenire. Præmissa au-
„ tem omnia, & singula facimus exigente justi-
„ tia, & bono Reipublicæ requirente, ex certa
„ scientia, & de nostræ plenitudine potestatis,
„ supplentes tamen defectum, si quis forsan in
„ processibus propterea factis foret habitus ob
„ aliquam juris solemnitatem omissam, aliqui-
„ bus legibus, aut gratiis sub quacumque for-
„ ma verborum concessis, etiam si de ipsis, vel
„ eorum aliquo toto tenore de verbo ad ver-
„ bum oporteret in præmissis fieri mentionem,
„ quæ

(r) *In P.* adjudicandi.
(f) *In P.* fuerint.
(t) *Cod. Amb.* assidendi, *sicut & infra.*
(u) *In R.* præfatum.
(x) *In R. & P.* alterius sublimis personæ XX. librarum &c.
(y) *In V.* eorumdem.
(z) *In P. & R.* & rebus, & ipsas res.

(a) *In R.* satisfacere aliàs præsumant.
In P. satisfacere, vel præsumant quomodolibet respondere.
(b) *Cod. Est.* Judicii compellantur, *& ita Amb.*
(c) *In R. & P.* Castra, Villas totius Rom.
(d) *Ita R. & P. Ven. verò* ad aliquam pœnæ, vel rerum præstationem, *& ita Cod. Est.*
Aliquem *vero*, *pro* aliquod, *ex more seculi.*
(e) *Cod. Est.* consistentes, *& ita Amb.*

Digitized by Google

,, quæ contra præmissa, vel aliquod præmisso-
,, rum possent quomodolibet (f) objici, & op-
,, poni.

RUBRICA VIII.

Conquestio Paduanorum de Cæsaris sententia.

INcussit Paduanorum animos tanta in se Cæsaris animadversio, tamque diræ pronuntiationis asperitas, magìsque Seniorum Ordines, qui adhuc acceptæ cladis à Friderici de Stoph infanda tyrannide (a) memoria non abolita, veluti facti nova (b) imagine torquebantur. Eademque & filiorum, ac nepotum conquestio paterna, avitaque monimenta reminiscentium, hæc non ob aliud sibi contigisse dijudicantium, nisi quòd Canem Grandem adinstar (c) infandissimi Eccerini de Romano ad se vorandos non excepissent, ob idque in ostio Vicentiæ ab Cæsare positum, ut in Ovile improvisis pastoribus ingrederetur; sic fata poscere, ut tractim longa refecta pace hujusce Imperii flagello alternatim nunc floreat, nunc arescat Paduana Civitas. Ad hæc habilem Canem Grandem Vicentiæ (d) Vicarium, juvenem insolentem, in tyrannide natum, educatumque, nunc (e) adultum eorum adipe saturandum, incrassandum. Querebanturque, insertas huic damnationi causas juxta adversantium libitus præter veri existentias, ut scilicet Cani rapaci, non Imperio rebelles se opposuerint, quibus moriendum erat, si vicinitatis patientia, ut per fines contiguos luxuriasset, acquievissent. Ipsi enim antiqui novique odii rancore in invisos, & ipse illis exosus stimulabatur. Nec cum Longobardis conjurasse ad rebellionis excessus: sed potiùs perterritos tanta crudelitate, metus instantis exemplo ad sui tuitionem erexisse animos, dum accepto jugo mansueti Paduani millia Florenorum centum, quibus victa Brixia cessit, ut pacem coëmerent, persolvissent, ab Cæsare pacem non emerant. Si Canis suis esset moderator habenis, fundos, Castra, prædiaque Paduanorum, quorum non quota pars in Civitate, finibusque Vicentiæ sita erant, daturus erat Canis civibus Paduanis in suo libero judicio. Ipse merus executor in Cæsaris tribunali, in concivium Vicentiæ Paduanorum capita jus dicturus, cujus exemplo (f) parituri Longobardi electis Vicariis hujuscemodi è tantorum multitudine subjectorum. Hæc indigna, inhumanaque, nec omnino tolerabilia Christicolis.

RUBRICA IX.

Concrematio Veronensium Agrorum à Portis Veronæ usque in Paduanos (a) fines ab Orientali, & Meridionali partibus (b).

HIs, aliisque Paduani exacerbati molestiis in Canem hunc sæviendum, propulsandumque concretis in unum viribus Senatu numeroso mille virorum censuere, experiendumve ferro, utra sit partium validior potentia, an Canis, cui triplex Civitas copias administrabat, an extensa ad extremum fulcimentum, experimentumque Paduana nullius suffulta adjumento Communitas. Accitis ergo in Urbem ruriculis, quibus jussa vehiculorum, fundibulariorum, leviscque armaturæ ad bella instrumentorum obsequia, magno fremitu, armorumque fragore centuriatis Militum, Civium, Mercenariorumque ordinibus XI. Kal. Julias ad Estensem Coloniam copias eduxere, summoque sequenti diluculo in Castro Montagnanæ recollecti in diem tertiam per Veronenses fines migrantes, dum jam vesperasceret, in Villam Arculis insultum magna vi, tumultuosisque clamoribus fecere. Dumque ad tutelam loci dispositi, qui in eo præsidio erant, per missilium jactus ad valla per summos aggeres insultantes pedites propulsarent, desilientes equis milites, in foveasque descendentes, fixis in aggeris crepidine mucronibus, raptim ad vallum cum interioribus manus conserebant. Sed territi Arculenses instantis aggressus pertinacia, signo receptui per loci Capitaneum dato, Castello destituto, incensoque ponte, qui Alponis fluentum complectebatur, fugam arripuerunt, trucidatis tamen duobus & triginta, qui insecutione repentina Paduanorum tardati, substitere. Capti ferè totidem. Paduani primo successu alacres Castra per (c) Arculis ædes disposuere. Nec remissi abeunte nocte, ante Luciferum, eductis aciebus per latissimum callem, & ditissimas Blundarum, & Porcillis, ac Villarum oras, quæ cis Aticem longa pace incolebantur, in ampla pascua descendentes ad Sancti Martini Bonalbergi vicum venêre, nec quicquam vasti in itinere ipso facientes ad Urbem Veronæ magna gratulatione signa direxere. Cùmque ad suburbanum, ubi Sancti Michaëlis Basilica erat, permeassent, fixis aciebus ante Veronæ conspectum, Vinciguerram Sancti Bonifacii Comitem cum stipendiariorum cohorte ad portas Urbis currere permisere. Is Veronensis exul erat, cujus pater, avusque Urbe pulsi longo ab ævo Urbes, & loca pererraverant. Penetralia Civitatis plena timoris erant, vixque Fridericus della Scala, qui Potestatis vices pro Cane consanguineo gerebat, ad portas claudendas instante metu suffecit. His qui citra Aticem amnem, qui Urbem interfecat, ultra pontem diffugientibus, thesauros, carosque penates cum parva sobole, & carioribus pignoribus advehentibus, ad salutemque trahentibus. (d) Verumtamen tantæ tutelæ memor Fridericus, prævisusque fuit, qui in portarum obice ex transverso plaustra annecti jusserat, excludique nonnullos ex peditibus stipendiariis, qui lanceis longis, ac ballistis, ne ignis portis suppositus illas accenderet, veluti morti devotos, prohiberent. Hi insultum, quibus valuere viribus, lacessiti, impulsique sustulere, Vinciguerra Comite eos adoriente, impetenteque, qui coacti insultantium invasionibus plaustra partim transilientes, ad septem & viginti numero confossi sunt. At Bornius de Samaritanis Bononiensis, Paduanorum Potestas, dum hora declinantis Solis regressum appeteret, nec

(f) *In P.* objici, vel opponi.

(f) *In R.* pariter Longobardi electis Vicariis hujuscemodi erratorum multitudine.

NOTÆ AD RUBRICAM VIII.

(a) *In V.* memoria veluti facti, *aliis omissis*.
(b) *In R.* imaginatio.
(c) *In P. & R.* nefandissimi.
(d) *In R.* Vicarium invenere insolentem.
(e) *In R. & P.* adultum adipe saturandum.

NOTÆ AD RUBRICAM IX.

(a) *MS. Amb. addit* & Vicentinos.
(b) *In epitomatis desiderantur hæc* ab Orientali *usque ad finem*.
(c) *Cod. Est.* per ipsas Arculis, *& ita Amb.*
(d) *In R.* Verumtamen tutelæ memor.

Digitized by Google

nec ut Civitas oppugnaretur (e) primi fuisset propositi, non advectis longioris temporis sarcinis opportunis signum recepturi dari jussit. Tum per horæ spatium exaudiendus (f) inter Urbis mœnia tubarum clangor expectantium acierum præconium obstrepuit, & qui prœlia efflagitabat Vinciguerra Comes (g) cum Paduanorum juvenum certamini insistentium revocatus est. Is dies festus, ac memorabilis Paduanis Sancti Joannis Baptistæ fuit VIII. Kal. Junias Anni Domini XIII. CCC. milleni. Tunc incendiis, rapinis, capturis, occisionibusque repertorum extra mœnia nullus modus. Nam per triduum (h) distinctæ per vias, & colles Paduanæ acies ab ipsis mœniis, sicut distinguit Orientalis pars, gemina dumtaxat Arce dimissa, quæ in apicibus montium Suavii, & Ilasii eminebat, igni, populationique consumsere usque in Paduanos, Vicentinosque fines: diruptaque, ac exusta altissima Canis Grandis palatia, quæ in monte Aureo, Calderio, Suavio, & Ilasio erant. In plerisque quoque locis, præsertim montis Aurei, & Suavii miserabilis repugnantium incolarum (i) cædes, deductique animantium greges, armentaque cum captivis ruricolis in Castra ad Arculem: Ceteros verò fines Athesis latitudo sola defendit. (K) Porrò Castris exustis victores Montagnanam hilaritate multa regressi sunt.

(e) *In V.* primi fuissent oppositi.
(f) *Cod. Est.* intra.
(g) *Videtur desiderari* manu, *vel quid simile.*
(h) *MS. Amb.* districtè.
(i) *In P.* ædes.
(K) *In V.* Porrò in Castris, *fortè pro* Porrò inde Castris.

Albertini Mussati Paduani de gestis Henrici VII. Cæsaris Liber Decimusquartus explicit.

ALBER-

Digitized by Google

ALBERTINI MUSSATI
DE GESTIS
HENRICI VII. CÆSARIS
LIBER DECIMUSQUINTUS.

RUBRICA PRIMA.

Prœlium inter Comitem Goritiæ, (*) Paduanos, & Tarvisinos ultra Plabem apud fluvium Montegnani.

AVertit Paduanorum conceptus novum à finibus Tarvisii juramentum, quod diu ante magno ære molitus Canis Grandis, Cæsaris quoque intercessione sibi quæsierat, Henricum scilicet (a) Aquiliciæ Comitem Cæsaris accitum Legatis, susceptoque ab ipso Cane ære cum Sclavorum, ac Teutonicorum, nec non Forojuliensium multo agmine transitum à Tarvisinis, ut ad Canem Grandem in ejus subsidium migraret, petiisse, Sacilique jam copias aggregasse, in cujus comitiva advenerant pars dati æris mercede, pars amoris gratitudine. Hi oræ Sclavonicæ, Tirolis, ac Fori-Julii Duces, ac Primates. Ipse quidem Comes Aquiliciæ cum galeatis militibus duobus & octuaginta, ballistariis equitibus sex & quinquaginta. Comes Avuciburc cum galeatis octo & viginti, ballistariis equitibus duodecim. Comes de (b) Auforborc cum galeatis sexdecim, ballistariis octo. Dominus Ratimborc cum galeatis quinquaginta, ballistariis viginti novem. Dominus Saffenborc cum galeatis decem octo, ballistariis sexdecim. Dominus (c) de Guisinich cum galeatis viginti duobus, ballistariis decem octo (d) Dominus de Ovestam, & Dominus de Stofemborc cum galeatis centum viginti septem, ballistariis (e) sexaginta. (f) Dominus Clanic cum hastatis (g) quatuordecim. (h) A Didimo Doymo Comite transmissi hastati quinquaginta. A Babanico Comite septuaginta. E Foro-Julii galeati septuaginta septem, aliique hastati milites sexaginta, aliique in equis minoribus plebejorum per easdem oras aggregatorum sex millia fidelium. Acceptis igitur à Tarvisii Communitate literis, Paduani, collectis extemplo signis, ad Urbem iter dirigentes ex suis mercenariis militibus CCCC. trans fluvium Plabis ad Montegani fluvii ripas, unde hostibus transeundum erat, direxere, ipsique magnis militum, peditumque copiis Castra Bassiani, & Cittadellæ trans Brentam, ut convenire cum

A fiduciariis Cani Grandi denegarent, muniere: nec minus Urbi, ceterisque municipiis, ut propterea in tuto essent, providêre. Tarvisina Civitas in statum communem post positum (i) Vecili de Camino dominium redacta, magnis inter Primores & plebem simultatibus agitata per multos anfractus versabatur. Plebs in insignes obstinata, quòd illam illi parvipendere assuefacti, (K) præteriti dominii fiduciis, quas nondum præcordiis posuerant, increscens jugiter in eos odium coalebat, (l) simulabatque gravibus, onerosisque plebiscitis. Inter hanc plebem factiosi, & nonnulli erant Imperialis partis amore veteri imbuti, qui incalescentes ad insignium exagitationes identidem ceteros
B incitabant. Insignes verò assiduè his stimulati, ut injectas in se ignominias propulsarent, mansuetudinibus multis per conventus, & conciones fiducias captare satagebant, quæ omnia (m) ad contrarios conceptus superstitiosos plebejorum animos ferventiùs accendebant. Ea Primorum nobilitas antiqua Ecclesiasticæ, seu Gelfæ partis factione alita erat, in qua vivaciter persistebant. Sic disposita Tarvisina Communitas certatim multis ante disceptationibus subsidium à Paduanis poposcerat. Criminabatur per susurria in privatis publicisque locis Plebs Nobiles, quòd, ut sibi dominia Urbis quærerent, utque Gibolengos, plebejosque Urbe pellerent, Paduanos allicerent, non prorsus, ut à Comite
C Aquiliciæ, seu hostibus illos tutarentur; hocque in ambiguo diffisa, stimulataque Plebs torquebatur, exosos, invisosque Paduanos admodum habens. (n) Vixque potiùs finibus arcendos, quàm perniciosum illorum subsidium quærendum decertans. Vicerat tamen & nobilium instantia, & Comitis Aquiliciæ timor, cujus omnino tyrannidem abominabatur, sed sic admittendos ad idem subsidium Paduanos, ut ab Urbe per passuum millia VIII. abstinerent, nec municipiorum munitionibus receptarentur, ad obvios passus adversùs eumdem Comitem stativa sua ponerent, sint hæc in eorum optionibus, aliàs sibi pro suo interesse consulerent. Non majori acceptatione Paduani, quàm, ut præmissum
D est, trans Plabem secus fluvium Montegani stipendiariorum equitum, peditumque cohortes disposuere. Erat hæc custodia passuum ferè sex mil-

NOTÆ AD RUBRICAM I.

(*) *Melius* Aquiliciæ, *ut in Rubricæ corpore*.
(a) *V. habet in margine, al.* Goriciæ.
(b) *In P.* Autemborc.
(c) *In P.* de Guisimo.
(d) *In P.* Dominus Ovenstam, & Dominus de Steffemborc.
In R. Dominus de Stoffemborc.
(e) *MS. Amb.* XL.
(f) *In V.* Claniæ *sinè* Dominus.
In R. Dominus Clavic.
(g) *Cod. Est.* vigintiquatuor.
(h) *In P. & R.* A Dymo.
(i) *Al.* Guezeli.
(K) *Deest* præteriti *in V.*
(l) *In R. & P.* stimulabatque.
(m) *In R.* ad varios.
In P. ad nostros. *Fortè* novos.
(n) *Fortè melius* Suisque.

Digitized by Google

millibus protensa per quinque exercitus, locisque totidem, quibus patentiores transitus erant, obsidenda. Reliquæ riparum crepidines sui natura hostes excludebant. Divisa exercitibus loca Tarvisinis duo, Paduanis tria cum arbitratu Ducum exercituum, præsertim Tarvisinorum Nobilium, quibus à Communitate copiæ intrinsecæ dissensionis causa non summittebantur, (o) non complexentur facilia hostibus vada (1), è Padua centum, è Bassiani ducenti milites, qui ibi præsidio erant, transmissi sunt; sed transmissi è Padua centum sequenti die in castra venere; hi verò, qui Bassiani insistebant, tardati triduo distulere. Hac (p) fortunæ, casusque dierum intercapedine prœlium immisceri contigit, fumo quidem in specula Cuniglani conspecto indicatum fuit XV. Augusti Kal. ut vada irrumperent, Comitis cohortes adventare ante Solis ortum. Tunc omnes Paduanorum, Tarvisinorumque turmæ e castris prodeuntes ad vada constituta præsto in armis & equis stetere. Sicque diem ferè mediam trahentes, defessi longa mora, per castra resedere. Discumbentibus itaque, abjectis armis, sumtis cibis, ac se se quieti datis, ecce adorientes magno tumultu vadum hostes, quod paucis Tarvisinorum ruricolis custodiendum interim relictum fuerat, uno simul momento præteriere. Strepitu igitur per viciniora stativa exaudito ad arma conclamatum est. Exsurgentes Cortesia de Casalolto Comes Mantuanus, qui stipendiariorum, ac Paduanorum militum, qui in eisdem castris erant, Dux præerat, Matthæus de Colle, Donico Apulus, & alius Burgundio, Antonius de Sangonaciis Paduanus cum sexaginta ferè hastatis mercenariis, ac Paduanis, collatis signis in hos Germanos, Sclavosque, qui vadum præterierant, inexpectatis contubernalium aciebus impetum fecere, ferroque paulisper certatum est, Teutonicis, Sclavisque extemplo terga dantibus. Cùmque CCC. circiter fluvium migrassent tam parva manu pavefacti, ac si ii (q) ferociori agmine in eos irruissent, in unum collidentes magna strage consternati sunt. (r) Tum identidem cædes, majorque concidentium in se se ruina, quàm gladiis, fugaque per passus ferè quingentos ad neces præcipitiaque Teutonicos transversos (s) agebat, (t) quàmque fortuitus sit belli eventus, monstravit ille successus. Nam sexaginta pæne milites Latini trecentos partim stratos, partim cæsos, partim etiam profugos fudere. Cùmque ad fluvii Montegani meatum hoc ruptum agmen devenisset, concidentium virorum, equorumque strages aditum repleverat. (u) Hicque impermeabilis ultro ancipites Teutonicos retrovertit. (x) Versis ergo cervicibus, equisque in obliquum reflexis insecutores sub uno dumtaxat militari signo quadraginta pæne perspexere, stupentesque in se ambigui, quidnam agerent, paululum aggregati substitere, multum pensi habentes, ne latentes adhuc phalanges in abditis locis illos insultarent. Cùm Cortesia Magister militum, qui Paduanæ, Forensisque militiæ Dux erat, nullo

A suffultus adjumento ceterarum militiarum, quæ (ut præmonstratum est) tardatæ castris nondum advenerant, multaque defessus patrata pugna, dextraque manu saucius, signo receptui dato, saluti suæ, suorumque per retrogressum consuluit. Ceteræ Paduanorum, stipendiariorumque catervæ, dum ad certaminis locum diffusim appropinquassent, diffugientes, Cortesiæ signum (y) primo conspectu advertentes, dispersæ laceratis aciebus fugas quæsivere. Tarvisini quoque milites, qui & cum rupto Teutonicorum agmine congressum ab tergo fecerant, Ductore Rambaldo de Colle-alto Comite in Castrum Sancti Salvatoris susceptis profugis Paduanis se contulere. Pars per cetera municipia

B confugere, pars fluenta Plabis armis abjectis enatavere. Teutonici verò tantæ victoriæ inscii, quam fors ipsa contulerat, nullo concursu, insecutioneve, successus qualitate mirabundi, in hostes irruêre. Verùm campo jam vacuo (z) Zambonetus de Capite Vaccæ, & Ugo de Macharuffis adolescentes, qui in certamine equis strati secum perambulabant, ab Teutonicis intercepti sunt, aliique plebei quinque, Marinus de Zacchis aquæ ignarus in Plabe simul cum equo dilapsus suffocatus est. E Teutonicis unus vir egregius Comes de Guisinich captus ad Sancti Salvatoris Castrum deductus est. Cæsa in hoc congressu Teutonicorum, Sclavorumque militum ex insignioribus capita (a)

C duo & triginta, (b) cadaveraque in quadrigis ad propria devecta. Ceterorum ordinis militaris capita sexaginta, quæ Aquiliciæ Comes humari (c) fecit. Sic ergo ferente casu Aquiliciæ Comes hac cruenta potitus victoria, circa Monteganum castra educens, stativis trajectis, dispositisque, per triduum ad depopulandos, qui inter ipsum Monteganum, & Plabem agros erant, milites dimisit, nec inde digressus, quoad & trans Plabem (d) per præcursores per sex ferè dies Colonias, Terrasque Tarvisinorum cremari fecerit, qui nequaquam prohibiti usque ad Spinedam vicum Civitati mille passibus contiguum vastantes omnia concurrêre. Conterriti Tarvisini invasione terribili, Paduanis, ne sese derelinquerent, supplicavere. Nec

D ii segnes non modò Tarvisinorum, sed suis providentes vicissitudinibus CCC. hastatos milites continuò Trivillum, deindeque concedentibus Tarvisinis necessitate cogente, ad Sancti Thomasii Suburbium transmisere, qui in Tarvisinos agros unà cum eisdem, ac pæne jam obsessam Urbem ab iis incursionibus tuerentur. Sed extemplo subtracti Teutonici, Sclavique ab Plabis transitu abstinuere, nec ultra castris insistere meditans Aquiliciæ Comes, omnia, quæ in ejus potentia erant, permensus, affectos commilitones longiori tempore, quàm ipsi à primordio conjectati fuerant, ipseque illis spoponderat, invênit. Nec lautè suppetentibus ad victum

E opportunis, tum quòd æstu, tum quòd gravi fatigatione Plebs repentino morbo interibat, quæ etiam in majores serpsit epidemia. Horum igitur intolerantia ustis castris Sacillum regressi sunt

(o) *Fortè* nec.
(1) Doctissimus scholiastes pro, *non*, reponendum censet, *nec*. Probo. Sed nostram commentationem improbatum iri non puto, qua pro illo, *non*, substitui posse credimus, *& ne*. Et paulò post, *fluvium migrantes*, dicendum fuerat, *trans fluvium*: quia verbum, migrare, transitivum non est, nisi cùm translationem significat. *Villanus*.
(p) *In R.* fortunæ casus intercapedine.
(q) *Cod. Est. & Amb.* fortiori.
(r) *In P. & R.* cùm identidem cedes majorique.
(s) *In V.* agebant.
(t) *In R.* quàmque fortuiti sint belli eventus.
(u) *Cod. Est.* Tuncque.
(x) *In V.* Versis quoque.
(y) *In P.* primò datum conspectu.
(z) *In P.* Jambonetus.
(a) *In Cod. Amb. deest* capita.
(b) *MS. Amb.* cadavera, quæ in quadrigis.
(c) *In P.* præcepit.
(d) *In P.* per cursores.

Digitized by Google

sunt V. Kal. Augusti Anni Domini Millesimi CCC. tertii decimi. Indeque soluto exercitu insignium consociorum sua quisque repetiit. Interea Cæsaris Legati blandis cum Tarvisinis sermonibus, pollicitationibusque tradendæ, conservandæve pacis, id dumtaxat obtinuere, quòd in fidelitate Imperii persisterent, dum nullis arctati eligendorum Rectorum legibus, nisi in suis optionibus, nullisque vexati exactionibus impeterentur. Quibus ægrè contenti Legati discessere.

RUBRICA II.

Confœderatio inter Paduanos, & Tarvisinos.

PORrò ante Paduanorum regressum, qui adhuc in Sancti Thomasii Suburbio ad præsidium stabant, de confœderatione inter utramque Communitatem agi cœptum est, sollicitantibus ad id Plebem insignibus, quòd saluberrimum foret contiguas Civitates paribus viribus se juvare, hostes utrinque propulsare, in una amicitia persistere. Verbis itaque ab singularibus collatis ad conventus publicos Tarvisii, Paduæque, hæc educta, decretaque sunt subjunctis juramentis. Idem corpus esse, idemque velle, ac nolle. Hinc adversùm Aquiliciæ Comitem, inde adversùm Canem Grandem, deindeque in quoslibet adversantes adjecto uno solo ad verbalem Tarvisinorum excusationem, qui pridie Imperatori parêre adjuraverant, articulo, ut persona Imperatoris excepta sit, verbo. Quibus Paduani facta verbis præponderantes assensere, nihil interesse curantes, dum idem in Canem Grandem, hostesque quoslibet sit servitiorum effectus. Sic solemni compagine fœdus utrinque juratum est Non. Augusti.

RUBRICA III.

Subsidia Longobardis à Roberto Rege transmissa.

APud Longobardos Simon de Villa ad Parmæ præsidium cum CC. militibus ab Roberto Apuliæ Rege transmissis profectus est. Ugo de Albasio Alexandriæ, & Pedemontis pro eodem Roberto Senescalcus cum Regia, Alexandrinaque, & Pedismontis militia ducto per Lomellinam exercitu Garlascum obsedit, ubi collectis undecumque copiis, evocatis Bononiensium, Cremonensium, Reginorum, Parmensium, ceterorumque Longobardorum amicis, se Mediolanum obsessurum despondit. Tunc erecta Turrianorum pars è Civitatum Longobardiæ allectis amicis, ex Mediolanensium finium Municipiis, ac Coloniis, necnon & ex ipsius Urbis penetralibus ad Maphæum Vicecomitem invadendum vires collegit, quæsitis, impetratisque ab Roberti Apuliæ Regis Vicariis, ac Principibus undecumque suffragiis, constitutis ac præordinatis cum Gelforum omnium Provinciæ, complicibus ad dies certas motionibus, quo magis perplexos Maphæum, Cæsarisque fideles circumvenirent. Sicque tota Longobardiæ Provincia ad ingentes motus, quàm primùm sata flavescerent, disposita armorum fragoribus obstrepebat.

RUBRICA IV.

Prodigium.

HOc Anno XIII. post Millesimum CCC. conjunctis XVI. Kal. Majas in signo Geminorum Jove, & Venere post diem quartam subsequentem nostro in Climate sub crepusculo Cometes apparuit, eo primò conspectus situ, quo Sol, dum vesperascit, ad Oceanum vergit. Cujus crinita cauda specie (a) subalbi fumi ad viginti pedum mensuram portendebatur ad Occidens. Isque XX. jugiter dierum diminutione quotidiana consumtus est.

RUBRICA V.

Captio Suncini per Cremonenses, & Gelfos Longobardos, necnon Castri Sancti Bassiani.

EXhortati prosperis successibus Cremonenses cum Reginis, Brixiensesque exules cum Pergamensibus, Laudensibus, ac Cremensibus exteris multis populationibus Civitatum agros, quæ Imperio favebant, incendiis exterminabant, ad quos assiduis victoriis potiuntes Suncini municipes ii, qui extra arcem Oppidum tenebant, defecere. In quod ingressus Passarinus della Turre Reginorum Potestas cum Cremonensibus, & Reginis, continuò Arcem obsidione premebat. Ac demum sexta die, post VI. scilicet Idus Majas, qui pro Cæsare in Arcis præsidio erant, desperatis rebus, fameque vitas pacti cum captivorum Gelforum, qui in ea diu marcuerant, deditione, Arcem Passarino reliquere. Inter captivos fuere ex memorabilibus Georgius de Zoppo Pergamensis, & alter Sandrini de Rivola frater, Johanninus de Ponzonibus Cremensis, aliique, qui captivati per Guarnerium de Ocmborc Præsidem Cæsaris in Arce ipsa supervixerant. Mirumque, inde quanto victoriæ favore (b) vetera municipia dedentibus incolis sponte ad victores eosdem defecere. Inter quæ & Sancti Bassiani Castrum.

RUBRICA VI.

Novum in Placentia movimentum.

NOvum in Placentia movimentum exortum est circum Julias Kal. Dum Placentini Cives, qui in Castro Sancti Johannis erant, placandorum concivium, litiumque causâ, quæ inter partes eorum absentia (c) ad Civitatem venissent; seu, ut quid novi molirentur, quod ignoratum est: seu etiam, ut visione Urbis recrearentur: Ceteri, qui Imperii partem jugiter tenuerant, ad arma concurrêre, totaque inde Urbe concussa, impotentiores Gelfi ad idem Sancti Johannis Castrum repentè secessere. Galaaz Maphæi primogenitus illò subitò profectus, ut in tuto res esset XII. è Majoribus, VI. pro Alberti Scoti parte, totidemque pro Ubertini de Lando (ii enim Capita eorum erant) Mediolanum relegavit. Diffisus & Alberto Scoto Viro in constantissimo, quamquam partes ejus diutiùs tenuisset. Iique fuere relegati, Albertus ipse Scotus, Rolandi Scoti filius major natu, Zaninus Scotus cum Gelfo filio, Petrus de Anzi-

(a) *Fortè* subalbidi.
(b) *Cod. Est.* cetera, *& ita in Amb.*
(c) *Fortè* Ortæ erant, ad Civitatem.

zipegis. Hujus relegationis diffidentiâ multi Gelforum Placentinorum Civitate destituta ad Florentiolæ, Arquardi, & cetera municipia confugientes, ibidem se rebellioni coaptavere. Placentiæ Civitas in Cæsaris parte liquidior mansit.

RUBRICA VII.

Exultatio Gelforum Longobardorum ob adventum Principum Regis Roberti Apuliæ.

PEr hos dies multâ lætitiâ Gelforum Longobardorum pars exultavit, ut Thomas de Marzano Apulus Provincialis, Roberti Apuliæ Regis Senescalcus, Vicarius in Pedemonte contubernio (a) quinque centum Militum, multorumque Peditum in Longobardiam (b) vênit. Qui Maphæo Vicecomiti, ceterisque Cæsareæ partis complicibus exitia pollicitus, ad se in Papiam Gelfos concire destinaverit. Exultatio hæc non mediocriter Cremonenses, Brixienses exules, ac ceteros ejusdem consortii extulit, terruitque ea fama Gibolengos. Siquidem Gelfis Fortuna, rerumque experientia felices successus administravit, quos & ipsi sibi viribus conquisivere.

RUBRICA VIII.

Defectio Martinengi ad Gelfos, & expugnatio Terenzani.

NAm VIII. Idus Julias dedente Lotorengo de Martinengo, qui præsidio Castri Pontis-Vici pro parte Cæsaris erat, in eorum manus devênit. Qua freti fortuna (c) insultu valido in Terenzani Coloniam fortissimam, ditissimamque vi multa illam obtinuere, victis conflictisque cum multa strage Colonis, cæsisque subsidiariis militibus C. quorum præsidiis defensa fuerat, quique atrox bellum finitimis intulerant. Inter quos & nonnulli ex intrinsecis Brixiensibus obvenere, qui, paucis ex eis captis, in eadem internecione occubuere. Incolæ Terenzani septingenti, qui Urbi eatenus paruerant, ad extrinsecorum obedientias placati sunt.

RUBRICA IX.

Defectio ad Gelfos Paterni, Passirani, Boadi, Cocalii, Bornadi, Calini, Herbusci, Tremadi, Zizagi.

SEd eadem plures successus Fortuna accumulante Victoribus, per eosdem ferè dies Castella hæc ruralia vi, ultroque ad eosdem, ad ea magno impetu prosilientes, defecere, Paternum, Passiranum. Boadum, Cocalium, Bornadum, Calinum, Herbuscum, Tremadum, Zizagum, & ferè quæcumque Occidens versùs sub Brixiensium finibus incolebantur, extrinsecorum mandata suscepere.

RUBRICA X.

Insultus Galaaz Maphæi Vicecomitis filii ad Parmæ Suburbium.

GAlaaz quoque cum multa magnaque Mediolanensium, & Germanorum cohorte ad Sancti Donini Burgum accedens, (d) inde ad Sancti Ilarii vicum, qui Civitati Parmæ contiguus est, processit. In quem ingrediens, concitata turbataque Urbe duarum ferè horarum moram traxit. Gibertus de Corrigia ad plateam prosiliens itidem substitit, ea Urbis porta, ad quam hostes persistebant, aucta præsidiis, dum Galaaz Burgum populatus abscessit. Utque hostibus digressum viarum arctatione turbaret, cum militum manu eos insecutus est. Nec frustratus proposito. Nam quinque & viginti itinere tardatos intercepit, qui gladio mox obtruncati sunt.

RUBRICA XI.

Captio Trivilati.

UNdecimo verò Kalendas Septembris Brixienses exules occupavere Trivilati Castrum, in quo munitione majori sublocantes præsidia ad portas Urceorum tumultu strepitu-que ingenti concurrere, unde animalia, captivosque consumtis incendio exterioribus ædibus deduxere. Dumque nullis intermissionibus ad hostes fatigandos intenderent, aciesque per Brixiæ campos educerent speculatorum intrinsecorum equitum (z), quos fortè versùs Boadum præcurrere jusserant, exteriorum, ac militiæ Cremonensis præcursores obvios cominus repentino visu invenere, inter quos congressu facto victi cessere, intrinsecis duobus occisis, duobus captis simul, Bono de Prando, & Rambaldino de Buciis.

RUBRICA XII.

Conquestio Brixiensium intrinsecorum.

HIs deinde Cursoribus (e), quos populabundi exules per Brixiensium agros (f) importuna instantia frequentabant, pæne obsessa Civitas, plebejos ad susurria divertit pejora pati, quàm Cæsare mœniis insidente, dum illos muris inclusos rarior suorum pernicies intermissioribus luctibus afficeret. Singula tunc certamina in eorum optionibus fuisse, & in Germanos tantùm; nunc assidua & in concives, ac consanguineos; fore (3) munitos eo tempore pro facti opportunitate præmeditatâ diligentiâ; unam solam ex victus deficientia mortem tunc (g) superasse infestiore eventu; Nunc singulos dies egredientium ad omnium usualium rerum quæstum singulorum neces eos afficere; nunc longinqua de Tuscia ab Cæsare omnibus pæne adversis circumscripto, vel de Alemannia trans Al-

(a) *Cod. Est.* sex centum.
(b) *MS. Amb.* venerit.
(c) *Intellige* facto.
(d) *In P.* in diem.
(z) Videtur deesse, *turmæ*, vel *cohortes*, vel quid simile. Aliter nec ea verba, unde regerentur, haberent; & jure ambigeres, qui nam victi recessissent, Cremonenses, Brixiensesve. Sed meliùs est, & magis consonum iis, quæ sequuntur, si legas, *speculatorum intrinsecorum equitum turmam* &c. ac deinde inferiùs, *inter quos congressu facto, victi cessere intrinseci, duobus occisis* &c. Sic enim syntaxis bene se habet, & ambiguitas omnis removetur. *Villanus.*
(e) *In P. & R.* His deinde incursibus.
(f) *Iid.* importuna instantique.
(3) Videtur posuisse, *fore*, pro, *fuisse*. Sed & sæpe alibi hoc verbi est abusus: cujus vim intellexisse minimè videtur. De hoc quoque in posterum ne γεῦ quidem. *Villanus.*
(g) *MS. Amb.* speraſſe.

Digitized by Google

Alpes altissimas à Germanis rerum desperatissimis, Brixiamque abominantibus, remedia expectare: Malè illis hunc odisse Cæsarem, pejus dilexisse: in Nobiles blasphemias fundere, quòd civili intestinoque bello ab stirpe omne Brixiensium genus nullo ævo reparabile consumant, interimantque. Præterea, quòd bello illo cum Cæsare fama præpollens de Brixiensium fortitudine Mundum mirabundum replesset, nunc hæc veluti lues, & livor, ut se se edentium Canum, egregia gesta deformat, versaque nostra est in rabiem fortitudo. His sub querelis, & ecce Rizolinum de Cazago, & Venturinum Rivoli mercatores ad Urbem usualia vehentes ab extrinsecis cum quibusque mercibus captos fama verax allata est.

RUBRICA XIII.

Maphæi Vicecomitis provisio contra Mediolanensium præsumptiones.

MEdiolanum summa Maphæi Vicecomitis circumspectione, filiorumque præstantiis, in Cæsaris fide stabili constabat, quamquam & Gelphorum Longobardorum hostilitates, auctique successus eos, qui Turrianæ factionis erant, taciturnique obmutescerent, in tantum jam extulissent, ut concionanti Maphæo, hortantique Mediolanenses, ut se ab usurpare Urbem, ædes, & cetera conantibus, defensionibus coaptarent, nonnulli hiatus proferre ausi fuerint (4), ut usurpator ipse fuerit, in locis publicis, & privatis dictitare. Eosque ausus non temnens Maphæus, ne ij, captatis forsan opportunitatibus, ferventiùs insolescerent, è Pergamo subsidiarios milites CCCC. peditesque totidem conscivit ad Pergami præsidium, ex Coloniis ripæ Aduæ interim terrigenis substitutis: hæc quidem circa X. August. Kalendas. Sicque Maphæo, Natisque cura pervigil Civitatem tutari, hostem propulsare, penetralia Urbis expurgare, ausus, præsumtusque factiosorum, metu, lenitateque competenti comprimere, emendare. Nec illis simulandi, dissimulandive ad tempus cautelæ deerant, nec generosi ad omnes casus animi, amicos Pergamenses, Placentinos, Laudenses, Cremenses, Veronenses, Mantuanos, Brixienses hortari, literis sollicitare, ut se se intra mœnia contineant, bonis sint animis, Inclytum Imperatorem repentè prosperari, omnia ad libitum cedere, iis exulibus, uti sinè capite membris, destituendis, ut crevere, sic & exinanire brevi.

RUBRICA XIV.

Captio Vezanegæ per Gelphos.

NEc segnes Cremonenses adversùm hæc omnia conantes, aggregatis copiis in Colonia Coni Cremonensium finium cum complicibus Brixiensibus, Pergamensibus, & Contubernalibus Gelphorum undecumque exulum ad Vezanegam se contulere. Terra hæc IV. millibus ferme passuum ab Urbe Pergami distabat. Hanc Pergamenses interiores militibus LXX. mercenariis hastatis cum equis duplicibus, centumque & LX. Lancearijs peditibus obtinebant. In quam Passarinus della Turre militiarum Dux tumultuoso discurrens impetu, fortissimam vim attulit, quosque ad fovearum, vallorumque discrimen adjiciens, atrocique conflictu contritis intrinsecis, irrupit in eam, cæsis hoc ingressu circiter quinquaginta, ceteris captis cum Terræ omnibus incolis, prædaque pingui omnis gregum armentorum generis victoribus distributa, venditis sub hasta captivis, nec minùs ædibus cum quibuscumque Terræ substantiis incendio crematis. Sequenti luce Stezanum properantes, impotens tanti impetus parvo certamine victoribus cessit. Ustumque, omnique exutum virorum, animaliumque rapina relictum est.

RUBRICA XV.

Defectio Florentiolæ, & Castri Arquadi ad Cremonenses.

HIsdemque diebus Florentiola, Arquadi Castrum, ceteraque municipia Placentiæ, quæ Civitati bellum agebant (a) dedentibus Gelfis, qui in eis se contulerant, ad horum, Communisque Cremonæ dominia defecere, in ipsorum fidem adjurantes. Rubechi quoque Castrum fortissimum municipibus se iisdem victoribus applicantibus Cremonæ accrevit.

RUBRICA XVI.

Defectio Turris Sigibaldi ad Gibertum de Corrigia.

FEliciorque (fuit) sors accumulata victoribus. Nam Turrim Sigibaldi quinque millibus passuum ab Urbe Parmæ distantem Girardus de Sancto Michaële Parmensis exul, qui factione Rubeorum Parmensium rebellium, eorum jussu fideque custodiendam spoponderat, Giberto de Corrigia, rupta suis fide, proditione tradidit. Turris hæc LXX. ex necessariis, amicisque Giberti captivos sub Rubeorum coërtione tenuerat, inter quos reperti, qui supervixerant V. & XXX. Nobilium, ceteri ex non inferioribus Parmæ plebeis, nec hos paulò ante redimi XIV. millibus florenorum aureorum (b) contenti Domini captivorum. Ingens quoque lucrum equorum, armorumque inde sublatum est. His sic prosperè gestis ad Herbusti Castrum se contulere victores. Hoc tantum commodi harum actu rerum potitus est Nicolaus de Lucio Paduanus, quòd pedetentim Mantua digressus ad procuratum sibi per Canem Grandem Pergami Vicariatum per Brixiensium Municipia (c) tandem Pergamum se proripuit.

RUBRICA XVII.

Exercitus Gelforum, (d) & congressus inde facti, ac demum captio Comitis Philipponi de Langusco.

PORrò pars hæc Gelforum Provinciæ Longobardiæ victoria sic exuberanti potita, majori agmine coactis in unum viribus, accersito Philippone Comite de Langusco, affluentibus mi-

(4) Pro, *obmutescerant*, corrige, *obmutescebant*, vel *obmutuerant*. Et post, *ausi fuerint*, addendum videtur, *&*, vel, *atque*, copulæve aliud genus. *Villanus*.

(a) *In margine P.* dedentibus, *idest* se dantibus victis Gibolengis victoribus.

(b) *Intellige*, fuerant.

(c) *Cod. Est.* Municipia vagabundus tamdem, *& ita Amb.*

(d) *In epit.* Gelforum Placentiam, *& ita Cod. Est. & Amb.*

Digitized by Google

militum peditumque copiis ad titubantem Placentiam perambulavere, secusque suburbia dispositis castris, intenti sollicitique obsidioni stetere. Accidit quoque sic rerum successum divertente fortuna, ut dum Philipponus agmine longiùs dimisso ipse cum parva militum manu suburbium ingressus, multâ fiduciâ, armis positis per ædes discubuisset, qui intra mœnia erant, à summæ turris speculatore edocti distantem à suburbio exercitum cognovere, nec dum acies ceteras accessisse. Cùm Galaaz Maphæi, qui ad tutelam Civitatis hesterna die venerat, cum intrinsecis Placentinis erupit insultum in incautos faciens, nullis, aut parvis repugnationibus vicit. Tunc pedes, & inermis captus Philipponus cum quinquaginta ferè ex Placentinis extrinsecis, qui è Castro Sancti Joannis rebelles ad id loci cum Philippone se contulerant. Cæsis ferè totidem è Comitis ejusdem familiaribus, sociisque Papiensibus, signum militare unum Comitis Mediolanum ad spectaculum relatum. Tumque Simoni della Turre, reliquisque, qui in eadem expeditione erant, Cremonensibus, Pergamensibus, Brixiensibus annuntiata clades (5) mirabundis, stupefactisque, quonam modo conflictus ille adeò repente contigerit, solutis copiis nihilominus ad sua quique reversi sunt. Distulitque illorum propositum coëundi ad Mediolanum insultandum, laxavitque Maphæi Vicecomitis obsidionem expectantis fiduciam ea Philipponi oppressio, quodque ab Regiis Senescalchis accepere per literas, eos ad excidium Marchionis de Salucio sollicitos, quem propè convictum in Pedemontis Castellis obsidione premebant, nec inde prorsus discessuris, nisi omnibus privatum confusumque viribus intercipiant, & veluti Majestatis Regiæ Roberti sui Regis proditorem ultimo afficiant supplicio. Stantes igitur per Municipia Civitatum Gelfi atrox bellum inferebant, ut nullis tutus per Longobardiæ fines meatus foret, invariabilesque incursus assiduè per Septembrem, & Augustum transeuntes afflixere, capturis, rapinis, occisionibusque variis; nec à Venetiarum Mari per Liguriæ, & Æmiliæ fines, à Lunæ jugis, quantum Longobardiæ nomine includitur, in Alpes, quæ in Alemanniam vehunt, ullus liber aditus. Per hos dies Castrum Bercedi, in quod ingressi Teutonici, qui è Germania ad Cæsarem migrabant, in Terrigenas insævientes furore solito stupris ac violentiis vexabant, verso in eos furore, & contumeliarum intolerantia, ad Gelfos defecit, cæsis ex eis circiter quinquaginta, ceteris fugæ remediis secedentibus Anno Domini nostri Jesu Christi (*) CCC. millesimo. Papienses captione Philipponi patefacta, Gherardinum tertium Philipponi natum, ut Papiæ præesset, extulere, ferventioribus animis ad bellum Mediolanensibus, Placentinis, ceterisque Imperatoriæ partis inferendum. Contigit quoque pæne per hos dies, Vogariensis cum Papiæ exulibus ad incolas Castri Pezedi clandestina factione Potentiorum ad ipsum Pezedum in deditionem suscipiendum incedere magno apparatu, Gelfosque de Basegnana nonnullorum indagine præscios in eos præconstituto insultu multa vi irruere. Vogariensis insultus improvisi extemplo terga dedere, continuataque in eos strages usque in fluminis Tanari ripas, ubi extrema illorum consternatio, cæsis ferè ducentis, totidem captis. Inter captos Muscetus Manfredi de Beccaria filius, & Papiam adductus.

(5) Hic rectus regi non potest, nullo scilicet verbo suffultus. Sed bene cum syntaxi agetur, si pro, *clades*, reposueris, *clade*. Villanus.

(*) *Cod. Est.* XIII. CCC. *& ita Amb.*

Albertini Mussati Paduani de gestis Henrici VII. Cæsaris Liber Decimusquintus explicit.

ALBER-

Digitized by Google

ALBERTINI MUSSATI
DE GESTIS
HENRICI VII. CÆSARIS
LIBER DECIMUS SEXTUS.

RUBRICA PRIMA.

Egressus (a) regiæ gentis à Petra-Sancta.

POstquam nulla frumentandi, subsidiive spes Cæsaris Cohortibus fuit, affectos in dies inedia è Petra-Sancta digredi, naufragii, ferri, omnisque generis subire discrimina vis coegit. Clanculum igitur Marescalchus amotis arbitris, his dumtaxat ad intima credenda retentis, quorum illi probata fidelitas, prima quiete, nullo tubarum lituumve stridore, demisso Simone Philippi Pistoriense loci præsidio, per noctis silentia meatum taciturnis obtutibus fecit (1), properansque recto calle, qui Pisas vehit, pernoctanti gradu secum celeres catervas traxit Lucenses, qui in Camajore erant, fragore insolito exaudito, hinnitibusque equorum, fremituque excitati, ad arma discurrentes tanta mora centuriandis ordinibus perstitere, ut jam Cæsareæ Phalanges pontem Monetæ, quem Cathalaniensium parva manus custodiendum disposuerat, emigrassent: tum celeri cursu per stagnum insequentes extra ordinem postremam retrovardiam laceram peditibus equitibusque immixtam insultavere, ceteris jam in tutum traductis. Tunc ibi cædes stragesque eorum, quos nox, naufragium, furor iratorum hostium circumvenit. Cæsa gladiis capita trecenta, totidem naufraga, signa duo militaria Lucam relata. Sospes Marescalcus cum ceteris fortuna contentus ad Cæsarem se contulit. In Petra-Sancta residens Simon Philippi Pistoriensis vir Cæsari amantissimus, per hos ferè dies paulò ante Kal Majas cum parte militiæ peditumve (2) Vajatoriam Lucensium Coloniam coequitavit. Alteram sociorum partem ad terrendos occupandosve eos, qui in Camajore erant, discurrere ad Camajoris portas jussit; sed inscius, ea fortè die Vanni de Scornezanis Pisanum exulem cum uno ex Lucensis Civitatis militiæ Quarterio ad Camajorem advenisse. Is Vanni vir impiger incursu patefacto adversum excurrit, nec illi ullum sustulere impetum victi, cæsi, fugatique. Hæc majori Cæsaris damno sors obvenit, quam ea quæ in Petræ Sanctæ recessu majorum virorum captura, ac internecione. Cæsi itidem quatuor & septuaginta hastati in equis, pedites centum octuaginta. Inter cæsos Strupha miles A consodalis Marescalchi Regii cum viginti contubernalibus, Fredus Comes (b) Gangalandi, Berlingerius Nicolæ de Grossezo; Bertinus Philippi de Vercellensibus Pistoriensis, Buegatus de Orlandis Pisanus, ceteri Germani, Flandrensesque; pedites verò ut plures Spineti Marchionis Malaspinæ fideles.

RUBRICA II.

Apparatus Cæsaris contra Robertum Regem per mare.

ANgustatus in Tuscia terræ successibus infestis Cæsar, corde strenuo, mari omnem B tentare fortunam disposuit. Laceratis quidem hinc atque hinc copiis, cùm fratrem Trevirensem ad augendas eas per Germaniam emisisset, parsque Gibolengorum, Alborumque defecta intolerabilibus impensis per Urbes terrasque sparsim secessisset, in solum Fridericum Siciliæ Regem spem recuperandarum virium posuit, fulcientibus indeficienter Januensibus, suisque Pisanis, hortanteque obnixè, ut si Imperator tantum conspiciendus, sentiendusve secus Apuliæ Ducatum prodeat, nil dubii, quin mutatis vicibus totius Regni revolutio in invisum Robertum futura sit. Exosum Robertum Regni Primatibus, quorum Insigniores ex Imperio originem traxerant. Præterea dissors in eumdem C Robertum Romana utriusque factionis Nobilitas studia agebat, hinc, quòd Partem anno externo ægrè sustulisset, hinc, quòd ejus magnificentia suis sit æmula exaltationibus. His omnibus allectus, conceptu peroptimo, fortique instinctu per internuntios cum singulis per loca singula tractare, polliceri, hortari, dies noctesque exagitabatur. E Janua Galeas XXV. E Pisis XI. cum armamentis, apparatibusque ad omnem navalis belli congressum desponsas, jamque portubus expositas, nullis induciis, munitus suis copiis computavit. Has ultra Fridericus Siculorum Rex octo & viginti promtissimo obtulit obsequio Increbuit hoc per Italiæ Civitates longè lateque novum, quod & trans Gallicas Alpes allatum est, invadendum in Apuliæ Regnum Robertum multa classe, Urbibusque D (c) illi pertimescendum.

RU-

NOTÆ AD RUBRICAM I.

(a) *In epitom.* Egressio.

(1) Locus mihi suspectus: nam qui, obsecro, *taciturni obtutus?* An posuit, *taciturnis*, pro cœcutientibus? Dithyrambica certè audacia. Quanquam non ignoro, translationem ab auditu ad visum à Poetis usurpatam. Sed his enthusiasmo afflatis in altum se capessere licet. Historicis verò stringenda est ora. *Villanus.*

(2) Scribendum, *peditumque*. Ubi repetendum, autorem sæpiuscule usurpare disjunctionem pro conjunctione, *ve*, pro *&*. Qua de re sufficiat hactenus monuisse. Et paulò post *Fredus Comes Gangalandi*, genuina hæc lectio; ea enim gens appellata est vulgò, *i Conti di Gangalando*. Villanus.

(b) *In V.* Guagaladi.

(c) *Pro* ab illo.

Digitized by Google

RUBRICA III.

Concilium Philippi Regis Francorum pro Rege Roberto cum rescriptis ad Papam, & Papæ processu.

DUm ad Philippum Francorum Regem indicante Roberto delatum est. Philippus eatenus Cæsaris progressum non multipendens, quòd sibi hunc Henricum fidum militem creatum educatumque dilexerit, redamatumque se non veritus fuerit, nec se adversùs ulla insolentia elatum prorsus reputaverit, substitit mirabundus. Concilioque Principum evocato, quid sua intersit in propositionem adduci, pro tribunali sedens imperavit. Principes secus adacti, contrito eruminatoque accidentium (a) appetentiumque rerum momento censuere, rem aggredi Philippum, non tergiversandum, hanc scintillam non adeò tenuem, quin, nisi temperie repressa sit, flammam edere valeat, fortassis non omni tempore extinguibilem. Notissimum populis adhuc degentibus, quanta Imperii, & Ecclesiæ pericula talia scismata in Christicolarum præjudiciis increverint, nec placanda, si inoleverint, nisi succisione profunda cum animarum, & corporum expiatione. Obstandum terribilibus principiis, Clementissimo mandante Papa. Præterea hoc Regi Inclyto, Regiæ domus exposcente vinculo, rem sui esse commercii, agique, quod suum est, naturæ jure. Relatione Principum facta, decretum est, Legatos ad Papam dirigi cum Regiis rescriptis in hanc (b) sententiam.

Sanctissimo in Christo Patri Domino Clementi Divinâ providentiâ Sacrosanctæ, ac Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici Philippus Dei gratiâ Rex Francorum devota pedum oscula beatorum.

„ AD nostrum aliàs quorumdam Magistro-
„ rum relatu, & nunc ex assertione cariss-
„ simi consanguinei nostri Principis Achajæ
„ pervenit auditum, quòd Magnificus Prin-
„ ceps Henricus Imperator Romanorum,
„ Apuliæ, Siciliæ, & alias terras proprias
„ Illustris Principis Roberti Regis Siciliæ con-
„ sanguinei nostri carissimi debellare propo-
„ nens, ad ipsius exheredationem suos in-
„ tendat exercere conatus, turbando pacem
„ universam Christianorum, impediendo nego-
„ tium passagii Terræ-Sanctæ in universale, &
„ specialiter Romanæ Ecclesiæ, cujus dictæ ter-
„ ræ patrimonium proprium esse dignoscitur,
„ excidium, & jacturam. Cùm igitur Nos
„ prædicti Regis Siciliæ, qui de consanguinita-
„ te nostra traxit originem, & de nostra Domo
„ Regia processit, exheredationem non de fa-
„ cili sustinere possemus, Beatitudini vestræ su-
„ per hoc aliàs scripsimus, ut consideratis in-
„ commodis, quæ ex præmissis, si (quod absit)
„ contingerent, sequerentur, ad occurrendum
„ tantis & talibus periculis velit Vestra Sancti-
„ tas in hac parte de competenti remedio ce-
„ leriter providere, ne propter hujusmodi in-
„ commoda possit dictæ Terræ-Sanctæ negotium
„ retardari, vel totaliter impediri. Verùm cùm
„ Imperatorem in prædictis non intellexerimus
„ suum propositum divertisse; quinimo paret se
„ diebus singulis ad eadem, Vestram iteratis
„ precibus Clementiam deprecamur, quatenus
„ imminentibus periculis occurrentes, prout ad
„ vestrum spectat officium, in prædictis sic ce-
„ leriter tale remedium apponatis, quòd pacis
„ pulchritudo servetur, negotiumque passagii
„ Terræ-Sanctæ, quod aliàs fieri posse non cre-
„ dimus, impediri non debeat, aut turbari, &
„ ne cùm velletis, super his aliàs occurrere,
„ tunc commodè non possetis, dictumque Re-
„ gem, & subditos dignetur Vestra Sanctitas
„ specialiter (3) raccomendatum habere. Data
„ Parisiis XII. Maji.

Insuper & supplicaturi Legati erant damnationem ab Imperatore adversùm Robertum latam rescindi, satiusque fore eam per Papam tolli, quàm mandari, ut ipse qui protulerat, revocaturus sit. Dimissi Legati Dominus Marigensis cum egregiis Collegis Papam digno mansuetoque more consalutavere literis oblatis Majestatis Regiæ, deinde & subjunctis ore commissis. Papa lætabundus responsis dandis diem statuit cum festiva personarum acceptione, multisque comiter paterna domesticaque mansuetudine singulari affabilitate honoribus collati. Demum constituta die respondit, supremos affectus ad omnia grata filio Regi inclyto habere, admissas precationes ejus, adeò ut tres à Latere Cardinales Imperatori transmissurus sit, omnia hæc, & alia accidentia pro ipsius Regis libitu dispositurus. Nec hoc generale responsum Legatos contentos fecit, nisi singillatim super reportandis propositum emologaverit, edideritque, dum & Papa ad hæc mandanda rescriptis publicis sub Apostolicis pendentibus signaculis declaraverit. Horum, veluti futurorum momentorum fundamentum, tenorem inseri huic contextui visum est.

Clemens Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

„ INter cetera, quorum nos cura sollicitat,
„ illa præcipuè meditatio mentem nostram
„ occupat, illaque nos sollicitudo fatigat, ut
„ Ecclesiæ Romanæ bonis & juribus in sua sta-
„ bilitate servatis, instanter observetur, felicia
„ semper incrementa suscipiat, & nostræ mini-
„ sterio servitutis copiosæ pacis affluat liberta-
„ te. Nuper quidem multorum fide relatione
„ percepta, quòd nonnulli multarum in diver-
„ sis locis & partibus præparabant stolium ga-
„ leârum (4), & alios faciebant bellicos appa-
„ ratus, quosdam ipsorum ex certis tenebat
„ con-

NOTÆ AD RUBRICAM III.

(a) *MS. Amb.* apparentiumque.
(b) *MS. Amb.* seriem.
(3) Post, *specialiter*, apponerem, *in*. Et pro, *raccommendatum* (quod nauseam verò ciet) saltem repone sis, *recommendatum*. Et pro, *Ecclesiæ Romanæ*, puto scribendum, *Ecclesia Romana*. Villanus.
(4) Probo correctionem doctissimi Scholiographi, qui, *stolum*, censet legendum; vulgò enim dicimus, *stuolo*, cùm aliquam signare volumus multitudinem. Adde, quòd & stolus propriè dicitur de navibus apud Græcos, ut annotat Hesychius: quamquam inficias non itur, dici quoque de exercitu. Sicut ergo Mussatus dixit, *stolus galearum*, ita dicunt Græci, ναυτικὸς στόλος, νεῶν στόλος, &c. Sed ut plurimùm omittunt epitheton. Atqui hæc etiam vox una est ex iis, quam Itali a Græcis mutuati sunt, inconsultis Latinis. Sed turbata nimis, atque inconnexa videtur hæc periodus. Quare illi succurrendum omnino. Igitur post ea verba, *suspicio*, *quod*, subjunge, *ad*, & inferiùs, pro,

Digitized by Google

„ conjecturis exorta suspicio, quòd ad Re-
„ gnum Siciliæ, seu Terram citra Farum, quæ
„ de Regno ipso fore dignoscitur, quæ ad Nos,
„ & Romanam Ecclesiam pertinent pleno jure,
„ & quæ carissimus in Christo filius noster Rex
„ Robertus Siciliæ Illustris nunc pro Ecclesia
„ prædicta Vassalus à Nobis, & eadem Eccle-
„ sia tenet in feudum, hostiliter invadendum,
„ vel offendendum, stolium, & apparatus hu-
„ jusmodi, quamvis hoc vix possimus credere,
„ parabatur. Nos Ecclesiæ præfatæ, ac Nobis
„ & Regno, ac Terræ prædictis, quæ veluti
„ recreationis pomœrium delectabiliter intue-
„ mur, & in Apostolici pectoris medio præ
„ multa dilectione portamus, & adversùs ta-
„ lium (a) munimina providere volentes, &
„ periculis animarum, corporum detrimentis,
„ bonorum dispendiis, & gravissimis scandalis,
„ & irrecuperabilibus incommodis Terræ-San-
„ ctæ, quæ possent ex eis sic procedi (quod
„ absit) ad illa, quæ contigerint, meritò, for-
„ midanda, salubriter obviare, prætertim cùm
„ simus parati omnibus de ipso Rege Siciliæ
„ conquerentibus justitiam exhibere. Universis,
„ & singulis Clericis, & Laicis cujuscumque
„ conditionis, & status, ordinis, dignitatis, vel
„ præeminentiæ sint, etiamsi Pontificali, vel
„ Imperiali, sive Regali, aut quacumque alia
„ fulgeant dignitate, ac Universitatibus, Com-
„ munitatibus, & Civitatibus quibuscumque
„ auctoritate Apostolica districtiùs inhibemus,
„ & expressè præcipimus, ne dictum Regnum,
„ vel Terram, aut partem, vel aliqua loca eo-
„ rum, vel alterius eorumdem per terram, vel
„ per aquam, mare, quocumque quæsito colore
„ invadere, vel offendere, aut propter hoc re-
„ cipere, vel exhibere stipendia, sive galêas,
„ seu alia maritima dare, locare, commodare,
„ aut alio titulo quocumque concedere, seu re-
„ migrare in eis, vel eisdem galêas, seu vasa
„ concedere quovis modo præsumat; sive præ-
„ stare super his præsumtionibus ipsis auxilium,
„ consilium, vel favorem directè, vel indire-
„ ctè, publicè, vel occultè. Nos enim in om-
„ nes, & singulos, qui contra inhibitionem, &
„ mandatum hujusmodi venire prætumserint,
„ etiamsi (ut prædicitur) Pontificali, aut Im-
„ periali, seu Regali, aut quavis alia præemi-
„ nentiæ (b) dignitate, de Fratrum nostrorum
„ consilio excommunicationis, quam eo ipso
„ incurrant, sententiam promulgamus, eorum-
„ que Terras, ac loca ipsorum, & quaslibet
„ alias Communitates, Universitates, & Civi-
„ tates contra præmissa, vel præmissorum ali-
„ quid attentantes, Ecclesiastico subjicimus in-
„ terdicto, contra eos nihilominus ad privatio-
„ nem omnium Privilegiorum, indulgentiarum,
„ & gratiarum, quæ ab eadem Romana Curia,
„ (c) non modò feudorum, bonorum, hono-
„ rum, officiorum, & jurium quorumcumque,
„ & ab ipsa, & quibuscumque aliis tenent Ec-
„ clesiis, & aliis spiritualiter & temporaliter
„ graviter processuri, prout eorum inobedien-
„ tia exegerit, qualitas facti suaserit, viderimus
„ expedire (5). Data, & acta apud Castrum
„ Novum Avinionensis Diœcesis in Palatio ipsius
„ Castri die II. Junii, Pontificatus nostri Anno
„ VIII. & præsentatæ Januæ die IX. Julii. „
His, quatenus & plura impetrasse non valuere, contenti Legati multis refecti pollicitationibus, discessere; rescriptaque in Italiam emissa.

RUBRICA IV.

Alloquia Principum Cæsaris contra Rescripta Papalia.

CÆsar horum omnium non ignarus, Papam ab Roberti amicis exagitatum perpendens, in favoresque veluti coactum prolabi, & ipse easdem non negligere instantias non omisit. Solemnes igitur Legatos in Galliam Amedum Sabaudiæ Comitem, Patriarcham Antiochenum, Archiepiscopum Januensem, Episcopum Abotonthenensem, aliosque Proceres instituit. Hi confestim è Pisis digressi per maritima secus Motronem concessum à Lucensibus callem gratis cepere, Pisanorumque Communitas in eadem comitiva Lippum de Caprona, Lemutium Baliam, Jacobum Fagarolum, & Mesium de Vico in eamdem legationem ire jussit. Nec minùs Pisani galêas, naves onerarias, & vasa quæque in portu parare, munire non destitere. Lucas de Fleisco Cardinalis iisdem diebus è Pisis ad Curiam profectus est. Apostolicas literas tanti edicti Cæsar in Principum audientia perlectas in admirationem paulisper vultu declivi supputavit, nil in eas prorsus ore proferens. Verùm Pisanus Archiepiscopus in Papam tumidioribus prorupit eloquiis, parùm probè, parùmve diligenter, & persuasum ei, ipsumque sibi consuluisse talia ab Pontificali culmine emanasse rescripta, hanc suam sistere creaturam: quin genus humanum ad salutem perducat, errores tollat. Initia redemtionis Terræ-Sanctæ jam vivaciter prodeuntia tardare, exinanire; inimicos redemtionis ejusdem confovere, scandalis vires administrare, malè ex iis cedere Ecclesiæ Sanctæ Dei & Christianæ Religioni. Abbas Podii Bonici assistens minùs ineptè congruentia Laicis, quàm Clericis verba protulit, Papæ detestatus opinionem.

RUBRICA V.

Motus Cæsaris terra, marique adversùs Robertum Apuliæ Regem.

INterea non inanes moras Pisis trahens Cæsar multa per Tusciam, permulta cum Apulis, Calabrisque, ac Romanis per internuntios sciscitare, (a) tentare, polliceri, componere, sedulis vigiliis, ingenti animo studebat. Compositis itaque, utcumque prope libitum valuit, rebus, navigia è Januæ, Pisarumque portubus educi imperavit, classemque omnem armamentis instructam, ac si idem navigaturus fuisset, buccinis, multoque strepitu protensis ad regimen velis exponi, Ductoribus, Admiratisque Comitibus (b) Camerariæ, & Claremontis. (Hi enim potiundi Apuliæ Regni spem validam, si tantùm Calabras terras attingerint, Cæsari tradiderant) con-

pro, *invadendus, vel offendendus*, repone *invadendum, vel offendendum*; & pro, *stolium, & apparatum hujusmodi, stolus, & apparatus hujusmodi*, ut structura orationis ea sit, *Quosdam tenebat suspicio, quòd ad regnum Siciliæ, seu terræ citra Pharum hostiliter invadendum, vel offendendum stolus, atque apparatus hujusmodi parabatur*. Ubi notandum obiter, *Pharum* juxta Græcam etymologiam, non autem *Farum* scribendum esse. Et pro, *vassalus*; corrige, *vassallus*. Villanus.

(a) *In R.* molimina.

(b) *Desideratur* fulgeant.

(c) *In V.* Ecclesias, & alias.

(5) Ego sic rescripserim, *Prout eorum inobedientia exegerit, qualitas facti suaserit, & nos viderimus expedire*. Villanus.

NOTÆ AD RUBRICAM V.

(a) *MS. Amb.* tractare.

(b) *Cod. Est.* Camerario, *& ita Amb.*

Digitized by Google

concomitante Friderico Siciliæ Dominatore, juvanteque ad omnes fortunas. Inde Fama per omnem Italiam increbuit, Cæsarem terrestri bello summotum à Tuscis tanta classe Regnum Apuliæ petere cum Roberto congressurum. At in arcanis certa dies constituta navigiis fuit, ut, cùm Terracinam applicuerint, VII. & XX. fermè passuum millibus ab Urbe itidem sistant, præstolenturque Cæsarem. Ipse verò Nonis Augusti mille quingentorum militum Latini Teutonicique nominis contubernio Pisis digressus, celeri cursu inter (c) Fusceli, & Sancti Miniatis fines nullis sarcinarum oneribus noctu discubuit. Aurora sequenti dimotus, vespere facto, secus Castrum Florentinum descendit, ubi nonnulla Oppidanorum molestia lacessitus appendentes Castro ædes cremari fecit. Nec ultra remoratus inde dietis assiduis, nulla quietis intermissione, Comitatu Collis peragrato, Abbatiaque Spognæ dimissa III. Idus Augustas ad Senensium agros devenit. Hic dies Assumtionis Beatæ Virginis Mariæ fuit.

RUBRICA VI.

Concussio Senensium è Cæsaris transitu.

REpentinus Cæsaris adventus improvisos Senenses adeò conterruit, ut seditionem intra penetralia Plebs, Insignesque supputarent. Extemplo communibus votis, tumultuaria concitatione, vocibus consonis, ut Commune viveret, & Populi libertas, ad arma concursum est: ad Potestatis Magistratum exhortandum pro Civitatis tutela Prætorium, foraque publica repleta sunt, dispositis ad portas pro temporis & loci opportunitate munimentis. Sub armis ea dies cum pernoctato in sequentem silentio exacta est.

RUBRICA VII.

Pulsio Gibolengorum ex Urbe Veteri.

HOc eodem momentó Urbis Veteris Gibolengi, ut venienti Cæsari Urbem vacuam pararent, in Gelfos accitis è Comitatu suæ factionis municipibus insultum fecere. Tunc tumultuariâ pugnâ per vicos & fora utrinque acriter certatum est ferè per biduum. Demum in partem Gelforum hærente fortuna, fugati pulsique fuere Urbe Gibolengi, ducentis, seu circiter cæsis, inter quos Bindus de Baschio unus ex conjurationis principibus, plureque ex Nobilibus ejusdem factionis, in solamque Gelforum partem cessit universa Communitas.

RUBRICA VIII.

Mors Cæsaris & contingentia circa eam cum fine Operis.

CÆsar apud Senas nil ea parte proficiens, calle altero, qui ad Urbem vehit, digressus iter divertit ab adversa Senarum parte, ubi Ispianum nuncupatur, & protendit gressum ad Orgiam fluvium XII. à Senis millibus passuum, ibique æstu, itinerisque longi, ac velocis labore defessus respirandi causa, ut se, suosque fatigatione recrearet, positis stativis descendit. Ipse autem peractâ paulisper cœnâ perambulans demum in fluvii ripa consedit, mersis in torrentem cruribus, ubi diu aquæ refrigeratione oblectatus, veluti languore subeunte, lectisternium ante solitam abeuntis lucis horam petiit, quietique accommodatus nequaquam sopitus est; sed prima vigilia sub dextri cruris genu pustulam obortam deprehendit, qua multo dolore cruciatus noctem duxit insomnem. At ante quàm dimotis tenebris Aurora rutilaret pervigilatæ noctis tœdio affectus, signo tollendorum castrorum dato, consurrexit, & ad Bonconventum contendit pagum à Senis XII. millibus passuum distantem, ibique gravescente morbo apud Sancti Bartholomæi Basilicam triduo recubuit, ubi (a) VIII. Septembrias Kal. hora nona, ipso Sancti Bartholomæi festo expiravit, Anno ætatis suæ uno & quinquagesimo, Mense uno, diebus XII. Regni sui anno V. Imperii verò Anno primo, Mense uno, & diebus viginti quatuor. Triplex illi interitus causa deprehensa est, una innate (b) sub genu lethalis ulceris, quod Physici Antras vocant (6); altera scissæ ab Stranguria vesicæ, (7) quo morbo assiduè laborabat; tertia pleuresi, quam misso jam spiritu vomuisse constitit. Admirabilis hæc mortalibus, & veluti fatalis notata loci ac diei intervenientium identitas, cui admirationi Corradini de Stoph adjiciebatur ejusdem Sancti Bartholomæi memoranda festivitas, qua & ipse in Italia ab Carolo Rege conflictus capitale post supplicium sustulit. Cavenda nimis Sacrosanctæ Matris Ecclesiæ offensa Christicolis, cùm & hujus prædecessorem fuderit Apostolica sententia Fridericum, in quem cum prole tota, veluti fulmen jaculata, irreparabile tulit exitium; & hic quoque Henricus fœcundæ pacis vexillo in Italiam auspiciis ductus Ecclesiæ, quæ voluit, obtinuit simul arridente Fortuna. Verùm mutatis velis, versis ad oppositum gubernaculis, adverso sidere soluta classis profundum oppetiit. Siquidem rescripti jam sola mente transgressor Apostolici, quo inhibitus Roberti Regnum invadere, adverso ferente spiritu, suopte frustratus ingenio, adjuratum sibi Fridericum Siciliæ Dominatorem ad Cathonam Calabriæ Insulam invadendam, qua sibi transgrediendi pateret aditus, obstinata animadversione præmiserat. Et hæc quippe detestandæ litis exordia, ad totius terrarum Orbis scandala solo advertentis Dei sopita judicio. Tulere cadaver Commilitones Germani, & superposuere lecticæ, vivum Virum, sed ægrum simulantes, sed intolerabiliter olentis, in Paganico Senense Colonia noctu consumto ignibus humore, conditas aromatibus in utres reliquias per maritima maturo gressu ad suas Pisas advexere, ubi multo suorum luctu secus altare Basilicæ Cathedralis humatus est.

(c) *In P.* Fuscedi. *Cod. Est. rectè* Fuscecli, *& ita Amb.*

NOTÆ AD RUBRICAM VIII.

(a) *Cod.* Est. IX. Septembrias, *& ita Amb.*

(b) *Cod. Est.* innati.

(6) Locus dubio procul mendosus. Si enim in nate ulcus, qui sub genu? nisi fortè per similitudinem quandam appellavit natem crucis musculum, quod non reor, causa, quam mox subjungam. Deinde morbi genus hoc *Antras* mihi quidem ignotum. Legerem igitur sic, *Una in crure sub genu lethalis ulceris, quod Physici Anthrax vocant.* Jam enim de hac pustula mentio facta est, quam Cæsar contraxerat post lotionem in Orgiæ fluvio. Anthrax verò à Græcis appellatur morbus ille, quem Latini Carbunculum dicunt, à carbonis igniti similitudine: qui fit Paulo Æginetæ post Galenum sanguine in atræ bilis naturam converso, quum inferbuerit. Qua verò de causa Mussatus non acceperit natem pro pulpa cruris, ea est, quòd superius dixerat, pustulam obortam Cæsari *sub dextri cruris genu*; dixisset enim sub poplite, quæ pars imminet musculis. *Villanus.*

(7) Corrige, *Stranguria*, στραγγουρία, Græci, Latinis Urinæ stillicidium, seu substillum, ἡ κατὰ φράγγα τῶν οὐρων ἀποχρισις, Galeno, excretio urinæ perguttas. Et mox, *pleuresi*, corrige, *pleurisi*, quanquam meliùs, *pleuritide*. Villanus.

F I N I S.

Digitized by Google

ALBERTINI
MUSSATI
HISTORICI PATAVINI
DE GESTIS ITALICORUM
POST MORTEM
HENRICI VII. CÆSARIS
HISTORIA
A FELICE OSIO JAM EDITA,
Nunc castigatior & auctior recusa
OPE MANUSCRIPTORUM CODICUM
BIBLIOTHECÆ ESTENSIS,
ET
AMBROSIANÆ.

Digitized by Google

Digitized by Google

ALBERTINI MUSSATI PADUANI

HISTORIOGRAPHI, ET POËTÆ, ET TRAGOEDI

AD PAGANUM DE LA TURRE EPISCOPUM PADUANUM SUPER GESTIS ITALICORUM POST HENRICUM VII. CÆSAREM

PROLOGUS INCIPIT,

Ex Manuſcriptis Codicibus Eſtenſi, & Ambroſiano additus.

ROgaſti me, Pagane de la Turre, Vir optime, Paduanæ Antiſtes Eccleſiæ, ne earum rerum, quæ poſt Heinricum Septimum Cæſarem noſtra vidit ætas, brevi labens memoria decidat, ut acceſſorios Longobardorum, Tuſcorumque motus operi meo adjiciam. Nec pudori tibi tua ſinit reputaſſe magnanimitas, ſi proſapiæ, Domuſque tuæ ſummum Longobardiæ concuſſum, pæneque everſum columen ad poſteros feratur, uti voluit fortuna volubilis. Cùm ea quidem in ſui vertigine ludicri tibi, tuiſque placita ſi forſan arriſerit, amplectenda ſit. Voſque Turrianæ cognationis poſt Guidonis veſtri facta, mores ejus attentiùs dignoſcatis inſtabiles. Et ego quidem juſſionis tuæ per quam laborioſa ſupplementa permetiens, vix polliceri auſim id efficere poſſe, quod poſtulas. Scis quippe tu noſtrorum actuum in Rempublicam, fide teſtis Epiſcope, quantis domi militiæque ſolertiis implicer, ut nec nox agendorum variis meditationibus ſuppetat, nec agendis lux diurna ſufficiat. Et utinam ſaltem moderanda, leniendave ſit, quæ diebus noſtris tollenda non reſtat, injecta Mundo calamitas, ut has funeſtas expiari conſequens ſit niſi cruore multo reliquias. Sed quid, Pater Reverende, nos hoc circum acti navigabimus pelago? quò flatus impellent, applicabimus, non deſtitutis, quoad poſſumus, omnino remigiis. Ad ſpes aſſurgendum eſt, dum jam ſublatâ à mortalibus plagâ, deſinet irati forſitan ira Dei. Vide, quantis tu inſons, omniſque culpæ expers, quem ſacra pæne texit Inſula, circum te nudatis enſibus, evaſiſti periculis. Jam ſalva, ereptaque tuorum propagine generoſa, nonnullis reſpirare cœpiſti ſucceſſibus; & me quoque, ſi grandia ſit fas miſcere puſillis, mirantur homines noſtræ Reipublicæ terraque marique pervagatum obſequiis, demum caſtris exiſſe Cæſareis, qui uti è tempeſtate ductus ad portum, adhuc ſalvus cum ſalva Civitate perambulo. Sed quamquam ſic agitantibus vexatus amfractibus, quia in parte laborum ipſe fuerim, ſcribendi laborem recuſaſſe nolim, præſertim tanto permotus Auctore. Tu ergo, cui hoc quod ſcripſerim voveo, edendæ poſteris eſto cauſa memoriæ.

Digitized by Google

Digitized by Google

ALBERTINI MUSSATI DE GESTIS ITALICORUM POST HENRICUM VII. CÆSAREM LIBER PRIMUS.

RUBRICA PRIMA.

Mortem Henrici VII. Cæsaris consecuta.

POst Henrici VII. Cæsaris (a) internecionem, qui illum secuti fuerant Gibolengi, Albique, Aretium Aretini, Tudertum Tudertini, Spoletum Spoletini, Casulas Casulani, Pisas Pisani, Gallias Gallici, per Italiam Italici terrore supremo, formidineque offensorum Populorum ad suas amicasque singuli Terras confugere. Fusi, dispersique multi municipum, qui ad Cæsarem primis tumultibus defecerant, Castella, municipiaque supplices primis Communitatibus reddidere. Faventes Imperio Civitates Præfectos, Vicariosque Communis terror invasit simul, & mœror amissi tanti fastigii, tantæve sublimitatis Capitis. At adversorum affectuum Populos, Primoresque, quos bello defessos agitatio Imperialis oppresserat, incomparabilis extulit exultatio. Et o discors rebus Communibus sic abusa humana societas! Hujus quippe Regis interitus hos ad lucem è (b) tenebris; illos ab luce conjecit in tenebras. Hi vestes lacrymis respersere; lugubres affectus illi dulcibus extulere lætitiis. Zelatores Imperii Civitates functum tristibus prosecutæ lamentis, luculentos nutibus ac gestibus ostendere successus, parum fidentes rebus humanis in tantæ al lusione fortunæ: at per ceteras, qualis ante non fuerat, ostensa felicitas. Expiatam Mundo clade supplices Matres vocitantes sacra piis muneribus instaurabant altaria: Clerus sublatis Crucibus longo cœtu cum Laicorum Ordinibus Urbes ambibat, præcedentibus mitratis Antistibus, Summo uti placato Deo laudes, Psalmorum concentu conclamans datori pacis post tantæ calamitatis angustias: Ardentes noctu faces Urbes lustrabant solaribus æquatæ fulgoribus: Novis amicti vestibus Populi, equorum hastarumque variis institere proludiis: Per vicos, & fora fœminarum cœtus laxis exultavere virorum licentiis: Clauso justitio forenses siluere causæ, & singula tacuere judicia, apertis ex indulgentia lata carceribus: Actæ sublimes Bartholomæo laudes Apostolo, exeniaque decreta in ejus annua festivitate perpetua, qui in (c) lapsos populos Imperii cruciatibus jam bis Apostolica pietate prospexerit, fuso Corradino de Stoph, & hoc Henrico vita sublato. Sic veluti mutatis Mundi vicibus mutati singulorum affectus, & diversa Mundi facies gentes alteravit Italicas.

RUBRICA II.

De statu Urbis post Henricum.

ROmani, qui Ursinorum, seu Gelforum factionis erant, in quos, ut sui contemtores, indignatus Cæsar, si ad Urbem accessisset, comminatus fuerat, acerbis effulminare suppliciis, quique desperatis jam rebus Urbe cedere illo inexpectato conceperant, resumtis fiduciis ad spes pristini status consurrexere. At contra alterius partis factiosi Columnenses, quique illis adhæserant, omni spe destituti, iratum in se Robertum Apuliæ Regem effugere, ad quos delendos qui maturè Petrum fratrem suum transmittere destinaverat, meditati sunt. Accepere siquidem exquisito ab ejus Archariis proposito, ut nec eorum assensu Urbis acceptando dominio; nec militiarum, Castrive Capitis Bovis traditione, nullove supplicationis remedio Regium animum demulceri posse, cùm se Regno ejiciendum illis fautoribus, si eorum conatibus fortuna secundasset, palàm assereret, idque liquidò agnovisset.

RUBRICA III.

De Pisanorum actibus, & Lucensium.

IN Tuscorum Oris nova momenta oborta sunt, cum Pisanis tantorum motuum auctoribus, ac executoribus eo magis timendum fore constaret, quo & ipsi noxii valentius, ferventiusque bellum in Tuscia fovissent, Cæsaremque suis opibus educassent; Ipsique hoc attentius animadvertissent, accersito multis supplicationibus Friderico Siciliæ Dominatore, ne spe tanta destitutos desereret, (a) collectionem gravis æris solidorum quinque pro libra uniuscujusque substantiæ indixere, solvendamque præsto coëgere; Milites ex Germanis olim Cæsaris contubernalibus mercede multa adjumento sui retinuere sub Balduini de Corneto, &

NOTÆ AD RUBRICAM I.

(a) *In V.* interruptionem.
(b) *Fortè supplendum* evocavit.

(c) lassos *longè meliùs, quàm* lapsos *hoc loco.*

NOTÆ AD RUBRICAM III.

(a) *Cod. Est.* collationem, *& ita Ambros.*

Digitized by Google

& Thomaxii de Septem Fontanis Ducibus vexilliferis, recusante Marescalco Regio ad idem ardentiùs evocato stipendium : statuereque ex Senatus Consulto, præ isisque Plebiscitis in armis esse, quosque inimicos propulsare, insequi, bello forti, vel pacem cum finitimis promereri, ac conquirere; vel in virtutis laudibus sibi, rebusque omnibus finem nancisci, quem Deus, Fortunaque præstiterint. Nec Friderico Siculo destituendi post Henricum belli propositum fuit, cùm & ipse velox Plumbinum Terram maritimam, navali, tetrestrique agmine res novas molitus, Nonis Septembris applicuisset; cùmque & nonnullæ factionis intra Januam Civitatem conscius illò galêas quinque destinasset. Concussio namque Januæ vacillantis, si in partes Imperiales declinasset, non modicum allatura erat lapsis Pisanis, ceterisque Gibolengis incrementum. Interea futuris providentes vicissitudinibus Pisani, ut vicinis Lucensibus in se veteribus, novisque odiis exosis resisterent, (b) Simonem Philippi paulò ante Cæsaris Pincernam, cui Præfecturas, Dominiaque Castrorum plurium in Lunisana, & Versilia contulerat, vinctum in carcere Famis arcuere, & ad deditionem Castrorum, Coloniarumque Sarzanæ, Petræ-Sanctæ, Castri Novi restituto ære, quod pro eis Cæsari accomodaverat, coëgere. Hæ Villæ à finibus Pisanorum Lucenses arcebant. Lucenses verò quamquam longo defessi, affectique bello, morte tamen Cæsaris refocillati, elatique, irrefraganter in Pisanos ignitis novisque odiis ultum iri disposuere. Frequenti igitur cum Florentinis, ceterisque Tusciæ Gelfis conventu, trahendum in Tusciam Petrum Roberti Regis Apuliæ fratrem, sollicitato ad id Roberto magnis pollicitis, nitebantur, cui jam Lucenses, iidem ad Florentinorum instar Urbis suæ regimen tradiderant. Sic nova bella intensis partium studiis in Tuscia parabantur. Verùm Aretinorum Legati ad pacem petendam Florentiam missi, non aliud, quàm cum fratribus Gelfis, eas res discutiendas retulere. Fuere, qui de pace inter Lucenses, & Pisanos agi, partes interpellavere, nec obaudita illorum sollicitudo. De loco quidem conventus, ad quem Legati pergerent, collationibus habitis apud Balneas montis Pisani definiere. Sed alloquium distulit Friderici Siciliæ Dominatoris occasio repentina, qui multa classe, apparatuque militum peditumque Pisas advênit XIV. Kal. Octobris, militum CCCLX. in armis, ornatuque splendidis comitiva. Ad quem paribus votis excipiendum exivere omnes Pisanorum Ordines, tulereque è Galêis XXX quæ cum omnibus fulcimentis illum advexerant, velamenta aurei sindonis supra verticem binis insigniis, Aquila à dextris, Aragonensi à sinistris, ad Theatrum Commune adducentes. Ibi multa ex gestis laudata, memorataque utrinque multis præconiis servitia, defletum Cæsaris funus madidis Friderici oculis, oblataque hinc & hinc ad casus feliciores obsequia. Tunc per octo ferme dies collatione frequenti, variis inter Regem, & Pisanos magno rerum utrobique pondere pertentatis, discors eorum exitus fuit, compositionemque communis assensus diremit. Destitereque Pisani (c) revocasse Marescalcum Imperatoris, qui recessurus Italia Syestrum contenderat, quem utilem ad eorum conceptum, si cum Friderico convenissent, excogitaverant. Nec interea iidem Pisani Lucensium tractatus neglexerant; sed ad prædestinatum alloquii locum fiduciis datis direxere Legatos Pelagium Cagnassum, Gerardum Fasiolum, (d) Benedictum Boncontis, Jacobum Dacasti scribam. Pro Lucensibus Henricum Bernarducii, Dinum Agolantis, Raynerium Duge, Bonturium Dati, Zinum Margoti. Hi multis recensitis, nec pacis (e) cujusquam fœderi, nec intercipiendi ad tempus belli induciis acquievere. Vigebant, fervebantque Pisanorum animi ante promerendas Teutonicis datas mercedes, ulcisci desideria, in Lucenses agros irruere, elati & (f) Friderico hospite. Digressi ergo sexto easdem Kal. Octobris, nihil de his, quæ à Pisanis quæsierat (g) Fridericum ad portum Pisanum properantem parata classe, ut Siciliam proficisceretur, invenere. Sed nil eo minus obstinatis animis in Lucenses vivacis odii, sublata cujusque confœderationis spe, improvisos eos insultavere eductis in Massam omnibus copiis. Massentes incolæ ad Spiciatum traxere munimentum ab hostium pallantium incursibus tutum. Insequentes Militiarum primi cursores diversis itineribus, ut in Spiciatum ingressos circumvenirent, igne ad ipsorum confusionem ac terrorem undique immisso, per colles ad loci obsidionem properabant. Ii loci humilitate diffisi, fuga egressi in S. Mariæ Plebem se contulere. Pisani dum vesperasceret, inter Plebem, & Basilicam, ac Turres castra posuere; neve ii, qui in Plebem confugerant, respirandi commoditate fruerentur, per ejus noctis tenebras conterritos locum dedere, salvis dumtaxat personis, compulere, ustis continuò, dum lucesceret, omnibus ædibus, Coloniisque. Nec à populatione usque ad Sanctum Ambrosium Aschetum (sic ipsa loca nuncupabantur) remorati sunt, captis ruralibus, raptisque animantibus cum ingenti præda. E Luca digressi in tam repentino, tantoque incursu ducenti quinquaginta, seu circiter milites ad pontem Tecti, conspicatoribus XX trans fluvium emissis, substitere. Fuere inter hos, qui pontem, transilierant, Lutti de Malaspinis, Matthæus Comes, Bartholomæus de Villa Nova, Dinus Agolantis, Joannes à Porticu, fugaque pœne tarda regressi singillatim, incompositique (h) proximum ab insequentibus Teutonicis discrimen evasere. Ea die centuriatæ, dispositæque Pisanorum acies ad Pisanorum Vaccollem accessere, præmissis, qui omnia usque in (i) Guapallum vastarent: utque in Vornum ingrederentur, arborum obices, & quasque foveas æquavere, identidem sistentes ultimo Kal. easdem. Promoti quoque Kal Octobris, ut in Vornum ingrederentur, ad Coselle gressum fecere; sed Computensium, Rotensium, ac Butensium Agrestes Joanne à Porticu adhortante ad tutelas dispositos, secedere illos compulit (l). At secundò ipsius Octobris die collectis sarcinis, deletisque Sanctæ Mariæ Judicis Plebe, & Turri Campini, Pisas incolumes multa alacritate rediere.

RU-

(b) *Cod. Est.* Simeonem.
(c) *Melius* revocare.
(d) *Cod. Est.* Braducium. *MS. Ambr.* Binducium.
(e) *Cod. Est.* cuiquam.
(f) *In P. & S. & Amb.* & Friderico Siculo hospite.
(g) *Fortè* consecutum.

(h) *Num* primum.
(i) *In V.* Grapalium.
(l) Vitium in serie orationis. Dicendum quippe fuit, *Johannes à Porticu adhortans*, vel *agrestes dispositi compulere*. Villanus.

Digitized by Google

RUBRICA IV.

Paduanorum in Agros Vicentinos exercitus.

NEc Longobardia minoribus, quàm Tuſcia bellorum perplexa materiis ad arma conſerenda circum movebatur, cum & Civitatum pars major novis dominationibus, quas pro libitu Cæſar in illis immutaverat, Imperiales partes ageret, efflagitantibus ad eorum conſternationem, in iis, qui primis ſedibus, patriiſque volente, efficienteque Cæſare ceſſerant. Paduani pellendi è Vicentia Canis Grandis anxietate pervigiles intentique in agros Veronenſes omnibus copiis exivere. Qui ad Arculem tendentes, migrato Alpone Fluvio, verſo Calle, qui Vicentiam vehit, in Montebello ditiſſima Colonia X. ab Vicentia millibus paſſuum (a) caſtrum poſuere. Ubi triduò morati plurimis crematis, depopulatiſque cum ipſo Montebello Vicis ac Villis, montem Bericæ per Orianum tranſiliere. Dumque ad Bacchilionem flumen divertendum communibus pergerent propoſitis, quod obſtruſum (b) paulò ante fuerat, potiundi Caſtri Barbarani agreſtium ejuſdem incolarum captivorum indagine ſpem ſumſere. Quò repentè gradientes Caſtrum circumſedere. Sed impiger Canis veloci ſubſidio per inobſeſſum Collem ſupplementum præſidio immiſit, Paduanoſque cœpto fruſtratus propoſito refellit. Illi verò injectis per adductas machinas in Caſtrum ſaxis, nequaquam proficientes, aggreſſus pœnitudine pudentes, ad aquam Bacchilionis Paduam derivandam, poſitis itidem ſtativis, deſcendere V. fermè paſſuum millibus è Vincentiæ mœnibus apud Longare. Sic locus ille appellabatur. Meditatique aquæ novum fluentum poſthac nulla tolli poſſe Vicentinorum, Caniſve potentia, inexpugnabile Caſtrum eodem flumine circumplexum excelſo aggere vallo cinxere; ſed vi aperti fluminis incuſſæ riparum crepidines imbre ſuperpluente conflagravere. Affectique longo exercitu, paſcuis diſſipatorum agrorum circumſtantium belluis, equiſque non ſuppetentibus, Paduam deſtituto (c) Caſtri opere rediere, parum ſuffecti, lætative hac expeditione, cùm primò tantarum motione copiarum ipſam Urbem Vicentiæ aggredi concepiſſent, ſucceſſibus rerum citra ſpem eorum, nec, ut evoptaverant, deficientibus: & ſi quando in hoc exercitu conſerendas cum hoſtibus manus caſus obtulit, nil obtinuere laudabile. Nam apud Montebellum palantes extra ordinem ante acierum ſigna nonnulli ab Canis ſtipendiariis circumventi, cæſique ſunt, pedites XIV. haſtatus unus captus, ceteris ad acies fugatis, qui ſoluti ordine ſic anteceſſerant; Verùm uno occiſo ex Canis ſtipendiariis Blaſquartario ejus halæ ductore, altero Teutonico capto, quem (d) laxo freno violentus equus in acies Paduanorum advexit. Itemque apud Barbaranum incuſtodita ruralium Paduanorum, qui ad fodienda circum Caſtrum munimenta, quæ Oppidanis exceſſus in Caſtrum denegarent, conceſſerant, erumpentes intrinſeci rapuere, appenſaque Turribus ad ignominioſum Paduanis ſpectaculum tenuere. Præterea ab inſidiantibus circum Caſtrum nonnulli è Paduanis popularibus pervagantes, in manus Canis Grandis educti, ære gravi ſe redemere. Canis impar illorum viribus, quòd ſe ſolis mœnibus continuerit, ſuffeciſſe ſibi contentus eſt. Nec impunes hoſtes tantæ inſecutionis abire permiſit. Nam dum per ſuos agros pro eorum libitu graſſarentur, & ipſe Mercenariorum ſuorum, præſertim Paduanorum exulum ala, neglectas Campi Sancti Petri, & Arſici Colonias pingui arrepta præda cum multa aduſtione depopulatus eſt.

RUBRICA V.

Terdonæ ad Robertum Regem Apuliæ defectio.

TErdonenſes Idibus Septembris ad Thomam de Marzano Squilatii Comitem (a) Provinciæ Seneſcalcum ultimo defecere, in partemque Gelforum Longobardorum venere.

RUBRICA VI.

Mediolani Commotio.

PÆne iis diebus in Maphæum Vicecomitem Turriani, exuleſque Longobardi fiduciis intenſioribus erexere animos, novum bellum Mediolano parare, uti ſcandali univerſalis materiam ferro amovere. In eas partes Longobardiam cedere, ad quas Civitas illa declinaret, commune judicium Ligurum. Omnia ab eo pendere faſtigio. Eligendum Roberti Apuliæ Regis, probandumque Principatum. Suadendum, ut hunc adunci roſtri Avium diſpergat, diripiat, ſuiſque conferat. Concilio igitur undique (a) concreto, ſponſiones aggregandarum copiarum ſignatæ, juſſæque in diem certam ſub vexillis Regiorum Principum, Thomæ ſcilicet de Marzano Provinciæ Seneſcalchi, & Ugonis de Albaſio Vicarii apud Ticinum, recenſitis copiis in hos numeros è regia cohorte. Sub Thoma militibus CCCLXXV. peditibus octingentis. E Caſali Salvazio peditibus CC. E Novariæ exulibus equitibus XXX. E Valentia peditibus CCCC. E Mediolani externis equitibus CCC. E Papia equitibus CCC. peditibus MCC. E Cremona, Suncino, Pergamenſibus, Laudenſibus, & Cremenſibus extrinſecis equitibus CCC. Juravere in has partes è Longobardiæ Primoribus hi. E Vercellis Simon de (b) Columbiano: Alexandria Thomas de Puteo, & Bonifacius de Alexio: Crema Scregnianus Benzonus, & (c) Socinus Venturini: Pergamo Recovratus de Rivola, Rubertinus de Bongis, & Raxa Colionus; Laudo Arnulfus de Fiſiratico, & Paulus de Ricardis: Cremona Ponzinus de Ponzonibus. E contra in Maphæi partibus Mercenarii (d) ſexcenti, inter quos Germani ducenti, qui de Cæſareis contuberniis fuerant. Subſidiarii ex amicis CC. Mediolanenſes Cives CCCC. His utrinque copiis experiendam (e) fore aleam, decernendamque rerum ſummam Partibus viſum eſt.

Nec

NOTÆ AD RUBRICAM IV.

(a) *Cod. Eſt.* caſtra, *& ita Amb.*
(b) *MS. Amb. addit* per Canem Grandem.
(c) *Cod. Eſt.* Caſtelli.
(d) *In V.* lapſo, *& infra* eduxit, *pro* advexit.
(a) Fortè *Scyllacei*, aut *Scylletii*, vel, ut hodie dicunt *Squillacii*, vel *Squillacis*. Villanus.

NOTÆ AD RUBRICAM VI.

(a) *Cod. Eſt.* coacto.
(b) *Cod. Eſt.* Colubiano.
(c) *In V.* Sotinus.
(d) *Cod. Eſt.* milites trecenti.
(e) *MS. Ambr.* fati.

Digitized by Google

Nec causæ deerant, nec promtæ ad subeunda certamina voluntates: res suas agi quisque avidus meditabatur. Iis agminibus in agros Mediolanenses VI. Kal. Octob. excedentes ad fluvium Ticinelli venere, eoque æquata per agrestes ripæ crepidine, vadato in ulteriorem ripam transvecti, ubi Rebechum vocant, ad prædia Sanctæ Mariæ in Campo accedentes, secus Castellettum (f) Aliati Grassi XIV. ferè passuum millibus ab Urbe, acies Maphæi in adversum properantes videre. Instructis ergo utrinque copiis, ineundi jam ex pari provisu certaminis certitudine, Centurias, ordinesque disposuere. Hinc ad primum pilum cornu dextro Thomas de Marzano Exquilacii Comes Provinciæ Senescalcus; ab sinistro Ugo de Albasio Pedemontis, & Longobardorum pro Roberto Rege Præpositus cum Provincialium trecentorum cohorte, primi congressus partes tenuere. Secunda acies Longobardorum fuit. Hujus primo cornu primipilarius Gerardinus Philipponi Comitis de Langusco filius; sinistro verò Franciscus della Turre, præmissis ex ordine, & per latera distinctis harpigeris, lanceariis, fundibulariis, & levis armaturæ peditibus cum balliſtariorum cœtibus, & omnium apparatuum frequentiis. Inde autem Maphæi primum pilum gestabat ab cornu dextro (g) Senebrutii Comes, olim Cæsaris Contubernalis, ac Consanguineus. A sinistro Paganinus de Panico Bononiensis cum CCC. seu circiter è Germania militibus. Alterius aciei majoris Princeps à dextris Montisferrati Marchio: Ab sinistro Aymo de Ticinensi cum succintis ad latera peditum Centuriis, & tormentorum, & balliſtarum fulcimentis. Paribus igitur gressibus, dum jam ferro agi res nullo medio constitisset, obstrepenti tubarum classicorumque tumultu concursum est. Paganinus infestis Provincialium in se irruentium Ugone Duce congressibus acie digressus, cessit, campoque pervagatus, destitutum primæ frontis cornu dereliquit. Ad quam instaurandam, supplendamque Senebrucensis equo sublimi evectus prosiluit. Tunc strages, cædesque viritim collidentium, tantusque primi certaminis earum, quæ primæ concurrerant acies, corruentiumque fragor ac fremitus pulvere sublato, qui secundarum acierum visus obumbrabat, ut qui, quos invaderent, ferroque expeterent, ignorarent. At demum sub ancipitis pugnæ principio in se ipsos armorum pondere conflicti, consectique Germani, respirandi sublatis opportunitatibus concidebant, ut plurimi irremissione afflatuum, quam ictu percussi interirent. Hæsitque Provincialium, Longobardorumque exulum, quos larium quærendorum efflagitatio pugnaces efficiebat, fortuna, ut stratis, fusisque qui primæ aciei frontes tenuerant, sublata certandi spe, major Maphæi, quæ sequebatur, acies terga verteret, nec in se signa pilaque convertentium impetum expectaret. Inde fuga consternatis Maphæi viribus ad mœnia concurrentium cum hostium ad pontem Gazani, insecutione. Irrecuperabilisque Maphæo lucis hujus conflictus, dum vix Urbis tutela fiduciaque crediti intro se continerent. Potiti Campo Provincialium duces, Longobardorumque exules prædam concessere militibus, peditibusque. Cæsa eo die Germanorum capita ferme CLX. Aliorum Latini nominis. L. Totidem, seu circiter capta, inter quæ Senebrucensis Comes vir bello strenuus primipilarius cum nato tyrone, compluribusque Insignibus Germanis, Faciolus de Pusterla, Borgognonus Masinus, Thomasinus Burrus, Guaspertus de Bevolco, Otholinus (h) Canerasius, Ambrosius de Arluno Mediolanenses. Signa militaria tria Victoribus distributa, Papiam, Cremonam, atque Alexandriam ad triumphalia spectacula transmissa. Dies hic VIII. Kal. Oct. hora ferme VI. Anni Domini Nostri tertii decimi (i) trecenteni milleni. Concussa Mediolani multis momentis Civitas novarum rerum avidi exultabant plebei, præsertim, quos penuriæ urgebant. Item, qui factionis erant Turrianæ, ad quos Civium, Ruraliumque maximæ copiæ concurrebant. E majorum domibus Litei (K) de Biraga unus Lanzalotus de Castilione, Guilelmus Porrus, ex Cribellis, Lampugnanis, & à Cruce nonnulli Proceres: At ex circum Coloniis, Ruricolarumque millia ferè XII. Urbs commota per vicos jam novis, liberisque susurrabat affatibus: nullos successus præteritis præsentibusque graviores, exhaustis longo bello, affectisque coëmptionum ac contributionum frequentiis: statum hunc numquam exulibus Turrianis pacem habiturum: omne novum hac Imperii sublata clade casualiter profuturum, ut forsan his mutationibus pacem inexcogitatam Fortuna daret miserante Deo, novisque auspiciis. Iis fandi, pæneque ad arma prosiliendi licentiis, laxati è publicis carceribus plures nullâ custodum resistentiâ: Et si non consensu, conniventia, tolerantiaque Maphæi, ii in Urbis sinu, intraque penetralia præsumtus ad resultantes rumores accommodi. Campo secedentes exercitus fœcundam omnibus curandorum corporum copiis, pinguique affluentium rerum luxu noctem egere sequentem ad Busti Carulfi Villam. In tertia ad Lignanum promovere X. ab Urbe passuum millibus, dum & eis facilis ad Urbem accessus foret, jam ad vota cunctis succendentibus. Arctato inter mœnia, quem undique terror incesserat, Maphæo, instabant, suadebantque Senescalcus Roberti Principibus, Turriani, Longobardique, ut conterritam, laborantemque (l) ad defectionem Urbem adorirentur, lacesserentque omnis resistentiæ impotentem Maphæum. Illi segnes moras per dierum curricula trahentes cum Provincialibus tempora consumebant alloquiis, superque agendis exercitus omnes anxios suspensosque tenebant. At dum jam deprehensis ad progressus recusationibus frustatoriis clamitarent catervæ, orarentque Primores Longobardorum cedentem omni repugnationi Civitatem tantùm accipi, victoriam, quæ præsto erat, amplexari: demum detecto intercipientium rerum articulo respondere Senescalchi, cum suis clandulum decretasse Provincialibus, ut incumbentia peragerent. Qui ad regressum, discessumque è castris obstinati mandata omnia, hortamentaque repudiabant. Iis puncti præcordiis Longobardi allicere satagentes Provinciales multi æris sponsionibus regiis augendis in Longobardia magnificentiis nequaquam profecere. Suffecisse, inquientibus illis, quæ egerant, non ob eas causas in Longobardiam venisse; nec eos, quibus suæ suppetebant divitiæ, stipendiis sanguinem fundere; habeant gratum, quòd hostes suos æquo campo fuderint; suppleant ipsi, quæ

(f) *Cod. Est. & Amb.* Abiati.
(g) *In S.* Geneburtii, *& infra* Genebrucensis.
(h) *In S.* Generaxius.
(i) *In P. deest* trecenteni.
(K) *Cod. Est. & Amb.* Licti, de Biraga unus.

Sic habes interpuncta hæc nomina in P. In V. verò, & S. sic Litei de Biraga, unus Lanzalotus de Castilione. *In aliis* Licci.
(l) *In V.* delectionem, *pro* deletionem.

Digitized by Google

quæ restant. Replicantibus quoque Senescalchis, eaque detestantibus, quæ proferebant Provinciales, triumphumque Regi paratum complectendum (m), suscipiendumque protestantibus, nequidquam verba fudere. Illi quidem collatis ad recessum signis è campo, deplorantibus Longobardis, inexorabiles digressi sunt. (n) Tunc, sic ferente mortalibus ignota fortuna, omnis repentè fusus exercitus, vix collectis sarcinis victi in se victores ad propria singuli confugientes discessere. O hominum fames insaturabilis! O immoderata, inexpletaque avaræ mentis ingluvies! Hanc Maphæi aurum litem diremisse, cladem sibi summovisse increbescens vulgavit opinio. Laudata Ugonis de Albasio Thomæ supplicantis (o) exoratio publica, privataque ne Longobardis fidelibus, ne Regiæ Celsitudini hìc se probanti, hìc viros propalanti deficiat. In ambiguo habita, positaque Provincialium contubernalium pertinacias accusantis assertio, quem nonnullis eorum clandestinè spontè cœptis desistentem dixere. Notatæque verborum ejus prolationes, qui rei prosequendæ molestatus instantiis, se vix continere, quin in Mediolanum profugeret, proruperit. Itemque, qua via rogatus à familiaribus digressurus è castris fuerat, per Novariæ agros ediderit, & ii hostiles erant amicis Longobardis, & parti Regiæ. Maneat inviolata veritas nostris profundis non pertentata scrutiniis. Nec absque clade ex insperato sic laceratus iste degressus. Enimverò metatores castrorum ad vicum Baude (p) pro stativis locandis antecesserant. Jamque per ædes dispositi, comiterque à Terrigenis accepti discubuerant, cum abscedentium suorum nova versis vicibus vincenti fortunæ adhærentes pervertere. Baudensesque protinus, quos, ut hospites paulò ante exceperant, nunc, ut hostes, incessere. Captis è Papiæ peditibus circiter CCC. Uno equite. Ex Alexandrinis peditibus C. Equitibus (q) CC. Ex Terdonensibus, ac Valenzanis peditibus C. Mediolanum ad Maphæum adductis. Dumque Papiam lacerato agmine inglorius advenisset exercitus, commota plebs clamore ingenti ad Provincialium diverticula, quos proditores vociferabat, excurrit; nec prædæ, rapinæve modus illis turpi fuga per abdita loca delitescentibus, quos necandos incensa furore (r) expectabat frequentia, nisi Turrianorum, Primatumque circumspectorum, quos Roberti Regis amor, reverentiaque solertes urgebant, occurrisset velox, opportunaque providentia effrenes plebejos præconia voce monere, metuque instantium, gladiisque excurrentium ab rapinis arcere, multa ex ablatis restituere, quibusque valuere remediis, furoris cursum sedare.

(m) *Cod. Est.* complendum.
(n) *In V.* Tunc versis, *fortè* vicibus, *ut infra in hac Rub.* cum abscedentium suorum nova versis vicibus vincenti fortunæ adhærentes pervertere.
(o) *In V. & Ambr.* exhortatio.
(p) *Codd. V., Estens., & Ambr.* Raude, *& infra* Raudenses.

RUBRICA VII.

Captio Castilionis à Laudensibus extrinsecis.

DUmque hæc apud Mediolanum gererentur, exules Laudenses expugnatum Castilionis Castrum, quod intrinsecorum præsidio tenebatur, VIII. & XXX. in eo captis, cepere, illudque novo muniere præsidio.

RUBRICA VIII.

Incursus exulum Brixiensium in intrinsecos.

PEr eosdem ferè dies ad uvas legendas expositos Brixienses intrinsecos ex improvisu circumvenere extrinseci, fudereque cæsis circiter C. plurimis captis, armis, ac equis illorum, nec non & bobus cum vehiculis potiti VIII. (*) Kal. Octob. Anni ejusdem.

RUBRICA IX.

Bacchilionis flumen à Cane Grandi Paduanis obstrusum.

IN hos dies Canis Grandis nullo medio post Paduanorum è Vicentinis agris recessum Bacchilionis flumen, quod ad suos fines labandum resolverant (3), obstrusit.

(q) *Cod. Est.* equitibus II.
(r) *In P. & S.* expetebat.
(*) *MS. Ambr.* VI.
(3) Error in voce *labandum*. Et si reponas *labendum*, adhuc erit barbara enunciatio, ni dixeris, *suos per fines*. Villanus.

Albertini Mussati de Gestis Italicorum post Henricum VII. Cæsarem Liber Primus feliciter explicit.

Digitized by Google

ALBERTINI MUSSATI
DE GESTIS ITALICORUM
POST HENRICUM SEPTIMUM CÆSAREM
LIBER SECUNDUS.

RUBRICA PRIMA.

Venetiarum Status, & Zadrense (*) bellum.

NEc memorandis Venetiis vacet Codicis nostri contextus, cùm ea maritimarum Nobilissima Civitas, maris Adriaci dominatrix, per finitimas maris, & terræ provincias antiquis modernisque admodum effulserit laudibus, suis formidolosa potentiis. Illa quidem, dum absque partium Gelfæ, vel Gibolengæ superstitionibus navigiorum commerciis viveret, moribus usa simplicibus, miris affluebat opulentiis. Credita namque & privatim, & publicè Italorum Superi maris, affiniumque terrarum incolis acceptas opes (a) sua, & deponentium pariter mercationum usu servabat intactas, ad commodaque disponebat eorum. Dum ad tempora nostra serpens Mundi labes, quæ ceteros infecit populos, in illa exoriens crevit Ambitio, Venetosque insolentes auctæ fecere divitiæ, & situs Urbis inaccessibilis, & numerosæ Classis copiæ, quæ maris Argolici, Dalmatici, Libornorumque (b) finium dominatus præbuerant, pæneque subjectis omnibus Longobardis ad eorum emolumenta fluminibus. Hæc omnia Venetis inviolatæ fidei probati mores, & pax longa præstiterant. Sed primum in iis, veluti morbosa contagio, subiit intestinæ livor invidiæ & inter Primores innata de paritate contentio. Unde & præsto exorta partium Gelfæ, & Gibolengæ vocabula. Iis exuri, atque affligi cœpere curiosis angustiis, & honestissimam, ac rectissimam Rempublicam contentiosis exagitare dissidiis. Dum post acceptas memorabiles in Scurtiola ab Januensibus, & ab Apostolica animadversione pro crimine occupatæ Ferrariæ clades nutritam (c) longo saniem ruptum vulnus effudit. Nam Bajamontus (d) Theupulus Gelfæ factionis Princeps cum Insignibus Quirinæ prosapiæ Plebe suffultus (e) P. Gradonicum Venetorum Ducem insultaturus viribus suffragantium Illustrium Gibolengorum impar, propulsatus Urbe cum complicibus cessit, Badoario, & nonnullis fautoribus deprehensis, securi percussis. Dein quietissima longo ab ævo suo laborans pondere Civitas, partiariis infecta odiis, integritate sua dissidens ad factiosas calamitates devenit. Nec ipsa belli expers per hos Italicorum amfractus quievit. Zadrenses quidem Venetis

A diu faventes pulso præsidio ad Bannum Baladinum vicinum oræ Scalvonicæ Comitem defecere, cujus favore freti, excusso Venetorum jugo, rebelles effecti sunt. Exterriti tanta novitate Veneti, si Zadra, quæ sinum maris Adriatici ad tutum navigantium transitum possidet, non modò vacans obsequiis, sed ad rebellionem depravata cursus marinos impediat, hoc tamquam sui exitii momentum, initiumque intolerabile amovendum, tollendumque decrevere, etiam sub cujusque belli discrimine. Mirumque quàm inexpleta rerum desideria, maximè ultionum avidos in cœcitates addu ant. His acciri placuit Dalmasium Cathelonienſem Virum belligerum, qui Ferrariensi bello cohortium ductor, mille ferè Venetis cæsis necatisque, eorum fuderat exercitum, qui & per seditionem occiso Francisco Marchione Estense, cum quo adversùm Venetos eosdem consortia egerat. Talem Ferraria cedentem translata in Robertum Regem Apuliæ, qui alterum Præfectum in ea constituerat, suis admisere subsidiis cum M. mercenariorum equitum, totidemque pedestrium catervis, ære dato IV. (f) mensium suffecturo stipendiis, instructaque multa classe secus Insulam, quæ Zadræ adjacet, obsidioni se exposuere. Is multo strepitu, tumultuque navibus excedens prope Zadræ Oppidum stativa posuit: vallo, foveisque circummunivit. Protinus & Bannus in eodem ab Aquilone campo mille ferme passibus à Dalmasii stativis, totidemque à Zadræ mœniis Castris positis, copias suas eduxit, unde & si oppugnaturus Oppidum Dalmasius Castris exiret, & hic eadem invaderet. Variis hinc & hinc eadem æstate certaminibus fatigatæ partes parùm memorabilia egere, multo Venetorum fastidio, impensarumque pondere, cum suæ (g) maximè pecuniarum effusionibus res agerentur; illi ædibus propriis commodorum omnium vicinitate gauderent. Dumque ad hyberna coaptandarum, quæ tanto exercitui suppeterent, rerum tempus impelleret, expleto Dalmasii, suorumque trimestri stipendio, Venetias, ut (h) pro advenientibus tribus juxta initas utrinque conventiones, misit. Veneti tantis exhausti effusionibus, & pondere gravis æris, arctatum eo campo, quo sinè eorum (i) remigio egredi non valeret, existimantes, trimestre persolvere multa indigentia commodè non posse in responsis dedere. Sit ipse contentus unius dumtaxat mensis tracti exsolutione, quam & qua-

NOTÆ AD RUBRICAM I.

(*) Jadrense *aliis*.
(a) suo *legerem non invisus, & referrem ad dictionem* usu.
(b) *In P.* sinuum.
(c) *Desideratur* tempore.
(d) Biamons *aliis*. *In P.* Theopulus. *Scripturæ veteres* Theupolo.
(e) *Litera P. hoc loco significat* Petrum.

(f) *Fortè* III. *cùm paulò post dicat, expleto trimestri stipendio Dalmasium misisse Venetias pro alio trimestri.*
(g) *Fortè* maximis, *& meliùs, vel* maxima pecuniarum effusione.
(h) *Locum hunc sic exple*, ut pro advenientibus tribus mensibus sibi, ac suis sufficeretur, juxta initas utrinque conventiones.
(i) *In S. & P.* remige.

Digitized by Google

quatuor aureorum esse velit pro singulis hastatis, quæ de octo fuerat aureis primi fœderis percussione. Angustatus, oppressusque & temporis, & loci opportunitate Dalmasius, in se variis angebatur anxietatibus, torquebaturque, ad frequentes conversus supplicationes multorum reiteratione nuntiorum, ut sibi suisque pacta servarent, quibus & sua sponte compati, ac contribuere, dum in hybernis suffultos necessariis socios continere valuerit. Nec hæc pertinaces, seu penuria coarctante, seu concepta violentiæ perseverantia, Venetos movere. Bannus horum omnium per transfugas gnarus edoctusque, primo clanculum Venetos de pace per internuntios interpellavit: In amicitiæ fiduciam Zadrenses accipiant humilioribus obsequiis ex liberalitate servituros, quam si violenta obedientia premerentur Sit eis actualis, non verbalis libertas. Spontanea, quàm coacta gratior Zadrensibus, utiliorque Venetis esto. At Venetorum in Zadrenses Majestas solita, cum subditis indignata pacisci, nil oblatorum admisit, offensa magis libertate petita. Bannus irremissus, sic ferentibus rerum successibus, ad Dalmasium loco, tempore, & vexantibus Venetis circumventum conversus, ut rebus sic afflictis, ut ipse noverat, clandestinè sollicitavit. Demum tacitis per internuntios allocutionibus suggestione facta Venetis, ut pro utriusque colloquio ad ipsorum Venetorum vota res componi possent, convenere Bannus, & Dalmasius. Ictumque inter utrumque fœdus est jurejurando emologatum, ut Venetorum castris (K) egrediens in Zadram cum suis pergat, accepturus à Banno in præsentiarum florenos auri bis mille, præsitque Zadræ regimini annua florenorum M. mercede cum determinatis ad impensarum usum grani, vini, & animalium fulcimentis. His, dum ipsi Dalmasio libuerit, ad id tempus duraturis, sitque in ejusdem optione, si maluerit, in Apuliam migrare, & quandocumque ei libuerit in tuto trajiciendus sit, vasis & impensis Banni, cum sui & suorum armis & equis. Regressus Dalmasius, uti indignatione infecti negotii, cum Banno ad certamen sub Oppidi mœnia movendum signis, classicis, militarique fragore serò constituit. Suorum Primores secretis, quid in sequentem (l) acturus fuerat, monitis edocuit. Postquam autem illuxit in Kal. Septembriis Anni XIII. CCC. Millesimi instructis aciebus, destitutis castris, Zadram cum suis intravit incolumis. Veneti collectis extemplo sarcinis admiratione metuque simul stupefacti ad naves se, suaque contulere. Insultum habituri erant in eamdem classem, nisi secedentes è portu cursu celeri remigassent. Sic parùm feliciter rebus gestis, gravissima perpessi Veneti, nec ipsi bellorum Italicorum immunes fuere. Zadram ingressus, acceptusque magna alacritate Dalmasius, ut hujusmodi proditionis infamiam, si qua notabatur, in virtutis obsequium transferret, affectos oneroso bello Zadrenses ad pacem, quam se illis saluberrimam dare spopondit, hortatus est. Quos ubi prones, tractabilesque percepit, subibitò Legatos ad Venetos misit, qui se non ob alias in Zadram translatum causas asserant, nisi ut, quos victores nulla obsidionis pressura facere nequiverat, ampliori, utiliorique pacis fœdere hac simulatione efficeret. Velint ipsi tantùm positis iracundiæ stimulis evidentibus suis commodis acquiescere, plurium potituri hoc ingenio, quàm armis: patianturque, ut tam malè dispositis ad sua commoda rebus sibi consulatur: quòdque in Zadram se transtulerat, non fraudi, dolove, sed frugi, laudabilique proposito adscribant. Veneti tanto in anfractu discrimineque, afflictis sic rebus ad spem conversi, grates amico, circumspectoque Viro tantæ meditationis egere, respectuque (m) dilationis, ut consulto Duce id agere queant, dato, illius se potituros consiliis respondere. Duci, Senatuique Venetiarum, quos aliter potiundæ Zadræ spes deseruerat, hæc grata acceptaque visa, jussique Primores exercitus, ut, antequam sui excidii (quod jam increbrescebat) fama prodeat, cuique fœderi, quod spem pacis habeat, intendant, exequanturque. Irremissi, peragente Dalmasio, optantibus leniter Zadrensibus, pacem ictam ad omnium notiones publicavere, acturi de conditionibus per utriusque partis Arbitros Dalmasio medio. Interea inermes Veneti inter mœnia recepti fiducialiter prælato ex se uno, qui ad instar primarum consuetudinum Communitatis jus Venetis diceret, in Urbe versabantur, comiterque (n) comitia agebant per socialia fœdera. Nec minùs jugiter, & in dies de pacis conditionibus agebatur. Cùmque (sicut assolet) in tractatuum disceptationibus super articulis discolæ partes decertarent, paulò ante sedati incaluere animi, habitusque Dalmasius utrinque suspectus, nec vacillans rursus alteram fallat, alteri adhæreat. Ipsumque astutissimum hæc non latuere, qui Zadra cedere, si incolumis valeat, constituit. Concione igitur habita, quæ super pace egerat, rememoravit, bono animo, ingentique solertia res salubres hinc atque hinc exercuisse, rebus æquè ad utriusque partis bonum commune dispositis; abire velle; vasa navesque onerarias, quibus equos, & sarcinas in Apuliam trajiciat, poposcit. Ab utrisque grates actæ, navesque (o) constitutæ quinque, quas præmissas pelagi tempestas incessit, abegitque, ut scopulorum cautes (p) incuterent, elisæque fretum subirent. Dalmasius omnium vitandarum insidiarum astutia noctu lembum ingressus in Apuliam devectus est.

RUBRICA II.

De Republica Paduana, & alloquio pacis petitæ ab Cane Grandi.

PAduana Respublica diu ante honestissima ac rectissima, iis belli anfractibus concussa, & intra se multis variisque suæ politiæ immutationibus exagitata est. Ea quidem primum post memorabiles acceptas à Friderico de Stoph clades, qui Eccerino de Romano lictore ac carnifice Paduanos ferè ab omni stirpe deleverat, beneficio Romanæ Ecclesiæ restituta, septem & quinquaginta annos inviolatam pacem foverat, affluentibus aucta divitiis. Verùm secunda opimarum rerum felicitas adeò jam ambitiosos illos effecerat, ut abusu, luxuque labefacti, licentiosiores insolescerent paulatim. Unde identidem bonorum horum prodierat immoderata corruptio, iniquorum scilicet testium, omnisque falsi detestanda crimina, ususque voracis fœnoris, & lasciviens sanie, omnis morbosa cupidinis. Meminerimque ego, Lovatum Vatem, Rolan-

(K) *Intelligitur hic* Dalmasius.
(l) *Desideratur* diem.
(m) *In V.* dilectionis.

(n) *Cod. Est.* commercia.
(o) *Cod. Est.* contributæ.
(p) *Aliàs* incurrerent.

Digitized by Google

landumque nepotem, dum sæpe in diversoriis cum sodalibus obversaremur, inquientes, ut sic ingravescens jugiter, & in dies nostra Civitas magnitudine laboraret sua, modicumque restare temporis, ut jam senescens rerum ordo, mutata universi politia, solveretur, minùsque eam posse hoc ipso, quòd plurimum creverat. Serpsit denique, quæ Regna, ceterasque Urbes evertit, diu longumque nutrita intestina factio, dum obsoleta partis Imperialis superstitio alterius conniventia clanculum pullulasset. Coaluerant namque in ea è plebeja turba flagitiosi Cives, qui exacerbata concitaque in Insignes Plebe, exosos illos, uti communi statui suspectos, gravibus exagitari Plebiscitis fecere, Ancianorum, majorumque Ordinum auctoritate, quæ Nobilibus, Plebeisque mixta, æquam Rempublicam, salvamque tenuerat, translata ad Tribunitiam potestatem. Ad Tribunos quidem, quos Gastaldiones vocitabant, omnia publica, privataque judicia transtulere, & hi omnes Opifices erant, & qui sordidis commerciis vitabundi volutabantur. Hi forenses, publicasque causas sedentes, applaudentibus, hortantibusque Gibolengorum Demagogis, audiebant, judicioque gloriantes ad nutum finiebant. Nec modò turpia hæc, execrandaque eorum dumtaxat, qui has ineptias creaverant, foverantque fulcimentis; sed nonnullorum Gelforum additamentis invalescebant, qui, uti transfugæ, ad victores transfugientes, Democratiam erroneam (a) alterius tollebant. Hinc intestini livores, hinc lethales ambitiones, licentiæ falsorum criminum, amicorum, externorum veterum odia, inimicitiæque exortæ; nova quæsita cum Cane Grandi consortia, & indiscretæ fiduciæ, quæ omnia superadvenientis Henrici VII. Cæsaris ultiones, expiationesque sortita sunt. Sic Cane Grandi auctore amissa Vicentia, bella acta, & pace sublata mutati omnium rerum ordines. Inde & necato per Gelforum satellites Gulielmo Novello (b) de Paltineriis de Montesilice Viro nobili, factioso, in ipso communi Prætorio, pulsisque, ac relegatis partis Gibolengæ Primoribus, hosteque adjudicato Nicolao de Lucio proditore cum Complicibus, in aliam Politiam devoluta Respublica est. Abdicato abrogatoque omni jure illius pestiferæ Tribunitiæ potestatis, ad Insignes Primoresque Gelforum omne privatum publicumque jus translatum est. Omne Gibolengorum nomen deletum. Partem Gelfam, & Commune Paduæ idem sonare decretum, sancitumque est. Mille Virorum Senatus Gelfis auctus, ut inanes Gibolengorum voces eorum judiciis per calculorum clandestinas positiones non præjudicarent. Rursus alia ex solis Gelfis statuta Congregatio, ex cujus consulto rescindenda forent alterius Senatus decreta, & omnia partis Gelfæ, & belli negotia agerentur, ex eaque Anciani Conservatores quatuor Libertatis, & status, Octoque secretorum conscii crearentur, queis gubernacula Urbis relicta. Has novi status immutationes iis belli tumultibus nacta est Paduana Respublica Anno Domini nostri Jesu Christi tertio decimo Trecenteno Millesimo circum Novembrias Kalendas. Perque hos ferè dies ab Cane Grandi acciti, hortante Bailardino de Nogarolis Milite, duo per internuntios Paduani Cives, transmissique, Marsilius Pollafrixana Miles, & Albertinus Mussatus, qui de pace agerent, si fortè profligatis longo bello rebus infracta utrinque vota concordarent. Fiduciis ergo datis in constituto agro sub Monte Varda convenientes, pro quibusnam inchoandum foret, certatim verba permiscuere. Demum Bailardinus:

Nec pudebit, inquit, *præfari testibus Italicis, nec in pace petenda pertinax subsiluerim. Pacem pro Cane Imperii Vicario peto. Satius fuerat, Bailardine*, Mussatus respondit, *si hujusce rei Canis excitator, qui nos evocasti, sic nunc primùm adveniens occepisses. Et nos Pacem volumus Paduani. Adjiciantur tantummodo conditiones, quæ ratos hinc inde consensus efficiant. Assint*, ille ait, *ut per calles & Urbes armis positis tutus ac liber quisque perambulet. Et quis putas*, Mussatus infit, *nisi secta radice vulnus curet medicator imprudens? Cedat Vicentiâ Canis. Ea scandali materia est. Tollenda restat litis causa. Suâ*, Bailardinus inquit, *Vicentiâ cedat?* Marsilius Pollafrixana subdidit. *Patria, an vita? Sua*, Bailardinus ait, *cujus dominio se abdicare nefas sit. Sua, inquam, qua bene promeritum Orbis terrarum Princeps dotavit, cujus mercede millia multa cum amisso fratre ante Brixiam consumsit. Nec nisi prævaricantis esse fidelitati suæ creditam Civitatem cuiquam tradere. Injustum de illo queri, ut quidquam demeruerit, injuriamve fecerit, si obsequens Imperii Civitatem cum Regia Cohorte intraverit, jussis Regiis paruerit. Indignius fuisse, Paduanos ob id, Veronenses Vicentinosque agros bellis, incendiis, tantaque strage Canem incessisse. Satis superque fore, si tantarum contumeliarum tolerantia placandus Canis paci acquieverit.* E contra Mussatus: *Ab desine, Bailardine, his pacis alloquiis infandas renovasse querelas, resque horrendas honestis vestire vocabulis. Desine Canem laudasse, qui temerato sodalicii jure, quod cum Paduanis icto fœdere observaturus erat, Vicentiam, ut fur occupaverit, socios Paduanos vinctos adduxerit, vendiderit, nonnullos necaverit, inde falsum Vicariatus Titulum ab iniquo Rege coëmerit, bellum atrox moverit. Scelus avari, & criminosi Regis noxium Canem culpa solvere quis dixerit? Qui partiarius, ære accepto, Longobardiam totam Tyrannis fœdaverit, Veronæ, & Vicentiæ (ut ceteros sinamus) indignum Canem præfecerit, exclusis Civibus. Non eam Regis Justitiam, aut Diligentiam, sed Corruptelam. Talis Regis Canem, non executorem, aut Vicarium; sed funestum satellitem. Cedat itaque, sanguine flagitiisque saturatus; optimæ Civitati Paduæ sinat Vicentiam, prædiaque sua dignè poscentibus; pacemque supplex impetret, dum offensorum clementia, mansuetudoque; dum temporis, & rerum ordinis affert habilitas, si Vicentia restituatur. Mites Paduanos efficiat, pœnitenti, veniamque postulanti cum justis obsequentiis ignoscituros.* His aliisque nunc jocosè, nunc efficaciter disceptatis, Parente de Scornezanis Pisano forensis militiæ Paduanæ Duce, qui aderat, plurima egregia alloquente, suadenteque, adveniens Hesperus alloquium diremit.

RUBRICA III.

Vicentinorum exitia, & calamitates.

PIngui fortuna veluti stomachati annis ferme VII. & L. Vicentini, fastidioque dominantium

(a) *In V.* altiùs.

(b) *In V. abest* de Paltineriis. *In P.* de Paltoneriis. *In S.* de Paltaneriis.

Digitized by Google

tium Paduanorum, ut supra monstratum est, Imperii primò, postque Canis Grandis juga subiere. Quibus novi status facies Paduanorum contemtu admodum oblectabilis, quòd pridem tanta felicitate luxuriantes, nunc infesti belli discrimine fluctantes Paduanos intuerentur. Nil sibi molestum, nilque grave sentientes, dum sola illorum offensione gauderent. At exigua brevique labens illa felicitas in luctus mœroresque conversa est. Nam diffisus illorum mobilitate, quorum affectus in se parum pronos supputabat, Canis, ne versis propositis vacillantes pro libitu lascivirent, habenas eorum coarctavit, jam timeri malens, quàm cunctanter diligi. Nec in Gelfos quidquam fidei, aut efficacis spei propositum figens (a) ne jam jam hujus in Paduanos odii satures, facti pœnitudine quidquam novi molirentur. Nec diu hæc duravit insita Canis Grandis præcordiis suspicio, quin in nonnullos Primorum, quos cum Paduanis conjurasse torturis flagitiisque convicit, animadverteret, plurimis in furcas adactis, aliisque securi percussis; parte eorum quantiscumque valuit exhausta pro capitali redemtione pecuniis; parte relegata, quæ demum profuga obsequentiis exilia prætulit, quæque demum paulatim, ac sigillatim, & per singulos dies ad paulò ante despectos Paduanos supplex se proripuit. Fuere ii Malacapelli, Verlati, Maranenses, Pulzati, Colzadenses, Arzignanenses, Theupoli, & pæne omnes, qui Gelforum factiones lapsis ante has clades temporibus observaverant. Hos circumspecti excepere Paduani, ut necessarios amicosque intra Vicentiæ penetralia de seditionibus interpellarent; vel saltem illos, ceterosque suæ factionis Cani Grandi suspectos efficerent, dissensiones intrinsecas pararent, quæ Canem intestinis curis assiduè vexarent. Itemque, ut, si vires audaciæque suaderent, hostibus objicerent. Quibus tamen propositis, inertia segnitieque parum audendorum agendorumque tractatuum, vel per arma congressuum, Paduanos frustrati sunt. Quocirca ludibrio habiti, recreatione quadam Paduanorum animos suis calamitatibus satiabant. In tres dumtaxat Paduana mansuetudo miseratione, dulcique compassione respexit, Morandum de (b) Drissino, Henricum de Ravasino, & Bonmassarium de Collo, quos irrefragabilis amor, & unanimis stabilitas cum eisdem usquequaque continuit. Nec omnino ceteris inutilis hospitalitas, quibus merces data cum debitis in forensium turba stipendiis. Sed ubi rebus afflictis miserabilis etiam duris hostibus illa Vicentia, longis vastata populationibus, solisque gens infelix muris credita, impotentis Canis indefensa viribus, deserta destructaque, sublatis, quæ humanis victibus opportuna sunt, & nil eò minus contributionum consumta frequentiis, ad ultimas calamitates prostrata est, cum luctu, mœroreque, ac profunda pœnitudine statum deplorabat pristinum: Infausto Regi, adverso omine obeditum: Mentes alienatas illis defectionem suasisse, Imperatori parêre, cujus prædecessor Fridericus de Stoph aliàs se suosque contriverit, concremaverit, probris abhorrendis fœdaverit, deleverit. Anathematizabant blasphemiis proditores abditæ in templis Matres, qui gaudia (c) externa in tanta verterint præcipitia cum vicissitudinarius amplexibus, & profluviis lacrymarum. Terrebat, qui superstites erant Cives, Insignium, Plebejorumque absentium per trivia & quadrivia Civium raritas, quorum pars intolerabilium custodiarum affecta, vigiliis morti occubuerat, pars exilia sibi consciverat; nudaque Prætoria, & vacantes (d) Curules uno sub Judice. Sed heu. Juvene insolente satellitibus stipato, quibus bella proficua, & omnis lasciviæ corruptela, ad scortum Virgines, Viduasque suadebat egestas. Noctu incestus, violentiæ, raptus, ad stupra tractarum ululatus. Die Nobilium cum mercenariis nuptiæ, lacrymosaque sponsalia, & omnium persuada malorum impunitas. Et o Mortalium singulare desiderium. Libertas multis semper quæsita periculis! Serò pœnituere leviora spernentes, pressi gravioribus, Vicentini.

RUBRICA IV.

Brixiensium Pax.

QUæ prima Italicarum Henricum VII. Cæsarem ad arma prosiliens bello incesserat, reliquisque causas ad omnia momenta præstiterat Brixiensium Civitas, prima nunc per Nonas Octobris in se ipsam defessa, omnibusque angustata facultatibus cessit. Confectæ siquidem belli intolerantiis Partes, exhaustæque, & omnium bonorum egentes, agi tandem de pace multis cunctationibus passæ sunt, dum coarctans utrinque necessitas arma exuere, atque abjicere coëgit. Percusso itaque per Religiosorum intercessiones pacis fœdere, datis fiduciis, cum Insignium, ac Plebejorum desponsis conjugiis; apertæ sunt portæ, data oscula cum dulcibus lacrymis, junctaque amplexibus pectora, additaque mitia verba mixta singultibus. Pax altis per loca singula vocitata clamoribus. Commune statutum Urbis regimen, Joanne de Lucio Potestate, promiscuo omnium volente Senatu, decretumque commune justicium. Culta supplicibus templa cæremoniis. Deo laudes actæ, preces additæ, ut has pauperes reliquias foveat, augeatque. Tunc patentibus Urbis portis alta noctu quies. Inerme diluculo per angulos Vulgus, in plateis ac Prætoriis simul perambulans gratulabunda Nobilitas; per agros, & rura cum sentibus, (a) rubibusque certans officiosa Rusticitas. Communia Urbe, ac ruribus obsequia; omnisque luctus versus in gaudia. Tuncque cum finitimis, (b) & Cremonensibus pacem iniri Patribus ac Senatui placuit, idque ex communi Senatusconsulto factum est, illis non detrectanctibus, emologantibusque. Sic aperti in tuto calles undecumque merces advehentes, in tutelam accepti viatores, & hospites. Hæc enim omni extincto bello pacis Longobardorum fuere principia.

RU-

(a) *In P. & S.* nec.
(b) *Sic MSS. omnes. Hodie Trissini vocantur hujus familiæ Viri. Jo. Baptista Pajarinus Lib. V. Chronicarum Vicentin. ubi de Familia à Collo hunc Morandum non de Drissino, sed Panesachum vocat. Atqui Panesachi, & Trissini ad eandem Familiam spectant. Adi Notas.*

(c) *Cod. Est.* externa pridiana.
(d) *Cod. Est.* vacantes Patribus Curules.

NOTÆ AD RUBRICAM IV.

(a) *Corrige* rubisque.
(b) *Cod. Est.* finitimis Cremonensibus.

Digitized by Google

RUBRICA V.

Ingressus Friderici Siciliæ Dominatoris in Calabriam, & Rhegii occupatio.

PEr hos dies navalibus terrestribusque copiis Fridericus Aragonensis Siciliæ Dominus factione Primatum incolarum, qui ipsum Henricum Cæsarem per seditionem paulò ante excepturi erant, Rhegium Calabriæ Civitatem occupavit, municipiis ipsi Urbi adjacentibus in deditionem acceptis. His belli primordiis excitatus Robertus, continuò ad recolligendas per Urbes Italiæ vires Petrum Emboli Comitem fratrem suum cum militum MCC. cohorte ad Urbem accedere jussit, ut illico copias suas ab amicis Gelfis undecumque aggregaret. Deinde ad Friderici occursum alterum fratrem Joannem (a) Gravinæ Comitem cum totidem militum turma in Calabriam direxit: sicque novum bellum in Italia prodiit, subsidiis utrinque terraque marique quæsitis. Lacessitus itaque à Friderico Aragonensi Siciliæ Dominatore Robertus Apuliæ Rex, qui Henrico junctus Cæsari, Regno orbandum ipsum constituerat, inque ejus necem exitiumque pariter conjuraverat, (quamquam (b) illo post extincto complice, ipse Calabriam terram ingressus Rheginos deditione Civitatis sibi asciverat) ad reliqua indeficienter processurus, ipseque undecumque copias suas augendas, ut tanta molientem retunderet, decrevit. Nec ea dumtaxat repulsa, si prosperè res succedant, contentus; sed ad veterem dirimendam novo bello Regni Siciliæ litem, quam Bonifacius Papa VIII. semipacatam multo studio reliquerat, animum erexit. Continuòque per Italiæ fines ad subjectos edictis, ad amicos suasionibus Legatos misit, subsidiis ad hæc postulatis, navigiaque per maritimas terras quocumque freto poposcit. (c) Utque identidem quicquid, seu antiquæ, seu novæ potentiæ omnis simul valeret adacta in unum robur facultas, accumulavit, cum jam dudum exosis Pisanis pacem iniit, illosque galêis, vasisque cùm in Siciliam trajecturus foret multo favore pollicitantes fœderis hujus assentientes fecit. Duplex causa Pisanos movit: Quòd se à Friderico adversùs Lucenses neglectos omni subsidio probassent: Quòdque jam veluti eosdem superatos Lucenses ob susceptas dudum contumelias ulciscentes opprimerent. Exiit ergo ad subditos omnes Tuscos edictum Regium, ut paci huic obsequentes acquiescant, immobilesque maneant omnes possidentium conditiones, rerumque status ad habiliora servatus tempora nunc subsistat immutabilis: Exules verò Pisani mercatores, quos humiles & pacificos fama comprobaret, accepti in Urbe comiter tractarentur. Hæc velint. exequanturque Lucenses, omnesque Tusci jussu Regio admoniti, mensis unius termino præfixo, ut Oeconomos unaquæque mandet universitas, qui juramentis hæc obnixè despondeant. At Lucæ, Florentiæ, Senis, omnibusque per Tuscas terras Gelfis mœror, qualis ante non fuerat, dictitantibus omnibus, Robertum Pisanorum novum amicitiæ fœdus sibi protulisse, Lucenses sub hujus pacis velamine proditos, dum ab Roberto emtum suo ære præsidium expectarent, circumventos, indefensosque opprimendos fore, deprehensosque plurimis indiciis & actibus. Regium Vicarium, qui Florentiæ erat, distulisse, avitasse, ne adversùs infestos Pisanos Lucam Florentinorum Tuscorumque subsidia confluerent. Hoc esse incendium, quod eorum corda ferventiùs coquit in tanta fortunæ amaritudine, quòd ab eo, in quem spem omnem posuerant, non modò destituti, sed per objectos hostes incussi oppressique sint. Quid acturi sint consilii non esse, nisi quòd pacis vocabulo Gibolengorum servi efficiantur, bello quoque (d) à suo Rege fovendos. Iis afficiebantur querelis, urgentibus sic angustiis, pæne omnes Italici Gelfæ partis.

NOTÆ AD RUBRICAM V.

(a) *Al.* Gruinæ.

(b) *In P.* quamquam post illo extincto &c.
(c) *Pro* & postquam.
(d) *Cod. Est.* quoque illos à suo &c.

Albertini Mussati de Gestis Italicorum post Henricum VII. Cæsarem Liber Secundus feliciter explicit.

ALBER-

Digitized by Google

ALBERTINI MUSSATI
DE GESTIS ITALICORUM
POST HENRICUM SEPTIMUM CÆSAREM
LIBER TERTIUS.

RUBRICA PRIMA.

Depopulatio agrorum Lucensium per Pisanos.

ELati secundis Pisani successibus, sicque felici non abusi fortuna, bello non interea destitere, laceratis Lucensium Tuscorumque viribus; sed Nonis Novembris in Lucenses agros exeuntes in Valle Massæ inter Guamum, & Cantignanum castra posuere, omnia usque in plebatum Compiti depopulati, totamque eam oram vastantes incendiis, ut fulgore micantia omnia Lucæ mœnia noctu exardescere viderentur, Mille ferme militibus cum peditum sex millibus, seu circiter per singulas Colonias Vorni coëquitantibus Kal. Decembris.

RUBRICA II.

Exitus Lucensium ad Pontem Tecti.

LUcenses prostratis animis, ingrata pace, in quam Regem pronum sentiebant, nunc turbati repentino superbientium Pisanorum insultu, quibus valuere viribus ad Massam, ut hostes propulsarent, perrexere. Ex Florentinis subsidiariis equites CXL. E Senensibus CC. occurrerant. Carolus de Flisco Januensis, Marcellus Marchio de Malaspinis cum hastatis in equis CXX. Franceschinus, & Corradinus de Malaspinis cum LX. E Spineta hastati LX. pedites (*) VC. Mercenarii Lucensis stipendii CCL. Pisani exules LX. Lucenses ex Urbe & Valle Nubis milites quingenti, seu circiter. Ii extemplo, inexpectatis ceterorum amicorum subsidiis, incompositique mœniis exeuntes, ad Pontem Tecti, ut hostibus occurrerent, venere.

RUBRICA III.

Exitus Pisanorum contra Lucenses.

PIsani, Teutonicique majori agmine per Massam Macinariam, Sanctum Leonardum in Trepodio, Passaranum, (a) Advertianum congredientes, & ferro & igni cuncta subjicientes, incustoditos Pontes, Advertianum scilicet, & majorem occupavere, quibus præsidio munitis ultra Lozari amnem transgressi sunt: præmissos quoque Cursores, qui jam ad Plebem Sancti Pauli celeres accesserant, Comes Sarciani, & Spineta Malaspina, qui pro loci ejus tutela pro Senensibus ibi aderant, ad suos repulere. Secundo autem easdem Kalendas Vallem Compiti, paucis frustra resistentibus municipibus, depopulati sunt. Tertio, castris insidentes, ruinis excidiisque ac concremationibus Vorni, & (b) Cantuani institere. Quarto, cùm illuxit, majoribus fiduciis promota castra ad Costam supra Vicum Pelagum eduxere usque ad Monticulum incursantes, dirutis conflagratisque Vico Pelago, Gataruola, ceterisque usque in Capellam Damiatam ferro & igni consumtis. Cùmque excisos pontes Lozari fluminis à confugientibus ad Urbem Lucensibus invenissent, continuò tribus superjectis pontibus LXXX. ferme præcursores in quintam diem Sole orto amnem trajecere, qui dum ad pontem Tectum venissent, militum Lucensium alam, qui pontis ejus præsidio relicti fuerant, obvios invenere. Cœpto itaque inter eos congressu, tumultuarius Urbem hostes ad mœnia adventare rumor incessit. Lucenses campanarum undique tinnitibus, magnoque fremitu, ira, metuque pariter advehentibus, incenturiatis, incompositisque aciebus, lacero agmine ad hostes discurrere. Pisani, Teutonicique ad tumultuariam pugnam accedentes, repulsis his, qui primùm gressum fecerant, ad Urbis appenditias eduxere acies, sistentes secus Sancti Lazari pontem fixis signis, vixque tanti progressus pœnitentes, quòd coacti loco arcto ancipites erant facilè confligendi, si ii, qui mœnibus exierant, repentino insultu illos incessissent. Sed ii, qui Urbe primùm egressi CCC. fuerant, similiter hæsitantes, primo ac pigro motu ceteros præstolabantur, quos Lucensis populus ab Antiporta ad Sanctum Lazarum per agros secus foveas, quæ viam ab agris discriminant, distinctus magno clamore ac conviciis, ut procederent, (c) interpellabat. Exhortati Lucensium segnitie, & impari potentia Pisani, ballistariis ad latera coaptatis cum alariis levis armaturæ peditibus processere. Nec impetum sustulere Lucenses trans Antiportum, quod à Suburbanis majores extra Urbem vicos includit, repressi, fugatique, quamquam pauci ex Pistoriensibus audenter, sed frustra, restiterint. Lucensium igitur terga cædentes Pisani, Germanique C. circiter numero pariter Antiportum transiliere usque ad Sanctum Stephanum insequentes, majori acie ad Antiportum demissa, & illico ignem tectis summisere eo vico usque ad Sancti Petri Majoris angulum adusto cum triviis, & quadriviis per eam oram adjacentibus usque (d) Puccini Gatti ædem. Nec modus, aut ordo in Urbem confugientibus. Mixti

(*) *Cod. Est.* quingenti. *Cod. Amb.* DC.

NOTÆ AD RUBRICAM III.

(a) *In V.* ad Vertianum.

(b) *Cod. Est.* Caucuani. *Cod. Amb.* Cajiciani, *alibi* Canciani.

(c) *In P. & Amb.* impellebat.

(d) *In V.* Puctini

Mixti quidem militibus pedites, constipatique simul in se collidentes multi interiere, multos ponte excidentes gurge absorpsit. Vixque terroribus obstupentes, alienatique mentibus portis claudendis suffecere, consternatisque animis, afflictis sic rebus, qui in communibus plateis erant, perque Civitatis vicos, veluti Urbe jam capta, ad delitescendum tecta subibant. Pars lapidibus sublimium tectorum fenestras ad ultimam, inanemque tutelam complebant. Sed, sicuti assolet, bellorum profectò dominatrix fortuna conditionum ignaros bellatores facit. Capienda Pisanis, vixque se offerebat, ultro Lucana Civitas, prostratis Lucensium prorsus viribus, indefensaque solis portarum obstaculis ab hora diei nona in Vesperam stetit hostibus non ultra molientibus. Cæsa, necataque eo tumultu Lucensium, Florentinorum, Pistoriensium mixtim Militum, ac Plebejorum capita ferè CCC. Inter quæ Guido Christophori, Guido Benchasochii, Vannutorius Bergognoni, Dinus Elbigii, quem cùm vivum hostes excepissent, quòd ex delectis Prioribus regimini præerat, exoculatum exanimatumque dimisere, Cecius (e) Gancii. Capta CC. Inter quæ Landus Armatus, (f) Filchus Colucii, Opizo de Porta Sancti Petri, (g) Tingus Scoti. Utque tantæ in Lucenses illatæ contumeliæ triste monimentum, memorabilisque ignominia non deessent, nonnullus occisorum cruore antiportis inscripsit hæc Tusco idiomate epigrammata:

Hor ti specchia (h) *Bontur* (1) *Dati,*
Che Lucheſi hai consigliati
Lo die di San Fidriano (2)
Alle porte di Luca su 'l Pisano.

Invectiva hæc in (3) Pisanos hanc insonuit indaginem, ut (i) Bonturius Dati filius, plebejus scilicet unus Lucensis vir creditus in hunc cruentum titulum speculatus meditetur, quàm salubriter Lucensibus consuluerit, cùm die festo Sancti Fidriani ad Lucensium portas fuerint Pisani. Dies hic XIII. Decemb. Kal. Anni Domini nostri XIII. CCC. milleni. Ejus diei clausa jam luce ad Urbis portas tamdem traxere Lucenses, qui ad eas, ceteraque propugnacula lapidibus missilibusque (K) muniendas pernoctavere, resumtis in tantum animorum viribus, ut defendi Urbem posse memores forent, ceteris extra muros hostibus ad prædam concessis: quamquam & per noctis ipsius tenebras, & sequentem diem per vias & pusternas (4) omnia intra Urbem mobilia adveherentur, parvas soboles cum incomtis matribus, & virginibus è rogis ad confugia in Urbem trahentes. (l) At subsequenti ipsa die missi è Pisis duo ex Ancianorum ordine reditum instanter postulavere, Deum, fortunamque satis faventem habuisse asseverantes, quibus, quamquam Teutonicorum cohorte reluctante, suadenteque, ut jam victa Civitate potirentur, paritum est. Collatis igitur aciebus, signisque compositis, magno classicorum tibicinumque concentu per caudam Prati, & plateam Sanctæ Annæ, igne per omnes circumferentias immisso. pinguique arrepta præda, in (m) Castrum secessere. In tertiam lucem ad Pontem Tectum, centuriatis omnibus aciebus, igne Castris dispersò, magno applausu gloriantes Pisas reversi sunt. Extemploque, quàm citò commoditas attulit, galêas duas cum Legatis solemnibus ad Robertum pro pace acceptanda transmisere, cui se pro libitu parituros obtulere. Interea commota insperatis momentis Tuscia, dum victoriam (n) paratam post Henricum Cæsarem rebus humanis sublatum præsertim (o) sperassent, nunc magno luxu gloriantibus, viresque ostentantibus Gibolengis, multa querela, anxietasque malè cedentium rerum, metusque simul Gelfos invasit, qui citra Alpes ad Longobardos migravit.

RUBRICA IV.

Exitus Comitis Goritiæ contra Patriarcham Aquilegiensem.

PEr hos dies Henricus Goritiæ Comes Ottobono Aquilegiensi Patriarchæ, qui cum Trivisanis, ac Paduanis amicitiam confœderaverat, bellum intulit. Qui cum Babinico Leviro, ac Sclavorumque copiis in Forum Julii ingressus, Tulmini Castrum obsedit, fameque affectum præsidium ad deditionem coegit. Inde Bulgam accedens ad præcludendum amnem, qui Civitatem Utini ambit, ut faciliùs oppugnanda pateret, superstitit. Ottobonus propere à Paduanis, Tarvisinisque subsidia petit. Paduani CC. militum mercenariorum alam Opitergium mittunt, junctis sibi identidem Tarvisinis militibus C. Hos ulteriùs progredi hyems horrida, iniquæ ac longæ viæ discrimina prohibent, cùm nec illis divertendi locus tutus ab Opitergio Utinum foret, quod inde V. & XL. passuum millibus distabat. Henricus populationibus, rapinisque infestior multò, adactis metu faventibus Fori Julii Proceribus, cum illos Ottobonus tu-

(e) *In V.* Gangii.
(f) *In V.* Filcus.
(g) *In P.* Thingus Scothi.
(h) *In P.* Benturdati.
(1) Nec *Bentur*, nec *Benturius*, legendum sed, *Bonturus*, *Bonturiusve*, sicuti Codex hic noster habet. De hoc autem Bonturo mentionem quoque fecit Dantes Aligerius Etruscorum poetarum facilè princeps. Ait enim in ea parte sui poematis, cui nomen, *Inferno*, de Lucensibus verba faciens,
Tutti son barattier, fuor che Buonturo.
Quibus verbis è danistarum numero, quales affirmat esse Lucenses omnes, Bonturum eximere videtur, cùm contra ironicè summum danistarum eum esse significet. Atque hæc germana loci illius interpretatio: quicquid garriant ii, qui Bonturum esse ajunt ligneum illud signum brachiis truncum, quod sartores amiciunt experientiam sumpturi, an quid in vestibus minùs fabrè feceriut: ac per hoc innuere poetam, eos tantùm Lucenses non esse danistas, qui & lignei, nec brachiati sint, nempe universos. *Villanus.*

(2) *Lo die di San Fridiano*
Alle porte di Lucca su 'l Pisano.
Primò scribendum, *Fridiano*, vel *Frediano*, quo modo nunc loquuntur, Græcè φαιδριανός, ut puto. Deinde pro, *su 'l Pisano*, quæ verba sententiam trucidant, reponerem, *fù 'l Pisano*. Quod commentum apertè Mussatus probat, qui Latinè vertit,
Ad Lucensium portas fuerunt Pisani. Villanus.
(3) Puto legendum, *Invectiva hæc in Lucenses*, ni mavis, *Pisanorum*. Lucenses quippe, non Pisani versiculis illis traducuntur. *Villanus.*
(i) *In* P. Benturius.
(K) *Meliùs* munienda.
(4) Pro, *pusternas*, suspicor legendum, *posterlas*, quod Etruscorum glossema est. Ii enim appellant *posterle*, vel *postierle*, portas parvas, ac secretiores, quales sunt posticæ, à quo nomine, vel à, posteriùs, videntur distinxisse Thusci suas posterlas. *Villanus.*
(l) *In V.* At sequenti die.
(m) *Fort.* in castra.
(n) *In V.* peractam.
(o) *Meliùs* sperasset.

Digitized by Google

tutari suis viribus (a) nequiret, instabat. Circumventus iis angustiis Ottobonus, quem omnis subsidii spes refellerat, quæcumque assequi valuit, cum Henrico pacis fœdera iniit, totiusque Fori-Julii Capitaneum ab instanti candelarum festo ad sex annos instituit, accepturus pro omnibus Patriarchatus honoribus ac proventibus, Henrico soli applicandis, in præsentiarum marchas argenti quatuor centum quinquaginta cum duobus millibus (b) super adjungendis Anno eodem; pro sequenti autem (c) marcharum trium millium, ac deinceps Annis singulis marchas quatuor mille. Proh pudor! tanti fastigii Antistes è Sanctæ Aquilegiensis Sedis patrimonio viri unius ejusdem Ecclesiæ fidelis ac vassalli, factus inquilinus, & hospes: in fidem quoque servandorum fœderum Municipia possessurus (fuit hic Comes Arisig-los) Montem Falconum, Tolminum, Sclusam, Sacillum, Canipam, reliquis pro ejusdem Comitis libitu inter Fori-Julienses Insignes Comiti cariores distributis.

RUBRICA V.

Vacatio hyemalis à bellis Tuscis, & Longobardis.

HYems hæc Anni XIV. Nativitatis Domini Nostri post Millesimum CCC. à Longobardis, Tuscisque acta ferè tota sub imbribus, paucis memorabilibus præteriit, solis Pisanis in Lucenses nulla prohibitione Roberti Apuliæ Regis insævientibus. Ipse quidem in exosum solum Fridericum Siciliæ concitus, Pisanorum, quos sibi ad idem propositum conciliaverat, excessus convenienter tulit, Satrapas suos Italiæ Provinciæ à ceteris bellorum motibus continens. Quievere & Longobardi, suis quique contenti finibus, glacie, frigoreque intra mœnia cohibentibus, quamquam nihil extra Urbium, Municipiorumque appendicias ab latronibus tutum, desitumque ab omni terrarum cultu absque spe futuræ messis. Coacti intra mœnia Civitatum Municipiorumque rurales multa penuria servitiorum officinas quascumque agebant. Cives quoque exinanitis substantiis, horreisque exhaustis, attenuatisque præteritorum usuum impensis, magna parsimonia dies trahebant. Nec tamen inde (a) flagantibus animis deerant sedulò arrodentes conceptus. Odia fovere: de (b) ulterioribus meditari: vires ad vernum tempus resumere: cum suarum quisque factionum, seu partium finitimis coire: conjurare interdum; sed frustra parùm annuentibus votis: de pace agi: superbè promittere. His in angustiis hæc hyems consumta est.

RUBRICA VI.

Prodigia.

FLante quoque primo Vere prænuntia futuris actibus summo Cœlo, sanctisque Christicolarum delubris apparuere prodigia. Si quidem Martiis Kalendis Luna ante Luciferum pallens fuscæ Crucis operta signaculo, veluti eclipsabunda subumbrata est. Exsurgensque Sol ad horam unam ac dimidiam, alteram artificialem, seu ferè in depresso aëre circummicantes binos edidit Arcus pluviali simillimos. Horum prior Orbem collustrabat Solarem, ea distantia, ut suprema circumferentia horæ tertiæ locum teneret, & pæne medius Orizonta penetraret, terramque subiret. Secus autem hunc circulum duo Solis luminaria emicabant, ut Mundo tres Soles apparerent. Secundus primum ambibat tanto priorem includens spatio, quanto alter Solis orbem. Sed iis mirabilior tertius, qui Astronomorum nonnulla hæsitatione fatigatos occupavit aspectus. Supremo Cœli culmine superemicabat reflexus ad Occidens. Concretus hìc erat quadruplici colore fulgentior, & uti bicornis Lunarem tenens imaginem, cujus alterum cornu Occidentis extremitatem complectebatur; alterum Aquilonis. Signa hæc neglecta, (*) quàm procurata sunt. Parùm quidem de Terrigenis Cœlicolas curare autumabantur hujus temporis coætanei. Inoleverant enim cœlestes Caldæorum speculationes, Aruspicum rimationes, volatilium auguria, somniorum interpretationes, & sortium jactus, Deum supremum iratum ajebant suo nutu demulcendum.

RUBRICA VII.

Canis Grandis & Longobardorum exercitus in Paduanos Agros, & captio Montis Vardæ.

PRimos Æstatis motus Canis Grandis in Paduanos exorsus est, qui ære aggregato, subtractis (a) stipendiariorum impendiis, quorum paucos in hybernis tenuerat, Teutonicos è Carinthia mercede data sibi comparavit C. quinquaginta alios ex veteranis mercenariis quatuor centum reconducens. Inde subsidiarios è Longobardia tota à Gibolengis quibusque quæsivit, obtinuitque à Maphæo Vicecomite Mediolani Vicario, cujus Neptem Luchini filiam Chichino Nepoti suo nuperrimè susceperat, milites tercentos ipso Luchino Duce. E Pergamo Nicolao de Lucio ibidem Vicario ductore C. E Laude, Placentia, Mutina, Mantua, ceterisque ejusdem partis tercentum, seu circiter. Collatis igitur horum militum peditumque viribus, ac aliorum, quos ex Veronensibus Coloniis undecumque collegerat, Vicentia egressus Kal. Aprilibus, migrato Bacchilionis amne, per Custodiæ pontem in Paduanos agros descendens, apud Aponum castra posuit. Aponus Colonia erat cum fontibus calidis, quam Rurales Civitatis impetrato subsidio peditum L. præsidio, foveis, valloque cinxerant. Hæc primum Canis insultum frustra, paulòque resistens tulit, nec tamen pertulit; sed ad Canem defecit. Hanc igne immisso, quò majore impetu hostes conterreret, incendio consumsit: adverso tamen subeunte casu flamma in Castrum convolans multos militum equos hausit incendio, quo repentino igne destituti, custodiis, qui capti erant, ferè omnes evasere. Paduani consiliis noctu initis, quid tanto in cursu agendum instaret; an in latos campos prosiliendum in hostes, an intra fortiores locorum tutelas persistendum, impari tamdem prœlio cedendum decrevere. Non (b) enim robora sua stipendiariis firma-

(a) *In V.* requireret.
(b) *In V.* superadjunctis.
(c) *Melius* marchas tres mille.

NOTÆ AD RUBRICAM V.

(a) *In V.* fragantibus.
(b) *MS. Amb.* de ultionibus.

(*) *Intellige* potiùs.

NOTÆ AD RUBRICAM VII.

(a) *In V.* stipendiorum, *sed legendum* stipendiariorum, *cùm sequatur* quorum paucos.
(b) *Cod. Est. & Amb.* Nondum.

Digitized by Google

firmaverant, suis dumtaxat viribus præbebat opportunitas. Confestim ergo militum alam Quarterii Pontis Molendinorum ad Montem Silicem direxere, ipsique ad (c) tuendas fluvii ripas, qui à Monte Silice Paduam portendit, toto agmine mœnia exivere. Erat si quidem fluvius multis permeabilis vadis. (d) In has ripas persistere (e), conspicatoribus trans fluvium missis, qui præcedentes acies despicerent. Canis dum illucesceret, militum peditumque distinctas phalanges castris educens, majori seorsum acie relicta, ipse cum militibus fermè CCC. per callem Aponi ad ripam fluvii tetendit, seque cum Primoribus suæ cohortis Paduanis, qui adversam ripam tenebant, conspiciendum exhibuit. Ad hoc fortè Vadum tutandum Vannes Scornezanus de Pisis cum Paduanorum, stipendiariorumque ala objectus erat. Silentio itaque hinc & hinc intermisso, quo se oblectabundi alloquerentur, Canis galeam gallicam ad terga jecit, Vannemque compluribus compellavit verbis. *Quem primùm agnitione sui gavisum asseruit*. Inde quærenti, *Cur se tam proximum, patentemque suis agris Paduani non oppeterent, armisque aggrederentur?* Jocatus Vannes respondit: *Abesto*, inquit, *Canis Domine, ut nulla contumelia* (f) *liminibus vestris toties attingere prohibiti Paduani, ipsi in vos quidquam tantorum Procerum comitatu ad sua accedentem ingrati præsumant* (5). Deinde, *se Paduani Populi calamitatibus compassum, misertumque enunciavit*. Quem multis cachinnis, *suorum satis miserantem* Populi frequentia ironicè professa est. Posthæc, aliaque jurgiis interjecta seriosiùs, veluti (g) cohortem immissuro in torrentem Cani Vannes dilatatione suorum Vadum aperuit. Sed astum bellicosi Viri, ac Magistri militum, Canis agnoscens, subducto agmine regressus est. Tunc eam oram, quæ à Monte Gutture cum Balnearum tabernis usque in Bacchilionem portendit, desertam ab Ruralibus concremavit, ac secus Montem Vardam castra reduxit. Illucescente autem die Castro cum ballistis tormentisque insidente, vix primum insultum passus Antonius de Malitiis, qui trium & LXX. Militum contubernio præsidio ejus erat, cum indigni pavoris perpetua sui & egregiæ suæ domus ignominia Castrum tradidit, quod gratulabundus Canis adductis ad trophæum custodibus, toto exercitu Vicentiam regressus, adustum dimisit.

RUBRICA VIII.

Pisarum in Tyrannidem subversio.

PIsas Ugucio de Fagiola Potestas, idemque Capitaneus, bello, quod cum Lucensibus gerebatur, Communitatis assensu accersitus, acceptusque regebat. Vir Imperialium Partium fautor audax, factiosus, egregiorum assertor facinorum, belloque strenuus. Hic Majorum Civitatis, quos livor angebat in Populum, nactus amicitias, majora, quàm ipsi parum cauti excogitassent, meditari ac efficere aggressus est.

A Advenientibus itaque è Neapoli Legatis, qui Roberti Apuliæ Regis suasionibus conditiones fœderaque cum Lucensibus pacis attulerant, Senatus habitus est, frequensque ad consulendum Communitatis ejus conventus. Cùmque, ut tantum exposcebat consilium, discutienda res (a) fuerat, subitò è foro inferiore, opificumque stationibus auditæ voces sunt, quæ repentè increbuere ad palatiorum pavimenta: *Moriantur Legati*. Pars: *Moriatur Bonducius talis pacis suasor*. Pars: *Moriantur Gelfi*. Hæc omnia sic clandestinè ab Ugucione, factiosisque præconstituta, ex post facto comperta sunt, nec nisi, ut turbata pax infectaque subsisteret. Ex Antianis ceteris exiliens unus Petrus Bonducii altæ B fiduciæ Vir, communis commodi solers procurator, cui pater Bonducius erat, idemque inter plebejos, ceterosque cives admodum eminens, uterque in Reipublicæ actibus officiosus, in fidemque habitus. Prodiit is Petrus ante Ugucionem. *Et pensa*, inquit, *Ugucio, ut terram pace, uti interest tua, regas. Te sinè viximus, post hac & statu potituri. Sin autem, vias tuas abito*. Pacato tumultu Legati de pace tractaturi Lucam destinati sunt, ut arbitros super conditionibus coordinarent, quos comiter multa congratulatione suscepere Lucenses. Hac Legatorum intermissione pronis Pisanorum ad pacem animis ex Antianorum plebiscito cautum est, ex mercenariis militibus, quos pæne VII. centum C habebant, CCC. dumtaxat retineri, ceteros sublatos licentiari, Petroque Bonducii commissum, ut id Ugucioni renuntiet, sic velit, efficiatque. Nec remissus Petrus jussa ingenti verborum efficacia peregit. *Fidejussi pro mercede horum, quos licentiandos protestaris?* ait Ugucio. *Et quisnam illis solvet? Nunquid ego? Ut nempe poterit, de solutione agetur* Petrus respondit: *Exhausti sumus, loculos evacuavimus*. Horum verborum instantia præmaturiùs molestatus Ugucio, quàm de agendis conceperat, lacessitusque in Petrum: *In modico*, inquit, *arceor; quin hac tua insolentia capite pœnam luas. Proditor ego?* Petrus ait. *Et quonam prohibear, si hæc molitus sim ego?* Ugucio D respondit. *Deo Jure, Populoque Pisano* (b) *vetabere*, Petrus infit. Tunc Ugucio, velut insultans: *Abscede*, inquit, *non tergiversatus*. Discedens obmurmurasse his verbis dictus est: *Nec inde judicii* (c) *Galuræ Dominus sic jam fies*. Sic ea dies præteriit. Diluculo Petrum accersiri jussit, cui in secessu coarctato libellum his articulis legi fecit. Insinuatum (d) ei fore ipsius Petri, patrisque ejus Bonducii studio revocatum ab antiportu Lucæ exercitum Pisanorum, cujus rei causa Luca capi destitit, idque dolo malo factum. Item edoctos ab utroque Lucenses Motroni præsidia, munimentaque inferre, quod in Pisanorum manus venturum aliàs fuerat. Item Roberto Regi suggestum Pisas advenire, stipendiarios emoveri, quo Civitas servitutis jugum E subiret. Inficiatus hoc Petrus, quæstionibus, torturaque tamdem fateri convictus est. Continuòque & Bonducium patrem horum ignarum ab

(c) *In P.* ad tutandas.
(d) *Pro* In his ripis &c.
(e) *Cod. Est. & Amb.* perstitere.
(f) *Pro* limina vestra.
(5) Nemo non videt, discordiam esse inter, *vos*, & *accedentem*: ac proinde legendum, *accedentes*; nisi dicas, hic esse schema πρὸς τὸ σημαινόμενον; &, cùm illud *vos*, ad Canem Grandem referatur, meritò adjungi *accedentem*, dictumque *vos*, pro *te*, more seculi. Et paulò post, *Castro cum ballistis, tormentisque insidente*, ante *insidente*, debebat poni, *Cane*, seu *illo*. Villanus.
(g) *MSS. omnes* cohorte, *non sinè mendo*.

NOTÆ AD RUBRICAM VIII.

(a) *Legerem libentiùs* foret.
(b) *In V.* vectabitur, *pro* vetabitur.
(c) *Fort.* Judicati; *Galuræ enim ditio Judicatum appellabatur*. Muratorius.
(d) *Pro* sibi.

Digitized by Google

ab se vocatum, venientemque flagris, contumeliisque eadem profiteri convicit. Et, ne sibi nuda facinoris hujus fides parum suffragaret, nonnullorum ex Insignium numero, quos obliqua invidia in Petrum stimulabat, conventum habuit, & in præsentiarum, uti certum nefas, processum hunc, confessionemque detexit, obtestatusque est. Nec sceleri assertores defuere, quin animadvertendum severè, ac capitaliter declamarent. Horum assensu extemplo armatis mercenariorum manipulis Bonducium, Petrumque pariter, ut seditionis reos, more majorum, securi feriendos damnavit, quod nulla provocatione patratum effectumque est. At, ne cuiquam contra audendi fiducia succresceret, complices horum multos fore tunc subticendos promulgavit, (e) paucis palàm enunciatis, Vanne de Viridi ærarii Communis Camerario, & altero de familia. Nec ob id, ne sublata pacis spes Pisanorum opiniones affligeret, non negligendum cum Lucensibus tractatum simulavit; sed Legatos ad Ripam Fractam in diem præconstitutam, qui de conditionibus pertentarent, submisit: præfixit tamen multa adjectione, Castella omnia, Municipiaque, Motrone excepto, requiri; exules in utramque Civitatem remitti; horumque optio Lucensibus, ac responsio velox fit. Deinde rebus hoc in anfractu dispositis, dum diffisi omnes Ordinis cujusque Cives trepidarent, parendi atque obsequendi suis jussis jurejurando singulos obstrinxit, dominiumque solus occepit Anni hujus Kal. Martiis MCCCXIV.

RUBRICA IX.

De pace Lucensium, ac Pisanorum (a).

NAturam, (b) vultumque Viri singularis ingenii Ugucionis de Fagiola paucis dicere locus admonet. Fuit Origine (c) juxta Nobilis de Fagiola Comitatus Ariminensis Oppido. Calliditatis incredibilis, quam faciei hilaritas, & omnis (d) facundia fulciebat. Cujus ingenii profunditas, ut magna quæque negotia simularet ac dissimularet studium præbebat, amicitias facilè conquirere. Ingentium facinorum vicissitudines dubium, an aggredi promtiùs, an in susceptis perseverasse (e) moderatiùs: in ambiguoque certatum est, an astutior, an fortunatior. Verùm plurimorum judiciis ex facti experientiis fortuna industriam superavit, cùm per rerum eventus de utroque constiterit. Pisarum dominium, uti altiorum actuum exordium, sibi ipse conscius non inani meditatione permensus est, majora patratis hoc exorsus initio, nullam scilicet cum Lucensibus, quorum factiones, moresque prænoverat, pacem renuere, extorres eorum visceribus Civitatis immittere. Cùm de suscipiendis in Pisas exulibus sibi consilium non deesse satis supputaret, futurorum successuum ordines, ac verisimiles consequentias intrinseca cordis linea, solertissimaque dispositione contexuit. Irremissus igitur Legatos ad Lucensium (f) Arbitros, qui agendis præerant, direxit, scituros, velint, an nolint pertentata diu fœdera finem sortiri; Sin autem enuncient, (g) solemniores illum ad Plebem Populumque Lucensem remissurum explicaturos in ampliori Senatu, seu etiam Concione; per se non deesse, quin à bello discedatur, largaque sit quies populis fatigatis: quibus enuntiatis propere Pisas proficiscantur. Legatio hæc Sapientibus paucis, quibus omnia consultanda commissa fuerant, formidini fuit, horrentibus præcipitem Plebem tumultuariis vocibus pacem sub quibusvis articulis petituram: quod nec Ugucionem latebat. Trutinato ergo multa anxietate responso, demum Legatis retulere. Placeat Ugucioni ad Sanctum Jacobum Podii in diem sequentem cum plerisque Primatum Pisanorum conventum haberi, ubi (h) faciente Deo effectum actitata (i) consequantur. Annuit libens Ugucio, illò præfixa hora profectus. Compertisque in eo loco Henrico Bernarducii, Nicoloso à Podio, Datone Mariconi, (K) Teno de Bientina, & Gado Gropponi, in unum epilogatis, quæ jam dudum sigillatim publicis privatisque alloquiis exquisita recensitaque fuerant, demum per Commune votum percussa sunt fœdera, conditionesque declaratæ his articulis. *Utrinque exules indistinctè restitui. Vinctos pro belli causis dimitti. Viaregium*, (l) *Asianum, & Cerecellum Pisanorum Municipia à Lucensibus possessa, Pisanis resignari, obruta tamen. Arbitros quaternos inde atque hinc deligi, qui communium, privatorumque ceteras indefinitas lites tollant, & ambiguæ quæque discutiant.* Pax hæc magna congratulatione extemplo conclamata, jussique exules proprios quisque lares, ædes, & prædia postliminii jure repetere, ac capescere, acceptique utrobique lacrymosi, gaudiis, Ugucione comiter ac benignè introducente. Lætabundi cives negatos diu (m) aditus Urbes vicissim respicere, visere, ire, ac redire multis frequentiis pro brevis callis commoditate passuum dumtaxat octo millium oblectabantur. (n) Tunc choreæ, tripudia, comessationes, obstrepentibus per trivia & pavimenta tibicinibus, exultatione communi Urbes utrasque replebant. Tolli ad cœlum Ugucionem concordiæ patrem multis applausibus ab excelso Deo dimissum efflagitabat omnis cum plebe Nobilitas. Thure adolentia templa ambientium Matrum, supplicisque Vulgi frequentiis vix capacia, sacraque Deo mysteria pinguibus emicantia cærimoniis dierum horas plurimas (o) consumebant. Acta hæc anno Domini Nostri XIV. CCC. millesimo. VII. Kalen. Majas.

RUBRICA X.

Lucæ captio, & depopulatio.

(a) EXitium, cladesque Lucæ, & facti, & Urbis magnitudine memorabilia sunt. Lucana siquidem Civitas viris & opibus abundantissima, Florentiam, ceterasque Partis Gelfæ gentes confoverat; Sed primos Henrici Imperatoris motus excipiens, frequentibus bellorum in-

(e) *In V. deest* paucis.

NOTÆ AD RUBRICAM IX.

(a) *Meliùs* Ugucio de Fagiola qualis. Et de Pace Lucensium, ac Pisanorum.
Abest hæc Rubrica à Ven. MS.
(b) *In P. & S.* cultumque.
(c) *Sic reddidimus compendiarias notas istas* ixa, *quæ in omnibus MS.*
(d) *Cod. Est. & Amb.* oris facundia.
(e) *In P.* mordaciùs.

(f) *In V.* Lucensium ordines.
(g) *Idest* Legatos.
(h) *Al.* favente.
(i) *Al.* consequentur.
(K) *In V.* Terio, *ita Cod. Amb.*
(l) *In V.* Asinum, & Cerellum. *Cod. Est.* Asmum.
(m) *In V.* aditer, *fortè* negato aditu Urbes, *vel* Urbis.
(n) *In P.* Tum.
(o) *Sic P. & S. nam V. habet* comensabant.

NOTÆ AD RUBRICAM X.

(a) *Abest hæc quoque Rubr. à Ven. MS.*

Digitized by Google

incursibus enervata, sui præcipitii causas in dies nacta est. Nam agrorum depopulationes, incendia, & belli injuriæ, opes, substantiasque Lucensium tractim contriverant, & ægrè ab his adjuta est, quos assiduis suffragiis antehac diu illa sustulerat; hauseratque Robertus Apuliæ Rex publicum æs, quod pro auxiliaria cohorte, quam adversùs eumdem Cæsarem se missurum spoponderat, citra illorum spes in usum belli Siculi erogaverat. Itemque super Ugucionis de Fagiola tensas (b) propensiùs insidias communi bono oberant nobilium Civium Lucensium simultates, quorum nonnulli de paritate certabant. Horum Primores, Luti de Oppicis, & Henricus Bernarducii; alter nobilis, altæque prosapiæ opulentissimus; (c) alter summa industria in Republica præstantissimus, diversis studiis agitabantur, quamquam veræ amicitiæ causæ ad idem velle nolleque utrumque invitaret. Nec in dubium revocatum est, si duo ii suæ (d) Reipublicæ saluti æqualem operam dedissent, eversam eam non (e) fuisse. Ast hic error intestinus magnificas Civitates, ut morbus præcordialis, semper affecit. Sic forsan æterna lex desuper omni generationi temporaneam corruptionem adjecit. Circa captionis & exitii Lucæ seriem insistamus. Capta rerum gerendarum opportunitate, Ugucio de Arbitris eligendis, qui ambiguitates secernerent, interpellavit. Hi utrinque electi primo conventu in dissensiones incidere. Ajebant Pisani, inter pacis conditiones ictum fœdus fuisse (f) Bietinam, & Butrim à Lucensibus possideri dumtaxat, quoad pacem laudatam, quietamque communibus votis Lucenses facti experientiis perpendissent, tuncque Pisanis resignandas. Inficiantibus hoc Lucensibus, ac asserentibus, nusquam ex his quidquam (g) tactum. Rursus inquiebant Lucenses, cùm de exulibus (h) demum revocandis actum fuisset, non intellectum de novissimè pulsis pro seditionibus privatis, scilicet de Cervariensibus, Vallechiensibus, ac Fichesensibus. (i) Cœpto discordiæ primordio, adesse velle Ugucionem in Sancti Jacobi de Podio æde acceptum est, idque effectum est. Ubi cum Arbitris (K) plurimis contentiosiùs, quàm mitiùs disceptatum est. Indeque nulla æquanimitate ad Urbes reditum. Rebus igitur juxta Ugucionis vota ad casum incensè dispositis, Legatos Lucam super ambiguitatum declaratione transmisit, cui affatim (l) reversuros Legatos ex Senatusconsulto responsum est. Destinatis Legatis Rusticello (m) Boncasocchii, Joanni Peragæ, & Guidoni Pollani Senatus in Cathedrali Pisarum Ecclesia exhibitus est, data in præsentiarum fandi copia. Qui parva mansuetudine, majorique insolentia apud Sanctum Jacobum postremò dicta firmavere, eaque velle innixè Lucenses conclusere. Licentiatis è Senatu Legatis multa indignatione stabilitum est, petitis instandum, nec secus acquiescendum, & reseratis januis in digressu clamor exortus est: *Lucam Eatur, Lucam*. Eam diem, dum usque vesperasceret, seriosis verbis Legati cum Pisanorum Antianis consumsere. Sed in crepusculo Luporinus de Menaburio (n) cum Lanceariorum, ballistariorumque manipulis ad Pontem Tecti occupandum repentino itinere missus est, jussa improvisis Lucensibus executus egregiè. Nocturnoque nil ad invadendum eo minùs itinere (o), conterrendamque Urbem Mercenarii tercentum Galli transmissi sunt. Sole exorto (o) extra manu Ugucio signis in forum expositis omnes Pisanos insequi imperavit, & in Pratum Lucensem Urbi cominus acies eduxit, & portarum aditus multa vi clamoreque violentiùs incessit. Tum conterrita Plebs, Populusque Lucensis sedandas has contumelias sub omnis concordiæ interpositione acclamavit. Quo primo clamoris tumultu concurrentes ad fora Nantinus Salamoncelli, & Torre à Porta juxta Advocatorum ædes oppressi, obtruncatique sunt. (p) Pondingi verò, & Quartisani tunc in patulum secundati, Interminellorum, ceterorumque suæ factionis fortunæ adhæsere, & partem Ugucionis tenentes certamen in forum cœpere. Excitato intrinsecorum congressu Pisani intensiùs ad Portas Sancti Fridiani, & Corriariam, quam Imperatoris vocare solebant, bellatores subduxere. Intenti occupatique intestinis occupationibus Lucenses, desertis murorum, portarumque propugnaculis, portas erumpendas hostibus reliquere. Tunc Gallicorum ingredientium sævitia ferro & igni nulli ætati, sexuive parcens, iras simulque cupidines suas explevere. Tunc luctus, fuga, tremor, strages, cædes, omnisque generis clades miseros Lucenses, miserabiliorésque Matres parvulos è mediis ignibus telisque trahentes (q) invasere. Nec cædibus, rapinisve ullus modus. Qui per angustias latebrarum fugere, in ipsis latebris occisi, circumventique sunt. Inevitabilis mors loca singula occupaverat; Cùm tamdem apertis portis præceps, ruensque, & in se se collidens effusa multitudo, quas sors obtulit, salutis vias adinvenit. Luti de Oppicis frustra, diuque reluctans cum necessariis suis (r) Fusechum se proripuit. Hoc dignum seditiosis successus exibuit, quòd facinoris assentatores par cum ceteris prædæ populationisque pœna punivit. Nulla Personarum discretio quemquam salvavit. Quicquid mobile, portabileque solo adhærens, Pisas evectum est. Præterea rapuere Galli, Pisanique quantumque ac quotcumque, qualiacumque voluere mancipia. Dum demum ab Ugucione edictum exiit, parcendum, absistendumque posthac, standumque patratis. Per Municipia diffusæ Lucensium reliquiæ, ut valuere, collocatæ sunt in Fifeclo, Sancta Cruce, Castofranco, Vivinaria. Cetera namque extemplo ad Ugucionem desecerant, inter quæ Serravallum Jofredo de Vercellensibus traditum est. Verùm (f) Motrono desitum, quòd Roberti Regis præsidio teneretur. Allata Florentiam nova (t) repentinæ, tantæque cladis, uti vicino discrimine perterriti, Civitatem vigiliis, Municipia præsidiis firmare, Vicarias opportunas ad Urbis tutelam evocare, Gi-

(b) *In V.* propensas.
(c) *In V.* alterque.
(d) *MS. Ambr.* suæ, Reique Pub.
(e) *Pro* fore.
(f) *Cod. Est.* Bientinam, & Buctim.
(g) *In V.* tractum, *fortè* tractatum.
(h) *Quid si* domum.
(i) *Villanus legit* Ficchechiensibus. *In P.* Ficechensibus. *P. S. & Capto.*
(K) *MS. Ambr.* cum arbitris super plurimis.
(l) *In P.* responsuros.
(m) *In P.* Bochesochii.
(n) *Cod. Est.* Menabio.
(o) Confusa, præposteraque verba, quæ oportuerat eo ferè ordine disponi, *nocturnoque nihilo minùs itinere ad invadendam urbem &c.* Villanus.
(o) *Fortè* dextera.
(p) *In P.* Pedingi. *In S.* Podingi.
(q) *Corrige* evasere.
(r) *Fortè* Fuscedum, *ut infra. Scribe* Fuceclum.
(s) *In V.* Morono.
(t) *MS. Ambr. addit* causa.

Digitized by Google

Gibolengos extra mœnia arcere, Pistorium fortius præsidium transmittere, monere, suadere unumquemque tanto infortunio constanti animo esse. Pistoriensibus quoque pari metu perculsis curæ fuit Gibolengos extra Urbem pellere, Albosque Municipiis excludere. Conclamata demum præconiis vocibus quiete, pernoctataque sequenti vigiliis, Lucensi Civitati altera principatus frons status reformatione mutata est. Creatus Franciscus Ugucionis primogenitus in Potestatem, declaratusque. Multus honos hoc congressu promeritis contributus, pro concione etiam laudatis. Quos omnes super Castrucius Minelli, qui primi insultus initio è summa Turri de Leonisiis, Sanctique Fridiani (u) Colcherio deditione eorum partes Ugucionis tenuerat. Milites complures ab Ugucione pro triumpho cincti, inter quos Jacobus Clarenti. Proque tantarum injuriarum mitigatione, erigendorumque ceterorum Lucensium ad spem causâ, nullum Lucensem in vinculis hoc conflictu constitutum haberi, sed liberum dimitti pronuntiavit Ugucio, contestatus non sui libitu, sed præter ejus votum hæc omnia contigisse. Acta hæc XIII. (x) Domini Nostri anno post trecentesimum millesimum, Mense Majo, paulò ante Lucensem Cladem.

(u) *Meliùs* Cochlerio. *Osius*.
Immo retinendum Clocherio, *hoc est* Campanile, à *Gallico* Cloche. *Muratorius*.
(x) *MS. Ambr.* XIV.

RUBRICA XI.

Mors Clementis Papæ.

CLemens Papa V. die XX. Aprilis morbo correptus disenterico obiit. Vir magnanimus, auctor, cultorque Romani Imperii, nec eò minùs ceterorum Regum exaltator. Septimum Decretalium volumen multa solertia coordinavit, sanxitque. Necessarios suos ferventi amore dilexit, ac ditavit. Contra cujus pudicitiam fama laboravit. Raros conventus (a) cum confratribus habens (7), locis abditis, abstractus, solitarius.

(a) *In V.* cum fratribus.
(7) Genuina lectio; vult enim auctor, Papam illum rarò cogere solitum Concilia Cardinalium, quæ *Consistoria* vocant. Sunt autem Cardinales Papæ confratres. *Villanus*.

Albertini Mussati de Gestis Italicorum post Henricum VII. Cæsarem Liber Tertius explicit.

Digitized by Google

ALBERTINI MUSSATI
DE GESTIS ITALICORUM
POST HENRICUM SEPTIMUM CÆSAREM
LIBER QUARTUS.

RUBRICA PRIMA.

Alticlinorum, & Ronchorum calamitates, & exitia (a).

A Desto testis in hanc seriem, PAGANE Venerabilis Episcope, qui furentium in se Paduanorum habenas hac quatriduana cohortatione moderasti, pila pilis infesta cuilibet diremisti, per Urbis ambitus galea contectus in excitandis excubiis pernoctasti, insperatam calamitatem meam mecum ipse deflevisti. (b) Tu omnium horum inspector, ubicumque tulit opportunitas, affuisti. Ecce Paduæ inopina sors, eventus admirabilis, momentum insigne, cujus indaginem pæne eliciat ulla conscriptio. Belli initio, quod cum Cane Grandi post gestum est, ad partes Gelfæ factionis, exclusa Plebe, rerum omnium gubernacula translata sunt, omni sublato jure Tribunitiæ potestatis. Hi aucto ex se suisque Senatu, ne Gibolengis ulla fovendi Canis partes in Urbis sinu facultas foret, res nunc prosperas, nunc adversas per temporum casualia discrimina gessere. Crevit demum ex sublimis licentiæ amplitudine Regentium, quos paucos sors extulerat, insolentia, ut spreta ceterorum Civium Universitate soli Reipublicæ vicissitudines, & agenda quæque occuparent. Inde ad quæstus illicitos, tum ex Gibolengorum calamitatibus, tum ex communis æris jactura pro libitu lascivirent: & si in horum (c) cœptu pars studiis intenta salubribus in transgressorum actus adversata contenderet, secundarum rerum successibus elatorum cedebat audaciis: unde & nonnulli Bonorum ultro ad otia conversi Rempublicam destituerent, pauci sedulò constantiores in agone persisterent. Vicerat tamen Bonorum conatus Improborum pertinacia. Plebejos duos sic sors hæc extulerat, ut nihil appetitu expeterent, quod licere non putarent, Petrum (d) de Alticlino Virum Causidicum, & Oratorem (e) æquè venustum, cui ex longo fœnore partæ opes eximiæ, affluentiaque rei familiaris. Sed infausta masculorum soboles: Fœminas quidem per Nobilium, divitumque domos opulentissimè collocaverat. Hi mares tres Juvenum ætatis hujus sceleratissimi. Major sacræ ædis Prioratu paterna simonia præditus, Frassa medius, (f) Pasius tertius. Quis horum immanior ignoratum est. Stupri, seditiones, homicidia, rapinæ, omnis generis flagitia curæ illis erant, & summæ oblectationes (g) A patri scelera obtegere, lucrorum participiis nonnumquam congaudere, congratulari. Sed has assentationes dissimulare, cum quid Vulgo, Amicisque abominabile annuntiaretur. Utque illi ad nutum cuncta succederent, Magistratus Urbis primos ab jure nullo pudore assiduus occupabat; Reipublicæ jacturis amicitias captabat; cum scelestis, raptoribusque, ut mutua facinora perageret, assentationes agebat. Hos Gibolengorum nunc palàm, nunc clanculum tolerabat, fovebat: Illos vexationibus premebat. Hisque suis, filiorumque truculentis actibus magnus habebatur, Urbique (h) Gelforum favore fretus præpollebat. Exosos Nobiles, præsertim Carrariensis, quorum magnitudines formidabat, B obtrectationibus agitabat, punctim stimulabat, in vulgus detestabatur, noxiosque statui communi prædicabat, cum plerisque conspiratus, quos sibi ad eamdem factionem asciverat. Sicque belli, pacisque intro citroque Urbem negotia quæque cum summo Reipublicæ detrimento solus invaserat. Alter Ronchus Agolantis erat, non modo obscuro; sed sordido genere natus, paterno fœnore alitus, & ditatus. Vir arrogans, atrox, fortunarum suarum ignarus. Cui & filius primogenitus Guercius in arrogantiam paterna amentia consurgens, qui suis fidens viribus opulentiisque, Insignium magnitudines ambitiosior aspernabatur nulla æquanimitate contentus, timeri malens, quàm diligi. Stipatus sæpe sceleſtorum consortiis miseros rurales prædiis C privabat, in exilia falsis criminationibus arcebat, vulneribus impetebat. In Civitate Civium uxores, virgines, viduas ad stupra sollicitabat, contemtis Patrum, ac virorum semper offensis. Sed huic frater ultima sævitie, ac malignitate Vivianus, vix crabrone (ut Hyperbole (*) utamur) major, (i) teterrimus, Lupino (K) ore, facieque tota simillimus, homicida nulli parcens ordini ætative. Hic primo malorum initio, Sacerdote jugulato saginatus ad tot cædes, quot facultas præbebat, erupit, occisorum membratim tractationibus oblectatu, humani sanguinis sitibundus. Hanc filiorum propaginem Ronchus præfato Petro de Alticlino mutuis (l) nequitiis confœderavit, seque illi ad fœdus omne maleficum obstrinxit. Et mirum, tanta in Civitate horum paucorum potentiæ commune bonum conculcabant, dum ulcisci unus alium præstolaretur, tardèque Deo vindicandum singuli perorarent. Erat in Urbe stirps nobilis, vetustaque Carrariensium, præpotens viris, rerumque omnium affluentiis. Hujus majores natu Jacobus, D &

NOTÆ AD RUBRICAM I.

(a) *In P. & S.* Commotio Status Paduanæ Civitatis, & mutatio politiæ.
(b) *In V.* Tu omnium rerum &c.
(c) *In P.* cœtu, *& ita Ambr.*
(d) *Cortusius vocat* de Altechino.
(e) *In V. deest* æquè.
(f) *Aliis* Paxius, *&* Paxinus.
(g) *Fortè* patris.
(h) *In V. abest* Gelforum.
(*) *In V.* ut Hiperbole loquamur, *pro* Hyperbolice.
(i) *Idem* deterrimus.
(K) *Fortè* ori.
(l) *In P.* negotiis.

Digitized by Google

& Ubertinus cognationis præstantiores, quorum prudentiæ strenuitates æquabant. Hi invisi Petro de Alticlino, complicibusque odia hæc ac simultates multa circumspectione dissimulabant, in diesque protrahebant, ne quid in tanti belli discrimine Civitas incommodi pateretur; ob idque pusillanimes à Petro, & factiosis, ipsaque Populi opinione dici malebant, quàm Reipublicæ impedimento fore, quæ belli vicissitudinibus assiduè agitabatur. Sed hac in progenie juvenes erant duo, Oppizo & Nicolaus Ubertini filius audacis indolis, & magnanimæ. Hi uti totius domus ignominiæ impatientiores horum erant. Quorum lateri concordes adhæsere juvenes ex Urbis Insignioribus, Petri & suorum temeritates multa vehementia stomachantes, unde & elevati utrinque animi, si materia se afferret, ad manus conserendas præsto erant. Dum ergo fortè VIII. Majas Kal. movente, ac instante (m) Guercio Ronchi, & plerisque suæ factionis in Antianorum atrio accersitis pro singulis Urbis Quarteriis civibus quinque, seu circiter, conventus habitus esset, in quo Petrus idem cum aliorum Octo Sapientum Collegio, quod ipse (n) concreaverat, cuique in summa potestate præerat, Dinus de Rubeis Ariminensis, Paduanorum Potestas, à Petro, suisque, nec non Antianorum cœtu suasus rogationem fecit. Quid super statu custodiaque Civitatis agendum instaret. Continuò ex Petri, Consultantiumque sententiis eo conventu stabilitum est: Ex Gibolengis XII. extra Paduæ fines arceri, absentesque pro rerum occurrentium moderamine tollendæ omnis suspicionis causa parêre. Ex iis relegandis plerique Nicolao, & Oppizoni, ac Consodalibus affines erant, eatenusque defensi sub eorum umbra Gelforum tolerantia. Qui hoc sibi factum, injuriosumque reputantes, rem altiùs aggredi, accitis ad hæc sui consortii juvenibus, meditati sunt: occidendum scilicet potiùs Petrum, filiosque unà, si aptitudo contribueret, remque totam in discrimine ponere, quàm parcatur. Jacobus verò, & Ubertinus saniori pro Urbis salute consilio tentare Dinum Potestatem, Antianosque, si reformari, emendarique, (o) quod plus contumeliosè, quàm justè, ac ritè factum erat, moliti sunt. Sed apud eos rigidos pertinacesque Magistratus, Rolando de Placiola, & Albertino Mussato multa perorantibus, ne quidquam profecere. Nicolaus & Oppizo noctu Agrestium copias in Urbem clandestinè coëgere, per loca abdita, & domicilia disposuere, manèque accedentes ad Prætorium, Petrum, & filios (p) ipso venali foro adorti sunt. Diffugientemque ad ædem propriam capite vulneratum incessere; sed celeri equo evectum latebræ, quò casus attulit, illum accepere. Inde clamore per fora, & plateas invalescente, *Populum vivere*. (Sic enim Nicolaus, & Oppizo primas voces ediderant) ad arma undique concursum est, veloxque disposita ad tumultum materia omnem furorem administravit. Dinus cum familiæ suæ sequela explicatis (q) insignis in forum prosiluit. Tunc omni ex parte equestrium pedestriumque catervæ fora replevere. Rumor, qualis ante in Civitate non fuit, intellectus singularium ignaris oblocutionibus confundebat. *Solum Populum vivere* clamantes ceterorum voces obstrepebant. Cùm tamdem Dinus in Procerum circulo à Pagano della Turre cohortatus, Mercenariorum cohortes, ac Populi catervas se circumsistere, ceteras militum turbas è foro abire imperavit, idque, quamquam ægrè, tamdem multo impulsu vacillantibus egressu & regressu militibus particulariter fieri cœptum est. Primus Quarterii Pontis Molendinorum pilus, suadente Albertino Mussato, è foro cessit; sed in trivio centum ferme, & quinquaginta passibus à communi platea composita acie substitit, & ferè (r) tantodem spatio Quarterii Domi cohors cessit: sed abeundi dissimulatione reliquorum duorum Quarteriorum phalanges regressæ forum (s) occepere. Carrariensibus cum se se diligentibus populi favorem nactis, fortunam primam sibi adhærere, ausibus, industriisque compellentibus, Oppizoni vexillum Populi volenti, conquirentique collatum est. Tunc concretus in eamdem vocem Populus, sumta, casu sic ferente, fiducia. *Populum vivere*, acclamavit, adjectione summissa: *Moriantur prodi tores*. Nec mora è foro plebis emanavit turba ad Petri domum corruens tumultuario strepitu. Unde continuò omnis gaza subrepta est, pretiosaque supellectilis, excisaque à summo tigno omnis tabulata paries, quicquidve avidè furentium manus diripere valuere. Proh dolor! nefanda detecta scelera, solius Dei, non hominum judicanda judiciis. Hoc in solo sub diversoriis ergastula sepulcris simillima referta cadaveribus comperta sunt: Pars ferreis annexa compedibus ætatis multifariam, sexusque utriusque. Pars vestita fronatis palatibus, recentia veteraque olim viva succlusa, nunc ad lucem edita obstupentium singulorum aspectibus. Pollutum conniventia Patrem iis sceleratissimæ sobolis criminibus omnis cum Plebe Populus contestatus est. Dum & paulò ante juniorem filium (t) Pacem, qui eviscerata conjugis embrionem à se conceptum alvo ejecerat, & cor, nasum, ac genitale membrum ad scortum, cui ob amoris stuprum ea spoponderat, in patera ad exenii instar destinaverat, patrocinio defenderat. Alia quoque vulgaris murmurabat opinio, ut vicinam domum hospiti Busyride truculentiori locaverit, qui necatorum noctu hospitum jacturis infandam hanc familiam locupletaret. Ea dies tota furore exacta est, clamitante in Plateis populo: *Proditores mori, populum vivere*. Nec cujusquam nomina palàm effundebantur. Cùm demum pernoctatis vigiliis pavor intra, extraque Urbem tristes undique cives occupaverat. Diluculo Nicolai & Oppizonis consortium, quibus singularum inimicitiarum memores ultrices manus addiderant, tumultuario clamore è foro progressum Ronchi nomen expetiit, quem in amici domum ex fiducia delitescentem Populo exhibuit, isque continuò mille confossus gladiis, nudatus per cænosa trivia, & vias ad forum unco tractus in totius Populi spectaculo procubuit, expilataque ejus domus est quibuscumque substantiis. Illicoque tali freti successu, qui Ruffum (u) Jacobini capitaliter (x) aderant, cum Plebis ala, tamquam Populi hostem insecuti, profugum in ædem truciantes è specula in viam dejecere, spoliatumque indignè Ronchi cadaveri associavere, direpta ex sua

(m) *In P.* VVercio.
(n) *In P. & S.* concitaverat.
(o) *Deest* posset.
(p) *Pro* in ipso.
(q) *Melius* insigniis.
(r) *Cod. Est.* tantumdem.

(s) *Al.* accepere.
(t) *Qui supra* Pasius *dicitur*.
(u) *In P.* Jamboni *in Opere; at in margine*, aliter Jacobini.
(x) *In omnibus* aderant, *lege* oderant.

sua vicinisque domibus omni supellectili. Sicque Populo Paduano ad curas platearum converso, cetera inopum plebs scutiferis alienigenis mixta ruralibus ad prædam, quocumque facultas tulisset, erecta est, multosque popularium, quos Petri, & Ronchi vulgabat fama familiares, nulla lege, nulla tuta vicinia rapinis incessit. Tunc ex multitudinis hujus densitate oborta vox est ad illum delendum, qui Paduanam plebem contributione (y) Carpellæ consumendam, pauperandamque, decreverat, increvit, invaluitque nullis arcenda remediis, avidiorque prædæ, quàm victoris ultione nullo duce. Hic Albertinus Mussatus erat, qui per externos dies, ne frequentes bonorum cujusque æstimationes, quas pro belli vicissitudinibus fieri urgebat necessitas, neve assiduæ exactiones prægravatum populum fatigarent, novæ constitutioni operam dederat, ut quaternum assem ex libra carpendum dator, acceptorque ex quibuscumque commerciis Communi persolveret. Hanc sæviendi causam, quam prædæ materia fulciebat, (z) supressere Plebei dispari incompositoque cursu cum muliercularum grege, quæ ex horreis Petri & Ronchi grana retulerant. Fortè sedens erat in vicina porticu consanguinei viri nobilis A. de Dente Albertinus Mussatus, qui januis clausis ad corruentem furentium vim propulsandum tutelæ se simul coaptavere. Erat quidem Palatium muro Civitatis adhærens, oppugnatu difficile ballistis ac missilibus, quæ & Domum Albertini Mussati proximam tutari diurno uno momento poterant. At mutato repensans proposito Mussatus, si hac, quamquam vilissima plebe sauciata, occisaque, uti sua injuria lacessitum in se Populum ultra converterent, periculo sui hoc fore, & Reipublicæ detrimento. Cùmque in cuneum subterraneum subire, quo delitesceret, A. de Dente suaderet, se vivum, & insontem sub terra iturum negavit; sed plebis insaniam vitabundus equo insiluit, portaque Civitatis domui huic contigua egressus, ad Vicum Aggeris se altero contendit Pagum tribus ferme millibus passuum ab Urbe distantem. Audita per Quarterium Pontis Molendinorum proximum hujus furentis turbæ commotio, armari ad subsidium milites, præmori eligentes, quàm innocens, & (a) infensus intereat, vel ædes ejus demoliantur, coëgit. Extemploque in singulis domus angulis gladiis objectis consistentes accessum primum sustulere. (b) Sed ingruens hinc & hinc rapax advenientium aviditas, quæ jam paratam prædam morti prætulerat, occurrit. Dinus Potestas cum suffragantium militum turmis ad hanc tutelam per universam Urbem allectis. Qui ante valvas provectus, pœnalibus (c) indictis absistere insultantes monebat. Sed & hic furoris confusione despectus nequaquam suffecturus fuerat tanti vulgi ruinæ, quam decem millium & ultra numerus evaginatis gladiis (d) complebat, nisi Carrariensium copiæ cum Nicolai, & Opizonis consortiis nunc minis, nunc pinguioris, justioriisque prædæ sponsionibus obstinatas frequentias summovissent. Hoc pæne momento (e) Guercius Ronchi ab Episcopali æde Turriano superinsigni, ut hostes falleret, veste contectus, per

(y) *Vide Rub. proximè sequentem.*
(z) *Cod. Est.* sumsere.
(a) *Lege meo periculo* indefensus.
(b) *Pro* Sed ingruente hinc & hinc rapaci advenientium aviditate &c.
(c) *Sic in omnibus MS. meliùs* edictis, *vel* dictis.
(d) *In V.* compellebat.
(e) *In P.* VVertius.

A hanc oram decurrens, à Nicolai, & Opizonis sodalibus agnitus est, quem profugum è porta Pontis Molendinorum Franciscus de Capite Vaccæ, & Joannes Franciscus de Galinarellis cum plerisque sequacibus insecuti sunt, coactumque intra Trinitatis portam, equoque (f) arcente catena desilientem, ac migrantem in proximæ casulæ latibulum, intercepere, jugulatumque obligatis tibiis per eamdem, qua diffugerat, regionem ad forum secus patris cadaver traxere. Ea dies ferè Urbi toti exitialis sub armis acta est, formidantibus quibusque Civibus Canem Grandem ad muros in tantis advenisse flagitiis, necnon ne crassata Plebs sub instantis noctis tenebris diffusim Civitatem rapinis expi-
B laret, flammisque exureret. Futura hæc erant, nisi (g) in erectum foro patibulum prædonum unus adactus, putataque quamplurium membra iisdem furcis ostentata transgressores conterruissent. Ac nil eo minùs violentiæ per occultos Suburbiorum vicos patratæ sunt, cæsusque à privatis hostibus Clarellus de Bullis de Monte Silice Vir fortissimus. Sic illum adversæ fortunæ hujus inopinatus casus oppressit. Nox tamen Carrariensium, quorum solum nomen per tanti anfractus vices invocabatur, excubiis coordinata est, ipsis iisdem, subarris ad platearum angulos interjectis, circum Urbem ambulantibus. Cùm tamdem lucem diurnam aurora detegeret, reintegratæ in fori plateas (h) Populi, Plebis-
C que omnis catervæ in easdem voces: *Populum* scilicet *vivere*, *proditores interire*, acclamabant. Flagrabant siquidem in eos prorsus animadvertere hoc furoris adjumento, quos communis æris effusi noxios, quæstuque publicæ jacturæ locupletatos irritabat infamia. In hæc Populi melioris studia satagebant. Agrestium verò, & egenorum, ac forensium infestæ multitudines ad divitum fortunas diripiendas sub quavis occasione (i) infamescebant. Sed tertium Gibolengorum genus Gelforum (K) cruores sitibundum præcordiales urgebant affectus, in sese Gelfos insanire, collidere, consternari, ut superantium victorum raritates ipsi, captata opportunitate, insatiabili ultione conficerent. At Universorum
D mentes in Petrum Altichlini, & sævos natos conflagrabant, plusque eam consumsere diem igniti conceptus, & inflata susurria, quàm proruptiones in actus. Non enim interim promoventium exercitia ad promtum exequenda paraverant. Verùm cùm, uti in retis cuneum, clanculum per contiguas domos Petrus & nati omnes in Episcopalem ædem podetentim emigrassent, Nicolai, & Opizonis Sodales inclusos circumfusis arcuere custodiis, Pagano Venerabili Episcopo piè, (l) quàmque indignè, protegenti sub populi animadversione minitantes, ut eos aut dederet, aut tolli sineret, & vindici populo resignari, tradique. Tantæ resistentiæ impotens Paganus, furoris jam accedentis populi pavore
E perculsus, clementia pastorali multo ejulatu illacrymans deditionem morti prætulit, contestatus, moriendum sibi, nec aliter, nisi per ejus viscera ab raptoribus prætereundum. Cùm demum Opizo thalamum, quo Petrus, & Filii latuerant, ingressus fiducialibus alloquiis educendos

(f) *Sic legendum duxi, cùm esset in omnibus MS.* accente.
(g) *In P. desideratur* in.
(h) *In V. deest* Populi.
(i) *In omnibus* infamescebat *malè.*
(K) *Meliùs* cruoris.
(l) *Cod. Est.* quamquam.

Digitized by Google

dos in tutum, si suis consilio, fideque uti velint, spopondit. Angustatus tanti discriminis perplexitate, nulla certè salutis via patente, comitivam, conductumque Opizonis admisit, volentique ac petenti Episcopus annuit. Opizo prima noctis vigilia sex ferme concomitantibus ultroneo Petro, & Filiorum assensu eos eduxit. Dumque ad Urbis valvas, quæ Turrisellarum nuncupantur, per quas migrasse præconstitutum fuerat, accessissent, infesta sors clausas objecit, quo dispendio en adventans Nicolaus stipatus armigeris; uti casu incidens, quinam ii viri essent clamitavit, patefactaque re Opizonem frustra reluctantem increpitans, in Petrum, & Filios manum injecit.

Tunc Petrum, & natos jussi rapuere clientes,
Et junxere manus vinctas, inhonoraque lora.

Circumtulere hypochondriis, infaustum Priorem primogenitum, inde Frassam, & postremò Paxium uno fune vincientes, noctuque, ut devotas ad macellum victimas, in privatæ domus diversorium multis probris illusos tenuere. Ubi Nicolaus, & plerique sodalium de singulis patratorum scelerum quærentes identidem pernoctavere. Illico & de redemtione ære dato decem mille florenorum auri, si se, si tamdem solum Pasium coëmere (m) voluisset, Nicolaum, sociosque (n) compellavit, (o) ac nequaquam profecit. Porrò, ut luce diurna judicio proximiores adessent, in apothecam mercatoris secus forum meridionale abduxere, ubi de Animarum salute cum Sacerdotibus alloqui (p) facultate data, demum vociferante plebe conspicienda in Septentrionali foro astitere, paucis itidem ex Theatri fastigio infandorum hujus perniciosæ familiæ operum publicatis. Invisi ii, quos acceptarum contumeliarum causæ stimulabant, infestis adorti sunt gladiis. Primus Levir, cujus sororem Pasius parricida necaverat, harpe frontem ejus oppetiit, stravitque humi pæne craneo bipartito ante genitoris ora præcipitem. Inde ceterorum cædes, ac strages, reservati Patris faciem sanguine fœdantes, quo vivus suorum neces inspectaret. Postque ipse mille petitus telis evisceratus, facie trunca, in acervum super natos occubuit. Nec hactenus stetit ultorum aviditas scisso pectore, comperto ex intimis jecoris corde, fusisque ventris omentis in lucem edidere, genitalque Pasii ex inguine sectum cum testibus nonnullus ad scortum, cui obscœnum conjugis exenium destinaverat, retulit. Alius in Frassæ os in commissi adulterii ostentum putatam mentulam inclusit. Sic & Petri corporis, pectorisque latebræ ab avidis rimatoribus pertentatæ sunt. Cùm demum religata cadavera ad vicinam prope ædis Plateam tracta, cunctorum oculis objecta sunt. (q) Dumque advesperascente miserabili quis obsequio vasis recondita ad Sacram Eremitarum aram humanda contulisset, fuere, qui furore insatiabili sublata, reclusaque, veluti sepulcris indigna, dispergerent. His funeribus Vulgus ulteriùs nullis concitum permotionibus paululum recreatum quievit, & hora poscente tœdio affectum per ædes dispersum est, clamataque quies, solis excubiis licenter fora & vicos ambientibus. Redeunte diei spectaculo Antiani cum Tribunis, quos Gastaldiones appellant, cum Insignibus, ceterisque ex communi popularique Ordine civibus conventu habito, absistendum ulterioribus

A concussionibus fore consultavere: silentia clamoribus imponenda: tumultus sedandos: civium simultates tollendas: paces iniendas: conjugia spondenda, & more primo, quo ante bellum sub Antianis XVIII. Civitas gubernabatur, vivendum: unionem Tribunorum pro ipsorum libitu aggregandam, omneq; jus restituendum Tribuniciæ potestati sub re semper, vocabulo, & clypeo Gelfæ Partis. Præterea A. Mussatum ignaræ Plebis prolapsu indignè molestatum secretis publicisque consiliis evocandum, habendum, conciliandum, proque accepta contumelia præstantioribus honoribus extollendum, memoria rerum gestarum à Jacobo de Carraria, & Gravioribus multa elegantia commendatum.

B Hæc omnia ex Plebiscito, Senatusque consulto paribus votis constituta sunt Anno Domini nostri XIV. CCC. millesimo circum Majas Kalendas.

RUBRICA II.

Invectiva Albertini Mussati in Plebem Paduanam.

IN parte votorum meorum Sors puto cœlitus demissa providit, Tribuni Plebis, Artiumque Opifices, vosque astantes Proceres, dum vestris concessit uti conspectibus. Non novæ indagini locum, sed reminiscentiæ eorum, quæ vestri videre oculi, quorumve Longobardia, C Tuscia, nedumque furentes in vos Teutonici testes sunt, casus infestus offert. Pudeat me? an erubescam, si bene quid merui, tanta circumventus ingratitudine laudes ipse meas prædicare? Pudeat, si jactanter. Non. Quippe si ad injurias propulsandas effari cogit præteriti causa discriminis, fortissimi equidem viri constantiam violentus metus exsuperat. Post pridie iniquorum neces, horrendaque exitia ad Albertini Mussati ædem tumultuaria turba concursum est, circumfurentibus stetit obsessa manipulis; penates, soboles, sanguinem meum quæsivit. Si cum Mundi redemtore loqui fas sit: *Populo meus, quid feci tibi? Duxi Te*, inquit, *quadraginta annis per desertum*. Duxi Te, ajo, Mussatus, D Paduana Plebs, totidem pæne Mensibus per vasta discrimina mea semita, meis vehiculis, à quibus tu ipsa tua ignavia deviasse fateris. Recolitis, ò Tribuni, mandastisve memoriæ, Vos, ò Proceres, me pusillum ad primos Cæsaris motus pro tuenda Patriæ libertate, pro Vicentia vestris subigenda dominiis ad placandum cum Regem votorum omnium vestrorum paritate transmissum? Principis Mundi ejus nempe pronam in me voluntatem ascivi, incredibilia omnibus Italici Teutonicique nominis, ipsisque Aulæ regiæ Principibus impetravi. Quid? nisi, ut felici tuo statu fruereris, ò Padua. Quidve plus agi poterat, quàm Vicentiæ tibi titulum vindicasse perpetuum. Attuli patens Chirographum manu Archigraphi Regiæ Majestatis, Chirographum, inquam, tuis obligandum, vallandumque patronis, tuis ipsis judicibus roborandum. Prodiga Regis manus tam exigui corporis, imbecillique ingenii mota phantasmate? Ivi, feci, veni; summæ probatæque virtutis viro Henrico de Ravasino scire efflagitanti, ut quamquam Vicentino, uti Paduano spiritui impetrata detexi sub silentii data fide. Qui gaudio circumfusus jactus in amplexum, sinum meum operuit profluvium

(m) *In P.* valuisset.
(n) *Idem* appellavit.
(o) *Melius* at.
(p) *Cod. Est.* facultas data est.
(q) *Intellige* die.

fluvio lacrymarum. Et, i, inquit, ò bone, fauste; macte virtute, esto pacis, & libertatis lator; me suasorem amplectendæ summæ Dei gratiæ contestare, ac protestare Proceribus, & Populo Paduano. Sed, proh dolor prohque simul pudor! Cœcam, ingratamque, ac insolentem Patriam simul cum illa infortunatus inveni. Concionanti namque mihi, actaque recitanti infelix fremens Senatus obstrepuit, dum Regiæ Cameræ instaret fienda provisio viginti Millium (a) aureorum. Sed, heu, quot vicena millia perdidit illa dies! E Prætorio reprobatus abscessi. Deus, melius, si me tunc, ædemque meam excitatæ Plebis causa circumvenisset honestior. At invaluere confestim lacessiti Cæsaris vires, cujus jugum vos mihi increduli; vos rerum ignari Populos placatos subire vidistis, incendia, rapinas, cruces, rotarum flagitia diluculo expectantes. Tuncque serò ingratitudines, insolentiasque vestras remordentes, desperatis rebus, abjectis alienatisque mentibus, nil nisi de fuga, latebris, & pæne sponte electis exiliis cogitastis. Tunc supervênit improvisis dementibus, & inconsultis ademtæ Vicentiæ digna clades centenis literis ab A. Mussato præmonitis, semper terminantibus, *Vicentiam custodite*. Tuncque (b) infensi neglecta Urbis ipsius defensione, nec ipsis muris crediti, naves pecuniis, rebusque onustas Venetias, & ad terras contiguas ferebatis. Sed tarda venit post grandines pœnitudo. Et quænam tunc omnibus malis adinventa remedia? O Tribuni Plebis mementote. Vera proferam. En, quos alloquor, Vos conscios, & tantæ provisionis auctores. Placandum Cæsarem, si quovis modo id fieri possibile, censuistis, Optimates Urbis consuluistis. Idque qualiter? Quo ingenio? Quibusve artibus? Quidni? A. Mussatum vocavit illa opportunitas, ille labor. *is Rempublicam salvam* (c) *fore, lapsam restituere valet*, assertum est. Si quidquam ipsi illo restabat in opere, omni spe gerendarum rerum destitutum, prostratum accersistis, consuluistis, unicum illum imploraſtis. Ubi Vitalianus de Basiliis tunc pæne Vulgo imperitans, qui manibus implicitis in genua concidens, illacrymans, adire Regem me stipatus omnibus Vobis Tribunis exoravit. Cedat tunc domo mea impetens Turba supplicatura A. Mussato, quem necare expetit, vias publicæ salutis investigare, conquirere. Duram causam subiturus durus ego & exspers singultibus imo de pectore subeuntibus steti. Dum aggrediendæ rei fortuna vicit, viresque dedit audaciæ, tum vitæ reliquum Patriæ donasse existimans, sicut novit oculata Divinitas. Exosus Cani Grandi, Aulæ Regiæ Principi non extremo, ad Regem iratum profectus sum. Quàm difficilis tunc ingressus? Quantis facetiis Ameum Sabaudiæ Comitem Regiæ mentis Secretarium favoribus vestris attraxi? Quanto lepore placata Regis in Vos obstinati Majestas? Videre ingenia, videre artes, videre cum obtrectatoribus jurgia, addidereque permaxima fulcimenta consiliis Paduani duo eadem legatione transmissi (d) Belcharus Legum Doctor, & A. de Leo Judex elegans tanti commercii simul, & auctores, & testes. Hinc hostes Alboinus Veronæ Dominator, Fridericus, & Canis della Scala; Inde detestabiles Vicentini. Astiti medius ante thronum, objeci, defendi, sustuli indeficiens (e) vires vestras. Et si quando in

A ignominias, probraque in Vos, hancque Rempublicam hostes prorupere Magnifici, invexi in eorum facies procaciter graviora. Exaudivit libens Rex sermonem gratuitum, laudavere patrocinium meum à latere assidentes Principes in conventu, consistorioque Nobilium XX. & IV. Civitatum. Tunc novo fœdere vitas vestras, prædia, ædes, hoc atrium, libertates emi pretio centum millium aureorum. Sed, ò sera pœnitudo. A. Mussati nomen contenti, ac refocillati tulistis ad cœlum hac redemtione secunda: Nec tamen gravissimis absoluta rumoribus vestra sollicitudo quievit, ceterarum Civitatum ruinas exaudiens, suffulta semper obsequente Albertino Mussato, nec umquam causas communes à

B jugiter persequentibus deferente, dum Cæsar idem Longobardiæ fines excessit. Reticeo formidabilem auditu digressum è Curia, & incidentia, terraque marique discrimina referenda Collegis altæ providentiæ, Rolando de Plaziola, & Jacobo de Alvarotis mihi sibique vocata persæpe, & desiderata morte compassis. Mactanda fuit igitur hæc victima, ò Tribuni Plebis; sed Cani Grandi immolanda pro æquitatis ludibrio, proque ipsius vindicta, quem pro vestra salute ante Mundi Principem propulsavit. Dicite, quæso, (f) me servasse per illa tempora, ut violenta plebs indiscreto ictu conficeret. Quæ mortalium opinio? Quod fatum? Quisnam rerum ordo poposcit? In

C me ipse conficior admiratus, & conquerens. Expedit stylo causas posteritati mandasse. Deliquine in hanc Rempublicam obversatus? Mitto diurnos, mitto nocturnos, annuosque labores. Non sit operæ pretium vigilias, curas, ac sollicitudines allegare mordaces. Non lateant assertores: testificentur, ut credar. Exhausi æs publicum? Quod nam? Quando? Privatorumne jacturis locupletatus sum ego? Quorumnam? Unus me quispiam vexatus, aut spoliatus appellet. Tollite, Tribuni, sinceritatis nostræ efficax argumentum. Kalendis iis Decembris externis (ne ad irrecordabilem vos retraham retro seriem) Antianatus officio me sors prætulit. Hic ferè honor par Consulatui Romanorum.

D Hunc, in quem vulgò animadversum est, Petrum de Alticlino virum potentissimum, & formidabilem, ac plerosque militaris, & plebei Ordinis repetundarum conveni judicio, vinciri jussi, convici, & raptas in ærarium pecunias resignare coëgi cum rigiditatis & severitatis ardore. Sic mores mei, sic audacia, sic Reipublicæ amor, raptus illorum atrocitas, & justitia suadebant. Ausim ne hæc fecisse simili crimine labefactus, sic mei oblitus, ne, quo in alios statuerim judicio, ipse puniendus fueram justa ratione, putaverim? Objicissent ii, cùm pœnam, mortemque minitarentur, patratum idem scelus. Vestri, alteriusque sit cujuscumque judicii. Nusquam profectò tantis adjutus fortunis, ut æquo

E emolumento splendidam vitam egerim, ære publico manus polluisse comperiar. At nil eo minùs cum iniquis reputatum me infestæ turbæ furor oppetiit. Cur? quare? quamobrem? Si obtruncati, tractique rapinas, seditiones, stupra, neces egisse belluali severitate criminati sunt. Si horum cujusquam ego noxius, cædar, trahar, cum paribus paria exsolvam supplicia. Sed nec certè horum, nec similium quidquam de me assertis. O Tribuni, nec ipse vociferatum, furen-

(a) *Adde* florenorum.
(b) *Melius* indefensi, *ut supra in Rub. proximè præcedenti*, intensus interest, *pro* indefensus.
(c) *Melius* facere.
(d) *In P.* Belcharius. *In supra laudata Rub.* Belcharus de Brognachis, & Antonius.
(e) *Cod. Est.* vices vestras, *& ita Amb.*
(f) *In P. & Amb.* mene servastis.

Digitized by Google

rentumque incursus asseruit; verùm vilissimorum agrestium turma hæc, quos egestas, & fames pro belli exitiis ad Urbem impulerat, scortorum grex, & exterorum forensium, qui novarum rerum cupidi, qui pro belli usu quæsituri nostram mercedem, ut in sentinam, in hac nostra Civitate convenerant, acclamabant; *moriatur populi exprobator, ac conviciator, & qui Carpellæ voragine Paduanum populum onere intolerabilis contributionis afflixerat*. Hæ invaluere voces ad ædis nostræ expilationem, & ad omnium malorum struem animadversione concepta. Attendite, quæso, Tribuni Plebis. Nec probra in vulgus jecisse, nec Carpellæ oneri assensisse negaverim, (g) inficiatus verò criminis, seu culpæ speciem in utroque Memorias vestras præteriisse non existimo, qualiter expugnatâ Marosticæ Coloniâ summam Arcem aggredi votum commune statuerat. Structam Testudinem portis subducendam ad jugum supremi aditus vobis comprimentibus traxi. Nonne dum strues hæc Oppidanorum icta grandinibus scopuli jam summum attingens, me subducente ac hortante, ad Arcem violenter irreperet, me cum ferè XII. probis respiciens desertum inveni, lapsusque tanti oneris impotens cessi, inventis, qui me nunc (h) insequuntur, per umbras arboreas sub fontium amœnitate dispositis? At de Poglanæ invasione recolitis? Cujus Villam fortissimam adversis hostibus, invecto vexillo, quod mihi sors vehendum obtulerat, primus occupaveram. Crates ad Arcem maturiùs invadendam, quas mihi foveas oppugnanti vehendas statueram, dissoluti reliquere Plebei. Contigit ea die, ut qui vincendi hostes vi fuerant, nostræque triumphali, ut mancipia, subigendi victoriæ, sequenti die ipsorum Plebejorum inertiis vitas pacti cum omni supellectili (i) abire dimissi sint. De Castro Leniatici, cui obtento fuerat æquanda Vicentia, quid attinet dicere? Reliquerant valla, & appendicias Oppidani, me foveis injecto cum Velitibus Sagittarios impellente. E foveis exiens Populi turmas certè, & equitum acies, ut furibundus, revocavi, segnes exprobravi, semicaptum Castrum ostendi; sed frustra, jam onustis pingui præda, & reiterantibus Paduanis. Et ibi belli finis, si fata fortunasque vestras juvissent innixæ virtutibus voluntates. Jactantor hæc eloquor, ò Tribuni, effronsque offensa veritate confabulor. Vidistis, puduit & vidisse. Post reditum meque invisumque puto, vobis reddidit culpa vestra inexcusabilis, & argutiæ meæ vestras desidias accusantes. Et en tunc irrui, incussi, exprobravi plebejorum vecordias, ut vile & servum pecus, tunc ebrietates objecit, & in Civitate lascivias, casibus iis gravis instans, importunus, sed veriùs opportunus. M. Camillus, qui Vejentes gravissimos hostes Populi Romani decennale post bellum Roma jam de salute dubitante subegerat, invidiâ obtrectatorum suæ virtutis reus factus ab insolentia Tribunorum, in exilium ante damnationem sponte discessit; mox iterum à Gallis vindex patriæ futurus ingratæ. Castrensia, puto, odia exaggerantur in me, & captatæ Civilibus ociis vicissitudines ulciscendi. Si minima liceat æquiparare sublimibus, præceptorem suum Senecam in eligendæ mortis Nero coegit arbitrum, Affricanum Numantiæ, Carthaginisque Victorem Urbs ingrata passa est

A exulasse Linterni. Et ad quid ego sic gravis, sic iratus in Vulgus? Mea futura ea Castra fuerant, & privatim meis applicanda substantiis? Cujuspiam rei gratiâ meus ille furor? Dicite per vos ipsos. Sed ad Carpellam vergor. Super librandis pro belli usu (ut assolet) uniuscujusque substantiis scismata in Vulgus augebantur in dies, & hæc semper in Urbe nostri caussa dissidii. Dum igitur hinc divitum, nobiliumque querelæ: hinc gravati Populi Urbem clamoribus replentis lamenta succresceret, conventus est habitus per Primates. Fuit aliquis, & quisnam fuerit parum mihi memoriæ est, qui dixit, Tuscos, ac Longobardos præsertim, quos urgent bellorum agitationes, hac usos contributione Carpellæ, qua nihil æquius, tolerabiliusve, B ex qua æqua lance demuntur ab egenis, & divitibus juxta communes tolerantias portiones. Estque hæc Carpella, cum unus As, binus, ternus, vel quaternus, seu deinceps ex pecuniarum aggregandarum libra carpitur tam à datore, quàm ab acceptatore ex quibuscumque commerciis. Et cùm plura dent, a cipiantque plurium possessores, hoc locupletiores onus meo & veriori judicio graviùs impetiturum fuerat. Et hæc sola collatio diuturna telonia, angarias, & singula quæque onera sui acervi immensitate tollebat. Et in hanc innixè tres Conventus partes resedere sententiam. Delataque ad Senatum A. Mussato acta, ceterorum assensu, non se tan- C tùm probante, sed probata recitante, ex Senatus Consulto cunctorum votis decreta sunt. Affuistis in Senatu tunc Tribuni Plebis, scitisque me & hæc vera proferre. (K) Hæc Carpellæ internecionis, meique exitii causa illa irrationabili, & confusa plebe obtestante, & vociferante debuerat? Sed nec Vos, o Sors Populi melioris, nec spectata universæ Urbis Nobilitas, nec vicinorum meorum, ac necessariorum sollicita probitas, nec Deus, nec permisere Cœlicolæ. Sed ah! Si verum præsagit mea mens, non alienata calamitatum angustiis laxiorem hujus infandæ turbæ mea defensa ædes arcuit appetitum. Quotquot licentiosiùs ille furor ædes, D stationes, fana, templa, & limina civium aperturus fuerat? Quot arsuras in tecta faces? Ad Sanctæ Justinæ nobile Sacratissimorum Corporum Cœnobium expilandum, cruces, calices, & sanctuaria eripienda jam scelestorum manus impia concurrebat, ipsumque poscebat Abbatem effera multitudo. Necandus erat Abbas ille, qui vestro, o Cives Populares, natus ovili, Insulam, fundumque ditissimum per prædecessores vetitum, magna affectanti volentique pro salis efficiendi usu vestræ Communitati libens tradiderat? Qui per totius belli tempora hyemes, æstusque diurnis nocturnisque vigiliis sub casside cum militum peditumque caterva consumserat? Qui hostes à mœniis veluti furiosa persæpe insecutione fugaverat, Urbi consultans laicali E more in Civium conventibus, misso habitu, ferèque oblitus Canonicæ, amore patriæ, disciplinæ? Qui se, suaque patriæ continuis erogationibus condonaverat? Ille ritè fuerat, o Tribuni Plebis, iniquis & scelestibus comparandus? Ad me ipsum revertor, o Fratres, o Tribuni Plebis, o Proceres, o Civium mei visendi gratiâ, consolandi, amplectendi aggregata Concio (l). Non eam ignavam Turbam alloquor, quæ eum, qui

(g) *Pro* inficiabor.
(h) *In V.* qui me insequuntur, *aliter*, *& fortasse melius* insequerentur.
(i) *Cod. Est.* ad hostes abire, *& ita Ambr.*
(K) *Multa hic desiderantur, & fortasse per Aposiopesim ad effectum iracundiæ declarandum. Alia siquidem integra sententia requirit, nimirum;* Hæc Carpellæ collatio esse &c. debuerat?
(l) *Ms. Amb.* Communio.

qui Bonifacium Papam Octavum Virum nostri temporis Mundo formidabilem sibi placabilem, ac munificum: qui Magnanimum Henricum VII. Orbis terræ Principem suis consiliis acquiescentem effecit; qui summæ Imperatricis purpureum paludamentum sustulit in in.esu: quem intimo cum caris admisit in thalamo: qui Vicentiam Paduæ municipem fecerat: qui patriæ libertatem in asperrimis anfractibus vendicaverat, (m) turba illa infesta non accepit. Dignè equidem Auratæ pecudis vellus Grex inquinatus abhorret. Absit à vobis, o Tribuni, vilium belluarum feritas sanguinem sitiens innocentum. Salutem, fortunasque meas, & si quid restat, quod mea possint ingenia, facultates salvatus evoveo Patribus, Proceribus, & Populo saniori.

RUBRICA III.

Congressus Paduanorum cum stipendiariis Canis Grandis apud Fontanivam, & captio Beltrandi Gulielmi.

INdeficientis belli cum Cane Grandi Paduanorum instat indeficiens scribendi materia. Difficillima quippe hujus dissensionis amotio. Angebat siquidem Paduanos perhorrendæ tyrannidis vicinia, quam suo jugiter insidiari statui amare pensabant, dum sic perstans Vicentia Paduanæ Urbi ruinam minaretur; nec cum Tyranno cujuspiam fidei, cautionisve locum fore. Inde Canis, si Vicentia cedat, Paduanorum magnitudines, illatasque injurias, ne semper ulcisci meditarentur, verebatur. Sic utrasque partes in severitate Vicentia continebat. Interea Ponzinus de Ponzonibus Cremonensis, pulso Dino de Rubeis Ariminensi, in Potestatem Paduæ vocatus, uti suas partes agens, oppresso Cane Longobardis Gelfis victoriam parari despiciens, ad belli exercitia Paduanorum acies exacuit, ipseque in armis satis strenuus contra hostium incursus acies frequenter admovens, singularis hujus victoriæ gloriam nactus est. Erat mercenariorum Canis Grandis vir Provincialis Mareschalchus Beltrandus Gulielmi miræ fortitudinis, staturæ proceræ, communes excedens (a) cui vix alter nostro ævo cis montes Gallicos armorum strenuitate æquabatur. Is diu adversùs Canem mercede accepta pro Paduanis egregiè fortiterque pugnaverat: Sed versa mente, sumta causa, quòd mercedem suam Paduani ægrè persolvissent, seu distulissent, ad Canem transitum fecerat, obstinatiorque majori audacia vehementiaque in Paduanorum agros populabundus lasciviebat, formidolosiorque illis erat, quòd de ejus fortitudinis experientia constabat, quòdque mores, conceptus eorum, & agibilia quæque cognosceret. Contra hujus conatus Ponzinus propensiùs intendens, coactas militias assiduè in Urbem tenuit, ut fortè fines Paduanorum transgressum (b) Beltrandum, ac pallantem circumveniret. Ignarus tantæ sollicitudinis Beltrandus, rerum bellicarum experimentis fidens, die una per Nonas Junias cum CCC. ferme hastatis Brentæ fluentum permeans ex Coloniis, quæ secus callem Sancti Petri adjacebant, prædam ingentem sustulit, redituruque præmissâ prædâ ipse ut sui itineris hostes falleret, Cittadellam contendit, putans, si coequitarent A Paduani, illos à persecutione prædæ distrahere, ignemque inibi in certas ædes immisit. Ponzinus conspectis ab Urbe fumis, celeri gressu adductâ militiâ, Brentæ aditus petiit, quamquam illos jam prædonum pars cum raptis pecoribus, & mancipiis excessisset. Cursoribus itaque per ambitus dimissis, Beltrandum adhuc trans Brentæ torrentes pervagari agnovit; Idemque & Beltrandus per nonnulla præcursorum signa edoctus est. Confestim ad ea divertens signa Beltrandus, ut se se impotentiores invaderet, majora in unum subsequentia vexilla conspexit, per quæ concretam Paduanorum potentiam itidem adesse agnovit. Tum insperata sua meditatione conterritus, in sua sola, suorumque fuga spem posuit, quòque commilitones sui salubri meatu Brentam trajicerent, circumvoluta in tripudium acie, in patentiorem fluenti vadum postremus illos immisit, & ne quemquam ab tergo perderet, insequebatur. Sed refellit propositum ejus Ponzinus, qui concito equo Paduanos exhortatus in aciei latus sublato clamore percussit, clavaque primum obvium præcipitem necatumque stravit. Tunc fusa Beltrandi acies in cædem stragemque corruit. Pars cæsa, pars Brentæ vorticibus absorpta, pars devia per saliuncas & sentes abjectis armis refugit, quota pars Vicentiam transnato amne repetiit. Beltrandus in Lucum proximum, qui citra Fontanivæ vadum frondibus arctos calles umbrabat, ut delitesceret, se proripuit. Cùmque Paduanorum plurimi, ut è latebris dispersos hostes conquirerent, ea nemora pertentarent, ipse illis mixtus, uti ex amicorum consortio foret, scrutari de hostibus simulabat, dum hora inevitabilis fatum fortunamque ejus imbecilla sorte conclusit. Advênit impubes egregiæ indolis Paulus magno olim viro Vitaliano Dente antiquæ prosapiæ Lemizorum natus, qui insigne sellæ conspiciens, quam Paduæ ante cognoverat, quisnam esset miles, acclamavit. Ille cauto responso, *Carolus miles* retulit. Illo quidem solebant uti Gelfi vocabulo. Tunc Paulus de viro clariùs edoctus, & *en ego Gelfus*, inquit, *miles adsum*, vibratâque hastâ innixus stapitibus Beltrandum oppetiit. Lanceæ acumen laminarum durissimæ thoracis intercapedinem subiit, osque scapulæ dexteræ subdividens per renum intimas fibras bipartitâ nucâ in sinistrum ilium descendit. Continuò igitur lethifero saucius vulnere concidit Beltrandus, sublatusque clypeo semivivus ad Urbem vectus est. Ex ore quoque vociferantis Populi in terribilem necem ejus efflagitantis strenuitate Ponzini Potestatis exemtus diem circiter octavam obiit, à Nobilibus Paduæ seu digno, seu indigno honore humatus. Hoc veluti prodigium Paduæ vulgo prædicatum est, virum præstantissimum, bellis Italicis formidabilem, nullâ repugnantiâ cum Goliæ, Davidisque reminiscentia ab pæne infante transfixum. Hoc quoque ipse conflictu Monfortus de Panno vir nobilis cum compluribus captivatus est.

RUBRICA IV.

Constructio Aponi.

HUjus successu victoriæ jucundatus Ponzinus, laceratum Canis contubernium sentiens,

(m) *Possent omitti hæ duæ voces?* turba illa, *atque adeò tertia* infesta, *ut sequens*, non accepit *referatur ad superiora illa*: quæ eum, qui &c. non accepit.

NOTÆ AD RUBRICAM III.

(a) *Adde* staturas.
(b) *In V.* Beltrandum Gulielmi.

Digitized by Google

tiens, impetere, hostes insequi nulla intermissione disposuit. Præstructis ergo vallo, ac propugnaculis ex tabulato opere, vehiculisque impositis, magna expeditione Aponum perrexit, Castellumque firmavit, ubi relicto præsidio ferè triduo moratus, nocturno gressu incautis hostibus ante portas Vicentiæ stetit. Sed reparata intrinsecis (*) validiora resistentia per inexpugnabilem suburbanorum tutelam, ipsorum potiundorum spe sublata, regressus est. Pecorum verò, quæ improvisi Vicentini per arva dimiserant, cum mancipiis plurimis prædam Paduam adduxit Idibus Juliis.

RUBRICA V.

Depopulatio Pedisvendæ.

POrrò Augusti Kal. III. instructo exercitu Ponzinus Bassianum superans per (a) Brencancii, Mansionisque colles ferro ac igni subsistentia quæque consumsit. Inde per latissimas Colonias, vinetaque Thyænarum coëquitans, Apicem Sancti Ursii conscendit, positisque in ditissimo rure castris, Senatum inibi habuit, ubi plurimis recensitis vallandum muniendumve castrum foret, cujus ex montis asperitate natura fortissima erat; nec dubio fore equestre præsidium (b) eodem locatum exitio circumadjacentibus Coloniis, ipsique Urbi fuisse: tamdem proposito tali desistere visum, decretumque est, ex mora præjudiciali, quam suppetentia commoda non fulciebant: nec opportunos victus Oppidanis administrandi loci distantia patiebatur. Motis igitur inde stativis Scledo, Turri, Magrade, Zanade, Thyænis, & ceteris, quæ per eas oras supererant, adustis cum omni messe, quam ad suas quisque ædes miseri Agrestes aggregaverant, Bassianum exercitum reduxit VIII. Kal. Augusti.

(*) *Fortè* validiori.

NOTÆ AD RUBRICAM V.

(a) *Al.* Bregancii. *MS. Ambr.* Brecancii.
(b) *Pro* ibidem.

RUBRICA VI.

Insultus ad Mænia Paduæ per Canem Grandem.

TRepidus Canis tanto rerum anfractu, nec inde remissus, ex Verona, Vicentia, Mantua, Castrobarcho accitis subsidiariis, interim mœniis Vicentiæ se continuit. Verùm cùm die ipsa VIII. Kal. hostes abesse præscisset, (a) terrere Paduanos, qui Urbis præsidio erant, collatis copiis ad suburbana Paduæ acies suas admovit, & portas extremi Valli tumultuario clamore metuendus incessit. Objecti portis, ceterisque accessibus Paganus della Turre, & Gualpertinus Sanctæ Justinæ Abbas cum Clero, & Civium præsidio, nil expediens, quàm propugnaculis insidere, hostesque innocuos extra mœnia arcere decreverant. Sed insana Plebs plus furoris, quàm pensi habens pro eo, quòd iis pene diebus concessa permittentibus Primoribus abusi fuerant in Civitate lascivia, Canem nunc proximum capere, & in Civitatem trahere vocitabant, contraque reluctantes Episcopum, Abbatem, ceterosque sanioris consilii, ut proditores, qui bellum differrent, victoriam proximam recusarent, increpabant; in eos violentiùs, quàm in hostes animadvertendum fore; portas ad sic paratum triumphum irrumpendas, ut nullus modus ardenti Plebi foret. Quam quanto mitiùs placandam insudarent, invalescentem, furentemque tanto concitabant experimento, ut timendum illis foret. Cùm demum pars violento impulsu foveas, monumentaque penetravit. Alacer Canis oblata commoditate ad confodiendos, qui exierant, prosiluit. Cæsi continuò, jugulatique L. circiter numero, capti XX. refugiente præcipiti in foveas caterva vix intra mœnia demum (b) sublata.

NOTÆ AD RUBRICAM VI.

(a) *Pro* ad terrendum, &c. acies suas admovit.
(b) *Lege* recepta.

Albertini Mussati de Gestis Italicorum post Henricum VII. Cæsarem Liber Quartus feliciter explicit.

Digitized by Google

ALBERTINI MUSSATI
DE GESTIS ITALICORUM
POST HENRICUM SEPTIMUM CÆSAREM
LIBER QUINTUS.

RUBRICA PRIMA.

Allocutio ad Paganum della Turre Episcopum Paduanum.

PArat nobis scribendi materias ductor ille Henrici Cæsaris, Pagane Venerabilis, qui jam dudum vênit ab Aquilone Gradivus sanguinis nondum satur Italici. Idem ille atrox & violentus obambulans climatis nostri plagas, strages venatur & cædes. Sed, utinam, Rex nostræ fiduciæ præpotens Deus, si tantùm res ferro agi expediat, ferro adversæ gentis furores opprimat, exulum levet miserias, & tribuat cum pace longæva populis libertates. Nempe ego rerum ignarus, (a) quid sola una sub specie Deum præter (b) ignoro, cùm plerumque in flagitiosas clades infesta sors postulata converterit, cui optato victori me credam Populo? Cui Regi? *Neminem amicum præbuit fortuna, vel meritum, quem persæpe non fecerit eventus diversitas inimicum.* Frater erat hic Canis, cùm nos improvisos circumvenit, spoliavit, occidit. Sed utemur, Antistes Inclyte, ventis, vela dabimus, ab excelsis desiderata sumturi Deo volente suffragia.

RUBRICA II.

Initium belli inter Reges Apuliæ, & Siciliæ.

RObertus Apuliæ Rex dolore saucius acceptarum contumeliarum à Friderico Siciliæ Dominatore, dum spe adimendi sibi Apuliæ Regni Henricum Cæsarem pro viribus fovisset, dumque in ipsis Cæsaris tumultibus plurimas Calabriæ Terras, ut violentus hostis occupasset, aggregatis undecumque valuit copiis, terrestrium navaliumque bellorum apparatus ad eadem præcordialiter intentus terraque marique patenter exposuit. Et III. Idus Julias extendarium vexillum in Neapolitana platea explicuit in patulum, sequenti die (a) ad maritimum Castrum in galêonem advectum cum copiis iis. Cum armorum virorumque fulcitis è Principatu galêis XL. E Provincia galêis VII. & XX. galêonibus tribus, cum susceptis à subsidiariis Januensibus suæ factionis galêis VIII. cum navibus onerariis XXX. advehentibus sudes, cataphractas, onagros, seu machinas, vineas, testudines, fabricas cum opificibus, & omnis generis ad oppida expugnanda, diripiendaque, ac per vicissitudines varias tuenda, vallandaque, quæ gnari bellorum multo studio exstruxerant, ac inter eas onenarias naves una Venetorum miræ proceritatis, quam *Tertem* vocant, cum Barchis tectis CLX. aliisque, quas *Sagittarias* ipsi appellant, XXX. Harum remigio militum III. millia cum equis, & sarcinis advehente, peditum XX. millia, & insuper, Electorum ballistariorum V. millia, Lanceariorum cum hastis longissimis, quas *Zaldas* vocant Italici, II. millia. Itemque cum sponte & concurrentibus Apulis, ac Enugaveris fundibulariis, dardiariis, & levis armaturæ peditibus XII. millibus. Stipendiaque è gazis, quas ab olim (b) magna pars simonia in Turri quam *Brunam* vocitant, aggregaverat, multa libertate effusa militibus peditibusque, ut gentibus admiratio visa sit, tam parcum ab Regiæ Coronæ acceptione Regem, cui summæ avaritiæ irritamenta objiciebantur, nunc profusum, omnesque sumtus, quamquam sui immensitate inæstimabiles, parvi pendentem. Utque nihil inexpertum intentatumque, quo minus copiosissima expeditio Regium conceptum impleret quin res (c) gerantur, nulla segnitiæ desineret. Ipse cum fratribus, & omni prole, ac consorte socia, relicto solo pro Italicis vicissitudinibus Petro Apuliæ Duce, in classem prodiit. Nec quisquam Regni Insignium cum utriusque sexus familiis à profectione restitit, iis dumtaxat relictis, quos pro Regni præsidiis in Italicorum sociorum suffragiis instans opportunitas appetebat. Sic rebus, utcumque valuit, compositis, ad Castrum Maris educta Classe vela navigaturus V. Aug. Kal. ventis explicuit. Anno ejusdem Domini nostri XIV. post Trecentesimum Millesimum.

RUBRICA III.

Transmissio Petri Fratris Roberti Regis in Tusciam.

NEc (a) Sicula expeditio hæc sic totum Robertum Regem occupavit, quin Fratrem suum Petrum Victoriosum in Tusciam cum CCC. militum manu proficisci pro amicorum Gelforum subsidiis imperarit. Et ille quidem Petrus, nulla mora, per compendiosa itinera ad Florentinos contendit. Ibique in XII. Kal. Septemb.

NOTÆ AD RUBRICAM I.

(a) *Fortè* qui.
(b) *MS. Ambr.* precer.

NOTÆ AD RUBRICAM II.

(a) *Intellige* se contulit, *vel* prodiit, *ut habet prope finem Rubricæ.*
(b) *Pro* quarum ab olim magnam partem simonia &c.
(c) *Meliùs* gererentur.

NOTÆ AD RUBRICAM III.

(a) *Sic libuit emendasse, cùm esset in V.* Nex Sicula expeditio hæc, si totum &c. imperavit, *vel si retineas* imperavit, *legendum erit:* Nec Sicula expeditio hæc totum &c. occupavit, quin Fratrem &c. proficisci &c. imperavit.

Digitized by Google

temb. ſupremo acceptus honore applicuit, ſecretis quoque cum Florentinis eiſdem, publiciſque alloquiis amicorum undecumque ſuffragia poſtulanda, copiarumque delectum haberi cenſuit. Edictaque, ac reſcripta ad ſubjectas amicaſque Terras nulla intermiſſione tranſmiſit, bellumque Ugutioni de Fagiola, ſuæque, ac Gibolengorum factioni indixit. Recenſitiſque copiis, quas Auxiliares Tuſci, ac Romandioli præſto obtulere, ponendorum in agros Lucenſes caſtrorum diem fixit. Regia Cohors CCC. militum erat, quam ex Apulia ſecum Petrus abduxit. Polliciti Romandioli per Satraparum ipſius Provinciæ literas milites CCCC. Senenſes ex ipſis milites DC. Mercenarios quoque CC. Peruſini, Viterbienſes, Urbevetani cum amicis per eas oras milites D. Florentini ex ſe ipſis M. ex Mercenariis D. Bononienſes milites CCCC. Pratenſes, Piſtorienſes, Volterrani, è Sancto Miniate, Sanctoque Geminiano, ceteriſque adjacentibus Coloniis milites CCC. Reſignataq; ex Communitatibus peditum XXX. millia. Sicque (b) omnis Tuſcia in armorum bellorumque ruinas præceps ceteras omnium commertiorum operas clauſo juſtitio (1), admiſſo ſolo Marte, poſtpoſuit. Sed velox, impræmeditataque rerum mundanarum inconſtantia! Quàm citò ſeries ſic conſtituta deciderat! Ecce inſperatus adventus. Iis tanto tumore conceptis aſſecutio per inanes moras, hyeme tota languente Petri propoſito, in tenues auras evanuit; ſeu quòd providi audentiſque Ugutionis in occurſum vires exhorreſceret; ſeu cujuſvis cauſæ latentis intentu nullorum approbatæ juditiis, Florentinorum dumtaxat dominatui, ut juridico Auditorio, Ordinarius Judex intendit. Ad quem & pro ſingularium diſſidiis plurimi Provincialium Tuſciæ & Romandiolæ concurrebant. Sic ipſo (c) id tempus citra omnium Italorum ſpem abſque belli expeditionibus contrivit. At Ugutio temporis hujus (d) numquam habilitatem ſtudioſiùs agnoſcens, conducta ex Lucenſium jacturis, Piſanorumque prægravatis ſubſtantiis mercenariorum ope, per agros Florentinorum, quacumque libuit, pervagatus eſt, Colonias ac rura igni vaſtationibus diripiens. Robertus autem claſſe ingenti, (ut ſupra memoratum eſt) in Siciliam profectus, primo tumultu Provinciam undique conterruit. Nec Friderico contra occurrendi, audendive conſilium fuit: verùm contrahendi in Urbes, & municipia vires omnes recollectis intra mœnia copiis omnis ſolertia illi fuit, auxitque præſidia Civitatum, Oppidorumque, quorum munitionibus afficiendus hoſtis longa obſidione demum (e) aſcenderet. Robertus in habiliorem oram juxta maritimam advectus; ante Drepanum prima caſtra fixit. Drepanum Oppidum eſt inter mare, & collem altiſſimi montis ſcopulo adjacens à veteribus conſtructum, in quod Phrygius Aeneas Troja profugus præventum morte Anchiſem genitorem humatum reliquit. Cujus quidem memoria loci nomen hujus ab æterno nobilitatum eſt. Poſitis juxta ſtativis Robertus cum turrium altiſſimarum, propugnaculorumque ſtructura accuratiſſimè obſedit. Erat obſidio hæc Friderico, Siculiſque perquam nocua.

A Obſtruſa quippe per oræ hujus appenditias (2) Siculis navigatio. Stabat quidem, ut limes, oſtiumque commerciorum ultro citroque vehendorum, quorum frequentia portuale Oppidum exuberabat. Patebat quoque hinc latiſſimus per omnem Trinacriam aditus, quem nec poſt terga mittendum Roberto tutum erat conſilium. Coacti ergo intra mœnia tutiora Drepanenſes, centum dumtaxat Cathelanenſium equeſtrium ſtipendiariorum ala fovebantur, Terrigenis ſe ad tantum apparatum parum fidentibus, in (f) ambiguoque tam formidabili compreſſis exercitu, adſitne reſiſtendi facultas. Aggregatis ergò circum machinis, atque omnium tormentorum generibus edicto Regio mulctati ſunt. *Niſi intra conſtitutam diem deditione vitas redimant, moriendum illis fuiſſe, ultimo adjecto peremtorio termino.* Inito conſilio Oppidani, ſeu fraude bellica, ſeu inſtantis metus opportunitate compulſi XXX. dierum ab Rege inducias poſtulavere, per quos ad Fridericum Legatos mitti liceat, aut ſuffragia ſuſcepturi, aut Roberto parituri. Permiſſu Regis induciæ illis decretæ, tranſitus Legatis conceſsus eſt. At nihil eo minùs ad prædam per Colonias & agros Robertus milites ſuos circum emiſit, in fidem acceptis omnibus, qui ſigna obedientiæ cum copiis exercitui advehendis oſtendebant in patulum, quo edicto locupletati ſunt bimeſtri affluentia omnes Apulorum, Provincialiumque exercitus. Et ad quæ mortales auri ſacra fames coërcet? Ex Urbibus quibuſcumque Siculis licenter rerum venalium incoërcibilis emanabat effuſio. Quin ſucceſſus copioſiores ipſis municipiis efficiebat exercitus. Sed res hæc demum Friderico in exitium pæne inemendabile verſa eſt, quæ rerum ſuarum, ſi prævisa fuiſſet, fuerat illi paritura victoriam, ſicut ex porrò contingentibus deprehenſum eſt. Freti harum rerum opulentiis Apuli, omneſque expeditionum manipuli in luxum & petulantiam multa Regis licentia verſi ſunt, longè latèque per montana & convalles palantes ſub extimatione, ac ſi ad libitum omnia ſucceſſura illis forent, de futuris parum penſi habentes, uti indeficientia ſint præſentium commoda, omniaque ſecunda ſuppeterent. Sed exterritus, anxiuſque Fridericus curis agitabatur aſſiduis, noctes per labores aſſiduos diebus adjiciens, vigilare, conſulere; Urbes, muni ipiaque præſidiis fulcire; ſingulas equitatu ambire, viſere; Contubernales, ac municipes hortari, ſe ubique præſto aſſore polliceri; ſubſidia in proximum prædicere; omnia ex conſulto agere. Dumque ab Drepano Legatos de rerum ſuarum diſcrimine accepiſſet; ex paucorum Principum conſulto clanculum noctu è Miſena Civitate milites ſubſidiarios CC. per umbroſos calles nocturno gradu reflexo calle ſecus maris littus improviſo Roberti exercitu in Drepanum ſummiſit. Oppidani ſubſidio exultantes luminaria faceſque extemplo per turrium faſtigia poſuere, tuitioni ſe locis opportunis diſpoſuere, & fiduciis ſuſcepti ſubſidii alludentes, extrinſecis hoſtibus probra ac convicia vocibus ululatibuſque conjecere. Improviſus rei inopinatæ Robertus, deſidiam ac culpam in ſuos

(b) *MS. Amb. addit* concuſſa.
(1) Meliùs fuerat *aperto juſtitio*: nam claudere, vel remittere, juſtitium, uti apud Liv. lib. 10. eſt juſtitio finem imponere: eſt enim juſtitium quaſi juris ſtatio. Sed Muſſatus ad id reſpexit, quòd indicto juſtitio clauduntur fora, tabernæque. *Villanus*.
(c) *Melius* ipſe, *ideſt* Petrus Victorioſus, id tempus, *pro* id temporis.
(d) *MS. Ambr.* conditionumque.
(e) *Fortè* abſcederet.
(2) Verbum *appenditia*, uſurpat alibi pro ſuburbiis, at hoc loco pro ora maritima, quæ appellatur vulgò *pendice*. Petrarca,
Ricercando del mare ogni pendice. Villanus.
(f) *Sic emendavi, cùm eſſet in V. MS.* inambioque.

suos argutè frustraque convertit; sed demum exacerbatus turbatusque in se ipsum oppugnationi ferventiori animo constantiùs; sed nequaquam, intendit. Munitum quidem hostium contigua corona Oppidum spe potiundi regios pugnatores frustrabatur, & ab inde magnarum rerum aggrediendarum futiles animi prostratique substitore. Verùm desistendi tantis tumoribus, qui non modò Siculas oras, verùm Italiam, Hispaniam, omnesque Gallias excitaverant, pudor Regem Robertum angebat, delegitque potiùs armis belloque incumbere, ac si forsan insperatum aliud mobilitas fortunæ præstiterit, experiri. Sicque sub imbribus Coloniarum, Agrorumque depopulationibus itidem dies XL. seu circiter consumsit, in quibus subrepens pestis duplex omnem ejus exercitum incessit. Dira (scilicet) Fames, exinanitis circum omnibus victui opportunis. Arcuerat quidem & omnem Trinacriam earum rerum penuria, dum maris navigatio frumentandi facultatem à terrestribus portubus ademisset. Nec non & repentina Epidemia, quæ à corruptis bestiarum cadaveribus in humana corpora serpsit, unde etiam nulla residentiæ spes Regi Principibusque foret. Nec minus ex adverso parificata utraque clade Siculis intolerantia Fridericum querulo strepitu (g) accersebat, anxiumque undique urgebat. Dum Regis utriusque non lævigatos interiùs præcordiis, sed violentiis rerum adversarum, metuque impatientium subjectorum, animos infractos ad (h) plectendas de pacis sermonibus aures applicuere. Evênitque, ut hinc atque hinc, intercepto induciis bello, arbitrorum colloquia de conditionibus fierent. Demumque Deo plus vicissitudines suo nutu, quàm Regum consensu urgente, ad belli dilationem utrinque deventum est, his dumtaxat conditionibus; *Ut sublato ex omni Trinacria exercitu, terraque marique ex Insulis Robertus abscedat. Fridericus Sicula ora contentus usque in decimum quartum mensem omni Italia abstineat, sicque offensæ per tempus idem resideant*. Executionem continuò remedia adjuncta (i) sortita sunt. Robertus cum omni manu ex Insulis summota classe in Apuliam reversus est Anno Domini Jesu Christi millesimo trecentesimo decimo quinto per mensem Februarium.

RUBRICA IV.

Motus in Italiam per Ugutionem de Fagiola.

IN Italia per Tusciæ Provinciam Ugutio de Fagiola votivis adeptione Pisarum & Lucæ non segniter fretus successibus, bellum acre circum eas Urbes finitimis intulit. Motronum siquidem Castrum maritimum fatigato instanti obsidione præsidio in deditionem accepit. Inde Arcem Calavronæ in jugis Carfagnanæ invadens multa vi oppugnationis obtinuit, filiumque, ac nepotem Manni Bizalis viri in ea ora potentissimi, qui in partis Gelfæ factionem Municipiis plerisque præerat, ante ora ejus furcis appendit. Ille namque seu ingenti magnanimitatis virtute, seu Ugutionis diffidentia parêre jussis abnuerat. (a) Atteum de Gragnana Virum strenuum Spineta Marchio de Malaspinarum prosapia in suis ejusdem Garfagnana Municipiis favore Gibolengorum oræ ejusdem exarcuit, multaque oppressione cum Germanorum ala, quam Ugutio de Pisis illò destinaverat, ad pressuram famis eduxit. Sed is tamen multa solertia, strenuitatis amore, ab Germanis, ipsoque Spineta impetratâ licentiâ Lucam ire, pro veniæ impetratione dimissus est. Ubi, seu ære dato (ut fama vulgatum est) seu indulgentia, se ipsum suaque ab Ugutione redemit, inque Ugutionis fide acceptus, cum Castrucii de Interminellis Viri sublimis filia matrimonium contraxit, obsidioneque levatus statu pristino sub Ugutionis ditionis (b) positus est. Verùm non multo dierum contermino ab Spineta, Municipibusque adversæ factionis in Ugutionis simultatem suspicionemque redactus est: contemtisque monitis bellum cum Gibolengis eisdem restauravit. Quo motu continuis prœliis circum Carfagnanæ montana incendia, mortes, ruinæ reintegratæ. Idemque (c) Atteus Gelforum Princeps adversùs Gidinellum de Monte Cuculo alterius partis in Castilione Castro vires fulcientem, per Montana eadem incursionibus jugiter impetebat, atque impetebatur assiduis. Nec remissus Ugutio, ut hostiles offensas circum se resecaret, ad majora deinde animum intendens, ad Montem Catinum direxit exercitum. Castrum hoc Lucenses profugi suffragio Pistoriensium, Florentinorumque tenebant. Stativis igitur juxta fixis ad machinarum propugnaculorumque structuras, quibus Castrum vi oppugnaretur, omnem intentum disposuit. Cùmque consumtis diebus quinque & triginta, seu circiter, pluribus insultibus, aggressurisque (d) intrinsecis inaniter pertentatis, longa mora affectus Ugutio, dimissis per propugnacula præsidiis, Pisas contendit. Alia etiam recessus causa illum moverat. Nam inter Urbis viscera novas res tentari susurratum est. Jamque Pisanis, qui diu obmutuerant, voces redditæ in ipso Prætorio, & per plateas visæ sunt, nonnullis dictantibus Reipublicæ malè contigisse, quæ jam nulla erat, Plebe, Civibusque in penuria intolerabiles, oneraque importabilia, &, (quod pejus est) in libertatis amissionem incidisse, feramque pœnitudinem dilacerati communis boni non reminiscentium Civium torrere præcordia. Ex quibus oblocutionibus coire in idem propositum utriusque factionis homines videbantur. Prætensum fore, ajebatur, in Reipublicæ perniciem Bonducium Boncontis, & filium trucidatos fuisse; nunc deesse eos, qui soluto ore bonum publicum loquerentur. Victoriam, (e) Victæque Civitatis Lucanæ in exitum Pisanorum versa fore: conditiones in singulos dies (f) deterrere. Sic odia paulò ante exaggerari per alterna factiosorum alloquia videbantur, ut eisdem super statu Urbis assertionibus uterentur. Horum omnium non ignarus Ugutio, Procerum Senatum haberi constituit. Ubi facta Oratione probè gesta memoravit: *Deletos antiquos Pisani populi hostes, & in eorum servitutem redactos: Municipia recuperata, quæ visus & auditus continuos Pisanorum cominus molestabant: Ad tollendas reliquias instare, studere, assiduis vigiliis fatigare: Hæc tanta, taliaque gratis, oblectanter censummari non posse. Impensa,*

(g) *In V.* arcessebat, *& ita Amb.*
(h) *Fortè* flectendas pacis sermonibus &c.
(i) *MS. Ambr.* adinventa.

NOTÆ AD RUBRICAM IV.

(a) *Cod. Est.* Actium.

(b) *Cod. Est.* potitus, *& ita Amb.*
(c) *Cod. Est.* Actius.
(d) *Melius* intrinsecos inaniter pertemtasset.
(e) *Fortè* victæque Civitatis Lucanæ vires in exitium &c.
(f) *Cod. Est.* deteriores.

Digitized by Google

pensa, laboribusque opus esse, nec de Fagiola proventus iis suppetere: Sibi ipsis ipsi consulerent: Res agendas assumerent, emendarent, impendia levigarent: Ipsi parere circa ea, quàm jubere gratius: Ex se ipsis deligant, qui ad commune commodum administrent, stipendia persolvant sub moderamine propensiori: contentumque se iis fore contestatus est. Dimisso Senatu, evulgatis per plebejos conventus, quæ Ugutio pro magnanimitate, proque veritate protulerat:

Continuò versum est studia in contraria Vulgus.

Ugutionem extollere, laudare: pro suo libitu publicum, privatumque æs effundere: pro illo, proque se in ferrum in ignes ire: vires ad ulteriora extendere: Florentiam invadere, vitas, soboles, penates, omnia Ugutioni impendere. Tunc per vicos, & fora, ac theatra vox una, *Ugutionem vivere*, Urbem omnem obstrepebat: *Florentiam, Florentiam iri*. Ugutio secundantibus pro tempore votis, ut magis magisque sibi amores concitet, Germanorum, ceterorumque Mercenariorum totius militiæ cohortes centuriavit, in acies pedestribus, equestribusque phalangibus distinxit. Captatisque matutinalibus horis, migratis Lucanorum finibus in Florentinorum agros populabundus exiit, incendiis, capturis, rapinis, quàcumque iter erat, vastavit, magnoque trophæo concinnitate tubarum regressus est. Proinde majora aggressurus, armamenta, ballistas, ceteraque ad usum bellicum magno apparatu conquiri constituit. Tuncque per Gelforum Urbes Municipiaque undique terror; sed major Florentiam metus invasit. In ea quidem trepidus impotensque virium Petrus erat, cui nec plena, nec tuta Civium fiducia. Urbs quidem mixtis omni factionum genere viris, Albis, ac nonnullis Gibolengis, internisque Gelforum odiis vacillabat, ut vix consilio locus foret. Nec ipsum Petrum adamabat Communitas, cùm citra spem communem plus otio, & (quod detestabilius erat) avaritiæ deditus, quàm belli vicissitudinibus foret. Nec minori anxietate angebantur Florentini, quàm HENRICO Imperatore mœniis instante. Dum tamdem provisione Priorum defendendis mœniis per Coloniarum incolas, quas *Vicarias* appellant, spem salutis cepere: amicos Bononienses accersere: castra muniere, nulla prorsus tutandorum agrorum finiumque fiducia, miseris Ruralibus per Castella & loca tuta confugientibus. Eodem Senenses discrimine similibus remediis freti sunt. His momentis tantum sinistri à Monte Catino Ugutioni cessit Idibus Martiis. Nam qui Castrum pro Lucensibus exulibus magna vigilia servabant, suis confisi viribus, tumultuariam pugnam cum iis, qui majori Pisanorum propugnaculo præsidebant, movere. Cùm expositi ad pugnam iniendam Pisani jam se se ad congressum coaptarent, edictum misere Catinenses, ut, qui eadem expeditione aderant, Lucenses à Pisanis ceterisque pugnatoribus digrederentur, & res prœlio cum ceteris agenda relinqueretur, quod & continuò factum est. Digressione facta, utrinque in prœlium itum est. At exules, qui CCC. ferme erant, seu ad Catinensium fortunam, quam eminere viderunt, accedentes, qui jam (g) potentioribus viribus Pisanos repressérant; seu sponte sua ad patrium amorem inclinantes, ab tergo (h) Pisanos adorti sunt, necem eorum, victoriamque Catinensium, & partis Gelfæ conclamantes. Unde itidem, parva mora, ad propugnaculum, quod Tusci *Batifolem* vocant, se conferentes, hostibus mixti pariter una perplexitate congressi sunt. Sic ante retroque circumventi Pisani, cæsi trucidatique sunt, adustumque propugnaculum, Lucensesque exules, qui se huic favori exhibuerant, cum Catinensibus magna exultatione in Castrum concessere. Hæc Pisanorum, Lucensiumque conditiones sub continui belli fremitu suis ipsi damnis Gelforum Civitates undique flagitiis torquebant.

Sic peccata luunt homines, dum viscera torrent,
Conceptis ignita odiis, nec digna vicissim,
Quæ latet, alternis perpenditur ultio damnis.

Sic omni bono explosa, omnique calamitate repleta Lucana Civitas Francisco Ugutionis filio Dominatore tyrannide interim calcata consumebatur. Ipse namque Castellum magna laterum fabrica apud Sancti Petri valvas, quibus Lucam callis dirigitur, in Curtino, sibi astruxit, obstrusis viarum angulis undecumque ad id loci erat accessus. Cui etiamsi nulla de victis superatisque Lucensibus fiducia, parva de suis victoribus erat, cùm utrique victos infelicesque se reputarent. Interminelli siquidem, suique complices, quorum favoribus Luca ad Ugutionem defecerat, primo conceptu libertate suæ Urbis potituri, adversis insperatisque successibus detestabilem servitutem ingemiscebant, exilium pristinum affectare, quàm patriæ coërtionem, reditumque dictitabant, citra spem omnem fuisse, ac præter omnis primi tractatus conditiones Urbe spoliari, Civibus denudari, bonisque omnibus sic privari, ut omni prorsus civilitate carere debuissent, odiaque gravissimæ hujus tyrannidis tanto ardore præcordiis alebant, (ut si fari licitum cuique fuisset) ex duabus Gelfa & Gibolenga factionibus in idem fœdus corda utrorumque amplecterentur. Sed pœnitentiæ locus ad expianda crimina longiora spatia exigebat. Aliorsum quidem Ugutionis suscepti Dominii propositum, aliorsum illorum opinio divertebat. Classica enim sequi, quæcumque buccinæ personarent, illis consilium erat, nec juga collo retrahere. Tum demum ad Sancti Miniatis validum municipium Ugutio copias omnes eduxit, castra secus Treghialam fixit. Inde per agros omnes luxurians, sata, vineta cum fructibus passim vastavit, septem centum, & Mille militum, XVI. millium peditum catervis Colonias omni feritate perambiens. Inclusi Castro Simon de Villa Sextorum duorum Civitatis Florentiæ dux cum municipalibus, vallis solis contenti, vallorum tuitionibus intendebant. Inde hoc anfractu præsidia Pistorii conduplicata sunt.

RUBRICA V.

Pulsio Calbulensium de (a) Furlivio.

FUerat in Romandiolæ Provincia per Nonas Novembrias XIV. Anno Domini nostri post CCC. M. memoriale momentum. Nam Gilimbertum Romandiolæ Comitem pro Roberto Apuliæ Rege, Simonem de Beloco, & Bernardum de Cimonsurri (b) provinciales,

(g) *Cod. Est.* potioribus, *& ita Amb.*
(h) *In V.* Pisanorum.

NOTÆ AD RUBRICAM V.
(a) *Aliis* Forlivio.
(b) *MS. Ambr.* de Monsurri.

les, ejusdem Gilimberti contubernales, quos in Romandiolæ præsidio Rex idem tenebat, unà cum Florentina militia adversùs Ugutionem de Fagiola Petrus Roberti Regis frater in expeditionem ire jussit. Qui peracti temporis promeritum stipendium quærentes dum non impetrassent impetrata (c) exequi stomachati negavere; sed in Romandiolam neglecto Petri mandato iter arripuere. Dumque Faventiam nonnulli suorum antecessissent, in novis allatum est, eumdem Comitem cum cohorte sua novo proposito, tœdio Petri, ac carentia non acceptæ, quam diu meruerat, promissæ mercedis in Gibolengos (d) votum vertisse, Romandiolamque totam velle ad easdem partes, si res succedant, suo suorumque conatu convertere; sicque ex ipsis suæ cohortis stipendiariis ad hæc aperienda pervenisse (e). At Franciscus de Manfredis Gelfæ partis in ea Civitate princeps, ac Capitaneus hujus rei metu in ambiguo positus, pro tutiori successu adventantibus portas clausit. Stupefactus rei novitate Gilimbertus secessit Orivolim, tum & demum in Castrum Carum restitit. Auditum hoc circum circa momentum, Romandiolam totam, ac præsertim Gelfos hac horrenda suspicione conterruit. Nec segnis Franciscus Lambertum de Polenta Ravennæ Dominatorem, Comites Cunienses, & ceteros Romandiolæ Primores Bagnacavallum in colloquium traxit, parti Gelfæ timendum fore, ne à Gibolengis adhærente illis nonnulla Gelforum factione sub Marchionis, suorumque prævaricatione opprimantur; obstandum esse, præoccupandasque primas aggrediendæ rei vices. Decretum hoc colloquio est, Imolenses, planiciemque totam cum montanis ad Faventiæ præsidium concurrere; Lambertum de Polenta cum Ravennatibus, Comites Cunienses cum suorum fidelium copiis Furlivium adire suffragaturos Fulzerio, & Calbulensibus, ne Argulosis ejusdem Furlivii potentioribus, inter quos, & Calbulenses contentio ac simultas erat, Gilimberto adhærendi facultas foret, neve Furlivium in ejusdem Gilimberti partem cederet: sed, si res exposceret, Urbe potiùs fiduciarii Calbulenses potirentur. Continuò digressu stabilita eo colloquio executionem cepere. Faventia præsidio Imolensium fulcitur: Calbulenses ab amicis edocti sub armis per Furlivii vicos suæ factionis amicos habuere: Cunienses, & Ravennates Lamberto de Polenta duce, patentibus portis improviso, ac horum omnium ignaro . . . . . Cathelonense, qui Gilimberti Vicariatum agebat, Furlivium ingressi sunt. (f) Concitus impræmeditatis momentis, accersitis Argulosis, cum Cathelonensium cohorte protinus in Lambertum infesto calybe ruit, equoque saucium stravit. Nec mora, (quemadmodum in primis congressibus Fortuna viribus potior iis, quos præelegit, Victoriam tradit) Lamberti acies per angulos versæ fugæ remediis annixæ sunt, Argulosis fugantibus, ac terga passim cædentibus. Cessere è portis solo tumultu victi, superatique Calbulenses, Urbe relicta, Viviano Fulzerii fratre ab equorum strage compresso necatoque, plerisque etiam Primorum eadem ruina peremtis. Victor . . . . cum Argulosis ad Roberti Regis Apuliæ nomen victoria pariter, & Urbe potiti sunt. Sic numquam scismate carent partes per varias mentes imperdurabili quadam naturæ corruptione divisæ.

(c) *Cod. Est.* impetrassent, imperata, *& ita Ambr.*
(d) *Cod. Est.* in partes Gibolengas, *& ita Ambr.*
(e) *Cod. Est.* prævenisse, *& ita Ambr.*
(f) *Videntur deesse nonnulla.*

RUBRICA VI.

Turrianorum insultus ad suburbium Placentiæ.

UGo Dalphinus factione Longobardorum Turrianorum, ac ceterorum Gelfæ partis accitus cum ferè CCC. militibus Papiam venit. Ubi contractis copiis factionis ejusdem, Parmensium scilicet, Cremonensium, exterorumque exulum Pergamensium, Laudensium, Placentinorum, & superæ Longobardiæ, (a) oris Alexandrinorum, Vercellensium, Novariensium (b) invadere primo cursu præmeditati sunt. At Maphæo Vicecomite sub Imperii regimine conductorum militum multa mercede, amicorumque viribus suæ factionis summa vi Urbem protegente, Placentiam diverterunt exercitum, expugnatoque Padi ponte in contiguum Civitati suburbium introiere. Positisque in eo loci stativis habilitate expugnandæ Urbis confisi, spes intentosque animos direxere. Cùm Dalphinus sub horum actuum procinctu Proceres exercitus de promisso sibi stipendio pro instantibus diebus, cùm suscepti jam dicti stipendii tempus præteriisse subjiceret, interpellavit. At illis secus fore asserentibus, & de dierum stipendiique computatione certantibus, è Suburbio, & castris se quarto Alexandriam versùs cum ingenti commotione digressus est. Quem postera die contubernales ejus rupto exercitu cum suorum militia secuti sunt. Longobardi, Turrianique tanto anfractu solutis, desperatisque conceptibus & ipsi Papiam exusto à tergo Padi ponte regressi sunt. Fuere, qui Dalphinum Maphæi ære corruptum sic recessisse dictitarent, argumento, quòd jam paratam victoriam relinquens abiisset.

RUBRICA VII.

Expugnatio Castri Ciguli, & depopulatio Sancti Miniatis.

IN Tuscia solus Ugutio Provinciam totam bello pertinacissimo incessebat. Nam, sicut præmonstratum est, totam Sancti Miniatis oram incendio & omni præda vastans secus Ciguli Castrum insidens, Colonias omnes ruina ferroque subjecit, Turrim Sancti Romani, Stibium, Montaltum, Sanctam Condam, Fabiastrum, cæsis per eam planiciem palmitibus, & Olivis à Calle Martignanæ versùs Pisas, erectisque instante obsidione machinis, & propugnaculis ad Ciguli Castellum magno impetu, illato certamine, ipso magna intrinsecorum cæde ac strage potitus est. Verùm ex suis in suburbii oppugnatione ferme CXXV. interemti sunt, inter quos Vir unus nobilis Tanus de Valchochis (a): Ex iis, qui in suburbio erant CC. seu circiter, ceteris omnibus vinctis, & in captivitates redactis: nonnullis, dum sese magno certamine contuerentur, pacto ad suos abire dimissis. Actum hoc III. Non. Majas. Consequenter ad Montem Calvoli directo agmine itum est. Ubi cum stativis positis ad oppugnationem structuras coaptaret, ii, qui Castri præsidio erant, cladis, quæ apud

NOTÆ AD RUBRICAM VI.
(a) *Melius* oras.
(b) *MS. Ambr. addit* Valentinorum.

NOTÆ AD RUBRICAM VII.
(a) *Cod. Est.* Valchochisis, *& ita Ambr.*

Digitized by Google

apud Ciguli (b) contigerat, terrore affecti, dedente Bulgatio (c) Fantoni Florentino Arcis illius Capitaneo, nullo expectato certamine ad Ugutionem defecere. Nec mora: inde digressus usque in Sanctæ Mariæ in Monte Arcem ferro & igni omnia depopulatus est. Ad Vallem Arni properans, quò nihil flagitiis, hostilisve pestis omitteret, fortunâ quidem, & viribus pariter usus, hostes segnitie metuque intra Civitatum mœnia arctatos, nihilque confidentes aut audentes, frequentibus exploratorum indaginibus sentiebat. Petrus siquidem Roberti Regis frater Florentiæ præsidens, non aliud, quàm literis frequentibus Fratrem sollicitare pro suffragio conquirendo annitebatur; nil eo minùs, ac si Patriam infesto bello defenderet, annuum stipendium à Florentinis accipiens nonaginta & sex millium aureorum. Tamdem hoc mense Majo tantis angustatus oppressionibus, atque injuriis, correptusque Florentinorum querelis assiduis, & suæ remissionis pudore, ad Regem Fratrem præcisi sui propositi literas direxit, ut nisi per instantis mensis Junii terminum se subsidiis adjuvet, soli ipsi cum volentium dumtaxat consortio in gladios Ugutioni, etiam morte prævisa, (d) occurrendum. Hæcque jurejurando, & sub Regiæ Domus fide contestatus est.

RUBRICA VIII.

Transmissio Principis Tarentini in Tusciam.

RObertus inevitabili coërtione permotus, cùm hæc multum diuque aggredi diuturna dilatione vacillasset, Philippum Tarenti Principem cum Carolo ejusdem Principis filio, ac Principe Capuæ Ducem ejusdem Roberti primogenitum destinandos in Tusciam decrevit, delectumque omnem cum apparatu terrestri ac navali nullo medio suis, Tusciæque stipendiis coordinavit, centuriavitque iis sub gagiis, quæ stipendia Tusci vocant, de Florentinorum, Tuscorumque Gelforum ære mensibus singulis, quibus in expeditione militaverint. Personæ Principis unciis CCC. auri. Baronibus, seu Proceribus, Comitibusque duodecim unciis. CCC. (a) Militibus decem. Primipilariis delectis unciis sex pro eorum quovis. Nonaginta gregariis militibus pro quoque unciis quatuor. Singulis sexcentorum Militum acierum unciis tribus pro cujusque stipendio, additis cuique eorum aureo uno Floreno pro equorum emenda, & unciis tribus singulis mensibus unicuique eorumdem pro exenii largitione. Capit omnis hujus summa mercedis mense omni XIII. mille CCL. Florenos. Insuper auxiliare Regis suffragium Joanne altero fratre Duce ex Regiæ Cameræ mercede militum CCCCL. constitutum est regia largitione. Sic omnia mense Maji stabilita, ac con lamata sunt. Inde ad hunc fulciendum delectum Princeps intentus menses Junium, ac Julium, Rege parum solerter intendente, ac filium mutato proposito cum gagiis militum C. subtrahente, retento Joanne fratre, revocatoque ex itinere, dum exhaustum illum Siculis effusionibus impensæ admodum gravarent, attrivit. Sed demum circum Augusti Kal. cum iis copiis in Tusciam profectus est. Tunc undique excitæ novo Marte Provinciæ Italiæ, propositis domi rebus, suisque arctatæ mœnibus singulæ Civitates, ut tutæ à finitimis consisterent, ad hoc veluti suarum rerum supremum judicium intentus direxere. Tunc alitum (b) factionum Gelfæ ac Gibolengæ ferale odium audentibus fiduciis utrinque detectum est.

RUBRICA IX.

Præparatio Ugutionis de Fagiola ad bellum.

AD capita hæc duo, hinc Principem, inde Ugutionem vires summittere, fulcire, extollere cujusque Populi spes erecta est. Nec Ugutioni tam arduis perplexo vicissitudinibus, cùm resilire tantis jampridem in Gelfos commissis facultas non foret, audacia, animique magnitudo defuit. Et si illum non ignarum altæ indolis, prosapiæque Principis, & impari certaminis formido conterruit non tamen casualis fortunæ spes deseruit; ac si non victoriam pollicentis; non tamen negantis in sui vertigine ludicri, apertum bellum experiri primo proposito conjectatus est, in quo per omnium humanorum actuum experimenta suum ostentat apertius Fortuna dominium. Plus igitur Fortunæ (a) fidendum, quàm contingendorum eventuum rationi. Continuò igitur momento primo nondum firmatis in robur hostibus exercitum velox admovit, per singulos angulos accessus propugnacula præsidiis munita circumposuit, potiendique cujusquam ab amicis suffragii spem sustulit, Fluvio Nebulæ (1), qui montis radices à campis distinguit pro castrorum suorum tutela potiturus. Per eos quidem agros hostium incursum ad se invadendum, sicut omnis docebat verisimilitudo, summa providentia (b) præmetatus est. Inde à suffraganeis, suisque complicibus copias suas auxit. Ex suis quidem mercenariis Gallicis, quos magno ære undecumque collegerat M. CCC. habuit. Ex Italicis exulibus Gibolengis, seu Albis DC. Ex Civibus Pisanis, ac Lucensibus D. Ex Aretinis Ubertinorum, & Paziorum prosapiis (sic enim Florentinorum Nobiles quidam exulum vocabantur) C. Ex (c) Communitatibus Sanctæ Floris cum complicibus terrarum Patrimonii C. Mutinensibus L. Mantuanis, ac Veronensibus C. Levis armaturæ peditibus, & agrestibus, quorum copiam Lucana Civitas per populosa rura semper habuit XX. millia. Princeps tamdem Senas adveniens, seu fatis sic parantibus, seu itineribus, exercitioque fatigatus, quatriduanæ febris languore occupatus, infractusque est intensissimis parocismis, nonnullis diebus itidem resedit. Dumque dierum quietis intercapedine allevaretur, Florentinos, ceterosque suæ factionis hortaturque, inde & Florentiam proficiscitur.

RU-

(b) *Adde* Castellum.
(c) *Cod. Est.* Buglatio, *& ita Ambr.* *Melius* Fansone.
(d) *Melius* incurrendum sit.

NOTÆ AD RUBRICAM VIII.

(a) *Cod. Est.* CCCLX. *& ita Ambr.*
(b) *Cod. Est.* diu factionum, *& ita Ambr.*

NOTÆ AD RUBRICAM IX.

(a) *Melius fortasse*: Plus igitur Fortunæ fidens, quàm &c. *vel* fidendum ratus, continuò momento primo &c.
(1) Hoc vulgò appellant *Nievole*, & vallem, per quam fluit *Valdi-Nievole*. Villanus.
(b) *Cod. Est.* præmetitiis, *& ita Ambr.*
(c) *Cod. Est.* Comitibus, *& ita Ambr.*

Digitized by Google

RUBRICA X.

Princeps ad Ficchechium (a) Castrum copias educit, & recenset.

UBi nulla mora, quantum natura languore refocillata patiebatur, apparatus omnes ad expeditiones exponebat, dum Idibus Augusti mensis Florentina Urbe (b) congressus ad Ficcechium Castrum copias omnes eduxit. Castrum hoc Ficcechii (1) Lucanorum finium erat, in quod sub Lucæ excidio appulsu exules Gelfi se contulerant, in eoque loci Municipum beneficiis bellum Urbi, qualecumque valuerant, inferentes degebant, distabatque ab Urbe Lucana passuum millibus ferè. . . . . à Florentia. Hcc in loco recenseri ex multis primi temporis pollicitationibus Tuscorum copias jussit, suasque patenti campo in aspectum declarari enuntiavit. Fuit Apula militia, Regiaque omnis cohors sub præmissis adducta stipendiis militum ferme IX. centum. Quorum VI. centum Princeps ipse suo lateri ascivit, ac eorum Submareschalchum, bellique hujus Principem Gulielmum Boraldum Apuli Regni militem egregium constituit; reliquos verò, qui ex iis superaverant, suo Fratri Petro Embolis Comiti, primogenitoque Carolo adolescenti contribuit. Duces belli, ac primipilarios centuriavit, signaque ferenda probatis plurima experientia viris, quos sibi honores, ac munificentiæ Regiæ fidos fecerant, assignavit sub iis numeris. Oberto de Neo Gallico (c) dilectos milites LX. decrevit. Brengario Carrocio L. Raymundatio CL. Aginulfo Aquinensi CLX. Simonem de Villa commeatui Petri fratris ejus cum CL. militum ala præfecit. Bolgarucium Comitem de Marzano XXV. prætulit. Thebaldum de Artese XXX Gulielmum de Monsablone Burgundionem XXV. Diadegum de Latat Romandiolæ Comitem CL. Fuere milites Florentini VII. centum. Mercenarii eorum conducti CC. Subsidiarii insignes ex Terris, Municipiisque, Florentiæ adhærentibus ii. Rugerius de (d) Odola, & Carolus Batifollis Comites Palatini cum Contubernalibus L. Nellus de Panochiensibus cum sociis XX. Advenere ex Aricio Gelfi Duce Fumo de Bostolis milites LXX. Lucani exules CC. Senenses milites quatuor centum cum peditum V. millibus. Bononienses CC. cum peditibus CCCC. Perusini CCL. Urbitani. C. Malia de Grosseto cum L. militibus. Pistoriensis LXX. Samminiatenses LXXX. Montispulcianenses L. Pratenses L. Vulterranenses, (e) Sangeminatenses cum Collensibus C.

RUBRICA XI.

Occursus Ugutionis contra Principem.

UGutio de Fagiola, ut Principis exercitum apud Ficcechium exploratorum relatione dignovit, Lucam adveniens, inde diluculo egressus cum Lucanorum, Pisanorumque copiis Pagum Sancti Petri in Campo properè occupavit, ratus, si in eum callem Princeps prævenisset, exercitui Ugutionis, qui Montem Catinum obsidione premebat, meatum ad Lucanam Urbem præclusurus fuerat. Illudque Principis extimatione futurum fuerat: sed causa propositum Principis avertit. Nam loci angustia fomitum siccitate, quibus hominum, belluarumque opportunitas aquari debuerat, identidem gressum inhibuit. Sustulitque & idem propositum pinguis Principis Procerumque fiducia, quos, quicumque liberet, latè incedere nulla suspendebat ambiguitas, assignantibus ferè omnibus, ac computantibus pro quavis ratione potentiam. Verùm hujusce rei prima temeritas futuris successibus præjuditiale initium præstitit. Nam desertis propugnaculis ademta subsidii spes obsidentium fuga liberaverat Catinenses.

RUBRICA XII.

Princeps apud Montem Victorinum Castra figit.

PRinceps æquo campo, latiori meatu instructis aciebus secus Montem Victorinum (2) Castra fixit, ibique resedit. Tutus Ugutio ab inde hostes occupationi viæ Lucanæ intentos non fore, & ipse stativis mutatis, Montis Catini promontoriis per planum semper inhærens, per directum junctis Castris cum iis, qui Castrum Montis Catini obsidione premebant, substitit. Inde & Princeps secus Vehile (a) Fluviolum catervas per latum campum eduxit, dum ad Montis Summani appendicias usque pervênit, ibique sola intersecante Nebula per ballistarum tractum impedimenta deposuit; sicque & ipse directa linea longis stativis temptoria figi jussit, ut per juga locis eminentioribus intuentibus (b) una castra visa fuissent, fallerentque aspectu rerum inscios. Ugutio siquidem ripam ulteriorem tegminibus pedestrium clypeorum longo ordine sub tectorum peditum assiduis vigiliis insidentium præmuniverat, ne se invito Princeps in prædia discurrisset. Hic Nebulæ fluvius apud Podium Seravallis uberrimo fonte exoritur, indeque permeans per colles excidit, & per planiciem, quæ montibus Summano, & Catino interjacet, prolapsus sibi alveum facit alluvionibus excrescens modico siccis liquore temporibus; verùm riparum crepidinibus abdita profunditate impermeabilis. Hic Montis Catini radices (c) girans, decliviorem apud Bugianum vallem nactus cum alterius Fluentis Borræ, & aliis accedentibus stagnis quiescit, paludemque longæva residentia perstans efficit. Nomen Paludi, Jussiana, accolæ dedere. Nebulæ hujus nuncupatione per eam oram promontoria cum vallibus nomen accepere, vocitanturque (d) valles Nebulæ. In Montis Catini vertice Municipium

NOTÆ AD RUBRICAM X.

(a) *Fuctium* Leonardo Aretino lib. V. Hist. Florent. pag. 103. editionis Argentoratensis MDCX.
(b) *Fortè* egressus.
(1) Repone *Fucecchium*, & *Fucecchii*; Castrum hoc Fucecchii situm est in faucibus cujusdam lacus, qui per illas in flumen Arni evolvitur. Atque ab his faucibus nomen suum Fucecchii castrum accepit. Quod deinde gratum lacui nomen reddit, qui vulgò Lacus Fucecchii appellatur. *Villanus*.
(c) *Cod. Est.* delectos, *& ita Ambr.*
(d) *Cod. Est.* Udola.
(e) *Cod. Est.* Sangeminianenses, *& ita Ambr.*

NOTÆ AD RUBRICAM XII.

(2) Hic locus appellatur hodie, *monte Vetturino*: Sed apud scriptores nunc *mons Victorinus*, nunc *mons Vittolinus*, fortasse à nomine *vetta*, quod lingua Etrusca summitatem, culmenve significat. Sedet enim castellum hoc super colle quodam. *Villanus*.
(a) *MS. Ambr.* Nebulæ.
(b) *Cod. Est* ima castra.
(c) *Fortè* rigans.
(d) *Aliter* Vallis.

Digitized by Google

cipium validum ſitum eſt M. ferme Municipum capax, ſola fame expugnabile. Hoc poſt Lucæ excidium Gelfis ac Florentinis fidem ſervavit, quorum præſidiis fovebantur. Collibus adjacet Apenninis ſub plaga Occidente. Nam trans Nebulam Mons Summanus conſpicit Oriens, Meridiem Bugiani Caſtrum ad Piſas Lucamque rectos calles aſpiciens. Caſtrum Serravallis ad Aquilonem vergit, unde Piſtorium greſſus eſt. Secus hunc fluvium bini exercitus inferiora tenentes hinc atque hinc imaginariis conatibus multifariam agitantibus prœlium, congreſſumque Principis, Procerumque, ac omnium manipulorum efflagitant. At Petrus Ugutioni ſui, ſuorumque tutelam, Montiſque Catini jam famis peſte laborantis coërtionem ſufficere tolerantia ratus eſt. Mira Ugutionis ſuorum cuſtodiendorum caſtrorum vigilantia. Victoriam quidem in ſola reſidentiæ perpeſſione meditabatur, ſatiſque illi ſic conſiſtere viſum eſt, dum ex adverſo luxuriantium ingentibus auſibus Principis, ſuorumque inſolentias ab ſcopulorum eminentiis perſæpe conſpicit. Namque illi, ut jugiter parta victoria, ſemper oppreſſos fugienteſque hoſtes in ſe ſe conjectabant, non plus penſi habentes, quàm ſi concluſos, obſeſſoſque in exitium concluſiſſent.

RUBRICA XIII.

Tumultuariæ pugnæ inter Gentes Principis, & Ugutionis.

INterea per æquatos Nebulæ aditus nonnulli palantes in agros hoſtiles tranſiliebant, concitoque exercitu Ugutionis, tumultuarias pugnas agebant. Piſani, militiæque Ugutionis, ſeu bellico aſtu, ſeu ex concepta hoſtium ſuorum audacia, formidine caſtris ſe continebant. Unde & iis ferè omnibus exceſſibus proſperè ſuccedentibus, ſingulari certamine victores remanebant. Interimque à ſcrutatoribus, qui clanculum ad Catinenſes, ſeu per paludis avia, ſeu noctu dirigebantur, Principi innotuit, illos fame ultima affectos eſculentis poculentiſque conſumtis ad radices graminaque edenda compelli, jamque ad ea, quæ belluis apponi ſolent, rodenda pellente uſualium rerum penuria eſſe perventum, quodque omnibus pæne affecti viribus per propugnacula vigiliarum impatientes manè exſpirati reperiebantur. Et ea propter flammas fumoſque è ſummis turrium pinnaculis conſpectui ſuorum fruſtra prodebant. Unde miſertus compaſſuſque Princeps dum multifariam per alta noctium ſilentia, perque ſolitudines edenda ſummitteret, ab attentiſſimis Ugutionis excubiis vectores intercipiebantur, nec ipſe talibu ſtudiis quidquam proficiebat. Ob haſce res anxius Princeps amaris angebatur ſtimulis; ſed atrocior vis, peſtiſque mordacior viſcera ejus exagitabat. Nam inſtantis quatriduanæ febris æſtus non modò ſingulas dies quartas illum occupatum habebat; ſed inconſumtus humor ille malencolicus corporis vires exhauſto vigore ſic hebetabat, ut ſibi ipſi oneroſus armis induendis cùm avidiùs pertentaret, poſitis ſtrato membris deficeret. Unde nec coëquitare, nec caſtra ambire, nec commilitones ſollicitare quibat, nec cum Magiſtris Militum conſilia inire, ut profundiſſimæ rei poſcebat viciſſitudo, & verenda qualitas. Proinde & per exercitus motus varii, & conſilia ſingularia, prout unuſquiſque pro ſtativis propriis ſtudiis affectabat. Erat hoc abſque Gubernatore remigium. Verbis quiſque hoſtes nullo ictu ſubegiſſe viſus eſt. Cùmque ſimul quibuſque horis acies inſtructas inſpicerent, ad fugam diſpoſitas conclamabant, aſſiduèque per caſtra aſſentatores blandimentis, ut campo ſingulis crepuſculis deſerendo ab hoſtibus, novis ſemper indaginibus diſcurrebant. Ugutio ſobrius, ac pervigil, omnium, quæ agebantur, gnarus, in hoſtium ſolutione ac laſcivia ſpem occepit, victoriæque orientis ſucceſſum animo ſtrenuo autumavit, ſi ſe, ſuiſque, ut ſpondebat, hoſtium mobilitas (*) graviter, ac probè utatur. Tunc Commilitones Gibolengos, Albofque cum acierum Ducibus, quorum ſub libra æternæ res agebantur, in unum coire, ſpes erigere, ſub Dei Excelſi ſponſione ſuaſit his verbis.

RUBRICA XIV.

Oratio Ugutionis ad Commilitones.

SI ad conſervandas, inquit, *manus Fortunæ ſuum, ut ecce cerno, præbeat ſecunda ſubſidium, ne abutamini Socii, Fratres, ſed in amplexum occurrite. Duros vos, atque aſſueto Marte jam dudum infractos in Viros molles, qui ſolas novere delicias, opponite, & (a) imparatas moras irruite. Nec Regii ſanguinis vana nomina pertimeſcite, aut vereamini hoc in bello, in quo nulla prorſus Perſonarum acceptio, dum de ſuo tuendo ſanguine quiſque ſit judex. Et pars exuta corpore ignobilis anima pugnatoris animæ nobilis impar non eſt. Se ſe Regi æquandum quiſque noverit hoc in caſu. Conſtat, Regna quæſita à rerum primordio, armorum bellorumque inſtrumentis, & virtutibus animorum. Unde & Reges dicti ſunt, & quamdiu victis imperant, tamdiu cedunt ipſi victoribus, fiuntque novorum Regum clientes. Nam Manfredus, Fridericuſque Reges fuere ab horum Genitoribus noſtra memoria interemti. Apuliæ, Siciliæque Regna non illis quæſita, niſi gladio judice, Succeſſoribus. Imperia fatis, ſiderumque convolutionibus immutantur. Portentum eſt rerum, Naturam ſua munera abutentibus condonaſſe, perduraſſe diu beneficium in ingratos. Hi ecce Regum indignæ propagines ſanguinem veſtrum non ſub juſti, vel æqui libramine, Regia laude perquirunt; ſed dati æris ambitu, luxuque ſub mercenaria clientela. Deinde conſternatos conſpicite in Provinciis Italicis, qui Gelforum vocabulo partis Eccleſiæ falſum ſibi nomen induerant. Sacroſanctæ memoriæ Henricus Pius Imperator hic VII. vias pace, ferroque (b) vobis aperuit, Victoriarum ſuarum heredes inſtituit, victrices Aquilas ferre contribuit, quibus abuti non liceat. Jam novos Reges occupata diu Regna deſiderant, penates, lareſque ſacris auſpiciis admittunt Dominos jamdudum mendicantes. Hoc judicium commune rebus Italicis quietem poſteris pollicetur, has manus præſentium futurorumque miniſtras (c) numerum fore in longævas ſoboles. Præſto aſſint, oblatum cœlitus beneficium amplectantur.*

RU-

(*) *Fortè* gnaviter.

NOTÆ AD RUBRICAM XIV.

(a) *Videtur eſſe in P.* in paratas mortes, *& ita in Amb.*

(b) *Cod. Eſt.* nobis.

(c) *Fortè* munerum.

RUBRICA XV.

Congressus Principis cum Ugutione.

HIs hortati Proceres accensos erigunt ad prœlium animos : dubium, quod ante mentes hebetaverat, exaggerant : in victoria spes ponunt, si congredi casus, aut necessitas poscat. Interea progredi inter Bugianum, & Montem Catinum cum copiis omnibus Princeps constituit, (a) aut lacessitos ad prœlium hostes, aut illis Lucanum Callem, cujus limite alebantur, præcludendum. Castra igitur aciebus coordinatis movet. Eodem, parique motu gressus Ugutio secus fluvium facit ; sed nec æquandum fluvii alveum ballistis, tormentisque permittit, nec prœlium admittit, quod quidem sola prudentia ad sui commodum differt. Ex incessu namque solo manipulos, cohortesque hostiles paulatim solvendas agnoscit, seque contemni licentiosiùs videt. Nam veluti ad jam quæsitum trophæum Princeps plurimos militia cingit, festivisque præludiis inermis incedit. Idem Proceres faciunt. Arma siquidem induere parvipendunt, (b) qui capessere celeri impetu ex fiducia non ambigunt, satellitibus magnisque ferenda sinunt. Cùm verò moram equitatu trahunt, & Ugutio trans fluvium sistit. Sic in dies plures quidquam aliud agere desitum est, Catinensibus fame laguentibus, ac viritim pereuntibus. Jam enim & aquæ elemento deficientes vino in coquendis pulmentis abutebantur, soloque suorum aspectu præcordiis refocillabantur. Et hæc Principem torquebant in intimis. Repositis igitur secus ripam stativis, nova circumspectione Princeps trecentorum militum alam ad Viminariam occupandam dirigit, Coloniam locupletem, quæ Lucano calli adjacet, à castris quinque centum & sex millibus passibus distantem, unde Ugutionis fulciendi, alendique è Luca exercitus commoditatibus fungebatur. Præoccupatus à militibus callis per oræ illius circumferentias opiniones incolarum ad victores divertit, quibus, (c) quàm paruisse Ugutioni, insita erat ex Gelfa factione voluntas. Jam ad victores accedere VI M. Ruralium cum exeniis, & applausibus turmæ frequentaverant, laterique illorum se se copulaverant, quorum etiam favoribus omnis rerum commeatus ad exercitum Ugutionis ademtus. Cujus rei novitate circumventus Ugutio, quid consilii caperet & ipse perplexus est. Jam quidem solidi unius minimus panis in suis castris emebatur, & si ad callem expediendum regrediatur, liberatos extemplo obsidione Catinenses, moram quoque sibi, suisque famescentibus exitio fore. Et (quod præjudicialius illi futurum erat) cohors illa CCC. cum faventibus incolis callem profundarum fovearum, cesarumque arborum obicibus intersecant, spemque regressus ad Lucam adimunt. Sic dubii semper bellorum eventus sub hoc ludicro perperam conditiones evolvunt. Viminariæ Municipes continuò ad milites Principis deficientes Castrum dedere, seque & sua exhibuere. Hoc potiti ad Sancti Miniati callem, proximumque Castellum properant. At ii (d) præsidio erant, vi magna resistentes, oppugnatione ingenti, inani tutela vincuntur. Ubi cæsa obtruncataque

A hominum terrigenarum capita.... seu circiter. His circumventus angustiis Ugutio vincendus fuerat sub sola Principis, suorumque tolerantia, cui nec recessus facultas, nec pugnandi habilitas erat. Sed angebat Principem fulciendorum Catinensium cura mordax, quosque deficere metuebat. Quare ulteriores inducias non sustinuit, sed pridie Septembris Kalendas nocturno gressu quingentorum militum cohortem cum onustis farinæ onagris ad Montis Summani juga deferri jussit. Municipium illud Summani montis præsidiis Florentinorum custodiebatur, ut loci habilitate, si hostes paululum à Monte Catino elongarentur, victum in Castrum summitterent. Ipseque diluculo castris dimotis versùs Bugianum
B contendere, ut Ugutionis exercitum à Montis Catini radicibus seorsum appelleret, suique milites alimoniorum fulcimenta summitterent. (e) Ac jussit, continuò effectum est. Stativis summotis, ballistis, impedimentisque ad vehendum belluis appositis, distinctis aciebus usque ad Borræ vadum perrexit; nec illud trajiciendum, atque in latum campum migrandum constituit. Deerant siquidem ex suis copiis milites VIII. centum, ii scilicet, qui in Viminaria persistebant, & qui nocte hesterna Summanum conscenderant. Borra fluentum est ab excelsa rupe scaturiens, quod secus Bugianum fines montis Catini dividit, & in congeriem cum Nebule fluvio
C paludem facit. Hic incessus ad Borram nullis instructus centuriis, aciebus solutis, atque indistinctis, ac si nullis hostibus ad festivum prœludium quisque permearet. Quàcumque voluntas quemque trahebat, illac perambulabat. In sericis paludamentis pileati milites nullo armorum onere palabant sub concentu tubarum, lituique melodiis. Plurimorum parmæ, ac thoraces cum cassidibus locatæ per cophinos salmariorum vehebantur onagris, ut viaticum agentes assolent ad fora venalia mercatores. Tegmenta velitum, impedimentaque cum ballistis tormentorum generibus annexa vectoribus sub equorum mulorumque sarcinis nullis parata usibus, uti armenta, per campos laxabantur. Sicque ad vadum Borræ ventum est. Motionis hujus prævisus Ugu-
D tio, castra ovans & ipse recolligit, obsessores Montis Catini è quibuscumque propugnaculis evocat, jungitque suorum manipulorum catervis, ac si in se accessuros hostes ad congressum constaret. Quod & ferme conjectatum est. Scuta velitum, levisque armaturæ peditum per marginem ripæ sparsim ferri jubet, rupi montis à dextra semper adhærens, gressumque hostium instructis aciebus pedetentim subsequitur ad solutas illorum catervas oculos usquequaque dirigens. Interea Aginulphus Aquinensis quingentorum Militum Dux, qui Summanum conscenderat, loci temporisque commoditate fretus, cum farinæ, alimoniorumque fulcimento Montem Catinum ingreditur, munitque ac replet Oppidanos : commissa tamen cum iis ad ingressum
E pugna, quos in ea fauce ad obstaculum Ugutio relinquerat, circiter CC. Illi quidem è propugnaculis desilientes Dominum subsequi meditabantur : sed præventi ab Aginulpho in ore gladii confecti sunt. At Ugutio longas exercituum Principis (f) series jugiter anticipans gradu celeri, per callem, qui Bugianum vehit, montis crepidines servans, ad Occidens campum præoccupat,

NOTÆ AD RUBRICAM XV.

(a) *Longè meliùs* aut ad lacessendos.
(b) *Cod. Est.* quæ capessere.
(c) *Desideratur* potiùs.
(d) *Adde* qui.
(e) *Aliter* Ut jussit.
(f) *Cod. Est.* moras.

Digitized by Google

cupat, quo Princeps se explicaturum constituerat. Gulielmus Boraldus belli Principis Dux, ac Mareschalcus ex Ugutionis mobilitate, ac gressus celeritate fugam concipiens, sua extimatione oberravit, cùm, ut illos falleret, sparsosque trans Borram educeret, Ugutio fallam fugam simularet (nil enim in eo bellici æstus, prudentiæque ac vigoris deerat) faventi quidem Fortunæ ex hostium temeritate obsequens, directum aliorsum incessum ostentabat, ac si recta fugiturus fuisset. Mareschalcus ignarus æquari Borræ vadum imperat, Matthæum de Colledovico ad æquatorum tutelam præmittens, trajectis onagris, cum impedimentis, ceterisque salmariis ad prœlium nulla ratione dispositis. Infausti agminis primi à cornu dextro adolescens Carolus Principis filius; à sinistro Verengerius Carrocius vir fortissimus militum Magister erat, qui in (g) aciem erronea ceterorum temeritate irretitus, in directum per vadum exiit, octocentumque militum phalangem, Bononiensium scilicet, ac Senensium traduxit. Hos nulla præcedit prœlii iniendi series, ballistarum impedimentorumque dispositio, non peditum collateranea constipatio; sed nuda, apertaque militum cohors primum belli subitura discrimen. Aciei secundæ Dux Petrus erat, Emboli Comes, Roberti Regis frater, ac Principis, secus Borræ vadum impedimentorum saracinarumque perplexitate repressus, qui Dyadegum Romandiolæ Comitem (h) sibi aciei sinistro cornu locaverat. Militia sub his locata Florentiæ cum plurimis Apulorum numerum XII. centum complentium hastatorum. Reliquæ multitudinis, omniumque superantium copiarum ductor Philippus Tarenti Princeps, qui diem eam nactus febrium æstus infelici successu vim intulit naturæ corporeæ, duobus ferme passuum millibus à Borræ vado peditum constipatione subsistens, virga inermis, accelerationem hortatus; quaque poterat, languore premente, ferente spiritu, turmas ceteras instantia subsequebatur. Ugutio rei gerendæ vicissitudines non omittens, paululum festinus incedens, ac si congressum, prœliumque fugitivus repudiaret, acies suas instruit. Francisco nato suo viro bellicoso, magnanimo juveni, ac industri, fortissimorum aciem primam commendat, ut primas partes aggrediatur. Hos Feritores Italici vocant. Secundam aciem Gallico viro olim Henrici Cæsaris consobrino miræ fortitudinis agendam tradit. Ipse sibi ceteras copias in aciem unam suo ductu componit. Monet, hortatur omnes, ambiens militum peditumque catervas, ubique assistens, directoque visu singulos hostium passus semper aspiciens. Utque hostilem Caroli, Carrociique aciem vadum Borræ migrasse conspexit, nullas ulteriùs passus inducias, celeri rotatu primipilariam Feritorum aciem per directum ad hostes tubarum clangore (i) dirigit. Cujus conceptum, motumque Carrocius agnoscens, primæ frontis milites, Carolumque ad congressum excipiendum (K) prævisos efficit, movetque in adversum jam matura concitatione sonipedes. Franciscus, consternatis, repressisque, qui æquatorum tutelæ præerant, fugas eorum insequens, ad Caroli aciem nulla intermissione progreditur. Sed, proh generis aita strenuitas, virentisque adolescentiæ laudanda simplicitas! quàm flagranti animo nulla mortis conjectura Carolus in hostes (l) irruerit. Ipse quidem signa ante tubas anticipans, stipatus paucis in hostes assiliit. Nec minori ausu infestas cuspides Franciscus excipit. Tunc utrinque strages, cædesque inenarrabiles: tunc clamor sublatus ad æther, armorum ferrique collisio, vapor idem (m) ex equorum militumque amixtione consurgens, pulvis exuberans, confusi hominum visus pariter & auditus. Quis, quem occiderit, referre equidem nefas est: non certum quidquam ullius contestatur intuitus. Verùm fortior, immobiliorque Caroli acies, consternatis, qui Francisci primam frontem tenuerant, & secundam reprimit Gallicorum. At ductor Germanici agminis accurrens prœlium instauravit, ubi violentior impetus, truculentiorque congressus. Cùm demum ruptam, laceramque (n) Caroli aciem Petrus cum Dyadego incompositis signis pæne Borræ passu expedit condeprensant (o), quaque valent acceleratione reintegrant. Fit pugna ingens quatuor simul collidentium acierum. Sed vires impares, cum nullis fulciantur peditibus Caroli Petrique adjunctæ militiæ, nudis corporibus ballistarum, tormentorumque partium Ugutionis, & levis armaturæ peditum læsiones, ac mille generum mortes (p) incutiant. Meritumque accipit improvisæ sibi sortis exitium Principis gens credita fiduciæ, atque socordiæ blandimentis. Nam plurima inermis discurrit in hostes, suos quæritans, & non inveniens cassa conclamatione satellites. Milites quidem fortes viles intercipiunt, conficiuntque turmas Velitum, & turbines ballistarum. Errabundi cum manticis prædia onagrorum greges tumultuaria admixtione perambulant, aciem Petri à congressione perturbant. Atrocissimum futurum erat tantarum Gentium amixtione certamen, si Borram Princeps tempestivo suffragio permigrasset. Sed sic bellorum fert casualis eventus nullo ingenio perceptibilis. In prœlium subiit simul omnis cum adveniente Ugutione victoria. Ipso quidem incutiente contusa, & irreparabilis gens omnis Principis cessit in stragem. Tunc terga cædere, sternere, fugare. Sed major peditum ruina fuit, qui abjectis lanceis in sese compressi per (q) luctuosas fovearum crepidines nullo hoste percussi præcipites alterno onere interibant; militum equorumque superjecta corpora communi, parique ipsorum nece excipiebant. Qui verò ad turbarum congeriem nondum migrato vado concesserant, fugientibus obvii tumultuario confusi strepitu in Principis retroversi catervas fuga irrevocabili suorum stragem faciunt. Jam nulla hostium manus suis opportuna vulneribus, in sese confecti, infestique corruunt. Qui equis eminent ballistarum jactibus, quas suis distinctæ ordinibus Ugutionis series pedetentim insequebantur, transfiguntur, nec vitabundi peditum suorum oppressionibus violenta coërtione equis ultro desiliunt. Principis durabilitas, ac consistentia, dum suorum signa stare diutiùs coëgisset, ceteris fugientium catervis cladem intulit, quibus fugiendi ademta facultas erat. Sic illorum vires infesti hujus successus Fortuna confuderat. Dum & ipse omni sublata spe

(g) *Cod. Est.* in acie.
(h) *Fortè* sub.
(i) *Aliter* direxit.
(K) *Videtur in V. esse* præjussos. *Villanus legit* præmonitos.
(l) *Melius fortasse* irruit.
(m) *Cod. Est.* inde, *& ita Ambr.*
(n) *Cod. Est.* laceratamque.
(o) *MS. Ambr.* condempsant.
(p) *Quid si* incurrant?
(q) *Fortè* lutuosas.

Digitized by Google

ſpe diſperſas undique ſuorum alas per agros latè pallantes aſpiciens, ſigna, ut Dux ſtrenuus, dato ſigno ſub magnanimitate recolligit. Regreſſuſque per montis ſummas appendicias Pratum contendit. Hoſtilis Campus quaque parte deſeritur; errabundi milites peditesque undecunque ſors obtulerat, ſalutes, morteſque ſimul accipiunt. Multos limoſa palus, in qua (r) deliteſcendi cauſa profugerant, abſorpſit. Pars exutis armis noctu, poſtque biduum aufugit. Pars montana juga diſperſim oppetiit, unde per avia nemorum, quò fortuna quemque vehebat, applicuit. Si (ſ) verò, quos per Montis Victorini adjacentias fatalis caſus advexit, à Montis Victorini Terrigenis paſſim jugulabantur, nonnulli ære redimendi capiebantur in Coloniarum circumferentiis, quas amicas felicior ſors Florentinis effecerat. Accedentes fugitivos Incolæ venabantur, ſpoliabant, &, proh nefas! occidebant. Utque omni campo hoſtes exceſſiſſe conſpexit Ugucio, mirabundus cum gaudio ſimul (t) admiſſa triſtitia exemtum oculis jamdudum Franciſcum natum appetiit, à ſingulis Franciſcum quæritat dolore jam præcluſa voce, nec invenit. per campumque ambiens ſub caſſide mœſtus illacrymat (u), ac cruentæ præmetitur animo irritamenta victoriæ. Dum & inter confertiſſima hoſtium funera paulò à Carolo diſtantem cæſum Franciſcum annutiant. Eo dolore cruciatus nullis ulteriùs intentus inſtantiis à militibus acceptus Bugianum adducitur. Tunc pervagantes campo milites deſtitutis equis paſſim capiuntur. Capitur plebs pedeſtris incognitis permixta Nobilibus. Inde & oberrantium fulgentibus ſedibus grex infinita ſonipedum. Satures, (x) abundoſque appetitus pinguis præda confundit. Titubantes hinc atque hinc in dubio vacillant, quæ pretioſiora proripiant, quibuſque ditioribus occupentur oneribus. Patent Regiæ Gazæ raptoribus cum pateris vaſiſque rutilantibus, ac ſericæ veſtes gemmatæ bullatæ monilibus. Sed o ſacra fames, atque mortalium inexpleta cupiditas! Sequens lux cum pridiano crepuſculo omne portabile, præter nuda albentiaque cadavera, frequentia aſſiduæ rapacitatis aſſumſit (y). Feralis hæc dies fuit . . . . . Kal. Sept. Anni Domini noſtri Jeſu Chriſti XV. poſt trecenteſimum milleſimum inſignis, ac in longum ævum memorabilis. Altera luce ſolers, ac curioſus Ugucio chari nati funus exequiis proſecutus eſt. Sed audiat, noritque atrox, ingenſque oſtentum numquam oblita Poſteritas, quàm futurorum ſit neſcia mens, quidve fatis mirabilia tempora pariant, rerumque ſeries per inopinatos caſus evolvat.

RUBRICA XVI.

Memorabilis Facii Piſani Comitis animoſitas.

NErius Facii Piſani Comitis filius, avitæ mortis non immemor, alitum ſub vigentis natura propaginis odium ſub hujus commoditatis eventum dilatam ultionem properantis explicuit. Tractum quidem è campeſtri cæde Caroli adoleſcentis calcatum corpus illuſtre, ſtans ipſe pedibus preſſit, dum enſe cinctus nanciſcitur ſub ejus ludibrii honore militiam. Et *tollite*, inquit, *Avi Gerardi Manes. Eſte hujus mei muneris largitione felices. Tuque canis ſenex Carole, Corradini veri Romanorum Regis, Avique mei Carnifex, accipito dignam tua feritate propaginem*. Felix tibi Neri hoc laudis humanæ præludium: ſed ſuperato tibi hoc Carolo adverſo Marte felici (z). Alluſum tamen corpus Ugucio ipſe dignè veneratus humavit. Cùmque Petrum Principis fratrem occiſum hoc conflictu proderet fama vulgaris, rimari juſſit exploratores nequidquam obſervatione ſolerti. At, ſive quia nulli innotuerit mortis alteratione cadaver; ſive paludis alto limo incubuerit, nulla uſquam inquiſitione repertum eſt. Cæſa hoc conflictu haſtatorum Principis militum Capita CD. peditum DC. Utriuſque generis capta ferè totidem. Signa Regalia duo, militaria IX. Piſas ad trophæum relata. Militum Ugutionis cæſa CCL. ſeu circiter, peditum CXX. Catinenſes, ac Summanenſes acto conflictu continuò ad Victorem Ugutionem defecere.

(r) *Cod. Eſt.* in quam, *& ita Ambr.*
(ſ) *Cod. Eſt.* Hi verò, *& ita Ambr.*
(t) *Pro* admixta.
(u) *Cod. Eſt.* illacrymatur.
(x) *Fortè* avidoſque.
(y) *Fortè* abſumpſit.
(z) *Cod. Eſt.* feliciùs, *& ita Ambr.*

Albertini Muſſati de Geſtis Italicorum poſt Henricum VII. Cæſarem Liber Quintus feliciter explicit.

ALBER-

Digitized by Google

ALBERTINI MUSSATI
DE GESTIS ITALICORUM
POST HENRICUM SEPTIMUM CÆSAREM
LIBER SEXTUS.

RUBRICA PRIMA.

Captio Suburbii Sancti Petri de Vicentia per Paduanos.

FInem belli Paduanorum cum Cane Veronense successus (a) dignis, cui consimilem ab Genesi in hæc nostra tempora vix ulla tradunt rerum monumenta, sortitus est. Fidem quidem nactæ sunt hujusce rei experimento vetustissimæ peregrinorum historiæ, in quas, uti seriosas fabulas, jocabatur incredula modernorum opinio. Quis enim Machabæum illum multa hominum millia manu fudisse rarissima? Quis Macedonum Ducem mœnia inter confertissimos hostes transiluisse professus sit? nisi ea luce terribilem Canem ruinam, stragemque (b) se circumferentem in sui vultus asperitate conspexerit. Objecta nostris oculis exordienda sit series. Ponzinus de Ponzonibus Cremonensis Paduanorum Potestas post derivatum ad Urbem Brentæ fluentum (c) Canem in armis tenuit, quem armis, virisque sibi imparem extenuandum impensis multo proposito offlagitabat, curabatque, ne contra Longobardorum expeditiones, qui Duce Dalphino Viennense ad Mediolanum invadendum accesserant. Canis ipse Maphæo Vicecomiti suffragatus occurreret. Delectum ob eas causas haberi jussit, in Urbem coactis, ac recensitis quibuscumque copiarum ordinibus, onerariis Curruum, Carrucarumque vehiculis M. ferme & D. pro dierum XX. spatio exercitibus coalendis. Cùmque paucorum Primatum arcanis VIII. pæne dies suspensum Populum, quònam processuri fuissent, diluculo tenuisset, plurimis jam ad Montem Silicem cum vehiculis erumpentibus, quasi ex conjecturis se Aticem trajecturos existimarent, die una Septembris jam vergente ad occasum Sole sub Hespero collatis signis, nullo tubarum lituumve concentu, callem directum, qui Vicentiam vehit, (d) accepit. Intenti Milites, Peditesque ac Catervæ omnes insperatis progressibus, sed libentibus animis, dum Vicentiam peti ex hac motione constaret, singillatim, incompositique per noctis vigilatæ tenebras prævia signa secuti sunt. Tamque amens fiducia horum pæne omnium mentes occupaverat, seu absentis, seu despecti Canis audacia, ut arma Curribus advehenda dimiserint, & uti ad imbelle commercium inermes perambularent. Verùm in hoc (e) tanto Ponzinum habuit cautela sollicitum, ut custoditos viarum angulos, ne quis Vicentiam præisset, extrema diligentia observaverit. Cùmque ad Pontem Quartesoli ab Vicentia passuum ferme MMM. ventum esset, lucescentis auroræ principio, ne silentia irrumperent equorum hinnitus, substitit, scrutatores ad Suburbium Sancti Petri summittens. Qui taciti progredientes, propugnaculum, quod ponti valloque præeminebat, ipsumque vallum intro citroque incustodita (f) erant paucis inermibus intimo vestibulo accubantibus. Quod ubi revertentes annuntiavere Ponzino, ipse cum delectis militibus, lancearisque, & levis armaturæ peditibus clanculum celeri meatu accessit ad foveas. Extemploque directis ad aggerem lanceis pedites migrato vallo trajecere. Illi carptim, alter alterum humeris supportantes, intro prodeunt, excubias dormientes obtruncant, pontis (g) pontes catenis annexos succidunt, strato in ulteriorem ripam ponte in Suburbium sublato clamore introeunt. Procedentes inde Ponzinus cum ala præmissorum nonnullos hastatos milites, qui in Suburbii custodia pernoctaverant, incessere. Qui parum frustraque reluctantes fortiori impetu ad Urbis valvas repressi sunt, mixtimque intra eam valvam subeuntes (h) Paduanis, Vicentinisque exulibus nonnulli, ne eminentis supra verticem Castelli præsidiis jactu missilium opprimerentur, repente è progressu retracti sunt. Tum stridore lituum tubarumque plena trivia ac quadrivia ambientium catervarum. Tunc ambigua Vicentinorum Suburbanorum plebs, necnon simul lætabunda, si pristinum statum tribuat illa mutatio: Inde tremens, ne novus hic furor ad prædam criminaque atrociora lascivia. Tamdem applaudens Victoribus, *Viva Paduanos*, undique conclamavit: Pueros Matres per porticus, & pulpita *Vitam* Paduanis *vocitare* docebant gaudentibus lacrymarum profluviis. Patentia penetralium aperuere Cœnacula, esculenta, poculentaque profusis obtulere paratibus. Tunc præconia voce fudit edictum Ponzinus, à cæde prædaque unicuique cavendum, capitali adjecto transgressori supplicio. Conterritam verò intro Urbem spes timorque immixtus incessit: sed tacitis pectoribus vota Paduanis accommoda sub (i) liberioris reminiscentia, onerum, ac dominatus terribilis formidabilis Canis impatiens. Sed Antonius de Nogarolis vices Bailardini fratris tum fortè absentis agens in Urbis Præsidatu cum Petro Biamon-

NOTÆ AD RUBRICAM I.

(a) *Lege* dignus. *In Ambr.* insignis.
(b) *Mallem* secum ferentem.
(c) *Cod. Est.* Canem jugiter.
(d) *Cod. Est.* occepit, *& ita Ambr.*
(e) *Supple* negotio.
(f) *Fortè scripserat auctor*: repererant *pro* reperere, *extremæque tantum ejus vocis ad nos syllabæ pervenerunt.*
(g) *MS. Ambr.* postes.
(h) *Cod. Est.* ex Paduanis.
(i) *Fortè* liberiori, *vel* libertatis, *vel* liberioris vitæ, *uti in Ambr.*

montis, & Cathelonensibus, ac Teutonicis mercenariis circiter CL. portarum præsidiis pæne tardus occurrit, ac demum quoque aditus, quibus ad reliqua Suburbia migrandum fuerat, præsidiis (K) utrinque vallavit, munivit, destinatisque confestim ad Canem nuntiis sinum Urbis sub hortatu, rigidisque monimentis sub tutela continuit. Protinusque visum est subductis in palatia viciniora capti Suburbii ignibus ea cremare, ne mœnia, portamque ex eorum specularibus ballistis, tormentisque hostes impeterent. Itemque & ipsum Suburbium, ne commodis potiantur, si facultas assit, furtim exurere. Nec mora; incautis Paduanis in plurima tecta ignis conspectus est. Tunc stupefacti, ut alienati mentibus, fortuna sic oblatæ victoriæ, modicum pensi circa incumbentia habentes, per viarum ambitus, patentesque domos vagabantur. Ponzinus succedentium ad vota rerum gaudio circumfusus, in se ipsum agendorum perplexitate confusus, per densas phalanges nudato ense singulos Suburbii angulos ambiebat, vixque capescendi consilii locum captabat. Cùm demum Sole jam Summi Cœli tenente verticem, cum paucis ex Proceribus in patentis domus diversorium secedens, quid agendum foret astantes consuluit. *A. Mussatus occupanda singula Suburbii tecta: Vehicula cum stativis introducenda: Obturandos Urbis aditus lignorum tabularumque obicibus, quibus nullus Cani, Vicentinisque egressus inde paterent: Tenendum*, (l) *minuendumque Suburbium, quò arceatur intra mœnia Canis, impetitionibus affigatur assiduis, quorum intolerantia, aut Civitatem deserat, aut dedat: Nec interea luce hodierna arma poni; sed equis insisti directis ad Urbis aditus semper aciebus, potu, ciboque (ut in Campis assolet) hodierno saturandis incommodo. Cùmque*, ait, *post hac sic compositæ res fuerint facilè exurenda cetera Suburbia, desolandaque circum Urbem, circumventumque obsidione Canem iis angustiis cogendum abscedere.* Cùmque in hanc sententiam Macharuffus, & præsentium plures concederent, Vannes Scornezanus mercenariorum Dux, cui summa belli auctoritas, fidesque rerum gestarum secundis successibus (m) deseruit: *Paduanos omnes Suburbio cedere: Castra cum stativis extra Urbis appendicias in latum campum CC. ferè passibus à Suburbio metari: Suburbii foveas solo æquare: Vallum ea parte diripere per passus circiter C. Inde, quid super reliquis agendum expedierit ex deliberato consulere: Sibi suis stipendiariis inde in crastinum custodiendum in tuto Suburbium libera oblatione spopondit.* Extemplo captum bellicosi Viri auctoritate consilium. Cessere omnes Suburbio Paduani; ægrè tamen, dubio tergiversantes, ne abusi quæsita victoria propositis refellantur, Fortunam hanc mendacem mœstis vultibus supputantes. Nullæ triumphales exultationes, nulla præludia; sed commune illis silentium fuit. Tacitum vulgus per exteriores hortos dispositum, à Meridionali callis latere fessum nocturno itinere humi recumbebat per umbras arboreas. Ex opposito secus callem eumdem ab Aquilone Castra militum mandata. Ex adductis curribus, qui maturiùs accesserant, onera jam (n) disponere singuli, castra sibi quisque struere ordiebatur. Cùm ecce porta Suburbii egressus Vannes Scornezanus ad Ponzinum Potestatem, Jacobum de Carraria, & plerosque (o) Primates, qui castris metandis insistebant, excurrit. *Et quis*, inquit, *belli modus vester Paduani? Victis hostibus parcere? Victoria vestra uti nescitis hac noxia mansuetudine quam vecordiam, ac pusillanimitatem appellare qui malit. Si quando vestri ab iis superati, numquid cæsi, obtruncatique sunt? Ipsi quidem hujus ignaviæ minimæ indulgentiæ freti non sunt. Igni ferro, prædæque parcendum hoc in bello Capitalium hostium non est. Concedatur præda vestris quæ jam ex aliis Suburbiis ab intrinsecis per angulorum ora subjicitur.* Subsiluere Ponzinus Potestas, & qui sermones hos audivere Primores. Sed cùm secus jam constitutum fuisset, discutiendæ hujusce rei hora, locove non patentibus, responsum dedere: *Non*. Sed quid? Incœpto jam infaustarum rerum præcipitio, injussa præda ex importuna stipendiariorum, Paduanorumque lascivia undique luxuriabat. Jam miseri Suburbani paulò ante in fiduciam accepti rapinis, capturis, ceterisque hostilibus offensis impetuntur. Expilata continuò civium, forensiumque tecta furoribus. Quod facinus ipse Ponzinus (proh pudor) à suis satellitibus patrari tulit conniventibus oculis ab se ipso inhibita exerceri (p) constituens. Et o mortalium ineffrena cupiditas! amor habendi insatiabilis! Vannes ipse Scornezanus miles antiquus, & Magister bellicæ disciplinæ, missâ Suburbii, omniumque agendorum custodiâ, ne hostes Urbe erumperent, sponsione largissima promissa solertia, cujus spe loca Suburbii Paduana Communitas sub fida tutela dimisisse crediderat, lacero Contubernalium stipendiariorum agmine per ædes singulas subeuntium, solitæ diligentiæ oculos clausit; seu pinguis prædæ corruptela, seu ipsius capitis varietate Ponzini, omnia tunc existimantis licere, quæ libeant. Tunc avara plurimorum Civium turba, eorum præsertim, quorum aviditates in exercitibus reliquis semper inquinari communis agnovit opinio, quorum nonnulli b ltheos cinxerant militares, ad hæc conviciosa famulos emisere servitia. Ipsi inermes, & communis (q) pudoris, & honestatis immemores, abjectis è quadrigis & curribus sarcinulis, quas secum viliores domo detulerant, cariori præda (r) oneravere, ut officinæ serviles omni belli omisso discrimine, quos libido quæstuum obcœcaverat, seduxeratque. Et quid ni? Si humani hostis potentiam aspernata hæc insolentium turba despexerat, quam nullus Dei metus, nulla Religio conterruerat, arcuerat. Erant in loco structa ab antiquitate reverendissima claustra Sanctorum, ubi celatæ Virgines dedicatæ Deo, Viduæ (f) æterni Dei contemplationibus vota solventes, nec illis expilandis infanda juventus violentas manus abstinuit: sed ex sacris aris sanctimonia eripuit, altaria spoliavit, & ab humo subsistentia quæque diripuit. Nec hactenus subsistere flagitiosissimorum irritamenta furentium; sed prorsus ultoris Dei, & mundialis honestatis immemores tractas per diversoria Moniales abominandis inquinavere stupris, & in ululantes, reluctantesque, & plerasque saucias obsecrationibus obauditis nefandas explevere libidines. Neve Dei contemtibus ulla deessent in transgressione

(K) *MS. Ambr.* utcumque valuit.
(l) *Longè ad rem accommodatius hoc loco*: muniendumque.
(m) *Fortè* differuit. *Villanus*.
(n) *Cod. Est.* deponere, *& ita Ambr.*
(o) *Cod. Est.* Magnates.
(p) *Fortè* contuens.
(q) *MS. Ambr.* omnis.
(r) *Intellige* quadrigas, & currus.
(f) *Pro* viduæ, *Villanus legit* assiduè.

Digitized by Google

sione ludibria, post pudenda equorum terga levatas in clunibus per catervarum detulere conspectus, & per lucos eduxere vicinos, extrema quæque obscœna iniquitate patrantes. Ea quoque inter scelera constitit in olenti lectisternio violatam triduanam incæstuosa contagione Puerperam. Ceteri Civium Ordines, ut capta jam Urbe, victis hostibus, arma per pomœria, hortosque abjecere: discumbentes per herbas fœcunda musta utribus aperuere secum delatis, pinguibus ac variis epulati delitiis: postque hæc mero ciboque graves somnos externos fusi per herbas instauravere nocturnos. At melior Seniorum, Procerumque series, & eorum, quos sanior agendorum cura vexabat, armis incumbens pro rei qualitate sollicita ingemiscebat, digna patratis desuper juditia perhorrens. Pensabat ex imminentia pro veri similitudine pæne omnia, quæ contigere, discrimina, vixque hos jam capti angebat pœnitudo Suburbii. *Ah Deus! Quid si capta in Urbe luxuriassent hæc ad malorum omnium struem depravata Consortia? Ubi malorum finis? Quis manus has à strage, ruinis, & cædibus arcuisset?* Sic inquiens hæc gravium deplorabat opinio Meliorum. Delatæ ferme tertiâ diei horâ Veronam ad Canem literæ facti seriem indicavere, captum nocte tempesta furtivè Suburbium; Urbi timeri; Facto opus esse, si quicquam capit sors hæc infesta remedii. Expergefactus inopina ingentique facti mole Canis, conflictum opposita magnanimitate compescuit: sed quavis alia solutus cura pro ultione vitam vovere, quàm vitam ærumnosam superatus educere brevissima oris prolatione conclusit.

RUBRICA II.

Conflictus Paduanorum per Canem Grandem ante Suburbium Vicentiæ.

NEc mora: Francischino Nepoti carissimo Veronæ cura commissa, Parthum arcum succinctus Pharetra, ut sui moris, tergo adjecit; & solo insequente altero Vicentiam iter arripuit citatior. Dumque apud Montisbelli Coloniam subsensisset equum urgeri calcaribus, rusticanum jumentum, quod casus obtulit, misso equo conscendit septimâ ferè horâ Vicentiam ingressus. Ubi dum conterritam Urbem, nutantesque circumfuso pavore suorum animos invenisset, calente sub pectore furore cum suggestione virtutis, eductum stabulo Cognati Bailardini Sonipedem insiluit, & sitibundus haustum meri ex utriculo offerentis mulierculæ sumsit, oculos ad Cœli verticem supplex intendens. Et, *O*, inquit, *è* (a) *Cœlis Dei Maria Genitrix, cujus nomen biduano jejunio singulis contemplor hebdomadis, adesto prævia mihi Diva parens, si digna peto: sin autem, dum animæ misereare, sit meis oculis lux ista novissima.* Circumductisque oculis, emissa voce ad contubernales se se diligentes sequi conclamavit, & cum hastatorum pæne centum ala porta Liseriæ egressus est. Dumque directus portæ Sancti Petri aditus immissis (b) ardebat incendiis, torsitque iter per callem, qui Vallum à tectis distinguit, divertens ad occupata loca Suburbii. Erat fortè Ponzinus intra Vallum, qui ex consulto rebus citra spes communes in præcipitium abeuntibus igni prædæque oblata fortuna contentus, insistebat. Occurrerat quippe paulò ante cum paucis ad tumultuariam pugnam prodeuntibus, quam (c) erumpens Petrus Braymontis Mercenariorum Canis Dux cum plerisque commiserat, Paduanorum stipendiariorum congressus, à quo saucius digressus Petrus post interiit. Exieratque è Suburbio Vannes à plurimis captivis edoctus, Canem in Vicentiam ingressum; sed inquiens illum ægrum pede ex valetudine equitasse impotentem, pervagus soluta suorum stipendiariorum cohorte, neglectâ Suburbii custodiâ per exteriora Suburbii agmina ambitiosus pallabat. Dum igitur adveniens Canis Ponzinum cum paucis Paduanis, scilicet circiter XXX. ex stipendiariis pæne totidem conspexisset, laxis habenis adversùm excurrit: sed mox Ponzinus cum plerisque Nobilibus extra valli portam profugi convolavere. Ceteri, qui identidem restiterant, excepere congressum iis stipendiariis Philippotus Veronensis exul, Gulielmus Cervianus, ex Paduanis A. Mussatus & . . . . Tunc ibi ferro res acta est, ibique utrinque collidentium & cædes & strages. Attamen impetum impares non tulere Paduani; sed versis equis unà cum Cane, & suis ad portam properantibus stipati egressum petiere. Illicò A. Mussatus equo per tabularum rupti pontis intercapedinem lapso pede procumbente disiluit, sauciusque vulneribus XI. è ponte in aquosam foveam se præcipitem jecit, ubi à gladiatoriis peditibus frustra reluctans circumventus in Urbem adductus est. Continuò Scalarùm insigniis ad portam conspectis, advenisse Canem cum multis militum millibus per stativas rumor increbuit, fusumque cum majori cohorte Ponzinum. Jacobus de Carraria, cui mordax omnium levandorum sollicitudo, curaque patrii honoris tuendi fuit, ad primum tumultum cum Necessariis, ac Nepotibus, suorumque consortio ad callis frontem in pontis opposito se se contulit; cum iisque, quos in unum agere valuit, se Cani, egredientibusque hostibus objecit. Ibi (d) & absque galea improvisus Vannes compertus est, ac Jacobum plerique Nobiles, fidique Viri, quos eadem cura sollicitabat, subsecuti sunt. Erat via pedum ferme XXX. in latum, ab agris profundis distincta fossatis, quos Ponzini, Vannisque incuriositates non æquaverant, ex quo ad prœliandi facultatem hostibus non obstabat imparitas, sicque in fronte prima rebus improœliatis ignaræ rerum postromæ militum Paduanorum societates, quæ arma laceratæ hinc & hinc assumserant, uti desperatis rebus, nonnullis signis fugam occœpere. Nec reliquis modus, quorum pars somno expergefacti, pars comessationum popinis gravis assurgens nescia, quæ sibi tutiora se offerant, aut in proximum lucum, aut ad callem directum omni conferendi cum hostibus manus spe destituta diffugêre. Stapitibus arrectus Canis è portæ tumulo, cui nec spes, nec virtus, nec exercitatio deerat, adhærentium fortunam præsensit, & succedentia jam cuncta prospiciens, hortatus Commilitones, sublatâ clavâ, vagitu ingenti in confertos hostes erupit. Et *Occidite*, inquit, *hos vilissimos Paduanos, & illata vi compressos, & in se collidentes evertite.* Dumque frontis primæ densitatem divulsam violentus penetrasset, vix XL. subsequentibus per solutorum diffugentiumque catervas, ut ignis ardens vento conflante per stipulas, mortes cædesque circumtulit; ac uti

NOTÆ AD RUBRICAM II.

(a) *MS. Ambr.* Excelsi.
(b) *Meliùs* arderet incendiis, torsit iter &c.

(c) *Pro* erumpente Petro Braymonte &c. Duce, *ut alibi.*
Aliàs Biamontis.
(d) *Cod. Est.* etiam & absque.

Digitized by Google

uti icti de summo Cœlo fulmine Paduani, omnis repugnantiæ movendorum in adversum membrorum immemores, de sola fuga per quosque viarum ambitus meditati sunt. Sed ò incredula, quamquam veritate sub ipsa adjuranda Posteritas, excusandaque, si non credideris, Paduanos fugientes ferme quingentos in incessu perverso à fugante cum pæne XL. Cane præcedi. Nec mirum propterea, cùm versa mente, qui insequebantur, reliqui suos eosdem in Canis acie, hostesque fore supputarent: qui verò jam paratâ victoriâ ex Urbe progressi occurrêre, quorum postremi duplici existimatione ancipites, Vicentini ab tergo Paduanos cædebant; necnon & collidentes in sese nullo impellente hoste ruina irrevocabilis præcipitabat; & si quidem Jacobus de Carraria, vel fortiorum quispiam in adversum urgeret, à suorum fugientium impetu violentiùs evertebantur. Restitit quippe ad subarram, quæ viam amplexabatur, Vir fortissimus proceræ staturæ Barnabas Macharuffus, magni fretus compressione sonipedis, & plerosque ex Canis gente ingenti clava compressit; sed demum sublatâ galeâ ab ingruentium hostium mole confossus est. Sicque quotquot in oppositum decurrentium, fugientiumque versis equis moliebantur, quotquotque annixi virtutibus patrium honorem præposuere corporibus, consternati, cæsi, captique sunt. Inter cæsos Albertus de Ponte, (e) & Tiso fratres de Tergula. Gerardus de Villa Comitis. Piper à Prato Vallis. Inter saucios, captosque Rolandus Judex de Plaziola, Johannes de Parthenopæo Judex, Henrighetus de (f) Ambrosio, Bobus de Obizinis, Vannes Scornezanus, Jacobus de Carraria, Marsilius ejus nepos, & alii ex ordine equestri circiter quinque & viginti. Cæsa igitur hoc conflictu Paduanorum ex agnitis cognationibus (g) dumtaxat VI. Ex ignobilibus, ac plebeis ferme XXX. Agnitorum Vicentinorum cæsa tria. Beraldus Brognolus, Gerardus Repeta, & A. Aurifex. Ignobilium, quorum pars major Teutonici fuere, septem & viginti. Dum igitur Canis cum suorum cohorte ad pontem Quartesoli excurrisset, regirans iter, Jacobum de Carraria, & Vannem in Urbem cum ceteris equestribus captis adduci jussit. At populares manipuli, quibus nulla fugiendi per apertos calles facultas fuit, defessi, affectique pernoctati itineris hesterna vigilia, vitæ largitione contenti in manus hostium se se sponte tradidere. Pars multa per sentes, & vicina nemora delitescens jejuna post triduum per viarum aquarumque tractus se tandem Paduam contulit. Multa Bassianum petiit, quem callem & Paduanorum militum complurimi tenuere. Nam & nonnulli equestrium abjectis armis, destitutisque equis eadem fugæ remedia quæsivere. Multi quoque peditum, equitumque qui intra Suburbium primo (h) aggressu comperti fuerant, equis desilientes mixti Vicentinæ plebi per ædes subiere, seu celati, seu Cani resignati pœnæ formidine, ut casus, fortunaque cuique præbuerant. Recensiti, conscriptique ex pridiana, sequentisque diei captione ex Populo, plebeque Paduana sexcentum LXIII. qui continuò in funes obligati cum capacibus Vicentinis ergastulis per imbres, & aquosum callem Veronam adducti sunt. Sed irremissi Canis contubernales, mercenariique, & peditum disposita ad pingues prædas consortia per noctis hujus tenebras molossis, vepribusque, ut ad venationes, secum tractis per vicinos lucos ex abditis salictis, per spinosas ruborum vertigines inedia frigoreque marcescentes Paduanos, quos viarum discrimina fefellerant, quærere, venari binos, ternos, & deinceps in mœnia educere, nec iis scrutationibus per quartam, quintamve diem ulla intermissione desinere. Hocque memoriale, simulque miserabile compertum est: quòd nonnulli è silvarum, nemorumque penetralibus urgente fame prodeuntes alienatis mentibus ad Vicentinas portas noctu accessere, Paduanas applicuisse existimantes, qui à portarum excubiis capti, introductique sunt. Fuere qui post diem octavam per Berricanos montes pedetentim diurna requie, nocturnoque motu, demum ad Est Paduanam Coloniam se contulere. Diligens Canis ad prædam paratissimam nullo tuente recolligendam currus, onustasque quadrigas, quas contiguas per directum callem rurales Paduani subductis bobus fugientes omiserant, peditum militumque cohortes disposuit, & à Brentella duobus ferè passuum millibus à mœnibus Paduanis, ipso eodem tutelam cum suorum Commilitonum ala præstante conduxit. Prædæ hujus æstimatio difficillima, cùm circiter septingenta pretiosa suppellectili onerata vehicula in Vicentiam eo biduo congesta sint. In iis latissima temptoria cum tapetis, cophini, capsæque cum linteis, paludamentis, cum lectisterniis implicatis. Plerique namque abundanti gaza locupletum pateras argenteas, ac coclearia cum scyphis, ut ad amœnas secum villas adduxerant, tanta petulantia, despectique Canis insolentia freti, ut & sub horum conclavibus ipsa arma advehenda concluserint. In his & (i) alimentum XX. dierum contermino, equorum annona, & curandorum corporum per (dies) totidem alimonia delicata cum deliciosis antidotis, & novorum amœnitate mustorum.

RUBRICA III.

Acta per Canem post conflictum Paduanorum.

Dives gratulabundusque Canis tam felici successu, rerumque secundarum affluentiis, in Urbem rediit. Nec remissus secunda sorte, uti si majora forsan emolumenta patrocinata sibi fortuna condonasset, protinus Raynaldum de Bonacosis Mantuæ Vicarium, Gulielmum de Castrobarco, Ottonem Carinthiæ Ducem, & vicinos undique auxiliares a ciri cum suffraganeis quibuscumque copiis imperavit, asserens potiundæ sibi Civitatis Paduæ opportunitatem præsto affore, si tanto anfractu desperatis rebus moræ dispendia tollerentur. Ipseque Veronensium, Vicentinorumque copias à prima pubertate, quotquot arma ferre possent, in unum contraxit. Nec segnes subsidiarii in alteram diem Mantuani in id loci profecti sunt. Concussa interim tanto in discrimine Padua vix portis claudendis, ut Cane suis mœnibus circumsidente, suffecit, cùm pavor, luctusque simul per Civitatis ambitus singulas ædes replesset. Nec iis paucis, qui præsidio Urbis ante steterant, capiundi consilii locum afflictæ undique res præstabant. Nec die tota tanti conflictus unita ulla sub signo communi cohors Urbem ingressa solamen

(e) *MS. Ambr.* Jacobus, & Tiso.
(f) *Cod. Est.* Ambroxino, *& ita Ambr.*
(g) *Cod. Est.* capita dumtaxat, *& ita Ambr.*
(h) *Cod. Est.* congressu.
(i) *MS. Ambr.* alendorum &c. equorum.

Digitized by Google

lamen expectantibus attulit; sed bini, ternique hinc saucii, hinc inermes tecta (*) mixti, pudibundique singillatim subibant. Rursus hæc extrema tantarum angustiarum confusio singulorum mentes urgebat, quòd nec Ponzinum Potestatem adventare, nec vivere à quoquam venientium nuntiatum est. Ea nox per mœstam Urbem pernoctata sub lacrymis.

RUBRICA IV.

Acta Paduæ per Paduanos post conflictum.

VErùm Paganus Episcopus, & Gualpertinus Sanctæ Justinæ Abbas cum Choro Clericorum, & plerisque concivibus cum lanternis & facibus Urbem ambire non desiere, in sequentem lucem ad Prætorium concurrentes, qui Paduam incolumes præcedenti crepusculo, noctuque advenerant. Accepere quoque & de Municipalibus (a) Bassiano, Cittadella, Montesilice, Est, ac Montagnana indicantes literas multorum adventus. Inde & per singulas portas advenientium frequentiæ, qui per silvarum errabundi latebras tamdem sub luce diurna Civitatem applicuerant. Præstititque in malorum tantorum mole extenuata occisorum strues, quos infinitos fore tristis fama pertulerat, demulso mœrore lætitiam, cùm septem aut sex dumtaxat interemtos, & præsentium visiones, & aperta insinuassent documenta, dum & vivum Ponzinum, & jam suburbanas appendicias attingere clamor ingens Urbem replesset. Ponzinus quippe, ut Suburbii Vicentini Pontem primo Canis congressu transiliverat (ut supra monstratum est) aciei frontem cum Jacobo de Carraria, & ceteris summa vi dirigere, ut Canis impetum retunderet, dictus est; sed postquam per collidentium ruinas acies rupta cessit in stragem, viam fugæ, quò sors obtulit, compertus est quæsisse cum ceteris. Cùmque fulgentia arma virum insignem contestarentur, oblatam casu latebram subiisse, & abjectis armis à peditibus tamen stipendiariis duobus circumventum, captumque sors iniqua invasit; demum sed sortem (b) eam suæ saluti accommodavit. Ære quidem promisso ipsi iidem comites (c) Paduani in tutum duxere. Hujus adventus tantis anxietatibus plenas omnium levavit angustias, veluti sub capite membris fovendis, quæ omni fulcimentorum regimine destituta erant. Deum jam sibi placatum in ipsis Urbis visceribus sentientes, ut saltem hoc Potestate insidente Tribunal, Respublica detrimentum, seu intestinum, seu extrinsecus pati non posset, honoratumque magnis applausibus omnibus præposuere Consiliis. Tum subitò Ponzinus aggregato meliorum consilio, Tarvisium, Bononiam, Ferrariam ad amicos Nuntios dirigi adjutorios decrevit. Venere in triduo milites L. pedites CCC. E Bononia post paulò milites C. pedites DC. Ipsique interim Paduani mœnia muniere, reparare, circumvallare, Riperiam Montisfilicis, quapropter ejus longitudinem, ne Canis fluvium trajecisset, reparare: Bassianum, Montagnanam, & cetera Municipia præsidiis instaurare. Dies, noctesque hæc sub vigiliis egere. Deinde, ne Jacobi de Carraria captura, cui Montisfilicis custodia decreta fuerat, illis detrimento foret, Vinciguerram Comitem Veronensem illò cum ala militum transmisere. Dum iis, aliisque sollicitudinibus tutelæ Urbis, Municipiorumque provisum est, decidit è cęlo ferme per (d) decennium imber assiduus solutis in uberrimas pluvias nivibus, quæ trans ripas flumina quæque eduxere, agrorum facies in lacunas vertêre, vix tectis progredi in ipsis Urbibus permittentes. Unde iis simul causis oblata Cani omnis promovendi exercitus spes ulteriùs in Paduanos, quidquam hostile moliendi. Interea admodum honoratos Jacobum, & Vannem Canis cum Proceribus, & Sodalibus suis alto palatio comiter habuit. Multis solatiis jocabundis & verbis, plerumque mordacibus, facetiisque (ut in Curiis assolet) collusere. Ad visendum quoque Albertinum Mussatum, qui in Gregorii de Pojana (e) sorte captivus obvenerat, persæpe Canis Curiæ suæ Primores traxit, in quem sibi in Henrici Cæsaris Curia, Paduæque frequenter obnoxium objurgari, comminarique oblectabatur. A quo quantò procaciùs magis aucta, quàm posita pro vulnerum, captionisque acceptione superbia responsa susciperet, strenuo animo leniebatur. Ab illo quidem parvipensas in se contumelias ajente, quòd bello captus pro patriæ libertate sanguinem justè fuderat, gloriosissimaque morte, si subiisse oporteat, potiturus fuisset, multa tolerantia audiebat; nec in se, suosque nullo concussus pavore verba sub magnanimitate (f) cojecit molestatus. Exactis his hostilium rerum tumoribus, dies ferme XV. tum movendorum armorum inhabiles, tum per eas oras animos lenientes, Jacobi, & Vannis astantium præsentia agendi de pace causas dedit.

RUBRICA V.

Tractatus pacis inter Canem, & Paduanos.

AUctore omnium desuper Deo calamitatibus parcente mortalium (forsan enim tantis belli ruinis expiata delicta Populos absolvere punitos, substititque contentum patrata utrinque ultione judicium) Raynaldum de Bonacosis Mantuæ Vicarium, & Gulielmum de Castrobarco Jacobus, & Vannes de pace interpellavere. Hi enim Canis Optimates erant. Cum (a) quo omnia communia subjicientes, si datis obsidibus Paduæ adessent, facultasque concessa sit alliciendi Paduanos ad pacis fœdera, spes non deesse, simileque veri esse id consecuturos, Raynaldus, & Gulielmus conjectati sunt. Erat quippe Jacobi auctoritas in Civitate sublimis, quam fulciebant altæ prosapiæ generositas, Agnatorum ejusdem cognationis præcellens potentia, nec non Jacobi ipsius fides in Rempublicam indubitabilis, in ceteros (b) usus, & probata constantia. Illa enim tempestate in bellorum anxietatibus unus erat hic Jacobus onerum, consiliorum, opportunitatumque omnium supportator. Omnia credita suis elimata consiliis. Erat uti Urbis columen, & unionis civium tenax, & fida compago. Eratque illi compos Ubertinus prosapiæ hujus secundus stipes, cui validæ ami-

(*) *Fortè* mœsti.

NOTÆ AD RUBRICAM IV.

(a) *MS. Ambr.* de municipiis.
(b) *In V. & Ambr.* cā. *pro* causa.
(c) *Corrige ex Cod. Est. & Ambr.* Paduam.
(d) *Corrige ex MS. Ambr.* decendium.

(e) *Cod. Est. & Ambr.* sortem.
(f) *In V. & Ambr.* conjecerit.

NOTÆ AD RUBRICAM V.

(a) *Meliùs* cum quibus.
(b) *Cod. Est. & Ambr.* virtus.

Digitized by Google

amicorum obsequentiæ, sicque in privatis potentia non impar, consiliis gnarus, ac perspicax. Dubium, uter eorum prudentior, idq; frequenter per diversoria certatum est; verùm Jacobo in publicis, privatisque consiliis solertior, factiosior, & eo magis invisus, quàm formidabilis. Horum duorum concreta præstantia in Urbe summam potestatem obtinebat.

RUBRICA VI.

Suasiones Consiliariorum Canis de pace habenda cum Paduanis.

CAnis Consiliarii, omnisque ejus fortunæ consortes Raynaldus, & Gulielmus Cani pacis commodum mille suffultum rationibus laudavere, *lætissimum* (a) *gloriosissimum eum fore, si donata ab excelsis fœcunda fruatur sub pacis acceptione Victoria. Ecquis enim cujusquam belli optimum finem, nisi Victoriam duxerit? Hujus nempe solius gratiâ Populi, Regesque bella suscipiunt, discrimina subeunt, hoc felicitatis munus, & præmium expectantes. Rupit ditissimorum, fortissimorumque Paduanorum* (b) *virtus audaciam, perseverantiam fidelitas, &, ne abneges fortunate Canis, has superans actuum omnium effectrix suprema Divinitas. Parum tibi vincere scisse, si Victoria uti nescias. Et ad quid ultra*, inquiunt, *si repensas, o Canis, inniteris* (c)? *Credisne hujus tuæ Fortunæ blanditiis, cui successum præbuit illorum incauta, sed suo damno corrigenda, fiducia, tuæque huius non rationabilis sed pro belli usu, quam potiùs obtulit temeritas, casualis? Paduane jam potieris, quam sarcinulis licèt amissis repetiere incolumes Paduani? Sic te fallet hæc repens oblata prosperitas, ut exusta circum Vicentia illorum ferrum, & ignes tuis Veronæ finibus inexpertus ignores? Quid si pridie suburbio jam potiti, quod (ut sic loquamur) amisere volentes, te iis arctassent mœnibus? Nempe Vicentia cedendum consultò tibi fuerat, si quid super harum rerum cognitione dignoscimus. Amplexare Dei munus, Canis amice. Sine Jacobum exequi datis obsidibus. Tolle pacis dulcedinem. Te, tuosque salvos effice, & cede tantis, quotquot sustulisti sub temporum varietate, periculis.* Horum alloquiis placatus Canis de pace agendum horum arbitratu concessit.

RUBRICA VII.

Pax inter Canem, & Paduanos, & Allocutio Macharuffi in Senatu.

COntinuò igitur dati obsides. Paduam dimissi Jacobus, & Vannes. Conventus habitus in Atrio Antianorum sub Populi, Procerumque frequentia (a) Ponzino proponente super tantæ rei deliberatione consilium. Tunc Macaruffus vir nobilis, & magnanimus, cujus frater Barnabas nudius tertius pugnans occubuerat, ubi infractos ad pacem animos considentium per subsellia vulgari murmuratione concepit, conscendit in Auditorium sic fatus: *Dum Deo sic volente, seu fato, seu nostris (ne vera inficiemur) ignaviis ultima cogit subjecti* (b) *facti necessitas ut victi Pacem supplices postulemus, pacem & ego suadeo jam commum (ut percipio) prostratis sic animis conceptione suasis. Sed avertat Deus, quod mens mea curis anxia imminentium consideratione præsagit. Pax hæc necem mihi misero, meæque Urbi ruinam, seu fantastici inanitione cerebri, seu verisimili rerum consecutione minatur. Cum Cane fidam pacem mihi veteris causa vetat exempli, ne circumveniat, dum sub majoris confidentiæ securitate quievero. Sicque hæc me vorans* (c) *urgeret angustia, ut præmori velim vi oppressus, ut frater, quàm cubili dormiens necatus. Ut Canis ad Paduam pervigil hostis aspirat, sitibundus affectat. At* (d) *vigilabitis. An nos vigilabimus pridie somno capti in hostium domo, in media sopiti victoria, qui unam diem vigilasse nequivimus? Ne vecordias nostras experti dilatione quinquenni emendandas futura sobrietate despondite. Posita quidem arma humeros prægravant resumenda, intermissa suavitate quietis. Angit Jacobi, captivorumque extrema compassio. Ah quantus me eorumdem dolor exagitat? Sed gravedinem exaggerat centuplicata malorum moles. Reipublicæ hujus cura, salusque vestra universalis, o Cives, me captivorum facit immemorem. Jacobum hunc de Carraria Patriæ nostræ singulare perfugium, semitæ nostræ ducem quavis opportunitate servare nitamur, dato ære redemtis pro natorum meorum omnium, si consequens est, permutatione nepotibus. Natos meos IV. Patriæ meæ hac pro redemtione devoveo. Sed quid ad rem? Cur vacillans, inquietis, o Macharuffe, nos sermone occupas vanis pervagatus alloquiis? Ad agibilia te convertas. Dissimilis tua est à nostra conceptione voluntas. Pacem volumus. Omni mole malorum affecti, bello fessi Fortunæ cedimus adversanti. Ne sic prostratis mentibus, quæso, hosti perperam colla subjicite. Operiamus sub cujuspiam moræ dispendio has* (e) *ignivomas voluntates. Honestemus causam hanc meliori sub ordine. Acciri amicos Gelfos Florentinos, Bononienses, Ferrarienses, Tarvisinos junctæ amicitiæ fœdus exposcit. Rursus si pacandas simul Veronam, Vicentiam, Paduam subjectarum rerum casus expostulat, exules restitui velit Canis* (f) *hostis pacificus, & terna Communitas. Pax ea vera est, cùm omnis scandali eradicata cedit & abscissa materia. Sint æquæ conditiones, ne nascituras lites pars gravata confoveat. His censeo pacisci* (g) *per ... ut paria onera, & communes honores utrinque mentes efficiant gratuita stabilitate conformes. Sin autem, ne campo victi, fugatique nostris ignaviis iterum domi pudendæ pacis vincamur imagine, arma melioribus auspiciis, emendatis erroribus resumi suadeo, quæsitis undecumque suffragiis, & contributionis plebe elevata è potiorum, divitumque profusionibus, in quibus hoc sub instanti ipse idem offero libras centum: alta mercede milites conduci: attentiore, fortio-*

NOTÆ AD RUBRICAM VI.

(a) *Cod. Est.* beatissimum.
(b) *In V. & Ambr.* virtus audacia, perseverantia fidelitas.
(c) *Cod. Est.* metiris.

NOTÆ AD RUBRICAM VII.

(a) *Cod. Est. & Ambr.* quæsitum Ponzino.
(b) *Melius* fati.
(c) *Cod. Est. & Ambr.* urget.
(d) *Cod. Est. & Ambr.* vigilabimus, aitis. An &c.
(e) *Cod. Est.* ignominias.
(f) *Cod. Est.* iste, *& ita Ambr.*
(g) *Videntur esse in V. Notæ aliquæ, quæ ambium signent. Fortè pro* per ambiam. *MS. Ambr.* præambulis.

Digitized by Google

tioreque bello alternantis fortunæ sperati successus. Hæc cum animi motum voce indicante Macaruffus ira, doloreque (h) omissi fratris, & superatæ patriæ protulisset.

RUBRICA VIII.

Allocutio Benastrudi.

BEnastrudus alter frater ætate maturior arrengariam conscendit illacrymans, moderatus sermone blando fratris alloquium. Neve ejus, fratrisque mentes oburbrant singularis doloris angustiæ, mitiùs agendum fratrem primò, deinde Cives exhortatus est. Cedendum ingravescenti Fortunæ. Jacobo de Carraria Viro præstantissimo adhiberi fidem immobilem. Sui, captorumque civium, positis insolentiis, ambiguisque belli reparandi fiduciis, misereri. Exaudiri Jacobum adhibitis ex Senatusconsulto remediis.

RUBRICA IX.

Allocutio Jacobi de Carraria.

JAcobus de Carraria, cujus spectata auctoritas (ut prædiximus) conceptam ex Macharuffi dictis (a) infima viscerum contorsione molestiam solitæ virtutis instinctu objecta magnanimitate compressit: *Et superatos*, inquit, *ne dicere pudeat, qui nostra vecordia impudenter egimus. De pace cum Cane agi patimur, quam fortè ante hanc calamitatem nostrarum conditionum sors recusasse non debuit. Fecit ne umquam nos domi, militiæque perversorum actuum experientia cautiores? Actuum vestrorum disparatas varietates agnoscitis? Vitia, cupiditates, insolentias, luxum, in ipsa punitione æris publici voragines, socordias, malorum omnium strues invalescentes in dies singulos ignoratis? Hæc omnia, quæso, percepto damno, non percipiendo cognoscite (nisi mea forsan consideratione refellar) ad Urbem nostram, municipia, finesque tuendos, quæ post hoc exitium servata sufficiant? Hac mea convictus pusillanimitate contentor Urbem tueri, insidiis cavere, æris hujus residuo, quod in novi belli usus erogandum Macharuffus hortatur, compenso, propono, & utinam suffector. Ipse quidem bello extra fines inferendo instare suadeat, qui de sola custodiendæ Urbis cautione diffidit. Graviora aggreditur, qui pati leviora non potest. Qui suo lecto necari somnolentus pertimescit, qua solertia, qua sobrietate hostilibus vigilabit in agris? Mihi quoque obsidibusque compassus, natos quatuor pignora carissima pollicetur. Commendate, o Consiliarii, Civis amore hujus patriæ flagrantissimi voluntatem. Ea gratificanda, sancienda foret, si consequentias rerum advertat, si non omnis veri, & æqui oblita tramitem deserat rationis. Ego siquidem Deum vivum, Patriam, Soboles, Penates abjuratus in carceres non reversurus, abnegem? Sic evanuit Mundo fides? Ne meos in hostium manus, o Cives, considerate nepotes, qui veriùs, quàm obsides, fidei signa sunt. Me, si pace plus vobis, plus Patriæ sit frugi discordia, bellique resumtio, carcer ille revocet, quem dulci tolerantia subiturus sum ego, si victoriam Urbi, si præstet solius mei amissio libertatem. Sed, o, & in memoriam venisse non vacet fortissimorum virorum captivitas, qui soli profuga omnium turba vitas contemnentes sanguinem fudere pro Patria. Quorum nonnullis flagella, cruces, rotæ, mortesque vivaces imminent; qui tamen dulci Patriæ amore calentes adversùm hostiles minas procaciter pro Patriæ libertate decertant. Nec minus & mille (b) habent Veronensia, & Berricana ergastula Populares, quorum Matres, conjuges cum natis ad ubera, liberos, genitores auditis (c) emtorio fletu miserabili vagientes. Nec illos obaudire permissum est? Nec tamen viriles animos, quatenus illis suppetat efficacia rationis, frangat, moveat mollities pietatis? Ubi umquam mille per Vicos hæc, quæ evocanda sunt, Tuscorum, ac Bononiensium petita suffragia? Non expedit vobis, o Cives, tanta perplexitate convictis ab remotis verbosa, ventosaque occupare præsidia. Facto est opus: fidite vestris viribus. Quantæ sint, si eas fulciunt facultates, & libræ C. munus acceptabile Macharuffi. Honestanda causa vestra est non induciarum, ambagiumque coloribus sed sub existentia veritatis. Quid de extorribus suis, vestrisque attinet dicere? Si vestros prætereundos Canis assentiat, cur suos habeatis iis in articulis cariores? Par hæc causa est, cujus disceptationi non (d) insto; sed cetera conservationi nostræ conveniant. Nunc igitur vana usus gloria, quia captus sim, meàque sic intersit, an Pacem suadere nolim? (ut forsan pro mei interesse non deceat) utile præponam honesto? Si in his differentia est ulla (e) notabilis, Pacem cum Cane habendam æquo fœdere, remissis captivis hac mea consultatione dijudico, delectis super reliquorum fœderum moderatione arbitris, qui cum ejusdem arbitris singulares & communes materias dissensionum evellant, & paciscendis adjiciant cautiones hinc inde.

Dictum Jacobi frequens clamor emologavit die eadem in majori Senatu per plumbeos calculos ex Senatusconsulto more patrio comprobatum. Remissus Vannes acta Paduæ seriatim aperuit Cani, optimatibusque. Dumque Paduanorum exulum revocationes non modò non admitti, sed tanta rejici audisset repulsa, compassus illis torquebatur in intimis, vixque contumeliæ hujus impatiens, nausea caput excutiens è colloquio digressus est. Cùm ab Consiliariis exaudire, quid de Exulibus consequens sit, attineatque ad rem, multa prece demulsus est. *Audisti*, inquiunt, *felicitatum tuarum affluentias, siquidem Paci adhærens illas ante cognoveris. Paduanos lato campo vicisse tua insatiabilis aspirat ambitio, quos suæ Urbis visceribus superasse hac tua inexpleta cupiditate subniteris. De Suis statuêre, quæ de Tuis non nisi morte coactus assentias. Quæ tibi, si perspicaciùs advertas, o Canis ex ea revocatione emolumenta proveniunt? Si Paduam Civium unione reintegres, quis putas horum Exulum in propria restitutus te suæ feliciori fortunæ prætulerit, Civilitatem postponet exilio? Crede, quòd in tranquillo tempestatem adversam optare dementis est. Præcavendum tibi, ne, quos servan-*

(h) *Meliùs* amissi.

NOTÆ AD RUBRICAM IX.

(a) *MS. Ambr.* intima.
(b) *Reposita est hæc vox* habent, *cùm in omnibus MStis legatur* hunc &c.
(c) *MS. Ambr.* è Prætorio.
(d) *Meliùs* insisto.
(e) *Malè omnino V.* vocabilis. *MS. Ambr.* vocabulis.

vandos inniteris, opinione tua frustratus amittas. Te, tuaque profer semper, & auge, alienigenis impensure magis, quàm accepture servitia.

His placatus deligi arbitros Nicolaum à Lege, & Bononiensium Veronenses Juristas elegantes. Nicolinumque arcanorum Scribam suorum assensit. Hi Paduam profecti cum paucis Paduanorum è prudentibus Pacis conditiones Partium votis accomodavere per has formas.

RUBRICA X.

Pacis Conditiones.

SAnxere pacem utrinque inviolandam per Canem, vel per Potestatem Paduæ, Communia, vel Privatos. *Municipia per partes, uti possident, possideri. Paduanos singulares ad jura, quæ intra Vicentinos fines habebant, cùm ea Civitas ad Imperatorem defecerat, & prædia possessa restitui sub nulla structura, seu reparatione Castrorum: cetera, uti & ipsi possederant, possideri. Super dominiis, seu proprietatibus, si quæ lites emergerent, trimestri dumtaxat spatio terminari, gavisuris eisdem conditionibus similiter Vicentinis. Vinctos hinc inde remitti. Rursus tollendas ambiguitates per Illustres Ducem Venetiarum, Assidentesque sibi fidos Partium amatores, ac pro utrisque* (a) *fidejussores, si (quod absit) ullas exoriri contingeret. Porrò Canis amicos Mantuanos cum R.* (b) *Vicario G.* (c) *de Castrobarco Ducem Charintiæ, Comitem Goritiæ: inde* (d) *Paduanorum Tarvisinos, Ferrariensis, Bononiensis, ac Florentinos hoc pacis beneficio amplexari.* Emologata protinus, jurataque obnixè fœdera hæc in singulis Urbibus Padua, Vicentia, Verona per Canem Potestates, & Primates, ac Communitatum Syndicos pro concione laudata Anno Domini nostri Jesu Christi XIV. post Millesimum trecentesimum circiter XIII. Kal. Novembris.

(a) *Intellige* dari.
(b) *In R.* Rainaldo.
(c) *G.* Grimaldo.
(d) *Idest* amicos.

Albertini Mussati de Gestis Italicorum post Henricum VII. Cæsarem Liber Sextus feliciter explicit.

ALBER-

Digitized by Google

ALBERTINI MUSSATI
DE GESTIS ITALICORUM
POST HENRICUM SEPTIMUM CÆSAREM
LIBER SEPTIMUS.

RUBRICA PRIMA.

Prælusio.

PAduanorum conflictus Gibolengæ factionis Partem non modò per Longobardiam, sed universam Tusciam, Italiamque omnem in Gelfos extulit. Jam enim, uti excisum Gelfis caput, quod unam totam Orientalem oram fovebat, reputatum est. Multa Maphæum Mediolani Vicarium exultatio, qui ab Occasu eamdem Provinciam sub Imperii clypeo protegebat, ad spem erexerat. Unde Gibertus de Corrigia Parmæ Dominator, Fortunæ mobiliate conterritus, mobilis & ipse, multa cum Passarino Mantuæ Vicario permulta cum Cane Veronensi ingentis astutiæ duplicitate per eos dies machinatus est: sed illis increditus præteritorum experientiis tamdem suis uti viribus ab eisdem extrema illorum responsione permissus est. Quamobrem cum Rubeorum extrinsecorum progenie per novi conjugii compaginem unita secum illorum factione magnis fœderibus obstrictus est.

RUBRICA II.

Insultus Luchini filii Maphæi Vicecomitis in Parmenses.

MAphæus quoque Vicecomes circa Aprilis Kal. Luchinum natum suum secundogenitum cum stipendiariorum cohorte, & auxiliariis Laudensibus, ac Placentinis, cum Veronensium mercenariorum ala ad Sancti Dionysii (a) Pagum ad Parmenses depopulandos agros trans Tarum fluvium misit. Ubi multo impetu Castrum Quiricum nulla Matthæi spurii de Corrigia præsidentis rebellione in deditionem accepit. Postque dies paucos Castrum Fori-Novi insultantes multa vi cepere, Burgensibus ad unum, qui in eo erant, omnibus gladio trucidatis. Unde coactus Gibertus intra mœnia, à Bononiensibus, Paduanis, ceterisque Gelfis subsidia exquirens nullo favore adjutus est. Verùm transmissi à Padua C. Mercenarii milites, &, si non negatâ, non tamen concessâ per Mutinensium fines comitivâ, Paduam rediere. Cremonenses longissimi belli tœdio affecti, ac timore præpotentum Maphæi, & Canis Grandis, sese suis stare finibus, ceterisque abstinere contenti sunt. Passarinus cum suis Mantuanis perosum Gibertum eumdem de Corrigia magno initiandi cum eo belli tumore subsistebat. Nam neque huic impar cum Giberto astus simulandi, ac dissimulandi calliditas deerant. Dum diu pa-
A riter, nunc mutuis conjugiis, nunc opertis, nuncque apertis confœderationibus allusissent. At major irrevocabilisque clades intrinseco Pergamenses urgebat, & (quod dictu vix credibile foret) infeliciores ii, qui in Urbe erant, extrinsecis exulibus, veluti Urbe obsessi, dum montana planiciemque possidentes incursionibus, rapinis, furtis, omnique præda Urbem circum lacesserent. Dum paulò ante Aprilis Kal. iidem Exules de montanis ad inferiora migrantes, Arcem, quæ Nimbro supereminet, victis iis, qui præsidio erant, occupavere. Nec inde interjectis diebus pluribus, quàm IV & XX. Constantius eorumdem Dux, consternatis pavore amissæ Arcis iis, qui secus Nimbrum stagnum
B Municipium cum Pago tenebant, in utrumque insultum fecit, igneque ædibus summisso, Burgenses ad Municipium con urrere coëgit. Circumventi, conterritique Municipes, & qui præsidio erant, jam instantibus ad portas hostibus, diffisi viribus, reddito Castro ad Constantium defecere. Hoc tumultu concussa Civitas ad arma cucurrit. Ludovicus Vicecomes Potestas cum mercenariis, militiaque incompositis manipulis ad Pagi subsidium, qui tribus ferme passuum millibus ab Urbe distabat, expositis signis erupit. Constantius, ut ex alta rupe incenturiatas, disjunctasque acies adventare conspexit, ad spem erectus, extenso ausu, ad Convallem descendit cum pæne IV. mille peditum fortissimorum cœtu. Potestatem obvius aggreditur, sauciat, & in fugam vertit. Occisa in ea sic tumultuaria pugna capita CXXV. Capta totidem,
C seu circiter. Ceteri lacero agmine fugæ remedio Civitatem repetiere, Constantius Arce, & Nimbro potitus, extemplo advectis è Colonio Castro munimentis, omnique victu præsidiis firmavit. Cùm stagnum, quod per cuneos subterraneos Civitatem aquabat, confractis decursibus ad devias partes per convallem divertit, alimentumque Urbi aquæ sustulit. Unde & vana Pergamensibus spes incolendæ Urbis, & deserenda statio mœniorum fuerat, & dira coërtio, atque intolerabilis, puteorum trium fomitibus, qui in Urbe erant, non modò bestiarum usui, verùm dumtaxat hominum alimentis insufficientibus.

RUBRICA III.

Expugnatio Pergamensium exulum secus Pontem S. Petri.

MEnse eodem Aprilis, quo Pergamensis Civitas ab Exulibus Nimbro privata est, exhortati victoria extorres, ne Mediolanenses intrinsecis alimonia præstarent, ademto Pontis S. Pe-

(a) *Scribendum puto* Sancti Domnini.

Digitized by Google

S. Petri aditu illos excludere atque arcere meditati sunt. Ipsum quidem Pontem, qui (a) ..... (b) implectitur fluvium, rumpendum, cremandumque decrevere. Tum accersitis ad hujus rei subsidium Cremonensibus, à quibus hastatos in equis Subsidiarios L. Duce Ponzino de Ponzonibus recepere, cum equitatu omni, peditumque manipulis ad Pontem accessere. Quo in loco, seu præscii, seu Fortuna sic ferente reperti Pergamenses intrinseci, cum omnibus suæ militiæ, peditumque copiis uno sublato clamore illos adorti sunt. Acri igitur commisso insultu, frustrati suo extorres proposito, repressis ingenti compulsu viribus, infractis animis, rupto agmine secessere, cæsis ex hastatis suis militibus circiter XX. inter quos Belfantinus de Rivola, captis ex memorabilibus Georgio (c) de Soppo, & Galaaz Carpione, & aliis ferme VII. & XX. Ex pedestri manu XL. Ex intrinsecorum parte cæsis IV. & XX. Nam Ponzinus rupta prima suorum acie laceras catervas secus fluminis arenam in diversum bellica arte contraxit, incolumesque Colonium adduxit. Nec inde in Longobardia citra Mediolanum bellum atrocius. Nam quoties, seu Crema, seu Mediolano farina, vel panis decoctus Pergamum, ubi nulla molendi facultas, onagris, vel curribus veherentur, toties ferentium occisiones à pallantibus exulibus assiduè fiebant, III. & XL. die una mensis ipsius Aprilis vectoribus exulibus uno interitu interemptis ac necatis.

RUBRICA IV.

Transmissio Galaaz filii Maphæi in succursum Pergamensium intrinsecorum.

PErgamenses tœdio jam Exulum affecti, qui Nimbri Arcem tenebant, cùm assiduè ad divertendam ab Urbe aquam satagerent, belloque vicinam Civitatem frequentissimè fatigarent, Maphæum Vicecomitem, ceterosque amicos interpellavere, ut nisi ad tollendos ex ea Arce hostes amplioribus viribus opem darent, linquenda sit illis Civitas assiduo certamine defessis. Anxius Maphæus, quamquam Papiensium bello instantiùs urgeretur, milites CC. peditesque mille cum ballistariis CC. transmisit illò. Galaaz è Placentia milites L. pedites (*) CC. E Crema advenere Milites L. pedites CC. His adjuti Pergamenses Arcem Nimbri obsidione celebri pressere. Cùmque loci asperitate, qui monti adjacebat, nullo certamine Oppidanos aggredi facultas esset, longumque illis ad fame arcendos tempus exigendum foret, provisione cauta ex industria usi sunt. Erat scopulus eminens, supra quem assurgit altioris montis apex, ubi Castellum erat eorumdem Exulum, quod Pavonam appellant, à quo qui Nimbro insidebant, victibus fulciebantur. Excogitatus Ludovicus Vicecomes Pergamensium Potestas cum Primoribus scopulum noctu furto surripere, CCC. accersere pedites, qui trecentorum aureorum sponsione per aspera saxa in eum scopulum conscenderent. Hi æris necessitate singillatim annixi gladiis declives, hispidosque aditus nocturno gradu tamdem in Specum Colli vicinam convenere. Ubi jam peragrata montis iniquitate convicti, sublato clamore, patente cursu L. ferme, qui in specula pro scopuli custodia ægrè vigilabant, adorti sunt, illisque fugatis, ac nonnullis obtruncatis, scopulo potiti sunt. Manè autem detecta fraude, qui in Arce Nimbri erant, Castelli Pavonæ subsidio destituti, ademta alimoniorum spe, pactis cum rerum suarum redemtione personis, Arcem Ludovico reddidere Idibus Majis.

RUBRICA V.

Novariensium Conflictus.

DEcimo namque sexto Kalendas Majas Anni ejusdem Quintidecimi post Trecentesimum Millesimum Papienses cum Turrianis exulibus, Alexandrinis, Vercellensibus, ceterisque suæ factionis militum, peditumque catervis noctu perrexere Novariam. Sub gallicinio præmissis ad Urbis valvas cursoribus ipsi in insidiis positis substitere. Sed Novariensis, ut supputaverant, nequeuntes mœnibus educere bellico ingenio, ut sibi prædestinaverant, detectis signis, hostili impetu per Natam suburbanum locum duobus ferè millibus passuum ab Urbe insultavere, illoque exusto, expilatoque per Romenam, Bellenzonumque ditissimas Colonias idem fecere. Cùm ecce per properantes Cursores iis allatum est, omnem è Novaria Populum, & cunctam erupisse Militiam, & ad se directo agmine pergere cum signis mercenariorum Maphæi Vicecomitis XI. Tum compositis signis, centuriatisque Ordinibus ingenti tubarum concentu in æquum campum, quò foret utrinque prœliandi commoditas, descendêre. Nec mora. Infestis gladiis, parique clamore hinc atque hinc in prœlium concursum est. Quod & anceps fuit, fortissimis primipilariis, qui in acierum cornibus robora collocaverant, non priùs repressis, quàm se se equis utrobique consternerent: verùm exulum Papiensiumque feliciore successu congressum decernente terga vertêre Novariensis, passim cæsi, fugatique ac capti. Cæsa siquidem hoc prœlio capita C & XL. capta CLXII. cum pingui equorum, armorumque præda. Signa militaria VIII. deprehensa Papiam ad trophæi spectaculum relata. Qui verò fugere enixi sunt, ad Castra Novariensium, quæ Bastiam Longobardi vocant, ante Galvagium Castrum illorum obsidione circumventum confugêre. Sed Papienses Victoriæ munere freti, ad Galvagium Castrum eorumdem Novariensium obsidione levandum, Bastiamque expugnandam, cursu eodem convolavere; illamque insperato invadentes tumultu expugnavere, occisis, captisque iis, qui castris insederant. Fuerunt inter captos horum congressuum memorabiles Maphæus de Nicorvo, Manfredus Cornellus Galvagni filius, Emmanuel Lanfrancus de Fixilengis, Franciscus Tetonus, Gulielmus Caza, & (a) Aules Novariensis Potestatis cum Urbis vexillo publico. Nec remissi Fortunæ hujus opitulatione Papienses, populabundi contractis undique viribus, & in municipia tutiora compulsis, per (b) Lomellinam oram opulentissimam dato agmine ad Pontem Vigevani, qui Ticino superest, cujus altissima propugnacula Maphæi præsidiis tenebantur, adducto igne, cratibus ad velamen oppositis accesse-

(a) *Fortè* Brembum.
(b) *Meliùs* amplectitur, *pro* implectitur.
(c) *Meliùs* de Zoppo.
(*) *Cod. Est.* CCC.

NOTÆ AD RUBRICAM V.
(a) *Cod. Est. & Ambr.* Miles.
(b) Laumellinam *vocat Bernardus Saccus lib. IV. Hist. Ticinensis*. Osius.

Digitized by Google

cessere, soloque pavore perculsis custodibus Pontem destitutum occupavere. Continuòque in stragem omnibus consternatis præsidiis, captaque classe, quæ Pontem navali suffragio fulciebat, igne ferroque vastavere; demersoque in Ticino navigio, ad naufragium bellatores, qui in eo erant, cum ductoribus compulere. Nec Papiensibus ulla ex iis pugna prosperior, hostibusve damnosior. Cùm excluso trans Ticinum Maphæo (a) vastandam, depopulandamque Lomellinam sub omni commoditate, sub sola fluminis tutela vacaret.

RUBRICA VI.

Prodigium.

PEr hos dies in Porcilio Colonia Veronensi ex Equa prodigium insigne exortum est. Fœtus scilicet vivus, Quadrupes equini corporis, cum cervice & capite humanæ figuræ, quem cùm balbutientem horrendo vagitu vir agrestis, cujus tugurio editus est, conspexisset, rurali simplicitate conterritus harpe continuò mutilavit, præfixo capite in pali acie secus accessum tugurii ad transeuntium spectaculum. Qui insinuatione aliquorum ad Curiam evocatus, atque de generatione, & singulis inquisitus, curve sic repentè ipsum necaverit, nihil præsumtione dignum, nisi, quòd metus solius invasione id fecerit, in illo compertum est. Amota cujusque alterius delicti suspicione, quòd sic in patulum monstrum edidisset, cui rem occultavisse tempus & locus facultatem obtulerant. Ver anni hujus pluviosum. Æstas grandinosa, nimbis ac tonitruis admodum horrida. In Paduana Civitate, & circum Suburbia grando ingens nulla referta memoria glandes unius libræ efferens, quarum collisione ædium tecta confracta sunt, (b) strati ex aëre necati alites per plana, lepores, & feræ plurimæ repertæ sunt.

RUBRICA VII.

Secunda Pontis Vigevani expugnatio, & conflictus.

LOmellinæ depopulationem à pervagantibus multo commodo Papiensibus Maphæus Viccomes ægrè ferens, propulsatis Nimbri recuperatione Pergamensibus exulibus, ad Pontis Vigevani refectionem potenti expeditione recurrit. Ubi ad structuram omni arborum adducta materia cum architectoribus navalis, terrestrisque ingenii, & copiis vênit omnibus. Papienses parata in adversum classe cum equestri & pedestri agmine trans Ticini ripam obvii stetere. Cùmque jam identidem peracto pæne opere per jactum latissimæ tabularum compaginis pedites militesque uno impetu in ulteriorem ripam trajicere niterentur, certamen utrinque terra ac flu vio atrocissimum cœptum est. Sed eos milites, qui per saltum tabularum ripam anticipare conabantur, retrusere Papienses commodiori freti terræ spatio, & in fluvium præcipites evertêre. Deinde summisso igne, quem pro rei opportunitate peractum (c) secum tulerant, in tabulas cum accensis cratibus adjecere. Fusa itaque sic, ac detrusa omnis acies, quæ Pontem conscenderat, in stragem corruit. Pars præceps ad naufragium, pars in se se collisa interiit. Sed major Maphæo clades in Ticini fluento fuit. Nam conterriti fluviales bellatore, nautæque viso pontis excidio, destitutis navibus ex omni remigio, à Papiensium navigio circumventi sunt. Nam ferè omnes cæsi ad naufragium appulsi sunt, excisa pæne totius pontis nova strue. Cæsa virorum omnis generis hoc navali terrestrique certamine Capita CCLX. Capta LXXX. Naves XII. onerariæ cum ballistis, & omni navali apparatu Papiam adductæ. Maphæus victus abscessit XV. Kalendas Junias. Ex secundo hoc conflictu Mediolanensium Lomellina depopulanda Papiensibus patuit tumore Ticini Padique, quæ flumina trajicere nulla prorsus Maphæo facultas fuit.

RUBRICA VIII.

Captio S. Quirici.

GIbertus de Corrigia cum auxiliariis militibus Bononiensium C. & (d) cum suorum expeditione ad Burgum Sancti Donini depopulandum coëquitavit: sata, vinetaque undique excidit omni tecto extra Pagum exusto, Manfredino (e) Pallavicino se intra Municipium contenente. Atque inde digressus Castrum Sancti Quirici circumsedit. Matthæus spurius de Corrigia, qui Castrum idem Luchino Maphæi Vicecomitis paulò ante seditione tradiderat, eadem fraude salutem sui, suorumque pactus ad Gibertum defecit.

RUBRICA IX.

Pergami defectio.

INveteratum Pergamensium variis utrinque fortunis bellum partium denique vires, animosque sic infregit, ut longis lassatæ laboribus certaminum studia, solertiasque deponerent. Hinc Papiensium delendorum curis Maphæus angebatur: inde suis destituti auxiliaribus Exules, Municipiis se se nullo incursu, prœliorumve studio continebant. Cùm tamdem circumspectione Maphæi Georgium de (f) Soppo, & Galaaz Carpionem de pace interpellare visum est. Captivos siquidem eos Mediolanum adduci mandaverat. At denuo illis rogantibus de pacis articulis Maphæus respondit, se Pergamensium amicitias quietiore animo, quàm dominium affectare: pacem eis volentibus daturum, seque post XXX. mensium spatium, post jam ictum cum intrinsecis fœdus abdicaturum. Utque cum Concivibus suis Exules durabili pace (g) communicent, ne æris alieni exactionibus impetantur, creditoribus ad tempus silentium impositurum: omnibus contributionibus, quas totius belli tempore Pergamensis Communitas Exulum bonis adscripserat, levandos Exules, statuque integro ac libero potituros. Missæ ad Ricobrandum de Rivola, ceterosque extorres literæ infractos placatosque ad pacem animos invenere. Et si parum fidenter Maphæi pollicitis adhærerent, urgebat tamen pacis zelus, & instans intolerantiæ vis ac summa necessitas. Et interea per Legatos rem dirimi placuit, missis priùs ad Confratres Gelfos super iis pertentatis, & de iniqua sui status conditione rescriptis. Qualiter &

(a) *Melius* vastanda, depopulandaque Lomellina.
(b) *In V. & Ambr.* storiti.
(c) *MS. Ambr.* paratum.
(d) *Cod. Est. & Ambr.* cum omni suorum.
(e) *MS. alii, & Ambr.* Pellavicino.
(f) *Aliter* de Zoppo, *ut supra*.
(g) *Cod. Est.* connecterentur.

Digitized by Google

& afflictis rebus consulendum sibi eventus suaderet infestus. Missi Mediolanum Legati cum omnium Exterorum mandato comiter à Maphæo accepti sunt. Cum quibus Georgius, ac Galaaz celebrato colloquio præscriptis verbis sub pacis conditionibus multa mansuetudine usus est, aliisque adjectis, quæ animos allicuere Legatorum. Unde communes utrorumque conceptus, atque affectus quovis bello gratior pax amplexa est, captivis omnibus utrinque dimissis per Nonas Julias.

RUBRICA X.

Conflictus Papiensium apud Scriviam fluvium.

LOngo bello fatigati Papienses, tutari sola mœnia contenti, Pontem Vigevani Maphæo Vicecomiti construendum reliquere. Jam quidem penuria rerum familiarium obstrusis circum callibus (a), depopulatisque solo Padi subsidio fovebantur. Inde enim alimonia singula, quæque de superis oris vehebantur. Sed pacatis Pergamensibus nullo alio implicitus certamine Maphæus ad solam Papiam animum viresque intendit. Utque omnium rerum copiis illam privaret, atque extenuaret, Castellum in Padi littore quindecim ferme passuum millibus ab Urbe magno opere construi jussit, præsidioque munivit. Hujus Castelli pressura obsessæ Civitati nulla fulcimenta (b), frumentandive facultas erat; sed sola spes Roberti Regis Apuliæ juvari suffragiis hos suspensos diutiùs angebat. Dum omnium rerum egentes, aut ferro aperiendi Padi viam per Castelli hujus oppugnationem, aut se se, Urbemque Maphæo dedendi opus esse existimavere: sed priùs congestis in unum viribus oppugnationem tentare decrevere. Navigio itaque, cujus hæc sola copia illis restiterat, quibus valuere Virorum armorumque fulcimentis Castellum hoc petiere. Sed continuò Maphæus armatam classem, quam apud Placentiam & ipse ob hasce vicissitudines paratam tenuerat, insequi Papiensium expeditiones mandavit. Et, ut majoribus viribus hostes impeteret, militum CC. cohortem trans Padum per riparum marginem pedetentim submisit. Cùm igitur propinquos hostes se insequi, Papiensium classem jam cominus o ulis intuerentur, omnis congressus avidi, remis incumbentes celeri properantis aquæ lapsu in hostes irruêre. Sed impar Maphæi navigium extemplo prœlium detrectans ulteriori ripæ adhæsit, militumque suorum per planas undas ad equorum subsellia succurrentium defensione protectum est. Lapsi igitur per fluminis (c) cursum Papienses ultro Papiam applicuerunt. Ad terrestre igitur, supremumque experimentum in auxilium Civitates amicas, singulosque suæ factionis è Novaria, Vercellis, Alexandria complices, Duce Ugone de Albasio, evocavere. Aggregatis itaque omnibus copiis, militum scilicet ferme DC. per Padi appendicias ad Castri oppugnationem perrexere. Maphæus horum omnium præscius milites CCCC. pedites M. seu circiter ad Castri tuitionem transmisit. Cùmque ad fluvium, qui Scrivia dicitur, ventum esset, qui superiorum agrorum aquas in Padum educit, per latum patensque vadum CC. aciem Ugo trajicere jussit. Et ii præcursores speculatoribus L. Maphæi ad explorandum missis obvii illos circumveniunt sternuntque ad suos paucis profugis. Ceterorum major acies in subsidium accurrens, hos, ipsumque Ugonem Vicarium Regium incessit. Fit pugna atrox. Dum denuo suis, qui nondum trajicerant, non occurrentibus potentioribus hostium viribus cessere. Lacera igitur acie terga dantes in peditum suorum catervas, quorum CCCC. ferè vadaverant, præcipites incidêre. Fit strages corruentium militum in pedites, ipsorumque peditum retrocedentium ad vadi transitum. Sed certaminis hujus sors infestior hos Papienses, qui cis vadum resederant, obvênit. Nam solius obice fluminis tuti, fugientium suorum exemplo, versis signis fugam & ipsi simul arripuere. Tum accrescente, patenteque victoria freti hostes, illorum, qui trans vadum migraverant, præsertim peditum, stragem fecere. Nam obstrusum vadum virorum, equorumque acervo exitum fugientibus denegabat. Sicque Maphæi milites Campo potiti sunt. Cæsa hìc militum Papiensium, Turrianorum, ceterorumque auxiliatorum capita circiter CLX. Inter quæ (d) Zafredus della Turre ejus prosapiæ major natu, vir bellicosus, ac strenuus. Peditum CC. Capta ferè totidem. Ex Maphæi militibus LXX. seu circiter: ex peditibus XL. Signa militaria duo Mediolanum ad spectaculum delata anni hujus millesimi trecentesimi quintidecimi, Non Juliis. Clades hæc Papiensibus exitialis fuit. Ob hanc enim omnis certaminis spe destituti mœnibus consistere meditati sunt. Tum omnis generis accrescens in dies pauperies fame appellente popellum omnem Urbe abscedere viritim coegit. Intra mœnia coacti, qui appendentibus vicis cohabitaverant, nullâ ulteriùs tutelâ solum quodpiam insperatum Dei suffragium præstolabantur. Nec interea segnis ulla desidia Maphæus, in ipsius Urbis sinu cum nonnullis factiosis scrutari, sciscitari, si seditionibus res agi valebant, polliceri seditiosis. De pace contra Papienses interpellavere (e), non nisi cujus conditionibus ipse dominio potiatur. Iis calamitatibus omnibus ferè destituta salutis consiliis Papiensis Civitas se ad Octubrium mensem usque perduxit, in se ipsam defectura omnium rerum carentiâ, nisi Maphæi astu, potentiaque simul, atque ingenio præventa atrocius exitium nacta foret, cujus rei series hæc constitit.

RUBRICA XI.

Papiæ captio.

PEr indices edoctus Maphæus, Cremonenses militum L. alam missuros ad Papiæ levamen, militiam suam Laudum filio duce direxit, mandatis in publicum edictis, quòd illos arcendi causa destinaverat. Sed efficacior vicissitudo. Insidiæ fuere ex arcano conceptu, ut nocturno astu ex ea parte, qua Placentinus callis ad Urbem vehit, tenus Urbis Papiæ appendicias militum acies consisterent, successuque Urbem introëundi, si casus offerret, vi, atque ingenio potirentur. Inde & ex parte altera, quæ Mediolanum conspicit, trans vallum Urbis per directum ferrea luminaria circiter C. hastis affigi clanculum jussit sub noctis opacæ silentio, simulque & militum aciem ad superioris portæ callem, qua Ticinus ad Urbem fluit, ubi Pons-Novus dici-

NOTÆ AD RUBRICAM X.

(a) *Cod. Est.* collibus.
(b) *Cod. Est. & Ambr.* fulciendi.
(c) *Cod. Est. & Ambr.* decursum.
(d) *Cod. Est.* Infredus. *MS. Ambr.* Jufredus.
(e) *Corrige ex MS. Ambr.* interpellare.

Digitized by Google

dicitur, disponi constituit cum alariis peditibus. Nec absque intestinæ seditionis conspiratione argumenta hæc potiundæ Urbis Maphæum allexerant. Erat quidam in Civitate vir plebejus Marchettus de Salernis fortis ac pugnax. Mirum equidem, quamobrem huic tam diræ existimationis nefas acciderit. Nam nullus eatenus in insequendos hostes propulsandosque in ea Civitate ferocior, nec vigiliis, consiliis, custodiis, ceterisque patriæ tuitionis obsequiis solertior atque constantior. Sic fortuna hujus Urbis, Civiumque infelicitas hujus tempestatis incolas circumvenere. Atqui profectò mortis timor, quæ cùm sit ultimum terribilium, hominum mentes mordaciùs afficit, easque ad ultimum (a) simile evitandum adducit affectum. Et quod persæpe homo licentiosa opera nequit efficere, in eam labitur necessitatem, si mortis timor incumbat, ut, quod nefas est, in se se corruptus efficiat. Et nonnumquam unum aliquid sustinet Universitas, quod ab optionibus discrepat singulorum. Maphæi jugum, quod non nisi amissa libertate subeundum Communitas recusabat, inevitabile cernebant facti evidentia singulares. Angebant commune publicumque propositum convitiandæ vetustæ Civitatis opprobrium, libertatis amissio, & Turrianorum amor, quos sibi dulcedo fraternæ caritatis annexuerat, nec non Maphæi, acceptarumque contumeliarum memoris, inextinguibilisque odii perniciosa formido. Sed quid singularibus extimationibus? si omnia illa, hoc visibiliter evitasse non poterant, famescentes videre natos, pæne sublata omnium alimoniorum spe, lares frigidos, flentes conjuges, patentes fere in Urbem aditus hostibus, cùm lapsæ manus longa macerie mœnia nocturnis vigiliis non complerent. Solum hoc unum miseros solamen Cives plerumque suis levabat angustiis visa Ricardini de Languſco Comitis facies, cujus omnium Longobardorum præcellens staturæ proceritas, cujus enitens virtus, & persæpe patens, indubitata ultra viri valentia probitas, ac congruens tanti viri pulchritudini & qualitati facundia. Hic Urbem ambibat, hortabatur, ministeria quæque supplebat, ubique aderat. Sed proh! exinanita pæne omnium rerum copia LX. hastatis ex omni priori militia Contubernalibus. Ceteros ex tota Urbis frequentia vel hostile exitium deleverat, vel intolerantia paupertatis. Marchettus igitur proditor secando vallo hostes admittere, si accedere ad hoc nocte conveniant, pollicitus est. Statuta gerundæ rei die sexto Nonas Octobris circum Papiæ mœnia primâ noctis vigiliâ astitere militum Maphæi, peditumque locatæ copiæ singulis sollicitæ officiis. Accenduntur fixis lampadibus faces. Cohors illa, quæ desuper ad Ticini portam, ubi Pons-Novus dicitur, locum sibi constituerat, clamorem tollit, pedites per Ticini marginem tunc fortè siccitate cedentis summitit. Concita Urbs tam repentino successu fremescit. Expergefacti somno Papienses terrore simulque & tremitu arma capessunt. Ad ferrum undique prodeunt. Ricardinum Comitem, Ducemque ut unum singulareque suffragium expetunt, acclamant. Præsto Comes tibicinum concentu XXX. ferme equitibus ad Pontem-Novum, quà clamor insurrexerat, excurrit, ubi jam cœpta oppugnatio clamoribus ignibusque innotescebat. Illò pedites advocat, populi conventus trahit. Sed ex hoc Placentini callis angulo ad vallum diripiendum levis armatura pedites cum velitibus impellunt. Excitus cum complicibus seditiosis Marchettus valli tabulas exsecat, cæditque securibus, hostes (b) suæ operæ singillatim introductos coaptat. Cùm jam consternata valli parte æquantur foveæ ad equorum ingressum. Quamquam dubii milites loci, factique per noctis tenebras ancipites intra mœnia passim gradiuntur, dum ad Sancti Joannis plateam Germanorum ala se congerit. Visi illico hostes per superiores vicos ad intima Urbis nuntiantur. Simon della Turre cum triginta ferè hastatis militibus ad id loci decurrens, in eos irruit ambiguos, insciosque, quæ, qualisve hæc sit insultantium cohors, trans Vallum ad suos reprimit, atque impellit. Acies hæc Germanorum invalidi impulsus impetum tam parva manu sese sic impellentis agnoscens, quàm contra adveniens accensa lampas patefecit, concitis equis, clamore ingenti, furoreque Teutonico (c) ingressum reintegrat, superatosque Papienses in fugam vertit, (d) insequique atque ut in captam Urbem, catervas conclamat. Revocati à superiori certamine Ricardinus, ac inscii Commilitones, quibus salutis suæ, patriæque remediis inhæreant, mortes undique circumspiciunt, ac parva mora sic impliciti ab hostibus impetuntur. Tunc omnis eques in stragem cedit. Confossus militum congerie Comes occumbit. Simon della Turre fortuna adjutus cum paucis per Ticini ripam egrediens fugit, Passignanumque se contulit. Tunc exorientis Luciferi ferali Papiensibus hora capta Urbs victoribus patuit. Pars conflictorum Civium per ædes sacras, privatasque ad delitescendum confugit: pars mœnibus egressa ad agros effunditur: pars supplex se tradit victa victoribus. Hoc (e) tamen Papiensibus Dei nutus, & sors benigna contribuit, quòd non (f) ultra .... & XX. virorum commissa cædes conflictum hunc funestavit. Verùm adulteria, raptus, prædæ, milleque calamitatum injuriæ nullo fine patratæ sunt, immanibus præsertim Germanis in Latinos ferino more insævientibus nulla pietate. Nobilium conjuges, ac ingenuas virgines ad suas quisque ædes in scortum trahunt. Sed proh pudor! prohque dolor! Generosa, deflendaque tecum, tuorum proles cum Joanne fratre (Reverende Pater Pagane) cùmque infantium, filiorumque, ac nepotum miseranda serie, omnibus substracta diversoriis insignis præda, victoribus Mediolanum adducitur. Te, domumque tuam (sic fatis volentibus) hæc nimiùm clades amplexa est. Sed Tu, Pater, tuæ spes una prosapiæ, cede fortuitis objecta virtute successibus; reminiscare præteritorum experientia, & solare superstites. Nam superest viventium genus egregium, & nepotum magni greges, ac per partium tuarum Urbes conspicis avidam tuæ ultionis Italiam.

RUBRICA XII.

Pulsi Furlivio Arguliosi (*).

PUlsi Furlivio Calbulenses Faventiam, Ravennamque petiere. Nonnulli eorum in Castro Rogerii de Dovadola permorabantur. At Communi Bononiæ cum Provinciæ Romandiolæ Gelphis curæ fuit Furlivii Civitatem in Gel-

(a) *Cod. Est. & Ambr.* similiter evitandæ.
(b) *Cod. Est.* sua opera.
(c) *Pro* congressum, *ut infra Rub. sequenti.*
(d) *Cod. Est. & Ambr.* insequiturque.
(e) *Cod. Est. & Ambr.* tantùm.
(f) *MS. Ambros. nulla indicata lacuna* ultra XX. virorum &c.
(*) *Aliis* Argulioli.

Gelphorum factione persistere. Unde accersitis ad colloquium Argulioſis in agro Ravennate juxta Sancti Petri in Vinculis Basilicam convenere. Affuere Communis Bononiæ Legati Malatestinus Ariminensis, Lambertus de Polenta Ravennas, Franciscus de Manfredis Faventinus, Bernardinus Coniensis Comes, (a) Nordilus Imolensis, Rogerius de Dovadola, Carolus Batisolis, Agnella de Alticlinis Cæsenensis. E Furlivio Primores Lambertus de Argulioſis, Bindus Aliotus, Rainaldutius Bursa, Guerio-lus. Jurata illico pars Gelfa votis communibus, pro cujus perseverantia Argulioſi sponsaliorum fœderibus Ramberto de Polenta, ac Francisco de Manfredis copulantur. Ictis, firmatisque fœderibus Argulioſi Gibolengos omnes Furlivio pellunt, nonnullos relegant, in hanc Gelfam partem Civitatem obstringunt. Destituti omnibus subsidiis Calbulenses quid de se recogitent, anguntur. Nam prosperiori fortunæ amicos Gelfos adhæsisse vident, ut se exclusis perennia cum Argulioſis pacta percusserant. Dum multo conceptu demum (b) Ordalaffis jamdudum inimicis se se confœderare animos dirigunt. Tegrinum igitur ex Comitibus Guidis de Monteglana spectatum Virum Falcerius de Calbulo clandestinè de pace cum Ordalaffis pertentando interpellat, cui hæc promeruisse rememorat. Nam ejus occasione Valbonensibus Calbulenses obnoxii fuerant, Valbonensiumque favore justa ultione nuper Furlivio ejecti. Tegrinus beneficii hujus memor data fide in unum coire Ceccum, ac Sinibaldum de Ordalaffis cum Calbulensibus satagit, idque apud Primalocorum Castrum solerter efficit. Quamquam enim ipsos Calbulenses, & Ordalaffos veteres ac capitales inimicitiæ odiaque intensa disjunxerint, utrorumque tamen opiniones ad novæ amicitiæ fœdus, variis (c) tamen affectibus in unum idemque conveniunt, ut (d) si junctis viribus Furlivium quaque via ingrediantur. Atque inter cetera Ordalaffis Calbulenses potiundi Furlivii secundante successu Scarpetam de Ordalaffis vinculis eximere Comitis Romandiolæ, amicorumque suorum suffragiis despondent. In Castro quidem Caro sub Regis Roberti custodiis habebatur. Re clanculum composita, conditionibus Provinciæ ad Regem Robertum delatis, mandat Rex Dyadego, quem Provinciæ hujus Comitem constituerat, conciliatis, utcumque valeret, dissidiis, Furlivium Civium compositione reintegraret. Profectus in Romandiolam Comes de pace inter Calbulenses, & Argulioſos agenda cùm plurima instantia pertentasset, nequaquam profecit. fessusque eo conatu Ferrariam perrexit. At Ceccus, Sinibaldusque Scarpetæ fratres cum Fulcerio, suisque freti, prout utrisque facultas erat, ingeniis in Civitatis sinu abditis consiliis suos in favores accersunt, atque alliciunt, denuoque agendorum diem pari factione constituunt. Atqui non secus, ut opinati sunt, successus evênit. Nam moti pariter separatis gressibus sub noctis tenebras Franciscus de Calbulo cum Paulutio Nepote, Comesque de (e) Zazolo facti hujus complex, per patentem sibi suorum deditione portam Ravaldinam ingressi sunt. Ceccus quoque, ac Sinibaldus cum Friderico Montisfeltri, & Gulielmo de Malatestis suæ factionis amicis per portam Rotæ & ipsi Urbem introiere. Tunc clamore sublato concita Civitate expergefacti, ac tam repentina commotione perterriti ad arma currentes foro exiliunt. Tumultuarius concursus in plateam communem populum concitum undique elicit. Jam repressis, expugnatisque, hinc atque hinc, qui novum (f) ingressum fecerant, ignoratis auctoribus in Argulioſos victoria concesserat. Sed cùm jam diescceret noctis pulsa caligine, Calbulensium, Ordalafforumque insignia patuere Furliviensibus. Mirabundi novo successu, simulque gavisi, qui suarum factionum Dominos adesse spectabant, segregatis manipulis, lacerato Argulioſorum agmine, Dominos suos singillatim petere, simulque illis adhærere (g). Tunc reintegratâ pugnâ Argulioſi jam viribus, novoque favore impares impetum non sustinentes terga cum cæde ac strage vertere. Cæsi eo certamine apud Vicum pontis Militum Argulioſus de Argulioſis probatæ indolis, Agnellus de Gismundis, aliique circiter (h) XXXLIII. Gaynus de Argulioſis cum ceteris saucius aufugit II. Idus Septembris hujus mutatione status recisa priora decreta. Omnes exules, bannitique restituti. Quæ partem Gelfam Civitas observaverat Gibolengis repletur. Tunc agi de Scarpetæ relaxatione solerter Calbulensium opera cœptum est.

RUBRICA XIII.

Altera Calbulensium ejectio.

SEd iis nequaquam proficientibus, tamquam rupto fœdere, cùm id prorsus se pollicitos Ordalaffi dictitarent, non ultra III. Idus Novembris pax hæc præteritarum litium memores animos in unione continuit. Nam congestis in Urbe qualibet ex parte Gibolengis amicis, Comes Zazoli, qui Ordalafforum partes ante foverat, cum Fidelium suorum turba, quam ob eam causam in Urbem introduxerat, ad Calbulensium ædes irruit, improvisosque atque viribus impares vi cepit, Franciscumque, Nicolutium, & Paulutium (nam die externa ad Castrum Carum Scarpetam allocuturus Fulcerius adiverat) in vincula conjecit. At Sinibaldus Scarpetæ frater, seu ficta fraude captionis complex, seu conjugis amore Francisci sororis, Comite frustra reluctante, solutos, atque incolumes mœnibus instanter eduxit, sicque rejecti iterum ad castra se se proripuere. Verùm horum captionis tumultu amicorum, fideliumque, qui ad Calbulensium tutelam concurrerant, privatis odiis suarum rerum rapinas perpessi, plurimique trucidati sunt, ceteris ejusdem factionis profugis, relicta Civitate Furlivii Gibolengis.

RUBRICA XIV.

Prodigium.

HOc anno circum Kal. Decembris de Cœlo signa conspecta sunt. Stella scilicet crinita, quam Astrologi nostri dixere Cometem. Movebatur hic Cometes diurno motu, & epicycli Jovis. Nam quantum Juppiter in epicyclo suo exiens in latitudine Septentrionali decli-

(a) *Cod. Est.* Nordiglus.
(b) Ordelaffos *alii vocant*.
(c) *Fortè* tamdem.
(d) *Tollerem particulam* si. Immo] *pro ea scribendum* scilicet.
(e) *MS. Ambr. & alii* Jazolo *semper*.
(f) *Pro* congressum, *ut supra Rub. præcedenti*.
(g) *In V.* adhæscere, *cui tamen* petiere *respondere deberet, non* petere.
(h) *Cod. Est. & Ambr.* XXXVII.

Digitized by Google

clinabat, tantum hic Cometes ascendens versùs Polum Articum gradiebatur, non equidem secundùm quantitatis æqualitatem, sed secundùm proportionis mensuram. Cùm enim 25. die, hora 27. Decembris distaret à Polo gradibus 18. minutis 37. & secundis 53. XV. die Januarii hora 17. non distabat nisi gradibus 9. minutis 48. & secundis 39. Movebatur quoque Planetæ motu, propter quod in directum ipsius Jovis mittebat Comæ radios, quamquam propter diversitatis aspectum videretur quantum ad aliquid obliquare. Propter quæ adjudicabatur patenter, Jovem Dominum ejus esse, cujus virtute ipse producebatur. Cometem hunc non aliud, quàm futuram in terris pestem portendere plurimorum judiciis adjudicatum est.

RUBRICA XV.

Castri Novi constructio, & destructio in Romandiola.

EJectis Furlivio Calbulensibus Dyadegus Romandiolæ Comes refici Castrum Novum, quod septem millibus ferme passuum ab urbe Furlivii distabat, imperavit, præsidioque munivit. Ad cujus oppugnationem Comes de Zazolo cum Furliviensibus excurrit. Debellatis, victisque acri conflictu intrinsecis, plurimisque cæsis Castrum demoliit.

RUBRICA XVI.

Exercitus Dyadegi contra Furliviensis.

MOlestatus Castri Novi excidio Dyadegus, advocans Provinciæ ejus Proceres in Furliviensis eduxit exercitum. Promotusque XV. Kal. Decembris cum Militum millo trecentorum copiis, peditumque millibus XII. secus Selbagnini Coloniam Furliviensem prima castra posuit. Confœderatisque pace Calbulensibus cum Arguliosis in agros Furliviensium multa vi festinus erupit, Villamque Sancti Martini diripiens, ustis ædibus per eam oram ceteras Colonias subjecit incendiis, Marglanum scilicet, Feranzanum, Carpene, Grasiglonum, & Colline Raynaldum cum adjacentibus, cæsis per omnia rura fructicibus: sed repulsus imbribus post triduum collectis stativis remeavit.

RUBRICA XVII.

Pax inter Fridericum de Montefeltro & Malatestinum, & Conflictus Francisci Comitis de Carpegna.

IN Romandiola Partium Principes Malatestinus Ariminensis, & Fridericus de Montefeltro bellis defessi, offensarum inducias intermisere, edictaque per singulas suorum Urbes misere, ne quemvis ullis offensis impeterent. Verùm ad Furliviensium succursum per eas bellorum moras ex suis Nobiles hos ire jusserant Franciscum Comitem de Carpegna, Ceccum Chiapetini de Ubertinis, Galeotum de Comitibus Guidis Gulielmi, Tristanum Manfredi cognationis ejusdem, Tarlatinum Pucii Aretinum, Cionum de Massa Trabarra cum hastatis militibus circiter C. Quos adventantes Guido de Valbona præsentiens, insidiis incessit. Ipse quidem secus Collinæ locum, quo ad Civitatellam (a) illis migrandum erat, pedites CCCC. latêre jussit, prævisusque cum XXX. ferè in equis Francisco se videndum astu exhibuit. Ille insidiarum ignarus, concito cum suis equo fugam simulantem usque in Civitatellæ appendicias appulit. Sed paulisper ad suos conversus, ne parum cautè sic excurrisset, ad Fabricam secessit. Guido cum Civitatellæ accolis illum insequentes, dum insidiarum loco proximus foret, voce sublata insultans oppetiit. Sic circumventus cum suis Franciscus, detecta insidiarum fraude, loci iniquitate, & lanceariis peditibus, qua valuit tamen reluctantia, confoditur. Cæsa identidem militum capita XXX. Inter quæ Franciscus idem Comes Carpegnæ, Ceccus, & Tristanus Viri insignes. Capta XII. Inter quæ Tarlatinus Ariminensis, Galeotus ex Comitibus Guidis, Kal. Aprilibus Anni XVI. post Millesimum Trecentesimum.

RUBRICA XVIII.

Mutatio Status Cerviæ.

DOminanti Civitati Cerviæ Malatestino Ariminensi Idibus Aprilibus Anni ejusdem Civitas ipsa subrepta est. Nam relegatorum ab Malatestino Vacharius Dux, & Major (sic illi nomen erat) piscatoriis lembis noctu ab suæ factionis Gibolengis in Urbem cum sociis externis acceptus est. Cui repentè clamore sublato ad commune Prætorium improvisis Gelfis accedenti victoria succrevit. Abscedentibus ultro nulla resistentia, nullaque commissa cæde Gelfis, Vacharius cum suis Urbe potitus est. Atqui novitate rei excitati Romandiolæ Principes Urbis hujus convicini, varia potiundæ Civitatis spe primæ lucis ortu, quæ in diem Sacratissimæ (b) Dominicæ Resurrectionis inciderat, celeri gressu coëquitantes per diversos calles, secus Cerviam stetere Ferrantinus de Malatestis cum D. militum cohorte arreptam Urbem repetens; Inde Ceccus de Ordalaffis Furliviensis cum militibus CCCC. Dehinc Lambertus de Polenta Ravennas cum Ravennatum phalange, per nuntios dominatum sibi quisque pari ambitu desiderans atque expetens. Cervienses communi voto, ut ambitionem hanc à mœnibus propellerent, unicuique spem sustulere, communi ipsorum libertate sibi temporaneos Rectores deligere malle, jamque ex Venetis unum sevocandum, qui hos regat, initio coordinasse, utque properet destinasse. Ii sublata spe pari regressu secessere. Sed continuò simulationis suæ commodo potiti Cervienses, Rambertum de Polenta Ravennatem, quem sibi concupiverant, in Urbem excepere, qui Stasium Nepotem Bernardini prædefuncti fratris filium illis præfecit.

RUBRICA XIX.

Agrorum Cremonensium depopulatio.

GIbolengorum Partes in Longobardorum Provincia captâ Papiâ in superatos Gelfos elatæ, succedentium rerum & temporis commoditatibus omni solertia potitæ sunt. Maphæus scilicet Vicecomes optima filiorum prole in Mediolano potentissimus, IV. Civitatum dominiis, scilicet Cumarum, Pergami, Papiæ, ac Placentiæ Mediolano adjectis, his veluti suarum feli-

(a) *Cod. Est.* Civitellam, *& infra* Civitellæ.

(b) *Cod. Est. & Ambr.* Sanctissimam.

felicitatum initiis, ceteras Urbes finitimas quibusque belli artibus incessendas constituit, brevique & dandæ pacis ingeniis Alexandrinos, & Terdonenses cum suæ factionis intrinsecis, excusso Roberti Regis Dominio, ad se deficere consecutus est. Sicque eas circum oras, ut solus imperaret, suopte ingenio, fortuna ad votum concomitante, pacavit. Hinc Canem Grandem Veronensem tollendarum è medio Cremonæ, Parmæ, ac Regii (a) cura ingens ac mordax sollicitabat anxietas. Nam Padua data pace suis dumtaxat tutandis finibus magno opere studioque contenta est. Cani Passarinus de Bonacosis Mantuæ, Mutinæque Dominator veteri confœderatus amore, vires utique communes immiscuit, bipartiendas sibi has tres Urbes vicissim ambo, si præstet Victoria, pollicentes. Hancque suis facilè applicari votis, si quidem Cremona viribus admodum defecta longissimi belli anfractibus priùs ipsi potiantur. Civitatis hujus patentes agri bellorum omnes impetus facilè excipientes erant; apertæ undique, invallatæque Coloniæ Municipiis invalida munitione compositis. In Urbe generis omnis egestas atque penuries. Cives namque Imperatoris exitium, & innumeræ clades ab inde deleverant, atque plebem demta agri, colendi, meandique facultate consumserant. Bellum itaque primum Canis, & Passarinus Cremonensibus indixere, congestis in unum copiis, & prima invasione circum Pomponescum castrametati, nulla Oppidanorum resistentia Castro potiti sunt. Mutatis igitur stativis Viaglanam circumstetere Cavalcabovum Municipium, instructisque circum machinis frequentibus impugnationibus affectus Prior de Cavalcabobus, icto personarum rerumque omnium fœdere Victores in Castrum suscepit. Magna hæc Cavalcabovum jactura. In hanc quidem Coloniam ferè omne supellectile, mobileque fulcimentum cum muliebribus familiis collocaverant. Verùm Passarini favore, mutuæ cognationis intuitu, annuente Cane, Jacobi Cavalcabovis Uxor cum reliquo mulierum puerorumque cœtu, idoneo commeatu, cum rerum familiarium omniumque mobilium apparatibus Cremonam advehuntur. Viaglanam quidem præsidiis muniendam primis studiis curaverunt: sed brevi versis propositis, æquatis foveis ignis exitio consumsere. His igitur fatigati expeditionibus multo trophæo Veronam, ac Mantuam reversi sunt. At suadente Fortuna omnibus Cremonensium oppressionibus disposita, paucis diebus domi refecti in eosdem agros secus Playnam Episcopale Oppidum resedere, munitisque omnibus circum Castris Oppidanos Trinchinum de Ponzonibus, & Bregognonum Cathelonensem viros cum L. hastatorum equitum ala, velitumque magnis pro tuitione præsidiis indeficientibus fatigavere contumeliis, cedentibus (ut assolet) variis certaminum victoriis, duobus ferme mensibus intro citroque belli flagitiis consumtis. Verùm plerumque sub machinarum, tormentorumque refectione intermissa Oppidanis quiete, Canis Grandis directas acies per ceteros agros admovens, omnia igni ruralia concremabat. Per quas dierum intercapedines ipse in oppositum Calvatonum Castrum Cremonensium præsidio munitum, equo desiliens, cum famulantibus equitibus peditibusque irruit, & insperatum intrinsecis prœlium summa vi intulit. Dispositisque circum Vallum terrigenis, & tutelæ accommodatis, atrocissimo certamine ferro, missilibusque omnium generum fit strages utrinque, ac cædes, nunc Oppidanis intolerantia repressis, nunc Cane cum suis in foveas versis. Mira quidem Canis diei ejus ad omne discrimen ardente sic impetu pertinacia. Cujus assistentiam Germani equites concomitati, hortatique conspectu, in paratissimas mortes ibant. Dulce quidem illis aspiciente Cane vitas impendere. Ex eis enim ad Castri aggeres (b) ire, gladiisque confixis Vallo accedentes circiter XL. una eademque ruina repulsi foveis interiere. Sed accrescente jugiter exteriorum favore, novaque adjuvantium refectione, defossa (c) intrinsecorum irreparabilis manus diffisa, affectaque pacem acclamavit, personarumque redemtionem expetiit. Cui Canis fiducias dedendi Castri annuit, quòdque salvi abirent spopondit. Pontibus itaque dimissis in Castrum itum est. Sed nece suorum furentibus Teutonicis, & si non jubente, vel prorsus resistere non valente Cane, & (ut nonnulli asseruerant) connivente, miseros omnes terrigenas unus consumsit interitus; nec puberi, vel impuberi, sexuive cuiquam parcitum est, ustoque Castro in cetera Castra secus Playnam cum cæsorum interemtorumque contubernalium fletu reditum est. Trinchinus, ac Bregognonus nulla spe subsidii internecionibus Calvatonensium conterriti, Castri Episcopalis, Terræque deditione vitas pepegere. Quibus potiti ad conterrendam Urbem centuriatis aciebus, distinctisque peditum manipulis ad titubantem calamitatibus Urbem accessere, Cursoribus usque in (d) Cossam præmissis (e) itidem suburbium est Urbi cohærens. Canisque, ac Passarinus cum primipilariis, & vexillis in lato agros perstitere, præstolantes, si dedendæ Urbis assistens sors quoquam in casu Cives in exitium coëgisset. Die illa Giberti de Corrigia tunc fortè præsentis vacillans Urbs tutela defensa est. Ipse quidem forti ausu animique constantis fiducia Urbem perambiens, suasos multa industria Cives intra mœnia, clausasque valvas continuit. Canis ergo nihil isthic proficiens, Casalem-Majorem Coloniam ditissimam Cremonensium mille incolarum cohabitatam expetiit, quam victoriosæ Fortunæ cursu extemplo in deditionem accepit, munitamque opportunis præsidiis, Mantuam omnem expeditionem retrahens reliquit Kal. Juliis.

RUBRICA XX.

Concessum Dominium Cremonæ Jacobo Cavalcabovo.

ANgustati tantorum bellorum intolerantia Cremonenses, quidnam tantis circumventi discriminibus acturi forent, qui ex eis prudentiores erant, vacillabant. Hinc urgens fames, & omnium usualium penuries; inde instantes assiduè hostes, qui pæne rura omnia paucis exceptis municipiis extra mœnia vastaverant. (a) Nonnullæque dissidiæ per fora, & vicos, ac susurria in dies invalescebant. *Rempublicam ægrè à Primoribus defensam non convenientibus in unum votis: ad unum caput res omnes referendas fore: commutandas regiminis, agendarumque rerum conditiones, aliaque via incedendum: adve-*

(a) *Intellige* Civitatum.
(b) *Fortè* iere.
(c) *Lege* defessa *Villanus*.
(d) *Cod. Est. & Ambr.* Mossa.

(e) *Fortè desideratur* quod *hoc loco*, *præponendum voci* itidem.

NOTÆ AD RUBRICAM XX.

(a) *Pro* Nonnullaque dissidia.

Digitized by Google

advenisse tempus, quo singularium Principatus iis in bellis, ut Veronæ, Mantuæ, Parmæ, Mediolani, & aliorum, tutiùs salubriùsque Urbes tutarentur: in apertum hæc omnia videri: non aliter iis providendum angustiis, quàm ex se ipsis uni omnem potentatum, viresque tribuere, cui pareant: extremum hoc vivendi remedium exhausta omnibus viribus Urbe; se se illi, quàm Cani, aut Passarino minori discrimine parituros, nec ultra hoc, nisi mortes, aut exilia instare. E contra diversis studiis alia magnorum Civium factio alia irruminabat, vulgabatque. *Exterorum dominia, quàm suorum malle, si ad id cogat infesta necessitas; cùm tamen adhuc restet vivendi, tuendique Urbem Cremonensi Communitati consilium. Consultum, provisumque fuisse hactenus Urbi salubrius, si nullus ad Urbis aspirasset Dominium, cui quidem non affuisset defendendi segnities. Hujus ambitus causâ ad hanc malorum molem Civitatem devenisse flammis exurendam,* (b) *quàm in Tyrannidem cujuspiam ipsa deveniat.* Lis hæc, quanto fortiùs Cremonenses ab hostibus vexabantur, tanto infestiùs increbuit. Dum per Nonas Septembris invalescens Plebis rumor ad Jacobi Cavalcabovis nomen voces edidit, factionique Jacobi in Commune Prætorium ad ejusdem nominationem ausus præbuit. Nec jam cuiquam fas in adversum contendere, metu pervenientis ultro ad actum rei, ne plebejus furor violentiùs insævisset. Cùm demum concione evocata per Patres facetis Oratorum præconiis adductus multo cœtu in atrium Jacobus, Dominus Urbis assensu (c) Communis Populi pronuntiatus est; decretaque jurisdictio omnium agendorum, *vivereque, ac bene prosperari*; conclamatum. Jacobus jugum tanti oneris, ut molestatus, subiturum supplici voce despondit, gratius illi fore in Urbe sua, ut (d) privatus, degisse; Plebis tamen, Patrumque consiliis, si præsideat, omnia dispositurum. At factionis alterius Primores, quorum Princeps Ponzinus de Ponzonibus, seu Dominatoris metu, cui se Ponzinus nonnullis simultatibus exosum supputabat, seu supra se exortæ Tyrannidis impatientia, per subsequentis noctis silentia egressi Urbe ad Castra se se proripuere. Quos libentes excepere Municipes, Suncini scilicet, Puteiguitonis, (e) Zovenoltæ, & Castrileonis. His manè conterrita Urbs, tantorum Civium absentia deformis, horrendo casu anceps, miserabili discrimine contristata est. Tunc evocatis in Curiam Patribus, Jacobus diu exquisita consultatione decrevit, sevocandos è Municipiis Cives, cavendumque illis communi sponsione, ut in tuto veniant, disponant ipsi pro libitu, quas pro sui tutela conditiones exoptent, illas Jacobum ratas habiturum, ac per socias vices unà, comiterque de rebus communibus provisurum. Iis Legationibus ægrè conciliati subsedere responsis. *Non* (f) . . . . . *adjiciat Dilecta ac Veneranda Communitas, ut se ab Urbi sinu pro communis boni abrogatione distraxerint; sed mortem ultimum terribilium evitasse periculum. Formidolosum eis singulis Viri dominium libertate quidem semper fretis in Urbe; Non nisi pro evitanda servitute constantiùs pugnasse cum hostibus. Nulli fiduciæ locum fore eis, dum oppressâ Republicâ acutus supra vertices gladius emineat singularis. Se sinant* (g) *iis Municipiis, ut vita exutos, & sepulcris abjectos.* Per has angustias contumacium Civium identidem Mensibus ferme VI. ægra, & cujusque boni exspers Cremona pependit. Cùm demum rebus sic vacillantibus (h) compassus Gibertus de Corrigia cum CC. militum cohorte, accersitusque ab Jacobo, & Civibus Cremonam advênit. Ubi fiducialiter acceptus componendarum rerum Jacobi, omniumque applausibus potestatem accepit. Rebus nullo alio medio sedandis, cedente ultro Jacobo Dominio, ipse Gibertus Urbis Dominus publica Concione pronuntiatus est. Ad cujus fidem continuò Ponzinus, ac reliqui, jurata cum Jacobo indissolubili pace (sic agente, volenteque Giberto) in Urbem reintegrati sunt, nonnullis sponsalibus magna Populi frequentia & alacritate contractis.

(b) *Desideratur* potiùs, *vel* ante.
(c) *Fortè* Communi.
(d) *Meliùs* uti privatum.
(e) *Aliter* Jovenoltæ.
(f) *Nihil videtur deesse.*
(g) *Pro* iis in municipiis.
(h) *Meliùs hoc ordine*: compassus Gibertus de Corrigia, accersitusque ab Jacobo, & Civibus cum CC. militum cohorte Cremonam advenit.

RUBRICA XXI.

Pulsio Gibolengorum è Brixia.

Civitas Brixiæ post Henrici Cæsaris interitum consistens in publicum, duarum tamen factionum latentibus odiis succensa, in dies exagitabatur. Cùm tamdem aucta utrorumque simultate neutri Parti ulteriùs, nisi extrema expectata sui clade dissimulasse visum est. (a) Episcopus siquidem Brixiensis cum patre, & fratribus, suisque complicibus à Cane Grandi, & (b) Passarino Mantuano fovebantur. Conradus de Falconeriis autem, Ricardus de Ugonibus, G. de Bruxiadis, Ubertinus de Sala cum ceteris alterius factionis mutuis pollicitationibus conspirabant cum Jacobo Cavalcabovo Cremonensium Dominatore. Tamque Partibus iis æquæ vires intra Urbem erant, ut commiscendarum manuum discrimen subire absque exterorum suffragio tutum consilium (c) neutrius foret. At denique rebus ex verisimilitudine successuum utrinque appetentibus, Conradus cum suis Canem Grandem frequentibus alloquiis cum Passarino coisse præsentiens, suspicione concepta, ad gerendarum rerum opportunitatem laxavit intentum, celerique expeditione accersitos Jacobum Cavalcabovem, ac Simonem della Turre cum ea militia, quæ Cremonæ erat, ad se adventare noctu constituit, rerumque conscios in Urbis sinu in armis præsto esse præmonuit. Nec non amicos sibi Riperiæ (1) lacus (d) Guardæ incolas de die atque hora clanculum edocuit. Dum pridie Febr. Kalendas prima noctis vigilia hæc omnia eventum sortita sunt. Jacobus siquidem Cavalcabò cum Simone della Turre, & cohorte Cremonensium intra portas acceptus est. Confestim admoto tumultu Civitas undique conterrita, clamorque ingens sublatus est. Tunc Episcopus cum patre, patruisque ad arma prosiluit, veloxque evocatis Subsidiariis quàcumque valuit, aciem in forum eduxit. Tumultuaria, incertaque ob noctis tenebras pugna committitur,

NOTÆ AD RUBRICAM XXI.

(a) *Fuit is* Federicus Madius. *Osius.*
(b) *In V.* Passarino, & Mantuano.
(c) *Cod. Est. & Ambr.* neutri.
(1) Dixi alibi *Riperiam*, si scribas, esse glossam; si *Ripariam*, semilatinum. *Villanus.*
(d) *Aliis* Gardæ.

Digitized by Google

tur, occupatâque fori plateâ Jacobus Cavalcabò violenta impulsione repressus est. Anceps hoc fuerat intra Urbem certamen, nesciis Plebejorum multis, cui adhæsisset Parti, nec ante alterutrius favorem (e) procurrentibus, quàm fortunæ vultum præstolarentur. Sed ecce Ductores Accolarum Riperiæ Avanzinus de Maërlo, Fedriginus de Philomenis de Salò, ac Franciscus de Lorengo de Gargnano Urbem ingressi cum peditum oræ ejusdem circiter IV. Millibus ingenti clamore Urbem atterruere: *Moriantur Madii* una voce conclamantes, vique magna in plateam erumpentes. Sicque unus idemque Jacobi Cavalcabò, ac Simonis cum Riperiensibus impetus plateas accepit, simulque omnis Urbs in mortem Madiorum voces extulit. Solam itaque suam, suorumque fugam Episcopus meditatus est, concitoque sonipede ad Sancti Nazarii portam excurrit, ubi multi suorum præcipites in foveis occubuere, multi relictis, exutisque armis per eundem callem salutem quæsivere. Episcopus ad Rochafrancæ Castellum confugit. Quicumque Madiorum partes tenuerant, desperatis rebus, antequam illucesceret, quòcumque fors obtulit, diffugierunt. Multos intestinæ Civium inimicitiæ in suis ædibus peremerunt. Nonnulli ab insequentibus Corradino de Confaloneriis, & Partis suæ Primoribus capti sunt. Inter quos Bartholus de Madiis Episcopi Pater, Baldoinus de Ugonibus, Henriginus de Tangetinis, & Manfredus Chizola. Mane summo pacatis tumultibus, interdicta cæde, & momentis reliquis, Urbs in Partem Gelfam multis præconiis conciliata est. Jacobus Cavalcabò, tum & Simon della Turre cum beneficis Cremonensibus pro Concione laudati. Riperiensibus, singulisque, quos exercitia rerum extulerant, grates actæ. Moxque acceptâ licentiâ, ne quid sinistri ab hostibus Cane, & Passarino Civitas Cremonæ susciperet, Jacobus, & Simon cum suis sub celeritate regressi sunt. Acta hæc Anno, XVI. Februarii Kalendis Anni Millesimi Trecentesimi.

RUBRICA XXII.

Rebellatio Marantii cum Cremensibus.

MEnse Aprili suspectum sibi Marantium Guinzonem Cremensem, ut cum exulibus Gelfis novas res pertentaret, ad se Maphæus Vicecomes accersiit, custoditumque Mediolani diebus circiter XXX. tenuit, remissumque fiducialiter res Cremenses agere imperavit. Saucius in præcordiis Maphæi diffidentia, accusatorumque, qui ex necessariis ejus erant, injuria Marantius VIII. ex eisdem securi percussit, plerosque relegavit, & Mercenariis Maphæi licentiatis sibi potentatum tenuit.

(e) *Fortè* procurantibus, *vel* ad alterutrius favorem procurrentibus.
MS. Ambr. præcurrentibus.

RUBRICA XXIII.

Pulsio Marantii, & ingressus Succini Benzonis in Cremam.

NOn ultra mensium VII. intercapedinem improvisus Marantius seditione Terrigenarum Urbe pellitur. Insignis, memorandaque seditio hæc. Pueris duobus uno ferme pubere, altero impubere Turris, portæ ejus, quæ Suncinum vehit, custodiæ nocturnæ (a) constitutum in mentes vênit, si Suncinum Benzonem olim Venturini Benzonis filium cum ceteris Gelfis (Gelforum enim factionem optabant Pueri ii) in Urbem traducere possent. Urbem enim binis vallatam muris fluvius ambibat medius, atque secus Turris hujus marginem in fluento molendinum erat, lembusque molendino deserviens, muroque citeriori patebat portula, qua vectores tritici ad molendinum conferebantur. Præmetiti quid in facinus, convenere, ut in octavam diem futuram, qua illis obtingens alternabatur custodia, agendæ rei nullus deesset effectus. Noctu quidem insequenti, dum in ædes suas uterque incessisset, horum alter major natu Suncinum Cremonensium Castrum permeavit, ubi Suncinum Benzonem Cremonensem Gelforum Primatem allocutus est, contrectatamque introductionem detexit, similem veri indaginem concipiens. Suncinus cum sociorum Gelforum paucis fiducia veri similis successus rem aggredi cum Puero conjuratus est. Constituta nocte, pueris in Turrim ad custodiam locatis, Suncinus cum suis, erectis ad primum murum scalis, alternisque intro secus fluvii ripam summissis, lembo parato insiliens, in molendinum migravit, & traductis viritim sociis circiter C. per portulam Molendinariam Urbem ingressus est, condescendentibus & reliquis. Utque jam Aurora illucescente exhortandam Urbem Suncino visum est, in forum progressus, Suncinum, & Gelfos vivere acclamari jussit. Conterriti Cremenses arma quærere, quisnam rumor hic esset, per nuntios exquirere, equos parare tremescentes. Neve maturiùs, (b) ad forum, quàm .... (c) stetere ancipites. At expositis, missisque in plateas Suncini, Gelforumque vexillis, Suncinoque ipso agnito, ferme omnes ad Suncinum se se contulere. Marantius rerum omnium diffisus, adductisque secum clavigeris ad eamdem seditionis portam profugus traxit, ab hostibus portæ propinquis incognitus, ac si amicus foret, portam recludere permissus est, idemque ceteris hostibus ingressum patefaciens, illæsus aufugit, Civitasque in Gelforum partem concessit.

NOTÆ AD RUBRICAM XXIII.
(a) *Fortè* constitutis.
(b) *Videtur intelligendum* accurrissent.
(c) *Fortè desideratur* par esset.

Albertini Mussati de Gestis Italicorum post Henricum VII. Cæsarem Liber Septimus feliciter explicit.

ALBER-

Digitized by Google

ALBERTINI MUSSATI
DE GESTIS ITALICORUM
POST HENRICUM SEPTIMUM CÆSAREM
LIBER OCTAVUS,
SEU
Fragmentum de captione Montis Silicis.

PEr exulum Paduanorum, complicium-
A que intrinſecorum factionem (a) di-
rexit intentum, paulò hæſitans, ſi id
aſſecutus fuerit, ſe ſe Padua potitu-
rum. Mons Silex Oppidum eſt in pro-
montorio, quod ab Euganeis montibus fluvio
dividente ſemotum vergit ad Oriens, circùm
radices Montis ferme mille incolis cultum, ur-
banis domibus ornatum, opulentiſſimum. Cujus
apex inacceſſibilem Arcem ob exeſas rupes in
altum erigit, aditu laborioſo, antiquorum ope-
re in Arcem (b) aſtructo. Ab Auſtro Terra
Eſtenſis olim Principatus cum adjacentibus Co-
loniis Melidino, Caſali, Saleto, Urbana, &
Montagnana Municipio Paduanorum fortiſſimo,
à quo in omnes Veronenſium agros erat exitus
Paduanis. Ab Occidenti omnis Euganea, Mon-
tes ſcilicet fœcundiſſimi, vinearum culti palmi-
tibus, oleo vinoque fertilibus (c) cum ædibus
Palatiiſque Paduanorum numeroſis, ac villis opu-
lentiſſimis. Ab Oriente patens Inſula Capitis
Silvæ cum Pernumia, Tribano, Carraria, &
Coloniis, quantas cis Mare Adriaticum cingit
Atex. Ab Aquilone Paduana Civitas cum ap-
pendenti Villarum planicie, & interſecante (d)
Brintha, Plebatu Sacci cum Pagis latiſſimis, di-
tiſſimiſque in Tarviſinum diſtrictum cohærenti-
bus. Et horum omnium Mons Silex janua eſt,
& limes, cui circùm cremare, depopulari, va-
ſtare, demoliri à prima Mundi compage natura
dedit imperium. Oppidum hoc in tantarum di-
vitiarum columen, tantæ tutelæ ſalutiſque cly-
peum per hæc tempora miſeri & deſidioſi Pa-
duani tanto in diſcrimine, ut omni pace freti,
ceteris Municipiis omni ſolertia cuſtoditis ne-
glexere, uti Deo, humaniſque circumſpectioni-
bus derelicti. Quos ea tempeſtate (ne quid con-
ſequens futuræ calamitati defuerit) obvenit Se-
mivirum corpore, moribus impudentibus, ava-
ritia pluſquam Paduana Breſſanum nomine de
Buzacharinis deligere Poteſtatem, cujus ſocordia
ignaviaque exortus, effectuſque eſt rerum Pa-
duanarum interitus. Canis ergo hujus potiundi
Oppidi vicum, (e) affectuque ſolerti, pauciſ-
ſimis factioni adhibitis, virum unum origine Ve-
ronenſem ex antiquis ob partem Comitis Sancti
Bonifacii extorribus, ſpiritu tamen & animo
Gibolengum: ſed diſſimulatorem per temporum
viciſſitudines, doloſum utique & factioſum, di-
A lectum admodum à Comite Vinciguerra, quem
vir hic aſtu, quàm amore coluerat, ex conſulto
Canis accerſiri jubet. Nomen huic Machomet,
quod ab Arabico ſumtum Latini Maconum pro-
nuntiant. Caupo hic erat hoſpitum acceptor,
qui Balnearum naturalium lavacra frequenta-
bant, ſecus fluvii marginem Balneis oppoſitam
has officinas exercens, tribus ferme paſſuum
millibus ab Monte Silice. Hunc fide data, de-
penſaque affluenti mercede ſibi conjuravit, Ugu-
tionis de Fagiola ſuffultus ingenio, cui denique
& nonnullis Paduanis exulibus rem contrectan-
dam bellicis plus actibus deditus, quàm factio-
ſis alloquiis commiſit. Erat Machomet cum
B Monſilicanis Gibolengis fiducia ingens, & fa-
ctioſorum notitia ut eos agnoſcere, cum queis
tanta in re conſpirandum foret, cumque eis exa-
men intercidit, poſſet ne ea porta Genti Canis
aperiri, tradique, qua ab Occidenti ex Oppido
in Montem Vinearum exitur, quem Montem
Richum accolæ vocitant. Imperceptibilis ſiqui-
dem acceſſus ille, cùm nec ſimile veri quiſquam
extimaſſet acies militum, peditumve numeroſas
catervas poſſe inde tantis auſibus permeaſſe, per
quos quidem meatus pleriſque locis non plures,
quàm vir unus ſingillatim (f) valeret. Sed quia
magnis abſque diſcriminibus vix umquam ardua
C patrantur negotia, magnanimus ad id Ugutio
ſpem direxit. Magna igitur mercede promiſſa,
fideque juramento data, acceptaque, quæſiit
aliquot dierum inducias Machomet, quorum in-
tervallo ſibi viros rei hujuſce utiles factioſoſque
ex pertinacibus Gibolengis pretio, precibus,
polli itis, ac quibuſque inductionibus aſſiſtat.
Hic ad ædem Balnearum rediens, multa ſecum
recogitans, qualiter quibuſque complicibus hæc
(g) exordirentur, ad virum unum pertinaciſſi-
mæ ſuperſtitionis Gibolengæ natum, & alitum
Paduanum, Varetum nomine, quem ſui ſimilem
ſimulandorum morem, & vitæ cum Gelſis agno-
verat, intentum direxit, adſtrictumque obnixis
D juramentis, quidnam illis de mutando Paduæ
ſtatu in Gibolengam dominationem videretur,
(h) degradatimque illo ad votum ſuum ſolido
deducto propoſito deſcendit ad facinoris ſpeciem,
remque optimam gerendam inſtinctu lacrymoſo
utriuſque, idem zelantes affectu conſtituere, ter-
tiumque ſibi comparem optione utriuſque, Preſ-
byterum ſcilicet Carrarienſis Eccleſiæ, conjura-
tum

(a) *Deſunt nonnulla* Canem Grandem *intelligit*.
(b) *Fortè* extructo.
(c) *Lego* fertiles; *palmes enim non dicitur de olivis.* Villanus.
(d) *Vulgò hodie, & alibi* Brenta.
(e) *Deſideratur* ſtudio.
(f) *Intelligitur* permeare.
(g) *Meliùs* exordiretur.
(h) *Aliquid hic planè deſideratur, puta*, rogavit.

Digitized by Google

tum pariter habuere. Horum trium opere multifariam, diuque exquisito examinatoque frequentibus diurnis nocturnisque itineribus, & familiaritatibus in Monte Silice cum Bressano prænominato rerum omnium ignaro, parumque de contingere potentibus pensi habente, oblectationibus, ludisque alearum, quàm curæ, custodiæve intendente in scurrilitatibus, seriisque cum illo, ac comessationibus sæpiùs pernoctabant. Dum accedente faciundi operis tempore alios sibi complices ipsi (i) quæsierant, cum quibus & ipsi vagabundi post horas dierum actas per tabernas fictis jocorum simulationibus insistebant, nec ob aliud, nisi ut singulis horis, quid circa ejus portæ custodiam, cujus mentio habita est, servaretur, quive, qualesve, quotque custodes, quibus muniti armis, ac qualiter custodiæ residerent. Iis omnibus facilè cognitis, de introducendis intro hostibus parùm hæsitantes, nunc unus, nunc alter, (K) altero semper ad coordinandos, disponendos expediendæ rei necessarios actus ad Ugutionem Vicentiam frequentabant. Sed proh fallibilis sensus humani excogitatio, sicut Poeta ait

Nescia mens hominum fati, sortisque futuræ!

Enim verò increbescente per Urbem Paduanam (l) magnum parari Civitati, lethaleque exitium, auctis per singula Municipia præsidiis, nusquam Monti Silici cavere decretum est. Advenit ergo dies Paduanis infelicissima, videlicet vigilia Beati Thomæ Apostoli, quam lethalis nox hostibus accommodata præcessit, per cujus silentium Canis Grandis, distinctis prima vigilia peditum militumque manipulis, Vicentia per Bericam portam egressus, per Pontem Custodiæ trajecto flumine Bachilionis, juga Euganeorum Montium celeri gressu conscendit, perque illa proditoribus præviis gnaris collium & locorum Arquadam transiliens, permeatis callibus arctissimis, in radicibus Montis Richi patente nulla oppugnatione Porta, paucis nequidquam reluctantibus occisis, in Montem Silicem ingressus est. Mane autem rutilante Aurora apparuere (m) Turribus Scalæ, ignibus gaudentium Canis, & suorum luculenter incensis, perque Colonias vicinas vox instrepuit, Canem Montem Silicem tenere. Velox fama, nuntiique sequentes Civitatem excitant. Ad Potestatem in equabus Ruricolarum Decani nova deferunt tubas audisse, vexilla vidisse, profugos è Monte Silice inermes, nudos nonnullos exisse contestati, Canem ipsum vidisse, jam Urbi timendum esse. Tacto igitur Communi de more tintinnabulo, auditis per Urbem formidabilibus ictibus, famaque, & nuntiis frequenter, captum Montem Silicem nuntiantibus, ad arma concurritur; undique tremor, undique fremitus, ad plateas exitur. Potestatem jam ante lucem ad Pratum Vallis equitantem sub Insigni Communi subsequuntur exanimes Cives, Milites, Peditesque. Dum lucescente Cœlo vicino Solis ortu se unusquisque cernit, alter alterum pulsat, rogat, continuòque capti Montis Silicis veritas singulis innotuit. Pars celeri cursu illò coëquitandum calido suadet instinctu, asserens quidem solitos eos, qui alienas vi, vel fraude terras ingrediuntur, trepidos, pavidosque, si hostium resistentiam videant, ad (n) fugam præcipites: Pars sufficere tanto in discrimine mœnia conservare: non hoc perparum esse: tempus nunc instare, ut nunc magis consilio, quàm viribus opus (o) esse. Communi ergo assensu in Urbem reditum est, positisque armis Senatus habitus. Multis hoc anfractu tanti ponderis variè consulentibus, ex tantorum numero deligi paucos decretum, qui agenda quæque decernant, nec non exequantur. Permultis igitur trutinatis, diuque discussis, nil fore remedii judicatum, visumque est, quo Cani inhibeatur, quin obtentu capti Montis Silicis cum majoribus viribus copiisque campos obtineat; quin omnes Insulæ Capitis Silvæ (p) Coloniæ usque ad Bovolentæ flumen, quod ab inde Brintham vocant, suæ ditioni subdantur. Satis esse, si Plebatus Sacci, quem Brintha ab Insula Capitis Silvæ dividit, defendatur, ibique insistendum. Estensibus, ut fortes constantesque Terram suam tueantur, mandandum esse. Viros esse, quales præteritorum temporum experientia edocuit. Canem in Monte Silice residere non posse diutiùs. Damno esse sibi, non frugi accepisse, quæ retinere non valeat. Subitò provisuros Paduanos de militum sociorumque copiis conquirendis, subsidiis destinandis. Iisdem literis, nuntiisque exhortandos Montagnanæ, Castri Baldi, Rhodigiique Potestates, & Incolas, & qui præsidiis illis erant. Subinde Legatos Tarvisium mittendos, qui periculum imminens suæ Civitati proponant, commune hoc bellum illis declarent; Canem consequenter, si Padua potiretur, ad suæ Urbis tyrannidem intendere; Arma præsto capiant, succurrant, ad tutelam Paduæ properent; Nunc nec desidiæ, nec socordiæ opus fore. Intereaque cohortes militum, peditumque in Plebatum Sacci mitti; ripas fluminis cum fossoribus iniquas hostibus fieri; obicibus, arboribus vallari; pontes dejici; custodiæ Civitatis instari, vigilare. Insuper ex elegantioribus Viris Urbis acceptioribus Parti Gelfæ ad Fratres Bononienses, Florentinos, Senensesque velociter (q) dirigi, quæsituros, ut se adjuvent, communemque hunc hostem futurum toti Parti Gelfæ, seu Sanctæ Ecclesiæ exterminium, si Padua potiretur, propulsent, retundantque. Iis consiliis, exercitiis auxilia Dei parari. Omnibus ergo his ex Primorum decreto stabilitis, Senatusque consulto firmatis, ad actus executionesque summis studiis intendere. Extemplo Tisonem de Torculis, & Albertinum Mussatum Florentiam, Bononiam, atque Senas pro iis impetrandis proficisci jusserunt. Qui, non patente aliunde tuto gressu, in Clugiam migrantes per Mediterraneum mare, quo in Romandiam navigatur, laborioso itinere tamdem Bononiam se transtulere. Dum hæc Paduæ geruntur, Canis, Ugutioque non remissi Terram Montis Silicis munire foveis latissimis, aggeribus in excelsum levatis, vallisque sublimibus circuire, turribus propugnaculis per singulas loci custodias struere, Coloniarum vicinarum incolis numerosis ad opera coactis, quos sibi parêre acceptis Scalarum insigniis (r). Jussa exequentibus frequenti studio curare, intendere, vigilare, ne expugnandæ Terræ ullis viribus, vel ingeniis quibusque mortalibus spes esset. Nec eo minùs æris, pecuniarumque à Colonis magnas summas extorquere, quorum ædes substantiasque non depopulabantur ferro, rap-

(i) *Meliùs* quæsierunt.
(K) *Adde* relicto.
(l) *Desideratur sinè dubio* rumore, *vel* fama.
(m) *Meliùs* in Turribus.
(n) *Desideratur* esse.

(o) *Fortè* esse, *pro* esset.
(p) *Malè* Colonias *in MS.*
(q) *Intellige* aliquos.
(r) *Adderem* non ignorabat, *vel quid simile.*

Digitized by Google

raptu, vel ignibus. Collectas, coëmtionesque Veronensibus, ac Vicentinis imponere, auri magna pondera aggregare, ut per Alemanniæ fines Mercenarios milites sibi conquirat. Amicos omnes Longobardos ab Mediolano in Veronam usque, Henricum Carentanum Boëmiæ Regem, Henricumque Goriciæ Comitem in hujus suæ victoriæ cursum accersere, per cujus optatam sperandamque consummationem (f) subactæ Paduæ, nil dominatui magnificentiæque suæ usque in mare Adriaticum deesse. Post quæ & majora consecuturum non ab re autumabat. Utque circùm Montem Silicem à meridie per Paduanorum Castra, & Terras, quæ in Veronenses torquentur fines, nil obstet, quod suo non prematur obsequio, ad Montagnanam Castrum Paduanorum fortissimum, à quo in fines Veronenses Paduanis ad depopulandos Canis agros solitus erat exitus, Bailardinum de Nogarolis militem strenuum, fidumque transmisit, ab Capitaneo loci absque vi Oppidum potiturum. Erat fortè eo in Mani ipio inexpugnabili, omniumque rerum ad victum copiosissimo, Potestatis vices obtinens Vir unus ad Terram tutandam, quæ sollicitudinem viribus audaciaque virili exposcat, inhabilis. Erat equidem talis, qualis ea tempestate vitio communi (t) legabantur in Civitate, quos non tutæ custodiæ, justique regiminis causa, sed quæstus, ditandique Municipum jacturis corruptissimos diligere usus erat, ne quid calamitatis ruituræ Communitati deficeret, Antonius Judex Filarolus sic cognominatus à Patre, Plebejus, qui omnis roboris humanæ virtutis expers, nullius tutelæ, sed ignominiosæ fugæ intentus, falsis astutiis proditis militibus mercenariis provincialis generis ex Oppido secum tractis, trans Aticem ad Abbatiam fugiens, Castrum vacuum Municipibus dereliquit, qui mox ad Dominum Canem à Paduanis defecere. Nova de Montis Silicis (u) defectione Paduam relata tremorem metumque Paduanis incussere, cùm & aliam præter hæc de Rhodigio advenientes nuntii attulissent, quòd scilicet Gusbertus de Capite-Vaccæ Rhodigii pro Paduanis Potestas, audita Montis Silicis captione, novitate rei confusus Canem per super Aticem volitare, seque insequi terrarum omnium Dominatorem visum adeò pertimuisset, ac si terræ Rhodigii adesset victor, seque trucidandum mox jussisset, Palatio suo, quo præsidatum tenebat, continuò profugisse, insigniisque Paduanæ Communitatis complicatis, & in Athesim amnem jactis, ut hoste terga insequente, ad Caput-Aggeris Venetorum Oppidum confugerit, cujus fugæ Rainaldus, & Opizo Marchiones Estenses occasione captata Terram, Castrumque Rhodigii, (ut asserebant) in Commune Paduæ servandum occupavere. Capti Montis Silicis fama terribilis Tarvisii nuntiata tantæ Tarvisinis formidini fuit, ac si captâ Paduâ suis mœniis Canis instaret. Legatorum Paduanorum adventu ad Commune Consilium magna accurrentes frequentia, audientiâ præstitâ, auditaque clade ingenti non modò patratæ Montis Silicis captionis, sed subactorum Rurium, apparatusque ad ampliora magnifici, terrore incredibili affecti, Paduanis non deesse constituêre, repentino militum

A peditumque subsidio parando, destinandoque Paduam intenti, studiosè mittentes, nullo moræ dispendio Civitatem Tarvisii munire, circumvallare, sedulò custodire, frumenta, vina, Ruralium supellectilia, & quæque humanæ vitæ, & esui necessaria intra mœnia deferre, communi bello intendere. Ex seipsis continuò milites CC. peditesque DCCC. ex suis Coloniis delectos sub strenuis Ducibus Paduam, licentiatis Legatis, summisere. Insuper ex insignibus Tarvisinis ultro venere Illustris miles Rambaldus de Colle-Alto Tarvisii Comes cum singulari sociorum equestrium pedestriumque comitiva. Is inter Marchiæ singulares eo tempore virtute, moribus, ac probitatis integritate pollebat. (x)

B Vecillo Advocatus Tarvisii altæ nobilitatis & indolis. Talbertus Calza, Bernardinus de Caseno, Petrus della Parte, Altinerius de Azonibus, altaque ferè omnis Tarvisinorum nobilitas suis sumtibus Paduam venientes belli hujus compotes fuere. Canis exuberantis undique victoriæ cursu, nil, quod Fortuna sumministret, abjiciens, Monte Silice egressus ad Terram Estensem invadendam instructis aciebus militum peditumque catervis Monsilicanis ad eam expeditionem odio antiquo non segnibus, Terram circumobsedit, invaditque Estenses. Hortante Antonio de Contarinis plebejo Paduano eorum Potestate, boni viri opera agente, Vallo assistentes fundis, ballistis, sudibus, ignibus,

C aquis ferventibus insultum excipiunt. Canina gens Domini exhortata præsentiâ, spretis periculis in foveas insiliens, gladiorumque innixa fulcimentis, aggeribus inhærens, excussis bipennibus sternendo Vallo insistunt. Satagunt Estenses desuper, lanceas, sudes, glandes, ignes jaciunt, sternunt hostes, in foveas detrudunt, dum vesper Solem declinaret, defessisque Canis gentibus ab oppugnatione (y) desisteret, Cane hac repulsa in se ipsum insæviente, remissam, fessamque Fortunam arguente: sed Estensibus victoriam concinentibus, Canique exprobantibus, quòd se, ut Montagnanenses, Monsilicanosque putaverit, qui seditionibus, calamitatibusque suis se se suæ ditioni commiserint. Infrendens Canis in Montem Silicem secedens, noctu consilio exquisito in diem sequentem oppugnationem constituit, nil actum putans Montis Silicis obtentu, in quo se obsessum stante Est existimabat. Rutilante itaque aurora cum cratibus, tormentisque omnis generis, ordinatis peditum, militumque centuriis ad Est rediit Terram ea parte, quæ Montem Silicem respicit, aggressus. Ipseque, ut ex consulto meditatus est, Estensibus ad Terræ tutelam intentis ad eam partem, quæ fovea exesæ rupis montem ab Aquilone separat, graditur, milites Germanos descendere jubet, ipseque pedes certamini se offert. Conterriti Estenses duplici afflictu se se dividunt, pars à primis locis divulsa ad locum superiorem instantis certaminis, (z) quadiu, sed nequidquam, reluctante, Canis cum Germanis in Terram irrupit, strenui Ducis functus officio. Utque ex diversis propugnaculis audiere, videreque, qui Vallis instabant, ab tergo hostes per Terram . . . . . .

Reliqua desiderantur.

(f) *Melius* subacta Padua.
(t) *Longè melius* legebantur.
(u) *Lege* Montagnanæ *Villanus*.
(x) *Alibi* Veceli, *præsertim Rub. XI. lib. VI. de Gestis Henrici VII. Cæsaris*.
(y) *Melius* desisterent, *ut ad Estenses referatur id verbi, non ad Vesperum*. Osius.
Si legis desisteret, *potest referri ad Canem, cujus partes erant ab oppugnatione desistere. Defensores enim dicuntur propugnare; veveror tamen Sapientissimum Scholiasten*. Villanus.
(z) *Videtur abesse* se confert.

Albertini Mussati de Gestis Italicorum post Henricum VII. Cæs. Liber VIII. explicit.

Digitized by Google

ALBERTINI MUSSATI
DE GESTIS ITALICORUM
POST HENRICUM SEPTIMUM CÆSAREM,
SEU
De obsidione Domini Canis Grandis de Verona circa mœnia Paduanæ Civitatis, & conflictu ejus.

LIBER NONUS. (*)

PROLOGUS (**)

Ad Notariorum Patavinorum Palatinam Societatem.

PErcontamini me frequens, importuniùs, quàm opportuniùs instans, Notariorum Palatina Societas, jam sepositа in literas exitia nostræ Urbis, quæ in illam divinis humanisque favoribus per hæc tempora intulit Canis Grandis, quæ & post versis fatis versa sunt contrariis successibus in Auctorem, ad vestrum Civiumque solatium in quempiam metricum transferre concentum, hoc postulationi vestræ subjicientes, ut & illud quodcumque sit metrum, non altum, non tragœdum, sed molle & Vulgi intellectioni propinquum sonet eloquium, quo altiùs edoctis nostra stilo eminentiore deserviret Historia, essetque metricum hoc demissum sub Camœna leniore Notariis, & quibusque Clericulis blandimentum. Plurimum enim unumquemque delectat, quod intelligit, respuitque fastidiens, quod non apprehendit. Illud quoque Catonis, qui de moribus censuit, in exemplum adducitis, quod L. Annæo Senecæ imputatur Opusculum. Quod quia planè grammate vulgari idiomati ferè simillimum sanctiores sententias ediderit, suaves popularium auribus inculcavit applausus. Et solere etiam inquitis amplissima Regum Ducumque gesta, quò se Vulgi intelligentiis conferant, pedum, syllabarumque mensuris variis linguis in vulgares traduci sermones, & in Theatris, & Pulpitis cantilenarum modulatione proferri. Nihil ergo recusandum disponens, quod vestra deposcat amica suasio, Fratribus meis annuens, quà licet, & sciero, Heroico usus metro, exigente materia populariter morem geram rudis ego cum rudibus.

INVOCATIO.

INvictum Populum, formidatumque per omnem
Italiam Clio quovis Soror inclyta cantu
Ede Virum, nec te non æqua voce sequentem
Dedignare Chelyn. Sacrorum tempora Vatum
Præteriere, modis nunc nostra minoribus Ætas
Admittit tenerum leni (a) modulamine Carmen.

PROPOSITIO.

Te prodente canam seclo memoranda perenni.
Prœlia, quæ Patavæ Magnus Canis intulit Urbi.
Virtutem obsessi Populi, durosque labores:
Germanasque acies, & pulsum mœnibus Hostem.
Postquam castra Canis Patavinam circiter Urbem
Fixerat, æquatis succiso cespite campis,
Ne cursu obstarent, visuve per (b) arva virentes
Arboreæ frondes, neu quis foret exitus Urbi,
Sedulus armatis lustrabat valla maniplis
Casside sub (c) torva, rigidisq; horrendus in armis.
Parebant victi per singula rura Coloni,
A Figentes tectis patulis insignia Scalis,
Atque novo reverenter Hero præstantque favores,
Vocibus infesti patriæ, non mentibus, Urbi.
Mœsta coronato stabat Plebs intima vallo
Exosum spectans animis (d) ferventibus hostem.
Atque aliquis magna fudit lamenta querela,
Antiquis magno referens præsentia questu.
Ah Pater, æterna qui secula nostra revolvis
Lege Deus! Cur sic urgeri mœnibus uni
Decretum est Genti? Recidivane Pergama restant,
In lytus Euganei quæ fixit in arva Timavi
Antenor profugus Phrygiis elapsus ab Oris?
Non sic (præteritis liceat si credere fatis)
Expedit, ut Populus pereat discrimine belli
Iste; sed ut longa compostus pace quiescat.
B In te nostra tamen vox invehat exita questu,
Nobilis Urbs Patavi, natura pinguis, (e) in arvis
Euganeis longæ fundata sub omine pacis,
Condidit à Phrygiis quam Gens erepta ruinis.
Cur sic instabili toties obversa rotatu
Naturam, Sortemque tuam per tempora mutas?
Pinguis alis pleno distentos ubere Cives,
(f) Bona quibus flavæ Cereris alimenta ministras,
La-

(*) *Usi sumus in recensendis, defœcandisque tribus proximè seqq. libb. de obsidione D. Canis &c. Tribus Codd. MSS. Veneto, in quo libri reliqui de Gestis Italicorum post Henricum VII. Cæsarem. Patavino uno magna ex parte mutilo. Patavino altero Anni 1390. ex Bibliotheca Perillustris, & Excellentissimi J. U. D. Antonii Mussati, qui Codex notæ, & fidei melioris. Venetum V. Patavinum Primum. P. Patavinum alterum Mussatorum M. signat.*

(**) *Prologus habetur tantùm in Codice Mussatorum.*

(a) *Cod. Est.* moderamine.

(b) *In V.* ruentes. *In M.* per aura virentes.

(c) *Cod. Est.* curva.

(d) *In M.* ardentibus.

(e) *In M.* & arvis.

(f) *Cod. Est.* Dona.

Digitized by Google

Lacte, & melle fluens, & Bacchi munere largo.
Una ætas simplex, & fraudis nescia vivit
De bene quæsitis lucris, & munere glebæ,
Æqua pace fruens, dum diligit otia pacis,
Defenditque suos sinè vi tutissima fines.
Quippe monent Cives patriæ (g) monimenta ruinæ
Præteritæ, qui dum memores infanda renarrant
Scandala, candentes animos, aususque coërcent.
Dumque Senes vivunt, vivit Respublica: cùmque
Deficiunt, oriens inimica Superbia surgit.
Serpit ab hac Luxus, Fœnusque & dira Cupido
Intuitu longo spatiosos jungere campos
Rure; sed Urbe domos altas extollere Cœlo,
Pingere & ære trabes, aurumque apponere tignis,
Aspernare epulas Patrum, pecudumque legumen
Dicere, vel liquidis assuescere corpora rapis.
Decernunt pingues patinas lactentibus hædis
Instaurare satis melius, teneroque juvenco.
Eunuchos laudant pullos, carnesque ferinas,
Ferculaque ex Arabum spicis condita sapore.
Spernere finitimas Gentes, & malle timeri
Incipiunt, veterumque irrumpere fœdera Patrum,
Atque vetus nullo rescindere fœdus amore.
(h) Tunc locus Invidiæ, furit in præcordia Livor
Divisos acuens studia in contraria Cives,
Et patriam inficiens odio excrescente quietem.
Tum raptim exortæ subeunt in viscera Partes,
Invigilantque Doli, mordentes anxia Curæ
Corda vorant, quæ sæva struant molimina, quæve
Forsan in exosos jaciant nova crimina Cives,
Quò valeant rapidum Vulgus concire furore,
Illaque præcipiti plectenda impingere Plebi.
Credula væ nimium semper Victoribus illa,
Exequitur voces clamantum, atque irruit illo,
Quò vox alta sonat scelus obtestata reorum,
Quos non ulla fides, jurisve evicerit Ordo.
Fit civile nefas commissum examine nullo;
Non nisi sed veri series post acta liquescit.
Heu sero tantum post vulnera pœnitet ire!
Tum Furor, & Rabies, & inevitabile prorsus
Exitium propria se se depellere terra,
Vel sibi vicino Patriam præbere Tyranno.
Deprehensum tamen est semper, quod credula Plebes
Seditione carens graditur per simplicis æqui,
Natura monstrante, vias dictamine sancto:
Fraude tamen Procerum, quę circumventa suorum,
(i) Fisa nimis, patitur sævas indigna ruinas.
Hoc juvat ętatem (K) tantum, quę tempore vivit,
(l) Quod videt affligi, plectique sub ordine primos
Auctores scelerum. Non umquam Regula fallit
Illa, nec à quoquam scelus hoc transivit inultum.
Haud hęc eveniunt umquam sinè strage nocentum.
Si petat exemplum quivis ab origine prima,
Urbs Paduæ magnæ fuerit cum filia Trojæ,
Et Patrem, & Prolem secum delevit adulter
Dardanus. O semper nostrorum causa malorum
Fœmina! Sed nostros reprimant (m) hìc carmina questus.
Nec minus ob Trojam bellis, & fraudibus ustam
Ira Deum pelago reduces delevit Achivos.
Ajax igne poli cecidit percussus Oileus (n),
Immersusque freto satiavit Palladis iram,

A Pars confisa fuga, conspecto lumine falso,
Cautibus allidens Capharei fraude perenita est.
Ingenio miseros hoc circumvenit Achivos
Fraude sua genitor Palamedis fraude necati.
Magnanimum Atridem noctu jugulavit adulter,
Nec lare, nec patria potuit gaudere quiete.
Appulsus propriæ Diomedes cedere terræ
Advena (o) Sicaniam soceri transivit ad Oram.
Nonne pererratum longis amphractibus æquor,
Infandique doli Circes, sævique Cyclopes
Dulichium tenuere Ducem maria omnia circum
Lustrantem: propriam fesso qui numine tamdem,
Non nisi confectus senio, pervenit ad Urbem?
Cur aliquos frustra longo sermone moremur?
Res mansere Asiæ post diruta Pergama nullæ.
B Vile pecus cunctis hodie Gens illa putata est.
Cleonymus (1) Rex Græcorum dilapsus ab undis
Adriacis multa vicina per æquora classe
Invasit Patavos ingenti turbine vicos.
Quem contra egressi Patavina ex Urbe Coloni,
Delevere suis conclusum finibus, altas
Et cepere rates, fugitque per æquora solus.
Mœnibus excelsas secum traxere carinas
Antiqui Troades (2) Patavi. Solemnia nostri
Festa jocis hodie memorant Navalia nautæ
Nota satis (p) nobis Ecerini gesta nefandi,
Civibus ob Patriam dederit quæ præmia primis
Ære datam. (q) Vivunt hęc nostra in secla Nepotes
Videre extinctum reliqua cum prole Tyrannum.
C Nostra resurrexit demum Respublica victrix,
Fert hodie dignas Romana Ecclesia laudes.
Hæc aliquis Vatum tragica deflecta querela
Tradidit Archilocis (3) in parva volumina metris.
Si causas tanti liceat depromere belli,
Cognita cùm fuerint Ecerini facta (r) profani,
Quæ tantùm afflicti vestri videre Parentes:
Non tamen hæ fatis culpæ impendantur iniquis,
Aut nimis accentæ Divini Numinis iræ,
O Patavi: potiùs meritis impingite vestris.
Nam postquam excrevit tantarum copia rerum,
Quas fœcunda dabat tellus, & pontus, & aër:
Continuò mentes inopes opulentia fecit,
Invasitque animos malesuada Superbia vestros,
Spernere finitimas vestro sub climate Gentes,
D Et nullas vestris æquas præsumere vires.
Quæsitam multo censu, magnoque favore,
Pacata vobis Henrici Cæsaris ira,
Deseruit sanctam vestra inconstantia pacem,
Et furor effrenis rupit longa otia vester,
Delevitque Aquilas Mundi communia signa:
Invasitque Canem bellis vicina tenentem
Rura sub Imperii titulo, Regisque favore,
Et ferro, & flammis binas exivit in Urbes.
Sed neque sic omnes in vos convertere culpas,
Quippe velim, vestros vel sic reprehendere motus:
Quin fatear vestra quidquam rationis in ira.
Noverat Henricus, si fas est dicere, Cæsar,
(f) Vos odisse Canem notis rationibus hostem,
Ante parum fuerat cùm capta Vicentia, cæsos
E Ob Cives Paduæ civili fœdere fratres
Tum sibi connexos, captivaque corpora venum
Ære data, & vobis multa feritate perosum.
Vera loqui liceat. Sua per præconia pacem
Cæ-

(g) *In M.* movent. *Idem* momenta.
(h) *In M. & P.* Tum.
(i) *In M.* Fida.
(K) *Idem* tantum quod.
(l) *Idem* Quo.
(m) *Cod. Est.* hæc.
(n) *Dicendum* Oilei. *Villanus.*
(o) *In M.* Sicanam.
(1) Error in quantitate primæ syllabæ verbi, *Cleonymus*, qui tamen excusari vix possit licentia, qua utuntur Poetæ in propriis, reclamante etymo, & canone junctarum vocalium. *Vill.*

(2) *Troades* producit primam, cùm per *o* scribatur Autor corripuit fretus fortasse adjuncta vocali. Si poneres, *Troades* ante, *Antiqui*, constaret sibi quantitas. *Villanus.*
(p) *In M.* vobis.
(q) *Idem* Vivunt hæc in secula nostra Nepotes.
(3) Lege, *Archilochis*, quanquam dicendum fuit, *Archilochiis*, quod hic etiam ferri potuisset, concipiendo in extrema syllaba synæresim. *Villanus.*
(r) *Al.* protervi.
(f) *In M.* Nos.

Digitized by Google

Cæsar in Italiam veniens promiserat Orbi,
Veronæ fuerat jungenda Vicentia terris,
Ut pax sancta foret, populique in pace manerent.
Haud aliter fieri poterat, nisi judicis hujus
Sub Canis imberbis sceptro, qui noverat usum
Pacis in his (t) oris, cùm nemo quietior illo.
Nempe auctore Deo rerum dignissimus Ordo
Adveniens æquè superis descendit ab astris.
Non aliter (u) vestros potuit sedare furores.
Vestra quidem dignis mulctavit crimina pœnis.
Atq; etiam jam nunc (ut bella externa sinamus)
Intima quis referat solo fœdissima dictu,
Deteriora quibus nonnumquam viderat ætas.
Indiga nullius fuit intestina Tyranni
Impietas, sævos movit quæ dira Potentes
In proprios Cives stolidum concire Popellum,
Ordine nonnullo communia rumpere jura,
Et venale forum socio fœdare cruore,
Plebsque nimis vanas admittens credula voces.
Libertate sua cessit privata ruina,
Publica privatis cesserunt jura; nec inde
Ullus in Urbe locus solitis parere statutis.
Dehinc subjecta viris periit Respublica paucis,
Postque hæc omissis leges siluere statutis,
Plebiscita sui nec decrevere Tribuni.
Exilium Cives multi petiere volentes,
Linquentes mœstam sævis terroribus Urbem,
Et proprias liquere domos, (x) victosque penates.
(y) Sed lare nativo multi discrimine magno
Non nisi conspectis gladiis cessere sequentum.
Quid fugis exosum Domini per tempora nomen?
Ad Dominum confusa tuis Urbs libera culpis
Circumventa venis, & Civi subderis uni.
Quid ni? sopitum bellum civile putatum est,
Externumque simul: nam sic suasere priores.
(z) Tumque aliquis magno clamans hortamine vocem
Extulit: O Cives uni parere necesse est.
Unus enim (*) vobis cunctando restituet rem.
Heu neque sopitum bellum civile; sed auctum,
(a) Externumque simul. Fugere ex ordine plures,
Qui Domini præerant lateri, mensæque priores
Quærentes veterem digressi mœnibus hostem.
Inde aliud majus sequitur scelus. Altera namque
His inimica priùs Paduæ depulsa juventus
Se paribus votis annexo fœdere jungit,
Accersuntque Canem collectis viribus Urbi
Bella movere suæ, patriisque insidere muris.
Multa sub hoc referens aliquis subjunxerat ille,
Omnia, quæ nostro fuerant si digna relatu,
Materiam longabat opus. Sed carmina sistit
Nostra dolor, lacrymæ veniuntque ad lumina nostræ.
Sit satis instantis casus prædicere belli,
Nec modò præteritos liceat renovare dolores.
Sævus ut inclusos rerum privaverat usu
Exteriore Canis, fructusque negaverat omnes,
Hoc solum restare putat, communia tantùm
Si miseris elementa neget. Tum flumina primum
Sistere conatur circùm labentia muros.
Evocat ex omni Patavino rure Colonos.
Adjecitque loco, vicinæ illabitur Urbi
A quo Brintha celer, jussitque fluenta recludi.
Haud secus, ut jussi, faciunt. Ingentia sternunt
Robora, & impactam silicum sub pondere terram.
O genus (b) Agrestum servum pecus, utilo Mundo

(t) *In M.* Orbis.
(u) *In M.* nostros. *In V. & P.* sedasse.
(x) *Idem* sævosque.
(y) *Idem* Et lare.
(z) *In V. & P.* Tunc.
(*) *In M.* nobis.
(a) *Idem* Extremumque.
(b) *Idem* Agrorum.
(c) *Pro* lapide, *ratione metri.*

A Mancipium, duros natum tolerare labores,
Effigies hominum; modico sed bellua sensu,
Quod non ulla regit ratio; quocumque traharis!
Ecce pari studio lentam nunc obstruis undam
Defossam longo Brinthæ de flumine tractu,
Quam tuus ipse labor reducem divertet ad Urbem.
Vidit ut exclusum vicinis mœnibus Amnem,
Grana molendinis & non florescere siccis,
Contrahit Urbe rotas Populus, teretesque molarum
Ciclos, & duris annexos dentibus orbes;
Quidquid & in fluviis trituræ convenit arti,
Aptavitque operi famulos, teneraque puellas,
Et volucri gyro vires supplevit aquarum.
B Addunt summissi alii jumenta caballis,
Et frumenta terunt (c) lapidi, durumq; legumen,
Perque omnes vicos operum commurmurat usus.
Ad potus, ususque hominum, pecorumque perennes
Non deerant haustæ venis putealibus undæ.
Arebant ullæ magno si forsitan æstu,
Norat aquare novis animalia fontibus usus,
Ad victumque aderat cunctarum copia rerum.
Annua quippe Ceres dederat pinguissima fruges,
Et Cani adventu noto, primoque tumultu
Quisque suos fructus in tutam traxerat Urbem.
Plena bonisque aliis, hominum quæ postulat usus,
Urbs erat. Omnis enim scito discrimine belli
Utilibus victu proprias compleverat ædes.
Quid tamen ista tibi Paduæ vesana juventus
C Profuerint? uno quæ (d) cùm consumseris anno,
Victa fame supplex dominum susceperis hostem?
Numina sola tuas auferre potentia clades,
Non humana valent. Rerum sic ordo reposcit,
Instat ab Arce Canis Castri, quod struxerat Urbi
Oppositum, posset si fortè lacessere bello
Mœnibus astantem populum; peditumque frequenti
Impulsu clausis (e) subicit certamina portis.
At Paduana gravi nimium succensa dolore
Plebs furit interior, vetitisque irrumpere portis
Nititur, objectos & vi disrumpere postes,
Vi tandem, & Procerum monitu (f) repressa Potentum.
Fons (g) erat amplectens duro de robore flumen,
D Unde erat egressus solitis invadere turbis
Castra Canis, varios nec non (h) concire tumultus.
Hunc Canis aggreditur subjectis urere flammis,
Excelsam siccis onerans virgultibus alnum,
Adjiciensque ignem (i) stipulis, & stramine tectum,
Armatisque viris tabulas, alnumque coronat,
Ipseque distinctas acies in prœlia ducit.
Viderat hæc solers belli Dux omnia Vannes.
Constituit pedites directo ex ordine Ponti,
Et prope contiguam complevit milite ripam.
Postquam appulsa ratis Ponti, certamina fiunt,
Crebra per objectam descendunt spicula proram,
Oppositæque trabes prohibent accedere Ponti.
Illa tamen raptim subiit, (K) subvectaq; sursum
E Erigit arsuras tabulis cum sulfure flammas.
Desuper ignis edax calidis extinguitur undis,
Saxaque navalem quatiunt ingentia molem.
O civilis amor morti prælate potenti,
Æternum pro quo morientem vivere certum est.
Se pedes hostilem præceps consternit in alnum
Co-

(d) *In M.* jam. *Sed additum ab aliena manu.*
(e) *Sic in omnibus; sed meliùs* subdit.
(f) *Meliùs* compressa. *Refugit enim prapositionem re natura metu, hoc loco.* Osius.
(g) *Lege* Pons *Villanus.*
(h) *In M.* excire.
(i) *In V. & P.* sub stupa.
(K) *In M. cùm esset* subvecta sursum *conatus fuerat aliquis sic emendare*, subvecta seorsum.

Digitized by Google

Cominus, & promtum pectus convertit in hostem.
Victa suo cedens ultro ratis uritur igni.
Lancea tunc laxo jacitur de Ponte lacerto,
Navita desertam linquit sinè remige puppem.
Ut videre ratem fluvio secedere victam,
Qui Ponti præerant juvenes, ad proxima terræ
Prœlia cœpta suis majori robore currunt,
Annixique simul subjunctis viribus illas,
Quæ de parte Canis pugnæ loca prima tenebant,
Avertere acies ultro dare terga coactas.
Allidunt turmis equitum terrore fugatæ
Victorum post se magna cum cæde sequentum;
Marte sed adverso conspecta strage suorum
Se retro avertens Canis in sua castra recepit.
Hi, aliisque Canis noctesque diesque sub armis
Urgebat pressam crebris insultibus Urbem.
Quos tamen invicto Plebs indefessa labore,
Audax sollicitis tolerabat sedula curis.
Mirum quanta viris inerat Constantia clausis,
Ordoque sub certis vicibus concurrere vallis,
Et bello se se paribus disponere votis,
Ut cunctorum animæ simul omnes corpore in uno,
Et mens una foret defendere viribus Urbem.
Nam quò tacta dabat signum Campana tumultus,
Illò tendebat subito Gens illa volatu.

Fluxerat Autumnus pallens, sublataq; campis
Parva seges, canæ suberant & tempora brumæ.
Cùm sibi Tutorem Patavi legere, Ducemque
Goricum Henricum Comitem, Jacobiq; voluntas
Annuit, Urbis erat cui tunc commissa potestas.
Ille vices belli magno sibi sumserat ausu,
Et Tarvisinæ vires contraxerat Urbis,
Sancte Deus, quantas (sortem si fata tulissent)
Vincere quæ poterant Canis æquo Marte atervas!
Altiùs annuerat Deus hanc decidere (l) litem.
Indixere moras bello sub Cæsaris Austri
Judicio Magni Partes Regisque Boëmi.
Interea Patavæ fuerat custodia terræ
Ulrico de (m) Valse viro commissa fideli.
Cæsaris ille quidem Friderici nomine partes
Fidus agens Patavum sumsit pro Cæsare sceptrum.
Gaudia quanta, Deus, lapsæ tunc attulit Urbi
Ulricus, regione Canem dum tollere spondet
De Patava, Castris in pristina jura redactis.

Ille ubi suscepit Patavam vice Cæsaris Urbem,
Tutelam Ulrico nato, curamque relinquens
Quatuor adductis Legatis Civibus ipse
Ad Regem direxit iter. Goricius Heros
Henricus pariter comitem se præbuit illi.
Mutat Castra Canis, petiturus & ipse tribunal,
Pandit iter, laxatque vias (sic pactus) ad Urbem,
Atque intermissæ concessit commoda treugæ.
Nec minùs ipse agros retinet, quæsitaque rura,
Et Paduæ solis servantur nomina muris.
O mortale hominum genus exsaturabile numquam,
Et mens quæsitis numquam contenta, supersint
Si qua videnda oculis! Tibi si confinia Mundi
Subjaceant, cœlis alios effundis hiatus.
Pone, Canis, Padua si jam potiare cupita,
An contentus eris? Certè majore famesces
Esurie, satagis (n) flagrantem accendere votum.
Cur jurata tibi, percussaque fœdera frangis,
Dum Patavis alimenta negas promissa patentes
Nec finis, (ut pactum est) Urbi concurrere calles?
Desuper hæc cernens Deus est, Fridericus & infra
Cæsar adest. Bino peccasti Numine læso.
Venerat interea (o) Posænum Cæsar ab Austro,

A Partibus ut propior fieret, Regique Boëmo,
Visurusque Canem, decisurusque querelas
Jure pari, tantæ finemque imponere liti.
Sed Canis offensus coram venisse negantis
Contemtu, justi causi, permotus & æqui,
Decrevit Paduam digna ratione juvandam;
Cogendumque Canem Patavis abscedere terris.
Egregio Ulrico Paduæ præbere levamen
Jus dedit, utque suæ defendere jura Viennæ.
His jussis Dapifer solertior undique sparsas
Allicit Italiam per regia rura Cohortes,
Grataque Legatis jungit mandata remissis,
Læti abeant, Urbi caveant, sua viscera servent
(p) Ulricum interea caro pro pignore natum.

Detulit hæc Patavum Caprea velocior ulla.
B Læta fronte puer viridi præcinctus oliva.
Protinus excelsa qui ductus ad atria voce
Acclamat vulgo: Patavi gaudete beati,
Solvite vota Deo, Laudes attollite Cœlo.
Primus ego venio, victricia pendite dona.
Audivi, & vidi, Cœlestia numina testor,
Cæsaris ore sacro: *Paduæ communio nostris*
Accedat titulis nostro defensa favore.
Arma parat Dapifer, veniunt in bella Suevi,
Totaque præsidiis armatur Stiria vestris.
Urbs hæc Imperii dicetur (q) Regia Magni,
Et jam læta suos servabit libera fines.
Hæc ait, acclamans Fridericum vivere Regem.
Hic non lingua valet, vel promere littera, quantus
In sublime tonans incusserit aëra clamor,
C Solvitur exultans Plebes effusa per Urbem,
Augetur totis duplex custodia Vallis.
Vidit ut obsessos (r) tantum sperare levamen,
Et vitare suas, quod non Canis ante putarat,
Posse manus, terrore novo succensus & ira,
Tum studio majore parat, quo vincere possit,
Forsitan ingenio, vel apertis viribus Urbem.
Instat atrox altis subducens prœlia muris,
Committitque acres vario certamine pugnas.
Sed quacumque Canem vallis accedere rumor
Vulgabat, rapido tendebant agmina cursu.
Grandine nec tanta crebrescit ab æthere (s) nimbus,
Nec tanto tonitru crepitat post fulgura Cœlum,
Desuper à muris quanto condensa tumultu
D Tela cadunt. Ictus crebris non cernitur hostis
Missilibus, loca nulla vacant ferienda sagittis.
Ballistas tormenta gravi molimine flexas
Laxabant binas simul impendentia mortes.
Armatos furata viros, non visa per auras
Spicula parva volant, minimisq; similliima muscis,
Saxaque de tortis volitabant plurima fundis.
Stridula marmoreas fundebat machina glandes.
Impatiens pugnæ Valli sed tegmine Vulgus
Desilit appenso (proh mira audacia!) fune
(t) Mœnibus, invisum & nudis petit ensibus hostem.
Cominus insertis peraguntur bella lacertis.
Desilit impubes pavidos frustrata parentes
Turba per oppositos sinuatis arcubus agros,
E Hostiles suffigit equos, si fortè per hostes
Expetitur, patriæ repetit tutamina fossæ.

Nonnumquam constrato Canis certamine ab ipso
Occiso secedis equo, pugnasque relinquis,
Ambitiose nimis rebus confise secundis.
Quidni? Bella geris multos habitura triumphos.
Amplecti siquidem poteris, quæ strenuus audes.

Non

(l) *In P. margine al.* causam.
(m) *In eodem* VValse.
(n) *Seculi sequioris vitio* flagrantem *hoc loco dixit, pro* flagrans.
(o) *Sic in omnibus, pro* Bolzanum.
(p) *In M.* Alricum.
(q) *In P. margine al.* filia.
(r) *In P. & V.* aliquod.
(s) *In iisdem* aere.
(t) *In V. & P.* Mœnibus injussum, & nudis petit ensibus hostes.

Digitized by Google

Non nisi per præceps iter umquam Gloria vadit,
Constitit & magno semper suprema parari.
Nulla quies umquam scandit (u) *fastigia Regni.*
Vosque per oppositum Patavi, quòd libera sitis
Turba, simul tantum vestram defenditis Urbem,
Quod cupit abnuitis, medius discriminet ensis,
Quod pax nulla valet, demum decernere ferro
Sit fas productam tam longo tempore litem.
At postquam certasse diu, frustraque sub ipsis
Mœnibus & pedites ingenti Marte repressos
Cerneret, atque diem verso pallescere Phœbo,
Dat signum (x) reditu Canis ad tentoria versus
Tum: *Da, daque Cani* vocitat risoria Plebes,
Altaque de summo fundunt opprobria Vallo.
Ridet hyantis ovans vana ostentacula Vulgi;
Infrendens tectam defert (y) tamen altius iram.
His licèt adversis semper successibus usus,
Bella tamen semper Canis indefessus agebat.
Ut, quàm longa foret succensa caloribus Æstas,
Ulla dies umquam penitus non Marte vacaret,
Aut hac, aut alia subducere prœlia porta.
Et tamen hæc Populus mira virtute ferebat,
Quem Canis offensi fastidia visa juvabant.
Sed subit extremi pestis suprema pericli
Sæva fames acto bis quinis mensibus anno.
Diva Famis tantæ da pandere tœdia Clio.
Ut primùm Patavos fines oc eperat Hostis,
Jam præmatura anni perceperat uvas,
Inclusosque Urbi musto privaverat omni.
Omnia post hyemem longis amfractibus actam
Munera defuerant veteris consumta Lyæi.
Rebus in humanis o munus amabile vinum,
Præcipuè assuetis; vitæ pars maxima nostræ,
Quanto deficiens urges angore carentes!
Haud aliter notum, nisi, quod dum deficis absens,
Linquis vitalem sicco pulmone vigorem.
Cara magis vasis quota pars si forsan acebat,
Lymphis mixta suos ducebat longius usus.
(z) Nam vacua vegetum, & lota pars magna suarum.
(a) Ferre Tethin decuplam modico infundebat aceto,
Dumq; merum saperet, visa est præbere levamen.
Cinnama commiscens aliquis, carchesia mellis
Cum paulò piperis liquidis stillabat in undis,
Tritaq; in hoc multum valuit liquiricia (4) potu.
Cum Sale pars madidum mittens mollescere granum,
Melleque suffuso clarum expressere Medonem.
His tribuere aliud Juli ferventia mensis
Tempora suffragium, viridis quod granula palmes
Edidit expressos jam nunc præbentia succos,
Quæ violenta manus teneris erepta racemis
In liquidis contrivit aquis, hausitque liquores.
O quam dulce merum, quantum dabat illa saporis
Mixtio subjuncta modici dulcedine mellis!
Pressaque de gravido spumans Cervisia farre
Potum grata dabat Bromii mentita saporem.

A Nobilium tamen hæc fuerant, ærisque potentum
Deliciæ, putealis aquæ Gens altera quæque
Corpora rorabant largo satiata liquore,
Et quacumq; cibos, cùm posceret hora, parabant,
In patulum phyalas lympha (b) candente nitentes.
Nec locus invidiæ. Præbebant pocula risus,
Per vicos hilares (c) peragebant prandia turbæ:
Tantus amor patriæ, libertatisque cupido.
Hoc unum solamen erat vitæque levamen.
Quòd non larga tamen residens sed copia panis,
Defectura (5) dies, faveant nisi Numina, paucos,
Ille quidem mordax urgebat pectora (6) rancor.
Sola tamen curas acres spes una levabat,
Missa frequens Austri quòd nuntia littera Regis
Lecta erat, auxilium properè testata futurum,
B Hancque secuturas subito cum milite turbas.
Fecerat o quantum lætas spes illa salutis,
Et demum ambiguas mentes non credita multis,
Promissos frustrata dies! *Sed fidite justi,*
Quos bona causa fovet, Superos sperate secundos.
Numquam summa juvant Cœlestia Numina tardè.
Senserat interea Friderici Cæsaris iram,
Ulricumque Canis multo conamine jussas
Accelerare vices sumtoque insistere bello.
Angitur insomnis, curisque ingentibus æger
Invigilat tepido volvens sua pectora lecto,
Et pensat gemitu pandens suspiria multo,
(Vincere cùm nequeat cassis jam viribus Urbem)
Fortunam tentare dolo, noctisque favore.
C Tum thalamo, paucis summissa voce vocatis,
Exilit, Auroram rutilus cùm panderet ortus,
Mœniaque intuitu sociis comitantibus (d) ambit.
Templum erat in Patavo multo venerabile cultu,
Mœnibus inclusum Sacra de Virgine nostri
Numinis ante ortum longævo tempore phanum.
Delubro fuerat Patavo, Concordia, quondam
Nomen, adhuc servant veterum Cimiteria Manes.
Sed postquam illuxit Mundo Divina Propago,
Nostra Salus, Templum nostri fecere Priores
Prosdocimo Fidei nostræ, legisque magistro.
Postque sepulta loco Justina (e) Martyr eodem
(f) Illi juncta sacri servavit nomina templi.
Hoc prope visa Cani prono sub margine ripæ
D Palificata strues mediæ declivia fossæ
Amplectens labentis aquæ defixa perenni
Congerie, siccus servaret ut alveus (g) undas.
Huic super apponi tabulas meditatus ad instar
Pontis, & adverso pedites subducere vallo,
Cogitat & tacitis evincere fraudibus Urbem.
Conceptu placido fidens in castra reversus
Dissimulat, vaditque suam secum omnia tractans
Veronam, tanti lætatus imagine facti.
Aggreditur facinus Canis, o, nimis æmulus Urbi,
Et vocat expertos bellorum, & teste remoto
Præmetitur opus, qua vi, aut ratione, quibusve
Ingeniis tantum possit committere furtum.
Compositis igitur consulto milite rebus,
Di-

E

(u) *In M.* fastidia.
(x) *Cùm vox hæc* reditu, *abesset à M. visum est aliquibus hanc reponere illius loco* tendens.
Dare signum reditu, hic esse videtur quod classici scriptorum dicunt, receptui canere. In voce autem, *reditu* concipienda est apocope. *Villanus.*
(y) *Cod. Est.* differt.
(z) *Sic M. Cod. P. & P. V.* Nam vacua, & lota pars multa suarum.
Mendosè omnes, & corruptè, ni fallor. Itaque sic legas: Nam vacua, & lota vegetum pars multa, *aut* magna suarum.
(a) Ferre *pro* ferè.
(4) Verbum, *liquiritia*, glossema est Seplasiariorum, quo glycean, seu glycyrrhizan significant. Sed danda ætati barbaræ sunt hæc. *Villanus.*

(b) *In M. & V.* cadente.
(c) *In M.* peragrabant.
(5) Pro, *defectura*, longè meliùs fuisset, *suffectura*, illud enim sententiæ refragatur, cùm Latinè id sibi velit, panem diu non defuturum, defecturumve. *Villanus.*
(6) Verbum, *rancor*, Etruscorum glossa est, *rancore*, quasi cura, vel ira in corde, & quod aliter ferè dicunt, *cordoglio*, quod & Latinum est. Rancor autem Latinorum diversum est à rancore Italorum, ut cuiquam patet. *Villanus.*
(d) *In V.* angit.
(e) *Fortè* Justina est, *vel* ut.
In M. Martyr Justina sub illo.
(f) *In M.* Olli vincta.
(g) *Idem* amnem.

Digitized by Google

Dirigit ad Castrum gressus sub nocte silenti,
Et vocat extorres Patavos, sic fatus ad illos.
O Patavi socii, mihi quos fiducia junxit
Constans, & fidei numquam separabile pactum,
Casus adest liquido factis intendere vestris.
Fidite, & attentas verbis apponite mentes.
Nunc opus est facto. Geritur res vestra, potenter
Strenua si vestros virtus erexerit actus.
Non pro me Patriam ferro, insidiisve petatis
Flagito: vos faciat tantum Victoria Cives.
Ecce, patens vobis facilis sinè Marte paratur
Introitus: struxi tabulas trans Valla ferentes,
(h) Arma, vicos tacitumque agmen. Do mœnia passu
Prætereunda cito, vestram do nocte sub ipsa
Sopitam nullis intrare tumultibus Urbem.
Vix fatus, tanto succendit amore calentes
In facinus promtos animos, ut tardior omnis
Illis visa foret captandi temporis hora.
Ecce Deus noster, da quem promiseris, ajunt,
Da Pontem. Quàcumque jubes sinè ponte ruamus.
Dulce mori nobis, tantum tua jussa sequamur.
Transierant jam prima quies per strata jacentum,
Desuper & nigrum celabant sidera Cœlum
Omne avium pecorumq; genus dulcedine somni,
Et quidquid mortale tacet, Natura silentis
Lege sub æterna servabat tempora noctis.
Tum Canis accitis turbis (i) sub nocte viritim
Induere arma jubet, secumque assistere facto,
Eduxitque acies ullo sinè murmure Castro,
Constituens ripæ tacitas adstare Cohortes,
Apponitque trabes palis in flumina fixis,
Adjiciens tabulas ad valla sub ordine junctas.
Protinus assiluit Patavi proscripta Juventus,
Altaque conscendit concessis mœnia dorsis;
Traditur æterno recubans Custodia somno
Prima, luens jugulo neglectæ crimina curæ.
Utque aditus Valli spatio majore pateret,
Ferri strage ruens incussus desilit asser,
Ingressusque novos aperit discussa bipennis.
Fungitur officio peditum, dum brachia vibrat,
Miles & abrupto duram trahit aggere terram,
Et lateri appenso durum quatit ense ligonem;
Irruit inde frequens in claustra sinè ordine Vulgus,
Implenturque loci retro Viridaria Sancti.
Quid facis, o demens Canis, & nimis ause? Potenti
Cede Deo, quem nunc forsan dormire putasti.
Ludit in incautos oblato sæpe favore,
Et ferit à tergo Virtus Divina Superbos,
Nonnumquam elatos, magis ut tridentia fallant,
Quo graviore ruant, extollunt Numina, casu.
Ingemuere cavis Sanctorum (K) corpora bustis
Auditum Cœlo querulum fundentia murmur.
Audiit Omnipotens supera sublimis (l) ab alta.
Sevocat à Sanctis Patava de Gente Patronum
Prosdocimum. Quid Sancte facis, sic segnior, inquit.
Audisti gemitus Patava de clade dolentum,
Sæva parata tuæ Genti certamina sentis,
(m) Sentis instantes ullo sinè Marte cruores,
Quantos vix Priami Gens hæc sub tempora fudit.
Urbi porta patens locus est tuus, ecce sub ipsum
Prima (n) latet minitans mortes glomerata juventus.
Olli sic infit deflexo poplite Præsul.
Summe Pater rerum, Cœli de cardine solus
Qui vigilas, semperq; tuum circumspicis Orbem,
Per quem cuncta geri Sancti, Sanctæque videmus,

A Et mortale genus Mundus miratur, & omnes
Cœlicolæ. Rerum cur sic deducitur ordo?
Erigis exiguum natum de pulvere quemque,
Cui subicis (o) populos crudeli Marte terendos,
Et sævire sinens cunctis facis esse timendum.
Tollere sublimem postquam sic incipis illum,
Vix rapis ad Cœlum: certè & quandoq; timemus;
Ne surgens nostris sedem sibi vindicet astris.
Veronæ siquidem parvo post tempore Cives
Progenuere patrem Canis hujus, & ista propago
(Dicere si liceat) certè clarissima non est.
Præfecisse patrem Veronæ fortè ferendum est.
Quippe licèt magnum, parvum ratione creantis.
Ille tamen genitor tanto prælatus honore,
Dum vixit contentus abit tolerabilis Urbi.
B Iste quidem regno fratrum successor, & heres
Altius extollens animum, violentior ausu
Impia finitimis direxit lumina terris.
Illi pensa parum quæsita Vicentia, si non
Marte, vel ingenio Padua dominetur in ipsa.
Quanta strage ruens vicinas triverit Urbes
Testantur miseræ latissima rura Cremonæ,
Depopulata suis suspirat Brixia Villis,
Parent Parma suis, Urbs, & Regina triumphis.
Bella gerit Sancto, quæ servit Janua Papæ,
Hunc ne sperne Canem, fuerit ne fortè timendum,
Erigat adversas ad Cœli culmina Scalas.
Acria jam Superis moverunt bella Gigantes,
Fulminibus quamquam fuerint (p) evicta trisulcis.
Nunc mea de Patavo murmur si sentiat auris
C Quæris Summe Pater? Totus jam defluet annus,
Prœlia quod nostris infert crudelia muris.
Et vidi, & sensi, & tam dira gravamina flevi.
Quid sentisse juvat? Seu quid vidisse Deum Rex,
Te cernente quidem: nam tu voluisse videris.
Impia, si nolis, cur non discrimina tollis,
Vulneraque & mortes jam jam sinè fine paratas?
Hi Patavi tantas siquidem meruere ruinas?
Sanctorum gemitus saltem (q) miserescе tuorum,
Hocque Canem diro frustare piissime voto.
Si tibi Confessor sit fas depromere noster
De Cane promoto quid nos induxerit, inquit,
Omnipotens, nostras, mi dulcis Episcope, causas
Laudares. Patavi voces audisse Patroni
Non piget; alterius si jura expromere partis
D Hora daret, nostris dictis contentus abires.
Accelera, nec enim tantis obstare periclis
Tempus adest: paulò si plus sermone moremur
Hostis habet Vallum. Tenues descende per auras,
Vade citus fer opem, translatos Urbe repelle.
Cæde tamen modica dent pœnas, mœnia primi,
Quos furor incendit primas impendere mortes;
Sufficiat jam nunc tantum si mœnia servent
Tuta tui, subitò multo majora videbis.
Sicut erat cana ventosa per æthera palla,
Desilit in Patavum Præsul, somnoque jacentes
Ex itat excubias, & Valla citissimus ambit,
Candenti convectus equo, gentesque tumultu
Admovet, & totam tutelæ suscitat Urbem.
Discite Mortales moniti quid numina possint,
E *Quæ contra non arma valent, numerusq; Virorum,*
Bellantumve manus. Cadit omnis pectore virtus,
Et confusa suos dimittit cura labores.
En devota cohors Templi jam claustra tenebat,
Et loca munitum per se facientia Castrum,
Unus ad auditum decurrit ab aggere summo,
Cui prænomen erat Pellatus, arundine longa
Bis tantum denis sociis stipatus, & hastis
Or-

(h) *In M.* Arma virum.
(i) *In P. & V.* sub voce.
(K) *In V. & P.* numina.
(l) *Fortè* ab aula.
(m) *In V.* Sentis instantes, *& in marg. al.* Gentis. *In P.* Gentis instantes, *corr.* Gentis, & instantes. *In M.* Gens hoc sub tempore fudit.
(n) *Idem* jacet.
(o) *In eodem* populo, *&* tenendo.
(p) *In M.* abjecta.
(q) *Cod. Est.* miserere.

Digitized by Google

Ordine delatis, hostes invadit, & altè
Proditor, inquit, habe meriti tua præmia furti.
Mœnia provisis nobis malè cautè subisti.
Quod petis, intus habes, & non eris ampliùs exul.
In Patria moriere tua. Sic fatus & una
Ferratos apices trepidos injecit in hostes.
Non tam præcipites (7) telorum fortior ictus,
Quantum terribilis Pellati vertit hyatus.
Pars cadit incussu gladii, pars terga reflectit
In socios collisa suos, penetralia templi
Pars subit, ad pronas & pars redit altera fossas.
Ecce cohors equitum summa descendit ab Urbe,
Parva licèt, comites ductor Nicolaus agebat
Marsilium Parma genitum de sanguine rubro
Et Patavos juvenes avidos (r) certamine plures.
Hi clamore pari laxis concursibus hostes
Aggressi feriere simul. Quem quæritis assum,
Sum Nicolaus, ait, mihi dat Carraria nomen.
Vocibus his cœpto sonuit Campana tumultu
Publica majoris crepitans à culmine Turris.
Tum tremor audito Nicolai nomine primos
Ut (s) præsentiti turbavit imagine facti,
Quos Campana tonans ultro dare terga coëgit.
Vix Dea tanta potes concedere carmina Clio,
Ut valeam recitare fugas, stragesque cadentum,
Hæc cùm sit Phrygiæ similis jactura ruinæ.
Vixisset, summo fuerat dicenda Maroni.
Omni parte fluens ruit in certamina vulgus,
Implentur calles, omnis fluit angulus armis.
Lancea si desit, clypeus, seu venditus ensis
Esurie panis, duros cepere ligones,
Rastra, sudes, harpes: nec desunt arma furori.
Non expectato Pater ad certamina nato
Excurrit, qua bella geri velocior audit.
Non nemus incussum tanta vehementibus euris
Strage sonat, sequitur cum prævia fulgura fulmen,
Aut audita magis non personat æthera stridens
Scylla sub ardenti Canis latrantibus Ætna,
Quantus ab arce strepit populari murmure rumor.
Nulla per Ecclesias sonitu Campana vacavit,

(7) Legerem, *Non tantum præceps*. Nam, *præcipites*, non potest copulari τῷ, *ictus*, reluctante τῷ, *fortior*. Sed &, *tantum*, versu sequenti respondet, *quantum*. Villanus.

A Et tamen intactas (dictu mirabile!) multas
Asseruere fide post hæc certamina digni.
At postquam retrusa cohors, quæ prima (t) tegebat,
Transactas acies, cuneum devicta reflexit,
Vertit & ipsa Viros alio sinè Marte sequentes.
Hoc unum miseris oberat fugientibus ipsis,
Quòd Gens multa nimis Pontem migraverat unum.
Sic intestino ruit agmen inutile bello,
Quod pedibus pressum succumbere cogit amicum,
Et tenebræ ignaros multos fecere viarum,
Ex quibus urbanas subiit pars multa per ædes
Agmine pulsa suo: quæ verò proxima Pontem
Accessit, (u) vi pressa cadit Pontemque ruina
B Obstruit, & liquidis pars multa illabitur undis.
Nescit & ipsa mori Gens, sic devota, velitne
Configi gladiis, animam vel ferre sub undis.
Sternitur in fossas tamdem de culmine Valli,
Et prono titubans ex aggere corruit amni.
O quàm multa suis moritur demersa sub armis!
Pars natat exsurgens gladiis annixa, tenaxque
Se demum superæ rapit ad fastigia ripæ.
Mane rubens Orbi cùm spargere lumina Titan
Cœperat, & tenebras nitido confuderat ortu,
Victores, victique pari non mente rotatum
Fortunæ videre jocum, fatique profundi
Judicium, & super hæc magni decreta Tonantis.
Castra Canis repetit confessus numina casus
Adversata suos, discedens corde gelato,
C Grandia mœrenti pandit suspiria vultu.
Squallida funesta deflet sua damna ruina
Gens sua detergens vultus sudore madentes.
Hos super excedit Patavis mœroris acuti
Pondere dilanians vultus, & pectora tundens,
Fletque suos læta dimissos Urbe sodales.
Plebs legit interior prædam, exuviasque jacentum.
Et piscantur aquis fossis demersa profundis
Corpora cæsorum, figitque patentia Vallis,
Certa trahunt uncis patulis avulsa plateis
Exprobrata diu, nullis concessa sepulcris.

(r) *Pro* certaminis.
(s) *In M.* præsentati.
(t) *Fortè* regebat.
(u) *In M.* impressa.

Albertini Mussati de Gestis Italicorum post Henricum VII. Cæsarem, seu de Obsidione Domini Canis Grandis de Verona circa mœnia Civitatis Paduanæ, & Conflictu ejus Liber Nonus explicit.

ALBER-

Digitized by Google

ALBERTINI MUSSATI
DE GESTIS ITALICORUM
POST HENRICUM SEPTIMUM CÆSAREM,
SEU
De Obsidione Domini Canis Grandis de Verona circa mœnia Paduanæ Civitatis, & Conflictu Gallorum.

LIBER DECIMUS.

QUæritis (a) Heroes Paduæ per mœnia renarrem
Bella Deæ, grandesque actus, & digna relatu
Mæonio. Si non petitis deponere frondem
Laurinam, immeriti seu jura remittere feudi.
Quid perplexus agam? scelus est, si jussa recusem
Debitor ingratus. Quòd si temerarius ultra,
Quàm valeant humeri, subeam, perferre, verendum est,
Ne sub fasce cadam, casusque sit ipse pudori.
Este tamen Comites. Sceleri præferre pudorem
Maluerim quacumque Lyra, dum mœnibus Urbis
Jamdudum infestos valeam consternere Gallos.
Struxerat excelsum tumulum Canis aggeris alti
Pervigil, ut summo fieret custodia vallo
Inspectura super Pontis pinnacula Curvi,
Urbis pressa tenens Orientis limina portis.
Hunc æquare solo, & tacito delere ligone
Nocte parat solers, omni memorabilis ævo
Rector, & egressum Populo concessit ovanti.
Exeritur gladiis moles immanis acutis,
Materias sibi quisque parat. Si congrua desint
Instrumenta, solum manibus decerpit aduncis.
Ut formicarum facit innumerabile vulgus,
Diripit annonæ (b) cumulum cum grana (c) reportat
Quæque suum sibi sumit onus, si fortè gravetur,
Ponit, & ore trahit minimis innixa lacertis:
Sicque pari raptu carptim decrescit acervus.
Manè rubens Titan excussa nocte refulsit,
Et nitidos Cœlo radios effuderat alto,
Fossoresque Simon specula dispexit ab alta,
Quæ Bassanelli superest à culmine Castri.
Erigitur, sociosque jubet consurgere Gallos.
Quisnam militiæ referat sublimia Gallæ
Arma, & equos, phaleras, auroq; micantia fulvo
Scuta Virum rutili radiis splendentia Phœbi?
Hæc est illa Cohors Henrici Cæsaris olim
Strenua, quæ victis egit fera prœlia Tuscis,
Quæ Ligurum terris ingenti Marte subactis,
Ussit finitimos sævis populatibus agros,
Post Tarvisinas Patavina suburbia flammas
Obsidet exacto quæ formidabilis anno (d).
Has secum horrendas Castri de Ponte cohortes

A Sub litui stridore Simon, Pistoria tellus
Quem genuit, Ductor cunei, Castrique Potestas
Eduxit, provectus equo sublimior alto
Ad tumulum (e) vergebat iter, peditumq; labores.
Protinus è Castro visis (f) descendere Gallis
Infremuit genus omne Virum, commixta per Urbem
Nobilitas cum Plebe ruit, sonat arma tumultus,
Arma vocat sibi quisq; dari: furor arma ministrat.
Hic fundas fert ille sudes, Fora cuncta, viasque
Arma replent, densis omnis fluit angulus armis,
Acclamatque frequens exire in prœlia rumor.
Ut mare permotum fundo, cùm nubilus Aër
Desuper à Ventis agitur, super æstuat undis,
Evolvitque fremens magno cum murmure fluctus,
Extollens altas (g) ad sidera summa procellas.
Tunc si fortè aliquis malè cautus naviget ordo
B Nautarum, feriatque ruens in vela repentè
Turbo rapax, lapsas demergit in æquora (h) classes.
Ut sic excitam videt Altinerius Urbem,
Rector, perpetuæ nactus (i) præconia famæ,
Azonum patrii cui stirps generosa Trevisi,
Arduus incœpto dedit incrementa vigori.
Nam celer egressus reseratis (K) publica portis
Adversùm hostiles eduxit signa Catervas.
Tum Plebs abjectis Tabulis, & stramine multo
Per medios agros fluvii, quem se erat hostis,
Egreditur properans, plenis armata pharetris,
Ballistasque gerens hostilibus obvia campis.
Hastarum stipata nemus fert altera densum
(l) Turbaque quo retegant pedites, ancilia secum
Multa vehunt; alii pennati cuspidis harpes;
Milleque terribiles pars tela minantia mortes.
Pars hæret tumulo, seque aggere continet alto
C Inspectans Campo venientes cominus hostes.
Nec dum prorsus eques fluvium transcenderat ullus.
Tumque timens Tiso, fluvii transgressa meatus
Agmina ne pereant venientibus obvia Gallis,
Paulides Tiso Patavus, cui Villula Sanctus
Angelus ediderat simul & cognomen, & ortum,
Transiliit latam ripæ cum fragmine fossam.
Quem celeri cursu succensa mente secuti
Bis seni è Patavis Equites, seu circiter, ausu
Migrantes fluvium simul innituntur eodem,
Queis

(a) *In V.* errores.
(b) *In M.* tumulum.
(c) *Melius* reportans.
(d) *Cod. Est.* ævo.
(e) *In V.* vertebat.
(f) *Cod. Est.* jussis.
(g) *Cod. Est.* Extollitque suas.
(h) *In P.* puppes.
(i) *Ibidem* bona nomina.
(K) *In V.* agmina.
(l) *In M. desiderantur hi duo versus*: Turbaque &c. & Multa &c.

Digitized by Google

Queis mens una fuit Populum, Plebemque tueri.
Quod si fata negent, seu sors, casusve reposcat,
Æquo Marte mori, Patriæque impendere vitam.
At reliqui Cives, Rectorque omnisque Senatus
Cis fluvium resident retinentes ordine turmas.
Jure quidem belli passus via stricta maligni
Paulatim expositas prohibet transire (m) catervas.
Quippe erat emergens aciei parte relecta,
Ut foret in paucos facilis Victoria Gallis.
Sed nil jura valent belli, mens ulla, vel unum
Humanæ Virtutis opus. Regit omnia Casus.
Pro libitu Dominæ rumpunt sua stamina Parcæ.
Sidera disponunt hominum mentesque modosque,
Inspectante Deo, proprio qui singula nutu
Corrigit, & cunctos hominum præponderat actus.
Utque Simon (1) pedites (2) modico sinè milite flumen
Excessisse videt, primam secum ire Cohortem
Ipse jubet, reliquasque suis consistere signis,
Et citat alipedem fixis calcaribus altum,
Fulmineum vibrans crebris tinnitibus ensem,
Et ferit (3) in pedites ingenti turbine primos,
Evertitque solo magna cum strage cadentes.
Tergaque continuò fuso dedit agmine Vulgus,
Ac redit ad fossæ latices, & sternitur undis.
Diffugere armis in proxima rura relictis.
Successit Simoni primi victoria belli.
Nec dum fessa alios Fortuna superbior ausus
Extensura fuit Patavæ exitialior Urbi.
Namque videns (n) populis victos dare terga maniplos,
Et profugos mediæ stagno se sternere fossæ,
Vertit & ipse gradus ipsam fugiturus in Urbem.
Proh pudor! atque equites multi videre fugaces.
Proh timor! & vacuum (o) Gallis dimittere Campum.
Tum discrimen erat fusis in mœnia turbis
Insimul hostiles secum migrare cohortes:
Sancta sed excelsi vetuerunt numina Cœli.
Ipsa quippe die memorabant digna duorum
Cœlicolæ magno plausu Martyria Fratrum.
Tunc quoque terribilis volat ad cœlestia rumor
Dardanio in Patavo clades instare, (p) cædesque,
Quarum Trojanæ nulla feritate ruinæ
Excessere modos furiis, nec sanguine tanto.
Protinus assurgens sacer Hermacora Piorum
Alloquitur cœtum clementi voce Beatum.
Pro me, proque meo fabor, bona numina, fratre.
Qualescumque sumus, meritis hæc gaudia (q) nostris
Vobiscum celebres Sancti, Sanctæque tenemus.
Tempora cum vestris veniunt solemnia festis,
Concinimus laudes, & delectamur in illis.
Festum hodie nostrum est Populis celebrabile cunctis,
Quod nobis solo tantùm contingit in anno.
Spernimur indignè, nec ob hoc martyria passi
Corpora mundanis dedimus ferienda flagellis.

A (r) En nova scæva meus nos incendentia Frater
Fortunatus (f) habet, surgitque per æthera clamor.
Quidam diffusi sunt rura per Italia Galli,
Qui sueti bellis, alienique æris avari
Digressi propriis humano sanguine vivunt.
Post Tuscas clades, Longobardasque ruinas,
Bellaque sub muris Paduæ dilata per Annum
Nunc inferre manus (t) Paduam conantur in ipsam,
Multi fidasque parant cædes. Succurrite Sancti.
Parcite, ne tantas videant mea Festa ruinas.
Nec mora. Sanctorum cœtus pietate molestus
Christum adiit, fuditque suo pro Fratre querelam.
Christus ait. Pereant Galli certamine digni.
B (u) Marte luant tantis quæsita salaria bellis.
Dignum, & justum est, ut pereant per bella nefandi.
Tuncque acies peditum primo diffusa tumultu
Erigitur sancto monitu, directaque tensis
Spicula ballistis in equorum pectora figit
Gallorum. Subitò fit densus in aëra nimbus,
Missilibus multis in (x) Equorum corpora jactis
Erigitur sonipes, pedibus ferit aëra quassis,
Ora, armosque levans jaculi dum vulnera sentit.
Vidit ut eversas telis secedere turmas
Cautus Marte Simon, nudo circumfluus ense,
Colligit in gyrum cuneos, signumque receptu
Edidit, ut lato distingueret agmina Campo,
Dirigeretque suam recta ad certamina frontem.
C Non secus ut Lybicus perspecto cominus hoste
Per gramen teretes rugas discriminat Anguis;
Utque paret toto (y) collectum corpore virus,
Ora reflexa simul (z) connexa per ilia ducit,
Postque caput tollit damna ad lethalia promtum.
Hunc non expleta siquidem vertigine (a) Petrus
Percutiat conto, reliqui tutaminis expers,
Suffigit tellure caput, corpusque relinquit.
Tum Tiso exhortans Populum, dimittit habenas
Excurrentis equi, totis quoque viribus hastam
Torquet in oppositum ventoso turbine Gallum.
Non umbo, non parma tenax percussa tuentur
Pectora, quin strictum penetret vitalia ferrum.
Labitur (b) obversa galea, casuque virentem
Tundit humum, densoque quatit (c) talaria calce.
D Atque infit: Cape Galle tui condigna laboris,
Quæ Canis hoc anno meruisti præmia toto,
Et nostrum sitiens aurum, bibe sanguinis undam.
Hæc ait, & sociis orditur prœlia paucis.
Tu quoque in his paucis numquam reticende Joannes
Tisonis junctus lateri simul ense cruento
In Patrias laudes pugnans sublimia quondam
De Campo Sancti memorasti (d) stemmata Petri.
Utque videt Rector signis ad terga reflexis
Hostiles acies vicinis cedere campis,
Et malè fidentes cœptis desistere bellis,
Evocat excelsum resupinus ad æthera Christum:
O bo-

(m) *In M.* phalanges.
(1) Hic est ille Simon Philippi Pistoriensis, quem Auctor Libro XVI. Rub. I. appellat virum Cæsaris amantissimum, & cujus copias ad Camajorem Vanni de Scornazanis fudit, fugavitque. Sciendum est autem, non fuisse illum Philippi alicujus filium, sed ex gente Philippia, vulgò, *di Casa Filippi*, quæ jamdiu desiit esse in humanis. Ex his intelligere licet, quare super verbo, *Simon*, in codice Veneto scriptum sit, *Philippus*, perperam licèt. *Vill.*
(2) Astipulor hic Patavinæ archetypæ scriptioni, quæ pro, *modico*, habet, *multo*; sententia sic exigente. Illud enim, *modico sinè milite*, multitudinem potiùs significare videtur. Si autem pro, *modico*, scriptum foret, *modicè*, vel *modicum*, defendi quidem id posset, referendo illud ad, *excessisse*. Villanus.
(3) *Fortè melius* furit.

E Hic ponitur absolutè, uti passim apud classicos: *in pedites* autem, est *adversùs*, *contra* &c. *Vill.*
(n) *Cod. Est.* populos, *melius* populi.
(o) *Cod. Est.* Gallisque relinquere.
(p) *Melius* recentes; *neque enim* cædes *admittit eo loco Carmen*. Osius.
(q) *In V.* vestris.
(r) *In M.* Et nova scæva dedit meus incendentia Frater. *Fortè* sæva.
(f) *Idem* abit.
(t) *Cod. Est.* Urbem.
(u) *Fortè* Morte.
(x) *Cod. Est.* Gallica.
(y) *In M.* collecto corpore virtus.
(z) *In P.* convexa.
(a) *In M.* pennis. *In P.* pen'. *Fortè* pectus.
(b) *Scilicet* Gallus.
(c) *Cod. Est.* calcaria.
(d) *In V.* stigmata.

Digitized by Google

O bona progenies Patris dignissima Summi,
Quam colui puro sub corde fidelior, inquit,
Annue commissam ferro defendere Terram
Dexter, & hos hodie Gallos delere superbos.
Marte cadant soliti per prœlia Martis iniqui
Sub Canis imperiis Ligurum potare cruores.
Tum pia thura dabo cunctis redolentia Templis,
Et cantare novas fa iam me supplice laudes.
Vosque simul mecum, Patavi, quos stirpe parentum
(e) Troja (4) tulit Tellus alto de sanguine Teucri.
(f) Nestorei Juvenes pariter vadamus in hostes.
Numen adest. Video. Supera de parte juvamur.
Sic fatus Patavas ducens in prœlia turmas
Velocem citat alipedem calcaribus, ultra
Exiliens tremulum viridi de cespite Pontem,
Attollensque gravem stridenti fulmine clavam;
Cudit (g) inardenti galeam sub Sole micantem,
Affigitque cavo capiti, cerebrique fluentis
Spargit Equi vomitum maculantem sanguine crines.
Lapsus equo moriens cadit Anglicus, aurea miles
Edidit eversis sursum calcaria plantis.
Vivat, ait vulgus talis per tempora Rector.
Tum major Patavum vergentes terga Phalanges
Gallorum insequitur moles, sternitque, necatque
Ictibus increpitant percussa frequentibus æra.
Fabrorum incussis velut instrumenta metallis:
Nec pugnare valet sociorum strage repressus
(h) Gallus in extenso vires effundere campo.
Non agris sonipes sessorem vexit apertis.
Pressus uterque fuga, peragit certamina neuter,
Invenit arva ruens fossis abrupta profundis,
Et ruit in præceps titubans, unàque sepultus
Cum moriente perit, tumuloque nec indiget ullo.
Aggeris à Vico (i) proprios festinus in hostes,
A Ubertus, feriens quem repperit agmine primum,
Cassidis extrema gladium deducit ab ora
Fulmineum, cæsumque secat cum gutture collum.
Advolat in medio gemitu caput. Excitus ictu
Cornipes (K) acephalum (5) defert in prœlia corpus.
Proximus huic frater validam Burgundio quercum
(l) Torquet in aucatum patris, qui tuta tegebat
Ilia conjiciens vulnus cervice sub ipsa:
Non lethale tamen. Fugit adventantia contra
Bella, nec ex toto Fratrem dimisit inultum.
Dens Dentum de prole Patrum per bella vagantem
Despexit (m) procerum pennata cuspide Gallum
Divisum turmis, armis, auroque micantem.
B Hunc contra direxit equum. Quem pervius ille
Ense ferire parans; primum tamen excipit ictum.
Discidit (6) thoraca calybs, humerumq; sinistrum
Incussum fracto divellit pectore nervo.
Exsidit ad clunes, terræque obversus inerti,
Proh pedes occiditur multa cum strage Popelli.
Postquam scissa acies (n) Equitum, dispersaque turba
Non unam tenuere viam; sed proxima (o) Castro (7)
Prima subit, Montis Silicis tenet altera callem.
Una Nicolai retinens vestigia Sancti
Pontem adiit; Brinthæ sed plurima mergitur amni.
Arva ignota tenent alii, silvasque pererrant,
Utque locis spectant se se cessisse remotis,
C Exonerantur (p) aquis ultro, spoliisque relictis,
Expetit ambiguus terras sibi quisque salutis,
Et tantùm salvæ quærit solamina vitæ.
Ut dispersa Lupis fugiunt armenta per agros,
Si fugiat Pastor timidus, seu forsitan absens
Tum fuerit, non ulla tenent directa viarum
Signa, vel assuetos aditus, trepidantque ruuntque,
Nec

(e) *Meliùs* Teucra: Troja *enim adjectiva notione trisyllaba dictio ut plurimum*. Osius.

(4) Doctissimus Scholiastes annotavit, verbum, *Troja*, adjectum trisyllabam esse ut plurimùm dictionem; ideoque substitui posse *Teucra*. Troja enim cùm principale nomen est, bisyllabum est; scribiturque per diphthongum, οι, Τροία: quanquam poetæ nonnunquam trisyllabum faciunt, dialysi scilicet diphthongi, οι, in οϊ, deinde verò, ο, in ω, per extensionem causa metri commutato, ut fit, Τρωία: Pindarus Nemeorum ode 4.
Ξωὼ ῷ ποτε Τροίαν
Καρτερὸς τελαμὼν πέρθησε. Et Isthm. Ode ultima.
Τρωίας ἵνας ἑκταμὼν δωρί. Ejusdem rationis est, Τρωιάθεν, ex urbe scilicet, vel agro Trojano, apud eundem Nem. ode 7. Rursum hoc trisyllabum per crasim reformant bisyllabum, subscribentes, ι, Ιϊ, ῳ, hoc modo, Τρῷα. Pindarus Isthm. Ode 4. ὅτοι Τρῷαν δ' ἔβαν. Sed multa hujusmodi occurrent exempla Poetas versanti. Ego exempla mutuavi à Pindaro, quia erat ad manus. Quando verò Troja principale nomen non est, tunc profectò trisyllabum est, cujus rei nonnusquam videre est exempla. Retineri tamen possit id verbi apud Mussatum: primò quia palam est, vocalem, *i*, sæpenumero induere naturam consonantis, præcipuè apud Latinos; quæ res demonstratione indigere minimè videtur. Deinde verbum, *Teucra*, non memini me reperisse, quamvis Trojani Teucri dicantur. Et sanè legitima deductio esset, *Teucria*, quo nomine dicta est regio Trojana. Non tamen id ita habere pervicere ausim. Nam neque satis legi, nec memoria omnium tenax, nec librorum suppetit copia. Utcunque sit, repetitio illa in versiculo Mussati, *Teucra*, & *Teucri*, fortasse non omnibus probabitur. Quapropter vel ego, *Troja*, retinuerim, ea, qua dixi, ratione; vel ablatione unius literulæ, imò subscriptione dicerem, *Troa*, Τρῷα. Sicut enim ex Τρωϊα principali fit Τρῷα, uti visum est, ita ex deducto Τρωϊος, fieri Τρῷος possit. Sic etiam dicunt Græci λῴων, pro, λῴον, & λῷστος, pro λῴστος, aliaque id genus quam plurima. Sed nimii fortasse fuimus in re nauci; quanquam ea de causa magnum facimus operæ pretium, dum tibi, Moline sapientissime, obsequentes ac morigeri sumus. *Villanus*.

(f) *Cod. Est.* Hectorei Juvenes pariter tendamus.

(g) *In P. & V.* & argenti &c. micantis.

(h) *Cod. Est.* Anglicus aut lato vires extendere campo.

(i) *In M.* pepigit.

(K) *Idem* Cornifex, *inde* per prœlia.

(5) Bis hic peccatum in metro. Nam ultima syllaba verbi, *cornipes* produci debuerat, & prima, *acephalum*, corripi: cujus postremi exemplum (nam de primo neminem dubitare existimo) licèt memoria non teneam, memini tamen, ἄλφα privativam semper corripi, tribus duntaxat exceptis, ἀθάνατος, ἀκάματος, ἀνέφελος. Quare acephalum hoc ad Galliambos relegari meritò possit; locum enim in heroico metro non habet, cùm constet ex duobus pyrrhichiis. *Villanus*.

(l) *In M.* Torquet in aucatum corpus patris, qui tuta tegebat.

(m) *Peccat hic in legem metri*. Procerus *enim secundam productam habet cùm magnitudinem, corporis notat, ut hic*.

(6) *Discidit*, a verbo discindo corripit mediam. Et *chalybs*, scribendum per X. & pro, *incussum*, longè meliùs, *incussus*, & pro *devellit*, *divellit*, lege ergo sis,
Discindit thoraca chalybs, humerumque sinistrum
Incussus fracto divellit pectore nervo.
Sed hoc fortassis facere esset, non emendare: atque ideo præter primum, ac tertium verbum nihil muto; ne farritum vocatus ferere videar velle. *Villanus*.

(n) *Cod. Est.* hominum.

(o) *Meliùs* castra. *Osius*.

(7) Optimè Scholiastes optimus, qui pro, Castro, reponit Castra. Poterat tamen intelligi de Castro Bassanelli, unde Simon despexerat fossores, & Gallorum equitatum eduxerat. *Vill.*

(p) *In V.* equis.

Digitized by Google

Nec dudum curant pasci: Sed cædibus instant
Immani feritate Lupi, dum visibus illa
Evasere suis avidi, missoque furore
Ad prædam redeunt, & corpora pinguia (q) pascunt.
At quis humi stratos perstringat carmine Gallos,
Terribilesque virum strages, & funera dira,
Totque cruentato disjecta cadavera Campo,
Cùmque Equitem sternebat Eques, rapit impia Plebes,
Exutumque armis, sectumque in frusta relinquit.
Ah nimiùm vestræ patuere furoribus iræ,
O Patavi tanto bacchati sanguine Cives
Deletur tua magna Canis fidu ia Grandis,
Cujus finitimas calcasti (r) sanguine terras.
Victa jacet Phrygiis, ne dedignare, lacertis.
Troica nam versis surgit victoria fatis.
Hisque utinam scieri susceptis sistere damnis.
Sed majora parant Cœlestia Numina cœptis.
Non etenim Patavi correctus carmine Vatis
Desisti obscuræ metuens præsagia Lunæ.
Spreverat illa tui supero de cardine Scribæ
Contemptrix Sanctæ dejecta Superbia Pacis.
Scinditur in partes Patavo cum Milite Vulgus.
Pars fugat errantes Equites, pars cædibus instat:
Nec vacat officio quisquam, ne prospera cursu
Abstineat fortuna suo, flatumve remittat.
Nonnulli multo cæsorum sanguine fessi,
Seu æris cupidi, & pietatis imagine pauci,
Surripiunt Urbi vivos, animasque reservant.
Stabat lapsus equo, fundo Simon (8) obrutus imo,
Pondere pressus equi; sed nondum cognitus ulli.
In quem fortè aliquis pedes incidit, utque moventem
Membra videt, subitò socios conclamat in illum.

A Erigitur pedibus, galeaque à fronte revulsa
Agnovere virum toto licet ore cruentum.
Exterosque neci (f) vocat. Observate potentem,
O juvenes, vobis infestum reddere Castrum.
Præterea vivens tanto vos ære replebo,
Pauperiem vestris ut non timeatis in annis.
Protinus auditis hostes sibi fecit amicos,
Tutoresque suæ meruit quæsisse saluti.
(t) Quis referat Simonis prælato nomine capti
In vulgus dubiam quanto discrimine vitam
Traxerit. E mediis gladiis, plebisque furore
Vivus in hostilem tamdem deducitur Urbem.
Hunc præter multos Proceres in mœnia traxit
Nobilitas belli præbens sub (u) jure favorem,
Blandior infesti cohibens suspiria vulgi.
B Cernere erat galeas auri fulgore rubentes,
Arteque cælatos puro thoracas in auro,
Textaque lunatis argentea cingula bullis.
Arma jacent latos jam non pretiosa per agros,
Arma gerit mulier plenis onerata canistris,
Cara emitur Cassis, bino si venditur asse.
Altus equo laxis terit arva patentia frenis
Militis arma ferens pedes ostentata per Urbem.
Mandat humanda cavis congesta cadavera fossis,
Quæ dispersa jacent, Rector, ne lethifer aër
Desuper inficiens sanæ præjudicet Urbi.
Multa labant rapidis fluviorum mersa sub undis,
Post nonos conspecta dies deformia visu,
Tamdem finitimæ quæ suscepere lacunæ.
Flumina finitimi Populi vetuere bibenda
Nostra diu, puros dum gustavere liquores.
C Victor ovans lætam facit Altinerius Urbem,
Donaque divinis offert suavissima Templis:
Hermacora super, fortunatusque beantur.
Sed Canis alta sui pandit suspiria damni.

(q) *In V. al.* mandunt.
(r) *Cod. Est.* robore.
(8) Producit postremam, cùm scribatur per *o* magnum; declinatio quippe nominum, quæ Græci appellant περιπτοτόμαβα, non admittit masculina desinentia in *on*, per *o*, parvum, ut cuique videre licet. Nulla verò alia declinatio convenit huic nomini, cùm neque ἰσοτόμαβον sit, neque σωωηρημένον. Et cùm in obliquis casibus horum nominum ε ante *u* non habentium, neque *μ* cum aliqua consonante implicitum illud *o* magnum servetur, consequens est, ut penultimæ horum producantur; quas tamen auctor corripit, ut superiùs vidimus, & paucis ab hinc versibus videre est, ubi inquit:
Quis referat Simonis prælato nomine capti &c. *Vill.*
(f) *Fortè* rogat.
Simonis hæc verba sunt ad Pedites Patavinos.
(t) *In M.* Quis referat Simonis nunc quæstio nomine capti.
(u) *Cod. Est.* sub jura.

Albertini Mussati de Gestis Italicorum post Henricum VII. Cæsarem, seu de Obsidione Domini Canis Grandis de Verona circa mœnia Paduanæ Civitatis, & Conflictu Gallorum Liber X. explicit.

ALBER-

Digitized by Google

ALBERTINI MUSSATI
DE GESTIS ITALICORUM
POST HENRICUM SEPTIMUM CÆSAREM,
SEU
De Conflictu Domini Canis Grandis de Verona apud Paduam.

LIBER UNDECIMUS.

GEsta canenda paras Patavinis annua fastis.
O bona quanta dies abeuntis candida mensis
Augusti denis, denisque à tempore lapsis.
Mille trecentenis enixæ Virginis annis,
Si sors (a) hæc *Erato* nostro memor offerat ori,
Et nostram tenui vocem moderetur avena!
Diva parens *Erato* Patavæ concede poësi
Victum Marte Canem patria depellere terra.
Missus ab Augusto Dapifer jam venerat Heros
Ulricus pacto Patavæ pro fœdere Genti
Promissam laturus opem, Goritius alta
Cui se mente Comes justa violentior ira
Addidit in socias juncto simul agmine partes.
Nec majore mora, (b) biduo quàm menibus Urbis
Accepti, certo collatis (c) ordine signis
Egressi foribus longo post tempore clausis,
Eduxere acies in aperti gramina Campi.
Primus ad occursum Castro Canis arduus alto
Exierat, campoque acies eduxerat æquo.
Prima phalanx struitur, dextraque in parte locatur
Scalifer Andreas miles, bellique magister
Andreas, primi portans insignia pili.
Conseritur lævo lateri veteranus in armis
Ugo ferens nigram signo candente patellam.
Densatur reliquis bello melioribus ordo,
Queis inerat primæ spes & fiducia pugnæ.
Primus erat turmæ ductor Canis ipse secundæ
Scalarum in medio cuneos, agmenque regebat.
Hic Patavi extorres, hic Veronensia signa,
Hic Vicentini reliqua cum gente Manipli,
Hic, quæcumque aderant, coëunt in prelia turbæ.
Parte alia primæ specimen Goritia frontis
Prima tenet: namq; illa Comes sua bella vocabat;
Quem juxta Ulricus magno Ulrico patre (d) natus.
Ab lævo Comitem Rambaldum sistere cornu
Constituit. Comes ille tibi Tarvisia Tellus,
Ut genere antiquo, sic bello insignis, & armis.
Hos galeata Cohors hirsutis horrida cristis
Exardens sequitur pugnæ incumbentis amore.
Dehinc postrema acies Patavo condensa Senatu
Sub Magni Ulrici ductu stipata catervis

A Germanis dictis Castri de nomine Valse.
Fecerat irriguam Brinthæ de flumine fossam,
Qua Canis oppressam premeret violentiùs Urbem,
Aggeribus tumidis, altaque crepidine ripæ;
Quæ jam succenso tardabat tempora Marti.
At Plebs acta fame, & longo stimulata dolore
Jam Ducis impatiens, celeri non (e) jussa meatu
Procidit ad fluvium, tabuli terraque repostis
Astruxit subitò salicum de vimine pontem.
Tum peditum, quotcumque capit pons arctus, in agros
Turba ruunt. Velut unda Padi suppressa tumentis
Vere novo, cùm cessit hyems ab rupibus altis
B Decurrit nivibus Solis fervore solutis:
Occurrit spectator aquæ, tentatque Colonus,
Si valeat cœptum rumpentis sistere cursum;
Sistere sed postquam desperat, viribus impar
Cedit aquis properè fugiens, & valle relicta,
Ne fluctu incumbat, tumulum festinat in altum.
Sic Canis ut primum campis exire Maniplum
Providus aspexit, subitò Spadone (1) citato
Prosiluit volitans una comitante Cohorte,
Turbavitque agmen peditum, qui ponte peracto
Transierant, longaque manu lata arva tenebant.
Protinus ad fluvii lacero redit agmine ripas
Turba fugax, pars multa cavis se sternit in undis.
Haud aliter, quàm cùm demissus ab aëre Falco
C Multa strage ruens, horrendus turbine multo,
In latices pavidas (f) demergere (2) cogit Anates.
Mox arrectus equo, clypeoque innixus, & hasta
Conspicit armatas alia de parte Catervas,
Et videt Eoas (3) acies, Germanaque signa,
Gorico., (g) Sclavosque leves, Tyrolas, & Istros,
Valsenosque Equites, quos longo Stiria tractu
Miserat, Ulrico cupidos parere potenti.
Dehinc Tarvisinas decernit adesse Cohortes
Convicina Fori comitantes agmina Juli.
Hos inter Romana manus, quam Teutonis Austri
Dux dederat, Mundique pater tu Maxime Cæsar,
Teque videt Paduane ferox obsesse per annum
D Miles, & audacem Populum, qui flumina primi
Quæritis instantes aditu migranda repenti.
Non secus, ut laqueis à venatore retenti,
Dum strepit ad prædam cornu infrendente, Molossi
Ore

(a) *In M.* hoc. *Villanus* Si fortè hæc &c.
(b) *In V.* triduo.
(c) *Cod. Est.* fœdere.
(d) *In V.* dignus.
(e) *In V. & M.* visa.
(1) Nisi fallor, verbo *spadone*, significare voluit equum cantherium. Quod si ita est, claudicat prosodia in prima, *spadone*, quæ corripi debuerat. *Villanus*.
(f) *Melius* semergere.
(2) Cate, ut solet, pro demergere Scholiastes emendavit, se mergere. At in verbo, *anates*, corrupta est quantitas medianæ syllabæ, quæ corripi debuerat. *Villanus*.
(3) Dii boni quas appellat *Eoas acies*? Germanasne? Sclavasne? Istrasne? *Jam jam Ararim Parthus bibet, & Germania Tigrim*. Reponerem *Arctoas*, pro *Eoas*, ni longiusculè à scripto iretur. *Vill.*
(g) *In V.* Parthosque.

Digitized by Google

Ore latrant, jaciuntq; acres è (h) gutture spumas.
Tantorum aspectu monitus Mavortius Heros,
Quamquam pugnæ avidus, multo ulterioribus impar,
Consulit instanti sese non credere bello,
Nec conferre manus; sed forti immittere Castro
Præsidium positis in proxima rura stativis.
Interea socios, quos Gens Lombarda parabat,
Expectare suos, viresque adjungere pugnæ:
Hæc Canis audaci per se conceperat ausu:
Altera sed summo lata est sententia cœlo.
Nam Christum à dextris Patris de more sedentem
Virgo adiit Justina cito celeberrima gressu,
Virgineo sociata Choro, sic questa dolenter.
Christe Deus, Mundo cui Virgo Juvencula nupsi,
Dum Regina forem Patavi ditissima Regni,
Exaudi, si justa peto, si Chrysmatis uncta,
Si Martyr, Regis si filia Vitaliani.
Gens inimica meam bellis crudelibus Urbem
Obsidet integro cur tantis cladibus anno
Te patiente, Deus? Non exprobrare voluntas;
Sed memorare mea est. Nonne hæc Baptismate prima
Urbs Cisalpinis (4) lavacrum suscepit in Oris,
Veronâ Fidei post tempora multa rebelle?
(i) Testis adest, si vera sacer transmissus ad illam
Prosdocimus docuit, Petri se dogmate fassus
Discipulum. Populus quisnam Orbe fidelior isto
Templa tibi, Sanctisque tuis majora per omnes
Astruxit terras cultu celebranda perenni?
Et tamen ipsa meo vix jam viduata locello,
Basilica gavisa nova, nunc Præside pulso
Deseror infelix. Non importuna requiro.
Pone manum pharetræ, & saltem quacumque sagitta
Fige Canem, victumque mea fac cedere terra.
Arrisit Sanctæ Proles Divina Puellæ,
Et flentis madidos palla detersit ocellos,
Apposuitque manum capiti, plausitque querenti
Leniter his verbis: Non sic, mea Virgo decora,
Res Paduæ veteres, Generis, Patrisque Tuique
Negligimus; nostræ sed stat sententia menti
Gratuitis Patavam tractare favoribus Urbem,
Hocque tui causa, Sanctorum & amore meorum,
Quos ea claustra tenent. Ipsi nam fulmine nostro
Fudimus infestos ingenti vulnere Gallos
Hesterna, scis ipsa die. Non viribus ullis;
Sed nostra periere manu. Tibi vera fatemur.
Pro culpis meritas nonnullo examine pœnas
Sustinuere Tui majori turbine digni.
In Patava longa pro pace Superbia terra
Creverat unde Iræ, Invidiæ, & genus omne malorum,
Luxuriæ turpes, & avari fœnoris usus:
Inde feræ Cædes, Odia intestina, Sceluque
Omne, quod in parvis solet increbescere terris.
Non nisi criminibus cessat Censura piatis
Nostra, nec accedit nisi certis Gratia causis.
Verùm, Virgo, tibi jam nunc miserescimus ultro.
Quæve super factis Paduæ proponimus, audi.
Saucius ecce Canis superatus Marte recedet,
Ut petis. Hæc hodie jam jam te supplice fient.
Pax erit, & sævum vobis placabimus hostem.
Nam magno in Latio multò majora paramus.
Quippe duplex Ligurum calcabit Gallia terras,
Urbibus Hesperiis jam jam nova regna resurgent.
Nec plus quære. Tuus Patavus contentus abibit.

A Digressus campo, collectis undique signis,
Egregiis de more Viris ad terga relictis
Dux Canis ante alios Castri tendebat ad Arcem.
Non sic summa sinunt. Pedites namq; ante repulsi
Missilibus variis hostilia terga sequuntur.
Tunc excire Canem pugnæ de Ponte cucurrit
Ala equitum primis peditum conjuncta maniplis,
Quæ Canis extremam turbabat abire catervam.
Tumque ejus frontis Proceres cum turbine multo
Alipedes movere citos, atque impete magno
Diffusum retro Populum vertere fugacem.
Constitit audito Canis omnis turba tumultu,
Contraxitque moras instanti pendula pugnæ.
Protinus ecce Comes celeri Goritius ardens
Vectus equo Henricus phaleris à clune rejectis,
B Acer in extremam denso ferit agmine turmam.
Res agitur telis, bello se conserit omnis
Miles, & in lato peraguntur prœlia Campo.
(K) Icta gemit tellus pulsu concussa frequenti
Cornipedum, volitat diffusus in aëra pulvis,
Conseritur pede pes, crus crure, & pectore pectus.
Igne micant fulvæ ferri stridore favillæ,
Collidunt clypei, crebris sonat ictibus aër.
Turbat & intuitus spumantum sudor equorum,
Atque per auditum vox non decernitur ulla.
Tum strages; cædesque virûm, primoq; tumultu
Ugo cadis sparsa cerebro manante patella,
Ugo, Cæsareis melior quo nullus in armis,
Fortior aut Montis gessit fera bella Catini.
Sternitur Andreas ductor, bellique Magister,
C Destituitque suo pollutas sanguine Scalas.
Cùm Pontem exiliens, magna comitante caterva,
De Valse Ulricus, toto ruit agmine Magnus,
Instaurans cœptum juncto certamine bellum.
Tum strepitu lituum, & magno clangore tubarum
Mille perhorrendos fundebant cornua cantus,
Buccina terribiles edebat stridula voces.
Cessit rupta acies Canis, & collisa secundæ
Detrudit venientem, & se juvisse parantem,
Conantemque retro præceps socia agmina vertit.
At Canis eversas cernens secedere turbas,
Instaurare studet, clypeoque (l) objectus, & ense
Exclamat: Socii fugitis, mea gloria semper
Insoliti? & ferro quæsita relinquitis arva,
D Deseritisque Urbem longo jam tempore victam?
Mecum agite, & ferro pariter tendamus in hostem.
Hæc ait, & secum Proceres in bella reflexit.
Ut Leo marmaricum fronti illucescere ferrum
Cùm videt, excitam magis excandescit in iram,
Ignarusque fugæ despectum excurrit in hostem.
Ast belli pondus tum vi majore grave scit.
Namque Canis turbis ex omni parte solutis.
Dum prostrata ruunt fusorum turba cadentum,
Viribus hostiles cunei majoribus instant,
Qui non sponte Canem retro secedere cogunt
Magnanimum. O quanta cordis penetralibus ira!
Vertere terga pudet. Repetens munimina Castri,
Ingreditur primas magno conamine barras.
Utque videt barris certantes cominus hostes,
E In Castrum subiturus erat; sed ponte levato
Vertit ab Arce gradum, dubiæque cavere saluti
Pensat, & ad Montis Silicis divertere callem:
Tum citat alipedem saltu; sed protinus ipse
Incidit in fossa, fieri quam fecerat, ima.
Accurrunt comites magno discrimine circùm,
Deprehensumque levant armis, & pondere (m) lapsum

Re-

(h) *In V.* gurgite.
(4) Præpositio *cis*, ni falsus animi sum, corripitur. Et paulò post producit primam verbi, *basilica*, quam corripiendam puto, eò quòd βασιλεὺς cum suis derivatis contrahitur; & ratio etymi, si verum est dici βασιλεὺς, quasi ἀστυνεὺς, id idem exposcit. *Villanus*.
(i) *In M.* Testis adest, si vera quidem Sanctissimus illum.
(K) *In M.* Læta, *fortè pro* læsa.
(l) *Fortè* obtectus.
(m) *In M.* pressum.

Digitized by Google

Restituunt magno tremitu. sellæque reponunt.
Utque impostus equo calli se vidit aperto
Expositum, Silicis tuta ad munimina Montis
Dirigitur rectæ servans vestigia ripæ.
O numquam stabilis vario diversa rotatu
Rebus in humanis quantum Fortuna jocaris!
Non simili fruitur tua magna audacia cursu,
Magne Canis, quo tu Patavorum millia paucis
Fudisti sociis. Tunc se sic fata ferebant.
Ast Juvenis sumta secum ferventior ala
Ulricus condensa Canem per bella requirit,
Transgressusque acies omni statione pererrat,
Qua putat esse Canem, multorum & cæde peracta
Quò sentit fugisse Canem, se transtulit illò (n),
Calleque quo pergit, cursu decurrit eodem.
Ut Veltres (5) fugiente Lupo, latransque furensq;
Per sentes & rura meat, nemorumque recessus
Ambit, & arrecto sequitur vestigia naso:
Ut verò latices (o), vel summa cacumina sentit
(p) Pertransisse, redit sinè spe, mentemq; reponit.
Pons erat amplectens Fluvium, quo scinditur ager
Directi callis; Canis hunc trajecit, & illo
Confestim amoto, Ruralis sorte reperti
Functus ope, objectam linquit venientibus undam
Tunc quoque liberior galea post terga rejecta (q),
Squallidus aërei sumit fomenta vaporis.
Longum iter ad Montem visum sub pondere fesso
Armorum, & pulsu pendentis crure sagittæ.
Hujus nota manus non est; sed fortè putarent
Demissam Cœlo, quam tu Justina petisti.
At pigritantis equi stimulis pulsuque frequenti
Se tamdem in Castrum multo languore recepit.
Ulricus sublata Canis vestigia linquens,
Infrendens ira, minima quòd tardior hora,
Ocyus implicitum non circumvenerit hostem,
Obtruncat profugos, quos invenit, obvius omnes.
Diffusa de parte Canis nonnullus ab altis
A Elapsus ripis mortem sibi legit in undis.
Sparsa Canis Campis acies diffunditur omnis.
Nec prædæ, cædive modus. Paduana per agros
Plebs infesta furit nullo satiata cruore:
Dirripit abjectos, nudataque corpora truncat.
Panditur hìc, peperit quod longa injuria, crimen,
Dimittitque suos inferna ad Tartara Manes.
Dum gladiis exemta ruens Canis ala propinquum
Effugit in Castrum Patavis immixta catervis.
Namque patens Castrum, portisq; effusus apertis.
Conflictu in tanto Custos effugerat omnis.
Sed subitò divulsa fugit Gens hostica Castro,
Et Vicentinas lacero petit agmine terras.
O hominum mendax, & inanis opinio! Numquam
Quod cupit assequitur, nisi dextro (r) *Numine, quisquam,*
Castrum excelsum, ingens, atque expugnabile numquam,
B Linquitur infensum. Canis ipse satisque superq;
Perdere, dum tantum fugeres, contentus abisti.
Quis numeret pingues prædas, effusaq; campis
Arma, & Equos, fulvi & rura micantia sellis?
Quasque Canis thalamo servabant scrinia gazas,
Insutasque auro vestes, zonasque, thorosque?
Plebs rapit. O mirum auditu! Paulò ante superbæ
Vertitur in nihilum Magni Canis Insula Scalæ.
At cadit Oceano dum Sol, redit omnis in Urbem
Victor, & optatæ dudum dat membra quieti.
Ast matutinos tribuit cùm Lucifer ortus,
Atque oriens Mundo dispersit lumina Titan,
Visuntur prædæ, captivorumque catervæ,
Cornipedumque greges, & Martis dona faventis.
Vota Deo solvunt, & summo brachia Cœlo
Tendunt, ac longis cingunt altaria ceris.
Vocibus acclamant, Fridericum vivere Regem
C Augustum, & magnæ rostris considere Romæ.

(n) *Hìc deficit Cod. P.*
(5) *Veltres*, glossa Etruscorum. Est autem canis venaticus, quem à persequendo lepores appellant etiam *Levriere*; *Veltri* autem fortasse dicuntur corruptè à verbo Latino, *velites*, quos à celeritate sic dictos volunt, quasi *volites*. Vel etiam à verbo Græco, βέλτερος, ablata ε media per syncopem, formatoque βέλτρος: quòd canes id genus sint aliis meliores, velocioresque; significatio autem velocitatis inesse videtur ipsi verbo, quod ἀπὸ τοῦ βάλλω motum significante, unde & βέλος, deduci videtur. Hæc autem ingenii causa dicta sint, aliud enim fortasse sit etymon verbi hujus. At ego meam dialectum quàm maximè honestare voluerim: quæ res in affinitate meliorum linguarum, non autem in dissimilitudine, ut plerique arbitrantur, consistere mihi videtur. Non prætermittam obiter annotare, Dantem Aligherium in ea, quam vocat Comœdiam, appellare Canem Grandem *Veltrum*, eo quòd Avaritiam occidisset; ait enim

---infinche'l veltro
Verrà, che la farà morir di doglia.
Questo non ciberà terra, nè peltro,
ma sapienza, & amore, e virtute,
E sua nation sarà tra Feltro, e Feltro.

Sed Mussatus non uno in loco maledictis illum incessit, ut vidimus hucusque, id quod in neutro eorum est mirandum, cliente altero, altero Patavino. *Villanus.*
(o) *Villanus legit* latebras.
(p) *In M.* Excessisse.
(q) *In V.* relicta.
(r) *In M.* munere.

Albertini Mussati de Gestis Italicorum post Henricum VII. Cæsarem, seu de Conflictu Domini Canis Grandis de Verona apud mœnia Paduanæ Civitatis Liber XI. explicit.

ALBER-

Digitized by Google

ALBERTINI MUSSATI
DE GESTIS ITALICORUM
POST HENRICUM SEPTIMUM CÆSAREM
LIBER DUODECIMUS
AD BENTIUM
CARISSIMUM AMICORUM.

De traditione Paduæ ad Canem Grandem Anno MCCCXXVIII. mense Septembris, & Causis præcedentibus (a).

DE Ordine Causarum, Fatorumque serie in Opere nostro de Lite Naturæ, & Fortunæ tractavimus, quatenus materia illa suppetiit. In quo licèt ea, quæ aguntur verisimiliter, nec non (ut nonnulli existimant) necessitati incumbere videantur: omnia tamen illa humanæ subesse virtuti, veriori & sanctiori ratione conclusimus, cui desuper Excelsus Deus liberi conditiones donavit arbitrii, cùm à primordio rerum liberum creavit, & edidit protoplastam, nisi se ipsum exinanisset, & fecisset in sui ipsius prævaricatione mancipium. Lapsus quidem in naturam corruptibilem, non modò is peccati servus factus est, sed (proh dolor!) à se progenitos fecit obnoxios. Infecit inde Orbem terræ (b) excadescentia stirpis Caim in ætate primæva, quæ pœnitentem Deum talis Creaturæ delere aquarum inundatione coëgit. Sed quid ni? Genus illud primum Deo bono extinxisse quid profuit? Cùm secundum seculum paulò post in nequitiam reciderit Esau. Nec ea substitit; sed ad hoc ultimum Mundi senium perduravit, non ipsius Dei Summi per certam Sobolem Cœlo dimissam visam & cognitam (c) monitionem correptum. At præterierit antiquitatum, codicum que veterum vigens, atque exuberans; sed non exprobrosa memoria: & subjecta nostris oculis insignis, atque omni ævo memorabilis subtexatur Historia, in qua post Eccerinidem nostram Paduana posteritas fortunam Urbis suæ, & velut ab ipsa natura inditum, ac fatale eventuum suorum judicium speculetur, sive pro terræ situ, sive talium elementorum fluxu, seu quavis occulta dispositione mortalibus. Variatur siquidem semper Civitatis hujus status (d) alteratione mirabili, qua annorum circiter L. curriculis cunctis naturæ, quæ sub Cœlo sunt bonis pullulat, & augescit. Virtutibus præditos Cives A gignit: Illibata pace fruitur; finitimis Civitatibus præest, quas amore, & beneficiis ad se allicit, & veluti Mater gratuitis protectionibus principatur. Sed ubi Res publica, privatorumque in tantum iis crevere virtutibus, ac moribus, ut magnitudine laborent sua, (e) insævire Fortuna, ac mutare omnia incipit; & in pecuniæ cupidinem omnium scandalorum materiem liberalitates, probitatesque convertere; & in opulentiis inopes esse. & Deum Sanctosque quos suprema opera, & religione eo usque coluerant, negligere; & in usuris, ac fœnore tempora diesque (f) assumere, & animos exercere. A cujus avaritiæ initiis Sancta suppeditatur justitia, & nefas dolis atque fallaciis usum capit, omnesque bonas artes in vitia nequitiasque confundit. Ex quibus omnis regiminis frena rumpuntur, & repentè solutis institutorum compaginibus tyrannides incidunt improvisæ. Et B habet hunc excessum flagitiosum illa infausta Communitas, quòd postquam in ruinam lacerata dilabitur, obortæ in ea crudelitates, & inhumanæ calamitates extemplo carent, & inaudita exitia, & fœditates, quæ per omnes Mundi terminos stupescere faciunt audientes, & mirabundam faciunt memoriam sempiternam. His igitur de Urbis natura (g) præmissis exordia, potioresque causas defectionis, ac traditionis ad Canem quam compendiosiori poterimus indagine differemus.

Post Pauli Dentis commotionem, quæ adeò Populi Paduani enervatio, exitiumque extremum fuit, ut nec Respublica ulla, seu Communitas aliqua dici posset, Populus inde, ac Plebs, Carrariensium, uti pecora, aut servilia mancipia facti sunt, tantæ vitæ circumventi formidine, C ac Dominorum plurimorum perplexitate, ut in quem unum Dominium intenderent, cujus umbræ, aut tutelæ se se committerent, ipsi haud scire possent. Omnibus autem se commendatos facere, ut à singulis tuti essent, nec facultates hominum, nec tantarum summissionum studia suppetebant. Tyrannidis quippe hujus novæ ex hac status mutatione suborta Ca-

(a) *Duplici MS. usi sumus in his, & sequentibus emendandis, uno Clarissimorum Papafabarum, qui nota hac PP. insignitur: altero Veneto, quem V. litera denotamus. Ceterùm, quæ toto illo temporis intervallo, quod inter Conflictum Canis G. apud mœnia Paduæ, & Traditionem ejusdem Civitatis eidem Cani gesta sunt, persecutus est diligenter Cortusiorum alter, qui emendatus & ipse in collectione hac Scriptorum Italicorum locum habebit.*

(b) *Sic emendavi locum hunc, cùm in utroque MS. esset* scatescentia stupis, *nullo planè sensu.*

(c) *Cod. Est. & Ambr.* monitione correctum.

(d) *In PP.* alternatione.

(e) *In V.* luscivere. *Fortè pro* lascivire, *uti legit MS. Ambr.*

(f) *Cod. Est.* consumere, *& ita Ambr.*

(g) *MS. Ambr. addit* succinctè.

Digitized by Google

Capita erant Nicolaus Miles, Marsilius Magnus, quem sic comparatione Marsilieti vocitabant, quem ex personæ proceritate, ac ingenti virtute superabat, Marsilietus, Obizo, Jacobus ætate pubes, Ubertinus, omnes ejus prosapiæ de Carraria eminentiores unum caput Dominii concipientes, & sibi Urbis totius imperium induentes. Is (h) adjiciebatur Tartarus de Lendenaria, Ubertino, tamquam juvenco atroci & indomito, conjugatus, quo nulla Tygris, aut Fera severior. Suberant iis & alii Carrariensium semper facinorosi fautores Aycardinus, & Franciscus de Capitevaccæ (sic stirps illa nuncupatur) omnium flagitiorum, scelerumque consortes, sub quibus omnibus Catuli aderant plurimi dentibus jam rapaces, & unguibus, qui & ipsi in majoribus delictis, criminibusque insæviebant, potentiis eis ad majora non deservientibus. Principio hujus sævæ, horrendæque Dominationis, ut ullam regiminis faciem Urbs habere videretur, quam maximè procuravere, ut Canis Grandis violentos ausus, insecutionesque retunderent Ulricum de Donesdorf, cui Ulricus de Fanniberch Subvicariatum pro se sub H. Boëmiæ Regis, Ducisque Karinthiæ titulo absens reliquerat, sibi, Urbique Dominum, Rectoremque nomine prætulere; sed re Clientem, turpemque conservum, & in omne commissum facinus pronum, magno de jacturis Monasterii Sanctæ Justinæ, pulsorumque Civium, qui Urbe ingenti metu profugerant, ære suscepto, illumque pro ipso H. Rege sedere pro Tribunali fecere, vicesque regias obtinere, cujus auctoritate capitalia judicia promulgata sunt. Nec eorum dumtaxat, qui Paulo se adjunxerant, laterique ejus astiterant, contenti nominationibus, damnationibusque, qui triginta pedites, equitesve, seu circiter fuerant: sed per Quarterii Pontis Molendinorum Vicos, adjacentiasque, nec non per alias Civitatis oras, quos ullo ante tempore Lemizorum (i), Dentiumque affines amicosque esse pernoverant, damnationi adjecere, reosque mortis, & proditionis obnoxios judicari fecere, multis etiam insertis, qui tunc Urbe abesse comperti sunt. Neve sceleri jam cœpto avaritia deesset, multos dolo nominatos eisdem scriptis nexuere, quos singillatim ære redemtos, tamquam extorres, dimisere. Et lues hæc per dies plurimos perseverans miseros Plebejorum, Opificumque, qui locupletes putabantur, contributionibus exactionibusque affecit, de quibus multis notitiæ non latuere. Multi quoque pœnalibus comminationibus jussis eisdem silentiis ad tempus conticuere.

Dum hæc Paduæ soluta Reipublicæ compagine à Carrariensibus agerentur, superadvênit Cunradus de Ovestagn pro H. jam dicto Boëmiæ Rege, ac Duce Karinthiæ, abdicato ab Præsidatu Paduæ Ulrico de Fanniberch, pro eo, quòd super Gulielmi Dentis nece segniter, ægrèque se gessisset. Hic galeatos CC. secum superadduxit aliis C. in Urbe, quos sibi adesse præconstituerat, compertis. Missus hic erat ab ipso H. Rege ex Consiliariorum suorum consulto de nece Gulielmi Dentis, excursu, & insultatione Pauli ad plateas, de Potestatis occisione, reliquisque excessibus veritatem agnoscere, sontes punire pro reatuum qualitate, & (K) Civitatem reformare, & honori Regio præcipuè intendere; Communitatis, & æqualium Civium Consiliis sub Statutorum Civitatis observatione adhærere, ac etiam Plebiscitorum, quibus Plebis favores cavebantur. Cunradus hic subactam à Carrariensibus (ut perhibitum est) Urbem inveniens, constratosque metu ac terrore Cives, Abbatem Vangaditiæ eo usque & Regi, & Populo creditum Venetias in tanto discrimine abiisse, Mussatum Clugiæ relegatum, Joannem militem de Campo Sancti Petri, & Cives alios, qui Regio, Capitaneorumque consiliis adesse consueverant, metu Carrariensium ad circumstantes Terras aufugisse, solis Carrariensibus circùm illum consistentibus, & querelas, rerumque causas nullo obice pro suo libitu, favoreque proponentibus, dicentibusque se se pro Rege jamdudum Civitatem hanc à Cane Grandi, seditiosisque Civibus defendisse, nuperque Paulo Denti spurio quondam conjuratione multorum in Regium damnum, dedecusque plateas insultante solos restitisse, & sanguinem suum fudisse cicatricibus in patulum comparentibus offerre se suo assistere lateri, honoribus & beneficiis prosequi, atque obsequi: imperet ipse pro Rege, suosque esse satellites, & adversùs Canem, & hostes quoslibet tam domesticos, quàm exteros affuturos, omneque discrimen subituros. Ac insuper naturam viri, moresque agnoscentes, quod honore Regio, suoque & cunctis sub Cœlo rebus sibi pecunia carior esset, subjecere Civitatem, Civesque, quamquam multis agitatam, obsoletamque exactionibus, adhuc non sic exhaustam, quin pinguior, opulentiorque sit, quàm supputetur. Videat ipse, jubeatque (*pecunias*) quantas exhiberi opus sit in omne expediens utileque subsidium, ipsis solis enuntiet, omnia seu volentibus, seu nolentibus quibusque nullo medio executuris. His exhortationibus, & præsertim audita pecuniarum mentione Cunradus (quamquam ad alia communiora, & saniora se missum agnosceret) perplexum, ac vacillantem animum in rectum, obliquumque permiscuit, seque illis affabilem, magisque occidua, quàm constantiori continentia mediocriter exhibuit. De qua Carrariensibus perpendisse satis in signum vênit, spemque illorum erexit, cum familiaris, socialisque quàm Judicis rectoris actus ostenderet, Tartaro, Ubertinoque facinorum auctoribus arridens, interdumque ad medios amplexus condeclinans, quod mox communes Cives, Popularesque pavere, & diffidere de illius inconsistentia fecit. Per eos dies à Mussato de Clugia literas suscepit tenoris hujusmodi.

Reminiscatur ad quid, quibusque causis ab Regibus duobus scilicet (l) *F. Austriæ Romanorum Rege, & H. similiter Boëmiæ Rege, & Karinthiæ Duce, Paduam missus sit, ex amborum constanti consulto. Quare etiam abdicato à Præsidatu Paduæ U. de Fanniberch ipsum subrogaverint, nisi ex eo, quòd in Gulielmi Dentis internecione detestabili segniter se habuerit, hebesque in ultionem debitam tam execrabilis criminis fuerit, & quorum probatis consiliis uti jussus sit: neve in partem ullam factionis ullorum Civium pendere meminerit; sed maximè communionis* (m) *decretis, consiliisque publicis, & privatis Rempublicam nullis opprimi sinat: de criminibus, crassantiisque tam in Rempublicam quàm in privatos judiciariis censuris judicet;*

(h) *Scriberem* Iis, *aut* His, *uti in Ambr.*
(i) Limisciorum, *seu* Limiciorum *Scardeonio Lib. III. Class. XIII. pag.* 318.
(K) *In PP. & Ambr.* Civitatem in pace reformare.
(l) *Literæ initiales hæc nomina significant, F.* Friderico, *H.* Henrico, *U.* Ulrico.
(m) *Pro* Communitatis, *ut alibi.*

Digitized by Google

cet; sub quietudine animorum Communitatis universæ Regiam potentiam, auctoritatemque sublimet, quæ quorumlibet potentium audacias sternat: convictos scelerum reos damnet, & innocentes absolvat, fugitivos Cives in tutum in Urbem revocet, qui se se reatuum impollutos existiment: ad se venire Mussatum jubeat abre in Clugia sequestratum, nec non & reliquos, qui potentiorum metu profugerint, quibus fas sit de se, & Republica contestari, quæ vera sunt. Cunradus auditione earum, quamquam jam amore pecuniæ mente corruptus, læsa conscientia consternatus, per (n) indicem affatim Mussato per hæc verba respondit, literas siquidem signare ausus non fuerat, ne quo errore tenor ad Carrariensium notitiam perveniret. *Et scire, & reminisci sic esse, ut Mussatus judicaverat: se se Mussato admodum grandi accepto teneri servitio, cujus solertia & procuratione apud jam dictos Reges hunc ultimum Præsidatum obtinuerit: Non hæc menti suæ unquam excedere. Transmissa consilia pro salubribus documentis habere; verùm variatione Paduanarum rerum exercitia gerendorum in promtu non esse, nisi conditiones liberiores habilitentur. Hortari eum, simulque & precari, ne tœdeat paulisper eo demorari, quo est loco, dum repatriandi commodior opportunitas tempus locumque captabit.* Interea Carrariensis ad Viri conversionem ad se summis studiis intendere: Cunradum summissis plus timore, quàm amore Civibu catervatim, ac singillatim, & viritim subornare: sollicitare, qui Cunrado suggerant in potentiis, prudentiisque Carrariensium salutem Urbis fore: illis innitendum, adhærendumque tamquam tutis præsidiis Civitatis, quibus agrestes omnes à circumferentiis Tarvisini districtus, per finitimas Venetorum lacunas usque in meridionalem oram affinem Communitatibus Marchionum Estensium, atque Coloniarum ferè omnes, quorum major pars inquilinorum suorum erat, suis jussis putarent. Idemque de majori Popularium, Civiumque parte media Urbis incolentium fore; Urbem suis velis, suis remigiis gubernari oportere. Nec non & auribus ejusdem addicere, secus esse non posse, in eorumque esse potestate trans omnem Regis sui potentiam statum Civitatis in aliam formam commutare. Ipsi quoque, præcipuè Nicolaus Miles, Marsilius Magnus, dies noctesque ad illum frequentare magnis armatorum, sociorumque comitivis, cœnare, commessari, exenia, poculenta, & esculenta, offerre: sed attentioribus validioribusque studiis pecuniam polliceri de publico ære, quantitates exprimentes, quæ in promtu erant, & similiter de futuris exactionibus, & contributionibus Civium proventuras absque ullis querelis in publicum divulgandis. Quæ omnia sitibundum avarissimumque hominem, ut prædium, vel mancipium emtum cum omni anima & spiritu in Carrariensium possessionem transtulere, & sic omni potestate exuto, ut eorum nutibus res privatas omnes & publicas condonaret.

Quibus compositis extemplo (o) Hengelmarius de Villandres contubernalis ejus cum literis Communis, Legatisque Carrariensium fidis ad H. transmittitur, qui sententias capitales adversùs Paulum Dentem, & Complices, ob eamque causam damnatos sua Regia auctoritate confirmet, tamquam suæ Majestatis reos sub omnium confiscatione bonorum. Aliaque secum attulere commenta juxta Carrariensium optiones, quæ populum, plebemque, ac omnem Communionem per indirectum Carrariensibus subjiciebant. Veritusque Cunradus, ne tam dura, & minimum sub juris, & æqui ordine, & veritate exquisita, composita, & suggesta in Regis Curia reproba haberentur, ipse sumptis sibi à Carrariensibus Collegis Maranum simul ad Regem contendit. Mirum hujus Viri virtutes, vitiaque, simulque Fortuna quàm magnificum fecerint. In armis siquidem strenuus erat, robustus, & fortis. In Curiis ante Reges admissior, & omnibus præstans. Operum, & præsertim bellicorum solertissimus effector. Exercitatus, & audax in omnibus, quæcumque Reges jussissent. Inferioribus verò formidabilis, & metuendus; sed semper pecuniæ famulentus, & nullis copiis explendus. Quinimo ad conduplicationes vehementer sitibundus, quibus deficientibus & ipse in iram lacessitus omnia desponsa servitia deserebat, nec in alienis bonis, aut ære sibi suscipiendo fasve, nefasve quidquam intererat justi, injustive (p) dationes fuerint. Enimverò per eos dies Abbatiæ Sanctæ Justinæ frumenta, vina, & quæcumque mobilia, quæ obligare cuiquam Abbatis etiam delicta manifesta nequiverant, licitari sub hasta, vendique fecit, & in suam reposuit neglecta omni Sacratissimi Templi, ac Dei, & Sanctorum suorum læsione crumenam. Sed proh irrisibilis, atque odibilis Divinæ Majestatis allusio! Vir hic Ecclesiasticorum bonorum expilator & prædo, omni mane, summo diluculo ternis saltem Missarum auditionibus miris vacabat supplicationibus, nonnumquam editis è pectore imo suspiriis, labiis jugiter in frequentatione Dominicæ Orationis collidentibus, & incusso frequentius pectore ad summum Cœlum attollens oculos, ut luctuosus aspicientibus appareret, & à cœremoniis, divinisque mysteriis divulsus in audientiis propositarum ante se causarum labia jugiter verberabat, nec unquam ante meridianum cibum, veluti raptus à divinis speculationibus, ad humana colloquia descendebat. Quodque majus admirabiliusque censeri potest, objecta meis oculis hæc ipse vidi. Quod scilicet de iis aliisque rapinis in plerisque Karinthiæ Oppidis claustra Sanctimonialium, Ecclesiasque, ac Basilicas exstrui fecit largitionibus sumtuosis. Sed ne scripta hæc mea, quæ apposita leget otiosa posteritas, increpanda relinquam, quòd has Divinæ Majestatis (q) alluviones diximus, si fortè potiùs commendanda conscribi dicique potuerint, Divini, non mei relinquo cogitationi judicii. Ipse quidem infallibilis scrutatur corda & renes Deus, cùm nos Mortales persæpe tenebras lucem, & lucem tenebras arbitremur, quoniam (r) nostris prævaricationibus in tenebris ambulamus. Videre videor Cunradi accusare delictum, quòd me, meaque venditor illis emtoribus in hac generali sua traditione concesserit. Nam fortassis & hæc mihi lux fuit, qui patrias deinde calamitates, & extrema facinora videre subtractus sum. Nec licet scire, quanti me, meaque inter illa pecora æstimaverit, quem per XL. ferme Lunas Urbe ex-

(n) *Cod. Est.* Judicem.

(o) *In serie Potestatum Paduanorum ad calcem Rolandini Grammatici de Gestis Marchiæ Tarvisinæ Ann. MCCCXXVIII. Laudatur Potestas* Griffus de Villandros Theutonicus. *In PP.* Hengelmarius, Hengemarius *passim appellatur.*

(p) *Cod. Est.* datores, *& ita Ambr.*

(q) *Sic in utroque Cod. MS. sed* allusiones *meliùs, cùm paulo ante dixerit* Divinæ Majestatis allusio &c.

(r) *Cod. Est.* uti nostris, *& ita Ambr.*

Digitized by Google

exclusum, bonisque & honoribus patriis exutum in ipso (f) exilio dereliquit. At fortassis & hæc mihi lux fuit, qui patrias deinde calamitates, & extrema facinora videre subtractus sum.

Abiit igitur Cunradus gazis Paduanorum onustus, Hengelmario, & Legatis secum ductis ad Regem. Ubi Rex accitis Consiliariis, quamquam jam de omnibus, quæ Paduæ gesta erant, edoctus, de Carrariensium scilicet prælatione ad Urbis Potentatum, & emta Tyrannide, legationem audiere, qualiter ipsi Carrarienses pro suis favoribus, aliisque criminationibus dictitaverant. Urbi videlicet diligenter accuratèque provisum fide consilioque fidelium Carrariensium, qui honorem Regium ab infidelibus scelestisque Civibus suo sanguine ac virtute defenderant, Populo in pace dimisso, qui non aliter, quàm ipsorum potentiis virtutibusque reformari potuerat, si quæ Paduæ composita ac constituta sunt, obnixè per Regem comprobentur, redituroque Hengelmario, dum ipse quoque Cunradus brevi ad Urbem rediturus sit, executio pleno jure commissa sit. Sed (t) nisi mihi de Regis hujus levitate ac mollitie hoc in loco plura differenda sint; pauca tamen dici veritas admonet. Animo æquo & justo parum deserviebat virtutis vigorisque (u) vitiatas, & digna tanto Viro Regalis auctoritas, cùm nihil sibi, præter nomen Regium, quod in Principes suos non transtulerit, in sua ditione reliquerit. Sed horum plurimorum animos insolentes superbosque faciebat summa Regis humilitas, & nimium laxa licentia, ut se unusquisque in Regni vicissitudinibus & Ducatus Regem Ducemque reputaret. Et quæ semper . . . . . & Principatuum curias inficit Avaritia, horum omnem ferme Regis hujus honorificentiam occupabat sibi in laudem reputantium, ut non pluris æstimaretur, quàm nomen inane & vacuum Regiæ Majestatis. (x) Ille titulum: Hi Regni legaliumque obventionum atque proventuum possessione gauderent. Quod satis superque magnificus superbusque progressus Paduæ, quem in paulò ante Canis Grandis hostis objectum fecerat, & ignominiosus reditus omni ævo pudendus ostendit. Expositis itaque per Legatos Paduanos suasione indicationeque Cunradi, quæ Carrarienses præconstituerant, ea nullo renitente, aut contra audente in conspectu Cunradi, decreta sunt, jussusque Hengelmarius Paduam redire, & rata haberi Regis auctoritate jubere, & pro Cunrado Civitati præesse, & Regio assidere Tribunali, & sumto sibi aliquo Potestate per publica judicia pro Patriæ consuetudine Communitatem regere: Sed privatim Carrariensium consiliis ac nutibus adhærere. Quibus explicitis Cunradus in Karinthiam, & Hengelmarius, & Legati Paduam profecti sunt. Paduam ingressus Hengelmarius acta in Curia primùm Marsilio, Nicolaoque, & Carrariensibus per ipsos Legatos interpretes pandit. Congratulatione magna in thalamo cum amplexibus facta concionem in diem sequentem acciri voce præconia faciunt. Hengelmarius in concionem more pæne Regio delatus acta apud Regem (y) vulgari magno præconio, applausibusque fecit, gaudere omnes

A Cives, Urbemque tranquillam deinceps intrò citroque tutam fore Bannitis, qui cum Paulo Dente ad plateas procursa verant, sequacibusque. Qui per se ipsos profugerant, reos judicavere; proditoresque Regis haberi. Concione dimissa omnis Populus Plebsque per Vicos ad ædes proprias discedentes inter se verba corde mœsto jacere; tacitis sermonibus conqueri; Rempublicam Carrariensibus subactam; deinceps Tyrannos metu muneribusque colendos; absentibus, profugisque Civibus compati. Nonnulli, quæ futura Urbis excidia, flagitiaque cernentes ad rura concedere: alii ædibus propriis latêre, & publica loca evitare. Et per eos dies convenientes Carrarienses in locis privatis de obser-
B vantiis differentes optionum diversarum erant. Quorum Juvenes arcere impetus nequeuntes ulciscendum de malevolis censebant, nec ultra differendum, potiundumque hac Fortunæ largitione adversùs insanum populum, qui ferme totus in partes Pauli à cæde eorum, non nisi pusillanimitate ac vilitate Regentibus concesserat: licentiis utendum à fortuna concessis, & statu præsenti consequente, Cane non forsan in longum stabili. Nicolaus miles Tartaro ferè per omnia unanimis Juniorum consiliis, & si non per omnia assentiens, in plurimis conveniebat, luxui, omnique corruptioni usquequaque dispositus. Sed Marsilius altiori animo omnia contingentia permetiens, aliis viis incedere cauto pru-
C dentique sermone disseruit. *Hac sibi magna licentia nec utendum, nec abutendum fore* (1). *Formam publicam tenendam in Civitate, ne figura Reipublicæ adeò usque deleta sit, quin faciem effigiemque habere censeatur. Voluptatibus usuique pro libitu rerum publicarum & privatarum satis locum esse sub modi ratione industriaque pro obtinenda ac sustinenda Civitatis obtentæ potentia. Canem habere à triplici latere vicinum insecutorem. Præ omnibus Civitati Justitiæ nomen dare, Potestatem more solito eligere, qui populo Justitiæ præstet imaginem, cùm non desit potentia jam à Rege concessa actus Potestatis restringere, ac ampliare, & vim, ac potestatem in Domum ac Prosapiam*
D *totam sub aliquo moderamine retinere*. Vicit Marsilii sagax astutumque consilium Urbi (tamen) perniciosius. Nam si dissolutam rem illorum Juniorum, & Tartari lasciviis dimisisset, dilata per triennium calamitas Populi ac Civium breviori termino finem quompiam accepisset, cujus temporis intercapedo exitialis, ac flagitiosa mortis supplicia exsuperavit. Accersitus igitur ex Carrariensium decreto, Hengelmariique auctoritate Potestas Urbi est per tempus semestre (z) Jacobinus de Bochis Brixiensis, vir famæ probatæ, qui Tarvisino Regimini anno hesterno strenuè concesserat, qui multa cum Carrariensibus pactione, privatis publicisque sponsionibus sub Justitia Populum Communionemque regere
E permitti debuerit, ut Rector communis, nec cujusquam gestor, vel obsequens haberetur, foretque. Is advenit faciemque Urbis figura Judicialis auctoritatis ornavit, seque qualis esset, quàmve justi æquique cultor (quibus potuit conatibus) boni strenuique Potestatis more ostendit.

(f) *Cod. Est.* turpi exilio, *& ita Ambr.*
(t) *Cod. Est.* nec mihi, *& ita Ambr.*
(u) *Fortè* vicinitas.
(x) *Supple* haberet, *vel* Ille titulo *scilicet*, gauderet: Hi &c.
(y) *Videtur desiderari* narrans.
(1) Conjunctio disjunctiva hoc loco valet, *non*, vel est Etruriismus. Diceremus enim *bisogna usare, e non abusare*. Mens autem, licentia, potestateque hac utendum eatenus, ac tali moderamine, ut ne dissolvatur, atque in nihilum redeat. Utimur enim iis rebus, quæ nobis utentibus permanent: abutimur his, quæ nobis utentibus pereunt. *Villanus*.
(z) *Refertur ad* Accersitus. *Vocatur is Corradinus de Buchis in serie Potestatum Paduanorum ad calcem Rolandini Grammatici*.

Digitized by Google

dit. Continuò is Ubertino Juveni, quem nec fas quidquam, aut tolerabile arcere poterat, exosus factus est, primumque, quòd de captivo uno ex ejus satellitibus ex manifesto facinore capitale supplicium sumsisset, quòdque jam alium captum alio ex crimine ex publico ergastulo illi demittendum denegasset. Itaque dum Virginem unam in ora Sancti Leonardi sartoris filiam jam nubilem, hortatu Tartari opeque, ad se noctu rapi trahique lugentibus vociferantibusque genitoribus fecisset; cùmque Potestas de crimine clamosa insinuatione conquerens illum ad se vocari jussisset, in Prætorium cum Tartaro, sequelaque sicariorum conscendens, Potestati mortis minas intulit ferox atque metuendus, ni processu destiterit. Meminisse deberet, ait, qualiter alteri (a) scilicet ..... de Bononia contigerit. Id ei quoque, nisi talibus processibus abstinens, patiensque sit, subitò eventurum. Jacobinus pro rei virique talis infesta qualitate, verbis acerbitate mansuetudineque promiscuis, illi respondit, nec objurgari institit, sed ab se conniventibus oculis illum diremit. At animo motus turbido, accersita familia sua, Antianis Gastaldionibusque Civitatis querelam fudit acerrimam, abdicare se tam turpi non Regimine, sed fœdo servilique officio propositum fixisse. Jamque cùm Campanam Communis, ad cujus tactum Antianorum aggregabatur Consilium, terno ictu pulsari fecisset, Marsilius Magnus cum honestorum Vicinorum Civiumque comitiva Potestatem in proximum diversorium traxit. *Viro Sapienti, Nobilique expedire*, inquiens, *non ob Juvenis Ubertini impetum, crassantiæque unius excessum* (2) *statum hunc periculosum Urbis concutere, novamque rem moliri. Placere omnibus Plebi, & Populo, & præsertim Carrariensibus de raptu virginis, omnique actuum & verborum in se excessu cognitione facti* (b), *& statutorum sanctione Ubertinum mulctari. Alio consilio, vel* (c) *aggregatione opus non fore*. Et conciliato, ut potuit, Potestate, Ubertinum, & Tartarum in ædem Papafabarum Basilicæ Sancti Martini proximam cum Nicolao & reliquis ejus stirpis sevocavit, ubi multis Ubertino severissimo (d) obstinatoque, molliter graviterque dictis illum assentientem quieturumque placavere, & veluti Leunculum placatum multis polliticis ad Potestatem duxere suasum dicere, *Et dicti, & facti pœnitere. Procedat Potestas judicario suo jure. Pariturum se omni judicio*. Sicque res illa substitit. Nec minùs Potestas nil contra nitentem in libris quinque centum pro raptu Virginis condemnavit, quamquam executio exactioque (sic exigente status ejus conditione) sub Ubertini indemnitate quieverit.

Per eos dies accidit, (e) Civem quemdam Paduanum æquè nobilem militem Communi, & Plebi attamen dilectum, quòd per externa tempora in Reipublicæ exercitiis adversùs Canem strenuè egregièque se gessisset, nunc à Carrariensibus bannitum, Urbeque profugum, exclusumque, quòd conscium insultus Pauli, ac complicem eum dixissent conjurationis exteriorum ejusdem damnationis, & specialiter Fratris Gualpertini Abbatis Sanctæ Justinæ, Turrim unam, quæ Turris Curani dicitur, secus Venetorum confinia occupasse: indentidemque se Urbi rebellem ostendisse, dum putasset Carrariensium odio Colonias illas, quæ circa eosdem fines circumsitæ erant, illi adhæsisse, & Urbi una rebelles fore. Expositis igitur illuc signis, & ingressu in eas Villas facto, Agrestes ad se allicere, & libertatem polliceri, & favores, & præsidia multorum ab Urbibus Ferraria, & Tarvisio expectare, quorum hortatu compositioneque eam rem susceperat. Finitimi verò vires ejus, & prima consortia cùm conspexissent, & modica ac exigua invenirent, & tanto aggressui non respondentia, substiterunt ea, sequentique die, si quicquam confidentiùs fortiùsque apparuisset. Sed eo medio tempore Carrariensis per indices certificati, unumque transfugam, scilicet Gherardum Laurentii Radicis filium, qui ex complicibus Cunradi fuerat, secumque affuturum spoponderat, de Cunradi transitu ad locum Turris, deque paucis Consociis, noctu & ipsi manipulos peditum satellitumque suorum, atque simul equitum cum Hengelmario, alaque Germanorum eò transmisere, & Cunradum improvisum, dum pallantem eum extra munitionem invenissent, aggressi sunt. Ille primam (*) Cohortem existimans, cùm nec una omnes se se in patulum simul ostendissent, primum insultum pugnans sustulit. At dum in se molem ingruere pugnantium vidit, paludem versùs, quæ proxima erat, ut limosum laticem enataret, fugam corripuit; sed armis, fatigationeque concertationis graviter circumventus, captusque, & cum eo circiter ex Consociis X. ductusque Paduam est. Ubi cùm se non hostem Reipublicæ sed contra Singularium, qui Urbem occupaverant, vim ac potentiam, ingressum in districtum suæ Civitatis licitum fecisse frustra dictitaret, judicium sustulit capitale securi percussus. Deque Consociis cum captivis simile supplicium sumtum est. Res hæc Populo universo, Plebique, dolori mœrorique fuit, quamquam magno metu subticerent, angoresque supprimerent. Publicè siquidem vulgatum scitumque est, dum & ipse sui hora supplicii professus fuisset, cum Paulo nihil illi ejus insultus, nihil pensi, aut conscii facinoris fuisse; sed simplici animo cum concurrente Populo ad plateam & ipse concurrisset. Veniebat & in mentem Civium Communioni quàm utilis, quàmve fidus Urbi fuisset, cunctaque fidelis Civis strenuè egisset, natus olim egregio milite Bonzenello de Vigontia antiquæ nobilisque stirpis. Verùm cadaveri ejus tanta per Carrariensis humanitas reverentiaque simul ostensa est, quòd magno honore militari more indutum in lecticam advehi omnibus comitantibus ad Sacrum Templum fecere. In quod Nicolaus de Carraria, seu pietate captus, seu fictè, ut ferocitatis suæ odium minueretur, lacrymatus est. Sicque versante casus humanos Fortuna, qui pro sua Republica memoranda plurima laudandaque gesserat, tamquam ipsius Reipublicæ reus damnatus morti occubuit.

Post-

(a) *Supplebis lacunam hanc addendo Potestatis nomen, & cognomen hoc pacto*. Pulliono, *scilicet* de Becadellis. *Is enim Potestas Paduæ renuntiatus Ann. MCCCXXV. inibi occisus est cum omni familia ex serie Potestatum Paduanorum in Rolandini Grammatici MS. calce, & Cortusio Lib. III. Cap. VI.*

(2) Verbo, *crassantia*, utitur quoque in epistola ad Cunradum de Ovestagn. & fortè alibi, satis crassa Minerva, *grassatio* enim fuerat dicendum. Tu si verbum latinobarbarum facere saltem vis, lege, *grassantia*, ni audes, *grassatio*. Villanus.

(b) *Cod. Est.* cognitionem fieri, *& ita Ambr.*

(c) *MS. Ambr.* Congregatione.

(d) *Cod. Est.* sævissimo.

(e) *Intelligit* Cunradum de Vigontia filium Bonzenelli, *de quo paulò post*.

(*) *Cod. Est.* parvam, *& ita Ambr.*

Digitized by Google

Postquam in hanc Carrariensium servitutem sors sic adversa Paduanam Urbem intro citroque concluserat, ut nemini contra hiscere, aut audere fas tutumve fuerit, Cives mœsti à rebus officiisque publicis se se subripuere, fora prætorialiaque consilia publica evitantes, domi, vel per rura, ut plurimum, (f) remorati, ignorari malentes, (g) quamquam agnosci. Nam Tartarus omnium sceleratissimus alumnum suis nequitiis Ubertinum capacem facinorosarum disciplinarum, quascumque ille suasisset, lateri suo semper junctum jugiter malis artibus imbuebat. Cùmque libidinibus suis atque luxui nulli honestati parcentes pro libitu deservirent, eò profusiùs sumoibus dediti erant, ad omnem quæstum illicitum discurrebant per vicos suburbanaque assiduè Urbem ambibant sicariis, satellitibus, bannitisque, quos multâ licentiâ in Urbe attraxerant. lenonibus, facinorosis, assassinisque stipati, Urbis faciem immutantes, tyrannidemque sævam contestantes, omnibus formidolosi. Quorum consortia cum telis & armis ambulantia, atque visu horrenda, porticibus vicinantes Cives intuebantur, & per rimas truces superbosque armatorum vultus conspiciebant, ipsosque Ubertinum, & Tartarum non ritu patrio indutos, sed fulgente auro, argentoque Ubertinum alteratorum in manicis colorum pectorali busto insutis, Tartarumque varia veste deformem, sequaces sub vestibus non trans genua descendentibus. Quorum visu conterriti Cives intra tecta sua delitescentes, non nisi post illorum digressum, longioremque distantiam ad Porticus ad familiares collocutiones, alloquiaque redibant, succrescente semper omnium terribilium crassantiarum, omnisque generis clade, ut per singulos dies, & Civitatis (h) oras injuriæ, violentiæ, prædæ, & homicidia patrarentur. Neve memoriæ nostræ decidat hoc insigne, ac rememorandum facinus. Erat in Urbe Matrona una plebeja, dives, quæ spectabilis viri olim Vinciguerræ Comitis Veronensis (i) fuerat, filiam habens nomine Peram Marini de Macharuffis absentis, ac banniti uxorem. In hanc vir ille Hengelmarius impudens & spurcissimus satelles, qui Cunradi de Ovestagn, imò & Regiæ Majestatis (ne quidquam ludibrio deesset) locum tenebat, stupri libidine cor adjecerat. Cùmque nec eam ære, aut muneribus vincere quivisset (licèt illa prudentior, atque honestior vitam suam continentioribus moribus agere potuisset, minùs se specularibus, spectaculisque quàm honestam mulierem decuerat, comto aspectu exhibens) vim paravit, Deo & hominibus contemtibilem. Noctu quidem tertia, vel quarta vigilia, cum Tartaro, & Ubertino (K) ganeorum, scelestorumque caterva sub tubarum, tibicinum, & symphoniarum (l) contritu obsessam circùm ædem, ne bipennium, incussionumque strepitus decernerentur, impetum ad portas fecere, quarum fractis postibus, cardinibusque vi excussis introiere, & in intimum Dominæ Peræ thalamum summa vi, matre, & filia simul vociferantibus penetrantes, in quam membratim à pluribus extensam Teutonicus libidinem extinxisse dictus est. Nonnulli tamen eam defensam, semivivamque relictam absque effectuali pollutione dixere. Parùm hoc nobis de rei hujus veritate quærentibus innotuit: Sed non attentiùs inquirere solertius studium fuit.

In hac igitur corruptissima Civitate tantùm increvere omnium flagitiosorum operum species, ut, quod per pacis tempora dirum fœdumque, ac crudele reputatum, illud nunc factu facillimum haberetur. De infinitis innumerabilibusque obscœnis pauca depromere posteris non inutile sit, ut colendæ suæ Reipublicæ, qui libertate fruuntur, seu fruitur, sua studia, ingeniaque acuant, & ne in has miserias corruant, & discrimina pertimescant. Erat trans Urbis mœnia à parte, quæ ad Austrum vergit, Claustrum Monialium Sanctæ Agathæ dedicatum, antiquum, summæ reverentiæ habitum, in quod multarum Sanctimonialium Virginum numerus Deo & B. Agathæ deserviebat, de sinu Urbis nobilium, simulque & plebejarum. In quod sub noctis unius silentio familiæ hæ Sacrilegorum, Parricidarum, & cujusque generis Crassatorum (m) ingressæ, per cameras & penetralia singula lo i irrupere, nec contenti spoliis, quorum onusti repletique abundè superque erant, Virgines octogenarias, omnisque (n) ætatis Dominas stuprantes, & renitentes per facies & membra sauciantes, nudasque cubilibus hinc atque hinc trahentes, libidinibus submisere. Cujus rei cùm manè in Urbem famosa tristisque increbuisset obscœnitas, atque dictu fœda & abhorrenda crassationis immanitas: Carrariensis majores natu, Nicolaus scilicet & Marsilius, quos pudor tanta, tamque infami transgressione confuderat, Potestatem adiere, vindictam de maleficis poscentes. Sed Potestas non ultra valens, quàm propositæ, inductæque probationes in cognitionem afferrent, unum ex vilioribus, abjectioribusque captum ante Claustrum furcis cum damnatione capitali plurimorum contumacium, quos paucis post diebus ad Tartari, & Ubertini familias rediisse constitit, & visi sunt incedere cum reliquis conglobati. Et nonnulli illum miserum, qui pro jam dictis sceleribus laqueo pependit, culpa vacuum dixere. Ad Tartarum, & Ubertinum impudici quilibet, adulteri, & de perjuriis damnati, homicidæ, gulosi, ganeones, qui bona sua ludis consumserant, & ob æs alienum palatia foraque communia vitabant, quique ingentia crimina, propter quæ judicia pertimescebant, patraverant, pro antiquis banniti facinoribus, qui longis temporibus Urbe absfuerant qui pro (o) G. Dentis nece criminati, nuperque damnati extiterant, qui ceterorum principes carique habebantur, omnes tuti, ut ad securum præsidium confluebant, catervatimque post illos brevibus succinctisque vestibus incedebant. Luce apparentes, sed sub tenebris extra urbana tecta abeuntes ad confines campaneæ villas, vicosque, qui Urbi adjacebant, bini, terni, quaterni, separatim, divisim furta latrocinia animalium, & quorumcumque mobilium committebant. Plerumque pro spoliis rapiendis viantes trucidabant, ad ædemque Dominorum comportabant. Nam immoderatæ illis impensarum profusiones erant, dum centenarii numeri, ampliorris-

(f) *In V.* memorati.
(g) *Meliùs* quàm agnosci.
(h) *Intellige* singulas.
(i) *Et hìc subauditur* Uxor. *Ostius.*
Subauditur hìc *Uxor*; id quod annotavit eruditissimus Scholiastes. Sciendum tamen, Etruscorum esse phrasim, reticere id nominis, ac dicere, Martia, exempli gratia, Catonis, Julia Pompeji, Faustina Marci, subintelligendo, *Uxor*. Quod etiam usurpant de filiis sermo est, ajentes, quemquam cujusquam, scilicet filium, quo in more græcissant. *Villanus.*
(K) *Cod. Est. & Amb.* ganeonum.
(l) *Cod. Est.* concertu obsessa &c. æde.
(m) *Cod. Est.* ingressi.
(n) *Cod. Est.* generis.
(o) *G.* Gulielmi.

risque discumbentium mensæ longissimæ assiduè pararentur replerenturque. Ad ea loca & comessationes plurimi ex Paduanorum adolescentibus, quo illis complacerent, tutelaque eorum protegerentur, accedebant, quorum usu, & conversatione paulò post in excessibus, & nequam operationibus pares aliis, similesque efficiebantur. Nec nocturnis cædibus, furtis, rapinisque per Urbis angulos, viasque ipsasque communes plateas modus aut finis, cùm singulis diluculis tres aut quatuor pro minoribus numeris mortui necatique reperirentur. Quotquotque Carrariensium (p) ædes, tot carceres privati cum cespitibus, quibus captivi innectebantur, fame & siti addicti, dum constituta pretia persolvebant. Marsilius solus, quem Magnum Marsilium vocitabant, cum honestorum Civium convicinis, aliisque ad eum concedentibus domi se continebant. Ad quem multiplices hinc atque hinc querimoniæ cùm frequenter referrentur, gemitus edebat, sevocatisque Parentibus in domo Papafabarum, quæ Palatio Antianorum, & Basilicæ Sancti Martini adjacebat, pro passis injurias intercedebat, quosque poterat subsidiis levabat. Sed nihil eo minùs, ut sub pœnarum aliquarum punitionibus aut mulctis propinqui illi à maleficiis arcerentur, damnave, aut probra communi judicio paterentur, minimè ipse patiebatur. Desistere illos satagebat, sed pro patratis illæsos, quàm punitos transire mallebat, observabatque. Suffragium unicum erat miseris, si ante susceptas contumelias ad eum quisquam concurrisset. Sed jam passis compatiens suspirabat. Solus itaque justi faciem vultumque servabat, eo usque alienarum rerum nec raptor, nec rapientium fautor. Ad solum statum hunc Urbis, ne à Populo, vel Communitate in suam ditionem, potentiamque verteretur, seu alterius, & maximè Canis Grandis dominio subjeceretur, providè, vigilanter, ac studiosè die noctuque operam dabat, & tamquam Columna gravissimum, ingensque pondus hoc Deo, & hominibus infestissimum, ac odiosissimum perferebat. Propter quæ à prudentibus, bonumq; commune cupientibus Civibus lethale atque exitiale fomentum flagitiosarum rerum, & longiorum miseriarum dispendium habebatur, & finis pessimi nutrimentum. Hic ad (q) H. Regem Legatos nunc publicos, nunc privatos, & præcipuè ad Cunradum de Ovestagn, à quo (r) statum hujus conditionis ære coëmerat, quemque sibi tutorem prætulerat, cum muneribus frequentibus transmittebat, crimina suorum quibus poterat velaminibus operiebat, excusare, inficiari scelera, quamquam illa omnem aërem circùm finitimas Urbes infectassent, & notissima cunctis existerent. Innitebaturque præsignatè in ea Curia rationi, non posse eam Urbem aliâ, quàm suâ, & suorum defendi potentiâ, nec Canis Grandis insecutionibus, insidiisque resisti. His rationibus illa inertissimi Regis impudens Curia Cunradi subacta metu & suggestionibus, nullis contra renitentibus, vel hiscere audentibus, tempora præterire sinebat, dum Regis sui segnitie abuterentur, opibusque replerentur. Nec Cani Grandi amicos potentes apud illum habenti, quorum consiliis, & favoribus fovebatur, curæ tunc erat identidem quicquid aliud operari, quàm conditionibus Paduæ sic se pertinaciter habentibus, gaudere, tempus pestilens Civitati protrahere, rem suam agi assiduè conspiciens, dum paratum locum, ac tempus futuro operi suo captaret. Quòd quidem omnium rerum occurrentium ordo, ipsaque natura condonare videbantur. Imò in ea Curia suos interea subsidere, convenienterque per dies transire studebat, dum servitii sui tempus advenerit, si dum sic circumventi fuerint suis, & externis cladibus Paduani, ut auxiliis ejus Regis egeant, quo tempore ipsi Regia auxilia, præsidiaque magna exercitatione prohibeant. Interea in Civitate pro singularibus angustiis, flagitiisque non deficientibus, sed in dies excrescentibus Populo communes datiæ, exactionesque & mutua publica, & privata subjiciebantur, afficiebantque cujusque generis Cives, quibus Cunradus, & Hengelmarius assiduè replerentur, & ipsi quoque Carrariensis inter se proportionaliter distribuerent, ut famulorum longos ordines, equosque ad subigendum terrore Populum, ne novas res per repentinos rumores erectis ausibus molirentur. Hæc inter Cunradus, ne sibi extorquendarum pecuniarum jugiter occasiones deessent, utque Carrariensis roboraret, cohortareturque, & quæ tolli poterant, exhauriret, superadvênit adversùs Canem, si contra Statum hunc quidquam novi pertentaret, ut quotidie Carrariensis, & Populus verebantur, stipendium suum, & suorum postulans. Nec ipsi Cunrado astutia deerat, Carrariensis metu sibi obnoxios continere, quos satis noverat, non aliâ potentiâ, quàm suâ hujusce statu, ac dominatione potiri, vultum mutans illis, si frequenter petitas pecunias non parassent. Cùmque voracem, sitibundumque appetitum sua stipendia non implerent, colorem ampliandarum petitionum suarum ingenio subjecit, bonum, optimumque fore Communi, & Populo, ut Canem timidum, ac in se continentem facerent, si Castrum unum super Liquentia haberent, ostium scilicet, per quod copiæ Teutonicorum in succursum suum venientium per Forum-Julii pertransirent, constituendum, atque firmandum illi sic fore, ut non modò Domini sui H. Karinthiæ Ducis, Regisque Boëmiæ auxilia inde contraheret, sed & Domini Friderici Australis Ducis in Canem ob offensas Paduanorum animosi, & corde mordaciter offensi. Quæ etsi per majorem partem Paduanorum fictioni ludibrioque haberentur, ajentium valida castra sua, quæ assiduis contumeliis Urbem obsidebant, redimenda potiùs, quàm nova alienis, longisque construenda provinciis. Sed illud verum proverbium est antiquum:

Quicquid delirant Reges, plectuntur Achivi.

Cunradi decretum laudari, emologarique oportuit, sex Datiarum millibus libris, Mutuorumque singularium Civium, Populoque contributionibus datis, ac persolutis Cunrado, qui, ne animo mendax vulgo diceretur, adiit in Forum-Julii, & super Liquentiam Turriculas, valla, & propugnacula itidem astruxit, quæ absque præsidiis ab eodem ad suas abeunte Karinthiæ terras Municipalibus motæ, & circumstantium Castrorum disjecta abolitaque sunt. Et sic brevi constructum, destructumque est, quod tali allusione Castrum Paduanorum vocabatur. In Urbe per hæc tempora calamitosa, omnique pernicie plena semper augescebat omnis generis tribulatio, pressura, & angustia, Nicolao Milite, & Tartaro, qui se Fratres appellabant, Rempublicam, omnesque Communis vicissitudines occupantibus, ut nec Criminalis causa,

(p) *Intellige* erant.
(q) *H.* Henricum.
(r) *In PP.* status hujus conditiones, *& ita Ambr.*

sa, nec Civilis, nec Communia decreta, aut Plebiscita nisi nutu, præsertim Nicolai, discussa, statuta, terminataque forent, perque ejus manus, arbitriumque pertransirent. Quorum multam partem Marsilius dissimulans, metuensque Nicolai superbiam, conniventer transire, ac præterire sinebat, cùm qua poterat moderatione plerumque Nicolaum increpans, sed maximè blandis alloquiis, mollibusque suasionibus publicas infamias evitaret, ne malorum magnorum moles ruinam, stragemque totius hujus singularis Dominii secum traheret. At ille, si (f) emendationi, correctionique consentaneus videretur, mente correptus, antiquatis in eo vitiis ad easdem crassantias, illicitosque actus, ut canis ad vomitum, redibat Die cum Tartaro per Ganeones, Lupanariasque ac incestos indices, Viduas, Conjugatas, Virginesque ad stupra, incestosque concubitus sollicitare. Noctu solos duos Urbem ambire; tecta corruptis servis, ancillisque subire; vi plerumque, quàm assensibus domos Civium incestare.

His angustiis flagitiisque ferme per biennium Urbs hæc exagitata contabuit, omneque intestinum exitium, labemque pertulit. Dum semper excrescente Nicolai ad rerum publicarum, privatarumque occupationes præsumtione ad Urbis ipsius dominationem aspirare exorsus est. Et ad hæc antiquorum quorumdam factionis suæ Civium, quos aliàs secum conspirantes deceperat, conjurationes fecisse fama ferebatur. Sibi namque illos conscivisse pollicitis, si optatu potiretur, ut Urbi solus præesset. Hæc quoque ex eorum diuturnis nocturnisque conventionibus, comessationibus, & coëquitationibus per Urbem, hujusmodi suspicionibus fidem dabant. Hi erant Marcius de Forzatè, Prosdocimus Caligo, Ruzerius Fabiani, Franciscus Sangonacius, Jordanis de Forzatè Marcii nepos. Insuper ipse semper inquietus cum Cane per indices alternatim, & per se cum Bailardino de Nogarolis Canis grandis Contubernali præcipuo fidoque; interdum cum Spineta Lucensi Marchione in colloquia secreta in locis finitimis convenire, res novas tentare, coordinare, & per dies suspensos habere habilitates conditionum expectans, ut ajebat. Nec minus cum Marchionibus Estensibus in easdem suggestiones, ambitionesque se conjiciens, plerumque & cum Macharuffis Marsilii hostibus compositiones attrectans. Marsilius horum omnium non ignarus, à Tartaro proditore edoctus, hæc omnia multo magnoque ingenio, astuque diu, in diesque multos dissimulans, agendorum per se processus differebat, si forsan illum abstinere tolerantia valuisset, sperans conatus ejus ob infidelitatem ejus, quæ omnibus jam dictis nota erat, evanescere, invitus hunc statum concutiens, quod fieri absque ingenti suo discrimine (*non*) supputabat. Verùm periculo ejus instabat, ne scelestus homo cum suspecto prædictorum consortio ipsum, opportunitate captata, gladiis aut veneno conficerent, cùm nonnumquam ad ipsum familiaritatis causâ concederent. Non ultra rem differre, aut supportare decrevit; sed & ipse, qui apùd Hengelmarium commissione Cunradi primum potioremque locum obtinebat, disgregationi hujus sodalitii formam, modumque adinvênit, ad hocque Obizonem, & Marsilietum, Tartarumque & Ubertinum tacitos, complices, consortesque secum adhibuit. Statuta (*die*) itaque instructoque Hengelmario cum Marescalcho, Sodalibusque Teutonicis, Marcius, Prosdocimus, Ruzerius, & reliqui supra memorati evocati sunt, assistentibusque mandatum, filios suos illico instanter edant, qui ante ipsum sistant. Astitere cum filiis majoribus. Igitur ea, vel sequenti die finibus Civitatis (*iussi*) abscedere, Venetias, seu Clugiam abiere, fidem de absentiis facturi Vicecapitaneo publicis instrumentis. Respondentibus Prosdocimo, & reliquis, quid id causæ esset? si quidquam in Dominum, vel in Commune commisissent, suppliciis mortis (*paratos esse*) affici, nil ultra responsum est, nisi, ut jussis obnixè parêrent. Confestim ergo Urbe, & finibus egressi sunt. Marcius, quòd rure tunc foret, & ipse Urbem non ingressus, ad vicinam Clugiam contendit. Illorum quoque filii, neporesve, qui astitere, per certa ergastula distributi sunt. At filius Marcii major natu, ad quem capiendum Hengelmarius speculatores destinaverat, ad Nicolai ædem profugus proxima nocte, cùm gener ejus foret, ab Nicolao, & filiis sub tuto commeatu Clugiam ductus est. Nicolaus omnium horum improvisus amaris curis, sollicitudinibusque anxius, non aliud, quàm dissimulare, perpetique patienter pensi habuit: ad Marsilium, ceterosque Carrariensis sui generis accedere. Quare hæc, quibusve causis obtigerint, si quidquam contra se, huncque statum moliti fuerant, in eos animadvertendum gladiis fuisse, tunc non ulteriùs hostes ipsos obesse potuisse, seque suamque manum appositam fuisse. Erga igitur illum, & alii studiosè ex industria communicata similia agebant, ut & ipsi inscii viderentur. Nec dictis Nicolai aliud exinde decretum est, quàm locum custodiæ Civitatis fore, unanimiter ipsum Nicolaum, atque Marsilium, ut majores domus venerari, parêre; ipsi quæ salubria sunt provideant. Verùm hæc omnia à Tartaro, ejusque sagaci consulto emanasse apud Marsilium vulgata sunt, produntque Venetiis, Clugiæ, (t) & ceteris Urbibus, occidendum Marsilium Magnum illos constituisse, sed maximè in domum Martii, in quam prandium externa die constitutum fuerat, veneno assumendum. Parum ex iis, vel nihil fama vanescente pernotuit. Interea Nicolao crudelis animus, cùm ambitionum suarum, seditionumque, quas præconceperat, vias præclusas reputaret, in sinuque Urbis valida de se confidentium fidorumve sibi præsidia non haberet. Infirmatas (u) vices suas videns, (*) simulque accipiens ambibat, ne Canis Grandis, aliique, quos de seditionibus sollicitaverat, illum prostratum parvipenderent. Conspiciebat namque, Marsilio Magno, quem Hengelmarius, cohorsque Germanorum sibi præferebant, propinquos Domus etiam adhærere: ad ipsum potiores majoresve Cives, ac plebejos majori confidentia confluere; deprehenditque ipsum Tartarum, quem eousque fratrem habuerat, cum Marsilio, quàm cum eo, frequentiorem communionem habere, per certas horas cum eodem in secretis solùm convenire, cui Ubertinus in omnibus obsequens erat, seque solùm collateralibus vacuum, ad quem jam suspicione oborta timidi Cives, ipsique vicini, ac rarò accedebant. Ex quibus tanta suspicio, timorque simul illum invasit, ut morti, ni se Urbe abdicaret, incumberet.

(f) *Fortè pro* etsi: *quid si & infra* correptus, *pro* corruptus.
(t) *In V.* & circum Urbes, *& ita Ambr.*

(u) *Fortè* vires.
(*) *In PP.* simulque ambigebat, *& ob id* anceps, *melius se haberet, quàm* accipiens.

Digitized by Google

beret. Ingentique mœrori huic erat, ac metui, ne hinc inde seditiones Urbis, quas (ut præscripsimus) plurimis studiis pertractaverat, præsentirentur, quibus Populum universum, & cunctos amicos, atque inimicos adversos haberet, Populique concitatione necaretur. Verebaturque præsertim Tártarum, qui in plerisque conventionibus cum extrinsecis, atque hostibus cum eo simul assuerat, conjurationum eorum, tractatuumque complex, & socius, ne Marsilio hæc detegeret, aut jam fortassis detexisset. In quo & verissimum opinabatur. Nam Tartarus semper, Marsilio Magno licèt conjunctior, tantæ erat sagacitatis, atque astutiæ, ut apud utrumque fidus haberetur, meditatus illius sequi majori obsequentia fortunam, quem ipsa fortuna successu prosperiore præferret. Hic Tartari etiam quondam apud Jacobum de Carraria Marsilii Patruum mos fuerat sibi vices custodiendi Nicolai committi facere ab Jacobo, concedique ut illum in quibuscumque facinoribus comitaretur, ut eidem Jacobo omnia depromeret, quorum non omnium, sed partem Jacobo Tartarus referebat, quibus ipse semper medius ab utroque haberetur, fidusque in se retineus, quæ reticenda suo arbitrio videbantur, ut in partem ejus, qui vicisset, & ipse simul convictor, carusque haberetur. Mirumque (mihi si jam hæc interfari liceat) quæ natura, quæ animorum dispositio his duobus, scilicet Jacobo, Marsilioque Nepoti forent, cùm uterque hunc Tartarum in iis duplicitatibus, imò & facinorosis seditionibus persæpe convictum, repertumque visibus & tactibus circumvenissent, non eum odisse inde ostendisse, sed carum, commensalem, consiliarium semper in majorum ponderum articulis habuisse. Novit Marsilius in nece Gulielmi Dentis ab illo se proditum, pro quo non obstitit, quin suis ab inde, præcipuè à Pauli Dentis insultu, consiliis admisisset. Et si verum publica fama omnium ferè de rebus illis loquentium undique habuisset, illa semper increbuit, ut jugiter cum Tartaro eodem communicationes per indices haberet, quam famam maximè auxit, atque fidem adhiberi indicavit, quòd pridie ante Pauli insultum Marsilius idem cum Tartaro, & Ubertino in confinibus Civitatis colloquio communicaverit, quæ res Paulo Denti metum incussit, propter quam mortis metu se tumultui (de quo supra indicatum est) discriminique commisit. Timebat igitur Nicolaus Tartari proditoris sui infidelitatem, ne Marsilio communia scelera indicasset.

Inter has amaras curas laboranti vigilantique Nicolao externi Cives (de quibus prædiximus) collegæ, qui Venetiis, & Clugiæ erant, indices frequentes adveniebant de se curare, si non caveat, itemque & si caveat, vicinæ morti incumbere; abscedat Urbe, Venetiasque confestim veniat; ibi præsto esse salubriora consilia, quàm sint Urbe potientibus. Ipsi namque ab Cane Grandi assiduè per internuntios recipiebant, ipsum accersiri divitibus opimisque consiliis, intrinsecos superandi locum fore. Nec minùs & eadem ab Cane assiduè eidem summittebantur. Marsilius Magnus, cui nec omnis sollicitudo, nec ingenium deerat (quatenus & ipse valuisset) omnis concussionis status ejus res differre, Nicolaum verbis humilibus leniebat, cui se Fratrem, Filiumque, & omnium rerum obsequentem spondebat: Urbi pro se, proque ceteris dominetur, præsit: Decere & ætate, & militiæ honore, sensuque, virtuteque ipsum anteferri. Idemque & reliquis Domus subornari studebat. Illum tamen inquietum (etsi dissimulabat) vexabat ambitio, & virium suarum in Urbe absentium sociorum extenuatio, & cognita suæ potentiæ debilitatio. Demumque & vicit egrediendi opinio, & licèt (x) ruina sua & Marsilii reliquorumque suæ factionis potentias deprimere, atqùe extinguere. Et clandestino itinere Venetias se transtulit, improvisusque filios suos Jacobum, (y) & Jacobinum adolescentes post se reliquit, qui mox ab Hengelmario, & Teutonicis suggestione Marsilii capti sunt, & fide custodiæ traditi. Fuga hæc, digressusque Nicolai magnas suspiciones Urbi intulit, magnorum motuum esse principium. (z) Verùm Populo plebi nihil infestum. Omnes res novas, qualescumque ille, quamquam graves Urbis mutationi sit gratuitas omnibus fore invisis tam crudelis, tamque flagitiosi status. Nihil illis perniciosius eventurum odio conditionum iniquarum, quibus ipsi premebantur. Nil gratius optare, quàm Carrariensis odiis, & inimicitiis, & offensis inter se collidere. Nicolaus igitur sevocatis Marcio de Forzatè, & reliquis relegatis, conventibus privatis de incumbentibus quotidie à primis diluculis usque in tenebras consiliis privatim instabat. Ipse quidem Vir ingentis ingenii; magna vi animi, & corporis, factiosus. Cui à juventute exosa Urbis suæ Communitas, Legum, Statutorumque coarctatio. Audax, formidolosus, sed semper varius; dominii cupidus, insolens, facundiæ mediocris; astutia, quàm sapientia imbutus, de quo Ubertinum Genitorem solitum dicere frequens fama vigebat, quòd prosapiæ suæ supremum exitium futurus fuisset, Urbisque simul statum in discrimen tracturus. Marsilio quoque per hos dies consilium supremum erat, quatenus illum pollicitis in Urbem retrahere valuisset Philippum de Peraga Consanguineum suum primum, nec non & alios ejus progeniei ad se mittens, qui rogent, supplicent, spondeant. Illi nequidquam proficientes rediere. Jam enim ab Cane maris & montium sponsiones, si sibi obsequens foret, receperat. Inde per Prosdocimum Caliginem virum exertum (3), & factiosum, partium Canis usquequaque fautorem, apud illum ab infantia sub Johanne Caligine patre nutritum, qui & Johannes olim partiarius Urbe Paduana relegatus, beneficia multa à Cane susceperat. Hunc dirigens Nicolaus ad Canem frequentibus itineribus noctesque diesque de fœderibus hinc inde percutiendis cum conditionibus agendorum, rem

(x) *Videtur & hic aliquid desiderari, nisi sic legere malimus*, & hac ruina sua, *nam in V. pro* licèt, *habetur* hic, *quæ nota in eodem alibi significat* hac.
Statuit, inquit Nicolaus, vel ruina sui ipsius deprimere potentias, & Marsilii, & reliquorum: statuit adversarios deprimere, etiam si ruiturus ipse unà sit. *Villanus*.

(y) *Post* Jacobum *in PP. & Ambr. lacuna est. Sed nil aliud desideratur, quàm quod addidimus*, & Jacobinum.

(z) *Ita locum hunc legerem, & emendarem*: Verùm Populo, Plebique nihil infestum. Omnes res novas, qualescumque illæ, quamquam graves Urbis mutationi sint, *vel* quamquam gravis Urbis mutatio sit, gratuitas suspicabantur omnibus fore invisis &c.

(3) Hocce *exertum* nescio, quid sibi velit, nisi fortè id, quod vulgò ajunt, *svelto*, dexterum scilicet, catum, agendisque rebus idoneum, πρακτικὸν, δραστήριον, θερμούργον. Sed Latinè alia verbi significatio. Proinde, si lubet corrige, *disertum*, vel *expertum*. Villanus.

Digitized by Google

rem ad eum deduxit articulum, ut ipsum Nicolaum Veronam, vel ad locum constitutum Canem adire, personalique alloquio rem firmare expediret. Adiit Nicolaus, & realibusque obligationum nexibus cum Cane paribus votis convênit, firmavitque. Intervenere quoque inter ceterarum conditionum conjunctiones, Franciscus Macharuffus pro se, & fratribus, conjunctisque, & Paulus Dente pro se similiter, proque suis Nicolao osculis pacis uniretur in Marsilium hostem communem, omnesque, qui consortes, seu complices ejus essent.

Pacis hujus conditiones ex subsecutis patuere. Nam paucis pariter (a) diebus constitit, in partibus Fori-Julii cohortes militum parari Hectore de Sovrengano Foro-Juliense Duce, seu Capitaneo. Itemque & in Seravallo, ac Terris, Municipiisque Rizardi olim Guezelonis de Camino filii manipulos equitumque parari. Quæres Marsilium, Consortesque, qui illi adhærebant, admodum conterruere, consilioque confestim inito ex se ipsis legationes. Legatosque quanto potuerunt apparatu instruxere. Fuere hi Marsilius Magnus, Obizo, Marsilietus, Philippus de Peraga, Aicardinus Caput-Vaccæ, Duxius de Buzacharinis, Pantaleo de Buzacharinis miles, Schinella de Doto Judex, & Miles, Petrus de Campagnola Judex, Aleardus de Basiliis. Hi plenissimo à Communi, & Populo ex Senatus Consulto mandato rescripta latissima signata communi sigillo pertulere, quibus potestas libertasque omnis concessa legebatur de Civitate, Civibusque, & omni Populo cum bonis communibus, & privatis obligandis, Civitatis Dominio in perpetuum, quibus ipsi Legati voluissent, tradendo tam Henrico Karinthiæ, quàm eo abnuente Friderico Austriæ (b), ac successivè & illo recusante, Regi Boëmiæ & Poloniæ, nec non & cuivis Principi, Regi, vel Potenti eam Civitatem à Cane tutari volenti, cum generali horum, & aliorum mandato ipsorum Legatorum arbitriis. Arrepto itaque itinere ad partes Tridentinæ Civitatis, inde Bassianum perrexere, pluriumque dierum intervallo H. Karinthiæ Dominum suum ad colloquium, audientiamque eorum, ubi mallet, invitantes, instanterque deposcentes. Qui demum Principibus suis à Municipiis evocatis apud illum Orationem habuere: *Civitatem illam suam eo usque summis viribus sub ejusdem Regis titulo defensam; sed nunc ad id discrimen persecutore Cane Grandi devenisse, ut, nisi properè illi succurratur, casui, perditionique occumbat* (c); *nec ultra opis aut auxilii cujuspiam opus sit. Contigisse nuper, Nicolaum de Carraria Virum olim sceleratissimum cum nonnullis flagitiosissimis Civibus conjuratione adversùs Urbem, & Regem cum Cane habita, Civitate egressum, statuisseque cum copiis à Cane concessis maturè Paduanas Terras invadere, Colonias igne ferroque vastare, mœnia Urbis obsidere, debellare, & victam, atque captam (si adversa Sors tantum concederet) donare, & Dominum facere, Paulo Dente publico Regis, & Urbis hoste, & Macharuffis, ceterisque exteris proditoribus eidem facinori annexis. Nosse Dominum suum Regem, hoc facilè illis, Canique obtingere posse, nisi Regia manus non parva, sed ingenti vi obstet, subsidiaque maturet. Si hæc faciat, sua Urbs est, suam rem defendat: Sin autem, en claves Urbis (has nobiscum Legati tulimus) suscipiat, teneat, & relinquat, ut libet. Si quidem & hæc omnia abnuat, mandato à Republica suscepto providendum illis fore alteri adhærere Domino; sed primùm, ac maximè Domino principali Philippo* (d) *Austriæ, cujus illa proprietario titulo est, hujus particulari* (e) *commissa regimini. Cui & si ille cedat, ad alios Reges, Regionesque processuri sunt, dum Dominum Tutoremque, à quo defendantur, invenerint.* In eam diem & Legati Canis, inter quos & Nicolai, ac exterorum Nuntii erant, identidem applicuerant, qui post eam Paduanorum audientiam interiorum, datâ dicendi copiâ & ipsi segregatim auditi sunt: *Pro Canis parte illum omnis conjurationis in Regem, vel Urbem ignarum, dictum, propositumque est. Paci, seu induciis datis fideliter obtemperasse, etiamsi per intrinsecos secus factum sit, occisis in Vicentiæ districtu plerisque à Paduanorum consortiis, unoque mercatore Veronensi in alveo fluminis, quo Vicentiam itur, seditione cæso, magnisque pecuniis rebusque spoliato. Sed hæc omnia honoris, amorisque Regii gratiâ præteriri convenienter dimissa. At qui & amicos antiquos Canis Paduanæ Civitatis accolas olim in Urbe fœderibus pacis acceptos, nunc Canis odio sub falsarum causarum simulationibus pulsos esse potentiâ Carrariensium, quàm communibus decretis. Nec Regem, nec quemquam mirari debere, si extorres illi sub nulla auditi justitia, sed singularium superati magnitudine, suis fortunis consulunt, ut & ipsi natali sua Urbe potiantur. Pro exteriorum verò assertione propositum, eum Deum, Hominesque testari, nulla eorum culpa in Regem, vel Commune pulsos, Civitateque exclusos, sed summa superbaque Carrariensium, compliciumque tyrannide, sub qua, non sub Regia, Civitas illa subiecta est.* His & aliis hinc atque hinc utrinque propositis, Rex suorum dumtaxat Consiliariorum, Principumque inito, pluriumque dierum intervallo, discussoque multa disceptatione consilio, in Cunradi de Ovestagn judicium Rege sic jubente descensum est, decretumque Legatis Paduanis responderi: Civitatem à Canis, exteriorumque, & quorumlibet vexationibus juvandam forti sufficientique subsidio, levandamque omnibus molestiis. Eant ipsi plena fiducia. Ministeria, pecunias, & opportuna quæque ad belli usum paret, quibus juvandæ sint Regis impensæ, quibus se minimè parciturum spondet. Cunrado cetera commissa. Legati sponsionibus divitibus repleti, multa hilaritate gaudioque, fusa fama non minori, quàm veri existentia foret, variis itineribus Paduam reversi sunt. Canis, quem de Regis, Consiliariorumque circa decreti executionem incertitudine nihil latebat, tunc fortiùs instare iis, quæ præconstituta fuerant, insultus ad Urbem districtumque maturare, incendere, prædari, vastare, & intrinsecos omnibus flagitiis affligere. Nicolaus siquidem cum Consortii sui Paduanorum Bannitorumque manipulis exiit, Rizardo de Camino cum suis cohortibus, & Hectore de Savorgnano Forojuliense conjunctus. Et primùm Villas Coloniasque ab Orientali parte processere, non ferro, nec igne, sed suasionibus pacificis, nil contra Agrestes, Ruralesque contumeliarum fieri patientes, sed potiùs hortantes bonis

(a) *Cod. Est.* paucis post diebus, *& ita Ambr.*
(b) *Cod. Est.* Austriæ Duci.
(c) *Cod. Est.* succumbat.
(d) *Cod. Est.* Friderico, *Ambr.* F.
(e) *Cod. Est. & Ambr.* patrui.

bonis animis sint, signa victoriosa sequantur, quæ pacem Urbi districtuique perpetuam dabunt, introductione omnium exulum Urbem lætam facient. Interea agros tutè colant omni fiducia; animalia, & quæque mobilia, seu ipsi cum eis non effugiant, salvo quòd eis, quæ esui, victuique residua illis fuerint, conventis pretiis ad alendum exercitum vendant. Postquam autem ii cum Rizardo & Hectore in una castra convenere, apud Bovolentam tabernaculum fixere, foveasque à latere Urbem versùs communiere. Quibus propositum fuit identidem Castrum firmare, quod undique flumina, quæ ab Urbe defluunt, ambitum fuisset. Verùm potiundæ Civitatis spem adjicientes Castro jam cœpto destitere. Intrinseci interea vallo perficiendo, quod per plurimos dies ante inchoaverant, intendere, operarios fatigare, nocturnis etiam studiis, ac laboribus igneis luminaribus (*non destiterunt*). Ad has quidem necessitudines ipsi hoc vallum struere constituerunt, ut si quo casu latitudinem antiquorum Urbis vallorum, quæ longissima latissimaque Suburbia claudebant, ingruente obsidione tutari non valuissent, illum tantùm Urbis sinum, ut arcem quamdam tutandam sibi servassent, exclusis Suburbiis, quorum ædes Civitatis totius domus, & ædificia & spatio, & numero superabant. Ex quo non minima contentio, turbatioque inter Cives, quorum ædes excludebantur, oborta ad concitationem totius populi pæne commovebantur. Nec minùs vallum novum maxima instantia solertiaque sinè intermissione perficiebatur. Tartarus siquidem, & Aicardinus Caput-Vaccæ domos omnes exteriorum, qui se eorum metu Urbe surripuerant, & muralia quæque ad opus convehi faciebant, nondum demolita, vel strata sternebant, neve patrato (f) G. Dentis necati sceleri quidquam deesset alta palatia, procerasque domos pupillorum natorum olim G. prædicti diripuere funditus, & ad opus convexere. Excludebat quidem Claustrum hoc quæcunque Suburbia à parte Meridionali extra portam Prati vallis, flumenque, quod à Sanctæ Agathæ Cœnobio secus Fratrum Minorum locum dilabitur cum Monasterio Sanctæ Justinæ, & omnibus (g) appendiciis (*quæ*) extra Pontem Curvum sita sunt. A parte verò Orientis Omnium Sanctorum Suburbium cum cohærentibus trans fluvium supradictum. A parte Septentrionali à Ponte Contarinorum quæcumque trans fluvium sunt qui extra Arenam ad Omnium Sanctorum Pontem protenditur. Varia in iis amfractibus per populum plebemque, omnisque generis alloquia fundebantur per fora, vicos, & tabernas. Non fore illis curæ, si exterior exercitus ad valla processerit, Suburbiis tutandis occurrere, corpora Paduanis extorribus objicere. Civitatem, mœniaque non sua crudelium Civium singularium fore. Quorumcunque victorum ipsos servos futuros in deteriorem servitutem incidere non posse. Et inter hæc, si qua nova noctu aut die emergebant, ut Urbi insultus repente fieri dicerentur, Carrariensis cum solis satellitibus, paucisque ex amicis Civibus, & cohorte Germanorum ad plateas concurrebant, conclamatione voce præconia facta, ne quis Popularis, aut Civis armatus in locis publicis appareret. Dum & Nicolao, Rizardoque per hos dies ad mœnia Urbis accedere visum est, populumque pertentare, si fortassis tœdio ingenti intestina-

A rum injuriarum ipsum concire valuissent, ut qualitercumque concitatio quævis in Urbe fieret, quam ipsi ad valla accedentes exhortationibus augerent, Suburbiaque adorirentur ballistis, tormentisque ad idem exercitium secum delatis, cum straminibus, virgultis, cratibusque ad transiliendas foveas secum latis. Sed Marsilius, ac Tartarus, quæ hæc circa contingere poterant, & ipsi existimantes vires suas, & suorum ad opportunas portas, & loca, quibus discrimina imminebant, divisis inter suos diuturnis, & nocturnis excubiis, & custodiis instare, vigilare, novas structuras facere, nec quidquam intentatum, improvisumve relinquere. Advenere mane uno ante Luciferum Nicolaus cum mi-
B litum paucorum ala, peditumque manipulo, exercitu cetero post terga dimisso, speculatoribus ad portam summissis, qui ab aliquibus, si qui ad id identidem perstitissent, responsa suscipiant, sive ea, quæ præconstituta fuerint, sive Nicolaus aliquos affuturos (h) se gessisset. Nec fuere, qui ad hæc speculatoribus vocem darent. Verùm ab iis, qui in præsidiis erant, voces sublimes frequentesque editæ: *Abscedere proditores. Frustra in Paduanum Populum, Regemque suum arma accepisse; vel accedant, si temeritatibus suis confidentiis fallacibus spem haberent.* Et sub hæc spicula à portis ac tela conjecere, & probra, ac convicia crebris clamoribus subjunxere. Nicolaus nequicquam
C aliud proficiens, cum omni (i) centuria Bovolentam regressus est. Perpaucis post diebus ad alteram portam regressus, repulsus probris remeavit inglorius.

Dumque his ea parte Urbis ac finium pertentatis, in quibus ante progressum spem posuerat, tœdio affectus, mutato & exasperato in Rurales proposito, quos ante magna fiducia tutos esse spoponderat, insævire largiori licentia exercitum sinebat, absque pretiis justis bona mobilia eripere, nec illis aliqua tuta esse. Rebusque jam ad exercitus alimoniam non suppetentibus, Foro-Juliensibus equestribus, pedestribusque prædandi licentiæ liberiores laxatæ
D sunt, quæ etsi non concessæ, impunitæ dimissæ, & ex multorum crassantia in usum versæ. Quoque seu justæ, seu injustæ causæ dilapidationibus rapinisque excusationem aliquam darent, Insulæ Campi Nogariæ Villæ opulentissimæ, quod ægrè Dominis, exercitibusque paruissent, præda Foro-Julianis concessa est, ignique, ac bellicæ incursioni subdita. Cùm agrestes rutiores (*se*) esse putaverint, animalia omnia bovina, equina, & pecora quæque ad exercitum ut hostium ducta cum multorum rusticorum omnis ætatis, & sexus cædibus. Sed quis infortunatis incolis Villarum flagitiis modus? Quod vitæ in tantis discriminibus remedium? Hoc idem, pejusque exitiale flagitium inquilini, &
E incolæ Villæ Curtis locupletissimæ paulò antea ab intrinsecis Germanis immanius passi sunt pro eo, quòd exteriorum, quàm interiorum amici benevolique dicerentur, exustis omnibus ædificiis, animalibus adactis, & rusticanis trucidatis, multisque Cittadellam raptis, cum quibus potuere pecuniis redemti sunt. Plebani autem Terra fortissima, omniumque rerum, & bonorum fœcunda ab eisdem ignibus, incussionibusque defensa, nunc Marcio de Forzatè, nunc Nicolao, nunc eorum consodalibus equorum pecuniarumque exenia præbebat, quæ, quamquam

(f) G. Gulielmi.
(g) *Cod. Est.* omnibus Urbis appendiciis, *& ita Ambr.*

(h) *Fortè meliùs* segessisset, *pro* segregasset.
(i) *MS. Ambr.* comitiva.

Digitized by Google

quam semel desponsa simul & præbita semel forent, replicatis illatisque minis duplicabantur, dum solis ædibus cremandis parceretur. Cives interiores, quorum pro maxima parte ædes, pecora, & bona hæc quæque erant, luctibus, suspiriis, & mœroribus torquebantur, quibus tamen nec in publicum (*licebat*) queri (quod amarissimum illis erat) ne suspecti dominantibus forent. Sed nihil eo minùs per Vicos, & ædes mœrores, tristitiæ, ac pressuræ illos affligebant.

Maranum, ac Tyrolum ad Regem Nuntii pro subsidiis interea nequidquam frequentabant, excidia hæc intolerabilia proponebant, ante Regem & Principes deplorabant, nec quicquam, nisi verba pro verbis reportabant, quamquam parari copias in Karinthia per Cunradum de Ovestagn assererent, vindicaturas damna hæc & injurias: mœnia Urbis tantùm defendant, omnibus vindicandis, & restaurandis locum fore. Cunradus, cujus naturam, & mores ante exposuimus, sumtas de Padua pecunias Oppidis, Villisque emendis distributas, quæ aviditate majorum avarum animum non impleverant, in suum patrimonium, proprietatemque converterat. Verùm conscientia tanti facinoris morsus, de succursu (K) procurando sub novis, lucrativisque acceptationibus flagitabat, magìsque suis, quàm Regiis copiis ac viribus constabat. Quippe illi Curiam Regiam ex invidia magìs, quàm honoris Regii cura illum odire. Nonnulli enim (ut prædiximus) ob munera suscepta Canis partes agebant, pauci calamitatem Regiæ infamiæ ac impudentiæ ingemiscebant; sed impotentia resistentiæ pertransibant. Potens igitur ac Magnificus Cunradus in Karinthia, cujus Provinciæ pro Rege Mareschalcus Germano vocabulo appellabatur, copias suorum sequacium, qui illi suberant, parari institit atque studuit, ut (quatenus posset) Paduanos tueretur, quibus fidem pecunia obligaverat, scilicet Carrariensibus; &, siquidem non valeret, residua pecuniarum, & omnium exportandorum hauriret. Nicolaus, depopulatis Plebatu Sacci, & Insulis, Coloniis, & Terris adjacentibus, cum Rizardo de Camino ad Terram Est ex decreto Canis, cujus nutu, atque consulto, & ope omnia gerebantur, exercitum duxit, castraque identidem posuit. Non enim quisquam in Paduano districtu locus aut situatio erat, quo, vel qua universæ Paduanorum Coloniæ usque in mœnia per montes ac planicies subdendæ superandæque decumberent. Et ibidem Castrum validissimum eo, quo olim Marchionis Estensis Arx consurrexerat loco, situque cum amplexu magnæ partis Terræ Estensis designavere & foveis & vallis sub omnium Coloniarum Scodesiæ, Pedisvendæ, Insulæ Causilvis. Et per easdem oras jugibus diuturnis nocturnisque laboribus afficiebantur, dum locus, seu Castrum jam ferè inexpugnabile consurrexit, ad quod ipsi extorres cum bannitis Urbis, & quibuscumque profugis confluxere, subactis omnibus à meridiana parte incolis Paduanis usque in Urbis mœnia. Quibus omnibus à Brintha flumine, quod secus Bovolentam fluit, & à Calle, A quò Vicentiam de Padua iter est, usque in Est singuli parebant Coloni, mandataque servabant, atque jussa per singulos menses & terminos pretia persolvebant.

Clausi verò obsessique intro citroque Cives de his, quæ anni ejus fructibus in Urbem sibi conduxerant, vitam agebant, arrepta spe instantium & jam naturorum (l) in campis senescentium futurorum, atque ex præteritione messis temporis humi collabentium. Soli Carrariensis cum consodalibus de Capite-Vaccæ, Buzacharinis, & paucis aliis eis obsequentibus, sibi à locis vicinis Urbi cum catervis satellitum, & ala Germanorum, grana atque blada (4) ad sua horrea contrahebant. Tartarus enim, & B Ubertinus cum sicariorum suorum, & homicidarum, & assassinorum longis ordinibus ex suis & alienis agris ad se victualia contrahebant, nec proinde aliæ rapinæ, extorsiones multifidæ, ac violentiæ in Cives novorum, atque inauditorum eo usque generum cessabant, ad prandia, & comessationes secum quos noverant per Urbem locupletiores invitabant, quibus post ipsa convivia ob carentias, indigentiasque suas proponebant, mutua poscebant, prout facultatibus cujusque suppetere existimabant. Recusantes quoque stipitibus conclavabant in domesticis ergastulis, dum fame affecti imposita persolvebant. Nec ex iis cuiquam querelas fundere audebant. Mosque unus horrendus in C ejus Urbis calamitatibus obrepsit, qui sub Jacobo de Carraria olim Tyranno semel tantùm ceperat. Quòd nocte ante Luciferum, si quis visitandarum sacrarum ædium causa, vel vicissitudinum agendarum domo egrediebatur, parati erant, quibus commissa talia erant, saccum repentino actu super verticem capitis apertum jacere, & circumductum succingere, ut visu ille captus privaretur, metuque vocem edere non auderet, ductusque in ignotas ædes, fame & mortis metu pecuniis se se redimere cogeretur, ut demum relaxati noctu se solos, aut in Templis, aut in Urbis angulis invenirent, domosque taciti, & vita contenti redirent, nec conjugibus, aut filiis, quæ passi fuerant, exprimerent. D Hoc quoque scelus ceteris Carrariensibus, eorumque complicibus (m) . . . . . assidua assentientibus sic increbuit, (n) ne quisquam ante altum Solis ascensum, vel descensum domibus egrederetur. Sed triste, abominandumque facinus, & Deo, ac hominibus odibile in Presbyterum Thomæum Ecclesiæ Cathedralis virum sanctum & honestum, dum ad Ecclesiam duobus nepotibus ad sacri Matutini mysterium accederet, trium saccorum jactibus commissum est, in privataque domo retenti, dum se pecuniis, quibus ille Sacerdos justus potuit, redimeretur. Sed hos maleficos quosdam ex domo Capitum-Vaccæ adolescentes fuisse compertum est. E Dumque perpaucis post diebus facinoris hujus notitia quibuscumque indiciis prodiisset, minis illorum adolescentium perterritus, mortisque instantis metu affectus Sacerdos exspiravit. Habuere, constituereque inter cetera Tartarus & Ubertinus constitutos ad hæc ex nefariis satellitibus suis scrutatores, qui per singulas Urbis, &

(K) *MS. Ambr.* parando.

(l) *Sic locum hunc legerem, & emendarem*: Et jam maturarum, in campisque senescentium frugum, atque ex præteritione &c.

(4) Vox *blada*, Etruscorum lingua, *biada*, quæ signat legumina, frugesque omnes tritico excepto. Cur verò sic appellentur, esto suum cuique judicium. Ego à Græco βλαδὰ, quod immatura, & cruda Hesychio notat, derivaverim. Quod si est, propria sui notione *blada* erunt fruges immaturæ, neque adhuc demessæ; per catachresim verò maturæ, demessæque, atque adeò conditæ, id quod usus obtinuit. *Villanus*.

(m) *In PP.* Oblũe, *& Ambr.*
In V. Obsũe. *Utrobique nullo sens.*

(n) *Pro* ut nullus.

Digitized by Google

& Suburbanorum oras nomina Civium, qui pecunias, & mobilia cujusque valoris habere crederentur, longis pergamenis conscriberent, quantitatesque pecuniarum nominibus apponerent, quas persolvere cogerentur, mutuaque ab ipsis de multa mansuetudine deposcerent, simulque consilia addebant, ne vesana responsione denegarent. Nam aut duplicanda, vel triplicanda illis fore, aut mortem imminere, (*ut dicerent, in consiliis dabant.*) Per hasque Civium tam sævas angustias sibi Ubertinus, & Tartarus magnas pecuniarum summas aggregabant. Nec pestis hæc tantùm intra mœnia Cives invasit: Sed hoc idem Scribarum officium ad Campanearum ædes, nec non ad quascumque districtus Villas dilatatum est, quibus nil aliud reclamationis remedium, quàm ad tabulas eorum persolvere, congruebat. Nec Prioris Sanctæ Mariæ de Vantio detestabile, ac flagitiosum, memoratuque terribile homicidium prætereundum silentio sit, qui cùm Ubertino, & Tartaro ad prandium invitatus sit, cum quatuor ex eorum Sicariis sociatus ad Cœnobium remissus est, in vestibuloque loci ejus mox trucidatus, & semivivus indutus sepulcro jactus & reconditus, & scriniis, capsisque ejus apertis quicquid cum pecuniis inventum est, Dominis exportatum. Fuere in eis vicis Sanctæ Mariæ de Vantio mulieres duæ, mater scilicet, & filia, quæ virgo cùm ad Ubertinum raperetur, vique abstracta domo educeretur, matre reclamante, ipsaque puella vociferante, ambæ gladiis jugulatæ dimissæ sunt. Civis erat unus Paduanus Raxone, popularis utique gratus, & honestus, qui uxorem sibi nuptialiter domum adduxerat, cui ante crepusculum ex parte Ubertini in auriculam jactum est, ne mulieris carnali contractu utatur, si crastinam diem vivus videre voluerit, cùm illam Ubertinus Amasiam suam jam dudum concupierit. Paduanus dolore interno perculsus, quid sibi consilii foret ignorans, cum paucis honestis propinquis, ingentibus tamen timoribus, Ubertinum sub crepusculo adiere, in quos crudelis metuendusque turpem Paduani ausum exprobravit non nisi sanguine suo vindicandum, quod scienter Amasiam suam notam matrimonio asciverit, & gladio extracto (*in*) ipsum magno astantium tegmine repressus est: sed demum sub mitibus applausibus acceptione quinque centum librarum abire dimisit impunem. Erat Judex Albertus Rubeus nomine, cognomineque & sapientia, & eloquentia præditus, cui cognata erat una nubilis uxoris soror. Hanc vir unus nefandissimus Obizonis de Carraria spurius, omnium sceleratissimus homicida, ac prædo scelestus, (o) qui illam sibi, quòd dotes dives haberet, petierat: Quam confestim parentes Alberti Judicis consilio alii plebejo bono equidem viro desponsam simul, & adductam dedere. Mane summo deducta ad illum spurium facti notitia, quem Bastardinum vocabant, ad Ubertinum querelam effudit. Nec ultio hujusce rei dilata est: Sed ea die Albertus Judex ille (proh improvisus) dum tutus cum famulo per vicum Prati vallis abiret, à satellitibus Ubertini gladiis multiplicibus confossus est. Quod facinus, qui intuiti sunt, vicini, ceterique inde transeuntes fugêre, clausisque, ostiis delitescentes, cum familiis compressi deploravere. Stetit cadaver

A ad vespertinam horam intactum, (p) ad quod nec ex parentibus quisquam, nec ex aliis adire ausi sunt, dum Fratres Eremitæ duo, petitâ ab Ubertino veniâ ac licentiâ, noctu in suum Cœmiterium sepeliere, jussi hoc tacitis exequiis facere. Dum tempus messis instaret, ac præteriret, Nicolao, & exteris quacumque ex causa non prohibentibus, grana, & frumenta festinanter colligere permissi sunt, nec tolerantiæ hujus causa patenter agnita est. Canis tamen respectus ex consulto, non gratia, nec commodo intrinsecorum habitus est; sed sui ipsius coaptatione propositi, dum res Paduanæ ad commodiorem per se opportunitatem solertissimis studiis deducerentur. Jamjam enim ex tam diversis, variisque ægritudinibus consternatæ Civitati B vix deesse supputabat, quin jugum suum ipsa ultronea coarctatione subiret. Propter quod nec violenta obsidione, nec ulteriore afflictione opus esse existimabat, quæ desperatis via evadendi manus ejus fortuna aliqua (ut nonnumquam accidit) contulisset. Lectis ergo frugibus primis (utcumque legi potuere) ærumnosam vitam sub semper urgentibus ac vorantibus Carrariensibus distulere.

Interea fama ad Urbem allata est, Cunradum de Ovestagn cum tercentum Galeatis Paduam adventare, aliasque Regias copias maturè secuturas, quæ exteriorum persecutiones, aliaque irritamenta summoveant; vindemias, & minuta blada liberè Civibus expediant; exercitusque illorum, & omnes conatus deleant, atque terra, C Castroque ac munimento, quod struxerant, diruendo pellant; Urbem liberam ab omnibus (q) insecutionibus, hostilibusque injuriis ac violentiis (r) pellant. Advenit Cunradus, magno apparatu è Carrariensibus, & Communitate acceptus. Cui expositis exteriorum proditorum infandis sævisque excessibus, incendiis, cædibus, ruinis, & depopulationibus sub Cane tacito fautore illatis & patratis, Cunradus arma, equos, currus, tormenta, ballistas, & quælibet ad Castri oppugnationem conclamari jussit. Quibus confestim cum pane cocto, vino, & aliis victualibus vehiculo, & sarcinis compositis, ingenti D tubarum tibicinumque concentu porta Sancti Joannis egressus est, & per calles ad Est (f) ducentes præmissis speculatoribus properavit. Adeòque cursum maturavit, ut priùs (t) Præcussores Oppidum insultarent, quàm Nicolaus, & sui indices suos ac scrutatores, quos Paduam perquisituros miserant, advenissent. Fortè Nicolaus ea hora inermis inspatiabatur. Qui, ut veros hostes cominus adesse cognovit, celeri saltu subsidia armaque conclamans, ipse Pontis machinam, qua Pons levabatur, subiit, Pontemque festinus erexit. Extemplo Oppidanis magno clamore excitatis, fit utrinque collocutio per lancearum spiculorumque jactus, exprobatioque convitiorum. Dumque advesperesceret, exterioribus nequicquam proficientibus, E à concertatione desitum est. Dumque metandis circùm Oppidum castris, sarcinisque disponendis Cunradus cum exercitu instaret, en vox repens crebris clamoribus, & plurimum invalescens insonuit, Paulum Dentem, qui (*cum*) cohortibus Canis equitum mille apud Cœnobium Sanctæ Mariæ de Carceribus duorum ferme millium ab Est distans, in insidiis latuerat, prope ades-

(o) Qui illam. *Videtur abundare cùm præcesserit* hanc.
(p) *Sic emendavi, cùm in PP. corruptè legeretur*: ad quod nec parentibus, aut quibusquam aliis. *In V.* ad quod nec parentibus, aut quibusdam aliis.

(q) *Cod. Est.* incursionibus, *& ita Ambr.*
(r) *Fortè* reddant.
(f) *Cod. Est.* ducentis præmissis spiculatoribus.
(t) *Cod. Est.* Præcursores.

Digitized by Google

adesse, Oppidanosque ad erumpendum cum armatorum manu, quorum major copia dicebatur, quàm ante credita fuerat, paratos. Cunradus inopinatè cum Tartaro, Ubertino, aliisque Proceribus tanto clamore, fugaque eorum, qui antecesserant perterriti (cùm nulli Paulum visum contestarentur) fugæ se se coaptavere. Sed lacero agmine, nec aciebus (u) instructis, Teutonicis in unam phalangem coactis, nec de Latinis usquequaque fidentibus, de seditione timentes, nec in aciebus militum instruendis, qui pedites servarent, tutosque præmitterent, ordo servatus est: sed, qui in adventu primi fuerant, posteriores, & qui postremi, in fuga priores incederent. Sed proh miserrima Plebis Populique sarcinis onustorum, armorumque ponderibus conditio Bubulcorum, Ruraliumque jactura! Quorum pars maxima pro corporum salute abjectis armis, vehiculis, curribus, bovibus relictis, rectis callibus egressi, per vineas, & agros discrimina effugiebant, pluribus à montanis agrestibus interceptis, necatisque. Subierat & pestis nebulosi ætheris cum imbribus pluviosis, lubricum, & aquosum sub pedibus lutum, quibus persæpe occidui precipitesque agebantur.

Sed o ancipites, variique bellorum eventus! Vir fortissimus Cunradus de Ovestagn, in Germaniæ bellis pluribus strenuus, probatusque alios vincere, fugareque solitus, Tartarusque ille communem hominum mensuram proceritate superans, in Urbe formidabilis, ingentium audens facinorum, ceterique generosi Proceres, quorum magnificentiis Paduanus populus subditus occumbebat, fama vana tantùm viri unius nec dum visi, nec persequentis, ut fulmine icti, tergoque percussi, refugiebant. Marsilius verò præsidio Urbis relictus, audita hujus fugæ, ultroneique conflictus strage, metu ingenti perculsus, ne rei hujus tam insperatæ terribilis asperitas novos in Urbe sub adventu tristi rumores induceret, cum amicis, & necessariis armatus in forum prodiit, portasque clausas haberi, ne sinè ordine fugientes ingrederentur, multosque (x) remeari diu ante portas coëgit, dum Cunradus cum cohorte sua ad mœnia applicuit, quem ad Episcopatus aulam (ibi namque condescensus illi erat) sociavit. Dumque per eam diem turmatim & singillatim ceteri Manipuli regressi sunt. Sed erat per eos dies Urbis mœsta facies, turbulenti omnium vultus, taciti, pallentes, ab omni ferme conciliationis spe destituti, deficientem sibi hanc singularem spem hujus Cunradi cernentes, hostem fortissimum Canem tanto amfractu ipsorum roboratum. Sed maximè Marsilio, & Carrariensibus, ac complicibus urens atque perurgens cogitatio, quibus auxiliis suffragiisque reficerentur. Cunradus idem dolores cordiales vultu tegens, in se pudens; tamen illos in spem arrectos multa suasione hortamentoque suspendit: *Nullius dubii, aut cunctationis spem illis* (non) *defuturam, quin ad tantæ contumeliæ vindictam Regias copias, quales per eas ætates hominum in Italiam non descendere, ipsumque Regem inducat. Hoc susceptum à se probrum, ultimum Canis futurum exterminium, atque exitium.* Tunc omnis cura, & sollicitudo Carrariensibus fuit pecunias, mutua, datias, & communes, ac singulares collationes undecumque exigere, quibus adventus hujus Cunradi, & consortii stipendia pararentur, atque solverentur. Nec aliud quodquam producendæ Tyrannidis suæ remedium noverant, quàm Cunradum opibus, ære, pecunii replere, ut illis immersus, pro eis honorem Regium, suumque, ipsiusque Dei timorem & reverentiam derelinqueret ac aspernaretur. Ille quidem captivum sub se Regem, incurvatosque timore Principes ac Consiliarios pessumdabat, tacitosque esse cogebat. Namque & nonnullos ex eis muneribus in suas partes trahebat. Cùm profectò identidem, sicut, heu, & in Regum, Principumque Curiis ferè omnibus Avaritia dominaretur. Studiumque Carrariensibus erat publicum æs ex theloneis, possessionibus bonorum Communitatis, exactionibus Datiarum, seu Collectarum, quibus omne genus hominum Urbanorum, & Villarum emungebatur, atque ad extremam consumtionem bonorum extenuabatur. Nec miseris Civibus quicquam dicere, audere, queri fas erat, licèt hanc Tyrannorum iis exactionibus atque emunctionibus Dominationem fovendam infinita pernicie viderent. Illi quidem populo Paduano, sicut peculiari pecude, ac mancipio, (y) fovebantur. Multi Civitatem, & lares proprios egentes atque exhausti relinquebant, greges filiorum secum Venetias, Clugiam, Ferrariam, & ad Urbes terrasque finitimas trahebant. Nec umquam fuga, discessusque ullorum illis ingrata visa erant, cùm omnes in Urbe residentes hostes malevolosque sibi reputarent; quantoque pauciores restabant, tanto majoribus & paucioribus alimoniis in Urbe locum esse, quàm ad unius Castri. Oppidique Arcem contrahere in omni obsidionis casu meditabantur. Et idcirco nulla illis miseriarum, egestatum, ac inediarum Civium misericordia, nulla Caritas, nulla benevolentiæ naturalis humanitas, de solis ipsis, suisque commodis considerantibus, ut Tyrannorum semper natura est, qui sua dumtaxat commoda usquequaque respiciunt, non curantes de pressuris, & contumeliis subditorum. Voraginem igitur Cunradi Carrariensis non implent, neque satiant; sed anxiam, plurisque appetentem, velut respersione aquæ effusæ dispersim extinguunt, (z) ampliorum speque quantitatum brevi supplendarum conciliant, & pollicitis laxioribus cohortantur. Dum relicto illis Hengelmario, uti semper sitienti sanguisuga & jugiter emungenti, divitibus ipse sponsionibus abscedit. Abscedit in se pudens, (*non*) quòd vilissimis hostibus; sed (quod pudentius erat) nullis, terga dederat, Urbemque, quam in sua ipsius tutela acceperat, in faucibus Canis vorandam, atque omni spe destitutam relinquebat, & quòd Rempublicam illam, quæ multorum esse debuerat, paucis injustè & igno niniosè vendiderat. Abscedit improba conscientia remorsus, quid Regi, ac Principibus sit de gestis Paduæ relaturus. Sed hæc omnia reprimit, & sibi vendicat secum congesta pecunia, quam se ipso cariorem defert, omnis alterius honestæ considerationis oblitus. Manet Urbs omnibus angustiarum pressuris subdita, & conculcata, intra sola mœnia ædes, & mobilia continens, uti obsidione circùm obruta, & uvarum, vini, ac minutarum frugum omni spe privata, seris ac potiùs insperatis Teutonicorum adjuvanda subsidiis.

Sed omnia hæc miseris Civibus intrinsecarum calamitatum respectibus à tergis rejecta, levissima

(u) *Cod. Est.* aciebus militum.
(x) *Fortè* remorari, *vel* remeare.
(y) *Cod. Est. & Ambr.* fruebantur.
(z) *Dicendum rectiùs* accendunt. *Villanus. Cod. Est.* speque ampliorum.

ſima viſa ſunt, dum aſſidua illos ſæviſſimorum Carrarienſium tormenta conficiunt, qui ſanguinem mille modis à conſumtis eliciunt, datiis, & collectis publicis, & privatis exſpoliant, in ſe diviſis pro ſingulorum portione pecuniis, Hengelmario in partem ſuam fraudatæ, & exſpoliatæ Communitatis emolumenta partita cum Carrarienſibus contrahente, contrectante, & in ſingulis aſſentiente facinoribus, conſorteque. Tartarus, & Ubertinus ſingularium Urbanorum, Ruraliumque extorſionibus dies noctesque factis, impoſitis longis pergamenis, conſcriptis ſub nominibus, & prænominibus invigilabant: tabulam ſolventibus in porticu exhibitam habebant cum tabellionibus, ut ad tribunal publicum conſidentibus, & nuntiis ſcripto referentibus quantitates, quas pro Dominis injungentibus ipſi deferri præceperant. Nec exactiones hæ Curiam illam tanta collectione replebant, quando & de Coloniis furto raptuque boves & pecora magnis gregibus turbæ ſi cariorum adducerent, reluctanteſque, ſi qui fuerunt, cæſos abſque remiſſione dimitterent.

Obizo, dira facie, dentibus contritis ipſa inſpectione deformis, bibulus, ſemperque ſitiens, ante ædem ſuam à ſatellitum manipulis ambitus, terribilis Tyranni geſtans imaginem, & ferox ſimul actus exercens, à mœnibus Urbis partem diſtrictus, quæ à flumine Brinthæ, quæ per Bovolentam cingitur, versùs Auſtrum uſque in Pernumiam & Trebanum ſibi diripiendam aſſumſerat uſque in fines Cavarzeris Venetorum. (a) Sed veh Ruralibus, accoliſve quibuſque, qui prædia poſſederant ab ea parte, Civibus, pecoribus, & mobilibus omnibus ſpoliatis, & ea propter ſponte pro parte maxima dimiſſis incultis. Cui filius erat ſpurius, omnium facinorum ſceleratiſſimus, & probrorum inquinatiſſimus, qui hominibus occidendis parvipendebat, ut belluis, riſuique patri habebatur, quòdque malus eſſet, atque fama diceretur, gloriæ ſuæ reputari congratulatus oſtentabat, numquam, aut rarò correptus. Cujus narrare ſævitias, & horrenda flagitia, & peſtes circùm illatas occupatio eſſet prolixa, & nimia digreſſio dicendorum. Sed cùm Deus deſuper omnia Urbis hujus (b) multa ſuſpenderet, in hoc tantum ſpurio diræ atque abominabilis necis permiſſionem oſtendit, quòd in rabiem verſus, conſilii cujuſquam ſpiritualis impatiens, ad evocantes conſocios Dæmones exſpiravit. Tantæ inſolentiæ, petulantiæ, ac diſſolutionis erat hic Obizo, ut à diluculo uſque in noctem temulentus omni & corporis voluptati ſinè fine inſerviret, nil malum, vel (c) indecens exiſtimans, quod libuiſſet. Accuſatum ſibi fortè famulum famulamque domeſticos, quòd ſe amore mutuo diligerent, fortaſſiſque & ſimul coiſſent, veritate rei non perquiſita mutilari fecit, Virum ſcilicet cœcari, & puellæ naſum putari, & abſciſſa membra ad ſe viſenda perferri; quod & continuò factum eſt. Quorum tamen innocentia ſevero Judici Obizoni ſerò pœnitenti nota accuſatoris malignitate patenter innotuit. Hocque ſeveritati additamentum adjunxit, quod uterque illorum ab antiquis domus ſuæ (*fuerat*) familiaribus.

A Marſilietus, non homicida, non ſanguinum effuſor, Virginum raptor, vel in perſonas terribilium maleficiorum effector, aut auctor; verùm avaritiæ ſummæ, rapax pecuniarum, & publicarum, & privatarum raptor ſub titulo & (d) colore officiorum in publicum quæſitorum. Ille publicorum carcerum Præſes & Cuſtos, intrantium, & exeuntium ſpoliis, & coactis illorum redemtionibus inſiſtebat, miniſtros ſcelerum, quales facinoroſus uſus exigebat, illis præponens officiis, meliores habens eos, qui majores ſummas finitis ſingulis menſibus reſignabant. A Nocturno (e) quoque tempore Præſidatum, ſeu Poteſtariam Plebatus Sacci cum Villis adjacentibus ſibi continuam violenter & potenter
B obtinuit à cujus Poteſtariæ ſubjectis aſſignatas pro Villarum Communitatibus graviſſimas pro ſuo libitu quantitates. Ubi Criminalium, & Civilium cauſarum contra ſubactam Civitatis Communitatem cauſas, lites omnes acceptis pecuniis dirimebat, ſimul (*exigebat*) & ipſe cum reliquis Domus ejus de pecuniis omnibus contributionibus non indulgens. His aliiſque brevi poſt Pauli Dentis incurſum, atque Civitatis excidium opulentiſſimus, ditiſſimuſque factus eſt.

Marſilii autem, qui proceritate ſtaturæ Magnus, Marſilietique præeminentia, vocitabatur, naturam, moreſque aliàs ſcripſiſſe meminimus, cùm de primis Domus hujus de Carraria, ſolutioniſque ſtatus Civitatis noſtræ primis origi-
C nibus ſcriberemus. Sed immutatis rerum Paduanorum conditionibus diſcriminoſis, mutabantur & Marſilii hujus mores, quantumque & pericula, vexationeſque Urbis augebantur, tantum & ille ſub monitore Patruo cautior aſtutiorque efficiebatur, *increſcentibus* ſemper non modò virtutibus, ſed & dolis aſtibuſque obtinendæ trans omnes Cognationis ſuæ præeminentiæ, nec non & Reipublicæ gradatim ſubjiciendæ, (f) ne umquam trans modum ſuæ moderationis & diſpoſitionis increſcente ſe ſe Parentibus ſuis mitem atque obſequentem oſtendere, venerari, Civibus, qui Reipublicæ gubernaculis efferebantur, placidum, benevolumque ſe exhibere, ac ſi com-
D mune bonum diligere videretur, diligebatque, dum bonum de ſuo ſemper nutu contemperandum accederet. Cùmque magnitudine omnes ſuperaret, manſuetudine quadam ſimulata gloriam ſupprimebat, & Nicolao laſcivienti, atque ſuper ceteros ſe extollenti, ex induſtria cedebat, ut illius craſſantiæ, quæ creberrimæ erant, illum mitem oſtenderent, diligendumque ex patientia (g) efficerent per hæc ingenia ceteris craſſantibus ſuæ cognationis. Ipſeque manus eo uſque à rapto ſervaſſet ad tantam ſubactæ Urbis Civiumque potentiam pervênit, ut omnibus potiorem locum ſibi vindicaret. Eratque ejus præpotentiæ radix, continuumque fomentum Hengelmarius, Capitanei
E nomen gerens, quem continuis de ære publico donis alebat, ſibique in omne fas ac nefas ad tempora neceſſitudinum ſatellitem obſervabat. Erat ille dominationis ſignum quoddam non ſolùm Marſilio amore, & muneribus deſerviens; ſed & mœroris, nihilque negotii agens, etiam mini-

(a) *melius* Sed vel Ruralibus accolis, vel quibuſque.
(b) *Cod. Eſt.* hujus crimina inulta, *& ita Ambr.*
(c) *Sic emendavi, cùm eſſet in utroque* indices.
(d) *In PP. & Ambr.* calore.
(e) *Legendum* à primo quoque &c. *Villanus.*
(f) *Mel.* nec unquam trans modum &c. increſcentem ſe ſe &c.
(g) *In PP.* exiſterent. *Sed locum hunc totum clariorem effeceris, ſi legeris, & interpunxeris hoc pacto:* Ut illius craſſantiæ, quæ creberrimæ erant, illum mitem oſtenderent, diligendumque ex patientia efficerent. Per hæc ingenia ceteris craſſantibus ſuæ Cognationis. Ipſe, quòd manus &c.

Digitized by Google

minimi, nisi quod ille speciali licentia concessisset. Subiit tamen, atque in dies invaluit recens, ingensque suspicio inter Ubertinum, & Marsilietum, ex eo scilicet, quòd Gulielmum Dentem Consanguineum suum ex Sorore Matris natum Tartari consilio sic seditiosè, sicque nequiter occidisset. Ea diffidentia Marsilieti pectori exorta, ne quem eis potentia parem videbant, invidia improvisum oppeterent, atque gladiis conficerent. Tartari siquidem insignem perfidiam agnoscebat, & Ubertini pronam in omne facinus pravitatem. Cùmque per dies suspicio hæc in tantum coalesceret, ut Marsilietus occasionis verba jactasset, se non sic incautum circumveniendum, ut ipso in subtili prætexta, quemadmodum & illo potirentur, majori solita armatorum satellitum comitiva domi, perque Urbem coambulans sepiretur. Identidemque & Ubertinus, ac Tartarus sicariorum, sequaciumque familias augebant, & congrediendi hinc inde utrinque jam aperta verba jactabant. Cives, ac vulgus horum edocti, per Urbis vicos, & undique tali dissensione gaudere, exultare, congressum illorum magna efflagitatione cupere, omni rerum novarum, & præsertim Carrariensium (h) digressione ac collisione contenti. Sed in Marsilieti, Opizonisque partem communi, sed secreta & operta opinione concedere. Marsilius Magnus astu solito sedandarum harum litium dissensionumque multo studio medius videbatur, frequentibus colloquiis illos coire cum ceteris ejus prosapiæ faciens, quid illis evenire posset, distinguens, si sibi ipsis obnoxii fuerint. *Non aliam causam posse susceptum Civitatis dominium solvere, nec aliud intrinsecis, exterioribusque inimicis spem afferre. Non ob aliud cognationis suæ extulisse potentiam, nisi eo usque tenaciter atque obnixè* (i) *observasset concordiam. Hoc præcipuè à bonæ memoriæ Jacobo Seniore suo prædefuncto ultimo affatu illis injunctum.* Per quæ hæc, & alia ab aliis necessariis, complicibusque subjuncta, & ipsi conciliationis verba hinc atque hinc (K) in se mutuò proferebant, unanimesque digredi videbantur. Verùm jam securi ad radicem posita, domesticorum familiariumque susurris, nunc veris, nunc falsis relationibus in pristinas simultates recidebant, flagrantiùsque accendebantur. Magna utrique Parti Satellitum, Gladiatorumque sequela, armatorum superbiam Dominorum extollebat. Tacitè tamen in partem Tartari, & Ubertini clandestino favore declinabat, non ob aliud, nisi quia, si Partes ad discursus in prœlia, ut se se manibus incesserent, commiscuissent, Populus, ac Plebs Marsilieto, & Obizoni potiùs adhæsissent; quo casu Marsilii potentia in ancipiti futura esset, cum omnibus ferè Civibus invisus foret, & de Dominii Civitatis occupatione suspectus. Cùm & ipsi Marsilietus & Obizo ipsius Marsilii in alteram partem pronioris opinionem agnoscerent, nec se ipso Marsilio inferiores, si concitaretur Populus, & prodiret Civitas in tumultum, supputarent. Idque prope erat, quod si præsumto ausu in confusione cœpti invalescentisque rumoris hiatus fundere Plebs; Populusque prorupisset, hoc certissimè futurum erat, ut in eo conflictu Tartarus, & Ubertinus, & ipse Magnus Marsilius deperissent: nec tamen in ipsorum Obizonis bibuli & spurci viri, vel Marsilieti parum industris, dominii nec capacis, dominium resedisset, sed verisimiliùs ad politiam populi revertisset.

Marsilius Magnus omnium horum gnarus, circumspectusque statum hunc repentè, & levi rumore præcipitem, decernens sibi soli, suisque rebus providere, neglecto omni Communi, privatorumque bono, sive Consanguineorum, sive quorumcumque etiam fidelium, veterumque amicorum, Cani Grandi (quod sibi ultimum cogitationum suarum finem servaverat) Civitatem tradere obnixo proposito meditatus est, nec ultra traditionem hanc differre. Eant Parentum, propinquorum suorum fortunæ, Communitatis, & Populi libertates, qua via sors illis dederit, dum sibi soli, rebusque suis consulat. Populum, & Communitatem in sua potentia constitisse odiebat, & Statuta, ac Leges communes abominabatur, nisi quatenus ipse elevandi, & moderandi potestatem habuisset. Parentum pravitates, sævitiasque etsi majores, atrocioresque fuissent, non (l) eminente eidem suæ ruinæ periculo æquanimiter tolerasset, dum illi vastus animus, admodumque (m) ipsius foret, suique ipsius, quàm ullius dilector. Familiarem antiquum habebat naturæ suæ, suorumque morum accommodum Senis olim Jacobi Patrui Secretarium, votorumque compotem, ac complicem .... Guercium Tuscum olim Lotti Tusci filium virum factiosum, astutum, jamque grandævum, cujus Marsilius in arduis quibusque arcanis consiliis regebatur; Partis Gibolengæ, & olim Alberti della Scala Patris Canis Grandis, dum per tempora Partes illæ magis incalescerent, valde incensus, Paduanis usquequaque suspectus habitus, quòd illum Albertum della Scala Paduanos superaturum optasset, seditiones per tempora, maximè ut Vicentiæ Civitas, Castrum quoque Montagnanæ in Alberti ditionem devenissent, pertentasset, nocturnis diurnisque alloquiis apud eumdem Albertum institisset. Fama hæc, seu vera, seu falsa de viro jugiter laboravit. Hunc ad Bailardinum de Nogarolis Potestatem Vicentiæ, qui Canis per rerum omnium consilia ardua unanimis, consultorque erat, clanculum direxit, qui & cum ipso Cane secretis interdum conveniebat alloquiis de Civitate Paduæ illi tradenda, deque fœderibus cum Marsilio percutiendis, per quæ Marsilius Cani amicus fidelisque efficeretur hoc vinculo conjunctus. Quòd juxta conventiones aliàs cum Jacobo Patruo suo pertentatas (n) Alda Jacobi prædicti olim filia Mastino della Scala nuptui traderetur dote X. millium librarum aliàs similiter constituta, seu quantitate alia majori parum omnibus vulgata. Quòdque Marsilius tradita Civitate Vicarius pro Cane in ea vocitaretur, ac officium, & nomen teneret. Quòdque exteriorum Gelforum bona, scilicet Macharusforum, Terradurensium, Malitiorum, & omnium indifferenter, qui post Pauli insultum metu Urbe discesserant; item (quod & dictu, auditumque abominabile) quòd bona filiorum, ac heredum olim Gulielmi Dentis per Tartarum seditiosè occisi (ut supra expositum est) Marsilii ejusdem essent, privatis illis Infantulis, &

(h) *Sic in PP. at in V.* disgressione, *fortè pro* disgregatione. *Osius.*
Hanc vocem hic intelligo discessionem, *vel* diffidium. *Villanus.*
(i) *In utroque* observasse.
(K) *Fortè meliùs* inter se.

(l) *Meliùs* imminente.
(m) *Fortè* impius. *Aut sic emendandus locus universus:* dum illi vastus animus foret, admodumque sui ipsius, quàm ullius dilector &c.
(n) *Apud aliquos Patavinos Historicos* Thadea. Tedea *etiam apud nonnullos.*

Digitized by Google

& Patre, à bonis paternis; quodque etiam sacrilegium fuit, bona Monasterii Beatorum Prosdocimi & Justinæ ubicumque forent, mobilia & immobilia, Marsilii essent, & possessionem eorum obtineret, in sponsioneque & conventione cum Cane deductio. Interimque & hujus Abbas Monasterii exclusus omnibus bonis privaretur. Item quòd ex extorribus Paduanis quibuslibet, sive bannitis, sive relegatis, sive, qui (ut dictum est) nullo delicto, sed Carrariensium solo metu discesserant, illi exclusi Urbe manerent, quos Marsilius voluisset. Conditiones hæ pacis ex post facto agnitæ sunt, rerum executione per singula docente. Ex omnibus Marsilii conjunctis, affinibusque nullum præter Tartarum conscium horum fuisse præsumtum est posterioribus executionibus indicantibus, cùm mox tradita Civitate præ cunctis admissus fuerit Cani acceptabilis, Marsilio producente. Cujus filio nata quædam olim Raynaldi Scrovegni, quem de se fidentem manibus suis gladiis Tartarus ipse confoderat, Cane jubente, Sponsa tradita est dote X. millium librarum, quæ illi puellæ accesserat hereditate paterna; concessisque atque additis per Canem Tartaro (o) præsidiis, & divitibus agris olim antecessorum suorum, qui pro parte olim Comitis Veronensis extorres fuerant ab antiqua memoria, atque semper inimici: tantum cordi erat hic Tartarus Marsilio, & unanimitate connexus. Mirum eo tempore, qualiter, quantumque Tartarus iste à prima adolescentia in nefandis criminibus homicidiorum, prædæ, flagitiosarumque maximè seditionum facinoribus obversatus, & alitus, rebus semper prosperis succedentibus creverit, & maximè horum Carrariensium amicitia, & favore beatus semper fuerit, dum ad hoc culmen, Civitate Cani tradita, prosperitatis advênit.

Fœderibus demum per Guercium cum Bailardino, & Cane percussis, ad quæ (p) unienda & præsentia ipsius Marsilii opus fuit, Marsilius ipse noctu nullis arbitris, aut consociis, quàm ipso Guercio, simul & Tartaro, (ut traditur) in Vicentinum districtum mutatis in habitum suo dissimilem vestibus cum Cane in constitutum locum convenisse dictus est, ibique cum eo juxta tractata conjurasse, & de traditionis forma constituisse (quibus scilicet artibus, & ingeniis Marsilius suos deciperet, ac circumveniret) & opportunitatem, commoditatemque coordinasse, quæ per subsequentia in patulum venere. Marsilius in Urbem reversus, nil nisi Marsilieti & Obizonis sumtas in Populum audacias verebatur; quas primùm tollere, ut ceteras vias aperiret, consideravit. Marsilieti facilè erant superandi conatus, quem sola rerum familiarium felicitas, & opulentia magnum fecerant, Obizone crapuloso, ignavo, & semper temulento cum vinosis, & prædonibus Paduanarum Coloniarum, vitam agente. Marsilius quidem (ut supra diximus) potentia Hengelmarii Capitanei Germanorum, eorumque cohorte potiebatur, quibus à Cunrado de Ovestagn non aliter, quàm Marsilius Magnus decerneret, exequi præconstitutum erat, secretò alloquio Marsilietum Urbe pellere, amovere, tollere constituit, facti hujus serie ac ordine simul constitutis. Cui Hengelmario mobilia, æs, & omnes Marsilieti substantiæ rapiendæ à Marsilio concessæ sunt. Hengelmarius, Germanique, qui cum eo erant, ad nil aliud, quàm ad prædas, & raptus intendentes, ut & Domino suo Cunrado raptus resignarent, sibique servarent, ovantes consilio Marsilii assensere. Iidem in ipsum Marsilium, bonisque ejus consensuri, si Marsilieti, vel alterius vires, aut potentiæ prævaluissent. Occupata igitur in Marsilietum per Hengelmarium cujusdam causa Captivi occasione è carceribus dimittendi, quorum Marsilietus (ut dictum est) præses erat, lis oborta, seu querela inter Hengelmarium, & Marsilietum. In cujus litis objurgatione Hengelmarius Germanorum Cohortem ad Marsilieti ædem (q) dimisit. Qui ut canes famelici, ædem ingressi, res & mobilia quæque, & domum omnium bonorum fœcundissimam discerpuere, equos proceros de stabulis abigentes, divitiosissimamque domum lectis, vestibus deauratis, monilibus, tapetis, pecuniis aureis, & argenteis magno pondere ex lucris & jacturis Populi aggregatis evacuantes, & plaustris atque equis efferentes. Marsilieto re delata, cùm tunc in alio Civitatis vico cum quibusdam foret, ipse domum propriam à Germanis obsessam accedere nequaquam ausus, ad Marsilium Magnum, tamquam ad omnium singulare refugium concessit (r), & quidnam hoc esset exquirens, quidve sibi incumberet, non aliud à Marsilio Magno redditum accepit, nisi ut cederet suo consilio, Urbeque egrederetur, personæ suæ consuleret. Marsilietus tanta animadversione conterritus, se tertiò, sicut ibi erat, omnia timens, & specialiter Tartarum, & Ubertinum, quos sub Marsilio potentes præscierat, & necem suam optantes, per viciniorem portam Urbe egressus, diurno nocturnoque cursu ad Maris lacunas tetendit, Venetiasque concessit. Exclusо sic Urbe Marsilieto, domoque ejus opulentissima ab Hengelmario, & Germanis (mox ut dictum est) expilata, Obizonem timor invasit, & in ædem propriam à præsidio omnium Sicariorum, & Gladiatorum suorum destitutus se recondit, de fugaque & ipse meditabatur, dum ad domos Tartari & Ubertini frequentias densas satellitum & armatorum sentiret. Sed confestim astutus Marsilius Magnus cum plerisque ex familiaribus suis inermis ad illum perrexit, planisque & amicis verbis exhortatus est, tutus maneat, nil ei metuendum fore, facto Marsilieti plus errore quodam & furore Germanorum commisso, quàm ex constituto, & illud brevi conciliandum. Obizo etsi vesanus, bibulusque rem, quam Marsilius exponebat, altiùs mente existimabat; sed resistentiæ viribus carens omnibus, pro tempore injuriam dissimulavit, non tamen ob id se tutum existimans. Ceteri, qui Marsilieto adhæserant, dispersi per Urbem ad plateam Papafabarum, videlicet ante Marsilieti, & Obizonis palatia non apparebant. Pauci ex amicis & necessariis Obizonis illum solo Marsilii Magni timore visitabant. Utque Marsilius suspicionem alleviaret suscepto per dies & horas secum Obizone, per Urbem spatiando coëquitabat. Nec tantùm Marsilieti & Obizonis amici hoc processu Teutonicorum conterriti sunt, sed quicumque ex Populo, vel Plebe, seu Majoribus Civibus favores illorum optaverant, sive etiam alii per Urbem totam metu pavefacti, Marsilium Magnum, ac si Civitatem totam occupasset, formida-

(o) *Cod. Est.* prædiis, *& ita Ambr.*
(p) *Cod. Est.* inienda, *& ita Ambr.*
(q) *Cod. Est.* ædem diripiendam dimisit, qui continuò ut Canes &c. *& ita Ambr.*
(r) *Cod. Est.* accessit.

Digitized by Google

midabant, jamque, ut unum solum Caput Dominumque verebantur.

Philippus de Peraga vir potens, qui in ruinis Urbis una cum Carrariensibus detestabilis fuerat, eo usque loqui liberè adversùs quoscumque ausus, eadem formidine ad Marsilii ædem frequentabat, nil improbans, vel probans, nisi quod Marsilio libuisse perpendebat, illum & ipse veritus. Similiterque Aycardinus de Capite-Vaccæ, & alii Marsilieti, & Obizonis consuetudinarii faciebant. Nilque jam intererat, si titulo Marsilius Dominus unus Civitatis non vocitaretur, cùm (*tamen*) re Dominus sic esset, ut quicquid ei libuisset, liceret. Sciebat enim unusquisque, Hengelmarium cum Germanis suos veluti satellites esse, quos ei Cunradus de Ovestagn suscepta mercede locaverat, quam de Communi ære Marsilius sua astutia de propinquorum suorum fautorum assensu sumtam illi erogaverat. At nec ipse (f) illis emtus Hengelmarius futurum Regis simplicissimi, ac Cunradi avarissimi opprobrium, & æternum flagitium, cogitabat: sic illum, & Dominum suum Cunradum accepta à Marsilio pecunia occœcabat. Rebus sic se oppressæ & jam nullæ Communitatis habentibus, omnibusque in manu solius Marsilii collocatis, consilio Canis, & secretorum semper communicato, missoque per frequentes vices Guercio Lotti nocturnis silentiis, summisit Marsilius ex suis clanculum, qui in Curia Marsilii, & per Tribus Civitatis dictitarent, melius esse Marsilium in Capitaneum sibi præferre, ut ipse solus (t) potentia, & jurisdictione potiretur, quàm tantis subjacere discriminibus corrupta sic Civitatis, & omnis Reipublicæ facie, ut nesciret quisquam, quæ via salutis tam patriæ, quàm singulis foret. Nec deterrere posse Urbis conditiones, dum nesciret homo, quod vitæ, rerumque suarum sibi effugium esset. Invaluit per universam Civitatem vulgare hoc, ac adeò increbuit, ut jam, si metu non arcerentur, Marsilium Dominum eligendum clamitarent. Amici quoque & Marsilii familiares, ut plurimum inviti, sed concurrenti Fortunæ in hunc effectum secundantes & ipsi Marsilio suadere, *ut lapsam Civitatem erigeret, se unum Dominum, Capitaneumque præferri pateretur: alioquin conditionibus sic exigentibus voce Populi ad Prætorium deferretur, ipsique iidem amici voces & vota cunctorum secuturi, hoc salubre consilium in publicum conclamarent, & effectui operam darent*. Marsilius his congaudens Consanguineos Domus, & eos, qui eis confœderati per singulos casus fuerant, evocavit, Philippum scilicet de Peraga, Aycardinum de Capite-Vaccæ, Duxium de Buzacharinis, & alios plerosque factionis suæ, quos super agendis in tantis discriminibus Civitatis consuluit. Illi, ut de re prope necessaria, Marsilium rogandum decrevere, periclitatæ Urbis onus relevandum suscipiat. Solus ille, si quid remedii est, ne cuncta depereant, cui Deus, & occurrentium rerum Natura concessere, Principatum in se unus sumat, in quem tam publica, quàm privata paribus votis commissa sint. Capitaneus sit, & Domini Generalis nomen obtineat. Hocque uno dicente ceteri editis simul vocibus conclamavere, & sic fieri consuluere. Marsilius etsi gratulabundus intrinsecus, ægris verbis, uti compulsus, annuit dictis illorum; *Ut libeat eis, Populoque gratum sit, efficiant. Verùm, ne fortè*

A *in tanto Populo, & Civibus discrimen tanti momenti novum aliquod parere posset, solito ipsorum Propinquorum suorum, & amicorum more pro agrestibus inquilinis per Villas & Colonias suarum potentiarum manipulos in Civitatem accersant pro talis tantæque rei magnificentia, tutiorique executione*. Hæc siquidem omnia de Canis clandestino consilio Marsilius agebat, ut gradatim Civitatis, & omnium Singularium tam Propinquorum, quàm ceterorum ad exequenda, quæ præconstituta erant, de Civitate Cani habiliùs tradenda potentiam Marsilius præoccuparet, per has simulationes confidentiam Propinquorum ostendebat. Confestim propinqui, amicique rem simplicem agere, ut

B constituerant, opinantes, pro agrestibus misêre. Quorum, aliorumque Satellitum, & Sicariorum turbæ frequentes in Urbe coiere, & jam per universam Urbem famam disseminavere, Marsilium Dominum Urbi & Capitaneum præficiendum. Populus verò, Civesque omni nequam status mutatione contenti congaudere, lætari, & exhortari, & placitum hoc per Vicos, & plateas, ac salubre omnibus promulgare. Quamquam enim Virum hunc in Vulgus protervum, cunctisque formidolosum prænoscerent, hoc tanto remedio levabantur, quòd unus foret, cùm eo usque exitiorum suorum præfuissent eis quot Capita, tot Tyranni.

C Ad Consilium igitur majus Communis Cives omnes accersente Campana, convenit omnis ordo, Tribunorum videlicet, Antianorum, Gastaldionum, Consiliariorum, Singulariumque omnis generis. Ubi jusso silentio conscendit in auditorium, cui dicendi vices à Marsilii Consultoribus commissæ erant, magnisque suasionibus, facetisque præconiis conclusum, consultumque est: *Oportere Reipublicæ sic dissolutæ Unum, sed* (u) *Marsilium præferri, ut uno Capite regeretur*. Moxque vix exspectato verborum pronuntiantis fine, fieri hoc, & opportunè fieri conclamatum est, iisdem, quibus olim Jacobo de Carraria Patruo suo modo, & jure præfinitis, *ordineque servato*. Ille perpaucis verbis vexillum suscipiens, M. Rubeo Parmensi

D Consanguineo ad hoc cum CC. equitum Cohorte per eos dies evocato præsidatum Potestariæ concessit, & in Prætorium Commune descendens reliquit, stipatusque propinquorum de Carraria, & Affinium, Amicorumque comitiva ad ædem suam se contulit. Hisque sic peractis triduo ferme, vel quatriduo Rurales, atque Inquilini ad sua rura dimissi sunt. Crescebat interim in Civitate ad Marsilium veniens Parmensium turba, in qua jam palàm Canis Grandis amici, Commilitonesque ac Contubernales cognoscebantur, nec cuiquam ex hoc aliud obloqui, vel hiscere jam licitum tutumque erat. Marsilius enim jam securo suorum præsidio indubitatum dominium obtinebat, ut Urbis traditio & retentio in sua solius potestate esset.

E Agnitis jam in patulum Canis Grandis familiaribus, ac militibus, peditibusque, tunc & vulgo jubente Marsilio (x) editum est, inter Canem Grandem, & Marsilium celebratas esse nuptias, inter scilicet Mastinum olim Albuini filium, Canisque nepotem, & Aldam Marsilii neptem natam olim Jacobi de Carraria, ad quam desponsandam de proximo Mastinum Sponsum cum Spineta Marchione Malaspinæ, & aliis Canis Grandis Consodalibus Marsilius in Padua præ-

(f) *Melius* vili. *In PP.* villis, *pro* vilis.
(t) *MS. Ambr. addit* omni.
(u) *Cod. Estens.* scilicet Marsilium.
(x) *PP.* edictum. *Fortè* indictum.

præstolaretur. Adhuc Marsilii Propinquos, ceterosque Cives fovebat spes, vulgoque enuntiabatur, Marsilium cum Cane societatem contraxisse, ut huic Urbi Paduanæ Capitaneus præesset; Canique ceteris fœderibus socialiter deserviret. Indicabat hoc, quòd conjugii hujus celebrationis honore, amoreque Canis in Vicentia, & Verona pacem conclamari publicè fecerat, ne aliqui, seu extorres Paduani, seu (y) ulli Paduanos intrinsecos ære, vel personis, aut quibusque mobilibus incesserent; sed uvas, fructusque & vina liberè quisque sumat, & in Urbem contrahat. Quæ res gaudium non modicum Populo, Civibusque attulit, inquientibus omnibus, *faciem hanc esse bonæ mutationis, & non nisi salutem, & relevationem ab tantis flagitiis, & ærumnis indicare: laudare Deum, manus ad Cœlum tollere, qui de Cœlo in terram respexerit: Nullum Dominium, nullum Statum comparatione facinorum præteritorum atrocius sequi posse.*

Propinqui autem, & Collaterales, & Familiares Marsilii, qui tam infandis ante licentiis grassabantur, vereri, & pavere cœperunt, quidnam hoc jam futurum foret. Admissos in Marsilii Curiam Canis familiares videbant, jugiterque de Verona Paduam frequentare, suscipi; Marsiliumque jam non singularis, familiarisque, consanguinei, vel concivis faciem habere, nec copiam sui solitam facere, ab exitu proprii thalami diutiùs expectari. Et interim, dum appropinquaret dies, ut nuptiales sponsiones hæ fierent, in omnium notitiam vênit, Mastinum sponsum cum Spineta Marchione de Malaspinis non palàm, sed clanculum Venetias applicuisse, & Aldam, quæ tunc Venetiis per Marsilium tenebatur, subharrasse simul (*cum ea*), & noctu matrimonialiter concubuisse. Sed nunc, (z) quamquam latenter acta fuerant, in patulum explicanda fore, & in diem certam Mastinum cum Proceribus, & Contubernalibus Canis, militiamque ducentorum, aut trecentorum equitum in Urbem expectari, maturato per hæc intercidentia inter Canem & Marsilium negotio. Marsilius Tartaro, Collateralibus, & omnium horum, ut dicebatur, (a) conscio, Propinquos, Agnatos, & principales sui generis, ac Aycardinum, & Franciscum de Capite-Vaccæ, & ejus domus Primores, quique omnium bonorum, & malorum consors fuerat, ad se accersitos allocutus est. *Noverint, qualiter à die insultus Pauli magnis momentis, magnis conflictationibus, ingeniis, & studiis Urbs hæc in eorum ditionem retenta fuerit sub avarissimis Teutonicis, tamen Urbem ab Cane sub umbra Ducis Karinthiæ eò usque defendentibus. Qualiterque inter Prosapiæ de Carraria Conjunctos invidia surrexerit, quidve Nicolaus, nullo contentus Parentum consortio egerit. Egisset tamen suis frustatus nequitiis, & in suam foveam ipse casurus, si reliqui domus hujus humano more Civitatis dominio, & (b) oblata sive à Deo, sive à fortuna uti voluissent. Sed sciunt ipsi. (Ecce hìc astant) si more humano tolerabili, & non sævissimo, ac belluali hoc commodo, & dono fortunæ uti voluere: si hominum, Civiumque servitiis, & non pecudum vorandarum quotidie cruoribus uti voluere: si humanitati, pietatique, vel mansuetudini se dare voluere: si alicui severitati, flagitio, vel facinori umquam pepercere, non usi hominum conversationibus sub ulla civilitate, sed mancipiis, & servilibus sub omni despectione pecoribus. A se illos frequentissimè monitos, usque dum monitiones odia in ipsum gignerent, & persæpe in eumdem tectæ minæ oborirentur. Scire ipsos debere, etsi illi in sua lascivia, & inemendabili corruptione cœcati non concernerent, naturam ipsam hoc abhorruisse, ut jam aër ipse pestilens non solùm Urbis hujus fœdaretur, sed distantes per totam Italiam, transque Montes Gallicas Regiones infectaret. Eventurum hoc fuisse, ut ipsorum omnium, ipsiusque Marsilii cum eisdem exterminium, unumque interitum, & divinum, humanumque judicium prodidisset, orantibus omnibus, tam diras clades audientibus, Deum de summo Cœlo in tam efferos Tyrannos ignes & fulmina jaculari. Nunc autem sciant, & velint nolint huic tanto discrimini remedium, quale haberi potuit, à se ipso inventum esse. Qui quamvis Propinquos suos ultra communis sanguinis amorem dilexisset, ut diutiùs pro eis, ac cum eis mortis periculo occubuerit, mortis ipsius proximum & instans exitium expectare noluisse: Sed Sibi, eisdemque Suis, quatenus valuit, de vita ulterius producenda consuluisse; scilicet sub eò usque vitato, & omnibus viribus propulsato Canis Grandis Dominio. Datum illi esse, & concessum per ipsius Marsilii operam necessariam Civitatis Paduæ Principatum, & liberum, ac generale Dominium. Cujus præsidia equitum, & peditum jam in Urbe præsentia sunt, quorum viribus jam resisti non possit, ipsumque Marsilium hujus præsidii, & gentium caput, & tutelam esse, mortem pro illo (si mori tantùm expediat) subiturum. Consulere, hortari, ac rogare ipsos Propinquos, aliosque necessarios, & amicos præsentes, atque absentes huic mitia colla jugo submittere, ut qui libertate uti noluere, aut etiam nesciere, servire & famulari discant Domino singulari.* Audientes hoc propinqui & astantes vultus inter se stupentes jactabant, tanto confusi mœrore, ut vix quisquam eorum voces edere valeret. Sed solus metus dolores nonnullorum, manusque compressit. Quibus verò eloqui prudentiæ, audaciæque suasere, atque induxere, non aliud audendum agendumque fore edidere, *nisi Marsilii gesta comprobare, parére, & omni fortunæ colla submittere, fidelitatesque & obedientias juxta Marsilii decreta, & stabilimenta Cani facere, alacritatesque ostendere, & pariter cum eo omnem famulatum subire.* Pars tacita dolores, & angores metu consternata (c) suppressit, mœstumque colloquium illud pro majori parte divulsum est. Sed verba hæc Marsilii permissione, & nulla prohibitione per omnem Urbem promulgata discurrere.

Cives primis auditibus inexpectatis mœroribus, simulque & horroribus perculsi, fluctuavere, domosque subeuntes cum uxoribus, filiis, & familiis tacitis querelis tristia infortunia sua, & suæ Urbis deflevere, progeniem hanc de Carraria devoventes, quòd Urbem hanc in has calamitates, & extremas miserias infandis suis operibus deduxissent. *Heu, heu infausta, infortunata Civitas, ferro, fame, & sanguine, tanto*

(y) *Meliùs* illi, *idest* extorres.
(z) *Cod. Estens.* quæque, *& ita Ambr.*
(a) *Videtur hìc intelligi* Guercius, *arcanorum omnium Marsilii conscius, ut supra; Secus pro*, Conscio, consociis, *reponendum esset.*
(b) *Nisi vocem hanc ad Civitatem referas, non habebit, quò spectet. Emendari nihilominus sic posset hic locus ex proximè sequentibus.* Et hoc oblato, sive à Deo, sive à Fortuna commodo, & dono uti voluissent.
(c) *Cod. Estens.* compressit.

Digitized by Google

tanto defensa ab Cane tempore, nunc illi gratis accessisse. Venditum Populum, ut pecora, seditione, & traditione paucorum infandorum. Proh execrabile facinus! proh semper memorabile, ac pudendum dedecus, tam potentis, tam nobilis, tam liberæ Civitatis, sinè bello & armis, sub Canis jugum sponte, & nullis reluctationibus abeuntis! Puduere tam improvisæ atque inexpectatæ in hostem antiquum exosum & terribilem servitutis. Qualis vitæ, statusque mutatio hæc! Quàm horrenda, quàm execrabilis & metuenda! Nihil de cetero juris publici, vel privati cujuspiam fore, nihilque proprii arbitrii eloquendi, nisi quatenus Domino placitum gratumque crediderint. Hæc & alia mesti per ædes suffusis lacrymis, gemitibus, ac rugitibus multis ejulabant. Verùm post hæc inter se emissa digestaque lamenta ad respectivum solamen revertebantur: *Et quid ingemiscimus*, inquiebant, *dum lethalem vitam, mortemque vivacem Carrariensium exuamus? Quis status illo perniciosior, flagitiosior, majori pœna, continua formidine terribilior? Servitus hæc, quam subituri sumus, una dumtaxat futura est, qua & plures subjecti Populi tamen vivunt à singulorum violentiis absoluti. Una nobis metuenda, colendaque facies viri erit, quem obsequiis & famulationibus placare poterimus. Hocque erit nostri grande levamen solatii, quòd nos Plebs vilissima liberiori vita fruemur, quàm nostri Nobiles, in quos cadere magis solet animadversio Dominorum. Ecerino quondam de Romano, primi qui Urbem prodidere Nobiles, primi supplicia persolvêre, capitalesque pœnas digni dedere. Altiores domos semper grandia incutiunt fulmina, quæ nostras transeunt casulas planiores. Numquid videbimus, & corridebimus, & dignum conclamabimus nos Turba minor Dei judicium hos Carrariensis strages, cædesque & clades pati, quas in alios intulere? Suum ipsi iidem astruxere rogum, suum decrevere & constituere supplicium. Fidet hìc Dominus eorum, in quibus nullam expertus fidem fuerit, nullam inter se, nullam in alios caritatem? Equidem non fidet, sed immanes, truculentas feras ferro, vinculis, suppliciisque domabit. Sistamus lacrymas, lamenta ponamus, per spem libertatis hanc servitutem, qua saltem sub justitia singuli fovebimur habeamus. Quid ultra possimus è tot ærumnis non nisi Dei permissione, aut jussione levari? Spesque nostras ad vitam, & salutem Domini nostri desiderandam, colendam, & amandam unanimiter erigamus; cujus benevolentiam, favoresque dignis meritis conquiremus, illum promtissimis vincemus obsequiis. Veniat autem, veniat, & utinam veniat. Illudi adhuc credimus nos serviles animæ. In libertatem redactæ erimus, cùm hos majori dominio servire videbimus, ut nobiscum sint pari famulatione conservi.*

Marsilius igitur omnibus vicissitudinibus ad vota succedentibus Aleam sponsam de Venetiis traduci Paduam mandat. illamque Marsilietum concomitari gratulabundum, & contentum, quòd vix omnibus rebus desperatus in Urbem revocaretur. Diesque adventus in Paduam Canis in publicum Consilium iis præconiis, & enuntiationibus statuitur. Marsilius siquidem in Auditorium spectabilis conscendens ad populum præfatur: *Bene nostis Cives tam Nobiles, quàm Plebei, & omnis generis viri, quantis sollicitudinibus, quantis studiosis conatibus Urbem hanc à Cane della Scala tutari ac defendere operas dederimus, nullis parcentes personarum laboribus, sumtibus, angustiis, & pressuris. Hucusque huic nostro Regi Henrico Karinthiæ post Fridericum Austriæ (ne longam faciam retro seriem) adhæsimus, servivimus tam fideliter, quàm constanter, in continuam spem suspensi ac detenti, quòd validis suffragiis juvaremur. Demum accessit Cunradus de Ovestagn; coarctationes & necessitudines nostras vidi; quod potuit, contributi æris deportavit, & frustra rediturum cum præsidiis spopondit, neglexit. Rege negligente alia undecumque suffragia ab Sanctæ Ecclesiæ Legato, & Communi Venetiarum, à Marchione Estense cum Longobardis, & omni parte pertentata sunt. Omnia revolvimus, & nullum calamitatibus nostris remedium, levamen, aut suffragium invenire potuimus, Cane hoc cum rebellibus Civibus vos usque in mœnia urgente. Intestina Civitatis nostræ flagitia taceo, quorum manus meas mundas contestor. In retia compressus, ut evadere ultra nequiverim, cum Cane vivendi remedia perquisivi. Dira multùmque conatus illum servitiis, magnisque servitutibus absque Civitatis hujus libero Dominio Vobis conciliare, amicum facere, vexationibus ipsius personarum obsequiis, & annuo ære redimendis: nec hoc quidem obtinere ullis pollicitationibus valuimus, ni Civitatis Dominio potiretur. Ego verò iis angustiis intro citroque oppressus & circumventus de salute vestra simul* (& mea sollicitus,) *ne convicti, & captivi cum misera hac Urbe in manus ejus expressa vi deficeremus, quæ valui, fœdera contraxi, Personæ meæ, quatenus potui, Domuique & Prosapiæ meæ salubria contracta cum ipso Cane, & stirpe sua, de hac Nepte mea matrimonio cum pace vobis danda, & tolerandæ vitæ vestræ remediis. Dura vobis hæc, puto, videntur; sed mihi duriora libero statu, divitiis, honore, & amplissimis omnium rerum copiis freto. Quod in me ipsum, meosque constitui, hoc vobis participibus communicavi. Animos vestros, quæso, componite, fortuitis casibus à Deo præstitis in tantis præsentium temporum plagis cedite, necessarium statum Dominii non primi, nec ultimi, natura, & ordine rerum sic afferentibus, ultronea assensione subite.*

Post Marsilii dicta Cives per subsellia variis collocutionibus infremuere. Magna pars Vulgi levis vix voces continens acta comprobabant: Multi verò eorum, ad quos Reipublicæ major cura spectabat, inter se dictitabant: *ad hanc ruinæ necessitatem culpa Marsilii deventum esse pro eo, quòd plus Sui, Suorumque, quàm Communis Status curam agens, semper Communitatem exosam habuerit, Populumque, & Rempublicam Sibi, Suisque Propinquis subjecerit, more patrui Jacobi de Carraria, qui sui Dominii usurpati tempore, & ipse Nicolaum, & Suos insævire, & crassari permiserit sub nulla Justitia; nullusque juris, & æquitatis ordo servatus fuerit. Cujus rei causâ & ipse demum cum Populo ruente corruerit, & (d) fœdè abrenuntiare compulsus sit. Hic quoque Marsilius Tartaro Viro nefasto, & Ubertino, ac reliquis in facinoribus pervagantibus, & luxuriantibus, oppressis semper Populo, & Communione, ne adversùs illos cervicem erigeret, tamquam Columna perniciosæ perseverantiæ, fautor exstitit, numquam misertus calamitatibus Populi si ab extra nullam insecutionem sustulisset. Sua ipsius*

(d) *In PP. & Ambr.* fidè.

Digitized by Google

sius culpa & facto in hanc coarctationem devenisse, dum plenus divitiarum, & omnium bonorum copiis, & ipse luxu, & omnibus ad libitum illecebris potiretur. Potuisse Marsilium (si mens illi æqua, & tranquilla fuisset) Populi, & bonorum Civium viribus & consiliis Justitiæ operam dedisse; formam, seu faciem Communitatis observasse; Propinquos metu pœnarum à sceleribus arcuisse; nonnullos ex insontibus Civibus, qui ex Urbe non culpis, sed metu profugerant, revocasse, Sibi Suisque conciliasse; sub veritatis assertione Propinquos suos, & singulares Cives amicos suos singularibus injuriis induxisse; Marsilium Rempublicam seque simul, & suos in exitium traxisse. Collationibus, & narrationibus variis per singulos emurmuratis, re cogente, & sic exigente, voces magno clamore proditæ sunt: *Fieri, fieri, quæ rerum eventus compellunt, & Dei nutui se commendare. Satis superque fore, dum Carrariensium non Dominatum; sed vincens omnes tyrannides exitium liberi pertranseant.* Verùm mœsti, & quasi mentibus alienati digitos manuum ingeminant, palmas stringunt, tecta subeunt, cum Uxoribus & familiis lamenta futuræ servitutis, & elapsæ libertatis rememorant, deflent; sed demum temporis hujus pestiferæ se (*statuunt conditioni*) accommodare, dum vita anhelitibusque vitalis spiritus perfruantur. Jam omnis Populus, Plebsque alacribus vultibus adventare Dominum suum Canem vocibus festinant, lætitiæ communis voces edunt, *pœnitere quòd jamdudum ante tanta interna externaque Urbis flagitia illum non acceperint.*

Canis cum Marsilio & diem & horam ingressus sui contrectans, Guercio omnia hæc per frequentes affatus disponente, (e) diem Mensis Septembris Anni Domini XXVIII. post Millesimum trecentesimum introitus constituêre, simulque ad effectum juxta concepta perduxere. Nam Canis constitutis Veronæ & Vicentiæ pro custodia præsidiis, multâ militum peditumque comitivâ, cultu Regio, præcedentibus (f) procerum equorum vacuorum Ordinibus, Scalisque in altum cum quinis gradibus fulgentibus per Vicentiam coëquitans, Paduani Populi catervis obviam euntibus, & Clero cum levatis Crucibus, ac (g) Litaniarum concinnitatibus, & *Te Deum* conclamantibus, per Portam Pontis Molendinorum ingressus est, Marsilio Magno lateri consistente, ceterisque Prosapiæ præeuntibus, ac circumstantibus, & Tartaro rerum, quæ gerebantur, omnisque spectaculi auctore, gloriante. Ingresso valvam Urbis principalem Cane, & in callem majorem Urbis principalem progresso obvii perstitere Pueruli sub Insigni ad Scalarum effigiem una voce conclamantes: *Valere, Vivereque Dominum Canem, mori saccos, & Datiarum impositores.* Substitit alacer puerorum edictionibus Canis, & quamquam veritatis conscius à Marsilio, & astantibus, quidnam hoc esset, quæritans, missilibus in Vulgus jactis, præteriit, & ad Prætorium (h) concessit. Ubi in pavimento latissimo applausibus præconiorum vulgo editis Vexillum Communitatis à Judice Antianorum suscipiens, Tisoni de Campo Sancti Petri identidem astanti dari jussit, qui & Avunculo Marsilio Magno illud tradidit, Marsiliumque Vicarium Urbis vocari jussit, & Bernardum quemdam ex Contubernalibus suis Virum sibi fidum Rainutii Tusci olim filium Potestatem Urbis constituit, ac Spinetam Marchionem de Malaspinis Lunensibus Collateralem suum Capitaneum Urbis dici enuntiavit; seque ad aulam Episcopalem post hæc colloquia contulit, ibique se collocavit. In eo loci Curiam firmans, lautissimas agens comessationes, discumbentibus simul cujusque generis, & ordinis Viris sexcentis prima mensa convescebatur, Carrariensibus sub Marsilio ante omnes se exhibentibus, quasi omnes Urbis Dominatores exstitissent, & potentioribus honoribus dignos se reputarent, trepidantibus tamen cordibus, cùm & eos inscios traditionis Canem non latêre existimarent, seque ipsos inscios agnoscerent. Perque eos circiter dies Ubertinellum Tartari socium frangendæ gulæ laqueum sibi clanculum parasse compertum est; dumque se facinoris hujus sui coërcitum deprehendisset; sed à supervenienti famulo præpeditum, alteroque actu, nisi à familiaribus custoditus fuisset, præocupatum, fama vera facinoris hujus Urbem replevit, quæ nec ipsum Canem latuisse dicta est.

Civitate nobilissima Padua Canis potiebatur; sed paucis modicisque ex Insignibus, melioribusque Civibus, quorum partem majorem ætate illa Mors ipsa consumserat, partem Carrariensium turpis & sævissima Tyrannis Urbe expulerat. Quota pars Carrariensium assentatrix in Urbe restiterat, quos inter Buzacharinorum stirps, (i) cujus nationis eo tempore duo inter editiores Cives locum obtinebant. Unus Pantaleo nomine appellatus. Vir hic omnium judicio quanta humanarum rerum fortuna potitus fuerit, singuli mirabantur. Dolosus, invidus, mendax, maledicus, sed assentator, blandiloquus, astutus; omnibus vulgo acceptus, & ad officia quæque admissus, sed odiosus. Alter Duxius nomine visus honestior, tectus, insidiosus; sed (K) in se se succelando prudens, Potentioribus pedetentim adhærens, statu deficientibus deficiens, fortunæ hominum imitator. Et hi duo ex (l) Carrariensibus in Vulgus sævientibus hortatores fuerant, lucrorum & ipsi, quibus poterant, saltem Rure, si non in Civitate, participes. Illorum non dilectores, sed obsecutores. Pantaleo Cani se placidè exhibens, oris acceptabili facundia se se illi semper rebellem & viribus, & animo contestatus, translatum in ipsius fidelitatem animum retulit lateri ejus hæsurum, Veronæ accolam futurum, nec ab ejus contubernio umquam discessurum. Ad quem Canis pro temporis vicissitudine libens se liberè consentaneum, acceptantemque despondit, ædemque in Verona cum libris M. annuo stipendio contribuit. Demum pro tam sublimis magnificentiæ accepti tantæ Civitatis Dominii Curiam solemnem in proximo Sancti Andreæ (*Apostoli*) festo in Verona celebrandam edixit, in qua novos milites cingere Marsilium, Marsilietum, Opizonem, Ubertinellum (5) de Carraria, Aycardinum, & Franciscum de Capite-Vaccæ, Du-

(e) *In PP. & Ambr. post* diem *lacuna est, quam suppleat licèt addendo numerum diei, idest* Decimum. *Nam eo die Paduam Canis Ingressus est.*
(f) *Ibid. & in Ambr.* Procerorum.
(g) *More vulgi; Nam latini Litaniam, non* Lætaniam *dicunt.*
(h) *Cod. Estens.* accessit.
(i) *Cod. Estens. & Ambr.* stirps à primo ortu adhuc noto, non obscura, seu ignota, sed abjecta & vili coquendi vulgo panis officina, cujus &c.
(K) *In PP.* in se se suæ celando. *Fortè* sua celando
(l) *Cod. Est.* cum Carrariensibus.
(5) Putabam, legi debere, *Ubertinum*, eumque esse, quem semper Tartaro adhærere non semel diferat. Verùm cùm identidem *Ubertinellum*, appellet, vel alius ab Ubertino illo erit hic Ubertinellus, vel ille binomen fuerit. *Vill.*

Digitized by Google

Duxium de Buzacharinis, Tartarum de Lendenaria, Guercium Lotti declaravit; quam Curiam paulò post eos dies in Verona undique evocatis amicis, ditissimis apparatibus, splendidissimis impensis, trophæali gloria peregit XXXIX. militibus Longobardis, Veronensibus, & uno Veneto de Cha-Fuscari militia cinctis. Ad quam Opizo Marchio Estensis, strenuissima Ferrariensium, consociorumque Civium comitiva se honoris causâ contulit. Identidemque & Ludovicus de Gonzaga novus Civitatis Mantuæ, occiso Passarino de Bonacosis, Dominator affuit. Solemnis dies illa in Verona Magnificentissimum Canem ostendit, sed adeò munificum, ut singulos milites novos duplicibus vestibus, & decoris ad hastiludia insignibus cum phaleratis equis donaverit, cum omnium impensarum largitione, quæ esui, potui, annonæ, & luminaribus cereis nocturnis horis, & quibuscumque usui hominum necessariis universæ multitudini trans omnes copias contributis. Cujus gentis omnis generis numerum computasse, aut æstimasse impossibile cuiquam fuit; nec Imperatoriam, Regiamve Curiam in Longobardiæ Provincia à referendæ memoriæ tempore ullam auditam, visamve, constabat huic potuisse conferri, non capacibus Urbis Veronæ compressorum Civium ædibus, diffusis hospitibus Curialibus per porticus, & plateas. Munera per hos dies susceptæ Civitatis Paduæ (*causa*) his, qui eam tradiderant, eximia fecit. Marsilio primùm Magno traditionis principi petenti, quæcumque deposcere in sua optione voluit, ut scilicet Urbis Paduæ pro Cane Vicarius vocaretur, solo eo contentus vocabulo, constitutis pro ipso Cane Potestate, & Capitaneo, ac Officiis singulis pro ejusdem Canis libitu, qui omnium agendorum habeant potestatem. Petiit quoque, divinæ salutis immemor, & pudoris humani, bona, & prædia Cœnobii nobilis Sanctæ Justinæ, Abbate excluso, quem Sanctus Pontifex per idem tempus ante præfecerat, ut singuli obtentu in suam potestatem veniant, acto cum Cane (ut ferebatur) quacumque instantia ut.... olim Jacobi de Carraria spurius, quem à Monachis impostulatum eligi coëgerat, deposito (*Gualperino*) Abbate præficeretur, privato interim omnium bonorum Monasterii Abbate prædicto. Poposcit etiam Marsilius, atque obtinuit, ut bona quæque heredum (m) Gulielmi Dentis, nequiter ante ostium per Tartarum trucidati, ipsi Marsilio mobilia atque immobilia cederent, & cum fructibus omnibus in se devenirent puerulis parvulis innocentibus, seu quòd paternæ mortis eorum sentiret, quod eo usque negaverat, seu avaritia inexplenda, quòd hereditatem illam opulentissimam prænovisset, factis exulibus, ut perdito (n) patre bona etiam paterna in tanta rerum protervitate perdiderint. Mirum, qualis Marsilii hujus animadversio tam dura à suis primis ostensionibus super nece olim dicti G. aliena visa sit, cùm trucidato Gulielmo se adeò molestum & tristem ostenderit, ut uterinus Frater fuisset, ille & damnationibus Tartari, & Ubertini homicidarum assentiens, veluti capitalium hostium, fuerit. Sed hanc animi mutationem Pauli Dentis injuriosus in se insultus, & illata vulnera convertisse in odia puerorum asserebatur, quos se capitales semper inimicos habiturum rebatur, & ideo in extremum exitium eos deducturum omnibus, quibus posset, (*statuisse*) insecutionibus. Sic tunc rerum ordo Paduanarum pueris iis infortunium pepererat, ut insontes pœnas indignas paterentur. Item bona, quæque Macharusforum exterorum, filiorum scilicet, ac nepotum olim Macharuffi, quem idem Marsilius suasione Tartari, & idem Tartarus licèt captivum in ædem Ubertini ductum gladiis simul ante confoderant. Nec non & Paduanorum omnium Civium bona, qui sive banniti, sive non banniti ab infesta Urbe, Carrariensiumque protervitatibus metu aufugerant, absentesque per circumstantes Urbes exulabant; & præsertim malitiarum (sic enim quædam non infima Civium progenies vocabatur) Terradurensium, Joannis militis de Campo Sancti Petri, & aliorum, quos pro Pauli insultu damnatos capitaliter Carrariensis ipsi in eorum nominationibus esse voluerant, & conscribi suis arbitriis fecerant, omnium horum bona in Marsilii jus & potestatem devenirent. Concessisse hæc larga & uberi manu Canis non alio largiendi, quam Urbem recipiendi animo, dictus est, cui nil omnino, dum Urbem carperet, denegandum visum est: emendationum subservans tempus juxta rerum earum justificationem, & meritam compensationem pro datoris honore, & justitia, servitiique mensura, & (o) acceptatoris contentatione redigenda ad congruentiam tolerabilis æquitatis. Guertio autem Lotti, quòd tractatus hujus solertissimus exercitator, actor, & operator fuerit, Potestariam Terræ Plebis, omniumque Coloniarum eidem adjacentium jurisdictionem contradidit, Rectorque pro Cane in eo Tribunali sedeat, principetur. Munus egregium, amplissimæque honorificentiæ, & emolumenti, hocque ei perpetuum esse decrevit. Tartari vel Marsilii speciali gratiâ, quem unicum Consodalem, votorumque suorum comparem habebat, vel quòd (ut putabatur) & ipse traditionis Urbis consors cum Marsilio diceretur, filiam olim Raynaldi Scrovegni ditissimam Virginem filio conjugandam mandavit cum dote opulentissima librarum VIII. millium annualium, quamquam Raynaldum prædictum olim de Tartaro confisum improvisum Tartarus unà cum Nicolao de Carraria trucidasset. Itemque & alteram Virginem olim Gaboardi Scrovegni filiam filio Aycardini Capitis Vacæ, Marsilii Consodalis & amici, similiter conjugari præcepit cum successione paternorum bonorum in dotem Sponso componenda.

Conclamata pace sub tuto Canis Dominio omnes undique Cives Paduæ indemnatos securè in Patriam, & bona revocari magno laudis Canis præconio edictum, vulgatumque est. Tunc Henricus Scrovegnus Civis nobilis per ea tempora apud Venetias remoratus ad pacis hujus odorem Paduam concurrens supplex constitit ante Canem fidelitatem Civis offerens, munere oblato aureorum annulorum cum pretiosis Margaritis Domino suo pro salutatione & ingressu prospero in ejusdem obsequiis, quem Canis placidè strenuèque suscepit. Verùm Marsilius adventu hoc ingenti turbatione molestus, captatâ cum Cane horâ, in eam diem collocutus est. Canis Marsilii desideriorum compos, & per eas vicissitudines unanimis in largiendo, quæcumque illi complacuissent, dissensioni tamen se se interponere nobili urbanitate nisus est, ipsosque ambos convenire sui in præsentia fecit. Petebat Marsilius multorum millium æs, quod uxori

(m) *Cod. Est.* olim Gulielmi.
(n) *In PP.* tempore.
(o) *In PP. & Ambr.* acceptoris.

uxori suæ ex hereditate olim paterna deberi dicebat, Manfredi scilicet Scrovegni olim fratris Henrici prædicti. E contra nihil ex iis teneri Henricus respondebat, cùm eo tempore, quo neptem suam Marsilio conjugem tradidit, X. mille libras constituerit, atque Marsilio contradiderit, contentumque illis eo tempore satis superque fuisse, nec abinde per multa pacis Civitatis Paduæ tempora cum multa amicitia ac familiaritate cum eo obversatus Marsilius fuisset, quidquam ex eis petiisset. Si quid quoque ex fratris olim sui hereditariis bonis in eum devenisset jure absolutum tempore, spiritualiterque fuisse ipsum Henricum, cùm avitas usuras pro tota hereditate magni æris erogatione persolvisset. Marsilius dicta Henrici inficiatus, in ea magni æris petitione persistebat. Canis medius de transactione, & pace curialibus verbis utrinque disserebat. Dedisset, ut fertur, Henricus portionem librarum V. millium manendi in Urbe desiderio, Marsilio (p) constanter, seu pertinaciter in graviori petitione consistente. Per ea indefinita verba dies illa præteriit. Sed Henricus videns Marsilii insuperabilem, vel intractabilem potentiam, veritus, ne forsan personali coërtione graviùs urgeretur, noctu cum uno dumtaxat puero Urbe digressus, Venetias clanculum se transtulit. Post ejusdem discessum in bonis Henrici, nec minùs ac Marsilio placuit, sævitum est, omnibus & singulis Marsilio postulanti ab Cane concessis; palatiis ejus magnæ altitudinis, atque amplitudinis Canis Contubernalibus deputatis.

De Mussato restat simul quidquam exponere. Post Pauli insultum Mussato tunc de Alemannia redeunti à Carrariensibus Dominium Civitatis tenentibus injunctum est, Urbe negata, Clugiæ demorari. Postque non multos dies convalescente à vulneribus Marsilio, (*cùm*) Venetiis pro quibusdam agendis se transtulisset, in reditu Clugiam iter torsit, Mussatum in ædem, quam inhabitabat, adiit, & dulciter illum amplexatus, valefecit, seque de ejus absentia compassum, tristemque ostendit ajens: *Illum vehementi desiderio in Urbem cupere, indignum Urbe arceri, vel ullis ex eo facto contumeliis. Verùm perversione, & dissolutione Tartari, & pravorum Parentum, non audere ipsum in Urbem recipere, cui si & ipsi adventum assentirent, in constantia, quin eum occiderent, minimè persisterent, & ipse dolore afficeretur; sed nec minùs Mussatus interemtus jaceret. Scit enim, & satis reminisci potest, qualiter Tartarus, & Ubertinus, dum diligere Gulielmum simularent, illum seditione prodito ipso Marsilio necaverint. Mussatum, qua potest patientia, pro eo tempore identidem commorari, rebus Urbis in eo statu verisimiliter non duraturis. Spondens, & tota fide subnectens, cùm habilitari conditiones viderit, summa vi reditum ejus procurandum, quo sinè in Civitate vivere nolit.* Mussatus dum amici summam benevolentiam, & verba, & vultus indicarent, rationesque veras præsciens, pro meritis suis, (q) sic esse debuerat, grates ubores lacrymans egit, dicens; *Et ipsum Marsilium bene nosse, qualiter interfecto G. rumorem incita Urbe vetuit, dum Populus, Plebs, & omnis generis Cives in tumultum discurrere perfurerent. Illum anfractum Mussatum, cùm solus posset, placasse, pertimescentem, ne Plebejorum crassatio ad insontes pertransisset, & praesertim in Marsilium, quem innocentem violentis argumentis reputabat, amicumque & fratrem habebat. Paulum Dentem furere, & ad plateas multâ comitivâ dolore ingenti fratris discurrere paratum, jamque armatum in procero equo detinuisse clausis foribus, & exarmatum ad Trivillum ad Cognatum Gulielmum abire compulisse, suppressa omni Populi tumultuatione cum maledictione plurimorum in Mussatum invehentium. Qualiter & in infortunato recessu Mussati paulò post in Alemanniam, cogente omni Populo, pro Communi necessitudine (quem recessum constat fuisse ruinam, & eversionem status Civitatis, quo præsente nihil ex commissis contingere potuerat) ipse Mussatus suadenti Marsilio pro bono Civitatis in Alemanniam pergeret, tunc dixit* (r). *Marsili vadam, & commissa Communis salubriter Deo jubente contra Canem peragam. Tu custodiam Civitatis sollicitam ac pervigilem habe. Unum tibi semper menti reservato, ne Paulus Dens quidquam præsumat, novumque resuscitet. Novi hominem saucium in visceribus fraterna morte, audacem, fortem, & omnia audentem, quæ Vir expers, & extra omne personæ discrimen committeret. Tu Marsili arridens verba spreviisti. Bene scis, bene reminisceris. Ivi; Canem, ejusque Legatos in ea vicissitudine vici. Victoriosus redibam, adhibito & procurato salutifero remedio Civitati:* (s) *Tu me turpi inertia atque inscitia fefellisti; Tu sanguinem tuum, ego Civitatis meæ præsentiam, lares, honores patrios amisi. At præterita damna deflere atque arguere possumus, corrigere non possumus. Vade majori discrimine, quàm ego in exilio maneam. Misereare mei & quibus potes, me absentem beneficiis fove.* Ille *Compatiam*, & mœrore (ut visus est) commotus hæc infit: *Si te, & tua, ut me, & mea pari cura, & diligentia non tractabo, Deus me numquam juvet; sed mihi contrarius sit.* Abiit, & primo exilii anno rerum Mussati curam habuit, & pro alimoniis & fructibus ejus ad ipsum transferri mandavit, & à multis tam publicis, quàm privatis oneribus indemnem servavit, nuntios ejus benevolo affatu suscipiens; sed deinde tempore transeunte per dies in eisdem beneficiis tepescens, ut pæne tœdere & fastidire super eis, quæ à Mussato, & ejus nuntio (*afferebantur*) super necessariis tantummodo videretur, beneficentia semper senescente.

Dum ad translationem Dominii Civitatis in Canem deventum est. Postquam conclamata undique pace Paduæ Mussatus de Clugia Paduam magna innocentiæ suæ in Commune, vel privatos fiducia, & præsertim Marsilii, se transtulit, & non reperto in æde sua Marsilio, qui ad Aulam Episcopalem ad Canem horâ quasi vespertinâ se contulerat, ad unam suam casulam descendens, mox famulum ad Marsilium direxit, qui adventum ejus annuntiet. Famulus Marsilium cum Cane circum pavimentum ambulantem inveniens, pronâ reverentiâ Marsilio venisse Mussatum dixit. Marsilius verbo audito stupefactus, mutato vultu, *Venerit ne*, famulum interrogavit. Quo dicente *Vénit*, tertiò dixit, *Vénit ne?* Illo respondente: *Vénit*, sinum Canis apprehendens circumduxit eum ad partem, & perpaucis verbis affatim inter se habitis nuntium vocaverunt Bartholomæum quendam Bettonum, & verba illius ori injecerunt Mus-

(p) *In eodem* constante, *melius* consistenti.
(q) *Forte* si sic.

(r) *Cod. Est. & Ambr.* dixit: Vadam Marsili, vadam.
(s) *In PP. & Ambr.* Tu me, Tu te.

Digitized by Google

Mussato statim referenda. Qui ad Mussatum extemplo accelerans ait: *Quærere Canem, & Marsilium simul, qua audacia, cujusque fiducia in Paduam venerit*. Cui Mussatus. *Ad pacem conclamatam innoxius, & Canem Dominum novum, justum, & pacificum nuntiatum veni, fiduciaque Marsilii amici fratris, & Domini singularis*. Verba Cani, & Marsilio Bartholomæus renuntiavit. Qui facto jam crepusculo ad Mussatum rediit, atque retulit, Canem, & Marsilium, Baylardinum de Nogarolis, & Spinetam Marchionem Lunensem hæc Mussato enuntiare, atque referre: *Notum esse, illum Virum prudentem, & utique nullo dubio sapientem; sed adventum suum in Paduam parum prudenter factum. Moretur ipse ea die in domo, in quam descendit, dum alia suscipiet in mandatis*. Mussatus mirabundus ac stupescens pervigilem eam noctem egit, famulumque ad Marsilii ædem diluculo emisit, instet, & roget reddi sibi, quid de hoc ejus adventu provisum, constitutumve ab Cane, & Consiliariis fuerit. Marsilius famulo, cui se eo usque placidum exhibuerat, vultu obverso ac rubro respondit: *Nec scire, nec sibi ultra curæ negotia Mussati fore, qui à suis discessit consiliis, adventu in Urbem injussu suo facto. Consulat sibi, ut velit, absque Marsilio*. Famulus illi admodum familiaris respondit: *Numquid tanti ejus adventus excessus, vel reatus est, quin unde venit, inde revertatur?* Ait Marsilius: *Bene ei cedere si sic revertatur*, & famuli alloquium aliis intentus omisit. Famulus ad Mussatum his responsis se contulit, Mussatoque indicavit. Mussatus verbis confusus formidine titillabat (6), quasi mortem, vel carceres verba hæc indicarent. Et Tisonem de Campo Sancti Petri, qui ad visendum, congratulandumque ad eum accesserat, ad Matrem suam Cunizam Marsilii sororem venire rogavit, ipsumque Marsilium adire exquisitum, quanam causa sic in se mutatus foret, quodve tantæ aversionis in se pondus? Adolescens Tiso contristatus Mussati molestia ad Matrem, & demum ad Marsilium contendit, postque & rediit cum Viro uno Religioso, quem mater illi sociaverat, responsumque à Marsilio reddidit: *Mussato de morte, aut carcere, vel personali, realive ulla molestia timendum non fore. Bono animo esse, factum hoc suum reconciliari sub ejus commodo & beneplacito. Mussato per eam diem tanta formidine levato, in diem sequentem per Marsilium Canis Vicarium in Padua eidem mandari, ut ad locum Clugiæ solitum redeat, quieturus, dum alia mandata suscipiet. Marsilium quoque suo ipsius nomine Mussatum hortari, incuriosus, incontristatus tutè pergat, nulla parte suorum bonorum privatus, sive privandus; sed si quibus carebat, restituendus Marsilii opera infallibili, & multo majoribus gavisurus*. Sicque hac conciliatione Mussatus Clugiam reversus est. Nec prætereundum verbum Marsilii, quod per Bartholomæum jam dictum ad Mussatum rogatione factum est: *Scire Marsilium, quòd* (t) *si in Codice, qui de gestis præsentis temporis per eum conscribitur, ipsum Marsilium proditorem scripto perhibuit*. Ad quem Mussatus: *Non putet, aut vereatur Marsilius se quidquam, nisi verum suis inseruisse Chirographis. Acta, ut fuere, tradita esse posteritati, secundùm quæ laudes, & probra judicabit, Mussato teste, non judice*.

Vix biduo, aut triduo Mussatus Clugiæ subsederat, cùm de Padua nuntium mordacissimæ contumeliæ à Marsilio sibi illatæ suscepit, videlicet Molendinum situm in flumine Pontis Molendinorum, cujus maximo emolumento vescebatur, à Marsilio occupatum esse sub prætextu bonorum Monasterii Sanctæ Justinæ eidem ab Cane concessorum, quod in eisdem bonis esse dicebat. Cùmque per nuntium Mussati patenti ostensione constaret Mussati esse, non Monasterii, & instrumenta veri juris exhiberet, nec videri, nec legi se coram, nec à quovis ex ipsis Judicibus suæ Curiæ passus est. Sicque Mussato alimonia, quibus in Clugia, & alibi ali posset, surripuit. Atqui nec soli Mussato tam indignum crimen admisit: Verùm plurimis, qui, seu à Monasterio jam dicto, seu olim à Vitaliano de Limicis patre quondam Gulielmi Dentis, ipsoque G. prædia, fundos, molendina, vel bona quamquam justissimis titulis emerant, vel quæsierant, sua esse Marsilius dicebat, sibique ab Cane liberè tradita & concessa, recisis quibuslibet juribus emtionum, feudorum, vel quorumpiam titulorum. Sed ah indignum, & miserabile delictum! Nobilissimis, honestissimisque Dominabus Sororibus olim Magni Vitaliani Dentis viduabus, & Sanctimonialium mulierum vitam agentibus, Molendinum in eodem situm flumine, justo pretio emtum, diuque possessum, omni spreto jure vel justitia, suum fecit, & illas possessione privavit. Nec profuit, quòd Domina hæc Agnes relicta fuit olim (viri) Magnifici Bartholomæi della Scala, Veronæ Capitanei, fratris olim Canis prædicti. Quæ quamquam hanc suam gravem injuriam Cani indicari fecisset (ut vulgatum est) Canis conniventibus oculis injuriam præteriisse permisit. Miseri alii Cives eodem modo suis juribus spoliati sua damna deflevere, lacrymis, & quavis lamentatione suppressis, minimæque curæ Marsilio fore, dum multi rem hanc infamem iniquamque murmurarent, sese omnia parvipendere pronuntianti, dum Cani carus gratusque existeret.

Per hos dies Marsilius apud Canem magnus habebatur, Vicarius multa ambitione vocatus, cujus imperio & beneplacito Bernardus Rainutii Potestas, & Spineta Marchio obsequentes Canis mandato, uti & ipsius Canis in omnibus videbantur. Marsiliusque magnâ, sed immoderatâ fiduciâ per omne fas ac nefas ostentabatur, arbitrio usus largiore, ut quicquid eidem libuisset, liceret. Magnis sumtibus (quamquam naturæ ipse parcæ foret) Curiam propriam more Majorum (u) sæpe longis comessationibus discumbentium tenebat, superesse sibi autumans ad multo majores apparatus sumtus ex opulentissimi Monasterii Sanctæ Justinæ obventibus, atque etiam G. Dentis, aliorumque exterorum, & multæ pecuniæ in Venetiis olim per patruum Jacobum ex ære publico congestæ; Magnificus, insolens, & deinceps mansueti Marsilii, affabilisque nomine & more exutus, ut non modò à Civibus, sed à suis suæ cognationis facie mutata alienus videretur. Canis autem dum per dies plures aspectu Urbis, & Populi (x) sub honore, & applausu satiatus, dimissis Potestate Bernardo, & Spineta Capitaneo, Veronam conten-

(6) Barbarum. Nam titillare dicitur metabaticè, deque rebus voluptatem afferentibus. Posset reponi, *titubabat*. Villanus.

(t) *Videtur abundare* si, *hoc loco*.

(u) *In PP. est* cœpit, *quam vocem si retineas pro* tenebat, *legendum erit*, tenere.

(x) *Cod. Est. & Ambr.* subjectione.

Digitized by Google

tendit, Curiæque habendæ de Militibus cingendis in diem certam constituit, quam (ut supra declaratum est) solemni festivitate complevit. Post cujus consummationem licentiatis Azone (y) Marchione Estensi, & Ludovico Capitaneo Mantuæ, reliquisque ordinatis militibus, Marsilio magno, ac Marsilieto, ac Pantaleone de Buzacharinis, sponte se cum eo residere petentibus, retentis, Veronæ moram fecit, Festumque Nativitatis Dominicæ alacri exultatione complevit. Interea victualium caritas magna Paduæ increvit vendito X. Veronensibus grossis Paduano Sextario, omnibus ferè aliis esui potuique necessariis in eadem caritudine se habentibus. Sed & Verona, ac Vicentia non tanta penuria laborabant. Et hæc sub fine Anni XXVIII. Millesimi Trecentesimi, dum Annus XXIX. successit.

Gesta Paduæ, & Veronæ post Paduam traditam Cani Grandi Anno 1329.

IN Padua per hos dies latissima Platea à Palatio majori usque ad domum Scrovegnorum expedita est, dirutis, & amotis Casseariorum stationibus à latere versùs Occidens cum serie domorum, quæ inter ipsum Palatium, & domos Scrovegnorum sitæ erant, immenso Civitatis damno, ac mœrore (*eorum*) quorum ædes ablatæ fuere consilio Cani dato, ut ex omnibus Scrovegnorum Palatiis altissimis ac latissimis unum sibi atrium construatur. In hisque eisdem diebus Marsilius Vicarii nomen gerens, nil sibi illicitum putans, quod in libitu ejus oboriretur, datiam in Commune, & Cives X. millium librarum imponi jussit pro impendiis, quæ Canis in Padua tam lautè, quàm liberaliter effuderat, in hoc se gratum acceptumque Cani (fore) existimans, nil de Civium gravaminibus pensi habens, dum ex alieno se liberalem ostentet. Sed Canis non oblitus potiorem odii in Carrariensis causam fuisse datiarum impositionem, collatam sibi pecuniam optimo consilio renuit, mandans illam restitui Paduanis, hicque Marsilii primus Vicariatus actus omni ejus pudentia & despectione (z) recisus. Nec deinceps agnitus per effectus jurisdictionis hujus suæ vigor, præeminentiæve fortuna (a), Spineta Marchione Capitaneatus, & Bernardo Potestariæ officia agentibus pleno jure. Secuti itaque Canem Marsilius, Marsilietusque, ac Pantaleo jam multorum dierum inveteratus, Veronæ mansiones à Cane suscepere cum rerum familiarium pingui administratione, & ipsi quoque cum Curialium reliquorum suorum consortiis Curiam auxere. Dominum per singulas coëquitationes secuti mane summo, omni diluculo ante Domini atria cum ceteris Contubernalibus Nobilibus Longobardis, Tuscis, Germanis, Transmontanis in equis consistentes descensum Domini præstolabantur. Dumque condescenderent, & ad suos conceptus, libitusque, seu ad Silvas proximas venationibus, vel aucupiis, illum sequi citatis cursibus, ut & duri & fortis Viri mos illi à consuetudine in naturam versus erat, perque campos, saltus, & nemora pervagari, volatus avium suarum, cursusque canum videre, & demum in Urbem extra ordinem nullius horæ diei observatione redire. Cùmque in Palatii sui vestibulum declinaret, & in Palatium diverteret, capita cum ceteris detegere, & revereri, nullo ipsorum Paduanorum, quàm ceterorum peregrinorum, seu forensium respectu acceptis, sed cum reliquis ad hospitia abire dimissis. Assiduèque illis vigiles curæ erant, indices ex familiaribus suis secus Domini plateas in custodia habere, ut cùm Dominus se visendum in specularibus exhiberet, vel infra palatia copiam sui faceret, sibi confestim indicaretur, ne aspectui suo ultimi videantur. Si equitat, coëquitare; si ambulat, coambulare; dormitationibus, ac vigiliis ejus se se consuetudinarios facere; ad ipsius mores & ordines se conformare. Videbant siquidem generosos insignesque terrarum suarum exules quibus impares & genere, & amissis potentiis se cernebant, sic quotidianos illos usus didicisse, ut in equis in Curia Domini considentes, plerumque & super sellarum antipodiis (7) dormitantes, descensum Domini expectarent, à quibus Paduani nostri novi cœpere esse discipuli, quos eo usque sola sui juris, suarumque optionum foverat commoditas, & petulantia incognitæ libertatis. Qui enim ante hæc Dominos jugiter, ac continuè in patria felici se se viderant, nunc cum multa majorum se turba, & in multitudine per vim (b) agnoscebantur, videre cœperunt, at serò, quàm difficilis esset status & vitæ mutatio. Qui sibi pares in Urbe propria pati minimè dignati sunt, majores se in hac majori Curia patiuntur. Qui dominari libenter & obiequenti Populo nesciere, jam cum obsequenti subditorum turba servire coacti sunt, & hoc satis sibi superque reputare, dum placeant. Civilem Communitatem perosus Marsilius cum ea demergi maluit, quàm æquis remigibus navigare. Nicolaum, Tartarum, Ubertinellum, quos omnium facinorum inquinatos, & asseclas ipse præscierat, ad nobilis Urbis gubernaculum naturæ eorum compari malignitate susceperat, cum quibus, etsi assuetis flagitiis & transgressionibus utebantur, tamquam desuper Deus dormiret Omnipotens, tempora producebat, nil de oppressorum injuriis curans, vel de interemtorum filiis, quos ipse, ne resurgerent, cura propensiori sollicitiùs insistebat. Innocentum exulum congaudebat pressuris pariter, & nocentum pauperum incolarum Urbis assiduis emunctionibus Germanos alebat. Ipseque omnibus affluentiis luxuriabat, & gurgustii, ad cujus extremum paulatim trahebatur, ergastulum ignorabat Sic ducit in sensum reprobum Deus illos, qui in ipsius contemtum de sua ipsius temeritate confidunt. Dum ergo Marsilius jam Festo Nativitatis Domini accedente patriam domum visere desideraret, magnificentiâque suâ in Urbe, qua Vicarius constitutus erat, ut secundus à Rege magnitudinis pompa & solatio frueretur, à Cane repatriandi licentiam quæsiit. Ad quem Canis facie hilari: *Ah*, inquit, *Marsili Domine bone, ad quid locum alium, quàm Veronam exposcitis? Amœnior Urbs hæc profectò, quàm Padua, aëris purioris. Et quid vobis appetibilius esse debet, quàm nobiscum esse, Curiamque hanc tantis Nobilibus*

(y) *Supra* Opizone.
(z) *In PP. & Ambr.* rescissus.
(a) *Cod. Est. & Ambr.* forma.
(7) Videtur per *antipodiis*, accipere anteriorem sellæ partem, ænigmaticè ad id, quod ajunt, *appoggiarsi*, vernaculo sermone. Podium enim tam apud Latinos, quàm apud Græcos hujusmodi significationem respuere videtur. Est igitur hæc vox significatione barbara, compositione hybrida. *Anti* enim pro *ante* apud Græcos in usu non est: sed & rarò apud Latinos. *Villanus*.
(b) Quæ vix agnoscebantur. *Villanus*.

Digitized by Google

bus refertam, actusque, (c) *moresque eorum videre, inspicere*, (d) *conti, & maximè nostro aspectu, & convictu congaudere oblectabiliter, unito animo & composito nobis frui? Quid vestræ optioni; aut affectui deesse potest? Palatium habetis capax familiarum vestrarum cum diversoriis ad omnes usus. Quod si non omni commoditati vestræ suppeteret, alterum vobis in Verona sumite, quod in oculis vestris & appetentia bonum sit. Quid voluntati, quid voluptati vestræ deest? Veronæ domini, Paduæ, & omnibus, quibuscumque fruimur, bonis compares mandate, & fient.* Marsilius abundantibus responsis victus, conditioni sic se habenti, quàm desiderio cessit, & cum Marsilieto convenienter Veronæ hyemavit. Sed insatiabili appetentiæ eorum, quæ sibi condonata ab Cane bona erant, insistere, die noctuque invigilabat, villicos, & superstites Vicentiæ, Paduæ, & ubique habere, quibus concessa exulum omnia bona, ac singula colligeret, ut in sua horrea, & æraria deferrentur, transmittere, sollicitare. Viduarum, pupillorum, pauperum Civium, qui Inquilini, Vassalli, Libellarii erant, ac improprietariorum quibuslibet titulis uterentur, obaudire, (8) rejicere, spernere, Domini Canis (e) donationem absque juris vel facti exceptione uti. Tunc nonnullis in aures Canis de multis proterviis, quæ à Marsilio fiebant, inculcantibus, ab Cane responsum vulgatum est: *Permittite*, inquiebat, *dum superabundantiis satietur*. Et alicui propiùs familiari dixisse: *Quid mirum, me non posse Marsilium ullis copiis explere? Explebo, & equidem explebo.* Verbum hoc tybicè quidam excepere. Desiderabant siquidem, ut qui aurum sitiebat, aurum biberet. (f) Semper enim Marsilius quidem Cani dederat, si tantam Civitatem pluris valere, quàm quod acciperet, & debitorem continuò Canem habere, simul & servum emtum se nullo umquam obsequio redemturum: compensabatque Marsilius plus (g) traditorem rei valere, quàm rem traditam, in hoc se ipsum refellens, dum sæpe plus valeat res tradita traditore. Facilis quippe distinctio hæc. Qui enim rem suam tradit, cùm ejus rei dominus sit, is re illa est absque ulla contradictione nobilior, cujus habet meram sub ejus auxilio potestatem. Qui verò se rei dominum efficit alienæ, illamque in alium (h) transfert, aut furti, aut violentiæ, aut turpissimæ omnium criminum proditionis arguitur. Nec in casu hoc acceptor datori naturaliter, vel civiliter (i) obligatur. Quæ enim ex turpi causa sibi invicem mortales sæpe contrahunt, & illicita sponsione convenientes turpi & fluxibili disjunctione solvuntur. Nec ad veriorem considerationem Marsilius deducebat, quòd ipse non liberali, sed violenta conventione coactus, Urbem, quam tueri (K) ipse non poterat, necessaria coërtione tradiderat. Intro citroque (9) claustrum

A Urbis ejus obsessus, & ad vim opportunæ deditionis astrictus tradidit. Ipse non ultro, sed victus vitam ignominiosam pepigit cum Victore, ut pro temporalibus & momentaneis divitiis (l) inexpleta sua corporali (m) lacuna demersis, de Carceratorum, & Relegatorum lacrymis, & suspiriis, & filiorum interemtorum jacturis inebriaretur, & insatiabilis baccharetur. *Ah Marsili! Mille panes per singulos dies de mille pauperum manibus rapuisti non plus, quàm uno solo refectus & pastus; nec tamen Deo supplente defuit, quin & singuli eorum panibus uberiùs, quàm tu singuli vescerentur. A mille saturatis à Deo tu unus famelicus permansisti. Templis Dei Sanctorum Prosdocimi, & Justinæ eleemosynas mille egenorum assiduas in tua horrea subtraxisti. Tartari, & Ubertinelli successor, & sacrificiorum libamina combibisti. Sed autore Cane, inquis, concessa, & donata possideo. Canis quidem ulciscendorum scelerum* (n) *minister Dei ipsius in omnibus actibus, verisimiles tamen habet, infestam sibi semper Civitatem, in se, & prædecessores suos superbis semper insolentiis sævientem, & antiquis jugibus injuriis inimicam permissione divina de tua, & scelestorum manu, quavis potuit potestate, & potiùs inhumana voracitate, surripuit. Nil illicitum cum illicito traditore commisit, quo sinè cruore, sinè cæde, & strage, quæ sibi ad manus præsto erant, nullo penitus defensore, suo ingenio tuum astum, & dolum vinceret; immo ære coëmeret. Avaro homini profusus, immoderato petitori largitor eximius, dum à te tempus redimeret, & obsessæ ac victæ Civitatis in mortem & captivitatem ituro populo indulgeret. Quid tibi, aut quantum erogare potuit, quod dici potuerit superfluum pro te ipso, rebusque tuis, pro Parentibus, pro Patria tot & tantorum libertatibus coëmendis. Quæ tibi tunc fuit in illa ipsa traditione pollicitus, futura sua erant; dumque emere in tua vesana existimatione putares, tu te cum illis in illa transactionis pactione vendebas. Numquid satur es servum pecus, alienis saginate visceribus? At Vicarii Civitatis appellatione gloriaris, & cùm cuiquam scribis, præmittens superbo titulo nomen tuum, ipso sono aures omnium offendente, existimatione tua reputas te sublimem? Tu te ipsum sub mentita tibi laude commendas, & nescis, vel nescire te simulas, quòd Cognomen hoc nauseant audientes, & tacita illusione subsannant. Mussitant tamen subjecti, & ora supprimunt, & taciti inani in tua ostentatione congaudent. Caput hoc formosum aspiciunt in fastigio sinè membris. In Padua sedem vident, & sessorem sub nomine, & re solitæ Potestatis, & Capitaneum superesse stipendiis. Creditas claves illi, jam te excluso, suis subservant thalamis, claudunt suis sollicitudinibus, & recludunt. Veronæ hyemasti, persæpe redeundi petitionibus inauditus. Quid indeì*

Si

(c) *Cod. Est.* mores, & verba eorum &c.
(d) *Cod. Est.* inspicere contenti.
(8) Quanquam, *obaudio*, Latinè est idem, atque *obedio*; attamen, si demus contrarium quoque per illud significari, dicendum hic fuisset, *viduis, pupillis, pauperibus, civibus* &c. Ni Hellenismum esse velimus, qui ὑπακούειν τινός dicere solent æquè ac τινί. *Villanus*.
(e) *In V.* dominationem.
(f) *Locus si quis alius densissimis tenebris involutus. Sic itaque legerem ex conjectura*: Semper enim Marsilius crediderat, si tanta Civitas pluris valeret, quàm quod acciperet, se & debitorem continuò &c. nullo unquam &c.
(g) *Cod. Est.* traditionem.
(h) *Malè in utroque* transferre.
(i) *Sicut & paulò post* obligetur, *pro* obligatur, & conveniens, *pro* convenientes.
(K) *Cod. Est.* tueri ac retinere ipse &c.
(9) Lego, *intra, citraque*, non enim dicimus, intro domum, intro urbem, ubi statum notamus, at *intra, citraque* pari ratione. *Vill.*
(l) *In PP. & Ambr.* inexplenda.
(m) *In utroque* lacunæ.
(n) *In PP.* Ministri. *Obscurus locus hic etiam, nisi legas aliter, & interpungas hoc pacto*: Canis q. u. s. m. Dei ipsius in omnibus actibus. Verisimile tamen habet infestam &c. *Osius*.
At mihi verisimilius videtur, desiderari heic rationes, aut causas, nempe verisimiles habet, Muratorius.

Si cum Domino pari ambulas gressu, cibo vesceris gratis dato. Hoc pausillum interest, quòd illo dormiente tu vigilas, ne cùm à somno surrexerit, socors aut deses de somnolentia arguaris. Pudet quidem te inter Nobiliores, quibus multis genere impar es, Curiam visitare postremum. Quippe satis est, si servire discis, eatenus abusus nimis petulanti & incognita libertate. Quid quòd interdum suspiras? Num, quòd à Tartari tui pari communicatione sejunctus es, nec Ubertinelli satiaris aspectu. Gaude potiùs, dum illi sospites, ut Agni, mansuescerint, absque famulorum sequela brevibus passibus ambulent, Templa visitent omni diluculo. Quis Deus Deo nostro consimilis? Quis Canem Dei ministrum diffiteatur, qui feras Tygres mansuescere tam brevi facit absque ferula, & cum Agnis mixtas ire consociat? Tu ipse, qui illos persæpe metuebas, absolveris illo metu. Jucundum hoc tibi, nisi & aliquid subesset, quod & ipse tu metueres. Quidnam tibi, ò Marsili, eligibilius? An, ut tu cum (o) *illis metui superaberis occumbas; an, ut illi Te, Tu illos mutuo timore absque Superiore formides? Non est hæc facillima quæstio in responso. Fortè enim libertatem pristinam sub pravorum actuum eorum coërtione diligeres, seu vinclis, seu nece abs te justa animadversione tollendorum, tuque adhuc tui capitis jus haberes. Serò tali existimatione laboras. Sed bonum, inquies, Dominum habeo, sub quo nihil est, quod metuam. Nugæ sunt hæ. Nullus pœnitentiæ locus est. Habes, Marsili, quod sub Domino justo metuas. Et quid hoc est? Tu magnanimus es, & nutritus in illecebris libertatis, nullo, quàm Deo super te in Civitate ingenua, in qua semper tuæ voluptati serviebas, ut, quæ libuissent, absque cujusquam prohibitione licerent. Iisdem* (post hac) *voles pervagari deliciis, tuisque uti votis, in quibus nec semper Dominum comparem fortassis invenies.* (p) *Sæpe enim stomachatio una subiens non modò dominum à servo, sed filium à patre divellit. Si quando errabas per petulantiam, ipse tibi per indulgentiam ignoscebas; Reus eras, & Judex, & Superiore carebas. Civium communionem odisti, non dignatus consedere cum reliquis, nisi eis, ut mancipiis utereris, nil diligens sociale alienæ paritatis invidia. Unius diei, lucisque momento totius vitæ hujus tuæ statum immutasti, ut superiorem reverearis immo & sub jugi formidine verearis, cum paribus consedeas, minoribus interdum, ac sæpiùs sedem loci superioris indulgeas, nonnumquam & assurgens cedas, & exosa ac ingrata pro gratis habere interna mordicatione dissimules. Dic age: Quid de his, quas aggregas cum omni tui spiritus afflictione,* (q) *operibus facies? De filiorum interemtorum hereditatibus, De Templi Sanctæ Justinæ spoliis; De exulum, & peregrinorum substantiis, & bonorum Viduarum rapinis? Magna tibi erat antehac, magna posthac in hac cum Cane pactione congeries. Dic, quæso, cùm tibi nullus usque huc legitimus heres appareat, quid intendis? Cui congreges an ignoras? Profectò, si tibi quemquam heredem dixeris, omni ratione destitutus insanis.*

(o) *Meliùs* metu superioris occumbas.
(p) *Sic emendabam, cùm in utroque esset:* Sæpe enim stomaco una subjiciens.
(q) *Corrige Cod. Est. & Ambr.* opibus.
(r) *Fortass.* sicut.
(s) *Meliùs* sicut.

A *Scito, quòd pingue Pecus es, & alienum in hac tui fœcunditate mancipium. Quis, qui capitis sui dominus non est, suum aliquod dicat esse peculium? Quibus tuis dehinc rebus utare, sic* (r) *alienis, omnia te noveris precariò possidere. Sed in Tartarum, & Ubertinellum, tuosque Propinquos tui moderaminis contractores noxas transfers. O illis nequior, suorum semper fomentum & causa facinorum. His in tua mendaci magnitudine fulciebare ministris; his Cives, Populum, & Rempublicam jugulabas. Hi alieni* (s) *sunt hydri consumtum in aliorum pernicies venenum à tuo fomite resumebant; reficiebantur, semper excurrentes ad exterminia reliquorum. Conquestibus passorum injuriis al-*
B *tis ejulatibus, ut & ipse contribulatus, verbis humillimis sub gemitibus respondebas, ut contumeliarum eorum particeps videreris, erasque plerumque, dum illi, quàm voluisses, severiùs insævirent. Sed tyrannidem hanc, quantumcumque violentam, truculentam, & intolerabilem, invisæ, & odiosæ tibi Communitati obstinato animo præponebas, sicque, dum semper Civitatis tuæ Communitatem odires, hac illam vicisti via, quæ ad inopinatum præcipitium te perduxit, Tragœdi Senecæ verificans illud metrum:* (In Hercule Fur. Ac. II.)

Sequitur superbos ultor à tergo Deus.

C *In te jam tamdem hæc conquiescat inventio; quem fortassis sustinebit Fortuna, quàm Ratio. De Dei namque monitionibus non expedit urgearis. Illum enim exclusum à tuis actionibus reliquisti.* Et ad ulteriores actus hujus nostri temporis divertamur. (t)

Contumeliarum mearum notiones cum verarum adjectione causarum his centenis dirigo metris, Benti carissime, exuberantem naturam non arctiori moderamine cohibere ipse valens, quæ mihi, ut percussa excrescens hydra, querimoniarum ingruentias ingeminabat, (u) dum in multiloquii vitium labi meorum consimilium more metuerem, quos sensuum inopia verborum
D facit esse copiosos, quin multus forem, evitare non potui. Accipe, & compatere, & habebis in eorum tenore, quod discas. Rotationes scilicet colludentis Fortunæ, & elationes superbi sceleris Justitiam superantis. Nec hæc fieri existimabis, nisi in Justorum gloriam, & perniciem Superborum in examine veritatis. Quæso igitur hæc tibi habeas, nec omnibus omnia indices. Nosti enim illud Terentianum: (*In Andria Ac.* I. *sc.* I.) *Obsequium amicos, Veritas odium parit.* Idem (x) de filii mei, quem ad Domini mei P. de Marano, & tui commendam illò direxi, scilicet Voluminis operum meorum ser-
E vandum rogo. Ex quo, quæ quæsieras, si decerpisti, ad me illud, Carissime, remittas, infallibili nuntio commissum ex Religiosioribus uni, & maximè Fratri Jacobo Eremitarum, si assit ibi, &, si non, alii. Dominoque meo P. mentionem de me per vices habe. Tetrarchæ nostro Magno non sic audeo. Tu scis, quid, quando, & qualiter fas, utileve sit; tui sit consilii, & subsidii, quod optatius mihi foret, conciliatio adversantis. Vale.

(t) *Hic desinit Papafabarum Codex. In Veneto, Estensi, & Ambr. habentur, quæ sequuntur.*
(u) *Cod. Est. & Ambr.* dumque.
(x) *Abest præpositionis hujusce casus, qui fortè an esse potuit horum aliquis:* Cura, Inditio, seu Promulgatione.

F I N I S.

AL-

Digitized by Google

ALBERTINI MUSSATI LUDOVICUS BAVARUS AD FILIUM. (a)

ET rerum mundanarum variatio, FILI, & Urbis nostræ status (b) immutatio; nec non & morum tuorum vix umquam mihi credita depravatio, nos à Rudimentorum tuorum serie & proposito inanis utilitatis abduxit. Agro siquidem sterili semina credere extremæ dementiæ est, ubi & labor simul & impensa depereunt. At nec crassantiarum tuarum, & actuum pudendorum indagines tradere posteris visum est, quorum reminiscentia nostros scribendo dolores renovaret, & non aliud, quàm parentibus, & benevolis ignominiam irrogaret. Sufficiat & tu nobiscum patiare, quæ feceris, & inter nos, quas sortes hujus seculi fortuna concesserit, partiamur. Et (ut nobis dico) paternæ possibilitati (c) evitabilis foret illa communicatio, quæ plus, quàm dimidium sustulit vitæ nostræ solatium, & nostram maturavit trans alias contumelias flagitiosiori calamitate canitiem. Pigeat ergo hoc ipsum tantùm de te super dicendorum (d) præmisisse sermonem, quem subticuisse incoërcibilis nostri cordis efflagitatio non permisit.

Habet etiam, quòd nos increpet neglecta posteritas, quòd tantos Italicorum motus, (*contigisse scimus*) quantos post Henricum Cæsarem VII. postque eos, quos nostro Codici satis solerter inscripsimus; opus immensius, & arduarum rerum magnitudines omiserimus, Apostolicæ scilicet Sedis cum Longobardorum Dominatoribus ingentes motus, præsumtuososque in ipsam Sedem, Sanctæque Ecclesiæ Majestatem ausus, & utrinque dissidia, & simultates, nec non aperta bella per universos fines Italicos ab Mediolano omnium earum dissensionum auctore, Præsidibus Maphæo Vicecomite cum egregia familia domus ejus, ad quorum factiones hæsere Primates fortissimi, ac robustissimi Tusciæ, & Longobardiæ. Quòdque & similiter duorum Cæsarum Germanorum omiserimus grandes actus in discordia electorum, Friderici scilicet olim Rodulfi Austriensis Ducis, & Romanorum Regis nati, & Ludovici Bavariæ Ducis, eorumque terribiles congressus cum captura Friderici, & ejusdem Austriæ Ducis, ejusque pacifica relaxatione mirabili & incredita, & eorum Regum, seu Ducum associatione fraterna. Quòdque reliquerimus dilatata dominia Canis Grandis, quæ-

A sitasque Feltri, & Belluni diversis successibus Civitates, simulque & Cavolanum super Liquentiam Castrum, ac Sarravallum cum Cadubrio, & plurima Municipia ejus oræ. Prætermiserimusque momenta insignia nostræ Urbis dissensiones ad placita apud Reges præfatos Alemanniæ, & consensus partium, & dissensus, quamquam eas vias ipsi perambulaverimus, acta singula recensuerimus, & (e) conjecturaverimus assiduis legationibus, sic volentibus, & urgentibus Paduano Populo inquieti.

Deesse videntur nonnulla.

Dominus Beltrandus de Pozeto (f) Tituli Sancti Marcelli Episcopus Cardinalis celeri cursu per Satiram transeuntes summam rerum, quasi summis digitis, attingemus.

B Joanne XXII. Papa, rebelles Lombardorum Tyranni, ut vix jam Sacrosanctæ Ecclesiæ fortissimum robur sustinere non possent, accersiri Ludovicum Bavariæ Ducem, tamquam Romanorum Regem ex Alemannia jurata simul pactione decrevere, ut Imperii Sacrosancti Majestatem interjectis dissidiis objicerent Ecclesiæ Majestati, eorumque Marchiarum collisionem facerent, qua universi Christicolæ concertarent, ut scilicet Tyranni iidem Ecclesiæ vires alienis subsidiis ab se retunderent, & ad eamdem factionem antiquatas Imperii partes undecumque,

C & diversis studiis complicarent. Fuere hi Galaaz, Marcus (g) Luchinus Maphæi Vicecomitis per idem tempus prædefuncti filii. Canis Grandis Magnificus della Scala Veronæ, Vicentiæ, Feltri, Belluni Dominator. Passarinus de Bonacosis Mantuanorum Dominus. Raynaldus, & Oppizo Marchiones Estenses, Ferrariæque Domini. Castrucius de Interminellis Pisarum, Lucæque Dominus. Hi (h) missis in Alemanniam Legatis, colloquio petito apud Fridericum, primùm illum traxere Tyrolum, demum ab Henrico Tyroli Comite transitum præbente in Tridentinum descendit, ubi (i) multis gravis æris desponsis, porrò ipsi ad propria rediere.

D Ludovicus per jugosas vias perambulans Cumanos (K) per agram fines Mediolanum contendit. Ibi à Vicecomitibus comiter gratanterque acceptus Curiam suam posuit, Mediolanumque multo Primorum, & Populi favore in ditionem accepit, ut jam Vicecomitum dominia sic cede-

(a) *Extat Pars hæc Historiarum Mussati in uno tantùm Cod. MS. Veneto, & in duobus aliis Estensi, & Ambrosiano cum hac Inscriptione*: Addantur hæc Historiæ libro meo de Rudimentis ad Filium.
(b) *Cod. Est.* status frequens immutatio, *& ita Amb.*
(c) *Pro* inevitabilis sit.
(d) *Cod. Est.* dicendorum exordio, *& ita Ambr.*
(e) *MS. Ambr.* contrectaverimus.

(f) *Quid de hujus loci emendatione sentiam indicabunt Notæ*: Bertrandus de Pogieto *apud Papirium Massonum Gallum ex Petrarcha*. De Pogiteo, *vel* Poditeo. *Ciacon. p.* 684. §. 4. Osius.
(g) *Cod. Est.* & Luchinus, *& ita Ambr.*
(h) *Cod. Est.* præmissis, *& ita Ambr*
(i) *Fortè* mulctis.
(K) *Meliùs* peragran-

Digitized by Google

derent, ut non majori præeminentia, quàm pro singularibus Civibus haberentur. Dumque sic minutis potentiis occumborent, magna potentiorum Civium manus adversùs illos sumtis fiduciis querelas novas Ludovico exposuere. Non expedire bono & justo Regi Commune Mediolani, & subditos suos Cives collectionibus, quas magnas exigi mandaverat, gravare: Apud Dominatores suos solitos æra, pecuniasque communes esse, quas paulò ante, uti Rex ipse magnificè susciperetur, exegerant. Allectus verbis nominati æris Rex, apud quem illorum pecunia hæc esset, seorsum quæsivit. De Galaaz notione habita, acciri illum jussit, qui de re quæsitus adversùs indices nauseans, illos mentiri superbo animo, vultuque & verbis acribus respondit: nec Regi eâ reverentiâ, qua decuerat, deferens in annuntiatores rei hujus minas jactabat. In quem (*Rex*) mox ira non mediocri lacessitus insurrexit, nec inde pedes (l) admovere, nisi exhibitis pecuniis, imperavit. Interim Galaaz superbum atque insolentem, ac parêre recusantem in atrum profundum carcerem detrudi, nervoque pedes astringi fecit. Moxque Azo, Marcus, & reliqui prosapiæ Vicecomitum à Regis facie semoti sibi sparsim hinc atque hinc delituere. Omnique priori potestate atque eminentia privati sunt. Exhibitis igitur Rex pecuniis, Commune & Populum exoneratos novis collectionibus exhilaravit; Regimini Mediolani, ut solemnibus, communibusque Civium consilii, regeretur, formam dedit. Animadversio hæc à Ludovico in Vicecomites facta Tyrannis ceteris Lombardiæ ingentes terrores incussit, ut de ipso diffidentes deinceps ab ejus supereminentia in suis terris præcavere attentiores fierent; nec tamen ob id suspicionis quidquam ostendentes, ne tanto labore, & impensis cœptas fiducias lacerarent. Interea in hunc Ludovicum, conatusque tam apertos Summus Pontifex ab latere unum, scilicet Beltrandum, cum magnis militiarum copiis in Lombardiam legavit, qui à Civibus Communitateque Parmæ, prædominantibus Rubeis, in Parmam Civitatem cum magno favore gaudioque susceptus est: moxque Passarino de Bonacosis Mantuanorum dominatori bellum decretum, illatumque est, depopulatis Mantuanis agris, Coloniis ferro & igne absumtis cum plurium Municipiorum captione.

Per hæc momenta Romani, qui longo jam tempore Romana Curia in eorum immensa damna & ignominias caruissent, Legatos primùm Avinionem ad Summum Pontificem transmisere, petituros, *ipsum Summum Pontificem, Curiamque in Italiam, Romam scilicet, transferri: Sedem Sanctam Apostolicam à B. Petro, Sanctisque Patribus ibidem præconstitutam, quem se accepturos summis desideriis, favoribus, honoribusque spondebant, obedituroque votis communibus ac supplicibus. At siquidem hæc, sicut aliàs pluries requisitus, renuerit, viduamque Sedem deseruerit, Ludovicum Regem dictum Romanorum, quamvis nomen, titulumque Romanorum Regis ferentem, in Urbe accepturos, ut Roma Caput Mundi apicis sui gloriam non amittat, & quatenus ipsi Romani potuerint, ut utramque Sedem Spiritualem, & Temporalem in Urbe videant, ac foveant, colant & venerentur, operas dabunt, Romanæque Urbi faciem Monarchicam Orbis terræ observabunt.* Papa legationem Romanorum benigno affatu, facetisque allocutionibus (quemadmodum altæ eloquentiæ scientiæque præditus erat) suscipiens, deliberandum cum Fratribus sibi fore magni momenti consilium. Dum neque in proposito solito Romam ire consisteret, Legatos mediis verbis per dies plures suspensos tenuit. Dum & certum responsum quærentibus: *Moram interponendam, infra quam Romanæ Ecclesiæ commodior opportunitas captaretur, respondit. Eant, Ecclesiæ Matri suæ fidem obnixam servent. Non latère eos, quantis favoribus à Matre Ecclesia semper foti atque aliti sint Imperio Romano, Imperatoribusque jamdudum adversis, & prævaricantibus. Norint, quid specialiter à Germanis, quantumque sui Majores semper contumeliarum & pressurarum acceperint Matre Ecclesia usquequaque confovente, aut umquam deficiente.* Legati ægrè à Papa conciliati discedentes Romam applicuere.

Romani iis frustrationibus, ut à Papa illusi, communi assensu ad Ludovicum Nuntios miserunt: *Romam veniat. Romanis, Imperioque suo liberè potiatur, cui se parituros ferro, igni, omnibus obsequiis spondebant.* Mox Ludovicus prosperarum rerum successum non renuens, Mediolanum egressus per breviores meatus Lombardiam peragrans, per Lunenses agros Pisas contendit, indeque celeri cursu paucis diætis Romam ingressus est. Populus Romanus, ut Deo ab excelsis veniente, gavisus illum magnis alacritatibus, præconiorumque applausibus excepit.

Per eos dies Stephanus de Columna, & Ponzellus de Ursinis à Roberto Rege Zonis militaribus cincti pro eo, quòd ob id Populo suspecti haberentur, ab ingressu Urbis abstinuere, in proximis Coloniis subsistentes. Sarra verò frater Stephani, Populo complex, & Imperatoris Imperialisque partis zelator ac fautor, Populo in omnes vices & necessitudines adhæsit. Et ipse Stephanum, & Ponzellum detestatus, Ludovico se fautorem, consultoremque adhibuit. Sicque Ludovico Romanorum Regis Nomen, ac Titulum, vociferante Populo, illum *Vivere, ac Regnare*, in Capitolium ipse, Reginaque pariter consedere, concessa Populo, Plebique Romanæ de rebus Imperii potestate consulendi efficiendique, quicquid statui Reipublicæ pertineret. Plebs verò ac Populus (ut eorum moris semper est) gaudere novis rebus, non modò Ludovici nomen extollere, sed & Papam Joannem detestari, criminari in publicum cœpere, verumque Papam negare. Nova crimina in eum addicere. Dum à plebe primùm succrevit vox, in ipsumque Vulgus invaluit: *Reprobum Joannem Papam, atque non Papam haberi. Novum creandum Summum Pontificem, qui sibi Fratrum Cardinalium novorum conventum concreet, atque constituat, Sacrosanctam Ecclesiam Romanam in suam Romam ordinariis Basilicis regat, reverenter Officiorum Divinorum celebritate decoret; illum Joannem, qui trans Montes sacræ Ecclesiæ alludit, anathematizet; hic colatur, in reverentiaque Romanorum, & totius Orbis terræ habeatur; cui & (m) specialiter pareat utrumque Tribunal, & spiritualiter, & temporaliter Romæ consistat.* Vox hæc, communeque Plebis vulgare ad Populum & Patres conscendit, adeòque frequens increbuit, ut pari omnium consensu ad Ludovicum Regem suum hæc retulerint, fierique obnixè postulaverint. Ludovicus Fortunæ ejus successum non abnuens, inter Primates

(l) *Rectiùs* amovere.
(m) *Cod. Est.* cui & spiritualiter pareatur, utrumque Tribunal & temporale & spirituale Romæ consistat, *& ita Ambr.*

Digitized by Google

mates sui contubernii, quos secum ex Alemannia abduxerat, hæc (n) exequenda, & consiliis eruminanda diligenter proposuit. In iis Italici duo erant, qui Ludovici productioni operas multas dederant, ejusque lateri se se adjunxerant, quorum consiliis potissimùm fruebatur, Marsilius de Raymundinis Civis Paduanus plebejus (o) Philosophiæ gnarus, & ore disertus, & Ubertinus de Casali Januensis Monachus, Vir similiter astutus & ingeniosus. Cum his, & reliquis suæ communionis (ut dictum est) consilio firmato, decretum est Populi Romani inductionibus consiliisque adhærere, nec ab eorum consiliis, ac assensibus discedere. Ipsi decernant, suo Senatus, Tribunatusque consulto in omnibus parendum. Protinus vehementissimis Populi Romani caloribus, ignitisque ad has res novas animis (p) Joannes XXII. Papa (q) communicationibus propinatis, in personam & actus ejus, pro ut jam dicti Marsilius, & Ubertinus consultores, ac etiam processuum dictatores, conscribere atque componere multo studio sciverunt, edicta à Senatu Populoque Romano promulgata sunt. *Joannem eò usque dictum Papam, tamquam Scismaticum, Profanum, & Hæreticum, cassum, & reprobum, seu reprobatum*, adjectis in eo contextu causis plurimis, quas probabiles immo & manifestas asserebant, inter quas causas unam hic exponere locus admonet.

Per plurimos ante annos inter Ordines Fratrum Prædicatorum, & Minorum, lis quædam, grandisque contentio oborta scisma grande, ac jurgium, & ignominiosum discrimen attulerat super Domini nostri Jesu Christi, & illum imitantium Paupertate, dicentibus Fratribus Minoribus, eisque adhærentibus, quòd ipsi ipsum Dominum Christum, & vitam ejus imitantes, non habebant alicujus rei nisi simplicem usum facti, abdicatum & denudatum ab omni proprietate, vel jure utendi. Prædicatores verò dicebant, ipsos Fratres Minores non solùm habere simplicem usum facti, sed habere etiam jus utendi. Quare, si non haberent jus utendi, non haberent ipsum usum (r), nisi aliquod jus haberent, propter quod liceret eis uti ipsa re, seu rebus: & quòd ipse Christus non habuit in aliquibus rebus sic simplicem usum facti, quin & jus utendi habuerit, sinè quo jure usus ejus fuisset injustus. Et in hanc opinionem Papa Joannes XXII. firmatus constitutum fecerat solemne, & contra sentientes. vel dicentes, Hæreticos promulgarat, Ordine Prædicatorum cum eo unanimi & concordi. Hanc causam sumsere consultores Ludovici prædicti, & sententiæ dictatores. Insuper de potentia Papæ consultores iidem ac dictatores distinctum quoddam in suis optionibus composuere Chirographum, secundùm quod ipsum Joannem multifariam errasse censebant, in Romanis Basilicis divulgatum. Moxque sub hæc sumta sibi Romani, auctore Ludovico eorum Rege & Principe, omnia legitimè agendi potestate, ut quæcumque constituerent, legis vigorem haberent, deposito ac revocato Joanne, magnis instantiis induxere Virum unum Ordinis Minorum eò usque vita & honestate probatum Petrum de Corvaria Summi Pontificatus Sedem, & Diadema suscipere, præficientibus illum Ludovico, & Romanis sub plenitudine potestatis. Qui paucis post diebus Confratres sibi Cardinales delegit, Conventumque constituit, cum quibus faciem Pontificatus & Papalis induit Majestatis.

Fama rei hujus per universum Orbem vulgata quoscumque ex omni parte Christicolas ad diversarum opinionum studia concitavit, scissaque est ferme omnis in duas partes Christianitas. Pars una Imperatorem, Imperiumque præferri affectans, Papam Joannem detestabatur, quòd ad damnationem Ludovici nimis præceps irruisset, Hæreticumque sub nimio animi motu, atque fulmine quodam pronuntiasset, Roberti Regis amore & obtentu, quem non sub justitiæ æquo libramine, sed sub partiali superstitione foveret: cùm & ipsum partiarium assererent, non suam pertinaciam partis, cui adhæserat, proprio ore succelantem, dum sæpe & sæpius voce Gibellinos detestaretur, Laicos partiarios imitatus, nullos ad Prælaturas admittens, quos Gibolengos præscisset. Aliaque objiciebant, quòd minùs legitimè ad Papatum productus & ipse ejusdem Roberti favore fuisset, non Confratrum Cardinalium optione spontanea. Atque etiam Virum contentiosum ajebant, quòd per universas partes Italiæ scandala, & bellorum causas, & specialiter inter Lombardos movisset; Sacrosanctam Ecclesiam in discrimina & pericula ardua traxisset, quorum nullum umquam conciliasset. Scire ipsum lites, discordiasque suscitare, non concordiis sedare. Res quoque ad se, vel Pontificatus officium minimè pertinentes assumere; non contentum spiritualibus, Sacrosancti Imperii jurisdictiones contemnere, improbare, jus electionis ex Alemannia in Franciam, vel Italiam transferre niti, & multos sermones habere. Semper inquietam Ecclesiam Sanctam sub hoc Papa (*fuisse*), numquam quietam habituram. Pars altera justum, sanctum, æquum, sapientissimum, ac clementissimum dicere Virum, scientissimum Philosophum, & Sacræ Theologiæ Magistrum, (s) quibusque Virtutibus, & Scientiis imbutum, Tyrannos odire, quæ pestis per ea tempora totam ferme Italiam, & præsertim Lombardiam, Tusciam, Romandiolam, & Marchiam invaserat, qui contemtis Deo, & Sanctis, Sacras Ecclesias, scilicet Episcopatus, Abbatias, Prioratus & quascumque etiam magnorum proventuum Basilicas, quos, ut Populos vorarent, in armis, bellis, & quotidianis armorum usibus stipendiariis erogabant, deque ipsi Sacris locis equorum stabula, pulsis Antistibus & Prælatis, fecerant. Hanc Tyrannis Vicecomitibus Mediolani sævam rabiem nequiùs cœpisse, & adeò perseverasse, ut ipsi Tyranni Ecclesias, & Prælaturas de facto, spreta Papali Sede & Jurisdictione, suis Clientibus, & (t) partis dignis conferrent. (u) Promovisse primum, & non alium hæc omnia momenta Senem illum inveteratum malorum Maphæum Vicecomitem: his nefandis actibus abstinere Archiepiscopum Mediolani. & alios pulsos Prælatos in pace sinè restitutis locis, prædiis, & bonis ad Ecclesias spectantibus, quibus sacræ co-

(n) *MS. Ambr.* exquirenda.
(o) *Cod. Estens.* Physicæ, *& ita Ambr.*
(p) *Glossema sapit hic locus, & apertissimum mendum. Verba enim illa* Joannes XXII. Papa *abundare videntur.* Proxima verò Communicationibus propinatis *sensu carent. Itaque sic emendarem.* Joanni XXII. Papæ criminationibus propinatis.
(q) *Cod. Estens.* excommunicationibus, *& ita Ambr.*
(r) *MS. Ambr. addit* usum nec actum, immo injustè illa re uterentur; non enim haberent usum, nisi &c.
(s) *Cod. Estens.* quibus, *& ita Ambr.*
(t) *Cod. Estens.* & personis indignis.
(u) *Cod. Estens.* Præmonuisse, *& ita Ambr.*

coluntur Ecclesiæ. Illum Maphæum, stirpemque ejus tantis malis nutritam, ut de justo usu abusum, & de æquitate inæquitatem fecissent monuisse (x) obtineri in vanum, cultum in ea Urbe exerceri per veros Prælatos permitterent: sed mandata Apostolica spernentes, non modò destitere, sed infandos actus auferè, preces Apostolicæ mansuetudinis renuentes, deinde se ipsos Excommunicationum vinculis innodantes, & verba proterva in Sacram Ecclesiam, ipsumque Apostolicum jactantes, quæ manifestæ Hæresis ignominias, & intolerabilis Christianæ Religionis contemtus, & pertinacias ostendebant. A quibus similiter canonicè & solemniter moniti, nec abstinere passi, vel ab Ecclesiastica monitione correcti, peccata infanda accumulavere peccatis Sarracenorum, & aliarum Superstitionum sectas, & materias imitati, ut & ipsi Sarraceni, & Hæretici manifesti. Insuper monitum hunc Ludovicum Bavarum illorum Hæreticorum erroribus, infandisque actibus non adhærere; sed, si ad Sacrum Imperii culmen aspirasset, illos & consimiles abhorrere, & veri filii Sacrosanctæ Ecclesiæ more ad illos repellendos, & refellendos tam pravis ausibus Ecclesiæ astare, & servire. Sed ille, cujus mens in Ecclesiam effera, earum Tyrannidum, Tyrannorumque Italicorum jura tenere spiritu diabolico conjectaverat, non modò destitit, sed Vicarium suum, Gentemque Germanam adversùs Ecclesiæ monita (y) patenter transmisit, & se Hæreticum, & divinarum constitutionum exhibuit contemtorem. Post quæ cum his Tyrannis consortia, & conjurationes nefarias iniit, dum ad eos sectandos, & fovendos eorum ductibus, & sumtuosis commeatibus in Italiam condescendit. Fœda hæc (z) assiduè labes jam pæne per universum Orbem irrepserat, ut his & aliis dissensionum vulgaribus uterentur. Hocque conceptum, planèque & deprehensum est, quod (sicut constat) antiqui mali semen in terris jactum, disseminatumque est.

In duas partes facta Christianitas erat nostra, (ut) & paucos invenisse contingens fuerit, per hanc præcipuè nostram Italiam, quos una ex duabus optio non inquinaverit, aut illa, quam ajunt, Gibolenga, vel Gelfa. Hæc enim à tempore Friderici II. vocabula duo inseparabilia germina, seu potiùs pestifera scismata pullularunt, atque invaluerunt, quæ semper tenuere Italiam inquietam. Sic hos in errore & contentione ferè omnes, qui Gelforum nomen animumque servabant, Ludovicum hunc detestabantur, (a) & actus, Joannem Papam laude commendabant. Gibolengi verò & sermone, &, quo poterant, etiam opere innitebantur è contra. In hac Laici, & hac Clerici omnis generis concertationibus & discordiis urgebantur. Lues hæc ipsas Fratrum Minorum, & Prædicatorum Religiones infecit, cui illa de Christi Paupertate contentio dedit initium. Papa enim Prædicatorum opinionem sententia (b) promulgaverat nefasque, atque hæreticum contra sentire, vel dicere edixerat. Cujus offendiculo contigit, Fratrem quemdam Michaëlem Cæsenensem Generalem Ordinis Ministrum, adscitis sibi Fratribus, præsertim duobus, Bonagratia Pergamensis, & Gulielmo Ocham Anglico, dum

(x) *Cod. Estens. & Ambr.* abstineret. Christianum cultum.
(y) *Cod. Estens.* potenter.
(z) *MS. Ambr.* dissidiæ assiduæ.
(a) *Melius*, & actus Joannis Papæ.
(b) *MS. Ambr.* sententiæ promulgationi probaverat.

A Avinione essent, jussi (c) identidem persistere cum Ministro, injussu clanculum è Curia digredi, & Pisas, ubi Ludovici obedientia, & fides Imperii servabatur, se transferre, Ludovicique parti adhærere; Joannem Papam, ut Scismaticum; quin imò & Hæreticum detestantes, quòd idem Papa in pronuntiatione eadem articulo Christianæ Fidei derogasset. Nec non cùm & idem Joannes Papa omes & singulas sententias & opinione Beatissimi (d) etiam Thomæ Aquinensis Ordinis Prædicatorum veras speciali sententia, ac constitutione comprobasset, quarum nonnullas nonnulli Studiosi, ac Doctores Parisienses erroneas judicabant. Hos igitur multi Ordinis ejusdem sectati, Papæ Joanni jam pa-
B tenter maledicebant, Hæreticumque vocitabant, quamquam Ordinis ejus Corpus, seu Universitas scandali hujus expers sub silentii taciturnitate consisteret, Generalis illius, ac Complicium suggestionibus non adhærens. Verùm excommunicatis ac maledictis his Michaële, & Consociis per Joannem Papam, ipsi per Terras, Urbes & Municipia Ludovico faventia vagabantur, & contra interdicta Papalia jussu ac permissione Ludovici divina mysteria celebrabant.

Infecit quoque per idem tempus error unus perniciosus & Prædicatorum Ordinem. Plerique enim Conventuum Venetiæ, Paduæ, & Tarvisii, sibi auctoritate quadam potentatum assumserant Officiorum, rerum, & Ministeriorum
C communium, ut oppressa reliqua Fratrum multitudine Prælatos Ordinis, scilicet Generales, & Provinciales eligi pro suo libitu curarent; quos vellent extollerent, quosque vellent, deponerent; proventus quoscumque ipsis distribuerent, ut nonnulli ex communibus proventibus pecuniosi dicerentur, gazasque privatas habere, sibique has (e) vices sumsisse, ut veluti perpetui superesse putarent. Demum per ejusdem Ordinis aliquos insinuatione Papæ facta, atq; fide facti, Papa Generalem Ordinis, Priorem, Provincialem quoque, & plurimos illo errore præsidentes, ab officiis absolvit, & eorum potestate privavit, aliumque Generalem, ac Provincialem suffecit, quibus & consocios Visitatores to-
D tius Ordinis adjecit, quos Venetias, Paduam, Tarvisiumque profectos præfati ausu præsumto non admisere; sed potiùs favore complicium suorum Confratrum, nec non & Laicorum brachiis sibi adscitis, rejicere conati sunt. Fuerequé etiam, qui in institutis à Papa ex Ordine eodem se se propitios præstitere. Lis suborta jam ad manuum injectiones partes concitaverat, scandalumque in publicum enuntiatum, deductumque est, ut undique & hoc tempore præjudicialeque jurgium undique vulgaretur. Appellantes autem ad ipsum Papam ii, qui his novis processibus gravabantur, Papa constanter in rem talem amovendam persistente, succubuere, & sub ingenti per totum Orbem infamia
E tamdem quievere. Detestabantur Populi hujusmodi Religiosorum facinora, quæ mala signa portendere ajebant, quòd ipsæ scissæ Religiones invicem colliderent, atque colluctarentur.

Addidere & aliis Singulares tantis dissensionibus augmenta (f). Episcopus Furliviensis eo, quo potuit, apparatu in Papæ Joannis contemtum Mediolanum ad Ludovicum accesserat, se-

(c) *Legendum videtur* jussis.
(d) *Cod. Estens.* quondam, *& Ambr.*
(e) *Cod. Estens.* sic has.
(f) *Cod. Estens.* augmenta Prælati. Episcopus, *& ita Ambr.*

Digitized by Google

feque in omnibus obſequentem præſtiterat, ſimulque & Epiſcopus Venetus digreſſus Venetiis ad Ludovicum Piſas contendit. Quibus mox Joannes Papa, notitiâ habitâ, privatis, maledictiſque, ſucceſſores dedit. Terrebant hac enim parte Chriſtianos (g) . . . . . hoc ſciſma in tantum invaleſcet, ut in Terris, Urbibus, Caſtriſque Ludovico Imperioque faventibus, ſpretis Papæ Joannis interdictis, excommunicationibuſque, Religionum Conventus, ceterique Baſilicarum, ſeu Capellarum Parochiani divina officia celebrarent. Beltrandus in Italiam Cardinalis primum Placentiæ, inde Parmæ cum militiarum ſuarum copiis perſiſtens juſſu Papæ (h) prælium apud . . . . vitabundus plus Ludovici fautores terroribus, quàm armorum inſecutionibus impetebat. Qui demum Lombardia digreſſus, Bononiam ſe contulit, quam (i) decedentibus Civibus, & Populo, in plenum dominium accepit (K) . . . . . Romei olim de Pepolis pulſi fuerant, multoſque ex veteribus antiquarum cauſarum exulibus introduxit. Ibique pro Romana Eccleſia, Papaque Joanne ſibi ſedem firmavit, aſſiduè cum Florentinis, Peruſinis, Senenſibus, & aliis undecumque per Tuſciam, Romandiolam, & Marchiam Gelfis favorem partis Eccleſiæ pertractans. Nunc proſpera, nunc adverſa perpetiens, maximè ſemper ajebat in Summi Dei auxiliis fidens perconcuſſam (l) Eccleſiam, Petrique Naviculam non mergi permitteret. Sed paulò poſt Parmenſis Civitas conjuratione Rubeorum, præſidio Eccleſiæ pulſo rebellis effecta eſt, moxque delata re ad Legatum, Epiſcopum Parmenſem, qui de Rubeorum proſapia erat, captum retinuit.

Ludovicus, cui nulla, quatenus vires ſuppetiiſſent, audacia deerat, Regnum Apuliæ aggredi vehementi animo aſpirabat, quaſcumque poterat in Urbe copias accumulans. Robertus verò, dum illo & divitiarum, & omnium ferme copiarum fortior, potentiorque cerneretur, Regno ſuo conſiſtere, nec ultra diſcurrere multa prudentia diſpoſuit, ſeque, quoſque continuit, cùm à Tuſcis, & Italiæ Gelfis ad concertandum multis ſuaſionibus induceretur. Ille tamen immobilis, atque in ſe conſiſtens, Urbes, Provincias, Municipia, & Colonias ſuas munire, circumvallare, in vigilibus præſidiis ſpem habere, procul Ludovicum ipſum productione, quàm bellis apertis fatigare. Noverat ſiquidem Populi Romani mobilitatem, atque inconſtantiam, quodque illis Ludovicus plus honori (m), quàm emolumento foret, dum cum ſuis Germanis gente ſoluta & licentioſa illis faſtidia, damnoſaque tœdia inferret. Curæque ſummæ Roberto erat, ne de ſuis finibus, terriſque Regni per plana, per æquora Romam annona victualiaque deferrentur, quorum carentia Romanus populus afficeretur. Idque Roberto ad votum ſuccedebat. Nam ſubitò Romæ multa irrepſit rerum carentia (n), quæ & Germanos, & Romanos admodum coanguſtabat. Ab auxiliaribus Tyrannis Lombardis, Tuſciſque Ludovicus frequenter ſubſidia poſtulabat, qui illum plurimùm pollicitationibus fruſtabantur. Caſtrucius tamen cum multis Piſanorum, Lucenſium, & ſuorum ſubditorum turbis, Viri ſtrenui (*ſicut erat*) vices agens, Romam ad Ludovicum ſe contulit, ubi eximio favore ſuſceptus à Ludovico, & Populo Romano, mox Urbis Romæ Senator creatus eſt, Curiamque Ludovici adeò (*ſua*) auxit magnitudine ac favore, ut quibuſque Imperialis partis per univerſam Italiam amicis ſpes ſuccreſcerent, reliquis magno metui forent.

Joannes Papa tantis anfractibus rumoribuſque aſſiduè invaleſcentibus, etſi mente, vel corde timidus, nil tamen ambigui in patulum oſtendens, Dei maximè fiducia ad Fratrum Curialiumque exhortationes erigebatur, hoc non contingere ajens, niſi ut his luctationibus ac vexationibus Sancta creſcat Eccleſia, inimicos ſua ipſorum exterminet pernicies. Edictumque ſubitò per univerſam Eccleſiam omnibus Fidelibus emiſit. In Sacrarum Miſſarum Solemnium officiis poſt *Pater noſter* Orationem ſpecialem ad Altaria cantari: *Sterneret Deus inimicos ſua virtute, ut Eccleſia illi ſub ſolita & ſua libertate conſerviat, ſeu ſubſerviat*, addito Pſalmo *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, &c.* Mirum quid poſt Edicti hujus decantationem notatur. Evenit enim, ut ejus virtute ſigna per eos dies ſubſecuta ſint. Paſſarinus Mantuæ Tyrannus vir aſtutiſſimus, cujus maximè ductu, conſultoque Ludovicus in Italiam tractus exſtiterat, ab Ludovico de Gonzaga, & filio ex conjuratione cum Cane Grandi della Scala habita, præſidioque ejus, inſcio Paſſarino in Mantuam accepto, obtruncatus, necatuſque eſt, filio ejus Franciſco capto, & cæſi membris omnibus decalvato, in Caſtellaris fundum jacto, in quem olim Franciſchinum Nobilem de Mirandula, multoſque Paſſarinus conjectos ad famis mortem coegerat. Hicque finis Paſſarini fuit Tyranni longiſſimo tempore crudeliſſimi. Epiſcopus Furliviensis, qui & ſpreta Papæ Joannis, & Eccleſiæ auctoritate, magno apparatu in Lombardiam ad Ludovicum acceſſerat, favoreque multo excoluerat, repentina morte ac crudeli correptus eſt, quamquam & hic ſigna extremæ pœnitudinis eorum, quæ in hoc opere commiſerat, & verbis, & nutibus patenter oſtenderit. Caſtrucius vir robuſtæ fortitudinis mox, dum Roma digreſſus in Lucam rediit, & ipſe morte præventus eſt. Raynaldus, & Opizo Marchiones Eſtenſes, qui & reliquorum fautorum Ludovici complices fuerant, Papæ Joannis indulgentiæ ſe ſe committentes, ad ipſius Papæ Eccleſiæque gremium confugêre, quos Papa Catholicorum fidelium multorum rogatibus in gratiam ſuſcepit, Ferrariamque ſibi, & Eccleſiæ reſignatam, & traditam accepit, quam & ipſe multa liberalitate illorum fidelitatibus regendam gubernandamque commiſit, illoſque cum complicibus, & quibuſque excommunicatis, ſeu interdictis ab omni anathemate, & proceſſu abſolvit, & Eccleſiæ Sacroſanctæ filios nuntiavit. (o) Galaaz Anno Domini Noſtri IX. M. CCC.

Per idem tempus conſtitutum unum de gente Germana Marchionem in Marchia Anconitana Petrus de Corvaria Antipapa in Marchiam tranſmiſit, qui plurimarum Civitatum favore identidem amplo dominio uſus eſt. Hic Tanum de Eſio diu Magnificum, qui & ipſe multa tyran-

(g) *Cod. Eſtenſ. & Ambr.* Terrebant nec jam omni ex parte Chriſtianos, cùm jam hoc ſciſma &c.
(h) *Cod. Eſtenſ. & Ambr.* prœliorum Campeſtrium vitabundus.
(i) *MS.* Decedentibus. *Fortè*. Se dedentibus, *aut* cedentibus.
(K) *Cod. Eſtenſ. & Ambr.* accepit, exteros qui pro parte Romei, &c.
(l) *Cod. Eſtenſ.* fidens, qui concuſſam, *& Ambr.*
(m) *Cod. Eſtenſ.* oneri, *& Ambr.*
(n) *Cod. Eſtenſ.* caritas.
(o) *Gloſſema eſt quidquid continetur his verbis*: Galaaz Anno Domini Noſtri IX. M. CCC.

Digitized by Google

rannica in Marchia exercuerat, securi percussit, magnamque partem Marchiæ ejus subegit. Eo anno Carolus Roberti Regis Apuliæ filius naturali morte vita subtractus est, cujus funus Apuli magno luctu prosecuti sunt. Anno hoc innovata fama est per omnes terras Italicas, verisimilia videri literarum signa, quæ jam ferme septennio à Philosophis Astronomicis Toletanis vulgata fuerant, incipere, per quas indicabatur hoc eodem anno, præsertim mense Septembri, finem habitura: futurum scilicet esse, ut aëris, & temporis intemperies pestifera, & plena terrorum esset infinitos mortales ad mortem coactura, de Cœlo audiendos novos sonos & gemitus, Eclipsim universalis, qualis ante non fuerat, terræmotus in plurimis Mundi locis, insuper fames, & inedias, aquarum inundationes, tonitrua, fulgura, cædes, Regem unum magnum periturum, paucos vivorum (p) . . . . , nisi ad certa loca in literis discreta, & sub cavernis confugerent. Fidem rebus his multa jam advenientia præbuere. Terræmotus siquidem in Marchia Spoletana Civitatem Nursiam totam evertit, in qua occubuere capita . . . . . matibus obruta. Undique per Apuliam, & Italiam non modò per terras Tusciæ, Marchiæ, Romandiolæ panis refectionis pretio reperiretur mensibus Martii, Aprilis, & Maji frigidissimæ.

Ludovicus Romanis onerosus urgente victualium inopia, & effrena Germanorum gente populo molesta, ac interdum versa, dum se, suosque ingratos præsentiret, cum contubernalibus suis Antipapa, & Anticardinalibus suis in Viterbium secessit, unde & demum Lucam advênit, dominatumque Civitatis, non admisso Castrucii filio, accepit, identidemque resedit. Cùmque deficientibus eorum suffragiis, qui in Italiam illum contraxerant, copiis suis stipendia deficerent, Civitates Lucanam, & Pistoriensem brevi intolerabilibus exactionibus confecit, ut nec solo sui, nec suorum victui impensæ suppeterent; sicque familiarium rerum inopiis egens atque exhaustus in Lombardiam descendit, Cremonamque Urbem ingressus cum militum Sociorum V. centum, vel circiter comitiva, Canem Grandem ad colloquium in Marchariam accersiit, & in eo loci Canis ingentibus Paduanorum, Veronensium, & suarum terrarum copiis peditum ac militum in loco campestri cum Ludovico convênit. Terminata, constitutaque per eos dies parum innotuere; verùm subitò apud Cremonam nova ingrata horrendaque Ludovico allata sunt, Azonem olim Galaaz filium Vicecomitem cum Civibus, amicisque suæ factionis Civitatem Mediolani in se suumque Dominium occupasse, rebellemque Ludovico se fecisse. Paucorumque ferè dierum interjectione, & de Luca acceptum est, Marcum Balatronem Vicecomitem cum Castrucii filio, quos præsidio Lucæ Ludovicus reliquerat, socia conjuratione rebellasse, & cum Florentinis, Gelfisque Tusciæ pacem in Ludovici odium, præjudiciumque tentare. Furliviensis quoque, spreto recusatoque Ludovici Imperio, mandata Ecclesiæ, Legatique Apostolicæ Sedis jurasse; multos per Tusciæ terras eadem attentare, in Longobardiaque plurimas Urbes, scilicet Papiam, Pergamum, & Laudem deficere, ac palàm defecisse; solum Canem cum Ludovico Mantuæ, Dominatore, & Parmensibus, Ludovici fidem tenuisse, nec tamen adeò de Ludovico fidere, ut illum in (q) Urbium suarum mœnia admitterent. Ludovicus his angustiatus pressuris, Succinum Municipium adiit, paucisque diebus annonæ & alimoniorum urgente carentia Mediolanum versùs iter dirigens, trajecto (r) Ambro amne Valubrium descendens, sequenti die Gorgozolam movit Coloniam X. millibus ferme passibus à Mediolano distantem, identidemque resedit. Spinetam de Malaspinis Marchionem per Canem Grandem ad Azonem transmissum dictum est, Ludovico acquiesceret, fidelisque foret: At illum priùs mortem subiturum respondisse, in eodemque proposito & Mediolanenses fore. Retruso ergo Ludovico ad hæc Lombardiæ confinia, Beltrando Ecclesiæ Legato accrevit animus, tam Tusciæ, quàm Marchiæ, ac Romandiolæ etiam Populos, & Urbes, ac Dominatores ad amicitiam Ecclesiæ allicere, dum jam ab Ludovico, caloreque Imperialis favoris se destitutos viderent, urgente illos metu, ne maximè in eos, qui illi adhæserant, ulcisci meditaretur. Sed & hoc Fortunæ cursu sic concernente, ultra quàm ipse idem putaverat, ad votum successit. Franciscus quidem de Ordalaffis, qui & Zecchus nuncupabatur, Furliviensium Primas, ac (f) inter eos detestatus, reverenti voto cum Furliviensibus se Ecclesiæ devotum, pariturumque præsto obtulit, ac obnixam fidem dedit, & cum jurejurando in Bononia præsentiali persona, paucisque post diebus cum CCL Lanceatis equitibus ad Legatum se contulit, quacumque jusserit illum ire, pariturum (t) . . . . . Filius Francisci, qui Faventiæ pulso patre præerat, cum quibus potuit militum peditumque copiis idem fecit. (*Hoc*) Ariminenses, Ravennates, & ferme omnes Romandiolæ, & Marchiæ populi Dominatores fecere idem, & Tuscia pariter universa. Marcus Balatronus Vicecomes Lucæ cum . . . . . filio olim Castrucii inclusus, dum nepotem Azonem filium olim Galaaz Ludovico rebellem pernosceret, se se continuit, cum Florentinisque permulta per internuntios super agendis in his amfractibus pertentavit, fiduciamque Florentinis mercatoribus, ceterisque viantibus liberam licentiam eundi, redeundi, mercandique largitus est.

Tunc nec Beltrando Ludovicum, amicosque in Longobardia, Reginos scilicet, ac Parmenses hac veluti fuga, & adversione (*conterritos*) visum est; sed confestim, ut potuit, accersito ex Venetiis Joanne Quilico exule Parmensi multos Parmensium tam in ipsa Urbe, quàm in Co-

(p) *Mutilus hic planè, & infra MS. ne quis miretur multa desiderari.*
Supplenda hæc atque emendanda ope Codicis Estensis, & Ambrosiani, in quo legitur: paucos virorum vivos residere (*hoc est* residuos fore), nisi ad certa loca in Literis discreta, & sub cavernas confugerent. Fidem rebus his multa jam advenientia præstabant. Terræ motus siquidem in Marchia Spoletana Civitatem Nursiam totam evertit, in qua occubuere capita hominum cujusque generis quinque millia casmatibus obruta. Undique per Apuliam & Italiam non modò grani caritas, sed fames inolevit, ut Romæ, & per terras Tusciæ, Marchiæ, Romandiolæ panis refectionis unius solito sextuplum valeret, nec tamen abundè eo pretio reperiretur, mensibus Martii, Aprilis, & Maji, frigidissimæ hyemi consimilibus, sub frequentibus nivibus, plerumque etiam grandibus.
Ludovicus Romanis onerosus, urgente victualium inopia, & effrena Germanorum gente Populo molestia, & in tœdium versa &c.

(q) *Cod. Est.* intra Urbium, *& Ambr.*

(r) *Pro* Lambro.

(f) *MS. Ambr.* inter eos Præceptor & Dominus, Ludovicum, & Teutonicos detestatus &c.

(t) *Cod. Est. & Ambr.* pariturus filius.

Digitized by Google

Coloniis suæ factionis habente, illoque in fidem accepto, copiis militum peditumque ei junctis, primum in Reginum destrictum, deinde in Parmensem, ac (u) Colonias depopulandas, cunctaque exteriora cremanda transmisit. Regini siquidem per eos ante dies & ipsi suggestione Rubeorum Parmensium, ab Legato & Ecclesia ad contrarias partes defecerant. Joannes Quilicus cum militiis Ecclesiæ, fautoribusque, videlicet filiis olim Giberti de Corrigia, & aliis Civitatum Regii, & Parmæ extorribus, in eosdem fines discurrentes, urere, prædari, & captivare, omnia terræ substantia consumere hostili more. Quibus Castrum (x) Berbium validissimum sponte mox redditum est, bello Reginis, & Parmensibus inferendo congruentissimum: deinde ad Castrum, seu Burgum S. Dyonisii (y) Joannes Quilicus cum certa coequitans militum peditumque manu discurrens, illud inquilinorum fidelium que suorum præsidiis firmavit, deque bello Urbi inferendo constituit. Processereque Ecclesiæ, Legatique phalanges, aditusque Urbium earum undique obsidentes cinxere, ne qua parte illis auxilia conquirerentur, (z) quorum intrinsecos & fames iniqua, inediaque privasset, dum eo anno per universam Tusciam, & pæne omnem Italiam (ut prædictum est) (a) omnis generis caritas populos urgeret.

Canis Grandis Veronæ, dum eò usque Legato Ecclesiæ se se non actibus (b) servitorem verbis tamen & blandimentis benevolum exhibuisset, per eos dies in contrarios actus, servitiaque prorupit, apud Marchariam (ut supra expositum est) solemni, & personali assistens alloquio Spineta Marchione, & Gulielmo de Nogarolis iniente inter Ludovicum Bavariæ, & Azonem Vicecomitem discordia..... tens, præterea & Parmenses ac Reginos consiliis, & hortamentis assiduis..... de Carraria Paduanum Rubeorum Parmensium consanguineum ad eos roborandos dirigens, rebellionique Ecclesiæ coanimans. Semel quoque quidem circa Martias Kal. evocatis Paduanis, & undecumque subditis, Verona egressus, Mantuam versùs exiit, quamquam ea die verso ex causa non omnibus nota proposito rediret, plurimisque diebus in Verona præsidia militum equitumque in armis tenuit, belli in quamcunque partem inferendi signa edens. Cui & Ludovicus de Gonzaga Mantuanorum Dominus per omnia adhærens inserviebat, uti dominium occiso Passarino ab illo recognoscens.

Æstate in hac Legatus in tanto fortunæ casu omnia bellica parare, instruere, navalia etiam vasa, galêas scilicet duas (c) Bononiæ fabricatas, aliaque navigia tabulata Ferrariam traduci faciens, pararique onerarias diversorum generum rates. Ab amicis Venetis III. galêas postulavit, vasa scilicet dumtaxat, & armamenta, (d) quòd conductu, & stipendio Ecclesiæ nautæ & bellatores ad prœlia fulcirentur. Ludovicus autem Bavarus per Colonias Mediolani pervagatus, hinc atque hinc castra frequentiùs immutabat, unde copiosiùs tam viris, quàm bestiis alimonia suppeterent. Paucis autem, & jam ferè nullis præter Canem Grandem Italicis Principibus, aut Populis suffragia præstantibus, ipseque Canis, ne Legato se se hostem manifestiùs patefaceret, modica, præterquam de summittendis ex suis contubernalibus pro pace inter ipsum, & Mediolanenses tractanda, subsidia præstabat. Sicque Ludovicus exinanitis aliunde, quàm suorum Germanorum viribus, ægrè se in eis Longobardiæ finibus continebat. Jamque pæne in Alemanniam (e) retroversurus ab Longobardis omnibus Italicis putabatur.

De hoc autem Ludovico cur nondum ipsum Cæsarem, aut Imperatorem vocaverimus, deprimerimus, non incongruum putamus (*exponere*). Verè quidem electionem primitivam à veris Imperii Electoribus satis idoneam fateri non prohibemur. Itemque & victum prœlio campestri Fridericum Austriæ Ducem, cùm pro causa Imperii certaretur, constare satis (f) volumus. Reliquiasque Domini nostri Jesu Christi, Lanceam scilicet, & Clavos, quæ veluti pignora quædam veri Imperatoris, & Romani Regis habentur, ab illo eodem bello quæsita potenter, sicut vera sunt, indubitanter asserimus. Rursusque & ipsum strenuo animo Alpes transiisse; Mediolani Coronam Ferream suscepisse, inde per Tusciam permeantem Romam pervolasse, in Capitolio sedisse, Senatorem, Consulesque, ac Decuriones, & Tribunos more Romani Imperatoris creasse. Populi Romani concione laudatum, approbatum fuisse, omnia vasto animo aggressum, quæ viro audaciæ, eximiæque virtutis pertinuerint. Hæc, & nomine, & re dignum Cæsarem, Romanorumque Regem nuncupandum, vocandum, dignumque fecere. His tam grandibus, excellentibusque præconiis alia in opppositum altera populorum opinione proposita inducebantur: hunc scilicet primis sui Principatus initiis Papæ Joannis, Sanctæque Romanæ Ecclesiæ communicationem, reverentiamque sprevisse, damnatis à Papa, rebellibusque Ecclesiæ Vicecomitibus auxilia præstitisse, monitisque omnibus contemtis se ipsum rebellem exhibuisse, Tyrannorum Longobardorum & Tuscorum ductu in Italiam transiisse, partiariumque se ostendisse, ut Robertum Apuliæ Regem, ceterosque terrarum, Italiæque Ecclesiæ amicos Principes ac Populos eorum Tyrannorum suggestionibus (quatenus ipse, ipsique potuissent) oppressisset. Quòdque pravis aliquorum sibi adjunctorum consiliis Papam Joannem abominatus ac detestatus furioso (g) Plebejorum, Populique Romani clamore, accensoque rumore in illum sub nullius sacri solemnisque juris serie, solius facti executione, depositionis, hæreticæque superstitionis sententiam fulminasset. Neve divini humanique juris allusioni, sacrarumque constitutionum ac consuetudinum quidquam deesset, turpi ludibrio, periculosoque Christiani ritus discrimine, Antipapam, Cardinalesque creasse,

(u) *Cod. Est.* ad Colonias, *& Ambr.*
(x) *Cod. Est. & Ambr.* Castrum Herberiæ.
(y) *Scribendum puto* Sancti Domnini. *Mur.*
(z) *Cod. Est. & Ambr.* quarum intrinsecos etiam fames iniqua, & inedia præinvasit.
(a) *Cod. Est. & Ambr.* cujusque generis grani caritas.
(b) *Difficile omnino assequi, quæ hic desiderantur.* Osi. *Huic etiam loco præsidium erit Codex Estensis, & Amb., ubi ita legimus:* actibus fautorem, verbis tamen & blandimentis benevolum exhibuisset, per eos dies in contrarios actus exercitiaque prorupit, apud Marchariam (ut supra expositum est) solemni & personali assistens alloquio, Spinetam Marchionem, & Baylardinum de Nogarolis iniendæ inter Ludovicum Bavariæ, & Azonem Vicecomitem concordiæ medios mittens & remittens, præterea & Parmenses, ac Reginos consiliis, & hortamentis assiduè fovens. Frequenter siquidem Marsilium, de Carraria.
(c) *Cod. Estens.* boni fabricatus.
(d) *Cod. Est. & Ambr.* quæ conductu &c. fulcirent.
(e) *Cod. Est. & Ambr.* retrocessurus.
(f) *MS. Ambr.* novimus.
(g) *Cod. Est.* Plebis.

se, sub clamore favoreque dementiæ popularis sub sacri Manti Papalis effigie, (h) galeorumque rubeorum. (i) Ad ultimumque ac fœdum cœcum Consistoriumque constituisse. De potentia Papæ factuosas per imperitos Consodales suos astu partiario conscriptiones promulgasse. Denique & simplicissimorum puerorum more Joannis Papæ ideam, seu imaginem ex stramine formari passum esse, ipsamque imaginem Joannis Papæ nomine igni adjudicatam cremasse. Quæ quidem talia toti Mundo horrenda, abominandaque Ludovico huic levitatis, parvæque prudentiæ, potiusque paucæ maturitatis infamiam attulere. Verùm cùm per plurimos Imperialis factionis hæc jam dictis Consodalibus, pravisque Consiliariis, quàm ipsi Ludovico ascribi dicerent, usquequaque tamen ipsa excusatio non levabat. Ob quas rerum varietates ii Mortalium, qui Joannem Papam, uti Sacrosanctæ Ecclesiæ Ordinarium Caput, observatumque venerabantur, Ludovicum hunc Cæsarei, Imperatoriique nominis dignum negabant, Bavarumque vocitabant; reliqui, quorum longè minor numerus erat, Imperatorem Romanorum. Nos majori parti adhærentes, & Joanni Papæ, Ecclesiæque deferentes, quod profectò nobis æquius videbatur, maximè ob enormes creatorum Antipapæ, & Anticardinalium ignominias, Ludovici tantùm nomen expressimus, nil ipsius merito, dignitati, auctoritatique detrahere intendentes, sed (K) . . . . . veritatis judicium reservantes.

Ducis hujus, seu Principis staturam, moresque quam (l) . . . . . hoc loco describere expediens putavimus. Statura fuit gracili, & procera. Capillo subruffo, raroque. Acie vividi coloris semper ridenti, simili oculis caprinis. Naso peracuto ad os prono, ac propinquo. Maxillis æqualiter carnosis. Mento tereti. Collo cervici, & humeris congruenti. Lacertis, cruribus, & pedibus staturæ congruentibus. In armis strenuus, & audax ad omne discrimen; sed præceps, & nimium lubricus. In (m) adversis consilio egens, jocosus, atque urbanus. In incessu citus. Frequens sessionum & locorum mutator (*).

(h) *Cod. Est.* galerorumque rubrorum, *& ita Ambr.*

(i) *Longè melius.* Ad ultimumque fœdum, ac cœcum Consistorium constituisse, *uti legitur in Ambr.*

(K) *Cod. Est. & Ambr.* sed aliorum posterum. *Ademit hìc etiam aliqua ævi longinqua vetustas.*

l *Cod. Est.* & quos ipsi vidimus, hoc loco, *& Amb.*

(m) *MS. Ambr.* In arduis.

(*) Hæc nonnulla ex iis sunt ad quæ inter legendum Mussati historias offendimus. Nonnulla inquam sunt. Omnia enim persequi velle nimiæ fortasse operæ, nec operæ tamen pretium fuisset. Nos duntaxat manifestiora quædam, quæ luxuriantum ritu herbarum latinitatis segetem strangularent, evellere sumus conati: a minutioribus runcandis, quæ propemodum infinita fuerint, abstinentes. Et profectò iniquum videri possit viri hujus monumenta, qui seculo planè barbaro vixit, in Romanæ libella puritatis expendere. Quinimo gratiæ illi multæ habendæ, quòd Latinam eloquentiam longo nimis tempore obrutam facilè ipse princeps eruerit, & in lucem, quatenus illi datum, excitaverit.

Jam quæ nos animadvertimus, atque in ceram tuo jussu, Moline doctissime, retulimus, qualiacunque tandem sint (levia tamen, neque satis perspecta esse oportet; quæ nostra in literis est infantia, librorumque copia nulla, cœlique obtusa ruina mentis acies meæ) ea nunc ad te mittimus, & Lydio tuæ sapientiæ lapidi exploranda committimus. *Villenus.*

FINIS.



Digitized by Google

ALBERTINI
MUSSATI
TRAGŒDIA
ECCERINIS
APPELLATA

A VIRO CLARISSIMO

FELICE OSIO

Ope quatuor Manuſcriptorum Codicum
antea edita;

NUNC VERO

CUM DUOBUS ALIIS MANUSCRIPTIS

BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ

COLLATA,

ET PROLOGO AUCTA.

Digitized by Google

PROLOGUS.

INcipit Tragœdia Albertini Mussati Patavini, cujus est titulus Ecerinus, qui malè adhæsit Senecæ, in Libro de Clementia dicenti. Quòd nullum ex omnibus magis decet habere benignitatem, quàm Principem, atque esse magnanimum; & meritò, quia nil dulcius Populis, nil gratius Subditis, vel jucundius cunctis, quàm benevolentiam principantis. Cui pro argumento præmittitur, quòd Ecerinus de Romano Castro Trivisano Diaboli & Adeleitæ verus filius, semper sitibundus humani sanguinis, factus Dominus Veronæ per favorem Monticulorum, excluso Rizzardo Comite Sancti Bonifacii, favore Federici in suum dominium ampliavit. Nam subsequenter habuit Paduam, de qua proscripsit XI. millia nobilium Paduanorum, quos in Verona reclusit. Habuit & Vicentiam, Feltrum, Tridentum, & ultimò Brixiam. Meditatus est insuper habere dominium Mediolani, & totius fertilis Lombardiæ. Cùm autem esset in expeditione contra Mantuam, Venerabilis Religiosus Dominus Philippus Archiepiscopus Ravennas circumspectus Legatus Ecclesiæ in Marchia Trivisana, Lombardia, & Romandiola, sedente Papa Alexandro IV., per aquam gradiens cum ferè duobus millibus equitum contra Paduam, Sanctissimæ Crucis præmisso Vexillo, igne, scalis, & fortitudine constanti viriliter usus Paduam intravit, & fulsit. Quod cùm audivit Sathanades Ecerinus, relictâ Mantuâ, Veronam transvolavit, & furiosus, ac intemperans proscriptos Paduanos, quos habebat in Verona circa numerum prætaxatum, igne & fame & ferro crudeliter mori fecit, & si quis fugam tentaret arripere, evulsis oculis, pedibus, & manibus truncabatur. Consanguineis & amicis suis non pepercit. Frater fratrem, consobrinus consobrinum; & amicus amicum trucidabat, ut homini nequissimo complaceret. Multos nobilium castravit filios generosos; multis nasum & superius labium detruncavit; ducentos captivos Nobiles Veronenses una die cum carcere concremavit. Ubique per suam pessimam tirannidem, dolores & angustiæ, ejulatusque tartarei. Quinquaginta millia hominum suis infaustis temporibus ferro, fame ac igne consumsit, ultra in bellicosis conflictibus interfectos. Tandem Azo Secundus Marchio Estensis cum suis Ferrariensibus, Mantuani, Ubertus Marchio Pallavicinus, & Bosus de Dovaria cum Cremonensibus & Mediolanensibus animosi conjuraverunt contra eum. Plutonides autem Ecerinus sperans habere Mediolanum, persuasione quorundam Nobilium Mediolani, suæ patriæ proditorum, qui sibi miserunt filios obsides, dum præfatus Diabolides castrametaretur contra Castrum Urceorum, transivit Aduæ fluvium, cum octo millibus equitum, Martinus autem de Turre sagax Capitaneus Mediolani, cum Civibus amatoribus Patriæ suæ, sic viriliter egit, quòd locum non habuit perfidia malignorum; & tunc Demonides Ecerinus frustratus spe sua voluit, sed frustra, Modoëtiam & Tricium subintrare, sed tandem in Vicomercatum se reduxit. Cùm autem videret multitudinem Mediolanensium citra fluvium, & alias nationes sibi infestas ultra fluvium, necessitate victualium compulsus voluit transire per pontem Vaveri inter Cassianum & Tricium; sed videns ipsum ab hostibus occupatum, ad expugnationem ejusdem suas acies hortabatur; & tunc fuit cum sagitta in pede lethaliter vulneratus. Quo valde turbatus, per Vadum fluminis suo cum exercitu pertransivit; sed viriles hostiles acies, irruentes contra ipsum suas acies conflixerunt, & ceperunt stigium Ecerinum ductum Sonzinum per Cremonenses, ubi paucis in diebus septuagenarius senex, qui ferme per annos triginta regnaverat, suum ad ejus patrem tradidit spiritum malignantem, ibique fuit vilissimè sepultus in loco non sacro sub porticu carcerali. Albericus autem de ejusdem parentibus progenitus, Stigi Ecerino simillimus in nequitia, immo ipso libidinosior, sentiens mortem fratris, suorum scelerum conscius, non confisus stare in Trivisio, cui crudelissimè dominabatur, fugit ad arcem Sancti Zenonis, in qua Ecerini Thesauri reconditi erant. Tunc Veneti juverunt proscriptos de Trivisio suam patriam reintrare. Deinde obsederunt Albericum in arce prædicta per menses IV. qui per suos Castrenses captus fuit cum uxore & VI. filiis, & aliquot filiabus, & primò trucidatis filiis & filiabus & uxore, & in sua præsentia jactis in ignem, ipse per frusta membratim laceratus fuit, avidis canibus in edulium distributus.

ALBER-

Digitized by Google

ALBERTINI MUSSATI
TRAGŒDIA (*)

Personæ Tragœdiæ:

ADHELEITA *Mater*. LUCAS *Frater*.
ECCERINUS) *Filii*. ANSEDISIUS.
ALBERICUS) COMMILITONES.
ZIRAMONS *Miles*. NUNCIUS.
CHORUS.

ACTUS PRIMUS.

SCENA UNICA.

Adheleita, *Eccerinus*, *Albericus*, *Chorus*.

Adhe. QUodnam cruentum sidus Arctoo potens
Regnavit Orbe, pestilens tantum mihi,
Gnati, nefando flebiles quum vos thoro
Genui? Patris jam detegam falsi dolos
Infausta Mater. Non diu tellus nefas
Latere patitur. Durat occultum nihil.
Audite nullo tempore negandum Genus,
Devota Proles. Arx in excelso sedet
Antiqua colle, longa Romanum vocat
Ætas; in altum porrigunt tectum trabes,
Premitque turrim contigua ad (a) Austrum domus
Venetorum, & omnis cladis aëriæ capax.
(b)Hoc accubans ipso Monachus olim loco
Parens eburno vester Eccerinus thoro est
Dormire visus, cujus ad lævum latus
Supina jacui. Jam (c) eloqui (d) factum pudet,
Pavet animus, advenit horror, & membra occupat.
Eccer. Effare Genitrix, (e) grande quodcumque & ferum est
Audire juvat. *Adhel*. Heu me nefandi criminis
(f) Stupenda qualitas! quasi ad vultum redit
Imago facti: frigore solutum cadit
Exangue corpus. *Eccer*. Erige labentem cito,
Albrice, Matrem: (g) illusit amentem timor.
Resperge faciem, syncopim lymphis (h) leva,
Facilè resurget. *Alberic*. Pristinas vires habet.
Eccer. Recolis. *Adhel*. Recolo Primogenite primum tui
(i) Natalis. *Eccer*. O mea Mater id pande ocyus.
Adhel. Quum prima noctis hora communis quies
Omni teneret ab opere abstractum genus,
(K) Et ecce ab imo terra mugitum (l) dedit,
Crepuisset ut centrum, & foret apertum Chaos;
Altumque versa resonuit Cœlum vice.
Faciem aëris sulphureus invasit vapor
Nubemque fecit. Tunc subitò fulgur domum
Lustravit ingens fulminis ad instar tono
Sequente, (m) oletum sparsa per thalamum tulit
Fumosa nubes. Occupor tunc, & premor,
Et ecce pudor, Adulterum ignotum ferens.
Eccer. Qualis is Adulter, Mater? *Adhel*. Haud Tauro minor.
Hirsuta aduncis cornibus cervix riget,
Setis coronant (n) hispidis illum jubæ,
Sanguinea binis orbibus manat lues;
Ignemque nares flatibus crebris vomunt.
Favilla patulis auribus surgens (o) salit
Ab ore spirans. Os quoque eructat levem
Flammam, perennis lambit & barbam focus.
Votis potitus talis ut Adulter suis
Implevit uterum Venere lethali meum;
Cum strage cessit victor è thalamo, petens
Telluris ima; cessit & tellus sibi.
Sed, heu, recepta pertinax nimium Venus
Incaluit intus, viscera exagitans statim,
Onusque sensit terribile venter tui,
Ec-

(*) *Manuscripti Codd. quatuor nobis in hac recensenda Tragœdia suppetias attulerunt, Venetus Anni* 1378. *Patavinus unus ex Musæo Perillustris, & Excellentissimi I. V. D. Antonii Mussati Anni* 1390. *Patavinus alter Reverendissimi Abbatis Albertini Barisoni. Patavinus Tertius V. Cl. & Eruditissimi Laurentii Pignorii An.* 1608. *sed ex non omnino malo exemplari chartaceo, quod Annorum CC. ætatem præseferre videbatur. V. Venetum. M. Patavinum I., Mussatorum. P. Patavinum II. Pign. Patavinum Pignorii III. repræsentant*; In hac verò editione eamdem Tragœdiam contulimus cum duobus MSStis Codicibus Bibliothecæ Ambrosianæ, primo Pergameno perantiquo, & altero Chartaceo tercentum circiter ab hinc annis conscripto, quos numero I. & II. signavimus.

(a) Ad haustum *in omnibus præterquam in Pig. Tom. X.*

(b) *In Pig.* Hoc ipso accumbens.
(c) *M.* Eloquii. *Pig.* Loqui.
(d) *V.* Fatum.
(e) *Pig.* Grande, & quodcumque f. e. *in M. desideratur* Est.
(f) *V.* Stupendaque en ad alterum redit, *fortè pro* ad alterius redit.
(g) *Idem.* Illuxit amente timor.
(h) *Fortè melius.* Lava.
(i) *Desideratur* Ortum, *sed omittitur, quia interrumpitur ab Eccerino.*
(K) *In Pig. deest.* Et.
(l) *V.* Redit.
(m) *M.* O letum. *Pig.* Oletum, qui odor est gravis. *Illata in Tragœdiam glossa.*
(n) *M.* Hispides.
(o) *V.* Fallit.

Digitized by Google

Eccerine, digna veraque propago patris. A
Testor (p) Supernum Numen adversum mihi,
Quos egi ab inde (q) gravida menses decem,
Lacrymæ fuere, angustiæ, gemitus, dolor:
Interna gessit bella visceribus furor.
Nec monstruoso Nate sinè partu venis.
Eccer. Qualis? *Adbel.* Necis prognosticus ventrem levas
Cruentus infans, fronte crudeli minax,
Terribile visu, atroxq; portentum indicans.
Tu care fili (r) Albrice, jam video, tuos
Attendis ortus (s) nosse. Si quicquam scio,
Tu quoque scies. Penitus dubia semper B
fui,
Quis te huic nefando corpori inservit Pater.
A tempore quidem, Nate, dicti criminis
Semper medullas ussit Ætnæus (t) vapor;
Viscera malignus ab inde torsit spiritus,
Nec nostra curis (u) corpora absolvit sopor.
Tunc me vigilia vana, seu somni quies
Incerta tenuit: vera ne prorsus negem.
(x) Haud falsa fatear, utitur eodem stupro
Adulter idem verus Eccerini Pater.
Eccer. Quid poscis ultra, Frater? An tanti pudet
Vesane patris? an negas Divum genus? C
Diis gignimur. Nec stirpe tanta Romulus,
Remusque quondam Marte tolluntur suo.
Hic major est latissimi regni Deus,
Rex ultionum, cujus imperio luunt
Pœnas Potentes, Principes, Reges, Duces.
Erimus paterno (y) judices digni foro
Si vendicemus operibus Regnum patris,
Cui bella, mortes, exitia, fraudes, doli,
Perditio & omnis Generis humani placent.
Sic fatus ima parte (z) recessit domus
Petens latebras, luce, & exclusa caput
Tellure pronum sternit in faciem cadens:
Tunditque solidam dentibus frendens D
humum,
Patremque sæva voce (a) Luciferum ciet.
Depulse (b) ab astris (c), mane jam lucens polis,
Pater superbe, triste qui Regnum tenes,
Chaos (d) profundum; cujus imperio luunt
Delicta Manes: excipe (e) ex imo specu
(f) Vulcane, dignas supplicis gnati preces.
Te certa & indubitata progenies vocat.
(g) Potiare me, experiare si quidquam (h) potest
(i) Insita voluntas pectori flagrans meo.
Paludis atræ lividam testor stygem,
Christum negavi semper exosum mihi, E
Odique semper nomen inimicum Crucis.
Adsint ministræ facinorum comites mihi.
Suadeat Alecto scelera, Tisiphone explicet,
Megera in actus sæva prorumpat truces,
Faveatque cœptis Diva Persephone meis,
Ingenia prædæ quisque sollicitus paret.
Nec Inferorum Spiritus quisquam vacet
Animos ad iras, ad odia, & invidias citent.
Ensis cruenti detur officium mihi.
Ipse executor finiam lites merus,
(K) Nullis tremiscet sceleribus fidens manus.
Annue Satan, & filium talem proba.

CHORUS.

QUis vos exagitat furor
O mortale hominum genus?
Quònam scandere pergitis?
Quò vos ambitio vehit?
Ne sitis cupidi nimis.
Quo discrimine quæritis.
Regni culmina lubrici?
Duros expetitis metus,
Mortis continuas minas.
Mors est mista Tyrannidi,
Non est Morte minor metus.
Ast hæc dicere quid valet?
Sic est, sic animus volat.
Tunc, quum grandia possidet,
Cor (l) majora recogitat,
Illis non penitus satur.
Vos in jurgia Nobiles
Atrox invidiæ scelus
(m) Ardens elicit, inficit.
Numquam quis patitur parem.
(n) O quàm multa (o) potentium
Nos, & scandala cordibus
Plebs vilissima jungimus!
Illos tollimus altiùs,
Hos deponimus infimos.
Leges, juraque condimus,
Post hæc condita scindimus.
Nobis retia tendimus,
Mortale auxilium damus,
Falsum præsidium sumus.
Hæc demum (p) jugulis luunt.
Nos secum miseri trahunt,
Nos secum cadimus, cadunt.
Sic semper Rota volvitur,
Durat perpetuum nihil.
En cur Marchia nobilis
Hæc (q) Tarvisina sic fremit?
Signis undique classicis
Clamor bellicus obstrepit,
Exardet furor excitus,
Gentes (r) è requie trahit;
Cives (s) otia deserunt;
Dirum Pax peperit nefas.

Bullit

(p) *M.* Supremum.
(q) *V.* tunc gravida.
(r) *M.* Tu c. Altrice fili.
(s) *V.* Noscere.
(t) *V. & Ambros. omnes.* Calor.
(u) *Fidem*, Pectora.
(x) *M.* Aut.
(y) *Pig.* Vindices
(z) *V. & Ambros.* Secessit.
(a) *M. & Ambros. omnes.* Lethiferum.
(b) *V. Ambros. I. abstractis.* Ab stratis.
(c) *M.* Inane. *Locum totum sic corrigerem.* Depulse ab altis Mane i. l. p. Mane lucens. *Unde* Lucifer dictus *Vel.* Ab astris Poli.
(d) *Pig.* Profundi.
(e) *V.* Et imo.
(f) *Idem.* Vel cane. *Vulcanus hic pro Plutone.*
(g) *Pig.* Patiare me.
(h) *Idem.* Possum.
(i) *Desiderantur in M.* Insita voluntas, *& quæ sequuntur usque* Faveatque.
(K) *M.* Nullus t. s. scindens manus.
(l) Majori.
(m) *Idem.* Ardet, allicit, &c.
(n) *Idem.* Postquam multa.
(o) *Pig.* Potentum.
(p) *Ambros.* Hoc demum juguli luunt.
(q) *Idem.* Tarvisia.
(r) *Idem*, & requie. *Mel. A.*
(s) *Idem*, & otia.

Digitized by Google

Bullit ſanguinis (t) impetus,
Et certamina poſtulat.
Partes crimina detegunt,
Ferrum (u) poſcitur Urbibus,
Turbat Juſtitiæ forum.
Verona vênit anxius,

ACTUS SECUNDUS.

SCENA UNICA.

Nuncius, Chorus.

Nunc. EXcelſe Mundi Rector Omnipotens Deus,
Altos abhinc tu forſitan Cœlos colis
Noſtro remotos æthere, & Marti ſinis
Soli regendas climatis noſtri plagas.
O dira Nobilium odia! O Populi furor!
Finis petitus litibus (x) veſtris adeſt;
Adeſt Tyrannus, (y) veſtra quem rabies dedit.
Nefanda vidi. *Chorus*. Pande, (z) quæ ſeries habet.
Flatu remiſſo, ſiſte, (a) dum ceſſet frequens
Anhelitus. *Nuncius*. Dicam aliquid ex geſtis priùs,
Dedere quæ præſentibus cauſas malis.
(b) O ſemper hujus Marchiæ clades vetus
Verona, limen hoſtium, & bellis iter,
Sedes Tyranni, ſive ſit terræ ſitus
Belli capacis, ſive tale hominum genus
Natura ab ipſa (c) tale producat ſolum.
Intrinſeca odia Civium peperit neſas
In Marchia tunc, quum regimen Urbis gerens
Eſtenſis Azo Marchio ejectus fuit
Favore falſo fulta. Non notus ſagax
Eccerinus erat, in ambitum flagrans ſuum.
Hic cœpta lis, hìc Marchiæ exitium fuit.
Nam pulſus inde Marchio juſta furens
Exarſit ira, cujus in partem Comes
Bonifacius hærens junxit ultrices manus.
Braida cruentæ ſuſtulit cædis neſas,
Litem diremit ſanguine effuſo priùs
Campeſtre bellum, fuſus & campis cruor.
Dedere victi terga Monticuli fugæ
Turpi receſſu, ſcelere ſeducti ſuo,
Quos Arce tuta ſuſtulit Gardæ lacus.
(d) Non ullus inde litibus finis fuit.
Fortuna varios partibus caſus dedit.
(e) Exertus hinc Eccerinus, & vires agens
In jurgia Salinguerra Monticulis faven.
Exinde Comes, & Marchio juncti ſimul
(f) Traxere ſæva ad bella populorum manus
Facilè paratas. O labans hominum genus,
Vulgus & ad omne facinus in clades ruens
Voces ſecutum, & negligens facti fidem!
Chor. Procede. Redeas unde cœpiſti priùs.
Sermone cur nos anxios dudum tenes?
Quæ nova? *Nunc.* Nova audietis, & finem ſtatim.
Jam jam peregi exordia, & (g) cauſas citò
Sævæ tyrannidis. Ita ut ancipites (h) vices,
Facilèque verti Marchiæ vidit ſtatum,
Tunc fovit odia Eccerinus exacuens dolo
Partes amicas, litis & cauſas movet,
Sedatque motas arbiter dirus latens.
Sic ſic repentè (i) major augmentat ſtatum,
Sicque eminentes clanculum calcat viros,
Dum reſtas ipſe, magna qui (K) ſolus poteſt.
Quidnam revolvo? Taliter ſerpens fera
Subiit Tyrannus, ſicque Veronam jugo
Dolis, & aſtu traxit Eccerinus ſuo.
Quid plura? Cœpti colligo formam novi.
Everſa terra nobilis pretio jacet
Parens Tyranno Padua: jam ſceptrum tenet,
Agens ſuperbas dirus Imperii vices
Eccerinus. Ah quot exitia populis minax
Promittit! (l) atros carceres, ignes, cruces,
Tormenta, mortes, exilia, diras (m) fames.
(n) Sed ò maleficis digna promittens Deus!
Supplicia meriti Nobiles primi luunt,
Qui vendidere, ſcelera jam expendunt ſua.

CHORUS.

CHriſte, qui Cœlis reſides in altis
Patris à dextris ſolio ſedentis,
Totus an ſummi illecebris Olympi,
Gaudiis tantùm frueris ſupernis:
Negligis quidquid geritur ſub Aſtris?
Non tuas affert fremitus ad aures
Rumor humani generis? per auras
Sanguis Abel ad Dominum querelas
(o) Pertulit fratrem perhibens cruentum.
Fœda Gomorræ, Sodomæque (p) lues
Imbre divinam ſatiavit iram.
Cur modò non ſic Moderator æqui
Cernis errores hominum modernos?
Præpotens noſtro dominatur ævo
Sæva Tyrannis,
Nulla quam Mundo memoravit ætas.
Biſtonis cedit ſtabuli vetuſtas,
Nota ſeu torvi rabies Procuſtis,
Cedit & pravi feritas Neronis.
Carceres edunt tenebris opacis
Morte (q) vivacis gemitus jacentum.
(r) Mors famis vinctis, ſitis & neſandæ
Donat extremum miſeranda (ſ) finem
Sæpe petitum.
Plebe cum tota (t) Populus ſubegit
Colla, devoti veluti Juvenci
Victimis ſacras (u) veniunt ad aras.
Invenit cauſas Dominus patrandæ
Cædis in Cives ſceleratus omnes.
Pervigil ſemper timet, & timetur:
Jura naturæ vitiis laborant:
(x) Exulat noſtris Pietas ab oris:
Regnat Erynnis.

Fra-

(t) *P.* In Pectus.
(u) *num* paſcitur?
(x) *V. & Ambroſ. II.* Noſtris.
(y) *Infra* Noſtra.
(z) *M.* Quid. *Pig.* Quod.
(a) *In V.* Poſt ſiſte, *loquitur Nuncius, & iterum poſt* Anhelitus.
(b) *In eod. Deeſt.* O.
(c) *Ibid. & in Ambroſ. I.* Procreet penitus ſolum.
(d) *Suſpicor. Leg.* Nonnullas.
(e) *M.* Extractus. *P.* Exortus.
(f) *Idem.* Traxere ad ſcæva bella.
(g) *Pig.* Cauſam.
(h) *V.* Vires, *ut ſit Scazon.*
(i) *In V. & Ambroſ. I. Pig.* Ut major.
(K) *M.* Solum.
(l) *V.* Atrox.
(m) *M.* Strages.
(n) *Pig.* Sed ò. m. d. p. Deus ſupplicia? m. n. prima luunt.
(o) *Al.* Percuſſit.
(p) *V. & Ambroſiani* Labes.
(q) *V.* Minaci.
(r) *M.* Mors, fames juncta, ſitis, & neſanda, Donec extremum.
(ſ) *Idem, & Pig.* Diem.
(t) *M.* Populos.
(u) *Idem.* Vehimur. *Pig.* Ducimur.
(x) *In Pig. Malè locatum hoc carmen poſt* Regnat Erynnis.

Digitized by Google

Frater ut sævo placeat Tyranno,
Fratris incumbit jugulo cruentus.
Proh dolor! Patrem(y)rogitat cremandum
Natus, ardentes subicitque flammas.
Ille tantorum scelerum superstes
Aspirans sævas Eccerinus iras,
Prolis ut semen pereat futuræ,
Censet infantum genital recidi,
Feminas sectis ululare mammis.
Stratus in cunis Chorus innocentum
Luget indocto mutilatus ore:
Lumen in cœcis tenebris requirit
Lumine cassus.
Quid Deus tantos pateris furores,
Quos soles & non jacularis ignes?
Terra cur non sub pedibus dehiscit?
Hic ut infernas subeat tenebras
Anguis humani generis peremtor,
Te Patrem Cœli populus redemtus
Invocat supplex iterum relapsus.

ACTUS TERTIUS.

SCENA PRIMA.

Eccerinus, *Albericus Fratres*.

Eccer. MAtris (z) relatu, vera quem (a) prodit fides,
Ditis cruenti semine egressi sumus,
Hoc digni Patre, tale nos (b) decuit genus,
Sic fata forsan expetunt, quæ non Deus
Prohibere curans, esse sic ultro sinit.
Nam quisque liber arbiter in actus suos.
Delicta poscunt (c) Gentium ultrices manus.
Ergo ministri scismatis Mundo dati.
Quid plus? Inanes du imus frustra moras;
Capiamus Urbes undique, & latè loca.
Verona, Vicentia, Padua nutui meo
Jam subjacent. progrediar ulteriùs citò.
Promissa Lombardia me Dominum vocat.
Habere puto. Meos nec ibi sistam gradus.
Italia mihi debetur. Haud equidem satis
(d) Est illa, ad Ortus signa referantur mea,
Meus unde cecidit Lucifer quondam Pater,
Ubi vindicabo forsitan Cœlum (e) potens.
Numquam Typhœus, aut Enceladus olim Jovi
Tantum intulere prœlium, aut ullus Gigas.
Convertam ad Austrum signa, quà medius dies
Flagrat tepenti sidere.
Alber. Infernus annuat Pater. *Eccer.* Properè annuet.
Et tu quid audes Frater? *Alber.* Edissero statim.
Tarvisium tyrannidi paret meæ,
Feltro subacto ad Julii pergam Forum,
Subigamque totas Arctici Gentes Poli.
Hoc quoque parum est. Non desinam. Restat mihi
Vincenda triplex Gallia, & serò videns
Pars Occidentis usque quò Oceanus diem
Absorbet. *Eccer.* O mi frater, ò Magno sate
Plutone, tantis ausibus vires ferat,
Tellure rupta, spiritus nocuos Pater
Nobis faventes commodet, functi quibus
Corpora trahamus, & animas Orco simul.
Eccer. I dire Frater, infimi proles Dei,
Et bella mecum pace sublata move
Sub fraudis astu; finge te iratum mihi.
Dolosa species hæc ad interitum trahet
Hinc inde multos transfugas; absit Fides,
Pietasque nostris actibus semper procul.

SCENA SECUNDA.

Eccerinus, *Ziramons*, *Frater Lucas*.

Eccer. ZIramons? *Zir.* Domine. *Eccer.* Dic age? quid est? properè indica.
Jacet Monaldi corpore abscissum caput
Nullo tuente? *Zir.* Publico squallet foro
Putata cervix, nullus & cæsum movet.
Eccer. Quidquam rebelle (f) constat? *Zir.* Omnino nihil.
Eccer. (g) Hem vicimus, jamque omne fas licet, & nefas,
Ferro tuenda Civitas nostro vacat.
Cum plebe pereat omne Nobilium genus.
Non sexus, ætas, ordo, non ullus gradus
A cæde nostra liber, aut expers eat.
Vagetur ensis undique, & largus cruor
Abundet atra tabe profusus foro.
Hinc inde patulæ corpora ostentent Cruce,
Subdantur ignes, illa qui flammis crement,
(h) Stilletque sanies fumus ad summos polos,
A me litatas victimas tales (i) ferat.
F.Luc. Inclyte Eccerine, parce, da fandi locum,
Annue parumper, obsecro, ut tutus loquar.
Eccer. (K) Contexe. *F. Lucas*. Mira res. Quid est, quod te movet
O Homo? Homo es, (l) nec est, ut hoc unum neges.
Mortalis ergo. Nam omne, quod oritur, occidit.
Servare seriem cuncta, si pensas, vides.
Terra, Mare, Cœlum, & illa, quæ substant eis,
Gerunt statutas legibus certis vices.
Quæ pallet hyeme, tempore æstatis viret,
Certasque certis mensibus fruges alit
Tellus. Procellis æstuat vastis Mare,
Turbine remisso quod patitur ultro rates.
Cœlum intueris orbibus motum suis.
(m) Stabiles perennis sustinet cardo polos,
Disposita sidera peragunt cursus vagos
Sub lege certa. *Eccer.* Sed quis (n) hæc præpotens movet?
F.Luc. Excelsus horum motor omnipotens Deus.
Hic æquus æqua lance dispensat sua,
Quæ fecit opera: dictus hic ordo sacer
Justitia, justus hanc coli voluit Deus
A se creatis omnibus Mortalibus.
Hos esse tales edocent primò insitæ
Natura ab ipsa Caritas, Spes, & Fides.
Has

(y) *M.* Cogitat.
(z) *M.* Patris.
(a) *V.* Prodiit.
(b) *Idem.* Docuit.
(c) *Pig.* Gentibus.
(d) *V. & Ambrosiani* Nec.
(e) *Pig.* Patris.
(f) *Fort.* relat.
(g) *M.* Hem me unum.
(h) *Pig.* Stilletque sanie fumus.
(i) *Intellige.* Pater.
(K) *Sic. Pig. In M.* Contrahesse. *In V.* Concexe, *sed mel.* Concede. *Eccer.* Mira res. Quid est, quod te movet O Homo? *F. Lucas*. Homo es &c.
(l) *In Pig.* Nec hoc unum. n.
(m) *M.* Stabilis perenneis.
(n) *V.* Hoc.

Digitized by Google

Has (o), crede, quisque pectori innatas habet,
Traducat error (p) devium quemque licet.
(q) Cor verte, quæso, igitur ad has species boni,
Ut Caritas (r) pia proximo parcat tuo,
Speresque gratiam Misericordis Dei,
Quę consequi omnia sancta te faciet Fides.
Eccer. Videtne excelsus ista, quæ facio, Deus?
F.Luc. Videt. *Eccer.* Retundet ipse, cùm prorsus volet?
F.Luc. Quidni retundet? *Eccer.* Ergo quid segnis facit?
F.Luc. Expectat humilis pertinax cedat furor,
Et ipse retrahas cædibus tantis manum.
Eccer. Unius igitur interit multos salus.
Quid hic Deus, cui carior multis fui?
F.Luc. Eccerine, crede, carior Saulus fuit,
Peccare postquam desiit, Mitis Deus
Redemtor animas ipse venatur suas
Errore falso devias, Pastor bonus.
Errore lapsos (f) adjuvans vitam suis
Ad abluenda crimina elongat pius.
Eccer. Me credo Mundo, scelera ut ulciscar, datum.
Illo jubente (t). Plurimas quondam dedit
Vindex iniquis Gentibus clades Deus,
(u) Certaque meritis debita exitia suis.
Diluvia, Culices, Grandines, Ignes (x), Famem.
Ne mentiar Scriptura testatur vetus.
Dedit & Tyrannos Urbibus, licuit quibus
Sinè ordine, sinè fine strictis ensibus
Sævire largo sanguine in Gentes (y) vage.
Nabucodonosor, Ægyptius Pharao, Saul,
Proles Philippi (z) generosa Macedonis.
Hi pervetustæ memoriæ (a) nostræ quoque
Prælata Mundo Cæsarum egregia domus,
Felicis unde memoriæ exortus Nero.
Polluere cædibus quot ii Mundum suis?
Quantis cruoribus rubuit altum mare
Illis jubentibus? nec inspector Deus
Prohibere voluit, esse sic ultro sinens.

SCENA TERTIA.

Nuncius, Eccerinus.

Nunc. AUdi negandum, teste nisi certo, novum.
En ipse vidi, parce, dum verum loquor.
Eccerì. Evellò nugas, vane jactator tuas.
Nunc. Progressa Venetis exulum fervens aquis
Invasit agros magna Patavorum cohors,
Ferrariensiumque quot plenæ rates
Deferre poterant, totus & Venetus favor
Cruce prævia, Papæque Legato duce
Districtualium subitò victis locis
Venere ad Urbem, currit ad pontem pedes,
Subjectus altas incremat portas focus
Undante fumo. Desuper nullus stetit,
Omnisque cessit victa Custodum manus.
Capta Padua est, & exules illam tenent.
Eccerì. Abscede mendax serve, (b) mutilatus pede
Præmium relatu tolle condignum tuo.

SCENA QUARTA.

Nuncius, Eccerinus, Ansedisius, Commilitones.

Nunc. ASt Ansedisius ecce venit hàc. *Eccerì.* Hem? quid est?
Anse. Amissa Paduæ Civitas. Hostes habent.
Eccerì. Amissa vi? *Anse.* Vi amissa. *Eccerì.* Qua vi? *Anse.* Ferro, fuga,
Et ignibus, vinci quibus & Urbes solent.
Eccerì. At te superstite, sola quem facies notat
Illæsa noxium sceleris index tui?
Secede, cui non pœna sufficiat necis.
Commilitones, (c) nostra quid virtu petit?
Animos viriles casus infestus probat.
Comm. Magnanime Princeps, tolle consilium tuis
Salubre votis. Subitò Paduanos cape,
Verona vinctos teneat, & carcer tuus;
Mortes minare (d) rigidus, & Paduam celer
Accede, muros milites cingant tui.
Invade trepidos, tolle pendentes moras.
Terror suorum, noster & magnus vigor
Sternet rebelles. Victor optatum feres:
Fortuna vires ausibus nostris dabit.

CHORUS.

O Fallax hominum præmeditatio
Eventus dubii, sortis & inscia
Venturæ. Instabiles nam variat vices
Motus perpetuæ continuus rotæ.
En atrox Eccerinus citus advolat.
Assuetam Paduam colla jugo dare
Infestam reperit, jussaque spernere
Vallatam aspiciens agmine circuit,
Ad ripas acies fluminis admovet.
Stat contra series ordine militum
Inspectans oculis (e) ora Tyrannica,
(f) Convitiatur, arguit, vituperat,
Infandas rabies ausibus exprobrat.
Postquam nulla virum spes Paduæ (g) manet,
Retro vertit equum, castraque submovet,
Veronam redit iram exacuens suam,
Ad cædes properat concitus impias,
Captivos Patavos innocuos, fame,
Cœcis carceribus conficit, & siti,
Et vitas adimit millibus undecim.
(h) Nullis plaustra vehunt agnita corpora,
Non natum genetrix, non mulier virum,
Agnovere suos, certave funera;
Communes lacrymæ desuper omnibus.
Desunt prædia tot busta recondere.
Corrumpit sanies æthera desuper.
Spectator queritur judicii parùm,
Dum restat, Patavûm quod reparet genus.

ACTUS

(o) *Idem*. Certè.
(p) *Idem*. Devius.
(q) *M. & Pig.* Converte.
(r) *M.* Pio prox. p. suo *Alii* Pro pria. *Alii* Prima *pro* Prima.
(f) *M.* Adjuvat.
(t) *Idem*. Prælians.
(u) *V. & P.* Terraque.
(x) *V. & Ambrosiani* Fames.
(y) *Al.* Vagas.
(z) *V. & Ambrosiani* Gloriosa.
(a) *Pig.* Nostro.
(b) *M.* Mutiletur. *Pig.* Mulctatus.
(c) *M.* Vestra.
(d) *Apud Cortusium Cap. IV. ubi hæc eadem carmina afferuntur*. Rigidas.
(e) *M.* Jura.
(f) *Carmen hoc extat in uno Cod. Pig.*
(g) *V.* Movet.
(h) *Sic in Pig. in aliis omnibus*. Nulla.

Digitized by Google

ACTUS QUARTUS.

SCENA PRIMA.

Eccerinus solus.

ADversa vires fortibus præbet viris
Fortuna, viles opprimit, pugnat vigor
Adversùs ejus impetum. Restat suo
Vincenda Padua tempore. Abscidite retro.
Lombardi (i) signis appetit subdi meis
Gens (K) tota ab infra Gallicis degens jugis.

SCENA SECUNDA.

Nuncius, Chorus.

Nunc. HUc huc venite quisquis optatum velit
Finem malorum scire, & (l) summo datam
Cœlo quietem: Thure placetis Deum
Juvenes, Senes, Viduæ: colite festum diem.
In (m) vos ab alto justus respexit Deus.
Chor. Tanta ergo nova (n) jam breviter expedias bone.
Nunc. Jam jam occupata Brixia Eccerinus ferox
Favore Cremonensium, rupta fide,
(o) Exclusit illos. Pallavicino (p) quoque
Jam dudum amico mortis insidias tulit.
Spe (q) ductus alta deinde (r) Nobilium celer
Movit iter, & fraude Mediolanum petit.
Sed spe Tyrannus ipse delusus sua
In se paratas hostium sensit manus,
Sensit Cremonæ, Mantuæ, Ferrariæ,
Unaque Bossi, & Pallavicini fides
In ejus omnem sponte juratas necem.
Collata ad Aduæ signa fixerunt vadum,
A quo reverti constat Eccerinum loco.
Nec segnis alia parte Martinus gradum
Distulit, & armis plebe stipatus sua
(A Turris alto sanguine educens genus
Martinus audax) egit ancipitem retro
Senem Tyrannum, dumque convertens iter
Ad flumen Aduam signa, quæ ad pontem, videt
Infesta, quid agat anxius dudum stetit.
Chor. Quid ille tantis viribus septus (f) facit?
Quis vultus, aut actus? *Nunc.* Facit, ut alvo lupus
Pleno repulsus, dentibus frendens, Canes
Qui cùm latrantes conspicit, multam ferox
Ex ore spumam mittit, & orbes rotat.
Chor. Progredere & ultra. *Nunc.* Hinc inde seclusus furens
Miscere in hostes impares horret manus.
Pons occupatus transitum prorsus negat
Hinc inde, & hostes parte conflictum parant
(t) Utrâque, dignis concitant illum probris.
Tragula sinistrum missa trajecit pedem
Cunctantis, à qua parte nitatur fugæ.
Commilitones expetit nomen loci.
Comm. Hic Adua fluvius, hincq; Cassani vadum.
Ecceri. (u) Heu Cassam, Assam, Bassam! Hic lethum mihi
(x) Fatale dixti mater, hìc finem fore.
Nunc. (y) Quis fata revocet sensibus fidens suis?
Tunc concitatum calcaribus urgens equum
Viam per undas aperit, & ripam occupat,
Inde inchoatum ceteris pandens iter.
Tunc ordo militum impiger contra stetit,
Cœdit ruentes, tergaque dantes viros
Illum sequentes. Capitur Eccerinus statim
Frustra resistens: unus allidit caput
Fracto cerebro, quisquis is, dubio vacat.
Abductus inde spernit oblatas dapes,
Curas salutis, atque vitales cibos,
Acerque moritur fronte crudeli minax,
Et Patris umbras sponte Tartareas subit.
Positum Cadaver tumba (z) Sucini tenet.

CHORUS.

VOta solvamus pariter datori
Digna tantorum Juvenes bonorum.
Vos Senes, vos & trepidæ Puellæ
Solvite vota.
Venit à summo pietas Olympo,
Quæ malis finem posuit patratis.
Occidit sævi rabies Tyranni,
Paxque (a) revixit.
Pace nunc omnes pariter fruamur,
Omnis & tutus revocetur Exul.
Ad lares possit proprios reverti
Pace potitus.
Supplices renes feriant habenis,
Ictibus crebris domitent reatus,
Annuat votis Deus ut (b) petitis
Virgine natus.

ACTUS QUINTUS.

SCENA UNICA.

Nuncius, Chorus.

Nunc. A Parte nulla tutus Albricus sui
Jam derelictis rebus, ut fuerat parum
(c) Credendus ulli, & creditus nullis fuit.
Zenonis arcem profugus in tutam fugit
Consorte sociaque, & sobolis omnis grege.
Posuere castra circiter Montem secus
Urbs ultiones expetens dignas triplex
Tarvisium, Vicentia, Padua. Paribus
Adiere votis altus Azo Marchio,
Reliquiq; secum Marchiæ illustres Viri.
At spes ut illi nulla præsidii fuit,
Ser-

(i) *Corrige* Lombarda *ex Codd. Ambros.*
(K) Tuta.
(l) Versum supplebis, si leges è summo *cum Codd. Ambr.*
(m) *Pig.* Nos.
(n) *In eod.* deest Jam *&* Bona *pro* Bone *lyeve est.*
(o) *M.* Eduxit.
(p) *Ambr. omnes* Pellavicino semper.
(q) *Ibid.* raptus.
(r) *Ambr. II.* demens *pro* deinde.
(f) *Pig.* fecit.
(t) *V.* Uterque.
(u) *Et Ambr. omnes. M.* Heu Casan, Basan, Asan, hoc lethu mihi.
(x) Fatale dixit mater.
(y) *In V. Pro* Nuncio, Auctor *loquitur, & profert hoc carmen, & Nuncius subdit.* Tunc concitatum.
In P. & Ambr.I. desideratur carmen Quis &c.
(z) *V.* Suncini.
(a) *Idem.* Revisit.
(b) *P.* Petitus.
(c) *M.* Credendum vili, & creditus unus fuit.
In V. desideratur. Ulli.

Digitized by Google

Serperet & intro seditio, & urgens fames,
Mortisque metus instans, capitur ultro locus.
O fulmini par hostis irati furor!
Irrumpit agmen tecta sublimis domus.
(d) Hic rapti ab ubere matris Infantis pedes
Carpit tenellum robori allidens caput
Fuso cerebro: sparsus inscribit cruor
Genitricis ora. Eccerinus occurrit novus
Gladium tenenti, quem puer Patruum vocat
Triennis. Ille, Patruus edocuit tuus
Tradere Nepotibus simile manus suis,
Ait, & patentes gutturis venas secat.
(e) Utque patulo immane populis constet scelus,
Affigit hastæ squallidum longæ caput.
Corrugat ora repens (f) vigor, & orbes rotat,
Manum ferentis sanguinis replet lues:
Aliusque tremulum dentibus mandit jecur.
Hæc masculinæ prolis Albrici horrida,
Sic dira, & atrox triplicis clades fuit.
Utque Arce summa Albricus in populi manus
Venit, paranti falsa jam Vulgo loqui
Ponitur apertæ subditum frenum gulæ
Ducto, ut suorum vivus inspectet neces.
Et ecce thalamo rapta de summo, feris
Abstracta turbis Uxor Albrici vênit
Cœlo refusis lumina intendens comis.
Strictus (g) revinctas funis arcebat manus
Ab inde quinque Virgines tractæ simul
Ante ora Patrum crinibus fusis erant,
Devota proles ignibus. Circumstetit
Hos Vulgus (h) omnes exprobrans actus truces.
Ut ad cubilo belluis pressis stetit
Circum rapaces turba venatrix lupos,
Patrata memorans damna, & adducens canes,
A cæde gratas sponte subducens moras.
Chor. Procede, nobis pande supplicii modos.
Nunc. Ardebat alta roboris magni strues;
Odore piceo subditæ exundant faces,
Pinguisque stipites alit (i) olivi liquor,
Atramque nubem fumus ad Cœlum (K) facit.
Fulgur superni murmurat ad instar toni,
Dabantque gemitus antra, ne quisquam neget
Intro subesse Numen Inferni Jovis,
Erant caminis ora, quæ flammas vomunt.
O misera sors parentibus spectabilis!
Ordo innocentum ponitur in igne prius.
Incendit urens ut puellares sinus,
Tetigitque flavas ardor infestus comas,
Retro resiliunt casa quærentes Patrum
Præsidia; (l) innocuis hi sed amplexus negant.
Ut vana spes per ambitus illas vagè
Egit furentes, subitò violentas manus
Injecit ardens lictor, & Matrem trahens.
Unà (m) Parentem subdit, & Gnatas (n) rogo
Chor. Quo Filiarum, & Conjugis vultu necem
Albricus, etsi non loqui poterat, tulit?
Nunc. Volvebat atrox, (o) veluti alludens, caput,
Ut parvipendat nutibus pandens suis.
Chor. Quis finis ejus, fare, supremus fuit?
Nunc. (p) Tum plura stantem tela certatim virum
Petiere (p), pressit unus in dextrum latus
Gladium, sinistra parte qui fixus patet.
Per utrumque vulnus largus effluxit cruor.
(q) Effulminat spatulis alius ense tenus,
Cervice cæsa murmurat labens caput.
Stetitque titubans truncus ad casum diu,
Donec minutim membra dispersit frequens
Vulgus per avidos illa distribuens Canes.

CHORUS.

HÆc perpetuo durat in ævo
Regula Juris. Fidite Justi.
Nec, si quando forsitan ullum
Quemquam nocuum Fors extollat,
Regula fallit. Consors operum
Meritum sequitur quisque suorum.
Stat judicii conscius æqui
Judex rigidus, Judex placidus,
Donat justos, damnat iniquos.
Haud hic stabilis desinit Ordo.
Petit illecebras Virtus supernas,
Crimen tenebras expetit imas.
Dum licet ergo, moniti stabilem
Discite legem.

(d) *Pig.* Hinc.
(e) *V. & Ambrosiani.* Ut.
(f) *M. & Ambr. II.* Rigor.
(g) *V.* Renitas.
(h) *Idem & Ambros. I.* Omnis. *Alii.* Omne.
(i) *V. & Ambros. I.* Olivæ.
(K) *Mel.* Jacit.
(l) *V. & M.* Nocuis his.
(m) *Sic M. & Ambr. II. & sanè meliùs, quàm in V.* Parenti.
(n) *Pig.* Foco.
(o) *V.* Sicuti.
(p) *Pig. Tunc. Desiderantur hæc in Pig. usque* Sinistra.
(q) *M. & P. & Ambrosiani.* Efluminat spatulas alius ensem tenus. *Pro* Ensem tenens.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

CHRONICON
SICILIÆ
AUCTORE ANONYMO

CONSCRIPTUM

Ab Anno circiter DCCCXX. usque ad Ann. MCCCXXVIII.

ANTEA EDITUM

IN THESAURO ANECDOTORUM

A RR. PP.

D. EDMUNDO MARTENE,

ET

D. URSINO DURAND

MONACHIS BENEDICTINIS

E CONGREGATIONE S. MAURI.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN CHRONICON SICILIAE

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

CHronicon hoc ante paucos annos, videlicet Anno 1717. primi ediderunt Parisiis Clarissimi Monachi Benedictini e Congregatione S. Mauri Martene, & Durand, Tom. III. pag. V. Thesauri novi Anecdotorum. Eorum Praefationem infra consulere Lector poterit. Lubentissime vero Historiam hanc nostrae Collectioni adjeci, tum quod rarissima adhuc ea sit apud Italos, tum etiam quod illius Auctor multa congesserit rerum monumenta, quae alibi frustra perquiras. Exorsus est ille narrationem suam ab occupatione Siciliae per Maniachium tentata circiter Annum Christi 820. quod fabulosum est. Ea de re legendi Johannes Curopalata & Cedrenus Graeci Scriptores, Guillielmus Apulus, &, ut alios omittam, Thomas Fazellus Lib. VI. Dec. poster. de Rebus Siculis. Historiam suam Anonymus noster deducit ad Annum usque 1328. non enim intelligo, cur Clarissimi Editores scribant, eam continuatam *usque ad obitum Guillielmi Ducis, Friderici II. Regis Siciliae filii, qui circa Annum* 1340. *contigit*. Eo usque fortasse progressus Auctor fuit in reliquis Capitulis deperditis; verum quae supersunt, minime Annum 1328 ultragrediuntur. Unum autem Lectores heic animadvertant velim. In *Pleniori Expositione* Juris Caesar. ac Estensis in Civitatem Comaclensem, quae Anno 1712. evulgata fuit, Cap. XXIII. pag 183. memoraveram ego Testamentum nondum editum Friderici II. Augusti, atque ex eo decerpseram haec verba: *Item statuimus, ut sacrosanctae Romanae Ecclesiae Matri nostrae Restituantur omnia jura sua, Salvo in omnibus & per omnia Jure & Honore Imperii, heredum nostrorum, & aliorum nostrorum Fidelium; & ipsa Restituat Jura Imperii*. Siculae hujus Historiae Auctor ipsum Friderici II. Testamentum, atque iisdem verbis, quae ego retuli, nobis servavit, quod cum editum fuerit paucis annis post Operis mei editionem, ut videre est Cap. XXIV. Chronici praesentis, bene mihi id cessisse arbitror, ut controversia omnis absolveretur, quam contra idem excitaverat Placentinus scriptor, qui anno 1721. Pontificia jura in Placentiam ac Parmam, edita Dissertatione Historico-Politica, tutari conatus est. Plura non addo, cum de hac re nonnulla jam praefatus fuerim ante Chronicon F. Francisci Pipini editum Tomo superiore; ad quod Lectorem remitto.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN CHRONICON SICILIÆ

ADMONITIO PRÆVIA

D. EDMUNDI MARTENE,

E T

D. URSINI DURAND

MONACHORUM BENEDICT.

E CONGREGATIONE S. MAURI.

CUm raros admodum habeamus, qui de rebus Siculis scripserint, antiquos Auctores; hi sanè de Republica literaria quàm bene mereri censendi sunt, qui vetustiora Regni illius monumenta è tenebris eruta in lucem emittunt. Quapropter nemo satis laudare potest diligentiam eruditi Viri Stephani Baluzii, qui in Appendice Libri, cui titulus est Marca Hispanica, Nicolai specialis Libros VIII. rerum Sicularum ab Anno scilicet Christi MCCLXXXII usque ad Annum MCCCXXXVII. edidit: quod quidem opus ex Bisuntino S. Vincentii Monasterii Codice descriptum editioni paratum habebamus, nisi ille nos prævenisset; deinde in Miscellaneorum Tomo VI. Sallæ Malæ-Spinæ Decani Melitensis, & Domini Papæ Scriptoris Libros VI. rerum item Sicularum ab Anno MCCL. ad Annum MCCLXXVI. publici juris fecit. Quibus etiam præmisit brevem Historiam liberationis Messanæ à Sarracenorum dominatu per Comitem Rogerium Normannum à Messanensibus vocatum factæ.

Nec minùs gratum quoque viris literatis speramus futurum sequens Chronicon Siciliæ, quod nobis suppeditavit locupletissima Bibliotheca Illustrissimi Præsulis Joachimi de Colbert Episcopi Magalonensis, qui pro innata sibi humanitate Codicem, in quo continebatur Auctoris ætate descriptum, nobis sponte transmisit. Complectitur autem accuratam Regni Siciliæ Historiam ab acquisitione ipsius Insulæ per Græcos usque ad obitum Guillelmi Ducis Friderici II. Regis Siciliæ filii, qui circa Annum MCCCXL. contigit. Auctoris nomen Codex manuscriptus, quo usi sumus, non præferebat, quod ad operis calcem reperire potuissemus, nisi manus otiosa ultima nobis folia invidisset, in quibus plerumque Auctoris nomen consignari solet. Sed quicumque ille sit, optimum sanè condidit opus, stylo quidem simplici, sed veraci scriptum: tot enim continet acta, seu literas Imperatorum, Regum, aut Summorum Pontificum, quibus præsertim Historiæ veritas innititur, ut vix ulla sit in toto opere pagina, in qua hujusmodi monumenta non occurrant. Utinam tam egregium opus amanuensis imperitus infinitis mendis non deturpasset! Multa quidem facili negotio emendavimus, sed plura etiam corrigere nobis religio fuit, ne fortè, quod multis aliquando contigit, scriptoris errata corrigendo, in graviora & ab Auctoris mente prorsus aliena incideremus. Illa ergo intacta lectorum judicio, & emendationi relinquere, & permittere maluimus. Ceterùm ad ampliorem illustrationem eorum, quæ hoc in Chronico referuntur, maximè de Carolo I. Rege Siciliæ, ex membrana Ecclesiæ Albiensis subjecimus instrumentum publicum de condicto singulari certamine inter eundem Carolum Jerusalem, & Siciliæ, & Petrum Aragonum Reges, licèt jam editum existat in Appendice Marcæ Hispanicæ.

Digitized by Google

Digitized by Google

INCIPIT CHRONICA SICILIÆ.

I. PRoœmium.
II. De acquisitione dictæ Insulæ per Græcos.
III. De rebellione Mamachii prædicti contra dictum Imperatorem.
IV. De deceptione, & morte dicti Mamachii.
V. De acquisitione dictæ Insulæ per Saracenos.
VI. De acquisitione dictæ Insulæ per Normandos.
VII. De divisione Siciliæ, & aliorum locorum per dictos Normandos fratres acquisitorum.
VIII. De morte dicti Ducis Roberti.
IX. De acquisitione Maltæ per dictum Comitem Rogerium.
X. De morte dicti Comitis R.
XI. De successione, & coronatione Rogerii filii dicti Comitis Rogerii.
XII. De morte dicti Regis Rogerii.
XIII. De coronatione dicti Guillelmi.
XIV. De morte dictorum Regis G., & Reginæ Margaritæ.
XV. De coronatione Guillelmi II.
XVI. De morte dicti Regis G. II.
XVII. De coronatione præfati Tancredi.
XVIII. De raptu, & nuptu præfatæ Constantiæ.
XIX. De adventu dicti Imperatoris Henrici.
XX. De morte dicti Regis Tancredi.
XXI. De coronatione dicti Imperatoris Henrici in Regem Siciliæ, & aliis sibi incidentibus.
XXII. De morte dicti Imperatoris Henrici.
XXIII. De rebellione dicti Comitis Raynerii.
XXIV. De incidentibus dicto Frederico postea Regi, & Imperatori effecto.
XXV. De morte dicti Domini Imperatoris Frederici.
XXVI. De rebellione Neapolis, & quorundam locorum Siciliæ.
XXVII. De successione dicti Conradi filii dicti Imperatoris.
XXVIII. De obsidione dictæ Civitatis Neapolis.
XXIX. De morte dicti Regis Conradi.
XXX. De coronatione dicti Regis Manfredi.
XXXI. De morte dicti Henrici filii tertii dicti Imperatoris.
XXXII. De debellatione, & morte dicti Regis Manfredi.
XXXIII. De acquisitione Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ.
XXXIV. De querimonia dicti Conradini facta Principibus Alemaniæ.
XXXV. De adventu dicti Conradi Capichii in Siciliam & acquisitione Saccæ, & quorundam aliorum locorum Siciliæ.
XXXVI. De debellatione dicti Conradi.
A XXXVII. De captione dicti Conradini, & ejus morte.
XXXVIII. De rebellione felicis urbis Panormi, & subsequenter totius Siciliæ.
XXXIX. De accessu dicti Regis Caroli in Civitate Messanæ, & obsidione Civitatis ipsius.
XL. De adventu Regis Petri I. in Sicilia in ipsius Siciliæ succursum.
XLI. De recessu dicti Regis Caroli à Messana, & captione galearum triginta Regis Caroli prædicti.
XLII. De adventu dictæ Reginæ Constantiæ in Sicilia.
B XLIII. De transitu dicti Regis Petri in Calabria.
XLIV. De duello faciendo inter dictos Regem Petrum, & Regem Carolum.
XLV. De victoriis obtentis per dictum Regem Petrum, & Siculos de genere Regis Francorum.
XLVI. De morte dicti Regis Petri.
XLVII. De dominio, & coronatione dicti Don Jacobi primogeniti dicti Regis Petri.
XLVIII. De victoriis obtentis per dictum Regem Jacobum de dicto Rege Carolo, & subditis ejus.
C XLIX. De morte dicti Regis Caroli.
L. De liberatione dicti Principis Caroli.
LI. De cessione Siciliæ facta Ecclesiæ Romanæ per Regem Jacobum supradictum.
LII. De liberatione Siculorum ab homagio dicti Regis Jacobi.
LIII. De transitu dicti Frederici filii dicti quondam Regis Petri ad Dominum Papam Bonifacium.
LIV. De dominio, & coronatione dicti Frederici.
LV. De transitu dicti Regis Frederici in Calabria.
D LVI. De recessu dictæ Dominæ Reginæ Constantiæ, & dicti Domini Rogerii Ammirati de Regno Siciliæ.
LVII. De rebellione, & recuperatione Castrorum Castellionis, Tran-Kavillæ, & Tripi.
LVIII. De Domino Conrado Auriæ constituto in Ammirato Siciliæ.
LIX. De adventu dicti Regis Jacobi, & Ducis Roberti, captione Patrarum, & obsidione Siracusiæ.
E LX. De captione dicti Johannis de Lauria, & galearum dicti Regis Jacobi, & decapitatione dicti Domini Johannis.
LXI. De recessu dictorum Regis Jacobi Ducis, & Cardinalis de dicta obsidione.
LXII. De reditu dictorum hostium in Sicilia, & victoria per eos obtenta,

Digitized by Google

tenta, & Domino Rege Frederico, & Siculis.

LXIII. *De obsidione Messanæ, & rebellione Isdæ.*

LXIV. *De rebellatione Cathaniæ, & aliorum infrascriptorum locorum.*

LXV. *De recuperatione Jachii, Gangii, & Aydoni.*

LXVI. *De adventu Principis Philippi in Trapano, & obsidione ipsius terræ.*

LXVII. *De victoria obtenta per dictum Regem Fredericum, & ipsos Siculos de ipso Principe Philippo.*

LXVIII. *De debellatione exercitus dicti Ducis Roberti in Gaglano.*

LXIX. *De debellatione exstolii Siciliæ in Poncio.*

LXX. *De adventu dicti Regis Caroli ante Thermas, & pace facta inter eum, & dictum Regem Fredericum.*

LXXI. *De relaxatione interdicti primi.*

LXXII. *De nativitatibus filiorum dictorum Domini Regis Frederici, & Reginæ Aliganoræ.*

LXXIII. *De morte dicti Domini Caroli Regis.*

LXXIV. *De reiteratione guerræ inter dictos Regem Fredericum, & Regem Robertum.*

LXXV. *De morte dicti Imperatoris Henrici.*

LXXVI. *De transitu dicti Regis Frederici apud Pisas.*

LXXVII. *De homagio facto dicto Don Petro de coronando eum.*

LXXVIII. *De amissione castri ad mare, de Gulfo, & obsidione Trapani.*

LXXIX. *De resumtione tituli dicti Regis Frederici.*

LXXX. *De remissiva Regis Roberti ad Cathalanos.*

LXXXI. *De objectione facta per eundem Regem Fredericum adversùs remissivam prædictam.*

LXXXII. *De Congregatione gentis dicti Regis Frederici ad expugnandum dictum Regem Robertum, & treugiis tractatis inter Reges præfatos, ac recessu dicti Regis Roberti.*

LXXXIII. *De adventu filiæ Regis Cypri in Sicilia.*

LXXXIV. *De recuperatione castri ad mare de Gulfo.*

LXXXV. *De adventu aliorum hostium, & recessu ipsorum*

LXXXVI. *De adventu hostium aliorum in Sicilia, quorum fuit præpositus Comes Thomasius Martianus.*

LXXXVII. *De colloquio facto per dictum Regem Fredericum in Panormo, & intentione regiminis dicti Don Petri.*

LXXXVIII. *De incisione Tonnariarum Siciliæ quintædecimæ indictionis.*

LXXXIX. *De treugiis factis inter ipsos Regem Fredericum, & Regem Robertum.*

XC. *De guerra Januæ, & unitate facta cum dicto Rege Frederico.*

XCI. *De impositione secundi interdicti in Sicilia.*

XCII. *De coronatione Regis Petri II.*

XCIII. *De matrimonio tractato inter ipsum Regem Petrum, & filiam Regis Bohemiæ.*

XCIV. *De adventu regiorum hostium in Sicilia, obsidione Panormi in Anno VIII. Indictionis.*

XCV. *De altero adventu dictorum hostium in Sicilia in Anno nonæ Indictionis.*

XCVI. *De adventu Imperatoris Ludovici, privatione Papæ Joannis, & Papatu factionis Antipapæ, & incidentibus, ac processibus eorundem, & exstolii Siculorum euntis ad dictum Imperatorem, ut infra.*

XCVII. *De raptu, & invasione castri ad mare Panormi, & recuperatione ipsius.*

XCVIII. *De raptu, & disrobatione Buterræ.*

XCIX. *De obitu dicti Papæ Joannis, & annullatione dicti secundi interdicti in Sicilia impositi.*

C. *De adventu dicti Regis Frederici in Panormo, exenio sibi facto, & ejus obitu.*

CI. *De rebellione Comitis Francisci de Vintmiliis, & Comitis Frederici de Antiochia, & eorum conflictu, & de processu, ac mirabilibus incidentibus eis.*

CII. *De nativitate Don Aloysii filii ejusdem Domini Regis Petri II.*

CIII. *De obitu illustris Ducis Guillelmi filii dicti quondam Domini Regis Frederici.*

CIV. *De adventu regiorum hostium in Sicilia, inter quos fuit præfatus proditor Fredericus de Antiochia.*

CV. *De obsidione, & recuperatione dictorum locorum per dictos hostes ut supra captorum.*

CHRO-

Digitized by Google

CHRONICON SICILIÆ

Ab Anno circiter DCCCXX. usque ad Ann. DCCCXXVIII.

CAPUT PRIMUM.

Proœmium.

POst inclitum Menelaum Regem tam Italię, quàm Insulæ Siciliæ, quæ Insula tunc temporis regnū prædicti Regis vocabatur Trinatria: & qui Rex fuit Paganus, & cui Regi rapta fuit Helena sua uxor apud Tynderine civitatem dictæ Insulæ positam in contrata Lacedemoniæ per Paridem dictum Alexandrum filium Priami Regis Trojæ magnæ, & cujus raptus occasione dictus Rex Italiæ, & Trinatriæ cum suo exercitu sequens prædictum raptorem prædictæ Reginæ usque ad dictam Trojam, obsedit, & deinde finaliter cepit, & destruxit Trojam eamdem cum prædicto Rege Priamo, sicut de dicta historia eam ignorante poterunt per libellum de dictis raptu, obsidione, & captione factum pleniùs informari.

CAP. II.

De acquisitione dictæ Insulæ per Græcos.

SUpervenerunt ad dictam Insulam Græci cum eorum exercitu maritimo Domini Imperatoris Constantinopoleos, primò applicantes ad eam partem dictæ Insulæ, quæ vocabatur Caput-Urlandi, & arbitrantes dictam Insulam posse acquirere, & submittere dominio Imperatoris, descenderunt illuc in terram: & cùm vellent ipsi Insulæ de novo imponere nomen ad eorum idioma Græcum, videntes in dicto loco ipsius Insulæ, ad quem primò descenderunt, arbores Ficuum, & Olivarum, vocaverunt ipsam Insulam græcè, Sicalea, quod latinè est dicere Ficum, & Olivam: & propter ea latinè vocatur hodie Sicilia, & sic dicti Græci descendentes in terram, & equitantes, ac euntes per loca ipsius Insulæ, submiserunt eam dominio dicti Imperatoris Constantinopolis, qui Imperator statuit loco sui in dicta Insula in Vicarium ejus quemdam virum Græcum fidelem suum nomine Maniachi.

CAP. III.

De rebellatione (*) Maniachi prædicti contra dictum Imperatorem.

QUi Maniachius dictum suum vicariatus officium pro dicto Imperatore fideliter aliquandiu gerens, & exercens, & redditus, quos percipiebat ex eadem Insula transmittens ad dictum Imperatorem, tamquam ad Dominum ejus, demum succedentibus sibi prosperis, oblitus prædicti Imperatoris Domini sui, ac nolens exinde respondere ipsi Imperatori, sed pro se ipso dictam Insulam cum suis redditibus, & proventibus retinere, faciebat se suo nomine vocari, & tractari in Dominum, & ut Dominum Insulæ ipsius, condens, & faciens monetam, sic se pravè gerens contra Imperatorem eundem. Quæ pravitas postquam pervênit ad conscientiam dicti Imperatoris, idem Imperator, ut habiliùs posset ad ejus manum dictum Ma-

(*) Varie hoc nomen enunciatur in MS. Maniachii, & Mamachii, sicut & Tancredi nomen TranKedi, TaKredi, & TranKredi.

Maniachium absque bellorum strepitu facere pervenire, fecit quoddam suum edictum omnibus dictis Græcis dictam Insulam inhabitantibus, ut in ipsa Insula ampliùs minimè permanerent, immo de eadem Insula recederent, redituri ad dictum Imperatorem, & habituri à dicto Imperatore in decuplum omnia, quæ propter dictum eorum reditum relinquerent in Insula ipsa. Ob quod edictum multi de dicta Insula volentes obedire ipsi edicto, tunc temporis recedentes ab Insula ipsa, faciebant in chartis, licèt contra veritatem, etiam falsè notari, qualiter eorum thesauros dimittebant, se publicos in locis Insulæ ipsius exprimentes in scriptis, quæ tamen fiebant ceteras thesauri quantitates, per quæ crederetur eis per dictum Imperatorem, & appareret verisimile, quòd recedentes de ipsa Insula pro obediendo ipsi edicto dicti Imperatoris, reliquerunt in dicta Insula thesauros prædictos, de quibus fiebat mentio in scriptis eisdem, & sic cum dictis scriptis redierunt ad Imperatorem eundem, & de dictò eorum reditu consequuti merita, gratias, & honores, assignabant dicta scripta eidem Imperatori.

CAP. IV.

De deceptione, & morte dicti Mamachii.

VErùm quia idem Imperator perpendit, quòd dicta scripta mendacia continebant, & quòd dicta Insula ex dicto edicto non (minùs) habitabatur, immo de bono in melius habitata, fortiùs invalescebat contra Imperatorem eundem, destitit de retribuendo ipsis ad eum redeuntibus, & dicta scripta sibi, ut prædicitur, assignata dedit Monasterio Sanctæ Sophiæ, quæ in ipso Monasterio accipientes, & ex tunc citra vendentes de uno ad unum volentibus emere de eisdem, adinvênit ipse Imperator unà cum sua uxore alteram viam, per quam citiùs, etiam absque personarum, & guerrarum dispendiis valerent manum injicere in dictum Maniachium Vicarium ejus etiam de ipso Maniachio debita sumere, & habere vindictam in hunc modum; videlicet quòd dictus Imperator finxerit infirmari, & mori. & dicta ejus uxor habens loco dicti Imperatoris viri sui alterum virum mortuum, ipsum honorificè sepeliri fecit, ut decet reverentiam exhiberi sepelitioni Imperatoris; & sic diffusa est, & facta, ac divulgata fama per universum Orbem, & specialiter in dicto Regno Siciliæ, qualiter idem Imperator mortuus erat. Dicta verò morte dicti Imperatoris facta, & divulgata, ut supra, ipsa Imperatrix finxerit se velle viro alteri conjugari. & sic asserens, seque fingens dicere, quòd præ aliis Mundi Principibus placebat ei, & potiùs habere appetebat in ejus maritum dictum Maniachium, misit honorabiles ambassatores, & nuncios ejus ad dictum Maniachium de Constantinopoli in Sicilia, quorum ambassatorum tractatu initum est matrimonium ipsum, & idem Maniachius dimittens dictam Insulam sub procuratione cujusdam filii sui, contulit se cum dictis ambassatoribus à dicta Insula in Constantinopolim ad dictam Dominam pro dicto matrimonio inter eos per carnis copulam consummando; sed cùm pervenisset ad palacium, ubi dicta Imperatrix ejusdem Maniachii præstolabatur adventum, subitò dictus Imperator exiens, & se populo manifestans, cepit dictum Maniachium per barbam, & exoculavit eum.

CAP. V.

De acquisitione dictæ Insulæ per Sarracenos.

QUi processus cùm pervenisset ad notitiam dicti filii ipsius Maniachii, sub cujus procuratione remanserat dicta Insula Siciliæ, ut est dictum, idem filius Maniachii supradicti timens vires dicti Imperatoris, contulit se statim in Tunisium, & loca alia Barbariæ, & invitavit, ac vocavit Sarracenos ipsorum locorum ad habitationem, & acquisitionem Insulæ ipsius: ob quam invitationem dicti Sarraceni statim in dictam Insulam Siciliæ transiverunt anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi octingentesimo vicesimo septimo, mense videlicet Julii, anno etiam ab adventu Mahumet centesimo nonagesimo octavo, & amotis ac expulsis per eosdem de dicta Insula dictis Græcis, habitata postea fuit totaliter eadem Insula de gentibus Sarracenis, tenentibus, & possidentibus per multos annos Insulam Siciliæ antedictam, & habentibus de eadem Insula jura, redditus, & proventus.

CAP. VI.

De acquisitione dictæ Insulæ per Normandos.

TEnentibus itaque, & possidentibus dictam Insulam Sarracenis, ut superiùs dictum est, infrascripti Franci, videlicet Drobbertus Biscardus, Guillelmus Ferrabrachia, Unfridus, Drogus, & Rogerius fratres quinque, iidem filii Domini Goffridi Comitis de Normandia, quorum fuit caput, & Dux dictus Drobbertus, recedentes cum eorum comitiva de suis partibus Normandiæ, venerunt ad partes Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, & obtinuerunt aliqua ex dictis locis, anno videlicet Domini MLVIII., & deinde transiverunt ad dictam Insulam Siciliæ anno Domini MLX., & perpendentes, ac confidentes se posse prævalere de dictis Sarracenis, & acquirere de manu, & dominio dictorum Sarracenorum Insulam ipsam incœperunt insurgere, & prœliare contra dicto Sarracenos, & acquirere, ac submittere suæ potestati partem aliquam dictæ Insulæ, & deinde de parte in partem successivè acquisiverunt sibi majorem partem totius dictæ Insulæ, præter tamen felicem urbem Panormi, ad quam acquirendam nimiùm laborantes per annos undecim numeratos à die dicti eorum transitus in antea; fecerunt sibi pro eorum habitaculo, & fortaliciis in tenimento dictæ urbis, parum ultra flumen admirati prope mare hospitia magna, & mansiones ædificatas ad lapides, & calcem, quæ hodie sunt diruta quasi in totum, & dicuntur de Sancto Johanne de Leprosis, ubi manebant, dum habere non poterant urbem ipsam, & deinde acquisito per eos infra dictos undecim annos toto residuo dictæ Insulæ præter dictam urbem, devenerunt ad pactum cum Sarracenis tenentibus dictam Panormitanam urbem, per quod pactum dicti Sarraceni dederunt eisdem fratribus tantum spatium loci de terra, & solo, videlicet existente extra dictam urbem juxta mœnia urbis ejusdem, scilicet juxta Cassarium, quod tantùm tunc erat habitatum, quantum giravit corrigia una facta de uno corio Bovis, qui locus dicitur hodie Galea, in quo nunc est Palatium. Quem locum dicti fratres, postquam ipsum habitaverunt, circumdederunt sibi undique muris, videlicet mœnibus, & munientes sibi locum ipsum, inferebant multa tœdia Sarracenis

Digitized by Google

cenis dictæ urbis, per quæ finaliter in fine dictorum undecim annorum habuerunt in totum urbem præfatam anno Domini MLXXI. & portas ferreas, ac columnas ipsius urbis portari fecerunt ad Trojam partium Apuliæ. Postea autem fratres iidem acquisiverunt sibi loca, quæ remanserant ad habendum per eos de Ducatu, & Principatu prædictis, ac etiam de Calabria, quæ tenebantur similiter per Sarracenos.

CAP. VII.

De divisione Siciliæ, & aliorum per dictos Normandos fratres acquisitorum.

DE quibus quidem locis acquisitis per dictos fratres dictus Drobbertus tenuit sibi Ducatum Apuliæ, & proinde vocabatur Dux Drobbertus: dictus verò Guillelmus habuit pro se Principatum Capuæ, & propterea dictus est Guillelmus Ferrabrachia Princeps, & eidem Rogerio minori natu omnium fratrum suorum cesserunt in partem dicta Insula Siciliæ, & Calabria, quas idem Rogerius tenuit in Comitatu, & ideo dicebatur Rogerius Comes, & fecit primam partem palatii Panormi, quæ dicitur Turris-rubra. Dictus itaque Drobbertus existens unà cum fratribus ejus in concordia cum omnibus Papis, qui fuerunt tempore vitæ ipsius Ducis, effectus est homoligius dictorum Paparum, & inductus fuit per dictos Papas per vexillum in possessione terrarum, & locorum Ducatus, & Principatus præfatorum. & transivit in Constantinopoli de mandato dictorum Paparum, & obtinuit ex locis ipsis Constantinopolis, & deinde Jerusalem.

CAP. VIII.

De morte dicti Ducis Drobberti.

DIctus Dux Drobbertus mortuus est anno Domini MLXXXVIII. relictis ex eo filiis, quorum unus vocatus est Rogerius.

CAP. IX.

De acquisitione Maltæ per dictum Comitem Rogerium.

DIctus verò Comes Rogerius transivit postea ad Insulam Maltæ, & submisit eam dominio. In qua dum existeret, habuit nova, quòd mortui erant dicti filii dicti Ducis Drobberti, & propterea contulit se ad partes ipsas Apuliæ, & Principatus Capuæ, & accepit & acquisivit tam ipsum Ducatum, quàm etiam dictum Principatum; quia mortuus etiam fuerat ipse Princeps frater suus.

CAP. X.

De morte dicti Comitis Rogerii.

DIctus autem Comes Rogerius mortuus est Anno Domini MCI., unde versus:

Linquens terrenas migravit Dux ad eternas
Rogerius sedes. Nam Cœli detulit ædes.

Relictis & superstitibus eidem Comiti ex Adilasia Regina Jerosolymitana uxore sua tam Simone, quàm Rogerio filiis Comitis ipsius.

CAP. XI.

De successione, & coronatione Rogerii filii dicti Comitis Rogerii.

QUi Simon superveniens ipsi suo Patri per aliquot dies, successit Patri suo prædicto in dicto Comitatu, & tenuit Comitatum ipsum, & deinde eodem Simone mortuo, dictus Rogerius ex successione legitima Patris, & Fratris suorum præfatorum tenebat similiter Comitatum, & volens augere dictus Rogerius suam dignitatem, fecit se à Siculis coronari in dicta urbe felici Panormi in Regem Siciliæ Anno Domini MCXXIX. & hic incœpit esse, & fuit per prædictos Græcos, & Barbaros primus Rex Siciliæ, & primo, vel secundo Anno sui regni fecit Civitatem, & Ecclesiam Cephaludi. (*)

CAP. XII.

De morte dicti Regis Rogerii.

DIctus Rex Rogerius mortuus est Anno Domini MCLIV. relictis superstitibus ipsi Regi Rogerio tam filio masculo nomine Guillelmus, quàm filia fœmina nomine Constantia, legitimo matrimonio susceptis natis.

CAP. XIII.

De coronatione dicti Guillelmi.

QUi Guillelmus filius dicti Regis Rogerii coronatus in dicta urbe felici Panormi à Siculis in Regem Siciliæ in vita dicti Regis Rogerii Patris sui, de voluntate & mandato dicti sui Patris, successit postea ipsi suo Patri defuncto, & fecit secundam partem palatii Panormi prædicti, qui dicitur Chirunbi. Dictus autem Rex Guillelmus filius dicti Regis Rogerii ex Regina Margarita uxore sua genuit filium nomine Guillelmum, & habuit etiam ex altera muliere filium, cui nomen fuit TranKidus.

CAP. XIV.

De morte dictorum Regis Guillelmi, & Reginæ Margaritæ.

DIctus verò Rex Guillelmus mortuus est Anno Domini MCLXIV. Indict. XIV. Dicta verò Regina mortua fuit postea Anno Domini MCLXXXIII. II. Calendas Augusti.

CAP. XV.

De coronatione Secundi Guillelmi.

QUi Guillelmus Secundus eidem Regi Guillelmo Patri suo in dicto Regno Siciliæ succedens, coronatus fuit in dicta urbe Panormi in Regem Siciliæ Anno Domini MCLXVI. & deinde construxit Ecclesiam Montis-Regalis existentem prope Panormum. Et hic dicitur fecisse tertiam partem palatii Panormi, quæ dicitur Turris Pisana. Et regnavit Annis XXIII. infra quod temporis consecrata suit

(*) Gallicè Cefalu urbs Episcopalis sub Archiepiscopo Messanensi: in modum promontorii in mare excurrens, 49. millibus à Panormo, & 90. à Messana distans.

uit Ecclesia Sancti Spiritus de Panormo, videicet Anno Domini MCLXXIX. regni ejusdem Regis Anno XIII., ut scriptum est in tribona magna Ecclesiæ ipsius.

CAP. XVI.

De morte dicti Regis Guillelmi Secundi.

DIctus Rex Guillelmus Secundus mortuus est Anno Dominicæ Incarnat. MCLXXXVIII. mense Novembris.

CAP. XVII.

De coronatione præfati TanKredi.

VErùm quia dictus Rex Guillelmus Secundus mortuus fuit, filio, vel filiis non relictis, prædicto TranKedo fratre suo naturale, filio dicti primi Regis Guillelmi remanente balio præscriptæ Constantiæ filiæ dicti Regis Rogerii, cui Constantiæ ex successione legitima debebatur regnum prædictum, dictus TranKedus fecit se à Siculis, licèt pseudo, coronari in Regem Siciliæ dicto Anno Dom. MCLXXXIX. Indictione VII. Et hic est ille Rex, qui fecit Barbacenos ante mœnia Panormitanæ urbis præfatæ, & regnavit in dicto Regno Annis tribus & dimidio.

CAP. XVIII.

De raptu, & nuptu præfatæ Constantiæ.

QUo Rege TranKedo sic pseudo tenente, & possidente dictum Regnum, Venerabilis Guillelmus, natus in dicta urbe Panormi Archiepiscopus Panormitanus, consanguineus prædictæ Constantiæ, per quem Archiepiscopum Anno Domini MCLXXXIV. regni Regis Guillelmi Secundi Anno XVIII. mensis Aprilis secundæ Indictionis incœpta fuit ædificari, & deinde facta est major Panormitana Mater Ecclesia, & dotata de thesauro per eum invento prope Ecclesiam Sancti Spiritus de Panormo, tractavit, ignorante dicto Rege TranKedo. Quæ dicta Constantia filia dicti Regis Rogerii nupsit Imperatori Henrico, & rapta per ipsum Archiepiscopum de manu, baliatu, & custodia dicti Regis TranKedi, fugiit, & ivit ad dictum Imperatorem Henricum Virum suum.

CAP. XIX.

De adventu dicti Imperatoris Henrici.

QUi Imperator Henricus dum veniret cum dicta sua uxore & eorum terrestri exercitu ad dictum Regnum pro capiendo, invadendo, & nancisçendo sibi dicto Regno debito ipsi Constantiæ uxori dicti Imperatoris, ut superiùs dictum est; & eidem Imperatori ex persona dictæ suæ uxoris, dictus Rex TranKedus duabus vicibus obviavit eidem Imperatori, & dicto suo exercitui. & debellavit eos in finibus partium Principatus.

(*) Error hic in numero irrepsit vitio amanuensis, fortè Anno MCXCVIII. quo Imperatrix ipsa defuncta est.

CAP. XX.

De morte dicti Regis TranKedi.

POst secundam verò debellationem ex dictis duabus, idem Rex TranKedus rediens in Sicilia mortuus est Anno Domini MCXCIV. die XX. Februarii.

CAP. XXI.

De coronatione dicti Regis Henrici in Regem Siciliæ, & aliis sibi incidentibus.

ET sic dictus Imperator Henricus cum prædicta Imperatrice Constantia uxore sua intravit, & accepit absque aliqua contradictione Regnum prædictum Siciliæ cum Ducatu Apuliæ, & Principatu Capuæ. Fuitque à Siculis in Panormo coronatus in Regem Siciliæ Anno Domini MCXCV. ultimo Novembris XIV. Indictione.

Fecit quidem dictus Imperator Henricus comburi in plano Genoardi, quod est extra mœnia palatii Panormi juxta jardinum Cubbæ versùs Aynisindi, omnes Episcopos, qui fuerunt coronationi dicti Regis TranKedi.

Dictus itaque Imperator Henricus ex prædicta Imperatrice Constantia uxore sua genuit, & habuit filium nomine Fredericum, ac regnavit in dicto Regno Anno uno, & mensibus decem.

CAP. XXII.

De morte dicti Imperatoris Henrici.

DIctus Imperator Henricus mortuus est Anno Dominicæ Incarnationis MCXCVII. die quarto Octobris primæ Indictionis, relicto dicto Frederico, & superstite dicto Imperatori Patri suo in ætate annorum ferè quatuor, quem dicta Imperatrix portavit ita parvulum ad dictam urbem Panormi, & pro regendo, & tenendo dicto Regno, ad opus dicti Frederici pupilli eadem Imperatrix venire fecit ad dictam Insulam Siciliæ Comitem Raynerium de Sorciano Anno Domini (*) MIC.

CAP. XXIII.

De rebellatione dicti Comitis Raynerii.

QUi Comes aliquandiu tenens pro parte dicti pupilli dictum Regnum, rebellavit postea contra pupillum præfatum cum omnibus Siculis, præter tamen Panormitanenses, qui tantùm tenuerunt dictam urbem Panormi pro dicto Frederico, & nutrierunt eundem Fredericum, nunc unus civis unâ hebdomadâ, alter civis uno mense, & sic deinde successivè, donec fuit effectus ætatis Annorum ferè septem.

CAP. XXIV.

De incidentibus dicto Frederico postea Regi, & Imperatori effecto.

DIctus autem Fredericus in ætate dictorum Annorum septem coronatus est per Panormitanenses in Regem Siciliæ Anno Domini MCC.

Digitized by Google

MCC., & deinde ad Annos decem & novem cum favore Papæ effectus fuit Imperator, & deinde duxit in ejus uxorem Reginam Ysabellam filiam Regis Johannis Regis Jerusalem, & proinde quarto Anno Imperii sui incœpit vocari, & esse Rex Jerusalem ex persona dictæ suæ uxoris, cui Regnum Jerusalem pertinebat legitimè, pro eo, quòd dictus Rex Johannes mortuus fuit, non relicto per eum aliquo legitimo filio, vel filia, nisi tantùm ipsa Regina Ysabella.

Dictus autem Fredericus ex eadem sua uxore genuit, & habuit tres filios masculos, primum videlicet nomine Henricum primogenitum, qui de mandato dicti Imperatoris captus, positus, & detentus fuit in carcere, in quo carcere diem suum functus est, pro eo quòd dicitur fecisse postquam crevit, dum esset Rex, conjurationem contra Patrem in Alamania; secundum nomine Conradum, & tertium nomine Henricum.

Genuit etiam, & habuit dictus Imperator, ex altera tamen matre, nomine Manfridum.

Dictus verò Imperator volens instruere dictum Conradum filium ejus tunc Regem, qualiter idem Rex Conradus deberet se gerere in solio Regali, dixit sibi hæc verba:

Frederici Imperatoris ad Conradum filium egregia exhortatio.

„ GLoria Genitoris est filius sapiens, & „ obedientia filii quotidie paterna bene„ dictione beatur. Gaudium est igitur nobis, „ o Cæsarei Sanguinis diva proles, quòd Rega„ lis indoles tuis laudabiliter moribus clareat, „ quòd scientia proficis, & ætate, ut honorifi„ cetur nomen Augusti Patris in Rege filio, & „ jam implearis virtute regnantis. Benedicat „ itaque dextera nostra tibi, & tuorum incre„ mentis bonorum, ac felici tuo paternæ zelo „ sollicitudinis asperemus, orantes filiationem „ tuam per gratiam nostram, quam in te geri„ mus corde paterno, quatenus de bono in me„ lius labores feliciter, ut de virtute proficias „ in virtutem, ut, cùm materiam virtutis ha„ beas, proferas in actum, ut consultor sis „ procerum, ut consiliis, & providentia non „ abhorrens informari, sed bilingues aspernens, „ viros honestate conspicuos audire te volumus, „ & amare. Leves, & levia non admittas, „ palpans quòd adulator in aula tua locum non „ habeat. Detractoribus, qui sternunt limina „ præpotentum, aures Regias non impendas. „ Prælatos nobis, & Imperio nostro devotos, „ & Dei, Ecclesiasticos indifferenter honores „ ob auctoris reverentiam, qui regimen con„ stituit, & Imperium præposuit universis. Te „ non invenias vacuatum, sed plenum: in se„ renitate militum, & militia delecteris. Af„ fabilem te præbeas, exaudibilem subditis, in „ te pius, & piè justus existens, pacificus & „ verax, ut rectè sibi misericordia, & veritas „ obviantes, justitia similis, & pax tuum Re„ gale solium amplectentur. Actores, & ve„ nationum solatia Regibus assueta non interdi„ cimus, loco, & tempore cum exercitatis „ hominibus exercenda. Monemus tamen, & „ istud fore volumus ad cautelam, quòd pro „ venationis exercitio, vel ductoribus avium „ non te adhibeas adeò familiarem venatori„ bus, & balistariis, ut dignitatem Regiam „ frivolis verbis offendant, & suis confabula„ tionibus alterent, & inficiant bonos mores. „ Ad nos autem memorialiter respectum habeas, „ & velut in pectore nobis singula districtè „ provideas facias & exequaris, assistentium la„ teri nostro de ordinatione nostra consiliato„ rum consiliis inhærendo, & ut scias evitare „ noxia, & discas salutaribus informari, im„ provisa tui fratris quondam Regis Henrici „ temeritas veniat tibi frequenter in mente, „ quòd pro eo quòd nobis obedire noluit, & „ obedire patri-filius recusavit, sequutus adula„ tionis blanditias & suggestiones, necnon pra„ va consilia dirumpentium bona sua, & per„ vertentium mores cecidit à Sede, quam ha„ buit ingratus, & tu, bonæ indolis fili, lo„ cum ejus nobis concedentibus accepisti. Sis „ ergo nobis devotus, verba nostra memoriæ „ cordis retinens, tam effectu, quàm opere „ consequaris, ut tibi augeatur benedictio no„ stra, & regnum tuum obtenta felicitate fir„ metur; nobis quoque de continentia bona, „ processu laudabili, & optatis ac felicibus suc„ cessibus lætitiæ cumulus gloriæ proveniat in„ crementum de filio sapiente.

Prædictus autem Imperator Fredericus in suis ultimis constitutus fecit testamentum, cujus continentia talis.

„ (1) In nomine Domini & Dei æterni & „ Salvatoris nostri Jesu Christi. Anno ab In„ carnatione ejus millesimo ducentesimo quin„ quagesimo, die Sabbati septimo decimo men„ sis Decembris, IX. Indictione. Primi paren„ tis incauta transgressio sic posteris legem con„ ditionis indixit, ut eam nec dil . . proclivis „ ad pœnam effusio effre . . . adduceret, nec „ baptismatis tam salubris unda liniret, quin „ fatalitatis eventus mortalibus senescentis, cui „ præsentis lascivia transgressionis in pœnam „ culpa transfusam tamquam cicatrix ex vulne„ re remaneret. Nos igitur Fredericus II. di„ vina favente clementia Romanorum Imperator „ semper Augustus, Jerusalem & Siciliæ „ Rex, memores conditionis humanæ, quam „ semper comitatur innata fragilitas, dum vitæ „ nobis instaret terminus, loquelæ & memoriæ „ in nobis integritate vigente, ægri corpore, „ sani mente, sic animæ nostræ consulendum „ providimus, sic de Imperio & regnis nostris „ duximus consulendum, ut rebus humanis ab„ sumti vivere videamur & filius nostris, qui„ bus nos divina clementia fœcundavit: quos „ præsenti dispositione nostra sub pœna benedi„ ctionis nostræ volumus esse contentos, ut, in„ dignatione sublata, omnis materia scandali „ sopiatur. Statuimus itaque Conradum Roma„ norum in Regem electum & regni Jerosoly„ mitani heredem, dilectum filium nostrum no„ bis heredem Imperio & hominibus aliis em„ titiis & quoquomodo acquisiti, & specialiter „ in regno nostro Siciliæ, quem si decedere con„ tigerit sinè liberis, ei succedat Henricus filius „ noster. Quo defuncto sinè liberis, succedat „ ei Manfridus filius noster. Conrado autem „ manente in Alemania vel alibi extra regnum, „ statuimus prædictum Manfredum balium dicti „ Conradi in Italia, & specialiter in regno Si„ ciliæ, dantes ei plenam potestatem omnia fa„ ciendi, quæ persona nostra facere posset, si „ vi-

(1) Frederici testamentum longè brevius affert Mathæus Paris in Historia Anglorum ad Annum MCCL. pag. 543. aliud etiam brevius ab utroque diversum Odoricus Rainaldus, quibus haud dubium præferendum videtur istud, quod auctor accuratus, rem ex professo tractans, retulit.

„ viveremus, videlicet in concedendis terris, „ castris, villis, parentelis, dignitatibus, bene- „ ficiis, & omnibus aliis juxta dispositionem „ suam, præter antiqua domania regni Siciliæ: „ & quòd Conradus & Henricus prædicti filii „ nostri, & heredes eorum, omnia, quæ ipse „ fecerit, firma & rata teneant & observen- „ tur. Item concedimus & confirmamus dicto „ Manfredo filio nostro principatum Tarenti vi- „ delicet à porta Roseti usque ad ortum flumi- „ nis Brandani, cum Comitatibus Montis Ca- „ versi, Tibi, Cavei & Gravinæ, prout Comi- „ tatus ipse protenditur à maritima terræ Bari „ usque ad Pallinarium, & ipsum Pallinarium „ cum terris omnibus à Pallinario per totam „ maritimam usque ad prædictam terram Ro- „ seti scilicet comitatibus, castris, & villis in- „ fra contentis, cum justitiis & pertinentiis, & „ rationibus omnibus, tam ipsius principatus, „ quàm comitatuum prædictorum. Concedimus „ etiam eidem civitatem montis S. Angeli cum „ toto honore suo, omnibus civitatibus, castris, „ & villis, terris, pertinentiis, & justitiis, & „ rationibus eidem honori pertinentibus, scili- „ cet quæ de domanio in domanium, & quæ „ de servitio in servitium. Concedimus etiam „ & confirmamus eidem quicquid sibi in Impe- „ rio est à nostra majestate concessum; ita ta- „ men quòd prædicta omnia à prædicto Conra- „ do teneat & etiam recognoscat. Cui Manfre- „ do judicamus sibi pro expensis decem millia „ unciarum auri. Item statuimus, quòd Frede- „ ricus nepos noster habeat Ducatus Austriæ & „ Stiriæ, quòd à prædicto Conrado teneat & re- „ cognoscat. Cui Frederico judicamus pro ex- „ pensis decem millia unciarum auri. Item sta- „ tuimus, ut Henricus filius noster habeat re- „ gnum Jerosolymitanum, vel regnum Arola- „ cense (*), quorum alterum dictus Conradus „ prædictum Henricum habere voluerit, cui „ Henrico judicamus pro expensis suis centum „ millia unciarum auri. Item statuimus, & „ mandamus, ut centum millia unciarum auri „ expendantur pro salute animæ nostræ in sub- „ sidio Terræ Sanctæ secundùm ordinationem „ dicti Conradi & aliorum nobilium Cruce- „ signatorum. Item statuimus, quòd omnia „ bona militiæ Domus Templi, quæ Curia no- „ stra tenet, restituantur eidem, ea scilicet, „ quæ de jure debent habere. Item statuimus, „ ut omnibus Ecclesiis & domibus religiosis „ restituantur jura eorum, & gaudeant solita „ libertate. Item statuimus, ut homines regni „ nostri Siciliæ sint liberi & exemti ab omnibus „ generalibus collectis, sicut consueverunt esse „ tempore Regis Guillelmi II. consobrini nostri. „ Item statuimus, quòd Comites, Barones, & „ milites, & alii pheudatarii regni nostri gau- „ deant juribus suis & rationibus omnibus, quæ „ consueverunt habere tempore Regis Guillelmi „ in collectis & aliis. Item statuimus, Luceriæ „ & Soz. & si quæ aliæ læsæ sunt, per officia- „ les nostros restituantur. Item statuimus, „ quòd tota massaria nostra, quam habemus „ ad S. Nicolaum de Ausido, & omnes pro- „ ventus ipsius deputentur ad reservationem & „ reparationem pontis ibi constructi vel con- „ struendi. Item statuimus, ut omnes captivi „ in carcere detenti liberentur, præter illos de „ Imperio, & præter illos de regno, qui capti „ sunt ex proditionis nota. Item statuimus, „ quòd præfatus Manfridus filius noster omni- „ bus benemeritis de familia nostra (vice no-

(*) *fortè* Arelatense.

A „ stra) in terris, castris, & villis, salvo de do- „ manio regni nostri Siciliæ, & quòd Conradus „ & Henricus filii nostri & heredes eorum ra- „ tum & firmum habeant quicquid idem Man- „ fredus super hoc duxerit faciendum. Item „ volumus & concedimus, quòd nullus de pro- „ ditoribus regni aliquo tempore reverti au- „ deant regnum, nec aliquid de ipsorum ge- „ nere succedere possint: immo heredes nostri „ teneantur vindictam de eis sumere. Item sta- „ tuimus, quòd mercatoribus creditoribus no- „ stris debita solvantur. Item statuimus, quòd „ Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Matri nostræ „ restituantur omnia jura sua, salvis in omni- „ bus & per omnia juribus & honore Imperii „ & heredum nostrorum, & aliorum fidelium B „ nostrorum, si ipsa Ecclesia restituet jura Im- „ perii. Item statuimus, quòd si de præsenti „ infirmitate nos mori contigerit, in majori „ Ecclesia Panormitana, in qua divi Impera- „ toris Henrici & divæ Imperatricis Constantiæ „ parentum nostrorum memoriæ recolendæ tu- „ mulata sunt corpora, corpus nostrum debeat „ sepeliri. Cui Ecclesiæ dimittimus uncias auri „ quingentas pro salute dictorum nostrorum pa- „ rentum animarum & nostræ per manus Be- „ rardi Panormitani Archiepiscopi familiaris, & „ fidelis nostri, in reparatione ipsius Ecclesiæ ero- „ gandas; prædicta autem omnia, quæ acta sunt „ in præsentia prædicti Archiepiscopi, Bertoldi „ Marchionis de Bonburgio dilecti consangui- C „ nei & familiaris nostri, Richardi Comitis „ Casertani dilecti generi nostri, Ruffi de Ca- „ labria Marescalli nostri magni, Richardi de „ Monte-nigro magnæ Curiæ nostræ Justitiarii, „ Magistri Johannis Yeronno, Fulconis Ruffi, „ Johannis de Ocrea, Magistri Johannis de Pro- „ cida, Magistri Johannis de Panormo, Imperii „ & Regni Siciliæ & magnæ Curiæ Judicis, & „ Magistri Nicolai de Brundusio publici tabel- „ lionis Imperii & regni Siciliæ, & Curiæ no- „ stræ Notarii nostrorum fidelium, quos præ- „ senti dispositioni nostræ mandavimus interesse „ per prædictum Conradum filium & heredem „ nostrum, & alios successivè fideles nostros sub „ pœna benedictionis nostræ tenaciter volumus D „ observari, alioquin hereditate nostra non gau- „ deant. Item autem universis fidelibus nostris „ præsentibus & futuris sub sacramento fideli- „ tatis, quo nobis & heredibus nostris tenen- „ tur, injungimus, quòd prædicta omnia illiba- „ ta teneant & observent. Præsens autem Te- „ stamentum nostrum, & ultimam voluntatem „ nostram, quam robur firmitatis volumus ob- „ tinere, per prædictum Magistrum Nicolaum „ scribi, & signo Sanctæ Crucis propriæ ma- „ nus nostræ, sigillo nostro, & prædictorum „ subscriptionibus jussimus communiri. Actum „ apud Florentinum in Capitanata Anno, men- „ se, die, & Indictione præmissis; Anno Im- E „ perii nostri XXXII. Regni Jerusalem XXVIII. „ Regni Siciliæ LI.

CAP. XXV.

De morte dicti Domini Imperatoris Frederici.

QUo Testamento dicti Imperatoris Frederici condito, ut supra, idem Imperator functus est diem suum apud Florentinum in Capitanata Anno ab Incarnatione Domini MCCL. Indictione IX. de cujus morte est Epitaphium tenoris hujus:

Qui

Digitized by Google

Qui mare, qui terras, populos & regna subegit
Cæsareum nomen subito mors improba fregit.
Justitiæ lumen, lux veri, normaque legum.
Virtutum lumen, jacet hic diademate Regum.
Sic jacet, ut cernis, Fredericus in Orbe Secundus
Quem lapis hic arcet, cui paruit undique Mundus.
Annis millenis bis centum pentaque denis
Quasi mendicus decessit Rex Fredericus.

CAP. XXVI.

De rebellatione Neapolis, & quorundam locorum Siciliæ.

QUo Imperatore mortuo, Civitas Neapolis, necnon Civitas Messanæ, terra Castri-Joannis, & aliqua alia loca de Valle Demitæ Insulæ Siciliæ, rebellaverunt contra dictum Conradum filium & heredem dicti Imperatori Frederici, & tenebantur pro Ecclesia Romana.

CAP. XXVII.

De successione dicti Conradi filii dicti Imperatoris.

DIctus autem Conradus filius & heres dicti Imperatoris eidem suo patri in dicto Regno succedens, genuit filium nomine Conradinum natum in Alamannia post mortem dicti Imperatoris, non tamen post dictum obitum ipsius Imperatoris patris ejus fuit in Sicilia, sed tenebatur pro eodem Rege Conrado dictum Regnum per dictum Manfredum balium ejus.

CAP. XXVIII.

De obsidione dictæ Civitatis Neapolis.

VEnit tamen ipse Rex Conradus de Alamannia usque in Neapolim, quæ tenebatur pro Romana Ecclesia, ut est dictum: & obsedit cum suo exercitu dictam Civitatem Neapolis, & tenuit eam obsessam annis ferè duobus & dimidio, & finaliter obtinuit eam propter quamdam, quam fieri fecit, cavam per sub mœnibus dictæ Civitatis Neapolis, & ex ipsa cava mœnia ipsa fuerunt diruta, per quæ diruta mœnia idem Rex Conradus intravit violenter, & cepit Civitatem ipsam infra Annum, XII. Indictione, Anno Domini MCCLIII. Mandavit tamen, quòd ex dicta captione Neapolitani, & alii inventi in dicta Civitate invasa nullatenus interficerentur, vel deprædarentur.

CAP. XXIX.

De coronatione dicti Regis Corradini.

ET deinde Anno Domini MCCLIV. idem Rex Conradus mortuus est apud Apuliam, relicto dicto Corradino adhuc in cunabulis ex Testamento dicti Regis Conradi sub baliatu Romanæ Ecclesiæ: quæ Ecclesia, mortuo dicto Rege, accepit pro dicto Conradino possessionem dicti Regni, & eâ acceptâ suffocavit sibi dictum Regnum, & extinguebat ibi nomen dicti Corradini.

(*) *f.* continuando.

CAP. XXX.

De coronatione Regis Manfredi.

QUam nequitiam dictus Manfredus nequiens sustinere, dictum Regnum cum Messana, Castro-Joannis, & aliis locis rebellatis, ut supra, à manibus dictæ Ecclesiæ post diros conflictus violenter eripuit, & nomine dicti Corradini aliquandiu tenuit, & possedit; sed deinde asserens dictum Corradinum fuisse mortuum, fecit & se à Siculis in Panormo coronari in Regem Siciliæ X. die Augusti I. Indictionis Anno Domini MCCLVIII.

CAP. XXXI.

De morte dicti Henrici filii tertii dicti Imperatoris.

DIctus verò Henricus filius tertius dicti Imperatoris Frederici dicitur fuisse mortuus suffocatus per quemdam virum familiarem dicti Regis Manfredi, qui dicebatur Joannes Maurus post obitum dicti Regis Conradi.

CAP. XXXII.

De debellatione & morte dicti Regis Manfredi.

PRædictum Regem autem Manfredum Comes Provinciæ, nomine Carolus debellavit & interfecit in prœlio inter eos commisso Beneventum in Campo Palentino die Veneris XXVI. Februarii IX. Indictione Anno Domini MCCLXV. & ipsum postea sepeliri fecit apud pontem Valentinum, relicta in Regno Aragonum ex dicto Rege Manfredo filia superstite, nomine Constantia, uxore tunc Regis Petri Regis Aragonum, & de dicta debellatione dicti Regis Manfredi dictus Princeps Carolus scripsit Domino Papæ Clementi in hæc verba.

Sanctissimo in Christo Patri ac Domino suo Clementi, Divinâ providentiâ Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Carolus Dei gratiâ &c. cum omni reverentia & honore devota pedum oscula beatorum.

„ MUltum meis reputans successibus adjici,
„ si Romana Mater Ecclesia de felicibus
„ filii processibus in quibus tua causa provehitur,
„ certa fiat. Ecce significo vobis ad gaudium,
„ quòd postquam Manfredus publicus hostis vi-
„ ctus olim apud Sanctum Germanum, à Ca-
„ pua quoque, ubi se jactabat velle resistere,
„ confusus abscessit; accepi quòd idem hostis
„ cum suarum reliquiis virium, quæ de Sancto
„ Germano per fugam evaserant, profugus per
„ Terram-Laboris se transtulit Beneventum.
„ Ego autem meas continuabo (*) dictas per
„ Alifarco (**) & Telesinos campos contra ho-
„ stem ipsum, omisso itinere Capuæ, duxi in
„ Cœlestis virtute præsidii procedendum, sicque
„ factum est, quòd die Veneris XXVI. præ-
„ sentis mensis Februarii, quodam desiderio
„ perveniendi citiùs Beneventum, meum, meo-
„ rum-

(**) *aliàs* Alephano.

Digitized by Google

„ rumque animos stipulante, ac viarum & pas-
„ suum multorum difficultatibus & asperitati-
„ bus, quales vix transiveramus antea, supera-
„ tis, ad montem quemdam perveni, unde
„ subjectus & admodum patens campus ordi-
„ natas jam hostium acies ostendebat. Propter
„ quod ego, licèt equos commilitonum meorum
„ præ militia & longitudine itineris cognosce-
„ rem plurimùm fatigatos, & propterea ad su-
„ stinendum pondus prœlii minùs aptos: instru-
„ ctis tamen meis in illius nomine, cujus age-
„ batur negotium, aciebus, ex adverso ad pu-
„ gnam processi, & quamvis per magnam ho-
„ ram fuerit utrimque pugnatum, cedentibus
„ tamen Divinæ potentiæ, non meis viribus,
„ duabus prioribus hostium aciebus, omnes aliæ,
„ cùm non confiderent aggredientium posse
„ impetum sustinere, se fugæ remedio com-
„ miserunt; factaque est in ipso prœlio hostium
„ tanta strages, quòd celant campum oculis
„ superjacentia corpora occisorum. Nec tamen
„ omnes fugientes fugæ refugium salvos fecit,
„ quin major pars fugientium in gladio nostro-
„ rum ipsos persequentium eo copiosiùs cecide-
„ rit, quo dispersiùs fugiendo, nec unus tueba-
„ tur alterum, nec eis locus, ad quem fuge-
„ rent, apparebat. Magnum ergo numerum
„ captivorum ad carcerem nostrum hujusmodi
„ bellicus eventus adduxit, inter quos Jorda-
„ nus, & Bartholomæus, dictus Simplex, qui
„ nomen sibi Comitum hactenus usurparant,
„ eorumque fratres, nec non & Perusinus de
„ Florentia perfidissimus Gebellinæ factionis
„ auctor in vinculis detinentur. De his, qui
„ de primoribus partis adversæ in prœlio cor-
„ ruerunt, certam nondum habentes notitiam,
„ nihil vobis exprimimus propter festinam præ-
„ sentium missionem, licèt Galvanus, & Hen-
„ risnetus dicti Comites mihi à pluribus asse-
„ rantur in ipso prœlio corruisse. De Manfredo
„ verò utrum ceciderit in conflictu, vel captus
„ fuerit, vel evaserit, certum adhuc id non
„ habetur; dextrarius (*) tamen armatus, cui
„ insedisse dicitur, & quem habemus, sui casus
„ affert non modicum argumentum. Hæc igitur,
„ quæ in manu Domini me suscepisse cognosco,
„ ideo Beatitudini vestræ denuncio, ut Omni-
„ potenti Deo, qui per ministerium meum Ec-
„ clesiæ causam prosequitur, devotas pro tanto
„ triumpho gratias referentes, certam spem &
„ fiduciam habeatis, quòd eradicatis de Regno
„ Siciliæ scandalis, & seminariis scandalorum,
„ illud ad antiquam & consuetam devotionem
„ Romanæ Ecclesiæ plenè reducam, ad laudem
„ & gloriam Divini nominis, exaltationem &
„ pacem ipsius Ecclesiæ, & incolarum ejusdem
„ Regni statum prosperum & tranquillum.
„ Datum Beneventi XXVII. Februarii Indictione
„ VIII. Regni nostri Anno primo.

Idem Carolus Domino Summo Pontifici scripsit de morte dicti Regis Manfredi.

„ Triumphum mihi concessum cœlitus de
„ Manfredo hoste publico apud Beneventum nu-
„ per memini Sanctitati Vestræ meis literis de-
„ clarasse. Verùm quia invalescente verbo de
„ casu ejusdem hostis in conflictu, investigari
„ feci in campo inter corpora mortuorum, pro
„ eo etiam, quod nullus rumor ipsum Manfre-
„ dum ad locum aliquem prædicabat fugæ au-
„ xilio pervenisse. Contigit quòd die Dominica
„ XXVIII. Februarii, corpus ejus inventum est
„ nudum penitus inter cadavera peremtorum.

(*) Dextrarii erant equi majores & cataphracti quibus utebantur potissimùm in bellis & prœliis.

A „ Ne igitur error in tanto sibi negocio vendica-
„ ret fidem, Comiti Casertano fideli nostro,
„ Jordano & Bartholomæo olim dictis Comiti-
„ bus, & fratribus eorum, aliisque, qui eum
„ familiariter noverant & tractaverant, dum
„ vivebat, ostendi feci; qui cognoscentes cor-
„ pus prædictum, ipsum esse olim Manfredum
„ præter omne dubium communiter asserunt.
„ Ideoque naturali pietate inductus, corpus
„ ipsum cum quadam honorificentia sepulturæ
„ Ecclesiasticæ tradi feci. Datum &c.

CAP. XXXIII.

De acquisitione Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ.

B Dictus Carolus Comes Provinciæ à dicto Regno & à successione prædictorum Regum penitus alienus, intravit, cepit & obtinuit Regnum & Insulam Siciliæ cum Ducatu Apuliæ, & Principatu Capuæ, faciens se vocari ex tunc in antea Rex Siciliæ, non tamen à Siculis fuit coronatus in Regem, & regnavit in dicto Regno annis decem & septem.

CAP. XXXIV.

De querimonia dicti Conradi facta Principibus Alamanniæ.

C De quibus dictus Conradinus filius dicti quondam Regis Conradi, sentiens se gravatum, & querimoniam faciens apud Principes Imperii scripsit in hæc verba.

Conradus Secundus Dei gratiâ Jerusalem & Siciliæ Rex ac Dux sua . . . universis Imperii sacri Principibus per Theotoniam constitutis.

D „ Ex abundantia cordis os loquitur, & in-
„ juriæ nobis illatæ violentia referant
„ ostium labiorum, quoniam nequimus ullate-
„ nus ulterioris patientiæ silentio præterire, salva
„ tamen in omnibus Ecclesiæ Catholicæ sancti-
„ tate, quam cultu sacro & debita reverentia
„ toto corpore & corde veneramur, quod ad
„ nostram cautelam ulteriùs insidias & versu-
„ tias, astus fastusque partis alterius meritò
„ formidantes, coram Deo, qui corda scruta-
„ tur omnium, coram vobis & Christianis om-
„ nibus publicè protestamur. Cùm enim ma-
„ gnificus Rex Conradus divæ memoriæ carissi-
„ mus pater noster, testamento sollerter conto,
„ quondam tempore mortis suæ, nos tenellum
„ & infantulum in cunabulis vagientem, & non-
„ dum nutricis ab uberibus ablactatum, in ma-
„ nibus Sanctæ Matris Ecclesiæ reliquisset, spe-
„ rans ut nos benignè susciperet in brachiis ca-
„ ritatis, susceptum tractaret benignius, &
„ tractatum fideliter honoribus promoveret.
„ Audite qualiter Summus ille Pontifex, qui
„ tunc erat Dominus Innocentius (*nempe* IV.)
„ nocuit innocenti. Nam repentè postquam de-
„ vênit Papa currens, ut ardentibus desideriis
„ æstuabat, quod à patre nobis in pace reman-
„ serat, & pro nobis pacificè tenebatur, here-
„ ditarium regnum nostrum, quodque dudum
„ antiquitus progenitores nostri propriis asper-
„ sum sanguinibus cum mille quæsierunt labo-
„ ribus, quæsitum possederunt diutiùs, & pos-
„ sessum

Digitized by Google

„ sessum variis decoravere ornatibus, & diversis
„ decoribus ornaverunt: ipsum eripiens à manu
„ Domini Manfredi tunc Principis Tarentini,
„ invasit personaliter cum exercitu numeroso,
„ & sub prætextu liciti de se nostrum in eo ba-
„ lium prætendebat, totum suo dominio vendi-
„ cavit. Confestim verumtamen apprehensa
„ possessione, pravum intentionis nefariæ pro-
„ positum manifestans, & dicti regni tamquam
„ in ejus Regem totam in se præcisè transferens
„ pacem, paulatim nomen ibi delere nostrum,
„ extinguere fidem nostram, & jura pupilli regii
„ suffocare perpetuò satagebat: adeò quòd jam
„ ibi non sinebat de nobis fieri mentionem om-
„ nino, terras nostras munificè distribuere cœ-
„ pit in suos consanguineos & nepotes, velut
„ qui corrigias partitur in amplas corium alie-
„ num. Ecce qualiter, proh dolor! nobis exer-
„ cuit pietatem. Ecce quomodo nostræ tutelæ
„ decenter officio satisfecit. O severa patris
„ acerbitas, qui filium sinè fraude dolisve,
„ filium suis curis expositum sinè cura postpo-
„ suit, qui filium anoxium sed obnoxium potiùs
„ exhereditationis pœna perperam condemna-
„ vit! Postmodum verò cùm ille noster patruus
„ Manfridus Princeps Tarentinus, qui fortè
„ bona fide pro nobis à principio laborabat,
„ sufferre diutiùs tantam nequitiam nequivisset,
„ potenter resumsit denuo causam nostram, &
„ sub specie fidelitatis nostræ, sub nostri titulo
„ baliatus, post multos belli strepitus, post
„ diros conflictus, post altercationes innume-
„ ras, regnum ipsum non præter eorum inju-
„ riam de Rectorum Ecclesiæ manibus violen-
„ ter eripuit, & illud aliquandiu nostra pro
„ parte rexit: qui tandem, succedentibus pro-
„ speris, quæ frequenter hominum animos so-
„ lent ad insolentias alterare, oblitus sui san-
„ guinis, oblitus dominii, naturali fide, si fidem
„ habuerat, in perfidiam permutata, recipro-
„ cavit ad se negotium dicti regni, mentitus
„ est regnicolis mortem nostram, & sophisti-
„ cans in eo dominum, pseudo-regem se fecit,
„ ibi nobis ex hujusmodi fraudulentia suppli-
„ cantis (*): & ita fuit error pejor priore.
„ Nam graviorem fecit in eo nobis adversitas
„ præterita recidivam. O dolor! o nefas! o mi-
„ sera conditio pupillorum, quibus inde priùs
„ offensio nascitur, unde defensio sperabatur!
„ o sera cupîdo dominii temporalis, qua sacri
„ Pontifices & consanguinei leviter ad iniquam
„ fallaciam se dant! Excessu prædicto ab eodem
„ Manfredo temerè perpetrato, licèt beatæ me-
„ moriæ Dominus Alexander, qui in Sede Apo-
„ stolica præsidebat, contra illum graviter in-
„ dignatus, non quòd à nobis iniquò subtraxe-
„ rat; sed quòd ab eis extorserat regnum no-
„ strum, in ejus confusionem intenderet vehe-
„ menter, & pio spiritu motus, ut credimus,
„ ad nos super ipso tractatu venerabilem dire-
„ xit Episcopum Verulanum. Nihilominus ta-
„ men eodem præsente nobiscum, ad suggestio-
„ nem fortè fratrum de nobis gerentium con-
„ trariam voluntatem, per nuncios suos, &
„ literas Reges & Principes alios ad idem regni
„ nostri commercium similiter invitabat, aut
„ quia non erat datum à Deo desuper, aut
„ prædestinatum à fatis, ut per eos nancisce-
„ mur gratias & honores, quod quidem appa-
„ renter patuit per effectum operum subsequen-
„ tium, Domino Urbano, qui nobis extitit
„ inurbanus, ad Pontificatus officium elevato.

A „ Nam dum inter eum & ipsum Principem de
„ pace diutiùs ageretur, ventumque foret ad
„ punctum finaliter confirmandum, concordia
„ credebatur profectò secundùm ipsius formam,
„ & deinde Apostolicus æquus Pater, ad jus
„ nostrum respectu non habito, sed despecto,
„ regnum nostrum sibi & suis heredibus conce-
„ debat & etiam confirmabat; ultraque stipula-
„ batur eidem, ut contra nos in regni defen-
„ sione sibi juxta posse suum Ecclesia non dees-
„ set, ut ob ita ligatam simul geminam nostro-
„ rum potentiam fidelium baliorum, ad ejus
„ regni solium resurgere non possemus. Ah
„ Deus! non sufficiebat, eisdem baliis pupillum
„ exheredasse solummodo, nisi conjurantes sic
B „ invicem perpetuò deprimerent exheredem!
„ Cùm verò tractatus ipse sicut Domino pla-
„ cuit, caderet incompletus, & idem Summus
„ Pontifex in excidium dicti Principis exarde-
„ ret, non personam nostram, cui regnum no-
„ strum rationabiliter debebatur, quæ magis
„ accommoda, magis apta, satisque sufficiens
„ extitisset: unde sopita discordia quievisset pace
„ tranquilla populus Christianus, at veluti qui
„ non vênit mittere pacem, sed gladium, de-
„ lectatus etiam ex scandalis; ex quibus effusio
„ sanguinis sequeretur, & hominem extraneum
„ & à regno prædicto penitus alienum, Caro-
„ lum scilicet, in nostrum præjudicium ad no-
„ strum negotium invocavit, armans illum au-
C „ xiliis & conciliis contra illum. Qui post ejus
„ felicem obitum, iste successor ejus Sanctissi-
„ mus Pater noster Dominus Papa Clemens
„ non clementiam, sed inclementiam operatus
„ in nobis, evexit in regno prædicto nequiter
„ nostrum temerarium antiregem: qui demum
„ per omne nefas regnum ipsum obtinuit, ut
„ vobis incognitum non existit. Sed audite pro
„ Deo perfidiam per Deum & homines dete-
„ standam. Nam Saracenos Luceriæ contra
„ quos dum Papa sumendam Crucem fecerat
„ prædicari, in quorum gentes excidium sedu-
„ ctæ fuerant & adductæ, salvos illæsosque ser-
„ vavit, & Christianos regni prædicti miseros
„ non solùm exhausit rebus, sed occidit innu-
D „ meros, & afflixit reliquos cum mille generi-
„ bus tormentorum. Aperite oculos, & videte
„ qualiter isti sub specie recti Mundum deci-
„ piunt & eludunt. Videte si eis iterum in eo-
„ dem negotio sit credendum. Videte quomo-
„ do Cruce Christi fallaciter & in Christiano-
„ rum perniciem abutuntur. Heu! heu! quan-
„ tis injuriis, quantis fraudibus, quantis dolis,
„ hereditas nostra conversa est ad alienos, &
„ regnum nostrum transiit ad indebitum posses-
„ sorem! Postquam autem in ipsum Manfridum
„ irruit ira Dei propter commissum in nos pec-
„ catum, ut firmiter opinamen fuit, per ipsum
„ Carolum superatus & etiam interemtus, re-
„ gno prædicto nobis & sibi cum sua persona
E „ perdito culpâ sui, dum nos intra spem Impe-
„ rii jaceremus, quasi jacentes humiliter atto-
„ niti vel absconditi sub obscuro, factis aut di-
„ ctis neminem offendentes, tamquam pupillus
„ ferè desperatus ab omnibus, & etiam inho-
„ norus, idem Pontifex generalis rimatus est ad
„ instar solius renatoris, & ubi nos in Germa-
„ nia viventes invênit, ferens abominabilem
„ vitam nostram, & verens ne caput altiùs ali-
„ quando levaremus, veluti qui quærit in corio
„ pilum, & in scyrpo nodum, ut habeat no-
„ cendi materiam, & occasionem inveniat ma-
„ lignan-

(*) *fortè* supplantatis.

„ lignandi, pro eo quòd nobis etiam literis regni nostri Siciliæ titulus scribebatur, intendebat, ut audivimus, licèt tantam malitiam non credamus, in juventute inculpabilem & insontem de faretra sua sagittam mittere, & excommunicationis sententiam fulminare, non reputans esse satis, quòd contra Deum & omnem justitiam ablatum fuerat regnum nobis, nisi titulus tolleretur. Ah Deus quomodo nullam in eis justitiam, nullam misericordiam potuimus invenire. Ah Deus! si hoc in viridi, quid in arido fiet nobis? Si hæc in tanta pueritia passi sumus quid ab eis inantea præstolamur? Adhuc etiam pater à persecutionum instantia non desistens, sed omnem viam & modum excogitans, quibus nos posset perpetuò conculcare, si dici licuerit, extendit ad illicita manus suas, & falcem mittens in nostram messem præfatum Carolum per universam Italiam Romani Vicarium Imperii statuit in nostram injuriam manifestam, ut eo modo vires nostras reprimeret, & accessum nostrum ad regnum faciliùs impediret: sed dum ad id defecit in potestate auctoritas & auctoritatis potestas, inane pro certo redditur nomen & officium magistratus. Quid unquam mali fecimus, o Sancta Mater Ecclesia? quid in nos tuum devotum filium, olim pupillum tuæ tutelæ commissum, per tuos Rectores sic asperè noveratis? In quo te unquam offendimus, o venerande Pater, quòd ita conversus in vetitum, nos multimodè persequeris, & injustè fortè? verumtamen gravem offensam reputas quòd vivimus super terram: cùm sciat Deus, nos aliam nesciamus. Denique cùm vivere nequiremus ullatenus contra tot molestias & pressuras, ignorantes penitus quid facere deberemus, ille deorum Deus qui non reliquit in se sperantes, ecce suam nobis aperuit viam. Nam multi, sed innumeri nostri fideles tam de Imperio quam de Regno, zelo nimiæ fidelitatis accensi nostrum in adjutorium surrexerunt, exponentes pro nobis non solùm bona, sed personas, ut nos ad recuperationem nostrorum jurium magnificè suscitarent, qui apertis thesauris suis pretiosa nobis munera obtulerunt: aurum sicut Regi magno pro stipendiis gentis nostræ nobis ad affluentiam ministrantes. Nos itaque cognito, quod omnimodè necessarium erat nobis, apprehendimus arma & scutum & gladium ad bellum, militum copias armavimus justitia causæ nostræ, ut magnificum genus nostrum, quod jam longis & antiquis temporibus imperavit, nostra non degeneret in persona, & injuria taliter ipsum pessumdari non contingat, sed alta potentia nostræ domus, si annuerit, nostris temporibus relevetur, non ut adversùs eumdem Pontificem generalem contrarium aliquid cogitemus, quem patrem reputamus ac dominum, utinam nos filium & devotum relatione debita recognosceret, ut dicerem; sed in carum (*) prædictum amicum, nostrorumque jurium injuria detentorem nostram omnino volumus potentiam experiri machinalibus stafis secum pro justitia nostra ludere, & de nostris cum eo viribus in gladiis disputare. Deus enim respiciens ex cœlo justitiam, abominetur superbiam, & ferens de sancto suo throno sententiam, judicet æquitatem. Vestram igitur dilectionem deprecamur attentè, quo ad possumus, quatinus super his amodo, quam vobis nudam claramque describimus, cognita veritate, penes vestram conscientiam habeatis nostram innocentiam excusatam, & ad falsam subjectionem aliquorum forsitan dicentium contrarium aliquid non credatis, immo nobis in hac justissima causa nostra dare velitis auxilium, consilium & favorem, & eumdem Summum Pontificem ..... prodesset nobis utinam per vestras speciales literas exorantes, ut erga nos se gerens benigniùs furorem suum mitiget, & intuitu nostro mitigans motus suos, conceptam contra nos iram indignationis indignæ dignaretur vobis intercedentibus exarmare.

(*) *lege* Carolum.

CAP. XXXV.

De adventu Domini Conradi Capichii in Sicilia & acquisitione Saccæ, & quorundam aliorum locorum Siciliæ.

INterea verò post dictum conflictum dicti Regis Manfredi, dicto Rege Carolo tenente & possidente dictum Regnum Siciliæ, ut est dictum, quidam miles Neapolitanus nomine Conradus Capichi fidelis olim Regis Manfredi prædicti, causâ juris ferè volens recuperare dictum Regnum pro dicto Conradino, qui dicebatur venturus ad recuperationem dicti Regni, veniens transivit ad dictam Insulam Siciliæ, in terram videlicet Saccæ, & accepit terram ipsam, & illic faciens campum, congregavit & augmentavit gentem ejus de viris Guibillinis & habitantibus dictam Insulam, qui fugiebant de domo dicti Caroli ad dictum Conradum Capichi cum dicta gente congregata & augmentata, acquisivit & abstulit de manu dicti Regis Caroli loca Siciliæ infra scripta videlicet (**).

CAP. XXXVI.

De debellatione dicti Conradini.

POst autem prædicta dictus Conradinus colligens & sumens vires ejus vênit cum suo exercitu, & commisit prœlium cum dicto Carolo, XXIII. Augusti, XI. Indict. Anno Domini MCCLXVIII. De quo prœlio idem Carolus obtinuit victoriam, & proinde scripsit Summo Pontifici in hæc verba.

Sanctissimo in Christo Patri Domino suo C. Divinâ providentiâ Sacrosanctæ Romanæ, & universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Carolus Dei gratiâ Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, Andegaviæ, Provinciæ, Forcalquerii Comes, cum omni reverentia, & honore pedum osculamina devotorum.

„ EXpectatam diutiùs & desideratam à cunctis fidelibus nobis Orbis terræ lætitiam, vobis, Clementissime Pater, & Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ matri meæ tanquam suavitatis incensum humiliter offerens, supplico, ut surgens pater & comedens de venatione filii sui exsolvat gratias debitas Altissimo, & tam pater, quàm mater à suis deinceps laboribus conquiescat. Noveritis igitur, quòd „ manu

(**) Hic videtur aliquid deesse.

Digitized by Google

„ manu Domini, quæ mei tutrix est & patro-
„ na justitiæ, meos feliciter & salubriter diri-
„ gente processus, postquam Conradinus ejus-
„ que sequaces Regni mei finibus propinqua-
„ runt, quærentes foramina, per quæ possent
„ latenter ingredi, seque conjungere Saracenis;
„ Ego ipsos de passu in passum per tres dies
„ totidemque noctes sequens & persequens,
„ tandem pro certo percepto quòd dicti hostes
„ per Titleri partes ingressi sperabant per Mar-
„ ciana rura descendere, & pervenire Fulmo-
„ nam inter Sculculæ & Caurthii montes in
„ quadam planitie sua infelicia castra defixe-
„ rant, die Mercurii octava videlicet As-
„ sumptionis B. Virginis, de cujus potissimè
„ sperabam auxilio, de pratis Ovinuli secus
„ lacum Fuchini & villam Aveceni aciebus in-
„ structis, Divina me gratia comitante, de-
„ mum procedens ad quemdam collem prope
„ Albam, qui per duo parva milliaria distabat
„ ab hostibus, ex quo campus Palestinus se ex-
„ plicat, iter meum prosequendo perveni, &
„ hostium exinde castra prospiciens, quia gens
„ mea & equi potissimè erant præ labore ni-
„ mio fatigati, deliberavi & jussi castra metari
„ in eodem colle exercitum Christianum. Ho-
„ stes verò videntes vexilla nostra castrorum
„ suorum appropinquare terminis, dictique
„ exercitus formidantes aggressum, de castris
„ suis in campum cum omnibus eorum copiis
„ exiverunt, aspicientes gentem meam ad prœ-
„ lium præparatam, cum magna confusione,
„ meis post eos clamantibus, ad loca, de qui-
„ bus exiverant, sunt reversi. Sequenti autem
„ die orto jam Sole hostes de locis ipsis rece-
„ dentes, cœperunt prosequi ultra flumen quod
„ inter utrumque decurrebat exercitum, infau-
„ stis eorum auspiciis, iter suum: quod ego
„ diligenter advertens, statim in prædicti cam-
„ pi Palestini planitiem aciebus distinctis, &
„ ordinatis ad prœlium, in Divini nominis
„ virtute descendi procedens maturis gressibus
„ ex adverso, & cùm crederem consultiùs pro-
„ cessuros, ipsi castra sub ripam fluminis prope
„ villam Pontium, suis tamen aciebus nullate-
„ nus dissolutis, præter spem meam & meorum
„ omnium posuerunt, & intuentes quòd &
„ meus similiter castra metabatur exercitus,
„ demum flumen subitò cum magno impetu
„ trajecerunt. Ego verò de Divino præsidio
„ vestrarumque orationum confisus auxilio, in-
„ vocato Christi nomine, irrui celeriter & vi-
„ riliter in eosdem; & postquam fuit acerrimè
„ utrimque pugnatum, majori parte hostium
„ in ore gladii trucidata, reliqui licèt pauci
„ sustinere mei molem exercitus non valentes,
„ se fugæ præsidio commiserunt, quos mei se-
„ stinis gressibus insequentes, pro magna parte
„ per montes & nemora peremerunt. Facta est
„ itaque hostium tanta strages, quòd illa, quæ
„ in agro Beneventano de aliis Ecclesiæ perse-
„ cutoribus facta fuit, hujus respectu valde
„ modica reputatur. De Conradino autem &
„ Henrico Senatore nobis utrum in bello ceci-
„ derint, an per fugam evaserint; nulla in
„ confectione præsentium, quæ statim post vi-
„ ctoriam scriptæ fuerunt, haberi potuit certi-
„ tudo. Verùm equus, cui dictus Senator insi-
„ debat, à nostris, cùm sinè sessore fugeret,
„ captus fuit. Lætetur igitur Mater Ecclesia,
„ & pro tanto triumpho cœlitus ei per suorum
„ pugilum ministerium clementer indulto, in
„ jubilum supernæ laudis assurgat: quoniam
„ jam dedisse videtur Omnipotens Dominus
„ finem suis vexationibus, eamque de avidis
„ persecutorum suorum faucibus liberasse. Da-
„ tum in Campo Palestino XXIV. die Augusti,
„ XI. Indictione, Anno IV.

CAP. XXXVII.

De captione dicti Conradini, & ejus morte.

POst verò prædictum bellum dictus Conradinus unà cum Duce Stirlichi, Comite Gerardo & quàm pluribus aliis nobilibus captus fuit per Joannem Frayapani apud Astorem, & decapitatus apud Neapolim Anno Domini MCCLXX.

CAP. XXXVIII.

De rebellatione felicis urbis Panormi, & subsequenter totius Siciliæ.

QUo Conradino cum suo exercitu sic debellato & interfecto, & eodem Rege Carolo tenente dictum Regnum, quia idem Rex Carolus & sui officiales erant severissimi & crudeles contra Siculos, accidit quòd quodam die Martis, qui est infra primam hebdomadam Paschæ Dominicæ Resurrectionis, & qui tunc fuit dies ultimus mensis Martii, X. Indictione Anno à Nativit. Domini MCCLXXX. Anni Regni sui Siciliæ XVII. Jerusalem verò Anno VI. dum Panormitanenses erant celebrantes dies Paschales Domini extra civitatem Panormi, in plano Ecclesiæ S. Spiritus existentes in tenimento Panormi citra flumen, admirati aliqui Panormensium prædictorum, incœperunt clamare: *Moriantur Gallici, moriantur Gallici*. Et sic insurrexerunt omnes Panormitani adversùs dictos Gallicos, & interfecerunt Gallicos ipsos, & officiales ipsius Caroli. Et sic rebellantes de subito, sicut Domino placuit, contra ipsum Carolum, cùm nulla præveniret exinde aliqua provisio, & propterea statim post prædictam rebellationem eidem Panormenses scripserunt Messanensibus in hac forma.

Nobilibus civibus urbis egregiæ Messanensis sub Pharaone Principe plusquam in luto & latere ancillatis, Panormitani salutem & captivitatis jugum abjicere, & bravium accipere libertatis.

„ CONsurge, consurge filia Sion, induere
„ fortitudinem tuam, quæ jucunditatis
„ exuta vestibus, & vestimentis tuæ gloriæ de-
„ nudata, in die calamitatis & miseriæ, in
„ die amaritudinis & ignominiæ contabescis.
„ Noli ultra lamenta promere, quæ tui con-
„ temtum pariunt, sed tolle arma tua, arcum
„ & pharetram, & solve vincula colli tui.
„ Jam enim facta es in opprobrium vicinis tuis,
„ derisum & contemtum his, qui in circuitu
„ ejus sunt barbaris, & Christi fidelium inimi-
„ cis. Jam humilitati sunt velut Joseph in com-
„ pedibus pedes tui, & tamquam serva es pra-
„ vis Ismaëlitis viliter venumdata. Jam gentes
„ tibi improperant, ubi est Deus tuus? & cur
„ ultra expectas, & per patientiam vilis effice-
„ ris non solùm hostibus, sed & Creatori?
„ quid durius, quidve molestius plebs Israëliti-
„ ca sustulit temporibus Pharaonis, quàm quòd
„ draco iste magnus fecit, qui seducit univer-
„ sum Orbem, & se in hortum B. Petri & ele-
„ ctam

„ ctam Ecclesiæ vineam intulit his diebus? „ Hic est enim Satan solutus à vinculis, qui „ post mille ducentos annos conglutiens omnia, „ vitam aufert præsentium & gloriam futuro- „ rum. Quid igitur tibi profuit redemptio piis- „ simi Redemptoris, piissimi Salvatoris; si tunc „ eruta de fraude Diaboli, nunc in escam Dra- „ conis magni & Æthiopum populi devenisti? „ Heu miseri! quàm (a) vano fuimus errore „ decepti! Nosti Ecclesia mater nostra. Sicut „ enim Lucifer (b) discutiens tenebras in suo „ ortu clarus (c) apparet & rutilans; sic istius „ adventum in nostrum opinabamur prodire lu- „ men & gloriam cœlitus inspiratam, dicentes „ intra nos. Noli timere filia Sion ecce Rex „ tuus tibi vênit mansuetus, qui omnem à te „ tribulationem auferet, omnemque ibi mole- „ stiam extirpabit. Hic est Angelus, cujus in- „ gressum piscina desiderat cordis tui, ut sanet „ omnes languores tuos, qui te oleo lætitiæ „ præ (d) particibus tuis unget. Hic est Che- „ rubin, qui portas tibi aperiet Paradisi, & „ Raphael qui te tamquam uni cum Thobiæ „ filium à mortis laqueo præservabit. O infe- „ lix opinio, & spes fallax! Hic revera est „ Nero sævissimus, qui Dei Apostolos trucida- „ vit, & in matris necem crudeliter exarsit. „ Hic est ignis æterni judicii æqualiter omnia „ dissipans, & velut securis posita ad radicem. „ Proh dolor! Quem pastorem credidimus, est „ verissimè lupus rapax; & quem agnum pu- „ tavimus mansuetum, leonem ferocissimum ex- „ perimur. Heu! quid nostram sic fascinavit „ prudentiam, & vires nostri animi enervavit, „ ut gentes quæ ebrietati deserviunt, jugum „ nobis imponerent servitutis? Certè patientia „ ingens fecit: si igitur patientia est virtutum „ omnium condimentum cur nobis bonorum „ omnium attulit detrimentum? Sunt ne ista „ Principis & Pastoris, ut quos debet regere, „ pascere, & fovere destruat, (e) dissipet & „ evellat? Vehementi tamen admiratione mi- „ ramur, Dominam nostram & magnam Apo- „ stolicam Matrem Ecclesiam feritatem hujus „ Principis, & nequitiam sub silentio transmit- „ tere: Quomodo tanti ardoris fumus eam la- „ tere potuit convicinam, (f) cui de ultimis „ terræ finibus facta singula patefiunt? Sic au- „ tem jam humiliatus est in pulvere ventus „ noster, quòd jam dicere possumus (g) & „ debemus; *Beatæ steriles quæ non gignunt*, „ (h) *& beata ubera quæ non lactant*; & in „ laudem prorumpere Michaëlis, quod non re- „ stat aliud dicere, nisi Deus in adjutorium „ meum intende. Cùm igitur Divina potiùs „ quàm humana inspiratione compulsi, & li- „ bertatis antiquæ beneficium intendamus; ser- „ pentibus omnibus, quæ ad nostra pendebant „ ubera penitùs amputatis, & aspidum ovis „ oppressis; hortamur vos, fratres carissimi, ne „ in vanum gratiam Dei vos recipere contin- „ gat. Ecce namque tempus acceptabile, ecce „ nunc dies salutis vestræ. Nam milvus & hi- „ rundo visitationis suæ tempus, testante Domi- „ no, cognoverunt. Surge itaque, surge, illu- „ minare civitas generosa, & noctis caliginem „ procul pelle. Jam enim à Domino tibi dici- „ tur: *Tolle grabatum tuum & ambula*, cùm „ sana facta sis. Quæ sedebas in tenebris & „ umbra mortis viliter (i) tabescebas; leva „ in circuitu oculos tuos, & contemplare cœ- „ lum, novam gloriam libertatis. Non te de- „ cipiat falsus error, & simulata bonitas per- „ suadeat tyrannorum, quæ falsis blanditiis suis „ intendit intentionibus obviare, dum virtus „ eorum vires resumere valeat; quia nunc aquis „ Divinæ gratiæ est sopitum. Sed attende & „ considera, quod minus tyrannica pravitas „ exercuit in subjectis Christicolis, quàm in „ rebellibus Sarracenis. Melius est igitur nos „ mori viriliter in conflictu, quàm gentis no- „ stræ mala conspicere, & sub servitute tyran- „ nica viliter deperire. Heu miseri dum lau- „ dem Divinam diebus sacri jejunii, Passionis, „ & Resurrectionis Dominicæ, petebamus in „ Ecclesia, protinus ministri scelerum venientes, „ nos inde convitiosè trahebant, & ducentes „ ad carcerem cum clamore dicebant. *Solvi- „ te, solvite Paterini*. Nulla dies quantum- „ cumque celebris propter hoc poterat Divinis „ obsequiis deputari, nec feriæ, quæ in laudem „ Dei fuerunt per Catholicos Principes intro- „ ductæ, locum habebant apud tyrannicam „ tempestatem. Eramus enim tamquam oves „ errantes & animæ sinè fide. Nunc igitur cla- „ memus in cœlum, & miserebitur nostri Deus „ Omnipotens, qui sanat contritos corde, & „ alligat contritiones eorum, ut sit nobis turris „ fortitudinis à facie inimici, & gentes, quæ „ in sua feritate confidunt, potentiæ ipsius „ dextra comprimantur. Estote itaque fortes in „ bello, & cum antiquo serpente pugnate, & „ quasi modò geniti infantes rationabiles sinè „ dolo lac concupiscite libertatis, ut accipiatis „ justitiæ gratiam in præsenti & calamitatis fu- „ giatis miseriam in futuro; Valete carissimi. „ Datum Panormi XIII. die Aprilis, X. Indi- „ ctione.

Dictis itaque Gallicis interfectis, & eadem rebellione facta in Panormo, ut prælegitur, idem Panormitani statim invocaverunt nomen & patronatum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, subjicientes se protectioni & dominio Ecclesiæ Romanæ, absque subjectione Domini alicujus Regis, & regentes seu tenentes se in communi...

Infra quod tempus dicti Panormitani fecerunt de hominibus habitantibus in eadem urbe Panormitana tres hostes, seu acies & congregationes gentium, quas miserunt extra urbem prædictam Panormi ad civitates, terras, castra totius Siciliæ pro capiendis, invadendis, & rebellari similiter contra ipsum Regem Carolum faciendis dictis civitatibus, terris, castris, & locis ipsius Insulæ Siciliæ, ut essent ipsæ civitates terræ, castra & loca idem velle & idem nolle cum Panormitanis eisdem, quarum hostium, seu congregationum, una ivit versùs Cephaludium, altera versùs Castrum Johannis, & reliqua tertia versùs Calataphium. Quæ hostes seu congregationes tres Panormitanensium tunc temporis ceperunt, & invaserunt, & obtinuerunt pro majori parte civitates, terras, castra & loca ipsa alia, videlicet eorum voluntaria & reliqua invita infra primum mensem prædictæ rebellionis.

Interea communi Messanenses retinentes se sub dominio dicti Regis Caroli, & nolentes in prædictis sequi vestigia prædictorum Panormitanensium,

(a) *al.* gravi.
(b) *al.* fugans.
(c) *al.* clarius apparebat & nitidius.
(d) *al.* parentibus.
(e) *al.* devastet.
(f) *al.* in vicina.
(g) *al.* præsumimus.
(h) *al.* pariunt.
(i) *al.* infelicitor.

Digitized by Google

sium, & armaverunt novem galêas ad veniendum contra Panormum, quæ venerunt similiter cum hominibus & galêis partium principatus ad portum Panormi, extollentes seu alta voce clamantes in eodem portu laudum sive lausum dicti Regis Caroli: tamen inde ad paucos dies, in fine quasi dicti primi mensis dictæ rebellionis, dicti Messanenses galêam dictarum trium congregationum gentium Panormi, quæ applicuerat usque in cavam mœnium, & ibi interfecerat multos Gallicos illic inventos, rebellaverunt similiter contra dictum Regem Carolum; fecerunt cum Panormitanis unitatem, servantes dictam rebellionem, & alia tractantes contra dictum Regem Carolum ut Panormitanenses.

CAP. XXXIX.

De accessu dicti Regis Caroli in civitate Messanæ, & obsidione civitatis ipsius.

Dictus autem Rex Carolus, resumtis in brevi per eum viribus, vênit per Calabriam cum magno, immo cum maximo exercitu equitum & peditum, & transiens mare cum suo numeroso stolio galêarum, navium, & aliorum lignorum, quæ sibi præparaverat, & habebat præparata pro eundo ad passagium, quod contra Sarracenos facere intendebat, pervênit in Messanam infra dictum Annum X. Indictionis: qua dicta rebellio facta fuerat; sed nequiens dictam civitatem Messanæ suis viribus introire vel habere, obsedit eam & tenebat eam obsessam.

CAP. XL.

De adventu Regis Petri primi in Sicilia in ipsius Insulæ succursum.

Existente itaque dicta civitate Messanæ obsessa, ut prædicitur, Serenissimus Dominus Petrus Rex Aragonum, idemque maritus prædictæ Constantiæ filiæ relictæ ipsius quondam Regis Manfredi, ut scriptum est, existens in obsidione Ascoli, misit abinde quemdam suum nuncium, vocatum Dominum Petrum de Queralco militem ad Romanam Curiam, pro impetrando ab ea succursum in adjutorium dicti Regis Petri contra Sarracenos Ascoli, pro eo quòd idem Rex Aragonum nequibat in dicta obsidione Ascoli commodè stare, seu ab ea recedere vel exire.

Sed dum idem dictus Petrus de Queralco nuncius dicti Regis Aragonum in dicto viagio, quòd faciebat, ab Ascolo ad dictam Romanam Curiam provenisset, sicut Domino Deo placuit, ad maritimam S. Georgii de tenimento Panormi, & illuc de ligno, cum quo navigabat descendens & ab inde introiens dictam civitatem Panormi, invenisset populum Panormi congregatum in Ecclesia S. Mariæ de Admirato, pensantem tam securum & bonum statum eorum, quàm conquassationes dicti Regis Caroli & sequacium suorum, quàm etiam omnimodam libertatem & valitudinem dictæ civitatis Messanæ manentis obsessæ, ut præfertur, loquutus fuit ipse nuncius eidem populo Panormi dicens: *Et si vos vellitis, ego vobis nominarem optimum virum, inclytum, magnificum, bonis moribus, & vita fulgentem, ac strenuum Regem, quem habere possetis in caput, protectorem, gubernaculum, & Regem vestrum*, nominando ad hoc dictum Regem Petrum filium quondam Regis Jacobi Aragonum, maritum dictæ Reginæ Constantiæ filiæ quondam Regis Manfredi prædicti Regis olim Siciliæ: cui Reginæ Constantiæ asserebat pertinere dictum Regnum Siciliæ ex successione dicti Regis Manfredi patris sui.

Super qua locutione dicti nuncii ipsius Regis Petri dicti Panormitanenses collecto inter eos consilio diligenti, miserunt duos eorum nuncios seu ambaxatores, quorum unus fuit dictus Dominus Nicolaus Coppula miles de Panormo, & alter cognominabatur Rancus Porcella Catalanus, in Ascolum, ad dictum Regem Petrum, dicturos ex parte Panormitanensium ipsi Regi Petro, quòd veniret in Sicilia, efficiendus per eosdem Panormitanenses caput Siculorum.

Eisdemque ambaxatoribus Panormitanensium applicantibus in Ascolum, & referentibus eidem Regi Petro dictam ambaxatam, idem Rex statim proinde recessit Ascolo, veniens ab inde cum teridis (*) & galêis viginti duabus, navi una, & aliis parvis lignis armatis ad terram Trapani prædictæ Insulæ Siciliæ, in fine prædicti Anni, X. Indictione ejusdem, quo dicta rebellio facta fuit, ut prænotatur. Et à dicta terra Trapani dictus Rex Petrus veniens per terram in Panormo, fuit in eadem urbe felici Panormi per Panormitanenses eosdem admissus in Regem Siciliæ, incipiens habere titulum Regni Siciliæ penultimo die mensis Augusti ejusdem X. Indictionis, prædicto Anno à Nativitate Domini MCCLXXXII. Et proinde idem Rex Petrus scribi fecit ejus titulum in hæc verba: *Petrus Dei gratiâ Rex Aragonum & Siciliæ Regnorum suorum, Aragonum Anno septimo, Siciliæ verò primo*. Et regnavit in dicto Regno Siciliæ Annis tribus.

Quod cùm pervênit ad constantiam (**) dicti Regis Caroli: idem Rex Carolus scripsit proinde eidem Regi Petro hæc verba.

Carolus Dei gratiâ Jerusalem & Siciliæ Rex, Ducatus Apuliæ & Principatus Capuæ, Andegaviæ, Provinciæ, Folcarcherii Comes Petro filio quondam illustris viri Regis Aragonum &c.

„ SI de sanæ mentis consideratione, libratâ
„ lance justitiæ, tuum apprehendisses con-
„ silium, & si non ad fatuam animadversionem
„ mentis denuo delirasses, profectò tuas rapi-
„ das manus more violenti prædonis ad Re-
„ gnum nostrum Siciliæ, quod cum multis bel-
„ lorum angustiis & sanguinis effusione, & ex
„ aliis & nostro proprio sanguine ab occupan-
„ tium detentione, matre jubente retraximus &
„ suadente Ecclesia, nulla honoris & lucri af-
„ fectione protractus, aliquatenus convertisses:
„ sed veracissimè intuemur, quòd tuum est in-
„ fatuatum consilium, dum tui rapacem dex-
„ tram fuisti conatus extendere, ut captâ præ-
„ dâ, raptisque spoliis exultares. Non consi-
„ derasti, tu improbe, nostræ Matris Ecclesiæ
„ insuperabilem excellentiam, quæ cunctis ha-
„ bet nationibus imperare, & cui totus Orbis
„ terrarum, & omnes obediunt creaturæ; hæc
„ est in qua Dominus Deus fixit totius Chri-
„ stianæ Fidei fundamentum. Hæc est quam
„ pon-

(*) Teridæ seu Taridæ sunt naves onerariæ quas vulgò *Tartanas* vocant.

(**) *fortè* notitiam.

„ pontus, æthera colunt, prædicant & adorant
„ & tenentur ei omnes, qui sub Sole sunt,
„ reddere tributaria debita, & præstare obse-
„ quia capitibus inclinatis. Non considerasti
„ Celsitudinis nostræ potentiam, quæ altitudi-
„ nem collium reducit ad plana, montium
„ cacumina declinat, ad infima superborum
„ elata cornua destruit, & confundit, prava
„ in directa convertit, & aspera in vias planas
„ deducit. Et ne longæva petantur exempla,
„ considera, demens, considera ad quid quon-
„ dam Manfredi Principis Tarentinorum, filii
„ olim Friderici Romanorum Imperatoris So-
„ ceri tui devenerit ingeniosa potentia, dum
„ in campo Beneventano contra nos prœlium
„ attentasset. Ubi est ejus insuperabilis (a)
„ dignitas? ubi divitiarum opulenta fœcundi-
„ tas? ubi solatiorum & jocorum amœna jo-
„ cunditas? Hæc omnia cum suo Regno &
„ Principatu, & suo toto dominio unus dies
„ mœstus sustulit, & subjecit, dum ausus fuit
„ in campo belligero contra nostram potentiam
„ apparere. Animadverte, insane, ad quid
„ quondam Conradini tui affinis devenerit ela-
„ ta superbia? quomodo suus numerosus exer-
„ citus nostro marte prostratus est, & quomo-
„ do prædo in prædis mortis patibulum recto
„ judicio invenisset, ac crudelissimi spiculato-
„ ris gladio passus fuisset supplicium diræ mor-
„ tis. Hæc omnia te debuissent terrere, insi-
„ piens. Dicis enim in corde tuo: *non est*
„ *Deus*; corruptus & abominabilis factus es
„ gentibus, dum in talibus matrem offendis
„ Ecclesiam, hostem te præparas ceteris Chri-
„ stianis, sputum misisti in cœlum: ipsum in
„ faciem tuam cadet. Omnis enim, qui se ul-
„ tra sui statum extendit, superbo spiritu ad
„ alta ascendit, ruinæ detrimentum attingit.
„ Stultum namque & fatuum esse dignoscitur,
„ aliquem contra majorem, cui par esse non
„ potest, contendere, & debilem inermem in-
„ surgere contra fortem: nam ei sua tenuitas
„ tristes pariter eventus parat, & talium vita
„ semper prosperis successibus caruit. Quare
„ tibi tenore præsentium præcipiendo manda-
„ mus, quatenus confestim, lectis nostrarum
„ literarum apicibus, à Regno nostro Siciliæ
„ cum tua gente properè (b) discedas, &
„ numquam reversurus ab eo te totaliter de-
„ beas absentare: alioquin nostra victoriosa li-
„ lia tam per mare, quàm per terras sic hosti-
„ liter, sic potenter contra te & tuos compli-
„ ces dirigemus, quòd, Deo dante, cujus res
„ agitur, de te tuaque gente & de proditori-
„ bus Regni nostri Siciliæ, ac alii tales exter-
„ minium faciemus, sic quòd væ illis erit,
„ quia ad vasa non poterunt habere recursum,
„ qui se non poterunt à potentia nostri mirifici
„ exercitus absentare. Datum &c.

Ad quarum literarum tenorem idem Rex Petrus per ejus responsales literas respondit eidem Regi Carolo in hæc verba.

Petrus Dei gratiâ Aragonum & Siciliæ Rex, Carolo Andegaviæ, Provinciæ, & Forcalcherii Comiti &c.

„ DE magna tui cordis arrogantia superba
„ manavit epistola, quæ in singulis suis
„ partibus terribilibus coruscationibus visa est
„ ignes evomere, fulguris sagittas emittere, &
„ atroces (c) minas cervicibus eructare. Cujus
„ epistolæ intellecto & considerato tenore, de
„ nullius statera justitiæ ejus manabant loquelæ;
„ sed omni humilitate vacuæ procellosas am-
„ pullas & minarum grandines expergebant;
„ sed considerare debueras, quòd nec lepori-
„ nam imitemur naturam, nec pertimeamus
„ minas verborum tuorum frondibus arboris
„ leviores, nec meticulosarum ranarum mores
„ consequimur, quæ quovis sono pusillo fu-
„ giunt, se securas stagnorum suorum latebris re-
„ ceptantes. Citò enim vero experimento re-
„ cognoscere poteris, si nostros pedes conver-
„ temus in fugam, & si latebrosa receptacula
„ requiremus. O quantæ occisionis strage primò
„ terra madescet! o quanti sanguinis aspersione
„ mare tingetur! Nam ipsius procellæ liquido
„ tinctæ cruoris liquore peremta corpora pere-
„ grina ad litora transportabunt. Sed tunc si
„ more bellorum Aragonenses in aliquo offen-
„ dentur, cùm sinè strage utriusque partis bella
„ non possint procedere, speramus tamen in
„ Deo, in quo totum nostrum cogitatum &
„ ancoram spei nostræ jactavimus, quòd sic do-
„ cebit manus nostras ad prœlium, & digitos
„ nostros fortificabit ad bellum, quòd ingemi-
„ scet ac dolebit Gallica natio, de diro exter-
„ minio suæ gentis tristis erit Provincia, & sicut
„ Rachel lugebit de occisione filiorum suorum,
„ dum non videbit eos sua Sabbata venerari.
„ Insons Apulus & Calaber ingemiscent, &
„ latinis atque Græcis sonis in organum miseræ
„ lamentationis irrumpent. Tunc dicetur à
„ singulis: *Beatæ steriles, quæ non conceperunt,*
„ *& beatæ mammæ, quæ nullum filium lacta-*
„ *verunt*. Inflatus etiam tenor epistolæ tuæ
„ præfatæ Regis Manfredi soceri nostri nobilem
„ potentiam fuisse tuo marte præclusam, nec
„ non & Regis Conradi Secundi nostri affinis
„ floridam adolescentiam gladio tuo protervo,
„ (d) & iniquo judicio fuisse destructam, non
„ sinè tui elatione spiritus te jactabat. Sed non
„ consideras, impie, quòd unde credis acqui-
„ rere (e) gloriam, inde infamiæ tibi nota
„ assurgit, & periculum reservatur. Sanguis
„ enim ipsorum vociferatur super terram. Justæ
„ lacrymæ miserandæ matris Regis Conradi
„ ascendentes ad æthera jam cœli pulsavere
„ tribunal, & effusæ ante conspectum summi
„ Judicis & Regis æterni meruerunt exauditio-
„ nem attingere. Ipse enim sanguinem justum
„ vindicat, & ulciscitur interemtos filios inno-
„ centum: si verò tu Regem juvenem, adole-
„ scentem & agnum sinè macula, regni sui
„ jura recuperare volentem, raptum (f) à te
„ & ad occisionem deductum tua falsa & feroci
„ sententia condemnatum turpiter occidisti;
„ credis tam facinorosum scelus sinè pœna
„ transire, & peccatum transcendere sic enor-
„ me? O nephas! quantum tuus furor à ratio-
„ nis tramite deviavit, dum Regem captum
„ ad necis excidium tradidisti! O scelus nefan-
„ dum! Quis umquam princeps captum princi-
„ pem trucidavit? Nonne ille magnanimus Ale-
„ xander Porum Lindorum Regem captum in
„ bello non occidit, sed potiùs conservavit?
„ Et, ne longè exempla petamus; nonne tu &
„ magnificus Rex Franciæ frater tuus capti à
„ Sarracenorum Soldano, misericordiam implo-
„ rantes fuistis ab eo misericordiam consecuti?
„ Tu verò Nerone Neronior, & crudelior Sar-
„ ra-

(a) *al.* insuperbialis.
(b) *al.* improbrosè.
(c) *al.* injurias sermonis.
(d) *al.* spiculatorio.
(e) *al.* attingere.
(f) *al.* captum.

Digitized by Google

„ racenis, innocentem agnum in tuo reclusum
„ carcere mortis judicio subjecisti: propter quæ
„ destruat te Deus, quòd tam nefanda præ-
„ sumsisti, subvertendo regnum, Ducumque
„ clementiam in severitatem, & parcendi ge-
„ nus in severæ ultionis mortem impiè perver-
„ tendo. Viri enim sanguinum & dolosi suos
„ dies dimidiare non poterunt, ac regna diu
„ non stabunt, quæ (a) benigna clementia non
„ conservat. Considera, proterve, considera
„ quantam afflictionem miseris regnicolis intu-
„ listi. Nam non contentus eras indebitarum
„ collectarum ipsos gravare oneribus, sed sub-
„ tiles vias & occasiones tinctas colore menda-
„ cii invenire conatus es, per quas ipsos pro
„ rebus reos faceres, & ab eis tamquam à bar-
„ baris aurum subtiliter extorqueres, & quos
„ puræ fidei tenebat integritas, mendaciorum
„ maculabas infamia, ut ipsos à divitiis spolia-
„ res. Demum indiferenter omnes proditorum
„ nomine maculabas, ut eorum substantiam tu
„ insatiabilis usurarius usurpares, & post hoc
„ eis insontibus diræ necis supplicium inferres.
„ Unum tamen Deo nefandum & cunctis na-
„ tionibus odiosum ab horrida Gallicorum gente
„ non absque Dei judicio fuisset commissum,
„ quod prava gens tua Gallica lectum misera-
„ rum regnicolarum non sinè magna & eorum
„ gravi injuria violabat, & dum pro vindican-
„ dis eorum injuriis, & puniendis hujusmodi
„ sceleris patratoribus, ad te nitebantur recur-
„ rere, aditus negabatur eisdem. Tu verò
„ tamquam surdus & non audiens, non intendere
„ voces clamitosorum clamantium simulabas; &
„ sic audacia sceleris indultis (b) crescebat, &
„ pullulabat undique licentia tam nefandi sce-
„ leris patratorum. Hæc & alia innumerabilia
„ scelera de summo cardine Deus ultionum
„ respiciens, tuum, ut veraciter credimus,
„ dissipavit dominium, tuam superbam poten-
„ tiam deponet de sede, & nostram humilita-
„ tem dignabitur exaltare. Nam semper Deus
„ injustas (c) iras ulcere percutit gladio, nec
„ virgam peccatorum super sortem justorum
„ diu stare permittit, ne justi extendant ad im-
„ pia manus suas. Quid ergo, impie, tamquam
„ tubæ vocem tuam exaltas? non desines ab
„ ira tua, non desines? semper in tua superbia
„ malignaris. Jam Regis nomen non habes,
„ dum regnum amiseris. Hoc enim accidit ex
„ nutu divinæ spirationis Siculorum corda tan-
„ gentis, nec adhuc cognoscis, improbe, casum
„ tuum? Jam tua cadit superbia, nam superbis
„ Deus resistit, & frangens elatorum cornua,
„ respicit mansuetudinem humilium servientium
„ secundùm meritum, superbia cunctis gradibus
„ odiosa, amicos non habet. & undecumque
„ sibi congerit inimicos. Justam namque cau-
„ sam fovemus. Nam hereditaria jura regni
„ Siciliæ, Ducatus Apuliæ & Principatus Ca-
„ puæ serenissimæ dominæ uxoris nostræ, filiæ
„ quondam Regis Manfredi, & amitæ Regis
„ Conradi prosequimur: ad cujus prosecutionem
„ negotii jam Deus vias prosperas præparavit,
„ suam nobis licèt indignis auxiliantem dextram
„ porrigens, ut te altissimum, & tuis subditis
„ ac cunctis gentibus odiosum evellamus radi-
„ citus & confundamus; & non labores contra
„ nos cum spernendo tuo exercitu properare.
„ Nos enim sic contra te, sic magnificè, sic

(a) *al.* quæ Divina potentia non confirmat.
(b) *al.* indulta. *fortè* inulta.
(c) *al.* inultas.

A „ potenter, Deo nobis favente, eum nostro
„ victoriosissimo exercitu, tam per mare, quàm
„ per terras, cum nostris (d) insigniis vincen-
„ tibus veniemus, quòd te, tuam gentem, &
„ prolem de facie terræ delebimus; & Leonem,
„ qui pullos Aquilæ interficiens deplumavit,
„ nostro victoriosissimo dracone sic interficie-
„ mus morsibus toxicatis, & sic in nihilum re-
„ ducemus, quòd non invenietur de te memo-
„ ria super terram. Tunc sciens & sentiens
„ quid Aragonum dextra valet, quid tibi re-
„ gum interitus profuerit effuso (e) sanguine
„ innocentum. Datum &c.

De quo etiam processu facto per dictos Panormitanenses contra dictum Regem Carolum
B & suam gentem, dicti Panormitanenses scripserunt Sanctissimo Patri & Domino, Domino Martino tunc Papæ in hæc verba.

Sanctissimo Patri eorum & Domino, Domino M. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifici, Domini nostri Jesu Christi in terra vero Vicario, Petri Apostolorum Principis successori, ac totius Christianæ religionis Antistiti generali; universitas Siculorum terræ osculum ante pedes & flexis poplitibus ac manibus cancellatis.

C „ DUdum, Sanctissime Pater patrum, loqui
„ formidavimus, os in cœlum ponere titu-
„ bantes, sed ne taciturnitatis longa præstatio
„ per amplius delicta nostrarum videatur exag-
„ gerare culparum, si molestias ac jacturas in-
„ numeras ab altero Pharaone & ejus satelliti-
„ bus infrunitis nobis illatas inremissibiliter &
„ etiam incessanter personæ vestræ non pande-
„ remus: si possemus non facere minimè cura-
„ remus: atque ideo vestræ sinceritatis pectus
„ agnoscat, in cujus propitiationis (arca) ta-
„ bulas scientiæ perspicacis, virgam salutiferæ
„ correctionis, & manna mellifluæ pietatis
„ absque ullius ambiguitatis errore fore credi-
D „ mus, ministerio sperantium super nos immis-
„ sas de imperio primæ causæ, quod Gallicana
„ gens & fera gens absque consilio & sinè pru-
„ dentia, cujus intuitus ad præsentia tantùm,
„ & nunquam ad novissima figebatur: illa gens
„ videlicet data nobis desuper forsan ad no-
„ strorum piaculum peccatorum, quæ suis cul-
„ pis exigentibus passa est exterminium perso-
„ nale, subscriptis nos cladibus affligebat. Nam
„ putavimus in ipsorum dominationis primordio
„ prædecessorum exactorum sepultis jurgiis im-
„ portunis, sub pacis copia & opulentia, re-
„ quie gaudere, bonis habitis & habendis,
„ quoniam gens sancta, populus peculiaris Do-
„ mini à membris Ecclesiæ dicebatur: & unde
E „ credidimus provenire subsidium, inde, proh
„ dolor! invaluit intolerabile detrimentum, quo-
„ niam distractis bonis mobilibus ubicumque
„ poterant reperiri, & domibus dirutis debito-
„ rum, populares & nobiles, mares & fœmi-
„ nas, juvenes, virgines, senes & etiam junio-
„ res manicis ferreis immisericorditer alliga-
„ bant, esculenta & poculenta negantes taliter
„ alligatis, donec impiis exactoribus sacrifica-
„ ret de pecunia postulata. Qualiter insuper à
„ mi-

(d) *al.* signis victoriosioribus.
(e) *al.* & effusio sanguinis.

Digitized by Google

„ ministris impietatis cæderemur diversis gene-
„ ribus flagellorum, cùm unusquisque ipsorum
„ pugionem semper ad latus, gladium super
„ femur, baculum seu clavam in manibus de-
„ portaret, nos scimus, qui inermes & cæsi
„ ante faciem persequentium absque fortitudine
„ migrabamus, sed nostris cervicibus minaba-
„ mur, lassis requies non dabatur. Mirum in
„ modum cessaverat inter nos gaudium tympa-
„ norum, & qui solebamus inter alia de Euro-
„ pæ climatibus singularibus pollere tripudiis,
„ in ficus fatuas & salices steriles suspendeba-
„ mus organa super flumina Babilonis. O con-
„ fusio confusi populi, quem Deus non homo
„ confusibiliter sic confundit! flagellis & bono-
„ rum distractionibus non contenti, ad raptum
„ filiarum nostrarum, sororum pariter, & uxo-
„ rum impudentiùs satagebant, violenter pudi-
„ cas virgines violantes, & immaculatos thoros
„ turpiter maculantes. Videat ergo vester ocu-
„ lus scientiæ defœcatæ, & judicet vestra di-
„ rectionis virga judicii, & super ultiones tan-
„ torum scelerum vestræ manna dulcedinis
„ conspergatur. Quæ sequuntur autem de istius
„ capite pravitatis, quæ pactis (*) tribus lu-
„ stris & medio in nos exercuit tyrannicam
„ tempestatem sanctis vestris auribus non sor-
„ deant, nec valescant. Quamquam enim vos
„ natione Gallicum agnoscamus, & alicujus
„ scintilla doloris contra nos interdum minarum
„ & cædis . . . . erumpere, sicut humana ten-
„ tatio vos, ut alios homines, apprehendit: ta-
„ men in curru vestro sancto pectori stabilito
„ arca fœderis sic defertur, quòd quantumcum-
„ que vos patriæ naturalis amor alliciat, ad
„ dextram vel ad sinistram amore vel odio pe-
„ nitus non declinet: maximè cùm vobis pateat
„ luculenter quàm sit durum contra stimulum
„ calcitrare. Nam si primus Pharao desævit in
„ pueros Israëliticæ nationis, & in luto & pa-
„ leis afflixit populum Hebræorum; erant hæc
„ eis possibilia, licèt dura: secundus autem ad
„ impossibilia obligabat populum Siculorum,
„ cùm impossibilium obligatio per Leges super-
„ vacua judicetur, quoniam de salera tritici &
„ hordei data per regios maxarias violenter
„ agricolis certam expetebat in areis supradi-
„ ctorum victualium quantitatem, de centena-
„ rio omnium determinatum agnorum numerum
„ & agnarum, & certum pondus casei & bu-
„ tiri, pro qualibet sue præterea certum por-
„ cellorum numerum annuatim. Nec est reci-
„ tandum insuper de gallinis, pro quarum qua-
„ libet certos pullos & ova, aut pro ipsis pe-
„ cuniam determinatam; pro quolibet apum
„ alveario, cùm sint feræ naturæ, mellis &
„ ceræ certam exigens quantitatem. O faustus
„ vitanda . . . . O protervi cordis insania, quæ
„ non cogitabat algores hyemis; brumæque
„ pruinas, caloris flammas, extingui gelu atque
„ uredine segetes posse! Numquam cogitabat
„ quòd posset deficere fœcunditas à nuptiali,
„ & vernalis amœnitas . . . . tempore pertur-
„ bato posset cursum mutare solitum, & flores
„ & herbas non producere consuetas. Num
„ quidnam Siculorum subdebatur imperio, ut
„ ad ipsorum votum terra fructus temporaneos
„ exhiberet? Numquid ad eorum nutum oves,
„ sues, apes, simulque gallinæ poterant fœcun-
„ dari? Aliud præterea pestilentiæ genus inve-
„ nerat. Auro ebrius alter Cresus, ut nullus
„ evaderet, qui non sui morbi contagioso con-

(*) *fortè* peractis.

A „ tagio tangeretur, cujus contactus horribilis
„ horrendæ paupertatis ægritudinem afferebat,
„ quoniam divitibus invitis faciebat dari officia
„ secretiæ, mediocribus verò bajulationis do-
„ hanas, certasque tabellas modicas, à quibus
„ non secundùm cursum temporis, quo officia-
„ les fungebantur officiis, officiorum introitus
„ expetebat; sed secundùm ratam anni VII.
„ Indictionis primò præteritæ, in quo prædicti
„ proventus abundantiùs valuerunt. Quicquid
„ autem dicatur de quantitate prædicta officia-
„ lium, (de) facultatibus exigebat, quod ma-
„ gistri forestarum impietatis in Siculis exerce-
„ rent. Si quidem per aliquem aliqua fera be-
„ stia caperetur, quæ jure gentium & naturali
B „ ratione statim quod capiatur, conceditur oc-
„ cupanti, sicut gloriosorum Principum asserunt
„ sanctiones. Gravissima ab ipsis passi rerum
„ personarumque dispendia vix sufficiunt enar-
„ rare. Nec est sub silentio contegenda nefan-
„ da malignitas pincernarum, qui sub prætextu
„ unius vegetis de Salerno, quæ spacio magni
„ temporis suorum dominorum poterat usque
„ ad nausum insatiabiles satiare voragines, om-
„ nes civitates & cauponareos affligebant, uni-
„ versarum cauponarum videlicet vegetes sigil-
„ lantes. Sub certa igitur pœna inhibentes
„ eisdem, ne prædictas vegetes tangere quoli-
„ bet modo attentarent, quas pro præfatis do-
„ minis volebant penitus conservari: cujus ne-
C „ quitiæ molem sustinere tabernarii non valen-
„ tes, vegetes proprias pecunia redimebant.
„ Illud idem ministri sceleris de supellectibus
„ pauperum faciebant, à quibus post habilita-
„ tem suorum corporum iniquorum, turbato
„ juris ordine, ut ipsa patronis supellectilia
„ redderent, denarios expetebant. His taliter
„ prosequutis epistolaris sermo videtur exten-
„ sus; sed conceptum sermonem tenere quis
„ potuit? Non commisit talia Pharao Rex
„ Ægypti; & tamen post primogenitorum om-
„ nium necem in mari rubro currus ejus &
„ equites in mari & in aquis vehementibus sunt
„ submersi. Absit quod de Nabucodonosor talis
D „ recitetur Historia Danielis; sed per solam
„ mentis elatam locutionem à consortio homi-
„ num est ejectus, inducens ferinam effigiem,
„ & septem super ipsum tempora sunt mutata,
„ ut in ipsorum curriculo temporum se cogno-
„ scerent celsiores. Et quid Baltassar ei in re-
„ gno successor commiserit, nisi quòd cum vasis
„ sacratis sibi jusserit & suis propinari, (nam
„ legitur) & statim manus in pariete scribentis
„ apparuit, quæ appensum & minùs habentem,
„ atque ideo ab ipso descripsit regnum esse di-
„ visum. Numquid, Domine, manum Domini
„ esse abbreviatam dicemus? immo extenta
„ profusior ad iniquorum scelera mordaciùs
„ ulciscenda. Igitur cùm nihil in terra legitur
E „ fieri sinè causa, sicut bene novit vester consp-
„ cuus intellectus, scripturarum diligentior in-
„ dagatio, privare nos vestra misericordia non
„ debetis. Scitis enim quòd illico post stragem
„ sceleris ministrorum celeriter destinatam,
„ B Petri vexillum levavimus, Sanctam Ro-
„ manam Ecclesiam invocavimus pro tutrice.
„ Sed quia nos indignos B. Petri protectione
„ & vestra reputastis, ille, qui adstat desuper
„ infallibilis speculator, cui cura est æqualis de
„ omnibus tam majoris quàm pusillis, sicut lectio
„ divina testatur, alterum Petrum loco Petri
„ affectuosiùs invocati ex insperato in præsidium
„ no-

Digitized by Google

„ nostrum voluit cum paucis comitibus destina-
„ re, quod non vacat à mysterio, si Historiam
„ Gedeonis placebit diligentiùs perscrutari.
„ Anticipet ergo nos, Domine benigne, vestra
„ clementia, qua tenemini sequi vestigia opu-
„ lentissimi largitoris, nec ampliùs contra nos
„ vestræ zelus iræ desæviat, quoniam nunquam
„ Deus sic iræ per nos reddidisset interitum,
„ nisi detestabile reperiretur habuisse delictum.

CAP. XLI.

De recessu dicti Regis Caroli à Messana, & captione galearum triginta Regis Caroli jam dicti.

STatim itaque & in ipso instanti, quòd idem Petrus applicans Panormum, & admissus in Regem Siciliæ, incœpit habere titulum regni Siciliæ prædicti, ut est dictum, dum cum dictis Panormitanis pensabat de eundo cum exercitu suo maritimo & terrestri Panormo Messanam in succursum & favorem Messanensium, misit inde suum nuncium prædictum Dominum Petrum de Queralco militem suum ad prædictum Regem Carolum existentem in obsidione dictæ civitatis Messanæ, faciens dici per dictum ejus nuncium eidem Regi Carolo, quòd ipse Rex Carolus statim cum toto suo exercitu, & omni sua gente exiret de dicta Insula Siciliæ, & dimitteret ipsi Regi Petro dictam Insulam liberam & spatiatam de omni scrupulo dominii ipsius Regis Caroli: alioquin dictus Rex Petrus cum suo posset iret contra ipsum Regem Carolum, & exercitum ejus ad debellandum eosdem, & ad liberandum dictam civitatem Messanæ de obsidione præfata.

Dictus itaque Rex Carolus statim quòd ipsam habuit ambassatam, à dicto Domino Petro de Queralco ambassatore dicti Regis Petri, ea videlicet .... qua ipse ambassator applicuit ad ipsam obsidionem, timens vires dicti Regis Petri recessit, & fugiit cum toto suo exercitu prædicto de dicta obsidione ipsius civitatis Messanæ, de subito in eodem instanti dimittens dictam obsidionem, & relinquens ibi multa ex bonis suis dictæ obsidionis, & specialiter multam quantitatem vini.

Et sic idem Rex Petrus vadens Panormo Messanam, introivit in eadem civitate Messanæ, tenens Siculos omnes sub regimine & dominio suo.

Et in dicto recessu facto per dictum Regem Carolum & ejus exercitum à dicta obsidione, ac in dicto adventu dicti Regis Petri in Messanam gentes dicti Regis Petri navigantes cum dictis galêis & teridis Regis Petri prædicti in faro Messinæ, ceperunt de prædicto navigio dicti Regis Caroli galêas triginta, inter quas fuerunt galêæ quatuor Pisanorum.

CAP. XLII.

De adventu dictæ Reginæ Constantiæ in Sicilia.

TEmpore autem veris anni, XI. Indictionis tunc primò sequentis dictus Rex Petrus fecit venire de partibus Cataloniæ in Sicilia ad dictam civitatem Panormi tam prædictam inclytam Reginam, quàm Domp-Jacobum, Domp-Fredericum & Dominam Jolandam filios eorum Regis Petri & Reginæ Constantiæ, qui uxor & filii dicti Regis Petri celebrarunt Pascha Domi-

A nicæ Resurrectionis in dicta urbe Panormo dicto anno XI. Indictionis.

CAP. XLIII.

De transitu dicti Regis Petri in Calabria.

SUbsequenter verò in fine dicti anni XI. Indictionis. Idem Rex Petrus cum suo exercitu ivit de Messana in Calabriam usque ad planum Solani, ad invadendum & debellandum illic dictum Regem Carolum, & nanciscendum & sumendum suo dominio terras & loca Calabriæ supradictæ.

B

CAP. XLIV.

De duello faciendo inter dictos Regem Petrum & Regem Carolum.

SEd dum à modo ipsi Reges essent in dictis partibus Calabriæ, fecerunt illic inter eos pactum duelli hoc modo: ut ad certum terminum ad hoc inter eos præfixum deberent ipsi duo esse præsentes, & simul personaliter pugnare in quodam plano existente in territorio Burdelli: & quicumque eorum in dicta pugna succumberet, perderet jus, si quod in dicto regno Siciliæ (haberet,) & alteri ipsorum qui prævaleret in dicta pugna dictum jus idemque regnum pacifi è remanere deberet.

C

Ob quod pactum dictus Rex Carolus cum multitudine equitum & peditum suorum ivit ad civitatem Burdelli, præstolans illic adventum dicti Regis Petri pro dicta pugna illic committenda, ut supra. Interea tamen posuit insidias per passus, per quos idem Rex Petrus debebat transire, dum iret proinde Burdellum, ad hoc quòd à dictis insidiis dictus Rex Petrus in dicto suo transitu offenderetur, caperetur, vel necaretur.

Quod cùm pervenisset ad notitiam dicti Regis Petri, idem Rex Petrus volens sibi cavere ab insidiis in eundo Burdellum, ad dictam pugnam illic committendam, ut prædicitur, contulit se in Burdellum ut mercator ad hoc quòd in dicto suo transitu non cognosceretur, nec aliquatenus offenderetur ab insidiis ipsis in hunc modum: videlicet quòd duxit secum in sua comitiva tres tantùm equites, quorum unus fuit miles, secundus Notarius publicus, tertius fuit quidam venditor equorum dictus Petrus Zabacta, multùm bene cognitus in partibus illis: & quotienscumque ipse Rex Petrus, & ipsi de sua comitiva dum transirent per passus & loca dicti viagii, petebatur qui essent, respondebant ipsimet & alii cognoscebant dictum Petrum Navarra: & sic pervênit & applicuit ipse Rex Petrus penitus à dictis insidiis illæsus usque ad dictum planum Burdelli, in quo dicta pugna committi & fieri debebat inter dictos duos Reges die ultima termini, infra quem dicti Reges in dicto plano debebant esse præsentes, & illic simul pugnare ratione dicti pacti inter eos facti, ut præfertur.

D

E

Sed dum dicta die ultima ipsius termini dictus Rex Petrus venisset, & cùm ad dictum planum applicuit, neminem invenisset, dictus Rex Petrus eques armatus, adhibitis sibi illic clam & secretò ad ejusdem Regis Petri tractatum tam tenente locum Domini Burdelli in dicta civitate Burdelli, & quodam Notario publico dictæ civitatis, quàm aliquibus aliis personis civitatis ejusdem giravit tribus vicibus dictum planum,

Digitized by Google

protestans sibi quòd infra dictum terminum se præsentaverat in dicto plano ad dictam pugnam seu prœlium committendum inter eum & dictum Regem Carolum, & quòd pro eodem Rege Petro non remanebat quòd idem prœlium seu pugna non committeretur inter eum & dictum Regem Carolum, ut conventum extiterat inter ipsos; & de ipsis præsentatione & protestatione fieri sibi fecit dictus Rex Petrus ad ejus cautelam & excusationem à prædictis Notariis publicis publica documenta, & sic cum prædictis documentis publicis, & eisdem tribus viris de sua comitiva in occasu Solis dicti diei recessit dictus Rex Petrus de dicto plano Burdelli, & vênit ad suas Cataloniæ partes.

CAP. XLV.

De victoriis obtentis per dictum Regem Petrum & Siculos de gente Regis Francorum.

POst verò prædictum reditum dicti Regis Petri de Burdello in Catalonia, idem Rex Petrus inveniens civitatem suam Gironæ obsessam ab exercitu Regis Francorum, portans ferrum ad gentes dictæ obsidionis, obtinuit victoriam de eisdem.

Post quod prœlium per dictum Petrum Regem Dominus Rogerius de Lauria Ammiratus dicti Regis Petri vadens de Insula Siciliæ cum extoleo galêarum ipsius Insulæ in succursum dictæ civitatis Gironæ obsessæ, & inveniens extoleum galêarum & gentes dicti Regis Francorum apud Rosam partium Cataloniæ; commisit pro parte dicti Regis Petri ibi in Rosa prœlium cum dictis extoleis galêarum & gentibus dicti Regis Francorum, & debellavit ipse Ammiratus cum prædicto extoleo Siculorum dictum extoleum & gentem ipsius Regis Francorum. Et propterea dicta civitas Gironæ liberata fuit de prædicta obsidione (a).

CAP. XLVI.

De morte Regis Petri.

OBtentis verò per dictum Regem Petrum dictis victoriis, dictus Rex Petrus vulneratus in dicto terrestri prœlio per eum commisso, fractione tibiæ, diem suum clausit extremum apud Villam francam partium Cataloniæ in principio Anni XIV. Indictione, Anno Domini MCCLXXXV.

CAP. XLVII.

De dominio, & coronatione dicti Don Jacobi primogeniti dicti Regis Petri.

PRopter quam mortem dicti Regis Petri, dictus Don Jacobus filius primogenitus dictorum filiorum dicti Regis Petri incœpit dominari in dicto Regno Siciliæ XV. Decembris, XIV. Indictionis prædictæ, dicto Anno Domini MCCLXXXV.

Et postea secundo Februarii ejusdem XIV. Indictionis, ipse Don Jacobus coronatus fuit in urbe felici Panormi à Siculis in Regem Siciliæ, currente Anno à Nativit. Dom. MCCLXXXVI.

Et regnavit idem Rex Jacobus in dicto Regno Siciliæ à dicto tempore dictæ suæ coronationis in antea continuè usque ad Annum Domini MCCXCV. per totam videlicet diem XXVIII. mensis Octobris, IX. Indictionis. Quod tempus Regni prædicti Regis Jacobi fuit Anni novem, menses octo & dies viginti novem.

CAP. XLVIII.

De victoriis obtentis per dictum Regem Jacobum de dicto Rege Carolo, & subditis ejus.

INfra dictum tempus dicti sui Regni guerram habens, & proinde terra marique prœlia committens cum dicto Rege Carolo, & subditis suis: & de dicto Rege Carolo & sequentibus ejus idem Rex Jacobus per mare & per terras, multas & miras victorias obtinuit: quarum prima fuit per mare in portu Maltæ primo vel secundo Anno regni dicti Regis Jacobi contra extolium galêarum dicti Regis Caroli armatum in totum de viris Provincialibus, quorum fuit Ammiratus dictus Guillelmus de Curneri.

Secunda fuit Anno sequenti similiter per mare ante castrum ad mare Neapolis, in quo capti sunt Comites ejusdem Regis Caroli.

Tertia victoria fuit per mare similiter in mari Neapolis ante Castrum de Turre, in quo captus fuit Don Carolus tunc Princeps filius dicti Regis Caroli, & multi alii de melioribus lateris Caroli supradicti.

Quarta fuit per terram apud terram & Castrum Augustæ Insulæ Siciliæ, in qua capti fuerunt Dominus Raynaldus de Avello & sequaces ejus, quos idem Rex Carolus miserat, & poni fecerat in terra ipsa Augustæ anno captionis prædictorum comitum: modus verò captionis dicti Domini Raynaldi, & prædictorum sequacium ejus fuit talis, videlicet, quòd dictus Rex Jacobus per mare, & per terram obsedit dictam terram Augustæ cum prædictis Domino Raynaldo & sequentibus ejus inclusis in terra ipsa, & durante dicta obsidione recuperavit terram ipsam, & deinde castrum ipsius terræ cum prædictis hominibus inclusis in eo.

Quinta fuit in Marsalia, in qua captum fuit extolium galêarum, in quibus erat positus Henriginus de Mari.

Dictus verò Don Carolus positus & detentus fuit captivus per dictum Regem Jacobum in castro Matagriffuni civitatis Messanæ & deinde in castro Cephaludi, & postea delatus ab inde ad carcerem partium Cataloniæ.

Consequutus fuit etiam idem Rex Jacobus dicto tempore dicti sui Regni, & habuit Insulam Isdæ existentem in partes Principatus, & certa loca Calabriæ, inter quæ fuit civitas Rhegii.

Dicto verò Don Carolo capto & carcerato, ut prædicitur, in dicto castro Matagriffuni, idem Rex Carolus cum suo exercitu obsedit dictam civitatem Rhegii, quæ tunc temporis tenebatur per dictum Regem Jacobum, & timens, ne, si noceret dictæ terræ obsessæ, noceret eidem Carolo filio suo retento in carcere, sicut prædictum est, recessit de dicta obsidione: existente ipso Ammirato ipsius Regis Jacobi per totum tempus dicti sui Regni dicto Rogerio de Lauria, viro utique strenuo & experto & sollicito ad manutenendum Siculos & damnificandos hostes.

Sub

(a) Imo expugnata fuit à Philippo Rege Gerunda, ut docent Anonymus in libro 2. de rebus Siculis sub Frederico Rege, & Guillelmus Nangius in libro de gestis Philippi Audacis apud Chesnium, tom. 5. pag. 547.

Digitized by Google

Sub cujus Regni Jacobi dominio omnes existentes in Sicilia de bono in melius multiplicantes ditati sunt, & contenti plusquam dici posset de ipso Rege & regimine suo.

CAP. XLIX.

De morte dicti Regis Caroli.

INfra quod quidem tempus dicti Regni ipsius Regis Jacobi, Anno videlicet secundo vel tertio Regni Siciliæ sui ipsius Regis Jacobi, mortuus fuit dictus Rex Carolus, detento & existente in dicto carcere Cataloniæ dicto Principe Carolo filio suo.

CAP. L.

De liberatione dicti Principis Caroli.

MOdus verò liberationis dicti Principis Caroli à prædicto carcere fuit iste: videlicet, quòd ipso existente in dicto carcere, apud Calabriam tractata fuit pax inter dictum Regem Jacobum ex una parte, & ipsum Principem Carolum ex altera, operante Ecclesia Romana: & dum ipse tractatus fiebat, ipse Princeps exivit de ipso carcere; dimissis loco sui pro hostagiis in prædicto carcere Roberto & Aloyso filiis Principis ipsius.

CAP. LI.

De cessione Siciliæ facta Ecclesiæ Romanæ per Regem Jacobum supradictum.

ET ex prædicto tractatu dictæ pacis idem Rex Jacobus in fine dicti temporis prædicti sui Regni deseruit Siculos, Regnum & dominium dicti Regni & Insulæ Siciliæ, quod tenebat; & ipsam Insulam dimisit, & cessit Romanæ Ecclesiæ. Ex prædicto etiam tractatu dictæ pacis idem Rex Jacobus accepit tunc in suam uxorem Dominam Blancam filiam dicti Regis Caroli. Ex tractatu etiam prædicto Dominus Robertus filius dicti Principis accepit in uxorem suam supradictam Dominam Yolandam filiam quondam Regis Petri & Reginæ Constantiæ prædictorum, eamdemque sororem Regis Jacobi supradicti.

CAP. LII.

De liberatione Siculorum ab homagio dicti Regis Jacobi.

OB quas renunciationem, & cessionem factas per dictum Regem Jacobum de prædicta Insula Siciliæ, ut dictum est, Siculi per eorum ambaxatores, qui fuerunt Dominus Hugo Talac, & Dominus Johannes de Calata-gerono apud Villam Berteram de partibus Cataloniæ XXIX. die mensis Octobris prædictæ IX. Indictionis & prædicto Anno MCCXCV. coram dicto Domino Rege Jacobo & multitudine copiosa Baronum, militum, & aliorum nobilium fuerunt legitimè & solerter protestati, quòd ex quo dictus Rex Jacobus ipsos Siculos desereret, ut præfatur, ipsi Siculi eximebantur à dicti Regis Jacobi dominio & omnimoda potestate, & quòd erant & reputabant se penitus liberatos & legitimè absolutos ab omni sacramento, fidelitate, promissione, & homagio, quibus eidem Regi tamquam Domino hactenus tenebantur, & quòd ex tunc in antea liberi poterant sibi providere de Rege juxta eorum arbitrium & voluntatem, quorum protestationem dictus Rex Jacobus legitimam reputans acceptavit.

CAP. LIII.

De transitu dicti Frederici filii dicti quondam Regis Petri ad Dominum Papam Bonifacium.

INterea dum præmissa tractabantur, ut supra, Sanctissimus Pater & Dominus Papa Bonifacius scripsit eidem Domino Frederico fratri ejusdem Regis Jacobi, eidemque filio quondam Regis Petri & Reginæ Constantiæ præscriptorum in hæc verba.

Bonifacius Episcopus servus servorum Dei, nobili viro Frederico nato quondam Petri olim Regis Aragonum spiritum consilii & amoris.

„ AUdi, fili, diligenter verba patris, & „ intellige tuæ salutis augmentum grandi „ desiderio cupientis. Sanè non ignorare te „ volumus, quòd ab olim ante nostræ promo- „ tionis auspicia, domum tuam & progenito- „ rum tuorum generosis utique in Orbe terra- „ rum titulis coruscantem sinceris affectibus in „ nostram specialitatem dileximus, plenisque „ favoribus fuimus prosecuti, ad exaltationis „ suæ cumulum uberem vigilantibus studiis in- „ tendentes. Habuimus etiam sinceræ caritatis „ affectum ad personam inclyti quondam Petri „ olim Regis Aragonum patris tui, suique ho- „ noris & commodi libenter solicitèque promo- „ vimus incrementum. Quamobrem pectoris „ intima punctionis acerbæ sauciavit aculeus, „ cùm nostris insonuit auribus, quòd idem Pe- „ trus proprii honoris oblitus, suæque famæ „ decorem obnubilans, adversùs Romanam „ Ecclesiam Matrem suam inreverenter insur- „ gens, virium suarum potentiam contra illam, „ ejusque fideles & subditos exercebat: gratis „ ipsam, quam sibi favorabilem semper & gra- „ tiosam invenerat, prosequendo, quando quo- „ que Alfonsum germanum tuum cùm vitæ & „ commodis frueretur, carum in pectore gessi- „ mus, suique fuimus zelatores honoris, cujus „ obitus præmaturus nostris præcordiis non le- „ vis materiam turbationis ingessit: nam cùm „ pridem pro hujusmodi & aliis commissis no- „ bis ab Apostolica Sede negotiis essemus in „ ultramarinis partibus constituti, eum inve- „ nimus promptum & paratum ad omnia, quæ „ devotionem sinceram & reverentiam filialem „ erga præfatam Ecclesiam respicere digno- „ scuntur; nec ambigimus, quin ad ipsius Ec- „ clesiæ beneplacita, & mandata sub devotio- „ nis & humilitatis spiritu rediisset revera. Fili, „ nobis non existit incognitum, quòd nonnulli „ ex progenitoribus supradictis probatæ recti- „ tudinis intendentes mentibus erectis ad Do- „ minum, circa præfatam Ecclesiam, ejusque „ Pastores, qui fuerunt pro tempore, laudibilis „ devotionis & obedientiæ titulis claruerunt; „ Sed & ipsa velut mater benevola & sincera, „ & in gratiarum exhibitione munifica favori- „ bus illos constituit eximiis; amplis prævenit „ honoribus, & gloriosis impendiis extitit pro- „ secuta, cùm circa devotionis & reverentiæ „ filios suæ irriguum influat largitatis. Cùm „ itaque patris more benivoli de filiorum statu „ sol-

„ sollicitè cogitantes, tuam & fratrum tuorum
„ salutem, honorem, & commodum cupiamus;
„ ac propterea te ac ipsos curiosis & sollicitis
„ studiis revocare procuremus ab invio, per
„ quod tu & ipsi periculosè nimis inceditis, ut
„ ad salubrem rectamque semitam libentissimè
„ reduamus, nobilitatem tuam hortamur at-
„ tentiùs, tibique paternis affectibus suademus,
„ quatenus sedula meditatione discutiens quòd
„ durum est contra stimulum calcitrare, quòd-
„ que pugnare non est facilè contra Deum:
„ considerans etiam, & prudenter attendens
„ brevem stultitiam minoris esse dispendii,
„ quàm diffusam: quòdque Romana Ecclesia
„ Mater & magistra fidelium, cujus supra Fi-
„ dei firmam petram summus ille Pontifex ve-
„ rum constituit fundamentum, quanto ampliùs
„ duriùsque impetitur, tantò fortiùs invalescit,
„ cœlesti munimine stabilita, devotus & defe-
„ rens redire non differas, ad ipsius Ecclesiæ
„ promptæ semper ad veniam, beneplacita &
„ mandata: fratres tuos ad id vigilantibus stu-
„ diis inducendo: nam tu & ipsi eam vobis in-
„ venietis procul dubio favorabilem & beni-
„ gnam. Porrò dilectos filios nobilem virum
„ Manfridum dictum Lanceam, & Judicem
„ Rogerium de Germia benignè & affectuosè
„ recepimus intuitu destinantis, & tam quæ
„ nobis ex parte tua proponere voluerunt,
„ quàm quæ continebantur in literis per eos-
„ dem nobis transmissis attentè audivimus, &
„ intelleximus diligenter, prout ipsi, quos de
„ multæ discretionis industria & sollicitudinis
„ ac vigilationis studio commendamus, tibi re
„ ferre poterunt oraculo vivæ vocis. Quia ve-
„ rò super negotio, de quo agitur, quodque
„ potissimè insidet cordi nostro, tecum perso-
„ naliter habere colloquium affectamus, spe-
„ rantes in eo, à quo bona cuncta procedunt,
„ quòd exinde optati fructus & uberes produ-
„ centur, ecce dilectum filium Magistrum Ber-
„ nardum de Camerino, Capellanum nostrum,
„ latorem præsentium, virum utique provi-
„ dum, & discretum, ac nobis & fratribus
„ nostris meritis suæ probitatis acceptum, prop-
„ ter hoc ad te specialiter destinamus, qui te
„ super hoc de nostræ intentionis proposito ple-
„ niùs informabit. Nostræ autem voluntatis
„ existit, quòd in tuo, quem accelerari deside-
„ ramus, adventu Johannem de Procida, Ro-
„ gerium de Lauria, & nuncios supradictos,
„ ac nonnullos etiam probos viros de Siciliæ
„ partibus oriundos, sic plenum & sufficiens
„ mandatum habentes ad omnia & singula, quæ
„ negotium ipsum contingere dignoscuntur,
„ tecum habere non omittas; ut illis præsenti-
„ bus in prædicto negotio utiliùs & efficaciùs,
„ favente Domino procedatur. Ceterùm literas
„ de securo conducto tibi per Capellanum di-
„ rigimus memoratum datas Laterani tertio
„ Calendas Martii Pontificatus nostri anno I.

Quæ data fuit XXVII Februarii, VIII. Indictione, anno Domini MCCXCV.

Quibus literis Papalibus receptis per ipsum Dominum Fredericum, ipse Dominus volens super tenore dictarum literarum consulere Universitatem civitatis Panormi, scripsit eidem universitati, cum forma literarum Papalium prædictarum. Super quarum literarum dicti Domini Frederici tenore, dicta Universitas civitatis Panormi respondit eidem Domino Frederico in hæc verba:

A

Illustri Domino Infanti Frederico, &c. eorum Domino Bajulus & Judices & universi homines civitatis Panormi devoti sui seipsos ad pedes cum recommendatione, spiritum assumere, si placuerit, consilii melioris, quàm quem Apostolicæ Sedis apices assumendum eidem noviter descripserant.

„ Celsitudinis vestræ literas universitas no-
„ stra cum debita reverentia & honore
„ suscepit, per quas claruit universis, quòd
„ vestræ intentionis & propositi sit, in Urbe ad
„ Apostolicæ Sedis præsentiam se conferre, pro
„ his, quæ ad honorem spectant illustrissimi
„ Regis nostri & vestræ magnificentiæ procu-
„ randis, nec minùs pro bono statu nostræ Uni-
„ versitatis ac omnium Siculorum. Interclusam
„ quidem in eisdem literis recepimus formam
„ literarum, quas vobis Summus Pontifex per
„ suæ Sedis Legatum ad vos noviter destinatum
„ transmisit; per quas Celsitudini vestræ per-
„ suasum invenimus ab Apostolica Sede prædi-
„ cta, ut vos, quos ab invio, ut dicit, intendit
„ ad viam reducere devotionis & rectitudinis,
„ cùm ad hoc eumdem Summum Pontificem,
„ ut dicit, moveat caritas, quam erga perso-
„ nam inclytam quondam divæ memoriæ Re-
„ gis Petri genitoris vestri, & erga quondam
„ Regem Alfonsum germanum vestrum gessit,
„ antequam ad Summi Sacerdotii gradum fuis-
„ set promotus, ad ejus præsentiam unà cum
„ quibusdam nobilibus in eisdem literis nomi-
„ natis, & aliis de Siciliæ partibus oriundis, pro
„ habendo secum colloquio personaliter confe-
„ ratis, ac celeriter his, quæ præfatæ Sedis
„ Apostolicæ literæ continebant. Sed quàm sit
„ sedula, quàmque vigil existat, ut valeat in-
„ tercipere machinationes contra quas armorum
„ usus occubuit, & per quas potentia obpugnata
„ prolata est, universi nostrûm & singuli dubi-
„ tantes, ne dolus prævaleret, ne fortè & Ro-
„ manorum sagittas excellentia vestra, quod
„ absit, hostibus, quam gerunt affectionem,
„ & de vobis ac devotis vestris ultionem eis
„ exhibendam contraderent: turbati pariter &
„ diutiùs contristati, & de hujusmodi Celsitu-
„ dinis vestræ proposito posteriori per Univer-
„ sitatis vestræ Syndicos, & Ambassatores, quos
„ ad hoc tamquam fide dignos & sufficientes
„ elegimus, & quibus meritò tantæ causæ pon-
„ dus injungi potuit, videlicet Nicolaum de
„ Mayda Judicem, Petrum de Philosopho &
„ Judicem Philippum de Carastono concives
„ nostros dilectos, quæ inferiùs vobis scribimus,
„ ac vestræ Magnitudinis memoriæ reducenda
„ providimus, & eidem postremò duximus, ut
„ his examinatis, & perquisito, cur talia Sedes
„ Apostolica petat, & si ea compleri magnifi-
„ centiam vestram expediat, nec aliud quàm
„ laqueum, & . . . . diu machinata gignere
„ valeat. Annuat Celsitudo vestra quòd devo-
„ tio devotorum cupit, & totis intricationibus
„ expetit, occurrens, & rectorem suum non
„ modicis vigiliis hostium ordinatas, quanta
„ quidem affectione hic Summus Pontifex alii-
„ que Ministri Romanæ Ecclesiæ, ubi regni sui
„ Siciliæ dominium sumendum . . . . . jure
„ duxit, & ejus gubernacula Divino procul du-
„ bio nutu . . . . . eumdem genitorem vestrum
„ tractaverunt, Celsitudinem vestram non la-
„ teat. Nam & Legatos ejusdem Romanæ Ec-
„ clesiæ cum quondam Philippo Rege Franco-
„ rum

B C D E

„ rum in gentes & populos Cataloniæ suam sa-
„ vitiem exercuisse plusquam inclitè, & contra
„ semitam fundatoris ejusdem Ecclesiæ ac do-
„ ctrinam, plurimorumque relatibus, nec dubiè
„ quæcumque contra eumdem genitorem ve-
„ strum & ipsius honorem præfatæ Romanæ Ec-
„ clesiæ ministrantes excogitare, agere, & per-
„ ficere potuerunt, nulla ad eos simulatione
„ præterisse cognoscitis. Quantis etiam exerci-
„ tibus, quantisque hostibus contra inclytum
„ dominum Regem nostrum, & nos, ac devo-
„ tos vestros per eos admotis nisi sunt invadere
„ regnum Siciliæ, ipsiusque gentes dare supplì-
„ cio ultimo, & in ore gladii sternere, omnes
„ universæ terræ habitationes agnoscunt. Quan-
„ ta etiam sit fides eorumdem Ecclesiæ Mini-
„ strorum, & quanta tenacitate pactiones &
„ securitates observent, o quàm impiè in eos,
„ quos contra se deliquisse dicunt, se gesserunt
„ temporibus, quæ prioritas generavit, ab ex-
„ perto didicerunt omnes Montis-Feretani &
„ Communitas Urbinatum, & hi, qui ex con-
„ flictu quondam divæ memoriæ Domini Regis
„ Manfredi, & Domini quondam Conradi pro-
„ cubuerunt, in strage quorum motis excidium
„ eis imputando fore legitimum censemus judi-
„ cem cùm eos jam captos scientes eos esse
„ tradendos supplicio, per quondam Carolum
„ Provinciæ Comitem eos dissimulatione pere-
„ merunt, ipsorum mortis potentes occurrere.
„ Nam, ut dicit Decretum, Error, cui non
„ resistitur, approbatur. Quod etiam excogita-
„ runt sæpedictæ Pastores Ecclesiæ adversùs il-
„ lustrissimum quondam Fredericum II. Roma-
„ norum Imperatorem divæ recordationis pro-
„ avum vestrum, in subsidium Terræ Sanctæ
„ transitiones ad ultramarinas partes contra
„ Sanctissimæ Crucis hostes ipsius Ecclesiæ man-
„ dato feliciter militantem, & vos ab antiquio-
„ ribus scire potestis, & ad nos prior ætas
„ transmisit: quippe tradendus erat ipse Cæsar
„ Ministris Ecclesiæ, qui regni Siciliæ ac Impe-
„ rii diadema aliis fallaciter procurabant.
„ Scitis equidem quantis affectibus quondam
„ inclytus Dominus Rex Petrus genitor vester
„ negotium nostrum & omnium Siculorum as-
„ sumserit; & qualiter in eodem proposito per-
„ severans, suam personam, regnum patrimo-
„ niale, ac suos, & sua cuilibet periculo &
„ eventui deputaverit. Eodem verò inclyto
„ Rege Domino patre vestro in fata considen-
„ te, obvênit in filios memoria gestorum ab
„ invictissimo genitore, ut æquo animo causam
„ nostram recipere, & à nostro auxilio nullate-
„ nus deviarent. Rex namque inclytus Domi-
„ nus Jacobus frater vester simul atque recepit
„ diadema regni Siciliæ, suas vires suorumque
„ exercuit diutiùs contra hostes, & eo postmo-
„ dum vocato ad Aragonum regni patrimoniale
„ diadema sumendum, commisso per eum Cel-
„ situdini vestræ regimento regni Siciliæ, nos
„ totis nisibus ab insidiationibus hostium prote-
„ xistis. Misericordiæ verò commoti, citra
„ conscientiam dicti Domini fratris vestri, ut ex
„ tenore prædictarum Summi Pontificis litera-
„ rum plenè collegimus, in Urbe ad eumdem
„ Summum Pontificem ire disponitis: de quo
„ nimirum universi & singuli Universitatis ve-
„ stræ mirantur, si fortè confidatis in promissio-
„ nibus & assecuratione prædicti Summi Ponti-
„ ficis, quibus præcessores Principes Carolus
„ aliique hostes Regii olim captivi auctores
„ perjuriorum & perfidiæ speraverunt, & reipsa
„ senserunt aut experti sunt. Si terrent verba
„ ipsius Summi Pontificis scribentis, durum fore
„ admodum contra stimulum calcitrare, & non
„ facilè contra Deum pugnare. Nam nec ge-
„ nitor vester aut Dominus frater vester, nec
„ vos, aut nos contra hostes pugnantes, si con-
„ tra Deum has pugnæ fuissent, victoriam im-
„ portassemus aut gloriam; sed pauci dicto Co-
„ miti, multos in manus nostras inclusimus. Ju-
„ stam enim, immo justitiæ causam fovetis, &
„ certamen licitum intulistis. Ipse quidem ve-
„ stram & nos nostras referentes ad Deum,
„ hostes verò venerunt ad nos in multitudine
„ continuata & superba, ut disperderent nos,
„ & uxores nostras, & filios nostros, & ut spo-
„ liarent. Nos verò pugnavimus pro animabus
„ nostris, & ipse Dominus dominorum conti-
„ nuit eos ante faciem nostram miraculosè,
„ Quippe Dominum Ministrorum Romanæ Ec-
„ clesiæ ac nostrum adversùs hostes egisse om-
„ nibus patuit inhabitantium terram, ut unus
„ fugaret mille, & duo fugarent decem millia.
„ Non itaque contra Deum pugnatis, sed ob
„ justam & licitam defensionem honoris Domini
„ Regis & vestri, & protectionem gentium vel
„ cum omni spe & fiducia commissarum. Qua-
„ re universi nos & singuli Celsitudini vestræ
„ procumbentes ad pedes suppliciter exoramus,
„ quatenus recordantes quòd commissa sit vobis
„ nostra gubernatio & protectio, quas libenter
„ nos sumsisse fatemur, & magnitudo vestra no-
„ bis in quibus possemus recommendata extite-
„ rit per Dominum Regem nostrum in his re-
„ gimento ac gubernationibus moneatis, quæ
„ vobis committenda de nobis & è quo provi-
„ dit salubriter Regia Celsitudo: pensantes
„ quòd discessus vester aliorumque nobilium de
„ regno Siciliæ non posset aliud, quàm mala
„ plurima generare, & etiam quæ Celsitudini
„ vestræ super præmissis Ambassatores prædicti
„ pro parte nostra retulerint viva voce, crede-
„ re dignemini, & efficaciter exaudire, si pla-
„ cet. Nos autem pro vestræ Celsitudinis ho-
„ nore offerimus vobis nos & nostra omnia ad
„ vestræ Celsitudinis beneplacita & mandata.
„ Scriptum, &c.

Nihilo tamen idem Dominus Fredericus volens potiùs obedire in voluntate Summi Pontificis, quàm consilio Panormitanensium & aliorum Siculorum, contulit se cum prædictis nobilibus ad dictum Summum Pontificem, & applicans cum suo extolio galêarum ad maritimam Cercelli, descendit illic de galêis ipsis, & ab inde ivit per terram eques cum honorabili sua comitiva usque ad Billitri partium Campaniæ, ubi erat idem Papa in campis: & ibi in campis facto inter ipsum Summum Pontificem, & ipsum Dominum Fredericum cum eisdem nobilibus colloquio idem Dominus Fredericus statim recedens ab inde, rediit in Sicilia.

CAP. LIV.

De dominio & coronatione dicti Frederici.

ET intendens coronationi suæ regni prædicti Siciliæ scripsit Universitatibus singulorum Siciliæ locorum in hæc verba.

Fre-

Fredericus infans illustris Regis Aragonum & Siciliæ claræ memoriæ filius Bajulo, Judicibus, & universis hominibus, Patermonis devotis suis salutem & gratiam.

„ FEliciter dudum pro parte Vallis Mazaris
„ discurrentes indefessis studiis circa refor-
„ mationem status prosperi Siciliæ, & opportu-
„ na remedia exhibendo rumoribus aliquibus
„ intellectis, quibus fides aderat veritatis, per-
„ pensa deliberatione providimus pro pacifico
„ statu & tranquillo, & salubri apud civitatem
„ Panormi inter Syndicos omnium terrarum &
„ locorum Siciliæ, citra flumen Salsum gene-
„ rale colloquium celebrare: quibus ibidem
„ coadunatis à quampluribus Comitibus Baro-
„ nibus & aliis nobilibus juxta promissionem,
„ quam Siculis dudum in colloquio per nos
„ apud Melacium celebrato nostra fecerat Cel
„ situdo, quòd universos rumores & singulos
„ undecumque ad nostram pervenientes con-
„ scientiam, & specialiter super tractatu pacis
„ habito inter dictum Dominum fratrem no-
„ strum, Ecclesiam Romanam, & Principem
„ Carolum hostem nostrum eis patefacere de-
„ beremus, gerentes de conditione & tractatu
„ pacis ipsius notitiam & certitudinem plena-
„ riam, non absque vehementi turbatione
„ mentis & dolorum aculeis magnitudinem no-
„ stram oportuit inter alia in eodem colloquio
„ ibidem undecimo præsentis mensis celebrato,
„ publicè nunciare, & deducere ad notitiam
„ singulorum illustrem Regem Jacobum Domi-
„ num fratrem nostrum prædictum, cujus per-
„ sonam, honorem, & exaltationem nostram
„ propriam reputamus, in tractatu compositio-
„ nis & pacis prædictæ tractatæ & firmatæ in-
„ ter eum, Ecclesiam Romanam, & prædi-
„ ctum Principem Carolum hostem nostrum
„ Insulam Siciliæ, & alias terras Regni Siciliæ
„ ultra farum suo subjectas dominio dimisisse
„ Romanæ Ecclesiæ, & dicto Principi Carolo,
„ cedendo & renunciando juri & dominio,
„ quod habet & habere posset aliquo modo,
„ ratione, vel causa in dicto Siciliæ (Regno):
„ cujus qualitatem negotii iidem, ut prædici-
„ tur, memorati Comites, Barones, milites,
„ & Syndici ipsi, quos tanti casus concussit
„ acerbitas, considerantes, se tanti Regis, &
„ Domini dominio & auxilio irrationabiliter
„ destitutos, & attendentes, quòd in manu di-
„ cti Principis, qui quantum eorum sitiat mor-
„ tem & sanguinem per diversa Mundi clima-
„ ta publica fama laborat, de facili poterant,
„ quod absit, incidere, nos in eorum Dominum
„ unanimiter & humiliter implorarunt. Nos
„ igitur in virtute Altissimi confidentes, qui
„ fuit auctor & principium & status & negotii
„ Siculorum, ad precum nobilium & Syndico-
„ rum instantiam, petitionibus suis benignè
„ præstitimus voluntatis assensum, immensæ
„ devotionis ac fidei constantia, quam inviola-
„ biliter apud eos huc usque invenimus, nobis
„ rationabiliter & misericorditer suggerente,
„ ut ad defensionem & conservationem ipso-
„ rum, personam nostram, & singula, quæ ha-
„ bemus intrepidè & liberaliter exponamus, &
„ speramus in eo, qui huic Principi salubriora
„ & meliora media clementiâ suâ concessit, in
„ manu nostra continuabit in melius finem ne-
„ gotii, & tempora erunt Siculis omnibus sub
„ nostro dominio & protectione tranquilla.

A „ Considerato etenim, quòd ex quo prædicto
„ Domino fratri nostro placuit, juri & dominio
„ dicti Regni cedere, & de prædictorum nobi-
„ lium & Syndicorum unanimini voluntate pro-
„ cessit, nos in eorum Dominum eligere & ha-
„ bere: unde dicti Domini fratris nostri locum
„ & vicem à modo nos tenemus, & provisum ex-
„ titit de consilio sapientum; quòd præscripto
„ titulo nostræ literæ dirigantur, & quòd ba-
„ nitores & præcones in singulis terris & locis
„ nostri dominii, quotiens banna publicare
„ contigerit, dicant & banniant: *audite ban-*
„ *num & mandatum illustris Domini nostri Fre-*
„ *derici*, & in publicis instrumentis deinceps
„ conficiendis in eadem terra Patermonis, vi-
B „ delicet in principio Instrumentorum Notarius
„ publicus verbis istis utatur, videlicet: *Do-*
„ *minante inclyto Domino nostro Domino Fre-*
„ *derico illustris Regis Aragonum & Siciliæ*
„ *claræ memoriæ filio, dominii ejus Anno pri-*
„ *mo feliciter Amen*. Quæ omnia in prædicta
„ terra Patermonis observetis, & faciatis in-
„ violabiliter observari. Nuperrimè autem
„ certo certius nostra didicit Celsitudo, quòd
„ die Sabbati XXIX. die mensis Octobris pro-
„ ximè præteriti præsentis nonæ Indictionis
„ prædictus Dominus Rex apud Villam Ber-
„ tram de partibus Cataloniæ Siculorum nun-
„ ciis finale responsum hujusmodi dedit, quòd
„ Insulam Siciliæ in tractatu dictæ pacis Ro-
C „ manæ Ecclesiæ & dicto Principi Carolo di-
„ misit & cessit, renuncians juri quod in ea
„ habebat, ut superiùs est expressum. Qui Si-
„ culorum nuncii immensa doloris acerbitate
„ propterea contristati coram multitudine co-
„ piosa Baronum, militum, & aliorum nobi-
„ lium partium earundem, fuerunt legitimè &
„ solemniter protestati, quòd ex quo prædictus
„ Dominus Rex ipsos deseruerat, ut præfertur,
„ quòd ipsi nomine & pro parte omnium Si-
„ culorum, & ipsi Siculi se eximebant à suo
„ dominio & omnimoda potestate, & quòd
„ erant & reputabant se legitimè absolutos &
„ penitus liberatos ab omni sacramento, fide-
„ litate, promissione, & homagio, quibus ipsi
D „ eidem Regi tamquam Domino hactenus te-
„ nebantur: quòd de cetero liberè possunt &
„ debent eis providere de Domino & Rege
„ juxta eorum arbitrium. Voluntatem quorum
„ & protestationem prædictus Dominus Rex
„ legitimam reputando, coram prædictis nobi-
„ libus voluntariè acceptavit. De quibus pro-
„ testatione, & acceptatione ad æternam rei
„ memoriam & Siculorum cautelam prædicti
„ nuncii fecerunt sibi fieri legitima publica do-
„ cumenta. Eodem die à prædicto Rege me-
„ morati nuncii recesserunt, quos in eorum re-
„ cessu præfatus Dominus Rex rogavit, ut ipsi
„ deberent Dominam Reginam carissimam ma-
E „ trem suam & Dominam Yolandam sororem
„ ejus recommendare Siculis cariùs quàm va-
„ lerent, dicendo nunciis memoratis: De Do-
„ mino Frederico aliquatenus non rogamus,
„ quia ipse cùm miles sit, quod debeat agere
„ non ignorat, & vos quid oporteat facere be-
„ ne scitis. Et sequenti die Dominico penulti-
„ mo ejusdem mensis per Archiepiscopum ....
„ Ecclesiæ Romanæ Legatum, tunc ibidem
„ præsentem, interdictum quo dicta terra di-
„ cti Regis erat supposita, fuit penitus relaxa-
„ tum. Et eodem die prædictus Dominus Rex
„ ibidem colloquium celebrans, omnibus pu-
„ blicavit se Insulam Siciliæ dimisisse totaliter,
„ ut superiùs est expressum. Subsequenti au-

„ tem

Digitized by Google

„ tem die Lunæ ultimo mensis ejusdem prædi-
„ ctus Rex ad quamdam terram vocatam Fi-
„ gerias, distantem à prædicta Villa Bertram
„ per milliaria duo, se personaliter contulit,
„ ubi Princeps Carolus cum filia sua Domina
„ Blanca ejusdem Regis præstolabatur adven-
„ tum, qui Princeps memoratam filiam suam
„ eidem Regi tradidit in instanti, & prædictus
„ Dominus Rex statim immediatè restituit di-
„ cto Principi filios suos, & alios omnes obsi-
„ des, quos suo detinebat carceri mancipatos,
„ memorato Rege cum dicta Domina Blanca
„ ad prædictam Villam Bertram die eodem re-
„ deunte. Subsequenti verò die Martis primo
„ Novembris ibidem præfatus Dominus Rex
„ eamdem Dominam Blancam duxit, celebra-
„ tis nuptiis, in uxorem. Et quia supradicti
„ Comites, Barones, nobiles & Syndici ipsi
„ consultiùs providerunt, quòd vocatis & coa-
„ dunatis Syndicis omnium terrarum & loco-
„ rum totius Insulæ apud civitatem Catheriæ
„ XV. mensis Januarii primo venturi hujus
„ nonæ Indictionis, debemus ibidem generale
„ colloquium celebrare, & à Syndicis supradi-
„ ctis nomine & pro parte omnium terrarum
„ & locorum ipsorum fidelitatis & homagii
„ consueta recipere sacramenta, nosque eis sa-
„ cramento firmabimus inviolabiliter observare
„ ea, quæ ipsis pro bono & pacifico statu Re-
„ gni Siciliæ in ipso colloquio promittemus die
„ statuto, in quo Regni Siciliæ diadema feli-
„ citer assumemus. Quocirca devotioni vestræ
„ mandamus, quatinus statim præsentibus re-
„ ceptis, Syndicos vestros & de melioribus &
„ nobilioribus, sapientibus, ditioribus, & suffi-
„ cientibus vestrûm numero sex eligere stu-
„ deatis, quos electos cum decreto electionis
„ & approbationis ipsorum, ac vestrûm super
„ præmissis & aliis plenaria auctoritate sufful-
„ tos ad eos apud eamdem civitatem Catheriæ
„ pro causa prædicta infallibiliter in præscripto
„ termino destinetis. Datum &c. XII. Decem-
„ bris IX. Indictionis.

Et proinde dictus Don Fredericus, XII. Decembris IX. Indictionis Anno Domini prædicto MCCXCV. incœpit dominari in Insula Siciliæ habens titulum, ut supra dictum est, *dominante inclyto Domino nostro Domino Frederico infanti illustris Regis Aragonum & Siciliæ claræ memoriæ filii, dominii sui Anno primo*. Et subsequenter vigesimo quinto die mensis Martii ejusdem IX. Indictionis Anno à Nativitate Domini MCCXCVI. dictus Fredericus coronatus fuit in dicta urbe felici Panormi à Siculis in Regem Siciliæ; habens & tenens in suum Ammiratum prædictum Dominum Rogerium de Lauria, & in suos præpositos equitum bellatorum Dominum Blasium de Alagonia, Fratrem Raynaldum de Poncio, Dominum Guillelmum de Cartiliano Comitem Catanzari, & multos alios strenuos bellatores.

CAP. LV.

De transitu dicti Regis Frederici in Calabriam.

CUm quibus Ammirato, bellatoribus, & Siculis dictus Dominus Rex Fredericus tempore æstivo dicti Anni dictæ suæ coronationis transivit in Calabriam, & obtinuit & acquisivit à Rhegio usque ad Petiam Roseti.

CAP. LVI.

De recessu dictæ Dominæ Reginæ Constantiæ ac dicti Domini Rogerii Ammirati Siciliæ.

POst ea verò inter dictum Dominum Rogerium de Lauria Ammiratum ex una parte, & prædictos Dominum Blasium, Fratrem Raynaldum & alios præpositos equitum ortum est scandalum, per quod de permissione dicti Domini Regis Frederici prædicta Domina Regina Constantia mater sua, & prædictus Dominus Rogerius de Lauria, simul cum Domino Johanne de Procida Consiliario meliori & Cancellario ejusdem Domini Regis, recesserunt de Insula Siciliæ. Et tunc ipsa Domina Regina & ipse Dominus Johannes contulerunt se ab inde ad urbem Romæ, ubi mortui sunt, & prædictus Dominus Rogerius de Lauria contulit se ad dictum Regem Carolum, & effectus est ipsius Caroli fidelis & Ammiratus. Qui recessus ipsorum Dominorum de dicta Insula Siciliæ fuit Anno . . . .

CAP. LVII.

De rebellione & recuperatione castrorum Castellionis, FranKavillæ & Cypri.

PRopter quem recessum dicti Domini Rogerii de Lauria Ammirati Siciliæ castra Castellionis, Francavillæ, & Cypri, sita in dicta Insula Siciliæ, quæ erant ipsius Rogerii, & tenebantur pro eo per Dominum Johannem de Lauria nepotem dicti Domini Rogerii, rebellaverunt contra dictum Dominum Regem Fredericum: propter quam rebellionem idem Rex inde ad paucos dies obsedit ipsa castra violenter, obtinuit & recuperavit ea cum labore, assecuratis tamen & affidatis per Dominum dictum Regem, & dimissis statim ab inde ire Neapolim ad servitia dicti Regis Caroli tam dicto Domino Johanne de Lauria, & Domina Ylaria uxore sua eademque filia Domini Manfredi Malecto Comitis Camerarii, ac Rogerio de Lauria filio dicti Ammirati, existentibus in prædicto castro Castilioni, quàm aliis de eorum comitivis & consortio existentibus in omnibus dictis castris.

CAP. LVIII.

De Domino Conrado Auriæ constituto in omnibus dictis castris.

ET sic dictus Dominus Rex Fredericus providit sibi de altero Ammirato, constituit atque fecit ejus Ammiratum Dominum Conradum Auriæ Januensem.

CAP. LIX.

De adventu dicti Regis Jacobi, & Ducis Roberti, & captione Patrarum, & obsidione Siracusiæ.

POst verò prædicta, operante supradicto Papa Bonifacio antedicto, dictus Rex Jacobus olim Rex Siciliæ, & prædictus Dominus Robertus Dux Calabriæ, filius ipsius Regis Caroli cum prædicto Domino Rogerio de Lauria cum eorum extoleo galêarum & exercitu magno equi-

Digitized by Google

equitum & peditum venerunt XXIV. Augusti XI. Indictionis primo tunc sequentis anno Domini MCCXCVIII. in Sicilia, eo prætextu quòd idem Rex Jacobus induceret ipsum Dominum Robertum, nomine dicti sui patris in possessione Insulæ Siciliæ, prout pactum dicitur inter eos in tractatu prædictæ eorum pacis, & in dicto adventu applicuerunt primùm ad maritimam civitatem Pactarum, & illic facientes portum, ceperunt & habuerunt absque aliquo ictu dictam civitatem Pactarum primo die mensis Septembris XII. Indictionis dicto anno Domini MCCXCVIII. & subsequenter contulerunt se cum quodam Cardinale nomine Domino Landulpho de Bulcano ad civitatem Siragusiæ in fine mensis Octobris XII. Indictionis prædictæ, & non permissi intrare in dictam civitatem, obsederunt eam obsessam prœliabant eam, & intulerunt eidem civitati dira discrimina guerræ mensibus ferè quatuor & dimidio, numeratis à dicto fine dicti mensis Octobris antea.

CAP. LX.

De captione dicti Domini Johannis de Lauria, & galearum dicti Regis Jacobi, & captione ipsius Domini Johannis.

Dicta itaque civitate Siragusiæ manente sic obsessa, & defendente se à dictis hostibus prædictus Dominus Johannes de Lauria nepos dicti Domini Rogerii cum galêis à decem & septem supra armatis de gente Catalanorum recedentes de dicta obsidione ivit ad Pactas, & postea volens ab inde redire in Siragusiam, transivit per farum Messinæ, quem transitum sentientes Messanenses, statim ex improviso ipso die dicti transitus armaverunt galêas viginti duas, cum quibus irruerunt in dictum Dominum Johannem, & ipsas ejus galêas debellaverunt, & ceperunt sex, eumdem, & quatuordecim ex dictis galêis, duxerunt ipsos captos in Messanam. Deinde dicti Catalani capti in dictis galêis fuerunt positi & retenti in carceribus Messanæ & Panormi, & ipse Dominus Johannes in dicta civitate Messanæ per magnam Regiam Curiam fuit condemnatus ad detruncationem capitis, & sic extitit decapitatus & mortuus; & ipsis Catalanis mortuis impositum fuit nomen per Siculos, videlicet, quòd vocati sunt Garsaguini.

CAP. LXI.

De recessu dictorum Regis Jacobi Ducis, & Cardinalis de dicta obsidione.

Qua detentione & captione dicti Domini Johannis & sequacium ejus prædictorum veniente ad conscientiam & notitiam ipsorum Regis Jacobi, Domini Roberti, & Cardinalis, tenentium obsessam, ut prædicitur, dictam civitatem Siracusiam, dicti Domini cum eorum exercitu recesserunt statim de dicta obsidione, & redierunt in Neapolim.

(*) *supra* de Valle Dominæ.

CAP. LXII.

De reditu dictorum hostium in Sicilia, & victoria per eos obtenta, de dicto Rege Frederico, & Siculis.

Et deinde resumentes eorum vires, & augmentantes eorum exercitum, redierunt in Siciliam ad maritimam Sancti Marci de Valle Deminæ (*) in Flomariam Ficaliæ, & ibi ceperunt terram tempore æstivo XII. Indictionis Anno Domini MCCXCIX. Regni dicti Domini Frederici Anno IV. Quo facto dictorum hostium perveniente ad notitiam dicti Domini Regis Frederici, idem Rex congregato in Messana suo extolio galêarum infra dictum tempus æstivum ejusdem anni, ivit personaliter cum dicto extolio & omnibus Magnatis dictæ Insulæ Siciliæ, contra prædictos suos hostes, & commisso inter eos prœlio quarto die mensis Julii ejusdem XII. Indictionis, idem Dominus Rex Fredericus à dictis suis hostibus in dicto prœlio extitit debellatus, non tamen captus, quòd ipse cum galêa sua & aliquibus suis galêis ab inde aufugit, captis & missis ad carceres Catalonia & partium Principatus reliquis dicti extolii Siculorum debellatis: inter quos captos & carceratos fuerunt nobiles Siciliæ, & pro vindicatione mortis, & decapitationis dicti Domini Johannis de Lauria decapitati, ut prædicitur in Messana, multi Messanenses fuerunt lanceati, & gladio interfecti per dictum Dominum Rogerium de Lauria post dictam debellationem in dicta maritima S. Marci, de quo conflictu dictus Dominus Rex Fredericus scripsit Panormitanis in hæc verba.

Fredericus Tertius Dei gratiâ Rex Siciliæ Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ &c.

„ Insulam & fideles nostros Siciliæ à nostro-
„ rum hostium insultibus, & insidiis defen-
„ sare conantes, cum nostro extolio die Ve-
„ neris tertio præsentis mensis Julii in sero per-
„ venimus ad maritimam S. Marci de Valle
„ Deminæ, ubi intellexerat nostra Serenitas
„ prædictorum hostium galêas insistere, & se-
„ quenti die Sabbati quarto ejusdem in prædi-
„ ctas galêas hostium morantes ibidem, viriliter
„ ter & animosè irruimus, & dum pugna inter
„ utrumque extolium committeretur, à fortuna
„ & casu acciderat, quòd tam galêa, in qua
„ eramus, quàm multæ galêæ nostræ, videlicet
„ meliores & magnæ & sufficienter armatæ,
„ per quarum vigorem & potentiam sperabamus
„ in Domino de prædictis hostibus obtinere
„ victoriam, sic intra seipsas remis involutæ
„ & impeditæ fuerunt, quòd aliqua ipsarum
„ contra prædictas galêas hostium pugnare non
„ potuit, quædam de galêis nostris à sexdecim
„ usque ad decem & octo per prædictas galêas
„ hostium captæ fuerunt nobis, omnibus aliis
„ galêis dicti nostri extolii redeuntibus in Mes-
„ sanam. Et quia bellorum & guerrarum requi-
„ rit status, & qualitas conflictus, hinc inde
„ fieri, & quandoque uni parti, & quandoque
„ alteri concedi & dari victoriam, & sic no-
„ torium est, nec minùs ipsa rei veritas & pu-
„ blica fama testatur, quòd de prædictis hosti-
„ bus

Digitized by Google

„ bus multiplices, majores, ac diversas victo-
„ rias terra marique nobis concessit Altissimus,
„ & in eo firmiter credimus, & pro certo speramus, nedum prædictam Insulam & fideles
„ nostros à prædictis hostibus viriliter & potenter defendere, verùm etiam resumtis &
„ collectis hinc inde viribus & fortitudine, hostium ipsorum cladem & excidium procurare: fidelitatem vestram hortamur & requirimus nihilominus expressè per . . . quatinus
„ occasione captionis prædictarum galêarum
„ corda vestræ devotionis & fidei non vertantur, nec dubitent: sed consideratis victoriis,
„ quibus Omnipotentis dextera nos dotavit, &
„ dotabit in melius, spiritum totius confortationis & vigoris erga dominium & fidem nostram assumatis. Circa diligentem salubrem
„ & tutam custodiam, fortificationem & defensionem prædictæ civitatis sic die noctuque
„ ferventer, inviolabiliter, & efficaciter intendatis, quòd civitas ipsa à prædictorum hostium studiis, machinationibus, & insultibus
„ & potenter & salubriter custodiatur, & defendatur illæsa; & effectu operum vos sic donis & gratiis ampliare & gerere pollicemur,
„ quòd tot & tantis servitiis insudasse gaudebitis, & ceterum alii ad similia, & majora
„ promtiùs & animosiùs inducentur, nos enim
„ habita certitudine de processibus prædictorum hostium, quod intendebant agere, &
„ versùs quas partes procedere ad partes Siciliæ, videlicet illas partes, ad quas eos velle
„ declinare sciveramus; nostrum su. cursum &
„ auxilium, quod magis necessarium fore videbimus, item vestrum cum toto exfortio post
„ se cum nostris feliciter dirigemus. Datum
„ Messanæ VI. Julii, XII. Indictionis regni no
„ stri Anno IV.

CAP. LXIII.

De obsidione Messanæ, & rebellione Isclæ.

QUa debellatione dicti extolii Siculorum facta, ut præscribitur, dictus Dominus Rogerius de Lauria cum extolio galêarum dictorum hostium ivit ad mare Messanæ in portu Rhegii, & tenens obsessam per mare dictam civitatem Messanæ: propter quam obsessionem Messanenses passi sunt inopiam rerum comestibilium, & vivebant in maxima fame: ita quòd proinde populus immunitus nequiens ibi manere, fugit ab inde ad alia loca Siciliæ: ex qua fuga multi ex dictis fugientibus in dicta fuga mortui sunt. Et tunc temporis dictæ debellationis Dominus Petrus Salvacossa Procentinus prædictæ Insulæ Isclæ acquisitæ, ut prædicitur, per Siculos tempore regni dicti Regis Jacobi, recedens simul cum prædicto Rege Frederico de prædicto conflictu rediit abinde cum galêa sua ad dictam Insulam Isclæ, & restituit eam ipsi Regi Carolo, debellando contra dictum Regem Fredericum. Dictus autem Rex Jacobus, facto prœlio, rediit ab inde ad partes suas Cataloniæ, remanente in Sicilia dicto Duce Roberto cum extolio & exercitu suis.

CAP. LXIV.

De rebellatione Cataniæ, & aliorum infrascriptorum locorum.

QUa de causa infra & post tempora ipsa, dum prædicta sic fiebant & tractabantur in Sicilia, rebellaverunt contra dictum Dominum Regem Fredericum ad dominium dicti Regis Caroli civitas Cataniæ, & alia loca, Castra & Terræ dictæ Insulæ Siciliæ infrascripta, videlicet civitas Cataniæ prædicta, Terræ & Castra Patermonis, Adermonis, Gangii, Jacii, Aidoni, Ficariæ, Nasi, Ligudiæ, Bizini, Noti, Ragusiæ, Rachal-Johannis, Claromontis, Palazoli, Castilioni, Francavillæ, Tripi, Petrepiciæ, Sicli, Tavurmenii, S. Fradelli, Ferulæ, Capud-Urlandi, Melacii, Monforti, Prissiæ, Pactarum, S. Petri de Pactis Therinarum, Castri ad mare de Gulfo, Busierni, Turris-Mascali. Aliqua videlicet eorum voluntaria, & reliqua præ timore multitudinis dictorum hostium, non tamen quòd aliquod ipsorum captum fuerit à dictis hostibus ex prœlio sive pugna.

CAP. LXV.

De recuperatione Jachii, Gangii, & Aydoni.

DE quibus quidem Castris, Terris, & locis Siciliæ rebellatis & captis, ut præfertur, dictus Dominus Rex Fredericus obsedit, recuperavit, & habuit post multos labores & insultus Terras & Castra prædicta Jachii, Gangii, & Aydoni.

CAP. LXVI.

De adventu Principis Philippi de Trapano, & obsidione ipsius terræ.

EOdem etiam Duce Roberto manente in dicta civitate Catanæ, Dominus Philippus Princeps Tarentinus, filius dicti Regis Caroli, idemque frater dicti Ducis, cum suo extolio galêarum veniens de partibus Principatu ad invasionem dictæ Insulæ, applicuit ad terram Trapani infra primam hebdomadam mensis Novembris XIII. Indictionis, Anno prædicto MCCXCIX. & illic descendens cum suo exercitu equitum & peditum & ipsis galêis, tenebat ipsam terram Trapani obsessam per mare & per terram.

CAP. LXVII.

De victoria obtenta per Dominum dictum Regem Fredericum ac Siculos de ipso Principe Philippo.

CONtra quos Principem Philippum & exercitum tenentes obsessam dictam terram Trapani, concurrens prædictus Rex Fredericus cum prædicto Domino Blasio & Panormitanensibus, qui ad hoc exiverunt in communi, & cum aliis Siculis, debellavit ipsum Principem, & prædictum suum terrestrem exercitum primo die mensis Decembris ejusdem XIII. Indictionis, in qua debellatione interemti fuerunt Dominus Petrus de Salva-Cossa Protentinus Isclæ, & multi alii nobiles, & reliqui dicti exercitus fue-

fuerunt carceri mancipati, & proinde dictus Rex Fredericus scripsit Panormitanis in hæc verba.

Fredericus Dei gratiâ Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, universis hominibus civitatis Panormi &c.

„ ET vestra, & aliorum nostrorum corda „ fidelium de nostrorum felicitate succes„ suum festivæ jubilationis gaudiis hilarescant, „ vobis tenore præsentium ad gaudium annun„ ciamus, quòd per illius gratiam, qui causam „ nostram pio favore prosequens & defendens „ manus nostras ad prœlium docuit, & digitos „ nostros ad bellum; hodie primo præsentis „ mensis Decembris hujus XIII. Indictionis, in „ campis infra terras Trapani, & Marsaliæ de „ illustri Philippo filio Caroli hostis nostri, qui „ se Tarentinum scribebat in Principem, & „ terrestri exercitu, cum quo in Sicilia infeli„ citer declinarat, per nos nostrumque victo„ riosum exercitum feliciter, obtenta victo„ ria, eodemque Philippo, nec non filio Co„ mitis Therii de S. Severino, Hugone de Visi, „ Tinzolino de Ammidolea, & aliis quampluribus nobilibus & equitibus aliis captis in „ nostro carcere, reliqui omnes fuerunt in ipso „ prœlio in manu forti & exento brachio in„ teremti; ita quòd de sexcentis equitibus & „ peditibus aliis, quos in Siciliam cum eodem „ Principe infelicia eorum fata traxerunt, nul„ lus manus nostras evadere potuit, quin in „ ipso conflictu potentiæ nostræ gladio trucida„ tus extiterit, aut nostro fuerit ergastulo car„ ceris mancipatus. Ex hac igitur victoria, „ quam nobis est Dominus dignatus concedere, „ nobiscum largitori bonorum omnium gratias „ referentes, gratuitè iteratis plausibus exulte„ tis, firmam spem & fiduciam habentes in eo, „ qui processus & actus nostros favorabili pro„ tectione prosequitur, quòd de aliis nostris „ hostibus existentibus in Sicilia debitam ac „ speratam victoriam continuatis successibus „ consequemur. Et quia galêæ hostium eorum„ dem Semi-armatæ sunt in Insulis Trapani, & „ per modica ex galêis nostri facilè poterunt „ expugnari, fidelitati vestræ firmiter & ex„ pressè mandamus, quatenus in continenti re„ ceptis præsentibus, omni mora sublata, ga„ lêas, quas in civitate ipsa mandavimus ar„ mari, per commune & omnem alium mo„ dum, per quem celeriùs fieri poterit, armetis „ instanter, & cum eis & aliis galêis Januen„ sium existentibus in nostris proservitiis, quo„ rum est Ammiratus nobilis Ægidius Auriæ „ dilectus amicus & devotus noster, cui exinde „ scribimus, ad pugnationem & captionem præ„ dictarum galêarum hostium procedatis, ut „ eis auctore Domino superatis, felicia felici„ bus, & gaudia gaudiis cumulentur. Datum „ Trapani primo Decembris, XIII. Indictionis „ regni nostri Anno V.

Dictus itaque Princeps Philippus cum prædictis nobilibus & aliis cum eo captis ductus fuit per eumdem Dominum Regem Fredericum in Panormo, & relicta in carcere palatii Panormi majori parte dictorum nobilium, idem Princeps fuit ab inde ductus ad castrum Cepheri, & illic positus decenter captivus, in eo videlicet carcere dicti castri, in quo reclusus & decenter fuerat captivus dictus Rex Carolus pater ejus.

CAP. LXVIII.

De debellatione exercitus dicti Ducis Roberti in Gaglano.

Dictus verò Dominus Robertus cum suo exercitu terrestri remansit & stetit in dicta civitate Cataniæ, recesserunt, & iverunt ab inde trecenti equites de nobilibus totius dicti exercitus ad castrum Gaglani, ad apprehendendum ipsum castrum ex promissione fallaci sibi inde facta, ubi extiterunt in toto debellati, interemti, & capti per prædictos Dominum Blasium de Alagona, & Dominum Guillelmum Comitem Cacenzarii & alios fideles dicti Regis Friderici tempore carneprivii, XIII. Indictionis, anno Domini MCCC. Inter quos debellatos & captos fuerunt Comes Brendæ, & alii de nobilibus dicti Ducis.

CAP. LXIX.

De debellatione extolii Siciliæ in Poncio.

TEmpore autem æstivo dicti anni XIII. Indictionis, videlicet Domini MCCC. dictus Dominus Conradus Auriæ Ammiratus Siciliæ cum extolio galêarum Siculorum vadens usque Poncium, intravit in extolium galêarum dicti Regis Caroli, in quo erat ipse Dominus Rogerius de Lauria, & commisso inter ipsa extolia prœlio, idem Dominus Rogerius cum suis sequacibus obtinuit victoriam de dicto extolio Siculo, & habuit viginti octo ex eisdem galêis Siciliæ, capto in dicto conflictu prædicto Ammirato Siciliæ, cum multis de nobilibus Insulæ supradictæ.

CAP. LXX.

De adventu dicti Regis Caroli ante Thermas, & pace facta inter eum & dictum Regem Fredericum.

DEinde verò existentibus sub dominio dicti Regis Caroli rebellatis prædictis civitatibus, Cataniæ, Patermonæ, Lichudiæ, Bizino, Notho, Ragusa, Rachal-Johannis, Petra-pricia, Sicli, Tavurmenio, Adermone, & Pactis, anno Domini MCCC. secundo, die Lunæ, XXVIII. mensis Madii, XV. Indictionis regni dicti Domini Regis Frederici anno septimo, dictus Carolus illustris Regis Francorum filius, Alansonæ, Valesii, Carnoti, & Andegaviæ Comes, & prædictus Dominus Robertus filius dicti Regis Caroli volentes potiùs invadere, & acquirere dictam Insulam Siciliæ, & tam pro parte ipsius Regis Caroli à dominio dicti Regis Frederici in totum auferre, cum eorum extolio galêarum & exercitu magno venerunt ad maritima, & statim habuerunt dictam terram, quia homines terræ ipsius perterriti & multitudine extolii & exercitus præfatorum, ultro se dederunt eisdem hostibus. Postea verò idem extolium recedens de Thermis, & transiens per ante portum Panormi, ivit & cepit vi castrum ad mare, & Gulfo; & eo capto, ivit abinde ad maritimam terram Saccæ. Milites autem equites, & pedites ipsius exercitus iverunt de dicta terra Thermarum ad terram Caccabi, quam prœliantes, & nequeuntes eam habere, cum ignominia abinde recesserunt. Et euntes ad terram Curulioni, obsiderunt eam, & tenuerunt eam obsessam die-

bus

Digitized by Google

bus XVIII. infra quos prœliaverunt pluries terram ipsam acriter, & commissione unius ex dictis prœliis interemtus fuit ab hominibus ipsius terræ Curulioni inter alios dominus . . . . . qui erat de dicto exercitu dicti Regis Caroli, & completis dictis XVIII. diebus multum ignominiosè recesserunt de dicta terra Curulioni, & iverunt abinde ad dictam terram Saccæ, tenuerunt eam obsessam diebus XLIII. Sed dum terram Saccæ invadere & habere non poterant dicti hostes, miserunt abinde suos nuncios iidem Dominus Carolus & Dominus Robertus ad dictum Regem Fredericum, qui erat in terra Castri-novi pro pace tractanda super dictam guerram; quibus nunciis loquentibus ipsi Domino Regi, tam idem Dominus Rex, quàm supradicti Comes & Dux contulerunt se in Calatabilocta, & illic dictus Dominus Rex Fredericus pro se & Siculis ex una parte, & dicti Comes & Dux pro parte dicti Regis Caroli ex altera fecerunt & firmaverunt de dicta terra pacem XXIX. die mensis Augusti dictæ XV. Indictionis: ita quòd idem Dominus Rex Fredericus remansit Rex Siciliæ, & Insulam Siciliæ habuit, & fuerunt tunc statim restituta sibi omnia prædicta Castra, Civitates, & loca dictæ Insulæ Siciliæ rebellata contra dictum Regem Fredericum sub dominio dicti Regis Caroli; & proinde tunc restituit dictus Rex Fredericus eidem Regi Carolo Terras, Castra, & loca, quæ idem Rex Fredericus tenebat in Calabria, & fuit adjectum in dicto tractatu dictæ pacis, & quòd idem Dominus Rex Fredericus abinde in antea non se scriberet titulum suum sicut ante, videlicet quòd erat Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ & Principatus Capuæ, sed abinde inantea titulus ejus fuit talis *Fredericus Tertius Dei gratiâ Rex*. Item quòd ex ipso tractatu idem Rex Fredericus accepit & habuit in suam uxorem Dominam Alianoram filiam dicti Regis Caroli, quæ vênit post dictum tractatum ad dictum Regem in Messana, ubi fuerunt ipsorum Domini Regis Friderici & Dominæ Alianoræ sponsalia celebrata tempore veris anni tunc primò sequentis, primæ Indictionis, currente anno MCCCII. De quo quidem tractatu pacis præfatus idem Dominus Rex Fredericus scripsit Panormitanensibus in hæc verba.

Fridericus Dei gratiâ Rex &c.

„ ANtiquæ Legis servatur edictum, novi
„ Testamenti institutio exercetur, & Chri-
„ stianæ Fidei roboratur auctoritas, dum pax
„ Mundo præstatur, quam Omnipotentem Chri-
„ stum Summi Patris filium post gloriosam Ascen-
„ sionem suam constat ejus Apostolis reliquisse.
„ in quo gloria in excelsis Deo extollitur, dis-
„ cordantium voluntates ad confirmitatem sta-
„ tus debiti reducuntur, cessant cædes gentium,
„ alta guerrarum vitantur discrimina, & totius
„ jubilationis & lætitiæ nascitur incrementum:
„ propter quòd scire vos volumus, quòd vice-
„ simo nono præsentis mensis Augusti justa Sac-
„ cam & Calatabiloctam inter nos nec non ma-
„ gnificos & spectabiles Dominum Carolum il-
„ lustris Regis Francorum filium, Alenzoni,
„ Valesii, Carnoti, Andegaviæque inclytum
„ Comitem consobrinum, & Dominum Rober-
„ tum illustris Caroli primogenitum & Ducem
„ Calabriæ cognatos nostros carissimos, & ce-
„ teros alios tam magnates, quàm alios ex par-
„ te eadem pax & compositio ad laudem &
„ exaltationem divini nominis firmata extitit &
„ completa: ita quòd habemus Insulam Siciliæ
„ & Rex Siciliæ remanemus. Quocirca fideli-
„ tati vestræ mandamus, quatenus de prædicta
„ facta pace & concordia gaudium in Domino
„ assumentes à missione equitum, peditum &
„ aliorum armigerorum, quos per vos apud Co-
„ rolionum pro honorabili tractatu prædictæ
„ compositionis & pacis mitti mandavimus,
„ penitus desistatis, & prædictam (pacem)
„ inviolabiliter observetis. Datum Calatabilo-
„ ctæ ultimo Augusti XV. Indictionis, regni
„ nostri anno VII.

CAP. LXXI.

De interdicti primi relaxatione.

PRopter quem quidem tractatum dictæ pacis, interdictum, cui dicta Insula Siciliæ erat supposita à tempore prædictæ rebellionis facta per Panormitanenses contra dictum Regem Carolum, ut ante scriptum extitit, penitus relaxatum est, & proinde scriptum est Capellano Matris Panormitanæ Ecclesiæ in hæc verba.

Provido viro Capellano majoris Panormitanæ Ecclesiæ dilecto in Christo sibi Johannes de Camera Canonicus Ecclesiæ de Castra Ricurrensis Diœcesis salutem & sinceram in Domino caritatem.

„ DIscretionem vestram scire volumus, quòd
„ venerabilis & discretus Dominus Guil-
„ lelmus Salernitanæ Ecclesiæ & nos dudum à
„ Sanctissimo Patre & Domino, Domino Boni-
„ facio Divinâ Providentiâ Sa rosanctæ Roma-
„ næ Ecclesiæ Matris & universalis Summo Pon-
„ tifice cum omni devotione & reverentia re-
„ ceperimus literas in hac forma:

„ *Bonifacius Episcopus servus servorum Dei*
„ *dilectis filiis Guillelmo electo Salernitano*
„ *& Johanni de Camara Canonico*
„ *Ecclesiæ de Castra Ricuricensis*
„ *Diœcesis salutem & Apostolicam benedictionem.*

„ ILlius exemplo, cujus vices in terra geri-
„ mus, nolentes mortem peccantium, sed
„ cupientes potiùs conversionem eorum fructi-
„ feram ad salutem, misereri eligimus potiùs,
„ quàm ulcisci. Cùm igitur dilecti filii nobiles
„ viri Carolus natus claræ memoriæ Philippi
„ Regis Francorum Comes Andegaviensis &
„ Robertus Dux Calabriæ primogenitus carissi-
„ mi in Christo filii nostri Caroli Siciliæ Regis
„ illustris, in ipsius Siciliæ Insula contra Frede-
„ ricum natum quondam Petri olim Regis
„ Aragonum & Siculos & alios in Insula ipsa
„ rebelles propter multiplicatos eorum graves
„ & enormes excessus offensas, injurias, con-
„ tumacias, & contemtus, quibus Deum & Ro-
„ manam Ecclesiam, & præfatum Regem Ca-
„ rolum longo jam tempore in eadem Insula &
„ aliis regni prædicti locis & partibus duriùs
„ provocarunt, progressi nuper magnificè di-
„ gnoscantur, ut rebelles ipsi ad devotionem
„ & mandata ejusdem Ecclesiæ coacti vel vo-
„ luntarii, divina suffragante potentia, redu-
„ cantur, vosque illuc . . . feritis cum eisdem:
„ nos de vestra discretionis & circumspectionis
„ industria plenam in Domino fiduciam obti-
„ nentes, & volentes ut eo libentiùs rebelles
„ iidem, Civitates, Castra, & loca tam ipsius
„ In-

„ Insulæ, quàm aliarum etiam regni prædicti „ partium citra Farum, necnon & circa adjacentium Insularum, & locorum, & eorum „ incolæ, qui rebelles dignoscuntur, redeant ad „ devotionem nostram & Ecclesiæ memoratæ, „ quo magis nos, & illam sibi senserunt misericordia & pietate propitios: discretioni vestræ, ut Insulas, Civitates, Castra, Terras, „ & loca rebellia prædicta, & alias quascumque personas, quæ in hujusmodi rebellione „ fuerunt, seu quæ aliàs rebellibus ipsis contra „ monitiones, inhibitiones, & mandata Sedis „ Apostolicæ super his assistere præsumserunt, „ impendendo eis consilium, auxilium, favorem publicum vel occultum, & quæ ad nostram & ejusdem Ecclesiæ (obedientiam) & „ mandata redire curaverint, possitis vos & „ quilibet vestrûm, per vos, vel alium, seu alios, „ dum in hujusmodi negotii præsentis prosecutione fueritis, auctoritate nostra ad mandata „ ipsa nomine nostro & Ecclesiæ prædictæ, recipere, ac omnes sententias excommunicationis, suspensionis, interdicti, per eamdem „ Sedem, vel per ejus Legatos, aut quemvis „ alium seu alios auctoritate nostra, ratione vel „ occasione hujusmodi rebellionis seu guerræ in „ eos & ipsorum quemlibet prolatas; postquam „ super his ad hujusmodi mandata redierunt, „ relaxare, ac dispensare cum Clericis & personis Ecclesiasticis ex eisdem, qui interdictum „ hujusmodi non servando, vel prædictis excommunicationis & suspensionis ligati sententiis divina officia celebrando, vel immiscendo „ se illis inregularitatem contraxisse noscuntur, „ præstito à prædictis juramento & promisso per „ eos, quòd super his stabunt nostris & Ecclesiæ memoratæ præcisè mandatis, quotiens expedire videbitur, faciendis, & quòd de cetero „ ad rebellionem hujusmodi non redibunt, nec „ aliàs in rebellione ipsa præstabunt auxilium, „ consilium & favorem publicè vel occultè, „ liberam concedimus, auctoritate præsentium, „ facultatem, proviso quòd cum constitutis in „ Episcopali dignitate & supra ad dispensationem hujusmodi non procedatis. Illi autem, „ qui, ut præmittitur, absolutionis beneficium „ ab excommunicationis & suspensionis sententiis fuerunt prosecuti; & Civitates, Castra, „ Terræ, & loca, in quibus interdictum hujusmodi fuerit relaxatum, si ad vomitum, „ quod absit, redierint, eo ipso in similes sententias relabantur, & dispensationis super irregularitate, quas taliter redeuntes contigerit „ obtinere, nullius ex tunc sint roboris vel momenti. Datum Anagniæ IV. Idus Junii Pontificatus nostri anno VIII.

„ Et quia pro parte universitatum personarum tam Ecclesiasticarum, quàm sæcularium „ civitatis Panormitanæ, nec non terrarum, & „ locorum Diœcesis majoris Panormitanæ Ecclesiæ cum omni reverentia humilitatis, & „ devotione requisiti fuimus, eos per nos recipi „ ad mandata prædictorum Domini Summi Pontificis, & Sacrosanctæ Romanæ Matris Ecclesiæ, ac eis relaxari omnes sententias excommunicationum, suspensionum, & interdicti per prædictam Sedem Apostolicam, vel „ ejus Legatos, aut quemlibet alium auctoritate Apostolica, ratione, vel occasione hujusmodi rebellionis seu guerræ, contra eas, „ & ipsarum quamlibet prolatas: se offerendo „ paratas sub religione debitorum juramentorum super præmissis, juxta tenorem prædictarum literarum Papalium prædictarum, „ Domini Summi Pontificis & Sacrosanctæ „ Romanæ Matris Ecclesiæ stare mandatis earum requisitione, & petitione, utpote justis „ admissis vobis super præmissis omnibus, & „ singulis exequendis, faciendis, & complendis in prædicta civitate Panormi terris, & „ locis Diœcesis dictæ Panormitanæ Ecclesiæ, „ vices nostras duximus committendas, discretioni vestræ ex parte dicti Summi Pontificis diligenter attenta, & in omnibus observata, „ vos vel alius seu alii, dum in hujusmodi negotii præsentis prosecutione fueritis, loco „ nostri. Prædictas personas dictarum civitatis, „ terrarum, & locorum prædictæ Panormitanæ „ Diœcesis tam Ecclesiasticas, quàm sæculares „ ad mandata prædictorum Domini Summi „ Pontificis & Sanctæ Romanæ Matris Ecclesiæ „ recipiatis, ac eis juxta tenorem prædictarum „ Papalium literarum relaxetis omnes sententias excommunicationum, suspensionum, interdicti, per eamdem Sedem Apostolicam, „ vel per ejus Legatos aut quemvis alium, seu „ alios auctoritate Apostolica, ratione vel occasione hujusmodi rebellationis seu guerræ, „ contra eas, & ipsarum quamlibet prolatas, „ dispensando cum Clericis, & personis Ecclesiasticis ex iisdem, qui interdictum hujusmodi „ non servando, vel prædictis excommunicationis vel suspensionis Legati sententiis divina „ officia celebrando, vel immiscendo se illis „ irregularitatem contraxisse noscuntur, præstito à prædictis omnibus juramento ac promisso „ per eos, quòd super his stabunt prædictorum „ Domini Papæ & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ „ mandatis, secundùm quod in prædictis literis „ Papalibus continetur. Datum Lentini XXIII. „ Septembris primæ Indictionis.

CAP. LXXII.

De nativitate dictorum filiorum Domini Regis Frederici, & Reginæ Alienoræ.

ANno à Nativitate Domini MCCCV. Indictionis III. die Mercurii in mane dicti diei XIV. videlicet mensis Julii apud Partumnovum de tenimento Panormi natus fuit ex dicta Domina Alianora Regina uxore dicti Domini Regis Frederici eidem Regi Frederico filius nomine Domp-Petrus, qui Domp-Petrus die Sabbati XXIV. ejusdem mensis Julii baptizatus fuit in fonte majoris Panormitanæ Ecclesiæ; Præconcepta tamen, & nata fuerat ex dictis Rege Frederico, & Regina Alianora ante ortum dicti Domp-Petri, filia nomine Constantia, quæ postea Anno Domini MCCCXVII. tractatu dicti Regis Frederici patris sui nupsit Regi Cypri, & ivit Cyprum ad dictum virum ejus in principio primæ Indictionis currente Anno Domini supradicto.

Post verò nativitatem dicti Domp-Petri natus fuit eidem Regi Frederico ex dicta Regina uxore sua Domp-Manfridus, qui mortuus fuit Trapani die Mercurii IX. Novembris primæ Indictionis prædictæ scripto Anno à Nativitate Domini MCCCXVII. & deinde sepultus in eadem terra Trapani in Ecclesia Fratrum Prædicatorum.

Post nativitatem dicti Domp-Manfredi natus fuit eidem Domino Regi ex eadem Regina Domp-Guilielmus, & subsequenter postea Anno Domini MCCCXVIII. Indictione prima die VIII. mensis Madii in civitate Mazarum Domp-Rogerius.

Postea

Digitized by Google

Postea natus fuit eidem Domino Regi ex dicta Domina Regina uxore sua Domp-Johannes, & quædam aliæ filiæ fœminæ.

CAP. LXXIII.

De morte dicti Domini Caroli Regis.

FIrmata verò, & facta dicta pace inter dictum Dominum Regem Fredericum ex una parte, & prædictos Dominum Carolum, & Dominum Robertum pro parte dicti Regis Caroli ex altera, ut superiùs dictum est, dictus Rex Carolus mortuus fuit ad quinque vel sex annos, & sic idem Dominus Robertus succedens dicto suo patri, fecit se coronari, & vocari in Regem.

CAP. LXXIV.

De reiteratione guerræ inter dictos Regem Fredericum, & Regem Robertum.

DUrante itaque dicta pace inter dictum Dominum Regem Fredericum ex una parte, & præfatum Regem Robertum filium, & heredem dicti Regis Caroli ex altera parte, orta & reiterata est guerra inter partes prædictas, prætextu Imperatoris, ut scribitur infra: videlicet quia electus in Regem Anno Dominicæ Incarnationis MCCCIX. per bonæ memoriæ Dominum Clementem Papam V. & confirmatus fuit & coronatus Anno Domini MCCCXIII. penultimo Junii X. Indictionis in Imperatorem illustris Dominus Henricus VII., qui Imperator vênit de partibus suis Alamanniæ per Lombardiam ad urbem Romæ, ubi extitit coronatus, & post dictam suam coronationem vênit de dicta urbe ad Pisas, acquirens, & sumens sui dominii & Imperii in dicto suo adventu Melanam, Januam, & multa alia loca, Civitates, Terras, & Castra Lombardiæ, & Thusciæ, pertinentia Imperio suo prædicto Anno regni sui quinto Imperii verò primo.

Verùm quia dictus Rex Robertus in toto prædicto adventu dicti Imperatoris obstitit in quantum potuit ipsi Imperatori, inferens Imperatori prædicto, suisque exercitui & subditis ubilibet omnia, quæ potuit, impedimenta, & damna, effectus est ipse Rex Robertus hostis publicus Imperatoris prædicti; & ideo idem Imperator ex certa, justa, & legitima causa sententialiter condemnavit ipsum Regem Robertum sexto Calendas Madii XI. Indictionis, deponens eumdem condemnatum per prædictam sententiam ab omni honore, & dignitate, liberans, & absolvens per ipsam eamdem sententiam omnes obligatos eidem Regi Roberto, promissione, homagio, juramento, & aliis quibuscumque modis ab obligatione prædicta: cujus sententiæ tenor per omnia talis est.

Henricus Septimus Divina favente clementia Romanorum Imperator semper Augustus ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum.

„ DEus Judex justus, fortis, & longanimus, „ omnes secundùm sua merita judicans, „ superbientem illum, qui dum ante suæ thronum clementiæ se gloria & honore sublimatum conspiceret, sedem suam ad Aquilonem, „ ut esset altissimo similis, ponere cogitavit, „ de altis cœlorum faustibus (*) ad inferiora „ terræ, in opprobria sempiterna, seipsum „ gratia, & spe misericordiæ condignæ privando, eum duxit æternalibus ultionibus exponendum. Sic & ad præsens justitiam respiciat, & æquitatem videat. Ipse cœlestium „ & infernorum Dominus novit occulta judiciorum, ante cujus tribunal omnis calumnia „ cessat, & veritas nullis nequitiæ tenebris obscuratur. Deponit nunc de sede potentem, „ qui tentavit, & exacerbavit ipsum, & convocavit eum in iram, ut perdat eum, qui „ mala quærit, & det illi, qui obstinato animo „ viam ignorantiæ refugit, & generaliter in „ malitia opprobrium sempiternum fecit in „ eum judicium conscriptum. Sit gloria omnibus sanctis ejus. Nequitiæ siquidem & perditionis alumnus Robertus natus claræ memoriæ Caroli Secundi, qui se Siciliæ Regem „ intitulat, & Imperii Romani adipe impinguatus, ingrassatus, & dilatatus, contra illud, qui etiam tam multorum feudorum, & „ bonorum ipsius Imperii, quæ hactenus tenuit, „ & quæ injustè præsentialiter occupat, humiliter obedire deberet, virus iniquitatis evomens; odia, dolos, fraudes pro fidelitate retribuens, ex desistantiæ & ingratitudinis vitio calcaneum præsumsit rebellionis erigere, „ ac contra stimulum induratâ duritiâ calcitrare non cessat, nefandaque superbia tumefactus sedem ab Aquilone, videlicet ab opposito Majestati Cæsareæ, quam ejus Dominam & magistram revereri, & honorare tenetur, sibi ponere satagens, ipsam convitiis „ & contumeliis provocavit, iterum protervo „ animo continuè provocare præsumit. Ipse „ namque inter cætero suæ malignitatis conatus, licèt antequam pro Imperialis diadematis successione proficisceremur ad Urbem per „ suas literas spe iales pluries culmini nostro „ scripsisset, quia ipse sic ex causa prædicta „ debebat & nos, qui nec verbo, nec opere, „ quod sciremus, gravavimus, nec gravare, „ sed potiùs gloriosè tractare intendebamus „ eumdem ex puritate conscientiæ, credebamus adhibendam nobis debitam reverentiam, „ & honorem, tam dictæ coronationi, quàm „ in aliis, sed è contra ille intendebat, & ad „ id pro viribus se parabat facere confœderationes, uniones, & ligas in offensam, & impedimentum progressus Cæsarei, unà cum „ Florentinis, Lucanis Senensibus, & omnibus nostris, & Imperii Romani subditis de „ Lombardia, & Thuscia, & eos in rebellationis præcipitium, & cœcitatis foveam secum tractaret, & sic tractasse dignoscitur, „ per se suosque procurans Nuncios, & Ambaxatores in nostræ Majestatis injuriam & „ offensam, & impedimentum progressus Cæsarei facere procuravit, & fecit, & tractavit, & ordinavit, quòd Civitates Cremonæ, „ Rhegii, & Parmæ, quæ sub nostra clementia consistebant, contra nos, & Imperium „ rebellationem inducendo, tam Communia „ ipsarum Civitatum, quàm alios subditos nostros prædictos ad rebellationem hujusmodi, „ & eis ad id pollicendo consilium, auxilium, „ & favorem: Civitatem Astensem, & Castra „ Valentiæ, & Casale S. Evagii, & alias nonnullas Civitates, & Castra Provinciæ Longobardiæ, qui mandata nostra juraverant, nos „ in

(*) *fortè* sedibus.

„ in eorum Dominum recognoverant, & Offi-
„ ciales nostros receperant, & habebant, Vi-
„ cariis, & Officialibus ipsis exinde violenter
„ ejectis, & quæ occupaverant, occupata pro
„ Roberto detinent supradicto. Idem quoque
„ Robertus Johannem Franciæ & stipendiarios
„ suos Romam ea videlicet intentione submisit,
„ ut eam, si posset, suæ ditioni dolosè subje-
„ ctam faceret, vel saltem turbidine in ejus
„ Populo nefando seditionis immisso, dictæ
„ coronationis solemnia impediret, pro ut dicti
„ Johannes, & stipendiarii in ingressu nostro
„ in Urbe, & quamdiu in partibus ipsis mo-
„ ram traximus effectui operum argumento
„ probantes, unà cum copiosa dictorum subdi-
„ torum multitudine, qui per instigationem di-
„ cti Roberti sub promissi eis subsidii, & de-
„ fensionis fiducia, cum equis & armis ad se
„ opponendum nobis & exercendi præexcogi-
„ tatam malitiam simul cum Johanne, stipen-
„ diariisque convênit. Ibidem contra nos, &
„ gentes nostras hostiliter posuerunt insidias &
„ fecere insultus, spoliationes, violentias, &
„ homicidia per Petrariam; viasque publicas,
„ & loca, per quæ ad reverendam Basilicam
„ Principis Apostolorum, & de Urbe omnibus
„ Regionum proficiscentibus Christianis liber
„ aditus patere debebat, bellicosis apparatibus
„ claudebat, nobisque ac nostris gentibus ad
„ Basilicam ipsam, ne ibi dicta coronatio ce-
„ lebrari valeret, accessum totis viribus pro-
„ hibebat, ac alias omni modo, quo poterat,
„ Majestatem nostram offendere procurabat, &
„ ad ea omnibus modis, quibus poterat, noce-
„ batur. Hæc siquidem deferente clamore no-
„ torio in finibus, etiam rerum experientia
„ edocente, licèt ipsa causa publica, & notoria
„ essent, quòd nulla possent tergiversatione ce-
„ lari: nos, qui legibus subjecti non sumus,
„ contra dictum Robertum propter præmissa,
„ ipso inrequisito, potuissemus procedere: ta-
„ men ex Augusta clementia, quæ libentiùs
„ emendat in subditis peccata, quàm puniat;
„ nec exerit ferrum præcisionis in membra,
„ quæ sanare potest illecebris levitas medici-
„ næ, post recessum nostrum de Urbe prædi-
„ cta, super dicto notorio, & prædictis per
„ ipsum Robertum contra nostram Majestatem
„ commissis, ad inquisitionem descendimus, ut
„ fidei vel amoris scintilla, si qua forsitan re-
„ mansisset in eo, ipsius viscera tangeret, &
„ ipse iterum spatium ad cor redeundi habe-
„ ret, usquequo præsens generosis dilationibus
„ duximus protrahendum, Robertum prædi-
„ ctum citari facientes, ut coram nobis com-
„ parere curaret, super his, si suam posset in-
„ nocentiam defensurus. Verùm idem Rober-
„ tus in sua protervia perseverans, in terminis
„ ad hoc sibi præfixis, vel eorum aliquo, per
„ se vel per alium comparere contumaciter
„ non curavit. Quare nos super præmissis in
„ ipsius Roberti contumacia fide dignis & suf-
„ ficientibus repertis, & examinatis testibus,
„ ut eorum dictis in scriptis redactis, & per
„ nos solemniter publicatis, & de mandato
„ nostro à peritis nostri Palatii cum diligentia
„ recensitis, & facta nobis de ipsis per dictos
„ peritos relatione fideli, pro eis, quæ vidi-
„ mus, & audivimus, prædicta omnia, & sin-
„ gula publica, & notoria esse, & contra di-
„ ctum Robertum tamquam publicum Imperii
„ hostem procedendum fore in scriptis interlo-
„ quendo pronunciavimus, & declaravimus,
„ justitia exigente, ac postmodum eum requiri,

A „ & citari sufficienter, & peremtoriè fecimus,
„ ut in certo termino & elapso coram nobis
„ ubicumque essemus ad hanc nostram defini-
„ tivam sententiam audiendam comparere cu-
„ raret: quod ipse præ suis diffisis meritis, &
„ offensis, in suis obstinatus contumacia, &
„ fraudibus perniciosiùs induratus, facere præ-
„ termisit. Quia igitur de præmissis omnibus,
„ & singulis, prout seriosiùs inquisitione facta
„ continentur prædicta, specialiter per dictos
„ testes nobis constat: nos prædictos, & alios
„ dicti processi nefarios, & opera detestanda
„ maturo & justo librantes examine, ac illud
„ notissimum nullatenus omittentes, quia ipse
„ Robertus dum in Urbe prædicta causâ præ-
B „ fatæ coronationis essemus, & dilectissimi Fi-
„ deles nostri Pisani, qui inter ceteros subdi-
„ tos nostros fidelitate & operis sinceritate re-
„ lucent galêas, & gentes Romam ad nostrum
„ servitium & honorem mitterent, galêas ipsas
„ in nostræ Majestatis injuriam hostiliter inva-
„ di & spoliari, & gentes ipsas capi, carcera-
„ ri, & in carcere detineri fecit, & nihilominus
„ in hujusmodi continuatione criminum perse-
„ verando, mala malis addendo, & pejora co-
„ tidie committendo, dum contra rebelles no-
„ stros de Thuscia direxissemus signa, & arma,
„ rebellationibus ipsis, sicut publicum & noto-
„ rium est, & facti evidentia docebat, & do-
„ cet, misit pluries armatorum subsidium, ut
C „ eos diutiùs in suæ rebellationis erroribus con-
„ foveret; & attendentes, quòd ipse dum po-
„ tuit pacem, & quietem habere, dum debuit
„ tranquillitatem expectare, ac nostram bene-
„ volentiam, & dilectionem, quam sibi ex ani-
„ mi sinceritate paraveramus, obtinere noluit,
„ bella quæsivit, iniquitates exercuit, & pro
„ posse procuravit, & etiam procurare non
„ cessat, Imperii populo seminare zizania, &
„ suscitare odia, immittere scandala & jactare
„ tumultus, & mittere schismata, & fovere
„ discordias, & sinè intermissione in actu con-
„ tinuandi & committendi omnia, quæ potest,
„ in contrarium nostrum extitit, non solùm in
„ nostrum Imperium conceptum, Reiquepu-
D „ blicæ detrimentum, sed in perturbatione Ec-
„ clesiasticæ (libertatis) quæ ad ipsius Imperii
„ statum plurimùm pendere dignoscitur, & in
„ retardatione negotii Terræ Sanctæ, ad quod,
„ teste illo, qui omnia novit, totis affectibus
„ laboramus. Et videntes apertè, quòd dictus
„ Robertus inrevocabiliter in devium erroris
„ prolapsus & obstinatus in dolis, viam veri-
„ tatis deseruit omnino; & tamquam aspis sur-
„ da suarum aurium obturat auditum, manda-
„ ta nostra, nec legis pœnam, in qua suis cul-
„ pis incidisse, ac incidere noscitur, nec etiam
„ Imperatoris plenitudinem potestatis veretur;
„ sed quotidie cervicis durioris efficitur, &
„ quantò ipsius pœnitudinem expectamus, tan-
E „ tò majorem sumit audaciam malignandi;
„ considerantes etiam, quòd idem Robertus ex
„ Imperii crapulatus pinguedine dilatatur etiam
„ ex licentiæ sibi laxatis habenis usque in finem,
„ & pro obedientia rebellionem, pro fidelitate
„ debita injurias facit, nos, ac quoscumque
„ fideles Imperii nobis obedientes pro posse im-
„ pedire conatur, ejusque potestas non in ædi-
„ ficatione, sed in destructione, non ad fru-
„ ctum, & juvamen, ut debetur, sed ad pote-
„ statem esse dignoscitur, & volentes periculis
„ & jacturis ac ipsius insolentiæ obviare, ac
„ Evangelicam Doctrinam sequentes, quæ nos
„ monet, quòd omnis arbor, quæ non facit
„ fru-

Digitized by Google

„ fructum bonum, excidatur & mittatur in „ ignem, licèt fideles Regis, & Principes „ propter ipsorum dignitatem, & eminentiam „ merentur quòd dignis honoribus, & gloriosis „ favoribus prosequamur; tamen, ut culpa supplicium timeat, & virtus præmium retributionis expectet, dictum Robertum, cujus „ elegimus domare superbiam, & à præsumptione elata continere ipsumque à statu „ suo, quantumcumque sublimi, deponere, „ sicut criminum læsæ Majestatis reum, universis, & singulis dignitatibus, quocumque „ modo sive titulo comprehensis, quibus se „ intitulat, & decorat, auctoritatibus, honoribus, libertatibus etiam, immunitatibus, „ Privilegiis, & Provinciis, contractis, civitatibus, castris, terris, villis, feudis, vassallis, bonis, rebus, juribus, & jurisdictionibus, tam perpetuis, quàm Imperialibus, quas, „ & quos, & quæ habet, tenet, possidet vel „ quod se habere, tenere, & possidere quomodolibet hactenus ipse, & sui antecessores potuerunt, privamus, eumdemque Robertum „ rebellem, proditorem, & hostem Imperii, „ dictæque Majestatis crimine reum, de toto „ prædicto Imperio exbannimus, & diffidamus „ ipsum, & si quo tempore forsan veniet, vita „ capitis mutilatione privandum in scriptis sententialiter condemnamus. Statuentes, & „ mandantes, quòd nulla persona cujuscumque „ nobilitatis, excellentiæ, status, vel universitas contra nos, & Imperii subditos ei præbeat publicè & occultè auxilium, consilium, „ favorem, sub pœna centum librarum auri „ pro qualibet civitate, & quinquaginta librarum auri pro quolibet Castro, & Villa, Marchione, Duce, Barone & quolibet nobili & „ XX. libras auri pro qualibet singulari persona pro vice qualibet, qua contrafecerit, „ committenda, quòd cuilibet Imperii li eat „ cives, incolas, & habitatores civitatum, castrorum ipsorum, & quaslibet alias singulares personas, cujuscumque status, vel conditionis existant, quæ contra nostrum honorem ei obedirent, vel darent consilium, auxilium, & favorem publicè vel occultè offendere in persona, rebus, & juribus ipsorum, & eos capere, arrestare, & detinere, „ inhibentes etiam, & præcipientes expressè „ quòd nec aliqui debitores ejusdem Roberti „ de bonis, in quibus sibi tenentur, in aliquo „ ei satisfaciant, vel assumant quomodolibet „ respondere, alioquin tantumdem Cameræ nostræ persolvent, & ad id sinè strepitu judicii „ compellantur. Universitates, & provincias, „ civitates, castra, villas, & singulas conversationes, & quaslibet singulas personas cujuscumque præeminentiæ vel excellentiæ, etiam „ si regia dignitate præfulgeant, & cujuscumque alterius dignitatis, nobilitatis, conditionis, vel status existant, quæ ex aliquo pacto, „ promissione, obligatione, dicto Roberto, „ aut suis prædecessoribus facto, vel pœna apposita sub quacumque verborum forma compenso vel compensa, seu quavis occasione, „ causa, vel titulo speciali, vel aliquo servitio serviendo, vel hominum armatorum, vel „ aliud subsidium dandum per mare, & per terram tenerentur eidem Roberto, ab ipsis pacto, „ promissione, obligatione, & pœna apposita „ Vassallos quoque Feudatarios, & omnes, & „ singulos, qui de fidelitate Feudorum, vel „ alia quacumque ratione, vel causa ad aliqua

A „ præstanda servitia personalia, & realia tenerentur, ab omni vinculo fidelitatis subjectionis, & obedientiæ sibi, vel suis heredibus „ faciendæ, absolvimus penitus & in totum, „ ita quòd civitas, castra, villæ, universitates, „ & personæ prædictæ pactis, vel obligationibus prædictorum, nec Vassalli, nec Feudatarii prædicti ulteriùs fidelitatis, subjectionis, „ vel obedientiæ teneri causâ, vel titulo sibi, „ vel suis heredibus quomodolibet teneantur, „ provincias, & omnes contratas, civitates, „ castra, terras, & villas, feuda, Vassallos, „ bona, res, jurisdictiones, jura, servitia, & „ quæcumque alia sub nostra comprehensa privatione, & absolutione hujusmodi constitimus. Demum omnibus, & singulis Militibus, B „ Auditoribus, Judicibus, Jurisperitis, & Notariis, qui ejusdem Roberti domestici, seu „ familiares existunt, seu aliàs ex ejus servitio „ esse noscuntur in quibusvis aliis descriptis „ præcipiendo mandamus, quatenus ab ipsius „ Roberti familiaritate, consilio, dilectione, „ ac obsequiis quibuscumque infra duorum „ mensium spatium ab hodie computando sub „ effectu recedant, nec aut ad ejus servitium, „ vel consilium accedere publicè vel occultè „ præsumant: alioquin ipsos Milites honore, & „ dignitate militiæ, Auditores, Judices, Jurisperitos omni judicandi, & assidendi auctoritate ab omnibuscumque & singulis privilegiis C „ & immunitatibus, ac notis, & notariatus officio, eos videlicet de dictis Militibus, Judicibus, Jurisperitis, & Notariis, qui hujusmodi mandato nostro plenariè non paruerint ex „ nunc, pro ut ex tunc, privamus omnino, & „ inhibemus, & infames reddimus, ita quòd „ elapsis mensibus ad prædictos actus legitimos, „ postmodum quocumque tempore non admittantur. Hujusmodi autem privationis, confiscationis, exbannitionis, & diffinitionis, & „ absolutionis sententias, in his scriptis ferimus „ & alia omnia, & singula supradicta, & infra „ facimus, exigente Justitia, bono Reipublicæ „ requirente, & ex certa causa, de plenitudine „ potestatis supplentes omnem defectum, si quis D „ forsan inquisitione prædicta, vel quibuscumque processibus propterea factis, vel aliqua „ juris solemnitate obmissa est habitus, non „ obstantibus aliquibus legibus, constitutionibus, gratiis, & privilegiis sub quacumque „ verborum forma contentis, & de ipsis oporteret, de verbo ad verbum in præsentibus „ fieri mentionem, quæ præmissa, vel præmissorum aliquid possent quomodolibet objici „ vel opponi, quibus specialiter derogamus. „ Datum Pisis in præsentia nostrorum Principum, & Baronum ac Populi multitudinis expressè Sexto Calendas Maji, Regni nostri „ anno IV. Imperii verò primo.

E Dictus verò Rex Fredericus contraxit & fecit cum prædicto Imperatore unitatem & parentelam, & de prædicta unitate facta inter ipsos Imperatorem, & Regem Fredericum tractatum fuit, quòd prædictus Don Petrus filius dicti Regis Frederici deberet ducere & habere in suam uxorem filiam dicti Imperatoris, & quòd ipse Rex Fredericus effectus est per ipsum Imperatorem ipsius Imperatoris Admiratus.

Cujus causâ unitatis initæ, ut prædicitur, inter ipsos Imperatorem, & Regem Fredericum, incœpit idem Robertus habere odio ipsum Regem Fredericum, & contra eum inflare, & piratæ ipsius Regis Roberti incœperunt, licèt non

ita

Digitized by Google

ita palàm, sed palliatè, & non in generali, sed speciali Siculos disrobare.

Subsequenter verò dictus Rex Fredericus nomine dicti Imperatoris, propter dictum ammiratiæ officium sibi commissum per eumdem Imperatorem, misit suum exercitum primo die mensis Augusti XI. Indictionis anno à Nativitate Domini MCCCXIII. cum suis galêis à Messana ad civitatem Rhegii & alia loca Calabriæ ad obsidendum, invadendum, & capiendum eadem (*) eorum Imperatore. Qui exercitus dicti Regis Frederici infra dictum mensem Augusti obtinuit vi, nomine Imperatoris supradicti, subscripta loca Calabriæ, videlicet castra, & terras Rhegii, Cathonæ, Camnicalli, Vangnariæ, monte S. Michaëlis Calanne, Sancti...

Sextodecimo die mensis Augusti XI. Indictionis præco bannivit publicè per Panormum ex parte dicti Regis Frederici, qualiter dictus Dominus Rex omnibus suis fidelibus notum faciebat, quòd inter eum, & Dominum Calabriæ est guerra bannita, & propterea deberent sibi cavere mercatores Marinarii & alii fideles dicti Regis Frederici: propter quem item ortum dictæ guerræ altera pars prædictorum hostium, altera vicissim propter suos piratas ex tunc in antea publicè disrobavit, & deprædavit.

CAP. LXXV.

De morte dicti Imperatoris Henrici.

Dictus autem Imperator Henricus Septimus, dum cum suo exercitu ibat à Pisis in Principatum pro invadendis terris Principatus, & aliis locis ipsius Regis Roberti, mortuus est XXV. die Augusti prædictæ XI. Indictionis Anno à Nativitate Domini MCCCXIII. in burgo vocato Bonconventu, qui est prope Senas ad XII. millia.

CAP. LXXVI.

De transitu dicti Regis Frederici apud Pisas.

Penultimo die mensis Augusti dictus Rex Fredericus, nesciens adhuc mortem dicti Imperatoris, cum exstolio suo galêarum, & cum galêis Pisanorum recessit de Maritima Milatii, & ivit abinde ad Pisas, & in ipso viagio obviaverunt ei Nuncii Communis Pisarum nunciantes eidem Regi mortem dicti Imperatoris, pro quo impedimento dictæ mortis idem Rex non reliquit dictum viagium, sed continuato viagio ivit Pisas, & XI. Novembris XII. Indictionis tunc primò sequentis dicto anno Domini idem cum galêis XXIV. rediit de dicto viagio Pisarum in Trapanum Insulæ Siciliæ prædictæ.

CAP. LXXVII.

De homagio facto dicto Don-Petro de coronando eum.

Anno à Nativitate Domini MCCCXIV. mensis Junii, XII. Indictionis prædictæ apud Messanam Syndici terrarum, locorum Siciliæ pro parte universitatum, hominum civitatum, terrarum, & locorum ipsorum juraverunt, & homagium fecerunt dicto Don-Petro filio dicti Domini Regis Frederici de coronando, & habendo dictum Don-Petrum in Regem Siciliæ à die obitus dicti Regis Frederici patris ejus inantea.

CAP. LXXVIII.

De amissione castri ad mare de Gulfo, & obsidione Trapani.

Die Veneris nono Augusti ejusdem XII. Indictionis dicto anno à Nativitate Domini MCCCXIV. dictus Rex Robertus cum suo exstolio galêarum ferè centum viginti & aliorum multorum navigabilium lignorum nunc ferè CC. octoginta pro invadenda dicta Insula Siciliæ applicuit ad mare Insulæ Siciliæ ad maritimam videlicet Karini, & apprehendit ipso die in terram ad maritimam Sancti Cattaldi de nemore Pertinici usque ad castrum ad mare de Gulfo. Decimo ejusdem idem Rex Robertus non suis viribus, sed proditione Castellani dicti castri ad mare, qui dictum castrum sibi sponte, & proditionaliter tradidit, obtinuit ipsum castrum. Quarto decimo ejusdem idem Rex Robertus dimittens dictum castrum in custodia sequacium suorum, recessit ab inde cum dicto exstolio, vadens versùs terram Trapani, ad quam applicuit decimo sexto ejusdem, & illic descendens in terram, obsedit per mare & per terram undique terram Trapani supradictam.

CAP. LXXIX.

De resumtione tituli dicti Regis Frederici.

Nono mensis Augusti prædicti, quo idem Rex Robertus applicuit in Sicilia, ut prædicitur, prædictus Dominus Rex Fredericus resumsit sibi titulum regni Siciliæ & incœpit se scribere *Fredericus Dei gratiâ Rex Siciliæ*, & proinde idem Rex scripsit Panormitanensibus in hæc verba.

Fredericus Dei gratiâ Rex Siciliæ Bajulo, Judicibus, Juratis, & universis hominibus civitatis Panormi fidelibus suis gratiam suam, & bonam voluntatem.

„ Licèt cum consiliariis nostris habita deliberatione consulto ordinatum extitisset hactenus, & provisum, quòd nos prædictum Regni Siciliæ titulum resumere deberemus: nos tamen id usque nunc decrevimus differendum. Verùm ex quo hostes nostri contra nos, ac vos, & alios fideles nostros venire infeliciter se accingunt, quod licitè, & justè facere possumus, ulteriùs sub dissimulatione nolumusaliquatenus prorogare, prædictum titulum, sicut deliberatum extitit & provisum, feliciter in Christi nomine resumentes; propter quod fidelitati vestræ mandamus, quatenus singulis Notariis publicis dictæ civitatis Panormi ex parte nostri culminis injungatis, quòd in instrumentis, & aliis scriptis publicis, & occultis per eos de cetero faciendis, nostrum apponant titulum prælibatum. Datum apud Castrum-Johannis sub parvo sigillo nostro secreto Nono Augusti XII. Indictionis.

(*) *fortè* pro eodem.

CAP.

Digitized by Google

CAP. LXXX.

De remissiva Regis Roberti ad Cathalanos.

DUm autem prædicta agebantur in Sicilia, ut prædicitur, accidit, quòd dum Cathalani Mercatores fideles Regis Aragonum negotiando venirent ad dictam Insulam Siciliæ, & abinde postea recederent, euntes quò vellent cum mercimoniis eorum, piratæ dicti Regis Roberti deprædaverunt aliquos de Cathalanis eisdem, & quia Consiliarii civitatis Barchinonæ scripserunt proinde ipsi Regi Roberto, quòd ipse Rex Robertus reficeret ipsis Cathalanis deprædatis prædam ab eis captam per dictos piratas suos; idem Rex Robertus, dum esset tenens obsessam dictam terram Trapani, ut supradictum est, per suas literas respondit dictis Consiliariis Barchinonæ in hæc verba.

Robertus Dei gratiâ Rex &c. Consiliariis & Probis hominibus civitatis Barchinonæ devotis suis salutem, & dilectionem sinceram.

„ REcepimus vestras literas continentes dis-
„ robationem cujusdam KoKæ Bernardi
„ Garrigæ civis Majoricarum factam, ut asse-
„ rit, per quosdam piratas Regni nostri Siciliæ,
„ ac emendam damni in ipsa disrobatione da-
„ tam cum instantia postulantis, quarum teno-
„ rem pleno collegimus intellectu. Sanè cùm
„ pateat longè latèque notorium, quòd Domi-
„ nus Fredericus de Aragone Illustris Regis
„ Aragonum carissimi fratris nostri germanus,
„ contra nos, Deum, & justitiam fidem polli-
„ citam, conventionemque firmatam, causam
„ nostræ justitiæ, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ
„ impugnat hostiliter, ac prosequitur machi-
„ nanter, promta se præbet inspectio, quòd no-
„ bis potiùs justè defendentibus causam ipsam,
„ quàm eidem Domino Frederico, & memo-
„ rato Regi Aragonum, subditis patenter fa-
„ ventibus, & assistentibus per ejusdem Regis
„ præsidium sic faciendi. Dum enim præfatis
„ subditis sub mercandi specie gentes, & arma
„ in Sicilia transeunt, emuntque frumenta, &
„ merces, ex redditione quarum præfato Do-
„ mino Frederico ampla pecunia provenit:
„ nulli venit in dubium quòd ex eis memorato
„ Domino Frederico subsidium magnum, &
„ favor accedit, quibus ipsius armis, & manus
„ hostibus ad duriorem persecutionem nostræ
„ justitiæ fortiùs roboratur, per quod si gentes
„ nostras lædentes nos, & offendentes offendit,
„ sano judicio non videtur injuria, sed ejus
„ propulsatio, sive defensio rationis à legibus
„ introducta: quod ex eo maximè potest aper-
„ tiùs conspici si velit hoc provisus intuitus in
„ statera debitæ considerationis appendi. Con-
„ stat equidem esse jam patulum, & nullum
„ ferè angulum Orbis latet, quòd homines In-
„ sulæ Siciliæ à longissimis retro temporibus
„ rebellionis perfidæ, & hostilitatis improbæ
„ spiritum assumentes, contra claræ memoriæ
„ progenitores nostros proditionaliter rebella-
„ runt, omnes, quos potuerunt, contra ipsos,
„ & nos rei veritatis, præsumtionis & impu-
„ gnationis species exercentes, & quibus pro
„ Majestate crimen infirmitatis commissa se-
„ quitur, & infertur, quòd secundùm Regni
„ nostri Siciliæ constitutionis edictum, & jura
„ communia, bona eorum omnia implicita
„ sunt, & fisci nostri commodis applicata. Et
„ licèt in conventionibus dudum initis inter
„ eundem Dominum Fredericum ex parte sua,
„ & virum spectabilem Dominum Carolum
„ Valesii, & Alenzonæ Comitem ex parte cla-
„ ræ memoriæ Domini patris nostri, ex altera,
„ remissæ sint ipsis Siculis omnes offensæ, culpæ,
„ defectus, excessus, & damna, per eos con-
„ tra præfatos generatores nostros, & nos plu-
„ rali inculcatione commissa: bona tamen eo-
„ rum non fuerunt ex ipsarum conventionum
„ serie restituta, de quorum restitutione secun-
„ dùm juris formam mentionem oportuit fieri
„ specialem: quamquam & de bonis eisdem
„ aliquid in conventionibus tangatur per quem-
„ dam resolutionis modum, non principaliter
„ per propriam substantiam obligandi certis,
„ nec committitur circa hoc ratio fortis, &
„ adjunctionis, eosdem in notorium recidave-
„ runt rebellionis, & invasionis excessum, appa-
„ ret eos inter alias pœnas gravissimas publica-
„ tionis eorumdem bonorum fore laqueis inno-
„ datos, sic quòd bona præfata ad nos, qui
„ verè sumus, & realiter Dominus Insulæ præ-
„ fatæ Siciliæ, & regalem titulum exinde per
„ declarationem Papalis literæ obtinuimus,
„ pervenisse justè, & rationabiliter dignoscun-
„ tur: quamvis si dictus Dominus Fredericus,
„ si culpa sequens non privasset eumdem di-
„ cta Insula in vita sua per ipsarum conventio-
„ num tenoris seriem debuisset. Quicquid igi-
„ tur dicti piratæ ceperunt de bonis Siciliæ de
„ jure licito, & rationabili censura permisso,
„ sive quod illa fuerint subjecti Domini Frede-
„ rici, sive præfatorum hominum, tamquam
„ hostis, & proditorum bona capi rationabili-
„ ter potuerunt. Quod itaque est legitimè
„ apud Deum, & homines, nec morsum rece-
„ pit, ut pœnalis exigit aculeus, punctionis:
„ pro reverentia tamen præfati Regis Aragonum, cui plenis affectibus placere cupimus,
„ dicto Bernardo præfatam coKam procuravimus restitui facere, & uberiori ei gratia, si
„ quam commodè poterimus, provisuri. Rogamus ergo devotionem vestram, ut concives
„ vestros ab hujusmodi, & similibus quantum-
„ cumque vobis est, cohibeatis, & cohiberi
„ faciatis à molestis processibus, veritatis amo-
„ re, & justitiæ, quibus specialiter est placen-
„ dum, aut inter subditos prædicti Domini
„ Regis, quos amicabiliter tractare disponi-
„ mus, nostrosque pariter, tollatur materia
„ dissidendi, nolque ei ac eisdem ejus subditis
„ obnixiùs adstringamus ad placandum, & re-
„ trahamur remotiùs à materia nocendi. Fir-
„ miter enim memorato Regi displicere cre-
„ dimus, quòd per subditos ejus præfato Do-
„ mino Frederico contra nos præbeatur auxi-
„ lium, consilium, sive favor. Ut autem lo-
„ cus querelæ eidem Bernardo tollatur omnimo-
„ do, nihilominus Ducali Curiæ circa nos
„ astanti continuè expressè mandavimus, ut
„ ipsi Bernardo in præmissis faciat celebris
„ apertæ, ac expeditæ justitiæ complementum.
„ Datum in Campis in obsidione Trapani Se-
„ cundo Septembris XIII. Indictionis.

CAP. LXXXI.

De objectione facta per eumdem Regem Fredericum adversùs remissivam prædictam.

Fredericus Dei gratiâ Rex Siciliæ Vicario, Consilio, & universis hominibus Barchinonæ devotis suis salutem, & intimæ, ac nativæ dilectionis affectum.

„ PErvênit ad nos tenor literarum pridie
„ vobis per Dominum Robertum quon-
„ dam Illustris Regis Caroli Secundi natum su-
„ per negotio Bernardi Garigæ civis Majorica-
„ rum pro eodem Bernardo eidem Domino Ro-
„ berto scribentibus vobis directarum, in qui-
„ bus, & earum serie digna ratione permoti
„ in admirationem adducimur, tantoq; ampliùs
„ in iracundiam ex eis meritò vocaremur,
„ quanto cognovimus ipsum Dominum Rober-
„ tum virum fore literaturæ non modicæ ac
„ discretionis etiam exquisitæ: sed quia verum
„ credimus, quòd ira ejus impedit animum,
„ nec verum, ac justum plenè discernere va-
„ leat inpræsentiarum potissimè: qui ut obside-
„ ret nostram, & nostrorum fidelium terram
„ adveniens, se ipsum conclusit undique tali-
„ ter, ut nostros fideles obsidere quæritans, ab
„ eisdem miro judicio sit obsessus, expectans-
„ que promta commissorum suorum stipendia,
„ recepturus sit merita pro malis, quæ in mul-
„ tis machinationibus aliis præparabat. Nec in
„ iram prorsus conscendimus, nec plus solito
„ in scriptis suis hujusmodi perturbamur. Nam
„ ea, quæ dictus Dominus Robertus Universi-
„ tati pro jam scripto scripsit negotio, mani-
„ festis scriptis fuisse cognovimus non ex custo-
„ dita veritate, sed ex obedientiæ voluntate,
„ non ex rationis fomite, sed ex ira. Quis
„ enim tam manifestè cognoscens, quod omnes
„ cognoscere convenit, se pacis publicæ viola-
„ torem, ex admissis excessibus contra Roma-
„ num Imperium, totamque Rempublicam, in
„ tunc imperantis Cæsaris salutem hostiliter
„ animatum, factumque hostem publicum ex
„ bello pro suis criminibus sibi tunc indicto
„ per Cæsarem, verusque vitæ & se gratis in-
„ dicto Cæsari posset justè prætendere, quod
„ nos ei fidem pollicitam conventionemque fir-
„ matam impugnavimus hostiliter, ipsumque
„ prosequimur machinanter; aut quis verecun-
„ diæ viam aspiciens, sic scribendum fore pu-
„ tasset, quòd nos Sanctæ Matris Ecclesiæ cau-
„ sam, quæ virtutum semina in agro Domini
„ seminat, zizania exsecat, & ad ignis æterni
„ mittit judicium, hostili more ac animo obje-
„ cta Christiana Religione, sicut in præfatis ejus
„ continetur literis, oppugnamus: cùm sit ve-
„ rum, & pro vero debeat ab omnibus repu-
„ tari, quòd Sancta Mater Ecclesia quondam
„ Cæsarem, cui se dictus Dominus Robertus
„ sponte hostem constituit, utpote Catholicum,
„ & Christiana Religione fulgentem, filium
„ carum habuit, dignumque putavit ipsum
„ debere universaliter in temporibus ante om-
„ nes Reges, & Principes Orbis Terræ Catholi-
„ cos, sicut potestas habet Imperii præsidere?
„ quin immo revera is, qui nos Sanctam Ec-
„ clesiam impugnare pro his suis relatibus as-

A „ severat, quicquid fecimus pro Imperio, pro
„ Republica, pro pace, pro Ecclesia, pro de-
„ bito, nec minùs obsequio, ac obedientia fa-
„ cimus, fecisse cognoscitur. Id firmiter asse-
„ verat, & asseverare videtur, quod pudor
„ ipsius Ecclesiæ Sanctæ Majestate dignoscitur
„ sigillare, cùm id, quod fecimus pro sacri ho-
„ nore Imperii; cujus ipse gratis fuerat perse-
„ cutor, nos fecisse sit omnibus manifestum, &
„ ideo nemo certè rationem sequens hoc dice-
„ ret, nec in tanta animi sui pravitate, sed la-
„ bi penitus pateretur, quòd nos pacem illi
„ aut fidem promissam in aliquo læsissemus,
„ quem cognovimus tam nos, quàm omnes
„ sistentes infra Ecclesiam Jesu Christi, se suis
B „ meritis de Imperii Christiani unitate, ac cor-
„ pore hostiliter præcidisset; quamvis propter
„ hoc etiam ipse D. Robertus post pacem inter
„ nos, & spectabilem D. Carolum Valesii &
„ Alenzonæ Comitem pro parte dicti quondam
„ Domini Regis Caroli paciscentis initam, &
„ firmatam contra pacis fœdera multa machi-
„ nans, & in actu adducens, se ipsa pace post
„ mortem ejusdem quondam Domini Regis
„ Caroli patris sui fecisset indignam, sicut non-
„ nullas civitates, singularesque personas est
„ notorium non latere: nulla penitus culpa ex
„ parte nostra, per quam ad ea venisse debue-
„ rit, præcedente: per quæ non tam publicus,
„ quàm specialis specialiter firmatæ pacis idem
C „ Dominus Robertus notorius extitit violator,
„ præfatæ ad hoc dicti Domini Roberti literæ
„ arguere sub machinatione verborum bellissi-
„ ma, contra mandantis, & dictantis conscien-
„ tiæ videbantur, quòd Siculi fideles nostri con-
„ tra progenitores ipsius longissimis retro tem-
„ poribus rebellionis perfidæ ac hostilitatis im-
„ probæ spiritum assumentes proditionaliter
„ arma sumserunt. Sed si hæc exscripsit . . . .
„ . . . . . quippe convenit omnes
„ ferè Catholicos Orbis terræ, illos etiam, qui
„ sunt foris, quòd quondam Rex Carolus I. in
„ Regnum Siciliæ primùm adveniens, tamquam
„ in rem juris penitus alieni, cùm de fide rupta
„ invasisset, ac contra Deum, contraque justi-
D „ tiam quibuscumque favoribus possedisset, pa-
„ lam est omnibus, Siculas gentes duriori sub-
„ jecit dominio, & importabiliori subjecit pe-
„ nitus servituti, quàm qui subjecti fuerunt
„ Israël filii apud Ægyptios sub Pharaone Prin-
„ cipe in luto, & latêre ancillati: ac intolera-
„ bilibus exactionibus, & diversis ipsarum ge-
„ neralibus variis per novas adinventiones, ex
„ quibus etiam quædam in sola naturæ potesta-
„ te sistebant, ad exstremam inopiam, sicut
„ erat in Orbe toto notorium, sic deduxit, ut
„ eis egestate sordentibus, esset vita supplic-
„ cium, solatium verò mori, & in tantum illis
„ infelicibus temporibus tyrannis amara succre-
E „ verat, ut in ipso justitia virtutum mater su-
„ per exilio suo stupescens, humanitas, & cle-
„ mentia in retentione sua tabescerent, humili-
„ tas inimica filiorum superbiæ quasi confusa
„ discederet, super Rachel filios fletum, &
„ planctum amarum in cinere, sacco, & cilicio
„ facientes cithara, & psalterium . . . . . .
„ tympanum . . . . . & organum pro con-
„ fusione sui extra solum proprium facta sunt
„ in angustiis Siculorum qui etiam flagellis cæ-
„ debantur, & duris (*) . . . . . .
„ Gallicorum sinè delectu impiè premebantur.
„ Non erant ea tempora Regis Guillelmi II.
„ de

(*) *fortè supplendum* aspectibus.

„ de cujus nos stirpe descendimus, quæ pro sui „ felicitate aurea, ac Florentina dicebantur: „ quamquam dictus Dominus Rex Carolus „ priùs Sacrosanctæ Majori Ecclesiæ, ad quam „ hoc de jure dominii directè pertinet, in re- „ gimine regni, se in vita earum promiserat, „ & assignata sibi proinde certa capitula serva- „ turum tenaciter corporali juraverat Sacra- „ mento: respiciens autem Dominus de excelso „ in loco habitationis suæ, unde omnia conspi- „ cit, ad orationes, & lachrymas oppressorum „ motus super afflictione & contritione populi, „ exaudivit orationem humilium, & non spre- „ vit preces eorum. Et qui effringit superbias „ cum superbis, incitavit mansuetorum animos „ contra sævitiæ filium in suo robore glorian- „ tem, & dedit exaltationes in gutture eorum, „ & gladios ancipites in eorum manibus collo- „ cavit ad faciendam vindictam in nationibus „ ex eis, & increpationes in gentibus alienis, ad „ alligandos eos in compedibus, & nobiles eo- „ rum in manicis ferreis vinciendos, & misit „ spiritum ejus in cor divinæ recordationis „ quondam Domini patris nostri, ut educeret „ populum in manu forti, & extento brachio „ ex Ægypto, & ex Ægyptiorum durissima „ servitute: factusque est idem genitor noster „ virga furoris Domini ad conterendum bacu- „ lum impiorum, & (erigendum) Siculorum „ populos in salutem, quem Dei judicio reje- „ ctus ab Ecclesia ipse populus, ad quam con- „ fugerat, sibi Ducem constituit, justissimè ti- „ mens, ne in potestate sævientis hostis recide- „ ret, & ejus sanguinem sitientis, quod eis jam „ dicta mandabat Ecclesia, ad quam jure me- „ ritoque priùs idem populus putaverat fu- „ giendum. Non igitur scribi (debuit, quod) „ proditionaliter rebellassent, cùm rebellatione „ hujusmodi nullum propositum, nullaque Cœ- „ lestis facies, vel conspirans conjuratio præ- „ cessisset: & licebat nec minùs eis liberis quod „ servilis status hominibus erat licitum, ut con- „ fugientes ad Ecclesiam sævitiam effugerent „ fugientis illicitè: ita quòd in ejus potestatem „ non reciderent in perpetuum quovismodo.... „ In ceteris autem successibus pro populo, & „ Ducibus populi stetit Dominus manifestè, & „ pro ipsorum defensione, & liberatione sem- „ per evidentissimè digitus Dei fuit. Quomodo „ igitur ipsos Siculos proditores fuisse dici de- „ buit, sive scribi, ipsorumque Siculorum pro- „ genitorum bona scribentis Fisco fuisse quo- „ modolibet acquisita, cùm nullum penitus „ crimen possint argui, sicut prælegitur, admi- „ sisse? Certè sano, & maturo judicio hæc dici „ non debuerant, neque scribi hoc idem, & „ scribens manifestè cognoscit, quòd in dicta „ pace, quam Deus stare noluit justo judicio, „ inter nos & præfatum Dominum Carolum, „ inter alias conventiones deductum extitit, & „ expressum, quòd omnes excessus Siculorum „ præfatus quondam ipsius scribentis genitor eis „ totaliter remittebat: ex quo meritò resulta- „ bat, quòd bona eorum, utpote abolito cri- „ mine, si quod forsan admiserant, ipsis inte- „ gra remanerent. Nam dicere debuit, referre „ largiter inter hunc casum, & illum, quo vim „ passus sententia à Principe tamen indulgen- „ tiam promeretur. Quo enim modo de bonis „ quærendis esset illorum, quorum crimen ne- „ quit ex pactionalis remissionis effectu, quam „ constat crimen, & ejus effectum in perpe- „ tuum extinxisse? Adeò ut nullo umquam „ eventu potuerit secundùm juris dictamina su-

A „ scitari, acsi numquam crimen admissum exti- „ tisset, habeaturque ad instar casus illius, „ quòd Princeps contra contractum crimen illud „ supplicantibus indulgeret. Certè satis desipe- „ ret qui taliter saperet, & eum juris ignoran- „ tia nullatenus excusaret: propterea quòd in „ prædictis literis Universitati vestræ transmissis „ vos scribens alloquitur, quòd ex dictis con- „ ventionibus de restitutione bonorum nostro- „ rum fidelium, nihil nisi per quemdam reso- „ lutionis modum, actum extitit, principaliter „ per propriam substantiam obligandi. Multum „ nos in admiratione adducit, dum de causa „ providentis nobilis viri ore talia proferuntur, „ cùm constet resolutionis verbum non porrigi „ ad illa, quæ numquam ab eo, vel ejus pro- „ genitoribus possent naturaliter vel civiliter, „ vel in corpora eorum fiscalibus existere. Ex „ quo etiam illud sequitur, quòd si verum esset „ quod ipsius asseveratio continet: non se obli- „ gando per propriam obligandi substantiam, „ sic ut loquitur, agi debuerat: sed de remit- „ tendo quod numquam remittendum fuerat per „ propriam substantiam remittendi. Nec illud „ attendit etiam qui scripsit, vel scribi manda- „ vit, seu dictavit literas memoratas, quòd ex „ pace prædicta non tantùm personarum homi- „ num regni nostri subjectionem habituri non „ eramus omnino, sed etiam verborum. Fuisset „ enim prorsus inutilis pax, & conventio hu- „ jusmodi, si per eam nostris fidelibus non ha- „ bere bona propria licuisset, per quæ id, quod „ ad fidelitatem pertinet, posset ex more fide- „ lium nobis eorum Domino adimplere. Hoc „ idem in pace Mater sentiebat Ecclesia, quæ „ dictum Regnum ad nos pleno jure pertinere „ debere censuit, nosque ipsius fore censua- „ rium, & vassallum. Certum nos habere ali- „ quid minimè voluisset, si bona subditorum „ nostrorum Fisci prædicti Domini Regis Ca- „ roli, & successorum suorum jurium addita „ mansissent, quod est à veritate penitus alie- „ num: & quomodo, & qualiter in conventio- „ nes tunc deductum fuisset quomodolibet sicut „ fuit ..... fide nostra descendentibus à se „ dominio prædicti Domini Regis Caroli su- „ mentibus bona Patrimonialia, & Burgensati- „ ca eorum restitui debeant, si priùs Fisco suo „ & Patris ejus semel fuerant acquisita. Non „ enim de restituendis ipsis bonis eisdem rebel- „ libus, seu submittentibus se dicto dominio, „ sed de restituendis eidem Regi Carolo, vel „ ejus heredibus, qui hæc asserit acquisita, fue- „ rat actum: fuisset verisimiliter expressum. „ Nec minùs & gratis illud habet in mentem, „ quòd nonnullis fidelibus post dictam pacem „ bona eis ablata per nonnullos eis subjectos „ mandavit restitui, & tamquam eorum bona „ cum integritate debita resarciri. Equidem „ meritò scire poterat idem scribens, quòd si „ nostri fideles in alicujus rebellionis excessum „ reciderint, cum ea, quæ Cæsaris & nostris „ obsecundantis jussionibus obedientiam super „ Reges, & gentes humano, & Divino jure „ debitam impendentes, contra perduelles Ro- „ mani fecerunt Imperii, utpote facta legitimè, „ nihil criminis habuissent, nullamque pœnam „ penitus mereantur; nec ad suas rationes adji- „ cere debuit, se realiter fore Siciliæ Domi- „ num, quem in arena Trapani Dominus justo „ suo judicio condemnavit: dum inibi per eum „ nullo ferè interveniente terræ spatio juxta „ celsissimum montem nostris, & effectum Fi- „ delibus, virisque fortissimè sua castra infeli- „ cia

„ cia contra sapientium consilia, quæ quando-
„ que fortè vel legerit vel dici audiverit, de-
„ fixa infeliciter exercuerunt. Postremò dici-
„ mus nihil eum posse prætendere, quem con-
„ stat rerum dominium penitus non habere.
„ Præcludatur omnis materia disputandi. Vos
„ autem, quos natura, & ratio nobis reddit sa-
„ tis caros, rogamus attentè, quòd sic vos de
„ nobis exscribentes geratis, sicut dicit vobis
„ discretio, & ratio naturalis, ut sic cognoscat
„ rectè Mundus, quòd alia sit fratris, seu ger-
„ mani, quem natura conjunxit, ratio, quàm
„ ejus, qui fortè fraterna dilectione frater me-
„ ruit appellari. Desipit namque penitus qui
„ putat eum non sicut fratrem plus fratre di-
„ ligi, quem natura fratrum manifestiùs pro-
„ creavit; nec scribens sic, fratris nostri frater
„ esse dignoscitur. Quòd non esse potuerit fra-
„ ter noster, nisi hoc taliter contigisset, quod
„ nequaquam evenisset tam scribenti, quàm
„ nobis, & aliis est penitus manifestum. Da-
„ tum &c.

CAP. LXXXII.

De congregatione gentis dicti Regis Frederici ad expugnandum dictum Regem Robertum, & treugis, & tractatis inter Reges præfatos, ac recessu dicti Regis Roberti.

PRædicto verò tempore, quo dicti hostes venerunt in Sicilia, dictus Dominus Rex Fredericus erat in Monte Castri-Johannis, & statim quòd scivit dictum adventum præfatorum hostium, vênit abinde cum celeritate ad terram Castri-Novi, & illic manens mandabat, & faciebat congregari gentes, & alia multa præparari necessariò facienda contra hostes eosdem, ad ostandum, & persequendum dictos hostes, & custodiendas fronterias dictæ terræ Trapani, & faciendum balluticiacum cum hostibus ipsis, & damnificandum eos in quantum posset: & inter alia scripsit propterea Capitaneo Panormi in hunc modum videlicet.

Fredericus Dei gratiâ Rex Siciliæ Capitaneo, seu Vice-Capitaneo Civitatis Panormi fideli suo gratiam suam, & bonam voluntatem.

„ CUm ad confusionem, & stragem, Deo
„ auctore, finalem, qui causam justitiæ
„ nostræ prosequitur, Domini Roberti quon-
„ dam Regis Caroli II. filii, & gentis ejus,
„ qui cum suo infelici tam maritimo, quàm
„ terrestri exercitu terram Trapani obsident,
„ eam molirentur suæ subjicere potestati, po-
„ tenti manu, & brachio extento viriliter, &
„ magnanimiter procedere disponimus: in quo
„ cùm universale nostrorum fidelium interesse
„ versetur; expedit fideles ipsos quoslibet no-
„ biscum ad consumationem tam utilis, quàm
„ arduì, & necessarii negotii potenti manu
„ unanimiter interesse. Itaque fidelitati tuæ
„ mandamus, quatenus, statim receptis præ-
„ sentibus, armis, & equis bene, & decenter
„ muniti cum tota comitiva tua equitum, &
„ peditum armatorum, nec non omnibus equi-
„ tibus ac etiam peditibus quatuor millibus ci-
„ vitatis Panormi viris, utique bellicosis, &
„ armorum exercitio magis aptis, equitum
„ scilicet equis, & armis, & peditum armis
„ sufficienter, & bene muniti ad præsentiam
„ nostræ Majestatis accedas: ita quòd per to-
„ tum proximè futurum mensem Septembrem
„ primò sequentis tertiæ Indictionis ad tardiùs,
„ tam dictam comitivam, quàm præfatos alios
„ equites, & pedites dictæ civitatis Panormi,
„ ubicumque fuerint, præsentes infallibiliter
„ habeamus, & de Comitibus, Baronibus,
„ Nobilibus, Militibus, & terrarum Armigeris
„ de dictis equitibus, & peditibus aliis univer-
„ sè præsentialiter, & numerosa multitudine
„ congreget: quos propterea facimus evocari
„ sic contra dictos hostes, ut in virtute Divina
„ potentiæ, quæ superbis resistit, & humilibus
„ dat salutem, potenter & magnificè prodea-
„ mus, quòd de eis feliciter obtentâ victoriâ
„ referantur laudes Altissimo, & laboribus sive
„ dato cultus pacis, & justitiæ quem guerræ
„ fremitus vulnerat, comportiantur diuturnitate
„ perpetua, Summi Regis favente clementia,
„ duraturis. Datum apud Castrum-Novum
„ sub parvo sigillo nostro secreto ultimo Au-
„ gusti XIII. Indictionis.

Interea dictus Rex Fredericus faciebat armari in Messana suum exstolium galêarum grossarum LVII., & subtilium ultra X. quod vênit Panormum XXVII. die mensis Octobris ejusdem XIII Indictionis, de quibus galêis armatis fuerunt Messanæ triginta, & reliquæ fuerunt armatæ Panormi, tam de viris Panormitanis, quàm de congregatione equitum, & peditum innumerabilium Siculorum, qui venerant Panormum tam de longinquis, quàm de propinquis partibus Siciliæ, ratione dictæ guerræ ad mandatum Regium eis factum. Et idem Rex Fredericus veniens de Castro-Novo in Corolionum, & abinde in Panormum, applicans XXV. die dicti mensis Octobris, fecit penultimo ejusdem, in plano S. Georgii de tenemento Panormi colloquium cum exercitu suo maritimo, & terrestri, & ivit abinde ad Montem S. Juliani, qui est prope Trapanum, quem sequuti ultra quatuor millia equitum, & peditum Panormitanorum tantùm ad expugnandum hostes eosdem. Dictum autem exstolium armatum, quàm exprimi posset, recessit Panormo XXII. Novembris XIII. Indictionis præfatæ vadens versùs Trapanum, quod dum applicasset in parte ad Caput S. Viti, & in parte ad Bonagiam, incœperunt insurgere venti contrarii non permittentes dictum exstolium versùs Trapanum (*) conficisci: imò pro salute dicti exstolii, cùm illic stare nequiret, exstolium ipsum reversum est in Panormum secundo Decembris ejusdem XIII. Indictionis: propter quod impedimentum destitit commissio prœlii inter dictum exstolium, & eosdem hostes.

Et deinde factæ, & firmatæ fuerunt die Lunæ XVII. dicti mensis Decembris ejusdem XIII. Indictionis Anno à Nativit. Dom. MCCCXIV. existente dicto Rege Frederico in dicto Monte S. Juliani, & prædictis hostibus tenentibus circiter obsessam dictam terram Trapani, treuga inter eosdem Dominum Regem Fredericum, & hostes, duraturæ tantùm ad mensem Martii proximè futurum XIV. Indictionis, de quibus treugis idem Rex Fredericus scripsit Panormitanensibus in hæc verba.

(*) *fortè* proficisci.

Fre-

Fredericus Dei gratiâ Rex Siciliæ, Bajulo, Judicibus, Juratis, & universis hominibus civitatis Panormi fidelibus suis gratiam suam, & bonam voluntatem.

„ PAtet ubique terrarum, & locorum Siciliæ
„ à longè satìs, & ad remota ubique in-
„ cognitum non extitit, quòd postquam scivi-
„ mus hostes nostros ante Trapanum cum toto
„ suo exsortio, tam per mare, quàm per ter-
„ ram sinistris auspiciis declinasse, eamque po-
„ tentiæ suæ viribus obsedisse & tenere circiter
„ coartatam; felix nostrum galêarum exstolium
„ in numerosa quantitate armari jussimus cum
„ celeritate, & instantia, & muniri ac repleri
„ ultra necessarium gentis numerum copiosa
„ multitudine militum, & aliorum bellatorum,
„ nosque cum potenti terrestri exercitu præve-
„ niendo ipsum exstolium, venimus apud Mon-
„ tem ea consideratione præsenti, ut dictam
„ terram Trapani à persequentium dolosis insi-
„ diis, & calumniosis insultibus possemus cum
„ adjutorio Altissimi liberare, & ad nihil aliud
„ mentis nostræ sedulitatis, & cordis cogitatio
„ vigilabat. Sed Deus excelsus, in cujus manu
„ sunt omnia, non per viam belli, quæ satìs
„ erat præsto, si venire nostrum exstolium po-
„ tuisset cum opportunitate ventorum, sed per
„ aliam viam minoris discriminis negotium di-
„ rimere placuit, & partis utriusque imminen-
„ tibus periculis providere, ne ex conflictu
„ bellantium sequeretur strages gentium, &
„ effusio sanguinis Christiani. Attendentes ita-
„ que, quòd, impedimentis ventorum obstan-
„ tibus, dictum exstolium nostrum vassellis ho-
„ stium nullatenus poterat adhærere, & totum
„ id de superni Judicis judicio procedebatur,
„ cùm non sicut in homine viæ ejus, interve-
„ nientibus mediatoribus, ex justa rationablli
„ causa, habitoque hinc inde tractatu, ad so-
„ pienda, & sedanda frementis guerræ dissidia,
„ pari voto tamdem treugarum fœdera cum
„ hostibus ipsis eas specialiter requirentibus de-
„ venimus in hunc modum: videlicet, quòd
„ treuguæ tractatæ, & firmatæ sunt duraturæ
„ ex nunc usque ad mensem Martii futurum
„ XIV. Indictionis inter nos, & ipsos, ex par-
„ te nostra solùm in Sicilia Insula, eique adja-
„ centibus Insulis, etiam Gerborum, & Ker-
„ Kinarum, & civitatis Rhegii castris, terris,
„ & locis, quæ in Calabria possidemus; & ex
„ parte hostium in toto Regno ultra Pharum,
„ Provincia Pedemontana, ForKalKerio, Fer-
„ riario, Romandiola, Thuscia, Lombardia,
„ Urbe, districtu ejus, & Campania: ita quòd
„ in isto intermedio, seu intervallo quilibet te-
„ neat loca, quæ tenet, tam in Sicilia, quàm
„ Calabria quietè, & quòd unus non offendat
„ terras, & loca alterius, aut subditos ejus
„ per se, & subditos suos, nec sit causa offen-
„ sionis, sed treugas ipsas observet per se &
„ subditos suos inviolabiliter juxta posse, &
„ bona fide: propter quod fidelitati vestræ
„ mandamus, quatenus toto ipso tempore du-
„ rante dictas treugas secundùm ipsorum Ca-
„ pitulorum formam inviolabiliter, & tenaciter
„ observetis. De prædictis autem Nicolaus de
„ Mayda miles consiliarius familiaris, & fide-
„ lis noster, qui his interfuit, poterit vos la-
„ tiùs informare. Datum in Monte S. Juliani
„ XVII. Decembris XIII. Indictionis.

Prædicto itaque die XVI. dicti mensis Decembris, quo dictæ treugæ factæ fuerunt, ut præscribitur, idem exstolium Siculorum incœpit disarmari in Panormo, & penultimo ejusdem dictus Rex Fredericus veniens de dicto Monte intravit Panormum per Portam S. Georgii vadens sub pallio usque ad Palatium.

Dictus verò Rex Robertus eodem penultimo die dicti mensis Decembris recessit, & ivit de Trapano in Principatum per mare cum residuo suo exercitu, & cum Lignis navigabilibus ferè triginta, quia reliqui dicti exercitus iverunt per terram per Siciliam abinde in Calabriam ad eorum lares.

De gente verò, equis, ac Lignis navigabilibus, cum quibus idem Rex Robertus venerat, ut prædicitur, in Sicilia, major pars remansit in Sicilia, tam quia ibi mortui sunt universi equites, & pedites ac equi, & rupta, & putrefacta sunt ipsa Ligna, quàm etiam, quia ante dictum tractatum dictarum treugarum equites, & pedites dicti Regis Roberti in multa quantitate deseruerant ipsum Regem Robertum, & venerant ad gratiam dicti Regis Frederici, quàm etiam, quia de dictis equis fuerunt venditi singulis in non modica quantitate.

CAP. LXXXIII.

De adventu filiæ Regis Cypri in Siciliam.

ILlustris Domina Maria filia quondam Regis Cypri, soror Serenissimi Domini Henrici Regis Cypri, eademque sponsa prædicti Illustrissimi Regis Jacobi Regis Aragonum, ejusdemque fratris ejusdem Regis Frederici, veniens de partibus suis Cypri, & vadens ad dictum Regem Aragonum virum ejus pro eorum matrimonio per carnis copulam consummando, transivit cum quatuor suis galêis in Panormum die Veneris V. Septembris quatuordecimæ Indictionis Anno Domini MCCCXV., cui Dominæ Universitas hominum dictæ Panormitanæ urbis exeniavit in dicto transitu plures, & diversas res comestibiles, quæ Domina tunc de galêa sua descendens, & intrans in Castrum ad mare Panormi, requievit illic diebus duobus.

CAP. LXXXIV.

De recuperatione Castri ad mare de Gulfo.

FInito autem dicto tempore prædictarum treugarum factarum in dicta obsidione Trapani, ut prædictum est, de mandato, & ordinatione dicti Regis Frederici dictum Castrum ad mare situm in Valle Mazariæ Insulæ Siciliæ existens in dominio dicti Regis Roberti, sicut prænarratum est, die Lunæ primo mensis Martii XIV. Indictionis, Anno à Nativitate Domini MCCCXVI. obsessum fuit per homines Vallis Mazariæ, in quo fuerunt viri pedites balistrerii, & lancerii trecenti Panormitanenses, proinde solidati per Universitatem Panormi. Cujus obsidionis fuit Præpositus & Capitaneus Dominus Bernardus de Sarriano, & in prædicta obsidione fuerunt tres machinæ seu trabucki missi per dictam Universitatem Panormi, ac dictam obsidionem, ad diruendum, macerandum, & interficiendum cum ipsis dictum Castrum, & homines, ac res existentes in eo.

Die verò Mercurii X. ejusdem mensis quædam *tidam* onerata tribus aliis machinis, terræ Trapani applicuit post meridiem ad litus maris dicti Castri, & ipso die exoneratæ de dicta *tidam*

Digitized by Google

dam in terra aguinibus, & parvis dictarum machinarum. Supervenerunt die crastino dicti diei in aurora tres galêæ dicti Regis Roberti, quæ ceperunt dictam *tidam* cum residuo dictarum trium machinarum, & combusserunt ea.

Qua de causa fuit factum in plano maritimæ Panormi castrum ligneum unum completum, & ad dictam obsidionem portatum cum quinque galêis Siculorum die Martis penultimo ejusdem mensis Martii.

Eodem die Lunæ ultimæ hebdomadæ Quadragesimæ quinto Aprilis ejusdem XIV. Indictionis omnes milites, & equites Panormi, nec non ultra mille quingentos pedites Panormitanensium iverunt de mandato Regis ad obsidionem præfatam.

Qui homines prædictæ obsidionis die Martis primæ hebdomadæ Paschæ Dominicæ Resurrectionis. XIII. videlicet dicti mensis Aprilis de duobus fossatis existentibus ante dictum castrum, primo videlicet, ex dictis duobus magno, & altero parvo impleverunt dictum fossatum parvum: dictum castrum ligneum factum, ut prædicitur, in plano maritimæ Panormi fecerunt adhærere usque ad dictum fossatum repletum, & proinde dicti homines ipsius obsidionis intraverunt dictum magnum fossatum, & diruerunt unam ex tribus turribus Balii dicti castri ad mare: sequenti verò die Mercurii XIV. ejusdem mensis Aprilis inter horas Tertiæ & meridiei dicto Anno Domini MCCCXVI captum fuit idem Castrum ad mare, videlicet per dictos homines ipsius obsidionis, dantibus operam dictæ captioni viris Panormitanis existentibus in dicta obsidione. De hostibus verò defendentibus dictum castrum, mortui sunt in dicta captione ipsius castri ultra viros viginti, & capti ac retenti captivi ultra centum octoginta.

CAP. LXXXV.

De adventu aliorum hostium, & recessu ipsorum.

Die Mercurii quinto Madii prædictæ XIV. Indictionis hostes Siculorum existentes de dominio dicti Regis Roberti, cum galêis triginta duabus armatis, venerunt in Siciliam ad Oliverium, videlicet ad planum Menlatii, & ceperunt illic aliquos homines Siculos, & die Sabbati octavo ejusdem recesserunt inde ad suos Principatus euntes.

CAP. LXXXVI.

De adventu hostium aliorum in Sicilia, quorum fuit Præpositus Comes Thomasius Martianus.

Die Dominico, VIII. mensis Augusti prædictæ XIV. Indictionis Anno prædicto Domini MCCCXVI. prædicti hostes, quorum fuit Præpositus Comes Thomasius Martianus, venerunt ad maritimam terræ Trapani cum galêis ferè septuaginta, portantibus circa mille quingentos equites, & die sequenti Lunæ nono ejus descenderunt in terra apud terram Marsaliæ ipsius Insulæ, & obsederunt ipsam terram, prœliantes, & dantes assaltum terræ prædictæ, & tenentes eam obsessam usque ad alterum diem Dominicum quintum decimum ejusdem mensis Augusti, quo die dicti hostes recesserunt de

A prædicta obsidione in hunc modum, videlicet, quòd prædicti equites remanserunt in terra, euntes usque ad terram Salem, & Casale Castelli Vitrani, & damnificantes ipsa loca, prœliantes turrim Burgeitensem, & nequeuntes obtinere aliquem ipsorum locorum; iverunt abinde ad maritimam dicti Castri ad mare de Gulfo per terram, & dictum exstolium galêarum per mare & illic dicti equites ascenderunt in prædictas galêas, & sic idem exstolium cum prædicto exercitu vênit abinde Panormum, ad maritimam videlicet Cassarorum die Jovis XXVI. ejusdem mensis Augusti. Quo die dicti equites, & alii pedites de prædictis galêis descenderunt ad ipsam maritimam supponentem, stantes (*) in dicto

B eorum descensu flammarum incendiis, sepes, turres, & domos vinearum & locorum sitorum in dicta contrata Cassarorum, & contrata Fabariæ & incidentes vineas, & jardina ipsarum contratarum, sic faciendo usque per totum diem sequentem Veneris XXVII. ejusdem mensis, quo die inciderunt arbores Dactylorum, qui erant in loco, qui dicebatur *Dactyletus Sycoparum* ultra pontem Ammirati prope Ecclesiam S. Johannis de Leprosis, & venerunt dicti equites cum quibusdam de suis peditibus usque ad prope, seu ante mœnia dictæ Panormitanæ urbis, ad portas scilicet Thermarum, & Græcorum; & combusserunt turrim jardinæ Sayda

C existentem ante mœnia ipsa, & inciderunt quasdam arbores jardinorum vicinorum eisdem portis. Sequenti verò die Lunæ penultimo ejusdem mensis Augusti in mane, videlicet ante Tertiam, idem exstolium per mare, & dicti equites per terram recesserunt Panormo, euntes usque ad maritimam Tonnariæ Solantis, & illic dicti equites ascenderunt in dictas galêas, & ab inde iverunt dictæ galêæ retro viagio Messanam, ad quam applicuerunt die Veneris tertio mensis Septembris XV. Indictionis, & illic steterunt diebus comburentes, incidentes, & diruentes domos, vineas, & bona Messanensium, ex utraque parte Messanæ, & specialiter ex parte burgi S. Marci usque ad Iviratorium, & post ipsos dies venerunt, iverunt dictæ galêæ ad foveam

D Rhegii, & steterunt illic usque ad diem Lunæ XIII. ejusdem Septembris, quo die dictæ galêæ venerunt de dicta fovea Rhegii ad maritimam Melatii, & abinde postea recedentes redierunt ad partes suas Principatus.

Dum autem prædicta fiebant Panormi, & Messanæ per dictos hostes, ut prædicitur, viri Siculi se congregabant in Messana, & armabant illic viriliter eorum exstolium galêarum, quod fuit totaliter armatum infra dictum mensem Septembris, cujus exstolii Siculorum timore, dictos hostes creditur recessisse, & rediisse, ut præmittitur, ad suas partes. Post quorum hostium recessum, quia tunc temporis appropinquabat hyems, dictum exstolium galêarum Sicu-

E lorum exstitit disarmatum.

CAP. LXXXVII.

De colloquio facto per dictum Regem Fredericum in Panormo, & intentione regiminis dicti Dom-Petri.

Die Jovis secundo Decembris ejusdem XV. Indictionis dicto anno Domini MCCCXVI. idem Dominus Rex Fredericus, præsentibus dictis suis filiis, videlicet Don-Petro, & Don-Man-

(*) *fortè* strantes, *aut* sternentes.

Manfredo, & præsentibus etiam omnibus Syndicis omnium locorum Siciliæ, fecit gloriæ colloquium in Majori Panormitana Ecclesia, in quo proposuit hoc problema: *caritas non agit perperam, nec quærit quæ sua sunt*. Et post præambula dicti colloquii finis fuit, quòd idem Dominus Rex dixit, se velle in dicto anno armare tempestivè exstolium galêarum octoginta; de quibus Comes Franciscus De-Vintimiliis, & alii Barones Vallis Mazariæ in dicto colloquio obtulerunt se suis expensis armaturos galêas triginta. Et octavo ejusdem mensis Decembris, dicto Rege recedente Panormo, & eunte Messanam, remanserunt Panormi ad regendum, & faciendum justitiam dicti duo filii ipsius dicti Regis cum Domino Simone De-Malguarnerio alumno eorum, eidem Dominus Petrus nominabatur, & regendo cujus titulus talis erat: *Petrus Infans Serenissimi Domini Regis Frederici Excellentissimi Regis Siciliæ Primogenitus, ac ejus in eodem Regno Vicarius Generalis*.

CAP. LXXXVIII.

De incisione Tonnariarum Siciliæ XV. Indictionis.

ANno à Nativitate Domini MCCCXVII. die Mercurii XVIII. mensis Madii XV. Indictionis ante ortum Solis, præscripti hostes cum galêis novem venerunt in Panormum, inciserunt Tonnarias Thermarum Panormitanensium, & deinde Castri ad maritima de Gulfo, & terræ Trapani, & eis postea recedentibus de Panormo, Tonnaria S. Georgii exstitit reparata, & receptata: quæ postmodum per ipsos eosdem hostes revertentes in Panormum primo die mensis Junii ejusdem Indictionis per eosdem hostes exstitit reincisa. Et dum ipso die dictæ galêæ existerent in mari dictæ Tonnariæ, subitò Panormitanenses infra tertiam, & meridiem ipsius diei armaverunt galêas tres, cum quibusdam aliis galeotis de Guardia Messanensium, exiverunt contra dictas galêas novem ipsorum hostium, euntes ad expugnandos dictos hostes usque ad dictum locum, in quo erant galêæ hostium eorumdem; qui hostes timentes vires ipsarum galêarum sex exeuntium de Panormo, fugerunt abinde reparantes prœlium, & sic recedentes Panormo ipso eodem die redierunt ad partes suas Principatus, & in ipso eorum reditu transeuntes per Liparum, invaserunt, devastaverunt, & combusserunt vineas, & jardina, & loca exteriora Lipari ipsius.

CAP. LXXXIX.

De treugis factis inter ipsos Regem Fredericum & Regem Robertum.

DUm autem præmissa fiebant, ut supra, dictus Rex Fredericus armari faciebat in Messana suum exstolium galêarum, de quo in principio dicti mensis Junii armatæ fuerunt galêæ XXIII. quarum erat Præpositus Dominus Russus De-Auria; quæ dum exirent ad damnificandum hostes, subitò applicuerunt in Messana Nuncii Summi Pontificis, qui dicebatur Johannes, item Nuncii dicti Regis Jacobi Aragonum & dicti Nuncii Regis Roberti, & eis loquentibus in Messana cum dicto Rege Frederico, idem Rex Fredericus inivit cum dictis Nunciis treugas duraturas inter eum, & dictum Regem Robertum inde ad Festum Dominicæ Nativitatis proximò futurum, & abinde in antea postea usque ad annos tres, & proinde idem Rex scripsit Panormitanensibus in hæc verba.

Fredericus Dei gratiâ Rex Siciliæ Bajulo, Judicibus, Juratis & universis hominibus civitatis Panormi fidelibus suis gratiam suam & bonam voluntatem.

„ COnstat fidelitas vestra, quòd venientibus
„ nuper ad nos tam Nunciis Sanctissimi
„ Patris & Domini Domini Summi Pontificis,
„ quàm Serenissimi Domini Regis Jacobi Illu-
„ stris Regis Aragonum, Valentiæ, Sardiniæ,
„ Corsicæ, Comitisque Barchinonensis, & San-
„ ctæ Romanæ Matris Ecclesiæ Vexillarii Am-
„ mirati (*) capitis Gloriosi carissimi fratris
„ nostri, nec non Domini Roberti Illustris Do-
„ mini Regis Caroli II. filii, per eos ad no-
„ stram præsentiam diebus proximis destinatis,
„ ipsi Nuncii dicti Domini Summi Pontificis
„ nobis auctoritate, ab Apostolica Sede sibi
„ commissa jusserunt, quòd nos cum dicto Do-
„ mino Roberto treuguas iniremus duraturas,
„ & probandas ex nunc usque ad Festum pro-
„ ximum futurum à Nativitate Domini, & ex
„ tunc in antea per annos tres continuos in an-
„ tea numerandos, ipsasque iniremus. Super
„ quarum observatione treugarum specialem,
„ & temporalem pœnam auctoritate præmissa
„ statuent utrique parti, & imponere habent,
„ prout eis videbitur expedire. Prædicti verò
„ Nuncii tam dicti Domini Summi Pontificis,
„ quàm dicti Domini fratris nostri, & ex teno-
„ re literarum dictorum Domini Summi Ponti-
„ ficis, & Domini fratris nostri, nostro Culmi-
„ ni transmissi, petierunt nos, ad id congruis
„ suasionibus inducendo, ut terras, castra, &
„ loca posita in Calabriæ partibus nostro olim
„ submissa dominio eisdem Nunciis dicti Domi-
„ ni Summi Pontificis tenenda per vos pro parte
„ Sanctæ Romanæ Matris Ecclesiæ assignari fa-
„ cere deberemus, ut de iis dicta Mater Ec-
„ clesia quicquid juris fuerit cognoscat, deter-
„ minet, & decidat. Percepimus autem tam ex
„ insinuatione literarum dicti Domini Summi
„ Pontificis, quàm etiam eorumdem Nuncio-
„ rum relatibus, quòd idem Dominus Summus
„ Pontifex grandi affectat desiderio, nos, &
„ prædictum Dominum Robertum ad firmam
„ pacem, & perpetuam reformare, quæ tam
„ nostris, quàm vestris, & aliorum nostrorum
„ fidelium desideriis, concedente Altissimo,
„ erit placida, & accepta. Datum Messanæ
„ XXI. Junii XV. Indictionis.

Quæ quidem treugæ confirmatæ sunt postea inter dictum Regem Fredericum, & dictos Nuncios, propterea bannitæ fuerunt Panormi die Veneris XII. mensis Augusti ejusdem XV. Indictionis, prædicto anno Domini MCCCXVII.

CAP. XC.

De guerra Januæ, & unitate tractata cum dicto Rege Frederico.

POst verò prædicta, anno scilicet à Nativitate Domini MCCCXVIII. in principio anni primæ Indictionis orta est in civitate Januæ maxima pugna inter eos, qui dicuntur Grimaldi Cives Januæ ex una parte, & eos, qui dicuntur de Auria, & de Spinula Concives suos ex

(*) *fortè* Capitanei.

ex altera, & in ipsa briga dicti Grimaldi prævaluerunt, & expulerunt de ipsa civitate ipsos de Auria, & de Spinula, qui expulsi facientes unitatem cum viris partium Lombardiæ, iverunt cum eorum exercitibus, & applicuerunt XXV. die mensis Martii ejusdem anni primæ Indictionis, anno videlicet à Nativitate Domini MCCCXVIII. ante Januam & obsiderunt eam, & tenentes eam abinde, & in antea obsessam, destruxerunt aquæductum ducentem aquam ad dictam civitatem Januæ, & tenebant eam restrictam per terram, prœlia, & discrimina guerræ inferentes quotidie ipsi civitati: sic quòd in fine mensis Junii ejusdem anni, ceperunt, & obtinuerunt per vim omnes burgos ejusdem civitatis, & ipsa civitas sic obsessa, Rex Robertus filius Regis Caroli vadens in succursum dictæ civitatis introivit in eam infra annum ejusdem primæ Indictionis, & mansit ibi usque ad mensem secundæ Indictionis tunc primò sequentis: infra quod tempus inter utramque partem fuerunt commissa prœlia: unum videlicet extra mœnia Januæ, & alterum in tenemento Sahonæ, & de ambobus prœliis ipsis iidem expulsi de Janua obtinuerunt victorias tam contra dictos Grimaldos, quàm contra gentem dicti Regis Roberti, & deinde ipsa civitas Januæ tenuit, & rexit sic obsessam pro dicto Rege Roberto, & sub dominio, favore, & defensionibus dicti Regis Roberti, & ideo dictus Rex Robertus implorans à Rege Francorum auxilium scripsit ei in hæc verba.

Christianorum Serenissimo Principi Domino Philipo Illustri Regi Francorum Robertus Jerusalem, Siciliæque Rex salutem, & prosperos ad vota successus.

„ DUm viget consanguinitatis linea, sub
„ qua nos, & progenitores nostri sumus
„ in unitate sanguinis alligati; non vereor be-
„ nignitatis vestræ suffragia fideliter in meis
„ necessitatibus implorare. Noscat itaque Sere-
„ nitas vestra per præsentes, quòd Gibellorum
„ nephanda sceleritas sub allapsu quodam, quin
„ immo potiùs detentione fortunæ in Italiæ par-
„ tibus elevata, homines civitatis Januæ, ad
„ cujus dominationem de communi concordia
„ civium noviter sunt electi, in quibusdam
„ Magnatibus Guibellinis dictæ civitatis rebel-
„ libus opprimunt cum obsidionis exercitu,
„ mea non obstante præsentia, sed nocente,
„ & mandatis meis obtemperare nolentes,
„ suum undique fortificaverunt exercitum pu-
„ tantes Puliæ Domus abolere, potentiam, &
„ altitudinem deprimentes Gallicorum dilecto-
„ rum, Petri fratris mei, nec non Caroli nepo-
„ tis mei, quos in campestri bello castrorum
„ Tucxiæ occiserunt. Velut famelici canes, &
„ ultionis insatiabiles non contenti ducunt quo-
„ que insanos Januæ civitatis in Palatia, quibus
„ in belli certamine suaviter non possunt .....
„ sufficienter malitia non suffultus. Barones
„ namque mei totius Apuliæ Regni Primates,
„ de quibus in Armorum opere cordium .....
„ confido, ad ipsius Regni custodiam necessita-
„ te non modica remanserunt, dum Siculi hostis
„ imperii sagacitatem vereor. De quibusdam
„ Neapolitanis civibus, quos inficit Imperialis
„ macula non confido. Ea propter, Serenissime
„ Princeps, vestræ Magnificentiæ potentiam
„ humiliter deprecor & exoro, quatenus mihi
„ vestrum velitis volociter exhibere succursum,
„ in ea videlicet militum quantitate, quæ pro-
A „ videntiæ vestræ expedire videbitur ad ho-
„ stium Gallicorum cornua confringenda: ne-
„ que postulanti succursus gratia differatur.
„ Tœdet namque animam meam vitæ meæ,
„ dum in obsidionis jugo manet Robertus in-
„ victus Dux Apuliæ, Siculorum Rex, quon-
„ dam nepos Caroli bonæ memoriæ Provinciæ
„ Comitis de Regum progenie Gallicorum, qui
„ in Apuliæ partibus velut Fidei Catholicæ pu-
„ gil, Sanctæque Romanæ Ecclesiæ propugna-
„ tor, Guibillinorum superbiam in mansuetu-
„ dinem jam convertit, & aspera in vias pla-
„ nas. Nam dextera ejus impietatis .....
„ Guibellinorum, & in strage quasi non esset
„ eorum memoria super terram. Propter quod,
B „ si tardus fuerit vestrorum militum succursus,
„ quod non credo, non multum patiar tantam
„ Guibellinorum putredinem, qui conspectui
„ Domus Caroli præsumpserunt ausu temerario
„ comparere: quin immo potiùs cum militum,
„ & populi quantitate, quam habeo, licèt
„ pauca, civitate penitus egrediar ad pugnan-
„ dum, volo potiùs in bello mori inimicorum
„ sanguinem effundendo, quàm calamitatis vi-
„ tam deducere perlongævam. Quòd si festinus
„ fuerit, ut credo, clarificabor in gaudio ma-
„ gno Gallicorum fulcitus munimine, quibus
„ armorum probitas est innata. Monent enim
„ omni mora postposita sub liliorum ... insi-
„ gnes virtutibus consurgentes taliter in tubarum
C „ sonitu, & armorum strepitibus sæviemus in ho-
„ stes, quòd lancearum cuspidibus disrumpemus
„ exercitum, & in ensium dentibus disperge-
„ mus taliter oves gregis, quòd in ipsarum ex-
„ terminium, & confusionem perpetuam dedu-
„ cemus adversos lavantes in eorum sanguine
„ stolas nostras, dilectionis nostros Petrum, &
„ Carolum vindicabimus innocentes, sicque
„ Gallicorum Regum proprietas in me non de-
„ relinquetur, quibus à natura datum est ini-
„ micorum sarcinas non portare, cùm injuria-
„ rum omnium ultiones, non suas, in testamen-
„ to relinquunt ultiones Posteris faciendas.

Dicti verò expulsi, qui dicuntur Gibillini, fecerunt, & tenuerunt consilium eorum apud in
D Sahona, continuantes semper de bono in melius dictam obsidionem, & fecerunt unitatem cum inclyto Domino Domino Frederico Rege Siciliæ, vocantes & tenentes eum in eorum dominium. Quæ unitas firmata tempore veris anni tertiæ Indictionis primò tunc sequentis, idest anno à Nativitate Domini MCCCXX. & proinde idem Rex Fredericus faciens colloquium XVII. Julii ejusdem tertiæ Indictionis in Messana cum Syndicis totius Siciliæ, manifestavit eis dictam unitatem fecisse, & misit propterea postea infra octo ferè dies, videlicet post dictum colloquium ab Insula Siciliæ ad civitatem Januæ galêas quadraginta armatas per eum infra menses Madii, Junii, & Julii ejusdem anni, simul cum
E galêis undecim dictorum Januensium Gibillinorum, quæ venerant ad associandas dictas galêas Siculorum, in quo viagio dictæ galêæ transeuntes per Calabriam dextruxerunt Policastrum, videlicet hospitia, vineas, & jardina dictæ terræ, & interficientes etiam homines terræ ipsius, & deinde iverunt ad Isclam, & illius vineas, & jardina, ac arbustos incidentes, & devastantes, recesserunt abinde euntes ad ..... quam similiter devastaverunt, & postea in principio sequentis mensis Septembris pervenerunt ad Portum Januæ, & tenentes ipsam per aliquos dies obsessam, iverunt demum ad terram Vulturi, & ipsam violenter ceperunt, interficientes viros,

Digitized by Google

& mulieres, pedites, & equites, magnos, & parvos terræ, à Nativitate Domini prædicto anno MCCCXX. & sic deinde euntes galêæ ipsæ per ante Portum Januæ, & dantes ipsi civitati per mare, & per terram assaltum, & nequeuntes de dicta civitate aliquid obtinere: & deinde euntes ad alia loca reperire (*) Januæ, in fine dicti mensis Septembris recesserunt abinde, redeuntes in Siciliam die Dominico nono Novembris dictæ quartæ Indictionis. Pro cujus guerræ expensis faciendis idem Dominus Rex Fredericus Rex Siciliæ imposuit in ea Insula Siciliæ cassiam unam, dictam cassiam propter guerram, quæ solvuntur intrando, & exeundo cum rebus mercimonii quibuscumque, à primo die dicti mensis Septembris ejusdem quartæ Indictionis in antea, ob quam solvuntur tria per centum.

Redditus etiam bonorum Ecclesiarum singulorum Ecclesiæ cepit à dicto primo die dicti mensis Septembris in antea in subsidium expensarum prædictarum: pro quorum redditum captione idem Dominus Rex vocavit ad se Prælatos dictarum, per ejus literas formæ talis.

Fredericus Dei gratiâ Rex Siciliæ Religioso viro Abbati S. Spiritus de Panormo devoto suo salutem in Domino Jesu Christo.

„ CUm pro structione, reparatione, munitione, & armatione galêarum nostri „ Frederici exstolii, quod in proximo futuro „ Vere in majori numero, & ex forti, quo fieri potuerit, construi, reparari, muniri, & „ deinde feliciter armari providimus, ad defensionem, & statum prosperum tam nostrorum fidelium, quàm Monasteriorum, & Ecclesiarum quarumlibet, procurata indemnitas, & tranquillitas agitur possessorum. Ad „ quod perficiendum, ut expedit, proventus, „ & jura Insulæ nostræ Siciliæ bono modo sufficere non videntur: diligenti communicato „ consilio, ne tot, & tanta necessaria, & opportuna servitia remaneant imperfecta, provisum, & determinatum exstitit, quod de „ omnibus juribus, proventibus, & redditibus „ singularum Ecclesiarum, necnon quorumlibet Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, Priorum, necnon Canonicorum, & „ Beneficialium quorumlibet Insulæ nostræ Siciliæ à primo Septembris proximè futuræ „ quartæ Indictionis in antea, in prædicta forma, & pro dicta causa pecuniale subsidium „ recipere, & habere penitus debeamus. Et „ propterea te præsentes habere velimus, & „ devotionem tuam requirimus, quatenus incontinenti, receptis præsentibus pro prædicta „ causa, celeriter ad nostram præsentiam debeas te conferre. Et si propterea commodè „ nequiveris venire, Procuratorem tuum ad „ hoc sufficienter instructum, & omni tua auctoritate suffultum, responsurum, tractaturum & facturum nobiscum super his, & aliis, „ acsi præsens esses, ad nostram præsentiam „ celeriter mittas: adeò quòd te, vel prædictum Procuratorem tuum, ut supra, infra „ dies quindecim, à die datæ præsentium in „ antea numerandos, in Curia nostra præsenti infallibiliter habeamus. Datum Messanæ „ XXVIII. Augusti tertiæ Indictionis.

(*) *fortè* Riperiæ.

CAP. XCI.

De impositione secundi interdicti in Sicilia.

CUjus guerræ occasione interdicta extitit Insula Siciliæ. Quod interdictum prædictus Dominus Rex Fredericus servari jussit, & fecit prædictam Insulam à principio Januarii quartæ Indictionis Anno à Nativit. Domini MCCCXXI. in antea, licèt Panormi fuit incœptum servari in die Festi S. Juliani, quod est XXII. die mensis Januarii, licèt idem interdictum non dicatur ab Ecclesia emanasse, quod interdictum duravit usque ad vigiliam Festi S. Antonii, quod fuit Indictione tertia Anno MCCCXXXV. ut infra continetur. Super qua guerra Rex Jacobus Rex Aragonum scripsit Summo Pontifici in hæc verba.

Sanctissimo & in Christo Patri Sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ Summo Pontifici Jacobus Dei gratiâ Rex Aragonum suus devotissimus filius seipsum ad pedum oscula beatorum.

„ VEstra Sanctitas non ignorat, quàm dura „ quàmque gravis guerrarum commotio „ suscitatur inter Illustres Reges Robertum, & „ Fredericum occasione Siciliæ. Quæ guerra „ non erit modicum damnosa dictis Regibus „ ac totæ Christianitati, nisi per Sanctitatem „ vestram de opportuno remedio succurratur. „ Ea propter Sanctitati vestræ preces porrigimus subjectivas, quatinus vos, qui estis universorum Christianorum Caput, & Custos, „ & de animabus eorum estis redditurus Altissimo rationem, ipsis christicolis ad bella, & „ guerras mortiferas se viriliter, & potenter „ parantibus pio, & paterno compatientes affectu, dignemini & velitis, si placet, super „ his taliter interponere partes vestras, quòd „ inter nominatos Reges, & eorundem regnicolas non fictæ pacis tranquillitas, & unanimitas effectualiter reformetur, ne sanguis ipsorum in die districti examinis de vestris „ manibus requiratur: alioquin constet vobis, „ quòd nos non possemus ullo modo deficere „ in necessitatibus suis dicto Regi Frederico „ fratri nostro: quin immo ex tunc intendimus „ ipsum juvare contra prædictum Regem, & „ quoscumque valitores suos, cujuscumque „ conditionis & status existant, describentes „ nobis, si placet, quicquid vestra Sanctitas „ duxerit super his, dante Domino, salubriter „ disponendum. Altissimus per sui misericordiam, vos conservet ad sui condignum servitium & Ecclesiæ suæ sanctæ. Datum tertio Martii Anno Domini MCCCXX.

CAP. XCII.

De coronatione Regis Petri Secundi.

DIe Dominico XIX. Aprilis quartæ Indictionis, quo fuit Pascha Dominicæ Resurrectionis, Anno à Nativit. Domini MCCCXXII. Dominus idem Rex Fredericus ad postulationem omnium Comitum, Baronum, & universorum hominum totius Ecclesiæ, unxit, & coronavit in Regem Siciliæ dictum Regem Petrum filium

filium suum, & in dicta coronatione non interfuerunt Prælati, vel Ecclesiasticæ aliquæ aliæ personæ: & ideo ante dictam coronationem, idem Rex Fredericus scribebat certis viris Siciliæ super militandis ipsis in dicta coronatione, particulariter cuilibet virorum in hæc verba.

Fredericus Dei gratiâ Rex Siciliæ Matthæo de Bicaro de Panormo fideli suo gratiam, & bonam voluntatem.

„ DEvotis supplicationibus per Comites, „ Barones, & Milites Siciliæ fideles nostros pro parte omnium, & singulorum hominum Siciliæ fidelium nostrorum in colloquio pridie infra proximè præteritum mensem Decembris hujus quartæ Indictionis in civitate Siracusana per nostram Curiam celebrato: & deinde per universitates hominum singulorum, civitatum, terrarum, & locorum Siciliæ, in scriptis publicis sub sigillis universitatum earumdem, ac Bajulorum, Judicum, Juratorum, & certorum aliorum militum, & proborum virorum cujuslibet civitatis, terrarum, & locorum prædictorum culmini nostro humiliter factis, ut videlicet Inclytum Petrum Infantem primogenitum nostrum carissimum, futurum successorem nostrum legitimum ad majorem firmitatem, & securitatem, ac tranquillum statum eorum in Regem Siciliæ coronare nostra Eccellentia dignaretur, benignius inclinati, hujusmodi coronationis solemnia in proximè futuro Festo Resurrectionis Dominicæ, annuente Altissimo, in civitate Panormi proponimus celebrare. Et quia in dictæ coronationis solemniis ad honorem, & decus Regiæ dignitatis plures ex nostris fidelibus nostri honoris, & dominii zelatores, & præcipuè ad hoc aptos militari cingulo exp edit decorari, tuusque filius ad suscipiendum decus militiæ aptus, idoneus & sufficiens dignoscatur, nobis, & eidem primogenito nostro plurimùm complacebis, si dictum filium tuum decenter præpares ad decorandum se honore militiæ in solemniis supradictis. Datum Trapani VI. Martii quartæ Indictionis.

Forma militaris apparatus est cum spalleriis de cindato, & manto de cindato. Item ense munito de argento, valoris unciarum duarum, vel trium ad plus. Item sella, fræno, & calcaribus deauratis pretii unciarum duarum ad plus, & cum pari uno vestimentorum cujuscunque coloris, præter quàm de scarlato, & sinè infoderatura vayrorum.

Post verò dictam coronationem idem Rex Fredericus scripsit Officialibus suis Siciliæ quòd ipsum Regem Petrum facerent nominari, & scribi, ut infra.

Fredericus Dei gratiâ Rex Siciliæ Nobili Johanni de Claromonte militi Regni Siciliæ, Seniscallo magnæ suæ Curiæ, Magistro rationali, Generali Procuratori, ac Capiti civitatis, Consiliario familiari, & fideli suo gratiam suam, & bonam voluntatem.

„ CUm per Curiam nostram sit consultè, & „ deliberatè provisum, quòd quotiens „ bannum per civitatem, terras, & loca Siciliæ de cetero committi contigerit, subscripto „ modo vulgariter banniatur, videlicet: *Per „ multi Anni la vita dilaltu Signuri Re Fre- „ dericu, & dilaltu Signuri Re Petru nostri „ Signuri, & Rigi di Sichilia, Ki Deu sal- „ vi, & mantegna. Amen.* Nec non per Notarios publicos civitatis, terrarum, & locorum Siciliæ instrumentis, & cautelis publicis per eos ex nunc in antea conficiendis hæc clausula interponatur, videlicet: *Regnantibus Serenissimis Dominis nostris Dei gratiâ Regibus Siciliæ, Illustri Frederico, Regni ejus Anno XXVI., & Inclyto Rege Petro II. feliciter. Amen.* Fidelitati vestræ mandamus, quatenus prædictam formam emissionis banni per prædictam civitatem Panormi de cetero, ejusque districtum observari infallibiliter faciatis, & prædictam clausulam per Notarios civitatis ipsius, suique districtus in instrumentis, & cautelis publicis, ex nunc in antea conficiendis modo prædicto, poni & describi pro parte nostræ Curiæ infallibiliter injungatis. Datum Messanæ XXVI. Junii IV. Indictionis.

Tempore cujus coronationis, inter alia privilegia, & immunitates concessas dictæ universitati Panormi per dictum Dominum Regem Petrum, fuit concessum, quòd ex nunc in antea Bajulus dictæ urbis nominaretur, & vocaretur Prætor, prout antiquitus assueverat vocari. De cujus Regis Petri coronatione est Epitaphium hujus tenoris:

Fili Petre meum Populum tibi trado Panormi,
Qui tibi bene sit constans, dubio sinè dormi.
Hanc urbem primi meritò dixere beatam,
Muneribusque Duces variis fecere dotatam.
Hìc nasci meruit te Regem gens Siculorum,
Prosper ut & felix longævus Rex sis eorum.
Regni Siciliæ caput est urbs hæc, caput extat
Siciliæ, cujus Ducibus diademata præstat.

CAP. XCIII.

De matrimonio tractato inter ipsum Regem Petrum, & filiam Regis Bohemiæ.

POst verò prædicta, tractatum fuit matrimonium inter ipsum Regem Petrum II. & Inclytam Dominam Elizabeth filiam Regis Bohemiæ ac Ducis Carintiæ, & pro faciendis dictis solemnitatibus nuptiarum dicti matrimonii, dictus Rex Fredericus invitavit multos suos fideles ad suscipiendum ordinem militarem Anno Domini MCCCXXIV. in hæc verba.

Fredericus Dei gratiâ Rex Siciliæ Petello de Cisario de Panormo fideli suo gratiam suam, & bonam voluntatem.

„ SAtis decens & honorabile fore decernitur, quòd in solemnitatibus nuptiarum, „ quæ inter Inclytum Dom-Petrum II. Illustrem Regem Siciliæ primogenitum nostrum, „ & Inclytam Dominam Elizabet filiam Illustris Regis Bohemiæ in civitate Messanæ in „ Festo Nativitatis Domini proximè futuro „ sunt feliciter omnimodè celebrandæ, certi „ fideles nostri honoris, & nominis nostri, & „ dicti filii nostri avidi zelatores, & præcipuè „ ad hoc apti, militari cingulo decorentur: „ cùmque tu vel filius tuus ad suscipiendum „ dictæ militiæ cingulum aptus, idoneus, & „ sufficiens dignoscaris; nobis, & eidem nato „ nostro plurimùm complacebis, si ad dicta „ so-

Digitized by Google

„ solemnia decenter te, vel filium tuum præ-
„ pares ad decorandum vel te, vel eum hono-
„ re militiæ, ut expedierit accessurum. Da-
„ tum Messanæ VI. Septembris VI. Indictio-
„ nis.

Cujus matrimonii sponsalia, & nuptiæ factæ fuerunt XXIII. Aprilis VI. Indictionis apud Messanam. Ex quorum matrimonio de mense Februarii VII. Indictionis Anni Domini MCCCXXIV. natus est ipsi Regi Petro ex dicta sua uxore in civitate Messanæ filius, nomine Fredericus, qui mortuus est in principio sequentis Anni VIII. Indictionis.

CAP. XCIV.

De adventu regiorum hostium in Siciliam, & obsidione Panormi in Anno IX. Indictionis.

ANno Domini MCCCXXV. mense Madii die Dominico XXVI. ejusdem mensis, de nocte, ante videlicet diem, qui fuit dies Pentecostes VIII. Indictionis, Dux Carolus filius dicti Regis Roberti cum Comitibus, Baronibus, & aliis suis sequacibus multis, & cum galêis ferè centum tredecim, & aliis diversis lignis ad dictam Panormitanam urbem vênit, & descendit in terram in Cassaris, & tenuit eam obsessam diebus XXV. & die primo, secundo, & tertio primis dictæ obsidionis prœliavit, dictamque urbem die videlicet primo sub Porta Thermarum, die secundo Lunæ in Porta Thermarum, & infra Portam Mazariæ, supra, & infra, & die sequenti Martis in dictis duobus locis, & supra Portam Karini, & deinde vastaverunt, & inciserunt, & succenderunt turres, vineas, & jardina sita in territorio Panormi, videlicet in contratis Cassariorum, Fabariæ, Faximerii, Misilmenrii, Sabuchiæ, Garbelis, Azizæ, Trabisæ, & Sibeni, & die Dominico XXII. ex dictis diebus XXV. qui fuit XVI. Junii, prœliaverunt fortiter dictam urbem, tam à Porta Thermarum infra, usque ad Cantoneriam maris, ubi est magna turris sub Porta Græcorum ad scalas, castella lignaminum, gactos, & innumerabiles quadrellos de balistis unius pedis, duorum pedum leve & torvi, quam in cathena Portus dictæ urbis, volentes eam frangere cum CocKis, Thopis, galêis.... eorum, & non potuerunt obsessæ ipsi urbi, immo reportaverunt inde ignominiam & damna personarum, scalarum, gactorum, & rerum eorum: ita quòd de ictibus machinarum fuerunt ex eis interfecti viri ultra quinquaginta, & ex aliis ictibus ultra CL. & vulnerati, & percussi leviter & graviter ultra mille. Et deinde die Mercurii XIX. dicti mensis Junii in sero recesserunt de dicta obsidione, equites videlicet per terram eundo per viam Rasalayni, & Curolioni salem usque ad Marsaliam, & galêæ per mare per Acordentem, vastantes, incidentes, & succendentes jardina, vineas, frumenta, ordeum, & alia quælibet. Et in dicta terra Marsaliæ se junxerunt, & abinde iverunt rectâ viâ Messanam, ad quam applicuerunt die Lunæ quinto Augusti ejusdem Indictionis, cum ipso itinere currerunt usque ad Calatabilloctam, & steterunt ante Messanam diebus tredecim, incidentes illic de vineis sitis versùs maritimam, non tamen appropinquantes ad mœnia Messanæ, & deinde recesserunt ab inde, euntes in Calabria die Dominico XVII. ejusdem mensis Augusti.

Et dum dicta Panormitana urbs manebat in dicta obsidione. Messanenses per eorum literas scripserunt Panormitanensibus, ut infra, in dictis eorum literis recordantes literarum Panormitanensium supra scriptarum directarum ipsis Messanensibus, tempore rebellionis factæ contra Gallicos, incipientium: *Consurge, consurge filia Sion*, per hæc verba.

Nobilibus, & egregiis viris urbis Panormitanæ felicis susceptis Darucico Salomone Principi sublimatis civitas Messanæ salutem, ac, jugo servitutis abjecto, ademptum bravium defendere libertatis.

„ COntemplare in templo tuæ Celsitudinis
„ urbs formosa, quia olim consurgere,
„ arcum & faretram sumere, & grabatum tol-
„ lere pro pacis lege suadistis. Exalta igitur
„ vocem tuam. Dic civitatibus cunctis, intue-
„ mini quis est iste, qui ad nostras gentes in-
„ greditur propulsandas?. Quid enim Siculo &
„ jamdudum Carolo? O utinam ipsum nomen
„ nescire licuisset! Hic est enim de illa oriun-
„ dus prosapia, quæ sic nostram dissipavit ter-
„ ram, mare concussit, onera patribus vestris
„ imposuit, juxta assertionem tuam, plusquam
„ sub luto, & latêre ancillatis, & in tantum
„ vires animi enervavit, quòd lamentabiliter
„ exclamastis nostram fascinatam prudentiam
„ in gentium, quæ ebrietati deserviunt, im-
„ portabili jugo subdi. An ignorat quin gen-
„ tem suam toties misit ad victimam judicio-
„ rum Dei judicia manifesta, quæ ad revelan-
„ dam justitiam nostri pulsati tanti gravaminis
„ multifariè claruerunt. Sed revera Pharaonico
„ obduratu populum nostrum gravat, ut in sui
„ pœna peccati, ab illo, qui dissipat colliga-
„ tiones impietatis, multarum ferat flagella
„ plagarum, juxta Propheticum illud: *Hæc*
„ *via illorum, scandalum in ipsis, postea in*
„ *ore suo complacebunt: sicut oves in inferno*
„ *positi sunt*. Velut, inquam, Ægyptii in suis
„ equis, & curribus confidentes absorpti peni-
„ tus, & de terra deleti, ut exinde justitia no-
„ stra luceat coram hominibus, Paterque glo-
„ rificetur in cœlis, qui ulciscendo semper no-
„ stras injurias procul pellit. Profectò dilectis-
„ simi, sic quem credebatis pastorem, lupum
„ invenistis rapacem. Sic iste est lupo rapace
„ deterior, asserens per suas literas civibus Bar-
„ chinonensibus bona quæque omnium Siculo-
„ rum fore jam prædictæ suæ Curiæ confis ata,
„ etiam in tempore pacis inter Dominum no-
„ strum Regem, & ipsum initæ, & per Eccle-
„ siam confirmatæ. O impietas detestanda,
„ quæ reali paci non injicitur, sed vocali! O
„ nefanda temeritas, quæ sub fictæ velamento
„ capitatæ Romanam Majorem Ec lesiam ve-
„ ritatis amicam inivit (*) suæ fictionis illu-
„ sionibus inhæsisse! O inflata scientia, quæ
„ veteres verbo resolutorio quasi sophismati lo-
„ gicali in fiscationem præ ictam ex manife-
„ stis falsis medio inepto læsit! Accingimini
„ igitur viri fratres, & estote potentes in bel-
„ lo. Urbs etenim fortitudinis vestræ Sion titulo
„ est regalis solii redimita. Salvator equidem
„ positus est, in ea murus, & antemurale.
„ Nam qui suo Divino, & instinctu mirabili
„ in-

(*) *fortè* invenit.

„ insperatè potentes de sede deposuit, & hu-
„ miles exaltavit, absolvet subitò à servitute
„ tyrannica, juxta vestram Epistolam, vincula
„ colli nostri benignorum, & humilium Prin-
„ cipum, quorum fiducia salus, & gaudium
„ potissimè Christus est. Sic nos dulciter re-
„ gens, & gubernans dominio, quòd non sint
„ beatæ steriles, ut scripsistis, sed quæ pariunt
„ nunc fœcundæ; in gloriam namque tuam de
„ Inclyto Domino Rege Petro II. in te nato
„ potes meritò dicere nobis præclarè: *os nunc*
„ *es ex ossibus meis, & caro de carne mea*,
„ totaque Sicilia non lamentum, sed canticum
„ istud potest depromere canticorum: *qui de-*
„ *dit te mihi fratrem meum in me solet* (*)
„ *ortum sugentem ubera matris meæ*, quia nu-
„ tritus est Panormitanæ civitatis, ut videam
„ te foris in ea, sed coronatum, & deosculer
„ te, & per familiaritatem benignam, & jam
„ me nemo despiciet quasi insultans mihi de
„ cetero alienigena principante. Verùm quia
„ Dei perfecta sunt opera, speramus, quòd in
„ ejus virtute agonem nostrum sic agemus vi-
„ riliter, quòd opus per ipsum in vobis in-
„ cœptum, & in nobis prosequutum, ac etiam
„ prosequendum, ad quod totis viribus, &
„ promto libentique animo nos paramus, post
„ tot diutinos guerrarum incursus, ac insur-
„ gentes fremitus tempestatis, victrici superan-
„ te triumpho, nunc feliciter consummabit.
„ Scriptum Messanæ XXVI. Madii VIII. Indi-
„ ctionis.

In eodem tempore civitas Catanensis scripsit eisdem Panormitanensibus de præmissis in hæc verba.

Panormitanæ urbi civitas Catanensis reverentiam, & salutem.

„ URbs felix, & inclyta, urbs nobilis, &
„ præclara, Caput Regni, exemplum
„ fidei, patria Principum, sedes Regum, leva
„ in Cœlum oculos tuos, & vide. Qui cuncta
„ prævidit Altissimus ab æterno, quantæ felici-
„ tatis gloria te beavit, &, ut reliqua præter-
„ mittam, quæ à tempore, quo fundata es,
„ feliciter contigerunt, hoc unum laudabili me-
„ moria dignum, quod modernis claruit tempo-
„ ribus, non omittam. Qui te reverenda ma-
„ ter, & soror tantæ caritatis munere illustra-
„ vit, ut quòd Regis Caroli tyrannide contra
„ Siculos sæviente, in magnanimitatis constan-
„ tia dexteram fortitudinis, & virtutis erigens,
„ ut concives tuos, cunctosque regnicolas de
„ manu Pharaonis Ægyptii liberares, ipsum
„ quidem, te duce, te causæ præbente mate-
„ riam, & libertatis initium faciente, velut
„ alienigenam, nullum jus habentem omnes Si-
„ culi unanimiter ejecerunt, & communicato
„ consilio Illustrem Petrum bonæ memoriæ tunc
„ Regem Aragonum ex conjugio Illustris Re-
„ ginæ Constantiæ præclari Regis Manfredi filiæ,
„ quæ sibi Alfonsum, Jacobum, & Fredericum
„ Infantes genuerat, directum jus habentem in
„ Regno, vocavimus, & recepimus pari voto,
„ cujus obitum Alfonsum tunc Aragonis Guber-
„ natorem Perillustrem Jacobum fulsisti sceptro,
„ & diademate coronasti, qui postquam sedenti
„ super cathedra Moisi calliditate plurima, &
„ astutia circumventus commissum sibi gregem
„ deseruit, & renunciavit juri, quod habebat
„ in Regno, Inclytum Fredericum tunc Infan-
„ tem, quem ab ipsius cunabulis omnium Sicu-
„ lorum cura, & sollicitudo materna lactave-
„ rat, in annos adolescentiæ jam provenum,
„ quamvis renitentem pro salute nostra, præse-
„ cimus. Neque post sub silentio præteriri de-
„ bet, quo jucunditatis gaudio venientes cum
„ cœtu nobilium ad diadema patrium, quasi
„ mater amore languescens præ gaudio susce-
„ pisti. Sed quid egerit stante Corona Rex In-
„ clytus attendistis: hilari vultu, dextraque lar-
„ giflua sparsit honores in Siculos, aliis Com-
„ mitatus exhibuit, aliis Baronias, & Feuda
„ concessit, quamplures quidem & plurimis, &
„ majoribus dignitatibus, & officiorum gloria
„ insignivit. Illa die suæ coronationis & gloriæ
„ trecentos quindecim videlicet Siculos, lar-
„ giente benignitate regia militari cingulo de-
„ coravit, statimque omnes dies ejus pro nobis
„ curis impendit mordacibus, ac intonantibus
„ bellis induit loricam pro Siculis, & exponens
„ vitam periculis, non solùm ab Insula, verùm
„ etiam per fines Calabriæ communes hostes
„ minuit: quippe sudoribus & gladio multotiens
„ profligavit, nec pepercit laboribus, ut culto-
„ res Regni ejus in pace protegeret, & quietis
„ umbraculo gubernaret. Crevit igitur nobis-
„ cum, & senuit, & quamvis Rex noster &
„ Dominus, seniores ut patres, æquos ut fratres,
„ minores quidem ut filios tam à longo tempo-
„ re omni benignitate tractavit, semper & ubi-
„ que nobiscum communicans, non solùm civi-
„ tatum terrarum, sed etiam privatorum for-
„ tunas tam in prosperis, quàm adversis prote-
„ xit, ut nostis. Rogatus multotiens magnificè
„ pacisci cum hostibus, & ampliorem terram
„ in hujus excambium pacificè possidere: sed
„ amabilis Dominus, & benignus habens ante
„ oculos opera caritatis, noluit vir effectus pu-
„ sillanimitatem deserere, quos adolescens in
„ magnanimitate ceperat viriliter defensare.
„ Quid igitur nobis facere debuit, & non fe-
„ cit? Hostiles machinationes præcogitans, &
„ adhuc metuens, ne morte præventus nos lin-
„ queret indefensos, quo tutiores nos redderet,
„ inclytum, & amabilem primogenitum ejus,
„ quem inclyta genitrix & gloriosa partu in sinu
„ tuo peperit, lactavit, ut gubernationi assue-
„ sceret adolescens, præfecit in Regno; tuque
„ ipsum in gaudium more solito coronasti. Re-
„ miniscere, obsecro, reminiscere, quia necesse
„ est plurimum reminisci, quòd tui cives, &
„ incolæ in primis motibus ejiciendis Gallis ab
„ Insula, manus eorum, & parietes hostili san-
„ guine linierunt. Contemplare, quæso, dele-
„ ctissima, contemplare, quanto ex tunc furoris
„ impetu communes hostes ad vindictam aspi-
„ rant. Habe ante oculos positum, reverenda
„ soror, quotiens illis fortunæ casus arriserit
„ quantum cruoris ex Siculis immites, & im-
„ probi ferarum ritu, & inhumanis moribus
„ effuderunt. Ecce nunc & alia tibi debetur
„ corona laudis & gloria quòd ad venientes
„ hostes furorem, & impetum gaudens obvia
„ excepisti, omnesque Siculos ad munimentum
„ fidei reformasti, extrinsecas prædas, & mo-
„ mentanea damna nihil cogitans, ut intrinseca
„ fidelitati præmia tua incolis in perpetuum re-
„ servares. Et si vera sunt, quæ scripta refe-
„ runt, & mens hominum auguratur, tu, quæ
„ fueras nostræ libertatis initium, nunc exter-
„ minabis hostes, ac malis omnibus finem po-
„ nes. Nec obliviscaris inter omnes tuæ virtu-
„ tis

(*) *fortè* ut solem.

„ tis actus laudabiles, & defensionis insignia „ pericula tuorum, illius sacræ Virginis, quam „ in te ortam fama prædicat, & scriptura de„ clarat, vexillum erigere, quæ in Christo Jesu „ martyrio coronata liberationem patriæ impe„ travit. Datum &c.

Recedentibus autem dictis hostibus ab obsidione prædicta, dictus Rex Fredericus scripsit eisdem Panormitanensibus super prædictis in hæc verba.

Fredericus Dei gratiâ Rex Siciliæ Capiti, Prætori, Judicibus, Juratis & universis hominibus felicis urbis Panormi, dilectis fidelibus suis, gratiam suam, & bonam voluntatem.

„ VEniens nuper de dicta felici urbe Pa„ normi apud civitatem Messanæ ad no„ stræ præsentiam Majestatis Magister Rayne„ rius de Scarano de dicta civitate Messanæ „ magnæ nostræ Curiæ officii rationum Nota„ rius familiaris, & fidelis noster, tamquam „ qui præsens vobiscum in defensione dictæ „ urbis, quam hostes nostros obsidentes & im„ pugnantes eamdem, interfuit, vidit, & audi„ vit, testimonium perhibuit veritati de forti„ tudine, valitudine, & animositate vestra, ac „ processibus vestris habitis non tantùm ad de„ fendendam dictam urbem, quin immo ad „ impugnandum & defendendum hostes prædi„ ctos, nec non de processibus gestis, & impu„ gnationibus dictorum hostium contra vos, & „ prædictam habitis, ac de damnis per eos vo„ bis illatis, & qualiter damna ipsa patienter, „ & æquanimiter propter zelum, quem nostræ „ fidelitatis, & dominii geritis, & exinde per „ transitum nostram Excellentiam plenariè per „ seriem informavit. Cujus relatibus veracibus, „ & fide dignis fidem credulam adhibentes, de „ hujusmodi innata, & naturali fidelitate ve„ stra, quam, ut patet, effectibus operum com„ probastis, vobis gratificamur ad plenum. „ Credimus etenim, & certi sumus, quòd ea „ semper non parcendo damnis, laboribus, & „ expensis promti animo feceritis, quæ ad no„ stri exaltationem dominii credideritis ad com„ modum, & honorem. Et ideo hujusmodi ac„ cepta & grata obsequia per vos nobis, ut „ præfertur, impensa suo loco, & tempore, „ annuente Domino, non sinè condigna retri„ butione transibunt. Datum Messanæ &c.

CAP. XCV.

De altero adventu dictorum hostium in Sicilia in anno IX. Indictionis.

ANno à Nativitate Domini MCCCXXVI. die Mercurii, quarto Junii IX. Indictionis hostes regii cum galêis octingentis (*), & equitibus ferè mille, quorum erat Caput, & Præpositus Comes Novellus, venerunt ad maritimam Tonnariæ Solantis de tenimento Panormi, & abinde iverunt Thermas, & diruerunt, & combusserunt tunc domos Terræ-veteris, & Burgi, & aliquas vineas dictæ Terræ, & abinde iverunt Messanam, & deinde ad gulam Lentini, & deinde redierunt usque ad mare Tonnariæ Solantis de tenimento Panormi, per ipsam eamdem viam damnificantes vineas, & solatia maritimarum dictorum locorum Siciliæ, licèt pauca propter metum Siculorum obviantium super ipsos hostiles per maritimas Siciliæ in illis locis, ad quæ dicti hostes declinabant: & in dicto mari Solantis descenderunt equites dictarum galêarum, & abinde iverunt usque ad Chiminam comburentes eam. Panormi verò die Martis VIII. Junii cum Panormitanis in duobus locis, videlicet in maritima S. Georgii, & in flumine Ammirati, & dum dicti equites erant in dicto viagio Chiminæ, sequenti die Veneris, XI. ejusdem mensis Julii dictæ Indictionis IX. recedentes dicti hostes de mari Solantis, & de tenimento Panormi iverunt abinde Gayetam, unde stantes, recedentes iverunt ad Thalamonium, & ibi dimittentes dictos equites, recesserunt abinde, & quò habuerunt in mandato iverunt.

(*) *fortè* octoginta.

CAP. XCVI.

De adventu Lodoysi factione Antipapæ, & incidentibus, ac processibus eorumdem & exstolii Siculorum euntis ad dictum Imperatorem, ut infra.

ANno à Nativitate Domini MCCCXXVI. X. Indictionis dictus Imperator scripsit Johanni de Claromonte Militi per hæc verba.

Ludovicus Dei gratiâ Romanorum Rex semper Augustus Nobili viro Johanni de Claromonte Militi suo, & Imperii fideli devoto gratiam suam, & omne bonum.

„ AD Illustrem Fredericum Regem Siciliæ „ amicum nostrum generosum virum Fra„ trem Albertum de Avaretburch Ordinis San„ cti Johannis Jerosolymitani per Alamanniam „ Præceptorem Secretarium nostrum dilectum „ pro quibusdam secretis, & specialibus causis „ nostris Nuncium destinavimus, quem nostri „ contemplatione præferas & promoveas effica„ citer in agendis, ut abinde tibi obligemur ad „ merita gratiarum. Cui etiam petimus, ut „ fidem plenariam adhibeas in dicendis. Datum „ Menaci VIII. Idus Septembris Regni nostri „ anno XI.

Dictus autem Imperator postea Anno à Nativitate Domini MCCCXXVII. mense Februarii X. Indictionis de dicto ejus adventu scripsit dicto Regi Frederico, & eidem Regi Petro, necnon Comiti Johanni de Claromonte cuilibet videlicet ipsorum semotè per hæc verba.

Ludovicus Dei gratiâ Romanorum Rex semper Augustus Illustri Frederico Regi Siciliæ tamquam fratri dilecto salutem, & æterni amoris & amicitiæ affectum.

„ MAgnificentiæ Regiæ Legationes per Sa„ pientem Virum Magistrum Franciscum „ Nuncium vestrum expositas benigno auditu „ percepimus, & auscultavimus diligenter, & „ quod super his respondere volumus, quæque „ nobis super secretis cordis nostri placuit de„ mandare, capitulanti dicto vestro Nuncio „ commisimus referenda, cujus dictis & hujus„ modi vestra perennitas fidem plenariam ad„ hibeat, tamquam nobis. Specialiter tamen „ hoc vobis duximus intimandum, quòd, Deo „ favente, firmum, pacificum, & felicem sta„ tum habemus Alemanniæ; & tam Principes, „ quàm

Digitized by Google

„ quàm ceteri alii ad nostra beneplacita sunt „ intenti. Nunc etiam in parlamento, quod „ hujusmodi cum Italicis in credendo, de quo „ præfatus Magister Franciscus, qui præsens „ fuit, & interfuit, latiùs vos poterit informa- „ re, vos ad vota nostra tales invenimus, quòd „ nihil restat, nisi quòd, Deo Duce, progredi- „ mur in Italiam, Romam Sacras Imperiales In- „ sulas recepturi. Datum Tridenti VI. Calen- „ das Martii Regni nostri Anno XIII.

Ludovicus Dei gratiâ Romanorum Rex semper Augustus Illustri Petro Regi Siciliæ Secundo, amico sincerè dilecto salutem, & plenum amoris affectum.

„ UT intentionem nostram, & statum feli- „ cem, quem habemus, favente Deo, „ vestra Serenitas excipiat, & cognoscat, ami- „ citiam vestram scire volumus, quòd ex fidu- „ cia speciali, quod bene ordinatis circa nos, „ quæ sunt in Alamannia, ubi tam Principes, „ quàm alii inferiores parent nostris beneplaci- „ tis, & mandatis, Lombardiam attingimus in „ Tridento, in quo Nobiles Italici per se, & „ civitates per suos Syndicos ultro in nostri „ præsentia comparent, se, & suos mandati „ Regiis subdiderunt; Sic, quòd singulis bene „ dispositis hinc & inde, in Dei nomine pro- „ gredimur etiam usque Romam Sacras Impe- „ riales Insulas recepturi, procuraturi nihilomi- „ nus vestrum, & omnium amicorum nostro- „ rum, & fidelium ipsius Sacri Imperii com- „ modum & profectum. Quo circa magnifi- „ centiam vestram intentis animis exoramus, „ quatinus & per vos & instantiam vestram „ apud Illustrem Fredericum Regem Siciliæ „ patrem vestrum ad tam salubrem intentionis „ nostræ confirmationem cooperationis velitis „ vestrum nobis conferendo consilium, & juva- „ men, ut nostra Regia Majestate ad grata vo- „ bis intendere debeat, & vicissitudinem ad „ augmentum vestri nominis & honoris, & su- „ per præmissis Magistro Francisco latori præ- „ sentium fidem adhibeatis credulam in dicen- „ dis. Datum Tridenti VI. Calendas Martii „ Regni nostri Anno XIII.

Ludovicus Dei gratiâ Romanorum Rex semper Augustus Nobili viro Johanni de Claromonte Comiti Mohac, & Domino Ragusiæ multipliciter diligendo gratiam suam, & omne bonum.

„ SIgnificandum tibi duximus ex affectu, quo „ te prosequimur; augere tuam lætitiam & „ firmare tuam constantiam cupientes, quòd in „ Italiam in præsenti progredimur absque quo- „ libet intervallo ad Coronam Imperialis cul- „ minis Romæ cum gloria, & reverentia assu- „ mendam. Quo circa nobilitatem tuam re- „ quirimus, & hortamur, quatenus ad prædi- „ ctum Regem Siciliæ Dominum tuum ad feli- „ cem confirmationem prædictorum, tuis insi- „ stas consiliis, & persuasionibus inductivis, ut „ ipse velit, & curet juxta bonum posse suum „ dare operam, & affectum, & super his & „ aliis, quæ circa nos gerimus, & gesta sunt „ in partibus Alamanniæ, & in parlamento, „ quod nunc habuimus in . . . . . Sapientis „ viri Francisci de Acellis Nuncii dicti Regis „ dictis vel scriptis, tamquam ejus, qui vidit, „ interfuit, & audivit, ac testificari poterit, „ fidem poteritis adhibere. Datum apud Tri- „ dentum VII. Calendas Martii Regni nostri „ Anno XIII.

Anno à Nativitate Domini MCCCXXVII. mense Septembri XI. Indictionis dictus Imperator veniens de Lombardia ad Pisas, applicuit ad Territorium Pisarum, quia Portæ ipsius civitatis fuerunt sibi clausæ, nec eum Pisani recipere voluerunt, incœpit ipsam civitatem tenere obsessam.

Nono Octobris ejusdem Indictionis iidem Pisani fecerunt ei aperire dictas Portas ipsius civitatis, & receperunt sponte dictum Imperatorem.

Sextodecimo Decembris ejusdem Indictionis idem Imperator recessit Pisis vadens Romam.

Septimo Januarii ejusdem Indictionis idem Imperator intravit Romam, tractantibus Philippo Sharra de Colomna, & Jacobo Savello.

Decimoseptimo ejusdem mensis, quo fuit Festum S. Antonii, idem dictus Imperator fuit coronatus Romæ, habens Castrum S. Angeli, & omnes alias fortalitias Romæ; & inter hæc Romani scripserunt Summo Pontifici in hæc verba.

Sanctissimo, & in Christo Patri, & Domino eorum, Domino Johanni Divinâ Providentiâ Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifici quinquaginta duo electi viri per Romanum populum super pacifico statu Urbis, omnes Consules artis, totusque populus Romanus, devota pedum oscula beatorum.

„ NExum immensi debiti, quo parentibus „ filii alligantur, ita insufficienter tota- „ liter ad solvendum in hoc solum retribuunt, „ quòd gaudent in illorum honoribus & oppro- „ bria detestantur. Hac certè mediatione con- „ tinua, nos veri filii Ecclesiæ Sanctæ Dei, „ modernis temporibus audientes iniquos flare „ ventos pro Petri navicula tempestatibus con- „ quassanda, turbamur in intimis, & totaliter „ vulneramur, præsertim, quòd cum Sancta „ Matre Ecclesia nostra, cum qua vivere & „ mori unanimiter sumus dispositi, ab ea tam „ longævo spatio separari præsentialiter & con- „ tinuè non manemus. Ea propter Beatitudi- „ nem vestram flexis poplitibus supplicamus, „ quatenus Sedem vestram primævum & verum „ Ecclesiæ fundamentum, quam oblivioni vi- „ demini tradidisse, abjectis moralis & . . . . „ præsentialiter visitetis, in sua omnium adver- „ sarium, repulso turbine, pater, & filii con- „ flati in unum poterunt, Deo propitio, in pa- „ cis pulchritudine nuptialiter delectari. Alio- „ quin ex nunc apud Deum, totamque Cœle- „ stem Curiam, & Ecclesiam ipsam, & omnes „ Mundi Christicolas excusemus, si quid sini- „ strum accidat, vel contingat, & si filii pa- „ tris præsentia destituti, tamquam acephali „ declinent ad dextram, vel ad sinistram. Et „ ecce pro his seriosiùs enarrandis oraculo vi- „ væ vocis, nobiles & sapientes viros Dominos „ Petrum Vigiani, & Petrum de Magistris „ Luccæ & totius Gentilis de Insula, dilectos „ cives, & ambaxatores nostros ad vestram „ præsentiam destinamus, eisdem districtiùs „ injungentes, quòd quo facto opus est, non „ verbis, ultra tres dies apud Romanam, immo „ Avinionicam Curiam demorentur, sed cum „ se-

Digitized by Google

„ festinantia retrocedent, ut eorum audita re-
„ latione saltem nostræ indemnitati cautiùs con-
„ sulere valeamus. Datum Romæ &c.

Quibus omnibus sic peractis, dictus Dominus Imperator in eadem Urbe fecit, & protulit contra dictum Papam Johannem quemdam suum processum ac sententiam in hæc verba.

In nomine Domini. Amen.

„ GLoriosus, & sublimis dominantium Do-
„ minus nulli secundus, qui universa
„ propter semetipsum operatus est, Imperium
„ quoque ad diem malum, Sacerdotium, & Im-
„ perium independenter principans & obser-
„ vans, ut hoc quidem Divina exerceat, illud
„ autem humanis præsideat ad Rempublicam
„ sibi traditam rectè ac magnificè guberman-
„ dam, nos Ludovicum IV. Romanorum Im-
„ peratorem semper Augustum in Imperiali cul-
„ mine Majestatis constituit, & ita hoc, quia
„ nos in Principem super hereditatem suam im-
„ misit, ut de manibus inimicorum suum Po-
„ pulum liberemus, exaltans nos super gentes,
„ & regna, ut pacis subversores disperdamus
„ ubique, zelatores verò ejusdem plantemus,
„ & ædificemus (creatis) fructus labiorum no-
„ strorum pacem his, qui longè sunt, & his,
„ qui prope sunt. Ea propter Imperialis Celsi-
„ tudinis debito excessus enormes Jacobi de
„ Cathurco, qui nunc Papam se, licèt men-
„ daciter, asserere non veretur, dissimulatione
„ diuturniori nullatenus sufferre volentes, innato
„ moti justitiæ zelo, nunc pro eminentia Ma-
„ jestatis Imperialis audaciter domum pater-
„ nam, filiosque nostros carissimos, & puberes,
„ hostilium incursuum criminibus jam actu ex-
„ positos, fortunæ periculis committentes, ce-
„ leri cursu inde Italiam venimus ad sedem no-
„ stram præcipuam, Romam videlicet, prope-
„ rantes, quam Divino suffulti auxilio pacificè
„ attingimus, nulla hostili resistentia præpediti,
„ universis terrarum, quas pertransivimus, in-
„ colis ab omni damno atque disturbio reser-
„ vatis. In qua siquidem urbe, Divina opitu-
„ lante Providentia, Cæsareo diademate, ac
„ Sceptro legitimè susceptis per nostrum Ro-
„ manum peculiarem Populum, Urbi, & Orbi
„ Dei ac nostra Potentia inæstimabili, & im-
„ mutabili præsideamus, ut manus nostræ forti-
„ tudine triumphali rebelles, qui pro nunc à
„ nobis, & suo Domino naturali longè sunt,
„ corripiamus potenter, fidelesque nostros ab
„ angariis & persecutionibus tyrannicis insupe-
„ rabili potestate Dei, & nostra efficaciter
„ eruamus. Animadvertimus siquidem hujusce-
„ modi transgressionis rebellionem, ex violenti
„ usurpatoris, se nunc Papam nominantis, fal-
„ cem suam in alienam messem mittentis, certa
„ nequitia provenisse, quem elevatum adinstar
„ Adoniæ filii Aggit exemplo David hactenus
„ non corripuimus. Nunc verò perpendimus,
„ quòd ferro necesse est, ut abscindantur vul-
„ nera fomentorum, quæ non senserunt medi-
„ cinam. Prospeximus etiam, quòd in immen-
„ sum crescit impunita temeritas, & facilitas
„ dicto Jacobo veniæ incentivum præstitit de-
„ linquendi, dum sibi de oblatis iniquè thesauris
„ currus fecit, & equites adversùs Christi, ac
„ Sancti Imperii fideles & sub specie subsidii
„ Terræ dictæ Sanctæ, thesauris, inquam, jam
„ per multos annos de omnibus finibus Eccle-

A „ siæ, ac talliis, seu quæstis à Clero violenter
„ extortis, nec non simoniacis beneficiorum Ec-
„ clesiasticorum distributionibus, collatorum
„ ætate, vita, & sententia penitus & meritis
„ indignis, potentiaque suorum parentum om-
„ nium Sanguinis Christi effusoribus, sceleratis,
„ ac mentitis gratiis, seu indulgentiis peccato-
„ rum, quas pro stipendiis pollicetur nefariis
„ homicidis sisinata (*), pestifera, & effreni
„ rebellione non desinens in nostro sacro Impe-
„ rio suis dolosis astutiis seminare utres . . . . .
„ consilio, & auxilio execrabili, jocis interpre-
„ tatione in personas Principum Secularium,
„ præcipuè dolosi Regis Roberti; jamdudum
„ propter crimen lesæ Majestatis, per felicis
B „ recordationis Henricum ultimum pœna pro-
„ scriptionis damnati, aliorumque Principum,
„ quorum de toto sibi posse & nosse faventium
„ in sacri destructione concilii, ad sublimatio-
„ nem cornu Christi, idem liberè perfectionis
„ Fidei Catholicæ nostis institutus in hæresim
„ etiam consilio & auxilio Abiathar Sacerdos
„ qui peccatum suscitans interpretatur, & hoc
„ in personis Ministrorum spiritualium seu Ec-
„ clesiasticorum, qui ad similitudinem filiorum
„ Heli, carnis crudæ, seu cruentatæ violenti
„ exactores consistunt, in effusione humani san-
„ guinis ad mandata prædicti Jacobi se Papam
„ gerentis utens, quin immo abutens gladio
„ temporali, à quo tanto Dei & Sanctorum
C „ Patrum sanctionibus exclusi esse noscuntur
„ nescientes Dominum, nec non officium Sa-
„ cerdotii ad Populum profanat. Igitur in
„ eisdem hic vir sanguinum Sacerdotium Chri-
„ sti manus Patriarcharum, Cardinalium in
„ Italia legatorum, Archiepiscoporum, Episco-
„ porum, Abbatum, aliorumque inferiorum Mi-
„ nistrorum, graduum sanguine replendo homi-
„ cidiis infinitis. Ex quibus profectò evidenter
„ agnoscimus Sacrum Imperium in defensionem
„ Evangelii pacis à Deo ab æterno provisum
„ per hunc mysticum Antichristum, qui se Pa-
„ pam nominat, si, quod absit, effrenis ejus
„ rabies inulta procederet, inreparabiliter ex-
„ terminari. Verè etenim dicitur mysticus
D „ Antichristus, quoniam ipse fremens secun-
„ dùm operationem Satanæ in omni seditione
„ iniquitate, dissensione, quæ secundùm Apo-
„ stolum Antichristi adventum præcedent, ve-
„ lut idem præcursor immediatus, indefessus
„ satagit accelerare subversionem, seu extin-
„ ctionem. Fidei orthodoxæ cæde crudelissima
„ Christicolarum innumerabilium: quoniam An-
„ tichristus potestate publicæ violentiæ proficit.
„ Hanc iste molitur sub specie mentita justitiæ
„ cum notoria violentia consummare, dum non
„ solùm in Italia, verùm etiam in plerisque
„ Infidelium confiniis, Saracenorum videlicet
„ in Regno Arminiæ Ricenorum (**), & Dioe-
„ cesi Tarbina, succursum à Christi Fidelibus
E „ dictorum confinium in foribus Palatii hujus
„ aspidis surdi Ammori, videlicet clamore va-
„ lido per annos quinque miserabiliter implo-
„ ratum propterea denegavit, & quod, proh
„ dolor! aures humanæ refugiunt, observatio-
„ nem treugarum cum Fidelibus in confinio
„ Prussiæ Præceptori Generali Domus S. Mariæ
„ districtissimè injunxerat id agere in augmen-
„ tum Fidei Christianæ, licèt fallaciter se præ-
„ cedens, quod in ejusdem Fidei conceperat
„ notorium detrimentum, ex hoc teneri pro
„ vitioso figmento, quanta fuerit occisio Fide-
„ lium

(*) *forte* sibi innata.

(**) *forte* Rhutenorum.

Digitized by Google

„ lium in infantibus, & vagientibus in cunabu-
„ lis, in viris, in mulieribus innumeris perfi-
„ dorum mucronibus trucidatis, multisque in
„ perpetuam captivitatem adductis, quanta-
„ que lamentatio in sanctimonialibus, ac Deo
„ juratis virginibus defloratis, & viduis, &
„ conjugatis post tergum manibus ligatis ad
„ arbores violenter oppressis, quanta insuper
„ Ecclesiarum, & sacrorum maximè pretiosis-
„ simi, & venerabilissimi Corporis Christi pro-
„ fanatio facta fuerit, dum ipsum lanceis per-
„ foratum, & elevatum, Christo ac omnibus
„ Christicolis blasphemiæ ac demeritæ, expro-
„ baverint, dicentes: *Ecce Deus Christiano-*
„ *rum* Marcorici Brandeburgenses plorantes
„ filios, & filias lamentabiliter querulas; captus
„ est igitur persecutor iste nequissimus, prædo
A „ in domesticos, plebis interemtor, occisor
„ filiorum, in patrios patrocida, prout insuper
„ justis alterius evidentia declaravit, dum ga-
„ lêas quàm plures in subsidium Catholici Re-
„ gis Armeniæ, ac totius populi contra Sara-
„ cenos hujusmodi per Magnificum Francorum
„ Regem transmissas in occisionem Christiano-
„ rum nostro subjectorum Imperio, Januenses
„ videlicet callidè & dolosè pervertit, & ne-
„ quiter usurpavit. Numquid ergo bene iste
„ Pseudo-Propheta in Apocalypsi describitur
„ sub figura sedentis in equo rufo, qui exivit,
„ ut sumeret pacem de terra, ut homines se
„ interficerent invicem, terram, proh dolor!
„ omnium inebrians Christi Sanguine venæ fon-
„ tis pietatis, & clementiæ fundit, & refaciens
„ in quantum vena disciplinæ christianæ ....

Hic desinit Codex, in quo novem Capita desiderantur.

IN-

Digitized by Google

INSTRUMENTUM PUBLICUM

De condicto singulari certamine inter Carolum Jerusalem & Siciliæ, & Petrum Aragonum Reges.

Ex Veteri membrana Ecclesiæ Albiensis.

Karolus Dei gratiâ Rex Jerusalem & Siciliæ &c. ad notitiam præsentium, & memoriam futurorum.

„ PRidem inter Magnificum Principem Petrum Aragoniæ Regem Illustrem, & nos mutuo procedente tractatu, quòd ipse Rex eligeret, sex de suis militibus viros probos, „ & fideles, eligeremus sex de nostris militibus viros probos, & fideles, qui erunt duodecim milites per ipsum Regem Petrum, & „ nos electi, corporaliterque priùs per eos „ præstito juramento, quòd legaliter, & bona „ fide tenerentur eligere locum certum, & statuere terminum ad pugnam faciendam inter „ ipsum Regem Petrum, & centum de suis „ militibus ex parte una, & nos, ac centum „ de nostris militibus ex parte altera, pro eo „ quòd nos tamquam petitor eidem Regi Petro apposuimus, & apponimus, quòd ipse „ intravit Regnum nostrum Siciliæ contra rationem, & malo modo, & nobis priùs nihil „ diffidatis, & hoc parati eramus, & sumus „ probare de nostro corpore, & centum de nostris militibus, contra suum corpus, & centum de suis militibus. Qui Rex Petrus tamquam defensor nobis respondit, & respondet, „ quòd ingressu Siciliæ, & aliquo, quod fecerit contra nos, rem non fecit, unde sua legalitas minùs valeat, vel verecundiam habere debeat in Curia, seu coram aliquo probo viro, & quòd pugnam de nobis, & centum de nostris militibus contra ipsum Regem „ Petrum, & centum de suis militibus fieri „ placet. Nos de fide, prudentia, & legalitate, & armorum prudentia Jordani de Insula, „ Johannis Vicecomitis de Templay, Jacobi „ de Brussono, Eustachii de Cadirones, Johannis, & Guillelmi de Salsi militum, & familiarium, & fidelium nostrorum plenariè confidentes, ipsos eligimus penitus, & constituimus, & ordinamus, & per patentes literas nostras exhibuimus potestatem, quòd ipsi „ unà cum Guillelmo de Castro-novo. Roderico Exameri de Lucia, Petro de Geralto, „ Examerio de Artola, Radolfo de Manuterio „ decertatis militibus, & Raynaldo de Limoges de Messana, ipso cum Judice Rainaldo „ per ipsum Petrum ad hoc petito, & pro uno „ milite computato, familiaribus ipsius Regis „ Petri taliter electis hinc inde recepisset, & „ præstitum juramentum legaliter, & bona fide „ possent eligere, & eligerent locum communem, & terminum statuere competentem ad „ pugnam hujusmodi faciendam inter ipsum P. „ & C. de suis militibus, & nos cum centum „ de nostris militibus, quomodo esse possumus, „ & simus, & loco quem prædicti duodecim „ per ipsum Regem P. & nos taliter electi ad „ pugnam hujusmodi faciendam unanimiter, & „ concorditer duxerint eligendum. Dedimus „ etiam eisdem sex militibus familiaribus, & „ fidelibus nostris plenariam potestatem, quòd „ ipsi securitates necessarias suas inspicerent „ optimas nomine nostro, præstare & recipere „ ad prædicta omnia, & singula quæ sub ypotheca bonorum nostrorum rata & firma habere, ac recognoscibiliter observare promisimus tractare, eligere, ordinare, statuere „ possent liberè perficere, & firmare. Addimus etiam, quòd si aliquis, vel aliqui ex „ prædictis nostris sex militibus infirmitate vel „ alio casu quolibet contingente in prædictis, „ vel in aliquo prædictorum, personaliter interesse non possit, totidem quoque ex prædictis nostris sex militibus essent pro prædictis „ sex de numero prædictorum quinque milites, „ & unus Judex pro milite computato per „ eumdem Regem Petrum ad prædicta taliter „ electorum, & reliqua tam per eumdem, „ quàm per nos electi unanimiter, & concorditer ea omnia, & singula possent liberè perficere, & complere, & hoc idem servarent, „ si aliquis vel aliqui de prædictis quinque militibus, & uno Judice pro milite computato „ per eumdem Regem Petrum electi, essent „ infirmati, vel casu quovis aliquo impediti, „ ita videlicet, ut cotidie eximeretur de numero prædictorum sex militum per nos taliter electorum, & reliqui, qui facerent residui tam per ipsum Regem Petrum, quàm „ per nos electi, ea omnia & singula perficerè „ possent liberè, & firmare, & ea omnia, & „ singula, quæ prædicti quinque milites, & „ unus Judex loco unius militis computatus per „ eumdem Regem electi, idem sex milites à „ nobis vel hominibus electis ab utraque parte aliqua vel aliquibus ab una parte, vel „ altera pro prædicto, seu prædictis totidem „ ex una parte, vel altera, excepto, vel exceptis residuis concorditer, & communiter, „ & unanimiter in prædictis omnibus, & singulis tractarent, ordinarent, eligerent, statuerent, & facerent, firmarent, & jurarent „ sub eadem ypotheca bonorum nostrorum „ rata, & firma habere, & inviolabiliter promisimus tactis Evangeliis Sacrosanctis etiam „ omnia juramenta præstare, obligationes, pœnas, & cautiones cujuscumque generis præbere, quare prædicti duodecim ab eodem „ Rege Petro, & nobis electi, vel residui ab „ eis, aliquo vel aliquibus ab una parte, vel „ alia pro prædicto, seu prædictis, & totidem „ ex una parte vel altera, excepto, vel exceptis, & nobis ducerent postulandum, pro „ ut hæc omnia in patentibus literis instrumentum confectum, & pendente nostro Sigillo „ munitæ eidem Regi Petro ex parte nostra „ exhibitæ, quarum est Data *Rvegii Anno „ MCCLXXXIII. die sexto mense Decembris „ XI. Indictione Regnorum nostrorum Jerusalem Anno VI. Siciliæ verò XVIII.* pleniùs, „ & apertiùs contineretur. Idem autem Rex „ Petrus prædictus Guillelmum de Castro-Novo, „ Rodericum Exameri de Lucia, Petrum de „ Ga-

„ Garalto, Exaverium de Aquodo, Rodulfum
„ de Maniels de Trapane Milites, & Judicem
„ Raynaldum de Limoges de Messana, ipso
„ tamen Judice Raynaldo per ipsum Regem
„ Petrum ad hoc porrecto ex uno Milite com-
„ putato, familiares & fideles suos ad hoc per
„ se electos fecit, & constituit, & etiam ordi-
„ navit omnes, & concordes eisdem pro parte
„ sua consimilem per omnia potestatem, pro
„ ut in patentibus literis ipsius Regis Petri in-
„ strumentum inde confectum plenùs contine-
„ tur &c Item præfati verò quinque Milites,
„ & Judex pro Milite computato per eumdem
„ Regem Petrum, & præfati sex Milites per
„ nos electi, facti & constituti, congregati in
„ Regali Palatio Messanensi pariter ad perfe-
„ ctionem hujusmodi negotii procedendum,
„ post tractatus multiplices, discutiones novas,
„ indaginesque dubias, perpenso, ac diligenti
„ deliberato consilio inter eos ex potestate ip-
„ sius, ac eodem Rege Petro, & nobis per
„ easdem literas tradita, unanimiter, & con-
„ corditer elegerunt, quòd prædicta pugna
„ inter nos, & centum de nostris Militibus, &
„ dictum Regem Petrum & centum de suis
„ Militibus facienda, fiat in posse Regis An-
„ gliæ, videlicet in Vasconia, in Territorio
„ civitatis Burdegalensis, in aliquo campo vel
„ platea ipsius Territorii, quam, vel quod Rex
„ Angliæ magis convenienter pro utraque parte
„ videret ad pugnam ipsam de ducentis Militi-
„ bus faciendam. Qui locus, in quo prædicta
„ pugna fieri debet, sit circumdatus, & bene
„ clausus, portis & clausuris, & aliis opportu-
„ nis, ita quòd nullus pedes, vel eques ipsum
„ locum possit intrare, vel exire, nisi per por-
„ tas. Statuerunt etiam prædicti duodecim per
„ eumdem Petrum, & nos electi præfato Regi
„ Petro, & nobis terminum ad præsentandum
„ nos coram prædicto Rege Angliæ in eadem
„ civitate Burdegalensi ad pugnam hujusmodi
„ faciendam, ipsum quamlibet cum prædictis
„ centum nostris Militibus primum diem mensis
„ Junii XI. Indictionis. Addiderunt etiam XII.
„ quòd præsentationem prædicti Regis, & no-
„ stram coram prædicto Rege Angliæ facien-
„ dam, ut superiùs est expressum, sic volunt
„ intelligi, quòd ipse Rex Petrus, & nos in
„ prædicto loco, & termino debeamus nos
„ coram dicto Rege Angliæ præsentare ad pu-
„ gnam hujusmodi faciendam, & si ipse Rex
„ Angliæ in eodem loco & termino personali-
„ ter interesse non posset, idem Rex Petrus,
„ & nos præsentemus nos coram eo, quem
„ idem Rex Angliæ miserit specialiter ad reci-
„ piendum præsentationem hujusmodi, loco sui;
„ & quòd, si ipse Rex Angliæ in eodem loco,
„ & termino præsens non fuerit, nec aliquem
„ ad hoc specialiter miserit loco sui, dictus
„ Rex Petrus & nos teneamur præsentare co-
„ ram eo, qui vices dicti Regis gesserit in loco
„ prædicto. Ordinaverunt tamen prædicti duode-
„ cim, quòd prædicta pugna per dictum Re-
„ gem Petrum & nos facienda in loco prædi-
„ cto, non fiat coram aliquo de gente ipsius
„ Regis Angliæ, nisi ipse Rex Angliæ perso-
„ naliter esset præsens ad pugnam ipsam taliter
„ faciendam, nisi ipse Rex Petrus, & nos es-
„ semus in concordia communi & assensu, quòd
„ si in prædicta die prædictus Rex Angliæ in
„ prædicto loco præsens non esset, idem Rex
„ Petrus, & nos teneamur ipsum Regem An-
„ gliæ, vel responsionem suam de veniendo,
„ vel non veniendo ad locum ipsum in die præ-

A „ dicta usque ad XXX. dies expectare, & ut
„ ipsius Regis Angliæ præsentia modis in hoc
„ omnibus observetur, & procuretur: Volue-
„ runt, & ordinaverunt prædicti duodecim, &
„ statuerunt, quòd ipse Rex Petrus, & nos
„ per se quilibet promittamus, & juremus,
„ quòd legaliter, & bona fide procuremus pro
„ posse sinè fraude, vel ingenio, quòd ipse Rex
„ Angliæ ad prædictam statutam medietatem
„ primi futuri mensis Junii in eadem civitate
„ Burdegalensi præsens sit ad gadias per ipsum
„ Regem Petrum, & nos coram ipso offerente
„ ipse Rex Angliæ recipiens. Ad pugnam hu-
„ jusmodi faciendam ordinaverunt, & statue-
„ runt prædicti XII. quòd idem Rex Petrus, &
B „ nos cum nostra utriusque comitiva, donec in
„ Gasconiam transeamus pro pugna hujusmodi
„ facienda, & etiam post VIII. dies post com-
„ munem terminum expletum procedendo inde,
„ & pro eundo quò uterque nostrûm voluerit,
„ nos, & dictæ nostræ comitivæ in personis, &
„ animalibus, quas nos, & ipsæ nostræ comiti-
„ væ nobiscum duxerimus ad pugnam hujusmo-
„ di faciendam, nos ad invicem nullatenus of-
„ fendamus. Treugas & securitates, quas utrius-
„ que nostrûm dederunt & fecerunt ad invicem,
„ ac eidem Regi Petro, & nobis indixerint,
„ ordinaverint, ut easdem, donec in Vasconia
„ pro eadem pugna facienda miserimus, &
„ etiam post octo dies post terminum comple-
C „ tum pro recedendo inde, & revertendo quò
„ uterque nostrûm voluerit, nos, & comitivæ
„ nostræ inviolabiliter observare. Et etiam fir-
„ maverunt prædicti XII. quòd prædictus Pe-
„ trus Rex, & nos legaliter & bona fide de-
„ beamus promittere & jurare, quòd quicum-
„ que nostrûm duorum Regum, scilicet Petrus,
„ & Carolus, legitimè, apertè, & bene pro-
„ bato corporis cessante defectu ad præfatos
„ diem, & locum præfato Regi Petro, & no-
„ bis statuto ad pugnam hujusmodi faciendam
„ defecerit, qui erit primus dies proximi futu-
„ ri mensis Junii hujusmodi XI. Indictionis, &
„ in eodem loco, qui est civitas Burdegalensis
„ in Vasconia cum eisdem centum Militibus
D „ præsens non fuerit ad pugnam hujusmodi fa-
„ ciendam, ab eodem die primo proximi futu-
„ ri mensis Junii; quòd si defierit, & in eadem
„ civitate non fuerit, ut est dictum inantea,
„ toto tempore vitæ suæ tenere se debeat pro
„ devicto, perjuro, falso, fallito & infideli,
„ & proditore, & quòd numquam sibi scribe-
„ re debeat nomen Regium, & honorem, quin
„ immo ipso remaneat nomine & honore re-
„ gio, & cujuslibet alterius officii, seu digni-
„ tatis spoliatus perpetuò, & privatus, & tam-
„ quam perjurus, devictus, falsus, fallitus, in-
„ fidelis, proditor, & infamis sit, & perpetuò
„ habeatur, & si aliquis proposuerit, publicè,
„ vel occultè negare non possit; sed notatur
E „ publicè confiteri, prout hæc omnia per præ-
„ dictos XII. statuta, & ordinata sunt in dua-
„ bus consimilibus patentibus literis pendenti-
„ bus sigillis eorum XII. communiter inde con-
„ fectis, una ex eis præfato Regi Petro, alia
„ nobis tradita, ad cautelam plenè satis & evi-
„ denter apparet. Nos autem, quia nolentes
„ in his de contingentibus quicquam omittere,
„ vel aliquem pro parte nostra intervenire de-
„ fectum, quin immo volentes prædicta omnia,
„ & singula per prædictos XII. ordinata, quan-
„ tum in nobis est, complere totaliter, & in-
„ violabiliter observare, bona, & spontanea
„ voluntate nostra, & bona fide, & legaliter
„ pro-

Digitized by Google

„ promittimus & juramus, tactis corporaliter
„ Sacrosanctis Evangeliis, quòd si ad eumdem
„ diem, & locum eidem Regi, & nobis per
„ eosdem XII. præfixum, & statutum ad pu-
„ gnam hujusmodi faciendam defecerimus, &
„ in eodem die, & loco eidem Regi Angliæ
„ cum eisdem nostris centum Militibus præsen-
„ tati personaliter non fuerimus ad pugnam
„ hujusmodi faciendam, ab eadem die inantea,
„ in qua si defecerimus, toto tempore vitæ
„ nostræ nos tenemus pro devicto, falso, falli-
„ to, & infideli, & proditore, quòd numquam
„ nobis nomen & honorem Regium exscriba-
„ mus, quin immo volumus, & consentimus
„ expressè, quòd tunc ipso facto remaneamus
„ sinè nomine & honore Regio, & cujuslibet
„ officii, & dignitatis alterius, & etiam, ut
„ supra in ordinamento continetur usque ad
„ illud verbum *confiteri*. Et ut hæc omnia eo
„ permaneant firma, quòd plurium fide, testi-
„ monio, & assertionibus fuerint roborata,
„ infra scriptos XL. Milites affectuosè rogavi-
„ mus, & rogamus, quòd ipsi hæc omnia, quæ
„ nos facimus, & promittimus, in nostro no-
„ mine promittere debeant, & jurare. Nos
„ autem præfati XL. Milites, videlicet:
„ Jordanus de Insula,
„ Johannes Vicecomes *de Templay*,
„ Jacobus de Borsona,
„ Eustasius de Ardicore,
„ Johannes *de Nisi*,
„ Guillelmus de Falsa,
„ Johannes de Monteforti,
„ Comes de Fallatiis & de Monte suo visu,
„ Erigerus Comes de Vadimonte,
„ Odo de Cusiaco,
„ Ricardus *de Monte-mores*,
„ Johannes *de Baris*,
„ Hodo *de Salats*,
„ Ancelmus de Caprosia Regni Siciliæ Ma-
„ rescallus,
„ Robertus de Altisia,
„ Ludovicus de Rothesia,

A „ Rainardus Galardus,
„ Amelius Carbono,
„ Benforparus de Castellano
„ Corradus *de Tornay*,
„ Hugotonus de Perna,
„ Johannes de Lagonessa,
„ Simon *de Belvedere*,
„ Gaufridus *de Nulli*,
„ Gerardus *de Nipri*,
„ Guillermus *de Bari*,
„ Albertus de Aurbono,
„ Johannes *de Noseral*,
„ Thomasius *de Bisans*,
„ Thibaldus Alamannius,
„ Garlart Ostendardus,
B „ Maine ab Ubore,
„ Simon de Camprosia,
„ Amioctus de Suis,
„ Theonisius de Bononensi,
„ Addam de Crinis,
„ Johannes Villanus,
„ Stephanus *de Samorii*.
„ Ad preces & requisitionem Domini Regis
„ Caruli promittimus, & juramus nos facturos
„ & curaturos, ita quòd ipse Rex Carulus præ-
„ dicta omnia, & singula per compromisso, &
„ jurati, & per prædictos XII. ordinata serva-
„ bit; quod si non fecerit, ex tunc in continen-
„ ti communem societatem & servitium ipsius
„ Regis Caroli velut devicti, perjuri, & infi-
C „ delis, & proditoris totaliter, & perpetuò de-
„ serimus, nec postea umquam toto tempore
„ vitæ nostræ cum eo erimus, nec sibi præsta-
„ bimus auxilium verbo, vel opere, publicè,
„ vel occultè. Et Nos Rex Carolus, si, quod
„ absit, defecerimus in prædictis, legitimo
„ operto, & bene probato corporis defectu
„ cessante, ex tunc volumus, & consentimus
„ prædictis expressè, & prædictas literas man-
„ davi, & volui Sigillorum omnium prædicto-
„ rum munimine roborari. Datum Rhegii pe-
„ nultimo die mensis Decembris XI. Indictio-
„ nis.

F I N I S.



Digitized by Google

Digitized by Google

NICOLAI
SPECIALIS
HISTORIA SICULA
IN VIII. LIBROS DISTRIBUTA

Ab Anno MCCLXXXII. usque ad Ann. MCCCXXXVII.

ANTEA EDITA

IN APPENDICE

MARCÆ HISPANICÆ

Cura & studio

CLARISSIMI VIRI

STEPHANI BALUZII.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN HISTORIAM SICULAM NICOLAI SPECIALIS

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

CLariſſimus Vir Stephanus Baluzius, cui Gallia, imo univerſus Literarius Orbis tanta debet veterum monumenta e tenebris eruta, primus Hiſtoriam Siculam *Nicolai Specialis* ex MSto Codice Bibliothecae Regiae Pariſienſis evulgavit. Nam quum ſibi in votis eſſet publicae luci reddere Tractatum de *Marca Hiſpanica*, Opus poſthumum celeberrimi Viri Petri de Marca Archiepiſcopi Pariſienſis, eumque uberiorem, gratioremque Eruditis exhibere, praeter alia tum Chronica, tum Acta ad eamdem Marcam, ſive Cataloniam, ſpectantia, Chronicon quoque Specialis addendum cenſuit, quum ibi Regum Aragonenſium geſta in Sicilia accurate per unum Seculum, & ultra deſcribantur. Editus eſt autem curante Baluzio laudatus Liber Petri de Marca Pariſiis Anno 1688. ibique in Appendice Baluziana pag. 598. legitur haec Hiſtoria. Nicolao Speciali Patria fuit *Netum*, Urbs Siciliae, vetuſta, nunc *Noto*; qua de re certiores nos fecit Rocchus Pirrus in Sicilia Sacra; erat enim illi alius ejuſdem Hiſtoriae MStus Codex. Aetatem autem hominis ex ipſo Auctore intelligas. Libro 8. Cap. 5. narrat ille, Anno 1334. contigiſſe mortem Johannis XXII. Summi Pontificis, eique ſucceſſiſſe Benedictum XII. ad quem Fridericus Siciliae Rex *Ogerium de Verſolo, Nicolaum de Lauria, & Scriptorem hujus Opuſculi Nuntios miſit*. Porro illius Hiſtoria ab Anno 1282. quo teterrima Gallorum caedes a Siculis perpetrata eſt, perducitur ad Annum uſque 1337. quo Fridericus Siciliae Rex diem poſtremum obiit. Quare ſatis conſtat, Nicolaum Specialem iis floruiſſe temporibus, & multorum, quae narrat, teſtem fuiſſe.

Verum nuper laudatus magnae Eruditionis Vir Rocchus Pirrus in Notitia Secunda Eccleſiae Syracuſanae, ubi agit de Neto Patria ſua, quam Speciali quoque tribuit, rem turbare videtur. Nam pag 225. ubi Scriptores Netinos enumerat, in haec verba loquitur: *Nicolaus Specialis Prorex Siciliae literis tradidit Hiſtoriam Siculam ad ſua tempora Anno* 1444. *quae MSta plurimorum manibus Panormi teritur. Is fuit ſummo loco natus, & Patriam prae ceteris illuſtravit. Ad difficillima quaeque obeunda munera agili fuit ingenio. Obiit Neti Anno* 1444. 13. *Februarii*. Putabam ego, ex Typographorum facili incuria errorem in Annos a Pirro memoratos irrepſiſſe, & vitiato uno loco, alterum quoque ex neceſſitate immutatum. At ipſum potius Rocchum Pirrum heic caeſpitaſſe, non injuria dicam. Auctor eſt Thomas Fazellius Decad. poſterior. Lib. 9. de Reb. Sicul. Anno 1425. *Nicolaum Specialem Netinum Proregem Siciliae conſtitutum* ab Alphonſo Rege. Hercle haec Pirro occaſionem dedere ſcribendi, Nicolaum Specialem, Hiſtoricum, Proregem Siculis datum, eumque floruiſſe, imo deceſſiſſe Anno 1444. Sed, uti quiſque videt, haec ſatis evincunt, Pirrum duos diverſos homines perperam confudiſſe. Nempe Hiſtoricus noſter Anno 1334. florebat, alter vero uno Seculo poſt in vivis fuit, ac Proregem Siciliae egit. Quare dubitandi etiam locus ſupereſt, an primus, ideſt Hiſtoricus noſter fuerit Patria *Netinus*, uti certe ſecundus fuit, quamquam propius ad verum accedat, juniorem a priori ſanguinem traxiſſe, & communem Patriam ſortitum, quum utrique idem Nomen, & Cognomen fuerit. Fortaſſis etiam continuavit alius quiſquam Chronicon Specialis ad Annum uſque 1444., ac proinde hallucinatus fuerit Pirrus in aetate Hiſtorici noſtri alteri Seculo aſſignanda. Ut ut ſit, Chronici hujus Auctor, longe profecto antiquior, quam ille putarit, eo judicio ac ſinceritate ſcripſit, ut ejus labor Eruditorum omnium gratiam inire poſſit, dignumque locum in Collectione noſtra exigat, ac mereatur. En quae in hunc Scriptorem praefatus fuerit Clariſſimus Baluzius.

Digitized by Google

Auctorem horum Librorum non prodit vetus Codex Bibliothecae Regiae, ex quo illos descripsimus. Accepimus ergo nomen ejus ex Roccho Pirro, qui similem Codicem viderat beneficio, ut ipse profitetur, Martini Lafarinae Abbatis genere & eruditione clari. In eo quippe Libro opus esse dicitur Nicolai Specialis Netini. Scribebat ille sub Pontificatu Benedicti XII. ad quem legatione pro Frederico II. Rege Siciliae functum eum esse Anno MCCCXXXIV. cum Ogerio de Versolo & Nicolao de Lauria ipse testis est in Capite Quinto postremi Libri. Magni porro faciendam esse hanc Nicolai lucubrationem haec res certo probat, quod quaecumque de rebus horum temporum scripsere Maurolycus Abbas & Thomas Fazellus, ea omnia a nostro accepere, ut legentibus facile apparebit. Immo Maurolycus Lib. V. fol. 161. loquens de incendio Etbnae, quod Anno MCCCXXIX. contigit, quod refert secundùm descriptionem Nicolai Specialis, licèt illum non nominet, addit: Scriptor Historiae se postposito metu cominus accedentem omnia spectasse refert, humum heic atque illic fatiscentem, & ex quaternis hiatibus grandinem lapidum inter lapides ejectatam, ex hiatibus rivos igneos quasi ex fornace candenti egressos obviam tellurem & cautes liquefecisse. *Quibus verbis designari ea dubium non est, quae in Capite Secundo Libri VIII. leguntur. Ceterum hoc opus transcripsit postea, & usque ad Annum saltem MCCCLII. continuavit Frater Michaël de Platea sive de Placia, ut patet ex fragmentis editis a Roccho Pirro.*

Digitized by Google



NICOLAI SPECIALIS LIBRI VIII. RERUM SICULARUM

AB ANNO CHRISTI MCCLXXXII. USQUE AD ANNUM MCCCXXXVII.

Incipiunt Chronicæ super facto Insulæ Siciliæ à die coronationis Regis Frederici citra, etiam qualiter ipsum Regnum ad manus ipsius Frederici devênit.

Sequitur Prologus,

Postquam Ninus Rex Assyriorum non contentus finibus suis humanæ societatis fœdus irrupit, primusque bella movit contra finitimos, ac exercitus ducere, aliena vastare, liberos populos aut trucidare aut subigere cœpit, reverenda ac imitabilis majorum nostrorum traditio fortunas Regum & Principum, eversiones regnorum & urbium, varia populorum dissidia, bellorum eventus ancipites stili officio memoriæ commendavit, ea ratione potissimè, ut post obitum viverent illustres viri memoria, bene gestorum gauderet exemplo posteritas, & quæ illicitè acta sunt animi dociles inhærentes virtutibus, abhorrerent. Nam si scribendi facultas de medio tolleretur, hebetaret multorum corde segnities, & virtuosorum actuum salubris introductio, quæ

A solet ex præteritis colligere, brevi tempore deperiret. Hanc ergo considerationem laudabilem amplexatus, rem, licèt arduam, & materiam imparem ingenii mei viribus attentabo, gesta quidem Siculorum sub Frederico Rege à die suæ coronationis describere, stilumque deducere per omnes notabiles eventus ejus tam prosperos, quàm adversos, de quibus etiam Regibus Regumque filiis, quibus populis, & populorum ducibus nationis, fatis secum prosperè agentibus, nunc adversè, non absque Divina justitia vel evasit ingenio, vel viribus triumphavit. Priùsquam verò hanc densam silvam ingrediar, ne futuris temporibus in dubium quæreretur, quo jure ad manus ejusdem Frederici hoc Regnum pervenerit, intermissis saltibus, sub compendio referam quibus rationibus universitas Siculorum Caroli Regis dominatum abjecerit ac etiam Petrum Regem Aragonum ipsius Frederici Regis parentem in suum dominium advocarit. Neque præteream quæ per eundem Petrum, & Jacobum filium ejus majorem natu, Frederico dominium in Regno Siciliæ præfuere, & eundem Fredericum etiam ante coronationem ejus gesta sunt. Nec omittam obscœnas fames, cœli terræque prodigia, quæ suis temporibus ingruerunt. Et si commodis vitæ fungar,

Digitized by Google

gar, adjiciam ſubverſiones atque diſſidia, quibus poſt Frederici Regis obitum ſub Petro Secundo Rege ipſius Frederici filio externis bellis circumſonantibus, atque internis ſeditionibus, velut hydræ capita renaſcentibus expoſita ſemper anguſtiis Trinacria laceſſita eſt. Spes enim, quæ non confundit, audere tantum opus inſinuat, quoniam ſcriptum eſt: *Audentes Deus ipſe juvat*. Ineptitudinem operis, quamvis illud diminutum, quamvis claudicante ſtilo contextum

A ſit, intelligens Lector quæſo non mordeat, nec leonino dente corrodat, ut deſtruat, ſed in caritate, quæ omnia ſuffert, leniter arguat, & diligenter corripiat, ut emendet, quoniam in tanta verborum ſerie forſitan aliquod exiguum inveniet, quod ſaltem alicujus novitatis occaſione decerpat. Aſpiret ergo, obſecro, meis cœptis clemens Virgo Siculorum decus, quæ glorioſo martyrio coronata, & ultrix injuriarum eſſe meruit, & liberationem patriæ impetravit.

IN-

Digitized by Google

INCIPIT LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

De Sicilia.

SI qua fides magnæ auctoritatis viris est adhibenda scriptoribus, Siciliam Italiæ fuisse contiguam, ipsamque processu temporis ventorum, & maris impetu ab Italia separatam Salustius, & plurima veterum monumenta declarant. Unde Virgilius de iis loquens ait: (lib. 3. Æneid.)

Hæc loca vi quondam, & vasta convulsa ruina,
Tantum ævi longinqua valet mutare vetustas,
Dissiluisse ferunt, cùm protinus utraque tellus
Una foret &c.

Quem Lucanus imitatus est dicens: (lib. 3.)

Curio Sicanias transcendere jussus in urbes,
Quà mare tellurem subitis aut obruit undis,
Aut scidit & medias fecit sibi litora terras.

Et infra:

——— semperque laborant
Æquora, ne rupti repetant confinia montes.

Hæc autem Insula, sicut à Græcis accepimus, SiKilea, quod ficum, & olivam Latino idiomate sonat, ab ipsis Græcis primis cultoribus vocata est, vel quia, ut asserunt, ante habitationem ejus primò venientes, ut de conditione hujus Insulæ vestigarent, duas tantùm arbores frugiferas humanis usibus congruentes, unam scilicet ficum, & alteram oleam, in ejus circuitu repererunt, vel propter frugum copiam, qua inter alias Mundi regiones abundat, comparatione hac usi sunt. Nos autem illam à Sicano Rege Sicaniam, ut est illud Ovidii, *Sicaniam peregrina colo*, & à Siculo Rege communiter Siciliam nominamus. Hæc etiam Trinacria quasi triquadria propter tria promontoria, quæ in ea sunt Pachinum, Lilybæum, & Pelorum ab antiquo vocata est, ut est illud Virgilii:

Trinacria in fines Italos mittére relicta.

Habet hæc Insula inter alia de mirabilibus Mundi notabilem montem Æthnam ardentem interiùs, & exteriùs nivibus affluentem, de quo succinctè Poëtarum figmenta forsitan huic operi congruentia brevi sermone præmittam, ac deinde ad veram historiam me convertam. Cùm sæva Gigantum rabies cœlum invadere manibus, ipsumque Jovem regno depellere attentavit, Jupiter immoderatam illorum superbiam judicii severitate compescens, eos missis de cœlo ignibus fulminavit, atque sub Trinacriæ fundamenta detrusit. Unde Ovidius ait: (lib. 5. Meta.)

Vasta giganteis injecta est Insula membris
Trinacris, & magnis subjectum molibus urget,
Æthereas ausum sperare Typhoëa sedes.

ac etiam super caput ejus Æthnam montem impositum, lævam quidem Pachino, qui ad Austrum respicit, dextram Peloro, qui ad Italiam modico freto disjungit, crura verò Lilybæo, qui à Lilybæa civitate juxta Marsaliam, vel quia Libyam spectat, nomen habet, subjecta, & oppressa describit. Unde adjecit.

Dextra sed Ausonio manus est subjecta Peloro.
Leva Pachyne tibi, Lilybæo crura premuntur.
Degravat Æthna caput.

Virgilius tamen super Enceladi corpus impositam Æthnam refert, ut est illud (3. Æneid):

Fama est Enceladi semustum culmine corpus
A *Urgeri mole hac, ingentemque insuper Æthnam*
Impositam.

Asserit etiam ipsum Æneladum eructare per cacumen, & latera montis incendia, ut immediatè subjungit:

——— ruptis flammam expirare caminis,

Et dum fessus oneri latera commutare conatur, universam Trinatriam commoveri; ut sequitur:

Et fessum quotiens mutat latus, intremere omnem
Murmure Trinatriam, & cœlum subtexere fumo.

De cujus montis concussione atque incendiis, prætermissis fabulis Poëtarum, veritas sic se habet. Huic monti cavernoso atque sulphureo ab Euro & Africo rupes importuosæ præruptæ sunt, quæ maris tempestatibus alliduntur,
B unde per cavernas & fistulas intrant venti; qui diu concepti per viscera montis nequeuntes erumpere agitati, quandoquidem terram concutiunt, sulphur incendunt, & ultimò vel in ipso montis cacumine, vel in lateribus, vel aliquando utrobique violento impetu, magnoque fragore terra dehiscit; unde igniti lapides emittuntur, & caminus ignis egreditur velut æris in fornace liquentis. Quod Siciliæ semper vernaculi genus monstri, sicut Paulus Orosius de gestis Romanorum ait, non portendere malum assolet, sed inferre; de quibus latiùs, Deo juvante, suo loco referam quæ modernis temporibus ingruerunt, sicut oculis & auribus meis hausi. (*) Referunt in hac Insula primò inven-
C ta est Comœdia, & lapis Achates in Achate fluvio, ex quo nunc terram Licate dicimus, quæ sita est secus antiquam civitatem Agrigentum, de qua Virgilius:

Arduus inde Agragas ostentat maxima longè
Mœnia.

Et Isidorus (lib. XIV.) etymologiarum de Sicilia inter alia, quòd parturit mare ejus Corallium, gignitque sales Agrigentinos in igne solubiles, crepitantes in aquis. Habere etiam dicunt arenas aureas; sed hoc quidem fuisse dictum intelligo propter frumenta, & multarum frugum copias, quæ in litoribus ejus soluto magno pretio ab exteris navigantibus extrahuntur. Unde
D illam terris frugiferam, auroque abundantem, frugum fertilem, ac primùm terris omnibus commissis seminibus aratro proscissam Isidorus ait; in qua nimirum plusquam Hebræis promissum fuit, invenire contingit; terram siquidem non solùm frumento & frugibus copiosam, quin etiam lacte, melle, vinoque manantem, oleo & glandibus non expertem, jumentis & pecudibus abundantem. Non ergo improvidè ab exteris Regibus, & Principibus appetitur, non sinè causa vario guerrarum strepitu lacessitur, non immeritò à remotis diversarum provinciarum populis frequentatur; & ideo bellorum calamitatibus & laboribus innutrita, longæ pacis
E & quietis ignara est. Habet etiam eadem Insula juxta Syracusas nobilem famosamque civitatem, fontes notabiles, Arethusam, & Alpheum, quos Poëtæ referunt ex Alphei regione in Delon Insulam Romaniæ, quam aliàs Ortygiam vocant, ut est illud Ovidii (lib. 5. Metamorph.):

Delia rupit humum: cœcis ego mersa cavernis
Advehor Ortygiam.

Et illud Virgilii (lib. 3. Æneid.):

Alpheum fama est huc Ælidis amnem

Oc-

(*) Vide infra lib. 8. cap. 2.

Occultas egisse vias subtus mare, qui nunc
Ore Arethusa suo Siculis confunditur undis.

Habet etiam thermas, & plures alios fontes sulphureos aquas calidas emittentes ad balnea, quæ pluribus ægrotantibus opem ferunt. Sunt & in eadem Insula fontes duo, sed prorsus nobis incogniti; quorum unus mulierem sterilem fœcundat, & alter fœcundam sterilem facit. Est & alius fons juxta Patermonem oppidum aquis claris & limpidis manans, cujus unda candidas vestes convertit in nigras. Juxta Mineum oppidum lacus est, unde aquæ non defluunt, super quo aves impunè volare non possunt. Lacus est etiam in eadem Insula, ubi de petra oleum elicitur, quem ex ea causa Petraleyum dixerunt; ubi castrum, quod nunc Petraleyum vocant, fundatum est. Et licèt invida sibi, ceterisque nationibus invidiosa Sicilia numquam hostibus careat, civitates tamen ejus & castra, tum propter immensam frugum copiam, quibus affluunt, tum etiam propter locorum eminentiam & asperitatem, in quibus ut plurimum fundata sunt, etiam quia nunc sub aquosa hyeme, nunc sub ardenti canicula tellus difficilis est meatu, nec viribus superantur, nec facili obsidione vincuntur, &, ut breviter immensas ejus dotes includam, non potest subjici quoquam impugnante Sicilia, nisi volens. Sed ille opifex rerum, qui hanc Insulam tam gloriosis muneribus edotavit, flagella pati sæpissimè, ac defectus habere permisit; de qua scriptum est, quòd ab initio patria Cyclopum fuit, ut est illud Ovidii:

Jamque giganteis injectam faucibus Æthnam,
Arvaque Cyclopum.

Deinde nutrix tyrannorum, inter quos fuerunt Dionysius, & Phalaris, qui per illum Agrigentinum crudelitatis artificem mori coëgit summis ignibus bovi æreo, quem construxit: de quibus tyrannis apud Horatium Flaccum scriptum est.

Invidia Siculi non invenire tyranni
Majus tormentum.

Post hæc etiam fuit fugitivorum ex urbe Roma receptaculum, & quandoque captiva servorum, de quibus multa millia fuisse alios peremptos gladio, & alios in cruce suspensos Paulus Orosius scribit. Et primi quidem, ut ait, carnibus hominum medii cruciatibus, postremò verò mortibus pascebantur, absque eo, quod externis bellis aut præda habetur, aut præmium, nec est dare illi tempus vacuum, quin vel hostilibus oppressionibus, vel quibuslibet seditionibus agitetur. De Siculis etiam dictum est, quòd sunt faciles ad querelam, & quos calcare nequeunt, diffamare contendunt, remotos & exteros dignitatibus & honoribus libenter extollunt, sed de proximorum felicitatibus miserabiliter contabescunt, virtutes & beneficia suorum aut supprimunt, aut impugnant, offensiones & vitia vel prædicant, vel impingunt. Et ut alia, quæ Paulus Orosius de Sicilia refert, graviora prætteream, cùm Siculos ipsos rabidus furor invadit, quoniam clausa est undique mari Sicilia, quia non facilè potest foràs intestinum malum ingerere, in se, & suos viperino impetu se convertunt, usque adeò delirantes, ut more canis rabidæ in proprios fœtus insæviant, atque improbè devorent cives suos. Sed qualitatem delicti hujusmodi qualitas Divinæ ultionis ostendit. Ex hoc enim actum est, quòd exteris nationibus Trinacria semper ab æterno servierit, eisque data fuerit, ut scriptum est, aut in præmium aut in prædam, & Siculorum felicitas vel subitò evanescat, vel numquam producatur continuatis successibus in filios filiorum.

CAP. II.

De oppressionibus illatis Siculis sub dominio Regis Caroli, & suorum.

DUm regnaret olim in Sicilia Carolus Comes Provinciæ de Regia stirpe Francorum, cœperunt ministri ejus agere insolenter cum Siculis, inaudita vectigalia imponere, intolerabiles obventiones exigere, invita nobilium fœminarum & divitum jubere conjugia, viros innoxios alios morti tradere, alios in squalorem carceris tradere, alios deportationibus & longis exiliis destinare, multisque vel Religionis causâ reverentia dignis, vel ætate gravibus, vel auctoritate verendis actualibus etiam contumeliis nullo vulgi discrimine inservire. Quæ omnia, & graviora quidem, ut arbitror, patienti animo Siculi tolerassent, nisi, quod primum cunctis dominantibus cavendum est, alienas fœminas invasissent. Diu quidem extorsiones, exilia, carcerum deportationes, aliasque illatas viris injurias gesserant Siculi pavidè murmurantes. Postquam verò cœpit zelotypiæ furor animantium corda percellere; factum est murmur impavidum inter plebem, & ideo iniquitatis causas insinuare absenti Regi per Nuncios convenerunt; qui vel occulto Dei judicio prohibente, vel facto, quod plurimum corda subjectorum exasperat, nec se videri patiens, nec affatibus attentari more surdæ aspidis, quas impias erga subditos esse non expedit, aures Regiæ dignitatis obstrusit, neque solùm perniciosos viros corripere non curavit, quin etiam incolis Regni deteriora comminans, ipsos Nuntios contumeliis provocatus ejecit.

CAP. III.

De Legatis Siculorum ad Summum Pontificem.

SEd ne quid inexpertum remedii contra inhumanitatem illam Siculorum afflictio reliquisset, ante tribunal communis patris Romani Pontificis Martini, qui tunc in Sede postolica præsidebat, in consistorio publico per Dominum Bartholomæum Pactensem Episcopum, & fratrem Bon. Johannem de Marino de Messana de Ordine Prædicatorum Legatos eorum, viros utique auctoritate venerabiles, & prudentiæ titulis præditos, quales per universam Siciliam tunc eligi poterant, causam studiosè proponere decreverunt. Ex quibus Venerabilis Pactensis Episcopus amore justitiæ nil metuens, impetratâ referendæ Legationis licentiâ, Rege præsente, *Miserere mei fili David, filia mea malè à dæmone vexatur*, incœpit, oppressiones eorum seriosè retulit, Regemque ab injustitia coërceri laudabili magnanimitate poposcit. Quis autem fuerit ipsius Legationis exitus quicumque legit intelligat. Opere quidem, non verbo, responsum est. Discedentibus namque Legatis à conspectu Summi Pontificis, injecerunt ministri violentas manus in illos, & quamvis Episcopus corruptis pretio custodibus per fugæ remedium evasisset, nihilominus Frater Bon. Johannis squalore carceris & inedia maceratus longo tempore pœnam dedit. Redierunt ergo in Siciliam qui evadere potuerunt illis donati muneribus, & quod eis pro Legatione contigerat in civi-

Digitized by Google

civitate Messanensium publicè retulerunt. Quamquam super iis alii venientes Neapoli asseruerunt Carolum Regem indignatum propterea contra Siculos depopulaturum esse hanc Insulam ea classe multiplici, qua destruere asserebant contra Imperium Romaniæ, ipsamque daturum exteris nationibus aut in præmium, aut in prædam, quod accrescente fama relatibus unusquisque ratum esse conceperat, cùm de ipsius Regis Caroli, & suorum vulgata crudelitate pensabat.

CAP. IV.

De rebellione Siculorum contra Regem Carolum.

ANno itaque Incarnat. Dom. MCCLXXXII. postquam Siculis visum est nihil ultra superesse remedii, nullo communicato consilio desperationem amplexati sunt, singuli pro salute, ut sequentis facti evidentia demonstravit, & Panormitanis causam ex modico initiantibus, non sinè terribili superni Judicis formidando judicio contra ipsius Regis Caroli dominium rebellarunt. Quamquam si velimus operi verum ab effectu nomen imponere, non fuerit hæc simpliciter censenda rebellio, quin immo intolerabilium injuriarum repulsio, acerbæ mortis effugium, & expiatio flagellorum. Nam die tertia Resurrectionis Dominicæ, cùm Panormitanæ mulieres Basilicam Sancti Spiritus extra Urbem cum viris earum suo more antiquo reviserent, huc delata Gallorum insania portitores armorum quærere simulabat. Sub quo prætextu quidam plus aliis furore vitiosæ libidinis forsitan excœcatus in unam ex mulieribus illis temerarias manus injecit, atque asserens eam pugionem viri sui sub vestibus abscondisse, temerarius illam in utero titillavit. Non tulit ulteriùs vir aspectans uxoris pudicitiam attentari; sed ausus est Gallorum cædem voce mixta doloribus exclamare. Nec mora. Tunc Panormitani omnes quod diu conceperant operi se accingunt, quasi vocem illam cœlitus accepissent. O mira sententia Summi Patris, qua subitò per plateas & vicos civitatum, & terrarum Siciliæ dudum elata Gallicorum potentia conculcata est! Tantum enim Gallis & Provincialibus qui in Insula reperti sunt metus incutitur, ut etiam immensa castra, quæ humani generis virtus ferro, aut ingeniis expugnare non posset, nullo impetu lacessiti nullaque obsidione vallati deserunt, pluresque ex eis non servatis gradibus descendendo prosilientes, ex altis mœnibus sese in hostiles manus præcipites dederunt trucidandos, velut eos cœlestia numina impugnarent. Ex quo factum est, quia gladius Regiæ ultionis nocentes ferire contemsit, ad ultimum omnes suos nocentes cum innocentibus turbo rapax involvit, qui nondum expleto mensis curriculo universam Insulam ab ipsius Regis dominio penitus abdicavit. Tunc Siculi Capitaneos sibi præficiunt, eorumque dominatum communitatem appellant, Romanos in hac parte sequentes, qui post ejectam Tarquinii Regis superbiam, sibi annales præfecerunt.

CAP. V.

De apparatu Regis Caroli contra Siculos, & obsidione Messanæ.

FAma nuntia tantæ cladis alis delata pernicibus volat ad Regem Carolum tunc residen-

A tem Neapoli, qui hæc audiens accensis furiis mordebat sceptrum, quod illius dextra gerebat, paululumque voce ac mente moratus, nunc huc nunc illuc torvis intuens oculis, tandem immenso furore (ac) impetu nihil testatus est aliud perdidisse, quàm exigui temporis spatium ad depopulationem Siciliæ impendendum. Itaque nullum cogitur in hac parte consilium, nihilque ambiguum in tantæ admirationis sententia, quæ visa est ante Mundi oculos divino prodiisse judicio, disceptatur. Quin immo numerosam classem longis quidem temporibus, & magnis sumptibus præparatam, qua sperabat invadere Imperium Romaniæ longo desiderio affectatum, armari jubet in Siculos, quos de-
B lendos esse prænunciat in judicii severitatis exemplar, & memoriam posteris ejusdem Regni cultoribus relinquendam. Tunc indignato jubenti Regi paruit prædæ avida & ulcisci desiderantis manus astantium; nulloque tempore dato moræ, fluctibus apta classis deducitur, deductisque viris bellatoribus, equis, & armis fulcitur insignis, atque innumeris & opportunis frugibus constipatur. Et ne conceptam ultionis materiam satellites in absentia Principis negligentius aut segnius debito exercerent, Rex ipse primus ante alios classem ascendit belligeram, jubet vela ventis committere, contraque Siculos quæ cursus essent paratioris festinare. Qui ad auratas puppes flante circio navigantes Phari
C litora contra Messanam nobilem civitatem trecentis terram ratibus contigerunt, asserentes velle in primis contundere caput hydræ, per quam possent de facili totius Insulæ dominium rehabere. Sed antequam ad actum conceptus furor ille procederet, Rex Carolus, Brehennæ & Catanzarii Comites cum sexaginta ratibus, quibus mille milites inerant, ad litora Messanensium, sperans eos per Comites illos posse reducere, priores ire jubet. Messanenses adhuc rudes ad opus militiæ Baldoynum Mussonum Capitaneum sibi præficiunt. Qui verò incautè ducens exercitum, venientibus ratibus ne appropinquarent vicinis litoribus se opponit. Illi
D fugam ad remota litora simulant, quousque Messanenses vanis delusos successibus procul à suis mœnibus deduxerunt, & tandem subito impetu ad Cannetum Sancti Gregorii classe militiam deponente, Messanenses defugiunt, & ex eis plures gladio pereunt, plures etiam ut fierent Regi novum exenium in vinculis observati sunt. Baldoynus in Civitatem rediens Matthæum & Baldum de Riso tamquam assertores partium Regis Caroli, concitato populo, crudeli morte damnavit. Quibus exactis, tumultuans populus privavit illum officio, atque Alaymum de Lentino virum strenuum præfecit bello, & regimini civitatis. Tunc Rex Carolus attendens ex opere, quòd Messanenses in proposito tenaciter persistebant, plus vice altera
E indignatus, contra Messanam cum cetera classe declinat. Exponunt itaque innumeras gentes armigeras è puppibus, quæ velut inhiantes prædæ, adjacentes civitatis colles atque planicies compleverunt. Dira quidem pronuntiabant signa tubæ terribiles, attonitamque urbem triplici obsidione cinxerunt; quam tunc proculdubio invasissent, si subitò vires suas tantis terroribus miscuissent.

Digitized by Google

CAP. VI.

De Consilio agitato coram Rege Carolo, an melius esset inferre statim bellum ad mœnia Messanensium, an expectare deditionem eorum.

CAstris ergo circumquaque in morem dispositis ad papilionem Regis, viri consiliarii vocati undique convenerunt; ubi vel si statim inferendum erat bellum ad mœnia, vel per dies aliquos Messanensium deditio expectanda, quæstio est in medium introducta. Tunc verò quos irarum motus, conceptumque odium instigabat plus aliis ad vindictam, loquendo vices præoccupant, & in consulentem Regem his verbis tumido ore prorumpunt. „ Magnanime Rex, „ cui datum est ulcisci patriam & tollere injurias gentis nostræ, Gallorum & Provincialium sanguis, quem in tui opprobrium erecto „ rebellionis calcaneo Siculorum vulgus effudit, „ clamat ad te de terra. Et tu quidem ea ratione, illorumque proposito veniens tot ratibus, tot impensis, tantaque militia Siculorum litora petivisti, ut de commissis in Regem, & gentem regiam hi rebelles populi „ sanguine luerent, & nostris manibus pœnam „ darent. Nunc ergo dum stupent mirantes „ magnalia, hinc quidem currigeram classem „ sua litora ambicientem, illinc verò audaces „ turmas & insuperabiles bellatorum cuneos in „ eorum excidium ad mœnia incedentes, tollamus moras de medio terribili etiam visu „ dum trepidant, & obsidioni resistere dum „ ignorant. Neque enim frustra scriptum est: „ *sit subitum quodcumque paras*. Nam si tempus obsessis deliberandi conceditur, paulatim „ contra nos illi se munient, & timor in consuetudinem veniens minuetur. „ Alii verò, quorum mentibus divina bonitas, fortè non illorum meritis, sed ut evitaret civitas illa periculum, tunc meliorem sententiam inspiravit, levi sermone sic arguunt in objectum. „ Bone Rex, hoc unum innuunt universa consilia sapientum, quòd strenui bellatores exercituum duces de salute suorum principaliter „ curam gerant, & quicquid sub lato fieri potest, satis incertis & dubiis non committant. „ Non est utique magnanimitati adscribenda temeritas. Nam cruentam ducibus quæsivisse „ victoriam necessitas innuit, non voluntas. „ Esto quòd aggrediamur undique civitatem, „ spem obtinendi victoriam præsumentes. In ea „ est quasi magis electa manus exercitus Siculorum, quibus certum est velle priùs in bello „ mori, quàm ante suam mortem spectare cum „ lacrymis parentum cædem, & mactatas conjuges in sanguine filiorum. Et ideo non sinè „ multa cruoris unda negotium dirimetur. „ Quòd si nos dato, ut spem gerimus, contigerit obtinere, desolabitur civitas, ribaldi „ prædam diripient, & iis, qui ex nobis supererint, nihil aliud exinde, quàm durum „ spectaculum de acervis utriusque partis cadaverum relinquetur. Si verò, ut plerumque „ solet contingere, quia bellorum dubius est „ eventus, victoria nobis non cederet, admixtum damnis opprobrium lugeremus. Quis „ ergo nobis hoc suadet, ut sub ictu fallacis „ fortunæ committamus in dubium quod evidentes rationes indicant manifestum. Absit „ quòd tanta Francorum nobilitas inutilem pugnam agitando sub mœnibus, ubi eorum „ virtus patere non poterit, ex alto grissorum „ manibus obruatur. Quin potiùs coartemus „ illos, quos inopes frugum tenemus hinc inde „ multiplici obsidione vallatos; & cùm fuga „ eis nulla patuerit, nullumque sperare possint „ aliunde subsidium, in brevi dierum spatio „ attriti fame in deditionem recipi exorabunt. „ Et tunc poterit absque effusione sanguinis „ gentis nostræ, absque strage tantorum nobilium vindicta securior exerceri, quia scriptum est: *Nec jocundum aliquid est quod per „ immensa detrimenta contingit* „. Hoc itaque mens Regis nutu Dei victa consilio præelegit inferendi bellum tempus suspendere; jussitque viris bellatoribus obsideri omnes aditus civitatis, maximè partem illam, unde Siculi venientes ad obsessæ civitatis subsidium animalia onerata frugibus clanculum immittebant; & illico in castris actum est sicut & jussa Principis decreverunt.

CAP. VII.

De sollicitudine Messanensium in reparandis mœnibus.

INterea Messanenses, quamvis innumera multitudine hostium circumscripti, omnem spem impetrandæ veniæ abjicientes, noctem operi addiderunt; & tam viri, quàm fœminæ nullo discrimine satagentes, onerati lignis, lapidibus, ceterisque talibus, more formicarum farra legentium, quas hyemis metus sollicitat, incedebant quousque in locis, ubi mœnia non extabant, aut ubi videbatur vetustate temporum, aut quocunque casu alio conquassata, vel restaurata vel fundata sunt, atque ubi mœnia fundari non poterant, saltem vallo, aggeribusque compositis, quæ furiosos bellorum insultus repellerent, propugnacula construxerunt. Nec fieri quidem hæc omnia tam brevi tempore potuissent, nisi lignorum strues, quam ad fabricandam classem contra Imperium Romaniæ Rex ipse congesserat, affuisset. Mira quidem & occulta sunt judicia summi Regis. Illis nunc armis & munitionibus gaudens contra Carolum Regem se tuetur Sicilia, quæ ad expugnandum gentes immeritas olim lugens, ipso urgente, diversis afflictionibus cumulavit. Et nunc Messanenses cœperunt minis hostium assuescere, obsidiones pati paulisper addiscere, ac etiam tumultus bellicos æquanimiter tolerare, quamvis, deceptis obsessoribus, plures ex Siculis obsessis illis nunc armis, nunc frugibus, quod erat magis expediens, subvenirent. Nec mirum, quòd in ea parte commune agebatur negotium de periculo, & salute omnium Siculorum.

CAP. VIII.

De consilio agitato inter Siculos, ut quærerent defensorem.

NUnc autem opus est de obsidione Messanæ verbum suspendere, quousque ad vocationem Regis Petri, sicut res ipsa per ordinem se habuit, inseramus. Postquam Siculis certum est Regem Carolum decrevisse universos cultores Siciliæ in severitatis exemplar esse delendos, necessarium cogitur inter nobiles & prudentes viros in ea parte consilium, & quis esset modus defensioni patriæ adhibendus contra rugientis leonis impetum sub diligenti examine quæritatur. Diu labant in hac parte consilia, dum qui-

Digitized by Google

quidem in partes varias celeres animos dirigebant. Et tandem, quasi non invenientes qui causam eorum susciperet, præmeditatis viribus & furore potentis hostis attoniti, quamvis tacitè, desperabant, hoc unum postremò, si possent, per fugæ remedium patriam deserere meditantes; quoniam non erat ex illis, quem immensæ vires, quas Rex Carolus contra Siciliam univerat, solo nomine non terreret.

CAP. IX.

De verbo incogniti senis consulentis advocari Regem Petrum in dominum.

O Mira bonitas æterni consilii! O ineffabilis caritas Jesu Christi! Tu solus es, qui humanis consiliis destitutos non deseris, & in extremis casibus consolaris afflictos. Cùm invasisset utique universos Siculos timor & tremor, nec esset inter eos qui consolationis remedium inveniret, ecce surgit de medio tantorum nobilium vir quidam, licèt ignotus facie, tamen habitu reverendus, quem non humana ratio docuit, sed sola divina clementia, ut creditur, inspiravit, oransque silentium ore placido, invocato priùs nomine Salvatoris, hæc verba subjunxit. „ Miror, inquam, prudentiam tanti „ cœtus Nobilium, nec minùs admiror etiam „ magnanimitatem omnium Siculorum, quæ „ sola fama terroris concutitur, solisque minis „ absentium degeneri timore prostratur. Non „ legistis, quia manus Domini deposuit potentes de sede, aut abstraxit à vobis oblivio, „ quoniam superbis Deus resistit, vel forsitan „ ignoratis quia potens est Dominus de lapidibus suscitare filios Abrahæ? Quando unquam „ sprevit Dominus sperantes in eum, aut sinè „ consolatore reliquit? Jugum tantæ crudelitatis & impietatis excutere quis ambigit, quod „ non humana provisio, sed sola Divina bonitas demonstravit, ut evidenter his diebus „ ostenderet, quoniam ipse est Deus exercituum, „ per quem Reges regnant, & Principes dominantur. Ipse est, qui per tempus & tempora Reges & regna commutat. Nonne adhuc „ ante oculos vestros positum est, quòd idem „ Carolus tunc Provinciæ Comes nihil tunc juris habens in nobis hostiliter hoc Regnum „ invasit, crudeliter innoxium sanguinem Domini nostri Manfridi Regis, effudit, & impudenter sui Regni dominium usurpavit? „ Quis ex vobis hunc horridum casum non „ meminit, à quo nondum septimus decimus „ annus numerum suæ revolutionis explevit? Si „ hoc ergo Divino judicio actum est, formidare non desinet quod incœpit. Sed quid plura? Liquet omnibus rectum & utile in hac „ parte consilium. Nam illustris Petrus Rex „ Aragonum, vir utique magnanimus & bellis „ assuetus, gloriosi genitoris sui Regis Jacobi „ sequens vestigia, contra infideles Christi cum „ magna classe profectus apud Ancollem, ut „ fama refert, prospera bella gerit. Huic „ conjunx est inclyta Constantia de stirpe Rogerii felicis & gloriosi Regis Siciliæ, qui „ cum suis hoc Regnum de manu infidelium „ gladio acquisivit per legitimam sui genitoris „ lineam Manfridi Regis derivata; ex quorum „ conjugio liberis jam susceptis, Rex ipse in „ nobis regnandi legitimam causam habet. „ Hunc ergo naturalis domini nostri generum „ advocemus in Regem, hujus auxilia imploremus, quem & jura vocant, & conscia virtus „ impellit. Neque enim multum distantem in„ veniemus eundem, & ad subsidia nostra pa„ ratum. Tunc omnes quamvis ignoti viri acquieverunt consiliis, qui per humana eloquia videbatur occultum Divinæ providentiæ judicium innuisse.

CAP. X.

De Legatis Siculorum missis ad Regem Petrum.

NEc mora, quòniam non erat utile tunc morari, electos Nuntios ad hæc omni Siculorum auctoritate suffultos ventis commissa felicibus ad Regem Petrum unica ratis advexit. Vadunt itaque ad conspectum Petri Regis Nuntii Siculorum, & præstantes illi reverentiam, quæ debetur præcipu. Regiæ dignitati, clementer à Rege suscepti sunt. Nec Legati de proponendo sermone disceptant; sed qui erat eloquio præstantior, datâ fandi copiâ Regem alloquitur in hæc verba: „ In lyte Rex, si velimus „ annales historias Siculorum, & præterita Re„ gum nostrorum tempora recensere ab illo, „ quo Normandi Duces non absque Dei nutu „ Regnum Siciliæ de manu infidelium Barba„ rorum post effusionem multi sanguinis eruere „ atque in Insula regnare cœperunt, eorum „ gradus per rectam lineam recensentes, solam „ inclytam & illustrem Constantiam videmus „ nostris temporibus superesse, quæ vestro co„ pulata conjugio, quia Regiam prolem enixa „ est, fecit vos dominum, & communes filios „ ipsius Regni mixto sanguine coheredes. Nos „ autem exigentibus meritis incolarum in ma„ nus Caroli Comitis Provinciæ per casum il„ lustris Manfridi Regis soceri vestri miserabi„ liter incidimus; sub quo decem & septem „ annis vel circa diversis tormentorum generi„ bus universa Sicilia flagellata est; de quibus, „ ah Deus! unde verbum exordiar incertum „ est præ multitudine flagellorum.

CAP. XI.

De particularibus oppressionibus illatis Siculis à Gallis, quas Legati referunt Regi Petro.

„ QUid primùm referam? Raptasne virgi„ nes, prostitutas violenter conjugatas, „ & viduas, an vetita nobilium & divi„ tum mulierum, absque consensu Regis, ea „ ratione conjugia, ut vel suis Gallicis & Pro„ vincialibus nuberent, vel dilato per moram „ coëundi tempore, steriles remanerent, quo „ casu eorum feuda sublatis heredibus verte„ rentur ad fiscum? Exactionum qualitates in„ tolerabiles, vectigalium infinitos modos ex„ plicare quis posset? Lugebant agricolæ, qui„ bus lex erat imposita de commissis violenter „ eorum custodire pecudibus & jumentis cum „ numero fœtuum, quem non posset natura „ producere post anni circulum reddere ratio„ nem. Quid de apibus, suisque muneribus, „ quas nunc huc, nunc illuc incertus ventorum „ flatus impellit? Bubulcos, opilones, aliosque „ gregarios terror continuus invadebat. Quis „ occasione venationis inhibitæ, ut eorum au„ ferrent substantiam, cervorum, dorcadum „ & daynarum pelliculas in eorum mapalibus „ clanculum submittebat. Quot numerem in „ sonum tubarum exactas ostiatim pecunias, „ quo-

„ quotiens nova Regis pecunia cudebatur? „ Quid plures nobiles & reverendos viros, „ quos Gallorum angariabat superbia, pro eorum conviviis & comestionibus vinum, carnes, ceteraque talia propriis humeris supportare? Quid coactos multorum Nobilium filios „ evolvere cum carnibus nerva super prunis? „ Sed neque immunes Ecclesiæ servabantur ab „ eis, qui se filios Ecclesiæ titulabant; quarum „ præsides & ministros, nulla etiam necessitate „ cogente nunc privatis rapinis, nunc publicis „ vectigalibus affligebant. Et quod eisdem Ecclesiis periculosius atque onerosius incumbebat, nullos, nisi suæ nationis, Clericos ad „ dignitatem Ecclesiarum vacantium promoveri „ sinebant. Nunc autem non libent ultra per „ inhumani squalorem carceris ergastula, deportationes, exilia, relegationes, aliaque „ particularia flagella discurrere, quibus miseri „ Siculi vexabantur; quoniam & à narratione „ illorum lingua deficeret, & narrationis prolixitas Regis auditorium impediret. Hoc tamen unum non sileam, quòd si Tarquinius „ Romanus primus tormentorum inventor cum „ eodem Rege Carolo in tempore concurrisset, „ fortè non illum in tyrannide superasset; „ quamquam divina justitia hunc & illum tumultuante populo ejecisset. Et ecce prospiciens Dominus ad voces compeditorum, & „ afflictorum gemitus non despectans, misit „ angelum consilii ab excelsis, qui ad rejiciendum ipsius Regis dominium universos Siculos „ animavit, & factum, quòd ante unius mensis „ decursum dejecto importabili servitutis jugo, „ cunctisque Gallis & Provincialibus vel expulsis, vel gladio trucidatis, civitates castra, „ munitiones, ceteraque loca Siciliæ sese usque „ ad optatum finem in communitatis regimine „ direxerunt, omnesque pari voto vos invocant, & nos omnium vices in hac parte gerimus, ante Majestatis vestræ clementiam „ procumbentes oramus, ut laudabilis & famosa magnanimitas regiæ Majestatis ad debita „ vobis hereditario jure atque iterum concessa „ divinitus sceptra festinet „. His autem expletis, orator nuntius finem verbis imponit.

CAP. XII.

De responsione Regis Petri ad Legatos.

REx quidem vultu spectabili, nihil magis elatus, polli itis blando sermone gratificat, & Siculorum fidem & eloquia Legatorum. Ad causam verò Legationis, quia prudentiæ Regum non expedit in rebus arduis absque trutinata libra consilii respondere, diem alteram pro termino responsionis adjecit. Discedentibusque ab aula Regis nuntiis, viri magnates & consiliarii convocantur. Exponitur ad examen in conspectu Regis Legatio, & quæstiones multiplices hinc inde oriuntur. Quidam Regem animant, ut Siculorum petitionibus acquiescat, & properet dotale regnum assumere, quod sibi à jure concessum est, & vocantibus incolis nulla suorum effusione sanguinis jam paratum. Alii verò, quos prudentiores universalis ipsius gentis asserebat opinio, in objectum exquisitis rationibus arguebant dicentes: „ Optime Rex, ne te „ adeò moveat ultra vires regnandi cupiditas, „ ut quod pacificè possides in dubios casus, & „ incerta periculo sponte committas. Nam si „ contra Regem Carolum assumpseris dominium „ Siculorum, quamvis hoc tibi jura concesserint, nullum est dubium, quin Romanus „ Pontifex, qui præfecit illum in Regem Siciliæ, contra nos fulminet, ac utriusque gladii „ prætextu, auctoritatis, qua fungitur, in regna nostra convertat (aculeum). Quòd si „ voluerimus jura pro defensione prætendere, „ attendendum est, quòd durum sit coram suspecto judice litigare. Omnes quidem coadjutores ejus ad Pontificalia scripta convenient, „ omnes contra nos assumpto excusationis titulo bella gerent. Conveniet utique inter alios „ Rex Francorum, cujus idem Carolus frater „ est, &, ut fraternum ulciscatur opprobrium, „ contra nos diriget omnem potentiam regni „ sui. Quo casu posset fortasse contingere, dum „ speramus dotale regnum armis defendere, „ quod hereditarium vobis est, præ multitudine invadentium hostium nos relinquere indefensum. Quis nobis has innuit quæstiones? „ Scitis quia scriptum est: *Tene quod habes, ne „ alter occupet locum tuum*. Quòd si fortè residet aliter menti Regis, quia negotii qualitas altiori indiget indagine, classisque nostra „ undis emerita lassis compagibus quasi convulsa est, ac etiam viri bellatores exinaniti viribus deficiunt, redeamus ad propria, ibique „ poterimus de causa tam ardua cum omnibus „ regni Primatibus cautius disceptare. Nam „ scriptum est, *in audacem non est audacia „ tuta*. His quidem explicitis, redeundum esse „ in Cataloniam universi regni Consiliarii suis „ rationibus concluserunt.

CAP. XIII.

De provisione Regis Petri contra consilia suorum, & progressione ejus in Siciliam.

REx verò, quamvis ad causam in magnanimitate laudabili aspiraret, nihilominus magnatum suorum argumentis & rationibus circumventus, vultu tegens desiderium cordis sui ultimum, universa consilia Divino judicio terminanda committit. Jubet ergo parari classem ad futuram sortem, quæ naviget, sive in Cataloniam, sive in Siciliam, quò primum vela futuri flatus impellerent, profecturam. Quisque repetit ratem. Qui venerant omnes, præter ipsum Regem, ventos orant, quibus in Cataloniam navigarent. Solus quidem Rex contraria vota spondens, solus inquam amœna quæ audierat dotalia Regna Siciliæ sitiebat. Stant nautæ intenti auribus ventorum flatus accipere, fluctus mirantur æquoreos, cunctasque nubeculas ex litoribus ascendentes soliciti speculantur. Et ecce paululum post zephyrus ab Athlantis regione consurgens animum Regis lætificat; omnique mora sublata de medio, quasi voti compos, ut numina disponebant, jubet navigandum signum præmittere, cunctasque rates volentium sequi Regem contendere ad signiferum puppis cursum. Reliquis verò nil magnæ laudis agentibus læta voce concedit ad propria remeare. Nec mora, pendentes nautæ satagunt vela ventis committere, statimque sinuantur carbasa, curvantur mali, strident rudentes, quæ felicissimo cursu Favonius impellebat. Cùmque fuisset sub eodem zephyro paucis diebus prosperè navigatum, læta Sicaniæ litora attigerunt, atque in propinquiori portu, quem longinqua vetustas cui à forma situs ejus & Civitatem in eo fundatam Drepanum nominavit, cum ingenti gaudio ab incolis suscepti sunt. Quibus Palmerius Abbas

Digitized by Google

bas Miles egregius cum immensa frugum copia, donisque regalibus lætus occurrit.

CAP. XIV.

De fama adventus Petri Regis, & tertia obsidione Messanæ debellata.

REbus autem sic se habentibus, incredibilis rumor per castra Regis Caroli diffunditur, qui & ad Civitatem obsessam usque pervenit; Petrum scilicet Regem Aragonum advectum in Siciliam cum classe belligera in subsidium Siculorum. Resumtis itaque animo viribus ab obsessis, lætam spem defensionis patriæ amplexantes, cœperunt ex vulgo relictis mœnibus contra inimicorum castra procedere, primòque Ducem exercitus ipsum Regem Carolum, quod laude non congruit, contumeliis irritare. Quibus indi iis quum vana spes deditionis obsessorum de mentibus obsidentium abiisset, ad expugnandam Civitatem summo studio se convertunt. Multorum itaque acuuntur ingenia, & variæ machinæ construuntur. Sed post quam hæc cognita sunt, obsessis communicato consilio ipso, hostes in magnanimitatis audacia prævenire disponunt, sperantes quod scriptum est: *Audaces fortuna juvat*. Et factum est, quòd viri bellatores electi numero & virtute, Civitatem egressi tacitè sub noctis silentio tertiæ obsidioni, quæ contra Castrum in loco eminentiori posita magis coartabat obsessos, quantum potuerunt, incogniti appropinquarunt, signoque dato, quod à suis descendentes acceperant, in incautos hostes viriliter irruerunt; ipsaque Civitas contra obsidionem tantis clamoribus intonabat, quòd immensa cœli tonitrua superassent. Nam præter humanæ vocis clamores horrisonos, alii strepebant pedibus in propugnaculis, alii percutiebant fustibus tabulata, conchas æreas & lebetes, nonnulli tubis & tibiis, lichinis & buchinis, aliisque similibus terribiliter intonabant. Sed iis omnibus adhuc terribilius videbatur immensus & inordinatus in unum sonitus omnium campanarum. Quo casu perterritis omnibus qui castra servabant, alii per incognitas semitas & ignota loca diffugiunt, alii, quibus timor fugam subtraxerat, latitabant, alii præventi hostibus, trucidati sunt. Siculi victores inimica castra diripiunt, atque in Civitatem, Gallorum & Provincialium onerati spoliis, revertuntur. Sed neque solos illos, quibus paratæ erant insidiæ, terror invaserat, quoniam ex utraque obsidione superstite accensis facibus & cereis ad litora fugiunt, ita ut ipsum etiam Regem ad fugam indecoram instigarent. Omnes enim opinati sunt Regem Aragonum imitatum calliditatem & suæ gentis industriam, latenter contra obsidionem illam per valles & amfractus nemorum advenisse.

CAP. XV.

De terribili bello contra mœnia Messanensium, & virtute matronarum.

POstquam verò nox tanti tumultus præteriit, quum innotuisset in castris calliditas obsessorum, Rex ipse magis ac magis erubuit, mixtisque verecundia cum furore, Civitatem undique impugnari præcepit. Paravit ergo acies. Signa movent. Hinc terrestris exercitus, trabibus ligneis, quas vulgò *Gattos* appellant, furioso impetu appropinquant mœnibus Civitatis. Illinc marinæ classes currigere naves circumopertæ coriis, ne fortè contingeret illas adjunctas viribus violare, per catenam claudentem Portum erumpere summis viribus enituntur. Multitudo scalarum in circuitu contra mœnia congesta est. Ab ortu Solis bellum committitur, nec pars ulla Civitatis relinquitur exspers belli. Saxa volant è mœnibus, quæ hostium innumera multitudo jaculis superare contendunt. Sperant Galli de sua multitudine confidentes. Sperant & Siculi, quòd manus Domini prosequetur incœptum. Tota dies usque ad vesperum cedit bellis. Nobiles matronæ ab ipsius belli principio, cultu priori deposito, festinantes, poculis aliisque refrigeriis viros blandè reficiunt; quos pris lachrymis amplexantur, & orant, ut sacra mœnia, quibus cunctorum salus & vita pendebat, viriliter tuerentur, adjicientes quòd si bellorum insultibus cederent, hostes ante ora parentum filios jugularent, matronarum pudorem diriperent, & tamdem solo dulcem patriam coæquarent; quo casu melius erat eis & longè melius mori bello. His & aliis similibus perorantes, nunc vagientes infantulos suis genitoribus ostendebant, nunc in sinuosis vestibus torrentes lapides, quos in hostes mitterent, congerebant. Dicat nunc obsecro nova illa curiositas Messanensium dominarum. Erat ne tunc illis curæ in auratis vestibus firmata trahere, aut machinabant in turritis capitibus superbis gressibus ambulare? Profectò quælibet earum ab immoderato cultu, qui postquam traxit ab illis originem, sicut austro flante pestilentis aëris epidimialis contagium, per totam Siciliam diffusus est, manum retraheret, si Divinum illud beneficium ad sui memoriam non ingrato animo revocaret. Fuit itaque tota die illa multo sanguine dimicatum, quousque horrida prœlia superveniens nox diremit. Exteri denique fessi bello se se in castra recipiunt. Siculi supra mœnibus & propugnaculis quietem sibi, quam poterant, quæsiverunt. Altera autem die bellum iterare Gallis non libuit, sed utramque obsidionem plus solito coartatam vallo cingentes, machinas, quas vulgò *Trabuchos* vocant, contra mœnia erexerunt; quibus tot saxis torrentibus impugnata sunt, quòd usque in hodiernum diem in Porta, quæ dicitur Sancti Antonii, eorum signa & impressiones apparent.

CAP XVI.

De adventu Regis Petri Randacium, & topographia Messanæ.

INterea multitudo Siculorum ad Regem Petrum Panormum convenerat, orans ut fessis Messanensibus aliisque Siculis, qui cum eis sponte obsideri decreverant, properè subveniret. Annuit Rex, pulsaque segnitie Urbem egreditur, & cum paucis Randacium festinus advenit, quamvis alii præcedentis Regis vestigia catervatim pro viribus sequerentur. Tunc scisitatur à Siculis Rex de situ Civitatis obsessæ, unde illam æquor interluit, si qua sunt circumadjacentes amfractus & nemora, quibusque lateribus obsidiones imminent Civitati. Tunc Siculus quidam ex eis, qui adstabant, Regi propinquior, jubente Rege sic orsus est. „ Domine, Civitas „ Messanensium ad litus maris juxta tertium „ promontorium Siciliæ, cui à Peloro gubernatore Annibalis nomen dedit antiquitas, in „ amœno situ ad Ortum prospectans fundata „ est,

„ est, habens in prospectu extremos colles Ita-
„ liæ. Ubi, si vera fides debetur Scriptoribus,
„ quum Sicilia protinus & Italia unum esset,
„ inferni superique maris impetu media tellus
„ dissiluit, Insula effecta est, quam ex tribus
„ promontoriis, quæ in ea sunt, Trinacriam
„ quasi triquadram, ex Græcorum fonte ca-
„ dente vocabulo, veteres nominarunt. Has
„ autem terras tam variis cestibus, tam incer-
„ tis meatibus ingrediens & egrediens impetus
„ maris interluit, ut quæcumque ratis absque
„ gubernatore diu assueto regioni per angustas
„ illius æquoris fauces ingreditur, vel se colli-
„ sam lugeat vel absorptam. Habet etiam ra-
„ pacem Scyllam in dextris, & Charybdis vo-
„ raginem in sinistris, de quibus leguntur
„ figmenta plurima Poëtarum. Ad illas qui-
„ dem terrarum angustias ad imitationem va-
„ dosi litoris Alexandriæ fundata est magnæ al-
„ titudinis turris, in qua lux posita de nocte
„ continuò navigantibus de longe venientibus
„ cursum navigationis ostendit, quam ab ipsius
„ effectu fundatores volentes verum nomen im-
„ ponere, Pharum, quod lucem sonat, esse di-
„ xerunt. Habet etiam ipsa Civitas citra ipsius
„ maris angustias ab Ortu longum tenuemque
„ telluris tractum, quem appellant Linguam
„ Phari, eo quòd influentes maris impetus ex-
„ cipit de Pharo proximo venientes. in cujus
„ extremo litore Templum sub vocabulo Sal-
„ vatoris nostri fundatum, velut Castrum ad
„ objectum Civitatis apparet. Eademque tel-
„ lus donec in sinuosum arcum curvata proten-
„ ditur, quietum Portum efficit cunctis illud
„ navigantibus spatiosum, de quo Virgilius ait
„ (Lib. 3. Æneid.)

Portus ab excessu ventorum immotus & ingens.

„ Ab Occasu verò sunt colles & juga montium
„ diversis arboribus circumsepta, valles & am-
„ fractus, ubi amœni rivi scaturiunt, saltus
„ apti venatibus, plurimo genere pomorum &
„ vitium redimiti. Sed tantum quidem aspera
„ tantoque inæqualia sunt loca circumadjacen-
„ tia Civitatem, quòd nisi juxta litora non pos-
„ sent illa juncti boves aratro proscindere, nec
„ ulla quamvis equitatu liberè peragrare. Solæ
„ sunt hinc & inde ab Austro & Aquilone bre-
„ ves circa maris planities, ubi geminæ acies
„ in Castris positæ obsident Civitatem. Sed
„ tertiæ quidem obsidionis Castra sita sunt ab
„ Occasu sub collibus jugis montium, quæ res-
„ piciunt contra Castrum; unde hactenus ob-
„ sessis quandoque furtivis ingressibus subven-
„ tum est. „ Quumque Rex omnia, quæ rela-
ta sunt de situ Messanæ diligenti animo conce-
pisset, inquit ad illos qui aderant: *Rex Carolus, quum audierit nos heic esse, obsidionem deseret, bellum nullatenus exspectabit*. Adstantes verò qui Caroli Regis exercitum vel præsentes viderant, vel absentes referente fama conceperant, conferentes illi paucitatem eorum, qui cum Rege Petro venerant, & mussitantes alterutrum, verbum illud vel ignorantiæ, vel insaniæ adscribebant.

CAP. XVII.

De Nuntiis Regis Petri ad Regem Carolum, & relicta obsidione Messanæ.

NEc mora. dum conveniant partes ejus, præmittit Rex Petrus ad obsessæ Civitatis auxilia Nicolaum de Palicio, & Andream de Procida Milites, quos olim ab obitu Manfredi Regis eorum domini longa terrarum exilia fatigaverant, iram indignationis Regis Caroli fugientes. Cum quibus deputati sunt quingenti balistarii præelecti, quales Baleares Insulæ, ubi hoc genus armorum primò repertum est, hujus artis ingenio non vicissent. Hi quidem ex diverso per amfractus & semitas occultas iter agentes ad Civitatem obsessam adhuc ignorantibus civibus pervenerunt. Postquam verò Nicolaus de Palicio à suis Messanensibus cognitus est, in Civitatem cum ingenti gaudio recepti sunt, obsessorum animos roborant, & cum Vexillis Aragonum ipsis hostibus è mœnibus se ostentant. Sed quum primum Nicolaus & Andreas ad Civitatem obsessam iter invaderent, Rex Petrus jubet Ruys Eximenis de Luna, Guillelmum de Castellono, & Petrum de Queralto, egregios & prudentes Milites ad Regem Carolum tendere, adventum ejus causamque prædicere, ac demum hæc pauca pro legatione referre: *quòd eligat alterum de duobus, vel debitam eidem Regi Petro de jure Siciliam sinè bello deserere, vel ipsius Regis Petri congressum in suis Castris ante Messanam procul dubio exspectare*. Legati properant, Regem Carolum in obsidione positum adeunt, commissam legationem diligenter exponunt. Nec opus est responsioni legationis hujusmodi multum insistere, quia constat eumdem Regem Carolum, tamquam de cœlo percussum, non exspectato ipsius Regis Petri congressu, post paucos dies ab obsidione Messanensium inordinatè ac properè discedentem, relictâ sinè tumultu guerrarum Siciliâ, in Calabriam remeasse.

CAP. XVIII.

De ingressu Regis Petri Messanam, & galeis Regis Caroli captis in litoribus Calabriæ.

REx Petrus accelerans, cum ingenti gaudio Messanæ susceptus est. In Sanctorum Basilicis fidelium turbæ conveniunt, thura cremant, Deo grates referunt, & quæ pro salute suorum voverant, quum bellum ad mœnia pertulerunt, debita vota solvunt. Lætatur itaque ad successores legitimos piorum Regum Sicilia rediisse, verumque defensorem & dominum invenisse testatur. Sed ne qua mora fortunam, prosperè secum agentem detineat, Rex Petrus jubet aliquas rates emeritas, quæ subductæ jacebant ad litora, reparari. Jussa Regis devota fidelium manus consequitur, classis, quæ aderat, sinè intermissione longi temporis reparatur. Dum hæc autem summo studio agerentur, ecce classis regia in numero quatuordecim galêarum, quas Rex terrestri agmine veniens Panormi reliquerat, per ostia Phari lætis flatibus navigabat. Occurrit illis Messanensium classis cum gaudio, quas exultantes in Portus placidos introducunt. Ubi ad spolia Gallorum & Provincialium cum celcinnatibus lætis vocibus clamabatur. Itaque datum est Catalanis & Siculis à Rege illico in mandatis, ut stolum Regis Caroli redeuntem Neapoli callidè sequerentur, si fortè contingeret quocumque casu ex illo incautè redeunte partem aliquam extorquere. Hi properant: illi verò per amœna litora Calabriæ, tamquam nihil de hostibus metuentes, longo sibi tractu distantes, & lento quidem otio navigabant. Ex quo factum est, quum non essent Cataloniæ atque Siciliæ ultra viginti quatuor galêarum, quadraginta rates ex hostili classe circa litus

Nico-

Digitized by Google

Nicotiræ vel armis, vel ingenio superatas in portus Messanensium longum ducentes de victis hostibus ordinem in pompam victoriæ reduxerunt.

CAP. XIX.

De victoria, quam Jaymus Paris Admiratus habuit in Catana, & depositione ipsius propter transgressionem mandati Regis.

AUget itaque Petrus Rex numerum galêarum suarum ex hostibus, Jaymo Paris filio suo naturali, quem ante conjugium regium susceperat, signatam cedulam in mari legendam ab eo tradidit, & ut statim post Solis occasum navigaret, edixit. Hic navigat, jussa Regis in parte prosequitur, & in parte ipsius terminos jussionis excedit. Nam ubi comperto tenore cedulæ quingentos equites ex hostibus observantes Catanæ litora, quæ in extrema parte Calabriæ contra Messanam conspiciunt sub ipsius noctis silentio dormientes, invadunt, fugam capiunt aut trucidant, quodque propter ipsius noctis tenebras repertum non fuerat, cum eisdem Castris protinus ignis edax invadit. Jussio Principis observata est. In eo verò quod statim non rediit, & commissam sibi plebem inoffensam ab hostibus non servavit, quin immo juvenili calore succensus, laudumque cupidine instigatus, diescente contra Rhegium, ubi Rex Carolus cum suo exercitu residebat, temerè proficiscens, paratis illis ab hostibus insidiis, duodecim pedites, quos Almugaveros vocant, insolenter amisit, jussionis transgressor reputatus est. Et ideo quamprimum rediit, licèt victor, longam de superatis & captis hostibus pompam ducens, tam graviter indignationem Regis incurrit, quòd nisi multiplicatæ nobilium preces animum Principis mitigassent, idem Jaymus, quamquam filius, velut transgressor Castrorum legis impositæ, quam Torquatus nobilis Romanus dictavit in filium, sententiam pertulisset. Nihilominus in conspectu Regis apparere non audens, officio, quod gerebat, privatus abscessit.

CAP. XX.

De Rogerio de Lauria præfecto in Admiratum.

PRæfectus est itaque regiæ classi Rogerius de Lauria, vir quidem strenuus & in agendis bellicis prosperè fortunatus, qualem ipsius Regis & filiorum temporibus Admiratum decebat; felix quidem & nimium felix, plurimisque victoriæ laudibus in populos extollendus, nisi medio tempore virtuosos actus ejus execrandæ superbiæ maculæ denigrassent, pro ut stilus præsentis narrationis annuente Domino suis locis atque temporibus, quantum Scriptori vires sufficient, per ordinem in sequentibus designabit.

CAP. XXI.

De recessu Regis Caroli de Rhegio, & Raymundo de Balso captis & peremtis in Synopolo.

POst hæc Rex Carolus Rhegium absque bello deseruit, & in planitie Sancti Martini castra metatus est, asserens æstu secedere, si posset Regem Petrum in bellum fugam simulans provocare. Tunc Rex Petrus Rhegium nullo prohibente ingressus est. Quò dum Siculorum multitudo æquo animo & viribus convenisset, Civitatem egreditur, & in Solano, quod contra Sanctum Martinum respicit, quasi fugientis hostis vestigia sequuturus, castra componit. Quumque didicisset, quingentos equites Provincialium, quibus Raymundus de Balso præerat, in loco quem dicunt Lagrussanam, juxta Synopolim castra metatos, nullam de castris curam gerere, nullasque sui saluti vigilias exercere, quin immo choreas ducere, commessationibus indulgere, ac tamdem post longa otia in campis tamquam in laribus propriis dormitare, jubet suos per amica noctis silentia in incautos tendere, ipsosque aggredi dormientes, quia nec opus erat cum illis bellum conserere, quos nihil ab hostibus præcaventes æterni somni pigrities hebetarat. Itaque pars eorum tumultu excitata dilicuit, pars in stratis capitur, pars gladio trucidatur. Princeps verò militiæ deprehensus in castris, nobilitate incognita, cum plebeis aliis nullo discrimine jugulatus est. Almugaveri ad Regem Solanum redeunt, Provincialium spolia reportantes.

CAP. XXII.

De Officialibus Regis Caroli præoccupatis, & cæsis noctis tempore in Seminaria.

NOn multis autem diebus labentibus, per exploratores, quos ad hoc opus præmiserat Rex Petrus accepit, plures ex magistris Officialibus & Ministris Regis Caroli, quibus principaliter datum erat de domo regia providere in Oppido, quod Seminariam dicunt, velut ignaros bellicorum tumultuum residere. Hos etiam sub tenebris noctis ipse idem non segnis aggreditur. Tunc pedites incustoditam Terram sine contradictione ingressi sunt, & quasi fato destinatos ad victimas in mollibus stratis, vino somnoque sepultos capiunt, jugulant, & prædantur. Dum tamen hæc fierent, Rex cum electis militibus omnes aditus circa Oppidum observabat, ne quis de castris Regis Caroli fortè veniens posset succurrere deprehensis. Ah Deus! Quei tantus furor insaniæ, quei tantæ obstinatæ mentis caligo suaserat vallatis astutis hostibus, qui eorum exitio imminebant, in ipso mortis articulo dormitare? Ipsum etiam Regem Carolum armipotentem virum, pluribus expertum conflictibus, tantæque militiæ viribus circumseptum, nunc paucis oppugnantibus Siciliam, rivis aureis abundantem, quam famosis bellis obtinuit, deserere, nunc etiam Almugaveris cedere, qui noverit aliquando servare Germanos! Hoc equidem Divina justitia videbatur exigere propter indignam cædem Manfredi Regis, & crudelem effusionem innocui sanguinis Conradini.

CAP. XXIII.

De Legatis Regis Caroli, arguentibus Regem Petrum de læsa fide.

QUumque Rex Carolus adversantis fortunæ impetum agnovisset, præbente causa necessitatis, astutiam cœpit machinari, quo posset ipsum Regem Petrum divertere, ipsumque cursum felicissimum retardare. Misitque Religiosos viros, qui minus consueverunt time-

Digitized by Google

timere pericula, ut ipsum Regem Petrum de violata fide arguerent, ac improperarent illi publicè, quoniam injustum bellum contra Regem Carolum assumsisset; quia nec repetendi rem causâ, nec propulsandorum hostium, aut ulciscendi rationibus movebatur; extra quæ nullum bellum justum esse majores nostri dixerunt. Asserentes etiam quòd neque denunciatum, neque indictum erat hoc bellum, quin potiùs ex furore susceptum, quum nulla rationabili causa præbente materiam Regnum Siciliæ, quod ipse ab Ecclesia legitimè habuerat, hostiliter invadebat. Legati adeunt Regem Petrum, & obtentâ referendæ legationis licentiâ, eum ampullosis verbis de læsa fide arguunt, summamque totius legationis exponunt. Rex Petrus impositionem labatæ fidei molestè sumens, de sede prosiliit; paululumque procedens per atrium inter patientis, & irarum stimulis incitati medium vultum gerens, tamdem ad Legatos ora convertit, atque hæc pro responsione subjunxit.

CAP. XXIV.

De responsione Regis Petri ad Legatos.

„ SErvatam ab ævo à cunctis generis nostri „ fidem non solùm defensa nostris manibus Christiana religio, ipsiusque religionis „ Pontifices, quorum pallia nostris insigniis non „ immerito decorata sunt, verùm etiam infideles Mauri, cum quibus multiplices tractatus bellorum & treugarum habuimus diversis „ temporibus attestantur. Nullus umquam rerum eventus, Deo teste, nos à jure ad injuriam revocavit; omnibus fidem servavimus „ illibatam. Quòd autem ad hoc Regnum accessimus, ipsum eumdem Regem Carolum latêre non potest, quoniam pro filiis nostris, „ quos ex dilecta consorte nostra Constantia inclyti Manfredi Regis filia, in quam defectu „ virilis prolis hoc Regnum legitimè devolutum „ erat, suscepimus, & propulsandorum hostium, „ & repetendæ prædæ, atque ulciscendi nobis „ actio legitimè competebat. Et ab eo tempore, quo Manfridum Regem illustrem, & „ adolescentem bonæ indolis Corradinum crudeliter, & iniquè vita regnoque privavit, „ bellum sibi à successoribus eorum denuntiatum, atque indictum esse intellexisse debebat. Quamquam & ipsi Regnicolæ communiter ipsius Regis Caroli dominatum abjecerint, & more perditorum sese ad notitiam „ reducentes, quam primùm eis copia data „ fuit, ad consortis nostræ, tamquam naturalis „ matris, alas cum gaudio rediissent. Ite ergo, „ & ad Regem vestrum responsa, quæ vobis „ retulimus, non immemores reportate, adjicientes quòd si tamdem elegerit hæc esse „ bello potiùs quàm rationibus approbanda, „ etiam ut sinè strage populorum negotium dirimatur, non recuso Divina mediante justitia, „ sibi cum paucis æquis numeratis militibus in „ bello concurrere, aut quod minus periculi „ traheret, singulari certamine conferre dexteram in duello.

CAP. XXV.

De futuro bello inter Regem Petrum, & Regem Carolum constituto apud Burdegalam, & callidis processibus utriusque.

LEgati ad Regem Carolum redeunt. Responsum legationis exponunt. Rex Carolus bellum cum centeno milite prælegit. Postquam utrique parti sic placitum est, Burdegalim Civitatem Aquitaniæ Provinciæ locum belli constituunt. Destinatum diem adjiciunt. Fœdera solemni juramento confirmant. His demum exactis, Rex Carolus abiit immugiens velut taurus pulsus ab armentis certamine, modum restaurandi sibi gloriam, quam subitò perdiderat, quæsiturus. Tunc Siculi multiplici gaudio repleti sunt, hinc quidem quòd durum & terribilem hostem repulerant, illinc etiam quòd illustrem Constantiam Reginam Manfridi Regis Domini sui filiam de Catalonia venientem, & cum ea Jacobum, Fredericum, & Yolandam infantes, regali forma & decore conspicuos, quales tantorum Principum filios, & futuros multorum populorum Reges esse decebat, susceperunt. Post hæc Syndicos Universitatum Siciliæ, qui Messanam jussu Regis convenerant, Rex Petrus alloquutus est. Bellum futurum cum Rege Carolo pro pace Regni fuisse pacto firmatum asseruit. Reginam & filios, tamquam dulce pignus, & monumentum amoris antiqui blando sermone Siculorum fidei commendavit, adjiciens, ut nihil de gubernatione Regni præter ipsius Reginæ conscientiam ageretur. Guillelmum Galzerandum in Sicilia Vicarium præfecit. Alaymum de Leontino pro benemeritis Magistrum Justitiarium constituit. Sed huic promotioni propinquus exitus non respondit, quoniam sub nota infidelitatis extinctus est. Johanni de Procida, & Rogerio de Lauria, quorum alter Cancellarius philosophicis dogmatibus, alter verò Admiratus militaribus institutis, tamquam duo cœli luminaria inter Siculos præfulgebant, consilia gubernationis Regni commisit. Parata ergo classe, valeque dicto, Rex navigat, atque sub angusti temporis intervallo in Cataloniam celeri cursu profectus est. Cujus vestigia Palmerius Abbas, in agendis magnanimus atque in fide conspicuus, quamvis exigui corporis, non reliquit, ea ratione potissimè, quòd posset in constituto bello sub Rege Aragonum centesimus nominari. De reditu sui Regis gaudent regnicolæ, quoniam ab ipso more patrio regebantur. Sed tamdem causâ sui reditus cognitâ, quisque nobilium se offerebat ad bellum. Post infinitas oblationes applausit sibi denique numerus electorum. Gloriabatur enim quilibet huic numero se adscribi. Quumque appropinquasset dies constitutus ad bellum, Rex Petrus cum electis suis profecturus ad locum destinatum, iter bello accepit. Cui nuntius, ut rem panderet serie, missus occurrens, Regem Carolum in Burdegalam Civitatem præmissis callidè ferè quinque millibus armatorum advenisse testatus est, quem fama nuntia plurimorum vulgariter sequebatur. Tunc Rex Petrus hoc audiens constitit, & hostis calliditate comperta, quocumque modo posset, salva fide, quam spoponderat, paratas insidias evadere quæritabat. Negotium ergo propter eumdem finem ad examen deducitur, scilicet ut in constituto die locum deputatum bello adeat, & hostiles machinationes evadat. Itaque varia surgunt

Digitized by Google

gunt hinc inde consilia, variæque sententiæ oriuntur. Sed quam ultimò Rex elegit, cœtus suorum omnium approbavit. Statuit ergo Rex socios hujus belli in eo loco, ubi hæc nova didicerant, residere. Atque Berengarium de Cruticulis Regi assimilem, quasi præcursorem Regis & Nuntium ire jubet, tamquam venturo domino ad destinatum locum necessaria paraturum. Rex ipse non immemor quantum prosit in casibus divites inopiam simulare, prudenter existimans, regalia deponit insignia, & præcedentis famuli, quem vocabat in dominum, vestigia contemtibili habitu sequebatur. Et discant hîc viri mendaces, quanto sit conamine insistendum ad observantiam promissorum, quoniam Rex ipse, ut Mundi oculis innueret observasse promissum, sese in dubios casus & prona mortis pericula disponebat. Discant & qui divitiis incumbentes, cœlum elata cervice rescindere manibus enituntur, quòd vera paupertas in populis valeat, quum simulata etiam in Regibus & Principibus vitam servet. Vesperascente siquidem ante diem belli ad Civitatem perveniunt. Fama diffunditur Regis Petri Nuntium advenisse, ipsumque Regem præcedentis Nuntii vestigia in crastino sequuturum. Rex Carolus venturo clam parat insidias, quia illum non noverat prævenisse. Summo tamen diluculo Johannes de Agriliacho Equitaniæ provinciæ Senescalcus, sub cujus judicio & tutela bellum erat ex pacto inter eosdem Principes committendum, ad petitionem illius, qui dicebatur Nuntius Regis Petri, ad locum designatum bello vocatus advênit. Publicisque personis adstantibus quæritur ab eo si posset Regem Petrum cum centeno milite venientem, quousque pactum bello dirimeretur, ibidem ab impetu tantæ multitudinis hostium, quos Rex Carolus secum adduxerat, tutum reddere; ac etiam si dextera Domini sibi victoriam concederet, redeuntem per fines illius provinciæ conservare. Tunc Johannes ille, vir magnificus & veritatis amator, ad hoc respondens ait: *Dilecti fratres, Rex Carolus adest cum tanta multitudine armatorum, quòd si vellet in Regem Petrum eo modo, quo dicitis, venientem violentas manus injicere, Rex ipse mecum adjunctis viribus obsistere non possemus.* Tunc Rex Petrus, qui huc usque sub familiari habitu latitabat, concitato equo stimulis, coram Senescalco per campum, se Regem Petrum esse clara voce testatus est, quem Senescalcus & plures ex adstantibus, quum deposuisset galeam, cognoverunt. Denique petit Rex fieri sibi, & actum est, de præsentatione ipsa publicum documentnm. Verùm quia mora videbatur illatura periculum, & maximè quòd inimicorum propinqua essent spatio breviori, Senescalco etiam suadente, vale dicto vicissim, Rex Petrus ad propria rediturus abscessit, electumque ad hoc opus sonipedem calcaribus stimulavit. Rumor in castris Regis Caroli per ora vulgi diffunditur Regem Petrum paulò ante in campis oblatum, & protestatione præmissa mox callidè fuisse digressum. Ruit undique inordinatus miles fugientis vestigia sequuturus. Ille verò, qui causam cum deliberatione præviderat, illæsus abiit cum sociis ante faciem subsequentis.

A

B

C

D

E

CAP. XXVI.

De navali bello & galêis captis Provincialium apud Melitem Insulam.

Rex Carolus evidenter intelligens, quòd incassum tantis machinationibus operam dederat, variis irarum fluctibus æstuans, in Comitatum Provinciæ rediit, ut multiplicem classem struereret contra Siculos dirigendam. Interea decem & novem galêas Provincialium sub Guillelmo Cornerii Admirato ad Melitem Insulam, quam vulgo *Melevetum* dicunt, ea ratione præmisit, ut famosum & nobile Castrum ipsius Insulæ, quod Manfridus Lancea servabat, obsessum quamvis inexpugnabile, viribus carens, tamen rebus ad victum necessariis communiret. Quumque hoc fama volatilis in Siciliam reportasset, Rogerius de Lauria, qui hostium excidio non segnior imminebat, jubente Regina Constantia, cum viginti una galêarum ad eamdem Insulam, quàm poterat, cursu breviori contendit. Sed Provinciales jam prævenientes ad locum, castrum obsessum necessariis munierant, & in portu placido exspectantes pro reditu flatus prosperos, quiescebant. Rogerius callidè navigans noctis tempore invisus ab hostibus, Melitem attingit. Exploratores ad Manfridum Lanceam destinavit. Postquam verò de conditione hostium Rogerius informatus est, ad fauces portus accedens, quamvis incautos aggredi potuisset, maluit signo dato ambiguam exspectare victoriam, quàm in angustiis circumventos, tantorum ignaros eventuum, cœcis conflictibus superare. Dedit ergo sonitum ante diluculum tuba terribilem, qui hostilem classem adesse hostibus innuebat. Quumque deficeret, galêa quædam ad Provinciales, Rogerio mandante, præcessit, legationem afferens, vel ut se sponte captivos dederent, vel ad bellum cum instantibus Siculis se munirent. Provinciales intrepidi bellum eligunt, vitamque volentes pro fidelitatis nomine paciscuntur. Bellum ergo, horridum inquam bellum, ab ortu Solis usque ad meridiem multâ cruoris undâ, sed incertâ quidem victoriâ, commissum est. Guillelmus autem Provincialium Admiratus, cujus virtutem præterire non libet, quamquam & alia plurima in hoc bello digna laude gesserit, quum vidisset pugnam crudescere, atque de suis Provincialibus galêas sex ante finem belli discedere, verbum illud:

Una salus victis nullam sperare salutem;

Ante oculos suæ mentis adjecit. Itaque ratem signiferam, qua vehebatur Rogerius de Lauria, & magnanimiter & potenter invadens, per proram scandit, alios in mare præcipitans, aliis acutæ b pennis vulneribus membra detruncans. Quumque tanta virorum strage superbus, tamquam leo ferarum cæde sæviens, per transtra & remos ad pedem arboris, nunc unum sternens, nunc alium ejiciens pervenisset, Rogerius de Lauria prælectam suæ ratis turbam uni viro cessisse prospectans, indignatus vivere vitam indecoram, mortem laudabilem prælegit, dictoque Guillelmo congredi sinè intermissione decrevit, asserens verbum illud:

Aut spoliis ego jam raptis laudabor opimis,
Aut letho insigni: . . . . . .

Quumque alter alteri propinquassent, Rogerius telo pede transfixus ab hostibus cuspide inhærente tabulis immobilis constitit. Sed Guillelmo quidem jactus lapidis à dextera fulmineam bi-

pennem violenter excussit; quam quum idem Guillelmus requireret, Rogerius telum educens ex vulnere, illud cominus in hostes vibrans, ejus vitalia ferro trajecit. Postquam verò magnanimus Guillelmus occubuit, non ultra inter partes bellum commissum est; sed cæsi Provinciales omnes convertuntur in prædam, & qui belli gladium evadere potuerunt, cum superata classe in Siciliam, futuri ludibrium hostibus, abrasis capitibus adducuntur. Sed non tam placidam Siculi victoriam reportassent, si galêæ Provincialium, quæ ab inchoato bello decesserant, constitissent.

CAP. XXVII.

De navali bello ante Neapolim, in quo Carolus Princeps filius Caroli Regis captus est.

DIdicerat ab experto Rex Carolus vices ejus paulatim decrescere, universamque Siciliam cum Regno Aragonum junctis viribus ad ipsius Caroli, suæque gentis perniciem aspirare. Tunc ergo causa hæc ad examen deducitur, & cum majoribus Regni proceribus agitatur. Omnes quidem ad unum conveniunt. Omnes uno hæc ore loquuti sunt: *Quia bellum cum gente callida & astuta nos gerimus, qui omni tempore versutiis & dolosis amfractibus innituntur, quanto leniùs quantoque simpliciùs processerimus, cum eisdem revera succumbemus. Ad ultimum si per longa tempora negotium producetur, & ideo vires nostras unà undique aggregemus, ipsamque Trinacriam causam tanti mali tot ratibus repetamus, ut solus timor eos terreat & conculcet. Quòd si præsumtione solita contra sumere arma tentaverint, non sufficiant nobis ad prædam. Si verò calliditatem sectantes innatam obsideri maluerint, nullam alicubi obsidionem ponere studeamus. Quin potiùs per Insulam discurrentes agros depopulabimur, vineta vastabimus, & frugiferas arbores in eorum perniciem succidemus. Unde opus erit contingere, quòd fame contriti & damnis plurimis undique superati vel in deditionem veniant, vel terram ipsam vacuam cultoribus derelinquant.* Postquam verò hæc à Rege provisa sunt, effusis thesauris innumeris alios ad Aquas-Mortuas, alios Neapolim, quosdam in Provinciam, nonnullos in Apuliam & Calabriam classem parare multiplicem destinavit. Commissarii jussa parant. Rates convenire undique videbantur. Septuaginta galêarum Neapolitana litora jam tenebant. Sed neque hæc Siculos latuere consilia, qui auctore Johanne de Procida per exploratores plurimos machinationes hostium continuò & callidè vestigabant. Cœperunt itaque causas exquirere, quibus contra furorem advenientium hostium tuerentur. Et tamdem deductis ad rationis examen consiliis decreverunt, ut mixtis ingenio viribus tam numerosæ classis tantorum hostium partem aliquam præripere attentarent. Navigat ergo sub felicis Regis auspicio Rogerius de Lauria, & cum quadraginta una galêarum ante Neapolim vexillis explicitis se ostendit. Quumque primogenitus Caroli Regis Princeps Taranti, qui & Carolus dicebatur, advenisse hostes contra sua litora in tam exiguo numero comperisset, non hæc virtuti neque prudentiæ sed temeritati Siculorum atque insaniæ annotavit. Cœpit itaque Princeps de bello disponere, ratum habens cum septuaginta galêis, quas tunc secum paratas habebat, quadraginta unam in suis litoribus posse de facili superare. Consiliarii verò, quicumque tunc aderant, differre bellum in adventum patris cum reliqua classe de Provincia suadebant. Princeps quidem habiturus prædam, quam sibi dominus à longè miserat, nisi cum illis damnatâ morâ pugnaverint.

Rebus autem sic se habentibus, inter quidam de Provincia incautè navigans incidit in manus Rogerii de Lauria. Qui inter alia patris Regis prænosticantis casum filii, ne cum Siculis bellum committeret, literas ad eumdem Principem reportabat. Tunc Rogerius magis animatus ad pugnam intrem detinuit, nihilque de inventis in ea literis patefecit. Et nunc celeri pede vastans proxima quæque litoribus, nunc fugam simulans, ipsos hostes velut mustela solertior aspidas provocabat. Exarsit denique ira Principis, quem juvenilis ætas & virtus conscia diversis hinc inde stimulis impellebant, & jussa parentis ignorans classem bellaturus ascendit. Magni viri aderant, dimissisque, quæ hactenus fuerant ventilata, consiliis, ut est illud;

——————— Video meliora proboque,
Deteriora sequor; ———————

Ipsum Principem subsequuntur, tamquam ad nuptias gradientem, & futuræ sortis ignari jubent sibi parari epulas ad reditum, ignorantes quòd erant plures ex eis apud inferos cœnaturi. Princeps Rogerium callidè simulantem fugam, insequitur. Tamdem quasi per fugæ subsidium evadere nequiens præstolatur. Bellum ergo inter utramque classem in sono tubarum committitur. Plures hinc inde miserabili cæde sternuntur. Siculorum classis à dextris atque sinistris vallata hostibus impugnatur. Rogerius clamitat: *Bellorum o socii, si redire in patriam cupimus, si jugum servitutis excutere affectamus, si mori omnes per manus hostium non velimus, per has inimicas rates via nobis ferro aperienda est.* Siculi dulcem patriam recolentes, quasi novas vires resumerent, tanto impetu animantur in pugnam, quòd singulæ rates singulas ex hostibus tenuerunt. Quumque puppis illa, qua Princeps vehebatur, inexpugnabilis videretur, Paganum quemdam nomine, animam servare sub undis assuetum, signiferæ puppis tubicinem, Rogerius vocat, sibique ditia munera pollicetur, si ratem Principis terebraret. Illo quidem non segnis immiscens ventosam laudem pollicitis, paratum terebrum arripit, ac sese in quieta æquora tamquam mergens ab aëre emissus injecit. Nec mora. Quum ratis Principis acceptis aquis videretur subsidere, nec ullum sibi fugæ remedium superesset, Princeps Rogerio victus cessit. Cetera classis ejus cum Henrico de Mari Admirato, qui poterat de sola fuga contendit. Rogerius adhuc prædæ avidus quamdam ex galêis fugientibus per proram unius ratis Catanensium abire prospectans, clamavit ad Præpositum ratis, qui Nicolaus dicebatur, ut fugientem puppim omnimodè retineret. Ille hortavit socios ad præceptum. Socii fessi bello segniùs remigabant. Quumque vidisset Rogerius illam penitus abeuntem, validioribus vocibus exclamavit asserens, nisi reducerent fugientem, se cunctis illis oculos evulsurum. Tunc vires licèt fessis addidit metus pœnæ; pulsaque segnitie assurgunt, sulcant æquora, verrunt mare, & quasi delati alarum remigio, fugientem ratem ante jubentis oculos capiunt & reducunt. Hac tamdem repletus victoria Rogerius de Lauria Beatricem Constantiæ Reginæ germanam, quæ à tempore obitus Manfredi Regis utriusque parentis manu hostium tenebatur, à Principe impetra-

Digitized by Google

petravit. Post hæc Rogerius Messanam regressus est, captivos Principem, Comitem Acerrarum, Guillelmum Extandardum, Jacobum de Busono, Raynaldum Galardum, aliosque magnos viros cum quadraginta duabus Galêarum hostium longam pompam tantæ victoriæ secum ducens. Princeps in Castro Messanæ, quod Mottagrifonum ab ipsis Gallis vocatum est, in compedibus observatur. Reliqui per alia castra dispersi sunt. Siculi de victoria, quam sibi divina manus concesserat, gratulantur.

CAP: XXVIII.

De iterato adventu Regis Caroli contra Siciliam.

NUntius tantæ infelicitatis ad Regem Carolum in Provincia destinatus est, qui & causam Principis retulit, & Civitatem Neapolim dissidio fluctuantem expressit. Ipse quidem superbo vultu nihil adeò se passum adversitatis ostendens, cum ea classe, quæ aderat, Neapolim properè transfretavit, quam adhuc tumultuantem propter casum suorum quot bello perdiderant, composita voce sedavit. Post hæc amissæ classis reliquias veniens, primumque mutatus consilium, cum ratibus centum quinquaginta octo exosam sibi cunctisque Gallis non sinè causa Siciliam repetunt. Quumque per Pharum Messanensium terribilis Siculis navigaret, nuntiatum est illi, quòd si litora Siciliæ attingeret, Carolum Principem filium ejus, quem habebant in vinculis, illico decalvarent. Rex impietatem Siculorum metuens, ne dilectum filium perderet in Calabriam declinavit. O quàm occulta sunt judicia tua, Deus! His Rex magnanimus hostes invadere metuit, quia de morte filii dubitavit. Non sic Brutus primus Consul, non Torquatus, non ipsa progenies virtuosorum Principum Romanorum filios dilexerunt. Sed ne videretur frustra tot ratibus advenisse, Rhegium Civitatem Calabriæ oppositis undique machinis violenti bello expugnare tentavit, quam sola divina bonitas de faucibus tot hiantium hostium liberare dignata est.

CAP. XXIX.

De obitu Caroli Regis.

TAmdem quum vidisset Rex Carolus, quoniam nihil in hoc adventu profecerat tot ratibus, tot impensis, Siciliam Calabriamque deseruit, tantoque infelicitatis pondere consternatus, in Apuliam navigavit. Qui dum ad eam Terram, quam vocant Fogiam pervenisset, datâ nautis licentiâ discedendi, sauciatus mentem doloribus ægrotavit. Comitem Atrebatensem Balivum in Regno per testamentum constituit, paucisque diebus labentibus vitam dedit. Fuit itaque hujus Regis exitus cum dolore, cujus fuerat regnandi principium in triumphis, neque fuit mors ejus absque prodigio. Nam in diebus illis Mons Æthna vehementi motu concussus est, atque ab ea parte, qua respicit Orientem, in terribile oculis mirantium eructavit incendium, quod tamquam alluvio per decliviam montis manans (mirabile dictu!) Ecclesiam sub vocabulo Sancti Stephani, quæ in Heramo est, per latera hinc inde circumdedit, tamen in aliquo non offendit. Quod usque in hodiernum diem miraculosum apparet.

CAP. XXX.

De expugnatione Insulæ Gerbarum.

HIs autem temporibus Insulam in finibus Libyæ sitam, palmarum fructibus copiosam, carios & oleo abundantem, quam ab Hiarba Rege Afrorum, qui tempore, quo Dido fundabat Carthaginem, præsidebat in Libya, paulatim declinante vocabulo *Gerbas* dicunt, Rogerius de Lauria mixti astu & calliditate cum viribus suæ jurisdictioni subegit. In qua, ne fortè incolæ regionis Libycis fraudibus innitentes aliquando resilirent, nobile Castrum pro cautela securitatis dominii & perpetua possessione fundavit.

Explicit Liber Primus.

Digitized by Google

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

De Passagio Regis Franciæ in Cataloniam, & miraculo Sancti Narcissi.

POstquam verò Martinus Romanus Pontifex conceptum furorem, quem diu propter casum Siciliæ contra Regem Petrum sub nube gesserat, eruptione facta detexit, ac sententiam privationis Regni contra eumdem Petrum fulminans, Carolum filium Philippi Regis Francorum in Regem Aragonum, qua poterat, auctoritate præfecit, instigat Gallorum corda regnandi cupiditas, & concessioni Pontificis inhærentes, contra Regem Petrum bellum indicunt. Itaque Francorum gazæ, quas proavorum cura congesserat, ex penetralibus eruuntur. Thesauri, qui diu in conclavi latuerant, in publico ventilantur. Magnates Regis, quos in privatis præsidiis longa otia fecerant locupletes, vocati undique convenerunt. Omne quidem ferrum liquatur ad arma fornacibus, omnisque lignorum materies cogebatur è silvis in classem. Tunc denique marini ac terrestres parantur exercitus, quales Regis Francorum viribus modernis temporibus congruebant. Quumque ipsius loci situs Gallis inaccessibilis videretur, Jacobum Regem Majoricarum ipsius Regis Petri germanum, & subditum contra fratrem nunc sollicitare pollicitis, nunc terrere minis regalibus tentaverunt. Hic autem pusillanimitate de Regno suo metuens, fidem post facta convertit. Et furentibus Gallis contra fratrem & Dominum patefecit ingressum. Philippus itaque Francorum Rex vexillum, quod auream flammam vocant, explicari jubet, atque in clangore tubarum & lituorum ad locum, quem dicunt Caput Panizarii, unde iter est de Francia ad Cataloniam, & communi judicio paratior videbatur ingressus, innumerabili exercitu comitante pergebat. Quod Petrus Rex Aragonum prævidens, tanta celeritate prævenit ad locum, ut præterire parantibus, quoniam arctæ sunt, & meatu difficiles, vias omnes obstrueret, omnesque semitas occuparet. Tunc Rex Franciæ ad declivia loca descendens, per Vallem dictam de Balneolis in Cataloniam hostis ingreditur. Ex quo timor & tremor omnibus inhabitantibus regionem incussus est. Et licèt Petralatam de Vicecomitatu Roccebrinæ, (*) Castellionem de Comitatu Empuriarum, & alia propinqua & occurrentia quæque loca vel vi, vel metu ditioni suæ cursu brevissimo subegisset, nihilominus magnanimitatem Principum potentium imitatus, inferiora & minima quæque despectans, Girundam famosam in regione Civitatem obsidione vallavit, variæque in circuitu machinæ ad expugnandum Civitatem ipsam à Rege Francorum constructæ sunt; ex quibus Raymundus Fulci, qui partes illas à Rege Aragonum tuebatur, nocte in castra irruens, plures igni ferroque dissolvit. Sed tamdem obsessi cives inedia macerati quum obsidionem pati longo tempore nequivissent, sublata omni, qua potuere, substantia, Civitatem ipsam minùs utilem hostibus reliquerunt. Quamquam Turris illa eminens Civitati, quam Gerondellam vocant, pluribus machinarum ictibus impugnata sub fidelitate Regis Aragonum perstitisset, Rex Francorum gloriosus Civitatem ingressus est. Gallis verò agentibus cum subditis insolenter, præsertim quia non consueverunt cum Catalanis ad amicitias convenire, illam, quæ resederat in Civitate, plebem suo modo vexabant. Hi quum hospitandi causâ etiam sacras ædes cum suis animalibus profanarent, Corpus Narcissi viri Dei quod conditum in venerabili sepulcro jacebat secus mœnia Civitatis, scienter & cum ignominia contrectarunt. Unde contigit insigne famosumque miraculum, quoniam subitò ex eodem sepulcro multitudo muscarum egredi visa est, quæ plures Gallorum equos suis stimulis perimebant.

CAP. II.

De adventu Rogerii de Lauria cum classe Siculorum in auxilium Cataloniæ.

DUm tamen hæc fierent, Rogerius de Lauria, qui cum galêis quinquaginta Siculorum per Calabriam & Apuliam prospera bella gerebat, à Petro Rege Aragonum in subsidium Cataloniæ properantibus nuntiis vocatus est. Hic postquam Domini sui literas & nuntios intellexit, quamquam Cotronum, Tarentum, & Callipolim, & alia plurima loca hostium convertisset in prædam, fuissetque in actu revertendi universam regionem, eamdem nihilominus magis arduam causam amplecti jubente Domino præelegit. Decem itaque galêas minùs habiles fluctibus, deductis abinde viris bellatoribus, quos elegit, Messanam redire jubet. Quatuor autem onerarias rates Cataniam destinavit, edicens, ut confertæ frugibus post eum in Cataloniam, quàm citò poterant, navigarent. Ipse quidem cum reliqua classe festinans, ventis tunc prosperè flantibus vela committit. Et jam Melitem Insulam à puppi reliquerant. Jam barbarorum litora, quibus antiquæ Carthaginis adhuc apparent vestigia, transfretabant. Quumque venissent ad locum, quem Gulettam Tunisii vocant, ecce alius occurrens Rogerio nuntius advocationis necessariam causam per ordinem patefecit. Vox exultationis in classibus oritur. Nox superveniens in luminaribus celebratur, quoniam & instantis diei Assumtionis Gloriosæ Virginis, quam Siculi & præcipuè Messanenses colere soliti sunt, veneranda solemnitas exigebat, & de spoliis hostium quasi præsagæ futurorum eventuum universæ turbæ sperabant. Quumque jam rutilans aurora rubesceret, vela pandunt, remi adjiciunt, & celeri cursu Barchinonæ Civitatis, ubi Rex Aragonum de tutela regni diligenti studio providebat, litora contigerunt. Declinant è puppi, Rogerius Regem adit, Regisque dexteram osculatus, jussa Domini taciturnus exspectat. Rex illum hilari vultu suscipiens; *Propera*, inquit, *Rogeri, hostilem classem invadere, priusquam intelligant, Siculas rates hæc litora contigisse. Nec sit tibi numerum hostium explicare, quoniam prædecessores nostri hoc Regnum de innumera manu infidelium in Dei nomine cum paucis gladiis eruerunt. Et nunc quidem si Pastor Ecclesiæ quocumque zelo ductus, terminos suæ auctoritatis ex-*

(*) *Roccæ Bertini.*

excedens, in Regnum nostrum Regem Franciæ provocaverit, ipseque Rex contra nos injustum bellum susceperit, Deus Judex justus, qui novit superbis resistere, consertis bellis inter utramque aciem non iniquum judicium ventilabit. Et tu quidem, Rogeri, quem experientia docuit, procul dubio non ignoras, quàm facilè sit Catalanis & Siculis in marinis conflictibus de Gallis & Provincialibus triumphare.

CAP. III.

De classe Regis Francorum, & Castro Rosæ, captis bello à Rogerio de Lauria.

ROgerius hæc audiens vale inquit ad Dominum. Siculorum classi decem rates, quas Catalonia tunc habebat, adjunxit. Et ne ab incautis hostibus timeretur, clam navigat contra Rosam, ubi rates Francorum nihil sibi caventes longo ordine residebant. Sic ergo actum est, quòd sub noctis tenebris, accensis in singulis ratibus immensis facibus, Rogerius navigans juxta scopulos Formicarum, hostes invasit. Illi ob multiplices faces multarum galêarum numerum judicantes perterriti seque impares numero advenientibus contra ratibus opinantes, non arma, non vires, quin immo sublato consilii tempore fugam indecoram elegerunt. Quo casu Henricus de Mari cum puppibus duodecim per amica silentia noctis evasit. Reliqua verò classis cum Simone de Trusia Regis Francorum Admirato à Rogerio capta est. Quumque diesceret, Rogerius applaudens victoriæ, quam de ratibus illis habuerat, ne arridentis fortunæ prosperos moraretur eventus, Castrum Rosæ confertum Gallorum copiis illico circumvênit, atque nautarum ingenio & viribus expugnavit. Victores quidem Gallorum prædis locupletati sunt, omnesque contra hostes quidlibet audendi lætos animos assumserunt.

CAP. IV.

De casu Comitis Sancti Pauli.

REx Francorum ex quo adventum Rogerii audiverat, futurum casum & classis, & Castri præmetuens, in subsidium eorum, qui apud Rosam munimenta & præsidia regia observabant, illustrem virum Comitem Sancti Pauli cum sex millibus electorum militum destinavit. Hic autem quum invenisset rem gestam longè aliter, quàm sperabat, quasi deductas rates ad litus prospiciens, & nautarum turmas hinc inde vagantes, meditatus est contra inimicas rates impetum facere, inexpertus existimans posse illas vel ex eis aliqua, impulsu tantorum millium militum retinere. Quam machinationem Rogerius prævidens, licia è puppibus affixis, palis contexuit, effossaque in arenis, foveas, ne ab incautis vitarentur, operuit, & tamdem concito equo, quem suis ratibus ducere consuevit, illos ad casum eo more, quo mustela nefarias aspides invitavit. Comes autem ad quod meditatus erat, aspirans, cum tota militia fecit impetum contra rates. Illi quidem ad puppes galêarum intra licia redeuntes, jacti telis eminus se tuentur. Ex quo factum est, quòd multitudo equorum in occultas foveas concidit, & sessores eorum aliqui sub equis contriti sunt, & aliqui confossi telis ac lapidibus obruti perierunt. Quumque inter alios egregii Comitis sonipes corruisset, plebs illa galêarum prædæ avida, & occultæ nobilitatis ignara inter egregios & plebejos, dum sævit animis, non discernens, ut spolia raperet, dexteram Comitis ab ulna crudeliter amputavit. Quam post sedatum impetum & tumultum Galli superstites, ut eam cadaveri adjungerent, ne deformis truncus corpus nobilis videretur, oblatis vasis argenteis septingentarum Marcharum pretio redemerunt.

CAP. V.

De obitu Regis Franciæ, & recessu Francorum de Catalonia.

REdiit itaque Girundam numerosa illa militia flebilis sinè Duce, ubi gravioris fletus materiam invenerunt. Nam Philippum Regem eorum ægritudo gravis invaserat, quem redire parantem ad propria secus Petralatam Oppidum de libro viventium, quæ supervenerat, ægritudo delevit. Tunc resonabant ora Gallorum plangoribus. Tunc vestes pectoribus scindebantur. Sed nec hujus Regis obitus fuit sinè prodigio. Quoniam ante diem, quo Rex ipse migravit, stella faces ducens è cœlo ruere populis mirantibus visa est. Cœpit itaque Gallorum furor sublato Rege tepescere, nec ulteriùs ad invasionem Cataloniæ, quin immo, si possent, ad reditum operam adhibere. Nulla ergo mora protrahitur. Hostiles terras linquere satagebant, & unà cum Rege Majoricarum, qui cum eis contra fratrem concesserat, ne fieret præda hostibus, ignominiosam fugam atque indecoram invaserunt. Et quia per ignotas semitas & inordinatis gressibus incedebant, in exitu eorum de finibus Cataloniæ plures effecti sunt vulgo prædæ ludibrium, & plures etiam sub ignobili gladio perierunt.

CAP. VI.

De Insula Majoricarum redacta sub dominio Regis Aragoniæ.

TUnc Rex Aragonum, licèt confractus ictibus clavarum, quos plurimos ipse pertulerat, quum Gallos gerente thesaurum Regis Franciæ malè adjutus ab Aragonensibus invadere attentavit, Rosam profectus est, Rogerioque jubet, ut cum Alfonso primogenito suo contra Majoricas navigaret. Jussa patris Alfonsus Rogerio ducente prosequitur. Majoricarum Civitas obsidetur. Universa plebs Regno Aragonum reuniri desiderans, Alfonsi mandata suscepit. Nonnulli verò Magnates, forsitan criminis, quod Rex eorum commiserat, non expertes, convenientes cum aliquibus Provincialibus & Gallis, qui tunc aderant, ad eminentem locum Templi, quod velut Castrum eminet juxta mœnia Civitatis, tueri viribus se parabant. Alfonsus hunc locum à Catalanis, & Majoricarum cultoribus tantùm, remotis Siculis, expugnandum esse decrevit ne fortè inter diversas nationes in eo conflictu pro spoliis obsessorum lis aliqua oriretur. Quumque fuisset ab eisdem Catalanis & Majoricanis locus ille frustra pluribus insultibus attentatus, qua nihil profecerant, quin immo durata corda rebellium pertinaciis obsistebant, Alfonsus consulente Rogerio jubet illos Siculorum tantùm viribus experiri. Tunc verò Catalanis & Majoricanis procul cedentibus, Rogerius, annuente Alfonso, rebellium spolia Siculis pollicetur. Illi quidem, non tantùm promissæ prædæ avidi, quin etiam ventosæ laudis glo-

Digitized by Google

gloriam appetentes, operi se accingunt, & signo dato in clangore tubarum non segnes in obsessos irruunt, primoque conflictu scalis remisque congestis è puppibus locum invadunt, obsessos vi capiunt, & eorum substantiam in prædam convertunt. Denique sic actum est, quòd sublatis manubiis, rebelles ipsi, quos in invasione loci furor sævientis gladii non peremit, in vincula Regis Aragonum inciderunt.

CAP. VII.

De obitu Regis Aragoniæ, & testamento ejus.

ANno Incarnationis Dominicæ Millesimo ducentesimo octuagesimo quinto, quum Alfonsus de Majoricis triumphasset, Jacobus de Monte Olivo ad eumdem Alfonsum de Catalonia navigabat, signiferum doloris cultum & habitum per omnia secum portans. Hic quidem quum ad litora declinasset, felicis Regis Petri obitum in singultu & lacrymis nuntiavit. Postquam verò acta sunt, quæ in tantis malis humanus ritus facienda decrevit, testamentum Regis publicè divulgatum est, per quod Alfonsum primogenitum ejus futurum Regem Aragonum, & Jacobum Regem Siciliæ innuebat. Adjecto, quòd si contingeret, Alfonsum non relicta virili prole decedere, Jacobus illi in Regno Aragonum succederet, Regnumque Siciliæ ipso jure cederet Frederico. Itaque pulsis Gallis, subactisque Majoricis, Alfonsus diadema Regni Aragonum sinè contradictione suscepit.

CAP. VIII.

De naufragio Siculorum redeuntium per mare Leonum.

POst hæc dum Rogerius de Lauria cum nautarum Ducibus de regressu in Siciliam disponeret, per ora vulgi rumor in castris exoritur, & more nautico *in Siciliam* geminatis vocibus conclamatur. Ille quidem vicissitudinum temporis, & aëris motuum, longa saltem experientia & ingenio, non ignarus hæc ait: *Multa quidem, fratres carissimi, prohibent maris undis nos credere, multaque vetant fluctus æquoreos incauta navigatione tentare. Nam si quid veri habent nautarum judicia, nunc attendite, quid velint Mergi concedentes ad litora: quid Ardea levibus pennis sublimem aëra repetens; aut quid Delfines incertis saltibus maria provocantes. Et si Solis radios contemplemur, hesterna die vidimus illum non rutilum, quin potiùs tetram nubem deducere in Occasum. Quæ omnia, sicut nostis, cunctis navigantibus futuræ tempestatis signa spectata sunt, ut est illud quod Amyclas ad Julium Cæsarem ait:*

Nam Sol non rutilans deduxit in æquora nubes;

Et quod post pauca subsequitur:

Nec placet incertus, qui provocat æquora Delphin,
Aut siccum quod Mergus amat, quodque ausa volare
Ardea sublimis,

Quòd si omnino revisendi patriam inordinatum desiderium vos impellit, saltem combustionem Lunæ, quam nautæ Novilunium vocant, quæ ad triduum futura est, servandam cunctis navigantibus expectemus. Veris quidem rationibus, non vanis desideriis, & maximè ubi de salute hominum agitur, intendendum est. Tunc innuente Frederico de Falcone Messanensium prothentino incorrigibile vulgus & expedientis etiam salutis ignarum nautæ in contrarium clamitant, classem in Siciliam absque alterius temporis exspectatione dirigere uno sermone concordant. Quumque vidisset Rogerius, & qui cum eo exspectare Novilunium suadebant, quòd Populus ille duræ cervicis erat, verisque consiliis non parebat, quin potiùs obstinata mente prosequebatur incœptum, rem agendam illorum judicio concesserunt. Itaque universa rates Siculorum Cataloniæ litora deserunt. Et quia ventorum flatus videbantur ambigui, mare magnum remorum auxilio invaserunt. Jam quidem altum pelagus rates ipsæ tenuerant. Jam secundis adjutæ quin potiùs elusæ flatibus Majoricas Minoricasve transierant. Jam celeri cursu Sardiniam Insulam prospectabant; quum subitò aër in tetram nubem coactus est, ipsaque nubes paulisper excrescens cœlum operuit, ventorumque flatus nunc Nothus, nunc Boreas, nunc Eurus ex adversis regionibus irruerunt. Tunc verò inutile post Raynam cogitur, inter quos fortè potuit ductores classis, quæ jam cœperat periclitari, consilium. Alii sublatis ab aspectu sideribus non meminisse viæ, quum voces audiri non poterant, signis & nutibus innuebant. Alii sub eisdem flatibus oras Siciliæ posse contingere, si quis navigationis est auctor, illo etiam spondente negabant. Denique summa fuit in hac parte coacti necessitate consilii desperare viam, & depositis velis, quò casus & fortuna deduceret cum æstuantis maris impetu fluctuare. Sic itaque universa classis per mare, quod non immeritò re & nomine Leonibus comparatur, incerto cursu dispulsa est. Aliæ per hiantes rimas inimicas undas accipiunt. Aliæ universam eorum substantiam in fluctus ejiciunt. Aliæ verò lassata carinarum compagine absorbentur. Tamdem quæcumque rates, quamvis inermes, quamvis invalidæ, quamvis etiam convulsæ undis, à fluctibus evaserant. Litora tunc patriæ contingentes, Sacris Ædibus, quæ in tam gravi casu voverant, pia vota solverunt. Fredericus tamen, qui minùs cautè suaserat hæc tentare pericula, restitit cum iis, qui mediis fluctibus periere. Quòd si periculosum quidem damnosumque fuerit non paruisse consiliis expertorum, post illas graves jacturas graviaque discrimina qui longæ oblivionis aquas non biberant, quos æternus Palinuri somnus non rapuit, postquam evanescere pericula didicerunt, de obitu Regis Petri, quem Siculi patrem & defensorem tunc periclitantis Siciliæ asserebant, verbo in populo prodeunte, Siculi omnes in lacrymis concesserunt signanter. Verumtamen fœmineo repleta est ululatu Sicilia, ipsamque Reginam Constantiam quasi matrem & filiam omnium matronarum devotis obsequiis in tantis luctibus comitantur. Postquam verò paulisper abiere lugubria, de Jacobi coronatione inter majores Regni sublatâ morâ tractatum est.

CAP. IX.

De coronatione Jacobi Regis de regno Siciliæ.

ANno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo octuagesimo sexto, in die illa, qua Festum Purificationis gloriosæ Virginis celebratur, convenientibus ex proposito Majoribus & Syndicis omnium Siculorum, Jacobus filius Petri Regis Aragonum vigore testamenti genitoris sui in Regem Siciliæ coronatur. Ipse quidem paterni moris non immemor gratum se om-

Digitized by Google

omnibus præbuit, Siculorum animos, quod potissimum est regnantibus, immensis donis, variisque honoribus quasi funiculo regiæ liberalitatis allexit. Hic profectò causam omnium Siculorum, dum regno Siciliæ præfuit, tanta felicitate gerebat, ut quasi omnes habitatores Siciliæ sub eo fierent in modico tempore locupletes, quamvis in exitu amara dulcibus miscuisset, & quam ipse quidem priùs ad gaudium compegerat, in lamentabile carmen Siculorum citharam postea convertisset, tum nimirum cùm renunciato per eum juri, quod habebat in regno Siciliæ, cum domino & pastore Matris Ecclesiæ composuit, eoque jubente contra fratrem & Siculos se convertit. Quòd & ipsa rei gestæ series in subsequentibus declarabit.

CAP. X.

De adventu Raynaldi de Velino contra Siciliam, & subita obsidione ipsius in Castro Augustæ.

TUnc Atrebatensis Comes Caroli Regis frater, quem idem Rex ea ratione, quia Carolus Princeps primogenitus ejus in vinculis tenebatur moriens Balivum regni per testamentum reliquerat, ab ipsius testatoris voluntate ultima non delirans, classem quadraginta galêarum in Apulia sub taciturnitate paravit, ubi quingentos milites cum totidem equis paratis ad hoc terridis imposuit Rainaldum de Velino virum famosum & bellis assuetum classi militiæque præfecit. Hic itaque navigat contra Siciliam; & quia brevior cursus erat in ea terra, quam divus Fredericus Romanorum Imperator fundabat, Augustam suo titulo maluit nominari, clam sub aurora declinat, locum quasi vacuum cultoribus, quoniam major pars incolarum per nundinas Leontinensium vagabatur, invênit. Raynaldus itaque terram & castrum, quod in ea est, agente Perrono de Ordine Prædicatorum, qui propter hanc causam ad sacras Insulas aspirabat, absque belli discrimine Gallorum ditioni subegit. Hic rumor circumquaque diffunditur. Sed Rex Jacobus horum ignarus eventuum Messanæ in otio residebat; cui nuntius festinus adveniens rem gestam, & galêarum & militum numerum patefecit. Rex propter inopinatum eventum obstupuit; nullaque mora temporis medium opponente consiliis jubet contra hostes armari classem, quam portus Messanensium tunc habebat, & reliquam undecunque celeribus nuntiis accersiri. Sed ipse cum quibus potuit Cataniam ad oppositum hostium laudabili consilio festinavit; ubi terrestris exercitus cum regni Magnatibus & galêæ viginti septem cum Rogerio de Lauria nondum exactis diebus tredecim ab adventu hostium convenerunt. Cùmque noctesceret, in Augustam Rex terrestrem movet exercitum, ad quam etiam ab Occasu Rogerius navigabat. Hic verò beneficio boreæ tunc flantis adjutus terrestre agmen celeri navigatione prævênit. Et quia hostilis classis redierat Neapolim, alios ex hostibus contra Siciliam relatura, sicut erat impatiens & ventosæ laudis gloriæ appetitor, adventum Regis cum terrestri agmine non expectans, terram cum solis nautis invadit. Milites verò è castro irrumpentes contra per patentes vicos impetum faciunt, plureſque trucidant. Exarsit denique nautarum, & Rogerii conscia virtus, quam pudor & metus advenientis Regis plurimùm incendebant; cæsosque nautas in profundos puteos, ut ne à Rege quidem viderentur, ejiciunt, atque per omnes vicos objectis vegetibus trabibus, tabulisque consertis milites illos totam terram usque ad castrum passim relinquere jactis missilibus innumeris compulerunt; quibus ultimè cùm terrestre agmen sub vexillis regiis contra castrum ex alia parte festinare vidissent, non fuit cura ulteriùs per vicos, aut in campis contendere, sed se tantùm intra castri turres & mœnia conservare. Cùmque superveniente Rege castrum obsidione vallassent, machinæ in circuitu castri, qua parte poterant, eriguntur, lapides torrentes innumeri contra obsessos emissi sunt. Sed nec propterea cedebat machinis ingenio quodam fabricata materia, quam lapides, quibus ipsius castri mœnia turresque surrexerant, propter eorum mollitiem absque gravi periculo ictibus torrentium lapidum concedebant. Igitur cautum erat obsessis ab incursu belli & omni genere machinarum ad expugnantium quæque loca tutissima, quæ non sibi tempestivè præviderant, futura famis sitisque pericula non timerent.

CAP. XI.

De navali bello ante Neapolim, & captis in eo pluribus Comitibus.

ROgerius quàm primùm castrum illud obsidione vallatum est, jussu Regis, convenientibus etiam quinque aliis ratibus, quas tunc duce Palmeriò Abbate urbs Panormitana transmiserat, Messanam cum universa classe regressus est; ubi & alias rates classi adhibens, quod nimirum ad experiendos graves casus & incerta pericula multorum animos excitat, marinariis exhibuit donativum; ex quo illi exultantes, contra Neapolim navigant, eoque cursu inimica litora quàcunque transierant depopulantes, Isclanis & Procidanis arbusta præcipuè succiderunt. Demum cùm venissent ante Neapolim, sese in vexillis explicitis & celeumatibus ostentantes, & quasi delphines ad aspectum hostium per horam exiguam alarum remigio colludentes, subitam fugam pro reditu simulabant, quo casu paratam jam classem hostium in duri Martis certamine provocarunt. Igitur Carolo juniore, quem Martellum agnomine titulabant, & Atrebatensi Comite Balivo regni jubentibus, Comites Flandriæ, Brehennæ, Avellinæ, & Guido Comes de Monteforti cum pluribus aliis regni primatibus jam paratas ad bellum rates quasi properantes ad epulas ascenderunt, exiguum Siculorum numerum tumenti animo despectantes. Erant quippe Siculorum rates numero quadraginta, hostium verò classis in septuaginta ratibus consistebat. Quisque suam stationem deseruit, Neapolitani de superabundanti numero confidentes ad bellum properant, Siculi assueti vincere non diffidunt, clangor tubarum clamores & incurrentium sibi nautarum celeumata in aurea sidera ferebantur. Pugna itaque inter partes cruenta committitur, ac inferorum ducibus multo sanguine immolatur. Anceps fortuna belli magno diei spatio suspensa est. Ultimò tamen cessit bellis gens illa, cui tunc fatorum ordo, si qua sunt fata, videbatur obsistere. Unde Siculi tam gloriosam victoriam consecuti sunt quòd quadraginta galêas ex victis hostibus habuerunt. Cetera verò classis cum Henrico de Mari, qui jam remedia fugæ apud scopulos Formicarum dediderat, beneficio remorum evasit. Comites omnes & Naryo Admira-

Digitized by Google

miratus eorum cum pluribus magnis viris in eo bello capti sunt. Rogerius cum triginta galêis ante Neapolim residens reliquam classem cum quatuor millibus captivorum in Siciliam & debellata signa transmisit. Ex quo bello Neapolitana civitas tanta perturbatione ac tumultu commota est, quòd ad partes Regis Jacobi de facili declinasset, si solùm provocantem aliquem habuisset. Rogerius verò elatus belli successibus, non ista considerans, sed quasi omnia parvipendens, acceptâ numerosâ pecuniâ tunc inutiles treugas cum hostibus, inconsulto etiam Rege, firmavit.

CAP. XII.

De deditione Raynaldi de Velino.

CUm vidisset Raynaldus de Velino aquas in castro, frugesque deficere, illud Romanorum Ducum Petreji & Afranii, quos apud Ilerdam Julius Cæsar obsederat, laudabile consilium imitatus, non utile causæ auxilium, mactavit equos, quos nimirum ab ipsius obsidionis principio mactavisset, nisi eum spes reditus galêarum suæ gentis, quas anxius expectabat, cum reliqua jam parata militia decepisset. Sed postquam obsessorum multitudo urgente necessitatis articulo ad obscœnam famem sitimque devenerat, equorum carnibus vescebantur, & eorum sanguine avidam sitim restringere satagebant. Diu spectantes in cœlum fixis oculis constiterunt, diu frustra votis tentavere cœlicolas, diu quidem aquas diluvii, sub quibus Mundus latuit, optaverunt. Cùmque ulteriùs hanc pestem tolerare non possent, priusquam eos longiori martyrio sitis famesque conficerent, mori gladio, quod ætas major optavit, communiter elegerunt, & reseratis portis castri agmine dediderunt; quibus procumbentibus ante Regem solus pallor in ore, solaque macies in toto corpore videbatur. Hi verò omnes thesauros, omnesque divitias, quas dives Mundus habere tunc poterat pro fonte modico, unde squalorem sitis repellerent, libenti animo permutassent. Revera, si quam obsessis populis gloriam fama refert, felices hos reputo, quos neque Saguntum Hispaniæ ab Hannibale Duce Pœnorum obsessum, neque Perusium ab Augusto in duræ obsidionis patientia superavit. Res, inquam, memorabilis, relatu dignissima, uno eodemque die Raynaldus de Velino è castro egrediens Jacobo Regi victas manus exhibuit, & Rogerius ante Neapolim de Comitibus triumphavit. Rogerium verò, licèt absentem & victorem, in conspectu Regis universi Consiliarii de treugis, quas postquam vicerat confœderavit cum hostibus, pluribus rationibus reum mortis arguunt & condemnant. Sed Johanne de Procida, qui primatum in Consiliis tunc habebat, aliter suadente, propter suam virtutem & gloriosas victorias toleratur. Rogerius hæc ignorans, post initas treugas cum hostibus, triumphans in Siciliam regressus est. Comites aliique Magnates, qui bello capti fuerant, per castra in vinculis deputati sunt. De redemptione Raynaldi de Velino Comes Atrebatensis præcipuè anxiatus est, quoniam ex fide, quam spoponderat illi, dum ascendere classem contra Siciliam jussus erat, præsaga mente casum in quem incidit metuenti proculdubio tenebatur. Intervenientibus itaque cunctis Raynaldum pro castro Isclæ, quod Gironum vocant, Rex Jacobus permutavit, quam permutationem eis gravem atque indecoram Neapolitani cives longo tempore deplorarunt, cùm ab illo & usque ad tempus, quo Sicilia in litoribus Capitis-Orlandi per Jacobum Regem Aragonum navali bello victa fuit, de quo suo loco dicetur, pro singulis vegetibus vini, quæ de portu Neapolitano trahebantur, quasi novum vectigal, singulos aureos exsolvissent. Guido Comes dum esset in vinculis, in ægritudinem incidit, quæ asserentibus physicis non nisi beneficio Veneris curabatur. Quod postquam referentibus secretariis suis edidicit, ne se contra matrimonii legem pollueret, mortem sibi voluntariam præelegit. Flandriæ, Avellinæ, & Brehennæ Comites cum Admirato eorum aliisque Magnatibus successivè auri pretio redempti sunt.

CAP. XIII.

De transitu Regis Jacobi contra Calabriam, & obsidione Rogerii de Sangueto apud Belvideri.

ANno verò Incarnationis Dominicæ millesimo ducentesimo octuagesimo octavo Jacobus Rex Siciliæ cursus fortunæ placidos assecutus, classem subductam hactenus contra hostes armari jubet. Rogerius non bene jussa Regis accipiens quadraginta galêas brevi dierum spatio deductas ad æquora opportunis armis & frugibus communivit. Scandit Rex puppim signiferam, quem electa manus nobilium superimpositis equis ratibus onerariis in gaudio comitatur. Rex ad obsidionem Gajetæ non expresso consilio tacitè aspirabat. Hanc quidem terram Æneas Dux Trojanorum in Italia condidit, eamque à nomine suæ nutricis, quæ in eo loco sepulta est, Gaëtam voluit appellari; de qua Virgilius ait:

Tu quoque litoribus nostris Æneia nutrix
Æternum moriens nomen Gajeta dedisti.

Cùmque ad designatum locum per superiora litora Calabriæ navigans festinaret, mutatis novæ cœcitatis consiliis, terram vocatam Belvideri, quam Rogerius de Sanguineto ipsius loci Dominus observabat, disposuit obsidere. Hanc quidem terram ipse loci situs inexpugnabilem fecerat, sed cancri sidus vicinitate Solis inæstuans ad extremas aquas cultores loci velut undarum inopes compellebat. Rex viris bellatoribus locum artat. Æstus & arma sitim obsessis ingeminarunt. Sed utroque graviùs, cùm ab assuetis fontibus prohiberi despectant obsessi contra Regis tentoria cum ingentibus machinis lapides mittunt. Rex quidem dictante Rogerio de Lauria, ut Rogerium illum à proposito amoveret, duos filios ejus, qui ad manus ejus obsides olim pro patre pervenerant, super antennis . . . . . in loco, ad quem lapides mittebantur tamquam signum ad sagittam constituit, causamque patri per nuntium intimavit. Sed ille non ignarus quòd ea ratione filii ad signum positi fuerant, ut à jactu lapidum contra Regis tentoria cessaretur, inter amorem patriæ, fidemque debitam Dominis & amorem natorum, quoniam durum erat distinguere, paululum hæsitavit; postremò veruntamen secutus exempla notabilia Romanorum, ut est illud,

Vicit amor patriæ, laudumq; immensa cupido,

ne patriæ dominoque suo in fide deficeret, sævire in filios præelegit. Jactis itaque sicut consuevere lapidibus, sive ictu lapidum emissorum, sive turbine ingruentium ventorum contigerit, infan-

Digitized by Google

infantes à summo antennarum præcipites corruerunt. Quo casu major natu extinctus est, reliquum verò fortuna servavit illæsum. Tandem obsessi omnes, cùm aridam sitim ulteriùs tolerare non possent, venire in deditionem communicato consilio statuerunt. Sed longè aliud occulta Dei judicia decernebant. Nam subitò cœlum velatum est nubibus, terrenæ genti tonitrua & Solem inebriatum nubibus operitur. Obsessis quidem loca deficiunt ubi desideratas olim aquas excipiant. Obsessores verò properantes ad classem confugiunt, ne super undantem aridam novo mortis periculo agerentur. Tunc autem Rex patris dolori compatiens extinctum puerum sericis involutum ad sepeliendum, alterum verò superstitem genitori suo pro consolatione transmisit.

CAP. XIV.

De obsidione Gajetæ, & reditu Regis Jacobi post treugas firmatas ibidem.

VAna itaque spe sublata Rex navigat, & quod priùs deliberatè providerat, celeri ventorum cursu festinat. Cùmque ad Gajetæ litora pervenisset, Comes Avellinæ, qui paulò ante carcerem Jacobi Regis pecunia redemptus evaserat, de ipsius regionis custodia curam gerens, descensum advenientis Regis ad litora inhibere tentavit. Illi verò segniùs navigantes, proras obvertunt in pelagus, & aspirantes ad prædam Catalanos & Siculos è puppibus altis exponunt. Ruunt itaque universæ cohortes nautarum in Comitem. Ille imparem viribus se agnoscens, adhuc squalorem carceris non oblitus, terga convertit in fugam, & insistentibus hostibus, cùm proximam terram ingredi nequivisset, electum sonipedem urgens calcaribus hostiles manus evasit, suosque gradus cum quibus potuit ad remota loca direxit. Tunc verò suburbium terræ, quod Molam vocant nautarum irrevocabilis furor invasit, prædamque cedentibus hostibus ad litora reportavit. Rex à superiori parte contra civitatem in monte Sancti Martini sua castra disposuit, adjacentisque regionis usque ad Fundorum civitatem quæcunque occurrentia deprædatus est, reliqua verò igni ferroque consumpsit, & demum quasi futura prænosticans, vallo & aggeribus in circuitu castra munivit. Nec mora, spectabiles viri, qui partes Regis Caroli tuebantur, & populi regionis cum Atrebatensi Comite contra Regem Jacobum unà undique convenerunt. Vênit itaque Comes, ipse tot bellatorum agmina secum trahens, quòd si Regem Jacobum in campis patentibus invenisset, nisi Divina manus obsisteret, universa ejus spolia communi judicio rapuisset: Castrametatus est Comes contra Regis tentoria quasi unius stadii, vel paulò ampliùs intervallo. Stat itaque civitas inter classem, Regis tentoria, Rex inter civitatem, & Comitis castra tamquam alterutrum obsidentes. Civitas propter loci situm expugnari non poterat; sed & castra Regis in monte disposita hostibus attentare sinè periculo non licebat. Cùmque inter partes illas talia gererentur, nuntii Regis Aragonum & Regis Angliæ ad contendente Regem & Comitem convenerunt, hortantes præcipuè, ut ab iis cœptis absisterent, quoniam à Summo Pontifice Regibus ipsis commissum erat, ut hæc bella interposita pace sedarent. Igitur inter partes treugæ firmatæ sunt, & ut deferatur in aliquo regiæ dignitati, Comes prior loca castrorum deseruit. Post biduum verò Rex classem ascendens in Siciliam remeavit.

CAP. XV.

De liberatione Karoli Principis, & coronatione ipsius ac dissolutis treugis.

TUnc Alfonsus Rex Aragonum Carolum Principem olim bello captum à Siculis, acceptis pro eo Ludovico, Roberto, & Philippo filiis ejus obsidibus, liberavit; quem Nicolaus tunc Romanæ Matris Ecclesiæ Pontifex auctor liberationis suæ coronavit in Regem. Hic Carolus servus cognominatus est. Postquam verò memorati Regis Aragonum & Anglorum, qui pro componenda pace treugas apud Gajetam indixerant, nihil ad propositum profecerunt. Jacobus Rex intelligens se vagis pollicitis circumventum, elegit abscindere inutile tempus moræ. Decem itaque ratibus ad bella paratis, Bernardus de Sarriano Jacobo Rege jubente ad Carolum Regem navigat, treugas dissolvit, atque reassumendum, quod sopitum fuerat ad tempus bellum indicit. Hic verò Bernardus de legatione rediens, ne manu vacua in conspectu Domini appareret, terrarum Passitani & Asturis, quas bello cepit, spolia reportavit.

CAP. XVI.

De iteratis treugis, & locis Barbarorum, quæ Rogerius de Lauria deprædatus est.

ANno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo octuagesimo nono inter Jacobum & Carolum Reges iterum per Legatos repetitæ treugæ firmatæ sunt. Rex Jacobus in subsidium Acon civitatis, quam Sarraceni summis viribus oppugnabant, & ultimò deleverunt, quinque rates confertas armis & frugibus destinavit. Rogerius de Lauria, ne forsitan hebetaret animos nautarum segnicies, cum galêis sexdecim contra Infideles Christi navigans plurima Barbarorum loca bello confecit, maximè Tolomettam, quæ posita est in sinu litoreo, quem gulfum Tini vocant; unde servos bello captos in ampla spolia retulerunt. Dum verò talia intermissis temporibus agerentur, abiere quæ constituta sunt hactenus tempora treugarum.

CAP. XVII.

De obitu Alfonsi Regis Aragonum, & coronatione Jacobi Regis de eodem Regno.

ANno ab Incarnatione Domini MCCXC. Jacobus Rex Siciliæ cum quadraginta galêis in Calabriam proficiscens, civitatem Giracii, & alia loca plurima occupavit. Cùmque per universam regionem spargere bella disponeret, ecce nuntius de Catalonia veniens, doloris vultum habitumque prætendens, Alfonsi Regis Aragonum obitum in luctu & lachrymis nuntiavit, adjiciens, quoniam nulla fuerat proles ex Alfonso Rege suscepta, Jacobum successorem legitimum omnes Regnicolæ advocabant. Itaque dimisso processu, quem ceperat Jacobus Rex, in Siciliam festinus regressus est. Rem Siculis convenientibus ad eum Syndicis in generali colloquio patefecit, Fredericum fratrem ejus, tunc dictum Infantem, in Regno Siciliæ Vicarium sibi constituit. Ipse verò navigans cum septem ratibus in Cataloniam brevi dierum spatio

tio trasfretavit, ac deposito mœroris habitu in Regem Aragonum coronatus est. Quòd si testamentum patris in suis viribus consistebat, ex tunc regnasse debuit in Sicilia Fredericus.

CAP. XVIII.

De iteratis treugis, & Blasco de Alagona misso in Calabriam.

ANno ab Incarnatione Domini MCCXCI. Jacobus Aragonum & Siciliæ Rex treugas per mare tantùm servandas cum Carolo Rege firmavit, virumque armipotentem Blascum de Alagona gessurum bella in Calabriam destinavit. Hic, postquam in Siciliam delatus est, Fridericum Domini sui fratrem & Vicarium Generalem reverenter adiens, causam sui adventus expressit, nec minùs quid ipse juberet exposcit. Fredericus inquit, ut Regis mandata serventur. Tunc paratis ratibus Blascus in Calabriam transfretavit. Æmula tamen semper virtutum invidia stimulante, Vitalis de Sarriano, Gerardus de Podio-viridi, & Poncius de Queralto, qui primatum suæ gentis in ea regione tenebant, suscipere illum Vicarium recusarunt. Sed Blascus metuens, ne fortè ipse causâ perditionis terrarum, quæ jam pactæ fuerunt regiæ ditioni, qui venerat alias quæsiturus, apud Montem Leonis extra mœnia tacitus hyemavit. Cùmque processu dierum Vitalis de Sarriano cum incolis loci, quem Roccam Montis Leonis vocant, ageret insolenter, illi Vitalem abjiciunt, & Blascum Vicarium Regis vocant. Hic postquam locum habuit expositum contra hostes, ad terram, quam Montem altum vocant incursibus adjacentium hostium impugnatum vocatus accessit. Huc autem Guido de Primerano magnus inter partes Regis Caroli reputatus cum octuaginta militibus rapturus more solito prædam advênit. Blascus in occursu contra Guidonem egreditur. Ille gloriosus laude occurrere hostibus gratulatur. Denique inter utramque aciem spontaneum bellum commissum est. Blascus Victor eminet. Guido & comitatus ejus, quos gladius non delevit, inter angustas fauces terrarum oppressi victas manus hostibus concesserunt. Ex tunc cœpit Blascus inter alios eminere. Sed cùm suggestum fuisset Jacobo Regi eundem Blascum parata fraude numismatis novam in Calabria cudisse pecuniam, Blascus à Rege Jacobo in Cataloniam revocatus est. Hic verò priusquam discederet se rediturum in Siciliam post excusationem impositi criminis Frederico præstita fide spopondit.

CAP. XIX.

De victoria, quam Rogerius de Lauria obtinuit de Estandardo, & pluribus Insulis Romaniæ,

TUnc autem Rogerius de Lauria, ne prosperè secum agentem fortunam moraretur in otio, donec jam pactæ treugæ prætereant, cum classe viginti galêarum contra Imperium Romaniæ bella dirigere meditatus est. Hic per Apuliæ maria navigans, cùm ad litora declinasset, famosum virum ex Gallis Guillelmum Estandardum ad illius regionis custodiam deputatum occurrentem ei cum quadringentis equitibus inter eas terras, quarum alteram Lechiam, & alteram Psitro vocant, consertis cuneis bellatorum convertit in fugam. Rogerius abinde victor discedens invasit Insulas Romaniæ, Cursoscilicet Malvasiam, & Chion, quæ solam masticem gignit, omnemque illorum substantiam deprædatus est. Cùmque ad Mutonum navigans pervenisset, in portu, quem vulgò de Juncis vocant haurire jubet marinariis aquas. Illis autem è puppibus descendentibus inconsultè, ducenti equites de principatu Moreæ in insidiis positi è latebris afferentes hostibus terrorem prosiliunt. Quo casu plures ex marinariis, qui primos gressus ad fontem incautè direxerant, quos pernicitas pedum à morte non abstulit, perierunt. Dedit itaque signum Rogerius, deponunt equos è puppibus, nautæ in turbam coëunt, omnes ad vindictam aspirant. Bellum ergo inter utramque aciem de communi partium voluntate commissum est. Moreani cedunt, omnesque vel cæsi, vel capti sunt, quos ad fugam equorum subsidia non juverunt. Rogerius victor apud Clarenciam, intercedente qui aderat Principe, milites, quos bello tenuerat, accepto pretio liberavit.

CAP. XX.

De pace firmata inter Regem Francorum, & Regem Jacobum, Regem Carolum, & Dominum Carolum de Francia.

ANno ab Incarnatione Domini MCCXCIII. insistente Carolo Secundo Rege, Nicolaus Romanæ Matris Ecclesiæ Pontifex Jacobum Regem per Bonifacium de Calamandrano Religiosum virum Ordinis Hospitalis Beati Johannis Jerosolymitani virum utique strenuum, ut renuntiaret Regno Siciliæ prætensis magnis pollicitis attentavit; sed legatio tunc optatum finem non habuit, quoniam eundem Pontificem præmatura, quæ solvit omnia, mors ademit. Post quem præsedit in Ecclesia Sancta Dei Cœlestinus, vir simplex & timens Deum, qui plurima direxisset, nisi cùm ingressus fuit Neapolim, vel sponte, vel, ut fama refert, suasione atque ingenio circumventus; Pontificalis præeminentiæ honores & onera renuisset. Tunc successit in Pontificali Sede Bonifacius, vir astutus & callidus, atque in secularibus negotiis circumspectus. Postquam ergo functa est auctoritate calliditas, tractatum, quem Nicolaus prædecessor ejus cum Jacobo Rege incœperat, reassumpsit. Itaque Bonifacio de Calamandrano iterum agitante negotium cum Regibus & Principibus, quos tangere videbantur, ad hunc finem deventum est. Jacobum Regem ab excommunicationis vinculo Pontificalis absolvit auctoritas. Ipse verò filiam Regis Hispaniæ, cui ex pacta fide conjugii tenebatur, sponsam repudians, jus, quod habebat in Regno Siciliæ, Carolo Regi cessit, Blancham filius ipsius Regis Caroli uxorem ducere præstita fide spopondit; Ludovicum, Robertum Ducem Calabriæ, & Philippum Principem Tarentinum sponsæ germanos, quos obsides pro patre tenebat in vinculis liberavit. Carolus Francorum Regis filius juri, si quod habebat in Regno Aragonum ex processu Martini tunc Summi Pontificis, renuntiavit expressè, Propter quod Andegaviæ & Forcalquerii Comitatus à Carolo Rege suscepit. Hic autem Rex evidenter in hac parte permutatione deceptus est, dum proprium tradidit quod tenebat, ut alienum resumeret quod sperabat. Robertus Dux Jolandam ipsius Jacobi Regis sororem thalami consortem suscipere solemni juramento firmavit.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXI.

De Frederico, qui tunc dicebatur Infans, vocato ad Bonifacium Summum Pontificem pro tractatu pacis.

POstquam hæc omnia gesta sunt anno Domini MCCXCV. Bonifacius Rom. Pont Fredericum, tunc vocatum Infantem, Jacobi Regis fratrem magnis jam sollicitatum pollicitis Romam vocat. Hic verò paratam classem non segnis more adolescentium Principum, quos impellit virtus experiri magnalia, gloriosus ascendit, Johannem de Procida & Rogerium de Lauria præcipuos, aliosque viros armipotentes & consiliarios secum ducens. Romanus Pontifex Urbem egreditur, Fredericum in designato loco diebus aliquibus præstolatur. Tunc eum non venturum esse propter moram æstimans, ab eodem loco secessit. Cùmque post paululum Fredericus applicuisset ad locum, ne frustra venisse tanto maris spatio videretur, vestigia Pontificis usque Vellitrum subsecutus est; quem Bonifacius, postquam de adventu ejus audiverat, in eodem loco residens expectavit. Fredericus adest, reverentiam debitam præstat Pontifici; sed & Pontifex caput ejus inter utramque palmam osculo pacis appetiit, eumque patris more suscepit. Miratur Bonifacius, qui multa noverat, adolescentem Principem in auratis armis spectabilem & regali cultu præstantiorem aliis gradientem, & quasi compatiens inquit ei; *Adolescens bonæ indolis, rigidis armis ab annis infantiæ assuetis*. Deinde assistentem Principi Rogerium sic affatur; *Tune ille es hostis Ecclesiæ, qui tot populis vitam gladio rapuisti?* Cui respondens Rogerius ait: *Pater, prædecessoribus vestris & nobis causam præbentibus hoc actum est*. Cunctis post hæc secedentibus, arcanum agitur inter Pontificem & Fredericum longo sermone consilium. Pontifex illi Katerinam de stirpe Regis Franciæ, quam hereditarium jus habere asseruit in Imperio Romaniæ, cum thesauris ope gentis armigeræ, aliisque circumstantiis, quibus jurisdictioni suæ subigere posset Imperium, consortem thalami pro Sicilia pollicetur. Fredericus verò quamquam collatis omnibus incitassent cor ejus virgini, quam speciosam omnes, qui eam viderant, prædicabant, & gloria imperandi, nihilominus metuens, quia contingit aliquando magnorum etiam virorum fide carere pollicita, spondet se pariturum consiliis, si quos tangebat negotium promissa hæc in constituto inter eos tempore acceptarent. Fine itaque dato sermonibus, Pontifex in Urbem rediit; Fredericus cum parata classe velificans, celeri cursu in Siciliam remeavit.

CAP. XXII.

De dissidio quorundam nobilium in Sicilia, & Legatis Siculorum ad Regem Jacobum propter renuntiationem Siciliæ.

INterea constitutum inter Summum Pontificem & Fredericum tempus expectationis labitur, & Fredericus de pollicitis non cavetur, fama volat Jacobum Regem Siciliam in manibus Regis Caroli renuisse. Quod cùm omnibus incredibile videretur, Raymundus de Alamagna, Johannes de Procida, Matthæus de Termis, & Manfridus de Claromonte, aliique viri notabiles, maximè Catalani, metuentes hanc famam callidè fuisse compositam, & sub eo velamine Fredericum contra fratrem ad nomen Regium aspirare, ne fortè ad manus ejus inciderent, quo casu aquiescere tantis ausibus contra fidem Regi Jacobo debitam cogerentur, per notabilia castra Siciliæ, quæ ab ipso Rege tenebant, communicato consilio secesserunt. Rebus autem sic se habentibus, Constantia Regina prudentissima, quam filialis amor sollicitam faciebat, etiam omnia tuta timens, accersitis Regni Primatibus jubet ad eundem Regem Jacobum viros strenuos & fide conspicuos quæsituros causam renunciationis hujusmodi è vestigio destinari. Actum est ergo quod sapiens Regina decreverat. Cataldus Russus, Sanctorus Bisala, & Hugo Talac Syndici pro universitate Siciliæ in Cataloniam ad Regem Jacobum transmissi sunt. Hi postquam ante Regis tribunal præstitâ quæ debetur dominis reverentiâ constiterunt, post expositum etiam suæ orationis exordium, si vera fuerant quæ de renunciatione Siciliæ fama retulerat, scisciantur. Cùmque rem esse Rex in conspectu omnium astantium respondisset, Cataldus Russus unus ex nuntiis in hæc verba prorupit: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte si est dolor similis, sicut dolor meus*. Cùmque hæc dixisset, ipse unàque omnes, qui venerant Syndici & Comitatus eorum abscindentes à pectoribus vestes suas, in luctu & lamentationibus Regis atrium compleverunt, improperantes ei singultuosa voce, qua poterant, inauditum esse quemquam Regem fideles vassallos ad manus hostium renuisse. Tunc iterum atque iterum repetitis vocibus Regem orant, ut fideles Siculos Regis magnificentia non relinquat. Cùmque Rex immobilis in proposito perstitisset, ne processu temporis in dubium quæreretur, utrum Rex Jacobus Siculos, an Siculi Regem Jacobum reliquissent, assertionem Regis de renunciatione Siciliæ in scripta publica redegerunt. Hi tandem nigras vestes doloris signum & habitum induentes, repetitis ratibus, quibus advenerant, per mille maris pericula in Siciliam rediere; licet Sanctorus Bisala dispulsus fluctibus ad litora Provinciæ in manus hostium cecidisset, quem sui Messanenses processu temporis dato pretio redemerunt. Dum hæc fierent, Blasius de Alagona promissionis, quam Frederico fecerat, non oblitus, callidè in Siciliam, quamvis Jacobo Rege inhibente, regressus est.

CAP. XXIII.

De conversione illorum, qui dissidium fecerant, & provisione coronandi Fredericum in Regem Siciliæ.

POstquam vulgata est inter Siculos responsio Legatorum, populus omnis murmurat, omnes Fredericum in eorum Regem communi voto deposcunt. Tunc Rogerius de Lauria & Vinciguerra de Palacio vir sensatus & eloquens cum aliis pluribus magnis viris ad castrum Catalanixetæ, ubi Raymundus de Alamagna renunciationis, quam Rex Jacobus de Sicilia fecerat incredulus residebat, ex diversis partibus de Sicilia convenerunt. Ille quidem in magnanimitate & liberalitate undique laudabili venientes omnes hilari vultu atque jucunda fronte suscepit; & demum sermone conserto, Raymun-

mundus consiliis tantorum nobilium acquievit. Sic ergo actum est, ut ex illo cuncti, qui ad castra confugerant, propter fidem, qua Regi Jacobo tenebantur, ne ad Gallos concederent, ad Fredericum conversi sunt. Itaque convenientibus in unum Catalanis, Aragonibus, cunctisque Magnatibus & Syndicis Siculorum, in Catanensi Ecclesia generale colloquium celebratur; ubi Rogerius de Lauria primùm orans Fredericum & fato debitum, & ex testamento patris substitutum & pari voto Siculorum omnium invocatum futurum Regem Siciliæ prædicavit; cujus orationem Vinciguerra de Palacio subsecutus pluribus & decoris quippe rationibus approbavit. Nec plura, de coronatione Frederici Magnates & plebs omnis pari voto conveniunt, & ad futuram solemnitatem coronationis hujus die constituta discedunt.

CAP. XXIV.

De legatione Bonifacii de Calamandrano, & responsione Siculorum.

INterea Bonifacius Romanæ Matris Ecclesiæ Pontifex, cùm audivisset dissidium, quod paulò ante in Sicilia ortum erat de iis, qui ad castra confugerant, sperans tum paratam invenisse materiam, qua posset Siculos ad Regem Carolum revocare, Bonifacium de Calamandrano virum astutum & legationibus magnis assuetum admonitorum Siculos destinavit (*). Ille quidem jussa Patris devotè suscipiens in Siciliam navigat, & ad litus Messanensium, in eam partem, quam Ficalum vocant, pro commissa sibi legatione declinat; & ne argueret illum segnities, cœpit illico forensibus verbum proponere causamque adventus ejus Messanensibus intimare, orans, ut illum in civitate susciperent audituri solemnia gaudia, quæ gerebat. Hic autem Bonifacius candidas membranas, quas vulgò pergamena vocant, rudes atque omni scriptura carentes, Pontificali solùm bulla munitas, universis Siculis prætendebat, ut communicato consilio in eis scriberent absolutiones, remissiones, immunitates, fora, consuetudines, conventiones, libertates, aut alia quæcunque similia sub aliis quibuscunque vocabulis elegissent. Credo equidem, nec vana fides est credere, quòd in mittentis animo tunc plurimùm residebat:

Pollicitis dives quilibet esse potest.

Messanenses verumtamen, annuentibus etiam Rogerio de Lauria & Vinchiguerra de Palacio, & aliis magnis viris, qui tunc aderant, longè aliter causam legationis intelligunt, & contra

Timeo Danaos & dona ferentes

opponunt. Itaque Petrus de Ansalone, vir circumspectus & eloquens, ad eumdem Bonifacium iter egit, nec longos verborum amfractus contexuit. Omnes quidem Siculos, ut coronetur Fredericus in Regem Siciliæ convenisse respondit; atque educens ensem, hæc pauca subjunxit: *Siculi non membranis, sed gladio pacem quærunt, tibique, ut statim universam Siciliam deseras sub pœna mortis edicunt*. Ille verò non eligens tali martyrio coronari, ad Summum Pontificem, qui eum legaverat, verecunda fronte regressus est. Fama itaque per vicinas regiones diffunditur, Jacobum Regem renuisse Siciliam, omnesque Siculos ad coronationem Frederici votis paribus convenisse.

(*) Vide Odoric. Raynald. an. 1296. §. 10.

CAP. XXV.

De Catalanis & Aragonensibus vocatis, de Sicilia ad Regem Jacobum, & Sermone Blasci de Alagona.

TUnc Rex Jacobus mala, quæ futura erant inter eum & Fredericum fratrem suum prænosticans, Catalanos & Aragones, qui in Sicilia residebant per literas & nuntios suos vocat; ex quibus Raymundus de Alamagna, Berengarius de Villa-Raguto, & plures alii jussa Regis accipiunt; nonnulli verò, quos pro meritis negotiorum, quibus se ingesserant annuente Domino præsentis narrationis series declarabit, si licet eis non læsa fide in Sicilia residere disceptant. Tunc Blascus de Alagona vir magnificus prior sic orsus est: „ Si velimus, forum „ Aragonum, & consuetudines, moresque Catalonias recensere, inter alias nationes, quibus Reges regnant, aut Principes dominantur, quantum ad nos potuit conscia gestorum fama perducere, liberior conditio nostra censenda est. Nunc ergo, quia constat „ hunc Infantem Fredericum bonæ memoriæ „ Regis Petri Domini nostri filium fuisse ab illo „ heredem per testamentum in Regno Siciliæ „ substitutum, & jam advenisse casum substitutionis per obitum Alfonsi Regis liberis non „ susceptis, quod inficiari non possumus nec „ debemus. Si causam ejus contra Gallos communes hostes tuebimur, quis nos rationabiliter arguere poterit de peccato? Scimus enim, „ quòd Jacobus Rex Aragonum in hac parte „ non tangitur; quia constat, ex quo testamento patris consentiens Aragonum sceptra suscepit, nihil ad eum de Regno Siciliæ pertinere, ac etiam, si quod jus habeat in illo, „ jam Carolo Regi ex tractatu pacis, quam „ inter eos Apostolica Sedes composuit, publicè renuisse. Quòd si voluerimus etiam altiùs „ contemplari, & quæcunque latent argumento colligere, fraternosque affectus ad animum revocare, tunc unusquisque nostrûm „ evidenter intelligit, tunc luce clariùs apparebit residentiam nostram Regi Jacobo placituram. Quod autem nos publicè revocat, „ hoc actum est ne videretur coronationi fratris operam tacitè præbuisse. Quis unquam „ sanæ mentis hoc crederet, ut dilectum fratrem pro exteris & hostibus exhereditare curaret? Bonum est ergo nos hîc esse, bonum „ est ut testatoris Domini voluntatem ultimam „ obsequentes, ob fidem patri debitam dilectum filium tueamur. „ Blascus hîc finem verbis imposuit; quæ Hugo de Empureis reassumens, diversis & pluribus rationibus eloquens approbavit. Ex quo factum est, quòd universi, qui aderant, residere in Sicilia libenti animo decreverunt.

Explicit Liber Secundus.

IN-

Digitized by Google

INCIPIT LIBER TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

De coronatione Frederici Regis.

ANno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo nonagesimo sexto, cùm eodem tempore in unum diem & Annuntiationis, & Resurrectionis Dominicæ solemnitates notabiles convenirent, (*) hunc diem Siculi elegerunt sibi, suisque posteris novis exultationibus insigniri, Fredericum scilicet prænominati Regis Petri filium, quem dulci amore nutriverant, in eorum Regem diademate patrio coronare. Hoc itaque designato tempore propinquante solum Panormitanæ urbis ubique myrto sternitur, templa deinde, forus, portici, plateæ, vici, ceteraque urbis loca tam publica, quàm privata vel operiuntur aulæis sericis, vel amictu vario decorantur. Conveniunt quos illo tempore Insula potuit habuisse Prælati, Comites, Milites, Barones, Feudatarii, parati pro viribus illò properant cum popularibus & plebeis. Postquam autem ad urbem deventum est, & tempus vigiliarum constitutæ solemnitatis instabat, onerata cereis, qui tunc instar ingentium columnarum agebant ad matricem Ecclesiam plaustra festinant, archii accenduntur, è quibus cera liquescens velut rivi aquarum torrentium emanabat. Nox illa quidem illuminabatur ut dies, & præ magnitudine lucis hujus continuò diescere videbatur. Stridor ictuum, tubarum clangor, nabliorum & sistrorum sonitus occupabat auditum, ne intelligi quidem possent. Lyræ, Citharæ, Synphoniæ, quæque plurima illic convenerant magis concinna genera musicorum. Postquam verò illuxit alma dies comitata tripudiis, Fredericus in Regem ungitur, coronatur; statimque trecenti & plures nobiles ab ipsius dextera militari cingulo decorati sunt, quorum gaudia successivè Rex benignus & sapiens muneribus regiis ampliavit. Nam alios ad fastigium Comitatus erexit, aliis castra, villas, feudaque concessit, plures etiam & gloriosis, & inopinatis officiis insignivit. Ubi denique sic actum est, ut nullius refelleretur petitio, nemoque ab illo discederet saltem non ex parte contentus, ludos varios per urbem constituunt, malus erecta fixis tabulis impugnatur hastilibus, & ut tyrones armis assuescerent, hastiludia exercentur. Hic extremis ictibus galeæ tinniunt, hic elisis viribus hastæ circumvolant, hic thoracum laminæ, parmarumque fragmenta dissiliunt, hic lassatis nodis cassides è capitibus eruuntur, hic etiam mandentes aurata fræna sonipedes frontes frontibus, & pectora pectoribus collidentes aliquando consternuntur.

CAP. II.

De colloquio Frederici Regis ad Siculos, & responsione illorum.

POstquam verò ludis & pompis indultum est quantum ipsius negotii qualitas exigere videbatur, convenientibus Syndicis Universitatum Siciliæ, Rex jubet acciri consilium, & majoribus Regni per ordinem à dextera lævaque sedentibus, reliquis verò popularibus ad objectum, sublimi trahebatur in solio, sicut erat forma spectabilis, indixit suâ dexterâ silentium, cunctisque mirantibus post paululum spectabili vultu & modesta voce sic orsus est: „ In sacra „ pagina scriptum est: *Per me Reges regnant, „ & Principes dominantur*, & subjunxit: Divi„ na bonitas & immensa providentia Summi „ Patris, qui Mundum ex nihilo condidit, & „ conditum perpetua ratione gubernat, ante „ ipsius Mundi constitutionem rectores populo„ rum, Reges, & Principes præelegit, quibus „ dominatum per vicissitudines temporum ipse „ disponit, elationes & depressiones eorum, „ discursus dierum, & temporum mutationes, „ & eversiones regnorum & urbium infallibili „ provisione firmavit, & cùm extremi judicii „ tempus advenerit, de villicatione nostra exi„ get rationem. Quod si sic positum est, nos, „ qui divinæ bonitatis nutu præsidemus in Re„ gia dignitate, vereri oportet, ne quicquam „ de finibus Regni nostri linqueremus ab ho„ stium nostrorum oppressionibus indefensum. „ Et ideo vos omnes in hac parte consulimus, „ quia libenti animo nobis decretum est nulla „ dehinc vitare pericula, etiam indulgere la„ boribus pro defensione & re publica omnium „ Siculorum. Nec volumus utique vos latêre, „ quoniam Rex Carolus hostis noster, sicut per „ literas nostrorum fidelium secretò nobis de„ stinatas accepimus, Roccam Imperialem Ca„ labriæ de pertinentiis Regni nostri tenet ob„ sessam, ubi congressus nostros asserit præsto„ lari. Hæc nimirum summa desiderii nostri „ est, ut semel cum eisdem hostibus congre„ diamur in campis. Spes enim, quam in æter„ ni Regis clementiam, justumque judicium „ gerimus hoc innuit, quòd dabitur nobis ab „ excelso victoria, & paucorum dierum labor „ posteritati nostræ quietem longi temporis „ confirmabit. Et jam vestræ fideles manus „ videntur nobis iterum illitæ superbo Gallo„ rum sanguine, quem suis exigentibus meritis „ hactenus effudistis „. His & aliis in medium introductis, vix cursum suæ orationis Rex ipse finierat, cùm responsionis ordine non servato, universus cœtus adstantium erectis in cœlum manibus bellum contra hostes, bellum, inquam, multiplicatis vocibus pro libertate poposcit. Cùmque, ut asseritur, erat de restaurandis Regni finibus bellum, libenti animo amplexata fuisset universitas Siculorum, omnesque pari voto contra hostes arma deposcerent, Rex urbem egreditur, Messanam, ubi finem imponat consiliis, profecturus.

CAP. III.

De pompis Messanensium in occursu Frederici Regis post coronationem ejus.

NEc vetat præsentis narrationis stilum restringere quanta varietate tripudii transeuntem Regem Policium, Nibosia, Bandacium, & quæcunque loca sunt iis media pro viribus receperunt, quoniam superest præcellentem alios ditiori cultu apparatum Messanensium expli-

(*) VII. Kal. April.

plicare. Occurrunt Regi longè ante civitatis ingressum populares turmæ forensium cum vexillis variis in habitu nobilium incedentes. Occurrunt etiam turbæ nobilium in equis velatis auro & sericis in vestibus, quas Consularis Romanorum dignitas etiam in suis magnificentiis indui non horreret. Cùmque appropinquasset Rex mœnibus civitatis, ecce matronarum & virginum turba spectabilis Regi obviam incedebat. Harum quidem varios cultus & pretiosos habitus particulariter scribere non præsumo, quas nec Hebræorum Hester, nec Helena Trojanorum, nec Dido Regina Carthaginis suis temporibus superassent. Sed quid referam? Omnis gemmarum varietas, omnis pretiosus & discolor in auro & sericis habitus Orientis, cunctaque aromata Indorum & Arabum in turba videbantur esse congesta. Rex civitatem ingreditur palliatus pallio quidem pretioso, quod in auratis hastis electi nobiles sustentabant. Vox exultationis & laudis Regiæ præconis voce præmittitur. Qui præcedebant & qui sequebantur id ipsum cum gaudio concinebant. Exultabant siquidem in claustris virgunculæ, pueri comitantes parentibus & nutricibus applaudebant. Solum civitatis opertum est floribus, parietes auratis vestibus rutilant, & domorum tecta, maximè quà Rex ad Regale palatium ducitur, resonant melodiis. Ingressus est ergo Rex comitante gloriosa turba palatium, atque declinans ab equo spectabilis ad ulnas gloriosæ matris suscipitur; & cùm ei manuum oscula cum reverentia præstitit, maternos quidem amplexus cum benedictione suscepit. Exultat inquam diligens mater in filio, & gloriosus filius in reverenda genitrice lætatur. Yolanda virgo fratrem Regem amplectitur, quem ab ipsis cunabulis inter fratres alios præamavit. O felix mater in prole spectabili & gloriosa nimis in conspectu regnantium filiorum. O soror, quantum forsitan ab hujus dilecti fratris amplexu tepesceres, si te ipsius fratris hosti futuram conjugem æstimares!

CAP. IV.

De passagio Frederici Regis contra Calabriam.

QUamquam universa civitas Messanensium indefinenter applauderet exhilarata tripudiis, animus tamen Regis non tam deludiis indulgebat, ut ab agendis futuræ invasionis hostium pro reintegrandis Regni finibus operam admoveret. Jubet, inquam, Rogerium de Lauria paratam jam classem revisere, revisamque sine intervallo deducere, ac deductam opportunis munire armis & frugibus contra Calabriam profecturam, ubi per Blascum de Alagona virum armipotentem & strenuum jam incœptum guerrarum negotium agebatur. Nulla mora est, nullaque segnities. Jussa Regis Admiratus exequitur; ac demum Rex benedictionem genitricis accipiens, quasi præscius futuræ felicitatis, exultans puppim ascendit signiferam auro pictam, variisque coloribus radiantem, qualem nunquam Jasonis comites fabricarunt. Sequitur hanc reliqua classis cum gaudio, breviqué cursu proxima civitati Rhegii litora contigerunt. Hanc quidem civitatem, quando Italiam, Siciliamque maris impetus, ut dictum est, separavit, cultores ejus ab effectu rei, quod divisionem significat, Rhegion vocaverunt. Tunc autem evenerunt cives ad litora, novumque Regem in civitatem cum gaudio susceperunt.

CAP. V.

De obsidione Squillacii & deditione ipsius.

REx terrestrem cogit exercitum, & Rhegionum civitatem egreditur, & explicitis aquilis, quas insigniis Aragonum per maternam lineam counivit, læto gressu tendit per litora inferioris partis virentis Calabriæ, paucisque dietis mediis pervênit Squillacium. Hanc quidem civitatem Blascus de Alagona, jam vastatis agrorum studiis, tunc servabat obsessam. Huc etiam Admiratus cum classe pervenerat jussu Regis. Rex castrametari jubet exercitum ante civitatem, quam inexpugnabilem viribus fecerat situs loci. Postquam verò sunt in morem circa tentorium Regis castra disposita, Rex quacunque parte locus erat gressu facilis ambiit civitatem, & prospectans illam, post paululum accersito Conrado Lancea de Castro Maynaldo, viro quidem industria & calliditate notabili, qui civitatis & adjacentium locorum situm agnoverat, sciscitatur ab illo, si alias aquas haberent incolæ civitatis præter illas duorum fluminum, quæ circumdant sub altis rupibus civitatem. Cùmque Conradus non alias repondisset, *vade*, ait Rex, *propè ad Rogerium de Lauria, jubens illi quàm primò caligo noctis instantis abierit, cum viris bellatoribus commissæ sibi classis ad hæc loca festinet*. Nec opus est quærere si fidelium devotio prosequi jussa parat. Cùm matutinos cantus acredula exercebat jussus, colles velut alipedes capreæ marinarii jam tenebant, immensusque tubarum sonitus jam terrebat inclusos. Rex adest sub ipso diluculo, & pro arcendis hostibus ab aquis eisdem per juga montium illis parêre cupientibus castra servanda disponit. Et factum est, quòd obsessis civibus aditus fluminum summis viribus inhibetur, quos dum spectarent placidos aquarum rivos jocundo murmure prælabentes, magis ac magis inopes undæ sitis arida cruciabat. Cogitur itaque ab obsessis in extrema desperatione consilium, & in eam partem fluminis, quam Matthæus de Thermis obsidione servabat, subitò irruerunt. Conflictus de hauriendis aquis committitur. Obsessi certant sitim deponere; sed obsessores illi satagunt jussa Principis observare. Plures hinc inde gladio perempti sunt, & plures inremeabili gressu per declives rupes & flumina corruerunt. Cùmque obsessis civibus vires deficerent quo se fugæ committere poterant, terga vertentes, in mœnia redeunt, omnem spem defensionis abjiciunt, Legatos ad Regem supplices pro impetranda pace transmittunt. Rex benignè civitatem in fide suscepit, præteritas eorum culpas, quas contra Regiam Majestatem commiserant cùm Galvanum Lanceam eorum dominum suis hostibus prodiderunt, quoad vindictam suam benignitate remisit, postulatas immunitates concessit, & per Conradum Lanceam seniorem ejusdem Galvanii consanguineum pacis fœdere counivit.

CAP. VI.

De obsidione Catanczarii, & deditione ipsius ac totius Catanczarii Comitatus.

POstquam subactum est Regiæ ditioni Squillacium, densis castris contra civitatem Catanczarii, ubi Petrus Ruffus ejusdem loci Comes unus ex majoribus Calabriæ cum electa

manu

Digitized by Google

manu gentis armigeræ pro defensione dulcis patriæ residebat, vexilla Regia diriguntur. Sed priùs, quàm rem aliquorum judicio impossibilem attentaret, castrametatus est Rex sub Roccella Squillacii ultra fluvium, quem Corachium appellant, qui ab eadem civitate ferè sex millibus passuum separatur. Tunc accersitus est ad tentorium Regis cœtus nobilium, quibus astantibus Rex ipse paucis eloquiis sic orsus est: *Dicite nunc, viri cordati & strenui bellatores, expediene hunc Comitem viribus attentare, vel præstat aciem nostram dirigere in partem aliam regionis. Verè quidem si possemus illum nunc quocumque eventu nostræ ditioni subigere, adeò cultores Calabriæ terror invaderet, quòd vix esset qui præsumeret animum resistendi.* Tunc Rogerius de Lauria, quem fortè consanguinitas jam Comitis remordebat: *Domine*, inquit, *Comitem hunc attentandum esse viribus non videtur multiplici ratione; tum quia locus ejus inexpugnabilis est insultu, tum etiam, quia Comes ipse assuetus bellis & strenuus, adventusque nostri præscius jam præmunire poterit viris bellatoribus civitatem, quamquam & ipse potentem secum habeat Comitatum. Quòd si contra eum tentoria nostra fixerimus, expectantes ut illum machinis superemus, multum temporis expenderemus incassum. Sed quia Dei gratiâ prosperè nostris cœptis fortuna succedit, linquite causas moræ, festinemus contra Cutronum* (*), *dum trepidant in colle regionis, & nullis fortè bellis aut levibus civitatem illam & plurima loca, quæ adjacent, eventu facili subigemus. Hunc denique Comitem jam hostibus circumseptum prædæ multiplices & prima omnium guerrarum discrimina ob sævæ famis pericula conculcabunt.* Hujus quidem Rogerii sententiam consiliarii non approbant, sed nec reprobare contendunt. Aliqui verò tacitè mussantes immurmurant, veruntamen in contrarium non prorumpunt. Optant omnes Catanczarium attentari, sed verentur, ne si eorum consilio in contrarium ageretur, neque contingeret de civitate victoria, mordax ipsius Admirati jactantia contra universum consilium suo more garriret. Cùmque Fredericus Rex comperisset, quòd Admirati calliditas tacitè nitebatur eundem Comitem affectione communis sanguinis præterire, aliique consiliarii, qui mussabant, contra Rogerium prorumpere non audebant, sic arguit: *Cùm Reges & Principes quærunt de populis triumphare, à magis arduis & potentioribus inchoandum est, quia victoris gloria de victi conditione dependet, & subactis potentibus, omnes cedunt litibus impotentes. Quòd si majores cœperimus evitare, nihil dubium est, quin audeant minores obsistere, ipsique majores de facili nostram potentiam vilipendant. Profectò non sinè causa nec frustra de Julio Cæsare apud Thessaliam credimus dictum esse:*

In plebem vetat ire manus, monstratque Senatum,

Satagemus ergo semel imponere lora potentibus, ut plebem reliquam terreamus, & erit nobis unius victoria triumphus nobilis plurimorum. Neque credimus eundem Comitem tantis viribus præeminere, quantas dilectæ manus nostrorum fidelium in primis insultibus non terreant & conculcent. Nunc itaque, Admirate, festina, ut cùm diem crastinum Sol radiis illustrabit, erigantur ingentes machinæ contra castrum, quod eminet civitati; quoniam hæc summa intentionis est, ut attentemus omnimodè vires ejus. Pandit ergo vexillarius signa Regis, castra movent, Catanczarium obsidetur. Rex qua parte potuit speculatus est aditus civitatis. Cùmque videret illam rupibus circumseptam, solùmque locum ante castrum spatiosum, & aptum bellis existere, hìc jubet abscissas silvas congerere, ut vallum, quod citra castrum erat, die altera solo proximo coæquaret. Nec mora, in virtutis exemplar Julium Cæsarem in obsidione Massiliensium imitatus, cœpit Rex prior silvas cultro proscindere. Cetera quidem turba pro viribus amplexatur edictum. Procumbunt itaque arbores & virgulta, omnisque adjacens silva congeritur ante castrum, donec succedens noctis crepusculum laboribus finem dedit. Indulgebant obsessi vigiliis vulgatam Regis industriam metuentes, nec spatiosum somnum obsessores oculis capiebant, ad speratas obsessæ civitatis divitias anhelantes, quamvis utramque aciem hinc inde tubæ terribiles excitarent. Et factum est cùm auroræ surgentis indicia in lutheis nubeculis viderentur, bellatorum cunei circumveniunt civitatem inferendi bellum signum Regium expectantes. Postquam verò cœpit Sol oriens Orbem detegere, universis jam dispositis, quæ Rex ipse præceperat, datoque signo, in civitatem, & castrum irruitur. Marinæ gentes velut silvarum capreoli circumquaque prosiliunt, & tanquam murilegi rupes ascendunt. Vallum illico adimpletum, & solo æquatum est. Impugnantes capiendæ civitatis ex successibus assumpta spes animat. Comes verò ab ipsius defensione desperat. Cùmque angustum videretur ei superesse tempus consilii quid ageret in extremis rebus à se ipso deposcit. Vocat itaque Rogerium de Lauria, qui viris bellatoribus assistebat, & ait illi: *Reminiscere, reminiscere, Admirate, quoniam ex unius linea sanguinis origo nostra suscepta est. Quòd si veritas sic se habet, generis nostri communis esset injuria, si me in hac arce famosa contingeret bello capi. Quo casu vel irrevocabilis vulgi clamoribus vitam darem, vel saltem victus traherer cum popularibus & plebejis. Cede, inquam, bellis obsecro, veniamus ad fœdera, postquam hæc superna judicia decreverunt.* Admiratus hæc audiens, ne circumstantes adverterent, edixit Comiti signo silentium, & illico fecit desistendi à bello per bucinam signum dari. Nec minùs sublimi equo nunc huc nunc illuc celeri cursu prævectus, viros bellatores jam ipsam victoriam amplexantes minis & terroribus revocabat. Rediens itaque festinus ad Regem ait: *Rectè*, inquam, *de Comite isto regia providit industria. Ecce inferentibus nobis bellum, precibus nos invitat ad fœdus. Gloriosum quidem nobis est absque cruoris unda terras subigere, magnosque viros in benignitate Regia subjugare. Hunc quidem Comitem nobiles hujus provinciæ in suis actibus assequuntur; & si Majestas Regia statueret agendum esse mitiùs cum eodem, Regnicularum corda fama benignitatis Regiæ ad se traheret. Longa quidem præteritorum experientia monstratum est, quòd incolæ Regni hujus amore potiùs quàm viribus superantur.* Cui Rex: *Non sunt reconciliationis beneficio attentandi quos in adversam partem antiqua odia fecerint obstinatos. Julius Cæsar Domitium, quem victum habuerat, liberum abire permisit. Ille verò bella civilia contra Julium Cæsarem restauravit. Nec merentur apud nos gratiam invenire qui præ-*

(*) Crotonem.

prædecessores nostros hostiliter tractaverunt. Manfridi quidem Regis avi nostri & Conradini memoria nos excitat ad vindictam. Vindicemus ergo nostrorum injurias; & quia jam prope est summa belli, victrices manus nostrorum fidelium de spoliis hostium non fraudemus. Tunc fremebant viri bellatores contra Rogerium aspirantes ad prædam. Sed tandem victa est Regis clementia precibus, quas idem Admiratus, aliique magnates plurimas cumularunt; dictusque Comes de restituenda ad manus Regias civitate ipsa, cunctisque Comitatus ejus castris & munitionibus, nisi Rex suus in campis existeret, quadraginta dierum inducias impetravit; quod ipsius Comitis obsidibus & juramento firmatum est. His autem successibus attoniti omnes incolæ regionis ejusdem, quam terram Jordanam appellant, præter Luciferum Archiepiscopum Sancti Severini, ad hæc fœdera convenerunt. Hic nimirum Venerabilis Pater, & Pastor egregius eximia semper caritate flagrabat, animam suam pro ovibus continuò exponebat, cùm non hostiam, sed humanas carnes, non calicem; sed humani cruoris undam propria manu ex Christianis elicitam Dominis suis temporalibus tamquam diis gentium ritu gentilium immolabat. Interea dum constituta dies induciarum adveniat, Rex ante Cotronum (*) propter loci amœnitatem constituit cum suis militibus residere. Nuntii verò Comitis Catanczarii, totiusque regionis, qui fœdus cum Frederico Rege pepigerant, ad Regem Carolum, qui in Apulia residebat, è vestigio perrexerunt, obsidiones, insultus, & captivitates, prædas, depopulationes, & alia guerrarum discrimina, quæ passi fuerant, pacta etiam & conditiones, in quæ cum Frederico Rege necessariò venerant, per seriem retulerunt. Rex Carolus ad examen disponit negotium; & cùm vidisset casum Calabriæ restaurari non posse, de conservandis tantùm terris maritimarum Apuliæ curam gerit. Nuntii redeunt. Quadragesimus dies constitutus advênit. Comitatus Catanczarii, totaque Regio, quam superiùs terram Jordanam diximus, servata fide, quam spoponderat, Frederici Regis dominio se subjecit.

CAP. VII.

De succursu Roccæ Imperialis, & captione Policori.

NEc tamen credere opus est eundem Regem fortunæ felicia prosequentem omnes designatos dies in otium deduxisse. Nam postquam constituit ante Cotronum, ut dictum est, residere, accersitum Rogerium Admiratum his verbis affatus est. *Fama nobis referente comperimus Johannem Comitem Montis-fortis contra Roccam Imperialem cum electa manu bellatorum eminentem cumulum obsedisse. Quòd si diu pateremur locum illum obsidionibus coartari, quamquam viribus expugnari non possit, acerbæ tamen famis pericula quamvis invitos incolas in præcipitium deditionis afferrent, quod gravia quidem damna fidelibus nostris & nobis etiam infamiam generaret. Dimissis itaque ad obsequia nostra duodecim galeis sub cura Petri Salvacoxa de Iscla, qui tuas in officio vices gerit, ad litora ipsius Roccæ propinqua noctescente cum cetera classe festines, hoc agens; ut de victu subveniatur obsessis, & cùm voluerint, sinè bello discedere nequeant obsessores. Nos autem, quo citiùs opportunitas dabitur, tua vestigia subsequemur.* Admiratus non segnior exequitur jussa Regis. Trecentos ex militibus electis viros cum equis in classe recepit, ventisque felicibus vela commisit. Cùmque diesceret in ipsius Roccæ vicina litora declinavit. Præmissis autem exploratoribus, ne hostes ad eadem loca forsitan pervenissent, exponunt equos è puppibus, aggeres ligonibus cumulatis & consertis restibus circa tentoria vallos firmat. Castris itaque in tuto dispositis, Admiratus cum quibusdam electis militibus per colles & juga montium, ut vires hostium speculentur, ascendit: quem cùm hostes vidissent eminus venientem, erumpentes è castris velut apes contra ignavos fucos sinè ordine irruebant. Ille quidem astu regrediens, nunc fugiens, nunc expectans, nonnullos ex incautè sequentibus perdidit, & se cum suis illæsus in tentoriis receptavit. Cùmque Sol cadens ad vesperum declinasset, ecce de Urgiolo descendens frater Arnaldus de Poncio Prior Sanctæ Euphemiæ, vir bellis assuetus, nec inferior Lucifero Archiepiscopo in opere caritatis, qui Johannis paupertatem; quam voverat, relegavit, & potiorem armorum, quàm pauperum curam gerens, bella pro Rege Frederico in illis partibus agitabat, advênit. Itaque Rogerio & Arnaldo conferentibus ad invicem, actum est, quòd quilibet equitum ad posteriora equi grani modium mancipavit, pedites verò singuli singulos thuminos assumpserunt. Sic ergo per amica noctis silentia festinantes Roccam eamdem victualibus aliisque necessariis muniverunt. Discedit post hæc Prior ad locum destinatum. Regrediens Admiratus prædæ intentus, hostiumque strage sollicitus, galêas ascendit, duxitque nocte navigium, & aurora lucescente pervênit ad litora Policori, quod sex millibus passuum à Rocella distabat. Hunc quidem locum hostes in obsidione positi elegerant receptaculum omnium, quæ providerant ad obsidionem Rocellæ terra marique suis necessitatibus bajulari, cujus loci custodiam de incolis regionis centum equitibus commiserunt. Admiratus incautos aggreditur, fugam parare volentes præoccupat; paucisque evadentibus, reliquis victis, eorum substantiam in tubarum sonitu ad litora secum portat.

CAP. VIII.

De perturbatione Frederici Regis, & Rogerii de Lauria.

NUnc autem opus est aliquantulum retro pedem convertere, ut ea, quæ necessitatis causa omissa sunt, in præsentis narrationis seriem reducantur. Verùm quia nulla dies mortalibus completur in gaudiis, ecce galêa, quam *Zaora* nominabant de Cotrono velificans ad Rogerium futura multorum malorum semina reportabat. Nam Frederico Rege, ut dictum est, ante Cotronum pro expectatione temporis constituti Petro Comiti Catanczarii residente, quodam die inter cives Cotroni & Gallicos orta seditio utramque partem instigavit ad arma; & dum cives ipsos Gallici superarent, nonnulli ex popularibus ascendentes mœnia civitatis cœperunt validis vocibus castrorum Regis, quæ prope erant, auxilia implorare. Marinarii quidem præponderantes rapacitatem prædæ, observantiæ

(*) Crotonem.

tiæ treugarum non segnes, clamantibus opem ferunt. In plateis & vicis inopinatum bellum committitur, Gallorum exercitus in eminentis Castri Turribus coartatur; cùmque irrevocabilis vulgi manibus negotium ageretur, accensus furor armavit infamia, & armatis Gallis ira Dei vires ademit. Ex quo factum est, quòd Castrum viribus armorum inexpugnabile inermes marinarii duodecim galêarum animati successibus absque intervallo temporis invadunt, capiunt, & prædantur, quod re vera solæ mulieres, quæ aderant longioris spatio temporis ab illorum insultibus defendere debuissent. Regem in meridie dormientem tumultus validus excitavit; & cùm instantis necessitatis articulus illum armari non sineret, clavam sumpsit, equum inermis insiluit, & in subsidium castri qua potuit celeritate perrexit; sed non tam properè festinavit, quin redeuntibus cum spoliis marinariis occurrisset. Illi viso Rege diffugiunt, alii cum præda latitant, alii, ut celeriùs fugiant, prædam linquunt. Non tamen omnes tam subitò discesserunt, quin Regis indignatio aliquos ex eis ad inferos destinaret. Omnis quæ inventa est Gallorum præda congeritur, Petro de Rigibal castri & terræ Capitaneo redditur; & quod invenire non potuit, de Regis ærario Gallorum judicio restauratur; eundem tamen Petrum cum suis jubente Frederico ad Admiratum, unde facilior sibi ad Regem suum esset accessus, *Zaora* quam superiùs dicebamus advexit. Casum illorum literæ Regiæ continebant; per quas etiam literas in ipsius casus remedium binos ex carceratis hostibus pro singulis interfectis restitui Rogerio jubebatur. Cùmque hæc Rogerius de Lauria, qui conventiones & fœdera cum eodem Petro inierat, & juramento firmaverat, audivisset, utque erat impatiens, furore succensus, vocem exacuit, & se causam violatæ fidei nominavit. Postquam verò factum est quod de restituendis hostibus Rex ipse præceperat, ad Regem Admiratus reduci classem festinat, Cutroni litora contigit, Regemque in Solio præsidentem adivit: qui more gentis Hesperiæ manus osculum pro fide & reverentia debita Regi præbens, tandem hæc ira dictante præfatus est:

„ Inclyte Rex, ab illo tempore, quo Reges „ Aragonum in Regno Siciliæ præfuerunt, quia „ publica sunt & multo sanguine jam parata „ servitia, quæ pro vestris & vobis gessi, non „ referam; sed si quis annales illorum eventus „ Romano more scripsisset, in cunctis vel bellorum vel pacis actibus aut treugarum Rogerius de Lauria fide conspicuus tenaxque „ servator pactionis & fœderis relegeretur. „ Galli, Provinciales, Græci, Arabes. Barbari, Mauritani, utriusque Hesperiæ gentes, „ & si quæ aliæ nationes, ex quo præfui classi „ Regiæ, fata Siculorum & vestra experti sunt „ illæsam fidem Rogerii approbarunt. Illustres „ quidem viri, ut post obitum fama clarescereret, pro servanda promissionis fide mortem „ voluntariam elegerunt. Regulus Pœnorum „ bello captus ad Romanos pro impetranda „ pace dimissus, ne in sponsione deficeret, „ scienter moriturus in carcerem regressus est. „ Herodes, ne illum fallax mulier levitatis „ promissionis argueret, Johannem virum sanctissimum etiam contra conscientiam decalvavit. Mentitis Græcorum signis obtinuisse „ victoriam Chorebis arguitur; cujus opinio „ dolus aut virtus quis in hoste requirat, sapientum judicio reprobatur. Nec opus est „ longè præteritorum exempla repetere, quia „ magis propinquum, & annexum vox tangit „ exemplum (*). Nam domino genitor vester „ ut promissa servaret in Burdegalim civitatem „ pergens, quamvis Rex magnificus inopem „ famulum simulavit. Non ergo patiar neque „ sinam ut laudabilis famæ præconium immensis jam partum laboribus, & per varios notabiles rerum exitus divulgatum in me facto „ alterius denigretur. Pacta & conventiones „ inter vos & Petrum de Rigibal de observandis illi quadraginta dierum induciis in conspectu publico pepigi, & solemni juramento „ firmavi. Nunc autem vobis præsentibus illum „ in medio tempore de castro violenter ejectum „ esse sublatis spoliis, cæsisque custodibus arcis „ manifestum est. Et ideo si in agendis vestris „ constitero, nulla fides dabitur verbis meis, „ quinimmo cum alis pernicibus omnis infamia „ divulgabitur. Sceleris hujus fama crebrescens „ de facili ante Mundi oculos afferet me infidum. Malo itaque tantis abesse periculis, „ quàm duci & agitari consiliis eorum, qui „ ad aures Regias iniquè suggerunt & susurrant. Depono, inquam, in manibus vestrum „ officium, & dabitur mihi quam oro licentia „ remeandi. Profectò in Castellionis finibus „ eventum hujus negotii expectabo. Sed, nisi „ fallor, postquam abiero, tempus adveniet, „ quo elata multorum jactantia, quæ implicitum negotiis Rogerium de longo arguit, tunc „ imminentibus lacessita periculis palpitabit. Interea cor Frederici Regis paulisper incaluit, & quamvis patienter omnia toleraſſet, proloquentem nihilominus torvis oculis tuebatur; eoque silente quasi subridens sic orsus est:

„ Si causas tui furoris respicimus, propter casum Petri de Rigibal, qui Deo teste nobis „ ignorantibus contigit exarsisti. Ne tamen in „ tuis insanis & assuetis motibus glorieris, libet „ ad proposita respondere. Si publica sunt obsequia, quæ nobis & nostris, ut asseris, multo „ sanguine contulisti, re vera jam non latent „ honores & præmia, quæ tibi, & tuis propterea contigerunt. Sed quia proprietatem „ cordis nostri tanto tempore ignorasti, aut „ ignorare nunc simulas, hanc tibi sinè velamento pandemus. Tanto nobis est exosa superbia, quòd si quis Laomedontem Trojanorum Regem, vel ipsum Julium Cæsarem „ Principem Romanorum pro nostris obsequiis „ ab inferis revocaret, qui nobis omnia regna „ Mundi subjiceret, aut omnem terræ ambitum ditioni nostræ, vel armis vel ingenio, „ nil quidem jucundum vel utile censeremus, si „ tantis obsequiis aconita superbiæ immisceret. „ Tu equidem quotiens irarum fluctibus intumescis, exacuis contra omnes indeferenter ut „ gladium linguam tuam, nihil etiam nobis „ deferens, pessundare satagis universos. Fœdera, quæ inter nos & Cutronenses habita „ sunt si tuo juramento firmasti, non tibi, sed „ nobis, in cujus anima juratum fuerat, onus „ servandæ fidei incumbebat. Quòd si qua „ exinde oriretur infamia, non tuam, sed nostram gloriam denigraret. Postquam illos „ inopinatus casus invasit, quamprimùm auribus nostris intonuit, inermes objecimus caput „ nostrum periculis, & manus nostras in sanguine nostrorum fidelium tinximus, enitentes „ illos de tanto turbine liberare. Tandem quia „ ino-

(*) Vide supra Lib. 1. Cap. 25.

„ inopinatum, & subitum casum prævenire ne-
„ quivimus, cuncta, quæ reperiri potuerunt,
„ eorum spolia sibi restituta sunt. Damna qui-
„ dem ex ærario nostro redemimus. Pro mor-
„ tuis, quia inreparabilis casus erat, de capti-
„ vis eorum, quos bello captos tenebamus,
„ jussimus duplicato numero liberari. Quid
„ ultra poteramus illis agere ignoramus. Quod
„ si commissum tibi deponis officium, si abire
„ desideras, etiam si ad hostes transfugeres,
„ nec grave quidem gerimus, nec molestum.
„ Putasne quicumque prosperi bellorum suc-
„ cessus nobis contigerint ex tua felicitate pen-
„ dere? Delirum te faciunt supercilium typus-
„ que superbiæ. Neque enim subditorum for-
„ tuna momentum est dominorum, quin immò
„ à felicitate Regum & Principum causatur
„ felicitas subjectorum. Labienus, inquam,
„ Romanus diu prospera bella gessit quo usque
„ sub Julio Cæsare militavit. Postquam verò
„ ad Pompejanas partes transfugit cum ducis
„ infortunio miserabiliter exulavit. Nec opus
„ est ad exempla deducere quot regna quot
„ urbes deleverit insolentia superborum, quos
„ omnem Divinum judicium nunquam deserit
„ impunitos. Fuit itaque Laomedontis super-
„ bia Trojanorum excidium, & magnorum Gi-
„ gantum eversio Babylonis. Vade ergo quò-
„ cumque libeat non oblitus, quoniam Deus
„ Judex justus, & irremissibiliter humiliat, &
„ conculcat elata capita superborum.

CAP. IX.

De reconciliatione Rogerii de Lauria, & fugata obsidione Roccæ Imperialis.

TUnc Rex finem imponit eloquiis, & quasi de iis eventibus parum curans, cum assistentibus equitat, & spatiandi causâ per amœna loca propinat. Conradus Lancea Rogerii sororius, vir magni consilii, ante alios Regem adiit, Regisque animum adjectis utili consilio precibus mitigavit. Rogerius in conspectu Regis pœnitentem se præbuit. Rex illi omnem loquacitatis culpam laudabili benignitate remisit. Discedens itaque Admiratus, quamquam non omnes fluctus animi quievissent, cum parata classe in subsidium Roccæ Imperialis, unde venerat, regressus est. Rex contra Comitem Monti-fortis, qui eandem Roccam obsidione servabat, densis castris terrestrem direxit exercitum, Comes hujus negotii non ignarus, instantia sibi prospectans discrimina, obsidionem deseruit, longèque discedens, castra suorum in locis, quibus futura posset vitare pericula, receptavit.

CAP. X.

De deditione Sancti Severini, & Archiepiscopo ejusdem civitatis.

CUmque Regi compertum esset obsidione relicta Comitem abiisse, contra civitatem Sancti Severini castra convertit; ubi jam dictus Archiepiscopus de loci situ confidens, & bellorum desideriis inhians, in arce tumidus residebat. Cùmque locus ipse cunctorum judicio inexpugnabilis videretur, non attentare viribus rem impossibilem, sed arcere hostes ab aquis à Rege provisum est. Jussum Regis capessitur. Multitudo lignorum congeritur, & super fontem constructis aggeribus, pinnis tabulatis, aliisque machinis contra civitatem vi plurima insidetur. Itaque inter partes de hauriendis aquis lis oritur. Populus verò sitiens sub eodem fonte lite crebrescente mactatur. Tum Archiepiscopus inopportunum sibi rei finem præmeditans paulatim definiit, fastus priores deposuit, ac paciscì cum Rege qua poterat solertia quæritavit, & tandem, ut videretur saltem in tempore plus aliis obstitisse, sub illis conventionibus, quibus Comes Catanczarii pepigerat duorum mensium inducias impetravit. Nihilominus post designati temporis spatium civitatem ipsam Blasco de Alagona Regis Vicario sinè contradictione reliquit.

CAP. XI.

De deditione Rossani, & aliorum locorum.

INterea priusquam tempus indultum Archiepiscopo laberetur, fatis cum Frederico Rege prosperè agentibus, Rex armata manu discurrens adjacentia loca suæ ditioni convertit. Cùmque ante Russanum occurrentia cuncta subjiciens pervenisset, incolæ civitatis ausi sunt de inaccessibili loci asperitate confidere, necnon & contra ipsius Regis vires pro defensione patriæ arma tentare. Postquam satis admonitos vidit Rex eos pertinaciter obsistentes, ut præberet illis vexatio intellectum, & eorum damna cederent aliis ad terrorem, terram ambiit, agros & quæque virentia spectantibus incolis igni ferroque vastavit. Tunc cives ignorantes eligere inter expediens, & nocivum, post illata eis damna fœderibus inhærentes in deditionem veniunt, Regem palliatum accipiunt, eumque in civitate cum pompa qua poterant introducunt. Discant nunc insanæ plebis infatuata consilia quid conferat in parvis magnisque periculis minus malum eligere ante casum. Debuerant utique vel priùs ante illata damna Regi concedere, vel post agrorum depopulationem obsidionem, quam timere non poterant, æquo animo tolerare. Hoc inquam vastationis agrorum timore perterriti habitatores locorum adjacentium, non expectatis hostium viribus, per legatos ipsius Regis dominio paruerunt. Dilatatum erat propterea cor Regis successibus arridentis fortunæ, sequabatur felicia, omnesque regnicolas ad se nullo contradicente verrebat; fuissetque ab eo quodcunque de finibus Regni supererat brevi tempore jam subactum, nisi fallax fortuna, quæ Regi secundis huc usque successibus arridebat, hilarem vultum in tristitia & serenum in nubila convertisset, ipsamque rotam volubilem suo motu rabido agitasset.

CAP. XII.

De Legato Regis Jacobi ad Regem Fredericum ut viderent se invicem.

ET ecce Religiosus quidam de ordine Prædicatorum nomine Petrus de Corbelles, vir eloquens & astutus, Nuntius Regis Aragonum ad eundem Fredericum Regem advenit: qui post expressum salutis involucrum, nactus loci opportunitatem & temporis referendæ Legationis, incœpit: „ Nuntio vobis ad gaudium
„ egregiam laudem & nostris temporibus inau-
„ diram Regno Aragonum contigisse, quoniam
„ Summus Pontifex ad exultationem Christianæ
„ religionis, & gloriam fidei orthodoxæ post
„ solemnem deliberationem habitam cum fra-
„ tribus suis constituit Regem Jacobum fratrem
„ ve-

Digitized by Google

„ vestrum Sacrosanctæ Romanæ Matris Eccle-
„ siæ Vexillarium, Admiratum, & Capitaneum
„ generalem, hoc unum præcipuè inter alia
„ suæ commissioni adjiciens ut vos cum eadem
„ Ecclesia in æterna pace componat. Nunc
„ ergo tempus adest quo pulsa guerrarum for-
„ midine, bellorum tumultus resideant, ipsa-
„ que Mater Ecclesia cum devotis filiis in pacis
„ umbraculo requiescat. Et ut hæc omnia cau-
„ tiùs exponantur, oraculo vivæ vocis idem
„ Rex Jacobus præelegit apud Isclam Insulam
„ vobiscum habere sermonem. Sit ergo vobis
„ curæ sub specie revisendi fratrem eò usque
„ procedere. Neque opus est de illius tractati-
„ bus hæsitare qui vos more patrio educavit.
„ Sed si vobis, quod absit, aliter visum erit,
„ nulli deinceps restet ambiguum quin Rex ipse,
„ postquam semel commissis officiis fungi cœ-
„ perit, contra universum Orbem, quocunque
„ Pastor Ecclesiæ jusserit, in magnanimitate
„ Regia diriget manus suas, etiamsi matris
„ ubera, si fratris jugulum, si viscera filiorum
„ appetere gladio jubeatur. Hoc ergo, bone
„ Rex, librate consilio, ne tanta duorum no-
„ tabilium fratrum virtus insanis circumventa
„ consiliis obruatur.

CAP. XIII.

De Consilio agitato super Legatione Regis Jacobi.

SUmmam Legationis ex ore loquentis Rex taciturnus audierat, & quicquid sub verborum ænigmate latitabat accepit. Itaque ab aula Regis Nuntio discedente, viri consiliarii vocati ad Regem conveniunt, verba Regis intenti audiunt, sed audita quidam à Rege Legatione stupescunt. Cùmque vidisset Rex illos attonitos, cœpit illorum pusillanimitatem arguere, ac demissos animo in magnanimitate Regia vultu placido refovere. *Vana*, inquit, *verba vos agitant. Non enim eveniunt omnibus omnia quæ proponunt, maximè cùm inhonestam causam præsumpserint & iniquam. Si Rex Jacobus frater noster ex conventionibus pacis quam composuit cum hostibus Siculorum causa vitandi pericula, quæ sibi de Regno Aragonum poterant imminere, destitit nos tueri, quamquam evidentem culpam commiserit, poterat nihilominus tolerari, quoniam certum erat nos absque suo præsidio potuisse ab illorum insultibus defensari. Nunc verò si junctis cum eisdem hostibus nostris fœderibus contra nos aciem direxerit ut fratrem innocentem gladio feriat, ut fideles Siculos iterum jugo tyrannorum subjiciat, nonne inhonestam causam aggreditur, & iniquam? Itaque Deus justus & magnanimus inhonestum dirumpet propositum, & iniqua consilia dissipabit. Quare agite, viri prudentes, & in magnanimitate laudabili consulite in medium quid melius pro gubernatione nostræ Reipublicæ ad defensionem patriæ sit agendum.*

CAP. XIV.

De reditu Frederici Regis in Siciliam.

TUnc ipsum Regem rediturum esse in Siciliam universi, qui aderant consiliarii decreverunt. Dimisso itaque in Calabria Vicario Generale Blasco de Alagona, Rex in Siciliam cum ratibus quæ aderant, quoniam cetera classis abierat cum Rogerio de Lauria, celeri cursu navigare contendit. Nautæ properant, quia dulcem patriam repetunt, ventisque ab aurora feliciter flantibus vela committunt. Cùmque brevi spatio temporis navigasset, Messanæ litora nullo discrimine contigerunt. Messanenses obviam in gaudio Regi veniunt, quoniam de ipsius reditu gratulantur. Rex intentus consiliis, per civitates & famosa loca Siciliæ scribi jubet ut apud Plateam in designato die Syndici universitatum ad generale colloquium convenirent.

CAP. XV.

De captione Lechiæ, & Ydronti.

INterea cùm Rogerius de Lauria præfatæ adhuc Legationis ignarus ad Roccæ Imperialis auxilia navigaret, comperit Johannem Comitem Montis-fortis ab ipsius Roccæ obsidione digressum, & ne felicitatis cursum in segnitie moraretur, ad ortum per Apuliæ litora navigans, terram quam Lechiam dicunt decem miliaribus à mari distantem sub tenebris noctis invadit. Incautum vulgus excussum sono terroribus fugam parat. Cuncti sinè bello patriam deserunt, prædam ad litora junctis animalibus hostilia plaustra ferunt. Nec mora, stipatis ratibus præda multiplici Rogerius festinus navigat ad Ydrontum, cujus incolæ, propter eam proditionem, quam in Regem Manfridum commiserant, oppidum absque mœnibus habitabant. Hi quidem visa Siculorum classe, quam gestorum felicitas præconiis extollebat, adeò consternati sunt quòd neque vim, neque fœdera paraverunt. Absque bello itaque terra capta est. Sed quia viderat Admiratus locum esse navigio opportunum, revocatis civibus antiqua mœnia restauravit, propugnacula in eorum summitatibus posuit, vallo & aggeribus laudabili provisione munivit; in cujus loci custodia Guillelmum Palloccam virum in armi expertum constituit, sibique comitivam gentis armigeræ cum tribus electis ratibus deputavit, quem processu temporis per literas Rex amovit, ipsiusque loci custodiam Belingario de Intenciis, considerata sui generositate, commisit, ac si fides omnino ex generositate penderet. Hic nimirum degenerans, relegatâ justitiâ, inhumanis actibus in populum sæviebat, & quod gravius, tandem occasione assumpta in hostes cum commissa sibi custodia declinavit, inexcusabilis verò notam criminis secum trahens.

CAP. XVI.

De conflictu super pontem Brundusii.

POstquam Ydrontum stabilitum est, Rogerius ad placidos portus Brundusii, de cujus primis cultoribus brevitatis causa pauca subjungam, cum classe belligera destinavit. Ut historiographi referunt, cùm nobiles Athenienses propter iniquam Androgei cædem & detestandæ Sillæ parricidium septem corpora natorum singulis annis Minotauro Cretensium mittenda sorte deberent, missæque processu temporis sortes in Theseum Ægei Regis unicum filium cecidissent, idem Ægeus voluntariam sibi mortem elegerat priusquam de obitu filii comperiret, quoniam orbatus filio se esse nolebat. Filius genitoris animum spe suspendit, ne ante reditum puppis gerentis miseræ servitutis debitum desperaret. Impositum est ergo abeunti signum quod si

si contingeret illum evadere, cum velis candidis remearet. Qui Theseus cùm Ariadna gerente negotium cœca labyrinthi vestigia consilio Dædali filo apposito evasisset, rediens propter impietatem quam in eandem Ariadnam commiserat, meruit oblivisci candida vela summittere. Quo casu Ægeus redeuntis carinæ lintea, quibus consueverat advehi, nigra prospectans, ne crudelem filii obitum vivens acciperet, in mare, quod adhuc suo nomine dicitur, cursu præcipiti se injecit. Abhorrens itaque Theseus casum patris, Athenas deseruit, & has extremas oras Italiæ portu & terrarum situ placidas habitavit, quas à Brunda, quod est caput Cervi; propter loci similitudinem Brundusium appellavit. Huc verò sexcenti electi milites ex hostibus prævenerant; quod idem Rogerius ignorabat. Cùmque deposuisset è puppibus equos ad litora, quasi præscius futurorum, in locum quem Roseam vocant castra composuit, qui statim affixis palis restibus circumtextis ambivit, cœpitque deinde hostili more adjacentia loca vastare. Altera autem die cùm supra pontem Brundusii ventum esset ab iis qui agr rum depopulatoribus equites assistebant, aliqui ex eis amœnitatem loci spectantes ultra progressi sunt, placidas aquas fontium & loca viridia speculantes. Rogerius quidem cùm suspecta fraudibus loca vidisset, præsaga mente casum præmetuens, quem insidebat gradarium stimulis incitavit, pontem præteriit, suosque citra pontem ipsum celeri gressu redire coegit. Nec mora, ipso adhuc aquas è fontibus hauriente, prosiliunt è latebris milites, omnesque hostile insidiæ patuerunt. Rogerius hæc prospectans, concito cursu quo gradarius poterat in pontem revertitur, equum bellis assuetum petit; & quia propter castrorum classisque distantiam nullum fugæ remedium superesse peditibus videbatur, bellorum socios ad pontis defensionem invitat. Sed hostes quidem euro velociùs pontem contingere satagebant. Ad hunc ergo finem utriusque partis intentio versabatur, Siculi ut pontem pro salute defenderent. Galli verò ut pontem ipsum in Siculorum perniciem præterirent. Et ecce Goffridus de Jamvilla vir nobilis & armorum fama præclarus, qui præerat Gallorum militiæ, cum juvene quodam nepote suo bonæ indolis, & armorum gloriam quæritante prævenit; insertisque lateribus, tamquam duo leones fortissimi rugientes, jam duas partes pontis post terga reliquerant, & jam transgredi partem reliquam aspirabant. Sed laudabili quidem digni memoria Peregrinus de Pactis & Guillelmus Pallocia, qui sub Rogerio de Lauria militiam grave Martis opus tolerare didicerant, non segnes obviam hostibus irruerunt, vitam æstimantes magno p etio vendidisse, partem pontis exiguam, quæ ab hostibus transmeanda supererat, pro tutela suorum usque ad succursum Rogerii, & aliorum si qui adesse poterant, defensarent. Bellum itaque inevitabile oritur, & impari numero bellatorum. Hinc quidem Gallorum acies ut pontem prætereant constipatur. Illinc verò duo tantùm clari milites Peregrinus & Guillelmus, quamquam cruore maderent nunc illatis, nunc receptis vulneribus obsistentes immobiles constiterunt, donec Rogerius non segnis accepto sonipede Lauriam clamans, multis illum sequentibus tertium se intulit supra pontem. Tunc videret quis pugnam crebescere, tunc partes excidio partium imminere. Illic assiduis clavarum ictibus cassidum fragmenta dissiliunt, illic hami loricarum fortissimi diversis gladiis perforantur, illic frontes frontibus & pectora pectoribus colliduntur. Alii se invicem impellentes in profundum, ex pontis lateribus corruunt. Alii mutuis confossi vulneribus ad solum consertis brachiis sese trahunt. Diu super exiguo loco multa virorum fortium nomina convenerunt. Diu multo cruore dimicatum est quousque Admiratus & Goffridus casualiter concurrerunt. Itaque resumptis viribus duo viri notabiles mutuis se vulneribus appetunt, vitamque pro laude victoriæ in animo paciscuntur. Cùmque Goffridus exitio Rogerii eminens clava illum appeteret, ille manu celeri educto gladio per extremas oras loricæ, qua parte subest galeæ, Goffridum in facie vulneravit. Goffridus autem accepto vulnere, quod patebat, acriùs ardescit in pugnam, & quasi prævalens equum contra Rogerium calcaribus stimulat. Equus verò agilis & stimulorum impatiens in saltum erectus relabitur, & miserabili casu in limum inscrutabilem de ponte cum sessore prostratur. Hoc successu Rogerius cum sociis animatur in pugnam. Insistebant etiam Provincialium & Gallorum exitio, qui advenerant balistarii Siculorum. Igitur Provinciales & Galli, quia pontem illum transmeare non poterant, ne transmissis in eos jaculis supra pontem deficerent, terga convertunt, plures hinc inde in limum variis impulsibus corruunt, & tandem non sinè multorum strage pontem Siculis derelinquunt. Rogerius, quamquam victor, hostes non sequitur; sed quasi voti compos victoriæ pompam ducens, abeuntibus illis, in castra regressus est; ubi diebus aliquibus residens captivos pretio restituit, & se suosque refovit.

CAP. XVII.

De reditu Rogerii de Lauria, & consilio agitato, si erat eundum ad Regem Jacobum.

Cumque in hostes ulteriùs progredi Rogerius, anhelaret, Nuntius festinus adveniens literas ei obtulit, quibus Rex Fredericus illum cum classe in Siciliam revocabat. Nec mora, puppes repetunt, in Siciliam celeri cursu navigare contendunt. Ventis itaque placidis delati ad portus Messanensium, Regem in palatio residentem læto clamore nautico, ut antiqui moris est, de litore salutarunt. Huc ubi Rogerius declinavit, Religiosus ille, qui Nuntius Regis Aragonum venerat, quamprimùm fandi copia sibi cessit, Rogerio literas ab eodem Rege directas exhibuit, eumque ut persuaderet mutuam visionem fratrum oretenus animavit. Rogerius, inquam, libenti animo causam amplectitur, quia suum in hac parte negotium agebatur. Ab illo enim (tempore) quo in Regem Fredericum ante Cutronum pro casu Petri de Rigibal tumidis verbis proruperat, ad Regem Jacobum proficisci tacitè aspirabat. Ante diem verò celebrandi colloquii Rogerius de Lauria tumidus astutiis lustrans circumquaque viros consilii ut illos ad opinionem suam adduceret, quacunque poterat solertia satagebat. Vinchiguerra de Palacio, & Matthæus de Thermis opinionem alteram amplexantes, nunc hos, nunc illos noctem addentes operi circumeunt, exhortantes, ne Fredericum Regem abire permittant. Cùmque advenisset dies adjecta colloquio, quam Rex paulò ante constituit, Rex ipse cum Regni Primatibus & Syndicis Universitatum in designatum locum undique convenerunt.

Digitized by Google

runt. Itaque Legatio Regis Jacobi coram illis exponitur, & unicuique referendi suæ speculationis sententiam facultas libera perhibetur. Postquam diu agitatum est vario sermone consilium, prudentes viri, qui aderant, vel instructionem, quam à Vinchiguerra & Matthæo præcedenti nocte susceperant imitantes, vel quia Fredericum Regem pio amore universaliter diligebant, forsitan metuentes, ne Jacobi Regis industria devotum fratrem & parêre fratri dispositum circumveniret pollicitis, quo casu eum à gubernatione Siciliæ amoveret, non eundum esse ad conspectum Regis Jacobi nunc publicis, nunc secretis diversis & pluribus rationibus decreverunt. Tunc Rogerius de Lauria stetit in medio tanti cœtus, & quasi lacrymabilem vultum gerens oravit his verbis: „ Nisi velimus „ nosmetipsos seducere, potentiam Regis Aragonum, quam nobis longa bellorum experimenta monstrarunt, inficiari non possumus „ nec debemus. Itaque si se hostem nobis adjecerit, ut cum antiquis inimicis Siciliæ contra „ nos bella paret, non est opus in ambiguitatem deducere, quoniam contra eos, in mari „ præcipuè, non sufficient vires nostræ. Quòd „ si ditionem, quam in marinis cursibus tam „ longo tempore habere consuevimus nobis abstulerint, in potenti manu civitates, & alia „ quæque loca Siciliæ obsidebunt, hos tandem „ longa fame contritos subjicient, illos vi captos gladio trucidabunt. Prædas, incendia, „ vastationes, captivitates, exilia, quæ per totam Siciliam ingruunt, quis poterit tolerare? „ Tunc denique laudata fides quamvis invita „ deficiet, & insana consilia multo sanguine „ pœnam luent. Eamus itaque in mansuetudine obviam tanto Regi, & in conspectu ejus, „ ne mole magnitudinis suæ nos obruat, sermone pacifero procumbamus. Neque erit „ vobis dedecori, si urgente necessitatis articulo fratri majori natu, qui paternas vices in „ vobis exercuit, humiliabitis caput vestrum, „ & nos hactenus sui regiminis pars non vilis, „ ne tradamur per eum in manibus hostium, „ flectentes genua deposcamus. Tunc forsitan „ illum fraterna caritas, & Siculorum devotio „ in foro conscientiæ stimulabunt, ne nos impugnet insontes, quos deberet præcedentibus „ meritis defensare. Quòd si tandem decernitis eidem Regi, qui omnino veniet & non „ tardabit, erectis cervicibus occurrendum esse, „ hoc unum attendite, quòd in fide deficient „ quicunque Regis Aragonum forum & consuetudines non ignorant, quoniam jus & fas „ ad idem conveniunt, ut notam proditionis „ incurrant, qui contra suos dominos arma „ sumunt. „ Hæc ait, & cum aliis Regis Proceribus, Rogerius veniâ postulatâ recedit. More apum cœtus astantium immurmurat. Verbum Rogerii quidam mussantes approbant, alii verò clara voce condemnant. Dato itaque tunc fine sermonibus, quoniam tempus refocillationem corporis exigebat, singuli discesserunt. Altera autem die convenientibus Syndicis & Consiliariis ante Regem, cunctisque silentibus, Rex ipse ab excelsa sede profatus edidit hunc sermonem. „ Ut inutiles verborum circuitus „ evitemus, non libet in medium omnes introductos sermones repetere, sed tantùm ad ea, „ quæ necessaria sunt, ad præsentem materiam, „ respondere. Quotiens duo viri discordes pro „ tractatu pacis ex proposito ad destinata loca „ conveniunt, acrioribus irarum stimulis agitantur, si non composita inter eos pace di-

A „ scedunt, duobus quidem ad propositos fines „ tendentibus, non mutato proposito. Quæ „ causa, quæ ratio eos uniat ignoramus. Nunc „ autem si Rex Aragonum frater noster ad „ hunc finem Regi Carolo se univit, ut eum „ & partes ejus in possessione Regni nostri suis „ viribus introducat, nos quidem pro ipsius „ Regni defensione à die, quo Dei nutu gubernacula Regni suscepimus, disposuerimus „ vitam nostram, quamquam hoc sentiat mens „ omnium Siculorum, quomodo poterimus convenire? Frustra itaque ad colloquia cum eodem Rege Jacobo, veniremus, quin potiùs „ convenientibus nobis in unum, utroque servante propositum, quia non parebimus, ipse

B „ acriùs inardescet. Ad illud autem, Rogeri, „ quòd de foro & consuetudinibus Regni Aragonum sub ænigmate loquebaris, nunc clariùs videamus. Quamquam Rex Jacobus frater noster nos in ætate præcedat, ac præfuerit hactenus in Regno Siciliæ, quòd ad nos „ & ad eum exitus per maternam lineam derivatum sit, si rem velimus recto librare judicio, non erit propterea foro & consuetudinibus Aragonum derogatum. Nam si bene recolitis, donec sui Vicariatus officio fungebamur, illum non solùm ut fratrem, quin „ immo tanquam dominum consuevimus revereri. Postquam verò aut pusillanimitate victus, de Regno Aragonum metuens, aut do-

C „ nationi de Insulis Sardiniæ & Corsicæ aures „ præbens, calliditate plurima circumventus, „ in manibus Regis Caroli communis hostis renuntiavit solemniter juri, quod habebat in „ Regno Siciliæ, nos ab ipsius Vicariatus officio absolutum, te quidem, Rogeri, causam „ plurimùm assertante, Siculi omnes in Regem „ Siciliæ assumpserunt; quamquam ex tenore „ testamenti domini genitoris nostri ab obitu „ Alfonsi Regis fratris nostri fuerit ad nos Regni hujus dominium rationabiliter devolutum. „ Ex tunc ideo nos & Siculi rationabiliter „ exempti fuimus à jurisdictione ipsius, & ab „ omni suæ subjectionis ac fidelitatis vinculo „ penitus absoluti. Quòd si post hos actus con-

D „ fœderatu hostibus injustum nobis bellum, indixerit, dic sodes, vetabuntne forum Aragonum aut Cataloniæ consuetudines uxores, liberos, domos, & dulcem patriam nos tueri? „ Verè quidem nec fas, nec vincula juris hoc „ audere vetant. De Catalanis autem & Aragonensibus, qui relictis suæ nationis cunabulis hoc Regnum in eorum patriam elegerunt, „ adjicimus quis vetat eis posse contra reliquos „ pro defensione patriæ arma sumere, si contra „ parentes jura permittunt. Neque enim tam „ liberos populos ascriptos esse glebæ dicemus, „ ut non liceat eis natale solum deserere, at-

E „ que in aliam regionem Sedem novæ patriæ „ collocare. Nunc ergo si licet illis, sicut & „ aliis nationibus, patriam commutare, locum „ habet quod scriptum est:

—— Tenor patriæ non legibus ullis.

„ Præterea si priusquam Rex Jacobus contra „ nos animum suum vertit, nobis tamquam „ filio Regis Aragonum adhæserunt, si, quod „ absit, ipsius Regis manifestus error bellum „ nobis intulerit, verbum quod apud Ilerdam „ Julio Cæsari Petrejus & Afranius proposuisse „ feruntur,

Non partis agimur studiis, nos deniq; bellum
Invênit civile Duces &c.

„ poterunt eidem Regi legitimè respondere. „ Magnam prædicas potentiam Regis Aragonum,

Digitized by Google

„ num, nosque ipsa res illi viribus asserit. Et „ propterea Siculorum obsidiones, depopulationes, & talia pertimescis? Redi ad magnanimitatis auxilium, & causam justitiæ „ contemplare, quoniam Deus omnipotens justum periclitari non sinet, quin immo injustas iras & inordinatos motus superbiæ justo „ judicio conculcabit. Denique nos hîc in sermone concludimus, illos evidenter in fide deficere, qui nos in hac parte desererent, & „ potentes manus à defensione patriæ occasione „ qualibet amoverent.

CAP. XVIII.

De literis Regis Jacobi ad Rogerium de Lauria, & virtute Petri Salvacoxa.

FIne itaque dato consiliis, quia non eundum esse ad Regem Jacobum terminatum est, Rex Fredericus Messanam egreditur, Primates & Syndici ad propria revertuntur. Nuntius Regis Aragonum audita responsione discessit. Tunc Siculi futura sibi pericula augurantes, de patriæ defensione disponunt. Neque illud præteream, quod in diebus illis actum est. Cùm Petrus Salvacoxa Prothentinus apud Isclam residens, quinque tantùm galêas habens, à Neapolitanis pro singulis vegetibus vini, quod ab inde trahebatur, singulos aureos exigebat, illi quidam quod diu gesserant vectigal impositum abhorrentes, novem rates magnas, quas Teridas vocant, viris bellatoribus studiosè munitas contra eum dirigunt, ut impositionis hujus infamiam abolerent. Petrus autem felicitatem sui domini mente gerens, jam propter advenientium hostium superabundantem numerum, & vasorum eminentiam non expavit. Bellum ergo inter utrasque partes confertum est. Sed ne hujus verbi series videatur eodem facto prolixior, longum de iis minimis non exarabo sermonem, Petro victoriam amplexante, Siculorum puppes ex hostibus Teridas singulas singulæ tenuerunt. Tunc Rex Carolus, qui Neapoli residebat, hæc videns, indignatione succensus, omnes præpositos quatuor Teridarum, qui per fugam evaserant, ultimo supplicio condemnavit. Post hæc dum per litora illa Messanensium, quæ Musellam vocant Fredericus Rex spatiandi causâ, proximum habens Corradum Lanceam, equitaret, ecce Rogerius de Lauria tertium se ingerens obtulit Regi signatas literas, quas eidem Rogerio Rex Jacobus destinavit. Rex Fredericus acceptas literas aperuit, & legens Rogerium vocatum esse ad eundem Regem Jacobum coram Corrado Lancea declaravit. Rogerius ire desiderans, se curaturum Regis Frederici negotia offerebat. Rex super iis Conradum consuluit. Conradus Rogerio spondente curam & reditum, illum iturum esse ad Regem Jacobum multiplici ratione probavit. Tunc Rogerius duas rates, ut ante recessum ejus castra, quæ tenet in Calabria, muniat Regem poscit. Denique Rex Conradi consiliis & Rogerii desideriis acquiescit. Ratibus itaque Rogerio postulante concessis, quæcunque fuerint necessaria congeruntur; nec segnis Rogerius ipse in Calabriam properè navigavit, castrumque Laurentii Badulati, & alia castra ejus stipendiis, armis, frugibus, & aliis rebus ad futura, quæ pronosticabantur bella, necessariis præmunivit.

(*) *Fortè legendum* innuebant.

CAP. XIX.

De discordia Frederici Regis, & Rogerii de Lauria.

TUnc verò suggestum est Frederico Regi, quòd Rogerius eadem castra ea ratione tanta sollicitudine muniebat, quoniam ad hostiles partes declinare parabat; cujus rei causâ probabilem imminebant (*) assertionem quorundam dicentium eundem Rogerium inconsulto Principe cum hostibus dudum apud Ydrontum, & nunc in eisdem castris habuisse sermonem. Postquam verò hæc & alia in animo Regis malè accepta sunt, cœperant jam sparsa malorum semina pululare. Itaque cum gemina classe Rogerio redeunte ad aulam Regis, plures ex Magnatibus convenerunt. Rogerius osculo manum Regis appetiit; sed Rex quidem manum ab osculo cum indignatione retraxit. Rogerius Regem increpat, causamque indignationis exposcit. Rex inter alias suæ indignationis causas eam potissimè innuebat, quòd idem Rogerius suis hostibus se univit, & crebrescentibus verbis illi ne discederet ira dictante mandavit. Stupet, inquam, se detentum esse Rogerius; & quamvis non fuerit qui in eum violentas manus injecerit, nihilominus indignationem Principis excrescentem meruit, & ad angulum aulæ secedens, verbo tantùm Regis æstimat se captivum. Nec mora, Manfridus de Claramonte Comes, & Vinchiguerra de Palacio viri magnifici & prudentes, quorum tunc magna erant apud Regem consilia, ne indignatio Principis ultra procederet, humiliter se opponunt, eoque inclinante precibus, pro Rogerio fidejubent. Nox erat; Rogerius præstita fidejussione recessit. Veniens autem ad hospitium; paratam cœnam & plures invênit domesticos convenisse. Tunc quidem conceptum suæ mentis dissimulans, & consilium vultu tegens, cunctis applaudit, cunctos cœnaturos invitat. Ipse verò aulam ingrediens egreditur per posticum; ubi paratos habens electos sonipedes, cum tribus militibus, aliis ignorantibus, equitat, & noctem addens operi Castellionem ante horam sequentis diei tertiam festinus ingressus est. Cùmque diesceret, Rex aliorum consiliis agitatus Rogerium vocandum esse per ostiarium frustra jubet, quoniam terminos Castellionis præmeditans casibus jam tenebat. Ah Deus! pereant, obsecro, perversa consilia invidorum, quoniam tantum virum, & in tantæ necessitatis articulo indignationi Principis opponere non licebat. Fama tanti mali diffunditur, plures animis, opibusque parati conveniunt ad Rogerium sive pacem, sive bella gerere paraturum. Rogerius castra Nuceriæ, Tripi, Ficaræ, Castellionis, Iacii, Francæ-villæ, aliaque loca, quæ tenebat in Sicilia, munire festinat. Bellum non movet, sed nec quicquam de impetranda pace molitur. Fidejussores ad Rogerium veniunt, eumque ut cedat his cœptis admonent, securitatis verbum referunt, & tandem ut Regi pareat, sub præstita fidejussione requirunt. Ille quidem vel commissi sceleris conscius, vel impositi criminis non ignarus, ut erat indignantis animi, ut Regem adeat, quibus potest rationibus se tuetur, & demum præteritis congesta temporibus plurimùm numeratâ pecuniâ pœnam, ad quam pro eo tenebantur fidejussores, exsolvit. Rex de-

Digitized by Google

deteriora metuens Rogerium ulteriùs non infestat, sed nec Rogerius Regis partibus contradicit.

CAP. XX.

De Regina Constancia, & Yolanda filia ejus vocatis ad Regem Jacobum, cum quibus abierunt Johannes de Procida & Rogerius de Lauria.

REbus autem sic se habentibus, Rex Jacobus illustrem Reginam Constanciam & Yolandam sororem ejus jussu Romani Pontificis Romam vocat, ea ratione videlicet, quoniam ex tractatu pacis, quam cum Carolo Rege composuit, Yolandam Roberto Duci Calabriæ ipsius Caroli Regis filio consortem thalami exhibere convênit. Regina, inquam, Fredericum Regem dilectum filium advocationis suæ conscium fecit, ire cum Yolanda Romam obtinuit, Johannem de Procida & Rogerium de Lauria, quorum recessus propter jam sumptam de illis suspicionem Frederico Regi non erat ingratus, duces & consortes itineris impetravit. Sed Rogerio quidem propter jam dictæ suspicionis causam in eundo tantùm servanda securitatis fides à Rege promissa est. Quamquam & ipse Rogerius tunc discedens futurum casum præmetuens universo cœtui & custodibus castrorum suorum edixerit, ut cum Johanne de Lauria in Castellionis arce viverent sui juris, illius arbitratu rem gererent, suisque jussionibus obedirent. Classe itaque structa Regifico apparatu ad designatum locum, qui comitaturi erant Reginæ conveniunt. Regina dictura vale dilectum filium cum lacrymis amplexavit. Sed & filius per manus osculum reverendæ matris benedictionem accepit. Scandit itaque Regina ratem, dilectam filiam & electos comites secum ducens. Anxius Reginæ animus versatur in dubium, si mallet ut reviseret Jacobum linquere Fredericum. Postquam verò classis ventis fœlicibus . . . . . à gurgite hos provexit, alii confabulationibus indulgebant, alii sibi quietem per diversa loca in ratibus quæritabant. Sola quidem quæ gemuit in celsa puppi hærens immobilis paulatim evanescentes ab oculis ejus montes Siciliæ prospectabat; sed postquam penitus erepta est à conspectu diligentis matris Trinacria, æstuat, & ad conceptas filiorum imagines se convertens, nunc quem reliquerat, nunc quem videre sperabat, alterius vicibus contemplatur. Austris denique flantibus Regia puppis jam cursum suæ navigationis compleverat, & vulgata Romanorum litora jam tenebat.

CAP. XXI.

De naptiis Yolandæ, ac felicitate Reginæ Constanciæ.

EGreditur puppim Regina cum filia, Occurrunt eis primus ante omnes Rex Jacobus, & in comitatu ejus Principes & Magnates, ipsasque in Urbem honoribus, quibus Reginas decuit, introduxit. Tunc quidem Romano jubente Pontifice solemnes per Urbem nuptiæ celebratæ sunt. Yolanda viro traditur, Rex Jacobus paraturus classem contra Siculos in Cataloniam regressus est. Rogerius Neapolim ad Regem Carolum tendit; sed Regina Constancia revisura Sanctorum Basilicas in Urbe resedit. Felix & nimiùm felix nostris temporibus hæc Regina

A censenda est; quæ postquam ex viro insignito victoriis gloriosam prolem edidit, terramque altricem sui generis de manu hostium liberatam obtinuit, sacramentis Ecclesiæ restituta, etiam post bella horrida inter duos Reges filios commissa, illis tandem in quiete regnantibus, de medio viventium divina miserante pietate sublata est.

CAP. XXII.

De Rogerio de Lauria, qui hostis publicus à Frederico Rege nominatus est, & castris ejus obsidione superatis.

B NUnc autem ad Rogerium de Lauria sermo vertitur, ut nihil ex arduis contingentibus omittatur. Hic postquam Regi Jacobo, & aliis, quos tangebat futurarum guerrarum negotium, collocutus est, velocissimæ navigationis ratem, quam Græci propter sui celeritatem Dromonem vocant, in Siciliam profecturus ascendit. Hæc autem cùm ad Regis Frederici notitiam pervenissent, Rex venienti parat insidias. Rogerius insidiarum suspectus callidè navigabat. Sed nec mora, cùm appropinquasset Insulas, quas veteres ab Æolo dominatore illarum Æolias vocaverunt, quæ paratæ fuerant insidiæ detectæ sunt. Rogerius verò non armis opus esse decernens, solam fugam elegit pro
C salute. Hortatur ergo socios, quoniam de vita omnium in magno periculo agebatur. Denique, sive qui sequebantur tantum virum prodere noluerunt, sive fugientibus timor alas addiderit, Rogerius de manibus prosequentium multa vi ereptus evasit. Tunc Johannes de Lauria, quamquam à Frederico Rege dilectus, hæc audiens, hospite insalutato discessit, Castellionem adiit; unde movens exercitum, vicum prope positum, quem Mascalas dicunt, hostiliter prædaturus invasit, quamquam prius habere Randarium seditione facta inter aliquos attentasset, repulsusque à contradicente populo rediisset. Ex illo Rogerius hostis publicus apud
D Regem Fredericum nominatus est. Castra, quæ in Sicilia suo nomine servabantur, obsessa sunt. Ante Castellionis arcem, quam præ aliis Rogerius extollebat, Rex Fredericus primò castra composuit, eamque triplici obsidione vallatam diversæ machinæ impugnabant. Hoc nimirum castrum inter alia prælectum Johannes de Lauria ipsius Rogerii nepos, quem propriis laribus innutritum tractabat in filium, Guillelmus Pallocta, Thomas de Leontino, & alii plures electi milites ipsius Rogerii vel consanguinei vel affines multa strenuitate servabant; & ideo nihil mirum, si plures illic non sinè cruoris unda armorum strepitus ingruerunt. Castrum verò Francæ-villæ, quod fluvius æstivis undis
E placidus, & diversis pomorum generibus ripis septus medius à Castellione disjungit, terrore Messanensium, qui contra illud communi voto convenerant, in deditionem à Rege receptum. Sed castrum Iacii, quod super ingenti saxo fundatum fluctibus maris spumantibus undis elidit, à propinquis Catanienſium circumspectum, diu & nequaquam machinis impugnatum est. Et tandem Castellionis mœnibus ictu lapidum torrentium conquassatis, cùm non esset obsessis locus, ubi se ac fruges necessarias receptarent, nec spes ulla futuri subsidii restitisset, quoniam æstuantem ad eorum auxilia Rogerium longa maris spatia separabant, quòd eos & omnem eorum substantiam tutos in Calabriam Regia

ratis

Digitized by Google

ratis adducat (poſcunt & obtinent.) Ex tunc verò Caſtellionis fortunam cætera caſtra, præter Iacium, ſecuta ſunt. Cùmque adhuc Iacium obſidioni cedere penitus recuſaret, procul à caſtro, quantum baliſtæ jactus medius ſupereſſet, ingens turris trabibus tabuliſque conſertis Rege adveniente conſtruitur, quæ ſummis occultè rotis contra caſtrum funibus trahebatur, habens in ſummo eminentem longamque trabem, quam vulgò alii Telonem, alii Ciconiam A vocant, qua poſtquam lignea turris hæreret ſaxo, viros bellatores exponerent ſupra caſtrum. Denique turris illa minans obſeſſis, quantum lapillus uno jactu manibus trahi poſſit, juxta caſtrum adducta eſt. Quo caſu pactione compoſita, Rex in deditionem ſuſcepit obſeſſos, quamvis obſeſſi potuiſſent impavidi longiori tempore obſtitiſſe. Itaque Rogerius de Lauria ſpe omnium caſtrorum, que habebat in Sicilia, his belli fine privatus eſt.

Explicit Liber Tertius.

IN-

Digitized by Google

INCIPIT LIBER QUARTUS.

CAPUT PRIMUM.

De bello Catanczarii, ubi Rogerius de Lauria, & plures nobiles Galli à Blasco devicti sunt.

INterea dum castra Rogerii obsidionibus artabantur, postquam apud Æolias Insulas non sine Dei judicio de manu persequentium Rogerius vel futurus sibi melior, vel aliis fortè deterior, ad excidium plurimorum evasit, ardenter inhians operi, ut nullum tempus vacuum odiis relinqueret, electos milites bellatores à Carolo Rege suscipiens in Calabriam furibundus profectus est; ubi per tempus fulminans, partes Frederici Regis nunc subvertere viribus, nunc divertere ingenio satagebat, usque adeò insistens operi, ut ipsum etiam Blascum de Alagona ipsius Frederici Vicarium in colloquio advocatum sub nomine Præsidentis in Ecclesia Sancta Dei & Caroli Regis magnis pollicitis attentaret. Quo casu Blascus à Frederico Rege in Sicilia revocatus est. Cùmque Blasco de Calabria recedente, civitas Catanczarii ad partes Regis Caroli declinasset, castrum, quod imminet civitati, ab hostibus impugnatum necessitate coactum est in tractatum deditionis adjectis fœderibus convenire. Tunc ergo custodes castri pacti sunt, & pactum datis obsidionibus firmaverunt, ut nisi partes Frederici Regis in triginta dierum spatio ante Catanczarium in campis patentibus se præberent, castrum ipsum Carolo Regi vel suis partibus, quæ instabant, ab omni contradictione desererent absolutum. Castellanus autem, ne in fide deficeret, conditiones fœderis Regi Frederico in Sicilia quamprimùm potuit festino nuntio patefecit. Rex verò hæc audiens, Blascum ad loca illa remittere, partesque suas in campis consistere sub designato spatio temporis præelegit; sed electionem hanc aliqua ex parte locorum distantia & brevitas constituti temporis impedivit, quod gloriosus Judex, qui desuper trutinat lites hominum in statera, quasi miraculosè supplevit. Nam licèt Fredericus Rex Blascum de Alagona, Guillelmum Galzerandum, & Guillelmum Raymundum de Monte-Cathino in Calabriam ea statim ratione præmiserit, reliqua tamen ad hoc opus electa manus nobilium vel non potuit, vel fortè noluit cum præcedentibus illis ad locum in designato tempore convenire ante diem ex fœdere constitutum. Ecce Rogerius de Lauria, & cum eo viri magnifici Petrus Ruffus, Comes Catanczarii, Reforciatus Provincialis, Malgerius Collipetra, & alii plures nobiles cum quadringentis equitibus Catanczarium convenerunt partes Frederici in campis consistere, vel castri deditionem, sicut conventum fuerat, jam propinquante die præfixi termini, expectantes. Blascus & Comites Squillacium penultima die suæ conventionis cum ducentis equitibus contigerunt. Ex quo factum est, quòd utraque partium de numero suorum hostium non ignorat. Quisque sibi tempestivam quietem instantis noctis quæritat, ut futuri diei labores moderantiùs ferat. Media autem nocte veniens explorator ad Blascum, & recumbens ad lectulum, in quo Blascus somnum capere attentabat, *Domine*, inquit, *dum starem explorans processus hostium, ut jussisti, ecce paulò ante Goffridus de Mili cum trecentis equitibus, quos intrantes per civitates hostium numeravi, Catanczarium ingressus est*. Blascus hoc audiens, jubet exploratori servare silentium, ne fortè, si ante commissum bellum revelaret alicui visionem, bellorum socii multitudine hostium terrerentur. Cùmque jam rutilans aurora rubesceret, ecce tuba terribilis futurum bellum prænuntians sollicitat vigiles, & excitat dormientes. Tunc utrique cum Blasco conveniunt, & agitato consilio de modo & forma suscipiendi belli cum deliberatione disponunt. Itaque orto jam Sole, postquam expedientia bello peracta sunt, expositis omnibus in communi prandent, Squillacium deserunt, & ad signatum locum Catanczarii, quem incolæ Sicopotamum, idest Siccum fluvium vocant circiter vespertinam diei horam explicita vexilla disponunt. Rogerius advenientes hostes ab arce prospectans, quasi compos voti, gaudio magno gavisus est. Et jam paratam ad bella militiam in tres divisam acies contra movens, primum se bello devovit, primamque aciem ducere contra hostes. Post hunc secundi agminis ductorem Reforciatus se obtulit. Sed utramque aciem Goffridus de Mili modico intervallo tertius comitatur. Blascus verò, cùm non haberet quod in partes plurimas partiretur, unica tantùm acie contentus est. Hic dum se medium collocavit, Guillelmum Galzerandum normam militiæ à dextris habuit, Guillelmum alterum à sinistris. Martinus de Ollecta cum aliquibus electis militibus in modum cunei vexilla præcedit. Almugaveris & marinariis, qui relicta classe convenerant, ab ea parte, qua torrens eminentiores ripas fecerat aciei, latera servanda commissa sunt. Nulla mora est, clangor tubarum hinc inde sonantium aëra complet, quo multorum pulsata corda terrentur. Tunc Rogerius à superiori parte veniens, primòquo impetum faciens bellum init. Eo quidem impetu opinatus est hostes irrumpere, ipsamque Blasci aciem dissipare. Sed cùm antecedens Blasci cuneus obstitisset vexillis oppositis, Rogerius pugnaturus hîc hæsit. Reforciatus viriliter subsecutus, non inveniens per medias acies paratum transitum, quem sperabit, per latera hostium præterivit, quæ Almugaveri cum marinariis observabant. Non tamen impunè Reforciatus præteriit, quoniam plures hîc ex Reforciati Comitibus telorum & lapidum ictibus corruerunt. Goffridus verò quasi palpitans bellum adit. Crudelis itaque inter partes pugna committitur, armorum fragor velut cœli tonitrua ingruebant. Sperat Rogerius vincere propter superabundantem ex latere suo numerum bellatorum, & maximè, quia vincere consuevit. Sperat & Blascus de suæ gentis unitate confidens, & maximè, quia cedere nesciebat. Illic galearum coni ab ictibus ensium tinniunt, classis clava conteritur, & loricarum hami acutis gladiis perforantur. Et ideo multa strage virorum dimicatum est, multi nobiles perierunt, quousque Rogerius de Lauria vulneratus est, ejusque sonipes magnis perfossus vulneribus vitam fudit. Tunc electi milites, quos ad hoc ab ingressu pugnæ Blascus statuerat, Jacobum de Castro-Succo virum egregium, qui vexillum Rogerii tuebatur, strictis gladiis petierunt. Is acceptis quæ patebant in facie vulneribus, credens

Digitized by Google

dens quem non videbat adesse dominum obiisse, vincere desperavit, & saucius in reditum terga convertit. Cùmque vidisset hæc Blascus, qui pugnam oculis collustrabat, voce magna clamans ad suos, ait: *Insistite insistite milites, quoniam hostes cedunt*. Nec plura, resumunt animos, augent vires, ictus ingeminant qui dudum sub ambiguo Marte pugnabant. Goffridus de Mili primus ante omnes bellum deseruit in signo partium se asserens circumventum, quoniam cunctis partibus clamitabant, alii Aragoniam, & alii Alagonam, quæ per ora vulgi proposita in vocem assimilem concidebant. Partes itaque Regis Caroli vertuntur in fugam. Reforciatus & Henricus de Sinopoli capti sunt. Sed qui ad Reforciati custodiam deputati fuerant, corrupti magnis pollicitis, concessere cum illo. Reforciati filius, filius Virgilii de Scordia, Jordanus de Amanthea, & plures alii nobiles, qui cum Rogerio venerant, & Rogerii tunc vestiebantur insignia, in bello perempti sunt. Inter tot varios casus tantaque discrimina, quidam Petrus Satallerata cognomine fortè præteriens Rogerium dominum suum in brachio vulnerato ad sepem proximæ vineæ latitantem agnovit; qui festinus ab equo declinans; *Eripe*, inquit, *te fatis instantibus, vir invicte, quoniam partes nostræ post tui casum fugatæ sunt, Blascus victor in campis fulminat, dispersæ acies restaurari non possunt. Non tua, sed Regis, quem sequeris, fata succumbunt. Accede ergo consilio diligentis. Hic equus ab imminentis mortis periculo per instantis noctis tenebras te deducet. Me quidem si fata servaverint, pretio redimes, vel post obitum hujus mercedis præmium successoribus meis reddes*. Rogerius, ne mortem subiret indecoram, victus consiliis illacrymans scandit equum, quem fides laudanda per ævum exhibuit, & se in castro Badulati sub actæ noctis silentio receptavit. Petrum verò sua fides invisum ab hostibus ad dominum sinè læsione perduxit; quem Rogerius non immemor acceptorum, in Regno Valenciæ bonis hæreditariis pro se suaque posteritate ditavit. Blascus fugatis hostibus noctescente Squillacium triumphans regreditur. Gloriosam tamen victoriam reportasset, nisi fugientes hostes nox superveniens ab oculis prosequentium rapuisset. Dicat nunc omnis tyrannica rabies, quæ confidit in numero bellatorum, Blascusne cum ducentis militibus, à quibus vigintiquatuor ante ingressum belli discesserant, an Dei manus septingentos equites, in quibus tot viri magnifici & viginti quatuor vexilla præfuerant, convertit in fugam. Altera autem die, Gallis abeuntibus, Guillelmus Galzerandus Catanczarium sinè contradictione suscepit.

CAP. II.

De improperatione Rogerii de Lauria ad Regem Karolum, & vocatione Regis Jacobi Romam.

ROgerius verò, quamvis inconsolabile vulnus in animo reportaret, nihilominus Regem Carolum fulminans adiit, & non victi, sed victoris vultum gerens sic orsus est; *Domine*, inquit, *Rex gens tua & Gallorum Pontifices, qui tot bellandi laudibus extolluntur, nullo adhuc Marte subacti me positum inter hostes, suaque sperantem auxilia meditati fugam indecoram reliquerunt. Deponite ergo spem triumphandi de singulis cum Gallis & Provincialibus, qui comessationibus indulgentes ante belli discrimina cædenda hostibus terga vertunt, ipsumque Regem Jacobum advocetis, ut ad ea, quæ spoponderat Romano Pontifici, sublatâ mora festinet*. Actum est ergo, ut Rogerius suadebat. Numerosus census ex abditis penetralium sacrorum eruitur longo tempore diversis congestus provinciis, quas Constantinus Imperator Romanorum & alii Principes, quos Christiana Religio inspiravit, ad alios usus Silvestro tunc pauperi concesserunt. Galli, Aragones, Catalani, Provinciales, Guascones, Itali, & plures aliæ nationes ad eam, quæ contra Siculos spargebatur, pecuniam undique contulerunt. Classis itaque in numero galearum octoginta sub Rege Jacobo ad invasionem Siciliæ parata est. Rex navigat, & ad Romana litora quo potest nautarum industria cursu breviore contendit.

CAP. III.

De processu Frederici Regis apud Isclam Insulam contra Regem Jacobum, & ejus reditu.

REx Fredericus Conradum de Auria Januensem famosum virum Regni sui Admiratum constituit: sexaginta quatuor galeas, in quibus septingenti milites cum equis inerant, viris bellatoribus & opportunis aliis præmunivit, ac Regem Jacobum prævenire in litoribus hostium meditatus est. Scandit itaque puppim signiferam, quam cetera classis vario cursu nunc strato æquore, nunc undis spumantibus sequebatur. Profectus itaque Fredericus Rex ante Neapolim, ubi Rex Karolus expectans continuè Regem Jacobum residebat, invictas huc usque suas Aquilas explicat, Neapolitana litora in tubarum clangore perlustrat, & tandem apud Isclam, sperans Jacobum Regem illinc habiturum cursum, contra Siciliam se receptat. Rex Jacobus properè navigans ad ostia Tyberis Romanorum declinat, benedictionem & thesauros gubernatoris Ecclesiæ Summi Pontificis recepturus. Tunc de adventu Frederici Regis intelligens, eum per Legatos admonet, ut in Siciliam redeat, & bellorum eventus ancipites; quod possessori non expedit, extra sui Regni terminos non exquirat. Rex Fredericus germani, quamvis hostiliter venientis, consilio annuit, & placidis auris vela committens in Siciliam celeri cursu regressus, de singulari custodia locorum diligenti provisione disponit.

CAP. IV.

De adventu Regis Jacobi contra Siciliam & deditione Pactarum, Milacii, Nuceriæ, Montis-fortis, & Sancti Petri.

REx Jacobus ab Urbe Roma discedens, Neapolim cum classe profectus est, ubi longum de futuris bellis contra Siculos cum Karolo Rege posuerunt sermonem. Post hæc, opportunitatem etiam temporis non expectans, contra Siciliam navigat, & breviori cursu, quo potuit, propinquiorem terram expetens, ad civitatem, quam Pactas vocant, suadente Rogerio de Lauria, quoniam propinqua erant hæc litora castris, quæ olim perdiderat, cum ea classe multiplici declinavit. Bellatorum acies contra civitatem dirigitur. Civitas perterrita cuneis armatorum, impar viribus, non expectatis

Digitized by Google

tis bellorum insultibus, Regi Jacobo se subegit. Rumor per universam Siciliam diffunditur. Stupent Siculi, terrentur Aragones, pavitant Catalani, attendentes novum furoris impetum, fratrem Regem fratris Regis excidio & dominum suorum fidelium cladi pro communibus hostibus tantis viribus imminentem. Ex quo factum est, quòd tanti furoris turbine castra Milacii, Nuceriæ, Montis-fortis, & Sancti Petri, quod eminet supra Pactas, & alia quædam loca, Rogerio instigante, Regi Jacobo paruerunt.

CAP. V.

De obsidione Siracusiæ, & deditione Buxemæ, Palacioli, Surtini, Ferulæ, & Bucherii.

CUmque proximo instantis hyemis metuenda nautis signa patescerent, ne fortè suos in plagiosis Pactarum litoribus cum tanta classe contingeret naufragari, spatiosum Syracusanorum portum hyemandi causâ inter alia loca Siciliæ Rex Jacobus præelegit. Deditam ergo suæ ditioni civitatem & castra viris bellatoribus & necessaria fruge munivit. Post hæc flantibus zephyris vela committens, ad Ortum navigat. Radit classis ea litora, quæ Tyndaridi ascripsit antiquitas, radit extrema Milacii, & usque maris angustias ubi Schyllam dicunt celeri cursu deducta est. Cùmque cessantibus zephyris boreas successisset, nautæ per pharum Messanensium jussu Regis parata navigatione contendunt. Et jam Taurominitana litora, jam Catanensium plagias, & Augustæ sinus à puppi reliquerant, nihilque suæ navigationis cursum quacunque ratione vel causa morati sunt, quoniam Syracusas ex proposito contendebant. Postquam verò ad designatum locum à Jacobo Rege deventum est, populi descendentes è puppibus in spatioso litore castra locant, cunctaque vicina loca suo more prædantur. Tunc ipsum castrum, quod ante civitatem situm est, machinis impugnatur. Civitas marino & terrestri bello, nequicquam tantis viribus attentata est, sed hanc quidem civitatem Johannis de Claromonte strenuitas, parentibus autem civibus, quamquam acerbæ famis pericula pertulissent, sub tantis bellorum insultibus, & longa obsidione servavit. Regi Aragonum quærenti secum habere colloquium non paruit. Clericos tamen illos, quia ad majores gradus forsitan aspirantes turrim supra sacrarium positam hostibus prodere satagebant, gravi quidem & ultima castigatione mulctavit. Tunc Buxema, Palaciolum, Xurtinum, Ferula, Bucherium oppida & castra non multùm à Syracusanis finibus distantia Regi Jacobo absque bellorum insultibus paruerunt. Sed cùm post paucos dies Bucherium resiliret, Comes Urgelli cum electa manu militum & peditum ex castris, ab obsidione Jacobo Rege discendentes, locum hunc, licèt eminenti positum bello (*), undecunque potuit viribus attentavit, quem agrestes & duri ejusdem loci incolæ toto belli tempore saxis torrentibus, durisque silicibus defenderunt; sed tandem Comite discedente vulgus virtutis indocile ac magnanimitatis ignarum, frustra metuens, ne die altera major exercitus hostium adveniens eorum exitio imminet, quia nullo duce populare negotium gerebatur, vano timore percussum, nocte diffugiens, locum, qui bello superari non poterat, vacuum derelinquit. Comes verò ignorans causam, Bucherium non repetiit, quin immo fessus bello Syracusas in castra regressus est.

CAP. VI.

De rebellione castrorum Petræpetiæ, Nasi, & Capitis-Orlandi, necnon Raymundo de Cabrera, cum Catalanis captis in Jerratana.

TUnc Fredericus Rex, ne fortè ii, qui cum Rege Aragonum Syracusanorum mœnia obsidebant, avidi prædæ, impunes per loca remota discurrerent, Catanæ sibi sedem belli constituit. Blascus de Alagona more luporum, quos improba ventris rabies incitat, quamquam metuant ora canum, loca obsidioni proxima circuibat. Sed interea Johannes de Berosio plus sapere, quàm oportebat attentans, neque intelligens verbum illud; *cum possidente possideas*, cum tribus castris, quæ habebat in Sicilia videlicet Petrapretia, Naso, & Capite-Orlandi, ad Regem Jacobum declinavit. Unde orta est inter Siculos non minima perturbatio animorum, quoniam unum ex iis castris, quasi in medio Siciliæ, reliqua in Valle Demunensi ad conspectum hostium sita sunt. Quamvis & hic Johannes à prædecessoribus suis fuerit unus ex notabilibus Siculorum. Post hæc in castris Regis plurimorum assertio ventilavit venales manus, quæ sub Regis stipendiis morabantur, in castris, quibus omnis merces videtur exigua, propter aviditatem & desiderium rapiendi, quo primùm opportunum ad prædam receptaculum invenerunt, catervatim ad castrum Petrepetiæ rapturi quæcunque poterant suo more contendunt. Blascus verò causam per exploratores intelligens, in Oppido, quod Irratanam vocant, redeuntibus parat insidias; ubi licèt noctis tenebræ cœlique tonitrua, & pluviarum tempestas valida, quæ subitò ingruit plurimùm obstitissent, nihilominus Albarus frater Comitis Urgellensis, Berengarius & Raymundus de Cabrera cum majori parte illorum, qui sua signa vel in equis, vel pedites sequebantur, per ignotæ regionis semitas circumventi *al bosco* capti sunt; quos ille in signum victoriæ ad Fredericum Regem Catanam, nobiles quidem sub diligenti custodia, populares verò vinctos in decades longo agmine destinavit.

CAP. VII.

De obsidione castri Pactarum, & succursu Rogerii de Lauria.

INterea Pactarum incolæ, quamprimùm fuit eis habilitas resiliendi, ad Frederici Regis partes conversi sunt, castrum, quod eminet civitati, obsident, ipsumque Regem ad ipsius castri expugnationem invitant. Tunc Frederico Rege jubente ad obsidionem castri Messanenses cum Benincasa de Eustacio, Catalani sub Ugone de Empuriis, Catanenses cum Neapolione Caputo, aliique Siculi convenerunt. Postquam hæc Jacobo Regi relata sunt, hinc Johannem de Lauria cum viginti ratibus necessarias fruges gerentibus in ipsius castri & aliorum circumadjacentium subsidium properè destinavit, illinc verò Rogerius cum trecentis electis militibus ab obsidione Syracusæ discedens terrestri agmine per hostilia loca præteriens ad fines Pactarum

(*) *fortè* tumulo.

rum vênit. Rumor de adventu Rogerii per castra diffunditur. Multitudo gentium obsidionem deferens sese in civitatem proximam receptavit. Rogerius nullo contraveniente castrum ingreditur. Custodes autem castri vel bello fessos, vel forsitan fidei varietate suspectos ex castro educens, alios subrogavit; nullâque post hæc morâ temporis observatâ, nec etiam expectato Johanne de Lauria, qui in proximo venturus erat cum ratibus, Syracusas in castra, unde paulò ante venerat, quasi voti compos regressus est. Johannes de Lauria per ostia phari navigans Milacium attigit, opportunisque frugibus quacunque potuit sollicitudine indigentia castra munivit.

CAP. VIII.

De navali bello phari, in quo Johannes de Lauria captus est.

CUmque Fredericus Rex, qui tanquam insidians hostibus Catanæ residebat, Johannem de Lauria cum parte classis navigantem contra pharum Messanensium prospexisset, si posset ejus rates de numero classis hostium subtrahere diligenti studio meditatus est. Vadit itaque Messanam Rex properans, devotos Messanenses alloquitur. Illi quidem verba non jubentis sed orantis Regis accipiunt, futurumque bellum cum Johanne de Lauria diligenti animo amplexantur. Itaque Messanensium classis olim subducta deducitur, cunctaque necessaria in portu ratibus adaptantur. Et jam præmissi exploratores redeunt, ipsumque Johannem munitis castris, pro quibus erat cum classe redeuntem per ea loca, quæ litora Nurti vocantur, lenta navigatione reportant. Nec mora, velociores Johannis rates, quæ cessantibus austris acri remige contendebant, prætereuntes per phari angustias videbantur. Tunc verò insonuit per plateas & vicos civitatis tuba terribilis bellorum signa prænuntians, virique bellatores paratam classem ascendere velut apes æstate nova per florea rura contendunt. O virtus laudanda fidelium! Nihil de ancipiti fortuna bellorum, nihil de viribus hostium metuentes, hinc grandævi senes, quibus arma deponere ipsa ætatis gravitas innuebat, illinc adolescentes, qui nondum grave Martis opus didicerant, arma capessunt, frater dilectum fratrem in bellum advocat, genitor sequentes ad pericula filios non repellit. Stat utique mens omnibus eadem eademque sententia, vel omnes uno sanguine occumbere, vel de Catalanis, qui contra Siculos iniquè venerant, in hoc articulo triumphare. Vadunt ergo Messanenses sinè ullo ordine contra hostes, bellum ineunt, & non longo diei spatio dimicantes, absque multa suorum strage, tam gloriosè triumphant, quòd ex hostili classe non nisi quatuor tantùm puppes agiles, duæ ad Austrum, & duæ ad Aquilonem, fugientes remorum beneficio evaserunt. Unde actum est, quòd quot ipsæ rates Messanensium fuerant, totidem ex hostibus tenuerunt. Messanenses victores cum spoliis hostium exultantes redeunt, matronæ in altaribus dona cumulant, vota, quæ spectantes pugnam è mœnibus & litoribus voverant, Deo reddunt. Rex, qui suspenso animo ancipitis belli fortunam prospectans expectabat ad litora, hilari vultu redeuntes accipit, virtutem & fidem Messanensium approbat, magnisque dignos honoribus & præmiis clara voce commendat. Itaque Johannes de Lauria cum aliis nobilibus bello captis in castro Messanæ truditur. Vulgus autem per loca minùs nobilia captivatur.

CAP. IX.

De bello Gangii.

POst hæc Ganges oppidum, quod nunc Gangium dicimus, ad partes Regis Jacobi sponte declinans, Thomam de Prochida, Johannem de Barresio, & Bertrandum de Canellis venientes ab obsidione Syracusæ diligenter accepit, atque coadjutores ad futura pericula introduxit. Fama per adjacentia loca diffunditur. Henricus de Ventimilio Giracii & Isclæ majoris Comes, Matthæus de Thermis Magister Justiciarius, qui sua virtute majores nido pennas extenderat & ad majores etiam gradus successu meliore conscendit, aliique nobiles, qui sub Frederico Rege tunc erant, collecta manu plurima bellatorum ex diversis partibus ad locum conveniunt, incolis terræ, si fortè pœnitentes erroris ad Regis Frederici partes redire vellent, abolitionem commissæ culpæ spondentes, & absque retributione malorum præconia voce requirunt. Illi verò pertinaciter observantes quod cœperant, etiam contra monitores irruunt, unumque propinquiorem casui pro insinuata pace per infimi frustra relegata pietate trucidant. Dato itaque signo, quia locus eminens atque inexpugnabilis bello est, vulgus direxit manus ad prædam, totaque illorum substantia, quæ consistebat plurimùm in pecudibus & jumentis, quæ sub ipsius terræ mœnibus per spatiosa montis declivia receptaverant, illico direpta est. Henricus & Matthæus post sublatam Gangetanis curam de gregibus & armentis, ad vicina loca redeunt; ubi ne fortè hostes damna propinquis, & inobservatis locis inferrent, ad objectum sua castra disponunt.

CAP. X.

De recessu Regis Aragonum de Sicilia, & consiliis hinc inde agitatis ad decollationem Johannis de Lauria.

QUamprimùm puppes, quæ de bello phari evaserant, ad Syracusana litora redeuntes commissum bellum, captam Jacobi Regis classem, ipsumque Johannem de Lauria cum aliis nobilibus, qui secum ierant, tristi habitu & mœrenti vultu Regi Jacobo retulerunt, sedit Rex aliique Proceres in circuitu juxta eum, casusque in consiliis proponitur, & quid ultro agendum sit, inter majores Consiliarios audiente Principe atque Landulpho Buliano Cardinali, qui pro Sede Apostolica Legatus in Siciliam venerat, disceptatur. Tunc unus ex prudentioribus, quem Petrum Cornerii vocant, Regem spectans, ante alios sic orsus est: *Domine*, inquit, *inter alios Mundi Principes Reges Aragonum victricibus signis adeò Summus Rex opifex prædotavit, ut non sit qui memoret quemquam ex eis fuisse quocumque casu bellorum incursibus superatum, quamquam & cum variis nationibus bella gessissent. Nunc autem ut perpetuetur in vobis ordo vincendi, non expedit, ut tentare Dominum aut arridentem huc usque plus debito fatigare fortunam. Ecce quidem pars nostræ classis à Siculis diminuta est. Propterea, si vera sunt quæ scriba quetacionis gentis nostræ asserit, ex illo tempore, quo hanc mr-*

Digitized by Google

urbem infeliciter obsidemus, decem & octo millia virorum nostri exercitus nunc morbo, nunc egestate, nunc gladio, pluribusque aliis miserandis casibus abbreviata sunt, &, quod leve non æstimo, Siculi jam elati successibus inferre nobis marinum bellum de facili attentarent. Quòd si hæc omnia Rex Fredericus adverterit, nihil dubium, quin parata Siculorum classe, quæ plurima propter habitam de ratibus nostris paulò ante victoriam, effecta est, vel cruento bello nos subigat, vel in dedecoram fugam vertat. Quare agite civitatem hanc, quam nec suasionibus, nec asperis bellis, nec fame horrida expugnare potuimus, dum pacis dat tempus hyems, & res fieri potest absque ignominia, deseramus, neque hoc pertinaciter in opprobrium nostrum atque perniciem prosequamur incœptum. Quòd si tantùm residet menti Regis debellare Siciliam, terram altricem sui generis, & dilectum usque nunc fratrem pro Carolo Rege communi hoste patrio Regno depellere, liceat nobis quassatam classem lassamque plebem reducere, nos etiam ab importunis longisque laboribus respirare. Post hæc præparato in melius navigio atque resumptis viribus unanimes Siciliam repetamus. Tunc loquentis Petri judicium universus cœtus astantium approbat. Rex tandem evictus consiliis acquiescit. Velluntur itaque fixa in obsidione tentoria, quisque rates repetit, mapalia, casas, tuguria, & quæque vulgi receptacula protinus ignis edax invasit. Postquam verò classis, quæ aderat, universam plebem, equos, arma, & omnia castrorum munimenta suscepit, scandit Rex puppim signiferam, & rediturus Neapolim, quà paratior cursus erat, Austris placidè flantibus ad Aquilonem velificat contra pharum. Ductores universæ classis ad Regiæ puppis cursum qua poterant celeritate contendunt, & denique cùm Melacii litora contigissent, Rex, ne mutilatæ classis inglorius quin potiùs ignominio suo ad propria remearet, Fredericum Regem tunc Messanæ residentem sollicitat, per Legatos, ut captas olim rates in conflictu phari cum Johanne de Lauria & captivos superstites ei redderet, atque in hujus rei præmium se nunquam rediturum contra Siciliam sub fide solemniter præstanda spondebat. Consiliarii Frederici Regis ad hæc vocati ad Regale Palatium convenerunt. Sed stimulante illa, quæ assistentium Regibus & Principibus corda torquere solet invidia, ut quisque prudentior videatur, ad diversas opiniones diversis & variis argumentis distrahunt mentem Regis. Conradus Lancea non admittendam esse petitionem Regis Jacobi, quin potiùs parari classem & cum eo bellum committi absque aliqua temporis dilatione dictabat. Vinchiguerra de Palacio in contrarium suadebat, asserens quòd si Rex iste nunc placatus abierit, non erit deinceps qui Gallos in Siciliam hostiliter introducat, summum quidem vindictæ genus posse indulgere. Concludens quisque opinionem suam exquisitis rationibus approbat. Sed Conradi consilium, quem præcipuè imitari consueverat, Rex declinat. Legati redeunt nihil de petitione Regis Jacobi reportantes. Tunc propter loquacitatem Rogerii de Lauria Johannes de Lauria & Jacobus de Rocca, qui cum eodem Johanne in bello phari captus fuerat, tamquam rebelles Frederici Regis capite puniuntur. Itaque Siculorum classis paucis diebus labentibus Messanæ parata est. Fredericus classem ascendit cum fratre, qui contra eum venerat pugnaturus, nec solùm aspectans donec æstuantis tunc maris ira desæviat, reprobandæ temeritatis iter invadit; quem dum Rex Jacobus comperisset, hæc inter suos affatus est: *Quamquam ventorum impetus in mare sæviat, & tempestas sit cunctis navigantibus metuenda, potiùs tamen eligimus metuendis fluctibus nos & classem nostram committere, quàm in hoc casu cum Frederico Rege fratre nostro pugnemus. Solvite, solvite ergo quæcunque retinacula proras tenent, vellite anchoras, & quamvis furentibus ventis vela concedite, ut quocunque cursu Siciliam deseramus.* Nautæ solliciti peragunt jussa Regis, puppes Siciliam deserunt tantoque Austrorum impetu & maris fluctibus impelluntur, quòd ex eis duæ apud Æolias Insulas naufragio dissolutæ sunt.

CAP. XI.

De deditione Gangii, Petræpeciæ, & quorumdam castrorum vallis Nochi.

CUmque Rex Jacobus abiisset, Rex Fredericus Messanam fessa classe maris fluctibus regressus est, atque de rehabendis terris & castris, quæ Jacobo Regi concesserant, diligenti provisione disponit. Tunc Manfridus de Claromonte Comes castrum, quod Petrapecia dictum est, obsidione vallatum & machinis conquassatum in deditionem coëgit. Rex conveniente multitudine Siculorum contra Gangium castra locat, ubi tam longo tempore terram in circuitu coartavit, quòd obsessos fame sitique perdomuit, & attritos intromissis per machinas lapidibus torrentibus superavit. Illis itaque in deditionem venientibus, Thomam de Procida, Johannem de Barresio, & Bertrandum de Cannellis, qui terram eandem pro Jacobo Rege servabant, Rex Fredericus extra Siciliam ex pacto illæsos abire permisit. Ceteros verò terræ incolas, forsitan imitatus verbum illud; *Quicquid à multis peccatur inultum est*, reliquit impunes. Ex hinc Surtinum, Palaciolum, Ferula, & alia quæcunque castra in valle Nochi Jacobo Regi paruerant, ad partes Frederici Regis non expectatis bellorum insultibus, nec duris obsidionibus redierunt. Et quamvis castra Milacii, Montisfortis, & alia, quæ in valle Demunensi Jacobo Regi concesserant, adhuc debellanda Siculis restitissent, fuissetque illorum propinqua dediti, nihilominus de iterato apparatu Regis Aragonum contra Siciliam fama crebrescens, tempus, quod obsidioni eorum quis posset impendere, occupavit. Itaque relictis castris illis adhuc suæ ditioni rebellibus, Rex Fredericus Messanam rediit. Convenientibus Regni Proceribus & Syndicis, quos ad idem vocaverat, ex sublimi sede Regali conspectus in habitu cunctisque silentibus sic orsus est.

CAP. XII.

De sermone Regis Frederici ad Siculos.

„ LEgisse meminimus in Prophetis: *Melius*
„ *est mori in bello, quàm videre mala*
„ *populi*. Ad evidentiam verbi hujus nunc ex-
„ pedit, ut de crudelitate atque immansuetu-
„ dine Regis Jacobi fratris nostri aliqua in me-
„ dium producamus. Postquam hunc digna
„ laudibus fides eximia Siculorum ab adole-
„ scentia sua materna pietate nutrivit, & pro-
„ vectum coronavit in Regem, ab effusione
„ sanguinis per varios casus & incerta pericula
„ fideles Siculi non cessarunt, quatenus com-
„ mu-

„ munes hostes in stragem deducerent, eum-
„ que, si possent, pro viribus toti Mundo præ-
„ ferrent. Neque opus est bella, quæ propte-
„ rea gesta sunt vestris manibus, recensere.
„ Nos autem quanta sibi devotione paruimus
„ non privatis sed publicis experimentis proba-
„ tum est, quem non solùm ut fratrem dilexi-
„ mus, quin immo ut patrem & dominum ve-
„ rebamur. Ipse verò, postquam furiis agita-
„ tus contra bonos mores, piamque justitiam
„ iniquum concepit in mente propositum, ad
„ vires nititur & vos fideles ejús quandiu fides
„ illi servari debuit, hostibus vestris subigere,
„ & nos devotum fratrem & filium patrio Re-
„ gno privare. Neque pœnituit illum tantæ se-
„ ditionis, quanta, nondum expletus est annus,
„ eo gerente arma contra Siciliam cum strage
„ multorum & effusione sanguinis innocentis
„ inter Siculos orta est. Quin etiam nunc plus
„ solito sæviens contra nos universam Catalo-
„ niam, magnamque partem Italiæ provocavit;
„ & ut omni careat pietate sævitia, Robertum
„ vocatum Ducem Calabriæ, Philippumque
„ Tarenti Principem, Caroli Regis communis
„ & antiqui hostis filios secum ducit, ut spe-
„ ctantibus illis magis ac magis insæviat, eos-
„ que in regni nostri corporalem possessionem
„ inducat, Quòd si declinare illos in Siciliam
„ sinè obstaculo patiemur, nihil dubium, quin
„ segetes vastent incendio, pecudes & jumenta
„ prædentur; omnemque Siculorum substan-
„ tiam, quæ maximè nunc in campis est, di-
„ sterminent & exurant; dissipent & evellant.
„ Neque his contenti, civitates & terras, nunc
„ has nunc illas, bellorum insultibus attenta-
„ bunt, & si quæ debiles fuerint, viribus ca-
„ pient, alias sortè longa obsidione domabunt.
„ Cùmque loca, quibus receptentur, in Sicilia
„ eos habere contigerit, nunc huc, nunc illuc
„ hostili more discurrent. Quo casu diebus
„ singulis bona nostra diripient, & variis insul-
„ tibus diminuent vires nostras. Quare agite
„ dum stat integra & infracta paceria regni
„ nostri. Hoc justum atque necessarium nobis
„ bellum pro defensione patriæ ineamus, nec
„ vos moveat hostium numerosus exercitus, qui
„ ex pluribus nationibus aggregatus est: quo-
„ niam sicut habitu & moribus discrepant, sic
„ animo & voluntate discordant. Non enim
„ ut effundant sanguinem, sed ut extorqueant
„ thesauros Ecclesiæ, hi populi convenerunt.
„ Galli, Provinciales, atque Regnicolæ primo
„ conflictu cedent, quos vires vestras pluribus
„ bellis expertos virtus vestra subigere consue-
„ vit. Nam & Siculorum templa ex debellatis
„ eorum signis decorata sunt, & corpora cap-
„ tivorum tantis adducta victoriis hactenus
„ nostræ compedes rapere nequiverunt. De
„ Catalanis verò & Aragonibus, qui hostes no-
„ bis iniquè se ingerunt, justus Deus atque
„ Omnipotens Dominus providebit. Justum est
„ enim bellum, quod gerimus; nam contra
„ omne hominum genus arma licet assumere
„ pro re publica & defensione patriæ pugnatu-
„ ros.

CAP. XIII.

De navali bello Capitis-Orlandi, ubi Rex Fredericus cum Siculis debellati sunt.

VIx ad hanc metam cursus regiæ orationis processerat, cùm universus populus bellum geminatis vocibus clamitabat, omnes contra Jacobum Regem immurmurant, omnes quidem assueti vincere arma deposcunt. Rex universi cœtus animos pronos ad bellum intelligens, ad palatium rediit, Milites, Barones, Feudatarios, aliosque diversæ conditionis armigeros catervatim ex tota Sicilia Messanam vocat. Illi quidem accipientes non segniùs jussa Regis, è vestigio convenerunt. Classis in numero XL. galêarum brevi dierum spatio parata est. Blascus de Alagona, Hugo de Empuriis, Vinchiguerra de Palacio, Gombaldus de Intenciis, & alii viri notabiles singuli singulas designatas puppes scandunt. Post illos ad alias alii Nobiles, & universæ turbæ festinant. Rex ultimus auratam puppim signiferæ ratis ascendit. Omnes cursum navigationis lætanter arripiunt, omnes ad regiæ puppis signum quacumque possunt celeritate contendunt. Matronarum pietas, quæ jam litora Portus compleverat, abeuntes piis lacrymis, votisque supplicibus comitatur. Frustra verumtamen pro Siculorum victoria lacrymas & vota fundebant, quoniam apud æterni Judicis ineffabile consilium longè aliter visum erat, ut superbam in hoc loco Siciliam domitaret, quæ insultas habitas hucusque victorias non divino judicio, sed suis viribus adscribebat. Et jam Siculæ rates phari vada Myrthique litora post auratas puppes reliquerant, & extrema Milacii jam subibant, cùm velocissimæ navigationis ratem, quam Fredericus Rex præmiserat, ut adventum hostium exploraret, conspiciunt atros fluctus ab Aquilone secantem. Quæ cùm Siculorum classem ab alto vidisset, velis remos adjiciens, regiam adiit, atque hostilem classem in numero LVI. galêarum contra Siciliam navigantem reliquisse juxta Æolias Insulas reportavit. Rex jubet nautas festino cursu contendere, qua possent hostes ad ea quæ tendebant, litora prævenire. Tunc nautæ insurgunt remis, proræ sulcant æquora, puppes cœruleum mare verrunt, omnes alterutrum invident, omnes alteri de alterius puppis celeritate contendunt. Sed frustra quidem tanto labore, tantaque solicitudine remigatum est. Nam cùm ad promontorium illud, quod Caput-Orlandi vocant Siculi, pervenissent, in litore S. Marci rates hostium jam peracto suæ navigationis cursu obvertens proras in pelagus profixerunt. Vox exultationis visis hostibus inter Siculos orta est, *aurum*, *aurum* sublatis ad æthera vocibus ab omni plebe more nautico clamabatur. Ah Deus tantùm repleta erant Messanensium corda successibus, quòd usque ad vomitum eructabant, neque advertebant fortunam perniciosè ludentem atque ad ictum oculi rotam volubili orbe versantem. Tunc iterum assurgentes remis, atque navigandi ordinem aspernantes, contra hostes tamquam ad indefensam prædam elatis cervicibus læto animo incedebant, tantaque furoris insania mentes illorum obduxerat, quòd non fuerit eis cura Matthæum de Thermis cum galêis octo de valle Mazariæ venientem, quæ propinqua Cephaludi litora jam tenebant, ad exiguum saltem horarum spatium in eorum subsidium exspectare. Sed tamdem Frederici Regis industria cunctis ratibus pugnaturis legem imponit. Signiferam quidem ratem, qua Rex ipse vehebatur, mediam locat, cui decem & novem à dextris, à sinistris autem viginti carinas per ordinem collocavit. Puppim regiæ ratis Bernardus Raymundi de Rebellis Comes Garsiliati, proram Hugo de Empuriis Comes Squillacii, vexillum autem Garsias Sancii Regis alumnus observanda cum electis viris bellatoribus

Digitized by Google

bus acceperunt; inter quos cœtus Rex ipse nunc hos, nunc illos instruens, insignis galea, cunctisque præstantior videbatur. Sic itaque bellandi rebus modisque dispositis, Siculorum puppes contra classem Regis Aragonum ad litus positam navigabant. Ah Deus! tanta erat ignorantiæ caligo tantusque pulvis superbiæ contra Siculorum oculos & mentes hebetaverant, ut cum ratibus illis religatis ad litora bellum conserere festinarent, quas judicio illorum, qui causam intelligunt, eo modo consertas, non si Januenses & Veneti cum Siculis convenissent, marino bello tunc vincere potuissent. Tunc Siculi omnes immurmurant, omnes catervatim coëuntes ad Regem arguunt, hæc aut his similia conferentes: *En quid agit Rex noster, aut quid dormitat, quòd jam captos non aggreditur Carfagenos? ubi est magnanimitas cordis ejus? aut priori fortunæ non credit, aut nova imaginatione perculsus de Siculorum virtute diffidit. Non meminit hereditariam Siculis fuisse victoriam de qualibet natione, quæcumque manus nostra experta est. Provinciales apud Melitem Insulam, Galli apud Rosam in Catalonia, Regnicolæ bis ante Neapolim, ipsi etiam Catalani & Aragones in pharo Messanæ, quamvis ubique in numero nos procul dubio excessissent, præbuerunt Siculis victas manus. Quid Barbaros, quid incolas Romaniæ præferre opus est, aut longas præteritorum fabulas recensere? nil dubium; ipse quidem ob reverentiam fratris callidè nititur manus nostras à spoliis hostium amovere.* Quamvis hæc Regis animum perculissent, obstat nihilominus huic modò inferendum bellum Regis sententia. Et cùm Sol ad vesperum declinaret, usque ad futurum diem, si Rex Jacobus exire pararet ad bellum, cœco jam superato consilio expectare decrevit. Interea Jacobus Rex Aragonum utile capiens in hac parte consilium, damnosam bellis navalibus equorum & supellectilium sarcinam, virosque invalidos & imbelles deponit è ratibus, atque omnem cohortem bellatorum, quos in castris vallis Demonensis olim abiens reliquerat, introduxit. Et jam nox intempesta transierat, diesque futura intestino bello notabilis exitio plurimorum exorta est. Tunc Rex Jacobus locum eminentem ascendens, in medio Procerum & Magnatum suorum, circumstante plebe, sic ait: *Si velimus prædecessorum nostrorum actus notabiles recensere, Christiana Religio, & executio præceptorum Romanæ Matris Ecclesiæ universam generis nostri prosapiam Christi devotione sinceram & fidei puritate conspicuam declaravit. Bella, quæ jubente semper Ecclesia cum Infidelibus Christi, & aliis eidem Ecclesiæ adversantibus ab atavis nostris successivè gesta sunt, in medium quis referret? inauditum est, quòd quisquam nostri generis jussa Romanæ Ecclesiæ ullo unquam tempore obaudisset. Quòd si genitor noster hoc Regnum Siciliæ aliquo tempore tenuit ratione Conjugii matris nostræ de stirpe Regum Siciliæ descendentis, & nos etiam paternis vestigiis inhærentes in eo credidimus jus habere. Nunc verò postquam renuntiavimus juri, quod nobis in eodem Regno forsitan competebat, & Romanus Pontifex Vexillarium Ecclesiæ, nos constituit, cùm fuisset etiam in consistorio publico nobis objectum, quòd anima genitoris nostri absolvi non poterat, nisi nos possessionem Siciliæ Regi Carolo vel suis heredibus redderemus, animus noster suspensus in dubiis, variis meditationibus anxiatus est. Hinc quidem exhereditandi fratrem occurrebat acer-*

A *bitas, & subjiciendi fideles Siculos suis hostibus iniquitas videbatur. Illinc verò paterna caritas, & jussa præsidentis in Ecclesia obsistebant. Denique ad examen conscientiæ nostræ propositis argumentis, vicit iter durum pietas genitoris; quem, si qua fides ministris Ecclesiæ adhibenda est, usque ad illa tempora credidimus propterea flagellatum. Tunc ergo eligentes minus malum, spopondimus contra Siciliam dirigere vires nostras, ibique spatio designati temporis residere. Venientibus autem nobis in Siciliam vice prima; quantum intumuerint Siculi, quibusve contumeliis provocaverint, omnibus vobis manifestum est. Regem eorum, ne tunc etiam requisitus nobiscum sermonem haberet ventilato apud plateam in communi consilio*

B *vetuerunt, Johannem de Lauria cum parte classis nostræ per pharum Messanensium navigantem aggressi sunt; quem bello captum cum pluribus aliis nobilibus capite punierunt. Et quod gravius atque ignominiosius nobis incubuit, iis elati successibus, ut nobis bellum inferrent, vestigia nostra usque Milacium subsecuti sunt; & nisi eis tempestas valida obstitisset, persequentes nos usque Neapolim, in nostrum forsitan opprobrium navigassent. Sed quid præterita recensemus? Quæ causa, quæ ratio huc usque nobiscum bellum committere hos adduxit? Bellatorum numerum, numerumque galearum, in quibus eos excedimus non attendunt.*

C *Revera cœcavit oculos eorum superbia, dementes & insensati effecti sunt. Itaque non simus immemores injuriarum, quas nobis intulerint, sed pugnemus viriliter, si cupimus & illatas nobis ulcisci injurias, & dilectam patriam cum honore, quod Regno Aragonum congruit, revidere.* Nec plura locuto Rege, omnes quid facturi essent ex verbo ejus accipiunt; classem repetunt, cunctæque rates Regis Aragonum in alarum modum per seriem diriguntur. Signifera quidem puppis, qua filii Regis Caroli cum Rege Jacobo vehebantur, in medio constituta est. His itaque populis ad bellum anhelantibus hinc & inde, cùm fuisset parumper ab utraque ad idem propositum remigatum, clangor

D tubarum lacrymabile bellum denuntiat, rates ratibus inimicis occurrunt infelices nautæ cœlum replent clamoribus nube telorum jubar Solis eripitur, innumerum vulgus per transtra remosque prostratur. Cùmque fuisset longo diei spatio jactis missilibus eminus dimicatum, Gombaldus de Intenciis vir magnanimus inter tot notabiles utriusque partis armorum gloriam in primævo suæ juventutis flore desiderans, eventum pugnæ ad exitum non expectans; restem, qua inter suorum rates puppis ejus in ordine posita tenebatur abscidit præteriensque ordinem; inimicis ratibus se objecit. Hunc autem temeritate invadentem ratis una ex rostro, duæ

E verò ex lateribus invaserunt. Ipse tamen, qui vitam pro ventosis laudibus in animo pactus erat, quamquam pluribus offensus vulneribus; nunc puppis rostrum, nunc latera tuebatur. Tunc si quis ex hostibus, eam ratem ascendere attentabat, hunc ille vel sternebat vulneribus, vel virtute mirabili repellebat. Interea succensis utriusque partis animis bellatorum, proras, proris allidere ac remos remis effringere, non formidant. Alii jactu innumerabilium pilorum corruunt, alii nimbo torrentum lapidum obruuntur. Plures quidem proras inimicas insiliunt, & resilientes repulsi ab hostibus præcipites demersi sunt. Fredericus Rex signiferam puppim Regis Aragonum invadere satagebat;

sed

Digitized by Google

sed non tantum nephas, quæ indulgere solet quandoque potentibus fortuna permisit; quoniam si duo tantæ famæ gloriâ nomina corruissent pietate fraterni amoris penitus relegata, fortè sese ut Etheocles & Polynices Reges Thebanorum mutuis vulneribus peremissent. Sed maris influentia nunc hanc, nunc illam incertis motibus dispellente, inter utrasque puppes aliæ rates mediæ præcurrerunt. Ut autem esset in quem quocunque casu terribili dies tantorum malorum notabilis, ab hora tertia Sol ultra quod lex æterna constituit fervescere videbatur. Tunc Sirius ardens sitim induxerat, quam armorum impetus ingruens, cruor è vulneribus effluens, & pavor bellatorum corda percutiens geminabant. Quòd si quis fortè aridam sitim vel vino, vel aquis compescere attentaret, quia fervore Solis cuncta tepebant, sitis illa potu sedari non poterat, quin potiùs augebatur. Cùmque sub tanto æstu tantisque periculis usque ad horam sextam fuisset inter partes bellorum eventu vario dimicatum, utraque partium invenisse parem mirata est. Gombaldus de Intenciis bello fessus, dum quæreret æstuante Solis incendio & labore spiritum refovere, innixus clypeo dulcem animam exalavit. Quo deficiente, puppis ejus illico ab hostibus capta est. Interea sex electæ rates agiles remis, quas ad hoc Jacobus Rex non absque calliditate Rogerii de Lauria statuerat, universam Siculorum classem ambientes à puppibus impugnabant. Quo casu plebs misera Siculorum, quamvis à facie impugnantium obsistere satagebant, acceptis à tergo improvisis vulneribus sternebatur. Hanc itaque duram atque inevitabilem belli pestem cùm Siculi perferre non possent; cœperunt paulisper à bello secedere, atque à continuata defensione cessare. Tunc Fredericus Rex intentis oculis hæc omnia circumspectans; ad verbum quod Messanæ proposuerat: *Melius est mori in bello, quàm videre mala populi*, mentem reduxit, accersitisque magnis viris, quos ad signiferæ puppis suamque custodiam deputaverat, turbato vultu hæc pauca locutus est: *Videmus partes nostras bello deficere, ipsumque Regem Jacobum nostro exitio imminere. Nunc autem quia nil aliud superest nobis, præter vitam, quam pro nostris fidelibus expendamus, hæreat ratis nostra Blasco de Alagona; ut convenientibus nobis in unum, ante omnium nostrum interitum ab hostibus vitæ nostræ commercium assumamus. Neque periment hodie nos inultos.* Nondum Rex hæc bene finierat, cùm sive urgens dolor, sive intolerabilis æstus spiritum oppressisset, quasi exanimis concidit, nihilque intelligens morienti similis palpitabat. Tunc Bernardus Raymundi de Rebellis ad circumstantes hæc ait: *Consulite in extremis rebus, o Proceres, quibus tutela Regis, Regiæque puppis commissa est. Quisque vestrum casum nostræ partis intelligit, quisque videt, quoniam classis nostra devicta est. Rex noster attendens hæc paulò ante, cùm vigebat in eo sensus & ratio, mori bello decreverat, nosque illum imitari debere fidelitatis debitum innuebat. Veruntamen propter inopinatum accidens; quod emersit, quia sui juris esse non potest, cùm sint in eo sensus, & ratio hebetati, nunc expedit nos Duces ejus fieri & ad salutis ipsius pro viribus operam adhibere. Nam sicut ex iis, quæ fiunt, evidenter accepimus, citò veniet hæc Regia ratis in prædam, Aragones & Catalani trucidabunt populos ad vindictam. Non ergo expectare oportet, ut Rex noster à popularibus & plebejis inter*

A *hæc malorum discrimina incognitus juguletur. Decretum quidem suæ voluntatis sublatum est, quia non jacens, sed bellando mori decreverat. Nunc autem, ut videtis, bellare non potest. Quapropter hæc mihi visa est in hac parte summa consilii, ut depositis armis Hugo de Empuriis, & ego ad Regem Jacobum accedamus, fraternum ensem in deditionis signum suo conspectui præcedentes. Ipse quidem, quia frater est, salvum faciet Regem nostrum, & nos illi præbebimus victas manus.* Tunc Hugo respondens, ait. *Absit à me tantus furor, tantaque mentis insania, ut Dominum meum hostibus suis tradam. Possumus adhuc illum remis bello subtrahere, atque Messanæ, ubi se custo-*
B *diæ nostræ commisit, vel viventem, vel mortuum reportare. Quòd si casibus istis supererit, non tam sua fata premuntur, ut nequeat relevare caput.* Bernardus in proposito perseverans scapham petit, ut solus Jacobo Regi hanc legationem afferret. Tunc Hugo: *Heu demens, universæ virtutis immemor, & totius nobilitatis ignare, quærisne Dominum tuum hostibus prodere, quem evidenter potes adhuc de manibus hostium liberare.* Bernardus itaque iis & aliis redargutus ignominiosum propositum dereliquit. Tunc Hugo jubet nautas remis incumbere, quò possint ipsum Regem ex tanto periculo amovere. Tunc Regia puppis beneficio remorum bellum egressa est, quamvis paulò ante sex aliæ recessissent. Blascus de Alagona,
C qui Regem Fredericum, animo & oculis ambiebat, ut vidit Regiam puppim discedere, Ferrandum Peris de Arbes vexillarium suum vocans, ut vexillum implicaret ad exitum tristi sermone mandavit. Ille quidem magnanimus & impatiens hujus verbi; *Mene*, inquit, *jubes, quòd nunquam in bello memini, ad indecoram fugam tuum complicare vexillum. Absit, nunquam fuerit dies ille, quo te videam bellum cum ignominia deserentem.* Nec plura locutus est; comantem galeam abjiciens tamdiu caput ad propinquiorem partem ratis allisit, quòd insensatus effectus est, & die altera vitam dedit.
D Vinchiguerra de Palacio postquam ratis ejus, quam expertis bellatoribus viris muniverat, à quatuor electis ad hoc opus ante inchoatum bellum à Rogerio puppibus, non æquo Marte devicta est, in scapham tunc fortè propinquam insiluit, & beneficio remorum adjutus in rate alia, quæ jam belli casus exierat, receptatus evasit. Alafrancus de Sancto Basilio, & plures alii nobiles non immemores virtutis, quam in Ægypto Julius Cæsar exercuit, nondum cunctis armis depositis, ad socias puppes nando per maris spatium contigerunt. Abierunt itaque cum Rege carinæ duodecim, quamvis, ut superiùs expressum est, sex aliæ præteriissent. Cetera Siculorum classis circumventa hostibus cœco Marte constitit pugnatura. Tunc ergo victa est propter sui temeritatem Sicilia. Tunc primùm fortuna volubilis fidem fecit marino bello Siculos nostris temporibus vinci posse, qui decem & septem annis
E continuis tam variis bellis, tot diversis concursibus ineffabiles victorias & continuatos triumphos magna in parte Orbis terrarum notabiles de suis hostibus, & pluribus aliis reportarunt. Lacrymabilis quidem cædes exoritur, dum Catalani & Aragones Siculorum puppes insiliunt, mixta cum vulgo nobilitas nullo mortis discrimine trucidatur; plures, ne in manus hostium inciderent, sese in mare præcipitant, alii natando sperantes evadere, cùm nequeant amicas rates contingere, demerguntur. Tunc Rogerius

de

Digitized by Google

de Lauria voti compos, tamquam leo rugiens clamitabat, & vindictam Johannis de Lauria cunctis suis bellatoribus imponebat. Sed neque iis contentus, omnes rates, quas ceperat, præcipuè Messanensium, singulatim ascendens furibundus evertit, atque in solatium nepotis extincti plures nobiles, licèt immeritos, acerbæ mortis exterminio destinavit. Aliis mucrone pectus transfigitur, aliis clava ferrea caput contunditur, aliis cervix è jugulo amputatur. His gladio eripiuntur vitalia, illos semineces ex puppibus ad undas projiciunt, aliorum membra minutata dispergunt. Omnis in hac vindicta crudelitatis modus exceditur, omnis quidem pietas relegatur, imago mortis ubique prætenditur, ubique calcantur cadavera pedibus bellatorum, agea carinarum spumanti cruore tingitur, rivus affluentis sanguinis per foros egreditur; color maris ubique cœruleus hìc Siculorum cæde mutatur. Fridericus Rubeus, Perronus Rubeus, Ansalonus & Raymundus de Ansalona, Jacobus de Scoridera, Jacobus Capichi, & plures alii nobiles viri Messanenses, præcipuè quos viventes in captis ratibus invenerunt, ad vindictam hac immani cæde lætati sunt. Ex quo factum est, ut ipsi etiam apparitores sævitiæ pro tam diris spectaculis pias lacrymas funderent, quamvis Rogerius, qui scelus hoc jusserat, omnia hæc siccis oculis aspectaret. Postquam verò tantum sanguinis, quantum ipsi carnifices effundere poterant, exhauserunt, ab ipsa strage cessatum est, cunctosque superstites in vinculis tenuerunt. Omnis substantia carinarum Siciliæ in prædam convertitur, captivi omnes ad conspectum Regis Jacobi longo ordine adducuntur. Tunc senior quidam ex Siculis, jam deposita mortis formidine, circumspectans Catalanorum turbam confusam, Regi sic ait: *O gens crudelis, obsequiorum ignara, & immemor acceptorum,*

Si bene apud memores veteris stat gratia facti, delevitne cordibus vestris oblivio, cùm jubente Pastore Matris Ecclesiæ Rex Francorum terribili atque innumero bellatorum exercitu Regnum vestrum invaserat, quid vobis profuerint auxilia Siculorum quàm primùm afflictio Cataloniæ delata est ad eorum notitiam, qui tunc parata classe per universam Apuliam de hostibus feliciter triumphabant. Non fuit eis curæ, licèt fessis bello, vires resumere, nec etiam dulcem patriam revidere, quin immo salutem vestram suis victoriis præponderans, jam subactos hostes Siculorum classis deseruit, nullaque mora impediente negotium, in Cataloniam navigavit. Jam plures ipsius regionis arces Gallorum manus everterat, Girundam famosam civitatem subegerat, cunctaque occurrentia igne ferro vastarat; neque erat qui vos de manu ejus erueret, nisi fortè Divinum miraculum liberaret. O res non indigna memoria! Contra Rosam, ubi Francorum præsidia convenerant, Siculi tacitè navigantes, apud scopulos Formicarum nocte cepere navigium, & proxima die castrum. Quo casu Galli amissa classe suisque præsidiis remeare cum ignominia compulsi sunt. Hæc ne illis pro salute præmia redditis, & illorum obsequia hoc retributionis munere compensatis? Nunc illos in suis litoribus acri bello confunditis, per quos olim in Regno vestro de manu hostium evasistis, illasque manus ingrati nunc gladiis cæditis, per quas actum est ne Gallis perpetuò serviretis. Quòd si hæc omnia non æquo animo à vobis pensata sunt, reddite saltem nunc Siculis rates illas, quæ tunc redeuntes per mare leonum ventorum turbine ingruente vel absorptæ sunt fluctibus, vel dispulsæ undis manu Infidelium perierunt. An fortè negat hoc Rogerius de Lauria, quem in agendis illis ducem Admiratumque habuimus, an celsitudo Regia, quæ tunc dominabatur in Sicilia, non fatetur? Jacobus, quamvis dissimulans, patienter hæc audiit, plurimaque turba pugnasse contra Siciliam tacitè murmuravit. Interea Fredericus Rex, tamquam experrectus à somno, mentem recipiens, postquam omnia circumspexit, atque ereptum se bello cognovit; *Reddite*, inquit, *me hostibus, quoniam bello mori pro fidelibus nostris, non fugam decrevimus, etiam cùm vincere sperabamus. Diu viximus. Nunc autem non libet ulteriùs indecoram vitam producere, atque victum in patriam remeare.* Tunc nobilium cœtus, qui aderant, moderantiùs Regem orant, ut inreparabile bellum in desperatione non repetat, neque in ruinam cœco gressu totam Siciliam secum trahat, cùm de capite suo multorum vita salusque penderet.

CAP. XIV.

De ingressu Frederici Regis Messanam & provisione defendendi Siciliam.

REx tandem paulisper evictus rationibus, consiliis acquievit, & cum debellatæ classis reliquiis Messanæ portum ingressus est, vulnus tamen inconsolabile tacita mente gerens. Et jam tanti mali fama prævenerat, Messanensium dolor ingens totam civitatem ululatibus jam replerat. Sed postquam eis Regem advenisse compertum est, sedato murmure convenientes eum, qui palatii litora jam tenebat, viso Rege, nihil perdidisse testati sunt, quin potiùs Regem orant, ut omnem eorum substantiam accipiat, eamque suo arbitrio pro Regni defensione disponat. Ille verò ad circumfusam plebem aspiciens, vultum & habitum tristem gerens, hæc ait: *Omnia Dei nutu ab æterna dispositione geruntur, omnia Regna Mundi nunc prosperis, nunc adversis eventibus ab ipso Regnorum principio agitata sunt. Quid enim aliud tragœdiarum clamore defletur, nisi fortunam indiscreto ictu fata Regum & Principum ac infelicia Regna vertentem: Nunc ergo nobis esse non potest rationabilis materia conquerendi, si semel manus Domini nos correxerit, quos olim tot annis labentibus innumeris victoriis gloriosos effecit. Non enim hoc bello, quamvis plurima damna tulerimus, exinanitæ sunt adeò vires nostræ, quin possimus Regnum nostrum, duce Divina clementia, defensare, dummodo laudata fides in Siculis perseveret. Nos quidem huic defensioni vitam devovimus. Vos autem necessariis intendatis. Certum est, & omnibus circumspectis inficiari non possumus, quoniam non subiicitur umquam Sicilia, nisi volens. Ite ergo, sublato pavore, spem gerite, quoniam Omnipotentis dextera non relinquet indefensam justitiam, quam sectamus.* Nec plura, Rex aulam ingressus est. Messanenses restaurati verbo Regis animum abierunt. Tunc Rex ipse cautum agens cum provisione consilium, casum belli per famosa loca Siciliæ docta manu scriptoris denuntiat. Capitaneos, qui ab incursu hostium loca custodiant quos potuit elegisse, constituit. Et quia Conradus Lancea tunc Cancellarius obierat, Vinchiguerram de Palacio Cancellarium fecit, Nicolao & Damiano Vinchiguerræ germanis, civitatis & castri Messanæ custodiam commendavit. Postquam hæc à Rege provisa

 sunt,

ſunt, ipſe Arduam terram (*) quaſi centrum in medio Siciliæ poſitam, quam primi habitatores Caſtrum-Johannis antonomaſticè vocaverunt, unde poſſet celeriùs cunctis extremis ſuccurrere, ſtudioſiùs aſcendere pręelegit. Rectè quidem hunc locum dives omnium natura dotavit, & primi hoſpites elegerunt, ut eſſet Regum hoſpitium, quotiens intonantibus bellis à potenti manu hoſtium expoſita ſemper periculis Trinacria impugnatur. Mirabilis quidem ſitus & diſpoſitio loci hujus quamvis nec viribus impugnari queat, nec propinqua obſidione vallari. Etiam in ſummo ejus aquarum fontes ſcaturiunt. Inferiùs verò, & longo quidem ſpatio, ſecus montem æſtivo tempore nullus aquarum rivus apparet, juxta quem poſſent obſeſſores aliqui reſidere.

CAP. XV.

De permutatione captivorum, & reditu Regis Aragonum in Cataloniam.

POſt hæc Rex Jacobus de numero ſuæ gentis, quæ in bello ceciderat, ſciſcitatur, & dum referentibus Magiſtris militum & turmarum defeciſſe multitudinem populi conſpexiſſet, nihil ſe viciſſe teſtatus eſt, eo maximè, quòd plures in illo conflictu viri nobiles & magnifici defecerunt. Tunc verò in Calabriam iterum navigans, paratas ibi turmas alias bellatorum invênit, quos abinde in Siciliam tranſportavit, ut faciliùs tolleretur à pluribus inviſa tot populis ſuperbia Siculorum. Poſtquam hæc omnia geſta ſunt, Rex Jacobus coram Roberto Duce Calabriæ, Philippo Principe Tarenti, aliiſque magnis viris, qui cum eo aderant, publico ſermone locutus, omnia quæ Romano Pontifici & Regi Carolo pollicitus fuerat contra Siciliam aſſeruit compleviſſe, quòdque tunc expediebat illum pro aliis Regni ſui magis arduis negotiis in Cataloniam remeare. Agentibus ergo Nuntiis hinc inde à partibus deſtinatis, de Siculis, quos Rex Jacobus habebat in vinculis ad Catalanos & Aragones olim captos bello phari & Jarratanæ magna ex parte commutatio intervênit. Rebus autem hoc fine digeſtis, Rex Jacobus captivos Siculos, qui commutationi ſupererant Roberto Duci Calabriæ vices patris gerenti cum terris & caſtris, quæ habere potuit in Sicilia toto præteritorum bellorum tempore aſſignavit, eumque in illam poſſeſſionem Siciliæ, quam poterat, introduxit. Rogerium de Lauria, plureſque alios nationis ſuæ viros armipotentes & ſtrenuos in ipſius Ducis auxilium contra Siciliam dereliquit. His autem eo modo diſpoſitis, Jacobus Rex ad invaſionem Siciliæ pluribus exhortationibus intendit, aſſerens cauſam ipſam de facili terminari poſſe, quia cum debellata gente nequeunte vires reſumere negotium agebatur. Itaque aſſumpto in ratibus Principe Tarentino, Duce, & reliquis in Sicilia reſidentibus, *Valete* inquit, ventiſque feliciter flantibus vela committens, Salerni litora contigit, ubi depoſito Principe, reverendam matrem lugubrem & anxiam propter diſſidium filiorum cum dilecta conſorte concepit. Nec longo maris amfractu velificans, reſidentem Neapoli Carolum Regem adiit, à quo non multùm diligenter acceptus eſt. Unde ingratus Gallis & inviſus Siculis in Cataloniam remeavit, quamquam potuiſſet Siculos adhuc graviùs afflixiſſe.

(*) Fazellus locum hunc vocat *Ennam*.

Explicit Liber Quartus.

IN-

Digitized by Google

INCIPIT LIBER QUINTUS.

CAPUT PRIMUM.

De obsidione Randacii, & deditione Castellionis, castrorum Roccellæ, & Placarum.

NUnc autem lamentabile opus aggrediar, nunc dissidia civium referam, nunc intestina mala, quæ totam undique infecere Siciliam, reserabo. Sed neque imponatur scriptoris desidiæ, si plurima sub silentio prætermittam, aut fortè oblivioni concedam; nam velut ingens cumulus insperatis casibus adversa omnia contigerunt. Anno Incarnat. Dom. MCCXCIX. post debellatam Siculorum classem Rege Jacobo abeunte, Robertus Dux Calabriæ castra movit, Randacium inter omnes terras vallis Demunensis præstantiorem obsedit; quam in deditione venire nolentem, postquam innumerabilium suorum ovium greges, quibus excedit universa loca Siciliæ, in dissolutam prædam ab hostibus conversi sunt, excisis etiam quæ circa erant virgultis frugiferis & vinetis, acri bello ex omni parte, sed unde aquas hauriunt maximè impugnavit. Illis autem viriliter obsistentibus, unus ex majoribus Gallorum, qui se bello acriùs ingerebat, ad fontem, quem Roccarium vocant, obrutus jactu lapidum extinctus est. Quo casu Dux cum exercitu cedentes bello, in quo prævalere non poterant, cadaver extinctum in tentoria cum gemitu & ululatibus reportarunt. Hæc ergo terra sive sola tunc servare fidem in adversis elegerat, sive aliis Siculis exempla servandæ fidei sub tanto turbine ostendebat, felix æterno nomine censenda est, quæ prior post debellatum eorum Regem non potiùs victam esse Siciliam laudabili experimento monstravit. Interea Castellionis, Roccellæ, atque Placarum arces ad Rogerium libenti animo redierunt: quorum sententiâ Francavilla fuisset libentiùs substituta, nisi metus imminentis castri, quod tunc pro Conrado de Auria servabatur, corda resilire volentium terruisset.

CAP. II.

De deditione Adernionis & Paternionis, & pusillanimitate Comitis Camerarii.

POst hæc Rogerio suadente, Robertus Dux attendens, quoniam nihil poterat in ea obsidione Randacii proficere, castra movit, atque in Adernione oppido expugnabili, quod se illico dedidit, castra metatus est; ubi cùm fruges & alia, quibus carebat exercitus, reperisset, non modicum refocillationis accepit. Ab hinc damnatâ morâ discedens, propinquam Paternionis arcem, in qua Manfridus Malecta Comes Camerarius tamquam in dilectis sui genitoris cunabulis longa ducens otia residebat, obsedit. Hic quidem aut degeneri pusillanimitate victus, aut senio, quamvis locus expugnari bello non posset, sive mollibus delitiis assuetus, metuit obsideri, sive hoc fatis urgentibus infelices Siculi meruerunt. Altera die obsidionis ipsius in deditionem prolapsus est, &, quod gravius non opere sed exemplo, cum hostibus ipse concessit. Quòd si Comes ille in deditionem tam properè non venisset, Dux cum exercitu ejus, qui jam inedia laborabat, vel properè totam Siciliam reliquisset, vel in manus Frederici Regis necessariò incidisset. Quidnam huic Manfridio nobilitas generis, quid Imperialis doctrina, Regumque consortia, quid plures hactenus aggregatæ divitiæ profuerunt, quem Frederici Romanorum Imperatoris gloriosis studiis innutritum Manfridus Rex ipsius Frederici filius exaltavit, Constancia Regina ipsius Manfridi filia, & post illam Jacobus & Fredericus Reges ejusdem Constanciæ filii quasi alumni ejus, continuatis temporibus usque in diem suæ deditionis filiali reverentia tractaverunt? ex tunc quidem omnia quæcumque rebellionis contagia contra Fridericum Regem Siculos infecere. Profectò quamdam exemplarem originem pro illo fomite habuerunt. Sed nec inremuneratus obiit, quoniam dies suos in extrema paupertate finivit.

CAP. III.

De rebellione Bizini, & Bucherii.

POstquam verò surrexit in Siculis notabile hujus rebellionis exemplum, Rogerius de Lauria unà cum Johanne de Callaro, Thomasio de Lalia, & Johanne de Landollina Bizinensibus, qui paulò ante navali bello capti fuerant, Bizinum tacitè perrexerunt. Et dum pararent incolæ clausis januis è mœnibus, & propugnaculis se tueri, Johannes de Callaro quasi plus aliis de plebe confidens, ad muros accelerans, ab ea parte, ubi facilior erat ascensus, ut illum introducerent, quemque suo nomine flagitabat. Cùmque fuisset Johannes de Callaro, tamquam dilectus à populo, per mœnia introductus, ab illo sic actum est, quòd Bizinum ad partes Ducis Calabriæ declinavit. Hi verè dici possent immemores civium Romanorum, qui metuentes carcerem, semetipsos & patriam in proditionis præcipitium adduxerunt. Re vera non sic regulus Pœnorum bello captus suis civibus consuluit, qui non solùm Carthaginensium pacem aut fœdera Romanis dissuasit, quin immo scienter ad Pœnos regressus est, ut tam crudelem obitum, quem de illo gesta Romanorum insinuant, priusquam suis civibus inhonorabile fœdus consuleret, in squallore carceris toleraret. Tunc Bucherium, quamvis non expugnabile viribus, nihilominus ex quodam instinctu, vel nutrientis aëris vel disponentis signi, sub quo primò fundatum est, pronum in dominos terga convertere, jubente per literas Comite Camerario, qui dominabatur in loco, solùm requiri ab hostibus non expectans, die altera cum Bizinio concessit.

CAP. IV.

De desolatione Claromontis, & obsidione Catanæ.

ROgerius læto vultu ad Ducem regreditur qui ante Palagoniam ipsius Rogerii reditum expectabat, cunctisque agminibus castra movent, oppidum Claromontem expugnare viribus tentaverunt. Illi, quamvis in primo insultu belli sua mœnia defendissent, metuentes, ne tandem futuros bellorum impetus tolerare non possent, in deditionem venire subitò elegerunt. Itaque bello jam tepescente arma deponunt, inire

Digitized by Google

inire fœdera pacis orant; sed non exauditis petitionibus clamantium, obsessorum terra invaditur. Miseri quidem incolæ trucidantur, horum intestina cuncta erant. illos semineces exuunt, aliis per infinita vulnera membra concidunt, lactentes & parvuli saxis allisi sunt, prægnantibus fœtus gladiis ab utero eximuntur. Postquam subitò actum est quidquid exegit impiorum crudelitas ad terrorem, & antiqua Gallorum odia ad vindictam, fœminæ, quæ congregari sub tanto turbine potuerunt, adhibitâ eis custodiâ jussu Ducis ad vicina loca transmissæ sunt, unde viri bellatores prima & meliora spolia, Bizinenses verò reliquam illorum substantiam transtulerunt. Ex hinc Dux cum Rogerio abeuntes contra civitatem Catanensium, quam tunc Blascus de Alagona servabat, in vineis arenarum non procul à civitate castrametati sunt; ubi cum triduo resedissent, sicut fama tunc innuit, & post illam effectu operis compertum est, acceptis à Virgilio de Scordia iniquæ promissionis literis recesserunt.

CAP. V.

De deditione Aydoni, & obsidione Placeæ.

ITaque abeuntes Dux cum Rogerio in aliam regionem, consilio incolarum, qui ad eo paulò ante transfugerant ante Aydonum subitò castrametati sunt. Nec mora, cunctis quæ in inferiori terra inventa fuerant dissipatis in prædam, bellum contra eos, qui ad superiorem arcem confugerant, intulerunt; factoque impetu in obsessos, ad exigua mœnia, quæ Juventus de Obbertis Capitaneus cum iis, qui pro servanda patria convenerant, bello defendere satagebat, ad eam, quam Bonitati portam vocant longa tignus deducta funibus more arietis ignem immisit, quam protinus ignis edax invasit. Juventus verò inter hos motus plenus formidine, concurrendi periculis non ignarus, congestis hinc inde lapidibus surgente materia portas ab interiori parte firmavit. Reliquos belli casus superveniens nox diremit. Denique hostibus in castra redeuntibus, ex obsessis plures ad illos nocte confugiunt, reliqui vigilantes sua mœnia pro vita conservant. Altera autem die, cùm parata acie contra obsessos bella dirigerent, Juventus terram hostibus reddere ab ignobili vulgi metu deficiente, compulsus est. Junctis itaque fœderibus Juventus abiit, terramque donandam hostibus incolarum manibus dereliquit. Post habitam de Aydono victoriam, contra Placeam non longo distantem spatio Dux cum Rogerio acies suas movet, quò per magna vitæ pericula Guillermus Galzerandi & Palmerius Abbas strenui bellatores cum sexaginta in equis, qui suorum ducum fata voluntariè sequebantur, per medias hostium acies ingressi sunt. Dux in plano Sancti Georgii, Rogerius ad fontem Vicis secus terram castra componunt. Incolas, ut in deditionem veniant, per Nuntios admonent, bellum ad mœnia, si secus egerint, comminantur. Illi voluntariam mortem, quàm indecoram deditionem potiùs elegisse de longè audita responsione respondent. Dux terram ab ea parte, ubi Ecclesia fundata est, quam Patrem Sanctum vocant, bello invadere attentavit; unde post aliquorum suæ gentis stragem repulsus in castra regressus est. Cùmque in ea obsidione diebus aliquibus resedissent, attendentes nihil posse contra obsessos proficere, succisis utcunque poterant, quæ plurimæ in circuitu terræ

A sunt, populeis arboribus, & vinetis, Paternionem obsidione deposita redierunt.

CAP. VI.

De sermone Frederiei Regis ad Catanienses, & responsione Virgilii de Scordia.

POstquam hæc omnia Frederico Regi relata sunt, Messanam in ea dispositione, quæ superiùs expressa est, suis incolis recommendans, Cataniam, quam obsessam audiverat, properavit. Cùmque jam hostes ab inde recessissent, vocatis civibus, obsequia fidelitatis eorum gratificat, &, quia non concesserant hostibus, be-
B nigno sermone commendat, hortans illos & admonens, ut in bene cœpto proposito perseverent. Nec mora, Virgilius quod conceperat mente consilium vultu tegens, stans ante conspectum Regis, ut erat affabilis, hæc inter alia pro universitate respondit: *Quamvis evidenter appareant innumerabiles rationes, quæ sub levi iugo fidelitatis vestræ cervices omnium Siculorum inseparabiliter astrinxerunt, pauca tamen, ratione brevitatis, quia manifesta sunt, in medium introducam. Quis ex nobis infandas Gallorum pressuras non meminit, & vindictam, quam ex illis propria manu suscepimus, dissimulare quis posset, cùm eorum sanguine per castra & civitates Siciliæ adhuc rubeant parietes*
C *& lapides angulares? Vos autem ad ulnas nostras à diebus infantiæ diligenter alitum & provectum, atque incomparabili gaudio coronatum ex Siculis quis ignorat? Innumera quidem beneficia, quæ de sinu Regalis munificentiæ nobis collata sunt, inficiari non possumus nec debemus. Quis itaque sanæ mentis hanc iniquam permutationem facere attentaret? Quod si quem in adversum, quod absit, dementiæ furor distraxerit, potiùs ima tellus dehiscens hunc raperet, vel cœlestibus ignibus Pater omnipotens fulminaret.* Grata quidem visa sunt ante oculos Regis fucata verba, quæ Virgilius ille dictaverat, eumque dignum laude ac magis extollendum honoribus in animo amplexus est.
D Sed ne quid occultum in hac parte fortuna relinqueret, aliqua ex eis, quæ secreta erant, Virgilio ad aures Blasci de Alagona suggesta sunt, quæ clam Regi sinè interpolatione temporis revelavit. Rex autem suspicatus hoc verbum propter alicujus indignationis causam fuisse compositum, Virgilium patrem vocans ait illi: *Potiùs eligimus hanc civitatem sub ictu fortunæ relinquere, quàm famam Virgilii denigrare.* Tunc Blascus suspectos casus præmetuens, curam ipsius civitatis renuit, quam Rex non expressa occasione Hugoni de Empuriis commendavit. His autem eo limite constitutis, Rex Leontinum, Syracusas, & alia famosa loca vallis Nochi vicina hostibus visitans, tandem
E castro Johannis arcem prout ante decreverat, necessitatibus occursurus ascendit.

CAP. VII.

De rebellione Catanie.

TUnc Virgilius ad metam deducere cupiens quod scelerata mente conceperat, ne quid tantis ausibus posset obsistere, omnem obicem prætollere meditatus est. Itaque Neapolionem Caputum concivem ejus, quem hactenus præeminendi rei publicæ cupiditas fecerat sibi longo tempore odiosum in pacem, quæ paritura erat mul-

Digitized by Google

multorum excidium, revocavit. Ille verò, tamquam viribus impar Virgilio, ad eam pacem libentiùs declinavit. Ex quo sic actum est, ut qui capitales olim inimicitias & pretiosa inter se odia exercebant, subitò ad denigrandum suam suique generis & innocentis patriæ famam, non ut cives, sed ut hostes rei publicæ convenirent. Rebus autem sic se habentibus, Fredericus Rex quod futurum poterat esse pronosticans, videlicet ne Roberto Duce Calabriæ variis discursibus gerente bella per Insulam, ad hostes, prout jam cœperant, aliqua loca deficerent, counire undique vires suas, & cum eo in campis congredi prælegit. Cùmque inter alios Hugoni de Empuriis per literas Regias scriptum esset, ut septingentos viros armigeros ex Catanensibus eligeret ad hoc bellum, ipse ad hoc accersitum Virgilium tamquam patrem patriæ quo modo jussa Regis perficeret, consultavit. Ipse quidem intelligens nunc esse tempus acceptabile suis dolis, in die crastina inter cives negotium exponendum esse respondit. Postquam Hugo consiliis Virgilii acquievit, discedens ab eo Virgilius properat ad complicem pravitatis, noctemque addentes operi, cum pluribus ex agnatis & ministris eorum quid acturi erant die altera statuerunt. Et jam infanda dies, quæ longam secum trahebat infamiam & excidium plurimorum exorta est, Virgilius in habitu Romanæ pacis ad Comitem togatus ingreditur, eumque ad majorem Ecclesiam, ubi de negotiis publicis agi consuetum est, comitatur. Neapoleo verò cum iis, quos elegerant satellites pravitatis, ad locum non uno agmine convenerunt. Cùmque visum esset Comiti tempus fandi, edicto silentio jussa Regis in medium exponuntur. Tunc popularis quidam, quem Florium nominabant, evaginans ensem cum impetu, clamansque pacem, in Comitem irruit, cujus faciem extremo vulnere maculavit; quem complices tanti sceleris invalescente clamore diffidii strictis gladiis ad facinus assequuntur. Comes itaque capitur & observandus fidis infedelitate custodibus assignatur. Ab auctoribus pravitatis catervatim per civitatem discurritur, pacem quam ignorabant, occurentes omnes dicere contumeliis compelluntur. O mira insensatæ gentis ignavia, non attendens quòd amarum virus in leni pacis vocabulo sparsum erat, & sub nominatæ pacis involucro patria prodebatur. Astu quidem ignorantes cives decepti sunt. Oh quàm subitò hic error invaluit, nullisque obstantibus incœpta mala radicibus inhæserunt! Postquam verò inventum est in objectum quod cœcum illorum consilium superaret, ad litus, quod portum Sarracenum vocant, tres lintres paratæ sunt, quas Comitem suosque comites Virgilius jubet ascendere, ut cum illis usque Tauromenitana litora transfretarent. Comes ascensurus lintrem, Virgilium & Neapolionem increpat orans, ut si quam in eos vel ipse vel sui comites noxam aliquando commiserint, ex illis pœnam assumerent, & causam sui Regis innocui cum tanta eorum infamia non multarent. Imponitur Comiti abituro silentium; atque illo discedente, inter ministros scelerum qui restiterant in civitate universa Comitis & sociorum spolia dividuntur. Bartholomæus verò de Insula, Philippus de Bruno, & plures alii ex officialibus Frederici Regis, qui tunc aderant, abire cum eorum substantia permissi sunt. Tunc ipsum Ducem receptaculum ad instantem hyemem non habentem atque inediam cum exercitu laborantem, qui se Paternioni jam parabat ad reditum, vocant, venientem eum pompa suscipiunt, atque in tantæ virtutis præmium oppida, terras, & castra multorum in Feuda deposcunt. Ille quidem non abusus calliditate consilii, quæ non tenebat postulata concedit. Oh infelicis memoriæ quandiu stabunt Cataniæ mœnia cum Neapolione Virgilium, quos ab olim sub Frederico Rege magnificatos de nihilo detestandæ proditionis infamia subitò innodavit; Virgilius quondam pater patriæ, qui Romanos hactenus redolebas, quàm subitò cum insensatis deputatus es! Non credo inter hos motus te illum meminisse Virgilium, qui defensores patriæ apud Elysios campos beatorum sedes & prata virentia, perversores verò in ultimo infernorum circulo gloriosis carminibus prædicavit.

CAP. VIII.

De rebellione Nochi, Buxemæ, Ferulæ, Palacioli, & Cassari.

QUamprimum ad aures Siculorum hæc mala deducta sunt, Nochum una ex famosis montanis terris Siciliæ, unde nominatur provincia vallis Nochi, sub Hugolino de Callaro, qui unus ex magnis viris inter Siculos reputatus est, atque ab ipso Rege Frederico tam modesticè tractabatur ut filium de sacro fonte levaverit, non servata fide quam Regi debuerat, vulgo tumultuante ad casum rebellionis adductum est Buxema, Ferula, Palaciolum, & castrum quod Cassarum vocant, attendentes quòd tam famosa loca fidem cum fatis converterant, dato contra priorem fidem libello repudii, ad hostes cursu præcipiti concesserunt.

CAP. IX.

De rebellione Ragusiæ, & adventu Gerardi de Parma Cardinalis in Siciliam.

POst hæc, dum Sacerdos quidam, qui Homodeus nomine dicebatur, causam sub confessionis nomine agitasset, Petrus de Avellana de Pedivillano cum fratribus ut Ragusiam proderent hostibus convenerunt, sed periculosam quidem attentare causam non immeritò metuentes, Franciscum de Valena tantorum ausuum comitem elegerint. Hunc autem armata manu sub noctis tenebris quasi minantes illi cæde ad hanc factionem invitant. Quibus ille vel sponte, vel metu, sed sponte potiùs, ut ex futuris compertum est, acquievit. Cùm ad hoc opus constituti designatum tempus Franciscus exigeret, illi, ut subitum quodcunque paras, in medium proferentes, illico agendum esse quod provisum est sinè deliberatione respondent. Franciscus itaque arma sumit; unique omnes per terram discurrentes, Henricum de Sancto Stephano, qui tunc Manfridi de Claromonte Comitis in tutela ipsius terræ vicem gerebat, terram ipsam vigili sollicitudine abientem, improvisum capiunt, atque ante diluculum jam parata Caroli Regis vexilla super mœnibus terræ locant, & demum Guillelmum dictum Estandardum Regis Caroli Marescallum, qui tunc Bizini residebat, celeriter advocatum in sua mœnia introducunt. Dum hæc autem fierent, vir magnæ auctoritatis Gerardus de Parma Sabinensis Episcopus Cardinalis Cataniam ab Apostolica Sede Legatus advenit, ut Siculos converti ad dominum Regis Caroli admoneret, ipsosque conversos ab excommunicationis & interdicti vinculo, quibus

tunc

Digitized by Google

tunc erat innodata Sicilia, liberaret. Sed neque te Reverendum Patrem veritatis amatorem indictum præteream. Hunc autem Gerardum eo tempore quo Siculi dominatum Regis Caroli furioso impetu abjecerunt. Legatum ad Siculos Pastor Ecclesiæ Romanus Pontifex destinavit, quem in majori Messanensi Ecclesia cum reverentia susceperunt. Et cùm vellent claves Regni sui manibus tamquam Ecclesiæ Nuntio assignare, dummodo Regi Karolo non subessent, ipse vir publicæ veritatis assertor respondens ait: *Non sum missus nisi ut vos Carolo Regi domino vestro conciliem. Si hoc residet menti vestræ, libenti animo adimplebo commissum.* Quod verbum Siculi audientes, neque immemores commissorum, illum absque disceptatione consilii tantæ Legationis vacuum remiserunt. Quo casu Gerardus ipse vir sanctus à Siculis reputatus est.

CAP. X.

De bello commisso inter Fredericum Regem & Philippum Principem, in quo Princeps debellatus & captus est.

CUmque universæ civitates & habitata loca Siciliæ citra flumen Salsum in valle Nochi hostibus & intestinis bellis circumquaque sonantibus æstuarent, Rex Carolus, ne quid intentatum relinqueret, in alteram partem Siciliæ usque nunc expertem tumultuum, quam vallem Mazariæ vocant, bella spargere atque universam regionem invadere meditatus est. Tunc in classe parata Philippus Tarenti Princeps cum septingentis militibus hanc belli avidus & virtutis laude gloriosus ascendit, ac duce Petro Salvacoxa Viceadmirato contra Siciliam navigans, contra Lilybæum promontorium juxta Trapanum declinavit. Tunc ex altis puppibus viri bellatores expositi hostilem terram hinc inde per patentes campos more piratico prædæ avidi invaserunt. Postquam hæc Frederico Regi properantibus Nuntiis relata sunt, accersitis consiliariis qui adesse poterant adventum Principis, numerum hostium, locum in quem descederant, suæque mentis sententiam, quoniam in bello pro Siculis mori decreverat, patefecit. Nec mora, tunc Blascus de Alagona, sive nolens ipsum Regem exponere periculis, sive affectans sibi ascribere laudem belli, prior sic orsus est: *Domine*, inquit, *bellum ingerere Principi dignum laude censendum est; sed quis erit modus ingrediendi bellum, aut si vobis absentibus, hoc diligenti animadversione pensandum. Vos autem hanc sedem relinquere non est tutum, quoniam discedentibus vobis ab opposito Ducis, qui jam magnam partem regionis invasit, & prope nos castra tenet, horum non ignarus eventuum, si nostra vestigia subsequetur, inter utramque aciem positos necesse contigeret, vel nos impari Marte succumbere vel fugam indecoram, si ad hæc fatum & fortuna concesserint, meditari. Quo casu fortè illa, quæ speratis, loca tuta posse repetere non vacaret. Præterea ipsum Principem non multum esse à ratibus certum est. Itaque procedentibus vobis contra eum, per exploratores suos intelliget vires vestras. Et tunc sive bellum admittere sive abire cum paratis ratibus in manibus suis erit. Sinite ergo de vobis hìc ad oppositum Ducis restantibus cum iis, quæ supersunt, Regni viribus dirigam aciem contra illum. Et si juvenili calore aut sanguinis generositate succensus elegerit bellum in campis pa-*

A *tentibus expectare, procul dubio vel omnes uno sanguine occumbemus, vel auctore Judice veritatis ante pedes vestros debellata Gallorum signa cum gaudio reportabo.* Blascus finem verbis imponit. Omnes consiliarii opinionem ejus approbant, omnes ad hanc sententiam sinè contradictione declinant. Tunc Sanchium de Scada, qui secus pedes Regis accubans verba omnium tacitus expectabat, Rex jubet saltem causâ servandi ordinem considentium ad propositum aliquid respondere. Ille, quamquam non habitus vir consilii, nec eloquentia practicus, sed quæcunque videbantur ei proferens ex abrupto, spectans Regem, caputque concutiens, ad hæc verba prorupit: *Insanum agitur in hac parte*

B *consilium, ut hoc bellum contra Principem vobis absentibus inire tentemus. Nunquam progenitores tui Reges Aragonum ea Regna, quæ posteritas eorum tenet, gladio subegissent, si contra hostes arma priores ipsi inter suos milites non movissent. Ego quidem te præsente multa tentarem, in quibus te absente torperem. Adhuc gravius, quòd si te huic bello subtraxeris, vilis pusillanimitatis titulos nancisceris. Et ideo sub tanto rerum turbine ad omnem habitum fortunarum videre debere vos Siculi præeuntem, Blascus in sua magnanimitate confidens sibi quærit ascribere laudem belli, sed non æqua lance præponderat quantum ponderat secum trahat. Hic est inquam finis omnium agendorum. Nam si*

C *concessa fuerit nobis ab alto in hoc bello victoria, restaurabitur causa nostra; si secus, omnes unà trahimur in ruinam.* Postquam verò hæc Sanchius retulit, silentia prima suscepit. Rex verò nunc vires hostium, qui ex una parte cum Duce Siciliam invaserant, nunc deficientes ab eo terras & in præcipitium rebellionis cœco cursu tendentes, nunc ipsum Principem quidquid intactum fuerat ex Insula invadentem ante oculos rationis in unum adducens, cùm non posset tolerando resistere, ad æternam sibi suoque generi revocabat infamiam, si ad omnes casus non exponeret vitam suam, ipsum dilectum Regnum ammitteret sinè bello, in quo mortem sibi voluntariam invitaret. Placet itaque Regi sub ictu fortunæ universa committere,

D & sublatâ morâ contra Principem sub silentio properare. Convenientibus itaque viris bellatoribus quicumque hinc inde poterant non interpositis otiis convenire, atque relicto jam urgente in senium Guillelmo Galzerandi ad custodiam Castri-Johannis & oppositum Ducis, qui non longo terrarum tractu aberat, usque ad conspectum Principis & suorum, quos invênit, hinc terrestri agmine, illinc parata classe versùs Marsaliam procedentes, Rex hostibus improvisus advênit. Tunc augur quidam, quem Lopis de Yahim vocant, Regem adiit, eumque habiturum victoriam, sed se moriturum cum quinque solùm militibus in eo bello prædixit. Cui

E Rex: *tu itaque, dum licet, hos casus effugias. Nos autem hoc bellum in Dei nomine iniemus.* Ille Regi: *sic positum est, ut in hoc bello & ego moriar, & tu vincas.* Tunc Princeps contra se de longè venientem exercitum videns, vel quia importuosa erant litora, per quæ ibant, vel quia propter æstuantis maris undas non poterat classem, quæ se in alto servabat, repetere, vel maximè quia indecoram fugam generositas sanguinis & nobilitas animi recusabant, in patentibus campis, quos *Falconariam* vocant, omnem Siculorum exercitum parvipendens, residere decrevit. Itaque Princeps tres acies instruit, vexilla explicat, &

ad

Digitized by Google

ad futura bella se parat. Primam quidem aciem Marescalcus Principis, quam Brolium de Bunzi vocant, deputatus ut turmas peditum sterneret, secum ducit. Secunda verò, quia nulla signa Regia videbantur in campis, contra vexillum Blasci de Alagona, quod de longè in medio agminis apparebat, Princeps secum esse decrevit. Sed tertiam Rogerio de Sancto Severino Comiti Marsici contra signa Comitis Claromontis, Vinchiguerræ de Palacio, Matthæi de Thermis, Bernardi de Queralto, Farinati de Obbertis & Castri-Johensium, qui cum Rege quasi communiter ad hoc bellum convenerant, commissa est. Rex etiam hæc prospectans universum exercitum auctore Blasco in tres acies ire jubet, Blascum cum Almugaveris ad sinistram, cætera quidem signa sibi ad dexteram partem locat. His autem relicta paululum Regis acie, lentoque gressu procedentibus contra hostes, Princeps, quia nondum fuerant vexilla Regis explicata, solum Blascum cum Siculis esse credens ventosa inductus jactantiæ gloria, bellum non expectare, quin potiùs inferre decrevit. Igitur signa movent, atque impetum faciunt contra Blascum. Blascus autem hæc videns, Regem tunc remorantem, ut nonnullos altiùs aspirantes militari ordine insigniret, properantibus Nuntiis ad bellum vocat, quia jam Provinciales equites missilia cum balistis eminus jacientes nonnullos ex Almugaveris vulnerabant. Interea Comes Rogerius eam, contra quam deputatus erat, aciem penetravit. Princeps jam meditatus victoriam fulminans contra Blascum violento impetu se direxit, totamque ejus aciem impulit, ita ut vexillum ejus casum nunc huc, nunc illuc continuò minaretur. Sed cùm Blasci cuneum, ut sperabat Princeps, penitus dissipare non posset, ab ea parte, qua Rogerius Comes transitum fecerat, præterivit. Blascus autem non attonitus in terga hostium se convertit. Tunc unus quidam ex magnatibus Regis quemlibet in hac parte sinè nomine præterire, advenientem Principem videns, pusillanimitate victus, Regem hortabatur ad fugam. Cui Rex ait: *Nos pro causa nostra & nostrorum fidelium vitam nostram huic bello devovimus, quoniam hic videtur nobis finis omnium agendorum. Vos autem, & quicunque maluerint, proditoris exempto, si libeat, fugiatis.* Nec plura, eo jubente vexillarius signa explicat. Ipse prior è tanto agmine urget equum calcaribus; quem bellatores, qui cum eo deputati fuerant, quamvis exigui numero, assequuntur. Tunc mixtæ utrinque acies cruoris undam longo certamine, pariisque casibus effuderunt. Multi occurrentes Regi nunc ferrea clava, nunc gladio dejecti sunt. Ipse verò in dexteram ejus & faciem quamvis non gravibus ictibus, vulneratus est. Princeps quòcunque graditur ense micat. Blascus verò bellum ingreditur, nunc ad Almugaveros rediens, ut equos cæderent magnis vocibus hortabatur. Almugaveri cùm vidissent adeò confertum bellum, quòd non vacaret militibus equos dirigere contra eos; mutilatis lanceis in bellum tanto impetu irruunt; quòd etiam ex equis Regiæ partis quamplurimos peremerunt. Inter hoc afflictus Princeps & Martinus Peris de Ros, ignorantes alterutrum, casualiter invicem concurrerunt. Ille quidem in sua virilitate confidens, Principem clava impetit ut prosternat, Princeps illum per loricam confertam hamis bis inter mentum & labium repetitis ictibus pugione percussit. Ille verò acceptis vulneribus, cùm non vidisset quà posset corpus Principis vulnerare, diu rimans, per extremas oras cassidis exiguo vulnere Principem in facie maculavit, atque confertis brachiis cum eo in terram præcipitem se dejecit. Tunc Princeps metuens ab ignobili gladio jugulari, Matrem Dei vocans, se Principem esse confessus est. Martinus Peris audito Principis nomine constitit; manumque ab ictu retrahens, Blascum non procul cum hostibus prœliantem vocat, sibique Principem jacentem ostendit. Blascus verò Dominicum Gilii & Arnaldum Fusterium Almugaveros ad se vocans edixit ut mactarent Principem ad inferias Conradini. Sed apud æternitatis Judicem aliter visum erat, ut tanta nobilitas Almugaverorum gladio non periret, quin potiùs ad futuræ pacis commercium servaretur. Nam licèt ii, qui erant cum Principe, cederent, illico rumor in campis exortus est, quoniam ducenti milites ex hostibus ad eminentem cumulum sub quodam vexillo convenerant, qui bellum resumere se parabant. Blascus ad memoriam revocans quæ audierat, quoniam simili calliditate belli perierat Conradinus, postquam Regem Carolum debellavit, nil reputans actum esse, cùm superesset aliquid ad agendum, cum Johanne de Claromonte & aliis, qui aderant, festinantes contra illos intactum gladio Principem reliquerunt. Cùmque ad aures Regis, qui non multùm aberat, de casu Principis pervenisset, ne morti traderetur exclamat; nec minùs ad locum properans, non pias manus satellitum à jussu crudelitatis amovit; ipsumque Principem, ut depositis armis post eum ducerent Petro Cusculiano & aliis fidei custodibus commendavit. Rogerius Comes, cùm audivisset casum Principis, & spectaret undique mortis imminere pericula, dum fuga nulla pateret, ac bellum restaurari non posset, illico præbuit se captivum. Brolius verò Marescalcus in strage suorum plurimis confossus vulneribus in campis inventus est. Ducenti milites, de quibus paulò superiùs scriptum est, quos pro majori parte Neapolitana civitas miserat, non expectatis vulneribus in fuga deprehensi sunt; inter quos Petrus Salvacoxa Viceadmiratus cùm clamaret se mille uncias soluturum, Gilettus quidam nomine ait: *Longum quidem tempus exigitur, ut tanta pecunia numeretur; sed eâ potiùs tuis heredibus reservatâ, nunc accipe belli commercia, quæ meritus es, postquam ad partes hostium declinasti.* Hæc memorans jugulum ejus gladio amputavit. Hic autem Petrus Frederico Rege in marino conflictu Capitis-Orlandi, sicut jam dictum est, cum suis Siculis debellato, cum galêa, qua vehebatur effugit, & cum Iscla Insula, in qua ipse potens erat, ad partes Regis Caroli declinavit. Rex in campis victor eminet, spolia hostium in prædam conversa sunt. Princeps ad famosum castrum Cephaludi, Rogerius Comes, ad castrum Sancti Juliani, Bartholomæus & Sergius de Siginolfo Comes, cæterique nobiles ad alia loca Siciliæ, ut servarentur in vinculis, transmissi sunt. Hi verò, qui in classe restiterant postquam totius belli accidentia de longè spectaverunt, assumptis de nocte quos potuere de iis, qui manus hostium evaserant, ingredientes Neapolim, rumores infelicis pugnæ, scilicet ipsum Principem, totumque exercitum ejus vel captos, vel cæsos, cum lacrymis retulerunt. Nec opus est nunc serie scribendi transcurrere quantis plangoribus, quantisque ululatibus Neapolitana civitas intonabat, cùm tantam civitatis hujus militiam diu assuetam delitiis audierant, vel assumptos gladiis

Digitized by Google

diis vel in squalorem carceris esse detrusos.

Nunc autem ad Ducem Calabriæ stilum vertam. Hic postquam didicerat Philippum Principem ad Vallem Mazariæ declinasse, Ludovicum fratrem Ducis Sueviæ, Rogerium de Lauria, Thomasium de Sancto Severino Comitem illius Rogerii, qui cum Principe venerat, genitorem Gualterium Comitem Brehennæ, Comitem Arianæ, Hugonem de Balso, plureſque alios magnæ auctoritatis viros, qui cum eo contra Siculos deputati Cataniæ residebant, ad Aulam Cardinalis, quem in patrem & dominum verebantur, acciri fecit, atque adventum Principis indicans, quid agendum erat ab illis examine diligentis consilii sisitatus est. Omnes Principem feliciter gestorum esse negotium asserunt, omnes illum strenuè providisse decernunt. Solus quidem Rogerius de Lauria longè aliter causam intelligens, illum perdendum esse prædixit, rationem innuens, quoniam Frederici Regis astutia illum tacitè provocabit; Princeps verò omnia parvipendens animosus in bellum veniet; quo casu delusus, vel mortem suscipiet, vel carcerem non evadet. *Neque spem*, inquit, *ferre licet de ratibus, quoniam litora illa importuosa sunt, & non posset terrestre agmen puppes ascendere, quotiens videretur necessitas imminere*: Quis ergo esset modus remediis à Rogerio Dux requirit. Tunc Rogerius: *Unum*, inquit, *video superesse remedium, si futurum est, quod remedium fieri possit. Omnes ab hinc terrestre agmen in occursum Principis dirigamus. Quod si poterimus nostras acies exercitui Principis commiscere, vel Dominum Fredericum hostem nostrum, qui contra eumdem Principem statim se diriget, inter acies nostras & Principis medium invenire, Fredericus ipse bellum non inferet Principi, nec inferri sibi à nobis etiam expectabit, quin potiùs ex insperatis contingentibus attonitus nesciet quò se vertat.* Placuit omnibus Rogerii sententia. Omnes in occursum Principis ire parant, omnes diviso in duas partes exercitu castra movent; una quæ acies ab inferiori parte Siciliæ, reliqua verò per medium Insulæ festinabat. Sed frustra hæc ab illis provisa sunt. Nam priusquam dimidiam partem itineris transmeassent, jam commissum bellum captumque Principem compererunt. Itaque mœrentes Cataniam, unde venerant, hinc inde regressi sunt. Rex per famosa loca Vallis Mazariæ se victorem ostentans, corda suorum diversis actibus lacessita periculis novaque perculsa formidine recreavit.

CAP. XI.

De Rogerio de Lauria misso Neapolim, & ejus consilium.

HAnc verò Principis cladem non multum damnosam Dux ipse cum suis magnatibus censuissent, nisi alia non minùs gravem de suis reliquis in proximo peperisset. Re vera post casum Principis Dux agitat cum electo majorum cœtu sinè interpolatione consilium, quatenus alios bellatores in Siciliam sub advenienti vere traduceret, cunctisque necessaria victui propinaret (*). Tunc Rogerius de Lauria, cui magis audendi causam officii proprietas innuebat, *ego*, inquit, *properabo Neapolim, cunctaque vobis expedientia jubente domino sub spatio modici temporis reportabo. Sed unum interea præque omnibus unum linquo vobis discedens consilium, quod mente memori obsecro vos tenere. Nulla spes lucri vos moveat, nullaque ventosa gloria vos seducat pollicitis hostium credere, vel terram hostilem aliquam, donec veniam, attentare. Scio quidem, neque hoc dubium teneatis, quòd hostibus nostrorum calliditas, ut credulitatem vestram decipiat, omnes insidias omnesque fallaciarum species, quascunque novit & poterit, attentabit.* Post hæc Rogerius exiguam ratem, quam *Tarentinum* vocant, electis munitam remigibus aliis ratibus incomitatus ascendit, quam per hostia phari Messanensis occultè navigant, non solùm hostibus, quin etiam suis partibus incognitus Euro velocior ad Neapolitana litora declinavit. Hic licèt paratam classem, qua Princeps vectus fuerat in Siciliam, reperisset, aliam tamen studebat adjungere, deputatamque sibi militiam counire.

CAP. XII.

De bello Gallerani, in quo captus est Comes Brehennæ, & cæsi sunt magni viri de Gallia.

FActum est interea, quòd domesticus quidam Frederici Regis, quem Montanerium de Sosa vocant, habens in castro Gallerani nobilem quendam ex captis olim in bello cum Principe, quem Carolum Morelectum dicunt, secumque volutans in animo verbum illud,

---- Dolus an virtus quis in hoste requirat,

cœpit eidem Carolo majoribus obsequiis assistere, quàm videretur hostibus retentis in vinculis convenire. Nactus itaque paulatim habile tempus fandi, causam timoris simulans, ne ab aliis audiretur, accepta fide servandi silentium, hæc pauca submissa voce locutus est. *Desiderio desideravi Sacrosanctæ Romanæ Matris Ecclesiæ jussionibus intendere, atque sub ipsius Ducis obsequiis, qui videtur justam causam prosequi, vitam dare, dummodo quæ in tanta necessitate notabilia magnaque conferrem digna retributionis servitia compensarent. Pœnitet me, inquam, tam diu fuisse ab ipsius Ecclesiæ communione suspensum.* Ad hæc ille cum gaudio: *Nunc video, quoniam visitavit te Dominus & aperuit oculos mentis tuæ, ut respiciens intelligas mysterium veritatis, sed pande obsecro, nunc illa obsequia, quæ præstabis.* Cui Montanerius. *Hoc inexpugnabile castrum, quod tu vides, quod neque ingenio, neque viribus capi posset, & me ipsum cum omnibus, qui mecum astricti sunt in manibus Ducis tradam.* Tunc ille dolatis verbis Montanerii fidem præbens, causam Duci per literas intimare festinat. Literæ quidem ad examen consilii deductæ sunt, & singuli suæ mentis juditium declarare jubentur. Alii quidem assumptas ab olim inter Gallicas & Catalanas gentes inimicitias, firmataque multo sanguine odia prætendentes, nullam fidem adhibendam esse iis literis asserebant. Hi verbum illud,

--- Timeo Danaos & dona ferentes,

pro suis rationibus introducunt. Alii verò Catalanis cuncta licere pro pretio asserunt. Et ii demum pro se venales manus, ibi fas ubi maxima merces, notant. Cùmque opinionem suam utraque partium magno Judice tueretur, venerabilis Gerardus Cardinalis, ut erat spectabili gra-

(*) *Lege* præpararet.

Digitized by Google

gravitate verendus, verbum, quod tunc abiens Rogerius de Lauria prædixerat, in medium introducens, non esse credendum omni spiritui concludebat. Sed huic viro duræ cervicis & indomiti non esse agenda bellorum negotia consiliis Clericorum ipsumque Rogerium hoc dixisse, ut sibi totius causæ gloria servaretur, in contrarium opponebant. Cùmque fuisset super his diversis argumentis pluribusque rationibus disceptatum, ad hanc tamen conclusionem deventum est; quia Carolus ille sui juris non erat, nullam fidem literis adhiberi, nisi veniens Montanerius quicquid Carolo illi spoponderat præsens coram Duce firmaret. Dum hæc Nuntius rediens per signatas literas reportasset, Montanerius ille,

Seu versare dolos, seu certæ occumbere morti

cum Græcorum Sinone disponens, rem priùs Blasco de Alagona significat. Deinde assumptâ excusationis causâ, quæ rationabilis videbatur, illâ videlicèt, quòd non est licitum Castellanis, præsertim vicinis hostibus, de commissis castris discedere, quendam nepotem suum calliditatibus & versutiis, ut expediebat, instructum ad Ducem Cataniam proculsâ morâ transmisit. Dux Montanerii nepotem ad se venientem benignè suscepit; suisque deceptionibus fidem præbens, omnia, quæ poposcit ab eo, læta fronte concessit. Cogitur iterum jubente Duce consilium, ut quem ex viris illis magnificis recepturum castrum hoc mitterent, sublatâ invidiâ terminarent. Cùmque omnes, qui aderant, singulatim se mittendos esse nunc adjectis quas poterant rationibus contenderent, nunc in cujuscunque retributionis præmium pro meritis postularent, se iturum esse cum omnibus illis, ut invidiam tolleret, Dux ipse decrevit, hanc ultimam rationem adjiciens, ut si contigeret hoc etiam per insidias actum esse tunc afforent, si obsistere possent universo exercitui Siculorum. Placuit omnibus verbum Ducis. Omnes ad iter pro viribus se accingunt. Itaque die altera lucente Gualterius Comes Brehennæ, Comes Vallis-montis, Goffridus de Mili, Jacobus de Brusono, Johannes de Jamvilla, Oliverus de Berlinzono, Robertus de Cornario, Johannes Frulleardi, Gualterius de Noë, & Thomas de Procida, qui fuerat olim dominus præmissi castri, cum pluribus aliis nobilibus ad castrum Ursinum, ubi Dux erat, de suis domiciliis convenerunt. Cùmque adventum horum Duci, qui nondum è stratis surrexerat, ostiarius retulisset, Yolanda consors Ducis, quam timidam faciebat amor, insolitæ advocationis causam sciscitata est. Cùmque Dux illi negotium revelasset, Yolanda virum amplexans dulci affatu supplicat, ut propter eam causam ire desistat, nunc memorans consilium Rogerii de Lauria, nunc orans, ne tam exiguâ causâ, quæ non videbatur etiam virtutibus inhærere, tam gloriosus Princeps temeritatis iter assumat, prætendens illud, quoniam turpis est dolo quæsita victoria, neque jocundum esse aliquid, quod per immensa detrimenta contingit. Itaque Dux rationibus & amore, sed amore potiùs superatus constitit, atque præposito huic exercitui Comite Brehennæ, illos ad destinatum locum ire mandavit. Discedentibus autem illis, cuncta Blasco de Alagona & Guillelmo Galzerandi per exploratores à Montanerio relata sunt. Hi non segnes, jam paratas habentes acies, signa movent, atque impræviſi hostibus ad fines castri, quò Gallorum tendebat exercitus, nocte media pervenerunt. Cùmque Francorum turmæ quasi duas partes itineris præteriissent, Thomas de Procida, velut percussus animum præsagio futurorum, ipsum Brehennæ Comitem adiens, his verbis affatus est: *Comes, ut quid insana temeritate procedimus, ut tantorum turba nobilium sub noctis tenebris per juga montium & amfractus ad inexplorata loca tendamus? Quis, inquam, novit, si nobis aliquæ insidiæ paratæ sunt? Acquiescite obsecro verbis meis, & sinite ut præcedam exercitu longo tractu, atque ipsa loca, quò tendimus, quæ assidua venatione mihi cognita sunt, diligenter explorem. Tu verò lento præcedentis vestigia gressu ducens exercitum subsequaris. Quòd si quis error hìc lateat, si quas umbra noctis tegat insidias, absque multorum periculo deteguntur.* Tunc ipse Comes impatiens verbi hujus Thomam pusillanimem segnemque vocat neque advertentem, quoniam exercitus ille tantorum nobilium universam Siciliam in campis patentibus expugnaret. Fine dato verbis, postquam ad locum, quò immolandi callidè ducebantur, cœco vestigio pervenerunt: *Manete hic*, qui paravit insidias inquit, *& præibo ad castrum, ne fortè propter subitum adventum nostrum in eo tumultus aliquis oriretur; quo casu Montanerius forsitan indecoram mortem incurreret, tantusque labor incassum & absque commoditate periret.* Itaque discedens ille ad Blascum prope latentem abiit, atque duxisse illi multiplicem prædam & spolia nuntiavit, quamquam & Blascus ipse oblata per lunam in eminenti loco vexilla Gallorum, aura ducente, spectaret. Tunc Blascus, sive ut terrorem hostibus incuteret, sive quia minùs gloriosam fortè decrevit esse victoriam, si per insidias superaret, signa bellica dari jubet. Cùmque terribilem sonum tuba dedisset, minus quidam, quem vulgò militem silvestrem dicunt, exercitui Gallorum appropinquans, Blascum illic esse magna voce clamavit. Ad hæc plures ex Siculis, qui cum Gallis venerant, casum plus aliis metuentes, illico discesserunt. Tunc verò coëuntibus illis ad consilium, cunctisque silentibus, Thomas de Procida inter omnes prior sic orsus est: *Attendite nunc, viri spectabiles, quoniam hoc erat illud periculum, quod paulò ante animo divinante prædixeram, quoniam timebam, nihil dubium est, quin omnes nostrorum hostium vires ex proposito convenerunt ad hunc locum. Itaque si bellum cum eis committere præsumemus, innumeris circumsepti peditibus cœco Marte per hæc loca declivia telis & lapidibus obruemur. Non est utique dignum laude, ut inutilem cædem voluntarii subeamus, quoniam scriptum est:* Non cogitur ullus velle mori. *Sed si libet meis hærere consiliis, priusquam Solis radius Orbem detexerit, ab his omnibus periculis per nota locorum divortia vos educam. Quòd si hostes elegerint vestigia nostra sequi, relictis peditibus festinabunt. Et tunc si hoc modo venire tentaverint, audacter poterimus cum eis resumpta spe victoriæ dimicare.* Comes ad hæc: *Absit à nobis, Thoma, degener metus mortis.* Nunquam tanta Francorum nobilitas in unum conveniens declinavit ad fugam. Mors quidem non est metuenda viris. Neque enim frustra scriptum esse credimus.

Stat sua cuique dies. Breve & inreparabile tempus
Omnibus est vitæ; sed famam extendere factis
Hoc virtutis opus.

O viri cordati, forti animo capessamus. Vix Comes in sermone concluserat, cùm Gofridus de Mili clara voce locutus hæc ait: *Etsi omnes abire*

abire proponitis, ego nimirum cum iis, qui mecum sunt, in bello consistam. Jam satis est ad æternam meæ posteritatis infamiam semel de bello Catanczarii, quamvis me ad id concidentia verba deceperint, effugisse. Nunquam Rex Karolus mihi notam proditionis imponet. Vixi, & quem dederat cursum fortuna peregi. Omnes paventem & trepidum Thomam vocant. Ille verò *sævitia est voluisse mori* commemorans, dicto vale discessit. Cœperat interea rutilans aurora rubescere, ipsæque acies altera in alterius excidium se parabant. Tunc Blascus callidè agens suam direxit aciem à qua parte venturos Solis radios agnoscebat, bellumque non intulit, quin potiùs dispositis hinc inde in modum sepis vinearum Almugaveris, aliis peditibus temeritatem Gallorum, quam noverat, expectavit. Hi quidem, quos ad extremum diem immobilis fatorum ordo vocaverat eminentem locum, quo fortè poterant bellum securiùs expectare, tumenti animo reliquerunt, atque signo dato contra hostes infelices turbæ cursu præcipiti dirigebant. Priusquam verò ad cuneos militum & vexilla hostium pervenissent, hinc magnam partem equorum intenti pedites missilibus transegerunt, qui acceptis vulneribus in cervices dominorum erectis calcibus corruebant. Illinc emissi contra Gallos lapides ipsum cœlum obnubere videbantur. Nec secus tunc galeæ crebris ictibus tinniebant quàm cùm candentes massæ chalybum formantur incudibus, aut multa percussa grandine tecta sonantur. Sed postquam inter utramque aciem lacrymabile bellum consertum est, Galli circumsepti hostibus victoriam desperantes, sese morti voluntariè devoverunt, illud æquo animo amplexantes:

Una salus victis nullam sperare salutem.

Cùm nulla manus vacabat à gladiis, nullis strictis pugionibus hostes vulnerant, vexillum Guillelmi Galzerandi, quod priùs eis occurrerat, impetu suo sternunt. Omnes itaque Siculorum turmæ sub vexillo Blasci conveniunt, atque fulgentia Gallorum arma nequaquam diversis ictibus repetentes, equos prosternere summis viribus elaborant. Nec mora, cæsis equis tantorum nobilium cœtus obruitur, & Gallorum virtus non habens, quo se defenderet, superatur. Huic gladio cervicem eripiunt, illum per infinita vulnera dulcem patriam (*) exhalare compellunt. Denique solus Brehennæ Comes cum paucis è tanta nobilitate supererat: qui cùm saxum immobile ascendisset, ne in manus plebis incideret, vitam gladio viriliter tuebatur. Cùmque ipsum esse Comitem Brehennæ compertum esset, Blascus à suis accitus est. Ipse quidem properè veniens, ab eo gladium in signum deditionis accepit. Vexillarius autem Comitis, quamvis mille sauciatus vulneribus, dominum suum, cui ante sui obitum vexillum redderet, per inimicas acies quæritabat; cùmque vidisset illum ab hostibus circumseptum, vexillum super caput ejus abjecit, atque deducto ense in hostes irruens, ab eis mortem sibi placidam impetravit. Blascus victor Minæum regreditur, ubi victus Brehennæ Comes in vinculis conservatur. Montarejus voti compos effectus defunctos Gallos industria vendere studuit, quos olim viventes sua calliditate decepit. Coxit enim gentilium more cadavera, quorum reliquias Agnati pro pretio redimebant. Sed nec te, Karole, indictum præteream, neque tuos exitus silentio prætermittam. Hic Carolus, dum tantorum nobilium cladem, quamvis detentus compedibus, ab alto spectasset, se actorem tantæ cædis æstimans, ad parietes proximos caput allisit, ac deinde nullos potus cibosve contingens, vel dolore nimio vel siti atque inedia miserabilem vitam dedit. Fama hujus belli per universam Trinacriam diffunditur. Partes Ducis terrore contritæ sunt, pars verò Frederici Regis in gaudio exaltata est. Cœperunt itaque Siculi solito more cervices excutere atque propter habitas paulò ante de Principe, nunc verò de Comitibus, aliisque magnis viris victorias superbire.

(*) *Fortè animam.*

CAP. XIII.

De Tuscis, qui venerunt contra Siciliam, & Rogerio de Lauria redeunte Neapolim.

INterea Rogerius de Lauria quandringentos milites profectos de Tuscia, quibus Raynerius de Bonis de Monte (de Bondelmont) ac Vicedominus de Florentia præerat, gesturos bella contra Siculos parato navigio in Siciliam transportavit. Hi quidem, si famæ creditur, Blascum de Alagona vel morti tradere, vel viventem captivum ad Regem Carolum adducere facta in eum conspiratione voverunt. Heu demens & ventosa ignorantis plebis loquacitas! Si Rogerium de Lauria de gestis Catanczarii, si Principem Tarentinum de iis, quæ inter Drepanum & Marsaliam, si Brehennæ Comitem de iis, quæ apud Galeranum non præmeditatis tunc à Gallis casibus contigerunt, aliaque ipsius Blasci magnalia providè consultassent, fortè hunc Blascum aut morti tradere, aut captivum ducere non tam facilè spopondissent. Quos postquam Rogerius de Lauria in valle Demunensi ad amica litora deposuit, sibique ducem viæ, quò Cataniam pergerent, deputavit, Neapolim pro reliqua gente festinans cum classe regressus est. Sed quamvis me magis ardua causa vocet, non tamen gentis hujus, quæ cum tam solemni promissione in Siciliam venerat, exitum præteribo. Hi postquam contigere Cataniam, ubi possent eidem Blasco concurrere inter civitatis mœnia per vicos & plateas sollicitè vestigabant; qui cùm de gestis ejus referentibus civibus aliqua didicissent, ab illa investigatione solliciti destiterunt. Et tamen cùm nihil dignum memoriæ gesserint, effecti prorsus utrique parti ludibrium, sub Augusti tempore dispersi sunt.

CAP. XIV.

De navali bello apud Insulam Pontii, ubi Siculorum classis devicta est, & multi nobiles de Siculis capti sunt.

ANno ab Incarnatione Domini millesimo CCC. cùm Rogerius de Lauria, ut superiùs expressum est, Neapolim remeasset, ut adhuc alios bellatores in Siciliam duceret, expedientiaque ad victum exercitui reportaret, classem viginti septem galêarum Siculi jam elati successibus construxerant, quibus aliæ quinque rates Januensium, quæ Siculorum fortunas in omnem eventum imitari spoponderant, sese libenti animo addiderunt. Itaque ascendentibus classem Johanne de Claromonte, Palmerio Abbate, Henrico de Incisa, Benincasa de Eustachio, aliisque pluribus ex nobilibus Siculorum, quibus etiam Peregrinus de Pactis, qui paulò ante paratis in ratibus machinis per mare veniens

Digitized by Google

niens contra duodecim galêas Apuliæ in bellum cum eo congredi recusantes sub mœnibus Catanensium receptatis in astantis opprobrium lapides torrentes emiserat, adjunctus est. Omnes intestina bella tamquam sopita relinquere infatuatis peccatorum gravi mole consiliis statuerunt. Tunc ergo ducente classem, Conrado Auria Admirato, nunc tensis velis, nunc alarum remigio usque Neapolim vastantes, inimica litora discurrentes, ipsum Rogerium de Lauria, qui tunc paratas ad undas quadraginta galêas bellis habiles jam tenebat, missis Nuntiis ad prœlium invitarunt. Ille quidem agens contra Siculos omnia cum cautelis, quia rates illas Apuliæ, quas paulò ante Peregrinus de Pactis machinis impetierat, venturas ad eum in proximo expectabat, se non esse paratum ad bella respondit. Itaque abnuente Rogerio prœliari, ad Insulas, quæ contra Neapolim sitæ sunt, Siculi remigantes, illinc obsidere hostilem classem jam numero ampliorem, bellumque in propriis litoribus recusantem ad illorum infamiam super animo decreverunt. Rebus autem sic se habentibus, cùm ad Insulam Poncii fortè plus debito Siculi temerariè navigassent, ecce post atræ noctis caliginem aurora tenebras dispellente, die quadam rates illæ, quas præstolatus fuerat huc usque Rogerius, passis velis Gajetæ litora jam tenebant, quæ ventorum prosperis adjutæ flatibus navigantes, celeri cursu Neapolim attigere. Tunc etiam septem rates Januensium Grimaldorum ad Rhegium in tœdium Conradi de Auria convenerunt. Rogerius convenientibus ad eum ratibus illis, quas etiam non sperabat, habens quod tota mente poposcerat, bellum inferre Siculorum classi sublatâ jam morâ decrevit. Sed postquam illæ puppes ad Rogerium videntibus Siculis convenerant, universi consiliarii Frederici Regis, qui in classe aderant, ad signiferam puppim vecti exiguis triremibus concurrerunt, atque inter eos quid agendum esset propter superabundantem numerum hostium, qui de novo convenerant, deducto ad examen consilio ventilavit. Non enim hîc vana, non levia, non ludicra quærebantur, sed in omne fortunæ fluitantes eventum de restauratione vel casu Siciliæ agebatur. Cùmque inter se alii nobiles plurima condixissent, Palmerius Abbas, quasi ævo præstantior, & bellorum eventuum longa quidem experientia non ignarus, cunctis jubentibus illum fari, moderatè concutiens caput jam vergens ad senium hæc pauca locutus est: *Date*, inquit, *mihi veniam, o viri magnamines, ante alios temerariè proloquenti. Omnis spes Regis nostri & Reipublicæ Siculorum hodie quidem sub hac, quam videmus, classe fundata est, & ideo non modicum expedit, ut in iis agendis tam arduis tanto perspicaciùs intendamus, quanto gravius onus nobis incumbit. Rogerium de Lauria, virum utique callidum, & marinis bellis nostro tempore gloriosum, quadraginta galêas ad bella paratas habentem paulò ante vidimus inter sua litora, nostra licèt inferioris numeri prœlia recusantem. Quis est hodie marina navigans tam imperiosæ auctoritatis, cui non hoc satìs esse deberet? Satìs quidem & ultra, quàm nobis opus fuerit, præcipites cum temeritate cucurrimus, ipsamque fortunam adhuc plus debito fatigamus. Idcirco, dum licèt, absque belli periculis & casu, atque ignominia gentis nostræ Siciliam repetamus.* Hanc Palmerii sententiam nullus reprobat; sed etiam, ne pusillanimes dicerentur, quicunque illam submissa voce laudaverant, publicè approbare non audent. Tunc Benincasa de Eustachio, sive hæ reliquiæ criminis Siculorum exegerant, sive ut impleret quod tunc per vulgi ora communiter dicebatur, Binum incurret silentium lingua fari, contra Palmerium Abbatem in hæc verba prorupit: *Non ut ante oculos hostium Delphinorum more per maria colludamus, sed ut bellum cum eis in omnem eventum committere studeamus, Rex noster cum Siculis edixerunt. Itaque bellum, o cives magnanimi, capessamus, bellum inquam, quo semiviri Regnicolæ nobiscum congredi non auderent. Nonne sunt hæc illa litora, in quibus eosdem hostes duplicato numero venientes laudata virtus Siciliæ vincere consuevit? Nunc ergo si quis est degeneri metu perterritus, ante ingressum pugnæ discedat; ne post inchoatum bellum fugiens præbeat aliis pusillanimitatis exemplum.* Ad hæc Palmerius Abbas, ut exigui corporis, cujus erat, proprietas exigebat, intumire atque indignanti animo despectans illum, & quasi præscius futurorum, hæc pauca subjunxit: *Mene pavidum asseris, mene fugiturum bello, Benincasa, pronuncias? Re vera diligenter intellige, quòd ubi ego pugnans constitero, tu discedes. Quòd si fortunam locorum, tamquam ipsa bella gererent, cum Curione Romanorum Duce tunc apud Bragradam fluvium Carthaginis declinante meditatus es, cur non ipsius Curionis exitum meditaris? Bellum, inquam, bellum o cives, in magnanimitate solita meamus.* Nec plura locutus, celeri saltu prosiliit in triremem, qua vectus fuerat in puppim signiferam causâ consilii, suamque ratem, qua vehebatur, ascendens arma deposcit. Placuit denique Siculis universa sub alea fati, quin potiùs sub ruina committere, atque Rogerium de Lauria venientem ad bella ferè cum sexaginta ratibus expectare. Omnes itaque arma capiunt, omnesque Siculæ rates ad belli ordinem se componunt. Hi suras cereis ferro rigentibus ambiunt, illi thoraces ex electo chalybe induunt, alii verò comantibus galêis caput aptant, omne corpus ferro tegitur, nullaque manus telo vacua reperitur. Conradus Auria constituens in animo se victorem, si posset in primo conflictu vexillum hostium, quod vulgo standalem vocant, obruere, signiferam Siculorum ratem ad eum, qua vehebatur Rogerius de Lauria, ubi præminere signa Regis Caroli videbantur, clavo gubernante direxit. Rectè quidem præmeditatus fuerat, si non aliud Rogerius, qui temerariam virtutem Siculorum diu noverat, prævidisset, ille quidem occursum contra venientis proræ astu devitans, per applustris gubernatorem Conradi puppim ab inferiori parte reliquit. Tunc ingens nautarum clamor exoritur, quamvis & multarum tubarum clangor ad æthera ducebatur. Quamprimum verò bellum inter utramque classem consertum est, rates illæ Januensium, quæ cum Siculis venerant, ut spectarent finem, à longè secesserunt. Quo casu viginti septem Siculorum puppes contra quadraginta octo & ducem inimicæ classis Rogerium lamentabilem pugnam gerere constiterunt. Tunc inter utrasque partes miserabilis cædes exoritur, tunc omne dolorum genus alterutrum agitatur. Hi jaculis pereunt, alii salientes hostes ad undas plurima vi repellunt. Cùmque Siculorum puppes undique vallatæ hostibus atque undique impugnatæ deficere jam cœpissent, Benincasa de Eustachio raptis quæcunque potuit tam spoliis, quàm captivis ex una carinarum hostium, quam in primo congressu devicerat

rat prior de pugna discessit; quem concito remigio abeuntem sex puppes aliæ sequuntur. Cetera Siculorum classis, quamquam viriliter dimicasset, ultimò in prædam hostium deducta est. Johannes de Claromonte, Palmerius Abbas, Peregrinus de Pactis, Henricus de Incisa, Rogerius de Matina cum pluribus aliis Nobilibus post multa vulnera capti sunt. Sola tamen puppis signifera, qua Conradus de Auria vehebatur, infessa bellis, adhuc cedere nesciens, omnes tentantes ejus aditum propulsabat. Tunc Rogerius eam rostris multarum carinarum, quas nautæ insurgentes multo impetu adducebant, hinc inde allidere conatus est. Sed iis tandem non proficientibus, jubet illi accensam ratem adjungere; ut quam ferro domuisse non poterat, ignibus superaret. Conradus hæc audiens, Rogerio se victum & debellata Frederici Regis signa concessit. Tunc, ne omnem crudelitatis materiam prorsus à se Rogerius abdicaret, insignes balistarios Januenses, qui tunc in signifera puppi reperti sunt ad vindictam peractæ stragis, quam ipsi pro defensione puppis, qua vehebantur, commiserant, manibus oculisque privavit.

CAP. XV.

De constantia Johannis de Claromonte Palmerii Abbatis, Peregrini de Pactis, & aliorum, qui in bello Poncii capti sunt.

TUnc Rex Carolus gaudio magno gavisus est, non solùm propter habitam de Siculorum classe victoriam, quin potiùs argumento concludens per hos nobiles bello captos magnam partem civitatum & terrarum, quibus illi præerant, ad ejus dominium redituram. Omnes itaque seorsum alterum ab altero custodire jubet; quos ad se diversis temporibus accersitos, nunc blanditiis, nunc terroribus, nunc magnis pollicitis ad sui dominatum reducere attentavit. Illi fortè laudatam fidem Romani Fabricii recolentes, tamquam pelagi rupes, quæ flantibus austris nunc hinc nunc illinc spumantibus undis nequaquam impellitur, immobiles constiterunt. Rex autem evidenter intelligens illos quocunque aditu amoliri non posse, quosdam ex eis ducendos in Siciliam, si fortè videntes dulcem patriam declinarent, Rogerio tradidit, reliquos verò per castra in vinculis custodire mandavit. Itaque Rogerius in Siciliam gloriosus regreditur, tum quia Siculorum classem devicerat, tum etiam, quia tot nobilium Gallorum exercitus agens contra ipsius Rogerii consilium apud Galleranum castrum Siciliæ ab hostibus victus erat. Palmerius Abbas, unus ex iis, quos Rogerius in Siciliam sub vana spe duxerat, malè curatis vulneribus in mari circa litora Catanensium vitam dedit, quem hostes ipsi decoratum obsequiis sepulturæ in majori Catanensi Ecclesia tradiderunt. Dux cum suis magnatibus obviam Rogerio ad litora veniunt; quem è puppi signifera descendentem, post præstitam Duci reverentiam, in civitatem cum gaudio introducunt.

CAP. XVI.

De restitutione castri Francæ-villæ & proditione Asari.

TUnc verò Conradum Auriam, ut castrum Francæ-villæ, quod tenebat restitueret, præcedentibus minis Rogerius attentavit. Hic dum asserens castrum illud Frederici Regis esse non suum, in suæ negationis proposito perstitisset, longo jejunio & squallore sitis aridæ maceratus est. Itaque Regi causam denunciat. Rex verò Conradi vitam castro præponderans, castrum amittere præelegit, quo casu, ne tam crudeli morte deficeret, Conradus hoc castrum, Rege annuente, relinquit. Interea duo populares viri, qui Asarum habitabant, quorum alter Jacobus Mataracii, alter Johannes Ricius dicebantur, cùm duos milites ex cohabitatoribus ejus gladio peremissent, contra eos accusatione deposita coram Frederico Rege, ne in manus ejus inciderent factione deposita, introductis hostibus sub noctis silentio per posticum, Asarum, quod contra Castrum-Johannis situm est, prodiderunt. Sed non multum proditionis hujus vindicta dilata est. Nam cùm pararent iterum alteram proditionem de loco ipso committere, atque iterum resilire, tumultuante plebe in medio platearum per exigua frusta trucidati sunt.

CAP. XVII.

De rebellione Rachal-Johannis Thabarum & Delyæ ac meritis proditorum.

TUnc Guillelmus dominus castri Rachal-Johannis debitam Frederico Regi fidem repudians, accersitis hostibus castrum tradidit, sed quasi præsaga mente futura prænosticans, relicto castro, ad Ducem Calabriæ recepturus præmia suæ virtutis accessit. Rex inter alia gravè gerens hunc in medio Siciliæ locum hostibus concessisse, ne circumadjacentia loca suo contagio macularet, illud subita obsidione vallavit. Quo casu Roberto Duce nequeunte sibi ferre præsidium nunc propter loca intermedia, quæ ab hostibus tenebantur, nunc etiam propter ineptas semitas, quas aquosa hyems inaccessibiles faciebat, sub exiguo dierum spatio castrum undique machinis oppugnatum in deditionem deductum est. Nec vos Thabas, licèt exiguas, sub silentio præteribo, nec tuos, Delya, casus linquam, in quibus etiam signa divini judicii statim post enormitatem excessuum claruerunt. Nam Thabarum castrum Mercenarius quidam, unus ex custodibus ejus, promisso infamiæ pretio vendidit. Nunc verò cùm ingredi pararent hostes ab ea parte, qua infelix venditor aditum patefecerat, experrectis custodibus aliis ad tumultum, propter noctis tenebras incognitum, nondum solutâ pecuniâ peremerunt. Sed casus Delyæ fidelium omnium mentes abhorreant, omnisque subjectorum devotio pertimescat. In hoc autem castro erant duo nequam viri, quorum alterum Job, alterum Robertum de Maturana dicebant, in quibus dominus castri plus aliis domesticis & familiaribus confidebat. Hi quidem nihil tenebrosos infamiæ titulos, nihilque pœnam infelicibus proditoribus debitam expaventes, in consortem & filiam castellani gerentis vices domini sui cupiditatis oculos injecerunt. Itaque castellanum jugulant, uxorem & filiam ejus polluunt, & ad partes hostium cum castro declinant. Priusquàm verò ad eos quæ petierant à Duce subsidia pervenissent, quidam ex iis, qui in castro erat, hos infandæ proditionis excessus molestè gerens in animo, Berengarium de Intenciis unum ex bellatoribus Frederici Regis, qui tunc in fronteriis hostium prope erat, clam accitum ad castrum per posticum sub noctis tenebris introduxit. Hoc even-

Digitized by Google

eventu ad Regem castrum rediit. Actores verò tanti sceleris post terga equorum ligatos, stractosque per terram, ultimò furcarum supplicio quamquam adhuc non æqua tantis excessibus debita proditoribus pœna punivit.

CAP. XVIII.

De casibus, quibus Henricus de Incisa ex una parte, & Rogerius de Lauria ex altera evaserunt manus hostium, & captione Tauromenii.

POst hæc inter partes Ducis communicato consilio decretum est animos Siculorum hactenus tot bellis indomitos fore quandoquidem intermissis munitionibus attentandos, ut experimento viderent, si fortè possent contra eos plus gladiis eloquia disertorum. Tunc ergo Duce residente Cataniæ Rogerius de Lauria reverendum Patrem Sabinensem Episcopum Cardinalem moniturum Civitates & loca vicina litoribus in circuitu Siciliæ cum classe suscepit. Cùmque discedentes Cataniam & in latus dextrum navigantes Augustæ sinus antiquæ Pantagiæ litora præterissent, Rogerius de Lauria recordatus est Henricum de Incisa olim captum in bello Poncii, per quem famosam terram ipsius Henrici patriam habere sperabat, per oblivionem Cataniæ reliquisse. Tunc ergo velocem puppim ad legationem electam quæ acri remige ducebatur, ut Henricum post eum gereret sine dilatione remisit. Illa redit, Henricum recipit, & quàm celeriùs potest reportans, etiam non exiguam summam pecuniæ ad Rogerium retrocedit. Priusquam verò se amicis ratibus addidisset, ab altera, quæ sibi occurrit, puppi hostium singulari certamine victa est. Quo casu Henricus, qui captivus ducebatur, libertatem simul atque pecuniam adeptus, imprævisis eventibus ad propria remeavit. Rogerius verò, cùm à Syracusanis incipiens usque Thermas nihil in circuitu profecisset, ad suburbium Thermarum nihil vestigans de hostibus cum comitatu multorum peditum, quasi cuncta suo more despiciens, declinavit. Tunc Mansfridus de Claromonte & Hugo de Empuriis Comites, qui nocte præterita eam terram intraverunt, munitis clam equis contra Rogerium, & qui cum eo erant pedites irruerunt. Quo casu circumventi omnes, qui ad rates non habuere refugium, vel capti vel cæsi sunt. Rogerius verò inopinato casu præventus, ad angulum communis hospitii latitans quousque adversi Milites redierunt, beneficio fortunæ adhuc secum prosperè agentis evasit. Dolor ingens exercebatur in ratibus, quoniam de perditione Rogerii metuebant; quo tandem in classe recepto, finem imposuere doloribus, nullamque auditi sunt de reliquis fecisse querelam. Denique Rogerius cum suis Thermas linquunt, angustias phari prætereunt, & tensis Borea flante velis Taurominitana litora contigerunt. Tunc Rogerius, ut erat laudis belli quæsitor & gloriæ, ad animum revocans nihil de incursu bellorum hactenus metuentem, subito bello impetiit, & eam, unde difficilior ascensus erat, quasi nullis prohibentibus improvisus invadit. Et quamquam illi magnam partem suarum rerum ad castra, quæ supereminent, attulissent, nihilominus quæcunque fugientibus incolis invenerunt in loco spolia Cataniam in signum alicujus habitæ de hostibus in hoc discursu victoriæ reportarunt.

CAP. XIX.

De naufragio Ducis, apud Camerinam & Rogerii de Lauria apud Blorum.

COeperant interea partes Roberti Ducis exhaustis Catanensium horreis obscœnam famam incurrere, atque iis, qui bella gerunt magis omnibus fugienda pericula inedia laborare. Tunc Rogerius de Lauria nihil ex contingentibus prætermittens in Apuliam cum parata classe profectus est, unde naves magnas Teredas; aliasque rates onerarias confertas frumento multisque frugum generibus & læto Bacchi munere celeri navigatione reduxit. Sed postquam non absque laboribus & periculis plurimorum universa suæ ditionis castra, quæ in valle Nochi erant, victualibus munierunt, & divisa classe ambire Siciliam inter eos constitutum est. Itaque Dux in dexteram partem, quà Syracusas tenditur, cum majori numero galearum, Admiratus verò in sinistram, quæ Messanam respicit, cum reliquis navigabant. Dux occurrentibus primò Syracusanis bellum intulit. Illi verò assueti mœnia longo bello defendere, cuncta maris pericula repulerunt. Ab hinc itaq; Dux discedens, castrum Sicli nequicquam pluribus insultibus attentavit. Rogerius quidem per ostia phari prætereiens, quædam castra in plano Melacii & valle Demunensi indigentia fruge muniverat, quod etiam successivè navigans muniebat. Et jam Rogerius ripas Blori, quæ ad Aquilonem respiciunt propera navigatione contigerat, Dux autem per Camerinæ litora, quæ in australem plagam objecta est, lætis flatibus navigabat. O inscrutabilia & occulta judicia tua, Deus! Cùm sub æstuantis Cancri sydere utrique classi strata æquora blandirentur; Auster contra Ducem, Aquilo contra Rogerium uno eodemque die subitis flatibus irruerunt. Alii quidem anchoras de proris jaciunt, alii ventorum impetus validis remis superare contendunt. Sed tandem hunc Austro illum Borea impugnantibus pars classis, qua Dux vehebatur, lassatis rudentibus jam cœperat ad æstuantia litora naufragari, & reliqua tenacibus incumbens anchoris pacem æquoris sub tempestate valida expectabat. Tunc signiferæ puppis rector ad Robertum Ducem spectantem suorum naufragium suaque pericula meditantem se dirigens, *magnanime*, inquit, *Dux, frustra tentamus cum furentibus Austris contendere, nunc plures anchoras jacere, nunc summis viribus remigare. Profectò si nos hic superveniens nox inimica nautis invenerit, cunctæ rates lassatis compagibus dissolventur. Quo casu vel ab impetuosis undis forsitan sorberemur, vel hostibus nostris veniremus in prædam. Ita sub iis casibus diligenter attendite, quoniam desperare viam & vetitos convertere cursus sola salus*. Hæc ait, & jussu Ducis ad rectoris consilia declinantis adhuc sævientibus ventis vela committens, cum ea parte classis, quæ potuit ad signiferæ puppis cursum contendere, in tertium promontorium Siciliæ, quod Pachinum vocant, quod nimirum longo maris spatio non distabat, sese post labores nimios reportarunt, ac deinde cessantibus Austris non fuit eis cura ulteriùs ambire Siciliam, sed communicato consilio Cataniam cum diminuta & convulsa classe regressi sunt. Rates viginti duæ sub ea tempestate naufragium pertulerunt. Quicunque verò ex naufragiis illis mortis periculum evaserunt, cum Guillelmo de Gudur Electo Salernitano ipsius

Digitized by Google

ipsius Ducis Cancellario pauperes & inermes nunc huc, nunc illuc debellatæ gentis ritu cedentes, tandem per amfractus & dumosas semitas amica loca Ragusiam contigerunt. Sed Rogerius de Lauria quinque tantùm amissis ratibus evadens, ad Panormitana litora navigavit; ubi cum Blasco de Alagona secretum habuere jermonem, scilicet, ut utrasque partes bello sam fessas quisque suam ad pacis concordiam hortaretur. Tunc discedens Rogerius per Occasum & Austrum in circuitu Siciliæ navigat. Cùmque ad plagiosa litora illa, quibus classis Ducis naufragium pertulerat, Rogerius pervenisset, ut commoda sibi ex damno etiam suorum eliceret, plurimam illorum substantiam, & maximè illam, quam dictus Guillelmus de Gudur Cancellarius numerosam pecuniam, in sua rate naufragante reliquerat, uncis ferreis multorum nautarum ingenio, & conatu piscatus eduxit; quas etiam illi præ tempestate valida funę præciso reliquerat, anchoras arenis infixas evellit; cunctaque secum Cataniam referens, animum Ducis, quem invênit adhuc propter casum naufragii fluctuantem, variis exhortationibus mitigavit.

CAP. XX.

De factione Petri de Calatagerono, Gualterii de Bellante, & Guidonis Filangerii.

INterea Frederici Regis animus, quia bis hostes abierant, repetito navigationis cursu A Siciliam novæ machinationis metu suspensus est. Quo circa rem per omnem industriam vestigabat. Dum autem esset Rex in Panormitana urbe sub noctis tenebris mollibus stratis cubans mulier quædam Coda nomine ipsius Regis colactanea, quæ ad annos nubiles ab ejus infantia ipsi Regi æquæva concreverat, virum suum Petrum Furnuntinum nomine Josonem per vacuum lecti spatium æstuantem plus solito deprehendit. Hæc autem more fœmineo cupiens causam novitatis hujus agnoscere, fœmineis oblectamentis virum demulcens, rem blandimentis pluribus iscisitata est. Ille quidem jam pœnitens sponsionis, quam fecerat, pactam cum complicibus factionem conjugi revelavit. Tunc, eo volente, B priusquam diesceret uxor ejus aulam Regis petiit, atque asserens se rem novam & arduam Regique accomodam & necessariam efferentem, ingressum ad Regem à notis jam cubicularibus impetravit. Tunc mulier cautè agens cum Principe, de salute viri sollicita, rem arduam Regi pandere pollicita est, si tamen viro suo mansuetudo regia indulgeret. Quæ postquam indulgeri viro à Rege obtinuit, Petrum de Calatagerono, Gualterum de Bellanti, & Guidonem Filangerii Panormitanos, famosos quidem inter Siculos, necnon & virum suum reos promissæ factionis, qua convenerunt C ipsum Regem perimere gladio, revelavit. Tunc verò Petrum magis noxium capitali sententia punivit. Gualterius autem & Guido, mansuetudine regia mitiùs agente cum illis, ab ipsius regni finibus depulsi exules abierunt.

Explicit Liber Quintus.

IN.

Digitized by Google

INCIPIT LIBER SEXTUS.

CAPUT PRIMUM.

De obsidione Messanæ & processu Blasci de Alagona.

HActenus vulgata inter Siculos frugum inopia, quam belli calamitas Messanensibus introduxit, ad aures Roberti Ducis multiplici relatione deducta est. Tunc ergo suadentibus qui de civitate ipsa vel urgente penuria, vel instigante malitia transfugerant, artare illam summis viribus statuerunt, hoc denique ad summam consilii deferentes, quia scriptum est: *Nescit plebs jejuna timere*. Cives ipsi, cùm obsessi fuerint contriti fame coguntur de necessitate ultima resilire. Itaque nulla mora commissa est. Paratum ad litora scandunt navigium, strata æquora navigant, & tandem ad locum, quem Roccam-Majorem vocant prope civitatem parata navigatione declinant, castraque componunt. Ex hinc Frederici Regis animum cura mordet, atque subveniendi Messanensibus necessaria sollicitudo compellit. Nec mirum quia in hac parte non exiguum momentum negotii non minima rerum pondera consistebant. Et ideo postquam viri strenui per frugifera loca Siciliæ frumentati sunt, quamvis ubique per Siciliam penuria invaleret, Rex ipsum Blascum de Alagona in tutelam eorum, qui deputati erant Messanam summariam gerere cum quingentis militibus ire jubet, ut omnem eventum esurienti multitudini Messanensium subveniret. Blascus jussionibus Regis intendens, libenti animo iter invadit. Postquam verò hæc Roberto Duci relata sunt, agitatis cum deliberatione consiliis inter suos, condictum est quòd si Blascum de Alagona Messanam cum frugibus terrestri agmine intrare contingeret, victualia, quæ sibi suisque comitibus tam longo progressu sufficerent, secum portare vix posset; quo casu famem non solùm pellerent, quin potiùs augmentarent; quoniam certum erat, quia tantæ multitudini esurientium nonnisi marina præsidia subvenirent. Qua propter obsidionem hanc deserunt, atque in Rheginorum litora cursum vertunt; unde paratis ratibus, hinc Messanam, illinc verò Rhegium sub nullo discrimine obsiderent. Castris verò dispositis ante Rhegium, quia Hugo de Empuriis, qui tunc pro Frederico Rege partes Calabriæ tuebatur, multiplices parabat contra obsidionem insidias, Dux cum Rogerio castra movent atque in Cathonæ litoribus, quæ contra Messanam directò conspiciunt, unde etiam ab utroque mari venientibus faciliùs possent occurrere, castra simul classemque componunt. Interea Blascus Messanam ingressus est, atque delatis frugibus, esurientium animas, quantum res ipsa potuit, focillavit.

CAP. II.

De succursu Messanæ per Fratrem Rogerium de Brundusio.

CUmque dira pestis, quæ jam ad interiora transierat, nunc hos, nunc illos extenuato macie perimere incœpisset ab esurientibus illis ad obscœna ciborum contagia urgente fame deventum est. Ii, quos nutrierant ad alios usus, murilegos comedunt, alii jumentorum carnes, quæ habere poterant, per frusta nimis exigua partiuntur, omnes decoras eorum vestes & pretiosa quæque suæ substantiæ pro modico tantùm Cereris successivè largiti sunt. Dum tamen hæc fierent, Frater Rogerius de Brundusio, quem jam dispersum Templariorum Collegium olim in habitu suæ religionis habuerat, ausus magnorum eventuum propter laudis gloriam & spem retributionis attentare pericula, coram Frederico Rege sic orsus est: *Inclyte Rex sive debita vobis fides hoc suadet, sive urgens me factum hoc agitat, ego quidem magnum quid stimulata mente concepi. Scilicet vel beneficio ventorum adjutus esurientibus Messanensibus opem feram, vel felix naufragus peream, vel manu hostium non incerta morte succumbam*. Itaque assumptis duodecim galêis, quas in Valle Mazariæ sollicitudo Regis Frederici victualibus oneraverat, Syracusanos portus ingressus est; ubi nunc surgentes prospectans nubeculas, nunc auribus etiam aëris motus captans, flatus prosperos exspectabat. Cœperat interea mare veniens à Libyca regione tumescere, ipsæque undæ paulisper impulsæ ab Austri spiritu candescebant. Rogerius quidem non segnis, quem propinquæ laudis gloria incendebat, cum Ducibus nautarum conveniens hæc ait: *O viri cordati & electi comites tantæ laudis, si venientes ab alto jam tumentes undas consulimus, si notum coëuntis aëris contemplamur, nunc opus est bene cœptis insistere, nunc prosperis flatibus læto animo navigare. Attendite, quæso, dilecti fratres, ecce quos hactenus optabamus, Euro-austri, quem Siroccum dicitis, placidi flatus incipiunt, qui tensis velis ad portus Messanensium nullis prohibentibus nos adducent. Nec terreat quemquam subita ventorum mutatio, quæ quandoquidem non peracta navigatione contingit. Nam sub aquosa hyeme, quæ insistit, ventorum flatus diutiùs, quàm æstivo tempore perseverant. Neque enim frustra scriptum est:*

Fortius hyberni flatus cœlumque fretumque
Cùm cœpere tenent.

Quare agite, fratres carissimi, ventisque felicibus nullo intermedio tempore vela committere studeamus. Nec plura omnes læta fronte Rogerii verbum accipiunt, omnes læto animo huic operi se accingunt. Signo itaque dato incumbunt remis, portum deserunt, atque spirantibus ventis vela committunt: Et jam extremum Augustæ promontorium, quod Catanienſium litora conspiciunt, à puppi reliquerant, jam Tauromitana maria stridentibus velorum funibus navigabant, cùm Rogerius de Lauria prospectans à longè venientia vela candescere, ut intentus erat excidio Messanensium obsessorum per universam classem signa bellica dari jubet, viros bellatores arma capessere, cunctosque nautas validis remis insistere, quo possint inimicis ratibus obviare invadunt. Itaque (per) deputata sibi nautæ sedilia deducunt remos, & tam prædæ avidi, quàm jussionibus parêre solliciti, ad occursum hostium summis viribus enituntur. Frustra veruntamen contra maris impetum tendere satagebant, quoniam austrini flatus, qui hos plenis linteis adduxerant, illos ex opposito enitentes adversis flatibus repellebant. Ergo Rogerius de Brundusio compos voti Messanensium

Digitized by Google

sium portum ingressus est, quem esurientes cives cum gaudio susceperunt. Sed quid illorum aviditatem edendi repelleret, aut fauces tantorum hiantium sauciaret (*). Re vera non si quasque fruges vulgata fertilitas montis Æthnæ produxit, aut quæcunque frumenta in Agrigentinis horreis reponuntur, huc undique congessissent quin saltem illa edendi quam diu esurientes conceperant, sicut in hydropico est, bibendi aviditas, restitisset.

CAP. III.

De morte Blasci de Alagona, & succursu Messanæ per Regem Fredericum.

REbus autem sic se habentibus in urbe Messanensium, insignis Blascus de Alagona vir magnanimus & huc usque nobile Siculorum præsidium, quem nulla viri dextra bello subegerat, in ægritudinem incidit, atque incurabili ventris profluvio dulcem animam exhalavit. Desine rudis manus hunc casum describere, tuque gaudens novitate Sicilia causam hanc desine vestigare. Profectò si quis tunc de Siculis acerbitatem casus, & virtutes ejus in agendis militaribus pro defensione Siciliæ ad memoriam revocasset, si quis circumstantis militiæ singultus, & lacrymas conspexisset, etiamsi cor durum & lapideum esset ei, procul dubio siccis oculis transire non posset. Hæc tandem ad aures Frederici Regis deferentibus nunciis tristi relatu deducta est. Rex gravi damno & pietate compulsus illacrymans evidenter indoluit, mœstumque de obitu tanti viri & vultu, & habitu demonstravit; quem postquam fide conspicuum felicem, & gloriosum bellis, atque in agendis aliis militaribus strenuum in conspectu plurimorum astantium commendavit, quia temporis qualitas non suadebat diu indulgeri lugubribus, Rex ipse afflictis subvenire Messanensibus iterum quacunque posset industria meditatus est. Congestis itaque frugibus, quæ sub tanto turbine, tantaque egestate, quibus tunc Sicilia laborabat, congeri potuerunt, ipsos frugum portitores ex Valle Mazariæ per dies & noctes, donec ad loca tuta perduceret, terrestri agmine comitatus est. Cùmque ad declivia, & nemorosa montium, ubi castrum Tripi situm est, sub noctis tenebris pervenissent, atque in persona Regis longa jejunia refocillationem & immoderati labores quietem requirerent, ii, qui de victu Regis curam gerebant, vix exigua inter se Cereris Bacchique munera repererunt. Itaque non mensas onerant dapibus, non vina coronant, sed exiguo vasculo, quod assumpto à Græcis vocabulo *fiasconem* vocant, inter viatores qui cum Rege incedebant casu reperto, in quo modicum vini erat, & duobus tantùm panibus forsitan hordeaciis, quod in regione illa novum non est, appositis coram Rege, solvit patienter jejunium; sumniissoque post paululum generoso capiti clypeo, ad horam exiguam requievit; & tandem dimisso ad esurientem civitatem sub securo conductu sommagio, Rex ipse ad objectum hostium rediit, aliis quæ urgebant guerrarum necessitatibus provisurus.

(*) *Corrige satiaret.*

CAP. IV.

De iterato succursu & pietate Regis Frederici erga Messanenses.

PAucis verò post hæc diebus labentibus iterum fama esurientis Messanæ percrebuit, quæ usque ad interiora Regis animi penetravit. Sumpsit itaque Rex iterum quam potuit frugum & victualium quantitatem, nullaque interjecta segnitie in dilectam civitatem Messanæ esurientem ingressus est; ubi sicca dudum in bello Capitis-Orlandi Regis lumina squalor pereuntis, plebis Messanensium in mœrore & lacrymis confunderunt. Alii quidem tenebris noctis, quæ consueverunt pudorem minuere, pelle jam ossibus inhærente, ostiatim panem piis vocibus exorabant, alii per vicos & plateas exanimes mane lucente reperti sunt. Et jam virorum potentium virtus extenuata defecerat, virgines eorum squalidæ gloriosos cultus reliquerant, & augendæ formæ singulare puellarum studium pigmenta solita non curabant, infantes ad ulnas matrum illactentes perierant, quoniam exhausta sugentes ubera siccis faucibus nihil humidum educebant. Postquam hæc omnia sub Regis oculis miserando spectaculo constiterunt, visum est illi partem esurientis plebis de civitate deducere, quo faciliùs posset restantibus aliis subvenire. Hac itaq; provisione Regis in populum prodeunte, ruit miserum vulgus esuriens extra mœnia civitatis desiderio contingendi loca, quibus possent hanc diram famem repellere, vel saltem extenuatum spiritum focillare. Tunc dulcem patriam lacrymantes deserunt; & tamquam debiti amoris immemores, maritus conjugem & pater filium non expectant. Rex autem omni fastu regiæ dignitatis deposito egreditur civitatem illacrymans, ipsamque Nicolao de Palicio quasi ad ultimam desperationem ex necessitate dispositam recommendans, comitem se iter agentibus præbuit; quos per montes & declivia, per amfractus & invia, tanta familiaritate conduxit, tantaque pietate ductavit, ut eorum infantulos de manu fessarum matrum in via, nunc hos, nunc illos, vicissim assumeret, eosque modò ad ulnas, modò post se ad equi terga portaret, & quotiens in mensa ederet, nullo inhibente circumvenientibus parvulis manu propria frangeret panem suum. Nec priùs Rex illos deseruit, quàm in tuta & fertilia frugum loca perduxit. Interea dum Fredericus Rex medium inter Castellionem & Francavillam iter ageret cum esurienti plebe Randacium profecturus, quidam Petrus, Enegius nomine, quem gerentem olim Blasco de Alagona pecuniale subsidium per insidias captum in arce Castellionis hostilis carcer habebat inclusum, simulans se petiturum à Rege præsidium expensarum, arcem illam carentem defensoribus clam Regi per nuntium intimavit. Rex autem hæc audiens nulli revelavit secretum, sed ab itinere non divertens, jam noctescente Randacium contigit; datâque post horam cubandi licentiâ, ipse thalamum, ac si dormiturus esset, ingressus est. Media verò nocte surgens, tamquam oculi ejus somnum vel nullum vel exiguum suscepissent, jubet viros bellatores tacitè arma sumere atque post eum quòcunque pergeret festinare. Illi verò non segnes arma capiunt, atque ignorantes, quò tenderent, præcedentis Regis vestigia subsequuntur.

Digitized by Google

tur. Et factum est, quòd sub ipso diluculo terram & inferiorem Castellionis arcem, quam Castrum-minimum vocant, subitò invaserunt. Denique omnes terræ illius incolæ, qui ad superius castrum sub illo tumultu confugerat, ne violenter eos capi contingeret metuentes, Castellanum atque custodes castri, cùm eos in numero & viribus præcellerent, ad deditionem indacoram compulerunt.

CAP. V.

De visione & treugis habitis inter Fredericum Regem, & Robertum Ducem apud Syracusas.

COeperat interea perniciosum jam dictæ famis periculum quasi quoddam epidimiale contagium etiam hostilia castra classemque contingere, ipsiusque Roberti Ducis exercitus ingruente penuria laborare. Dux ergo evidenter intelligens, Messanenses ad ultimum pertinaciter elegisse potiùs dira fame succumbere, quàm ab eo, quod spoponderant Frederico Regi, fidelitatis debito resilire, cùm urgeret utique Ducem illum edendi necessitas obsidionem deserere, quomodo ab obsidione ipsa non ignominiosè discederet, etiam & augeret opportuna sibi præsidia, non improvidè meditatus est. Quocirca Yolanda germana Regis & consorte Ducis agente negotium per Legatos, in designata die consistere Syracusas ad colloquium inter ipsos Regem & Ducem conventum est. Dux itaque cum Rogerio castra linquunt, classem festinanter ascendunt, Cataniam veniunt, ac deinde ad Syracusana litora se convertunt. Tunc verò Messanensibus obsidione solutis, hinc marinis, illinc terrestribus præsidiis subvenitur. Ex quo sic actum est, quòd vel detestandæ fidelibus deditionis casum, vel miseræ civibus desolationis articulum evaserunt. Sed nec te Nicolaum de Palacio dignum memoriæ laudibus in hac parte præteream, cujus industria civitatem illam tantis periculis fluctuantem usque ad suæ restaurationis remedium, magnis quippe consiliis & cautelis variis, prout exigebat temporis qualitas, absque sanguinis effusione servavit. Et jam constituta dies mutuæ visionis Regis & Ducis advenerat, jam Fredericus Rex civitatem Syracusas contigerat, & Robertus Dux cum Yolanda consorte sua, qui cum classe advenerant, Syracusana litora jam tenebant. Tunc Yolanda germana Regis, Ducisque conjux in hac parte referens Juliam Romanorum, è puppi declinavit ad Regem in castro, quod vocant turrim Mamachii residentem; quem ab annis infantiæ cunctis fratribus & sororibus prædilectum atque diu non visum dulci amplexu sororio amplexata est, ipsumque ad capessendas treugas, quæ consueverunt esse pacis initium, sapienti exhortatione atque prudenti consilio animavit. Denique post habitum inter fratrem & sororem longum dulceque colloquium Yolanda Dux mulier prudens ad virum in classem regressa est. Altera autem die Fredericus Rex civitatem egreditur, Robertus Dux è puppi cum Yolanda consorte descendit. Occurrunt itaque sibi alterutrum Rex & Dux in ..... dataque modesto vultu & accepta salute, quam sibi dare vicissim nobilitas capessentium Principum in his casibus consuevit, postquam triduo repetitum longum inter se consummavere sermonem, alter in alterius conclusionem, ut ex processibus eorum apparuit, callidè intendentes; dictus quidem Dux ut contra Siculos majores vires astrueret, Rex verò ut inter continuas febriles guerrarum angustias interpolatione quietis & remedii tam sibi, quàm Siculis adhiberet, ad ultimum treugas mensium ..... pro se suisque partibus pepigerunt. Vale post hæc dicentes alterutrum, Dux Cataniam petiit, Rex verò Syracusas discedens, loca suæ jurisdictionis, reformaturus quæcunque in eis reformanda cognosceret, circuivit.

CAP. VI.

De sermone Ducis ad Catanienses, & progressu ejus Neapolim, & deditione Aydoni & Ragusiæ.

FIrmatis itaque treugis illis, Robertus Dux Calabriæ accitis Catanienfibus, aliisque magnis viris atque potentibus, qui cum eo deputati erant ad gerendum bella contra Siciliam, innuens vultu dexteraque silentium, in conspectu Reverendi Patris Gerardi de Parma Cardinalis, qui tunc Cataniæ residebat, docto sermone, ad quem animum pro viribus applicabat, inter alia; *Modicum*, inquit, *& non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me, quia vado ad patrem, unde actore Domino sub tempore brevis moræ Siciliam repetam, ducens ea millia bellatorum, quibus pertinax & obstinata nostrorum rebellium Siculorum nequitia sufficere non possit ad prædam*. Et tandem post plurima quæ tamquam vir discretus inseruit in sermone concludens, Guillelmum Palloctam, virum utique acrem & bellis indomitum, in præda & effusione sanguinis exultantem Vicarium sibi constituit Yolandam consortem suam & Lodovicum filium, quem ex illa Cataniæ susceperat, tamquam inviolabile pignus amoris Catanienfibus commendavit. Sic itaque rebus dispositis Dux cum Rogerio de Lauria paratam jam classem inveniens, flantibus Austris vela committit, atque inter Charybdim & Scyllam per phari angustias celerem cursum agens Neapolim transfretavit; ubi à genitore suo Rege Carolo, aliisque tam nobilibus, quàm plebejis cum gaudio & pompis quasi ingrediens victor susceptus est. Denique ipsum Regem Carolum de conditione guerrarum, quæ in Sicilia gerebantur, dispositione terrarum & locorum, quæ se suæ ditioni subegerant, atque pertinacia reliquorum, quantum scilicet ii, qui sibi concesserant, ciborum penuria laborabant, quantum etiam hostes indefesso animo tenaciter obsistebant, per gestorum seriem informavit. Longo denique sermone concludens, quia scriptum est, labor omnia vincit improbus, se triumphaturum de Siculis, si eos nunc usque attritos & plurium absque interpolatione temporis continuatis afflictionibus impugnabit. Cùmque abiissent constituta inter eosdem Regem & Ducem tempora treugarum, Rex Aydonium sub aquosa hyeme castrametatus, inimicos dura obsidione ac machinis domuit, Ragusiam verò per Manfridum de Claromonte suæ ditioni subegit; ubi etiam Riccardum de Passaneto propter obsequiorum merita, sed eo præsertim, quia Guillelmi Palloctæ sororis sui consiliis & suasionibus non paruit, Comitatus Gasiliari famoso titulo decoravit.

Digitized by Google

CAP. VII.

De passagio Karoli fratris Regis Francorum contra Siciliam.

INterea Bonifacius Romanæ Matris Ecclesiæ Pontifex, quem per varios gradus assumptum de minimis plurima quidem experimenta docuerant, nulliaque fallebat in agendis calliditas, desiderio magno desiderans Insulam Siciliæ Carolo Regi subjicere atque imponere finem bellis., ad hoc opus etiam Francorum vires dirigere meditatus est. Itaque Carolum fratrem Regis Franciæ immensis allectum donis, victumque pollicitis contra Siculos excitavit, sub illo nihilominus argumento concludens, quòd si Princeps ille magnificus & inter alios magnates & Principes Mundi hujus notabilis huic operi manum semel imponeret, vel victor Siciliam subigeret, vel victus ad fratrem obprobrii ultionem ipsum Regem Franciæ necessariò provocaret. Ergo iterum thesauri Matris Ecclesiæ dispersi sunt, atque iterum alii bellatorum exercitus cum aliis atque aliis nationibus contra Siciliam congregantur. Quocirca ut opportunam classem tot populorum capacem astruant, novas puppes ædificant, nova carbasa construunt, nova etiam armamenta componunt. Anno itaque ab Incarnatione Domini MCCCII. ascendit puppim signiferam Carolus frater Regis Francorum, Summi Pontificis & Caroli Regis, quantum ad hoc spectare videbatur negotium, auctoritate suffultus. Addunt se comites Robertus Dux Calabriæ & Raymundus Berengarii frater Ducis, quos cœtus Gallorum & Provincialium, & aliarum nationum viri notabiles innumeris deputati ratibus assequuntur. Itaque navigantes sub ducatu & consilio Rogerii de Lauria, quia regio vallis Nochi jam magnis guerrarum fluctibus æstuabat, in partes vallis Mazariæ, quæ adhuc usque inconcussæ transierant, nullosque graves bellorum insultus, nullaque damna pertulerant, recto cursu declinare contendunt.

CAP. VIII.

De rebellione Thermarum, & conflictu ad portas Curilionis.

ET vix quidem litora Thermarum inimicæ rates contigerant, vix proras in pelagus emissæ anchoræ obvertebant, cùm Thermita quidam, quem Symonem de Alderisio nominabant, vel dolo vel metu, quia tam numerosa classis spectantibus hostibus metus erat, terram ipsam in vilis deditionis infamiam secum traxit. Egredientes itaque innumeræ gentes è puppibus velut apes ab alveis terram occupant, complent litora, & per adjacentes agros castra componunt. Nec mora, post hanc innumerosam classem adhuc viginti duæ rates magnæ oneratæ frugibus ex Apulia convenerunt. Cœperunt itaque densis agminibus per propinqua loca discurrere atque universa pecora, quæ in campis reperta sunt, hostiliter populari. Tunc verò Fredericus Rex elegit sibi sedem belli Policium, terram siquidem propinquam hostibus, inexpugnabilem viribus, & frugibus copiosam. Generosi sanguinis Carolus quamprimùm Thermas egressus est, propinquam terram, quam Caccabum vocant viribus attentavit; ubi propter locorum asperitatem, accessusque difficiles à Johanne de Claramonte, quem ad tutelam ipsius loci Fredericus Rex præmiserat, damna in suis bellatoribus passus est. Itaque castra movent contra Policium, ipsumque Fredericum Regem per Legatos ad bellum invitant. Cùmque Rex illi, ut expectaret abire modicum instantis temporis respondisset. Carolus cum Duce abiit, & contra Curilionem famosam terram aciem suam struxit; factoque impetu pars una militiæ per portas, quæ patebant, intrare terram ipsam viribus tentaverunt; sed obsistentibus Hugone de Empuriis, & Berengario de Intenciis cum aliis bellatoribus, qui ad locum exiguo spatio adjuti equorum agilitate prævenerant, non sinè multorum strage repulsi sunt; atque in eodem conflictu inter alios frater Ducis Brahamantis, qui se bello plus aliis ingerebat, jactu lapidis, & quem mulier quædam projecit è mœnibus inter claustra portarum extinctus est.

CAP. IX.

De eversione castri ad mare de Gulfo, & obsidione terræ Saccæ.

ITaque si quam spem de Curiliono gesserant, post facti experientiam abjiciunt, & contra Saccam terrestrem & marinum dirigentes exercitum, in ciruitu ejus castra locant, statuentes nunquam obsidionem illam deserere, nisi prius terram vel ingenio vel viribus conculcarent. Fredericus de Incisa cum suis è mœnibus hoc spectantes, ut suæ fidelitatis obsequia probarentur, hujus obsidionis causam contigisse sibi contenti sunt, machinas & propugnacula construere, propriamque tueri patriam sinè temporis alternitate contendunt. Classis verò præteriens, ad Sancana litora cursum agens, castrum ad mare de Gulfo, quod ad litus maris sub Alcanio situm est, in suo transitu absque belli difficultate subegit. Postquam verò contra Saccam Carolus cum Duce castrametati sunt, Rex Policium deseruit, atque Calatabilloccam sibi sedem, unde hostibus propinquior immineret, elegit. Rebus autem sic se habentibus, generosa dux Yolanda inclyta moribus, forma spectabilis, & honestate præclara, quæ inter hæc bella quasi mediatrix inter virum & germanum virgam caduceam gerere videbatur, dulcem vitam apud Thermas immatura morte finivit; de cujus obitu ambæ partes tristes lacrymas non immeritò effuderunt.

CAP. X.

De pace, quam Karolus frater Regis Francorum composuit inter Regem Fredericum & Ducem.

RES mira, cœperat in castris epidimialis morbi contagium, quod subitò ingruit, equos consumere, ipsum bellatorum infinitum numerum subitis & inopinatis casibus breviare. Tunc Fredericus Rex per hos eventus aut similes propter inclementiam aëris ardentemque caniculam tacitus expectabat bellum inferre jam fessis hostibus post admirabilem equorum pestem meditatus est. Quocirca omnes vires ejus ad se in designato die convenire jubet. Itaque frater Regis Francorum intelligens, quoniam oportebat eum invitum alterum de duobus, vel pudenter obsidionem illam deserere, vel temerariè amissis equis concursu hostium intra tentoria expectare, quia casus alteruter ignominiam tanto Principi afferebat, nunc huc, nunc illuc

Digitized by Google

illuc æstuanti animo gerebatur. Cùmque se ipsum consulens per tractus varios discurrisset, gloriosæ famæ non prodigus, ad illud Virgilii de Junone sententiam se convertit; *Ne noster honor infracta ut cedat fama loco*, & hoc tandem suæ rationis consilium prælegit, quia utriusque ipsorum & Regis & Ducis origine recensita, uterque sibi in eodem gradu per agnationis vel cognationis lineam jungebatur, eos ad pacem componere attentaret, illud præsertim ex hac pace sibi commodum innuens, quòd utriusque Regis & Ducis ad acquirendum debitum sibi, ut asserebat, imperium Romaniæ præsidia mereretur. Tunc ipsum Ducem in secretiorem partem tentorii secum ducens hæc ait: *Regnorum vices Regumque victoriæ, consolationes, & desolationes suis temporibus de throno Dei limitatæ sunt. Quòd si hoc manet ab æterno consilium, frustra quidem cum Frederico Rege contendimus, frustra nunc privare illum hoc Regno tentamus. Videsne quanta sit pertinacia Siculorum, quos neque fames domuit, neque gladius mitigavit? Bis, ut nosti marinis bellis devicti sunt, exhauserunt agros incendia, virgulta cum vineis eorum succidimus, in multiplicem prædam venerunt illorum pecudes & jumenta. Obsidiones non metuunt, machinas non verentur. Quid plura? Ecce post tantas clades quas passi sunt, nunc etiam contra nos acriùs insistentes mortem voluntariam ad gaudium elegerunt. Nos autem & partes nostræ, maximè Regnum Franciæ, à tempore rebellionis istorum quot illustres viros his bellis perdidimus, quot thesauros incassum effudimus, numerari non posset. Et ecce jam trimestre tempus abiit, quo venimus. Tot ratibus tantaque militia, tot impensis, quid in hac parte profecimus, quæ loca vel vi, vel sponte subegimus? Ubique præsens tu ipse vidisti. Jam cœperunt nobiscum assuescere, nostrasque vires penitus non curare. Nunc etiam non ignorantes equos nostros propter aëris pestilentiam defecisse, nobis inferre bellum summis viribus enituntur. Itaque propter equorum damna, quæ tulimus, certam spem gerentes victoriæ, paratas contra nos acies dirigent. Quo casu vel ante faciem subsequentium tamquam pusillanimes, atque degeneres fugiemus, vel in manus hostium incidere magni oneris præclara nobilitas gravisque pudor & conscia virtus impellent. Quare libeat incumbentibus fatis accedere, ut est illud*, Fatis cede Deisque, *nec tentemus cœlestia numina contraire, quia scriptum est:*

Heu nihil invitis fas quemquam fidere Divis,

& dum licet absque ignominia, cedamus amicitiæ dicti Regis, atque cum eo pacis fœdera, quæ auctore Domino genitori nostro & nobis honorabilia venient, conjungamus. Nam si velimus omnia, quæ propter hanc Insulam nobis & nostris evenerunt ad examen conscientiæ deducere, libraque recti judicii trutinare, minus quidem videbitur esse quod petimus, quàm pretium quod donamus. Tristes quidem casus tristesque ruinas, gravia damna, & graviora nimirum opprobria, quæ propter hanc Insulam plures Reges & Principes nostri generis pertulerunt in medium quis referret? Infandas nobilium & popularium virorum desolationes, & cædes, miseraque depopulationes, & pressuras urbium, atque insuper thesauros multiplices, quos Romanæ Matris Ecclesiæ Pontifices & nos incassum effudimus dinumerare quis posset? Nonne Philippus Rex Francorum frater noster, cùm Regnum Aragonum invasisset, necessitate coactus discedere in Cataloniam, infeliciter vitam dedit; ubi multa etiam Gallorum millia perierunt? Nonne Carolus Rex Siciliæ avus vester postquam de Siculis quam sperabat vindictam habere non potuit, sauciatus mentem doloribus præmatura morte decessit? Carolus etiam genitor vester, si bene recolitis, navali bello victus, diu vincula pertulit, pro quo vos & fratres vestri obsides accessistis. Quid memorem Comites & Magnates, qui vel bello cæsi sunt, vel casu alio perierunt? Neque in promptu est longè præteritas populorum strages cladesque disserere, quas in oblivionem diuturnitate temporis jam productas linguæ hominum explicare non possent. Ecce Philippum Tarenti Principem fratrem vestrum cum aliis paulò ante captos adhuc Siculorum carcer tenet inclusos, absque illo, quod usque nunc propter eam causam distulimus invadere, quòd nobis de jure debetur Imperium Romaniæ. Vos itaque nolitis hanc dignam laude sententiam contraire; quoniam vobis certum est; quia postquam Summi Pontificis & genitoris vestri nobis in hac parte cessit auctoritas, dicere possumus illud verbum (*): Bella manu pacemque gero. Tunc Dux Calabriæ patienter hæc audiit, nihilque illius auctoritati contrarium referens, quod negare non proderat, quamvis invito animo, acceptavit. Carolus itaque ad Fredericum Regem, qui se tunc apud eam terram, quam Castrum-novum vocant, transtulerat, Theobaldum de Cippojo, & Aymericum de Sus milites strenuos quidem, & ad tractatum tanti negotii non ineptos, suos Ambassiatores & Nuntios destinavit Theobaldus & Aymericus vadunt quò missi à Carolo fuerant propter legationis causam exultantes, ipsumque Regem Fredericum reverenter adeunt, & prudenter instruunt de intentione mittentis. Rex illos & legationem, quam tulerant diligenter accepit, & tandem cum dictis examinatisque capitulis, quæ opportuna videbantur ad pacem, quamvis inter se plurima discessissent, ut Rex ipse cum jam dicto Carolo fratre Regis Francorum mutuò se viderent, convenerunt. Redeunt itaque nuntii illum, qui eos miserat; Rex verò Calatabilloccam repetiit, unde ad mutuam visionem brevis iter erat. Ergo sub fide, quam consueverant illustres Principes per Legatos pactam alterutrum observare, ad locum sinè nomine inter Calatabilloccam & Saccam medium, in quo duo tantùm erant bubulcorum mapalia, quælibet partium hinc & inde cum centeno milite convenerunt. Occurrunt itaque sibi Fredericus Rex & Carolus frater Regis Francorum alter alteri læto vultu. Deinde ipsum Ducem tertium vocant. Postquam tria nomina tantæ famæ cunctis à longè spectantibus longum inter se de hac pace posuere sermonem. Dux ad se Rogerium de Lauria, Rex illico Vinchiguerram de Palacio vocaverunt, aliisque post illos ex utraque parte Magnatibus accersitis, & deinde conditionibus pacis, quas apud Castrum-novum paulò ante discusserant pervigili studio repetitis, quamvis hæc succinctè prætteream, ad hunc finem deventum est quòd Fredericus Rex Alionoram filiam Caroli Regis consortem thalami duceret, Siciliam cum Insulis adjacentibus in vita sinè contradictione qualibet possideret; universa tamen Calabria cum omnibus quæcunque sunt de pertinentiis Regni Si-

(*) Ovidii lib. 6. Metamorph.

Siciliæ ultra pharum Regi Carolo in pace relictis, (*) de civitatibus autem, terris, & castris in utroque Regno quocunque casu occupatis hinc inde restitutio Regibus ipsis fieret, Princeps & alii bello capti quicunque in vinculis fuerant ab utraque partium liberentur. Comites, Barones, & Feudatarii omnes, qui ad hostes concesserant, ut agnoscat eorum posteritas præmia, quæ debentur iis, qui fidelitatis debitum suis dominis fallere non formidant, Comitatibus, Baroniis, & Feudis, quæ in oppositis regnis habebant hinc inde privati sunt; Rogerio tantùm de Lauria, cui permissum est tenere castrum Iacii in Sicilia, & propter eum Vinchiguerra de Palacio castrum Calannæ, Moram-Mori, Messamque in litoribus Calabriæ de speciali privilegio, paciscentium dumtaxat exceptis.

CAP. XI.

De classe Karoli fratris Regis Franciæ & Roberti Ducis redeunte Cataniam, & reliquiis Yolandæ.

TUnc itaque firmatis inter hos Principes fœderibus pacis hujus, quin potiùs, ut in processu temporis apparuit, umbræ pacis, publico metu sublato de medio, Galli & Provinciales cum Siculis nunc per castra, nunc per terram obsidione solutam nullo discrimine vagabantur. Nihilominus non immemores antiquæ cladis & odii, quæ hactenus fuerant inter eos longa plurimaque fusione sanguinis confirmata, nationes ipsæ cautelam suæ custodiæ tacitè adhibebant. Nec mora; linquunt Galli solum, ubi ad obsidionem castra posuerant jam plurima tabe corruptum, & aëris epidimialis contagio vitiatum, atque ad vicina maris litora spatiandi causâ sua castra convertunt. Ex hinc refrigerati diebus aliquibus scandunt puppes Carolus frater Regis Francorum cum Roberto Duce, aliisque magnatibus Cataniam plurimas eorum copias cum venerabili Gerardo de Parma Sedis Apostolicæ Legato reliquerant profecturi, ut ibi Tarenti Principem, Brehennæ Comitem, aliosque magnos viros nationis & gentis suæ liberandos à Friderico Rege susciperent. ipsique Carolus, & Dux civitatem ipsam cum aliis terris & locis, quæ se illis subegerant in Sicilia Friderico Regi secundùm jam pacta inter utrasque partes fœdera resignarent. Priusquam verò iter illud arriperent, galêam remis agilem vocatam ab illis *Angelinam*, ut tolleret de Thermis Neapolim reliquias bonæ memoriæ Yolandæ consortis Ducis, è vestigio remiserunt. Navigat itaque Gallorum classis per exteriorem partem Siciliæ, nunc prosperis ventorum flatibus, nunc languentibus velis agitata, remigio radens jam placata nova pace litora Siculorum, & ad occurrentes illis Agrigentum primò, deinde alias civitates & loca hospita, ut ejus videbatur expediens, pro refrigeriis suis nullo contradicente declinant. Patent eis ubique fertilia loca commerciis. Pœnitet eos, maximè ipsam plebem, tam longo tempore per tot fluctus æquoreos hostiliter navigasse, tot etiam adversa & ut plurimùm cruenta bella gessisse. Denique ab illis ad vulgata fertilitate sua Catanienſium litora, quò tendebant, sub quieta navigatione deventum est.

(*) Vide Odoricum Raynaldum an. 1302. §. 3.

CAP. XII.

De processu Frederici Regis apud Leontinum, & liberatione Principis Tarentini, & aliorum captivorum.

INterea Fredericus Rex Calatabillocca discedens, per sublime castrum Suceræ præteriit, Philippum Principem in eo castro diu servatum in vinculis liberari mandavit, eumque sibi diligenter adjungens usque Leontinum dietis continuatis adduxit. Huc etiam Brehennæ Comes aliique magni viri Galli, Provinciales, atque Regnicolæ, qui per diversa castra Siciliæ servabantur ad rescripta Regis undique convenerunt. Tunc Robertus Dux Calabriæ Leontinum ad Regem profectus est; ubi tanta privatæ familiaritatis conversatione ab ipso Rege suscipitur, tam arctèque Regi Dux ipse conjungitur, ut tam ibi, quàm subsequenter apud regale solatium, quod *Silvestrum* vocant uno eodemque thoro quasi fratres carissimi absque suspicionis causa dormirent.

CAP. XIII.

De regressu Frederici Regis Cataniam, resignatione terrarum, liberatione captivorum, & regressu Karoli & Roberti Ducis Messanam.

REx Fridericus Cataniam jam triennio perditam medius inter Ducem, & Principem læto vultu & habitu quasi triumphans ingreditur. Incolæ civitatis post confessionem delicti à Frederico Rege veniam impetrarunt. Rex itaque in pacis habitu resedit Cataniæ, ut reconciliatos sibi cives, placatumque civibus indicaret. Tunc verò solutis bello captis resignatisque Friderico Regi per Nuntios terris & castris omnibus, quæ Galli toto præteritorum bellorum tempore in Sicilia occupaverant, abeuntibus sæpedictis Principibus & Magnatibus, *vale* inquit, & ut sponsam, in cujus desiderium lex illum & honestus amor conjugii jam trahebant, sublatâ morâ transmitterent in regii sermonis modestia deprecatus est. Rogerius de Lauria, post hominium Regi præstitum pro castro Iacii, cum tota classe, cui præerat, ad litora Messanensium vela tetendit. Carolus verò cum Duce ac Principe, aliisque magnis viris, quod efficiebat tœdium navigandi, Messanam, unde Calabriam, quò tendebant, brevior cursus erat, permittente Rege, terrestri agmine petiverunt. Itaque plures nobiles Messanenses jamdictis Principibus obviam in pacis habitu exeuntes, eos in civitatem jussu Regis honorificè susceperunt.

CAP. XIV.

De convivio Karoli fratris Regis Francorum ad Messanenses.

POstquam in civitatem jam dicti Principes introducti sunt, Carolus frater Regis Francorum nonnullos ex præstantioribus civitatis, præcipuè Nicolaum de Palacio, qui per multa pericula rerum pater patriæ fuerat, jam fama cognitus, ad epulas invitavit. Tunc Nicolaus ipse more solito prævidens de futuris, Damianum fratrem suum ætate minorem his verbis allo-

Digitized by Google

alloquitur : *Care frater, si vellemus plurima, quæ à majoribus nostris de conviviorum eventibus scripta sunt in medium recensere, multa mala commisere convivia, pluresque in eis decepti sunt, plures in conviviis perierunt. Amon, jubente Absalone fratre suo, in convivio interemptus est. Johannem præcursorem Domini Herodes impius propter convivium decalvavit. Hanno Carthaginensis ad imperialem apicem insolenter aspirans, obstituros ei Senatores in convivio perdere meditatus est. Multa quidem suadet etiam inhonesta regnandi cupiditas, & magnarum rerum ambitio quandoque penetrat etiam corda Regum. Ecce hi Principes omnes nobiles civitatis hujus in suo convivio habituri sunt; & quia Romanum habent Pontificem adjutorem, omnia sibi licere pensantes, per quæ possent resumere dominium regni hujus fortè in nos mitterent manus suas, factoque tumultu invaderent civitatem, super qua fortuna omnibus Siculorum. Non est itaque laude dignum, nec regni hujus gubernationis securitas, utrumque nostrum ad has epulas convenire: sed ibo ego, qui sum ævo præstantior; ut autem assumpta occasione in castro resideas, quod Rex noster abiens tuæ custodiæ deputavit. Etsi Principes isti, quod nos fingimus, ad cautelam forsitan attentarent, si quis in adversum casus, me raperet, tu supereris, ac etiam sive spargere me in fluctus eligerent, sive ut animum tuum fraterna pietate moverent, ante tuos oculos decalvare monstrarent, omnem de me curam abjicias, ut fides tua illibata servetur; quoniam in hac parte foret impietas esse pium, & infidelitas esse fidum. Quòd si fortè mavis huic adesse convivio, ego cedam.* Tunc Damianus verba fratris quasi non carentia pondere diligenter accipiens, secessit in castrum, fraternis consiliis, si fortè se casus intulerit, pariturus. Et jam instabat hora designata convivio, jam nobiles convivæ nullis iteratò vocantibus ad atrium Principum convenerunt. Nulla ergo impediente causa negotium nullaque segnitie, stant mensæ candidis amictæ mantilibus, in quibus auro argentoque fulgentia vasa collucent. Stant famuli decoras induti vestes ad nutum jubentis Architriclini parêre longo ordine expectantes. Itaque signo dato alii lavandis manibus ex radiantibus vasis aureis lymphas fundunt, alii quidem aquas in pelves suscipiunt, alii mensas dapibus onerant, alii læta Bacchi munera sumministrant, ii crateres magnos bacchatos gemmis statuunt, ii pecheria, cuppas, aliaque vasa regalibus apta in numerum congerunt, quæ post relegatam abjuratamque à parentibus nostris modestiam, cùm luxus & ambitus humanas mentes surripere incœperunt, non solùm Reges, & Principes, ac Primates Orbis terræ, sed inferiores quoque populi, & ex iis etiam, qui pauperem Christum imitari voverant, suis mensis affluenter apponere studuerunt.

CAP. XV.

De sermone Karoli ad convivas, & responsione Nicolai de Palacio.

POstquam verò sublata est edendi necessitas, & advênit tempus confabulationum, quæ consueverunt ut plurimùm imitari convivia, idem Carolus, ut se vultu hilarem atque sermone tractabilem, ut erat, inter convivas ostenderet, coram illis elegit sermonem effundere, atque in Nicolaum de Palacio, quem medium inter se Ducemque Calabriæ in mensa statuerat, dirigens verba sic orsus est: *Dicite nunc, miles egregie, cùm Dux Calabriæ consobrinus noster, qui adest, civitatem hanc in angusta obsidione servabat adeò undique, ut audivimus, coartatam, quòd universam plebem fames horridæ conculcabat, & qui supererant, ad obscœna ciborum contagia libebantur, nec spes erat nulla vobis præsidii, quænam consulendi vobis animo sententia resultabat?* Cui Nicolaus post reverentiæ signum, *Domine*, inquit, *sive hoc præteritorum quæ inter Gallos & Siculos gesta sunt ratio innuatur, sive ab influentia corporum disponentium corda nostra contigit, usque adeò Siculis, præcipuè nobis Messanensibus, Gallorum nomen exosum est, quòd si ad extremos casus, quamvis tunc illi jam nobis propinqui essent, sub eadem obsidione gravissima venissemus, post absumpta ea, quæ adhuc nobis supererant, jumenta, canes, atque murilegos, vertissemus manus nostras in consortes & filios, ut fidem Regi nostro debitam, & antiquum, quod cum Gallis habemus, odium servaremus, & tandem, si ex nobis aliqui superessent, ad castrum, quod eminet civitati, & palatium regium, quod ex altera parte ad litus maris situm est, absque ulla spe paciscendi reliquiæ nostræ confugerent, civitatem verò priùs immisso undique igne cremarent, sic omnino agentes, ut si cuiquam utinam hæc & alia Siculorum gesta digna tantùm memoria viderentur, ut casus nostros more annalium Romanorum describeret, neque Sagunto . . . Hispaniæ, neque Longobardorum Perusio, dummodo veram sequeretur historiam, gloriosæ patientiæ fama laudabili cederemus.*

CAP. XVI.

De sermone Karoli ad Ducem & recessu eorum de Sicilia.

TUnc verò Carolus frater Regis Francorum illustre caput moderatè concutiens, se convertit ad Ducem, aliosque Gallorum nobiles discumbentes, & ait: *Vana spes rehabendi Siciliam nos fefellit. Frustra super hoc à nobis tanto tempore vacatum est tot immensis laboribus, tot impensis, quoniam inexpugnabilia sunt hujus regni civitates & castra, & super iis etiam inexpugnabiliores videmus animos incolarum; nec subjici quidem posset hoc regnum alicujus dominatui, nisi communis consensus & voluntas civium conveniret. Itaque bene à nobis & cautè actum est, si uno eodemque tractatu & saluti & honori nostro providimus, dum quadam simulata liberalitate ad tempus concessimus, quod nec ad plenum habuimus, nec habitum retinere invitis civibus poteramus.* Denique postquam indultum est epulis, mensæ remotæ sunt, convivæ abeunt, & illustres illi viri per designata locorum spatia quieverunt. Altera autem die ventis prosperè flantibus, paratæ rates Gallos accipiunt, quæ tensis velis, duce Rogerio de Lauria, versùs nota litora magna navigatione contendunt. Abierunt Carolus frater Regis Francorum, & Robertus Dux Calabriæ, atque cum eis Philippus Princeps Tarentinus & Raymundus Berengarii fratres Ducis aliique magni viri, tantusque numerosus exercitus, qui sub eisdem illustribus contra Siciliam venerat, relictâ sub designata pace Trinacriâ Regi suo.

CAP.

CAP. XVII.

De acceptatione pacis per Karolum Regem, & Alionora sponsa missa in Siciliam.

KArolus Rex auditis nominatæ pacis fœderibus, velut erat mitis animo, acquievit, eamque pacem sibi gratam suscipiens Alionoram filiam suam pactam Frederico Regi consortem thalami destinandam absque dilatione decrevit. Veruntamen cùm aquosæ hyemis tempus insisteret, solùm reparandæ classi tunc lassatæ fluctibus cura impensa est. Vere novo, priori jam mutato consilio, Alionora virgo regia, insignis facie, sed prudentia, & honestate præstantior, futura Regina Siciliæ, atque cum ea nymphæ obsequiis aptæ regalibus, accepta benedictione parentum ab urbe Neapoli gloriosa discessit, per Calabriam propter maris tœdium usque Rhegium iter agens: quam discedentem Neapolitanæ matres, quantum spectantes oculi capere potuerunt, effusis præ gaudio lacrymis assecutæ sunt. Cùmque ad civitatem Rhegii pervenissent, sponsa paratam regifico luxu classem regiisque insigniis decoratam ascendit, & cum illa Catanzarii atque Ariani Comites, Rogerius de Sangineto, plureſque alii viri magnifici quos ad sponsæ custodiam Rex Carolus deputavit; quibus ab eodem Rege lex data est, ut postquam illam Frederico Regi nuptam in facie Ecclesiæ, ut moris est, traderent, nihil ulteriùs in Sicilia residerent. Incumbit itaque validis remis nautarum sedulitas, duciturque læto breviqne navigio illustris virgo, felix utique futura conjugio, numerosam prolem regiam paritura.

CAP. XVIII.

De reformatione capitulorum pacis, & confirmatione per Dominum Bonifacium Summum Pontificem.

LIbet hìc à narratione tractus conjugii paululum stilum suspendere, ac reformationem capitulorum pacis, ejusque confirmationem sub compendio recensere. Postquam inter Carolum & Fridericum Reges conditiones jamdictæ pacis firmatæ sunt, Carolus Petrum Noviomensem Episcopum Cancellarium & Bartholomæum de Capua Logothetam, Fredericus autem Hugonem de Empuriis Comitem Fredericum de Incisa Magistrum rationalem & Bartholomæum de Insula suæ Curiæ judicem, nuntios hinc inde dominorum suorum auctoritate suffultos ad Bonifacium Summum Pontificem transmiserunt, orantes per nuntios illos, ut idem Summus Pontifex evidenter intelligens quot potentium virorum strages, quot urbium depopulationes, quot civium dissidia, quot fugiendæ famis pericula, quanta infidelitatis contagia, quanta paupertatis discrimina guerrarum calamitas secum trahit, in quibus etiam Omnipotens Deus ut Fidei nostræ debitum exigit non colitur, & Sacrosanctæ Romanæ Matri Ecclesiæ non paretur, quanta verò populorum quies, urbium tranquillitas, civium unitas, frugum fertilitas, fidelitatis sinceritas jocundæ pacis vestigia comitantur, in qua etiam divinis laudibus absque subversione animorum intenditur, & mandatis Ecclesiæ præstantiùs obeditur, hanc pacem utrique Regi placidam acceptaret, & de plenitudine potestatis Sacrosanctæ Sedis Apostolicæ confirmaret. Ille quidem, ut erat vir intelligens & astutus & callidus, (*) tractatum ipsius pacis per capitula videns, & iterum atque iterum revidens, eundem Fredericum ad annuum censum quindecim millia florenorum pro Insula Siciliæ, aliisque Insulis adjacentibus in recognitione Ecclesiæ teneri voluit, ac etiam, ne utriusque Regis titulus in idem incideret, eundem Fridericum intitulari Regem Trinacriæ prælegit. Cetera verò de consensu & consilio omnium Cardinalium, Matthæo Sanctæ Mariæ in Porticu Diacono Cardinali tantummodo discrepante, auctoritate Sedis Apostolicæ confirmavit.

CAP. XIX.

De receptione Alionoræ sponsæ apud Messanam.

ET jam citæ rates, quibus sponsa regia vehebatur, acri remige, ventisque appulsæ felicibus cursum suæ navigationis compleverant, atque in ea parte, quam incolæ propter amœnitatem loci Paradisum vocant Messanæ litora jam tenebant, cùm prævecta exiguis remis navicula Regi regiisque ministris astantibus advenisse sponsam in gaudio nuntiavit. Ruunt itaque tam cives, quàm exteri, qui tunc aderant catervatim celeri gressu extra mœnia civitatis agentes per diversa spatia, quale grues in suis veniendi redeundique temporibus longum agmen, ut occurrerent & viderent venientem ad eos sponsam regiam, quam omnino sperabant indissolubile vinculum, causamque præcipuam tantæ pacis. Interea dum sponsa per expositos pontes declinaret ad litus è ratibus, innumerus ad eam populus de civitate convênit. Rex verò avidus videre illam, quam sibi jam vulgata fama laudaverat, & pactam conjugio diligebat, expectationis tempore veniens ad Ecclesiam Beatæ Mariæ de Scalis, quæ in partibus illis, per quas expediebat prætereuntem sponsam ingredi civitatem, sita est, iter callidè simulavit, eamque venientem habuit in occursu. Rege siquidem propinquante, custodes, & qui sponsam circumdederant in equis & pedites, ut esset utriusque liber aspectus, paululum secesserunt. Illa quidem venientem Regem forma cultuque spectabilem, atque inter tot Proceres præeminentem, summissis oculis tuebatur. Cùmque Rex, ut sponsæ manus contingeret, dexteram extendisset, illa pudore percussa virgineo, plus solito rubuit, manumque à tactu Regis pudibunda retrahens hæsitavit. Cui Comes Catanczarii, modestè illam arguens, ut dexteram domino suo sponso porrigeret leniter imperavit. Tunc sponsa jam placida Regis visione succensa, inter verecundam & amantem medios motus agens, nutantem dexteram trepidè tangendam sponso porrexit. Illico vox exultationis in populo circumstanti exorta est, hymenii clamoris vulgo soliti ad cœlum lætis laudibus extolluntur. Rex autem tactâ paululum dextrâ sponsæ, quasi voti compos abscessit, quod jam si mulaverat iter agens; sponsa verò præcedentibus pompis innumeris in civitatem cum ingenti solemnitate gaudii suscepta est.

CAP.

(*) Vide Odor. Raynald. ann. 1302. §. 5.

Digitized by Google

CAP. XX.

De conductu Sponsæ ad Ecclesiam, & traditione ejus.

JAmque dies alterque dies processerat, sponsamque Duci ad Ecclesiam ortus constituti, & jam instantis diei Dominici exigebat. Conveniunt itaque ad locum hospitalis Beati Johannis Jerosolymitani, ubi sponsa suscepta fuerat hospitio, Magnates regni, qui ad nuptias regias ex omni parte Siciliæ convenerant. Convenerunt & ipsi cives in pretiosis, & decoris apparatibus equorum & vestium, longis quippe dignis relatibus, nisi dicolor illa varietas regalium ornatuum, quibus ex opposito radiantes in morem sese Messanensium fœminæ turritis capitibus ostentabant, cunctorum spectantium oculus ad suos gestus & habitus convertisset. Nam si verum quod in Eutropio de Gestis Romanorum legitur, Cyneam Pyrrhi Epirotarum Regis Nuntium ab urbe Roma redeuntem fuisse testatum, patriam Regum vidisse, talesque illis ferè omnes esse, quales unus Pyrrhus apud Epirum & reliquam Græciam putaretur, detur & mihi obsecro, in hac parte credulitas, quoniam civitas illa Messanensium tunc Regum patria videbatur, centumque illic Helenas in ditiori cultu, & habitu videre quis posset. Stant circum populares omnes in spatiosis locis ante hospitium, Primates verò & Majores regni in propinquioribus, ad ostium Reginam cunctantem in thalamis longo ordine expectantes. Stat sonipes regiæ dignitati conveniens nivali candore nitens, distinctisque nigro colore maculis scutilatus, amictu quidem insignis & corpore, tellurem pede concutiens, atque aurea frena mandens. Et tandem regia sponsa progreditur nativo colore spectabilis, cujus formam pretiosæ vestes, & habitus gloriosus augebat. Clangor tubarum ad aurea sidera tollitur, varia musicorum genera quæ convenerant dulcem referunt circumstantibus harmoniam. Scandit itaque suis adjuta gloriosa sponsa sonipedem; cujus primi ante omnes Ariani & Catanczarii Comites pedites hinc inde sericam rhedam trahunt, ceteri Magnates à dextra lævaque frequentes gaudent vel pendentia syrmata ornatus sponsæ, vel nitentes equi phaleras manu contingere, vel saltem prægradientis sonipedis vestigiis inhærere. Ducitur autem in Ecclesiam sponsa per stratas in plateis rosas & lilia per myrtum plurima virentia & amœna. Nec mirum, quoniam tempus erat, quod à Maja matre Mercurii vel à majoribus natu, qui apud Romanos erant principes reipublicæ, nomen habet. Tunc ergo ministrante (*) ..... Archiepiscopo, qui cum sponsa venerat in Majori Ecclesia Messanensi Alionora Friderico Regi nupta est, quam deinde ad regale palatium cum pompis solemnibus adducentes in auratos thalamos immiserunt. Traditur atque Regina viro suo, & in tempore opportuno nuptiarum solemnia feliciter celebrantur. Hi novam induerunt pro nobilitate militiam, alii cæstibus dimicant, alii quidem hastiludiis, aliisque jocis variis se exercent. Completis autem solemnitatibus & ludicris nuptiarum, vestes, quæ ad hoc actæ fuerant, ut moris est, inter mimos & histriones plurimos disperguntur. Comites & alii magni viri, qui cum Regina venerant, læto animo gerentes quæ viderant, ad Regem Carolum, sicut ab eo in mandatis acceperant, redierunt. Nupsit autem Alionora Friderico Regi Anno Domini millesimo trecentesimo tertio. Peperit filium, Petrum nomine, qui tempore suæ coronationis propter eum Petrum Regem avum suum, qui primus de stirpe Aragonum regnavit in Sicilia, Petrus Secundus dictus est.

(*) Heic locus vacuus relictus est in vet. cod.

CAP. XXI.

De transitu fratris Rogerii de Brundusio in Romaniam.

POstquam relicta est finè tumultu guerrarum Siciliæ, viri bellatores, qui prædæ avidi olim ad præterita bella convenerant, Aragones, Catalani, ac etiam quamplurimi Siciliensis, externis carentes hostibus, cœperunt in se convertere manus suas, atque rapinas, furta, violentias, & jurgia plurima exercere. Quocirca, Friderico Rege præbente materiam cum fratre Rogerio de Brundusio, dissolutæ cohortes illæ in unum consilium inierunt, ut in subsidium Imperatoris Romaniæ thesauros multiplices pollicentis atque invocantis eorum præsidia contra Turcos, qui partem Imperii invaserant, properè navigarent. Paratam ergo classem, quæ ad Messanensium portum subducta jacebat ad litora, necessariis armamentis, frugum copia læto Bacchi munere, aliisque ad navigationem & bellica negotia opportunis cum omni solertia munierunt. Et jam dies aderat designata recessui, jam deducta classis per liquidas undas nabat, omnes dicturi vale suis abituri adveniunt. Plures ad quam sperabant divitem prædam ex omni parte festinant. Alii parentum dexteras abituri osculo appetunt; alii dilectas consortes, fratres, & filios amplexantur. Hi festinos reditus exigunt, illi spondent, ignorantes veruntamen quòd in futuris bellorum turbinibus plures erant in suis pollicitis defecturi. Scandunt itaque lætantes navigium, atque ad thesauros opulentissimi Imperii, aspirantes, & tandem adjuti nunc ventorum beneficio, nunc remorum, ad Constantinopolitana litora pervenerunt. Hanc utique urbem primùm à Pausania Spartanorum Rege legitur fuisse fundatam; quam propter loci amœnitatem, quin potiùs fertilitatem rerum & copiam quibus affluit, quod mamillam sonat, Byzantium nominavit; quò Constantinus Romanorum felicissimus Imperator, postquam urbem Romam Silvestro tunc pauperi pro Christi nomine tradidit, Imperii sui sedem transtulit, urbem mœnibus ampliavit, atque Constantinopolis nomen de nomine suo finxit. Hic Rogerius primùm ab Imperatore lætanter atque magnifice susceptus est, ac deinde dum contra Turcos prospera bella gessisset, imperiali generi per Imperatoris filiam matrimonio adjunctus est. Hic tandem cùm per alios etiam gradus ad Megaducis titulos ascendisset, stimulante invidia, quæ liventi oculo insidiatur felicibus, ab Imperatoris filio, qui erat illi sororius, in convivio trucidatus est.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXII.

De captione & carcere Ferrandi filii Regis Majoricarum, & Raymundi Montanerii.

REbus autem sic se habentibus Ferrandus Regis Majoricarum filius, vir magnanimus, armorum laudis, & gloriæ appetitor, dum in subsidium Imperatoris Romaniæ bella gereret contra partes Caroli Regis, & Brehennæ Comitis asserentis in eodem Imperio jus habere, in bello captus est; quem diu in vinculis maceratum apud Neapolim civitatem Fredericus Rex patruelis ejus per Nuntium gesturum sibi opportuna subsidia visitare constituit. Vadit itaque Raymundus Montanerii Nuntius Frederici Regis ad Ferrandum Neapolim, aliqua sibi ad consolationem & lenimenta carceris dona gerens. Hunc autem Montanerium Robertus vocatus hactenus Dux Calabriæ, qui jam per obitum Caroli Regis patris sui titulum regiæ dignitatis acceperat, unde causam conceperit incertum est, crudelibus tormentis effecit, prætendens nimirum, quòd Raymundus illetum eversionem civitatis Neapolis callidè attentabat, quem diu & usque in adventum Bernardi de Sarriano, quem propter eam causam Rex Aragonum ad eundem Robertum Regem transmisit longo squallore carceris maceravit. Ex quo factum est, quòd Reges ipsi causam suspectionis alter de altero assumentes, cœperunt tacitas querelas deponere, ac etiam in suis actibus adhibere cautelam.

Explicit Liber Sextus.

Digitized by Google

INCIPIT LIBER SEPTIMUS.

CAPUT PRIMUM.

De soluta pace inter Fredericum & Robertum Reges, & invasione Calabriæ.

SEd ne longa quies & diuturna segnities hebetaret ab odiis animos Siculorum, ecce parata est inter Fredericum & Robertum Reges causa dissidii, quam consideratis pacis conditionibus, uterque, forsitan sperans sibi meliora contingere, affectabat. Et ecce miseræ cicatrices in antiqua vulnera redierunt. Anno quidem Incarnationis Dominicæ MCCCXIII. expleto jam Anno duodecimo inter eosdem Reges pacis compositæ, vir magnanimus Henricus Septimus in Romanorum Imperatorem à Principibus Alamanniæ, ut antiqui moris est, jam electus, apud urbem Romam per Sacrosanctam Romanam Ecclesiam coronatus est. Hic autem asserens Robertum Regem esse vassallum Imperii, eum tanquam contumacem atque suæ imperiali coronationi apud eandem urbem per Johannem fratrem ejus & alios armata manu hostiliter, & multa effusione sanguinis obsistentem, plurésque civitates & terras ab Imperio suasione multiplici revocantem, hostem reipublicæ nominavit, & tamquam reum criminis læsæ Majestatis Cæsareæ sententialiter condemnavit. Denique omnes & singulas personas cujuscunque præeminentiæ vel honoris, etiamsi regia dignitate fulgerent, ex omni pacto & promissione dicto Regi Roberto factis sub quacunque verborum forma comprehensis absolvit, dictoque Friderico Regi, quem jam præfecerat Admiratum Imperii bellum eidem Roberto Regi indicere, atque terram, quam tenebat, invadere imperiali, qua fungebatur, auctoritate mandavit. Tunc itaque Fridericus Rex numerosam classem struxit, virisque suis bellatoribus Messanam undique convocatis, in Calabriam transfretavit, primamque inter alias Rheginorum civitatem potenter obsedit. Civitas ipsa post dies aliquos Regi paruit, Castrum verò adeò undique impugnatum est, quòd hinc superiora mænium innumeris sagittis operta sunt, illinc verò inferiora crebri arietibus quassabantur. Cùmque jam scalis appositis viri bellatores cum vexillis explicitis ascendentes & tubarum sonitus terrerent animos inclusorum, castrum in deditionem advênit. Nec te inexpugnabilem, & famosam arcem Calarnæ positam in sublimi prætteream, quam nisi tui Damiani de Palacio prudentia, quem sollicitum in hac parte faciebat affectio, interjectis pro parte deditionibus obstitisset, jam superatam insultibus Siculorum manus, sicut & de Mocca-Mori propinqua jam fecerant, rapuisset in prædam. Tunc equidem vicina castra Sancti Nichitæ, Syllæ & Balneariæ metuentia exponere se bellorum insultibus, & casus ambiguos experiri, ad Fridericum Regem per suos Nuntios concesserunt; omnisque propinqua regio, quam timor & tremor eorum, quæ agebantur, invaserat, non expectatis bellorum eventibus, sponte sese ipsius Regis Frederici dominio subdidisset, nisi eum ab his cœptis causa superveniens amovisset.

CAP. II.

De accessu Frederici Regis Pisas, & obitu Henrici Imperatoris.

POrrò dum talia per Calabriam gererentur, Manfridus de Claromonte Comes, quem Henricus Imperator festinanter ad Fredericum Regem transmiserat, regressus, inter alia reportavit, quòd Rex ipse tunc suspensa invasione Calabriæ cum parata classe apud Gajetam, civitatem, unde regnum Roberti Regis invadere cunctis viribus Imperii decreverat, quò etiam Lamba de Auria cum galêis Januensium convenire debebat, illico festinaret. Et sic invasio Calabriæ, quæ tunc facilis fuerat, non absque Dei nutu relicta est. Itaque signo dato classis à Friderico Rege repetitur, & per phari angustias lætis clamoribus navigatur. Cùmque apud Strongulum unam ex Æoliis Insulis classis regia feliciter navigans pervenisset, Palassinus Trussellus à Circio veniens, mœroris vultum gerens & habitum, Regem adiit, ipsumque Imperatorem apud vicum, quem vocant, Bonconventum juxta Senas vitam morbo dedisse cum lacrymis nuntiavit. Accipe nunc, quisquis in hac parte humanam sectaris industriam, quisquis regnorum vi es, elationes & depressiones Principum sub cœcis promissionibus mortalium inesse confidis, quoniam sub manu potentis Domini regna consistunt, & ipse est qui Goliam perdidit, & Petrum in fluctibus ne mergeretur erexit. Postquam verò Friderico Regi de obitu Imperatoris compertum est, accersitis qui cum eo erant regiis consiliariis, quid super hoc agendum esset ad examen in medium introduxit. Et alii quidem redeundum esse in Siciliam suadent, alii verò Pisas revisere, ubi partes Imperii residebant attonitæ tanto casu, quòd eas junctis viribus ad causam, quam contra Robertum Regem sub titulo Imperii assumpserant, animaret, congestis hinc inde ventosis argumentis & frivolis innuebat. Cùmque fuisset pro utraque partium diversis & pluribus confabulationibus disceptatum, ultimò eundum esse Pisas, quò videbatur magis Regis animus inclinari, conclusum est. Navigat ergo classis regia, nunc inimica litora populans, nunc ad designatum locum cursu, quo poterat, breviore contendens. Nec longo dierum tractu ad Pisarum litora peracta navigatione deventum est. Tunc Pisani, quamvis jam cœpissent inire pacis fœdera cum Lucanis, occurrunt Regi cives & quicunque Teutonicorum in eadem civitate resederant, pallium, quod dignitati regiæ congruit, præferentes, quorum unus non sinè vocis dolore & habitu coram Rege proposuit verbum dicens: *Domine cecidit corona capitis nostri*. Ad hanc vocem intonuit aër plangoribus & fœmineo ululatu repletus est; neque videre erant in tanta plebe cor durum aut cor immite, quod hunc casum, has lacrymas siccis oculis præteriret. Tandem qui verbum proposuit; *Bone Rex jube nobis quid velis*, in sermone conclusit.

Digitized by Google

CAP. III.

De reditu Frederici Regis in Siciliam.

REx verò postquam huic casui congruentem vultum & habitum demonstravit, evidenter intelligens partes alias adeò dispersas, adeò lacessitas, quòd restaurari non poterant, eo maximè, quòd major pars Theutonicorum percusso pastore discesserant, cùm vidisset etiam Pisanorum animos jam labentes, in Siciliam, quam securus insidiarum potentis hostis temerariè jam longo maris spatio post terga reliquerant, cursum suæ navigationis dirigere meditatus est. Itaque Fredericus Rex postquam corda mœrentium quantum valuit pio dulcique sermone linivit, ac se obtulit illis in suis necessitatibus adjutorem, illud Virgilii,

Quò fata trahunt retrahuntque sequamur

in hoc articulo reminiscens *Agite*, inquit, *fratres carissimi, sicut & qualitas temporis innuit, & volventis rotam fortunæ impetus se convertit*. Sic ergo relinquens Fridericus Rex Pisanos in manu consilii sui, classem repetiit in Siciliam rediturus. Tunc ab expertis nautis ventis vela commissa sunt, atque altum mare prosperè navigantes Sardiniam Insulam contigerunt; ubi cùm ventis flantibus in adversum diebus aliquibus resedissent, spiranti post hoc Favonio vela pandunt in optatam Siciliam profecturi, quam incautè (tempore) longo derelictam ardenti animo non immeritò sitiebant. Et jam potiorem partem navigationis expleverant, jam Favonianam Insulam adjacentem ab Occasu Siciliæ lætis oculis prospectabant, cùm subitò assurgens subsolani flatus terribilis in objectum classem dispulit; quæ non sinè magnis laboribus atque periculis, qualia multa solent navigantibus in procella & tempestate contingere, iterum in Sardiniam receptata est; ubi connumeratis qui præterierant quadraginta uno diebus dura quidem laborans inedia ventis oppositis classis ipsa nec utilem sibi, nec placidam moram traxit. Sed Dei bonitas, quæ sperantes in eum nullo unquam tempore derelinquit, bene tunc Friderico Regi Siculisque consuluit, cùm ventis prosperè flantibus ad Drepani litora in Siciliam appulsi sunt, & Robertus Rex classem, quam dirigere contra Siculos decreverat, paratam adhuc sulcare maria non habebat. Opus est hìc longum sermonem effundere quanto gaudio, quasi olim perditum, redeuntem Fridericum Regem Siculi receperunt, cùm per universa loca possessa cultoribus audito ipsius reditu festiva gaudia celebrata sunt.

CAP. IV.

De adventu Roberti Regis contra Siciliam, & responso spiritus.

QUum Robertus Rex omnem classem omnemque numerum bellatorum, quem in objectum Imperialis potentiæ dudum paraverat, contra Fridericum Regem post Imperatoris obitum convertere in Siciliam statuisset, nihilominus antequam frustra pluries attentatum hoc iter sollicitudinis & laboris invaderet, nonnulli ex Collateralibus regiis desiderio desiderantes in eo casu ventura prænoscere, quid futurum erat eidem Regi à spiritu scisciti sunt. Ille verò non ignorans astutias elencorum respondens, inquit; *Siciliam capiet, ejusque spolia reportabit*. Quod verbum Rex ipse Regisque consiliarii, sicut videbatur ad literam cum gaudio susceperunt. Itaque vere novo parata classe multiplici armis frugibusque conferta, innumeram multitudinem bellatorum pluresque magnates, præcipuè Philippum Tarenti Principem Raymundum Berengarii fratres & consortem thalami secum ducens Anno Domini MCCCXIIII. de mense Augusti ad ea Siculorum litora, quæ inter castrum Carini & castrum ad mare de Gulfo media sita sunt Robertus Rex potenter & magnaminiter declinavit. Tunc viri bellatores per hostiles terras prædæ soliti discurrentes inter alia, quæ sibi ad prædam de hostibus evenerunt, mulierem quandam de Alcavio cum exili & pannosa suppellectili, quam sibi humilis fortuna concesserat, ad montana præsidia lentis passibus fugientem subitò invasere, illamque ad Robertum Regem quasi primùm belli exenium adduxerunt. Qui anxius nosse per eam aliquid de conditionibus Siculorum cœpit priùs de mulieris nomine percontari; quæ cùm se vocari Siciliam pavidè respondisset, recordatus est Rex oraculi, quod venturus acceperat, evidenterque agnovit se fuisse ab illo, qui cum Principe suo ab ipso Mundi principio mendax est, in Siciliæ nominis æquivocatione deceptum. Obsedit nimirum Robertus Rex castrum ad mare, de quo sermo præcessit; & cùm simularet paratis turmis inferre bellum contra castrum, Raymundus Blancus cui Fridericus Rex custodiam ipsius castri commiserat, pollicitis & quæ plurimùm est inimica virtutibus, oblata pecunia superatus, etiam suadente Berengario Corrocii, qui cum Roberto Rege tunc erat, non expectatis bellorum insultibus castrum dedit, atque ad Fridericum Regem, sperans non proditurum in publicum quod in secreto commiserat, vestigia non verecunda fronte direxit; Rex verò illum tamquam proditionis reum, cum tribus etiam, qui secuti fuerant eum ad facinus, capitali sententia condemnavit.

CAP. V.

De obsidione Drepani.

RObertus Rex postquam deditum sibi castrum ad mare, quod dictum est, electis bellatoribus stabilivit prout loci situs & negotii qualitas exigebat, castra movit ad propinquam sibi terram Drepani (quam) terribili duraque obsidione vallavit, adeò illam artans marino exercitu & terrestri, quòd si cum obsessis civibus Dædalus tunc fuisset, revera non nisi alarum beneficio evadere potuisset. Tunc Fredericus Rex, ne in extremis oris Siciliæ positus, hostiles exercitus depopulaturus vicinos agros nullo contradicente discurreret, obsessoribus ipsis insidias, & contraditionis cautelam opponere prælegit. Itaque convocatis undique majoribus aliisque viris bellatoribus regni sui, præcipuè Ferrando Regis Majoricarum filio, de quo paulò ante sermo præcessit, ad Erycinam sedem, quam moderni Montem Sancti Juliani vocant, castra perduxit. Hic autem locus, si vera sunt quæ tradit antiquitas, ab Eryce viro potentissimo, quem Hercules in ludo cæstuum ad radicem ipsius montis vita privavit, Erycis nomen habet; in cujus vertice Dux Trojanorum Æneas Italiæ regna petens, dum per extremas oras Siciliæ jussu Heleni præteriret, matri suæ Veneri templum fecit, in quo genitoris sui Anchisæ, qui apud Drepanum obierat, reliquias se-

Digitized by Google

sepelivit; atque post anni circulum Carthaginem rediens, urbem in eo monte fundavit, quam de Regis nomine vocavit Acestam. Unde factum est quòd ii, qui contra Drepanum castra servabant, non absque periculo poterant ab obsidione discedere atque vicina litora peragrare. Nec te Galeatem armipotentem virum indictum præteream, nec tuæ temerariæ magnanimitatis casus silentio prætermittam. Hic nimirum assumptis armis insignibus contra civitatem obsessam, cùm adhæsisset aggeri vel mœnibus civitatis, declinans ab equo proprios comites in castra remisit, atque solus existens hostes in certamina invitavit. Venerunt itaque contra eum primo concursu sex viri clypeati sua quisque gerentes missilia; qui tela in hostem eminus jacientes, tandem ausi sunt illum cominus gladiis attentare. Hic verò clavam rotans, quam Galli cateyam vocant, hunc à dextris sternit, illum rejicit à sinistris. Nec mora, totidem ex mœnibus secundò & tertiò convenerunt. Ex quo factum est, quòd hinc unus, illinc verò multorum turma pugnarent. Diu quidem inter eos arma tentata sunt. Miles illæsus constitit; Sed & ex turma plurimi perierunt, ita ut cives ipsi spectantes & numero & viribus inæqualem pugnam ex mœnibus mirarentur, atque assererent Entellum ejusdem regionis potentissimum, quem commendat antiquitas, suscitatum nostris temporibus vidisse pugnantem. Postquam verò potentem virum viribus superare non poterant, ad artes animos converterunt. Itaque clam super mœnibus adjunctum instrumentum ferreum, quod arapacem vocant, & teloni appositum in hostem impellentem turbam sub mœnibus injecere; quem denique captum atque subitò suspensum, non viribus sed ingenio prostraverunt, & licèt prostratum, quem viventem habere non poterant, per diversa vulnera peremerunt; cujus nobile corpus Robertus Rex multo magnoque pretio redemisset, nisi propter trunci deformitatem, qui obsessi erant, ne indignationem Regis graviùs provocarent, illud reddere communicato consilio negaverunt. Rebus autem sic se habentibus, hyberna tempestas invaluit. Ex quo infelix plebs inter nulla vel rara miserandaque tuguria cœperat ab influentibus imbribus languores concipere, diminutisque frugibus metuenda nimis populorum rectoribus inedia laborare.

CAP. VI.

De processu classis Frederici Regis contra classem Roberti Regis, & recessu ejusdem Roberti de Sicilia.

TUnc Fridericus Rex, cùm vires hostium jam confractas debilitatasque malitia temporis & egestate plurima comperisset, classem, quæ dudum subducta in litoribus Messanensium consistebat, armari jubet, omnino decernens hostes ipsos hinc marinis, illinc terrestribus insultibus uno eodemque impetu attentandos. Jussa Regis non segniùs acceptata sunt, & eo præsertim, quia liberationem patriæ innuebant. Johannes de Claromonte, qui tunc Admiratiæ officio fungebatur, classem in sexaginta quinque galêarum numero consistentem ex portu Messanensium ad Panormitana litora counivit. Scandunt itaque Siculorum rates, præter turmas & deputatum numerum bellatorum, plures alii nobiles electi viri, atque signo dato ad Drepanensium litora, ubi classis hostium in longè majori numero, sed undis emerita consistebat, lato navigationis cursu & celeumatibus festinabant. Jam extremam oram litoris, quam Caput Sancti Viti vocant, Siciliæ rates prosperè navigantes contigerant, plureſque ex eis in sinum Bonachiæ magis propinquum hostibus, unde videri ab utriusque Regis exercitu poterant, declinabant. Jam Fridericus Rex paratum ducens terrestrem exercitum contra hostes per montis declivia procedebat. Jam Robertus Rex, qui per exploratores suos adventum inimicæ classis ante conceperat, ac descendens inimicum agmen è montibus expectabat, de tuenda classe, in qua consistebat spes totius exercitus, disponebat; quamquam velut homo, qui plurima legerat, & quod in eo vigebat ingenium ad plurima dirigebat, non immemor operis, quod Xerxes in Hellesponto fundaverat, palis tabulisque congestis de litore ad classem pontem construxerit, per quem terrestri agmine suis ratibus faciliùs subveniret. Non tamen hoc esse poterat universæ classi tuta defensio si bellum inter partes conferi contigisset; quoniam propter sui multitudinem classis Roberti Regis, quæ dispersa in diversis partibus consistebat, non potuisset omnino ad locum defensionis uniri. Sed longè nimirum ab istorum Regum proposito aliter atque aliter decretum fuerat ante tribunal æterni Judicis cuncta cernentis. Res mira & recolendæ memoriæ non indigna! Ecce quidam ventus ab Austro, quem Græci Nochum vocant, subitus & violentus insurgens omnem Siculorum classem, quæ dudum Bonachiæ sinum contigerat, in propinquum naufragium ad litora repellebat. Tunc itaque cœperunt alii validis remis incumbere, alii tenaces anchoras jacere, si possent hujus tempestatis impetus quocunque remedio superare. Cùmque videretur eis frustra cum furentibus ventis contendere, ac cœpissent rates aliquæ naufragari, Gubernator, qui in puppe signifera præsidebat, in Johannem de Claromonte ducem classis dirigens verbum ait: *Vir magnanime, cui magis incumbit honor, &, quod absit, opprobrium classis hujus, ecce nunc dispositæ sunt universæ rates periculis, ecce dum paramus sævientibus ventis obsistere, direpti fluctibus trahimur in naufragium & ruinam. Nulla quidem superest nobis sub tanto turbine spes ulteriùs procedendi, neque hìc etiam sub hac tempestate valida residere possemus. Cedamus ergo ventorum sævitiæ, atque pro salute nostra, quò flatus nos revocant, redeamus priusquam damnosum Regi cunctisque Siculis in hoc loco naufragium patiamur.* Nec plura signiferam puppim cedentem sævientibus ventis & fluctibus universa classis passis velis prosequitur, ac brevi cursu velificans, non tamen subjecta spe repetendi hostes, in Panormitanis litoribus receptata est. Cùmque universæ galêarum turmæ cœpissent inedia laborare, nec esset ex tot opulentis viris Siciliæ qui cum Rege tunc aderant, qui vellent ei, jam exhausto Regis ærario, pecuniam in eo casu necessariam mutuare, unde solùm turmis nautarum egentium vel exigua præstare stipendia, vel saltem in victu modico subvenire, ceperunt nautæ classem deserere ac expensis dominantis formidine famisque periculo, quia plebs jejuna non metuit quò victum sibi quæreret peragrare. Tunc etiam Friderico Regi non solùm spes finalis victoriæ, quam de facili habere sperabat, sublata est, quin immo vilis egestas frugumque penuria tunc apud Erycinum montem in castris ejus accessit. Domitis itaque his Regibus Dei nutu miroque judicio auctore Fer-

Ferrando Regis Majoricarum filio per mediatores & Nuntios, Robertus quidem per Thomam de Marchiano, Fridericus verò per Riccardum de Passaneto Comites & viros egregios treugas trium annorum, mensium duorum & dimidii pepigerunt. Denique Robertus Rex cum suis classem, quam invênit aptam navigio, repetens abiit, quamvis in obsidione plures morbo & in reditu Gerardum Coriliani Comitem & plures alios naufragio perdidisset. Quos autem capere classis illa non potuit, Fridericus Rex usque Messanam terrestri agmine abire permisit, unde alios vasa parata navigio in Calabriam transtulerunt. Fridericus verò abeuntibus hostibus ad loca minùs carentia frugibus se convertit.

CAP. VII.

De expugnatione castri ad mare de Gulfo.

PRiusquam verò pacta inter Regis ipsos treugarum tempora laberentur Robertus Rex in proposito perseverans, ne nullum tempus vacuum operi bellorum & odiis (*) linqueretur, qua Siciliam repeteret, classem struxit, cui Thomam de Marzano Comitem Squillacii virum armipotentem & strenuum bello præfecit. Itaque post finitum terminum treugarum annorum trium mensium duorum & dimidii, quos superùs expressimus, Thomas velificari contra Siciliam se parabat, ut & iis, qui castrum ad mare de Gulfo servabant, quos Fridericus Rex statim jam lapso tempore treugarum obsederat, subveniret, & quæcunque posset contra Siculos bella moveret. Nihilominus ut damnosam quandoque moram Rex ipse præcideret, quòd obsessis in castro succurrerent, duce Rogerio de castro Cucco galêas triginta duas in Siciliam prævenire mandavit; quæ non segniùs navigantes, ad litora inter Milacium & Oliverium ventis non prosperè flantibus appulsæ sunt. Frustra verùntamen ab illis in subsidium castri ad mare de Gulfo perventum est, quoniam Fridericus Rex castrum illud jam pluribus & diversis undique machinis conquassatum, variisque bellorum insultibus superatum, funditus evertebat. Audientes itaque rem gestam qui cum galêis erant, Neapolim, unde venerant, redierunt, eversum penitus castrum in cujus subsidium præmissi tunc fuerant reportantes.

CAP. VIII.

De adventu Thomæ de Marchiano contra Siciliam, & bello ad mænia Marsaliæ.

ANno Domini MCCCXVI de mense Augusti Thomas de Marzano Comes prædictus vênit contra Siciliam in classe multiplici & potenti exercitu bellatorum; primùmque ad litora Marsaliæ, quæ juxta Lilybæum promontorium sita est, declinavit, terramque ipsam acri bello marino atque terrestri potenter appetiit. Sed obsistentibus Francisco de Vintimilio Comite Giracii, & Giliberto de Abellis, qui festino ingressu ad locum de nocte prævenerant, nihil potuit sibi in eodem bello proficere, nihilque notabile civibus damnosum inferre. Abiit itaque Thomas de Marzano Comes cum terrestri exercitu linquens inoffensam bello Marsaliam. Classis verò ad litora castri ad mare, de quo sermo præteriit, regressa est.

(*) *fortè* otiis.

CAP. IX.

De discursu Thomæ de Marchiano per Siciliam, & ejus reditu.

CUmque verò Thomas ipse, quem sperabat eventum de Marsalia non vidisset, suadentibus Thoma de Leontio & Thoma de Procida viris utique bellis assuetis, quos Robertus Rex cum eodem Comite Capitaneos militiæ præfecerat, terrestri agmine contra Salem, quæ in montanis locis sita est, castra direxit. Et quamquam locus ipse viribus expugnari non posset, nihilominus quibus abundat frugiferas arbores, vites, & virgulta vastavit, molendina diruit, animalium greges & armenta prædatus est, ac deinde in segetem ignem misit. Unde castra movens, contra oppidum, quod castrum veteranum vocant, quamquam relictum ab incolis, tamen victualibus non exhaustum, iter invasit. Interea mille verò pedites, cùm exercitus Roberti Regis Marsaliam discedebat, in semitis viarumque inter dumos plurimæ sunt oberrantes, usque pontem Mazariæ, credentes recto calle sequi præcedentis exercitus vestigia, perrexerunt. Tunc verò quatuor Almugaveri ex illis mille peditibus clanculum transfugientes Mazariam, causam erroris peditum retulerunt. Itaque Bartholomæus de Siginulfo Comes, qui olim urgente metu Philippi Principis Tarenti ad partes Frederici Regis transfugerat, & Bartholomæus de Monte-aperto, qui defensione Mazariæ præsidebant, centum, qui aderant, secum ducentes viros in equis armigeros, sese contra turmas peditum direxerunt. Illi verò tam erroris viæ, quàm inopinato concursu hostium consternati cœperant terga convertere; cunctaque de facili veniebant in prædam, & jam universa jumenta, quæ gerebant eis expedientia, reliquerant, jamque arma gravia deponebant. Sed cùm vilis & periculosa nondum finito bello prædæ cupiditas manus quorundam ex militibus ad spolia convertisset, exorta est inter eos tanta furialis perturbatio animorum, quòd plures, relictâ causâ, justi belli quod habituri erant cum hostibus, in se ipsos hostiliter concurrebant. Ex quo factum est, quòd pedites illi; relictis paucis ex eis per amfractus & devia nullis persequentibus abierunt. Dum hæc fierent, ecce aliam turmam peditum, quæ paulò ante de castris Thomæ Comitis egressa fuerat prædam sub noctis tenebris quæsitura, regredientem cum quibusdam captivis & spoliis Siculorum incautè ad locum, ubi sedato tumultu milites residebant, casus inopinatus adduxit: qui agnoscentes se ad manus hostium incidisse, quia nec meditari fugam, nec victoriam sperare licebat, minùs periculosum assumpserunt in misera desperatione consilium. Solverunt namque dura vincula captivorum hostium, quos ducebant, & se illis præbuere captivos, orantes ab eis protegi, ne ab aliis imminentibus hostibus, qui in equis aderant, facto in eos impetu forsitan deteriora carcerum paterentur. Non ergo frustra scriptum est:

Nescia mens hominum sortis cladisque futuræ.

Comes autem apud Saccam cum terrestri exercitu iter agens turrim positam inter castrum Veteranum & Saccam, quam *Burgetti* vocant, nolentem in deditionem concedere, circumquaque viriliter impugnavit. Sed qui turrim serva-

Digitized by Google

vabant, quamquam exigui numero, vitam pro salute ac laudibus disponentes, tanto potenter tantoque magnanimiter obstiterunt, quòd à gladiis impugnantium hostium salubriter evaserunt. Abiit ergo Comes æstuans, quoniam turrim illam primo insultu capere sinè difficultate sperabat. Cùmque ad jam dicti castri ad mare litora pervenisset, ubi præmissa classis præveniens ejusdem Comitis præstolabatur adventum, Comes ipse cum terrestri exercitu classem repetiit; nec longo circuitu navigans, in Panormitana litora declinavit, ubi segetibus ignem imposuit, frugiferas vites, arbores & plurima pretiosa virgulta succidit, omnemque Panormitanorum substantiam, quam ex ea parte extra urbem invenerat, convertit in prædam. Tunc quidem ingentes palmæ, quæ juxta pontem Admirati erant, longè præteritis inoffensæ temporibus, deletæ sunt; quas neque dives palmarum Idumæa regio in proceritate vicisset, nec Gerbarum Insula coæquaret. Deinde ad promontorium Solanti Comes terrestri agmine iter agens, in classe receptus ad Messanensium litora profectus est, ubi aliqua damna eis intulit in dilectis eorum vineis & virgultis. Tunc Fridericus Rex, qui aderat, classem, quæ in portu Messanensium religata jacebat ad litus, armari sinè interpolatione mandavit, per quam hostibus marinum bellum inferre parabat, vel forsitan callidè hoc agebat, ut & Messanenses ipsos magis patientes damnorum redderet & hostiles manus à vastatione agrorum sub eo titulo amoveret. Cùmque jussu Regis negotium ageretur, Comes terrestre agmen in classem repetens relictâ Siciliâ, in Calabriam apud Rhegium declinavit. Unde vel quia non elegerit disponere fessam longo navigationis tempore commissam sibi plebem periculis, vel fortè dominus ejus non attentare cum Siculis marinum bellum edixerit, quamquam armorum laudibus experimentis plurimis gloriosus, tensis velis Neapolim, unde venerat, regressus est.

CAP. X.

De Legatis Summi Pontificis ad Fredericum Regem, & eorum petitione.

ANno ab Incarnatione Domini MCCCXVII. post Clementem præsedit in Ecclesia Sancta Dei Johannes vicesimus secundus. Hic verò anno altero præfectionis suæ (misit in Siciliam (*) Trecensem Episcopum, Stephanum Sancti Maximiani Abbatem, & Petrum Textorem, viros quidem strenuos & calliditate plurima circumfultos, (qui) ad Fridericum Regem tunc Messanæ longa ducentem otia pervenerunt. Rex illos tamquam Legatos Sacrosanctæ universalis Ecclesiæ quocunque decuit honore suscepit. Tunc unus ex eis non ignarus verba componere causam dissidii præmissorum Regum ab ipsis primordiis succinctè repetens, nunc unum, nunc alterum arguit, & tandem summam commissæ Legationis expressit, civitatem Rhegium & castra, quæ in Calabria Fridericus Rex occupaverat, ad manus Ecclesiæ resignari, servanda per eam usque ad pacem in proximo componendam compto sermone poposcit, adjiciens ut in designato die ad eundem Summum Pontificem, quò etiam Robertus Rex convenire debebat, Fridericus ipse propulsis dubiis transfretaret, pacem utrique parti, auctore Domino, convenientem & placidam recepturus. Cùmque Legati finem imposuissent, Rex Fridericus se nunquam fuisse causam dissidii pacemque cum omnibus Christianis maximè cupientem testatus est. *Sed quam*, inquit, *pacem Summus Pontifex se daturum nobis constituit?* Illi quidem exiguum artumque fretum quod Siciliam Insulam ab Italia separat ostendentes, dixerunt ei. *Summus rerum opifex, qui antequam fierent cuncta disposuit, nihil frustra nihilque in cassum operatus est. Erunt itaque hujus maris angustiæ, quas videmus, limites & termini regnorum vestrorum, alterum ab altero separantes. Esto ergo quisque contentus finibus, quos constituit manus Dei. Veruntamen quia tractatus pacis hujusmodi non exiguo tractu temporis indiget, inducias annorum trium inter vos, & eundem Regem Summus Pontifex, & competens utriusque Judex reverendus Pater indicit.*

CAP. XI.

De assignatione civitatis Rhegii, aliorumque castrorum facta Legatis Summi Pontificis.

TUnc Fridericus Rex pacem, quam Legati spondebant cordis alacritate concipiens, accersitis regni Consiliariis summam legationis ad examen in medium introduxit. Alii quidem parendum Summo Pontifici, nihilque de suis pollicitis hæsitandum esse proponunt. Alii verò: *Tene quod habes, ne alter occupet locum tuum, cum Johanne concludunt.* Cùmque fuisset hinc inde ad utramque partem longis disceptationibus altercatum, sive minùs perspicacis consilii defectu contigerit, sive à disponente omnia propter peccata populi, ut magis affligeretur Sicilia, fuerit sic permissum, instantibus etiam Arlando de Torriliis Nuntio Jacobi Regis Aragonum, & Berengario de Mura Regio Archidiacono Saccinæ Nuntio Reginæ Portugalliæ dictorum Jacobi, & Friderici Regum sororis ad hos seriò destinatis, Fredericus Rex his, qui jussionibus atque pollicitis Romanæ Matris Ecclesiæ Pontificis parêre atque intendere suadebant, quamquam Siculis periculosos casus prætenderent, finaliter acquievit. Accitis itaque Damiano de Palicio & Fratre Peregrino Mazeriensi Episcopo, jubet illos in Calabriam transfretare, atque civitatem Rhegium & castra, quæ habebat in Calabria, Legatis ejusdem Summi Pontificis resignare. Tunc Damianus, qui alteram partem in consiliis tenuerat, quamquam non libenti animo, jussa tamen Regis prosequitur, & cum collega Episcopo in Calabriam profectus est. Cùmque essent in civitate Rhegii considentes in hospitio Legatorum, unus quidem Messanensis Manfridus Lardea nomine vidit ad angulum domus literas per frusta minima laceratas atque dispersas, quas clanculum colligens & discretè componens invênit illas dictantes Robertum Regem orare Legatos eosdem, ut civitatem & castra quamprimum, à Friderico Rege susciperent, certis Capitaneis, Castellanis, & aliis armigeris, quos tunc ipse clam seriò miserat, assignarent. Cùmque Manfridus ipse fragmentis compositis literas eidem Damiano velociter indicasset, Damianus nova suspectione percussus literas ad Fridericum Regem consutas & frusta transmisit orans & suadens, ne civitas & castra dictis Nuntiis redderen-

(*) Vide Raynald. Ann. 1317. §. 17. & seqq.

rentur. Sed Fridericus Rex turbatus animo brevi sermone respondit ut Damianus jussa Regis perficeret, quoniam ab eis, quæ promiserat, nullatenus resiliret. Factum est itaque sicut jussa Regis urgebant. Assignata sunt civitas Rhegium & castra Legatis, quæ Legati ipsi ministris dicti Regis Roberti absque plurimo intervallo temporis & contradictione aliqua tradiderunt. Unde Siculi & præcipuè Messanenses propter vicinitatem loci, per insidias plurima damna perpessi sunt. Post hæc Legati per Calabriam iter agentes ad Summum Pontificem, unde venerant, redierunt. Damianus verò cum collega in Siciliam regressus est.

CAP. XII.

De Legatis Frederici Regis ad Summum Pontificem.

HIs autem exactis cogitur apud Fridericum Regem iteratò consilium, si expediebat illum pro tractatu pacis, quam Legati prædixerant, ad eundem Summum Pontificem tendere, vel alium suo nomine destinare. Cùmque jam fama crebresceret Robertum Regem ad eundem Pontificem non iturum, ut casus plurimi, qui poterant eidem Friderico Regi per tanta maris terræque discrimina fortasse contingere, de medio tollerentur, mittendos esse solemnes pro eo Nuntios universi Consiliarii convenerunt. Itaque rates quinque remorum agiles in portu Messanensium paratæ sunt. Franciscus Panormitanus Archiepiscopus & Franciscus de Vintimilio Comes magnæ auctoritatis & prudentiæ viri Legati ad hujus pacis tractatum omni Regis auctoritate suffulti transmissi sunt. Vadunt itaque ad conspectum Apostolicæ Sedis Nuntii memorati, & post præstitam, quæ debetur tantæ Sedi, reverentiam, promissam à Legatis suis pacem Summum Pontificem pro eorum domino poposcerunt. Tunc illis à Summo Pontifice responsum est ut in designatum diem, quem Pontifex ipse præfixerat, vel Roberti Regis, vel sui Nuntii præstolarentur adventum. Medio autem tempore, cùm Franciscus Comes jam captata familiaritate Pontificis coram eo quædam domesticè contulisset, progenitores per maternam lineam ejusdem Friderici Regis inquisitione Regni Siciliæ plurima bellorum pericula fuisse perpessos adjecit. Tunc Johannes Summus Pontifex eundem Franciscum Comitem, quamvis renitentem, hanc lineam resignare modesto sermone coëgit; ac ille post inauditam excusationem multiplicem sic orsus est.

CAP. XIII.

De genealogia Frederici Regis per maternam lineam, quam narrat Franciscus de Vintimilio Comes jubente Summo Pontifice.

„ BEatissime Pater Normandus quidam genere nobilis & virtute præclarus Trancredus nomine Moriellam consortem habuit, ex „ qua filios quinque suscepit; post cujus Moriellæ obitum superinduxit alteram Fressendam „ nomine, quæ plus altera fœcunda sobole „ septem filios eidem Trancredo peperit & nutrivit, quibus omnibus adultis, Rogerio tantùm impubere qui ultimus ex Fressenda susceptus est, patris substantia non videbatur „ sufficiens, ut suo genitori congruebat. Vene-

A „ runt itaque in Calabriam & partes Ducatus „ Apuliæ ac Principatus Capuæ, ubi audiverant inter Principes regionis bella geri, quòd „ acceptis à Principibus illis stipendiis militaribus viverent quinque de fratribus illis, videlicet Robertus cognomento Guiscardus, „ Guillelmus Brachea-Ferrea, Hunfridus, Drogo, & Rogerius minimus inter fratres. Sed „ ne longis vos morer, Beatissime Pater, ambagibus, Deo volente sic actum est, quòd „ cùm plurimis ambiguisque bellorum eventibus sese magnaminiter credidissent, in actu „ militiæ claruerunt, famaque volatilis nuntia „ plurimorum diffusa percrebuit, unde laudes „ & gloriam in propinquis & remotis provin-
B „ ciis adepti sunt. Rebus itaque fratribus ipsis „ prosperè succedentibus, rem arduam & „ ultra eorum vires difficilem in Dei nomine „ quadam præsumptione laudabili attentarunt. „ Insulam quidem Siciliam, quam infideles „ Mauri de manu Græcorum extortam, longo- „ que tempore occupatam in opprobrium Christianæ religionis & Fidei opprimebant, de „ manibus illorum eruere atque in cultum & „ titulos Christiani nominis & honoris, quos „ immundus Barbarorum ritus hactenus contagiosè fœdaverat, si concederet illis Altissimus, revocare; tantisque ausibus felix & nimiùm felix Deo volente successus evênit. „ Post multa quidem bella, post hyemes, post
C „ acerbæ famis pericula, post inæquales con- „ flictus, in quibus illos miraculosè Dominus „ protegebat, de Infidelibus Christi gloriosum „ triumphum consecuti sunt, habueruntque in „ Sicilia & Calabria dominatum, & tandem „ reliquis fratribus vel morbo, vel casu cedentibus, Rogerius ille quem superiùs minimum dixeram, Comes Siciliæ atque Calabriæ „ constitit; cujus filius, Rogerius nomine, post „ patris obitum sua virtute suaque magnanimitate proficiens, Ecclesiæ ac gentibus prædilectus, majores nido pennas extendit, atque „ in Panormitana urbe, quam ipse primus Christianorum Principum, licèt ante Metropolim, „ regiæ dignitatis in Sicilia suscipiendæ coronæ
D „ sedem constituit, sub Honorio Sacrosanctæ „ Romanæ Matris Ecclesiæ Pontifice coronatus „ est. Regnavitque post eum Guillelmus filius „ ejusdem Rogerii Regis, sublato priùs de „ medio Rogerio majore natu, qui adhuc vivente patre regni diadema susceperat; ac „ deinde post patris obitum Guillelmus secundus primi Guillelmi filius, qui plures cathedrales Ecclesias in Sicilia per eos in Dei „ laude fundatas opulenter atque nobiliter de „ regni substantia dotaverunt. Sed Guillelmo „ secundo nulla prole legitima de se vel genitore suo superstite obeunte, Tancredus primi Guillelmi naturalis filius, Amulium Ro-
E „ manum, qui postquam Numitorem fratrem „ suum regno pepulerat, filiam ejus Rheam „ nomine adimendi partus gratiâ vestali collegio dedicavit, in hac parte secutus, Constanciam sororem suam filiam dicti Guillelmi „ primi, quæ sola naturalis atque legitima „ proles de stirpe Regum illorum supererat, „ Ecclesiæ claustro commisit, regnique diadema „ nullo prohibente suscepit. Tunc Panormitanæ urbis Archiepiscopus, quem usque in hodiernum diem fama commendat, Gualterius „ nomine, qui jam dictæ Constanciæ per lineam sanguinis attingebat, injustam occupationem regni molestè gerens, clam ad Apo-

sto-

Digitized by Google

„ stolicæ sedis exquisita consilia & invicta præ-
„ sidia confugiens, Henrico tunc Romanorum
„ Imperatori eandem Constanciam tradendam
„ in conjugem, quam sequebatur dotale re-
„ gnum Siciliæ, impetravit. Commisit itaque
„ Archiepiscopus in hac parte furtum lauda-
„ bile, atque, ignorante Tancredo, ad Henri-
„ cum Imperatorem de Sicilia in Alamanniam
„ transportavit. Nupsit jamdicta Constancia
„ Henrico Imperatori. Et quamvis ad suæ
„ jam sterilitatis tempora pervenisset, Deo vo-
„ lente, concepit & peperit filium nomine Fri-
„ dericum. Tunc Henricus de Constancia le-
„ gitima prole suscepta bis regnum Siciliæ in-
„ vadere attentavit, bis verò ab eodem Tan-
„ credo repulsus est. Denique, sicut & alibi,
„ judicium in hac parte divinum apparuit.
„ Nam Tancredus obiit. Henricus verò cum
„ consorte thalami & Friderico filio in regno
„ diligenter susceptus est. Non tamen Prælati
„ Ecclesiarum Siciliæ, aliique Magnates, qui
„ coronationi dicti Tancredi consenserant, pro
„ temeritate infidelitatis ultionis judicium eva-
„ serunt; quoniam Henricus plures ex eis igne
„ ferroque delevit. Quamquam aliqui de Con-
„ stancia & Tancredo legisse referant, quòd
„ Guillelmus primus, cùm uxor ejus somniasset
„ eandem Constanciam filiam suam peperisse
„ draconem, qui regnum Siciliæ devorabat,
„ indicebatque in Orbe tumultum, augures
„ interpretes somniorum consuluit; tandem
„ responso perterritus, Constanciam non esse
„ tradendam viro decrevit, ipsumque Tan-
„ credum successurum fratri, si absque liberis
„ decederet, solemni testamento mandavit.
„ Postquam verò Henricus Imperator de medio
„ sublatus est, Fridericum superstitem de stirpe
„ Regum Siciliæ per maternam lineam proce-
„ dentem non solùm Regem Siciliæ, verùm
„ etiam post ipsius afflictiones plurimas ad Im-
„ perialem apicem Ecclesia Romana provexit.
„ Post cujus Friderici obitum Conradus filius
„ ejus successit in regno, & post eundem Con-
„ radum Henricus, qui sinè prole decessit,
„ ac deinde Manfridus Tarenti Princeps; tem-
„ pore cujus Manfridi Carolum tunc Provinciæ
„ Comitem de stirpe Francorum in eodem re-
„ gno Ecclesia Romana præfecit, qui jam di-
„ ctum Manfridum Regem, & post eum Con-
„ radinum filium dicti Conradi commissis bellis
„ vita regnoque privavit. Sed forsitan propter
„ delicta patris, filiis & nepotibus ejusdem
„ Friderici, qui plures erant, brevi tempore
„ subtractis de medio, iterum ad mulierem
„ ipsius regni successio de necessitate pervênit,
„ quoniam ex Manfrido Rege superstiterunt
„ Constancia & Margarita. Nam Frideri us,
„ qui per fugæ subsidium carcerem Caroli Re-
„ gis evaserat in Ægypto, Henricus quidem in
„ eodem carcere non relictis liberis obierunt.
„ Constancia verò major natu Petro Regi Ara-
„ gonum tradita genuit Alfonsum, Jacobum,
„ Fridericum, & Petrum, qui Petrus adole-
„ scentulus de medio sublatus est. Anno ve-
„ runtamen decimo septimo regiminis dicti
„ Caroli Regis cùm immanitatem Gallorum
„ Siculi perferre non possent, & Rex ipse no-
„ centes atque improbos corrigere non curaret
„ apud urbem Panormitanam, quasi cœlitus
„ accepissent facto tumultu inter populares ali-
„ quos, *Moriantur Galli* clamatum est. Ex
„ quo contigit, quòd plurimus Gallorum sanguis
„ effusus est, & ante unius mensis curriculum
„ civitates, castra, munitiones, & quælibet
A „ etiam inexpugnabilia loca regni Siciliæ per-
„ diderunt. Quo casu tum Siculi animati suc-
„ cessibus, & de immanitate Regis Caroli
„ metuentes, Petrum Regem Aragonum apud
„ Ancollem gerentem bella contra Barbaros,
„ in Siciliam vocaverunt. Vênit itaque Rex
„ Petrus cum paucis; ipsoque Siciliam decli-
„ nante, res mira! idem Rex Carolus Princeps
„ magnanimus, qui contra Theutonicos bis
„ commisso bello claruerat, non expectato
„ paucorum etiam Almugaverorum congressu
„ Siciliam dereliquit. Dum regnaret autem
„ post obitum Petri Regis Alfonsus in regno
„ Aragonum, & Jacobus in Sicilia, Alfonsus
„ non suscepta prole decessit. Vocatus est ita-
B „ que Jacobus ad sceptrum Aragonum. Et
„ cùm renuntiasset in manu Ecclesiæ Carolique
„ secundi juri, quod habebat in regno Siciliæ,
„ quod vestra Sanctitas non ignorat, etiam vi-
„ gore testamenti, quod in ultimis suis pater
„ condiderat, Fridericus dominus meus ejus-
„ dem regni Siciliæ diadema suscepit. Nunc,
„ obsecro, gloriose Pater & Domine, quòd
„ Apostolica Sedes, quæ me invitum hæc omnia
„ jussit exprimere, si qua diminutè, si qua
„ superfluè dixerim, libenter indulgeat, no-
„ tamque inordinatæ loquacitatis abstergat.

CAP. XIV.

C *De responsione Summi Pontificis ad genealogiam, & replicatione Francisci Comitis.*

TUnc Johannes Summus Pontifex, ut instructus fuerat in domo Caroli Regis, qua longo tempore præfuit, assertione multiplici, *vera*, inquit, *Comes, sunt ista, quæ memoras, illique Normandi Principes propter eorum virtutem & honorem & præmia meruerunt. Sed hanc quidem lineam, quam tu ad Fridericum dominum tuum compto sermone producis, cùm Fridericus Romanorum Imperator ab ulnis Matris Ecclesiæ, quæ ipsum dulci amore lactaverat, erecta cervice discessit, in heredibus suis Ecclesia Romana præcidit.* Comes ad hæc: *Indulgeat mihi, obsecro, iterum Sacra Sedes hujus militantis Ecclesiæ Judicium sicut scriptum est, contingit quandoquidem, quòd fallit & fallitur, quoniam sub humana fragilitate causatur. Quod autem in foro triumphantis Ecclesiæ ventilatur, ab omni prorsus occasione cavetur. Non ergo est mirandum, si divina bonitas aliquando revocat quicquid argumentis pluribus quandoquidem involuta lex humana condemnat. Quod autem illa Romanæ Matris Ecclesiæ sententia fuerit in conspectu cuncta cernentis judicio irritata, probat clarissimè facta de Insula Siciliæ in contrarium executio illa notabilis, quæ nullis hac usque Mundi conditionibus revocata est, quamvis etiam plures Reges & Principes, plures communitates & populos ex diversis Mundi partibus excitos Gubernatores Matris Ecclesiæ, qui fuerunt pro tempore successivè opinionem illius provisionis, quam dicitis imitantes contra Siciliam provocarint.* His tandem à Francisco Comite recensitis, præstitâ reverentiâ Sacræ Sedi more solito, servanda silentia reassumpsit. Quumque designatus dies adventus Roberti Regis, aut ejus nuntii ad Summum Pontificem lapsus esset, Comes ipse cum socio, Legati quos Fridericus Rex pro pace transmiserat, attendentes effectu operum caruisse pollicita, omneinque ulteriorem moram opprobrium sibi, suoque domino parituram, vale dicto

Pon-

Pontifici, ad Fridericum Regem spe vacui redierunt.

CAP. XV.

De dissidio Januensium, per quod pars Guelforum introduxit Robertum Regem in dominium, & pars Gibellinorum univit se Frederico Regi.

CUmque fuisset hactenus orta gravis inter Januenses seditio, contigit, quòd qui tunc magnificè præsidebant, de Aurea præsertim & Spinulis, cum suis partibus Gibellinis, de patria expulsi sunt, remanentibus in civitate Grimaldis, Fiscatoribus, Salvagiis, & Malaucellis, cum cereris, quos Guelfos vocant. Illis autem abeuntibus, quicunque in civitate resederant ut adversariorum potentiæ obsisterent, quoniam accersitis undique Gibellinæ partis viribus Januam repetere disponebant, Robertum Regem in dominum sub certo tempore ceterisque conventionibus vocaverunt. Nec mora, Gibellini verbum illud, *si unum contrariorum inest uni, & reliquum reliquo*, imitantes, cum Friderico Rege unitatem & socialia fœdera per Legatos pacti sunt, ipsumque Fridericum in eorum auxilium junctis fœderibus excitarunt. Anno itaque Domini MCCCXX Fridericus Rex classem Siculorum in numero quadraginta galêarum in portu Messanensium connivit; adjunctisque illis galêis Januensium undecim, qui Gibellinam partem defendere satagebant, cursum suæ navigationis contra Januam dirigentes, dum per Calabriæ litora navigabant. Polæ castrum oppidum deleverunt, Isclanis vineas & arbusta plurima in eorum transitu succidentes. Tunc verò appulsa universa classe litoribus Januæ, cùm ante urbem illam nequicquam per dies aliquos statuissent terram, quam Avultirum vocant, post duros & graves bellorum insultus viribus invaserunt; ubi tantæ crudelitatis strages tunc ab illis Gibellinis Januensibus acta sunt, ut quoscunque caperent, nullo sexus, conditionis, aut ætatis discrimine jugularent. Post hæc civitatem Januam bello undecunque potuit, attentarunt; & tandem nequeuntibus illis habere de Janua quod sperabant, fessa classis longo navigationis tempore à Friderico Rege in Siciliam revocata est. Tunc verò Fridericus Rex inutilibus sumptibus fatigatus, in subsidium expensarum guerræ ad proventus Ecclesiarum Siciliæ manus injecit. Propter quod sparsum est verbum in populo, Siciliam interdicto Ecclesiastico fuisse suppositam, ipsumque Fridericum Regem & Consiliarios ejus excommunicationis sententia irretitos. Qua causa ex illo assumptum atque servatum est in Sicilia interdictum, & de proventibus Ecclesiarum in temporalibus annuas subventiones Rex ipse suscepit.

CAP. XVI.

De coronatione Petri Regis, & matrimonio cum Elisabeth filia Ducis Carinthiæ.

ANno Domini MCCCXXI. (cùm) Romanus Pontifex contra Fridericum Regem, & Siculos propter invasionem bonorum Ecclesiarum præcipuè fulminaret, Fridericus Rex primogenitum suum Petrum convenientibus Siculis coronavit in Regem, & patris obitum inopinatum præmetuens, &, ut filius, qui purus videbatur & simplex, ab adolescentia regnare cum patre assuesceret, patrisque regnando vestigiis inhæreret; cui post biennium coronationis ejusdem generosi sanguinis mulierem virtuosis actibus insignitam Elisabeth filiam Ducis de Carinthia in consortem thalami solemniter celebratis nuptiis copulavit.

CAP. XVII.

De adventu Caroli Ducis Calabriæ contra Siciliam, & obsidione Panormi.

POst hæc Robertus Rex, auctis ei jam viribus ex dominio civitatis Januensium, quod paulò ante susceperat, numerosam classem in potentis manu construere molitus est. Itaque Anno Domini MCCCXXV. Carolum Ducem Calabriæ unicum filium suum, vocatum hactenus Lodovicum, quem ex Yolanda sorore Friderici Regis habuerat, adolescentem utique bonæ indolis virtuosis actibus innitentem, cum galêis centum tredecim, de quarum numero erant Januensium galêæ triginta, præter alias rates onerarias, quæ confertæ armis, vino, frugibus aliisque opportunis, & necessariis rebus classem regiam plurimæ sequebantur, contra Siciliam destinavit. Venerunt autem in comitatu Ducis quasi omnes Proceres & Magnates regni patris ejus. Nec mirum, quia de salute filii & invasione Siciliæ anxius in meditationes plurimas versabatur. Duxeruntque, præter innumerabilem exercitum peditum, tria millia militum armatorum; contraque Siciliam prosperis ventorum flatibus navigantes, ad Panormitana litora declinarunt. Quod cùm Fridericus Rex, qui hæc omnia de regni propriaque salute sollicitus vestigabat per exploratores, quos ante recessum classis habuerat Neapoli præscivisset, quamquam Johanni de Claromonte seniori, viro utique strenuo & in magnanimitate laudabili, obsessa & impugnata mœnia longo bello defendere non ignaro, gubernationem ipsius urbis & regimen commisisset, haberetque Johannes ipse Matthæum de Sclafono, Nicolaum Abbatem, & Henricum fratrem ejus, Symonem de Esculo, Johannem de Calvellis, aliosque Panormitanos cives tam nobiles, quàm plebejos animo paratos & viribus pro defensione dulcis patriæ vitam expendere, nihilominus tutiorem adhuc & non improvidè meditatus est iis agendis adhibere cautelam. Itaque Blascum de Alagona virum prudentem & strenuum, illius quidem Blasci nepotem, qui quondam sub gravioribus articulis positam causam Siculorum potenter adjuverat, Petrum de Antiochia, Johannem de Claromonte juniorem, Comitem Mohac, Petrum Lanceam, Symonem de Valguarnea, plureſque alios viros notabiles, & cum eis sexcentos equites, ante obsidionis casum præmisit ad urbem. Postquam verò ad Panormitana litora, in eam scilicet partem, quam vulgò Cassaros vocant, hostilis exercitus declinavit, omnia quæcunque reperta fuerant extra mœnia civitatis in prædam hostibus evenerunt, armenta gregesque animalium hinc inde passim per agros vagantium in castra undique à prædonibus congregantur, segetes ad maturitatis jam propinqua tempora declinantes, nulla metendi opportunitate servata, non messæ, quin potiùs à mangonibus, quos assumpto ab effectu operum conveniente vocabulo moderni rapaces vocant, aliisque plebejis in castris manentibus divulsæ ac dispersæ sunt. Illic arbores succidebant

Digitized by Google

bant & vineas, illic universa demoliebantur virentia; nec erat qui parceret jam longo tempore magnoque studio cultis auctisque plantis frugiferis & virgultis. Ipsam etiam acripomorum arbores, quas vulgò *arangias* vocant, quæ sub antiquis temporibus in regio solatio Cubbæ velut nemus Massiliensium consecratam diis nitate concreverant, quas ipsi etiam ad debitum sibi regni dominium aspirantes defensare debuerant, immaniter succiderunt. Nec minùs, quia post hæc omnia visum est eis Panormitanorum animos ex damnis forensibus non moveri, ad instigationem Januensium, qui cum Duce contra Siciliam venerant, & ad vindictam irarum succensi stimulis aspirabant, ea quidem ratione, quòd paulò ante Siculi ad subsidium Gibellinæ partis bellum ad mœnia Januensium intulerant, si ejusdem urbis mœnia bello impetenda essent in examen consilii deduxerunt. Sedit itaque Dux auditurus consilia, quem electa manus Procerum in ordine circumsulsit. Et primi quidem qui præerant in agendis regnicolæ Comites aliique Magnates frustra inferri bellum ad mœnia tantæ urbis, & eo præsertim quòd inerant tot nobiles viri tantaque militia Siculorum, qui ad eandem urbem prævenerant, communiter asserebant, & demum non esse gloriosum Principibus, nec exercitui bellatorum utile rem difficilem quin potiùs cunctorum intelligentium judicio impossibilem experiri suis rationibus concluserunt. Januenses verò in ardenti ultimo desiderio persistentes impugnari urbis mœnia contra regnicolarum sententiam consultabant, & quòd non videbatur omnino simplici demonstratione probabile, tandem exemplis veterum suadere atque argumentis innuere præpositis adulationibus conati sunt dicentes: *Magnanime Dux, genus alto à sanguine Regum & Principum bellatorum, si potentissima regna & inexpugnabiles civitates quandoque hostibus in prædam eveniunt, magna Babylon & ingens Lydia Cyri Cræsique temporibus docuerunt. Quòd si vel ipsa locorum distantia, vel temporis rei gestæ prolixitas, vel rara scripturarum traditio fecerit hæc vobis incognita, saltem illa quæ tam loci situ, quàm temporis vicinitate, scripturis etiam & relatione multiplici propinqua sunt, ad vestram memoriam reducatis. Gloriosum quidem Regnum Trojanorum concessit in Danaos, & magnæ Carthaginis arces à Scipione deletæ sunt. Nonne Romanam urbem caput Mundi & decus Italiæ Galli Senones invaserunt. Præterea Panormitanos cives innutritos esse deliciis & propter longa otia ferre graves bellorum strepitus non expertos jam divulgatum est. In primo itaque conflictu, paucis adhuc levibus tacti vulneribus, vel in deditionem venient, vel indefensa mœnia dereliquent. Quo casu nobiles illi, quos ad eandem urbem asserunt convenisse ad defensionem tam longi circuitus mœnium sufficere nequeuntes, quia dura est sententia velle mori, ad castrum & regale palatium, ut evitent periculum diræ necis, non improvidi se convertent. Sed dato nimirum quòd nihil ex præmissis evenerit, quin immo Panormitani omnes in defensione persistant, & qui convenerunt ad hanc urbem nobiles morti voluntariæ se disponant, ecce videmus infima & fabricata luto mœnia longoque senio conquassata. Sinite ut præcedamus turmæ Januensium omnes machinas, omnesque vestras acies bellatorum, statimque diruemus & dissipabimus tam longo spatio murorum illam congeriem, quam videtis, quòd milites peditesque vestri exercitus longis agmi-*

A *nibus & absque difficultate poterunt ingredi per vada patentia dictam urbem. Ex quo cessabunt dira bella, cruentæque cædes & plurima illa guerrarum discrimina, quæ tam longo tempore inter vos & obstinatos Siculos, quorum hi fuere principium, ingruerunt, & nos omnes revertemur ad propria gloriosi victoriæ laudibus, & spoliis hostium locupletes. Quare agite, gloriose Dux, ad quem spectat res difficiles experiri, & vos etiam viri notabiles, quos ratione saltem generositatis plurimum expedit esse magnanimos, ipsamque urbem terrestri marinoque bello, sperantes lætam habere victoriam, uno eodemque (tempore) attentemus.* Cesserunt itaque universi regnicolæ qui partem alteram, scilicet non B inferendi bellum ad mœnia, tuebantur, non victi quidem rationibus, sed ne pusillanimes in conspectu Principis viderentur; ipseque Dux, quem inanis gloria ventosæ laudis extulerat, ad consilia Januensium declinavit. Tunc ergo ad expugnationem urbis trabibus tabulisque congestis, ad quod ædificia propinqua castris ac etiam tecta sacrarum ædium plurima diruerunt, scalæ, turres, musculi, testudines, plutei, aliæque huic operi convenientes machinæ fabricatæ sunt. Sed Johannis de Claromonte solertia, cui tantæ molis pondera incumbebant, hos & alios bellorum strepitus longè ante prænosticans, jam paratam habens ad defensionem urbis lignorum, canapis, ferrique materiam, propugnacula C super mœnibus ad objectum, atque ubi videbatur expediens, immensas turres, pluresque machinas grandes mediocresque torrentes lapides emissuras, absque fugienda viris segnitie, absque damnosa mora construxit. Unde actum est, quòd in illis mœnibus, quæ Januenses disuere, ac dissipare spoponderant, nunc illis, nunc istis oriri turres atque ingentes consurgere machinæ subitò videbantur. Nobiles autem illi, qui ante obsidionis causam ad urbem prævenerant, cujus loci quamvis defensio unicuique congrueret, providè sibi partiti sunt. Rebus itaque ad expugnationem & defensionem urbis ex utraque parte dispositis, partes Ducis dato signo atque vexillis explicitis direxerunt per ordinem instructas acies contra urbem. Et priores D quidem clypeatorum turmæ gradiebantur in morem, quos experti balistarii compositis gradibus non à longè sequebantur. Post illos autem insignis fulgentibus armis & equis bello aptis militia plurima succedebat, multitudo verò plebis constructas ad bellum machinas adjungere mœnibus satagebat. Hi longo ordine funes trahunt, ii lapsus pedibus rotarum subjiciunt, alii unctas tabulas, quas nautæ phalangas vocant, labentibus trabibus subministrant. Ipsa tamen urbis mœnia insignita vexillis regiis, multorumque nobilium & coronata in circuitu viris bellatoribus videbantur. Tunc Johannes de Claromonte, licèt gravis familiari morbo, E quem podagram vocant, ipsam ambiens urbem, sub mœnibus quæcunque videbantur ad defensionem urbis necessaria sollicitè suggerebat. Hærentibus itaque viris bellatoribus tractisque machinis bellicis contra urbem, ad portas thermarum infra & supra, & usque ad turrim sub portas Græcorum ad litus maris, ad portas etiam Mazariæ portasque Carini, durum bellum inter duo illatum est. Sed die tertia, ut ipsos defensores urbis in multarum partium defensione distraherent, quo debilitatam urbem viris bellatoribus faciliùs superarent, cathenam, quæ portum urbis concluserat, præmissis portennis, quas vulgò alii *filuas*, alii *copas* vocant, ma-

magnisque navibus succedentibus infringere conabantur. Sic itaque pugnatum est, quòd hinc inde innumeris jaculis lapidibusque dimissis cœlum quasi opertum nubibus videbatur. Tunc faces in propugnacula mœnium, tunc aquas contra faces è mœnibus, tunc fractas ingentes turres, quas de lignis construxerant, ictus lapidum, quos machinæ, quæ intus erant sinè intermissione jactabant, tunc adustos musculos, tunc oppressas testudines, rejectasque scalas inhærentes mœnibus, per quas invadere jam parabant, videre quis posset. Hi liquefactam picem, alii fervens oleum, alii sulphur electam ignis accendendi materiam in machinas hostium emittebant. Neque hoc inter graviores bellorum angustias à Johanne de Claromonte omissum est, quia lapides urbis propter sui naturalem mollitiem graves ictus inferre non poterant, quoniam soluta compage cedebant, duri silices, quibus plateæ urbis artificialiter ab antiquo stratæ fuerant, subitò, ut jacerentur contra hostes, avulsi atque ad ipsa urbis mœnia congesti sunt. Cùmque fuisset ab exercitu Ducis contra Panormitana mœnia diversis bellorum insultibus nequicquam triduo, ut jam dictum est, dimicatum, spem expugnandi urbem abjiciunt, eamque propter universalem sterilitatem frugum, qua tunc temporis Sicilia vexabatur, carentem frugibus, ne habere posset ab extra subsidium, dura obsidione circumquaque perstringere statuerunt; ut quos acri bello superare non poterant, obscœna fame domarent.

CAP. XVIII.

De relicta obsidione Panormi, & circuitu Caroli Ducis per Siciliam.

CAstris verò circa urbem dispositis, paucisque diebus labentibus dum inclusus Panormitanus populus esuriret, Johannes de Claromonte sua primùm, ac deinde universa urbis horrea patefecit, quæcumque victualia in urbe re erta sunt, inter esurientem plebem moderata largitione partitus est. Sed cùm viderentur illa omnia pauco tempore suffectura, cum aliis Magnatibus in consilium rem deducens, ne ab improviso tam gravem casum incurrerent, conditionem urbis Friderico Regi pandere convenerunt; scribunt itaque imminentia diræ famis metuendaque pericula, concludentes, quia paucis diebus poterant eis quæcunque reperta fuerant in urbe victualia frugesque sufficere, quòd vel armata manu Rex esurientibus opem ferret obsessis, quò posset eos ab imminenti atque inevitabili periculo liberare, vel ipsi demum, consumptis frugibus exiguis, quas habebant, urbem relinquerent, & qui abire non possent, ad castrum & regale palatium confugerent, ubi sese fidemque Regi debitam contra hostes quamdiu poterunt defensarent. Itaque signatas literas portitor fidelis accepit. Et cùm obsedissent hostes in circuitu omnes aditus omnesque semitas civitatis, pannosam vestem induitur atque ipsam urbem clam exiens, quasi furta pannosis hostibus immisceret, sperat quòd inter tot millia transiret ignotus. Vadit itaque per castra hostium portitor literarum simulans se unum ex eis inopem & mendicum. Et jam majorem partem castrorum securus evaserat, cùm unus quidam eum timidè incedentem agnovit. Tunc verò captus est portitor literarum illarum, eversisque vestibus & calceamentis ejus, quas occultè gerebat literas invenerunt. Postquam verò

A patefactus est tenor literarum in castris, gaudio magno gavisi sunt. Et cùm lætificare animum patris & domini Dux & Consiliarii voluissent, literas illas ad Robertum Regem quacunque potuere celeritate miserunt, eique certam spem habendi urbem illam sinè ambiguitate dederunt. Sed Robertus Rex & literarum tenorem & locum in quo portitor earum captus fuerat, quia per media castra transire parabat, suspectos intelligens, ad artes & calliditates plurimas, quas pro decipiendis hostibus quandoque solent hostes componere, se convertit, arguit in se ipso, quod propter universalem sterilitatem frugumque . . . . . proximo præterito tempore Siculis ingruit, universa Trinacria fame concutitur,
B & quia novarum messium tempus recollectionis insistit, ut interea magis agentes aliæ civitates se muniant, hanc famem Panormitanæ urbis plurima calliditate finxerunt, & portitor etiam literarum Synonem illum Græcorum secutus est, qui ut Trojanos falleret, se capiendum hostibus obtulit ac effugium simulavit, neque esse verum aut verisimile argumentum, quòd tot magni viri tantaque militia in urbem illam carentem frugibus se sponte detruderent obsidendos. Quare jubet filio Duci per literas obsidionem illam deserere atque universam Siciliam, quæ magis abundat messibus, peragrare, nec unquam obsidionem figere, sed omnem occurrentem substantiam Siculorum & messes præcipuè igni ferroque
C vastare, ut quos ad debitam sibi fidelitatem plurimarum obsidionum acerbitas & bella gravia non reducunt, illa saltem ad ultimum revocet, quæ expugnat omnia tuta, fames. Tunc Dux ipse, quamquam jussa patris tanquam in hac parte damnosa, graviter accepisset, virtutem obedientiæ imitatus, relicta obsidione discessit; vadensque diversis agminibus contra Corilionem atque Salem, ut jussa genitoris urgebant, omnem occurrentem Siculorum substantiam igni ferroque depopulari conatus est, humanas habitationes agrestium, quæ hostibus ipsis receptaculum ab æstu præstiterant, ipsasque in circuitu segetes vel jam messes vel ad messem sub torrentis Cancri sydere jam productas
D magno studio, comburebant. Neque frugiferis parcebatur arboribus, à quibus dulces fructus placidum æstuantibus refrigerium capiebant. Hoc itaque studium absque segnitie imitantes, atque per agros Marsaliæ, castri Veterani, Burgetti, & Saccæ sparsis agminibus procedentes, tandem castra metati sunt ad fluvium Calatabilloccæ; ubi per dies aliquot resederunt, ut duros labores, quos discurrentes ab æstu pertulerant, quiescentes aquarum refrigerio mederentur. Tunc verò Dux ipse videns exercitum suum jam affectum tœdio peragrandi, classem ad propinqua litora expectantem repetiit, ipsam Trinacriam usque ad litus Messanensium, quà cursus erat brevior, circuivit; ubi diebus aliquibus moram trahens, quamvis loca illa quid
E castra, quid usus aratri nescia frugiferæ Cereris damna non metuant in dilectis quidem vineis & virgultis ac ædificiis vinearum, quibus Messanenses plurimùm gloriantur, damna gravia intulerunt, usque adeò procedentes, quòd nonnulli ex militibus exercitus Ducis in cuneum coëuntes atque urgentes equos calcaribus adhæserunt ad jactum lapilli mœnibus civitatis. Quæ omnia Fridericus Rex è sublimi castro absque contradictionis cura spectabat. Rebus autem sic exigentibus, Alionora Regina Siciliæ, Caroliique Ducis amita civitatem egreditur, atque ad nepotem habitura cum eo colloquium non absqeu

Digitized by Google

absque viri conscientia incedebat, sperans per Ducem illum, quasi per communem filium, inter virum & fratrem suos pacem componere, tantæque litis incendia mitigare. Dux verò suadentibus Consiliariis, ne genitori suo forsitan displiceret, videre illam noluit; quin potiùs cum parata classe discedens, in Calabriam subitò remeavit.

CAP. XIX.

De adventu Comitis Novelli contra Siciliam.

ANno Domini MCCCXXVI. Bertrandus de Balsio Comes Montis-caveosi Roberto Regi sororius, quem Comitem Novellum dicunt, parata Classe in numero galêarum octoginta contra Siciliam profecturus ab urbe Neapoli discessit, & quo potuit cursu faciliore contendens, inter Panormitanæ urbis litora, & Thermarum ad promontorium Solanti declinavit; ac deinde movens contra infelices Thermas exercitum, quæcunque in suburbio erant & suppellectilia convertit in prædam domicilia in ruinam. Unde Comes cum exercitu navigium repetens, ad Ortum navigant, per phari angustias transeunt, & usque ad vicina Leontini litora discurrentes, ac si certam spem tractatus alicujus haberent, nulla vel saltem levia damna Siculis intulerunt. Post paululum verò, cùm classis eadem per litora Iacii eodemque navigationis cursu regrediens lento remiga navigaret, habitatores loci hujus non attendentes, quòd multis fuerit lingua loquax exitio, sed quærentes magno studio iram Dei, prætereuntem classem nullaque sibi damna ferentem garritu & contumeliis, quod est vulgo familiare vitium, provocarunt. Exarsit itaque indignatio Comitis ad vindictam. Nautas ad litus exposuit, paucisque obsistentibus terram invasit. Et licèt eum quasi vacuam cultoribus invenisset, nihilominus ut garrulitatem incolarum damnis notabilibus mendisque patentibus emendaret, quasi per singulas domos jussa nautarum sedulitas ignem immisit, & tandem exustis illorum domibus vel arbustis, omnem insanæ plebis suppellectilem, quæ ad castri confugium tracta non fuerat, quamvis exilem, quamvis & tenuem, reportavit in classem. Ex quo vulgaris fabula inter propinquos exorta est, ut quicunque Iacitanis loquacitatem improperare voluerint, ambastum Iacium vocent, atque objiciant verbum illud, quod Ovidius de transformatione corui loquens ait:

Lingua fuit damno, Lingua facente loquaci,
Qui color albus erat, nunc est contrarius albo.

Tunc autem Comes ille navigationis suæ cursum non deferens, ad partes Messanensium declinavit, & secus locum, quem Paradisum vocant, paululum remoratus est. Deinde verò ventis prosperis vela pandens, per phari angustias iterum transiit, atque ad litora Thermarum, quò primùm descenderat, iterum declinavit. Unde cum exercitu suo equestri de classi progrediens, vicum, quem Chiminnam vocant, in montanis & remotis illis locis positum, nullaque insistentis guerræ hactenus discrimina (*) meditante, subitò deprædatus est, & quæ in puppes transferre non potuit, immisso igne vastavit. Post hæc Panormitanis levia damna intulit, & demum unde venerat patriam repetivit.

CAP. XX.

De adventu Comitis Coriolani contra Siciliam.

ANno Domini MCCCXXVII. Robertus Rex in proposito vastandi singulis annis forensia Siculorum, quo casu sperabat illos ad se posse reducere, perseverans, Rogerium de Sangineto Coriolani Comitem cum parata classe in Siciliam destinavit. Hujus autem Comitis, licèt magnanimi, gesta prætereo, quoniam in suo decursu nihil memoria dignum, nihilque notabile gestum est.

CAP. XXI.

De adventu Barbanayra contra Siciliam.

POst Coriolani Comitem vênit etiam contra Siciliam Barbanayra de Janua cum galêis Januensium numero decem & novem, sperans, ut ex processibus aliquorum spem vanam conceperat, castrum Augustæ per exquisitas insidias occupare. Sed quia non succedunt omnes humanæ provisiones ad votum, cùm ipse ad portum improvisus ab incolis declinasset, illudque exiguum habitationis, quod præteritis bellorum casibus ex reliquiis magnæ quondam Augustæ supererat invasisset, pararetque sub eodem turbine & tumultu indefensum castrum invadere, paratas sibi offendit insidias, atque in hostes dilapsus est. Nam Blascus de Alagona, qui Cataniæ residebat, machinationes illas præsciens, nocte prævênit ad locum, & subitò egressus è latebris reditum illis ad classem inhibuit, eosque fugam potiùs, quàm arma parantes, volentes nolentesve, à ratibus pugnaturos exclusit. Itaque inter nautas & milites inæquale bellum commissum est. Plures ex Januensibus illis perempti. Ipsum etiam Barbanayra per multa vulnera in carcere tenuerunt. Classis verò tunc abiit inordinato remige sinè duce, pluribusque viris bellatoribus diminuta.

(*) *Fortè* metuentem.

Explicit Liber Septimus.

Digitized by Google

INCIPIT LIBER OCTAVUS.

CAPUT PRIMUM.

De progressu Petri Regis ad Ludovicum Imperatorem.

POst obitum Henrici Imperatoris Romanorum, de quo sermo paulò ante præcessit, Lodovicus Dux Bavariæ ad Imperialem apicem electus est. Hic autem post plures congressus & bella gravia, quæ commisit cum Friderico Duce Austriæ, qui se coëlectum eidem Lodovico fuisse dicebat, obtinuit; cui Fridericus Rex Imperialibus inhærens partibus per suos ambassiatores & nuntios se univit. Anno itaque Domini MCCCXXVIII. Ludovicus Imperator apud urbem Romam profectus, in tœdium Domini Johannis Summi Pontificis in Romana Ecclesia præsidentis, qui se illi publicè opponebat, Nicolaum quendam de Ordine Minorum præfecit Ecclesiæ, ipsumque Romanum Pontificem voluit nominari, jussitque Friderico Regi per literas & nuntios speciales, ut eidem Nicolao in suis institutionibus tamquam Summo Pontifici obediret. Fridericus autem processum illum in omnibus gravem gerens non paruit, quin immo se Lodovico Imperatori unitum in temporalibus agendis tantùm, & non spiritualibus, esse respondit, & quamquam Johannes illum, qui præsidebat in Ecclesia Dei haberet infestum, eum nihilominus fatebatur legitimum esse pastorem. Post hæc Fridericus ipse à jam dicto Imperatore accersitus, classem in numero quinquaginta galêarum ad litora Messanensium, qua potuit expeditione paravit; adjunctisque illis galêis Januensium triginta, quæ propter eam causam jussu Imperatoris Messanam prævenerant, iturus ad eundem Imperatorem, Romam, unde regnum Siciliæ ultra pharum invadere disponebat, iter invasit. Cùmque fuisset Fridericus Rex cum universa classe Melacii unde paratus erat ad cursum navigationis sua vela ventis committere, inter magnates Friderici Regis, quamvis ipse contradicere videretur, mutatum est subita provisione consilium, & Friderico Rege in Sicilia residente, Petrus filius ejus cum eadem classe processit; quem viri magnifici Johannes de Claromonte senior, Blascus de Alagona, Matthæus de Palaio, Rogerius de Passaneto, Matthæus de Sclafano, Nicolaus Abbas, Petrus Lancea, Symon de Esculo, Russus, Rubeus, & alii plures nobiles comitati sunt. Dum autem classis illa per Gajetana litora & Isclam præteriret, in arbustis & virgultis eorum ab irrevocabilis vulgi manibus damna plurima locorum domini pertulerunt; ac deinde cùm per litus Asturis lento remige navigarent, incolæ hujus loci, forsitan adhuc inulto qui clamabat de terra generosi sanguine Conradini, ad arma ruentes, duos ex marinariis remos trahentibus jactis missilibus vulneraverunt. Itaque rumor in classibus oritur, contraque Asturem turbatis vocibus conclamatur. Nec mora, declinant viri bellatores è puppibus, atque in tubarum clangore nimio & tumultu terram viribus superant, castrumque in deditionem venire compellunt. Tunc verò Conradini casum ad memoriam Siculi reducentes, ad alicujus vindictæ famam & castrum & terram igni ferroque vastarunt. Hunc autem Conradinum Conradi Regis filium, de quibus in septimo libro jam scriptum est, in bello victum & cum eo Ducem Austriæ, aliosque suos magnates apud Asturem latibula quæritantes, postquam eorum nomina Castellano sub silentio expresserunt magnalia pollicentes, ut effugium impetrarent, Castellanus Carolo Regi prodidit. Rex autem illos absque mansuetudine decalvavit. Interea dum exercebatur contra incolas Asturis vindictæ hujus severitas, Nathonæ arcis domina viro carens, vicino metu perterrita, sperans invenire ante oculos Regis pacem, claves arcis præmisit ad Regem. Rex illi suæ securitatis literas destinavit. Sed nihil quidem transmissæ literæ profecerunt, quoniam rates Januensium celeri cursu Regem prævenientes ad locum, omnem quam invenerunt portabilem Nathiensium substantiam deprædati sunt, reliquum verò ignis incendio submiserunt. Dum tamen hæc fierent, per universam classem fama diffunditur Lodovicum Imperatorem ab urbe Roma fuisse digressum, ipsamque urbem in partem alteram post Imperatoris exitum declinasse. Propter quod populus omnis immurmurans redeundum esse in Siciliam asserebat. Et profectò verbum opere complevissent, nisi Petrus de Antiochia Friderici Regis Cancellarius, quem unà cum Johanne de Claromonte Comite gerente pecuniale subsidium Fridericus Rex ad eundem Imperatorem præmiserat, quos tunc ad litora cum ratibus declinare parantes ab insidiis hostium una tantùm amica fortuna potiùs, quàm vires aut industria liberavit, statim rediens nuntiasset Imperatorem contra Cornetum fuisse profectum. Tunc verò universi qui aderant Regis Consiliarii convenerunt, quòd idem Petrus ad Imperatorem regrediens, quod adhuc Imperatori fuerat incognitum, adventum Petri Regis cum classe Siculorum & Januensium nuntiaret, Rex verò cum eadem classe ad fauces Tyberini fluminis reditum Cancellarii expectaret. Abiit itaque Cancellarius. Rex autem quia nunc Subsolanus, nunc Nothus ventus invaluit, in designato loco residere nequivit, sed ad portum Herculis necessariò declinavit. Tunc venientes ad Regem Dux Brisionensis, Johannes de Claromonte Comes, & Petrus de Antiochia reportarunt, quòd Rex Petrus visurus Imperatorem ad Corneti litora declinaret, ubi de invasione regni deliberato consilio providerent. Dum verò classis regia in portu Herculis residebat, habitatores Urbitelli jussu Regis præmoniti sunt, ut Imperiali ditioni parêrent. Illi verò de situ loci, quoniam remotus à mari stat lacu circumdatus, forsitan confidentes, potiùs ancipitis belli casus experiri fortuitos, quàm deditionem indecoram elegerunt. Exarsit itaque sub spe lucri nautarum intenta prædæ rapacitas. Et quia longum erat per amfractus terrarum iter ad locum, scaphas è litore ad lacum in ulnas & humeros supportarunt; per quas locum ipsum transmeantes, bellum ad mœnia inferre cœperunt. Illi verò, quia de vitæ periculo agebatur, hærentes inimicorum scalas parietibus atque ascendentes per eas ad mœnia nautas ejicere, immissumque ignem ad portas extinguere magno conamine satagebant. Sed tandem cùm major turma bellatorum, quæ terrestri agmine per circuitum lacus iter invaserat, advenisset, terra simul cum castro devicta ad manus hostium conciderunt. Hos miseros casus Insula Gilii vel Lilii & arx Tha-

Digitized by Google

Thalamonis perpessæ sunt, quamquam imminentibus casibus eadem Insula pacem à Rege per Legatos, adjectis quæ placare solent corda multorum exeniis, poposcisset. Habitatores etiam Thalamonii, non expectatis congressibus hostium, dimissâ patriâ cum supellectilibus abierunt.

CAP. II.

De incendio montis Æthnæ.

DIxeram in primo capitulo primi libri, quoniam dicturus eram de incendio montis Æthnæ, quæ oculis meis vidi & auribus meis hausi. Nunc ergo, quia descriptis aliis quæ ante sua tempora contigerunt, hic locus est narrationis eorum, hîc ea, rectum gestorum ordinem imitatus, adjungam: Anno Domini MCCCXXIX. die verò XXVIII. Junii, cùm Sol ad vesperum declinabat, sicut in diebus illis memini prolixiùs me scripsisse, mons Æthna horrifico motu vehementer intremuit, magnisque videbatur mugire tonitribus, quod non solùm incolas montis perterruit, quin etiam passim habitantium plurima loca Siciliæ mentibus terrorem incussit. Et factum est, quòd subitò ad ipsius montis latera in sublimi, ad partem quæ respicit Orientem, super eam rupem, quæ dicitur *de Musarra*, ubi gelatæ nives hactenus perpetuò videbantur, subitò visa est divulsa tellus subsidere, unde violenter ignis erupit, quod etiam tetri fumi quasi atræ nubis se tollentis in aëra vestigia demonstrabant. Egrediebatur quidem ignis cum impetu, & velut ingentium rotarum strepitus aut sonitus diversorum tonitruum à longè audiebantur. Postquam verò Sol occidit, cœperuntque imminere crepuscula tenebrarum, in cœlum quasi flammarum globi tollebantur incendia, & liquefacti saxorum orbes, quasi avulsa montis viscera, cum fragore terribili ructabantur. Tunc protinus ignis edax invaluit, qui tamquam impetuosus torrens iter agens in loca declivia & subjecta, cunctaque prosternens, instar vastantis alluvionis agebat. Ab Orientali verò & Meridionali parte, ubi montis concussio plus, quàm in locis aliis videbatur erumpere, plurima ædificia, quæ in eremo veneranda vetustas ad Dei cultum fundaverat, ipse jugis & validus terræ motus vel diruit vel in ruinas & scissuras plurimas separavit: Placidos etiam rivos aquarum fluentium dehiscens tellus absorbuit. Insuper ad propinqua litora Mascalarum scaphas plurimas & fasélos, quas paulò ante subduxerant ex crebris & validis terræ concussionibus in mare deductas, nautæ cum terrore maximo & tremore videre natantes. Dum hæc & alia successivè in eo monte plurima his similia ingruissent, illo eodemque anno vesperascente XV. Julii mensis, post reiteratos ingentes rugitus & impetus montis hujus, ardente adhuc incendio de Musarra secus Ecclesiam Sancti Johannis, quam dicunt *de Paparinnecca*, ex inferiori parte, quæ spectat ad Eurum, Austrum, & Africum, tellus in fragore dissiluit, unde ignis violenter erupit. Et ut terror terroribus adderetur, illo eodemque die Sol eclipsari à meridie usque post vesperas mirantibus populis visus est. Mihi quidem, licèt alia de longè prospexissem, ut rem ipsam admiratione dignam propinquis oculis subjicerem & ipsa loci vicinitas & mirandæ rei novitas suaserunt. Factus sum itaque in pusillanimitate magnanimus & in timorosis actibus temerarius vestigator. Locum ipsum adii, & quicquid mens terrore percussa retinere potuit stilo memoriæ commendavi. Cùm spectarem, inquam, incendium & mirarer ignita saxorum millia, quæ ab ipsius terræ visceribus ructabantur, circa locum eundem terræ motus effecti sunt validi, tellus ipsa vice alia & alia dissiluit, quatuorque hiatus non multùm distantes vidi subitò ignitos lapides cum fragore maximo eructare, tantusque erat fragor & strepitus, quantum re vera nullo unquam tempore memini audivisse, statimque in locis ipsis, quibus eram propinquior, ubi hactenus profundas valles & saltus nemorum aptos venatibus videram, ingentes montes ex ignitis lapidibus exilientibus de profundo atque ad locum unum concidentibus excreverunt. Quod nisi præsens ipse vidissem, atque adhuc accedens propiùs aspectassem, re vera fuisse opus phantasmatis credidissem. Effluebat autem ex hiatibus illis rivus igneus velut metallorum liquentium in fornace, occurrentem tellurem exurens, in lapides & in minimos calculos ingentia saxa dissolvens. Vidi ego subitò ignitam terram, quam pedibus paulò ante calcaveram, & tamquam spumas aquarum ad scopulos elisarum ab undis excrescere, ac velut alluvionem excrescentis fluminis emanare; post cujus, ut ita feram, alluvionis vestigia tamquam horrenda materies hirsutorum atque intractabilium lapidum in massam informem coeuntium residebat. Cùmque ipsius alluvionis igne vastans impetus per certum terræ spatium continuò defluxisset, ultimò in tres decursus divisa est, quorum duo ad Ortum in magna strage per districtum Iacii usque ad loca propinqua litoribus diebus plurimis processerunt, tertius verò contra fines Catanensium se direxit. Tunc autem desit in hac parte silentium. Re vera, priusquam fines ipsos invaderet, velum Beatæ Agathæ virginis, quæ postquam blandientis Mundi illecebras, & furentis tyranni rabiem vicerat, liberationem patriæ impetravit, ostensum de longè in objectum de mœnibus civitatis extinxit, nec citra fines ipsos potuit unum tantùm vastare virgultum. Sed neque mirum, si hoc ipsum insigne miraculum his temporibus, Christianis orantibus, factum est, quod etiam in antiquo tempore jam laruit in Paganis. His autem adhuc terribiliùs se habentibus, quàm scriptum sit, à superiori parte in cacumine dicti montis, acsi nunquam aliàs in eo monte forent incendia, nullique ventorum impetus de ipsius montis visceribus de proximo erupissent, facta sunt immensa tonitrua & coruscationes terribiles, & quasi columna terræ nubis ex cacumine ipso eruptione facta progrediens tendebat in cœlum, & priusquam una deficeret, altera succedebat; pluitque post hæc de nubibus illis sulphureos cineres & favillas, tot quidem cineres (nec fidem obsecro iis verbis detrahant qui rem ipsam non viderunt) quòd cœlum ipsum obnuberent, diem tenebris obumbrarent, magnamque regionis partem, Catanensium arva præcipuè, operirent. Stabat itaque tellus in campis & montibus operta cineribus. Unde volucres cœli escas invenire non poterant, & pecora campi pascua non sumebant. Tunc profectò verbum illud propheticum Catanensibus adimpleri visum est, quia cinerem cum panibus manducabant, & ultra, quia poculum sinè cineribus non bibebant. Magna pars piscium in circumadjacentibus fluminibus, stagnis, atque paludibus periit. Neque fuerunt majores iis puto Babylonis terror, ac cineres Sodomorum. Ex his namque cineribus usque Me-

Digitized by Google

Melivetum Insulam, quæ distat à cacumine montis Æthnæ stadiis circa mille, spiritus tunc Boreæ flantis adduxit. Plures ex terroribus illis utriusque sexus homines dulces animas reliquerunt. Plures etiam in confinibus montis à dæmonibus, qui tunc diversa corpora sumentes in aëra terribilia mendacia prædicabant, arrepti sunt. Quos autem divina bonitas propter merita Beatæ Agathæ virginis de tantis terroribus tantisque periculis liberavit, Deo gratias reddiderunt.

CAP. III.

De rebellione & recuperatione castri ad mare Panormi.

Libet hîc scribere posteris ad cautelam de corrupto semine parentum etiam post longa tempora in filiis germinante. Cùm Blascus de Alagona se præbuisset olim in campis ex fœdere contra partes Caroli Regis ante Catanczarium pugnaturum, sicut jam scriptum est in principio libri quarti, Gallus quidam, quem Galiottum de Floriaco dicebant, præter Gallorum morem domino suo Carolo Regi deficiens, ante ingressum belli transfûgit ad Blascum, & contra partes domini sui cum Blasco pugnavit. Unde Fridericus Rex, fortè sperans ad similes casus alios ex præmiis scelerum invitare, in Panormitana urbe fecit eum pro se suisque heredibus locupletem, sibique consortem thalami copulavit. Hujus autem filii Johannes & Blascus Anno Domini MCCCXXXIII. dum alter in castro ad mare Panormi propter commissum crimen in vinculis teneretur, & alter causâ revisendi fratrem nullâ suspicionis causâ frequentaret ad locum, castrum ipsum tradere Roberto Regi machinati sunt, fortè illud in animo revolventes, quod de Trojanorum & Græcorum Helena Virgilius ait,

Et fama extingui veterum sic posse malorum.

Quo casu jam sopitam diuturnitate, dierum genitoris infamiam ad aures populi excitarunt. Cùmque pronior sit, nostris præsertim temporibus, humana fragilitas ad vitia, quàm virtutes, suis cœptis fortuna concessit eventum. Nam ex iis, qui in castro erant sub stipendio servientes complices ad facinus invenerunt. Itaque per mediatores suos cum Roberto Rege pactione firmata, Castellanum factionis hujus ignarum, atque inermem sub noctis crepusculo captata opportunitate temporis invasere, atque ut in tanto opere mundas non finerent à sanguine manus suas, Castellani comitem ad defensionem ejus gladium educentem per mille vulnera dulcem animam linquere coegerunt. Dato itaque signo per faces ad mœnia castri eis, qui cum duabus ratibus ad eorum subsidia clanculum venerant, atque post montem Peregrinum ad litora proxima latitabant, aliquos viros bellatores & si qua tulerant, quæ videbantur expectantibus obsideri necessaria, susceperunt. Cùmque rumor in castro crebresceret de rebellione castri Panormitanis innotuit, quos propter gravem & inopinatum casum subitus timor invasit. Tunc verò sublato tempore consulendi, ad arma ruunt, omnesque animo expugnandi castrum subito furore concurrunt; quod eadem nocte forsitan peregissent, nisi tunc præsidentis in urbe illa, quæ consuevit esse præsertim in agendi bellicis periculosa, segnities obstitisset. Nec mora, casus Friderico Regi properantibus nuntiis intimatus est. Rex autem Petrum de Antiochia cum pluribus aliis nobilibus destinavit ad locum, quos Johannes de Claromonte, ad quem priùs fama pervenerat, quacunque potuit celeritate prævênit. Cùmque ad Panormitanam urbem hi nobiles convenissent, ne fortè veniens major exercitus hostium per castrum ad urbem patentem inveniret ingressum, castrum ipsum à continenti ejusdem urbis illico per nova mœnia diviserunt. Conclusis itaque citra castrum urbis mœnibus, ingentes machinæ paratæ sunt, ipsaque castri materia, quæ lato surrexerat, diuturnitate temporis quasi senio conquassata, jactatis in illam per machinas torrentibus lapidibus, brevi dierum spatio contrita est. Qua ratione qui sese in castro concluserant, in deditionem venire coacti sunt. Agitatis itaque deditionis fœderibus, obsessi omnes cum eorum substantia, relicto castro sub potestate regia, cum galêis octo, quæ ad defensionem castri venerant, abierunt.

CAP. IV.

De clandestina invasione Buteræ.

Tunc autem rates illæ, quæ obsessos post deditionem castri susceperant, ne manu vacuæ verterentur ad dominum, clam per exteriora litora Siciliæ navigantes ad incustoditum inter Licatam & Heracliam litus medium sub noctis crepusculo declinarunt, atque in unum conveniens major pars exercitus galêarum, quod aut huic simile toto præteritorum tempore attentatum non fuerat, terram Buteræ positam in sublimi atque inexpugnabilem viribus, septingentis ferè passuum millibus distantem à litore, nihil sibi de his casibus meditantem improvisi ab incolis invaserunt, castrumque ipsius terræ diescente bello aggressi sunt, quod proculdubio expugnassent, nisi vel de classe, quam solam reliquerant, vel residere ibi die, quæ supervenerat, metuissent. Itaque raptis ejusdem terræ spoliis inoffensi ad classem uno agmine redierunt.

CAP. V.

De obitu Johannis Summi Pontificis, & creatione Benedicti, atque Legatis Frederici Regis ad eundem Benedictum.

Anno Domini MCCCXXXIV. Johannes Summus Pontifex jam productus in senium, expleto præeminentiæ suæ anno decimo septimo, vitam dedit; successitque illi Benedictus, quem Cisterciensis Ordo nutriverat. Ex quo Fridericus Rex gaudio magno gavisus est. Utrum verò in obitu Johannis aut in creatione Benedicti Fridericus Rex magis exultaverit, certum in ambiguo pronuntiare non libet. Sed hoc quidem non incertum est, quòd illum ex conceptis ab operibus, quandiu in Ecclesia Sancta Dei præfuit, infestum habuerat; hunc verò benignum jam præcedentibus signis, dum Cardinalatus honoribus & titulo fungebatur, habere sperabat. Misit itaque Fridericus Rex ad Benedictum Summum Pontificem Ogerium de Versolo, Nicolaum de Lauria, & Scriptorem hujus opusculi nuntios inter alia supplices quæsituros, si possent cum illo componere, suoque beneficio de pacis consolatione gaudere. Tunc Legatorum sedulitas Benedictum Summum Pontificem reverenter adiit; quos ille sermone

Digitized by Google

mone placido quadam quasi domestica benignitate suscepit. Exposita est in conspectu præsidentis in Sede Legatio, plurimaque hinc inde condicta sunt. Sed tandem, cùm Benedictus ipse ab opinione prædecessorum suorum non plurimùm discrepasset, Legati post reiteratas supplicationes, confabulationes, & argumenta etiam plurima, quæ legationis materiam sequebantur, spe illa quam venientes gesserant vacui redierunt. Fridericus Rex verò primam opinionem, quam de Benedicto longè ante promotionem ejus conceperat, de facili non deponens, pro se verbum illud: *Pulsate & aperietur vobis* assumpsit, Legatosque ad eundem Benedictum alios atque alios iterum atque iterum destinavit. Sed Benedicto verumtamen in suis terminis, primoque responso immutabiliter persistente, illud idem quod primi Nuntii redeuntes ad dominum suum gesserant, secundi & ultimi reportarunt.

CAP. VI.

De adventu Johannis de Claromonte contra Siciliam.

ORdo rei gestæ nunc exigit de processu Johannis de Claromonte Comitis Mohac contra Siciliam scribere, illumque casum, quo contigit pistum esse fermentum nequitiæ, causam scilicet desolationis ac desperationis multorum, qui magnificè præsidebant in Sicilia exarare. Quamobrem ad evidentiam facti hujus, unde hoc malum originem sumpserit, unde in tanto viro hic furor invaluit, opus est retro pedem convertere ac de præteritis, quæ tam remota per saltum omissa fuerant, aliqua in medium recensere. Dum Franciscus de Vintimilio Comes Giracii Constantiam sororem jamdicti Johannis de Claromonte Comitis haberet in conjugem, turba filiorum, quos idem Franciscus ex concubina susceperat, tamquam novellæ olivarum ante patris oculos adolebant, ipsique genitori sublato moderamine rationis plus debito spectabiles videbantur, ut est illud:

Atque oculos idem qui decipit incitat error.

Unde actum est, quòd in ea parte pudoris gravitate deposita, Franciscus ipse jactaret se in hac numerosa prole felicem, abjectaque omnium spe omniumque desiderio suscipiendæ prolis ex conjuge, fecit illam de suo cubiculo alienam, illosque filios, quos legitimus thorus non edidit, successores & heredes suos relinquere meditatus est. Quocirca dato conjugi libello repudii, per diversas semitas & amfractus divortium obtinuit, matrem filiorum sibi nuptam adhibuit, & tandem legitimationem eorum à Sede Apostolica impetravit. Tunc Johannes, quem juvenilis ætas & objectum sororis repudium instigabant, moliri cœpit de Francisco vindictam. Sed quia Franciscus à Friderico Rege tolerabatur in plurimis, atque in conspectu Regis & Johannem ipsum & ceteros Magnates regni ac Proceres excellebat, Johannes experiri quod mente conceperat effectu operis non audebat. Itaque magnis irarum fluctibus æstuans ad Lodovicum Imperatorem, de quo jam sermo præteriit, tunc parantem Italiam invadere profectus est, ubi cùm in agendis bellicis ei prosperè successisset, usque adeò fama gloriosus excrevit, quòd idem Imperator eundem Johannem gloriosis titulis insignivit. Post hæc autem rediit in Siciliam Johannes nonnullos Theutonicos secum ducens ad vindictam de Francisco Comite, ad quam aspirabat dissimulans, & conceptum in mente consilium vultu tegens. Tunc Fridericus Rex videns partes istorum Comitum paulisper excrescere, omnesque Siculos hos ad unam, illos ad alteram partium declinare, metuens, ne vulnus tanti dissidii fieret immedicabile propter moram, Comites illos ad pacem componere vel per nova in consanguinitate conjugia vel quocunque alio, si quod aliud esse poterat, convenienti remedio prælegit. Quamquam nullum erat in ea tunc parte remedium, nisi quod vir magni consilii Dranus de Lavinia virgine regia contra Turnum in conspectu Latini Regis objecit. Itaque Fridericus Rex in Panormitana urbe residens, Franciscum Comitem & Johannem de Claromonte jamdicti Johannis Comitis patruum ad se vocans, cœpit habere cum illis de hac pace tractatum. Nec mora, Johannes Comes, cujus animus ultionis desiderio vexabatur, cum suis Theutonicis Panormum, licèt non vocatus, advênit, nihilque tractatum pacis hujus, quam cœperat Rex ordiri se ingerens, nunc per vicos, nunc per plateas equitando discurrens, militaria ludicra simulabat; nec requievit enim donec Franciscum Comitem habuit in occursum. Tunc verò temporis locique opportunitate captata Johannes in Franciscum Comitem irruit, nullisque adhuc illatis vulneribus numerosa illa militia, quæ tunc Franciscum, quin potiùs, ut ex opere claruit, Francisci felicitatem sequebatur, effugit. Attendant nunc, obsecro, quicunque dum, præsident, in applaudentium turba confidunt, & cùm divitiis effluunt, innumerabilium amicorum ascribi titulis gloriantur. Nihil quidem dubium est, quin amicos illos, quos, dum arridet fortuna, per oblectamenta plurima congregat, quotiencunque mutato vultu sævierit, ad ictum oculi per pauca etiam irritamenta dispergat. Tunc autem Franciscus in desperatione relictus, graviter in capite vulneratus est. Sed quia Comites ipsi & Franciscus & Johannes, ut in exitu illorum apparuit, ad graviores casus & graviora pericula servabantur, ne debita eis fatalia tempora prævenirent, vel ab ictu percutientis dexteram fortuna suspendit, vel ante ictum nudo capiti clypeum suæ defensionis objecit. Nam quis meminit Theutonicorum enses caput nudum non posse discindere, qui tectum galea multotiens discideruut? Johannis quidem equus in eodem impetu cespitavit. Franciscus autem beneficio sonipedis, quem calcaribus ad fugam urgebat, evasit. Hic nimirum ad aulam Regis confugiens, ipsum Regem auctorem suæ cædis voce mixta doloribus arguebat, improperans illi, quòd fuerit sub regia securitate deceptus. Rex verò lenire illum blandimentis & curationibus plurimis conatus est; & ut æstuantem illius animum in primis motibus patenti remedio mitigaret, Johannem ipsum jam absentem, quoniam abiturus urbem excesserat, non vocatum ad judicium, non defensum, absque temporis expectatione banno submisit. Ille verò indignationem Regis effugiens, in sua castra secessit. Cùmque Rex parandam obsidionem contra Johannem, ut Francisco applauderet, per universam Siciliam divulgaret, atque ad Johannem plurima turba concurreret, Johannes ab amicis suis admonitus est, ut cedens Regis motibus pareat, ne obsistens titulum rebellionis incurrat, quod etiam Alionora Regina Siciliæ, quæ ad Johannem affici videbatur, spondens illi votivum reditum per suos Nuntios, innuebat.

Ita-

Itaque Johannes ipse amicorum consiliis & Reginæ promissionibus acquiescens, ne foret inter Siculos causa gravioris dissidii, paruit, atque in manu Regis terras & castra sui Comitatus absque contradictione reliquit, Lodovicum Imperatorem repetiit, atque ab eo imperiale remedium in ea parte poposcit. Imperator Fridericum Regem, tamquam devotum Imperio, suis repetitis literis exhortatus est, ut processum suum habitum contra Johannem de Claromonte Comitem, cùm esset Johannes ipse tempore processus hujusmodi unus de Principibus Imperii, revocaret, & si fortè Franciscus Comes, aut quis alius contra Johannem habere prætenderet jus querelæ, ipsum Cæsarem tamquam Judicem competentem ipsius Johannis adiret. Fridericus autem Rex, ne Francisci Comitis, quem lenimentis pluribus supportabat, excandescentem irarum fluctibus animum irritaret, Imperialibus exhortationibus obaudivit. Rebus autem sic se habentibus, cùm inter filium Imperatoris, & filiam Friderici Regis de tractatu conjugii actum esset, Imperator novum reconciliationis modum pro Johanne meditatus est, misitque illum in Siciliam sponsi auctoritate suffultum, ut sponsam in conspectu regio subarraret. Cùmque hæc ad audientiam Francisci Comitis pervenissent, in castris suis gloriosus existens cœpit indignanti similis similisque minanti ampullosa verba diffundere; magnoque irarum æstu fluctuans, ipsum Regem ne illum susciperet, per compositas more suo literas exorare. Rex autem in proposito perseverans, Johannem non solùm ad subarrandum filiam suscipere noluit, quin immo ne declinaret ad litora Siciliæ gravi Edicto inhibere mandavit. Cùmque Johannes ad Imperatorem spe suæ reconciliationis vacuus rediisset, Imperator eandem Friderici Regis pertinaciam gravem gerens, eligendi sibi modum, quo faciliùs atque commodiùs posset in Comitatus sui possessionem restitui Johanni licentiam impartitus est. Unde Johannes de Friderici Regis benignitate desperans, ex concessa sibi ab Imperatore licentia titulum excusationis assumpsit, atque ad Robertum Regem, qui pluries illum solicitaverat, sub constitutis illi stipendiis declinavit. Tunc Robertus Rex de conversione Johannis de Claromonte gavisus est; sperabat enim per illum reducere ad se animos Siculorum, quoniam speciali privilegio sanguinis & amoris Johannes inter Siculos colebatur. Itaque anno Domini MCCCXXXV. parata jam classe Roberti Regis, Johannes unà cum Comite Coriliani contra Siciliam profecti sunt; descendentesque ad litora prope Thermas, ubi vocant fluvium Senescalci, propinquam illis Brucati arcem invadere viribus tentaverunt; sed cùm nequicquam bellum ad mœnia intulissent, abeuntes terrestre agmen per vallem Mazariæ hostiliter deduxerunt, plurimaque igni ferroque vastarunt. Postquam verò classis, quæ regionem illam objecerat depopulans universa propinqua litoribus, & terrestris exercitus convenerunt, contra Licatam civitatem exiguam castra metati sunt; ubi cùm diebus aliquibus resedissent, quia locus ille posse capi bello faciliùs multorum judicio videbatur, scalis, testudinibus, aliis machinis bello aptis congestis, quà poterant undique in circuitu civitatis durum bellum ad mœnia intulerunt, quæ nimirum Petrus de Lancea & Marinus Capitii, quos Fridericus Rex non incaute prævidens ad locum præmiserat, unà cum civibus, ne præda fierent hostibus, industria & viribus defensarent.

A Cùmque Licatenses nec territi bellorum insultibus, nec allecti magnorum pollicitis concessissent, Comites illi, quia nihil sibi viderant in ea obsidione proficere, nec sperabant aliquid profecturum, solutis castris ac retro, quà venerant, redeuntes, Agrigentinis & Saccitanis, sed Saccitanis præcipuè in agris eorum & vineis damna gravia intulerunt. Post hæc Mazariam, Marsaliam, Drepanum, & extremas oras alias Siciliæ, quæ ad Occasum respiciunt, depopulantes, quæque occurentia in circuitu repetentes, Panormitana litora contigerunt; ubi cùm galêas Catalanorum sexdecim, quæ sub ducatu Raymundi de Peralta prætendentes quærere Januenses tunc hostes eorum, convenerant, reperiissent, non deposuerunt nautas ad litora vastaturos, ut ante præviderant, agros & vineas, quin immo sese in alto cum suis ratibus servaverunt. Quo casu Panormitani depopulationem agrorum & vinearum, aliaque damna forensia evaserunt. Unde Comites ipsi, vel de Catalanorum classe suspecti ne venissent in subsidium Siculorum, vel à domino revocati, Neapolim, unde venerant, regressi sunt. Johannes verò quamprimùm ad Neapolitana litora declinavit, à Roberto Rege, hospite insalutato, discessit, atque ad Imperiales partes conversus est.

CAP. VII.

De perditione Insularum Gerbarum & Cherchinarum.

His autem & paulò ante numeratis temporibus, cùm præsidentes in Insula Gerbarum sub Friderici Regis dominio auri sacra fames inordinatumque habendi desiderium, ad quod nimirum ex quodam incendio vitiorum, ut excelsas turres ædificent & auratas vestes induant, ut pompis & dissolutionibus indulgeant, hujus ætatis nostræ posteritas longè plus aliis, quæ præteriere temporibus, afficitur, invasisset, Sarracenos incolas regionis intolerabilibus angariis, innumerabilibusque exactionibus magis & magis solito vexare cœperunt, usque adeò delirantes, quòd unum ex senioribus illorum, nomine Busayt Ben-Venu cum filio, qui divitiis & honoribus præcellebat, ut substantiam ejus raperent, assumptis de longè argumentis infidelitatis contra Regis dominium, gladio perdiderunt. Illi verò cunctis aliis oppressionibus graviùs hoc gerentes, per seniores suos coram Friderico Rege contra præsidentes illos multiplicem deposuere querelam, ipsumque Regem in tantis malis opportuna justitiæ remedia poposcerunt. Rex quidem non improvidè arguens, quoniam seniores illi ante conspectum ejus, quo de facili potuissent argui de peccato, astruere mendacium non auderent, prima facie verbis conquerentium fidem dedit.

CAP. VIII.

De morte Friderici Regis.

Scindite corda vestra pusilli cum majoribus, universi qui habitatis Trinacriam, corda, inquam, cum vestibus; induite membra vestra cilicium, sedete in cinere, fundite lacrymas, eructate suspiria, suspendite organa vestra in salicibus super flumina Babylonis, & cantate canticum tenebrarum, quoniam vênit mœsta dies & ineluctabile tempus debitum terrenis lamentationibus, amaritudinibus, & doloribus

Sicu-

Digitized by Google

Siculorum. Ecce enim clypeus defensionis vestræ confractus est, ecce naviculam vestram tempestate valida fluctuantem in mediis undis gubernator Palinurus deseruit, ecce Sol vester eclipsatus obiit, & terra operta est caligine tenebrarum. Neque enim solum illud, quod ante oculos vestros positum est, in hac parte sufficit intueri, sed, si qua in vobis est prudentia, rerum exitus metiatur. Anno quidem Incarnationis Dominicæ MCCCXXXVII. circa sexagesimum quintum annum vitæ suæ, Fridericus Rex morbo senioque confractus, sed eo familiari morbo potissimè, quem podagram chiragramque vocant, cùm esset in Castro-Johannis, ubi libentiùs æstivabat, jam propinqua sui exitus signa cognoscens, Cataniam declinare disposuit, ut gloriosæ Agathæ virgini, cui se devotum ab adolescentia sua præbuerat, quæ illum in adversitatibus multis protexerat, in ultimis suis corpus & animam commendaret. Profecturus ergo lecticam ingreditur, atque à devotis circumadjacentium terrarum incolis per vicissitudines ad humeros supportatur. Cùmque Paternionem terram non longè positam à civitate Catanensium pervenisset, ad hospitalem domum Beati Johannis Baptistæ Jerosolymitanis titulis insignitam, quæ non procul extra terram illam sita est, attenuatus & debilis declinavit; susceptisque Sacramentis Ecclesiæ, jam exinanitus viribus, Crucem Domini amplexatus est, sibique debitum carnis in vigilia nativitatis ejusdem Beati Johannis exsolvit. Tunc verò terribilis visu atque humana corda metu concutiens, ea ratione videlicet, quia vel pestilentiam vel famem vel bella vel mutationem Regum innuit, inter Australes Occidentalesve partes crinitum sydus, quod à Græco idiomate nomen ducit, cometes apparuit, qui Regis obitum nuntiavit. Tunc adimpleri visum est verbum illud, quod Donatus de Brundusio medicus, qui jam præmortuus fuerat, Regi longè ante tempora mortis suæ, sive habuerit illud à spiritu, sive legerit in Prophetis, sive ut aliquibus certius videbatur, hoc finxerit, ut Regis animum ad altiora produceret, sæpiùs asserebat, hunc scilicet Fridericum Regem in Jerosolymitanis partibus moriturum. Venerabile corpus ejus diu dilectum Siculis Cataniam in luctu & lacrymis geritur, &, quia nox erat, in castro Ursino absque tumultu plurimo receptatur. Sed quamprimum lux alma diei succedentis eluxit, nobiles & populares undique convenerunt. Postquam verò nobile corpus Regis corona sceptro, aliisque regalibus insigniis decoratum thoro impositum est, plures Nobiles, quamvis triste ministerium agerent, ingenti feretro subegerunt. Tunc alii quidem accensis cereis ducentes pompam funeris præcedebant, alii verò lacrymosis clamoribus longo ordine sequebantur. Quacumque parte civitatis transitum facerent qui corpus regium supportabant, terra lacrymis rigabatur. Nobilium matronarum, quæ in luctu Reginam egregiam comitabantur lamentationes prætereo. Petrus autem Rex, Guillelmus Dux, Johannes Marchio filii Regis cum regni Magnatibus & quasi universus populus cilicio induuntur, virorum clamor ad æthera tollitur, lamentis ac gemitu & ululatu fœminarum unguibus ora fœdantium, sicut de obitu Didonis scriptum est, tecta fremunt, resonat magnis plangoribus æther, non aliter, quàm si urbem illam hostilis acies invasisset. Re vera, si quæ ad antiquorum gesta comparatio modernorum, non magis Brutum primum Consulem Romanæ pudicitiæ defensorem, non Camillum, qui debellata Romanorum signa quamvis in exilio positus devictis hostibus in Capitolium retulit, non Romulum primum fundatorem Urbis, à quo Roma nomen accepit, de quibus Paulus Orosius, Eutropius, & alii Historiographi nostri latiùs compto sermone scribunt, Romanæ matronæ planxerunt, quàm Siculæ Fridericum. Nam sicut infelix Andromache post famosum illud Trojanorum excidium apud Epyrum pro Hectore, sic universæ famosæ civitates Siciliæ pro Friderico Rege inanem tumulum causam lacrymis & materiam doloribus construxerunt. Neque immeritò, quoniam Fridericus quasi omnium illorum inter Siculos vices gessit. Postquam verò corpus regium in Basilica Beatæ Agathæ in insigni tumulo condiderunt, decoratur tumulus more Principum armis fulgentibus. Et, ne futuris temporibus, quibus aliquando consuevit longinqua vetustas ævi delere memoriam, cui tantus tumulus & in tam sacra sede surrexerit in dubium quæreretur, hoc triplici epitaphio insignitus est.

Quis tumulus caperet Friderici carmina Regis?
Murus erat Siculis longo certamine; legis
Divinæ cultor, humani juris amator
Occubuit, scandit cœlestia regna viator.

Quæ, Frederice, queant de te, Rex carmina fingi.
Dignus eras Siculis divorum numine pingi.
Aurea Trinacriæ, sub te duce, floruit ætas,
Nec potuit quisquam regni tibi tollere metas.

Sicaniæ populi mœrent, cœlestia gaudent
Numina, terra gemit, Rex Fridericus obit.

CAP. IX.

De Epistola Henrici Eremitæ ad Robertum Regem.

„ *Viro illustri Roberto Regi Frater Henricus*
„ *inutilis servus Christi salutem in eo,*
„ *qui mansuetudinis doctor, &*
„ *salutis est auctor.*

„ Obsecro ne despicias verba senis & rudis
„ degentis in eremo, quoniam sic impo-
„ situm est mihi desuper ut prorumpam. Suc-
„ cessor avitæ crudelitatis, Rex immitis, Rex
„ impie, Rex crudelis, quis te jam productum
„ in senium & metuenda litora senectutis mor-
„ tisque judicio, nullo etiam cogente, propin-
„ quum insanus furor exagitat, aut quæ de-
„ mentia te impellit, qui magnam partem die-
„ rum tuorum liberalibus studiis disciplinarum
„ impenderas? Qui nunc Sanctorum, nunc
„ Philosophorum volumina per intervalla tem-
„ porum studiosus evolveras, ut quid immuta-
„ bilem fatorum ordinem pervertere, ut quid
„ justum rectumque Dei judicium irritare cum
„ innumera Christianorum strage, cum effusio-
„ ne sanguinis innocentis, obstinata mente con-
„ tendis? Nosti quidem, nec inficiari cuiquam
„ Christianorum hoc liceret, quòd immensa &
„ inscrutabilis providentia Summi Patris, qui
„ universum de nihilo produxit in formam,
„ stellas dinumerans, influentiam superiorum
„ corporum metiens, in numeris elementa com-
„ ponens, ab æterno cuncta disponit. nihilque
„ solutum de antiqua lege relinquit. Ipse est,
„ ut legere potuisti, Deus exercituum, qui trans-
„ fert regna per tempus & tempora, qui de-
„ po-

„ ponit potentes, qui exaltat humiles, qui superbos conterit & elatos. Quis, inquam, potentissimum regnum Assyriorum non longo tempore medio in Scythas, Chaldæos, & rursum commutavit in Medos? Quis Cresum Regem Lydorum deposuit? Quis Darium, Porumque Reges Magnificos Alexandro concessit? Quis Trojanorum potentiam evertit in Danaos? Quis electionem Romanorum Principum transtulit in Germanos? Elatam gloriosis bellis Carthaginem in Scipionis nomine quis delevit? Nec libet ultra per innumeras & antiquas magni Orbis historias pervagari, quas omnes vel majorem partem longo studio evolvisse te arbitror. Sed solùm, ut mihi datum est, ad gesta hujus regni Siciliæ, quæ te tangunt, stilum succincto, rudi, brevique sermone convertam, ut priori exemplo revocem ante oculos mentis tuæ, quoniam solus Deus est, qui per tempus & tempora, & Reges & regna commutat. Hanc nimirum Insulam, unde totius regni titulus nomen habet, & locorum situ & pluribus aliis rationibus inexpugnabilem, sicut oculus tuus vidit. tuæque manus etiam palpaverant, olim de Græcis tunc Fidelibus, & adhuc bello claris in Barbaros infideles atque imbelles constat esse translatam; fuitque diu sub miserabili jugo Barbarorum servitutis, quousque ob aliam & aliam causam venientes Christianissimi viri filii Trancredi Normandi militis cum exiguo numero bellatorum, Deo propitio, eruerunt illam de manu innumerabilis multitudinis Barbarorum, regnaveruntque in eodem regno successivè, primò Rogerius Comes Siciliæ ultimus de filiis dicti Tancredi, & post eum Rogerius Rex Siciliæ filius jamdicti Rogerii Comitis, & post eundem Rogerium Guillelmus Rex Siciliæ filius dicti Rogerii Regis, deinde Guillelmus Rex Siciliæ filius jamdicti Guillelmi Regis, qui secundus dictus est, & post eundem Guillelmum Tancredus Rex Siciliæ naturalis jamdicti primi Guillelmi; post cujus Tancredi Regis obitum virili prole deficiente per lineam, Constantia filia nominati primi Guillelmi Regis, quæ sola de stirpe supererat, Henrico Romanorum Imperatori cum dotali regno Siciliæ tradita est; fuitque susceptus & natus ex eisdem Henrico & Constantia sterilitatis temporibus jam propinqua Fridericus Secundus, qui & in regno matri & Imperiali Sede genitori suo sua virtute successit, diuque regnavit; post cujus Friderici obitum, licèt exiguo tempore, successit illi Conradus filius, & post eundem Conradum Manfridus jamdicti Friderici filius: cujus temporibus Carolus avus tuus Comes Provinciæ dicti regni Siciliæ non absque Dei nutu diadema suscepit, & cum eodem Manfrido Rege apud Beneventum bellum committens, eundem Manfridum vita regnoque privavit. Nec mora, vênit in Italiam adolescens generosi sanguinis Conradinus Conradi Regis filius sperans se, ut humana jura videbantur innuere, suis parentibus successurum, atque ipsum Regem Carolum provocavit in bellum; in quo, si qua sunt humanæ rationis judicia, & cautarum meritis & potentia suorum militum compensatis obtinere debebat; sed quia penes Judicem illum, quem nulla quidem argumenta decipiunt, aliter visum erat, avus tuus victor emicuit, regnavitque in eodem regno Siciliæ annis decem & septem, & ut creditur, propter immanitatem ejus, præcipuè quia jamdictum Conradinum, quem viventem habuit, crudeliter decalvavit, meruit & ipse pro se suisque heredibus regni capite decalvari. Quod, mi frater & fili carissime, satis evidenter apparet, quoniam insurrexerunt Siculi pari voto plenitudine temporis veniente contra eundem Regem avum tuum, & suos, suumque dominium de Insula ejecerunt, Petrum Regem Aragonum maritum Constantiæ, quæ propter carentiam virilis prolis Manfrido patri suo succedere debuerat, ex quorum conjugio numerosa proles suscepta jam fuerat, in dotale regnum Siciliæ Regem & dominum advocarunt. Quis neget hoc Divinum fuisse judicium? Quis enim os omnium singulorum ad idem velle componere, quis etiam tot inexpugnabilia castra in deditionem absque bello deducere nisi Dei manus tam subitò potuisset? Vênit itaque in Siciliam idem Petrus Rex cum ratibus quatuordecim & exiguo numero bellatorum, dictusque avus tuus Rex Princeps magnificus atque in bellis strenuus, qui gloriosos Principes Manfridum & Corradinum habentes numerosam Theutonicorum militiam acri bello devicerat, qui Messanensium urbem tamquam primam in eodem regno tenebat obsessam, habens in obsidione ipsa tam numerosum exercitum, quòd triginta millibus equorum annona diebus singulis præbebatur, tamquam percussus mente & cœlitus vulneratus obsidionem inordinatè deseruit, atque relictâ sinè strepitu bellorum Siciliâ in Calabriam transfretavit. Ex illo, quæ cædes marinis terrestribusque bellis; quæ dissidia, quæ fames, quæ mala inter utrasque partes, inter Gallos cum Provincialibus, & Siculos cum Catalanis agentes, aliasque nationes convenientes ad idem ingruerint, quis posset exprimere, quæ lingua per ordinem recensere? Scribo nihilominus ad tui memoriam quot gravia quæ occurrerunt apud Melitem Insulam, quam moderni Melinetum vocant. Classis Provincialium, quam avus tuus in subsidium castri Melineti tunc obsessi transmiserat. Rogerio de Lauria gerente bellum pro Siculis, evicta est, de quibus galêæ XIII. retentæ sunt. Post hæc Petro & Karolo Regibus modico temporis spatio intermedio de vita sublatis, Jacobus filius dicti Petri Regis apud urbem Panormum in Regem Siciliæ coronatus est. Quo regnante in Sicilia, prædecessoribus tuis, & qui sub eorum signis bella gerebant, sicut meminisse potes, adversitates plurimæ contigerunt. Nonne Karolus tunc Princeps Tarenti, postea Rex, genitor tuus classem in numero LXX. galêarum habens in litoribus Neapolitanis ab eodem Rogerio de Lauria, qui XLI. ducebat, evictus, cum numerosa turba Nobilium captus est, retinuitque jamdictus Rogerius de classe Principis galêas XLII. longam de illis in Sicilia pompam ducens? Nonne post hæc non longo temporis intervallo Raynaldus de Avillino, qui castrum Augustæ occupaverat, cum exercitu quingentorum militum electorum, nec non in jamdictis litoribus Neapolitanis XL. galêarum de majori numero, in quibus plures Comites & alii Magnates erant, uno eodemque die, duce dicto Rogerio, in manus dicti Jacobi Regis miserabiliter inciderunt? Quidem referam? Non erat his diebus de Magnatibus Gallis, Provincialibus, atque „ Re-

Digitized by Google

„ Regnicolis, qui ad ea bella convenerant, „ quem Siculorum carcer bis aut semel non „ habuisset inclusum! Sed postquam obeunte „ sinè liberis Alfonso Rege Aragonum primo- „ genito Petri Regis, fuit dictus Jacobus in „ Aragoniam revocatus, & ejusdem regni dia- „ dema suscepit, Fredericum tertiogenitum di- „ ctorum Petri Regis & Constantiæ Reginæ „ Manfridi Regis filiæ pari voto Siculi corona- „ verunt Regem. Quæ verò ab eisdem tem- „ poribus acta sunt quasi ubique præsens tu „ ipse vidisti. Fredericus, post acceptum dia- „ dema Siciliæ, Calabriæ, & Apuliæ fines po- „ tenter invasit, in quibus castra, civitates, & „ loca plurima occupavit; & nisi tam subitò „ ejusdem Regis Jacobi fratris sui indignatio, „ dictique Rogerii de Lauria dissidium conti- „ gissent, te de regno, quod detines, ut ex „ præcedentibus videbatur, procul dubio eje- „ cisset. Post hæc Bonifacius Dominus meus, „ qui præsidebat in Ecclesia Sancta Dei, jam „ dictum Regem Jacobum & Rogerium contra „ Fridericum Regem fratrem suum & Siculos „ provocavit; vicitque jamdictus Jacobus na- „ vali bello Fredericum fratrem ejus & Sicu- „ los pluribus olim continuatis victoriis jam „ elatos. Ex quo factum est, quòd tu ipse ma- „ gnam partem civitatum, terrarum, & loco- „ rum Siciliæ sub tuis titulis habuisti, & spes „ videbatur indubia quæcunque loca supererant „ de universa Sicilia tuis nutibus in proximo „ paritura, cùm subitò veniens Philippus Ta- „ renti Princeps frater tuus cum septingentis „ militibus ad vallem Mazariæ cum turba plu- „ rima Nobilium, à Frederico Rege victus at- „ que in carcere detentus est. Nec minùs pau- „ lò post Brehennæ Comitem, Comitem Val- „ dimontis, cum numerosa turba Nobilium „ Gallorum atque Provincialium callida pro- „ missione delusos ad manus Blaschi de Alago- „ na & Guillelmi Galzeranni adduxit in præ- „ dam, in quo bello plures de tuis Nobilibus „ periere. Immediatè post hæc elatos una & „ altera victoria Siculos adhuc intestinis bellis „ quasi per totam Siciliam agitatos, quæ de- „ mentia instigavit ad remotas partes adhuc „ imparia bella perquirere? Pugnaverunt, ut „ nosti, apud Insulam Ponci galêæ Siculorum „ XXVII. contra galêas tuarum partium „ XLVIII. ducemque illarum Rogerium de „ Lauria, in quo bello Sicilia contrita pluri- „ mùm conturbata est, cùm majorem partem „ classis ejusdem, plureſque magnos viros & „ Proceres Siculorum aut vulneratos, aut mor- „ tuos perdidissent. Post hunc verò casum an- „ te anni curriculum vênit tecum & Karolus „ frater Regis Francorum. Et cùm omnino „ fessam Siciliam vincere sperabatis, ad non „ multum gloriosam vobis concordiam sub pa- „ cis titulo devenistis, restituentes Frederico „ Regi civitates & castra Siciliæ, quæ plurima „ tenebatis, ut Tarenti Principem, Brehennæ „ Comitem, aliosque Magnates, quos Frede- „ ricus ipse bello ceperat, & terras Calabriæ, „ quas jam dictus Jacobus Rex, dum regnabat „ in Sicilia, & post eum jamdictus Fredericus „ subegerant, in cambium haberetis. Obsidio- „ nem Trapani, ubi obsidentem & obsessum „ te videras, quomodo reliqueris, brevitatis „ causâ prætereo; ubi, carissime, nisi Dei nutu „ procellosa ventorum rabies, quæ de litoribus „ Bonachiæ Siculorum classem repulit, obsti- „ tisset, cum tuis regalibus, & Magnatibus regni „ tui, qui tecum aderant, ad manus tuorum

A „ hostium incidisses. Eventum pugnæ, quam „ ad mœnia Panormitanæ urbis post hæc bonæ „ indolis filius tuus intulit exarare non opus „ est. Nosti quoniam recessit inglorius, quasi „ totam Siciliam nihil tibi proficiens circuivit. „ Adventum Thomæ de Marchiano, adventum „ Hugonis de Balzo, adventum etiam Rogerii „ de Sangineto Comitum tuorum per diversas „ vices & tempora cum classe multiplici con- „ tra eandem Insulam, cùm nihil dignum lau- „ de gesserint, præterire nunc libet. Denique „ cùm vidisses nihil tibi vel dicta proficere, se- „ ditiosis viris proditiones & scandala machi- „ nantibus regiæ magnanimitatis animum incli- „ nasti, secutus illud insensati viri consilium:

B „ *Dolus an virtus quis in hoste requirat!* non „ attendens, quòd turpis est dolo quæsita vi- „ ctoria, nec jocundum est aliquid, quod per „ immensa detrimenta contingit. Michaëlem „ illum detestandæ proditionis vexillarium at- „ que primipilium divitiis & honoribus, quod „ non congruit virtuosis Principibus, extulisti. „ Edoardus, Petrus Calceamira Prædicatores, „ suæ religioni contrarii, ac quotiens repentè „ somni dulcedine in throno se mitratos existi- „ mant, sed postquam stridor cathenarum ex- „ citat dormientes, suæ factionis & machina- „ tionis causas intelligunt, & somni gloria con- „ vertitur in mœrorem. Castrum ad mare Pa- „ normi quid profuit tanto studio tantoque

C „ mentis conatu à Galiocto & complicibus pro- „ ditionaliter habuisse? Desiderio desiderabas „ obitum Friderici Regis, sperans immediatè „ post ejus occasum de filiis totaque Sicilia „ triumphare. Fridericus quidem obiit, sed res „ ipsa non ut sperabas evênit. Infelices Fran- „ ciscus de Vintimilio, & Franciscus de An- „ tiochia Comites post ipsius Frederici obitum, „ repudiata fide, quam eidem Friderico & Pe- „ tro filio suo Regibus bis terque quaterque „ solemniter spoponderant, tuis desideriis ad- „ hæserunt. Et quoniam ad ictum oculi mise- „ rabiliter confusi sunt, plurima illa & nume- „ rosa castra eorum, quæ humanis viribus ex- „ pugnari non possent, post eorundem Comi-

D „ tum rebellionem de longe apparentibus signis „ regiis paruerunt. Miser ille Franciscus fu- „ giens & incognitus plebejo more trucidatus „ est. Fredericus verò clementia regia permit- „ tente discessit, turbaque, quæ cum illis ad „ infidelitatem convenerat, miserabiliter dis- „ persa est. Golisanum, Graterum, & Bruca- „ tum proditione commissa per incolas, quæ „ horrendæ infidelitatis contagium ab illis, „ Francisco & Frederico subrepserat tuæ di- „ tioni fuisse subjecta quid juvit; quæ jam „ abeunte classe, quam miseras, oppositæ cir- „ cumquaque in circuitu machinæ sub brevi „ tempore obruerunt? Libet autem nunc ora- „ tioni finem imponere atque alia & alia de-

E „ testanda mala, quorum aliqua per se nota „ sunt, & aliqua divulgare non libet sub dis- „ simulatione transire, obsecrans, mi frater & „ domine, in glorioso sanguine Jesu Christi, „ ut redeas ad Dominum Deum tuum, & hæc „ omnia, quæ gesta sunt, æquitatis oculo „ contempleris, Divina judicia ne contendas. „ Non est enim nostrum scire tempora vel „ momenta. Sed cùm sis paratus evidenter „ ad exitum, non bella, non seditiones, non „ odia, non machinationes, non factiones, „ non jurgia, sed ut requiescas in pace dili- „ genti studio vigilanter exquiras, eo præser- „ tim, quòd sublata est tibi rabies illa re-

„ gnan-

Digitized by Google

„ gnandique cupiditas, quæ solet miseros pa-
„ rentes invadere, propagandi scilicet regnum
„ in filios & filios filiorum, quoniam ad colla-
„ teralem lineam regnum transire opus est
„ absque bello & tumultu. Rem gestam à Deo
„ vides. Nam qui regnat in illo natus ex tua
„ germana processit.

A

F I N I S.

Digitized by Google

INDEX GENERALIS
RERUM, ET NOMINUM,
Quæ continentur in hoc Tomo X.
RERUM ITALICARUM.

A

Acclamationes recèns creatis Principibus. col. 245. B.
Quæ in coronatione Augustorum. 462. B.
Adeleita Eccelini de Romano mater. 787. A.
Æterni titulus tributus Imperatoribus. 22. A.
Æthnæ montis mirabilia. 921. C.
Albericus de Romano Eccelini frater. 787. A.
Ejus dira mors. 799. A.
Albertus Austriacus Imperator à Bonifacio VIII. rejectus, tum probatus. 293. E. & *seqq*.
Imperator à nepote ex fratre cæsus. 210. E. 211. C.
Quo anno. 213. C.
Justa ei persoluta ab Henrico VII. 262. C.
Albertus Scotus à Placentinis tyrannidis accusatus. 395. D.
Placentiæ dominatur. 438. A.
In exilium agitur. 554. E.
Albertini Mussati Libri olim quales. 19. B.
Fuit is veritatis sectator. 23. A.
Ejus Vita à Xiccone Polentono scripta. 1.
Libri quot & quales. 2.
Nunc recusi cum fœnore. 3.
Altera illius Vita. *Ibid*.
Legatus Patavinæ Reipub. ad coronationem Henrici VII. 338. D.
Tum ad impetranda patriæ privilegia. 352. A.
Pacem componit inter Cæsarem & Patavinos. 365. A.
Ejus oratio ad Henricum VII. 366. E.
Rursus ad eum Legatus. 392. B.
Literas ab eo impetrat pro populo suo. 412. A.
Ejus oratio ad Senatum Patavinum. 418. B.
Militans Pojanam villam Vicentinis eripit. 445. C.
Electus ad tractandum de pace cum Cane Scaligero. 587. E.
Ejus ædes in seditione populi direptæ. 611. B.
Invectiva illius in Patavinum populum. 614. B.
Ejus gesta pro Republica. 615. A. & *seqq*.
Captus à Cane Scaligero ad Vicentiam. 650. B.
Patavinorum Legatus ad Florentinos. 684. D.
Clugiæ relegatus. 718. A.
A patria denuo exclusus. 759. C.
Ejus declamatio in Marsilium Carrariensem. 766. A.
Albi, eorum origo Pistorii. 285. A. 286. B.
Appellati Gibellini, Nigri Guelphi. 466. A.
Albuinus Scaliger Veronæ Dominus, Henricum VII. Augustum in Italiam invitat. 268. A.
Unde illi hoc nomen. 288. C.
Ejus electio. 291. B.
Ejus Legati ad Henricum. 333. B.
Ejus obitus. 402. C.
Aldobrandinus Marchio Estensis. 467. A.
Alfonsus primogenitus Aragonensis Regis Majoricam Jacobo eripit. 950. D.
Patri succedit in Regno Aragoniæ. 951. B.
Carolum II. Apuliæ Regem è captivitate liberat. 958. A.
Diem postremum obit. *Ibid*. E.
Alexander IV. Papa graviter indignatus contra Manfredum Siculum. 825. D.
Alexandria Civitas Roberto Apuliæ Regi subjecta. 337. C.
Alexandrini exules à civibus intrinsecis fracti. 538. B.
Alianora filia Caroli II. Apuliæ Regis, nupta Friderico Siciliæ Regi. 861. C.
Ejus filii. 864. D.
Alticlinorum ruina Patavii. 607. C.
Altinerius de Azonibus Potestas Paduæ victoriam refert de exercitu Canis Scaligeri. 702. B.
Ameus, sive Amedeus, Sabaudiæ Comes, sororius Henrici VII. Augusti. 328. A. & C. 347. B. 391. A.
Legatus ejusdem ad Papam. 566. B.
Antonius de Fisiraga Laudi Dominus Henrico Aug. obsequens. 332. A.
Pro Guidone Turriano intercedit. 349. B.
Laudensem Urbem Henrico tradit. 363. C.
Cæsus occumbit. 398. A.
Aponi Castrum in agro Patavino captum à Cane Scaligero. 598. D.
Aquileges qui olim fuerint. 16. A.
Aquisgrani coronati Imperatores. 252. B. 257. A. 260. E.
Arelatense Regnum olim portio Romani Imperii. 419. C.
Argelatus (Philippus) laudatus. 3.
Argulioſi dominantur Forolivii. 671. A.
Inde pulsi abeunt. 672. A.
Arnaldus Pelagrua Cardinalis Apostolicæ Sedis Legatus. 330. C.
Arnaldus dè Frangeriis Episcopus Sabinensis. 383. B. & D.
Arpax, nunc Roncone, *seu* Ronchetto. 425. E.
Arragonensium Regum genealogia. 505. D.
Astensis Civitas Henrico VII. Augusto obediens. 331. A.
Roberto Apuliæ Regi adhæret. 438. C.
Atrebatensis Comes Balivus Regni Apuliæ classem in Siculos mittit. 953. B.
Raynaldum de Velino captivum duris pactis redimit. 955. E.
Augusta Siciliæ Civitas à Gallis Apulis capta. 953. C.
Obsessa à Jacobo Siculo Rege. 954. A.
Atque ab ipso recepta. 955. C.
Augusti titulus quando invectus. 12. D. 13. B.
Cæsar, & Augustus an differant. 14. B.
Augusti, & semper Augusti quando appellar cœpti Imperatores. 368. E. & *seqq*.

Auriæ factionis Gibellinæ principes Genuæ. 399. C.
Azonis Estensis Marchionis dissidia cum Ecceline Monacho. 791. C.
Azo Vicecomes dominium Mediolani arripit. 779. D.
Aymo Gebennensis Episcopus Vicentiam Paduanis eripit. 361. A.
Pro ipsis intercedit apud Cæsarem. 365. C.
Ad Venetos Legatus. 376. A.
Ad Paduanos. 391. C.
Ejus obitus. 392. B.

B

Bajamontis Theupuli seditio Venetiis. 583. C.
Bailardinus de Nogarolis Miles Veronensis de pace agit cum Paduanis. 587. E.
Montagnanam Paduanis eripit. 685. B.
Balduinus Archiep. Trevirensis frater Henrici VII. Augusti. 108. B. 126. A.
Quando electus. 201. A.
Quot commoda ac ornamenta suæ Ecclesiæ compararit. 202. A.
Varia illius gesta. 203. A.
Baluzius (Stephanus) primus evulgat Historiam Nicolai Specialis. 915.
Ejus Præfatio. 916.
Barchinonenses, epistola Roberti Regis Apuliæ ad eos. 873. B.
Tum altera Friderici Siciliæ Regis. 875. A.
Barnabas Auria principatum Genuæ arripit. 400. A.
Bartholomæus Episcopus Pactensis Siculorum Legatus ad Papam. 924. D.
Bassianum sub Patavinis. 424. D.
Bavariæ Dux Elector Imperii. 217. A.
Beatrix Comitissa, mater Henrici VII. Augusti. 61. B.
Beccaria Familia Ticini potens. 332. E.
Manfredus de Beccaria inde pulsus. 333. A.
Benedictus XI. Papa conjuratos in Bonifacium VIII. restituit sacris. 320. A.
E veneno ficubus immixto perit. 322. D.
Bergomenses Gibellini à Guelphis afflicti. 537. A.
Bergomensium bella civilia. 662. A.
Intrinseci Nimbrum recipiunt. 664. A.
Ad Maphæum Vicecomitem deficiunt. 666. C.
Bergomum posterioribus Seculis appellatum Pergamum. 380. B. & E.
In fide erga Henricum VII. Cæsarem continetur. 381. B. 438. B.
Ejus Urbis status. 515. D.
Bericæ mons mirabilis in Vicentino agro ob subterraneas cavernas. 442. C. 443. B.
Bernardinus de Polenta Ravennæ Dominus contra Henricum VII. Aug. 473. B.
Bernardinus Coniensis Comes. 671. A.
Bertrandus de Pogieto S. R. E. Cardinalis. 770. A.
Legatus Apostolicæ Sedis. 771. C.
Bononiam ditioni Romanæ Ecclesiæ restituit. 777. B.
Ei plures adhærent. 780. B.
Blanca Ludovici Francorum Regis filia nupta Regi Hispaniæ. 505. B.
Blanca filia Caroli II. Regis Apuliæ nupta Jacobo Regi Aragonum. 845. C. 853. A.
Blascus de Alagona Vicarius Siculi Regis in Calabria, victoriam de Apulis refert. 959. A.
Siculos in obsequio Friderici Regis confirmat. 964. B.
Ejus gesta bellica in Calabria. 967. D. 968. A. 977. E.
In Siciliam revocatur à Friderico Rege. 989. B.
Iterum illuc missus Rogerium de Lauria profligat. 990. A.
Multos nobiles captivos ad Fridericum ducit. 994. A.
Infelici pugnæ contra Jacobum Regem interest. 1000. A.
Adversùs Principem Tarentinum pugnam sibi deposcit. 1015. D.
Ejus fortitudo in prælio & victoria. 1017. B.
Comitem Brebennæ, aliosque in altera pugna captivos habet. 1021. B. 1023. C.
De ipso necando inanis Tuscorum jactantia. 1024. B.
Cum Rogerio de Lauria secretum habet colloquium. 1031. A.
Ad Messanenses obsessos commeatum vehit. 1033. B.
Non sinè Friderici Regis & Siculorum lacrymis diem postremum obit. 1035. B.
Bohemiæ Rex Elector Imperii. 216. E.
Bohemiæ Regnum Johanni filio Henrici VII. Augusti delatum. 263. A. 327. A.
Bonifacius VIII. Papa Cœlestino V. succedit. 960. D.
Fridericum Aragonensem Vicarium Siciliæ magno cum honore excipit. 961. B.
Yolandæ Aragonensis nuptias cum Roberto Calabriæ Duce celebrandas Romæ curat. 985. A.
Ingentem classem contra Fridericum Siculum armat. 992. A.
Tam in temporalibus, quàm in spiritualibus, contendebat sibi subdita esse Regna. 297. C.
Ejus literæ ad Philippum Francorum Regem. 298. D.
Eum anathemate ferit. 299. E. 301. A.
In Conciliabulo Parisiensi dilaceratur. 305. E.
Anagniæ captivus detinetur. 311. C.
Quid tunc in ea tragœdia actum. 314. D.
Convitiis impetitur. 316. B.
Ab Anagniæ populo libertati restituitur. 317. B.
Ejus Epistola ad Fridericum filium Petri Regis Aragonum. 846. B.
Altera ad Electum Salernitanum. 862. D.
Ejus memoria protecta à Cardinalibus contra machinationes Philippi Francorum Regis. 268. B. 292. D. 325. A.
Quæ caussæ dissidiorum inter ipsum, & Regem. 293. C.
Ejus adversùs Regem ira ac diræ. 295. E.
Ejus postrema dies. 318. A.
Bononia ditioni Romanæ Ecclesiæ restituta. 777. B.
Bononienses Henrico VII. Augusto adversi. 338. A.
Mutinensium copias fundunt. 439. C.
Mutinam obsidione tentant. 440. A.
Florentinis subsidia mittunt. 471. D. 635. D.
Brabantiæ Comites & Duces qui olim. 79. C.
Brandeburgi Marchio, Elector Imperii. 217. B.
Brixienses ab Henrico VII. Augusto deficiunt. 345. A.
Eorum seditio contra illius Legatos. 357. B.
In ipsum insurgunt. 364. E.
Ab Henrico Brixia obsessa. 365. A.
Eam cives obfirmatis animis tuentur. 375. A.
Eorum querelæ de Henrico VII. Augusto. 385. C.
Mœnia fortiter tuentur. 390. A.

Se

Digitized by Google

Se Henrico tandem subjiciunt ac dedunt. 394. B.
Brixiensibus intrinsecis damna illata ab exulibus. 555. C. 556. D.
Pax inter eos, & cum Cremonensibus subsequuta. 590. C.
Eorum tumultuatio. 678. B.
Gibellini inde pulsi. 679. A.
Brundusinæ Civitatis origo. 978. E.

C

CÆsaris titulus an ab Augusti titulo differat. 14. B.
Cajeta obsessa à Jacobo Rege Siciliæ. 957. B.
Calbulenses pulsi è Foro Livii. 630. E. 670. E.
Urbem recipiunt. 671. E.
Inde rursus abire coguntur. 672. C.
Campanæ appellatæ Squillæ. 457. B.
Canis Grandis, sive Magnus, Scaliger Veronæ Dominus Henricum VII. in Italiam invitat. 268. A.
Unde illi hoc nomen. 288. A.
Ejus laudes. *Ibid*. C.
Ejus Legati ad Henricum. 333. B.
Vicarius Veronæ ab eo constituitur. 355. A.
Vicentiam Paduanis eripit. 361. A.
Illius ira ac impotentia. 362. A.
Albuino fratri succedit. 402. C.
Vicentiæ Vicarius creatus ab Henrico Augusto. 415. B.
Bellum exorditur contra Patavinos. 421. B.
Eorum agrum populatur. 424. D.
Prœliatur cum ipsis. 426. C.
Mutinensibus subsidia mittit. 440. A.
Profugus à Paduanis Vicentiam se recipit. 446. A.
Ad eum deficit Nicolaus de Lucio Patavinus proditor. 492. A.
Patavinum agrum vastat. 494. B.
Ad prœlium inani ostentatione Patavinos provocat. 495. B.
Vitæ periculum incurrit. 518. D.
Subsidia Henrico VII. mittit. 531. D.
Comitem Goritiæ in suam tutelam ciet. 549. A.
Patavini populi in eum ingens odium. 588. C.
Vicentiam affligit. 589. A.
In Patavino agro aliquot Castra sibi subdit. 598. D.
Ad mœnia Patavii excurrit. 622. A.
Raptim Vicentiam obsessam ingreditur. 649. D.
Patavinum exercitum profligat. 651. A.
Pacem cum Paduanis statuit. 659. B.
Cremonenses bello impetit. 675. A.
Montis-Silicis occupationem molitur. 681. D.
Quod & perficit. 683. C.
Estense oppidum invadit. 686. B.
Patavinum obsidione premit. 687. B. 691. E.
Inde fuga salutem quærere coactus. 694. E.
Rursus Patavinam Urbem stringit. 695. B.
Furtivum in eam ingressum tentat. 696. D.
Sed repellitur. 699. C.
Ejus exercitus fusus. 704. C. 712. C.
Cum Nicolao Carrariensi consilia agitat de subigenda Padua. 733. A.
Quam armis aggreditur. 734. D.
Cum Marsilio Carrariensi pacta init. 746. D.
Paduæ Dominus renuntiatur. 751. B.
Magnificus ejus ingressus in Urbem. 755. C.
Nobilem Curiam Veronæ indicit. 756. E.
Et celebrat. 757. A.
Ludovicum Bavarum in Italiam invitat. 770. C.
Ad colloquium Ludovici Bavari accedit. 779. D.
Gibellinis omnibus animos addit. 781. C.
Cardinales qui fuerint sub Clemente V. Papa. 292. D.
Cardinales Legati à Clemente V. Papa ad coronationem Henrici VII. 383. B.
Pacem inter ipsum, & Brixienses curant. 384. B. 393. C.
Illi coronam imponunt. 462. A.
Caroli IV. Augusti laudes. 165. C. 173. D. 180. A.
Aurea Bulla. 221. D.
Carolus I. Siciliæ Rex Manfredum Siculum dejicit. 822. C.
Ejus Epistola ad Clementem IV. Papam. *Ibid*. D.
Regnum Siciliæ & Apuliæ sibi subjicit. 824. B. 826. B.
Romani Imperii Vicarius per Italiam constituitur. 827. B.
Conradinum debellat. 828. D.
Ejus Epistola ad Clementem IV. Papam. *Ibid*. E.
Ab eo Siculi deficiunt. 830. C.
Messanam obsidet. 833. B.
Ejus Epistola ad Petrum Regem Aragonum. 834. D.
Ad eum literæ ejusdem Petri. 835. E.
Ejus avaritiam Siculi detestantur. 839. C.
Messanæ obsidionem solvere cogitur. 841. C.
Cum eodem Rege Petro duellum condicit. 842. B.
Siculos affligit. 924. A.
Qui ab eo deficiunt. 925. B.
Is Messanam obsidet. 926. C.
Obsidionem solvere cogitur. 936. C.
A Petro Aragonum Rege variis in prœliis percussus. 937. A. & *seqq*.
Ipsum per nuntios læsæ fidei insimulat. 938. E.
Duellum ei oblatum à Petro. 939. E.
A quo illuditur. 941. B.
Ejus classis ad Melitam Insulam profligata. 942. D.
Rhegium frustra recuperare satagit. 945. C.
Multas de eo victorias Siculi referunt. 844. B.
Postrema illius dies. 845. A. 946. A.
Ejus literæ de duello cum Petro Rege. 905. A.
Ejus posteritas. 506. B.
Carolus Caroli I. Siciliæ Regis filius, Princeps Taranti à Siculis captus. 943. E. 944. D
Appellatus Martellus. 954. D.
A captivitate liberatus, Rex Apuliæ coronatur. 958. A.
Ingentem classem contra Fridericum Siculum parat. 992. A.
Siciliam per filios invadit, 1009. B. 1015. B.
Siculorum captivorum fidem tentat. 1027. C.
Carolus II. Caroli I. Apuliæ Regis filius, captus à Siculis. 844. C.
E carcere liberatur. 845. C.
Siciliam invadit. 854. E. 860. D.
Pacem statuit cum Friderico Siculo. 861. B.
Diem supremum obit. 865. A.
Carolus Valesius Philippi Pulchri Francorum Regis frater ad Imperium inhiat. 234. C. 235. B.
Siciliam invadit. 860. D.
Pacem statuit inter Carolum II. Regem Siciliæ, & Fridericum Siculum. 861. B. 874. A. 876. B.
Carolus Roberti Regis Apuliæ filius in subsidium Flo-

Digitized by Google

Florentinorum missus. 633. C.
Siciliam vastat. 893. B.
In prœlio cadit. 642. C. 779. A.
Ejus cadaver calcatum à Nerio Comite. 644. B.
Carrariensium potentia ac nobilitas Patavii. 608. E.
Ii Alticlinos è medio tollunt. 609. D.
Tyrannide Patavium premunt. 716. B.
Quot ex illa Familia primates. 717. A.
Vicarium Paduæ sibi devinciunt. 719. B.
Eorum impotentia. 725. A. 738. A. 741. E. 753. B.
Carroccium appellatum quoque Carrocerum. 457. E.
Ejus descriptio. 458. B.
Carrocius militum magister in exercitu Florentinorum. 641. B.
Castellanus Tarvisii Dominus. 484. B.
Castonus de la Turre Archiep. Mediolanensis. 335. A. C.
Henricum VII. Corona Ferrea cingit. 338. E.
Castrucius de Antelminellis Pisarum Lucæque Dominus Bavarum in Italiam advocat. 770. C.
Romam ad ipsum se confert. 777. E.
Româ regressus finem vivendi facit. 778. D.
Castrum Johannis fortissimum asylum Regibus Siculis præbet. 1007. A.
Catana obsessa à Roberto Apuliæ Duce. 1011. B.
Quæ à proditoribus eidem traditur. 1013. C.
Catanensium literæ ad Panormitanos. 895. C.
Catharina Austriaca num uxor Henrici VII. Augusti. 89. B. 185. A.
Ceccus de Ordelaffis Foro-Livii potitur. 671.
Inhiat ad occupandam Cerviam. 674. C.
Cera miniata olim in usu. 31. A.
Cervia in libertatem se vendicat, ac tradit Lamberto Polentano. 674 B.
Chasma hiatus terræ. 379. C.
Claromontis Comes à Friderico Rege Siculo in subsidium Henrici VII. Aug. missus. 504. C.
Clemens IV. Papa Carolum Provinciæ Comitem Regem Siciliæ creat. 826. C.
Clemens V. Papa Henricum Lucemburgensem Comitem ad Imperium promovet. 234. B. 236. A. 241. D.
Ejus ad Pontificatum electio. 292. B.
Quibus modis peracta. 323. B.
Secretum ejus fœdus cum Roberto Apuliæ Rege. 499. C.
Ferrariam eidem regendam tradit. 500. A.
Naturæ debitum solvit. 606. A.
Cœlestinus V. Papa vir simplex & timens Deum. 960. C.
Coloniensis Archiep. Elector Imperii. 216. D.
Columnenses Cardinales exsoluti à censuris per Benedictum XI. Papam. 321. D.
Eorum factio Romæ. 507. A.
Henrico VII. Aug. favent. 407. B.
Illum venientem excipiunt. 449. A.
Ob ejus mortem spe, omni destituti. 574. B.
Comensium commotio contra Henricum VII. sedata. 346. B.
Comestabuli dignitas in aula Regum. 114. A.
Comitatus quid olim fuerit. 489. E.
Comitum Familia illustris inter Romanas. 453. C.
Concilium Viennense sub Clemente V. 377. C.
Conradinus Conradi Regis Germaniæ filius. 821. E.
Ejus querimonia ad Principes Germaniæ de rapto sibi Regno Siciliæ. 824. C.
Debellatus à Carolo Siciliæ Rege. 828. D.
Captus capite minuitur. 830. A.
Creditus auctor factionis Gibellinæ. 277. D.
Conradus Friderici II. Augusti filius, ad eum patris hortatio. 817. B.
Regno Siciliæ potitur, ac diem suum obit. 821. B.
Conradus de Ovestagn Vicarius Patavii pro Henrico Rege Bohemiæ. 717. D.
Ad eum literæ Albertini Mussati. 718. D.
Ejus virtutes & vitia. 720. A.
Præsertim avaritia. 737. B.
Patavinis subsidia affert. 740. B.
Conradus Comes de Oettingen domitus ab Henrico VII. Augusto. 268. D.
Conradus de Auria Admiratus Friderici Siciliæ Regis. 854. E.
Ab Apulis fractus capitur. 860. B.
Classi præest Friderici Siciliæ Regis. 992. B.
Temerè Rogerium de Lauria ad pugnam ciet. 1025. A.
Fractus in captivitatem abit. 1027. A.
Constantia Sicula nupta Henrico VI. Imperatori. 815. B. D.
Mater Friderici II. Augusti. 816. C.
Constantia Manfredi Regis Siculi filia, nupta Petro Aragonum Regi. 822. C. 833. C. 837. D. & 929. E. 930 C.
In Siciliam concedit. 841. E. 854. A. 940. B. 962. A. 952. D.
Romam navigat. 985. A.
Ejus mors. 986. A.
Corona Ferrea, qua Reges Italiæ cinguntur, imposita Henrico VII. 338. B.
Coronæ ab Imperatoribus adhibitæ, quot & quales. 257. A.
Coronatio Germanica Imperatorum. 253. B. 257. A.
Italicæ duæ. 260. E.
Cortes appellatæ Villæ alodes & liberi juris. 379. C.
Crema deficit ab Henrico VII. Augusto. 344. C.
A Maphæo Vicecomite deficit. 679. D.
Guelphorum parti adjuncta. 680. A.
Cremonenses deficiunt ab Henrico VII. Augusto. 344. C.
Eorum querelæ contra ipsum. 349. C.
Perduellionis ab ipso damnati. 358. A.
Urbem Cæsari irato dedunt, qui eos gravissimè plectit. 364. B.
Cremonæ excitata seditio contra Cæsarem. 403. A.
Sub Giberto de Corregia. 515. E.
Roberto Apuliæ Regi adhærent. 516. B.
Suncinum ad deditionem cogunt. 554. B.
Bello afflicti à Cane Scaligero, & Passerino Mantuano. 675. A.
Jacobum Cavalcabovem sibi præficiunt. 677. C.
Ac deinde Gibertum Corrigiensem. 678. A.
Cremonensium Guelphorum progressus. 557. E. & seqq.
Curiæ vox quid significet. 382. D.
Custoza Vicentinorum vicus: mirabiles ibi montium cavernæ. 442. D. 443. B.

D

Diadegus, sive Diegus, aut Didacus Romandiolæ Comes. 641. C.
Frustra Foroliviensium dissidia componere conatur. 671. D.
Foroliviense bello petit. 673. C.
Dalmasius Ferrariæ Præfectus Franciscum Marchionem Estensem à sicariis interficiendum curat. 466. C. & E.
Venetis militat. 584. A.

Digitized by Google

In Apuliam fugit. 586. C.
Dalphinus Viennensis ad invadendum Mediolanum missus. 645. B.
Dertona ad Robertum Regem deficit. 578. B.
Dextrarii equi militares. 388. D.
Dii Miniani cur olim appellati. 31. A.
Drepanum in Sicilia à Roberto Apuliæ Rege obsessum. 625. D.
Soluta illa obsidio. 627. C.
Duellum inter Carolum Siciliæ Regem, & Petrum Aragonum Regem, conditum. 842. B.
Durand (Ursinus) Monachus S. Benedicti è Congreg. S. Mauri Chronicon Siculum evulgat. 803.

E

EBerardus Wirtembergensis Comes rebellis Imperio. 262. A.
Spoliatur fortunis. 267. D.
Eccellentissimi titulus quàm magnificus olim. 208. D.
Eccelini de Romano immanis crudelitas. 417. B.
Ejus memoria tetra apud Paduanos. 690. B.
Synopsis actorum ab eo. 786.
Quomodo conceptus à matre fingatur. 787. A.
Ei erepta Padua. 795. D.
Ad Abduam captus occumbit. 798. A.
Eccerinis Tragœdia Albertini Mussati heic recusa. 785.
Electio Imperatorum prælata successioni. 212. D.
Electores Imperii quot & qui. 216. C.
Olim non iidem ut nunc. 217. C.
Elimare pro corrigere, castigare. 17. D.
Elisabet Wenceslai Bohemiæ Regis filia, nupta Johanni filio Henrici VII. Augusti. 185. C.
Elisabeth filia Regis Bohemiæ, nupta Petro II. Siciliæ Regi. 892. D.
Emologare pro confirmare & laudare. 327. D.
Estense oppidum à Cane Scaligero invasum. 686. B. 737. D.
Exenia appellata dona. 189. C.

F

FAcius Comes de Donoratico filius Gerardi Comitis. 404. C. D.
Fani perturbatio atque factiones. 523. A.
Fasti purpurei cur appellati. 30. A.
Feritores qui appellati in prœliis. 641. D.
Fernandus Alphonsi Regis Hispaniæ filius Florentinis militat. 505. B. 521. B.
Ferretus Vicentinus Historicus. 18. E.
Res gestas Henrici VII. Augusti descripsit. 19. B. 209. C.
Ferrantinus de Malatestis ad Cerviæ dominationem inhiat. 674. C.
Ferraria à Clemente V. tradita Roberto Apuliæ Regi. 500. A.
Fidelitas jurejurando à Vassallis firmata. 227. D.
Homagium cum ea conjunctum. 228. A.
Florentia ceteris Tusciæ Urbibus præstat. 465. C.
In Florentinorum agrum Henricus VII. Aug. arma movet. 471. A.
Hi undique subsidia congerunt. 472. A.
Eorum jactantia ab Henrico contrita. 474. D.
Inter cives dissidia. 477. A.
Quæ Urbes in eorum subsidium copias miserint. 480. A.
Ad eorum opem destinatus Petrus Roberti Apuliæ Regis frater. 503. C.
Ob occupatam à Pisanis Lucam perterriti. 604. E.
In eorum subsidium missus Petrus supra memoratus. 624. D.
Cum Ugutione de Fagiola confligunt. 641. A.
Ingenti clade prostrati. 642. D.
Flos ætatis appellata juventus. 147. D.
Flos Liberi vinum. 153. D.
Flos vini quid. 154. D.
Foroliviensium intestina dissidia. 670. E.
Capta Civitas à Calbulensibus, & Ordelaffis. 672. A.
A Ludovico Bavaro deficiunt. 780. A.
Inde pulsi Calbulenses. 630. E. & *sequ.*
Arguliosi potentes ibi. 631. C.
Franchisiæ appellatæ exemtiones, immunitates. 353. A. 354. C.
Franci Legis Salicæ Auctores. 121. A.
Duæ Leges iis fuere. 124. E.
Franciscus Marchio Estensis Patavinis subsidia adfert. 425. D. 430. A.
A Dalmasio Ferrariæ Præfecto interemtus. 466. C. E. 584. A.
Franciscus de la Mirandula Mutinæ Vicarius Imperialis. 439. A. 515. D.
Franciscus de Manfredis Faventiæ Guelphorum Princeps. 631. B.
Franciscus de Ordelaffis Foroliviensis Primas Legato Apostolico adhæret. 780. C.
Franciscus Ugutionis de Fagiola filius, juvenis fortissimus. 641. D.
In prœlio occumbit. 642. A.
Franciscus Comes de Carpegna. 673. E. 674. A.
Francorum Regum genealogia. 506. A.
Friderico Austriaco confirmatur Ducatus Austriæ ab Henrico VII. 262. E. 269. A.
Electus Imperator Paduam sibi subditam habet. 693. C.
Ejus dissidia cum Ludovico Bavaro. 769. C.
Friderici II. Augusti postremæ tabulæ. 803. 818. C.
Rex Siciliæ post Henrici patris obitum creatur. 816. C. & E.
Tum Imperator. 817. A.
Ejus adhortatio ad Conradum filium. *Ibid.* C.
Ejus postrema dies. 820. E.
Fridericus Petri Regis Aragonensis filius in Siciliam venit. 841. E.
Ad eum literæ Bonifacii VIII. Papæ. 846. B.
Ad quem ille se confert. 850. D.
Ejusdem literæ ad universitates Siciliæ. 851. A.
Coronatur Rex Siciliæ. 853. D.
A Roberto sororis viro, & à Jacobo Rege fratre, debellatur. 856. B.
Ejus literæ ad Panormitanos. *Ibid.* C.
Philippum Tarentinum debellat. 858. E.
Victoriam relatam Panormitanis significat. 859. A.
Fracta ab Apulis ejus classis. 860. B.
Pacem cum Carolo II. Apuliæ Rege statuit. 861. B.
Ejus literæ de pace stabilita. *Ibid.* D.
Filii ejus ex Aleonora conjuge. 864. D.
Fœdus & affinitatem statuit cum Henrico VII. Augusto. 870. E.
Resumit Regium titulum. 872. C.
Classem ingentem instruit contra Robertum Apuliæ Regem. 880. B.
De induciis cum eo statutis monet Panormitanos. 881. A. 886. A.
Fœdus init cum Genuensibus ex urbe pulsis. 888. D.
Tributa indicit Ecclesiis. 889. B.
Petrum filium corona Sicula donat. 890. E.

Digitized by Google

Panormitanos per epistolam laudat. 897. B.
Ad eum literæ Ludovici Bavari. 858. C. & D.
Ejus legatio ad Henricum VII. Augustum. 408. C.
Is à Jacobo Aragoniæ Rege fratre Vicarius Siciliæ constituitur. 958. E.
Tum à populis, invito fratre, coronatur Rex. 965. A.
Squillacium in fidem recipit. 968. D.
Catanczarium obsidet. 969. E.
Quo tamdem potitur. 971. C.
Inter eum & Rogerium de Lauria dissidium. 973. D.
Pax inter eos restituta. 975. C.
Sanctum Severinum in deditionem recipit. 976. A.
Ad colloquium invitatus à Jacobo fratre. 977. A.
Ejus concio ad Siculos contra invitamenta ejusdem. 981. E.
Contra illum insurgit Rogerius de Lauria. 984. A.
Jacobo Regi fratri contra se procedenti obsistit. 994. A.
Subsidia Henrico VII. Aug. mittit. 504. C.
Ejus Genealogia. 505. D.
Contra Robertum Regem Henrico Aug. sua arma jungit. 562. B.
Inter eum & Pisanos iniri fœdus nequit. 575. E.
Rhegium Roberto eripit. 591. A.
In eum ingenti apparatu fertur idem Robertus. 623. C.
Ob Drepanum à Roberto Rege obsessum anxius. 625. D.
Classem Johannis de Lauria frangit. 995. B.
Ejus allocutio ad Siculos. 998. E.
Ad prœlium contra Jacobum Regem fratrem in mari se parat. 1001. A.
Acerrima inter eos pugna. 1002. C.
Ejus classis debellata. 1004. C.
Messanam delatus custodiam Regni curat. 1006. B.
Prœlium init cum Philippo Principe Tarentino. 1017. B.
Victoriam refert, eumque captum habet. 1018. A.
Messanæ obsessæ commeatum suppeditat. 1033. B.
Aliis rationibus eidem succurrit. 1036. A.
Fridericus Comes Montisferetri militat Henrico VII. Aug. 497. B. 671. E.
Pax inter illum, & Malatestinum Ariminensem. 673. D.

G

Galeatius Vicecomes Cremonam in officio continet. 403. A.
Lomellinam vastat. 435. C.
Placentiæ res nutantes firmat. 554. E.
Guelphos in prœlio frangit. 559. A.
Præsidium Bergomatibus adducit. 663. D.
Ludovicum Bavarum in Italiam invitat. 770. C.
Ab eo in carcerem truditur. 771. B.
Gallica Lex diversa à Salica. 120. B.
Gallica gens à Panormitanis trucidata. 830. C.
Eorum intoleranda luxuria ac avaritia in Sicilia. 837. B. 839. B. 876. D.
Gastaldiones appellati Syndici. 351. A.
Eo nomine donati Tribuni Patavini. 587. B.
Gebenna Civitas, nunc Geneva, *sive* Genevra. 361. C.
Gentilis de Ursinis inter Primates Romanos. 456. A.
Genuenses Henrico VII. Aug. obsequentes, legatos ad eum mittunt. 350. B.
Eum magnificè excipiunt. 399. A.
Auriæ & Spinolæ factionis Gibellinæ principes ibi. 400. A.
Genuensium querelæ de Henrico VII. 410. B.
Classem parant pro ipso. 532. C. 562. C.
Eorum bella civilia. 886. E.
Ex urbe pulsi Auriæ & Spinulæ. 887. A.
Gerardus de Parma Cardinalis Episcopus Sabinensis, Legatus Apostolicæ Sedis ad Siculos. 1014. E. 1019. A. 1020. E.
Frustra Siculis pacem suadet. 1029. B.
Gerardus Comes de Donoratico capitali sententia à Carolo I. Siciliæ Rege plexus. 404. C.
Gerardinus Philipponi Comitis de Langusco filius, Papiæ dominatur. 560. B.
Adversùs Maphæum Vicecomitem arma explicat. 579. B.
Gerbarum Insula Saracenis erepta per Rogerium de Lauria. 946. C.
Germaniæ divisio. 264. D.
Gibellinæ Civitates sub Henrico VII. 438. C.
Gibellinæ factionis progressus in Italia. 278. B.
Qualis ejus status sub Henrico VII. Augusto. 279. C.
Studia illius diversa à Guelphorum factione. 280. C.
Gibellini fautores Imperii. 281. C.
Quibus signis distinguerentur à Guelphis. *Ibid*. E. 283. B.
Mala eos consequuta. 284. A.
Appellati Albi. 285. A.
Guelphorum & Gibellinorum nomina ab Henrico VII. improbata. 348. B.
Gibellini Thusci in Italiam advocant Henricum VII. Augustum. 268. A. 284. E.
Guelphorum factioni oppositi. 271. E.
Unde factionis hujus origo & nomen. 272. B. & *seqq*.
Pistoriensibus tribuitur. 273. A.
Tum Friderici I. Augusti temporibus. 274. C.
Ex Urbe Veteri pulsi. 567.
Ob Henrici VII. mortem afflicti. 573. A.
Gibellinorum effusus amor erga Imperium. 466. A.
E Fanensi Urbe pulsi. 523. B.
Gibertus de Santillo Comes Romandiolæ. 476. B.
Giberti de Corrigia Parmæ domini tergiversatio. 661. A. & C.
Castrum S. Quirici recipit. 666. B.
Cremonam tuetur. 676. C.
Ibi dominus constituitur. 678. A.
Gibolengi. *Vide* Gibellini.
Gilimbertus Comes Romandiolæ. 630. E.
Goleranus Henrici VII. Aug. frater. *Vide* Valeranus.
Græci potiti Sicilia. 809. C.
Inde à Saracenis pulsi. 812. A.
Gualpertinus Mussatus Abbas Sanctæ Justinæ Patavinæ, vir vitiis abundans. 3. 4. & 446. B.
Consulit saluti patriæ. 490. C.
Transfert Reliquias Apostolorum. 491. C.
Captivus tenetur à Sublimano perduelle. 513. D.
Periculum vitæ incurrit. 618. D.
Gualterius Comes Brebennæ Roberto Calabriæ Duci militat. 1019. A.
Ad capiendum Gallerani Castrum mittitur. 1021. C.
Debellatus in captivitatem trahitur. 1023. D.

Guar-

Digitized by Google

Guarnerius de Hocmborc Lombardiæ Præses constitutus ab Henrico VII. Aug. 436. C.
Guilielmum Cavalcabovem Marchionem necat. 437. A.
Patavinum agrum vastat. 494. B.
Ejus prælium infaustum cum copiis Roberti Regis. 517. A.
Guelphæ Civitates, imperante Henrico VII. 438. C.
Guelphi fautores Pontificum Romanorum. 281. C.
Quibus insignibus distinguerentur à Gibellinis. Ibid. E. 283. B.
Mala eos consequuta. 284. A.
Appellati Nigri. 285. A.
A Roberto Rege Apuliæ in Langobardia protecti. 555. B.
Fracti à Galeatio Vicecomite. 559. A.
Guelphorum & Gibellinorum unde origo & nomen. 272. B. *& seqq.*
Pistoriensis populi scissuris tribuitur. 273. A.
Germaniæ, & Friderico I. Augusto ab aliis adscribitur. 274. C.
Earum factionum progressus in Italia. 278. B.
Odio habitæ ab Henrico VII. 348. B.
Guelpho Bavariæ Guelphicæ factioni dat nomen. 275. E.
Guibertus de Corrigia, non Guido, Guelphos Placentinos juvat. 438. A.
Parmam Roberto Apuliæ Regi subdit. 516. A.
Guido dalla Turre Mediolanensium Capitaneus non occurrit Henrico VII. Augusto. 334. B.
Inermis ei se tamdem sistit. 337. A.
Ad ejus ædes certatum à militibus Germanis. 343. B.
Ipse profugus citatur ab Henrico VII. 344. B.
A Cremonensibus receptus accedere ad Henricum renuit. 349. C.
Bononiam fugit. 363. E.
Affinitatem contrahit cum Giberto de Corrigia. 403. A.
Ej conatus contra Gibellinos. 436. B. 438. A.
Guido Comes Montisfortis militat Apuliæ Regi. 954. D.
In captivitate apud Siculos diem suum obit. 956. A.
Guillielmotus Bruxatus Novariæ Dominus. 332. A.
Ibi dominari pergit. 433. A.
Guillelmus I. Siciliæ Rex. 814. C.
Guillelmus II. Siciliæ Rex. 814. E.
E vita excedit. 815. A.
Guillelmus Archiep. Panormitanus. 815. C.
Guillelmus Salernitanus Archiep. 862. C.
Guillielmus de Gudur Electus Salernitanus, Roberti Calabriæ Ducis Cancellarius. 1031. A.
Guillielmus Cavalcabò Marchio Cremonæ potens. 436. B.
A Guarnerio Præside Lombardiæ captus ac interemtus. 437. A.
Guillielmus Ocham Anglicus Ludovico Bavaro adhæret. 775. E.

H

Hengelmarius de Villandres Vicarius Paduæ. 719. E. 721. D.
Ejus luxuria. 725. C.
Quei Paduam rexerit. 744. E.
Henricus VI. Imperator ducit Constantiam Siculam. 815. D.
Regno Siciliæ potitur. 816. B.
Henricus Lucemburgi Comes pater Henrici VII. Augusti. 60. A.
Ejus mors in prælio. 74. D.
Henricus VII. Augustus, ejus gesta qui literis consignarint. 18. E. 19. A.
Ejus patria Lucemborc. 27. A. 35. D.
Ejus majores. 39. A.
Comes, non Dux, ante Imperium fuit. 42. C.
Quis ejus pater. 60. A.
Quæ mater. 61. B.
Ejus Stemma. 62. C.
Illius fratres. 108. B.
Virtutes, & in primis Pietas. 126. E.
Religio. 128. B.
Is Catholicus. 129. D.
Ecclesiæ Advocatus. 130. E.
Christianissimus. 132. E.
Ejus Probitas. 133. C.
Magnus & optimus Princeps. 134. D.
Sanctissimus. 135. E.
Honestus & gravis. 136. D.
Imperii zelator. 137. B.
Belli pacisque artibus clarus. 138. C.
Politicus insignis. 140. C.
Gloriosissimus. 145. C.
Ærarium Virtutum omnium. 146. E.
Ejus Prudentia. 158. A.
Fortitudo ac magnanimitas. 160. C. & E.
Constantia. 162. A.
Strenuitas. 163. C. 242. A.
Justitia. 168. C.
Moderatio animi. 176. C.
Ejus Majores. 7. & 8.
Quo anno natus 184. B.
Ejus uxores, & filii. 185. A.
Quot ei filiæ. 187. A.
Treverim obsidet. 191. C.
Ejus fœdus cum Treverensibus. 199. C.
Quàm solers fuerit. 206. D.
Sed ejus exigua potentia ante Imperium. 207. E. 240. B.
Electus Imperator. 209. A.
Quo anno. 213. A.
Quo in loco. 215. D. & E.
Suffragio & cura Treverensis Archiepiscopi fratris. 232. A.
Juvenis electus Imperator. 238. B.
Omnium acclamatione acceptus. 246. A.
Ei obsistit Robertus Apuliæ Rex. 865. D.
In quem sententiam damnationis promulgat. 866. B.
Fœdus & affinitatem contrahit cum Friderico Siculo. 870. E.
Quando Aquisgrani coronatus. 257. E.
A quo coronam susceperit. 260. B.
Prima ejus gesta post coronationem. 262. A.
Rebelles atterit. 267. D.
Johanni filio Bohemiæ Regnum tradit. 327. A.
In Italiam progreditur. 330. B.
Primatum Langobardorum ad eum concursus. 332. A.
Mediolanum pacificè intrat. 337. A.
Corona ferrea insignitur. 338. B.
Ejus corporis ac animi forma. 339. B.
Cremonenses dirè affligit. 364. B.
Brixiam obsidione premit. 365. A.
Ejus Diploma Patavino populo concessum. 368. D.
Constantia in morte fratris. 382. B.
Vicarium dat Patavio. 391. C.
Brixia potitur. 394. B.
Concilium Papiæ habet. 396.
Genuam pergit. 399. A.
Magnifica ad eum legatio Pisanorum. 404. C.

Digitized by Google

Et Roberti Apuliæ Regis. 406. B.
Tum Friderici Siciliæ Regis. 408. C.
Ejus literæ pro Paduanis. 412. C.
Pisas ingreditur. 447. B.
Romam contendit. 448. A.
Tripizonis propugnaculum expugnat. 450. B.
Ejus allocutio ad Urbis Primores. 452. A.
Capitolio potitur. 455. B.
In Lateranensi Basilica coronatus. 461. A.
Tiburim se recipit. 464. B.
Romá Aretium se confert. 470. A.
In Florentinos arma movet. 471. A.
Ab obsidione Florentiæ recedit. 474. A.
In oppido Sancti Cassiani consistit. 475. B.
Ad Podium Bonici castra metatur. 499. A.
Ejus oratio ad commilitones. 504. A.
Pisas digreditur. 509. A.
Ibi sententiam in Robertum Apuliæ Regem promulgat. 524. C.
Patavinos læsæ majestatis reos denuntiat. 539. E.
Ejus apparatus contra Robertum Regem. 562. B.
In Senensi agro finem vivendi facit. 567. B. & 871. C.
Ejus morte quantum perturbati in Italia Gibellini. 573. A.
Henricus Friderici II. Augusti filius. 818. E.
Ejus mors. 822. B.
Henricus Rex Cypri. 882. C.
Henricus Carinthiæ Dux è Bohemiæ Regno exturbatus. 268. E.
Henricus Bohemiæ Rex, & Dux Carinthiæ Patavii dominatur. 717. B.
Ad eum legatio Patavinorum. 733. C. 685. A.
Henricus Goritiæ Comes. 483. B.
Cani Scaligero in subsidium coacto exercitu venit. 549. A.
Tarvisinos ac Patavinos frangit. 551. C.
Henricus Goritiæ Comes bellum infert Patriarchæ Aquilejensi. 596. C.
Capitaneus Fori-Julii constitutus. 597. A. 685. A.
A Patavinis in auxilium accitus. 693. B. 709. A.
Henricus Tyroli Comes. 770. C.
Homagium cum sacramento Fidelitatis conjunctum. 228. A.
Quid sit. 229. A.
Hominium idem atque Homagium. 228. C.
Honorificabilitudinitas vox à Mussato usurpata. 376. B. & C.
Hugo de Albasio Roberti Regis Senescalcus, ejus prœlium. 517. A. 553. D. & 579. B.

I

Jacobus Aragoniæ Rex, ejus filii. 505. D.
Mariam Regis Cypri filiam uxorem ducit. 882. C.
Inducias statuit inter Robertum Apuliæ Regem, & Fridericum Siculum fratrem. 885. E. 886. A.
Ejusdem literæ ad Summum Pontificem. 890. B.
Jacobus Petri Aragonum Regis filius in Siciliam proficiscitur. 841. E.
Rex Siciliæ coronatur. 843. E.
Ejus victoriæ de Carolo I. Rege Apuliæ. 844. B.
Siciliam Ecclesiæ Romanæ dimittit. 845. C. 851. C.
Blancam Caroli II. Siciliæ Regis filiam ducit. *Ibid.* & 853. A.
In fratrem classem ducit. 854. E.
Eum vincit. 856. B.
Jacobus Petri Aragonensis filius, Siciliæ Rex à patre designatus. 951. B.
A Siculis Regale diadema accipit. 952. E.
Augustam Civitatem sibi surreptam obsidet. 954. A.
Ac recipit. 955. C.
Calabriam invadit. 956. C.
Cajetam obsidet. 957. B.
In Regno Aragoniæ Alfonso fratri succedit. 958. E.
Pacem statuit cum Gallis, & quibus conditionibus. 960. D.
Ad eum Legati Siculorum pro Sicilia servanda. 962. B.
Aragonenses è Sicilia revocat. 964. B.
Cum Friderico fratre Siciliæ Rege colloquium petit. 976. E.
Romam profectus matri illuc pergenti occurrit. 985. E.
Classe ingenti contra Fridericum fratrem navigat. 992. B.
Siracusas obsidet, sed inani eventu. 993. B.
Multa loca Siculorum sibi subdit. 994. B.
A Sicilia recedit. 997. B.
Prœlium navale instruit contra Friderici fratris classem. 1000. D.
Ejus allocutio ad milites. 1001. D.
Victoriam de classe fratris refert. 1004. C.
Tum Cataloniam repetit. 1008. C.
Jacobus Majoricæ Rex, Comes Rusilionis. 506. A.
Ad Francos deficit contra Petrum Aragonum Regem fratrem suum. 947 B.
Ei erepta à fratre Majorica. 950. D.
Jacobus de Columna Cardinalis. 321. D.
Jacobus de Cavalcabobus à Cremonensibus in dominum electus. 677. C.
Inde postea depulsus. 678. A.
Gibellinos è Brixia deturbat. 679. A.
Jacobus Carrariensis inter Primates Patavinos. 608. E.
Captus à Cane Scaligero ad Vicentiam. 651. D.
Ejus laus, & tractatus de pace inter Canem & Paduanos. 654. D.
Ejus oratio in Senatu Patavino. 657. B.
Jacobus Johannis Arloti Capitaneus Romanorum constitutus. 507. D.
A Magnatibus dejicitur. 807. D.
Jadrenses. *Vide* Zadrenses.
Imperatores appellati Augusti. 12. D.
Cæsares. 14. B.
Sacri. 21. C.
Æterni. 22. A.
Numina. 24. D.
Num totius Orbis terrarum domini. 209. E.
Imperatores ante coronationem Romanam Reges tantùm appellati. 261. A.
Semper Augusti quando cœpti appellari. 368. E. & *seqq*.
Imperatorum Successio & Electio. 212. D.
Imperium delatum adolescentibus. 238. B.
Acclamationes iis recenter creatis. 245. B.
Illorum inauguratio. 250. B.
Coronatio. 253. B. 257. A.
Incumbentia le faccende. 157. D.
Innocentius IV. Papa Regnum Apuliæ sibi vendicat. 824. E.
Invidiosus etiam appellatus, cui invidetur. 18. D.
Johannes XXII. Papa, ad eum legatio Romanorum. 771. D.

Ad-

Digitized by Google

Adversùs eum Ludovicus Bavarus, & Romani insurgunt. 773. E.
Quæ in illum dictitata, quæ pro illo adducta. 774. A.
Precibus ad Deum sese tuetur. 778. A.
Johannes XXII. Papa, ad eum literæ Romanorum. 900. C.
Contra eum impia sententia Ludovici Bavari. 901. A.
Johannes Henrici VII. Cæsaris filius. 126. A.
Ejus fortitudo. 164. B.
Ac justitia. 173. D. 180. A.
Ejus gesta. 185. C.
Bohemiæ Rex constitutus. 327. A.
Johannes Roberti Regis frater adversùs Henricum VII. Romam copias ducit. 407. B.
Pontem Milvium occupat. 448. B.
Copiis multis auctus Henrico abeundi Roma consilium injicit. 465. A. 526. B. 633. D.
Romæ obsistit coronationi Henrici VII. Augusti. 867. A.
Johannes I. Dux Brabantiæ Limburgensem Ducatum emit. 69. C.
Ejus prælium cum Comite Geldriæ. 73. D.
Johannes Gravinæ Comes, frater Roberti Siciliæ Regis, oppositus Friderico Regi Siculo. 591. B.
Johannes Austriacus, Alberti Augusti necator, proscriptus. 262. C.
Johannes de Claromonte Comes Siculus. 898. D.
Ad eum literæ Ludovici Bavari. 899. D.
Johannes Comes Montis Fortis. 971. D.
Johannes de Lauria Pactarum castro subsidium adducit. 994. E.
Ejus classis fracta, ipse captus à Messanensibus. 995. C.
Jussu Friderici Regis securi plectitur. 997. E.
Johannes de Procida Consiliarius Petri Aragonensis Siciliæ Regis. 940. C. 955. D.
Cum Friderico Aragonense ad Bonifacium VIII. Papam accedit. 961. B.
Ab eodem Friderico recedit. 962. A.
Johannes de Sabello unus è Romanis Primatibus. 452. A.
Ab Henrico VII. deficit. 463. A.
Italia tota in factiones divisa sub Henrico VII. Augusto. 270. D.
Guelphi & Gibellini eam scindunt. 271. E.

L

Lambertus de Polenta Ravennæ dominus. 631. B.
Cervia potitur. 674. D.
Lancea in Stemmate Henrici VII. Cæsaris quod significet. 65. B.
Landulfus de Buliano Cardinalis. 855. A.
Legatus Papæ in Sicilia. 996. D.
Laudensis Urbis deditio facta Henrico VII. Aug. 363. C.
Ejus Urbis status. 515. D.
Ibi factiones Summariva & Vistarina. 437. C.
Legis Salicæ origo. 120. B. 121. A.
Legum tituli cur Rubricæ appellati. 29. A. 30. A. 32. B.
Leonardus de Guercino Episcopus Albanensis. 383. B.
Ejus obitus. 410. A.
Leonicum à Patavinis frustra tentatum. 445. A.
Leopoldus Dux Austriæ debitum naturæ solvit. 393. B.
Libido pro Voluntas incensa, at honesta. 14. E. 15. A.
Librorum tituli miniati. 33. C.
Limburgensis Ducatus successio causa belli. 69. B.
Livii Patavini Historici laudes. 19. C. D.
Lucas de Fliscо S. R. E. Cardinalis. 383. B.
Brixienses ad deditionem allicit. 393. C.
Henricum VII. coronat. 462. A.
Lucemborc patria Henrici VII. Imperatoris. 27. A. 35. D.
Varia ejus nomina. 36. A.
Ejus situs. 37. E.
Nominis origo. 38. E.
Comites. 41. C.
Primi Duces. 45. B.
Lucenses à copiis Henrici VII. afflicti. 521. A.
Iis erepta Petra Sancta. 532. D.
Varios congressus cum hostibus habent. 534. B.
A Pisanis exagitantur. 576. B. 593. B.
Territi in urbem se concludunt. 595. A.
Pacem ineunt cum Pisanis. 602. B.
Eorum Civitas ab iisdem Pisanis capta. 604. B.
Miserrimè afflicti à Francisco Ugutionis de Fagiola filio. 630. B.
Eis dominatur Castrucius de Antelminellis. 770. C.
Se subdunt Ludovico Bavaro. 779. C.
Lucifer Archiepiscopus Sancti Severini. 971. B.
Civitatem Friderico Regi dedit. 975. E.
Luchinus Maphæi Vicecomitis filius Henrico VII. Aug. fidus. 411. C. 517. A.
Contra Parmenses arma convertit. 661. C.
Ludovicum Bavarum in Italiam invitat. 770. C.
Lucii oppidi Patavini descriptio. 492. B. D.
A Cane Scaligero flammis traditur. 515. A.
Ludovicus Bavarus electus Romanorum Rex, ejus dissidia cum Friderico Austriaco. 769. D.
In Italiam à Principibus Lombardis invitatur. 770. C.
Vicecomites ab imperio Mediolani exturbat. 771. B.
Ad eum legatio Romanorum. 772. B.
Romam pergit. *Ibid.* C.
Petrum de Corvaria Antipapam statuit. 773. E.
Lucam se confert. 779. C.
Ejus virtutes ac vitia. 782. B.
Statura & Mores. 784. A.
Ejus literæ ad Fridericum Siciliæ Regem. 898. C. D.
Ad Petrum II. Siciliæ Regem. 899. A.
Ad Johannem Comitem de Claromonte. *Ibid.* D.
Ejus impia sententia contra Johannem XXII. Papam. 901. A.
Ejus acta Romæ. 900. A.
Ludovicus frater Ducis Sueviæ. 1019. A.
Ludovicus de Gonzaga novus Mantuæ Dominus Veronam accedit. 757 A.
Passarinum de medio tollit. 778. B.
Cani Scaligero adhæret. 781. D.
Ludovicus de Sabaudia Senator Urbis. 408. A.

M

Madii è Brixia pulsi. 679. A.
Major domus pro primogenito. 108. E.
Dignitas in aula Regum. 109. D.
Malatestinus Arimini dominus pacem statuit cum Friderico Comite Montisfeltri. 673. C.
Ei Cervia subrepta. 674. B.
Malta Saracenis erepta per Rogerium Comitem. 813. D.

Digitized by Google

Manfredus Friderici II. Augusti filius. 817. B. 818. E.
Rex Siciliæ coronatur. 822. A.
Cadit in prœlio contra Carolum Andegavensem. *Ibid.* C. 825. B. 826. C.
Manfredus Comes de Claromonte Siculus. 998. B. 1014. E.
Manfredus de Beccaria Papiensis exul. 398. A.
Maniacus Vicarius Græci Imperatoris in Sicilia. 810. A.
Rebellionis suæ dat pœnas. 811. E.
Mantuæ factionum commotio. 362. B.
Ibi Vicarius constitutus Passarinus Bonacosa. 363. A.
Maphæus Vicecomes Gibellinorum Primas Guidoni Turriano obsistit. 334. B.
Henrico VII. suadet, ut Mediolanum contendat. 336. A. C.
Subsidia Cremonam mittit. 403. A.
Lomellinam vastat. 435. C.
Mediolanenses in officio continet. 557. B.
Quot in eum Guelphorum copiæ coactæ. 578. C.
Victus è prœlio fugit. 579. D.
Auro hostes corrupisse creditur. 581.
Bellum indicit Giberto de Corrigia Parmæ domino. 661. C.
Bergomatibus præsidia mittit. 663. C.
Victus à Papiensibus abit. 666. A.
Ad eum deficit Bergomum. 666. C.
Papienses ad Scriviam atterit. 668. A.
Eorum Urbe potitur. 670. A.
Tum Alexandria & Dertona. 675. A.
Multorum causa malorum. 777. E.
Marcellus Marchio de Malaspina. 593. B.
Marcus Vicecomes Ludovicum Bavarum in Italiam invitat. 770. C.
Contra eum insurgit. 779. D.
Margarita uxor Henrici VII. Augusti. 88. D. 89. A. 125. B.
Coronata Mediolani. 338. C.
Quæ ejus corporis ac animi forma. 340. A.
Cura pro marito, pius erga superos affectus. 387. A.
Immatura morte rapitur. 181. D. 404. A.
Margarita Guillelmi I. Siciliæ Regis uxor. 814. C.
Maria filia Regis Cypri, nupta Jacobo Aragoniæ Regi. 882. C.
Marsilius magnus Carrariensis ingenti virtute præditus. 717. A.
Sagacia illius consilia. 722. B.
Seditionem componit. 723. C.
Miseris suffragium unicum. 727.
Quanta illius calliditas. 744. B.
De tradenda Cani Scaligero Padua clam agit. 746. A.
Ipsum furtivè adit. 747. C.
Patavii Capitaneus statuitur. 750. C.
Canem Urbis dominum renuntiat. 751. B.
Ejus oratio ad Populum Patavinum. 753. E.
Honores & opes ei à Cane Scaligero collati. 757. C.
Mussati reditum in patriam vetat. 761. A.
Cum honoribus mutat mores. 762. D.
Cani Scaligero solicitè inservit. 763. C.
In eum declamatio Mussati. 766. A.
Martene (Edmundus) Benedictinus è Congr. S. Mauri Chronicon Siculum evulgat. 803.
Martinus IV. Papa, ad eum epistola Panormitanorum. 838. C.
Petrum Aragonum Regem anathemate ferit. 947. A.
Marsilieti Carrariensis avaritia. 744. A.
Seditionem parat. 745. A.
Ejus ædes spoliatæ. 748. A.
Marsilius Patavinus Philosophus pro Bavaro. 773. A.
Marsilius Rubeus Patavium à præsenti discrimine liberat. 697. A. 750. C.
Mastinus Scaliger Albuini filius Aldam Carrariensem ducit. 750. E. 755. E.
Mediolanenses Henricum VII. benevolè excipiunt. 337.
De illo querelæ populi. 341. B.
Mediolani prodigia visa. 519. B.
Seditio Mediolani in Henricum oborta. 343. A.
Gibellinam factionem tuentur. 438. C.
Cives in officio continet Maphæus Vicecomes. 557. B.
Contra eum tumultuantur. 580. A.
Ad Vigevanum profligati à Papiensibus. 665. E.
Victores illorum ad Scriviam. 668. A.
Bavarum recipiunt. 771. A.
A quo postea deficiunt. 779. D. 780. B.
Meliteusis Insula à Provincialium classe frustra tentata. 942. A.
Messana obsessa à Carolo I. Siciliæ Rege. 833. C. 926. C.
Tum à Rogerio de Lauria. 857. D.
Classem validam contra Apulos parat. 880. C.
Civium sollicitudo & virtus in patria tuenda. 928. B.
Matronæ ipsæ in hoc studio eminent. 934. A.
Illius Urbis topographia. *Ibid.* E.
Obsidio soluta. 936. C.
Messana à Roberto Calabriæ Duce obsessa. 1033. A.
Commeatu in eam illato reficitur. 1034. E.
Extremis ob famem miseriis premitur. 1036. A.
Messanenses admirabili pompa Fridericum novum Regem excipiunt. 966. E. 967. A.
Pactarum castrum obsident. 994. E.
Classem Johannis de Lauria frangunt. 995. B.
Messanenses, Panormitanorum ad eos Epistola. 830. D.
A Carolo Rege deficiunt. 833. A.
Qui eorum Civitatem obsidet. *Ibid.* C.
Victoriam referunt de classe Catalanorum. 855. C.
Eorum literæ ad Panormitanos. 894. B.
Michaël de Cæsena Generalis Minorum Magister Ludovico Bavaro adhæret. 775. E.
Miles adobatus, idest armatus. 360. B.
Milites creandi ritus. 891. C. D. 892. E.
Miniani Dii qui olim appellati. 31. A.
Minii usus quanti olim fieret. 30. E.
Modoeciæ, an Mediolani, num coronandi Reges Italiæ. 338. B.
Moguntinus Archiep. Elector Imperii. 216. D. 224. A.
Primus inter Electores. 225. D.
Molino (Dominicus) Patritius Venetus literarum patronus. 2.
Ad eum Pignorii literæ. 5.
Ejus laudes. 141. A.
Montagnana municipium Paduanorum fortissimum. 681. B.
Ad Canem Scaligerum deficit. 685. B.
Montis Catini obsidio ab Ugutione de Fagiola facta. 636. A.
Ad ipsum victorem deficit. 644. C.
Montis Silicis descriptio. 681. A.

Digitized by Google

Eo potitur Canis Scaliger. 683. C.
Mussatus (*Albertinus*). *Vide* Albertinus.
Mutina à Civibus proscriptis & à Bononiensibus afflicta. 439. A.
Subsidium illi ferunt Canis Scaliger, & Passarinus Mantuæ dominus. 440. A.
Mutinenses Raymundum Anconitanum Marchionem interficiunt, expilant. 503. B.
Ejus Urbis status. 515. D.
In Mutinenses ira Pontificis. 516. D.

N

NAnfos Hispaniæ Rex gloriosus. 505. B.
Ejus filii. *Ibid.*
Neapolis obsessa & capta à Conrado Siciliæ Rege. 821. B. & C.
Nerii Pisani Comitis animositas in cadaver Caroli Principis Apuli. 644. B.
Nicolaus IV. Papa Carolum II. Apuliæ Regem coronat. 958. A.
Ejus postrema dies. 960. C.
Nicolaus Pratensis Cardinalis eligendum curat Imperatorem Henricum Lucemburgi Comitem. 234. B. 241. D.
Idem Ostiensis Episcopus, vulgò il Cardinale da Prato. 383. B. 384. C.
Ejus oratio ad Brixienses. 385. A.
Gesta Genuæ. 401. B.
Nicolaus Carrariensis Patavium à præsenti ruina liberat. 697. B. 717. A.
Cani Scaligero se jungit. 733. A.
Miles, & caput familiæ. 717. A.
Armis invadit patriam Patavinam. 734. E.
Nicolaus de Comite inter Primates Romanos. 453. A.
Nicolaus de Lucio Patavinus Catilina. 486. A. & E.
Ejus impotentia. 488. A.
Cani Scaligero studet. 489. A.
Proditionem contra Paduam instituit. 490. A.
Ad Canem deficit. 492. B.
Nicolai Specialis Historia Sicula heic recusa. 913.
Quo tempore is floruerit. 915.
Nigri appellati Guelphi, origo illorum Pistorii. 285. A. 286. B.
Ut Nigri appellati Guelphi; ita Albi Gibellini. 466. A.
Nogaretus (*Vvilelmus*) *Bonifacium VIII. Pontificem Anagniæ capit*. 311. B.
Ejus nomen & cognomen. 313. A.
Restituitur sacris. 320. A.
Novariense exules ab intrinsecis afflicti. 539. A.
A Papiensibus fracti in prœlio. 664. C.
Numina appellati Imperatores. 24. D.

O

OBizonis Carrariensis horrenda flagitia. 743. B.
Seditionem parat. 745. A.
Opicinus Spinola Marchionis Montisferrati socer. 400. B.
Opizo Marchio Estensis Rhodigium recipit. 685. D.
Ad Curiam Veronæ habitam magnificè accedit. 757. A.
Ludovicum Bavarum in Italiam invitat. 770. C.
Johanni XXII. Papæ adhæret. 778. D.
Ordelaffi potiuntur Forolivii. 671. E.
Osius (*Felix*) *illius Notæ in Historiam Albertini Mussati*. 2.
Nimiæ fortasse videantur. 3.
Ottobonus Patriarcha Aquilejensis. 377. C. 390. C. & E.
Bello impetitus. 596. C.
Probrosam pacem init. 597. A.
Otto Carinthiæ Dux accitus in suum exercitum à Cane Scaligero. 652. D.
Otto Episcopus Basileensis. 383. A. & C.

P

PActarum Civitas deditionem facit Jacobo Aragonum Regi. 992. E.
Ad Fridericum Siciliæ Regem iterum se convertit. 994. D.
Padua Eccelino erepta. 795. D.
Paganus de la Turre Episcopus Patavinus consulit saluti Urbis. 490. C.
Contra Canem Scaligerum militat. 446. B.
Ad eum Præfatio Albertini Mussati. 571.
Saluti Urbis consulit. 612. D.
Pagina pro Carta. 16. D.
Paludamentum quid olim fuerit. 15. D.
Palafridi equi delicati. 388. E.
Pandulfus de Sabellis Romanus Henrico VII. Aug. adhæret. 448. B.
Panormitana Civitas Saracenis erepta à Roberto Guiscardo, & Rogerio fratribus. 812. D. 813. A.
Panormitani fideles Friderico II. Regi. 816. D.
A Carolo Rege deficiunt. 830. C.
Eorum Epistola ad Messanenses. *Ibid.* D.
Gallos omnes trucidant. 925. B.
Eorum epistola ad Martinum IV. Papam. 838. C.
Et literæ ad Fridericum Petri Regis Aragonensis filium 848. A.
Ad eos literæ Friderici. 856. C.
Eorum victoria de Apulis. 858. E.
Epistola Friderici ad ipsos. 859. A.
Altera pro titulo Regio resumto. 872. D.
Qui eos ad arma sumenda contra Robertum Regem obsidentem Drepanum solicitat. 879. D.
Classem validam parant. 880. C.
Ad eos de induciis cum Roberto Rege statutis Epistolæ Friderici. 881. A. 886. A.
Ad eos literæ Messanensium. 894. B.
Et Catanensium. 895. C.
A Friderico Rege eorum fides & constantia laudatur. 897. B.
Papia sub Gerardino Philipponi Comitis filio. 560. B.
Ibi Concilium habitum ab Henrico VII. Aug. 396. A.
Papiensium copiæ contra Maphæum Vicecomitem. 578. D.
Eorum victoria de Novariensibus. 664. C.
Tum de Mediolanensibus ad Vigevanum. 665. E.
Ad Scriviam profligati à Maphæo Vicecomite. 668. A.
A quo eorum Urbs capta. 670. A.
Parmæ datus Vicarius ab Henrico VII. Augusto. 356. C.
Ibi contra Henricum insurgit Gibertus Corrigiensis. 403. A.
Roberto Apuliæ Regi se subdit. 516. B.
Parmenses à Luchino Vicecomite bello impetiti. 661. C.
Iis illatum bellum à Legato Apostolico. 781. A.

Pas-

Digitized by Google

Passarinus Bonacosa Mantuæ Vicarius constitutus. 363. A.
Mutinensibus fert opem. 440. A.
A Gonzagis necatus. 757. A.
Ludovicum Bavarum in Italiam invitat. 770. C.
A Gonzagis cæsus. 778. B. *Vide* Raynaldus.
Patavina Respublica Carrariensium tyrannide pressa. 716. B.
Infelix Urbis status eorum culpa. 726. A.
Ejus agrum invadunt Nicolaus Carrariensis, & Canis Scaliger. 734. D.
Carrarienses in cives debacchantur. 738. A. 741. E.
Urbis dominium traditum Cani Scaligero. 751. B.
Qualis olim Reipublicæ status. 587. A.
Ei erepta à Cane Scaligero nonnulla Castra. 598. D.
Alticlinorum ruina Patavii. 607. C.
Tetra ob id seditio excitata. 609. A. & *seqq*.
Suburbium Vicentiæ Patavini occupant. 646. B.
A Cane Scaligero ibi profligantur. 651. A.
De pace cum eodem Cane apud eos agitur. 656. A.
Quæ tamdem statuitur. 659. B.
Eis ereptum à Cane Scaligero Montis-Silicis oppidum. 683. C.
Subsidia undique conquirunt. 684. C.
Patavium à Cane Scaligero obsidione pressum. 687. B.
Quando apud eos luxus invaluerit. 689. A.
Tum superbia. 690. C.
Ac deinde discordia. 691. A.
Friderico Austriaco Cæsari se dedunt Patavini. 693. C.
A Patavii obsidione pulsus Canis. 694. E.
Ejus furtivum ingressum frustrant. 696.
Ejusque exercitum fundunt. 704. C. 712. B.
Fuga salutem quærere cogunt. 713. B.
Patavinæ Familiæ, de iis Codex MStus in Estensi Bibliotheca. 3.
Patavini Legatos ad coronationem Mediolanensem Henrici VII. mittunt. 338. B.
Tum alios, ut privilegia impetrent. 350. C.
Quid ipsis à Cæsare concessum. 352. A.
Pacta à Legatis stabilita rejiciunt. 355. A.
Quæ olim Patavinæ Urbis potentia. 359. A.
Iis erepta Vicentia ab Henrico VII. Augusto. 361. B.
Privilegia iisdem confirmata ab ipso. 366. & *seqq*.
Diploma Henrici eisdem concessum. 368. D.
Quibus restituenda jubet bona in Comitatu Vicentino. 372. A.
Eorum dona oblata Henrico VII. 388. B.
Eisdem præfectus Vicarius ab Henrico VII. Augusto. 391. C.
Ad eos literæ ejusdem Henrici. 412. C.
Contra eum Vicentiæ caussa tumultuantur. 413. B.
Ab ipso deficiunt. 421. A.
Agrum Veronensem depopulantur. 422. B.
Tum Vicentinum affligunt. 423. A.
Duplex eorum prælium ad Longare. 426. C.
Variæ illorum incursiones in agrum Vicentinum. 427. A. & *seqq*.
Bacchilionis claustra aperiunt. 441. D.
Pojana Villa potiuntur. 445. B.
Alias Vicentini agri colonias populantur. 446. C.
Iis adhæret Vecelus de Camino Tarvisii Dominus. 481. B.
Sed eorum cura ex ea Urbe pellitur. 485. C.
Eorum proditor Nicolaus de Lucio. 486. A.
Arcem Lucii frustra obsident. 493. D.
Oblatum à Cane prælium non detrectant. 496. A.
Ad eos literæ Roberti Apuliæ Regis. 499. B.
Cui rescribunt. 501. A.
Ab agro Veronensi ingentem prædam abducunt. 511. B.
Adversùs eos sententia Henrici VII. Aug. 539. E.
Ad mœnia usque Veronæ hostili impetu pergunt. 546. C.
Henrico Comiti Goritiæ hosti sese objiciunt. 549. C.
Fœdus ineunt cum Tarvisinis. 553. B.
Percontor rectiùs usurpatum, quàm Percunctor. 11. E.
Pergamum appellatum Bergomum. 380. B. & E.
Pergamenses in fide Cæsaris constantes. 438. B.
Pestilentia teterrima Henrici VII. exercitum affligit. 392. C.
Petra-Sancta Lucensibus erepta. 532. D.
Petrus Aragonum Rex à Siculis in Regem expetitus. 929. D.
Ad ipsum Siculorum Legati. 930. A.
Siciliam ingreditur. 932. E.
Ad eum Panormi omnes conveniunt. 934. D.
Ad eum Epistola Caroli I. Siciliæ Regis. 834. B.
Ejus nuntii ad Carolum I. Regem. 835. E. 935. E.
Messanam ab obsidione liberat. 936. C.
Contra Saracenos classem ducit. 833. D.
Rigidus disciplinæ militaris exactor. 937. B.
Rhegio potitur. 938. A.
Duellum Carolo offert. 842. B. 939. E.
Instrumentum de duello faciendo. 905. A.
In Cataloniam navigat. 940.
Se Burdigalensi in Urbe sistit, ac illudens Carolo retrocedit. 941. C.
In Catalonia à Francis invaditur. 947. A.
Insulam Majoricarum recipit. 950. D.
Debitum naturæ persolvit. 951. B.
Petrus Friderici Siciliæ Regis filius. 864. D.
Ei homagium à Siculis præstatur. 871. E.
Vicarius generalis Siciliæ à patre constituitur. 885. B.
Rex Siciliæ coronatur. 890. E.
Uxorem ducit Elisabetham filiam Regis Bohemiæ. 892. D.
Ad eum literæ Ludovici Bavari. 899. A.
Petrus Roberti Apuliæ Regis frater destinatus in Tusciam contra Henricum VII. Augustum. 503. C.
Emboli Comes dictus contra Siculos exercitum ducit. 591. A.
In Tusciam cum subsidiis pergit. 624. D.
In prælio cadit. 644. B.
Petrus Gradonicus Venetiarum Dux. 583. C.
Petrus de Achtzpalt Archiepiscopus Moguntinus. 224. D.
Petrus de Columna Cardinalis. 321. D.
Petrus de Corvaria Antipapa à Bavaro constitutus. 773. E.
Petrus Ruffus Catanczarii Comes. 968. E.
A Friderico Rege obsessus inducias impetrat. 971. A.
Catanczarium recipit. 989. D.
Philippus Rex Francorum Gerundam Petro Aragonensi eripit. 843. E. 948. A.
Cataloniam invadit. 947. A.
Ejus Classis à Siculorum classe capta. 949. C.

Ulti-

Digitized by Google

Ultimum diem claudit. 950. B.
Philippus Pulcher Rex Franciæ ad Romanorum Imperium inhiat. 231. A.
Ejus machinationes contra memoriam Bonifacii VIII. Papæ. 292. D.
Origo dissidiorum inter ipsos. 293. D.
In eum ira ac diræ Pontificis. 295. E.
Ejus literæ ad Bonifacium. 298. E.
In eum anathema Pontifex pronuntiat. 299. E.
Sacris restitutus à Benedicto XI. Papa. 320. E. & *seqq*.
Clementis V. electionem promovet. 323. C.
Templarios damnandos curat. 378. B.
Ejus literæ ad Clementem V. Papam pro Roberto Apuliæ Rege. 563. C.
Philippus Tarenti Princeps 1007. C.
A Roberto Rege Apuliæ in subsidium Florentinorum missus. 633. C.
Exercitum contra Ugutionem educit. 635. A.
Infelix prœlium committit. 641. A.
Siciliam classe invadit. 858. D. 1015. C.
A Friderico Rege debellatur. 858. E. 1018. A.
In carcere clauditur. 859. E.
Philippus Sabaudiensis Lacedæmoniæ Princeps Vicarius Papiæ. 402. C.
Vercellarum quoque & Novariæ. 433. A.
Filiam Delphini Viennensis ducit. 435. B.
Vercellis dominatur. 438. C.
Ejus contentio Vercellis cum Guarnerio Præside Lombardiæ. 440. B.
Philipponus Papiæ Comes ad Henricum VII. Augustum se confert. 332. A.
Socer Guidonis della Turre. 349. B.
Contra Henricum nova molitur. 403. A.
Papiæ dominari pergit. 433. A.
Ejus filius Ricciardinus captus. 435. B.
Vercellis potitur. 441. C.
A Galeatio Vicecomite captus. 559. B.
Pignorius (Laurentius), ejus Notæ in Historiam Albertini Mussati. 2. 5.
Pirrus (Rocchus) Nicolai Specialis Historici Siculi ætatem perperam statuit. 915.
Pisana Classis ab Apula debellatur. 858. B.
Pisanorum magnifica legatio ad Henricum VII. Aug. 404 C.
Insigni tentorio illum donant. 406. A.
Advenientem Pisas excipiunt. 447. B.
Eorum classis capta à classe Roberti Regis Apuliæ. 458. B 528. A.
In Florentinos arma movent, & fracti abeunt. 472. B.
Iterum ab ipsis debellati & fugati. 478. C.
Pisas iterum contendit Henricus VII. Aug. 521. A.
Lucensem agrum invadunt. 532. D.
Classem contra Robertum Apuliæ Regem parant. 562. C.
Fridericum Siciliæ Regem ad se accersunt. 574. E.
Sed cum eo convenire nequeunt. 575. E.
Lucensem agrum invadunt. 576. B.
Cum Roberto Rege pacem ineunt. 592. A.
Clade inlata Lucensibus, usque ad eorum mœnia excurrunt. 594. B.
Illis dominatur Ugutio de Fagiola. 599. D.
Inter eos & Lucenses pax restaurata. 601. C. & *seqq*.
Lucam sibi subdunt. 604. B.
Pistorii natæ Alborum & Nigrorum factiones. 285. A.
Pitetus Hispaniæ Rex. 505. B.
Placentiæ perturbationes ob Guelphorum & Gibellinorum factiones. 438. A.
Ejus Urbis status. 515. D.
Motus compositi à Galeatio Vicecomite. 554. E.
Placentini primi ad capiendam Civitatem Ticinensem. 669. E.
Eorum querelæ de Alberto Scoto. 395. D.
Eorum res novæ contra Henricum VII. Aug. 403. A.
Ponzinus de Ponzonibus Patavii Potestas. 645. B.
Suburbio Vicentinæ Urbis potitur. 646. B.
Victus fuga salutem quærit. 653. C.
Cremona pulsus. 677. C.
Populi acclamationes recèns creatis Principibus. 245. B.
Princeps, idest Monarcha, appellatus Imperator. 212. B.
Prologus Præfatio. 11. A.
Prosapia pro genus, sive majores. 40. C.
Provinciales milites victoria contra Maphæum Vicecomitem uti detrectant. 580. C.
Purpureus color qualis fuerit. 30. A.

R

Rambaldus Comes de Collealto. 426. B.
In Vecelum de Camino conjurat. 485. A.
Tarvisii Comes subsidia Paduanis adfert. 686. A. 709. C.
Raymundus de Aspello Marchio Anconitanus, Clementis V. Papæ nepos, à Mutinensibus interfectus. 503. A.
Raynaldus Marchio Estensis Rhodigium recipit. 685. D.
Ludovicum Bavarum in Italiam invitat. 770. C.
Papæ adhæret. 778. D.
Raynaldus Passerinus de Bonacosis Vicarius Mantuæ. 652. D.
De pace inter Canem & Patavinos agit. 654.
Giberto de Corrigia infensus. 661. E.
Cremonenses bello petit. 675. A. *Vide* Passerinus.
Raynerius Comes de Sarciano rebellis Friderico II. Siciliæ Regi. 816. D.
Regienses ab Henrico VII. Augusto deficiunt. 345. A.
Ejus Urbis status. 515. D.
Illatum iis bellum à Legato Apostolico. 781. A.
Reinaldus Comes Geldriæ Limburgensem Ducatum occupat. 69. C.
Ejus prœlium infaustum cum Duce Brabantiæ. 73. D.
Rheni Germanici fluminis origo. 266. B.
Rhodigium à Marchionibus Estensibus receptum. 685. D.
Ricardinus de Langusco Comes, Papiensium columen. 669. C.
Capta Urbe cadit. 670. B.
Ricciardus de Camino Tarvisii dominus. 426. A.
Constitutus Vicarius Tarvisii ab Henrico VII. Aug. 355. A. 377. B.
Interfectus. 481. B.
Riciardus Gambatesa Vicarius Roberti Regis Apuliæ in Tuscia. 524. A.
Roberti Apuliæ Regis legatus ad Henricum VII. Augustum. 406. B.
Johannem fratrem suum is Romam adversùs Henricum mittit. 407. B.
Obses pro patre apud Siculos relictus. 958. A.
Liberatus Jolandam Aragonensis Regis Jorem

rem ducit. 960. E. 985. B. & E.
Victricibus armis Siciliam invadens, multa ibi loca recipit. 1009. B.
Catanam obsidet. 1011. B.
Ejus classis naufragium patitur. 1030. C.
Messanam obsidione cingit. 1033. A.
Henrico VII. Aug. ad coronationem Romanam obsistit. 449. C.
Duras ei conditiones fœderis proponit. 451. A.
Rex Berta per dictorium appellatus. 459. B.
Subsidia Florentinis mittit. 476. B.
Ejus literæ ad Populum Patavinum. 499. B.
In subsidium Tuscorum Petrum fratrem destinat. 503. C.
Robertus Apuliæ Rex, in eum sententia Henrici VII. Augusti. 524. C.
Langobardos novis subsidiis firmat. 553. D.
Contra eum apparatus Henrici Aug. 562. B.
Pro eo literæ Philippi Francor. Regis. 563. C.
Et Clementis V. Papæ. 564. D.
Rhegium ei ereptum à Friderico Rege Siculo. 591. A.
Pacem cum Pisanis init. 592. A.
Ingenti apparatu Siciliam invadit. 623. C.
Drepanum obsidet. 625. D.
Cum probro domum regreditur. 927. C.
Filium ac fratrem in subsidium Florentinorum mittit. 633. C.
Prudenter se habet contra Bavarum. 777. C.
Robertus Caroli II. Regis Apuliæ filius uxorem ducit Yolandam filiam Petri Regis Aragonum. 845. D.
Contra Fridericum Siciliæ Regem classem ducit. 854. E.
Eum prælio maritimo frangit. 856. B.
Tum ab ipso debellatur. 860. A.
Pacem statuit cum eodem Friderico. 861. B.
Patri in Regno Apuliæ succedit. 865. A.
Henrico VII. Augusto obsistit. Ibid. C.
Qui contra eum processus instruit, & sententiam damnationis pronuntiat. 866. B.
Odium concipit in Fridericum Siculum. 870. E.
Drepanum obsidet. 872. B.
Ejus epistola ad Barchinonenses. 873. B.
Inducias cum Friderico statuit. 880. E.
Novis classibus Siciliam vexat. 883. D.
Ejus literæ ad Philippum Regem Franciæ. 887. C.
Rursus Siciliam vastandam curat. 893. B. 897. E.
Robertus Guiscardus Sicilia potitur. 812. C.
Ejus mors. 813. C.
Roberti Comitis Flandrensis acies pugnat cum Florentinorum acie. 478.
Rogerius Normannus Sicilia potitur. 812. C.
Fit homo ligius Papæ. 813. B.
E vitis abit. Ibid. E.
Rogerius Rogerii Comitis filius, primus Siciliæ Rex. 814. A.
Rogerius de Lauria Admiratus Petri Regis Aragonensis. 843. B. 844. E. 853. D. 860. C.
Rogerius de Lauria Admiratus Regis Siciliæ. 937. D.
Ejus spectata virtus. 940. C.
Classem Provincialium evertit. 942. A.
Carolum Caroli I. Regis filium capit, ejusque classem prosternit. 944. C.
Contra Francos Cataloniam vastantes feliciter suo Regi inservit. 948. B.
Francorum classem atterit. 949. B.
Insulam Majoricarum ad deditionem compellit. 950. E.
Ejus classis a tempestate maris fracta. 952. A.
Rursus Neapolitanam classem superat. 954. E.
Afrorum Saracenorum loca vastat. 958. C.
Insulas Romaniæ depopulatur. 960. A.
Ejus ira in Fridericum Regem. 973. C.
Defectionem ab eo meditatur. 980. E.
Inter ipsum, & Fridericum discordia. 984. A.
Ab eo deficiens hostis publicus proclamatur. 986. B.
Rogerius de Lauria Catanczarium Friderico Regi eripit. 989. A.
Vulneratus in prælio fugit. 991. C.
Pactarum castrum tuetur. 994. E.
In Siculos prælio navali fractos sævit. 1005. A.
Siciliam invadens, multa ibi loca recipit. 1009. C. & seqq.
Neapolim ad subsidia quærenda navigat. 1020. A.
Tuscorum copias contra Siculos advehit. 1024. B.
Contra Siculorum classem pugnam init. 1026.
E qua victor abit. 1027. A.
Insidias hostium feliciter evadit. 1029. D.
Ejus classis naufragium patitur. 1030. C.
Rogerius de Sancto Severino Comes Marsici. 1017. A.
In prælio captus à Friderico Rege. 1018. C.
Romani Pontifices quot olim Episcopos ordinarint. XXIV.
Romani in Johannem XXII. Papam insurgunt. 773. E.
Eorum legatio ad Johannem XXII. Papam. 771. D.
Tum ad Ludovicum Bavarum. 772. B.
Ipsorum literæ ad Johannem XXII. Papam, ut ad suam Sedem se conferat. 900. C.
Illorum intestinæ discordiæ, propter quas Capitaneum sibi eligunt. 507. A.
Qui dejicitur. 508. D.
Rubrica terræ rubræ species. 27. B.
Ad Librorum inscriptiones translata. 28. C.
Cur Legum tituli ita appellati. 29. A. 33.

S

Sacri appellati non tantum Imperatores, sed & ab iis gesta, ac ad ipsos spectantia. 21. C.
Salica Lex diversa à Gallica. 120. B.
Salinguerra Ferrariensis Eccelino adhæret. 791. D.
Salma vox Italica à Sagma Græco. 473. E.
Sanctius Nanfos Hispaniæ Regis filius, Galliciæ dominator. 505. B.
Saraceni Sicilia potiti. 812. A.
Inde pulsi à Roberto Guiscardo, & Rogerio fratribus. Ibid. D.
Sarra Columnensis dux conjuratorum contra Bonifacium VIII. Papam. 311. C.
Eum captivum habet. 315. B.
Convitiis multis onerat. 316.
Sacris restituitur à Benedicto XI. Papa. 320. A.
Ludovico Bavaro adhæret. 772. C.
Saxoniæ Dux Elector Imperii. 217. A.
Scaligeri dominatores Veronæ. 290. B.
Scarpeta de Ordelaffis à Comite Romandiolæ captus. 671. C.
Scisma pro Schisma. 271. A.
Sella præcipuum Regum insigne. 261. E.
Senenses, ab eis deficiunt Casulani. 497. B.
Concussi ab adventu Henrici Aug. 567. B.
Senescallus dignitas in aula Regum. 117. C.
Sepulturam mortuis negare quam impium. 95. A.

Digitized by Google

Serpens in Stemmate Comitum Lucemburgensium adhibitus. 63. C.
Siciliæ Chronicon ab Anonymo scriptum, atque heic editum. 803.
Græci potiti Sicilia. 809. C.
Inde à Saracenis pulsi. 812. A.
Iis erepta Sicilia à Normannis. *Ibid.* C.
Idem Regnum ab Henrico VI. Augusto debellatum. 816. B.
Tum à Carolo Provinciæ Comite. 824. B.
A quo Siculi deficiunt. 830. C.
Ab homagio Jacobi Regis solvuntur. 845. E.
Sicilia vexata à Roberto Rege. 872. A. 883. D. 885. B. 893. B. 897. D.
Siciliæ descriptio. 921. A.
Siculi afflicti à Carolo I. Rege. 924. A.
Eorum Legati ad Papam Martinum malè habiti. *Ibid.* D.
Ab eodem Carolo deficiunt. 925. B.
Ira & apparatus Caroli in eos. 926. A.
Siculi deliberant de statuendo sibi in Regem Petro Aragonensi. 929. D.
Eorum Legati ad Petrum. 930. A.
Mala sibi illata à Gallis recensent. *Ibid.* D.
Majoricas eripiunt Jacobo Regi. 950. E.
Eorum classis à tempestate fracta. 952. C.
Apulorum classem ad Neapolim prosternunt. 954. D.
Fridericum contra mentem Jacobi Regis fratris sibi in Regem deposcunt. 962. E.
Eum coronandum decernunt. 963. B.
Eorum classis à Jacobo Aragoniæ Rege debellata. 1004. E.
Tum à Rogerio de Lauria. 1027. A.
Sicula Historia Nicolai Specialis heic recusa. 913.
Sigismundi Imperatoris laudes. 166. C. 173. D. 180. A.
Simon Rogerii Comitis Siciliæ filius. 813. E.
Ejus mors. 814. A.
Simon de Calobiano Vercellarum Dominus Henrico VII. Augusto obsequens. 332. A.
Pro Guidone Turriano intercedit. 349. B.
Vercellis dominari pergit. 433. A.
Captus à Philippo Lacedæmoniæ Principe. 435. B.
Comitem Philipponum Vercellis suscipit. 441. C.
Spineta Marchio Malaspina. 593. D. 756. A. 927. E.
Patavii Capitaneus. 762. E.
Spinolæ, factionis Gibellinæ Principes Genuæ. 399. C.
Squillæ appellatæ campanæ. 457. B.
Stephanus de Columna Henrico VII. Aug. adhæret. 453. A.
Strenuus pro fortis. 52. C.
Sublimanus de Rubeis Patavinus contra Patriam exsurgit. 512. C.
Abbatem Sanctæ Justinæ, aliosque Primates captivos habet. 513. D.
Cæsus concidit. 514. D.
Suburbicariæ Provinciæ quæ olim. XXII. & seqq.
Successio in Imperio, an Electio præferenda. 212. D.

T

Tancredus Siciliæ Rex. 815. B.
Ad plures abit. 816. A.
Tanus de Esio Tyrannus securi percussus. 778. E.
Tartarus de Lendenaria sævissimus Patavinæ Urbis perturbator. 717. A. 723. B. 725. A. 738. A. 747. B.
Tarvisina Marchia ad Aticem fines habet. 432. A.
Tarvisini Paduanis opem ferunt. 686. B. 710. C.
Tarvisium sub Ricciardo de Camino. 355. A.
Obedientiam præstat Henrico VII. 377. A.
Pulso Vecelo de Camino, in libertatem se vindicat. 485. B.
Fœdus init cum Patavinis. 550. A. 553. B.
Taurinenses Henrico VII. Augusto parent. 3[illegible]. C.
Taurinum Henrico VII. Aug. adhæret. 438. C.
Templarii à Clemente V. Papa num justè damnati. 377. D. & E.
Thebaldus de Bruxadis Brixiensium Princeps ab Henrico VII. Aug. deficit. 345. A.
Populi seditionem comprimit. 357. B.
In Augustum Cives omnes incitat ac armat. 364. E.
In pugna captus teterrimo mortis genere occumbit. 374. B.
Theobaldus Trevirensium Præsul Romæ in prælio occisus. 456. B.
Thomasius de Sancto Severino Comes. 1019. A.
Tisonis de Campo S. Petri obitus. 430. B.
Tituli Librorum inscriptiones. 28. C.
Minio scripsit. 33. C.
Traditio pro proditio. 491. E.
Treverensis Archiep. Elector Imperii. 216. D.
Treveris ab Henrico Comite Lucemburgensi obsessa. 191. C.
Ejus nominis Etymon. 193. E.
Sita in Gallia Belgica. 195. A.
Quæ olim ejus ditio. 197. B.
Treverensium fœdus cum Henrico Comite Lucemburgi. 199. C.
Archiepiscopatus Treverensis origo. 230. B.
Turriani Papiæ à Mediolanensibus capti. 670. D.
Eorum insultus ad suburbium Placentiæ. 632. A.
Tuscorum copiæ in Siciliam advectæ, earum inanis jactantia. 1024. B.
Eorum querelæ de Roberto Apuliæ Rege. 592. A.

V

Valeranus frater Henrici VII. Augusti. 108. B. 205. C.
Armis & militiæ intentus. 347. B.
Bergomum in fide continet. 381. A.
Tragula ictus perit. 382. A.
Vanni Comes de Bagnacavallo. 423. D.
Vannes Scornezanus Patavinorum mercenariorum dux. 647. C.
Captus à Cane Scaligero. 654. A.
Paduam tuetur. 692. D.
Vassallorum fidelitas per sacramentum firmata. 227. D.
Ubertinus Carrariensis, inter Primates Patavinos. 609. A.
Spectatissimus Paduæ Civis. 654. E.
Juvenis atrox & indomitus. 717. A.
Ejus impotentia. 723. A. 725. A. 738. A.
Seditionem parat. 745. A.
Ubertinus de Casali Monachus consiliis suis Ludovicum Bavarum juvat. 773. A.
Vecelus de Camino Tarvisii Dominus Paduanis favet. 481. B.
De fœdere cum Scaligero agit. 483. C.
E Tarvisio expellitur. 485. C.

Ve-

Venetiarum Civitas à Guelphorum & Gibellinorum factionibus immunis. 583. A.
Jadram Veneti obsident. 584. C.
Veneti neque fidelitatem, neque obedientiam Regi Romanorum se debere contendunt. 376. A.
Vercellæ à factionibus intestinis vexatæ. 332. C.
Henrico VII. Aug. adhærent. 438. C.
Ibi fera contentio inter Guarnerium Præsidem Lombardiæ, & Philippum Principem Lacedæmoniæ. 440. B.
A Philippono Comite captæ. 441. C.
Ejus Urbis status. 515. C.
Veronæ dominatrix gens Scaligera. 290. B.
Illius ager à Patavinis longè latèque vastatus. 546. A.
Ugutio de Fagiola Henrico VII. Aug. militat. 497. B.
Pisanorum Capitaneus. 599. E.
Tyrannidem usurpat. 600. A.
Ejus origo & ingenium. 601. C.
Lucam sibi subdit. 604. B.
Bellum ei indictum à Florentinis. 625. A.
Ad Pisanos tumultuantes ejus oratio. 628. E.
Tusciam mirificè vexat & populatur. 632. D.
Montem Catinum obsidet. 636. A.
Ejus oratio ad commilitones. 638. B.
Prœlium cum Florentinis. 641. A.
Et victoria. 642. D.
Cani Scaligero militat. 683. B. 684. D.
Vicentiæ suburbium occupatum à Paduanis. 646. B.
Inde pulsi ac profligati Patavini. 651. A.
Illius Urbis status & calamitates. 588. E. *& seqq.*
Vicentini legatos ad coronationem Henrici VII. mittunt. 338. B.
Patavinis subjecti. 353. A.
Clandestina factio contra Patavinos. 360. B.
Ab iis deficiunt. 361. B.
Vicarius eis datus Canis Scaliger. 415. B.
Eorum prœlium cum Patavinis infaustum. 423. D.
Vicentinorum mirabiles Latomiæ. 443. B.
Villanus (Nicolaus) ejus Notæ in Historiam Albertini Mussati. 2.
Vinciguerra de S. Bonifacio Comes Veronensis à Scaligeris expulsus. 354. B. 422. B.
Leonicum frustra tentat. 445. A.
Veronam usque hostili impetu fertur. 546. C.
Montemsilicem præsidio firmat. 654. E.
Ulricus de Valse Vicarius Friderici Austriaci Cæsaris Patavii. 693. C. 709. A.
Urbanus IV. Papa in excidium Manfredi Siculi exardet. 825. E.
Urbevetani Gibellini per Guelphos ex ea Urbe pulsi. 567. C.
Urbicariæ Provinciæ quæ olim. XXII. *& seqq.*
Ursini Henrico VII. Aug. Romæ adversantur. 407. C. 455. A.
Henrici morte vires recipiunt. 574. A.
Eorum factio potens Romæ. 507. A.
Vveceli de Camino Tarvisii dominus. 426. A.

X

Xenia & exenia, dona. 190. D.
Xicco Polentonus Patavinus Scriptor. Vita Albertini Mussati ab eo literis consignata. 1.

Y

Ydruntum à Rogerio de Lauria captum. 978. C.
Yolanda Petri Regis Aragonem filia nupta Roberto Caroli II. Regis Apuliæ filio. 845. D. 852. D. 960. E. 985. B. & E. 1021. D.

Z

Zadrenses à Venetis deficiunt. 584. A.
Ab iis obsessi. *Ibid.* C.
De pace cum ipsis agunt. 586. A.
Zirimbertus de Syntilla Arragonensis Romandiolæ Comes. 502. A.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Österreichische Nationalbibliothek
+Z173653806

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google